SC.21.PL.2.

37
30 G
3

Hl. VI. sc. 6.

THEOPHILI RAYNAVDI
SOCIETATIS IESV THEOLOGI,
MORALIS DISCIPLINA

Ad Præſtruendam Theologiæ Practicæ, ac Iuriſprudentiæ viam.

OPVS, QVO SVBTILITAS SCHOLASTICA *LITERARVM AMOENITATE TEMPERATVR,* *Principia iuris ſtabiliuntur, Penus ad Sacras Conciones inſtruitur,*

EX ETHNICORVM, ET CHRISTIANORVM Sapientum defloratione, concinnatum.

Classis Tertia

TOMVS TERTIVS,

AD SINGVLA FERE CAPITA, MVLTIS AB AVCTORE AMPLIFICATVS.

D - 3.

CVM INDICE COPIOSISSIMO.



LVGDVNI,
Sumpt. HORATII BOISSAT, & GEORGII REMEVS.

M. DC. LXV.

Cum Approbatione, & Permiſſu Superiorum.

Bibliotheca Tiburtina Minor: Conventus S. M. Maioris



PIIS MANIBVS
ET

ÆTERNÆ MEMORIÆ
VIRI INCOMPARABILIS

IO. BAPT. COSTA

PATRITII GENVENSIS, COMITIS DE VILLART, ET OPPIDORVM LA MOTTE, ET CERNEX TOPARCHÆ.

SABAVDIÆ DVCVM CONSISTORIANI COMITIS, & ab intimis Conſiliis, in Supremâ Rationum Curiâ Præſidis, Tributariæ rei Inſpectoris, demùmq; Ærarij Regij Præfecti, &c.

NOvvm ſanè & invſitatum patrocinij genus huic Diſciplinæ Moralis Operi videor acceſſere, cùm Authoris nuper defuncti nunquam emorituras vigilias Viri Amplissimi piis Manibus addico. Verùm & illud amicitiæ fatum eſt, vt amantium ſuperſit cineri, & immortales cum ſint animi, æternæ menti fœtus ingenij poſthumos nil vetat etiam conſecrari. Vtrique ergo olim chariſſimus eam præſtabo grati animi memoriam, quam extremam ſignificavit vterque ſui eſſe animi voluntatem. Miſcebo inquam cinerem cineri, dum vnius lucubrationes alterius inſcribam nomini, & vtriuſque futurus Artemiſia, exceptum vtriuſque ſervabo ſpiritum, & amicos Manes eodem immortalis

animi componam glutino, vt æternùm vnum ſint, quos eodem penè temporis articulo mors è vivis abſtulit, vt perenniori vinculo ſibi invicem copularet.

Poſt erogatas igitur vtriuſque funeri lachrymas, Alteri in Alterius tumulo Cænotaphium extructurus, hoc qualecumque obſequij, & grati animi pignus mœrens, & beneficiorum memor appono.

ELOGIVM FVNEBRE.

Hic fumoſas Auorum Imagines
Ne Quære Viator!
Illuſtris COSTARVM *familia ſplendoris habuit plurimùm, fumi nihil,*
Quàm initij ſui caliginem
Longâ temporum anteactorum memoriâ conſepultam.
Patritiâ ſimul & Equeſtri gente ſatus
IOANNES BAPTISTA COSTA
Vtriuſque Nobilitatis gloriam ſuſtentauit.
Toto orbe diffuſum genus pluribus ſæculis,
Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Luſitaniam,
Ipſáſque adeò Indias claritate nominis illuſtrauit.
Diceres Columbum Genuenſem ſæculi ſuperioris Argonautam
Suis conciuibus noua virtutis ſtadia detexiſſe,
Cùm orbem alterum aperuit.
Maiorum vultus hic deſiderari ne putes
Superſtitibus in Filiis Moriens Pater
Omnium lineamenta reliquit;
Iano Patriæ ſuæ authori hoc ſimilis
Quòd in vtroque adhuc geminus eſt.
Conſeneſcente altero ſæculo natus
Senilis Ætatis viſus eſt adoleſcens;
Et dignus qui Patritiam prætextam indueret
Cùm deponunt alij puerilem.
Præcocem tamen ne quis in eo crederet prudentiam
Ingenij ſolertia, maturitáſque Iudicij
Inſitam fecere penitùs & natiuam.
Natus ad grandia nihil vnquam habuit exiguum
Quàm molem corporis.
Ipſâ demùm ſatis peritus ab indole
Muſarum ope non eguit
Quem Prudentia fecerat ſapientem.
Splendori Natalium nouam lucem facturus
EMANVELIS *aulam ingreditur:*
Fortunâ *fretus abundè* comite
In Sereniſsimo Duce Virtutem Ducem *habere voluit.*

Suſpexit

Suſpexit illicò viri ingenium
Princeps oculatiſsimus,
Et rebus gerendis nactus idoneum, ſuo ærario addixit Præſidem.
Creuere opes Principi illo Auctario,
Eoque fides probata Lydio
Aurea planè reperta eſt,
Splendida ſcilicet, & incorrupta.
Viro ſapienti, cùm terra qualibet poſsit eſſe patria,
Hic Europam fermè omnem adiit
Vt omnium gentium plauſus exciperet.
Vbique ſuo addictus Principi
Tentatam fidem ſeruauit integram,
Ipsíſque tandem ab hoſtibus elicuit confeſſionem virtutis.
Eam ſortitus æqualitatem animi,
Quam nec aduerſa deprimerent, nec extollerent proſpera,
Serenitati *hæſit aſsiduè vel inter nubila,*
Nec tam ſpei fretus anchorâ quàm fidei,
Ipsíſque procellarum flatibus in altum prouectus eſt.
Singulis fermè æui ſui Principibus cùm foret acceptiſsimus
Vni ſeruire maluit quàm omnium eſſe mancipium.
Ab Hiſpaniarum Rege Quæſtor Mediolanenſis
Deſignatus eſt ſine quæſtu,
Ab Lvdovico XIV. *lilio donatus aureo,*
Quod aliis duobus acceptis ab Septimo Carolo *adiungeret,*
Suæ compleuit decus familiæ,
In illo nempè nuper refloruit antiqua gentis proſapia,
Quæ anno reparatæ ſalutis 1127. *florere cœperat.*
Deo Amicus vſque ad Aras,
Vt Pietatis monimenta Æterna faceret,
Fecit marmorea.
Splendet & in auro Amor in Superos,
Et ſuppar animo munificentia
Cœlo æquauit ſua faſtigia.
Vectigalium Præſes,
Principum Ærarium impleuit ſubditorum animis;
Tributa nulla potiora eſſe ratus,
Quàm quæ ex affectu animi penderentur.
Inter ditionis Allobrogicæ oculos rectè accenſeas
Qui ſine ſupercilio
Beneficio Regij luminis illuſtratus
Populum habuit pro pupillâ,
Adeò lædi timuit, & amauit.
Sic Plebis Pater, & Parens Patriæ

Adiecit

Adiecit etiam publicis ſtudiis curam domeſticam.
Memor ſe eſſe caput familiæ
Et membra famulos ,
Sibi oculorum, oris , & aurium ſecreuit munera ,
Et priuata negotia metatus publicis,
Priuatis publica,
Ciuibus ſe Patrem præbuit ,
Dominum Famulis , Præſidem Liberis, Quæſtorem Egenis ,
Hoc etiam felix
Quod Nepotem Puerum manûs officio fungi docuit ,
Et Ærarij pauperum non tam Cuſtodem ſtatuit
Quàm Diribitorem.
In tam ſplendido virtutum Choragio
Sua ſibi etiam Patientia arrogauit ,
Et ſuo illum donatura ſuffragio , Calculum *miſit.*
Fuit hic ſanè virtutis Lydius ,
Sed non diu'
Secari enim non abnuit Iudex tam Integer.
Fuit ea Sectio *vltimum Vitæ* Caput.
Ad hanc cotem *tela acuiſſe mortem diceres,*
Niſi ferro alteri hanc deberet.
Inter huius Laniena cruciatus
Conſtanti animo nullum aliud doloris ſignum excidit
Quàm offenſi numinis.
Sibi fœneraturus ipſo in funere ,
Deo viuere cœpit ardentiùs morti vicinior
Quàm ſæpiùs iam anteceperat.
Momenta enim omnia æquitatis trutinâ temperans
Regiarum Rationum Præſes
Rationem vnam habuit vitæ Ducem,
Et poſt Impenſas Quatuor Ducibus vitæ curas
Vni vacans numini ,
Filio Munus, Nepoti nomen, Exemplum poſteris , reliquit ,
Omnibus deſiderium ſui.

CLAVDIVS FRANCISCVS MENESTRIER.

LECTORI

LECTORI MEO.

QVOD ſcriptionis formam plenè in Prologi calce exponam, nihil mihi circa eam in hoc aditu morandus es, LECTOR BENEVOLE. Suſcepti tamen laboris occaſionem prodere, operæpretium videtur. De noſtris quondam in morum ſcientiam laboribus, cùm inaudiſſent aliqui rei literariæ amantes, autores fuêre, vt quam curam in Naturalem Theologiam priùs impenderam, incultum propè Philoſophis noſtris nouale proſcindens, in hanc quoque humanæ ſapientiæ portionem conferrem. Nimirum ſperantes fore, vt quem fructum noſtra illa de diuinis rebus intra naturæ fines Commentatio conſecuta eſt, iſta quoque, bono Deo auſpice, nanciſceretur: Vt inquam adoleſcentes, quorum maxima pars Theologiam non cogitat, nequaquam vltrà fraudarentur cognitione rerum ſcitu digniſſimarum, vtilitate etiam longè ſuperiorum pleriſque, in quibus plenè, fuséque tradendis, operæ, temporiſque non parcitur. Quid enim ad eum finem, cui & ſcientiarum parandarum laborem, & vitam omnem aptari ac deſeruire neceſſe eſt; quid inquam, ad vitæ ex honeſtate compoſitionem, & deflexionem à morali turpitudine, neceſſarium magis, quàm ipſius honeſtatis fontium deſignatio? Finis in quem collimandum eſt, orbitarum quibus ad illum pertingitur, diſquiſitio? Cœni vitiorum, & riuulorum ex fœdo capite ſcaturientium, demonſtratio? Semitarum denique quibus à meta exerratur, vt ſubire caueas, accurata deſcriptio? Et fuerunt tamen ad hanc diem, iuſto remiſſiores in ea cura plerique omnes, quòd in his oris dilata ad curriculi calcem Morali diſciplina, in magnis temporis iam deuexi anguſtiis, & copioſa intactarum materiarum ſylua, ſingulis, vel nullum, vel admodùm perfunctorium ſtudium, reliquum fiat. Cuius in Morali tractanda ieiunitatis, nonnulli eam ſibi videntur habere idoneam excuſationem, quòd Theologi, cùm ſecundæ partis Theologicæ Summæ partem priorem explanant, diligenter ac copioſè in huiuſmodi argumento verſentur. Sed ea mihi, intuta ſemper ac perfrigida viſa eſt excuſatio; Cùm quòd adoleſcentum potior pars, Theologia non adita, ad Iuris, vel rei medicæ ſtudia conuolet; proindéque non exiguo diſpendio abeat, eius diſciplinæ expers, cuius eſt in omni vita fructus longè maximus. Id quod præſertim circa Iuris candidatos locum habet, quorum facultas vniuerſa, nititur Moralibus principiis; vt iis veluti fundamentis non antè iactis, firmitérque ſtabilitis, inædificari ipſa nullo modo poſſit. Tum quòd ea inferioris ſubſellij deoneratio, in non modicum quoque, Theologicæ tractationis damnum cedat. His enim diſtenta curis Chriſtiani Theologi ſollicitudo, non poteſt, rerum reuelatione nixarum, quæ propria eius ſparta eſt, accurata & qualem argumenti maieſtas depoſceret, non feſtinata diſquiſitione defungi. Vnde illa tam multorum ſcitu digniſſimorum capitum, verè Theologicorum, in ea Summæ parte, acciſio; nonnullorum in alias partes extra locum, ſedémque propriam tranſcriptio; quorumdam nec exigui momenti, reciſio. Vt planè liqueat, improuidentiam illam, qua Philoſophiæ tractator, rem ſui iuris ſuperiori diſquiſitioni permittit, & Philoſophicæ tractationi quam truncat, & Theologicæ, aliis ſibi propriis ſatis ſupérque diſtentæ, detrimentoſam accidere.

EI INCOMMODO, quòd mederi poſſe videretur delectus Moralium materiarum Philoſophici iuris, amœnitate aliqua conueſtitus, qualem ipſe, cùm mihi ea cura incumberet,

proponere Auditoribus meis anniſus eram, autoritati dedi laborem hunc noſtrum, à non paucis quibus noſtra vtcunque probantur, ſæpè anteà expetitum, nunquam exoratum; quòd ſi hæc ſcriptionis mola verſanda eſſet, Theologiæ Profeſſorem, argumenti alicuius Theologici diſcuſſio aptiùs diſtentura videretur. Quanquam quòd hæc ſcriptio Theologiæ ancilletur, & ad eius penetralia viam ſternat, non potui his recoquendis abiunctus à ſtudiis illis videri, quæ me complures iam annos illigatum atque implicitum retinent: præſertim cùm SS. Patres, ſapientibus Ethnicis, in rerum moralium confirmationem & illuſtrationem ita nexuerim, vt quamuis quæ illi ex reuelationis lumine proferunt, intacta voluerim, plurima tamen naturæ lumine peruia, in quibus eximia illa ingenia, aciem ac vim ſuam prodiderunt, ſuis locis diligenter reddens, verſatus in hac ſcriptione ſim, inter Chriſtianorum Theologorum eminentiſſimos, iiſque propè aſſiduus adhæſerim, & quod Bleſenſis epiſt. 92. ſimile conſilium excuſans, ait, nanus ſuper Gigantum humeros factus, eorum proceritatem, ad patentiorem, protenſioremque proſpectum, puſillitati meæ prudens ſubſtrauerim. Qua in parte, eorundem Chriſtianorum, ac etiam Ethnicorum ſapientum pleriſque locis quandoque prolixioribus exſcribendis, non parcens, feci quod multorum ferebant vota; qui librorum egentes, nudas Autorum allegationes minùs probarunt, ſibique ſelectorum locorum verba ipſa appendi expetierunt; rati, lanam inde ac purpuram, vt S. Cyprianus ad Fortunatum præfatur, vnde veſtem ſibi ipſimet conficiant, ſubminiſtrari. Hoc alienarum opum apparatu, non tumultuariè congeſto, ſed operosè digeſto, ſtamen ſubtilitatis ſcholaſticæ, multiplicis amœnitatis ſubtegmine exornare aggreſſus ſum: cuius texturæ Moralia conficere, hactenus quem viderim, conſilium iniit nemo. Tametſi vt iniuiſſent complures, non difficilè ea Senecæ excuſatione tegerer, epiſt. 79. Omnibus feliciter hic locus ſe dedit; & qui præceſſerant, non præripuiſſe mihi videntur quæ dici poterant, ſed aperuiſſe. Multum intereſt, vtrùm ad conſumptam materiam, an ad ſubactam accedas. Creſcit in dies, & inuentutis, inuenta non obſtant. Prætereà conditio optima eſt vltimi. *Poſſet item illud proferri ex Damaſceno orat. de defunctis.* Nonnunquam id quod à perfectis relictum eſt, reperit puellus; & in id quod prætercurſum eſt à ſapientibus, incidunt idiotæ; & id quod occultatum eſt Magiſtris, comparuit diſcipulis. *Sed illud ex eodem magis placet.* At nobis tale quid loqui audere, fas non eſt. Verùm quemadmodum qui poſt vindemiam, racemos; aut poſt vberem meſſem, neglectas à meſſoribus ſpicas; aut poſt collectos arborum fructus, autumni reliquias comportant: ita & nos rem aggrediamur, freti adiutorio Domini.

HABET LECTOR conſilij noſtri rationem in hoc Opere, quod iampridem à nobis datum ad prælum, eique iam ſuperiore anno bona ex parte ſubiectum, interueniente lue quæ operas innumeras vaſtauit, & rei typographicæ vniuerſæ iuſtitium indixit, non modò lucis vſura, plenáque editione hactenus priuatum, ſed & de abortione periclitatum non ſemel, obſtetricata Dei benignitas, ad hunc tandem exitum perduxit; vtinam ea quam lucubrationibus noſtris præfiximus, & ex illis exiſtere cupimus, diuinæ gloriæ, & publici boni acceſſione.

SERIES
TRACTATIONVM
HVIVS VOLVMINIS,

QVO SCIENTIA MORVM, PER OMNES eorum cauſas traditur. Prima, fine hominis; reliquæ, mediis ad eum finem aſſequendum idoneis continentur.

DE CAVSIS EXTERNIS MORVM.

DISTINCTIO I. *De fine morum; ſiue, de obiectiua atque formali beatitudine.*

II. *De principio morum effectiuo innato; hoc eſt, de principio actiuo naturali, voluntario, & libero.*

DE INTERNIS MORVM CAVSIS.

III. *De cauſa morum materiali; ſiue, de paſſionibus, & actibus interuenientibus in modo operandi humano ac deliberato.*

IV. *De formali cauſa morum; ſiue, de moralitate, eiuſq; membris, nempe honeſtate ac turpitudine.*

Tractatio de Virtutibus ac Vitiis, quæ ſunt aduentitia moraliter agendi principia, ſeorſim datur: quia principia hæc provt aduentitia, expromptionem principiorum natiuorum, quæ hactenus expoſuimus, conſequuntur.

SYLLABVS
PROLOGI, AC QVÆSTIONVM, ET ARTICVLORVM, CVIVSVIS DISTINCTIONIS.

PROLOGVS. *Moralis Diſciplinæ laudata, definita, diſtributa.*

§. I. *Moralis diſciplinæ dignitas, vtilitas, ſuauitas.*

II. *Obiectum Moralis ſcientiæ.*

III. *Corollaria ex dictis, de natura huius ſcientiæ.*

IV. *De eodem habitu, ad Phyſicam, Synteresin, Prudentiam, & Iuriſperitiam comparato.*

V. *Idoneus Moralis ſcientiæ Doctor.*

VI. *Idoneus Moralis Auditor cuiuſmodi.*

VII. *Modus & ordo, in Morali Diſciplina docenda, & audienda, tenendus.*

VIII. *Breuiculus Moralis Philoſophiæ Ariſtotelicæ; & quæ eius ad Morales aliorum tractationes, comparatio.*

IX. *Noſtra in Morum tractatione, via, ac modus.*

DISTINCTIO I.

De Fine Morum.

QVÆST. I. D*Etúrne vnus aliquis, ſimpliciter vltimus, quorumvis effectibilium finis, & quomodò is finalizet.*

ART. I. *Dari finem ſimpliciter vltimum, & quidem vnicum, omnibus effectibilibus communem.*

ART. II. *Quomodò finis ille vltimus, à cauſis efficientibus intendatur, & earum opera finalizet.*

QVÆST. II. *De naturali fine ſimpliciter vltimo, quem homo ſibi poteſt, debétve præfigere.*

ART. I. *De fine ſimpliciter vltimo, malè conſtituto.*

ART. II. *De naturali fine ſimpliciter vltimo, humanæ appetitionis ordinata.*

QVÆST. III. *De eodem fine, ſub ratione ſummi boni noſtri, & obiectiuæ beatitudinis.*

ART. I. *Finem hominis vltimum, hactenus expoſitum, eſſe ſummum hominis bonum; nec in aliud quidvis cadere poſſe rationem obiectiuæ noſtræ beatitudinis, generatim traditur.*

ART. II. *Partitione bonorum quorumvis creatorum, eorúmque in certas claſſes, digeſtione, præluditur abrogandæ ſingulis, rationi vltimi finis noſtri, ac obiectiuæ beatitudinis.*

ART. III. *Corporis decora, & actus quilibet primi, quantùm abſint à ratione obiectiuæ noſtræ beatitudinis. Ecloga Ethica, ex Philoſophis ac Patribus.*

Summella Eclogarum.

1. *Varia corporis bona, & quibus aliqui palmam detulerint.* 2 *Corporis ſanitas, & robur, quàm minutum bonum.* 3. *Depretiatio pulchritudinis.* 4. *Boni exilitas in ſenſuum integritate, atque vigore.*

ART. IV. *Neque in actu vllo ſecundo corporeo, ſitus poſſe obiectiuam hominis felicitatem. Ecloga Ethica, ex Philoſophis & Patribus.*

Summella Eclogarum.

1. *Voluptas corporea, non eſt totius hominis bonum.* 2. *Eſt bonum brutis commune.* 3. *Ne ſummum quidem eſt, brutorum bonum.* 4. *Non ſatiat, expléue fruentem.* 5. *Imò tyrannicè vexat.* 6. *Ipſo ſui vſu, perit.* 7. *Habet ſubiunctam moleſtiam.* 8. *Imò adiunctam.* 9. *Eſt vitij metropolis.* 10. *Epicuri grunnitus pro voluptate. Epicurus, à Patribus corporeæ voluptatis aſſertor auditur. Quæ Epicuro fœdi placiti origo. Eíne ſuffragati Democritus & Heraclitus. An de animi quoque voluptatibus locutus. Diſſidium Autorum, & qui pro Epicuro. Initur conciliatio ex ſuprà dictis.* 11. *Mahometes Epicuri partiarius.* 12. *Epicuri nugamenta eliduntur.* 13. *Obiter aduersùs placitum Epicureo annexum, de luſu ſummo bono.* 14. *In Epicurum & aſſeclas conclamatio.*

ART. V. *Obiectiuam hominis felicitatem, non contineri externis fortunæ bonis, ſiue diuitiis. Ecloga Ethica, ex Philoſophis & Patribus.*

Summella Eclogarum.

1. *Diuitiæ, ſunt bona tantùm vtilia, víxque bona; non ſunt igitur ſummum bonum.* 2. *Opes, inſtrumenta & occaſiones malorum omnium; non ſunt igitur ſummum bonum.* 3. *Alia diuitiarum labes, quod mentem in vana & nugas miſerè diſtrahant.* 4. *Non explent animum, quia ſunt ſuapte natura, bona nihili.* 5. *Acuunt potiùs, quam ſatient animi famem.* 6. *Opum ſpinoſitas, ac proinde elongatio à ſummo bono,* 7. *Nulla diuiti à diuitiis ſecuritas.* 8. *Diuites angoribus obſepti, atque oppreſſi.* 9. *E contrà pauperes cruciamentis illis liberi.* 10. *Pauperum deliciæ puriores quàm diuitum.* 11. *Summa bonorum fortunæ labilitas.* 12. *Rota fortunæ.* 13. *Solus diuitiarum vſus penes poſſeſſorem.* 14. *Dictæ idcircò aliena bona.* 15. *Collatæ cum fluuio, æſtuariis, pompa, famæ.* 16. *Summa damnorum quæ a diuitiis exiſtunt, ex Telete.* 17. *Earundem receſſus à perfectione ſummi boni noſtri, concluditur.*

ART. VI. *Neque in aliis externis bonis; fama inquam, gloria, atque honore, ſitam eſſe obiectiuam noſtram beatitudinem. Ecloga Ethica, ex Philoſophis & Patribus.*

Summella Eclogarum.

1. *Fama quàm exile bonum, quoad ſubſtantiam ſuam.* 2. *Eiuſdem anguſti limites.* 3. *Quò diffuſior, eò incertior.* 4. *Inanitas gloriæ, vt plurimùm quanta.*

quanta. 5. *Gloriæ damnoſitas.* 6. *Seruitus animalium gloriæ.* 7. *Gloriæ caducitas.* 8. *Qui in honore nati: ac primùm quòd ſit extrinſecum quid, & vt plurimùm extrinſecis deferatur.* 9. *Item quòd ab inhonoratis deferatur.* 10. *Et quòd indignis.* 11. *Spinæ honorum etiam eminentiſſimorum.* 12. *Vertigines ſæpè eorundem.* 13. *Ignorantia veri, ingens malum ſummorum faſtigiorum.* 14. *Item creſcendi cupiditas.* 15. *Sed maximè peccandi opportunitates, & incentiua.* 16. *Beatior priuatorum conditio; ſicut beatior mancipij, quàm domini ſors.* 17. *Extremum ac ſummum periculum in ſorte Magnatum.* 18. *Miſeria eorum qui ſummis faſtigiis proximi.* 19. *Ærumnæ quorumvis captantium honores.* 20. *Fugacitas honorum.* 21. *Externorum quorumvis bonorum, (de quibus hactenus) vanitas, receſſúsque à ſummo bono, breuiter colligitur.*

ART. VII. *Naturalia animi bona, quibus ſiue intellectus, ſiue voluntas perficitur, longè abeſſe à ratione plena ac vera obiectiuæ noſtræ beatitudinis. Ecloga Ethica, ex Philoſophis & Patribus.*

Summella Eclogarum.

1. *Scientia, ac virtutes, magna bona.* 2. *Non tamen ſumma, ac primum ſcientiæ labes ex origine à ſenſibus.* 3. *Anguſtia ſcientiæ, à nobis parabilis.* 4. *Scientia patens inexhauſtibilis.* 5. *Alij naui ſcientiæ noſtræ vniuerſim acceptæ.* 6. *Defectus ſcientiæ noſtræ ſigillatim.* 7. *Virtus humana tendit aliò; non eſt igitur ſummum bonum.* 8. *Idem concluditur, ex non plena hominis per eam perfectione.* 9. *Et ex eius amatore, proborúmque ærumnis.* 10. *Obiter etiam ex virtutis fragilitate.*

ART. VIII. *Breuis ſumma antedictorum, ex Epicteto, Seneca, Boëtio, atque Lactantio.*

ART. IX. *Regreſſus ad veram noſtram obiectiuam beatitudinem, & vtilia quadam ex antedictis corollaria.*

QVÆST. IV. *De aſſecutione finis noſtri ſimpliciter vltimi; ſeu de formali beatitudine.*

ART. I. *De formali beatitudine, communia quibuſvis humanæ naturæ ſtatibus, & vtrique vitæ noſtræ.*

ART. II. *Perfectam formalem beatitudinem eſſe alterius vitæ propriam, & hic fruſtrà in quacunque hominis conditione, ac ætate quærendam.*

ART. III. *Formalem illam alterius vitæ beatitudinem, quæ Dei viſione continetur, & nunc morte obita piis rependitur, ſupernaturalem omninò eſſe, ac proinde hic dimittendam.*

ART. IV. *De formali illa beatitudine, quæ hominibus diuino munere poſt mortem concedenda fuiſſet, in ſtatu puræ naturæ.*

ART. V. *Eadem alterius vitæ beatitudo naturalis, Platonicis ænigmatibus adumbrata.*

ART. VI. *De formali imperfecta huius vitæ beatitudine.*

DISTINCTIO II.

De cauſa morum effectrice innata; ſiue de principio libero.

QVÆST. I. *De rationibus communibus ad principium liberum præſuppoſitis, earúmque oppoſitis.*

ART. I. *De principio naturali, & violento.*

ART. II. *De principio voluntario, & inuoluntario.*

QVÆST. II. *De principio, ex natura rei, ſeu remotè libero; déque principio neceſſario, ei oppoſito.*

ART. I. *Ratio principij liberi propriè dicti, rationi neceſſarij contrapoſita.*

ART. II. *Eadem principij liberi ratio, multipliciter expreſſa.*

ART. III. *Principij liberi dignitas, multiplicitas, & comparatio cum principio voluntario, ex dictis eruitur.*

ART. IV. *Quodnam ſit liberum illud principium actui ſuo dominans; ſiue de libertatis ſubiecto, remoto, ac proximo.*

ART. V. *Sphæra obiecti voluntatis, liberè quocunque modo operantis.*

ART. VI. *Quod ius habeat in facultates non liberas, voluntas libera.*

QVÆST. III. *De principio proximè libero, & neceſſitatis ab eo excluſione; ſiue de expedito vſu libertatis in humana voluntate.*

ART. I. *Humanæ libertatis expeditio generatim aſtruitur.*

ART. II. *Quidnam expedito libertatis vſui poſſit officere.*

ART. III. *Quomodò de facto impediatur, aut impediri ab aliquibus cenſeatur, prima libertatis quaſi facultas, quæ eſt ad volendum.*

ART. IV. *An de facto, alteri quaſi facultati libertatem integranti, quæ eſt ad non volendum, impedimentum aliquod per res creatas homini intrinſecas, vel extrinſecas, aliquando iniiciatur.*

ART. V. *An eidem partiali libertatis facultati ad non volendum impedimentum aliquod de facto accedat, ex diuinis decretis, & cooperatione nobiſcum.*

ART. VI. *De communi impedimento vtriuſque quaſi partialis facultatis libertatem integrantis, ducto ex diuina præſcientia.*

ART. VII. *Quandonam ſit expeditus libertatis vſus in humana voluntate.*

DISTINCTIO III.

De cauſa morum materiali.

QVÆST. I. *De paſſionibus vniuersè.*

ART. I. *Quidditas paſſionum.*

II. *De ſubiecto paſſionum.*

III. *De naturalibus & aduentitiis paſſionum irritamentis, vniuersè: ſeu vndenam procliuitas maior quorundam ad paſſiones aliquas, ortum habeat.*

IV. *Paſſionum duo generales ordines, numerus, & contrarietas.*

V. *Ordo generationis, ac dignitatis, inter paſſiones.*

VI. *Generalia aduerſus quarumcunque paſſionum immoderationem Alexipharmaca. Ecloga Ethica, ex Philoſophis & Patribus.*

Summella Eclogarum.

Vniuerſalium ad moderandas paſſiones ſubſidiorum ordines duo. 1. *Prior, internorum eiuſmodi primum, expenſio pulchritudinis repreſſarum paſſionum.* 2. *Itémque; conciliata indidem dignitatis.* 3. *Ac etiam perfectæ libertatis.* 4. *Imò poteſtatis planè regiæ.* 5. *Et quidem cum maxima & puriſſima voluptate coniunctæ.* 6. *Omnémque planè*

complexa iucunditatem, qua nulla abſque hoc interno regno. 7. Abſunt ab eo granamina regnorum reliquorum. 8. Quam difficile adeptu. 9. Eius aſſecutio, mali cuiuſvis obſtructio. 10. Analogia eiuſdem, cum tumultuantis populi compreſſione. 11. Itémque, cum equi per doctum ſeſſorem circunductione. 12. Ad hoc regnum internum, verum eſſe hominis conſequitur. 13. Alia interna paſſionum remedia generalia ex l.2. cap.18. Arriani. 14. Cura principiorum quantum in ea cura momentum. 15. Vitatio improuidentia, admittentium paſſiones, quas poſtmodum excludendas decernunt. 16. Vſus examinis particularis. Litigiolū de eiuſdem examinis ordine ſublatum. Alia circa eum ordinem. 17. Reprimenda, phantaſia appetitui pralucentis, progreſſio. 18. Imò praecludendus exortus, obſtructis externis ſenſibus. 19. Priſcorum ſapientum ſeceſſiones, ea ex cauſa. 20. Mors per ſenſuum feneſtras. 21. Venendum ſibi, coram Deo, idque quantum. Alter ordo generalium ſubſidiorum ad paſſiones frenandas, ſiue externorum. 22. Dei memoria & conſuitus ſemper, ac vbivis. 23. Anteriorum illuſtrium exemplorum attenta inſpectio. 24. Conuictus eorum qui ſubacti ſint paſſionibus. Extrinſeca in rem noſtram remedia Epicteto intacta, dimittuntur; vt Pharmaca, & concentus muſicus.

QVÆST. II. *Sigillatim de paſſionibus quae ad appetitum concupiſcibilem pertinent.*

ART. I. *De amore.*

II. *De odio.*

III. *De deſiderio.*

IV. *De fuga.*

V. *De delectatione.*

VI. *De dolore & triſtitia.*

QVÆST. III. *Sigillatim de paſſionibus quae ad appetitum iraſcibilem pertinent.*

ART. I. *De ſpe.*

II. *De deſperatione.*

III. *De audacia.*

IV. *De timore.*

V. *De ira.*

QVÆST. IV. *De commotione corporea generali paſſionum omnium conſectario.*

ART. I. *Quae ſit origo alterationis corporea, ad paſſiones conſequentis, vniuerſe.*

II. *De commotione corporea, affectus proſecutiuos conſequente.*

III. *De commotione corporea, affectus auerſatiuos, vel quaſi auerſatiuos, conſequente.*

QVÆST. V. *De altero ordine actuum moralitatis capacium, conſtituentium progreſſum voluntatis, in modo operandi humano & deliberato.*

ART. I. *De iudicio practico circa finem, & finis intentione.*

II. *De conſultatione, electione, atque conſenſu.*

III. *De imperio & vſu.*

IV. *Colligitur numerus & ordo actuum ad progreſſum deliberatè operandi pertinentium.*

DISTINCTIO IV.

De Moralitate.

QVÆST. I. *De Moralitate generatim.*

ART. I. *Quid ſit moralitas ſimpliciter dicta, ſiue formalis.*

II. *De moralitatis fundamento; ſeu quomodo moralitas ad humanum actum ſe habeat.*

III. *De termino moralitatis; hoc eſt de humanorum actuum regula.*

IV. *De generica, ſpecifica, atque numerica moralitatis conſtitutione, & diſtinctione, per ordinem ad regulam proximè expoſitam.*

V. *De radice moralitatis ſimpliciter dictae; ſeu de moralitate obiectiua.*

VI. *Vniuerſè de formalis moralitatis origine ex propoſita eius radice.*

VII. *De concurſu multiplicis moralitatis formalis, in eundem internum actum.*

VIII. *De refuſione moralitatis formalis ab interno actu ad externum, vel quaſi externum, hoc eſt, imperatum ſimul & elicitum.*

QVÆST. II. *De bonitate actuali, priore ſpecie moralitatis formalis.*

ART. I. *Quid ſit honeſtas actualis, & quae illius, ad humanum actum, & eiuſdem regulas, comparatio.*

II. *Fontes honeſtatis formalis.*

III. *Dimanatio honeſtatis formalis, ex conſtitutis eius fontibus.*

IV. *Generalia exercenda, augendae, ſeruandaeq; honeſtatis moralis, incitamenta, & adiumenta. Ecloga Ethica, ex Philoſophis & Patribus.*

Summella Eclogarum.

Generalium ad honeſtatem moralem, incentiuorum panacea. 1. Potior haec moralitas, bonum honeſtiſſimum. 2. Eſt verum hominis bonum. 3. Ipſumque decorum, mouens omnium approbationem. 4. Honeſtatis ſpecies, & decus, ad Numinis vſque ſimilitudinem aliquam & filiationem. 5. Eſt ſola hominis pulchritudo. 6. Summa probitatis nitela, & ſplendor. 7. Dignitas ſumma & libertas, ſanitas, integritas, robur, omnia perpetua ab eadem. 8. Artis honeſti potentiſſimus, difficultas, & labor ab eo, & in eo deſiciunt. 9. Labor vbivis neceſſarius, hic tantùm, optimè collocatur. 10. Labores vulgi circa inania. 11. Honeſti labor, opinione minor. 12. Imò ex ſe honeſtum facile, praeſertim prae inhoneſto. 13. Clauſula antedictorum ex Muſonio. 14. Probitatis muſica, & inge gaudium, veraeq; deliciae. 15. Vtilitas honeſti. 16. Eſt ſenectutis, imò aeternitatis viaticum. 17. Quanti referat hoc viaticum parare. 18. Tempus aliò impenſum perditur, quantúmque hoc damnum. 19. Felicitas. benè, hoc eſt, ex honeſtate, exigentium vitae tempus, & ſapientum in hanc rem ſtudia. 20. Concluditur immanens honeſti vtilitas, tranſiens dimittitur. 21 Generalium ad honeſtum ſubſidiorum, claſſes duae, externa, ac primum oratio. 22. Externum honeſti exemplar, vir probus. 23. Neceſſaria exemplaris illius familiaritas, quidque in ea cauendum. 24. Fidus ad honeſtum adiutor, & monitor, & hortator. 25. Autor libri, mutus hortator, & quantum in lectione ſubſidium honeſti. 26. Concluſio ſubſidij propoſiti, & quàm praeruptus honeſtati ſcopulus, conſuetudo prauorum. 27. Secedendum à turba, indicus praeſertim ac ſenſu. 28. Claſſis altera ſubſidiorum ad capeſcendam honeſtatem; hoc eſt, intrinſecorum, cuiuſmodi in primis, cunctationis remotio. 29. Vita incertum, aduerſus ſegnitiem calcar. 30. Alterum internum ad honeſtatem ſubſidium, auſpicatio à minimis. 31. Tertium, reciſio curarum & negotiorum. 32. Quartum, genus introſpectio. 33. Vltimum, nuſquam pes figendus. 34. Iudicij ad id, atque propoſiti, vacillatio vitanda.

QVÆST.

QVÆST. III. *De altera ſpecie moralitatis formalis, ſiue de actuali turpitudine.*

ART. I. *Quid & quotuplex ſit vniuersè moralis malitia, & de comparatione eius ad regulam.*

II. *Specialiter quid ſit malitia commiſſionis praua, déque eius ad regulam cum qua diſſonat, comparatione.*

III. *Specialiter quid ſit malitia praua emiſſionis, & cui regula diſſonet.*

IV. *Fontes vtriuſque malitiæ.*

V. *De eductione formalis malitiæ è conſtitutis eius fontibus per cauſas illius effectrices, falſæ ſententiæ, quæ cauſas illas peccanti extrinſecas aſſignant.*

VI. *Vera ſententia de formalis malitiæ eductione è conſtitutis eius fontibus, per cauſam illius effectiuam; ipſum inquam peccantis arbitrium; déque duplici veluti canale quo malitia manat; notitia ſcilicet, & appetitione.*

VII. *Generalia aduerſus moralem malitiam Alexipharmaca. Ecloga Ethica, ex Philoſophis, & Patribus.*

Summella Eclogarum.

1. *Ad malitiæ fugam incentiua. Ac primò eius inhoneſtas, & pugna cum natura rationali. 2. Homo prauitate ac peccato, hominem abiicit. 3. Excutit diuinam proſapiam, & efferatur. 4. Degenerat in Centaurum, Scyllámque, ac ſi quid monſtroſius. 5. Deiicitur infra bruta. 6. Imò peior feris, & Dæmonibus efficitur. 7. Squalor vitij, & ſordes carceris cui hominem mancipat. 8. Malitia fœditas ex inordinatione intra hominem. 9. Alia per malitiam moralem deordinatio, tanquam per animæ morbum, & corruptionem morti præludentem. 10. Inſignis alia malitiæ inordinatio, ex pugna cum Deo. 11. Impietas cum quolibet peccato complicata, etiam iuxta Ethnicos. 12. Tranſitum ad peccati inſuauitatem, & non difficilem victoriam. 13. Fit expugnatu facillimum. 14. De carnificina quam infert, dicta Chriſtianorum. 15. Eadem conſcientiæ per peccatum laceratio ex Ethnicis expoſita. 16. Improba conſcientia, infernus quidam. 17. Malitiæ inſuauitas magis illuſtrata. 18. In obiectis quæ improbis maxime ſapiunt, quanta inſuauitas. 19. Nullum tempus, pro malis tactus voluptatibus, ex Chryſoſtomo. 20. Similis ratiocinatio circa guſtabilia ſimul & tactilia, ex Iſidoro Peluſiota. 21. Malitiæ amaritudo concluditur. 22. Seruitus peccati ærumnoſiſſima, itemque turpiſſima. 23. Carcer eius & vincula. 24. Fructus antedictorum. 25. Malitiæ inutilitas. 26. Summa euſdem damnoſitas. 27. Hominem redigit ad nihilum. 28. Prima ac præcipua peccantis pœna, peccare. 29. Multiplex ex peccatis confuſio poſt hanc vitam. 30. Pura & immixta indidem doloris acerbitas. 31. Ethnicis hoc ipſum malitiæ amuletum, in vſu. 32. Quantum mouere debeat, in tanto vitæ incerto. 33. Generalia ad malitiæ excidium ſubſidia, ac primùm extrinſeca. 33. Precatio. 34. Numinis præſentis contuitus. 35. Fidus monitor. 36. Declinatio conuictus vitioſorum. 37. Deuitatio occaſionum labendi. 38. Obſtructio fontium peccati; intrinſecorum aduerſus illud ſubſidiorum, primum. 39. Alterum, obſtare principiis. 40. Tertium, culparum minutias refugere. 41. Quartum, conſcientiæ examen, etiam iuxta Ethnicos. 42. Ordo, & capita, ac tempus examinis. 43. Mulcta examini ſubiungenda. 44. Vſus examinis ad ſui notitiam. 45. Lapſu conſecuto, non cadendum animo. 46. Etiam aduerſus inolita vitia obnitendum.*

QVÆST. IV. *De nonnullis actuum malorum affectionibus.*

ART. I. *De præmio, honore, laude, & gloria honeſte operi debitis, eorúmque condignitate.*

II. *De condignitate ſupplicij ac vituperationis, actus prauos conſequente.*

Operis clauſula, & pro ea gratiæ, & votum.

IN

IN MORALEM
ILLVSTRATAM.
QVI AQVAM HAVRIS, FONTEM CORONA.

FONTEM coronat, more Quiritium,
Quicunque parvo, ſed memori tamen,
Accepta, quà fas, dona, grati
Iudicio officij repenſat.

Quin ergo Fonti, vnde ſcientiæ
Potus ſalubres, per trieteridem
Aquationis compos, hauſi,
Deproperem meritam coronam?

Faceſſe quiſquis ambitioſiùs;
Seu fontis Indi irriguas opes
Suetas in aurum congelare,
Prodigio celebras inani.

Seu qui pelaſga commemoras fide;
Ardere lympha dalmatica faces,
Nymphamq́, eandem fabularis;
Igniparam ſimul & Novercam.

Hinc aurum, & ignem, ſi iuvat hauries;
Tantùm memento, lege parœmiæ,
Vt Fontem honores, vnde potas;
Et quod ego facio, corones.

AVTORIS DISCIPVLVS.

C. D. T.

PROLOGVS

PROLOGVS.

MORALIS DISCIPLINA LAVDATA Definita, diſtributa.

TRANSEAMVS nunc ad alteram Philoſophiæ partem, quam Moralem vocant, in qua totius Philoſophiæ ratio continetur. Siquidem in Phyſica, ſola oblectatio eſt; in hac, etiam vtilitas. Et quoniam in diſponendo vitæ ſtatu formandiſque moribus, periculo maiore peccatur, maiorem diligentiam neceſſe eſt adhiberi, vt ſciamus quomodo nos oporteat viuere. Illic poteſt venia concedi, quia ſiue aliquid Philoſophi dicunt, nihil proſunt; ſiue delirant, nihil nocent: hîc verò nullus diſſidio, nullus errori eſt locus. Omnes vnum ſentire oportet, ipsámque Philoſophiam vno quaſi ore præcipere, quia ſi quid fuerit erratum, vita omnis euertitur. In illa priori parte, vt periculi minus, ita plus difficultatis eſt, quòd obſcura rerum ratio, cogat diuerſa & varia ſentire. Hic vt periculi plus eſt, ita minus difficultatis, quod ipſe vſus rerum & quotidiana experimenta poſſunt docere quid ſit verius & melius. Hunc Lactantij locum ex 3. inſtitut. c. 7. aptum cenſui qui noſtræ de Morali Philoſophia tractationi principium ſtatueret, quòd omnia, vt Ammonius ſub finem præfationis ad Porphyriũ appellat, huius ſcientiæ προλεχϑολεγόμενα paucis complectatur; & ſpeculatiuam Philoſophiam, cuius florem Naturalis Theologia antehac exhibuit, cum hac actiua aptè connectat.

Eſſe autem moralem diſciplinam, (quod in primis affirmat Lactantius;) Philoſophiæ partem, infra probabo, huius diſciplinæ naturam exponens, videtúrque ex ſe perſpicuum. Cum enim, & ad rerum contemplationem per intellectum, & ad actionem per voluntatem, à natura progeniti formatíque ſimus, vt Plutarchus initio operis de placitis & ex Platone Alcinous c. 1. ac Seneca in libro mutilo *de otio ſapientis* rectè pronunciant, conſentaneum fuit pro duplici illa functione, duplicem eſſe Philoſophiæ partem, quarum altera ad contemplationem, ſiue ad intellectum provt ſterilem; altera ad actionem præſcribente intellectu eliciendam, dirigeretur; vnde exiſteret perfectum mentis humanæ bonum, quod in ſapientia vndecunque integra Ariſtoteles ac Theophraſtus apud Plutarchum l. de placit. in proœmio, itémq; Seneca epiſt. 89. rectè collocarunt. Atque ita geminam illam Philoſophiam,

contemplatiuam inquam & actiuam, agnoſcunt Peripatetici prope omnes, vt notauit Plutarchus 1. de placitis in procemio. Præiuerant Stoici vt videre eſt apud Lipſium 2. manuduct. differt.5. Et Plato apud D: Anguſtinum 8.ciuit.c.4.Meritóque id factum, diligenter confirmat Ammonius in præfat. ad Porphyr. & rurſus in præfat. ad Categorias, addens Logicam ſcientiam quam Plato apud Alcinoum c. 3.& Stoici apud Plutarchum ſupra, tertium Philoſophiæ membrum ſtatuunt, Ariſtoteli non peculiare membrum, ſed commune ſpeculatiuæ & actiuæ Philoſophiæ organum eſſe.

Actiuam Philoſophiam nomino, vſurpata voce iuxta vſum Philoſophi 6.Metaph.c.vlt nimirum ita vt deſignet ſolam operationem humanam quam honeſtas vel turpitudo conueſtit. Quo pacto perinde eſt Philoſophiam nominare actiuam aut Moralem, prout eam Tullius Latinam linguam augere profeſſus, primùm nominauit, Vulgatum porrò id eſſe huius diſciplinæ nomen ex Lactantio retuli, & vſus confirmat. Plato in Politico cenſuit hanc ſcientiam promiſcuè appellari poſſe vel Regiam, vel Politicam, vel œconomicam, ſupponens magnam domum & vrbem ingentem idem eſſe: proinde Regem ſeu gubernatorem ciuitatis à patre familias ſola multitudine perſonarum curæ ſuæ commiſſarum differre; quod refellit Ariſtoteles 1.Polit. c.1. Præterquam quod hoc etiam ſuppoſito, addendum ſimiliter fuerat, hanc diſciplinā æquè poſſe dominari monaſticam, cùm hæc quoque ſit vna & perneceſſaria huius diſciplinæ portio, ſingulos quoſque informans, Sicut tamē nemo Phyſiologiam vniuerſam propriè appellet ſcientiam de homine, vel de animalibus; eo quod hæc ſint tantum Phyſiologiæ ſegmenta, quæ conuenienter non denominant totum: ita idem in hac diſciplina ſeruandum eſt ſi res ad viuum reſecetur. Eſto interdum Ariſtoteles ob eminentiam ſcientiæ ciuilis ſiue Politicæ, quæ eſt apex huius Philoſophiæ, eam laxato rigore illo propriæ locutionis, appellet abſolutè ciuilem ſcientiam, vt liquet ex 1.Ethic.c.2.& 1.magnor. Moral. c.1. aliiſque quibuſdam locis quæ non bene Pacius in Prolegom.Ethic. n.5.& Piccolomineus c. 11. introduct. trahunt in depreſſionem duarum priorum huius diſciplinæ partium nempe Monaſticæ & Oeconomicæ: quaſi intenderit Philoſophus ſubiectum huius diſciplinæ eſſe ſolam politiam, quod infra refellemus.

MORALIS

§. I.

Moralis diſciplinæ dignitas, vtilitas, ſuauitas.

1. IAM vt encomium quod huic ſcientiæ loco allegato pangebat Lactantius, tangendâ potiùs, quàm exponendâ eius dignitate, vtilitate, ac ſuauitate delibem, initium ducam à dignitate, ac nobilitate, quod per ordinem ad ipſammet ſcientiam ſpectetur, ideóque anterior ſit iis quæ in ea conſiderantur per ordinem ad aliquid extrinſecum, cuiuſmodi ſunt ſuauitas & vtilitas.

Summa huius diſciplinæ dignitas.

Quantam ergo eius dicam eſſe dignitatem, in qua, vt ex eodem Lactantio referebam, *totius Philoſophiæ ratio continetur?* Nimirum hæc diſciplina vt luculenter proſequitur Gregorius Neocæſar. in panegyrica & chariſteria oratione ad Origenem. *Quod omnium eſt multò maximum, & cuius gratia laborat gens tota Philoſophorum, quaſi ex varia reliquarum omnium diſciplinarum conſitione, bonos fructus colligit.* Itaque vni iſti ſeruiunt reliquæ, nec niſi hac antecedente ſubſequi queunt vt rectè Hierocles in præfatione ad carmina Pythagoræ. Hæc ad cæteras Philoſophiæ partes, quod ad oſſa & carnes anima, vt de Stoicorum mente affirmat Sextus Empyricus aduerſus Mathematicos, citandus infra §. 3. Ab vna iſta vt eleganter proſequitur Philo lib. de agricult. ferè initio, exiſtunt fructus propter quos ſunt & arbores, hoc eſt, naturalis ſcientia eiúſque partes variæ; & maceria ſeu ſepes, hoc eſt, Logicæ ſpinæ; ac proinde vniuerſa Philoſophia, iuxta priſcorum de triplici ratione Philoſophiæ cum agro conſito comparationem, quam ex Zenone refert Laërtius.

Hæc, vt laudatus paulo ante Gregorius Neocæſar. ex magiſtri ſui verbis ſuperiùs pronunciauerat, ſola hominem à pecudibus ſeiungit, dum docet vera bona quæ perſequi hominem decet, & vera mala quæ refugere oportet, & hoc quod ſumus quoque à brutis ſegregamur ſecernere: Vitæ item genera quibus commoda & fluxa bona parantur, eiſque inſeruientem militiæ, fori, legum, & quorumuis opificiorum peritiam ſuis momentis expendere, & pro ſolo uſu ad beatam vitam æſtimare. Vt videri ſanè poſſit Gregorius eo loco, illam huius diſciplinæ commendationem expreſſiſſe quam apud Platonem legimus in Alcibiade 2. vbi ignobilem appellat eam ciuitatem quæ ex peritis quidem ſagittariis & tibicinibus, athletiſque, ac cæteris opificibus conſtet, nec careat peritis militiæ Ducibus, ac generoſiſſimis & in re bellica exercitatiſſimis militibus, multos item ciuilium rerum adminiſtratione inflatos habeat; careat tamen SCIENTIA OPTIMI. *iiſque qui norint quando & ad quem vſum, vnoquoque illorum vti præſtet.* Vides ſummam de Platonis ſententia dignitatem huius ſcientiæ, quæ & SCIENTIA OPTIMI ſit: & cæteris prope iacentibus ſola nobilitatem conciliet. Confirmat hanc ſententiæ Platonis interpretationem Plotinus ennead. 6. l. 7. c. 30.

2. At quod & à Platone & à Gregorio homines ciuilium rerum adminiſtratione inflati & foro addicti, ab iis ſeiunguntur qui hac SCIENTIA OPTIMI colluſtrantur, norintque quis ſit conueniens vſus rerum omnium, & in quem finem vſurpandæ ac referendæ ſint; nequaquam in eos cadit qui ex huius diſciplinæ præſcriptis, res ciuiles adminiſtrant, iuſve diſpenſant aut tuentur: ſed in eos duntaxat qui pro multorum peruerſo more tractant Rempublicam, vel in rebus forenſibus operam locant. *Genus cauſidicum mercenariúmque, non in quærendo vero occupatum, ſed dolo captans aſſenſum auditorum,* nominat Philo lib. de agricult. ferè initio. Caſtigant eoſdem Maximus Tyrius diſſert. 12. Cyprian. epiſt. 2. & Bern. 1. de conſid. c. 10. Hos à morali Philoſophia tantùm abeſſe certum eſt, quantum ab honeſtate atque virtute; eorúmque artem coquinariæ ex Platone confert Apuleius lib. de Philoſophia ſub medium. Priores autem illos, eoſdem cum Moralibus Philoſophis eſſe infra euincemus, exponentes naturam huius ſcientiæ.

Quare ad huius ſcientiæ dignitatem faciunt quæcunque ſcientiæ iuris dignitatem extollunt. Nec aliter ſtabiliendum eſt quod Ariſtoteles 1. Ethic. c. 13. de Moralis Philoſophiæ (quippe medicinæ animorum) ſupra corporalem medicinam præcellentia affirmat, quàm prout à pleriſque Iuriſperitis res ſuas agentibus. Iuris ſcientiæ præſtantia & dignitas ſupra medicinam aſſeritur. In quo argumento præter pleroſque adductos à Tiraquello c. 31. de nobilit. n. 360. & à Chaſſanæo 10. par. catalogi conſid. 25. exultant plerique alij quos ægrè repellunt qui pro Medicis diſputant, vt Valeſius c. 74. hierophyſicæ Mercurialis 3. Var. c. 13. & Nicolaus Vernias in quadam declamatione quæ præfixa habetur Burlæi commentariis in Phyſicam.

Eſt ſcientia principalis, & liberum decens ac faciens.

3. Sed quòd de comparatione Moralis Philoſophiæ ad Iuriſperitiam nondum conſtet, placet aliunde eius dignitatem ac maieſtatem demonſtrare. Prælucebit Seneca epiſt. 88. cùm enim cæteras diſciplinas eatenus conducere dixiſſet, ſi præparent ingenium, non detineant; ſintque rudimenta noſtra, non opera, ſubdit de iſta quam veram ſapientiam ſemper indigetat, vnam eſſe propriè quæ liberalis ſcientia dici debeat. *Quare*, inquit, *liberalia ſtudia dicta ſint, vides. quia homine libero digna ſunt Cæterùm vnum ſtudium verè liberale eſt, quod liberum facit. Hoc ſapientiæ ſublime, forte magnanimum. Cætera, puſilla & puerilia ſunt* Concinit Ariſtoteles 1. Ethic. c. 2. hanc eſſe ſcientiam principaliſſimam & maximè architectonicam demonſtrans ex eius fine. Regalem ſapientiam vocauit Plato in Euthydemo & politico, vt refert etiam Clemens Alex. 2. Stromat. & qui eam poſſederit ſiue Princeps fuerit ſiue priuatus, βασιλικὸν denominandum eſſe affirmauit. Scitè Themiſt. orat. 4. eandem Imperatoris ac Moralis Philoſophi conditionem eſſe affirmat, amboſque arbitratur ſummo fœlicitatis humanæ in faſtigio collocatos, nihil vltra habere quo tendant.

Etiam ſupra Regum ac Imperatorum maieſtatem collocatam ab hac Philoſophiæ parte dignitatem, effert Epictetus apud Arrianum lib. 3. c. 13. Exaggerata enim Cæſaris potentia in pacando orbe & eliminandis hoſtibus, ſubdit. *Num quo minus febre laboremus, pacem præſtare nobis poteſt? Num quo minus faciamus naufragium? Quo minus vaſtemur incendiis atque terræ motibus aut fulmine? Quin etiã vt quis deperèat amore?*

Ne excrucietur luctu, ne torqueatur inuidia, aut denique ab vlla re tali infeſtetur quiſpiam, efficere ne poteſt Cæſar? Non poteſt. At inſtitutio Philoſophorum pollicetur ab his quoque rebus poſſe tranquillum & pacatum effici. Eequidnam ea promittis? Si mihi auſcultabitis ô mortales, efficiam vt vbicunque fueritis, quicquid egeritis, ægritudine animi careatis: non efferamini ira, vt nemo vos cogat, nemo prohibeat. Inflexibiles vt ab his vitiis ac liberi vitam agatis. Pace hac qui fruitur, eam à Cæſare conceſſam ſibi non habet. Vnde enim iſtam tribueret Cæſar? At eius præconium à Deo per rationẽ accepimus. Rationis nomine hanc Philoſophiam apud antiquos ſæpè deſignari, quod rationis practicæ inſigne ornamentũ ſit, poſtea monſtrabo, n.6. facitque ea vox cõmodiſſimè hũc ſenſum in poſtremis his Epicteti verbis, imò exigere eum videtur conſequenter ad antecedentia, quæ directiſſimè ſpectant ad hanc ſcientiã.

4. Eiuſdem eminentiam idem Epictetus lib. 3. c. 26. poſt propoſitam eius veluti medullam egregiè in hũc modum expreſſit, poſt amplificatam Diogenis ex hac Philoſophia hauſtam excelſitatem animi, qua diuenditus, pro heri domino ſe geſſit, & artem vitæ vniuerſæ probè ac vt hominem decet tranſigendæ penes ſe eſſe profeſſus eſt. *In quauis materia & re ſubiecta, imperito quouis ſuperiorem eſſe peritum omnino neceſſe eſt. Quicunque igitur vniuerſa vita agenda ſcientiam callet, quid aliud hunc quàm Dominum eſſe oportet?* Hanc Philoſophiam eſſe & appellari artẽ vitæ agendæ infra oſtendam; Quadrat ergo in hanc ſententiam elogium eminentiſſimum quod ei verbis proximè adductis pangit Epictetus verbis ſubſtrictum, ſenſibus diffuſiſſimum. Sed quod prædicta omnia ſuperat, Plato de ſcientia honeſti ac virtutum, hoc eſt de hac Philoſophiæ parte tam magnificè ſenſit, vt dixerit (verba do Alcinoï c. 20) *Eum qui prædictam ſcientiam ſit adeptus, fœliciſſimum eſſe atque beatiſſimum: non bonorum cauſa quos qui talis erit, conſequetur, neque propter præmia, verum etiamſi omnes homines lateat, & ſi ea illi contingant quæ vulgo putantur mala, infamia, exilia, mors. At verò eum qui hac ſcientia caret, etiamſi cuncta poſſideat quæ putantur bona, vti diuitias, ampla regna, corporis ſanitatem, robur & formam, nihilo magis eſſe beatum.* Non habeo quo huius Philoſophiæ decus cumulem. Itaque non plura de primo capite propoſito, ſiue de huius ſcientiæ dignitate.

Quanta eiuſdem vtilitas.

5. Vtilitatem quam præterea Lactantius in hac ſcientia prædicabat; perperam, nec niſi contradicendi libidine inficiatus eſt Sextus Empyricus l. 3. Pyrrhon. hypotip. c. 31. Tanta verò eſt, vt Lactantius anguſtè nimis locutus videri poſſit, qui vtilitatem duntaxat in ea celebrauit, cùm dicendum potius fuiſſet quod Seneca epiſt. illa 88. latè proſequitur, nullam eſſe quæ cum iſta de vtilitate & fructibus poſſit contendere. Quippe quæ, vt idem, nunquam huius Philoſophiæ laudum ſatur, in naturalium quæſtionum proœmio, rectè tradit, *errores noſtros diſcutit, & lumen admouet quo diſcernantur ambigua vitæ.* Quo quid homini fructuoſius vel optabilius eſſe queat? Hoc planè arbitror eſſe lumen illud ſeu ſplendidum ſapientiæ iubar quod Peripatetici quidam apud Euſebium 13. præparat. c. 7. *ſplendorem* ſpeciali nomine appellabant; propterea quod qui hanc ſapientiam ſequitur, nuſquam, & nunquam ceſpitet in vitæ ſcammate.

Ex aliis diſciplinis præ iſta exiguus omnino fructus. Vt propterea non niſi tanquam corollaria perſequendas decernat Seneca 7. de benef. c. 1. *Nec me hercule*, inquit. *ſi me interrogas, nimis ad rem exiſtimo pertinere, vbi dicta ſint quæ regunt mores, perſequi cætera, non in remedium animi, ſed in exercitationem ingenij inuenta. Egregiè enim hoc dicere Demetrius Cynicus, vir meo iudicio magnus, etiam ſi maximis comparetur, ſolet, plus prodeſſe ſi pauca præcepta ſapientiæ teneas, ſed illa in promptu tibi, & in vſu ſint; quam ſi multa quidem didiceris, ſed illa non habeas ad manum.* Multa didiciſſe appellat, ad pleraque ſed non vtilia admouiſſe intellectum qua ratione Ariſtippus, vt in eius vita ſcribit Laërtius; qui multa, ſed non vtilia legerent ac diſcerent, negabat eſſe ſapientes, conferebátque cum iis qui plurimùm comedunt, ſed abſque delectu. Itaque iuxta Demetrium, qui in alia ſtudia quæ tam multa & varia ſunt, operam locant, modicam vtilitatem colligunt, præ illis qui inani cæterarum rerum ſcrutatione dimiſſa, in hanc veram ſapientiam pauca ſed vtilia præſcribentem incumbunt. Hunc ſenſum propoſitæ Demetrij ſententiæ, apertè ferunt antecedentia, & quæ conſequuntur. Pergit enim: *Quemadmodũ*, inquit, *magnus luctator eſt, non qui omnes numeros nexúſque perdidicit, quorum vſus ſub aduerſario rarus eſt; ſed qui in vno ſe aut altero benè & diligenter exercuit, & eorum occaſiones intus ſpectat. Nec enim refert quàm multa ſciat, ſi ſcit quantum victoria ſatis eſt. Sic in hoc ſtudio multa delectant, pauca vincunt. Licet neſcias quæ ratio Oceanũ effundat ac reuocet: Quare ſeptimus quiſque annus ætati ſignum imprimat: Quare latitudo porticus ex remoto ſpectantibus, non ſeruet proportionem ſuam ſed vltima in anguſtias coeant, & columnarum nouiſſima interualla iungantur: Quid ſit quod geminorum conceptum ſeparet, partum iungat. Vtrum vnus concubitus ſpargatur in duos, an toties concepti ſint. Cur pariter natis fata diuerſa ſint: maximiſque rerum ſpatiis diſtent, quorum inter ortus minimum intereſt. Non multum tibi nocebit tranſiſſe quæ nec licet ſcire, nec prodeſt. Inuoluta veritas in alto latet. Nec de malignitate naturæ queri poſſumus: quia nullius rei difficilis inuentio eſt, niſi cuius hic vnus inuentæ fructus eſt, inueniſſe. Quicquid nos meliores beatóſque facturum eſt, aut in aperto, aut in proximo poſuit. Si animus fortuita contempſit, ſi ſe ſupra metum ſuſtulit, nec auida ſpe infinita complectitur, ſed didicit à ſe petere diuitias: Si Deorum hominúmque formidinem eiecit, & ſcit non multum eſſe ab homine timendum, à Deo nihil.* (Hanc Ethniciſmi aſperginem ſuo loco abſtergam; in præſentia cùm cauſæ in qua verſamur nihil interſit, habeatur pro abſterſa;) *ſi contemptor omnium quibus torquetur vita, dum ornatur, eo perductus eſt vt illi liqueat mortem nullius mali eſſe materiam, multorum finem. Si animum virtuti conſecrauit, & quacunque vocat illa planum putat: ſi ſociale animal eſt, & in commune genitus, mundum vt vnam domum ſpectat, & conſcientiam ſuam Diis aperit, ſempérque tanquam in publico viuit: ſi ſe magis veritus quàm alios, ſubductus illis tempeſtatibus, in ſolido ac ſereno ſtetit, conſummauit SCIENTIAM VTILEM ATQVE NECESSARIAM. Reliqua, oblectamenta otij ſunt. Licet enim iam in tutum retracto animo ad hæc quoque excurrere; cultum, non robur, ingeniis afferentia.*

6. Quin etiam Iſidorus Peluſ. l. 2. epiſt. 273. quem Theodoretus loco mox allegando expreſſiſſe videtur, grauiter monet Ophellium quendam, vt conſideret etiam atque etiam; ex reliquis diſciplinis nihil reuera commodi oriri; ideóque præ iſta abiiciendas eſſe: Ex hac vna hominem ad beatitudinis arcem euehi, cùm per eam, & de vero hominis fine, & de mediis ad eius aſſecutionem idoneis inſtituamur: *Sobrietatem enim & prudentiam docet & iuſtitiam, & virtutem* (quatuor ſcilicet virtutes cardinales ex S. Auguſtino 1. retract. c. 7. vera vtique ad fœlicitatem media) *quibus vtilius nihil eſt in vita hominibus*, vt Sapientiæ 8. affirmat ipſa veritas. Nihil tale præſtant aliæ ſcientiæ. Et ideo Ariſton apud Stobæum ſerm. 80. dicebat. *Eorum quæ*

Philoſophi

Phi loſophi ſcrutantur quædam ad nos pertinere, alia nihil, alia ſupra nos eſſe. Nam diſciplinam morum ad nos ſpectare. Dialectica nihil ad nos attinere, cum emendationi vitæ nihil conferant. Phiſica verò ſupra nos eſſe: Cognoſci enim poſſe, & nihil vtilitatis afferre. Dixit hoc ipſum grauiter iuxta ac eleganter Philo lib. de nom. mutat. *Sicut arborum vtilitas eſt nulla, niſi fructus producant; eodem planè modo, naturæ cognitionis vſus eſt nullus, niſi virtutis poſſeſſionem comparatura ſit. Is enim eſt Phyſiologiæ fructus. Quocirca quidam è veteribus orationem & diſputationem philoſophicam, agro ſimilem eſſe voluerunt: Ac ſtirpibus quidem naturalem partem compararunt: Sentibus autem ac ſepibus, eam quæ in diſſerendo conſiſtit: fructui verò Moralem, murorum ſeptum & circuitum, ad fructum conſeruandum, conſtructum eſſe à poſſeſſoribus exiſtimantes, & ſtirpes à natura fuiſſe productas, fructus procreandi gratia. Sic itaque pronunciauerunt, & in Philoſophia quoque, naturalem & Logicam commentationem, ad eam quæ mores componuntur, eſſe referendam ab eo qui poſſeſſionem vſumque virtutis expectat.* Similia habet lib. de Agricult. *ferè initio*

Facit huc etiam elegans Socratis diſputatio quam Theodoretus 4. aduerſus Græcos, ex Xenophontis commentariis refert; eámque etiam legere licet apud Stobæum ſermone 80. & apud Euſebium 14. præparationis cap. 4. & libro 15. cap. vltimo. & apud Xenophontem ipſum lib. 1. de dict. & fact. Socratis. Ibi Socratis de hac diſciplina eiúſque vtilitate iudicium ita proditur, præmiſſa eius cenſura de ſtudioſis aliarum Philoſophiæ partium quos inſaniæ inſimulabat. *Primum omnium expendendum putabat, vtrum cùm huiuſmodi homines ſatis rectè humanas ſe res* (hanc inquam Philoſophiam quæ eſt de humanis actionibus & directione humanæ vitæ;) *ſcire arbitrentur, tunc demque ad earum quas dixi rerum curam atque inſpectionem accedant, an dimiſſis humanis rebus diuinas contuendo, opinentur congruenti ſibi facere. Mirabatur autem quod nondum planè homines perſentirent, eiuſmodi res ab hominibus inueniri non poſſe. Quandoquidem videre eſſet eos qui plurimum ſibi ſapere de iis rebus loquentes videntur, eadem inuicem minus ſentire, neque ſecus atque amentes ſolent, mutuis inter ſe diſſidiis ac varietatibus affectos eſſe.* Addit eodem loco Socrates inſignes ineptias, & verè emotarum mentium aberrationes multorum Philoſophorum, qui naturæ arcanis ſcrutandis intendebant, obliti ſui ipſorum & humanæ ſortis, cùm poſſent ſibi ipſis meliùs conſulere, operam in hæc ſtudia impendendo, quibus homo non tumidior tantùm, aut inſaniæ propinquior, ſed melior & perfectior euadit. Nam & idcirco hæc *bona hominum* appellare ſolitum Socratem, idem Xenophon apud Euſebium docet 14. præp. c. 4. ex quidam Xenophontis ad Æſchinem Epiſtola cuius fragmentum extat etiam apud Stobæum ſermone illo 80. Itaque ab aliis diſciplinis Socrate iudice etiam exitium vel inſania imminet; ſi nimirum incautè tractentur, & abſque iis cautionibus quas iſta ſuggerit: hæc ſemper ac vndecunque vtilis. Et idcirco cùm iuxta elegantem Themiſtij orat. 19. doctrinam, in diſciplinis ſicut in plantis quædam vt delectabiles foliíſque denſæ ſint, infructuoſæ tamen ſunt & inutiles, puellis tantùm luſitantibus, aut viatori feſſo opportunæ; aliæ verò delectabiles ſimul ſunt & frugiferæ; in hoc ſecundo ordine diſciplina iſta præ omnibus locanda eſt. Fructus enim aliarum plerumque nullus, aut qualis pomorum quæ ad Aſphaltitem leguntur, exteriùs venuſta, interiùs fauillacea; hic leguntur ἀκοπρόσωπα vt Philo pulchrè docet lib. quod omnis probus liber.

Hæc itaque Socrati cauſa fuit, cur dimiſſa rerum naturalium contemplatione, aut vt Valerius Max. lib. 3. cap. 5. ſcitè dixit, *doctis erroribus*, ſe ſuóſque ad morum diſciplinam traduceret. Nec abſque ſingulari numinis prouidentia ita factum inculcat non ſemel Clemens Alexandr. à quo illud ad vtilitatem huius ſcientiæ exaggerandam peropportunè ſcriptum eſt 6. Stromat. cap. 8. & lib. 1. cap. 4. Philoſophiam hiſce Græcis non Socratis tantùm poſteris, ſed & aliis anterioribus non paucis, qui in hæc ſtudia incubuerunt (labuntur enim qui Socratem primum huius diſciplinæ authorem vel magiſtrum ſtatuunt) diuinitus promiſam fuiſſe, vt eos *pedagogi more doceret, ſicut lex erudiebat Hebræos* Philoſophiam autem intelligit, aut hanc vnam, aut iſtam maximè. *Philoſophiam*, inquit haud ita multo poſt cap. 4. *non dico Stoicam, aut Platonicam, aut Epicuream vel Ariſtotelicam: ſed quæcunque ab his ſectis rectè dicta ſunt, quæ docent iuſtitiam cum pia ſcientia, hoc totum ſelectum, dico Philoſophiam.* At cuius eſt iuſtitiam docere niſi huius diſciplinæ? Vel quæ pia ſcientia inter eas quæ naturæ lumine parabiles ſunt, niſi hæc, quæ vt ad vniuerſum virtutum chorum, ita & ad pietatem hominem informat?

Et cadit ſanè in hanc vnam maximè, illa Philoſophiæ definitio quam idem Clemens 2. pedagog. c. 13. ex antiquis proponit, *ſtudium rectæ rationis*. rationis inquam practicæ & mores dirigentis, cuius defectum vt idé pulchrè ſubjungit, excipit ἁμαρτία qua Græca voce errorem & peccatum æquè deſignante, ſummam huius ſtudij neceſſitatem nedum vtilitatem expreſſam putat; cum culpa non vacet quicquid non ex huius ſtudij præſcripto ac inſtitutione admittitur. Et Phyſica quidem iudice Simplicio in præfatione ad octo Phyſicos Ariſtotelis libros, eo nomine vtiliſſima eſt quod *iuſtitiam nos doceat*, verba Simplicij appendo. *Quandoquidem elementa & reliquas partes orbis vniuerſi, & ſibi inuicem cedere, & ſuum amare quæque ordinem, eo eſſe contenta, æqualitatemque ſeruare Geometricam, planè perſpicimus, vnde ab auaritia & poſſidendi libidine nos faciet abhorrentes.* Itaque quanto vtiliorem prædicare poſſumus hanc Philoſophiam, quæ iuſtitiæ in ſe ipſa vim & formam ex inſtituto proponit.

9. Inde tandem huius diſciplinæ vtilitatem eruere poſſumus cum Ægidio lib. 1. de regim. Princip. p. 1. cap. 3. quod homo interuentu huius diſciplinæ dominetur ſibi ipſi, ſ que, vt ille ait, *lucretur*. Nam moralis diſciplina vniuerſa eò tendit vt homo bonus fiat; quod tunc conſequitur, cùm in eo rationale per participationem, obedit rationi quæ eſt rationale per eſſentiam. Hoc autem eſt habere ſeipſum. Nam tunc Rex dicitur habere ciuitatem aut regnum iiſque potiri, cum omnes in ciuitate aut regno, ſubſunt ipſi atque obediunt. Similiter ergo homo ſingularis ſeipſum habebit, ſi interuentu huius diſciplinæ appetitus rationi ſubjaceat, & fræno aſſueſcat. Hoc verò quantum ſit hominis bonum, & per ſe perſpicuum exiſtimo, & latè illuſtrabo ſuo loco, agens de fructu compreſſionis affectuum. Planéque eò recidit illa huius diſciplinæ vtilitas quam paucis optimè attigit Epictetus apud Arrianum lib. 1. cap. 11. cùm dixit nullum poſſe homini maius damnum accidere, quàm ſi hoc veluti ſenſu bona à malis diſcernente priuetur: Eſſe enim id longè grauius, quàm ſi oculo, aliúve quopiam externo ſenſu priuetur. Eſſe autem hanc Philoſophiam, internum hunc ſenſum bona à malis diſcernentem, idem docet eod. lib. c. 20.

Amœnitas ac ſuauitas huius Philoſophiæ.

At enim quia omne tulit punctum qui miſcuit vtile dulci, meritò præter vtilitatem ac fructum, eximiam quoque ſuauitatem & oblectationem huius diſciplinæ

commendabat Lactantius. Pulcherrimè huiuſmodi ſuauitatem in Theæteto expreſſit Plato, vocans hanc diſciplinam *magnam muſicam*, quod non fidium pulſu ſed partium animæ concordia, concentum longè ſuauiſſimum edat, quo internum mentis auditum iucundiſſimè oblectat. Imo hæc diſciplina ſi abſit, iuidoneum eſſe hominem qui muſica imbuatur, diſſonantiâ rationis & affectuum iiſdem internis auribus obſtrepente, ſcitè confirmat l. 3. de Republ. Explicatiùs etiam nec obiter tantum; ſed propè ex inſtituto l. 9. eiuſdem operis, vni Philoſophiæ, ob hanc præſertim eius portionem, ſummam voluptatem adiudicat, & quidem vt ex vno quodam ſapiente laudat ibidem Socrates; *ſynceram prorſus ac puram; cùm voluptates alia vndecunque tandem colligantur, vmbratiles ſint, & inani quadam ſpecie perſonata.* Habet hîc quoque ſuũ locum ea comparatio quam ex Philone antiquiores allegante, ſupra adhibui, cùm dicerem moralem fructibus reſpondere. Eſſe autem hos fructus non modo vtcunque veſcos, ſed & dulciſſimos, ex animæ inſitis mitibus plantis ſermonum conuenientium & inde enatarum actionum laudabilium, rectè ac de more eleganter confirmat idem Philo lib. quod Deus immutab. Inſuper demiratus quod cum Ambroſiæ & nectaris pluuiæ, nobis, in ſapientiæ, hoc eſt, huius doctrinæ Regia ad Deum via, diuinitus prouiſæ ſint, adhuc de lacunis cœnoſis quas ſibi ipſi fodiunt, haurire plerique ſuſtineant, limum potiùs, quàm ſuauem potum honeſtiſſimæ ac iucundiſſimæ voluptatis, hinc quibuſuis haurire volentibus in promptu poſitum. Sed in re clara non ludo vltra operam.

8. Tantùm in illud quod poſtremo loco aduertit ſupra Lactantius, obiter digitum intendo; nimirum in ſpeculatiuis quidem diſciplinis, iucunditatem ex rerum contemplatione profectam, ſynceram vt plurimum non eſſe, ſed dilui admixtione difficultatis in ſubtili ac operoſa indagatione veritatis. Leguntur cum floribus ſpinæ, & vt medulla cibandæ menti eximatur oſſa confringenda ſunt. Hic autem præcipuum illud eſt, quod amœnitas, quanta, ex ſummi boni & virtutum, omniúmque fœlicitatis præſidiorum conſideratione exiſtere poteſt, libera eſt difficultatibus illis impeditiſſimis quibus ſapor veritatis obtunditur. Itaque Seneca Epiſt. 71. hanc diſciplinam, citò, & pauciſſimis verbis tradi poſſe aſſeuerat: Difficultatem autem illi adjunctam in eo duntaxat ſitam eſſe, vt quæ ſine magna (vt ita dicam) impenſa & diſcuntur & docentur, reuocentur ad opus. Et hanc ob cauſam ait neceſſe eſſe longum eius vſum adhibere, qui in aliis diſciplinis ex quo perceptæ ſunt, non exigitur. *Quemadmodum*, inquit, *lana quoſdam colores ſemel ducit; quoſdam niſi ſæpius macerata & recocta non perbibit: Sic alias diſciplinas ingenia cùm accepere, protinus præſtant. Hac niſi altè deſcendit & diu ſedit; animum non colorauit, ſed infecit; nihil ex iis quæ promiſerat præſtat.* Cætero qui autem, traditu & perceptu facilem eſſe hanc diſciplinam, præ ſpeculatiuis quæ ſunt ſenticetis & ſpinetis refertiſſimæ, continenter docet: Quæ eſt acceſſio non modica ad huius ſcientiæ prærogatiuas. Non detraho huic diſciplinæ ſubtilitatẽ, & ingenij vſum in ea nullũ eſſe, non affirmo. Nego duntaxat, *ſubtilitates*, quod maximi virij damnat Seneca in procemio libri primi Controuerſ. *nimis ſe oſtendere* in hac diſciplina. *Nec deſunt in ea, ſed non eminent* quod idem Seneca in Portij latronis laudibus ponit. Eminent autem in Philoſophia ſpeculatiua, quæ vniuerſa ſubtilitatibus diſtinetur. Addam autem cum eodem ibidem. *Nihil eſt iniquius his, qui nuſquam putant eſſe ſubtilitatem, niſi vbi nihil eſt præter ſubtilitatem.*

Minus verò ex hoc capite diſciplinam Moralem depreciabit, qui eodem admonente Seneca Epiſt. 88. perſpexerit, quàm infeſta veritati ſit, & quantum mali faciat nimia ſubtilitas. Expoſtulat eo loco grauiſſimè, Philoſophos, dum Grammaticis ac Geometris inuident, & quicquid in illorum artibus erat ſuperuacuum, transferunt in ſuam; idcircò non docere neceſſaria, quia ſuperuacuis tradendis tempus prodigũt. Itaque eſſe etiam in Philoſophica tractatione, quàm plurima ſecuribus recidenda: quippe tametſi acumine & argutiis plena tamen extra vſum poſita: Et hîc quoque recolendum ſæpè ac ſeriò, ſalutare illud præceptum, *Tempori parce.* Addit Protagoram, Nauſiphanem, Parmenidem, Zenonem Eleatem: Item Pyrrhonios, Megaricos, Eretricos, Academicos, dum nimiæ ſubtilitati dedunt ſeſe; vel non prætuliſſe lumen per quod acies dirigatur ad verum, vel animi oculos, & ſibi, & auditoribus effodiſſe, negantes poſſe aliquid certò ſciri: hoc inani diligentia tricandi & cauillandi conſecutos, vt mentem emouerent, & omni notitia certa, eóque nomine digna, ſuo indicio exciderent. Quæ reprehenſio, aliæque, frequenter à Seneca, Epicteto, Antonino, ac reliquis morum Magiſtris, in illud philoſophandi genus nimis ſubtile atque acutum intortæ; hanc philoſophiam non feriunt: ac proinde minus, vt dixi, ex hoc capite depreciabitur apud æquum æſtimatorem: Tametſi (quod iam præmiſi,) non deeſſe in ea, multarum & perutilium ſubtilitatum & difficultatum ſegetem, patebit in decurſu. Et differre ex hoc capite, Chriſtianam morum diſciplinam à Philoſophica, diuturnum idcirco ſtudium, & certum annorum numerum olim à Philoſophis præfinitum exigente, dixit S. Chryſoſtomus Hom. 1. in Matth. in longo encomio Moralis Philoſophiæ Chriſtianæ, quam præ facilitate & ſubtilitatum vacuitate, ruſticis quoque & puellis ac mulierculis, & cuiuſcunque conditionis hominibus, tametſi occupatiſſimis, intra perbreue tempus peruiam ſtatuit, quod à Morali Philoſophica abfuiſſe ibidem tradit.

Votum in hoc limine, ex Epicteti & Platonis præſcripto.

Verùm ego huius diſciplinæ decora, oratione vltra deterere faſtidio; cùm & ex ſeipſis ſint ſplendidiſſima, vt illuſtrationem non deſiderent, & penetralium aditione in oculos tametſi hebetes ſint incurſura. Quod autem Deum, diſciplinæ huius & tradendæ & diſcendæ magiſtro æquè ac auditori, auſpicem eſſe debere, grauiter denunciet Epictetus apud Arrian. lib. 3. cap. 21. *Quandoquidem* ait, *ne agros quidem ſerunt ruſtici niſi prius inuocata Cerere.* Item *cùm omnes qui mentis quoquo modo compotes ſunt*, verba ſunt Platonis in Timæo, *in operis cuiuſlibet vel magni vel parui principio, inuocare Deum ſolent.* Idque eſſe cuiuſuis ſerij dicti & facti conſentaneum principium tradat Demoſthenes Epiſt. 1. Age ſupplices ei in exitu ex hoc limine accidamus, illud cum eodem Timæo rogantes *in primis, vt ea dicantur à nobis, quæ ipſi ſint grata: Deinde vt eiuſmodi quæ aptis rationibus conſentanea, nobis etiam probari poſſint. Demum vt in illis certa quædam conſtet ſententia, Atque in hunc modum de Deo inuocando cura à nobis geritor. Ille verò fauens ac propitius ita annuat, vti & alij quæ dicendi ſunt facillimè percipiũt; Ego verò, ſicuti animo & cogitatione rem cõplexus ſum, ita cõmodiſſimè vniuerſam exponã atque demonſtrẽ.*

Addo & laciniam ex Chriſtiani Philoſophi oratione lib. 3. de conſol. metr. 9. poſt commendatum Platonicum hoc ſtudium numinis ante omnia inuocandi, *quo prætermiſſo, nullum ritè fundatur exordium.*

Da pater auguſtam menti conſcendere ſedem,
In te conſpicuos animi defigere viſus,
Diſiice terræ nebulas & ponderu molis,

Atque

Atque tuo ſplendore mica : Tu namque ſerenum;
Tu requies tranquilla piis,Te cernere finis,
Principium,Vector,Dux,Semita,Terminus idem.

---

§. II.

Obiectum Moralis ſcientiæ.

9. DEfinitio ſcientiæ Moralis , ex genere eius , & differentia compingenda eſt. De iis autem Metaphyſicis gradibus ſtatui in hac re nihil poteſt, niſi perſpectum habeatur *obiectum*, aut veriùs (vt benè aduertit Greg.q.5.prol.art.3.) *ſubjectum*, vel vt hîc Tartaretus lib.1.c.1.q.1.appellat, *ſcibile remotum* ; ſic dictum ad differentiam ſcibilis propinqui ſiue obiecti,quod eſt tota concluſio : in huius enim ſcibilis remoti affectionibus demonſtrandis hæc ſcientia occupatur , & idcirco ex eo & eſſentiam & conſtitutionem ſuam haurit.Poſſunt autem variæ in ſcientiarum ſubjecto diſtingui rationes , quæ in proprio loco iuſtam ac plenam tractationem habent, ideóqoe in cuiuſuis diſciplinæ veſtibulo explicandæ denuò non ſunt : Nimirum purè materialis cæteris omnibus ſubſtrata;& formalis triplex,nempe *formalis qua* ; illa ſcilicet ratio quæ conſtituit ſubjectum materiale in eo eſſe quod conſideratur in ſcientia : formalis *propter quam* ſiue motiua ad aſſenſus ſcientificos : & denique formalis *ſub qua* , quæ eſt conditio quædam ſubjecti prout terminantis habitum, cuiuſmodi eſt ineuidentia reſpectu habitus fidei infuſæ , & formalis abſtractio à materia reſpectu ſcientiarum naturalium. Cùm ergo hæ omnes rationes in ſcientiæ ſubjecto diſtingui queant,nos quidem hoc loco miſſam faciemus *formalem ſub qua*, quia ex dicendis perſpicuum fiet eam rationem non eſſe in hac ſcientia peculiarem ; ſed eandem eſſe hîc & in Phyſica,ad quam videbimus materiale huius ſcientiæ objectũ cui ea abſtractio adjungitur,ſub alia formalitate pertinere. Vnde deprehẽdetur eorum hallucinatio, qui ſcientias omnes penes abſtractiones cuique peculiares ſecernere volunt. Alias autem duas rationes formales , quamuis penes diuerſas habitudines ac munera hîc diſtingui poſſint ; tamen vno rationis formalis nomine complectemur; nec ſecernemus , quia hoc loco in eandem formam cadunt; eo quod motiua aſſenſuum ex ipſis objecti viſceribus petantur. Itaque explicandæ tantum ſuperſunt huius ſubjecti ratio materialis & formalis.

ASSERTIO.

OBIECTVM purè materiale Moralis diſciplinæ,eſt humana operatio. Eiuſdem rectitudo Moralis, ſiue honeſtas, fungitur munere rationis formalis. Ex his integrum ac totale huius diſciplinæ objectum compingitur , nempe actio honeſta, aut boni mores.

PRimò expono rationem huius ſubjecti purè materialem. Ita appello primam illam ſubjecti rationem cæteris ſubſtratam, & pluribus ſcientiis communem,vt eam ſeiungam à *ratione formali qua.* Quia vt benè notauit Capreolus q.4. prol. artic.1. concl.3. *ratio formalis qua* , quamuis præ hac prima ratione cenſeatur formalis ; Tamen comparata ad motiuam, numeratur inter rationes materiales , quia per motiuam completur in ratione objecti:quod autem additur alteri ad illud in aliquo genere complendum , induit rationem formæ ; & id cui fit additio , rationem materiæ. Propterea ergo interdum ratio formalis quæ, cenſetur pertinere ad obiectum materiale , non quod ſit ratio purè materialis ſed quod materialis dicatur per comparationem ad aliam rationem objecti vlteriorem , per quam determinatur. Et ita S.Thom. in 3.d.24,q.vnic.art.1. *initio corporis* rationem formalem quæ annumerat materialibus objecti rationibus. Itaque nunc ago de huius ſubjecti ratione purè materiali,cæteris ſubjecti rationibus ad ſcientiam pertinentibus ſubſtrata.

Varia placita , de obiecto materiali , Moralis diſciplinæ.

10. Sunt autem permultæ ac diſſidentes de ea ſententiæ:nam Donatus Acciaiolus in fine proœmij, ac Coimbr.ibid.& alij, aſſignantes pro obiecto huius ſcientiæ *hominem vt liberè agit* , videntur pro ratione materiali huius obiecti ſtatuere hominem. Quod etiam dici poſſe videntur de Iauello , qui *hominem vt mente ſanabilem* & de Albertto , qui *bonum hominis vt homo eſt* ; & de D.Thoma qui 1. Ethic.lect.1. *hominem prout eſt voluntariè agens propter finem* ; ac de Henric.Krosbein in prol.Ethic.& de aliis apud Piccolom.in introduct..cap.2. *qui hominem vt felicitatis capacem*,ſtatuunt pro obiecto huius ſcientiæ.Nam ſi in eo obiecto attendamus rationem materialem, videbitur non aſſignari alia, quàm ipſe homo. Alij quibus huius ſcientiæ obiectum eſt *fœlicitas vt humanis actionibus attingibilis*, quod Mirandulano in opere de euerſ. ſingul. certam. tribuit Piccolomineus in introduct. c.2. (quamquam apud ipſum Mirandulanum lib.4. ſect.1. aliud inuenio) fœlicitatem ponunt pro obiecto materiali huius ſcientiæ : Quo facit quod eius partis Chriſtianæ Theologiæ quæ Moralis & practica eſt,obiectum materiale, eſt Deus rationem habens finis vltimi.Denique idem alij pronuntiant de idea rectarum mentis operationum:hi enim *ideam operandi*, materiale huius ſcientiæ obiectum ſtatuunt. Nulla ex his ſententiis probanda eſt,ſi nudus verborum cortex attendatur. Quod addo,quia anteriores omnes ſententiæ verum dicunt,tametſi minus commodè loquantur,vt mox patebit : ſolæ poſtremæ ſunt abſolutè repudiandæ.

Excutiuntur.

11. Ac primùm ſententia quæ pro materiali obiecto aſſignat beatitudinem , miſcet quæ ſeiungenda ſunt : Non enim finis extrinſecus poteſt cum obiecto confundi, vt patet ex eo quod nemo dixerit obiectum ædificationis eſſe habitationem , vel obiectum artis diſſerendi eſſe ſcientiam habitualem. Et ratio eſt perſpicua:nam in ſcientia , obiecti natura attenditur , & paſſiones eius demonſtrantur,intacta natura & paſſionibus finis extrinſeci. Quod ſi moralis Theologia Chriſtiana habet pro obiecto materiali Deum, mirum non eſt, quia cum tota nitatur fide & reuelatione tanquam obiecto formali, eo modo qui ſuo loco exponitur , neceſſe eſt vt idem ſit materiale eius obiectum, quod fidei diuinæ,quam conſtat in Deo ſiſtere:in cæteris autem non niſi vt attributionem ad Deum habent,occupari. At moralis Philoſophia,non nititur ratione formali quæ illi Deum quomodolibet ſubiiciat.

Iam verò ſententia aſſignans pro obiecto materiali huius diſciplinæ , ideam operandi, facile diſiicietur ſi

attendamus, ideam iuxta varias metaphyſicorum de ea ſententias, vel conſiſtere in conceptu formali ſiue regulis & dictaminibus operandi, vel in conceptu obiectiuo, hoc eſt, in ipſa re facienda quam mente proſpiciens artifex ad eius normam exigit operationem: nihil enim vetat rem vt præconceptam ſibi ipſi, per paſſiuam illam imitationem eſſe quodammodo cauſam vt rectè fiat dirigendo executionem. Neutro autem modo poteſt ideæ operandi tribui ratio obiecti materialis, vel hic, vel vſpiam alibi in artibus aut ſcientiis prædictis. Siquidem idea ſi pro dictamine & regula agendi ſumatur, inidonea eſt vt munere obiecti fungatur: obiectum enim debet eſſe id inter quod & potentiam interiacet actus, & quidem ſolus: Verbi gratia viſus obiectum ſtatuimus colorem, quia inter eam & facultatem viſiuam ſola viſio interponitur. Nimirum actus nihil aliud eſt quam facultatis vel habitus tendentia in obiectum, ac proinde neceſſe eſt inter actum illum primum & obiectum mediare actum ſecundum, ſiue exercitium facultatis aut habitus erga tale obiectum. Vt verò ipſe actus habeat rationem obiecti, impoſſibile eſt, quia ſic nihil mediaret inter actum primum & obiectum actu illo primo attingendum, quod fieri non poteſt: nam habitus vel potentia non ſunt ipſa obiecti perceptio ſed tantùm ſunt cauſæ perceptionis obiecti & tendentiæ in illud, ſeu actionis, quæ proinde connectitur immediatè cum habitu vel facultate, & rationem obiecti habere nequit. Atqui idea operandi ſumpta pro dictamine & regula ſic vel ſic eliciendi actionem, connectitur immediatè cum ſcientia practica, ita vt inter habitum ipſum cognoſcitiuum & regulas illas nullus actus mediet, cum regulæ illæ ſint ipſi actus immediatè eliciti ab habitu intellectuali operatiuo. Igitur huiuſmodi idea perperam ſtatuitur talis habitus obiectum. Idem dico de idea ſumpta pro conceptu obiectiuo, hoc eſt, pro ipſa operatione recta præconcepta, ſiue de facto dirigente, ſiue apta dirigere operationes ex eius imitatione formandas. Nam talis operatio in eo euentu locum tenet regulæ ac dictaminis, eſtque id in quod immediatè fertur habitus, proindéque non eſt obiectum, ſed tendentia in obiectum. Non diffiteor, initio vt habitus practicus inueniretur, fuiſſe notandam, & ſæpè per actus reflexos obſeruandam rectitudinem operationum illarum, quas homo abſque arte, ſolius naturæ ductu rectè eliciebat, vt collatis defectibus operationum quarundam cum aliarum operationum rectè factarum bonitate, colligerentur certæ regulæ, quas qui ſeruaret, rectè ſemper ageret, vt benè in ſimili tradit Hugo Victor. lib. 1. erudit. didaſcal. cap. 12. & tetigerat ante eum S. Auguſt. 2. doctr. Chriſt. cap. 32. & 36. Nego tamen ſcientiæ practicæ iam adinuentæ, idem rurſus ſtudium ac curam eſſe: prætermiſſa enim anxia illa operationis primùm formandæ, tum inſpiciendæ ſollicitudine, leges figit operandi, rectà tendentes in operationem ipſam. Quare idea operandi quomodocunque ſpectetur, perperam aſſignatur pro huius ſcientiæ obiecto materiali.

Vera ſententia.

12. Supereſt igitur vt voluntatis humanæ operationibus id tribuatur, quod in aſſertione feci, & meritò quidem. Germana enim materialis ſcientiæ obiecti notio quam proximè indicabam, operationibus illis competit: ſunt enim id inter quod & habitum huius diſciplinæ, nihil niſi actus elicitus interiacet: ita vt cùm actus elicitus huius habitus, (quippe intellectiui,) ſit notitia præſcribens ſic vel ſic operandum eſſe ei qui rectè & ad naturæ rationalis amuſſim operari volet, nihil huic habitui per actum illum à ſe immediatè manantem operanti, priùs ac immediatè obuerſetur quàm operatio voluntatis, quam conſtat defectus ac rectitudinis capacem eſſe, ac proinde alicuius habitus cognoſcitiui beneficio iuuari poſſe vt cætera opera rectitudinis ac prauitatis capacia. Conſtat verò præter hunc habitum, nullum alium circa huiuſmodi materiam occupari. Accedit quod materiale ſcientiæ obiectum illud eſt, quod in præcipuis ſcientiæ demonſtrationibus tenet locum minoris extremi, & in quo omnia ad ſcientiam quoquo modo pertinentia concatenantur, vt in radice ac trunco arboris, cortex, flores, fructus, folia, & omnes ramorum propagines; quo exemplo ex Linconienſi id pulchrè exponit Scotus 1. poſt. q. vltima: Atqui de ſolis humanis actibus demonſtrantur aliqua in hac ſcientia, & ad eos omnia quæ in ea tractantur aliquo tandem modo referuntur, non vt ad finem extrinſecum, (quo pacto referuntur ad beatitudinem;) ſed vel tanquam principia, vel tanquam paſſiones aut effectus. Ergo humanæ actiones ſtatuendæ ſunt materiale obiectum huius diſciplinæ. Conſentiunt hac in parte Epictetus apud Arrian. lib. 1. cap. 15. cùm huius vt vocat *artis excolentis vitam* ait materiam eſſe ſuam cuiuſque vitam. Item Valerius in morali cap. 1. Piccol. in introduct. cap. 4. Foxius lib. 1. compendij Ethic cap. 1.

Reliquarum num. 10. propoſitarum conciliatio.

Nec reuera diſſident qui *hominem vt liberè agit*, aut *vt ſanabilem*, aut *vt per ſuos actus capacem felicitatis*, vel ſub aliqua ſimili conſideratione ſtatuunt pro obiecto huius ſcientiæ. Hominem enim vt operantem, vel ſanabilem, vel fœlicitatis aſſecutiuum, vſurparunt pro ipſa hominis operatione immediatè ſanabili ac regulabili, quaque homo tanquam pretio & merito fœlicitatem aſſequitur. Quæ eſt perſpicua mens Diui Thomæ loco initio adducto: Idcirco enim ſub diſiunctione dixit, ſubiectum moralis Philoſophiæ eſſe operationem humanam ordinatam in finem hominis, vel ipſum hominem prout voluntariè agit propter finem. Nec aliud voluit Aureolus q. vlt. prolog. *ferè in fine*, cùm dixit hominem *vt ratione dirigibilem* eſſe moralis philoſophiæ obiectum: nam ſimiliter ibid. in q. de ſpeculatiuo & practico art. 3. ait moralis philoſophiæ obiectum eſſe *hominem & actus humanos*. Minus adhuc à vera ſententia abeſt Albertus, cum hominis bonum affirmat eſſe ſubiectum huius ſcientiæ: conſtat enim operationem humanam conuenienti rectitudine exornatam; magnum hominis bonum eſſe: Imo vt Seneca latè & pulcherrimè philoſophatur Epiſt. 76. vnicum & proprium bonum hominis. Ac proinde ſi ab obiecto quod Albertus aſſignat, rationem formalem in eo inuolutam ſemoueamus; (quod & in aliis anterioribus ſententiis præſtandum eſt;) eandem materialis obiecti rationem pro hac ſcientia à ſententiarum illarum authoribus nobiſcum aſſignatam comperiemus, quamuis eos minus propriè ac commodè locutos eſſe non ſit negandum.

Formale huius diſciplinæ obiectum, rectitudo moralis.

13. Secundò expoſui obiectum formale huius ſcientiæ, quod dixi eſſe rectitudinem ſiue honeſtatem humanæ operationi impreſſam. Hæc operationis rectitudo, ſiue honeſtas, quid ſit & quomodo ad obiectum materiale proximè aſſignatum ſe habeat, dicetur

tur plenè ſuo loco, nunc eam quicquid tandem ſit iſta tuo pro ratione formali huius obiecti: Nec immeritò; cùm enim operationes humanæ, præcisè qua humanę ſeu liberæ, ad eam Phyſicæ partem ſpectent qua de voluntate libera eiuſque fœtibus diſſeritur, (vt malè proinde Auerroës in paraphraſi librorum Platonis de Republ. pro ratione formali huius obiecti ſtatuat humanas actiones vt prodeunt ex humana libertate;) neceſſe eſt aliquam aliam huius obiecti conſtitutiuam ac diſtinctiuam rationem inueſtigare. Atqui operationes humanæ, per eam quam dixi rectitudinem artificioſam è phyſicis limitibus extrahuntur; & huius habitus propriæ fiunt: ergo hæc cenſenda eſt huius obiecti ratio formalis. Quamuis autem moralitas operationibus humanis adueniens gemina ſit, nec ſola rectitudine contineatur; tamen turpitudinem illi contrapoſitam non aſſigno pro ratione formali huius obiecti; cùm ſit dumtaxat deerratio à fine, & deuiatio à ſcopo homini & humanis actionibus à natura præfixo: proindéque non aliter ſub hunc habitum cadat, quàm inane aut vacuum ſub tractationem loci, vel tenebræ ſub luminis conſiderationem. Quicquid ſit an moralis turpitudo (æquè ac tenebræ & vacuitas,) meram priuationem importet, de quo infra ſuo loco.

Rectitudo inquam in fieri.

Porro honeſtatem ſeu rectitudinem, non quomodolibet ſpectatam, ſed prout vi dictaminum moralium inductam ac impreſſam ſeu potius inductioni & impreſſioni ſubſtantem, ſtatuo pro ratione formali. Quia notitia practica (cuiuſmodi eſt iſta) facit ſuum obiectum, iuxta vulgare pronunciatum ex natura habitus practici ductum. Et hoc voluerunt qui ſcripſerunt bonum & malum eſſe obiectum moralis Philoſophiæ: bonum enim & malum actuale, idem ſunt quod actiones humanæ informatæ honeſtate vel turpitudine morali, quorum hæc declinanda & auerſanda; illa verò amplectenda eſt. Quanquam quia turpitudo non niſi vt ſalua ſit bonitas attenditur, iure excluditur ab obiecto huius diſciplinæ. Operatio igitur humana quatenus affecta ratione formali huius obiecti, non eſt operatio capax honeſtatis, ſed honeſta. Sicut qui operationes intellectus habitui logico ſubſternunt, non dicunt eas effici ab habitu logico rudes & impolitas; ſed exornatas rectitudine logici artificij. Obiiciuntur autem habitui logico, in eo ſtatu in quo interuentu eius efficiuntur. Verbi gratia tertia operatio eſt vel partiale vel totale obiectum habitus logici ex materiali & formali ratione integratum; non prout eſt diſcurſus rudis, ſed prout eſt ſyllogiſmus, ſiue operatio accipiens rectitudinem artificioſam beneficio habitus logici; quia vt præmiſi notitia practica facit obiectum ſuum. Idem ergo cernitur in præſenti negotio; Diſplicétque proinde Piccolom. in introduct, c. 4. affirmans obiectum huius ſcientiæ eſſe *actionem liberam, prout in ea quod honeſtum & decens eſt natum eſt refulgere:* his enim verbis exprimitur honeſtatis inducibilitas, non inductio, quam vi huius habitus, & dictaminum immediatè ab eo prodeuntium, materiali obiecto aduenire neceſſe eſt; & idcirco rationem habet obiecti formalis; non autem capacitas & aptitudo ad eam impreſſionem ac inductionem.

14. Aſſignant reipſa hanc rationem formalem huius obiecti, quamuis aliis verbis eam exprimant, ex antiquis ſupra allegatis plerique. Et in primis S. Thomas lect. illa prima, vbi cùm ex Philoſopho ad Metaphyſicæ initium, ſtatuiſſet ſapientis eſſe ordinare, eo quod ſapientia ſit præcipua perfectio rationis, cuius vnius eſt cognoſcere ordinem, ſubdit; duplicem in rebus ordinem inueniri, nempe vnum quidem partium alicuius totius adinuicem comparatarum: alterum verò principaliorem, & cui prior ille ordo ſeruit; nimirum ordinem totius ad finem. Porro vterque ille ordo à ratione vel aduertitur dumtaxat, vt in rebus naturalibus; vel etiam cauſatur, vt in operationibus intellectus, ac voluntatis, & harum interuentu in pleriſque externis rebus artificiosè ordinatis, vt in arca & domo. Ex priori rationis habitudine ad ordinem, exiſtunt ſcientiæ ſpeculatiuæ naturales, quarum eſt mirabilem illum ordinem ac concentum qui rebus ineſt, animaduertere ac ſuſcipere duntaxat, non etiam efficere: Poſterior autem ordo, (dimiſſo eo qui in rebus externis reſultat & ſpectat ad artes mechanicas,) partim ad rationales diſciplinas pertinet, quarum munus eſt orationis partes ad inuicem ordinare, aut præmiſſas cum concluſione aptè connectere, partim ad hanc Philoſophiam, quæ voluntatis humanæ actiones liberas ordinat: Nam hæ tantùm, ſunt humanæ, & ordinis per rationis directionem apponendi capaces: quamuis ſint præterea aliæ hominis actiones quæ voluntati & rationi ac proinde etiam huic ſcientiæ non ſubiacent; nempe actiones animæ vegetantis, quæ ad omnia rationis monita prorſus ſurda eſt. Hinc igitur concludit S. Doctor operationes propriè humanas ſiue liberas prout ſunt adinuicem & ad finem hominis ritè ordinatæ; (en *ordinata*, non *ordinabiles*) eſſe huius diſciplinæ obiectum. & ad hanc duntaxat ſcientiam pertinere. Ordinatas autem intelligo iuxtà ſupradicta non ſumendo eam vocem in ſenſu temporis præteriti, ne notitiam practicam efficaciam ſpeculatiuam, ſed ſumendo duntaxat in ſenſu temporis præſentis; ita vt ordinata actio, idē ſit quod actu accipiens ordinem & directionē vi notitiæ prædictæ dirigentis. Atque ita ordo ille cui actio vi regulæ ſubſtat, eſt ratio formalis obiecti in hac ſcientia.

Obiectum integrum huius ſcientiæ, operatio honeſta.

15. Tertiò ex obiecto materiali & formali in duobus primis punctis expoſito, compegi integrum obiectum huius ſcientiæ, nempe operationem humanam rationis directioni ſubſtantem, ſiue actum honeſtum. Hæc eſt ſæpe mens Philoſophi, nempe quoties bonos mores huic ſcientiæ pro obiecto tribuit, quod tam ſæpe præſtat, vt putidum eſſe loca notare dixerit Giſanius in præludio. Sed luculenter in ipſo exordio magnorum moralium, tametſi non modò de priuati hominis (qui paſſim & abſolutè dicuntur boni mores,) ſed etiam de totius communitatis bonis moribus ita ſentiendum eſſe decernat. At morum bonorum nomine Philoſophus iis in locis aliud non intelligit, quàm actiones humanas ſtudioſas, ſiue ex virtute elicitas: Nimium enim anguſtè, vel etiam minùs appoſitè, Stobæus in eclogis ethicis c. 2. ait, *mores eſſe partis illius animæ quæ ratione deſtituitur qualitatem, rationi parere aſſuetam: vel partem animæ affectibus obnoxiam, ratione cicurabilem.* Quaſi verò ſoli affectus ac motus partis inferioris, ſint materia honeſtatis: quamuis ex affectuum coërcitione cernatur honeſtas, in voluntatis actibus. Quod vnum voluit Philoſophus 2. ad Eudemum in ſpeciem fauens Stobæo. Qui reprehendi item iure poteſt, quod mores dicat eſſe qualitates, cùm dicere potius debuiſſet eſſe actiones qualitatibus honeſtatis vel turpitudinis affectas, non ipſas qualitates: hîc tamen non expendimus naturam actuum humanorum in phyſico rigore, in quo fortaſſis ſunt qualitates, nec habent rationem actionum niſi grammaticalium: ſed pro vſu moralibus

ralium Philoſophorum actionem vocamus partum potentiæ liberæ; qualitatem verò appellamus actionis decus aut dedecus, honeſtatem inquam aut turpitudinem moralem. Sed hoc obiter ac præter præſens inſtitutum, ad quod reueniens nego bonos mores ad ſolos motus partis inferioris rectè à Stobæo arctatos eſſe, cùm omnes actiones formali honeſtate exornatas comprehendant, cuiuſmodi ſunt primò ac præcipuè actus voluntatis eliciti.

Sine boni mores, quàm latè patent.

16. Quo ſpectat quod Ammonius præfat. in Porphyrium Græcam vocem ἦθος (quam moris nomine latinè exprimimus, etſi Fabius 6. inſtit. cap. 2. neget eam vero Romano nomine exprimi poſſe;) interpretatur hominis dignitatem atque ornatum, qui actionis cuiuſuis ac defectum declinantis, hoc eſt, ex virtute elicitæ mediocritate conſiſtit, vt idem Ammonius pluribus exponit. Sed & ex altera illa magis recepta morum ſignificatione ac notatione facile eſt idem confirmare: Volunt enim dictos mores, quòd mora & aſſuefactione, cui in mora locus eſt, comparentur. Sicque Ariſtoteles 1. magnorum moral. c. 7. & 2. Ethic. c. 1. Græcam vocem ἦθος à voce Græca ἔθος, morem, inquam, à mora; (bellè namque voces Latinæ Græcis conſentiunt,) breuis litteræ in lõgam mutatione factam cenſet. Et idem habent Plato 7. de Repub. & Plutarchus l. de virtute morali, ac Euſtratius in procemio ad 1. Ethic. vt videas hallucinari Zuingerum 2. Ethic. cap. 1. vbi mores internos quos cum habitibus perperam confundit, ἦθη, externos autem quos putat eſſe ipſamet habitum actiones, ἔθη nominat: vt idem ſit τὸ ἔθος, quod ipſa aſſuetudo: τὸ ἦθος verò idem ſit quod mos habitualis ipſa aſſuetudine comparatus; quod vides cum Philoſopho, & iis quos dixit Græcis non congruere, qui mores dici volunt ipſas quoque actiones quas aſſueſcimus benè vel malè facere. Atenim aſſuefactio vt idem Ariſtoteles cap. illo 1. 2. Ethic. rectè notauit, non cadit in actiones merè naturales: Nam nemo ignem aſſuefecerit ſurſum ferri; vel lapidi quantumcunque repetita demiſſione, contulerit, vt aſſueſcat celeriùs ac meliùs ferri deorſum. Quare morum bonorum nomen, ad ſolas & omnes rectas voluntatis operationes ſiue elicitas ſiue imperatas extenditur, vt ex hac Philoſophi doctrina intulit D. Thomas in 3. d. 23. q. 1. art. 4. ad quæſtiunc. 2. Durand. in. 2. d. 38. q. 1. n. 5. Ferrar. 3. contra gentes c. 10. verſic. *circa tertium.* Et poteſt quoque hinc erui ratio cur virtutes potius voluntatis quàm virtutes intellectus dominentur virtutes morales quamuis vtræque aſſuefactione comparentur: In cuius denominationis alia quadam ratione exponenda, fruſtra laborat Tartar. 6. Ethic. q. 1. & Gilbert. Ibid. tract. 1. q. 1. Krosbein q. vnica Antonomaſticè autem ob honeſtatis præcellentiam, Romani vt eſt apud Feſtum, nomen *morum* arctabant ad inſtituta religionis & actus diuini cultus, quod docto Poëtæ placuiſſe oſtendit Macrob. l. 3. Saturnal, cap. 8. Apud S. Ambroſium l. 5. hexaëm. cap. 23. *mores* dicuntur inſtituta non ſcripto prodita, ſed inueterato vſu roborata. Quod Caius Iuriſc. l. *omnes populi* ff. de Iuſt. & iure voluiſſe potius videtur, quamuis eum aliter exponat Ræuardus lib. 3. coniectan. c. 9. Sed quod dixi, apertè confirmatur l. *de quibus* ff. *de legibus*, & à Fabio l. 5. inſtit. c. 10.

17. Sumẽdi prætereà ſunt boni mores in ea amplitudine qua & hominis priuati, & in familia degentis, & ciuis honeſtas actiones complectantur. Quare non placent qui ſolis moribus ciuilibus occupari hanc ſcientiam aſſerunt vt Auerroës interdum, (nec enim ſatis conſtanter id affirmat vt Picolom. cap. 2. introduct. animaduertit.) Diſplicet item Iulius Pacius in prolegom. Ethic. qui ſententiam vulgi appellat exiſtimare ſcientiam hanc vniuerſam eſſe de moribus; probátque ex Philoſopho, qui non à moribus Ethicam, ſed à ciuitate politicam & ciuilem mauult nominari hanc ſcientiam. Addit etiam rationem, nempe quia ciuitas eſt ſubiectum totale, eiúſque pars vna eſt homo priuatus, cuius mores in Ethicis explicantur. Verùm hæc non labefactant communem ſententiam: Ariſtoteles enim non negat hanc ſcientiam poſſe à bonis moribus in ea quam dicebam amplitudine ſumptis denominari; ſed tantùm negat denominari poſſe adæquatè, vel etiam principaliter, à ſolis bonis moribus priuati hominis, quos monaſtica exponit. Vnde quia nobilius, & vt ipſe 1. Ethic. c. 2. loquitur diuinius quid eſt ciuem eſſe, & moribus ciuem bonum decentibus exornari, quàm ſibi ipſi bonum eſſe, ac priuatim degere: propterea meritò à parte principaliore appellationem huius ſcientiæ duci poſtulat. Itaque & boni mores priuati hominis, & œconomici ac ciuiles, ad hanc diſciplinam pertinent vt partes ſubiectiuæ.

Diuiſio bonorum morum in naturales & ciuiles an idonea.

Bonos mores ciuiles cùm audis, intellige iuxta vulgatam Philoſophis & Chriſtianis Theologis acceptionem. Quæ longè alia eſt quàm apud Iuriſperitos, qui bonos mores ciuiles opponunt naturalibus. Appellant autem bonos mores naturales actiones naturæ rationali conſentaneas, quo ſenſu Philoſophi bonos mores ſemper vſurpant. Bonos autem mores ciuiles ſiue politicos, appellant eos qui ad conuenientem Reipub. ſtatum & politiæ adminiſtrationem pertinent, ita tamen vt ad honeſtatem moralem non ſint neceſſarij, nec contrarij eorum actus lege prohibeantur vel moraliter mali reddantur. Sic l. *ſtipulatio hoc modo concepta* ff. *de verborum obligat.* Dicitur hanc ſtipulationem eſſe caſſam & inutilem, quippè contra bonos mores. *Si heredem non me feceris, tantùm dare ſpondes?* Non quod abſolutè malum & peccatum ſit id ſpondere: ſed quod interſit Reipublibæ communiter ſummam ea in parte ac perpetuam cuique libertatem ſeruari; propterea legiſlator id ſi fiat inutiliter factum decernit. Vſurpant eam bonorum morum partitionem antiqui Iuriſperiti paſſim, vt videre eſt apud Couarruuiam in cap. *quamuis pactum* initio ſecundæ partis, qui eam reprobat, ſed non niſi voce tenus, vt benè aduertit Sanchez l. de iuramento cap. 9. n. 30. Tuetur autem Suarez l. 2. de Iuram. c. 21. & rectè: Eſt enim ea diſtinctio probè intellecta neceſſaria in plerìſque euentibus: quia vtrumque illud genus morum ad bonam & conuenientem Reipublicæ informationem eſt accommodatum, quicquid ſit de modo loquendi obnoxio æquiuocationi. Nos autem ſufficienter eam declinabimus, vſurpatis ſemper moribus ciuilibus ad ſenſum Philoſophorum & Theologorum.

§. III.

Corollaria ex dictis, de natura huius ſcientiæ.

18. EX obiecto tanquam ex radice omnia quæ ad huius diſciplinæ naturam & affectiones pertinent nullo negotio erui poſſunt. Ideóque præmiſſa nunc obiecti tractatione, ea paucis attingo.

Moralis diſciplina, pars Philoſophiæ.

Infertur igitur primò, Moralem diſciplinam eſſe Philoſophiæ partem, & meritò nominari Philoſophiam. Nihil enim aliud eſt Philoſophia, ſi neglecto vocis cortice ad ipſam rei medullam peruadamus, quàm cognitio rei alicuius per cauſas ſuas, vt docet Iuſtinus initio Tryphonis, & Damaſc. in dial. c. 49. Idem ex antiquis attigi initio huius prologi, latéque confirmant Carpentarius in c. 1. & 3. Alcinoi, Fonſeca 2. Metaph. c. 3. q. 3. ſect. 2. & Conimbr. in Phyſic. procemio, paſsímque alij in Logicæ aut Phyſicæ veſtibulo. In hac autem diſciplina habetur cognitio per cauſas, vt proximè confirmabo, oſtendens prærogatiuam veræ ſcientiæ, negari morali diſciplinæ non poſſe. Eſt igitur Philoſophiæ vniuersè acceptæ pars. Partem appello contra eam ſententiam quam Stoicis impingit & latè refellit Albertus 1. Ethic. tract. 1. cap. 3. nempe quod vnica detur Philoſophia, quæ morali diſciplina contineatur. Hoc tamen à Stoicis aſſertum fuiſſe, tam verum eſt, quàm quod iiſdem eo loco tribuit Albertus, quod ſcilicet autorem ſectæ, & principem Stoæ habuerint Socratem. Itaque hanc quidem Philoſophiæ portionem, cæteris longè vtiliorem ideóque maximè amplexandam cenſuerunt Stoici, vt ex Epicteto. Seneca aliiſque Stoicis ſæpè diſcimus: Nunquam tamen reliquam Philoſophiam abiecerunt vt eorum Phyſiologia à Lipſio contexta, & naturales Senecæ quæſtiones; varia denique Plutarchi opuſcula contra Stoicam in Phiſicis ruditatem, apertè produnt. Multò minus gradu & ordine Philoſophiæ, mouere tentarunt, ſobriam illam rerum naturæ diſquiſitionem, quam vera Philoſophia contemplatiua profitetur.

19. Nimirum Philoſophia vniuerſum hominis bonum complexa; & intellectum ſibi ipſi ac nudæ cognitioni eliciendæ, & præterea honeſtæ actioni imperandæ aptare debuit. Hoc præſtat per moralem, illud per eam Philoſophiam quæ contemplatione diſtinctur. Atque ita vtraque Philoſophia retinenda eſt, præter rationalem quæ diſſerendi rationem componit, ne pro veris falſa ſurrepant. Vt ſit proinde vniuerſa Philoſophia tripartita, de Philoſophorum propè omnium ſententia, ſi Cyrenaicos excipias vt eſt apud Senecam epiſt. 89. qui refert eos naturalem & rationalem Philoſophiam ſuſtuliſſe, contentos moralibus: Ea tamen ipſa quæ remouebant aliter induxiſſe. Quæ eadem refert Sextus Empyricus l. aduerſus mathemat. *initio impugnationis logicorum* vbi ait Cyrenaicos iuxta Sotionem, præter moralem Philoſophiam, Logicam quoque admiſiſſe. Sed neque eo modo ad veritatem & communem Philoſophorum ſenſum locuti ſunt. Cyrenaici. Audi Empyricum ſuprà. *Cæterum iſtorum quidem eſſe videtur manca & non ſufficiens diuiſio: melius autem ac perfectius videntur diuiſiſſe qui dicunt Philoſophia has eſſe partes: nempe aliam quidem eſſe quæ contemplatur naturam, aliam autem quæ verſatur in conſiderandis moribus, aliam verò logicam. Quorum virtute quidem eſt Plato princeps, qui de multis naturalibus multiſque ad mores pertinentibus, & non paucis logicis diſſeruit, diſertiſſimis autem & expreſſiſſimis verbis Xenocrates & Peripatetici. Præterea autem Stoici hanc ſequuntur diuiſionem. Hinc autem admodum probabiliter area, quæ fructus omne genus continet, aſſimilant Philoſophiam: vt arborum quidem proceritati comparetur pars naturalis: fructuum autem maturitati & ſuauitati, pars quæ pertinet ad mores, parietum autem firmitati logica. Alij autem dicunt eam eſſe ouo ſimilem. Nam vitello quidē, quem nōnulli dicunt eſſe pullū ſimilem eſſe eam quæ pertinet ad mores: albumini autem, quod eſt alimentum vitelli, partem naturalem: externa autem teſta, logicam. Poſſidonius autem quoniam Philoſophia partes ſunt inter ſe inſeparabiles, plantæ autem cernuntur aliæ à fructibus, & parietes ſeparati ſunt à plantis, maluit Philoſophiam aſſimilare animali: ſanguini quidem & carnibus partem naturalem; oſſibus autem & neruis logicam: animæ autem, eam partem quæ pertinet ad mores* Hæc ille. Porrò vt hoc obiter addam, Ariſtonem Chium malè Cyrenaicis adiunctum eſſe, docent quæ ſupra ex eo retuli è Stobæi collectaneis; vnde diſcimus eum Moralem quidem reliquis Philoſophiæ partibus antepoſuiſſe, non tamen cenſuiſſe vniuerſam Philoſophiam contineri Morali diſciplina, vt ei Seneca & Empyricus locis proximè allegatis tribuiſſe exiſtimantur.

Non eſt ars propriè.

20. Infertur 2. moralem Philoſophiam non eſſe artem propriè loquendo. Ars enim, vt infra ſuo loco explicandum eſt, vt plurimum reſpicit materiam tranſeuntem & permanentem: ſemper autem ſpectat materiam auulſam à moralitate, nec per ſe ſpectantem ad vltimum hominis finem, quod non competit morali diſciplinæ vt patet ex dictis. Non eſt igitur propriè ars, ſed ad ſummum latè; prout nimirum artis nomen ſcientiis quoque commune eſt vt in vulgata artium liberalium ſerie cernitur. Et hac ratione apud Sextum Empyricum 3. Pyrrhon. hypotip. c. 24. & in calce operis aduerſus mathemat. & apud Senecam Epiſt. 95. & alibi allegante Lactantio lib. 3. inſtit. cap. 15. itémque à D. Auguſtino 19. Ciui. c. 3. moralis philoſophia nominatur *ars circa vitam*, vel ars *honeſtæ vitæ.*

Hæc cùm ita ſint, miror quid in mentem venerit nupero ſcriptori tract. 1. qui eſt de natura Ethices c. 2. §. 1. vt diceret Ariſtotelem non examinaſſe ſubtiliùs naturam artis, & de ea ad popularem ſenſum pronunciaſſe, ideóque mirum non eſſe ſi iuxta eum moralis philoſophia non ſit ars, qualem reuera eam eſſe contendit Philoſophus iſte recentior. Quod probat 1. ex eo quod moralis philoſophia contineat collectionem præceptorum ad vnum ſcopum finémque humanæ vitæ vtilem directorum: 2. reiectione rationum quibus ratio artis morali philoſophiæ adimitur. Quarum priorem ductam ex eo quod nullus ſit externus effectus morali philoſophiæ ſuperſtes poſt actionem, eneruat prolationem indubitatarum artium, (nimirum artis canendi & ſaltandi,) quibus item nullum externum opus ſuperſtes eſt. Poſteriorem verò rationem ex eo petitam quod actiones artis debeant eſſe externæ; non autem internæ & ſpirituales, inde reiicit quod idea artificis eſt effectus artis, & quidem primarius & maximè arti connaturalis, & tamen eſt aliquid ſpirituale, internum, & ſenſum fugiens: præterquam quod compluresexternæ actiones Morali philoſophiæ obiiciuntur, nempe actiones obiectæ temperantiæ, fortitudini, liberalitati atque iuſtitiæ,

Hæc

Hæc tamen leniora ſunt quàm vt ob ea vapulare Philoſophum oportuerit, tanquam qui pingui Minerua, nec niſi ex vulgi ſenſu naturam artis tradiderit. Itaque dico artem non bene definiri per collectionem præceptorum reſpicientium vnum ſcopum humanæ naturæ vtilem, cùm hæc ſit ratio habitus practici in vniuerſum, non autem artis, quæ ſub generali ambitu habitus practici contra diſtinguenda eſt prudentiæ, & morali diſciplinæ penes ordinem immediatum ad humanæ vitæ finem vltimum, qui ordo ſoli prudentiæ atque morali ſcientiæ competit non item arti preſsè ſumptæ, vt dicam infra in tractatione de prudentia, comparans prudentiam cum aliis habitibus, nominatímque cum arte. Vbi etiam patebit quod Ariſtoteles de opere actibus poſt actionem ſuperſtite dixit, eo ſpectare; quamuis vt plurimum quoque verum ſit quod verborum cortice præfertur, nempe quod arti poſt elicitam & tranſactam operationem ſuperſtes ſit opus artefactum. Hinc labefactatur prima impugnatio rationum quibus ratio artis, morali Philoſophiæ vendicabatur. In altera verò impugnatione admodum futile eſt quod de idea dicitur: Nam idea artificis vel ſumitur pro conceptu eius formali ſiue regula dictante quomodo ſit operandum; vel conceptu obiectiuo ad cuius imitationem artifex, tanquam interuentu regulæ viuæ, exequitur operationem. Si idea ſumatur primo modo, perſpicuè eſt tantum dictamen & actus artis, non autem effectus vel obiectum, atque ita ſumus extra quæſtionem, quæ de artis obiecto non de actu elicito ſiue dictaminibus mota eſt. At ſi ſecundo modo ſumatur, tunc idea apertè eſt aliquid materiale & externum: Conceptus enim idealis obiectiuus, eſt ipſummet artefactum ab artifice præconceptum ſaltem vagè, ac proinde eſt aliquid externum operanti, atque ſenſibile. Præterquam quod huiuſmodi idea ex quo ſemel efformata eſt, habet ſe per modum dictaminis, eiuſque locum tenet, quia dirigit ad operationem vice dictaminum formalium, proindéque non ſe habet vt obiectum, de quo diſputamus, ſed vt actus interiacens inter habitum & obiectum ſiue ſeipſum in ſtatu reali productum, eáque ratione concurrit ad ſui effectionem, determinando agens intellectuale. Quare ea quoque ſecunda impugnatio probationum vulgatarum, inanis eſt. Verè enim ars per ſe primò ſpectat externa & ſenſibilia opera, quod non habet prudentia & moralis diſciplina, quæ duntaxat per redundantiam quandam, ad externa porrigitur; præcipuum autem munus ſuum exercet circa voluntatem & internas actiones,

Eſt vera ſcientia.

21. Infertur 3. moralem Philoſophiam eſſe ſcientiam. Ita fusè Ocham quod lib. 2. q. 14. & probat quia omnis habitus concluſiones ſyllogiſticè deducens ex principiis per ſe notis eſt habitus ſcientificus; atqui moralis Philoſophia eruit concluſiones ſuas ex principiis per ſe notis, cuiuſmodi ſunt illa, *omne malum eſt fugiendum, omne bonum eſt amandum* Ergo moralis Philoſophia eſt vera ſcientia. Eodem recidit probatio ducta ex eo quod moralis Philoſophus de obiecto, proximè explicato, aliqua ei neceſſariò conuenientia demonſtret per cauſas: quod admittitur 1. ad Eudemum c. 3. Et patet, quia verbi gratia de actionibus voluntatis, ex eo quod ſint media ad fœlicitatem, demonſtrat hæc ſcientia, debere eas hoc vel illo modo elici, vt ſint proportionatæ fini. De paſſionibus, demonſtrat quod coërcendæ & frænandæ ſint, ne ferociendo rectum rationis vſum impediant, obſténtque aſſecutioni felicitatis, cui inſeruire eas oportet.

Itaque nihil huic diſciplinæ deeſt, quominus ſcientiæ iure & appellatione potiatur.

Etiam iuxta Philoſophum.

22. Negat quidem Philoſophus 1. Ethic. c. 3. & 7. & 2. Ethic. cap. 2. exactam illam tractationem quæ in ſcientiis ſpeculatiuis vſurpatur, hic quæri debere, illud præclarè monens; *Eſſe eruditi eatenus exactam in vnoquoque genere explicationem requirere, quatenus pingi ipſius natura poteſt.* Non tamen propterea negat deeſſe huic ſcientiæ demonſtrationes de ſuo obiecto, vt malè ſenſit Euſtratius 1. Ethic. c. 3. & Zabar, 1. de methodis c. 7. Imo demonſtrationes ab effectis hic locum præſertim habere, & ab eis ad cauſas progreſſum fieri, quamuis facilè aliqui in ipſis effectibus ſiſtant, obſeruat ipſe Ariſtoteles 1. Ethic. c. 7. colligens inde, neceſſitatem proborum morum in auditore morali, vt infra rurſus attingam. Quin etiam illum certitudinis mathematicæ & exactiſſimæ tractationis defectum, in aliis quoque veris ſcientiis cerni affirmat 2. metaphyſ. c. 3. *in fine libri*, & 6. metaph. c. 1. quibus tamen cum veræ ſcientiæ eſſe ſupponâtur, non poſſunt negari demonſtrationes de obiectis quibus diſtinentur. Itaque nihil ex Ariſtotele profertur ad hanc diſciplinam ſcientiarum ordine & gradu mouendam. Nam admodum frigidum eſt ac proinde omittendum quod Chaſſanæus part. 10. catalog. conſideratio. 25. poſt Barbar. in cap. *clerici de Iudic.* affirmat Philoſophum negaſſe morali Philoſophiæ rationem ac decus ſcientiæ, cùm dicit *res morales diſci, non vt ſciantur, ſed vt boni efficiamur.* Hoc eſt planè contra Philoſophi mentem, qui verbis illis quæ infra ex eo plenius proferam, tantum intendit docere moralem Philoſophiam non ſiſtere in nuda cognitione, ſed vniuerſam opus reſpicere, atque adeo ſcientiam practicam eſſe, non ſpeculatiuam. Nulla autem ratione voluit verbis illis abrogare ei decus ſcientiæ propriè dictæ.

Ac non obſtante contingentia obiecti.

23. Argumentum verò quod præterea Ocham ſupra ſibi in contrarium opponit, nec ſatis perſpicuè diluit, non eſt reuera efficax. Eſt autem huiuſmodi. Obiectum ſcientificum debet eſſe neceſſarium & tale, quod non poſſit eſſe, & non eſſe, ex 6. Ethic. c. 3. Atqui operationes liberæ & ſuperſtructa eis rectitudo, ſunt aliquid à voluntate pendens, & merè contingens. Ergo non ſunt obiectum ſcientificum, ac proinde moralis Philoſophia quæ circa obiectum illud occupatur, non eſt ſcientia. Hoc argumento Foxius lib. 1. compendij Ethici cap. 1. concluſit Ethicen non habere notitias neceſſarias, ſed duntaxat probabiles; quod eſt dicere, non eſſe ſcientiam. Albertus quoque 1. Ethic. tract. 4. cap. 1. eodem argumento adactus, conceſſit non eſſe in hac diſciplina vllas demonſtrationes. quod reuera eſt ei abrogare prærogatiuam ſcientiæ. Idque Albertus ibi. cap. 4. aperte admittit. Sed quia hoc eſt haſtam abiicere, enodandum eſt argumentum propoſitum, vt ſcientiæ prærogatiua, huic diſciplinæ ſalua maneat.

Reſpondet Ocham q. illa 14. de illis quæ ſubiacent voluntati poſſe formari propoſitiones veras & per ſe notas, quæ ad contexandas multas demonſtrationes, poſſint vſui eſſe; Tacite ſubintelligens, Moralem, quamuis diſtineatur eo obiecto quod voluntati ſubiacens atque contingens eſt, non eſſe nihilominus verarum ſcientiarum albo expungendam, cum ſcientia

ex

ex illis propoſitionibus per ſe notis, & deductis inde concluſionibus coaleſcat.

Hanc reſponſionem aiebam videri minus perſpicuam. Imo reuera non eſt reſponſio ad argumentum, ſed dumtaxat probatio aſſertionis quæ eo argumento impetebatur. Cùm enim contra eam aſſertionem qua conſtitutum fuerat Moralem eſſe veram ſcientiam, oppoſita fuiſſet mutabilitas & contingentia obiecti, hoc eſt, operationis humanæ, quæ ob dependentiam à voluntate libera, non videtur habere eſſe fixum & ſtatum quale in obiecto ſcientiæ propriè dictæ requiritur: Ad huius autem argumenti dilutionem, oſtendendum fuiſſet non deeſſe operationi humanæ prout diſciplinam moralem terminanti, ſtabilitatem illam quæ eſt obiecto ſcientiæ debita: Hoc quidem diſſimulauit Ochamus, adduxit autem quod non quærebatur, nec quadrat reuera ad argumentum prout propoſitum fuerat: Nempe eſſe in Morali diſciplina veras propoſitiones immediatas, quæ poſſint vſui eſſe ad demonſtrationum huius ſcientiæ propriarum texturam. Addo verò, hoc Ochami reſponſum, videri poſſe non modò minus clarum, ſed etiam irritum: quippe quod laboret manifeſta petitione principij. Nam hoc ipſum eſt de quo ambigitur, ſintne in Morali diſciplina propoſitiones per ſe notæ, & à priori indemonſtrabiles ex quibus poſſint fabricari demonſtrationes Morales. Certè concluſio de obiecto contingente & inſtabili, qua tali, deſtituitur huiuſmodi principiis, Itaque cùm aduerſarius aſſumat obiectum Moralis diſciplinæ eſſe prorſus mutabile, eadem opera excluſit propoſitiones illas quas Ochamus pro reſponſione obtruſit. Quare aliter diſſoluendum eſt argumentum.

Reſpondeo igitur cum Syluestro in ſimili 1. p. conflat. q. 1. art. 1. ad. 2. operationem voluntatis non pendere à voluntate libera quoad eſſentiam ſuam, ſed tantùm quoad exercitium. Quamuis enim ſit in poteſtate libera voluntatis elicere actionem aliquam vel omittere; tamen poſito quod lubeat illi exercere actionem aliquam, vt benè eam & abſque defectu exerceat, neceſſe eſt vt modum illum operandi teneat quem Moralis diſcipina præſcribit. Atque ita operatio voluntatis, vt de facto fiat, pendet à libertate, & vt ſic non eſt obiectum ſcientificum: vt tamen talem naturam moralem habet, eſt aliquid neceſſarium & ſcientificum, ob certam & inuariabilem eſſentiam eius moralem, & immutabilem honeſtatis cum talibus principiis & cauſis connexionem. Sanè maxima pars Phyſicæ eſt de contingentibus quæ quoad exiſtentiam ſuam poſſint eſſe, & non eſſe; & tamen cadunt ſub ſcientiam, quia ſpectata præcise quoad naturam & ſpeciem ſuam, habent neceſſitatem & ſtabilitatem, vt rectè philoſophatur D. Thomas 6. Ethic. lect. 1. in f. Idem ergo eſt in re præſenti, vt optime tradidit Scotus q. 4. prologi ad 2. primæ quæſt. lit. *Aa*. Et hoc ipſum volunt qui dicunt obiectum ſcientificum ſolam neceſſitatem complexam exigere: eam nimirum quæ reperitur in ſubiecto quod proprietates neceſſarias de ipſo demonſtrabiles habeat: Non exigere autem neceſſitatem incomplexam, ſeu non oportere tale eſſe vt non poſſit non exiſtere.

Eſt ſcientia practica, plenè ac purè.

24. Infertur quartò Moralem eſſe ſcientiam practicam. Quamuis enim practicum & ſpeculatiuum iuxta probabile multorum placitum non diuerſiſpecificent ſcientias, nec ſint differentiæ eſſentiales: ſunt tamen ſaltem affectiones aſſectantes ſcientiæ eſſentiam. Vnde meritò hoc loco priuſquam huius diſciplinæ definitionem compleamus, hanc eius affectionem præmittimus. Hanc igitur diſciplinam vniuerſam, practicis accenſendam eſſe affirmat disertè Philoſophus 2. Ethic. cap. 2. *Quoniam*, inquit, *præſens tractatio non eſt ſpeculationis cauſa, quemadmodum aliæ; (non enim fit vt cognoſcamus quid ſit virtus, ſed vt boni efficiamur, alioqui nulla eius eſſet vtilitas?) neceſſe eſt vt de actionibus, quomodo agendæ ſiat, conſideremus*

Eandem ſententiam apud Hippodamum Thurium antiquum Pythagoræum legere licet, libro de fœlicitate, cuius reliquiæ ſuperſunt apud Stobæum & inter Pythagoræorum fragmenta. Præfatus enim Hippodamus, *facta quæ in fœlicitate cernuntur, beata eſſe quoniam ratione perficiuntur: miſera quæ in infœlicitate, quoniam finem non aſſequuntur*: concludit in hunc modum. *Quapropter virtus non modo diſcenda, ſed etiam poſſidenda, & ad familiarum, ac Rerumpublicarum vel ſecuritatem, vel augmentum, vel etiam quod eſt maximum, emendationem eſt vſurpanda. Rerum enim præclararum non tam poſſeſſionem quam vſum, ſectari debemus* Hoc ipſum eſt quod aliis licet verbis, eodem tamen ſenſu proximè retulimus ex Philoſopho, vt proinde ab eo expreſſum ex Hippodamo, velit Patricius to. 2. diſcuſſ. Peripat. l. 7.

Rurſus Philoſophus cap. 4. in *fine*, reprehendens eos qui totum negotium virtutum in diſputatione de eis ſitum putant; *Ex eo*, inquit *quod iuſta agit, iuſtus: & ex eo quod temperantia tēperans fieri dicitur. Non agendo autē hæc, ne futurum quidem eſſet, vt bonus quiſpiam euaderet. Plerique tamen cùm hæc non agant, ad diſputationem confugiunt putàntque ita ſe philoſophari, ac probos futuros. Qui ſanè perinde faciunt atque ægrotantes: qui cum medicos diligenter audiant, nihil tamen eorum, quæ ab ipſis mandantur, efficiunt. Sicut igitur neque illi corpore vnquam benè valebunt, dum ita curantur ſic neque iſti animo, dum ita philoſophantur benè habebunt.*

Vides quomodo Philoſophus excipit eos qui moralem ſcientiam ſpeculatiuam faciunt, nec aduertunt ignauam illam & operi non addictam Philoſophandi rationem, non minus abſonam eſſe quàm ſi æger leuamen à medicina expectaret audiendo duntaxat Medicum, neglectis omnibus quæ ille facienda aut vitanda edixerit. Et eſſe ſanè hanc Philoſophiam medicinam quandam animorum; & ſcholam Moralis Philoſophi eſſe Medici officinam, ſcitè dixit Epictetus apud Arria. l. 3. cap. 21. & Philo Lariſſæus Academicus, Clitomachi diſcipulus apud Stobæum in Eclogis Ethicis cap. 2. & Clemens Alexandr. 7. Stromat. cap. 1. *fere initio* Plutarchus l. De inſtitut. puerorum num. 7. Pulchrè item Tyrius diſſert. 18. *initio, cum de Chirone*. Pulchrè item Dio orat. 8. *ſub initium*, & orat. 27. in eo conferens medicos & morales Philoſophos, quod vtrique audiantur tantùm in neceſſitate. Sicut ergo medicina corporibus curandis diſtenta practicis diſciplinis annumeratur nemine diſſentiente, ita & moralis Philoſophia quæ animis medetur, practica cenſenda eſt, vt Philoſophus ex ea analogia rectè affirmabat loco allegato.

Disertè etiam 10. Ethic. cap. 9. *In agendis rebus*, inquit, *finis non eſt contemplari ſingula & cognoſcere, ſed agere. Neque igitur in virtute ſatis eſt ſi eam habeamus eáque vtamur eſt enitendum; Vel ſi quo alio modo boni efficiamur. Nam ſi verba ad reddendos homines probos ſufficerent, multas ſanè & magnas mercedes, vt Theognis ait, afferrent, oporteréteque ea comparare*. Denique luculenter 1. ad Eudemum cap. 3. id ipſum traditur, reprehenſo Socrate qui de virtutibus eodem modo diſputabat quo de obiectis merè ſpeculabilibus; nec aliter tradebat Ethicam

ſcientiam quam Geometriam vel Phyſiologiam. *Verùm alius eſt*, inquit ibi Philoſophus, *actionis ſcientiis, alius cognitioni contemplationíque finis propoſitus, vt ſanitas Medicinæ, recta iuris legúmque conſtitutio Politicæ. Ergo cùm res quidem honeſtas cognoſcere, pulchrum ſit: in virtutis tamen conſideratione non tam quid ſit, quàm è quibus petatur cognoſcendum eſt. Neque enim ſcire quid ſit fortitudo magnoperè, ſed fortes eſſe potius volumus: non ſcire iuſtitiam, ſed iuſti eſſe; quemadmodum ſani eſſe benéque habere, quàm ſanitatem bonúmque habitum cognoſcere.* Similia habet 1. magnor. moral. cap. 1. Refert & meritò collaudat pleráque ex his Philoſophi locis, Themiſtius orat. 14. *ſub medium.*

Placuit autem hæc colligere, vt appareret non benè Carbonem 3. introduct. ad Theolog. c. 17. aſſeruiſſe Ariſtotelem Philoſophiam moralem inter habitus ſpeculatiuos repoſuiſſe, eo quod agat de virtute modo ſpeculatiuo, nec det regulas proximè ad operandum accommodatas. Quæ vides à mente Philoſophi alienos eſſe, ac etiam à veritate; cùm hæc diſciplina quanta eſt, quanta ſpectet opus. Qua etiā ex cauſa diſplicet Suarez diſp. 1. Metaph. Sect. 5. n. 5. cùm ait moralem ſcientiam eſſe quodammodo & inchoatiuè practicam. Non enim inchoatiuè & quodammodo duntaxat, ſed abſolutè & ſimpliciter practica eſt, vt ex Philoſopho vidimus, docétque D. Thom. Albert. Bonauent. Henricus quos adducit & ſequitur Gillius l. 1. tract. 5. c. 7. n. 2. Nec video quid authores in contrarium allegatos in huiuſmodi placitum adducere potuerit, niſi conſideratio virtutum & quorundam huiuſmodi obiectorum, quæ videtur ſpeculatio quædam. Et idcircò etiam Gregor. q. 5. prologi art. 2. ſub fin. & artic. 4. concl. 2. exiſtimat hanc ſcientiam, (vt & quamuis practicam,) ex notitiis ſpeculatiuis & practicis intermixtam coaleſcere. Annoit Salas quoad moralem Philoſophiam tract. 1. d. 1. n. 17 & Pononis d. 1. q. 2. propoſ. 1. At enim virtutum notitiam huius diſciplinæ propriam non eſſe ſpeculationem, docuit diſertè Philoſophus locis allegatis, & Seneca lib. de vita beata c. 32. Mixturam autem illam notitiarum ſpeculatiuarum & practicarum in hac ſcientia, meritò reiicit Aureolus in 1. d. 35. parte 1. artic 3. eo quod omnes notitiæ quæ hic traduntur ſpectent ad operationē, nec tradantur ob cognitionem nudam. Idē rectè contra quoſdam tradit Albertus 1. Ethic. tract. 1. cap. 4.

Quid de intermiſtis ſpeculationibus, & quàm parcè adhibendæ.

26. Noſtræ porro illæ commentationes, & intellectus naturam actuum vel habituum inueſtigātis negotiationes, quæ notitiis practicis in hoc negotio ſuperadduntur; multóque apertiùs cognitio potentiarum animæ, quam vrget Capreol. quæſt. 2. prol. artic. 1. concl. 2. vt probet minus principale aliquod huius ſcientiæ obiectum eſſe ſpeculatiuum: hi inquam actus non ſunt actus huius habitus; ſed ad illuſtriorem rerum moralium notitiam & doctrinæ abundantiam apponuntur, nec niſi reductiuè ſunt dicuntúrve morales. Seneca id videtur expreſſiſſe epiſt. 121. verbis illis. *Mores alia aliter attingunt. Quædam illos corrigunt, & ordinant, quædam naturam eorum & originem ſcrutantur. Cùm quæritur, quare hominem natura produxerit, quare prætulerit animalibus cæteris, longè me iudicas mores reliquiſſe? falſum eſt. Quomodo enim ſcies, qui habendi ſint, niſi quid homini ſit optimum, inueneris; niſi naturam eius inſpexeris? Tunc demum intelliges, quid faciendum tibi, quid vitandum ſit, cum didiceris, quid naturæ tuæ debeas. Ego, inquis, volo diſcere, quomodo minus cupiam minus timeam, ſuperſtitionem mihi excute, doce leue eſſe vanúmque hoc quod fælicitas dicitur: vnam illi ſyllabam facillimè accedere. Deſiderio tuo ſatisfaciam & ad virtutes exhortabor, & vitia conuerberabo, licet aliquis nimium immoderatúmque in hac parte me iudicet, non deſiſtam perſequi nequitiam, & affectus efferatiſſimos inhibere, & voluptates ituras in dolorem compeſcere, & votis obſtrepere. Quidni? cùm maxima malorum optauerimus, & ex gratulatione natum ſit quicquid alloquimur. Interim permitte mihi ea quæ paulo remotiora videbantur excutere.* Nimirum agnouit magnos morū magiſter, hæc quoque remotiora, etſi mores immediatè non formant, tamen conducere ad ea perſpicienda quæ mores ipſos formant, & idcirco non inutiliter moralium tractationi admiſceri.

27. Id tamen ſobriè ac parcè faciendum, ne πάρεργον fiat ἔργον, vt ex Agathone loquitur Clemens in calce quinti Stromatum, & in eam reprehenſionem incurrere contingat, qua ſæpè Seneca ſui temporis magiſtros morum caſtigat: Nominatim epiſt. 45. *Inueniſſent forſitan neceſſaria, niſi & ſuperflua quæſiſſent. Multum illis temporis, verborum cauillatio eripuit, & captioſæ diſputationes quæ acumen irritum exercent. Nectimus nodos, & ambiguam ſignificationem verbis alligamus deinde diſſoluimus: ac tantum nobis vacat iam viuere, iam mori ſcimus. Tota illò mente pergendū eſt, vbi prouideri debet, ne res nos, non verba decipiant. Quid mihi vocum ſimilitudines diſtinguis, quibus nemo vnquam niſi dum diſputat, captus eſt? Res fallunt, illas diſcerne.* Et epiſtola 106 in fine *Latrunculis ludimus in ſuperuacuis ſubtilitas teritur. Non faciunt bonos iſta, ſed doctos. Apertior res eſt ſapere: imò ſimplicior. Pauci opus eſt ad mentem bonam literis. Sed nos vt cætera in ſuperuacuum diffundimus, ita Philoſophiam ipſam. Quemadmodum omnium rerum, ſic literarum quoque intemperantia laboramus. Non vitæ, ſed ſcholæ diſcimus.* Rurſus Epiſt. 117. *Hæc, mi Lucili, tractemus, his formemus animum. Hæc eſt ſapientia, hoc eſt ſapere, non diſputatiunculis inanibus ſubtilitatem vaniſſimam agitare. Tot quæſtiones tibi fortuna poſuit, nondum illas ſoluiſti, iam cauillaris. Quàm ſtultum eſt cùm ſignum pugnæ acceperis, ventilare. Remoue iſta luſoria arma: decretoriis opus eſt. Dic qua ratione nulla animum triſtitia, nulla formido perturbet: qua ratione hoc ſecretarum cupiditatum pondus effundam.* Plura ſub finem epiſtolæ. Præclarè item de more epiſt. 82. vbi longam diſputationem ita concludit. *Verba mihi captioſa componis, & interrogatiunculas nectis. Magnis telis magna portenta feriuntur. Serpentem illum in Africa ſæuum, & Romanis legionibus bello ipſo terribiliorem, fruſtra ſagittis fundiſque petierunt. Ne Python quidem vulnerabilis erat, cùm ingens magnitudo pro vaſtitate corporis ſolida, ferrum, & quicquid humanæ torſerant manus, reiiceret; molaribus demum fracta ſaxis eſt. Et aduerſus mortalem tu tam minuta iacularis? Subula leonem excipis. Acuta ſunt iſta quæ dicis. Nihil eſt acutius ariſta. Quædam inutilia & inefficacia ſubtilitas reddit.* Breuiter ſed optimè epiſt. 108. commendat doctrinam moralem, *Remedio intentam, & totam in bonum audientium verſam, relictis ambiguitatibus, & ſyllogiſmis, & cauillationibus, & cæteris acuminis irriti ludicris.*

Pleniùs etiam epiſtol. 48. & 49. niſi quod quæ his duobus locis diſputat, cadunt potius in nimiam ac fructus vacuam rerum naturalium ſcrutationem, quàm in ſpeculationes moralibus ſeu ſtra admixtas quas illis locis reprehendit, id quod creberrimè etiam facit Epictetus apud Arrianum, & fortiter Viues libro ſexto de cauſis

corruptarum

conceptarum artium (qui totus eſt de Moralis diſciplinæ corruptione) ſub *finem*, vbi ſtomachatur in quæſtionum fabricatores, à quibus moralem ſcientiam, quæ ad agendum ſpectat non ad cauillandum, ſpinis quoque fuiſſet calculatoris, & rhamnis ſophiſmatū oppletam expoſtulat; quaſi hæc Philoſophiæ pars nō ita ſit tractanda, vt meliores efficiantur qui addiſcunt. Conteſtatur verò, plus ex vna Senecæ aut Plutarchi pagina, vbi citra diſputationis ſophiſticæ ſtrepitum traduntur res morales, quam ex vniuerſis Almacini moralibus, vel ex Martini de Magiſtris quæſtionibus profecturum lectorem, ad vitæ rectam compoſitionem, vitiorum fugam, amorem virtutum, qui eſt Moralis diſciplinæ præfixus finis. Quæ ita admitto, vt tamen ſobriam qualem propoſui, agitationem ſcholaſticam rerum moralium ad mores quoque formandos conducere remotè poſſe, non inficier, ob affuſum inde vberius lumen quo notitiæ practicæ pleniùs micabunt.

28. Hinc patet non obſtantibus paucis illis ſpeculationem ſapientibus; ſaluum ſemper eſſe morali diſciplinæ ſuum ordinem ac locum inter ſcientias purè practicas, ſpectatis propriis ipſius actibus. Nam & prudētia & ars, purè practicæ ſunt, quamuis ad eruēda practica ſua dictamina, adhibere ſoleant propoſitiones aliquas ex ſe ſpeculatiuas, vt infra ſæpe videbimus. Itaque fixum eſto moralem diſciplinam vniuerſam, opus ſpectare, & practicam eſſe, nec infructuoſam duntaxat & claudam fore ſi nuda cognitio ſit, vt pereleganter dixit Philo libr. *de congreſſu quærendæ eruditionis gratia*, ſed omnino non fore & cum repugnantia vocandam moralem diſciplinam, vt Lactant. contra Tullium rectè diſputat 3. inſtit. contra cap. 14.

Contra ignauam moram peritiam,

Poterit tamen etiamſi practica, non ſortiri effectū; ob libertatis vitium; Et tunc locum habet increpatio quam in huiuſmodi inertem boni notitiam adhibet Maxim. Tyrius diſſert. 5. numer. 31. *Non poſſum videre quid omnino minus cum gloria ac dignitate ſit coniunctum, quàm vt veritatem aliquis cognoſcat, ſterilemque in animo ſuo theſaurum, inertem, atque infœcundum colligat, qui neque ipſi, neque alij cuiquam prodeſſe poſſit. Niſi fortè auditus pulcher videtur tibi, vt audias tantùm, non vt concentum aliquem percipias; Aut viſus, vt videas tantùm, non vt Solis lumen aſpicias, Aut diuitiæ, licet apud aliquem ſine vllo vſu in terra defoſſa iaceant. Eodem modo ſcientia, ne ſingula commemorem, quis vſus eſſe poteſt, niſi ea agamus in quibus prodeſt ſcientia? Quid enim medico cum ſcientia, niſi ex præſcripto eius rectè valeat? Quid Phidiæ cum arte ſua, niſi ebori eam admoueat & auro?*

29. Epictetus pulcherrimè apud Arriam. l. 2. cap. 9. his præter cætera. *Si non etiam veras opiniones rebus agendis applicemus, nihil aliud erimus quàm decretorum alienorum interpretes. Quis modo ex nobis eſt qui non poſſit ſolerter diſputare de bonis & malis rebus? Item quæcunque ſint, aut eſſe bona aut mala aut amborum in medio. Bona quidem eſſe virtutem, & quæ ad virtutem attiant: Mala verò, contraria: & Indifferentia porro opes, ſanitatem, honorem. Interea temporis ſi differentibus nobis ſonitus quidam maior exaudiatur, aut ſi quis præſentes nos irriſerit, animis commouemur. Vbi ſunt, Philoſophe, de quibus modò diſſerebas? vnde iſta proferens enunciabat? Duntaxat à labiis pronunciabantur ſcilicet iſta. Quid aliena remedia conſpurcas? Quid iacis aleam de rebus maximis? aliud eſt tanquam in penum reponere vinum & panem, aliud comedere. Quod comeſtum eſt concoquitur, digeritur in corpus, inde nerui, carnes, ſanguis, oſſa generantur, bonus color efflorescit, ſpiritus ſuſtentatur. Si habeas ſepoſita alimenta, voleſque his deprômptis ad oſtentationem tantum vti, id quidem facere poteris, ſed nullo tuo fructu: nec ex eo aliud quid obtinebis, quam vt videaris habere. Nam quid hoc aliud eſt quàm interpretari id quod viſum ſit aliis?* Paulo poſt negat ei qui eiuſmodi ſit, nomen Philoſophi moralis competere; atque perinde facere, ac eum qui cum in religione ac fide dubius ſit animi, tamen Chriſtianum ſe dicat, & baptizatum. *Quid*, inquit, *appellas te Stoicum? Quare decipis & fallis tam multos? Quam ob cauſam vis haberi inter Græcos, cùm ſit Iudæus? an neſcis quam ob cauſam quiſque habeatur pro Iudæo, pro Syro, pro Ægyptio? At quando conſpexerimus aliquem incertarum partium atque ancipitis fide, dicere ſolemus: Iudæus non eſt, ſed ſimulat. Quum autem affectum induit baptizati & inter ſectatores aſcitus, tum reuera & eſt, & appellatur Iudæus. Ita nos quoque Parabaptiſtæ ſumus & non legitimè tincti, dum quiſque verbo tenus duntaxat Iudæus, re autem vera aliud quid exiſtit. Animus non afficimur ad rationes, dum videlicet longè abſumus ab opere & conatu eorum quæ dicimus. Ex quo concludendum nos perſonam Philoſophi nobis arripere ſic, vt nihilominus quæ perſona hominis de ſe promittit, non præſtemus.* Hæc ille, qui Iudæos vocauit Chriſtianos, quia ſalus ex Iudæis eſt. Et quia conſtabat apud omnes verum Chriſtianum in fide ſua non nutare, ait ſicut ementitur Chriſtianitatem qui vacillans in fide dicit ſe Chriſtianum, ita falsò ſe Philoſophum aſſerere qui ex Philoſophia non viuit.

30. Philo item ſuprà, eandem inertem ſcientiam caſtigat his verbis. *Quod quieſcit & ceſſat, imperfectum bonum eſt: nam mala quieſcere expedit, bona verò moueri. Quid enim prodeſt ceſſare bonum tibicinem aut citharistam, aut in vniuerſum quemcunque artificem, ſuam artem non exercere? Nam ſine actione, ſola contemplatio ſcientibus ad nihil eſt vtilis. Nec enim Pancratiaſta, pugilve, aut luctator ex arena protruſus fructum vllum è ſuo ſtudio refert, neque abſolutus curſor, ſi eripiatur à podagra, aut aliquis laboret morbo infeſto pedibus. Lumen autem animæ, ſolari ſimillimum, eſt ſcientia: Nam ſicut oculi ſplendore, ſic mens illuſtratur ſapientia; & vſque acutius cernere aſſueſcit inunctæ nouis ſemper contemplationibus.* Eodem ſpectat perelegans diſputatio Muſonij lib. de exercitatione cuius fragmentum extat apud Stobæum ſerm. 29. partem decerpo. *Virtus*, id eſt, ſcientia de virtute, *eſt ſcientia non contemplatiua ſolùm ſed etiam actiua, ſicut & medicina & muſica. Quemadmodum igitur oportet, medicum & muſicum, non ſolùm contemplationes ſuæ artis vtcunque percepiſſe, ſed in ipſis etiam actionibus iuxta contemplationes exercitatum eſſe, ſimiliter qui vir bonus eſt futurus, non præcepta ſolùm ad virtutem pertingentia edidiciſſe debet, verùm exercitari quoque ſecundùm ipſa, diligenter ac enixè. Etenim quo quis pacto ſtatim temperans euaderet, ſi ſolùm nouerit quod à voluptatibus vinci dedeceat, repugnandi verò nullum exercitium habeat? Aut iuſtus quomodo fieret aliquis, ſciens quidem æqualitatem eſſe diligendam non autem circa potioris partis cupiditatem fugiēdam ſe exercuerit? Item fortitudinem qui compararerit ſibi ille, qui quamuis intelligit non eſſe terribilia quæ hominum vulgò metuenda videntur, vt tamen intrepidum aduerſus ipſa ſe præſtet, exercitio nullo confirmatus eſt? Præterea quo pacto prudentes fieremus, cognoſcentes quidem quæ bona, quæ mala ſint reuera, non exerciti vero contemnere iſta quæ boni ſpeciē ſolùm referunt? Quamobrem neceſſarium eſt omnino ad doctri-*

quiores præſtiterunt, vt iam ſupra attigi, & videre etiam eſt apud Euſebium 11. præ parat. cap. 1. vbi Philoſophiæ partitio in Phyſicam, Ethicam, & Logicam (annnmerata Phyſicæ rerum diuinarum tanquam altiſſimarum cauſarum cognitione,) ex Hebræis & aliis antiquiſſimis Philoſophis traditur: Et in Platone ab Attico Platonico, & Ariſtotele Peripatetico valdè commendatur. Accedit ratio, quia diuerſitas ſcientiarum ex diuerſitate obiectorum totalium, attenta maximè ratione formali peti debet. Atqui obiectum huius ſcientiæ ſupra expoſitum, eiuſque formalis ratio longè diſſidet à ratione formali & obiecto Phyſicæ. Ergo hæ ſcientiæ ſunt prorſus diſtinctæ.

Cur tamen diſtinctionis horum habituum meminiſſe oportuerit, effecit nuperi Metaphyſici noua ſententia, qui diſp. 1. §. 53. Moralem facit Phyſicæ partem, arguméto vſus parum firmo, nempe quod actiones voluntatis quibus hæc ſcientia diſtinetur ſint fœtus animæ, quæ eſt Phyſici iuris, non minus quàm quantitas, eo quod materiam conſequatur. Id tamen author ille ex poſtrema editione expunxit. At ex eodem argumento idem opinatus eſt Pauonis diſp. 4. quæſt. 2. propoſ. 1. *in fine.* Verùm vel ex hoc ipſo quantitatis exemplo, obuium eſſe potuit, operationes voluntatis ſub alia ratione formali quàm quæ Phyſicæ propria eſt conſideratas, ſpectare ad ſcientiam peculiarem, & à Phyſica ſeiunctam. icut enim quantitas fœtus eſt materiæ, & nihilominus Mathematicis diſciplinis à Phyſica diuerſis ſubiicitur; quia ſub alia ratione formali ſpectatur à Mathematico, quàm à Phyſico: Ita quamuis operationes humanæ ex libera voluntate progerminent, nihil vetabit eas acceſſu nouæ ac peculiaris rationis formalis, ad diuerſam à Phyſica cui humana voluntas quoad ſuam naturam ſubiicitur, Philoſophiam pertinere.

Quomodo ad Synteresim.

34. Infitur ſecundò quomodo hæc ſcientia ſe habeat ad Syntheresim ſiue ad habitum primorū principiorum moralium. Sic vocamus effata quæ *irenæ, prolepſes, notiones communes, & ing neratas anticipationes, ac intelligentias*, vocabant Stoici apud Lipſium 2. manud. diſſert. 11. Patres quoque diuerſimodè ea appellant, vt notauit Petr. Soto in inſtit. p. 2. lect. 2. Habet ergo ſe hæc ſcientia ad illum habitum, ſicut habitus concluſionum in ſpeculabilibus ſe habet ad habitum ſuorum principiorum. Ac proinde ſicut iuxta veram ſententiam plenè ſuo loco confirmatam, habitus principiorum & concluſionum in ſpeculatiuis differunt & ſpecie & reipſa: Ita hic quoque ſentiendum eſt habitum moralis diſciplinæ ad habitum principiorum moralium, ſiue ad Syntheresim comparatum, re & quidditate omnino diſtingui, contra Salam 1. 2. tract. 11. d. 3. numer. 54. Hæc vt perſpiciantur nonnulla de principiis moralibus, & inclinante ad ea habitu præmittenda ſunt. Id quod etiam ad huius diſciplinæ introſpectionem momenti habere plurimum obſeruat Ariſtoteles 1. Ethic. c. 7. monens rectè applicari ad principiorum notitiam vulgatum illud ex Platone lib. 6. de leg. *Principium eſt pluſquam dimidium totius.* In quem Ariſtotelis locum Euſtratius expendit Platonem principia cum numeratio ſiue certaminis præfecto vnde origo certaminis eſt, demonſtrationes autem cum ipſis certaminibus conferentem. Denique D. Thom. qu. 11. de verit. art. 1. principia vniuerſalia vocat rationes ſubſtantiales totius cognitionis; vt neceſſarium certè ſit in hoc veſtibulo de principiis huius diſciplinæ aliqua tradere.

Quæ prima moralis diſciplinæ principia.

35. Ac primùm principia aliqua prima in hac ſcientia dari, quandoquidem eſt per ſe ſcientia, indubitatum eſt. Principiorum porro primorum ſeu indemonſtrabilium in ſcientiis duo ſunt genera: Nempe quædam ſunt vniuerſaliſſima, quædam minus vniuerſalia. Ago de principiis vniuersè, quatenus complectuntur, & *theſes*, ſeu, *poſitiones*, aut, *ſuppoſitiones*, vt Ariſtoteles nominat, notauitque Euſtratius hic lib. 1. cap. 7. & *axiomata*, ſiue, *dignitates* quibus *poſitiones*, contraponuntur 1. poſt cap. 2. Sunt enim *axiomata* generales quædam propoſitiones quæ à quouis terminos penetrante, veræ ſtatim indicantur, ob vniuerſalitatem & euidentiam ſuam. Vnde & axiomata à Stoicis primùm teſte Simplicio ad caput 58. Enchir. Epicteti dicta ſunt, iuxta illam ſignificationem huius vocis quam adhibet Ariſtoteles 3. Ethic. c. 8. vocans *axioma*, libertatem prodeundi in certamen, quam habet is qui ſæpè fœliciter pugnauit. Quare axioma idem illi eſt quod principium vltrò & vt ita dicam liberè apparens, apertáque fronte vultúque exporrecto incedens. Quo videtur recidere antiqua ex Lælio axiomatis definitio apud Gellium l. 16. c. 8. ἀποφαντὸν ὅσον ἐφ' αὑτῷ. poſitiones autem minus latè patent, nec ſemper à quouis terminos ex quibus contexuntur percipiente intelliguntur.

Duo hæc principiorum indemonſtrabilium genera, facile eſt diſtinguere in prima Philoſophia: Nam illud, *impoſſibile eſt idem eſſe & non eſſe* habet rationem dignitatis: hoc verò, *Omne habens eſſentiam eſt vnum,* habet rationem poſitionis ac theſeos. Similiter ergo in negotio morali ex principiis immediatis, & à priori indemonſtrabilibus, aliqua ſunt minus vniuerſalia, nec ita latè patentia; aliqua autem ſunt omnium vniuerſaliſſima, nempe illa: *omne bonum eſt amandum, omne malum eſt vitandum,* quæ per vniuerſum genus Philoſophiæ actiuæ fundantur, quod D. Thomas 1. 2. q. q. 94. art. 2. pulchrè confirmat ex eo quod ſicut in ſpeculabilibus primum omnino principium indemõſtrabile, eſt illud quod fundatur in ratione entis & non entis, nempe illud: *Impoſſibile eſt idem eſſe, & non eſſe;* quia ens ex quo illud principium texitur, eſt primum quod ſub intellectus apprehenſionem cadit, Ita in agibilibus primum omnino principium illud eſt quod conſtat ex terminis qui ſunt omnino primi in genere moris, ſeu qui primum cadunt ſub rationis practicæ apprehenſionem. Tales autem termini ſunt, *bonum & malum:* omne enim agens agit propter finem quia habet rationem boni; & eodem pondere fertur in mali oppoſiti declinationem. In his principiis omnes conſentire docet Epictetus apud Arrianum lib. 1. cap. 22. & l. 2. cap. 17. & l. 3. c. 26. Per ſe autem cuiuis innoteſcere & ſe habere ſicut immobile cui motus nititur, pulchrè notat D. Thomas in 2. d. 24. q. 2. art. 3. Pro diuerſa autem hominis inclinatione ad varia bona, ſuppetunt alia principia minus vniuerſalia, & magis contracta, tametſi indemonſtrabilia, & accommodata ad fundandas concluſiones practicas ex eis irreſolubiliter dediici biles.

Ad omnino prima non datur habitus, cuius proinde cum morali, collatio omittenda.

36. De illis ergo omnino primis principiis moralibus ego idem hoc loco ſtatuo, quod de primis omnino principiis ſpeculatiuis alibi dixi; nempe nullum ad ea exigi habitum. Ac proinde non eſt quod ſimus ſolliciti an ſcientia moralis quæ eſt habitus concluſionum ex principiis moralibus de-

ducibilium,

ducibilium, ab eo habitus diſtinguatur. Cur autem ad ea principia omnino prima habitum non admittam, ratio eſt euidens: ſicut enim intellectus ad illud principium, *Impoſſibile eſt idem eſſe & non eſſe*, tantopere determinatus eſt, ob ſummum principij illius ſplendorem & euidentiam, vt non poſſit in illud promptiùs aut lentiùs ferri; ſed ex quo termini innoteſcunt illico ſequatur aſſenſus ſumma cum facilitate, vnde fruſtra ad huiuſmodi principia poneretur habitus, vt rectè Palac. in 3. d. 23. diſp. 1. & Vaſq. 1. 2. d. 79. cap. 4. Ita voluntas tantoperè determinatur ad proſecutionem boni, tantóque impetu ac rapiditate in illud præcipitat, vt poſtulauerit intellectui practico eam dirigenti, immitti ſummam euidentiam & claritatem in perceptione illius omnium primi moralis principij, *omne bonum eſt amandum*, quæ ſumma euidentia neceſſitatem habitus excludit; cùm habitus deſtinetur tantum ad potentiæ ex ſe non omnino determinatæ ſegnitiem excitandam; vt ſuo loco traditur.

Atque ita diſplicent Fonſeca 9. met. cap. 5. q. 2. ſ. 1. ad 1. & Conimbr. 1. poſt cap. 1. q. 1. artic. 4. ad 2. qui ad hoc principia habitum admittunt meritóque contrarium habet D. Thom. in 3. d. 23. q. 1. artic. 4. ad 3. Videtur in hac parte nobiſcum eſſe Ariſtoteles 7. Ethic cap. 8. verbis illis. *In actionibus principium illud eſt cuius cauſa res fit, ſicut in mathematicis ſuppoſitiones: nam neque illic ratio eſt, quæ doctrinam tradit principiorum, neque hic; ſed virtus vel naturalis vel aſſuetudine comparata, rectè opinandi circa principium præceptrix eſt.* Omnia principia ratione carentia ponit, hoc eſt, immediata & indemonſtrabilia: agnoſcit tamen aliquorum, nempe vniuerſaliſſimorum, exortum à ſola virtute naturali. Sicut tamen Philoſophus illa omnino prima principia ſpeculatiua, ad quæ prima Philoſophia non inclinat, declarare & quoquo modo corroborare poteſt, vt alio loco exponitur: ita moralis quoque ſimili aliquo munere erga prima principia moralia, quantumuis vniuerſaliſſima fungi poteſt.

Pro minus vniuerſalibus, tametſi immediatis, datur habitus.

37. At pro aliis principiis moralibus, immediatis quidem, atque adeò primis, ſed tamen minus vniuerſalibus quàm ſint dignitates prædictæ, fateor admittendum eſſe habitum in eo qui principia illa repetiuerit. Id quod etiam in poſtremis verbis ex Ariſtotele paulò antè adductis ſignificatur, & meritò: Ceſſat enim pro his principiis ratio illa quam pro tollendo habitu ad priora principia facilitante adhibuimus; nempe ſumma determinatio intellectus, in præſtando illis aſſenſu, excludens vlteriorem determinationem ab habitu ſuperinducto conferendam. Sicut autem habitus ille principiorum ſpeculatiuorum immediatorum quem admiſimus dicitur intellectus, ita habitus ille primorum principiorum moralium dicitur ſyntereſis; actuum nomine tranſlato ad habitum in illos inclinantem: quamuis ea quoque appellatio ad facultatem intellectus quatenus de primis omnino iudiciis moralibus pronunciat, extendatur.

Nec eſt cur aduerſus huiuſmodi habitum quis obiiciat; ſynteréſim quàm latè patet, eſſe ita altè impreſſam vt excuti nequeat; ac proinde non eſſe aliquid aduentitium & variabile, quales ſunt habitus acquiſiti, qui non antecedunt quoſvis actus, quippe à quibus tanquam à cauſis phyſicè efficientibus inuruntur. Hoc ſi quis opponat, non difficile depelletur: Vt enim non diffitear ſynteréſim quoad vniuerſale iudicium, illis omnino primis iudiciis moralibus minus latè patens, ægre extingui in aliquo poſſe, quod vnum euincunt quæ de conſcientiæ incorruptione & perpetua remurmuratione ex S. Chryſoſtomo homil. 17. in Geneſ. inſigniterque ibid. homil. 20. & homil. 5. in 2. ad Timo. & homil. 24. in ad Hebr. & homil. 4. de Lazaro ac epiſt. 7. ad Olympiam adduci poſſunt, & alia quæ in eandem ſententiam diſputat Iacobus Brutus in corona aurea cap. de differentiis Angeli & animæ, differentia 11. Tamen rectè D. Thomas q. 16. de verit. artic. 3. & Angeſtus cap. 3. Moral. *in fine.* & latè Richardus Hallus, lib. 1. de quinque part. conſcien. cap. 5. & 6. admittunt ſæpè in iis qui à rationis regula exorbitant, præſertim cùm in profundum venerint, abſorberi rationem; ita vt vniuerſale illud iudicium non applicetur ad particulare operabile. Quod pulchrè dixit S. Diadochus libr. de perfect. cap. 18. in talibus, *mentem tribunal ſuum non agnoſcere.* Fuſiùs etiam Dorotheus doct. 3. ferè initio verbis illis. *In noſtra eſt poteſtate vel conſcientiam hanc infodere, atque obtegere; vel ſinere vt ſplendore ſuo micet, & nos illuminet; modò velimus tantarum rerum autori ac largitori credere, & certa perſuaſione illi præſtare fidem. Nam quando nobis conſcientia noſtra dicet, hoc vel illud facito, cur illam aſpernamur atque contemnimus? Ac rurſus repetit & dicit; facito illud, nec tamen hoc facimus, ſed delirantes illam conculcamus atque proſternimus. Sanè tunc illam infodimus atque obruimus. Nec iam vlteriùs præ onere illi impoſito, apertè nobis loquitur ac perſpicuè. Sed quemadmodum lucerna lucens per ſpeculum, vel per cancellos, ſic illa languidè nobis incipit prælucere, atque oſtendere quaſi omnia obſcuriora & tenebricoſiora. Ita deinde ob quandam conſtictationem, vt in aqua multo cæno turbulenta, nemo faciem ſuam intueri poſſet ſic percipere nullo pacto valebimus, quæ nobis ipſa noſtra conſcientia muſſra loquatur vſque adeò quidem vt penitùs ea carere putemur. Nemo autem eſt qui eam non habeat: nam (vt iam diximus) diuinum quiddam eſt conſcientia. Nec perit vnquam, ſed continuò ea nos admonet, & ad memoriam reuocat, quæ ad officium noſtrum pertinent. At nos eam non ſentimus, nec percipimus, eo quòd contemnimus (vt dixi) & conculcamus illam. Vnde Propheta luget Ephraim, & dicit* Præualuit Ephraim, & oppreſſit aduerſarium ſuum, & conculcauit iudicium. *Aduerſarium autem appellat conſcientiam.*

38. Ex his apparet non eſſe in intellectu circa actus de quibus agimus ſummam illam promptitudinem ac determinationem quæ habitum aduentitium ad eos eliciendos excludat. Nam actus de quibus agimus, illi ipſi ſunt quos obtenebrato ſenſim per affectus deprauatos lumine intellectus, languidiùs micare aſſerebat Dorotheus, ita vt quandoque conſcientia ad hos actus reſtricta, videatur extincta, tam altè ſterit, támque ſegniter in eos erumpit. Omnino igitur intellectus, eſt capax habitus, quoad huiuſmodi actus promptior fiat. Vnde quia huiuſmodi habitus aduentitius eſt, & non innatus, neceſſe eſt vt acceſſerit aliquando; iterumque vt decedere poſſit, ſiue per contrarios actus, iuxta ſententiam quam Angeſtus ſupra tacitè approbat; ſiue ſaltem per diuturnam ab actibus ceſſationem, iuxta ſententiam quæ habitus ſola illa feriatione expungi docet. Nunc obiter hinc diſce cuiuſmodi fuerit triumphus ille quem de proſtrata poſt duodennem reuiſum ſynteréſi, glorioſè ſibi cecinit Martinus Lutherus. Ad ſummum enim triumphus ille ſpectauit habilitatem ad actus illos minus vniuerſales de quibus agimus. Id quod ad conſtituendum à nobis circa hæc principia moralia habitum facilitatiuum confirmandum, iuuare poteſt.

Eiuſdem

Eiuſdem habitus cauſa.

Quod ſi hic habitus, eſt habitus propriè dictus, conſtat quæ ſit eius cauſa efficiens. In quo labuntur qui aiunt eum ab ipſomet intellectu progerminare: ſed non rectè, & contra Philoſophum qui 6. Ethic. numerat intellectum, id eſt, habitum principiorum aliquorum cum ſpeculatiuorum, tum moralium & practicorum, cum aliis habitibus quos per actuum frequentationem comparamus. Nec obeſt quod ait ibidem cap. 11. nempe intellectum principiorum videri eſſe à natura, quod negat ſapientiæ. Rectè enim Euſtratius ad eum locum, ita Philoſophum exponit, vt ſenſus ſit ſapientiam ſiue Metaphyſicam citra longam experientiam ſolo diſcurſu ac diſciplina comparari poſſe, intellectum autem principiorum practicorum, cum aſſuefactione acquiratur, longo vſu egere, ideoque iuueni, quod ibidem tradit Philoſophus, non poſſe competere, quamuis eidem ineſſe ſapientiam nihil vetet, quia ſapientia longam experientiam non præexigit. Quia igitur intellectus principiorum moralium abſque magiſtri opera & diſciplina, interuentu experientiæ comparari poteſt, non item ſapientia, propterea Philoſophus affirmat non ſapientiam ſed intellectum videri eſſe naturà; ſeu interuentu ſolius naturalis facultatis & operationum eius, accedente experientia. Vtrumque enim ad principiorum primorum moralium intellectum comparandum exigi, docet ibid. Ariſtoteles loco in hanc rem diligenter notando, ſed ſubobſcuro *Intellectus*, inquit de principiorum habitu agens, *vltimorum eſt in vtramque partem: primorum enim & vltimorum terminorum, intellectus eſt, non ratio Ille quidem qui in demonſtrationibus verſatur, immobiliorum & primorum, & alter qui in actionis conſiſtit vltimi; & eius quod euenire aliter atque aliter poteſt, & alterius propoſitionis. Hæc enim eius cuius cauſa aliquid eſt principia ſunt, quippe cum ex ſingularibus vniuerſalia exiſtant. quorum ſanè habere ſenſum oportet, is autem ſolus intellectus eſt.*

39 Quod affirmat de intellectu ſeu habitu primorum principiorum ſpeculatiuorum difficultate caret: Conſtat enim eum eſſe vltimorum quandoquidem nititur terminis irreſolubilibus, habetque pro motiuo connexionem ipſam terminorum ex quibus iudicium eius compingitur. Intellectus autem practicus, eſt quidem ſimiliter vltimorum, quia habet quoque iudicia à priori indemonſtrabilia & immediata: Tamen alia quoque ratione eſt vltimorum: nempe quia cum ad eum pertineant duæ præmiſſæ è quibus eruitur ſingulare dictamen prudentiæ tanquam concluſio practica; neceſſe eſt vnam ex præmiſſis illis, nempe minorem eſſe ſingularem, & ex ſingularibus atque adeo vltimis terminis conſtantem. Et ratione huius minoris, intellectum hoc loco dici à Philoſopho eſſe extremorum, obſeruat S. Thoma 2. 2. q. 49. art. 2. ad 3. Maior autem ad quam illa ſubſumitur, quamuis ſit vniuerſalis, tamen ex variis ſingularibus ſenſu perceptis formata eſt interuentu inductionis, tanquam manuductionis. Nam etiamſi inductio & experientia, ſi principia ſpectentur in ſcientia, ac prout continuantur concluſionibus, ſuntque earum quaſi ſemina, non ſit principiis pro motiuo & ratione formali aſſenſus, quia id pugnaret cum immediatione eorum & indemonſtrabilitate à priori, vt rectè vidit Scotus in 3. d. 24. q. vnica lit. K. annuente Marſilio 1. priorum q. 20. præſertim ad 2. & Fauentino 1: poſteriorum cap. ſuo 47. Tamen negari poteſt quin inductio habeat ſe vt manuductio reſpectu cognitionis huiuſmodi principiorum, vt ſic intellectus iuuetur ad exactè intelligẽdas rationes terminorum ſimplicium, quibus perſpectis intellectus ipſe, naturali lumine ſuo clarè videat terminorum illorum immediatam inter ſe connexionem, & ad aſſenſum principiorum immediatè moueatur, eò quod inductio reſpectu principiorum ſit duntaxat conditio applicans & notificans rationem formalem aſſenſus, ſeu terminos. Quò ferè modò vt obſeruat Gregor. q. 1. prologi art. 2. ad 1. Chriſtiani Theologi communiter tradunt miracula, conſenſum ſæculorum omnium, & huiuſmodi alia quæ dicuntur motiua extrinſeca fidei, non ſe habere ad actum diuinæ fidei tanquam motiua & rationes formales aſſenſus: (id enim competit ſoli diuinæ authoritati reuelanti,) ſed vt manuductiones ad verum illud motiuum huius aſſenſus. Illa igitur maior vniuerſalis ad ſyllogiſmum prudentialem pertinens, ex ſingularibus ſenſu ac inductione perceptis, ortum habuit. Et hæc eſt illa *altera propoſitio*, quam ſpectare ad habitum principiorum ait Philoſophus, in loco quem expendimus. Atque ita intellectus practicus omni ex parte, eſt vltimorum, & in ſenſum vndecunque deſinit, vt Ariſtoteles rectè affirmabat prædicto loco. Tantùm verò abeſt vt ibi habitum primorum principiorum practicorum à natura nobis inſitum eſſe velit, quod in ſpeciem affirmare videbatur, vt potius disertè concedat eum interuentu, experientiæ & actuum comparari, ideòque neget ineſſe iuuenibus, quia diuturna experientia & longa actuum frequentatione deſtituuntur.

Non igitur intellectui ingenitus eſt, alioqui iam ab initio perfectionem ſuam obtineret, & par eſſet in omnibus intellectus lumine præditis: ſed vſu & exercitatione comparatur, nec perfectè habetur niſi frequentatis actibus. Vnico autem actu quod malè cenſuit Rubionius in 3. diſt. 35. q. 2. art. 1. non obtinetur in ſtatu perfecto, ſi actus ſit vulgaris & remiſſus. Aliquando tamen hic habitus naturalis dicitur, quia actus quibus innititur, non comparantur per diſcurſum ſed immediatè ab ipſo naturali lumine prõfluũt: ægriùs tamen ac difficiliùs ante comparatum habitum quàm poſt eius adeptionem, vt notat Ferrar. 2. contra gentes c. 75. & 78.

Differt à Morali, cum reipſa, tum ſpecie.

40 Sic conſtituta habitus principiorum moralium non vniuerſaliſſimorum entitate atque natura, abſolutè, & in ſe ſpectata, quam attingi oportuit, vt conſtaret quomodo ad habitum huius ſcientiæ ſe haberet. Affirmandum eſt hos habitus ab inuicem reipſa & ſpecie diſtingui, vt aſſerebam. Et ratio eſt perſpicua. Nam vt ſe habet actus concluſionis moralis ad principium ſynthereſeos ex quo eruitur; ita habitus ad eam concluſionem facilitans, ad habitum quo facilitamur in formatione principij illius ſynthereſeos: proportio enim eſt omninò clara, nec aliter in ſpeculatiuis diſtinctionem habitus concluſionum & habitus principiorum confirmamus quam Ariſtoteles vbique admittit; & manifeſta ratio ex diuerſis vtriuſque ſpecificatiuis ducta aſtruit. Atqui actus concluſionis, & re, & ſpecie differt à præmiſſis: cauſatur enim ab eis, & cùm cõcluſio habeat pro motiuo ipſas præmiſſas, præmiſſæ tamen longè aliud motiuum habẽt, nempe veritatem incomplexam terminorum, ſimplici tantum apprehenſione perceptam, vnde principiis propter ſe aſſentimur; concluſioni verò propter principia: Ergo habitus quoque actibus illis reſpondentes, & re, & ſpecie differunt. Quæ eſt ratiocinatio Gregorij q. 3. prologi art. 1. concl. 3. ratione 3. ad 1. Ochami contra eandem concluſionem: nam vt patet ex ſolutione ad ſecundum principale, agit de diuerſitate tã numerica quã ſpecifica; ac proinde & diſtinctionẽ à parte rei & eſſentialẽ inter duos illos habitus ponit.

Diſtinctionem Porrò ſpecificam intelligo diſtinctionem in eſſentia, quæ ſimpliciter & abſque addito dicitur diſtinctio ſpecifica. Quod addo propter Aquaſinam qui.q. 3. prol. concl. 1. ait habitum principiorum & ſcientiam illis nitentem, non differre ſpecie cognoſcibilitatis, ſed ſpecie virtutis. Quam diſtinctionem repudio, quia reuera caret cognoſcibilitare, nec videtur cohærere cum illis quæ idem auctor ibid. concl. 3. habet. Et ſanè cognoſcibilitas illa quæ eſt denominatio refuſa à cognitione, eſt inepta ad habituum cognoſcitiuorum conſtitutionem vel diſtinctionem, vt alibi diſputatur contra opinionem falsò tributam Caietano: Cùm enim refundatur à notitia, & hæc ſupponat ſuum ſpecificatiuum, à quo etiam ſpecificari poteſt habitus, falſum eſt talem cognoſcibilitatem ſpectandam eſſe ad inuehendam diſtinctionem vel identitatem actuum aut habituum cognoſcitiuorum. Cognoſcibilitas verò actiua, vt vocant, ſi ſit eadem in obiectis, conferet habitibus cognoſcitiuis circa ea verſantibus, identitatem in ſpecie virtutis intellectualis, atque adeo eſſentialem.

Quomodo Moralis philoſophia ad Prudentiam ſe habeat.

41 Infertur tertiò quo modo habitus moralis Philoſophiæ ſe habeat ad prudentiam, in qua comparatione variant ſententiæ. Non pauci ſiquidem contendunt hos habitus diuerſos eſſe. Quod latè confirmat Æneas Syluius epiſt. 104. problem. 1. eo duntaxat argumento quod prudentia actiua eſt, bonóſque efficit eos quibus ineſt: moralis non item. Quam multi enim Curios Philoſophicè agunt, & Bacchanalia viuunt; Idque idem autor de Salomone confirmat, quem conſtat fuiſſe moralem Philoſophum longè perfectiſſimum, in quam etiam rem legendus Pineda lib. 3. de reb. Salom. c. 24. & 25. Et tamen *ſtultiſſimus fuit viuorum*, vitæque profligatiſſimæ, quæ defiuiſſe prudentiam dubitare non ſinit: ex lumine namque prudentiæ calor in affectum deriuatus eſſet. Aliud argumentum pro diſtinctione horum habituum in illa Æneæ longiore diſputatione non deprehendo: Addi tamen poteſt authoritas Ariſtotelis qui 6. Ethic. numerat prudentiam tãquam habitum intellectiuum à ſcientia diſtinctum, Prætereca argumentatur Ioan. de Celaya 6. Ethic. c. 5. q. 1. quia prudentia verſatur tantùm circa ſingularia, moralis autem Philoſophia ſolis vniuerſalibus diſtinetur.

Malè ſecernuntur.

41. Nihilominùs exiſtimo iuxta ea quæ de hoc habitu hactenus conſtituta ſunt, fatendum eſſe eum à prudentia non diſtingui. Ita Mayro in 3. d. 33. q. 1. art. 12. ac benè multi quos allegat & ſequitur Salas 1. 2. tract. 11. d. 3. num. 54. Itèmque alij quos refert Tartar. 9. Ethic. q. 7. qui eis item ſubſcribit, vt conſtabit attendenti non concluſionem, ſed rationes. Idem ex Scoto eruit. & probabile iudicat Henricus Krosbein 6. Ethic. tract. 2. q. 3. dub. Et videtur ſententia Ariſtotelis 6. Ethic. c. 8. affirmantis prudentiam & politicam eſſe eundem habitum, licet addat non eſſe ipſis eandam eſſentiam. Præiuerat Ariſtoteli Plato vt eſt apud Apuleium libro de Philoſophia *ſub medium*. Et idem docuiſſe Stoicos author eſt Sextus Empyricus in opere aduerſus mathemat. lib. 10. in examine Ethices cap. *an vita agenda ſit ars aliqua.* Annuit D. Thomas. 2. 2. q. 47. art. 11. ad. 1. ſi agatur de prudentia quæ ad bonum commune ordinatur. Quidni verò ſimiliter prudentia reſpiciens bonum priuatum aut bonum familiæ, conſtituatur idem habitus cum morali monaſtica, aut œconomica? Prætere argumentatur Burid. 6. Ethic. qu. 7. ex eo quod Ariſtoteles 6. Ethic. habet hæc verba. *Non vniuerſalium tantùm prudentia eſt ſed opus eſt vt ſingula cognoſcat: eſt enim actio ſingularium,* Quibus verbis ſignificare videtur prudentiam & ad vniuerſales, & ad ſingulares concluſiones inclinare. Hic tamen poſterior locus eludi facere poſſet ab aduerſariis dicendo philoſophum ibi non aſſerere prudentiam eſſe vniuerſalium duntaxat, quaſi non ſiſtat in eis ſed ad ſingularia quoque excurrat, verùm aſſerere non eſſe vniuerſalium vllo modo, ac proinde ius in concluſiones vniuerſales, ad ſolam moralem ſcientiam pertinere. Itaque priore tantum Philoſophi loco intentum confirmo.

Adiungo etiam rationem, quia ſi quæ poſſet aſſignari diiſtinctio inter moralem ſcientiam & prudentiam, nnn aliunde peteretur quàm ex eò quod prudentia reſpicit tantum concluſionem ſingularem; dictat enim de actione hic & nunc elicienda: Moralis verò non reſpicit actum ſingularem, ſed tantum generatim, & in communi ſumptum. Inde enim, non aliunde Scotus q. 4. prologi ad 2. prima quæſt. *littera B b*, & in 3. d. 36. q. vnica *littera Ff*, in fine. Ioannes de Celaya ſuprà, & Gregor. q. 5. prologi artic. 2. in fine, ac quidam alij apud Gilbertum 6. Ethic. tract. 2. q. 4. dub. 3. prudentiam à morâli ſecernunt. Atqui inde non poteſt peti diſtinctio horum habituum, vt iidem etiam autores rectè fatentur: Nã vnus & idem habitus ſufficere poteſt ad vtrumque illud munus. Sicut idem habitus qui præcipit de ſyllogiſmo in communi, præcipit quoque quomodo idem ſyllogyſmus fabricandus ſit in hac aut illa ſingulari materia. Nimirum quemadmodum dictamina illa quorum vnum eſt vniuerſale, alterum ſingulare, non ſunt eſſentialiter diuerſa: ita habitus quos inurunt, diuerſitate illa carent. Imo quamuis inter actus ſit numerica & materialis diuerſitas, quia diuerſo tempore eliciuntur, habéntque numerica illius diſtinctionis ſufficientia principia. Tamen habitus per vtrumque inuſti, coaleſcunt in vnam qualitatẽ, quæ ſecundùm ſe totam æquè eſt inclinatiua ad vniuerſale ac ad particulare dictamen: nec vlla eſt in vno iudicio difficultas, quæ non ſit in alio, ac proinde ambæ eadem qualitate facilitante ſine habitu ſuperari poſſunt. Non enim quod in materia virtutum puè moralium contingit hic quoque locum habet, nempe vt longè maior ſit difficultas operandi circa ſibgularem materiam; minor autem, vel etiam nulla circa eandem abſtractam: Nam id ex renisu potentiarum inferiorum ſingularem tantum materiam attingentium, ortum habet: Indéque fit vt cum voluntas ad ſingularem virtutis operationem ſe accingit, rebellet appetitus, quia ſuum ſibi pabulum ſubtrahi queritur. Phantaſiæ autem, quæ ad intellectum ſe habet vt appetitus ad voluntatem, nihil incommodat quod intellectus vel in communi vel in ſingulari de bono honeſto pronunciet. Vnde ex parte intellectus non plus in vno iudicio, quam in alio formando difficultatis occurrit, & vtraque meritò aſſeritur ſuperabilis per vnum habitum, qui inadæque ſpectatus, modò prudentia, modò ſcientia moralis dicatur. Nempe moralis præcisè prout elicit concluſiones vniuerſales; prudentia verò prout dictat quid ſit agendum hic & nunc. Quod voluit Ariſtoteles, cùm dixit prudentiam & moralem ita eſſe vnum habitum, vt tamen eſſentia diſcrepent.

Ad

Ad rationes num. 41. propoſitas.

44. Argumentum in contrium ex Ænea Syluio propoſitum, nullius eſt momenti. Nam non modò prudentia, ſed etiam moralis Philoſophia actiua eſt, eóque nomine hanc Philoſophiæ ſpeciem à ſpeculatiua ſæpe ſecernit Philoſophus, vt ſupra vidimus. Quod item prudentia dicitur facere hominem bonum, non moralis, falſum ſimiliter eſt: Neutra enim per ſe efficit hominem bonum, ſed tantum prælucendo & oſtendendo quid facto opus ſit vt culpa declinetur, & homo benè ac conformiter ad dictamen operando, efficiatur bonus ſi lubeat: Multi enim quia vident quidem meliora, probántque, & tamen deteriora ſequuntur cadentes, vt ille de ſe profitebatur, apertos habent oculos: Nimirum quia concluſioni vniuerſali ad moralem pectanti addenda eſſet particularis concluſio, actionis domina vt Ariſtoteles ſæpe loquitur. Deberet enim ſub maiore quæ eſt concluſio vniuerſalis ſcientiæ, ſumi minor particularis, exhibens materiam ſingularem; & ſic deſcenſu facto per hanc minorem, vniretur ad operationem, quæ concluſionem particularem huic minori ſubiunctam, id eſt, prudentiæ actum conſequeretur. Hanc autem minorem, quod optimè tradit Epictetus apud Arria. lib. 3. c. 26. at quæ adeo etiam concluſioné ſingularem adhibere refugit quipramus eſt. Et idcirco mirum non eſt pleróſque prauos, eſſe aliquãdo bonos morales Philoſophos, vt raciocinatur Zabarella l. 2. de natur. logic. c. 14. nimirum priuſquam prudentiam lædant malè operando. At cum malæ operationi imprudens iudicium præmittunt, quo prudentia violatur, conſequenter etiam moralem ſcientiam lædunt, quæ id ipſum vniuerſaliter dictat, quod prudentia in ſingulari præſcribit. Itaque qua ratione prudentia hominem bonum efficit, vitam monſtrando & dirigendo; eadem quoque moralis Philoſophia id præſtat, nec vllius eſt prudentiæ ad virtutem vſus, quia à morali itidem non proficiſcatur, & cuicunque prudentia ineſt vel deeſt, ineſt quoque vel deeſt morum ſcientia. Tandem non refert quod Ariſtoteles numerauit prudentiam tanquam habitum intellectiuum à ſcientia diſtinctum: Reſpexit enim ad illam quam dixi inadæquatam conſiderationem, ob quam idem habitus numerari poteſt quaſi duplex. Qua eadem ex cauſa ſapientiam & artem recenſuit tanquam habitus à ſcientia diuerſos; quamuis conſtet eas poſſe concurrere in eundem habitum cum ſcientia.

Comparantur Moralis, & Iuriſprudentia

45 Infertur quartò quomodo moralis ad Iuriſperitiam ſe habeat. Qua in re video receptam apud pleróſque ſententiam ferre moralem ſcientiam & Iuriſperitiam ſe habere vt ſcientias ſubalternas. Nempe Moralem locum ſubalternitatis, & Iuriſprudentiam locum ſubalternatæ tenere. Ita Salas 1. 2. tract. 14. *initio* adducens Tullium 1. de legib. affirmantem iuris diſciplinam ex intimis Philoſophiæ (vtique Moralis eſſe hauriendam. Nimirum propter ſubalternationem & ſubordinationem vnius ad aliam. Eandem ſubalternationem agnoſcit Picolom. in introduct. c. 10. & Angeſtus lib. 1. de virtutibus in prologo (Angeſti enim opus eſt non Plagiarij, cuius nomine opus illud vulgatum, legitur de quo grauiter poſtea Angeſtus in 2. editione expoſtulauit.) Inferunt autem ex ea doctrina hi Doctores, rationem ferendarum legum, ex hac diſciplina eſſe petendam; grauitérque hallucinari eos qui Moralis Philoſophiæ rudes, ad ius ciuile addiſcendum accedunt; Quos perinde facere aiunt ac eos qui conſectantur riuulum neglecto fonte, vel qui ambulant ſine prænotione finis in quem tendunt, quæ eſt abſona ſine dubio & incondita agendi ratio. Itaque concludunt quemadmodum in cæteris diſciplinis ſubalternis ea quæ alteri ſubiungitur, ſi per ſe ſumatur & abſque continuatione ad ſubalternantem, à qua mendicat ſua principia, vt pulcherrimè tradit Seneca epiſt. 88. non meretur nomen ſcientiæ; ita Iuriſprudentiam è ſcientiarum numero expungendam eſſe, nec niſi leuiſſimæ peritiæ nomine donandam, ſi à Morali auellatur. Idem ait & ex aliquibus iuribus confirmat Conſtantinus Rogerius tract. de ſum. bono in præfat. 1. & 2. Soto q. 3. proœmia. Log. & Ocham quod l. 2. q. 14. At Zabarella lib. de naturalis ſcientiæ conſtituitur c. 33. Iuriſperitiam quam ipſe appellat iudiciariam, ita deprimit vt neget mereri rationem vel ſcientiæ, vel prudentiæ, vel artis, cùm ſine ratione ſit. Aitque eſſe ſimplicẽ quandam perititiã, quam calere quis poſſit abſque vlla Moralis ſcientiæ cognitione, vultque ita ſe habere ad legiſlatoriam ſicut ad medicinam Empyrica. Quæ cùm rationem ignoret non poteſt dici ars aut ſcientia: his enim certa principiorum notitia ſiue ratio præſupponitur, vt affirmat Plato in Gorgia.

Malè dicuntur ſubalternari.

46. Ego in hac re in primis nego Iuriſprudentiam eſſe propriè ſubalternatam morali Philoſophiæ. Propria enim ſublternatio vt alibi traditur, non conſiſtit in quauis ſcientiarum inter ſe affinitate: ſic enim omnes ſcientiæ eſſent ſubalternæ, quia poſſumus de ſcientiis affirmare quod Tertull. de artibus dixit l. de idolatria. *Nulla ars nulla alterius artis aut mater aut propinqua eſt.* Itaque quamuis Moralis & Iuriſprudentia affines videantur, tamen aliud aliquid ad ſubalternationem quærendum eſt, nempe obiecti vnius ſubiunctio & ſubordinatio ad obiectum alterius; & quidem talis quæ longè differat ab ea obiectorum ſubordinatione quæ attenditur inter obiecta ſe habentia ad inuicem, vt ſuperius & inferius, vt rectè notat Durandus q. 7. prol. n. 8. Nam eadem eſt ſcientia generis & ſpeciei, animalis & hominis ex 4. metaphyſ. t. 4. ea ergo obiectorum ſubordinatio ſubalternationé ſcientiarum conſtituit, quæ exurgit ex additione differentiæ alicuius ſenſibilis, facta ad *rationem formalem quæ*, ſubalternantis, vt pleniùs explicat Zabar. lib. de tribus præcog. c. 12. & Gillius lib. 1. tract. 6. c. 5. & 6. Hoc autem non cernitur inter Iuriſprudentiam & Moralem Philoſophiam; ſed ad ſummum obiecta earum videri poſſent ſe habere vt ſuperius & inferius, ſiue vt vniuerſale & ſingulare, eo quod de iis ipſis rebus vniuerſim pronunciet Moralis Philoſophia, quas Iuriſprudẽtia ſigillatim attingit. Oſtẽdi autem hanc obiectorum ſubordinationem nó ſufficere ad ſubalternationem habituum circa obiecta illa occupatorum.

Iuriſprudentia eſt portio Philoſophiæ Moralis

47. Addo deinde iuriſprudentiam propriè non ſubeſſe aliter Morali Philoſophiæ, quàm partem toti. Eſt enim Iuriſprudentia portio quædam Philoſophiæ moralis, quod patet, quia oſtendimus prudentiam eundem habitum eſſe cum Morali Philoſophia Iuriſprudentia autem, vt ipſa vox declarat, nihil eſt aliud quàm partialis quædam prudentia; Nempe illa quæ ſtatuit de conſeruatione aut reparatione iuris alieni. Sicut enim prudentia aliis virtutibus prælucet, ita iuſtitiam quoque dirigit, præſcribens quid cuique reddendum ſit, vt ius eius ſartum maneat. Hoc autem eſt totum & vnicum munus Iuriſprudentiæ;

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

dentiæ; ac proinde non aliter morali Philoſophiæ ſubiacet quam prudentia, cuius eſt portio quædam. Mirari verò ſatis non poſſum, quid in mentem venerit Polletto lib. 2. fori Roma c. 3. vt tanquam exploratum ſtatueret, Iuriſprudentiam eſſe ſpeciem iuſtitiæ diſtributiuæ, quò nihil alienius à natura habitus intellectualis, (cuiuſmodi eſt Iuriſprudentia,) proferri potuit & planè in contrarium eſt, communiſſima ſententia. Diſertè ſanè Aureolus q. 1. prologi *in reſponſione ad obiecta quarto loco.* Baptiſta Poſſeuinus dial. 4. de honore, & Bannes in prologo ad quæſtiones de iuſtitia & iure concl. 2. agnoſcunt Iuriſperitiam, eſſe partem Moralis Philoſophiæ. Idem habet Euphrates Philoſophus apud Plinium lib. 1, epiſt. 10. Dyoniſius Halicarnaſſ. in Iſocr. qui ciuilis iuris ſcientiam nominat *veram Philoſophiam.* Conſentit Vlpianus relatus initio digeſtorum dicens iuris ciuilis ſciétiam, eſſe *veriſſimam Philoſophiam.* Fauétque Ariſtoteles in calce 1 . Ethic. affirmans rationem ferendi leges ad hanc ſcientiam pertinere. Eodem quippè habitu Legiſlator legem ſancit, & Iuriſconſultus ex ea pronunciat hic & nunc præſtandum eſſe hoc aut illud. Addit tamen Aureolus hoc valere tantum in iis quæ ex æquitate & ex natura rei firmitatem habent: in iis autem quæ ſunt iuris merè poſitiui, affirmat Iuriſperitiam non eſſe propriè ſcientiam, ſed eſſe meram legum recordationem. Quo reſpexiſſe etiam videtur Ocham ſupra: Iuriſprudentiam quam ſcientiam eſſe negat, vocans Moralem poſitiuam. Sed hæc limitatio non placet quia etiam ius poſitiuum (quod quidem verum ius ſit) reducitur ad aliquid ex natura rei firmum, cui niti poterit certa ac demonſtratiua notitia, vt intelligetur ex dicendis de iuſtitia & lege. & latiſſimè confirmat Chaſſan. part. 10. Catal. conſiderat 18.

48. Porrò hinc non minus habetur quàm præpoſtere aliquid legum peritiam abſque Morali Philoſophia tentent addiſcere: ita enim ſecum cohærent partes vnius ſcientiæ, vt qui vnam abſque alia quærit, neutram plenè ſit aſſecuturus; præſertim cum in vna variarum illarum partium multa tradantur, ex quibus reliqua pendent, vt hîc contingit. Et ideo vſum antiquum fuiſſe, vt Philoſophiæ cognitio ſtudium legum præcederet, habetur apud Zachariam Mitylenæum initio diſputationis de mundi æternitate. Quod de Philoſophia præſertim morali, vel etiam de ea ſola intelligendum eſt. Nec dubitauit Ioannes Sturmius lib. de literarum ludis rectè aperiendis, §. *quæ lectiones In ſſperito, &c. audiendæ*, pronunciare indignum Iuriſperiti nomine, qui ignoret Moralem Philoſophiam. Imò eſſe multò minùs Ciuilem Philoſophum ſiue Iuriſperitum, quàm qui apud Medicos Empyrici locantur, ſiue reuera Medici ſit, & è ex eodem fundamento intulit Picolom. gradu 5. cap. 3.

§. V.

Idoneus moralis ſcientiæ Doctor & Auditor.

PRæter illa quæ ex natura huius ſcientiæ in ſuperioribus expoſita, hactenus intulimus, ſunt alia quædam partim ad huius diſciplinæ magiſtrum, partim ad eiuſdem auditorem, & modum ac ordinem ab vtroque tenendum ſpectantia, quæ quia ſuperioribus pleriſque lucem aliquam afferunt, & ab Ariſtotele prætermiſſa non ſunt, iuuat attingere. De Doctore & Auditore nunc dicam, de altero puncto poſtea.

Morum Magiſter factis æquè ac verbis doceat.

49. In Doctore, quem repertu arduum pronunciat Max. Tyrius diſſert. 37. num. 218. illud in primis deſideret ipſemet Philoſophus 10. Ethic. cap. 9. vt quandoquidem hæc ſcientia actiua eſt, nec cognitionem ſolam quærit, eam ipſe non ex nuda lectione & contemplatione veritatum moralium; ſed vſu ipſarum & exercitatione edoctus, tradere enitatur: Contrarium vitiosè in aliis ſcientiis potentiis (vt Philoſophus iuxta antiquam interpretationem loquitur) hoc autem loco inſigni cum damno & culpa fieret. Vocat Philoſophus *ſcientias potentias*, ſcientias practicas vt ibi rectè expoſuit D. Thom. lect. 16. Scientiæ enim dicuntur, quia actus earum ſunt notitiæ quædam. Potentiæ verò appellantur quia ſunt operationum principia. Perperam enim Albertus l. 1. Ethic. tract. 3. c. 1. ſcientias potentias dici putat, ſcientias de ente potentiali & non neceſſario; quod neque cum vera ratione ſcientiæ, neque cum Philoſophi mente cohæret. Fateor tamen Alberto præiuiſſet Euſtratium 1. Ethic. c. 1. ſub finem, & rurſus cap. 2. In huiuſmodi ergo ſcientiis omnibus, peritia ex vſu potius quam aliunde colligenda eſt, ne plerumque verba nihil præter inanem ſtrepitum aut bombum contineant, & ſine ſcopo ac fine temerè iactentur; quippe ad vſum non accommodata, quia ex eo hauſta non fuerint.

Accedit quòd *dicta* vt eſt apud Tertull. lib. de patient. c. 1. *factis deficientibus erubeſcunt*, nec modicum eſt magiſtri probrum, (quod item in doctrinam redundat (cùm Doctor à ſemetipſo diſſidens, aliud docere, aliud agere deprehenditur. Egregie omninò Lactantius l. 4. c. 23. agens de magiſtris vitam & mores aliorum fingentibus. *Si bona, inquit, ſunt quæ præcipiuntur ſi vitam hominum in optimo ſtatu collocant, non ſe debet ipſe præceptor à num ro cœtuque hominum ſegregare. inter quos agit. Et ipſi eodem modo viuendum eſt quo docet eſſe viuendum: ne ſi aliter vixerit ipſe præceptis ſuis fidem detrahat leuioremque doctrinam ſuam faciat ſi re ipſa refoluat, quod verbis nitatur inſtruere. Vnuſquiſque enim, cum audit præcipientem non vult imponi ſibi neceſſitatem parendi, tanquam ſibi ius libertatis adimatur Reſpondebit itaque Doctori hoc modo. Non poſſum facere quæ iubes quoniam ſunt impoſſibilia Vetas me iraſci, vetas cupere, vetas libidine cōmoueri, vetas dolorē vel mortem timere. Sed hoc adeo contra naturam eſt, vt his affectibus animalia vniuerſa ſubiecta ſint. Vel ſi adeo repugnari putas poſſe naturæ, & tu ipſe quæ præcipis fac, vt ſciam fieri poſſe Cum autem ipſe non facias, quæ inſolentia eſt, vt homini libero imponere velis leges quibus ipſe non pareas? Prius diſce qui doces & antequam mores alienos corrigas, tuos corrige Quis neget iuſtam eſſe hanc reſponſionem Quinetiam in contemptum veniet huiuſmodi Doctor, & deludetur viciſſim quia videtur & ipſe deludere Quid ergo faciet ille Præceptor. ſi hæc ei fuerint oppoſita? Quomodo adimet excuſationem contumacibus, niſi ut præſentibus factis doceat, ſe poſſibilia docere? Inde euenit vt Philoſophorum præceptis nullus obtemperet Homines enim malunt exempla quàm verba quia loqui facile eſt, præſtare difficile. Vtinam quidem tam multi bene facerent, quam multi loquuntur benè. Sed qui præcipiunt, nec faciunt, abeſt ab iis fides.* Nimirum quia præcepta factis diſſonant.

Contaminari inde ſanè pulchritudinem dogmatum confirmat Philo libro quod deterius potiori inſidietur, ad illud. *Ecce Aaron frater tuus.* Addens hæc ipſa ex cauſa in quadam optimè inſtituta ciuitate (Lacedæmonem eſſe docet Plutarchus lib. de auditoris officio n. 7. & Iſid. Peluſiota lib. 3. epiſt. 252.) non

probatæ

probatæ vitæ cinem, prohibitum honeſtam ac vtilem ſententiam promere per ſeipſum; ſed iuſſum apud honeſtum virum eam deponere, qui tanquam mentis ſuæ partum illam proponeret, ne doctrina vtilis, autoris prauitate fructu ſuo careret, & tanquam canalis vitium contrahens, iis ad quos permaneret, inuiſa fieret. Et vt hoc incommodum non vrgeret, abſonum profectò & omninò incongruum eſt dicta factis euertere, ac vt Plato apud Stobæum in Eclogis Ethicis cap. 1 ſcitè aiebat, mentem in lingua ferre.

Aduersùs Morum magiſtros qui dicunt & non faciunt.

50. Ex hoc capite plerique apud Senecam lib. de vita beata cap. 17. Philoſophiam conſtrarunt iam olim Epictetus item apud Arrianum lib. 2. c. 19. ſui temporis morales Philoſophos inſectatur, tanquam qui, vt ait, laruam ſibi Philoſophicam imponerent; reuera autem nihil minus quàm Philoſophi eſſent: quo loco prolato, Græculum Stoicum, oratione tenus Philoſophum quantoperè pudefecerit Herodes Atticus, legeſis apud Agell. l. 1. c. 2. Iiſdem lib. 3. cap. 16. exprobat hanc eſſe cauſam cur imperiti, (ipſi inquam funambuli & præſtigiatores quos item Philoſophiā ementitos prodit eodem l. c. 12.) plus valerent apud auditores quam Philoſophi. *Quia videlicet ipſi*, inquit, *putidu hac ex animi ſui ſententia proferunt; vos autem erudita veſtra, duntaxat labiis enunciatis. Quare inefficacia ſunt & mortua; oſcitabundique auſcultant qui vos audiunt adhortantes, veſtramque illam ærumnoſam virtutem quæ fama ſurſque déque celebrari conſueuit. Ita fit vt ab indoctis ſuperemini.* Rurſuſque libro 4. cap. 5. quod in Lacedæmonios olim iactatum, *Domi leones eſſe, Ephesi autem vulpes*, intorquet in morales huiuſmodi Philoſophaſtros, dicens, *eos quoque in ſcholis leones eſſe, extra ſcholam vulpes.* Sed nihil addi poteſt ad ea quæ ex eodem Epicteto in hanc ſententiam contra iſtos (vt nominat) *dictorum tenus Philoſophos*, referuntur ab Agellio lib. 17. c. 19. apud quem etiam l. 18. c. 7. Domeſtius ex Catone verbales hoſce philoſophos, vocat mera gloſſaria. Denique apud eũdẽ Arrianum lib. 4. c. 8. grauiter queritur Epictetus, qui huiuſmodi ſunt, Philoſophos haberi, qui à Philoſophiæ norma ita deſciſcant: Inde enim fieri vt culpetur Philoſophia cùm id aduertitur; rurſúſque hanc eſſe cauſam cur apud pleróſque peſſimè audiret Philoſophia, expoſtulat l. 3. c. 21. Querela planè gemina ei quam obſimiliter malè apud vulgus audientem Eccleſiaſticum ordinem, vel Chriſtianum nomen, cùm ex eo vnus aliquis labitur; ingeminant frequenter Patres, adducendi cum de refuſione priuati probri in totum aliquod corpus.

51. Sed reuenio ad rem noſtram eámque virtutum, huiúſque diſciplinæ vniuerſæ expreſſionem quā in eius Doctore poſtulamus. Circa quam plerique Ethnici apud Lactantium l. 3. c. 15. multis queruntur. *Quis eſt tandem*, ait Lactantius, *qui non videat eos omnes, virtutis qua ipſi egent, non eſſe Doctores: Nam ſi quis mores eorum diligenter inquirat, inueniet iracundos, cupidos, libidinoſos, arrogantes, proteruos, & ſub obtentum ſapientiæ, ſua vitia celant; domi facientes ea quæ in ſcholis arguiſſent. Mentior fortaſſe accuſandi gratia. Nonne id ipſum Tullius & fatetur & queritur! Quotus quiſque*, inquit, *Philoſophorum inuenitur qui ſit ita moratus, ita animo & vita conſtitutus, vt ratio poſtulat? Qui diſciplinam ſuam, non oſtentationem ſcientiæ, ſed legem vitæ putet qui obtemperet ipſe ſibi & decretis pareat ſuis? Videre licet alios tantæ leuitatis & iactationis, vt his fuerit non didiciſſe melius: Alios pecuniæ cupidos, alios gloriæ, multos libidinum ſeruos, vt cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio. Nepos quoque Cornelius ad eundem Ciceronem ita ſcribit. Tantùm abeſt vt ego magiſtram putem eſſe vitæ Philoſophiam, beatæque vitæ perfectricem, vt nullis magis exiſtimem eſſe opus magiſtris viuendi, quàm pleriſque qui in ea diſputando verſantur. Video enim magnam partem eorum qui in ſcholis de pudore, de continentia præcipiant argutiſſimè, eoſdem in omnium libidinum cupiditatibus viuere. Item Seneca in exhortationibus: Plerique, inquit, Philoſophorum tales ſunt, diſerti in conuicium ſuum, quos ſi audias in auaritiam, in libidinem, in ambitionem perorantes, in indicium ſui profeſſos putes: adeo redundant ad ipſos maledicta in publicum miſſa; quos non aliter intueri decet, quàm medicos, quorum titulis remedia habent, pyxides venena. Quoſdam verò nec pudor vitiorum tenet, ſed patrocinia turpitudini ſuæ fingunt, vt etiam honeſtè peccare videantur.* Sic Lactantius ex ipſis Ethnicis.

Querela de præproperis, ideóque labiorum tenus, morum Doctoribus.

52. Spectant huc quoque aliæ querelæ, quas laudatus ſupra Epictetus ciet aduersùs præproperos nonnullos Philoſophiæ morum Magiſtros, qui nondum ſubactis affectibus ſuis, nec virtutum exercitio adhuc aſſueti; tantum quia ſpeculatiuè callent aliqua ad hanc ſcientiam pertinentia, geſtiunt Doctorum munus ſuſcipere. Optimè apud Arrianum l. 3. c. 13: in fine; *Si quidem rectè appetieris, in te nimirum ipſa habebis bonum, cuius ſis appetens. At iſta ordine non fiunt. Statim enim vt ſapientes viuere volumus, & prodeſſe hominibus. Quonam commodo, aut quid faciens, tibi quoque ipſi profueris? An hortari & inſtigare eos vis? Tu hortaris, tu prodeſſe his ſtudes? Oſtende ipſis tuo exẽplo quales faciat Philoſophia, & ne garrias inutiliter. Comedens ipſe comminus prodeſſe, & bibens bibentibus hortator eſſe velis. Concedens omnibus, indulgens, tolerdſque, ita nimirum profueris hominibus & ne pituitam tuam conſpuito, aut transfundito in illos.* Eodem lib. 3. c. 16. informans nouitios Philoſophos, ita monet: *Donec radices in vobis egerint præclaræ ſententiæ & ex iis robur quoddam conciliatum vobis fuerit ad vitãdum periculum, conſilium do vobis vt circumſpectè cum indoctis verſemini*, non affectantes ſcilicet Magiſtri eſſe ante tempus, eóſque docere nondum ipſi ſatis probati ac firmati in virtutis doctrina & vſu. *Quod ſi non feceritis quotidie tanquam ceræ in ſole colliqueſcent illa veſtra quæ audiendo in ſcholis veſtris conſcripſiſtis animis. Procul igitur hinc à Sole diſcedite, quoad in vobis cereas nimirum habueritis opiniones.* Idem lib. 4. cap. 8: *Nunc aliud nihil fit quàm vt admoneantur Philoſophia, vt ſi qui infirmo ſunt ſtomacho ad eſcam aliquam quam paulò poſt iterum euomant. Feſtinant ad ſceptrum ad regnum, emiſit comam, accepit pallium: humerum oſtentat nudum, cum obuiis rixatur etiamſi quem lacerna indutũ conſpicatus fuerit. Rebus aduerſis primùm te exerce, tuos obſerua appetitus, ne ſis affectus vt hi qui imbecille ſunt ventriculo; vel vt mulierculæ grauidæ prauum habeat appetitum. Da operam primùm, vt qui ſis ignorere. Aliquantulo tempore tecum ipſe philoſophare ita efflareſcet fructus. Semen primò recondi oportet & aliquandiu ſub ſulcis occultari; deinde paulatim ſuccreſcere, donec ad maturitatem perueniat. Quod ſi ſpicam culmo nondum geniculato proferat, imperfectum eſt quod naſcitur, & ſpecie magis delectat, quam fructu, vt ſunt ex Adonidis horto petita. Huiuſmodi plantula tu quoque es: citius enim quam oporteat effloruiſti, hyems te perimet. En de ſeminibus, vt loquuntur agricolæ, ſi calores ante tempus efferbuerint, iis ne luxurient ſemina metuunt. Deinde ſi ſemel pruina infeſtarit, vigorem affuiſſe nullum*

oſtenditur

oſtenditur. Idem ne tibi accidat conſidera, ô homo Petulans os, & fretus opinuncula quadam; proſilias ante tempus. Videris tibi aliquis eſſe, ſtultus ſcilicet inter ſtultos: frigore concreſces; tametſi multò antè congelaris infernis radicū fibris, ſuperiore parte aliquantulū adhuc florens, & ob id videris tibi viuus adhuc floridúſque eſſe. Permitte nobis vt ad maturitatem ſecundùm naturam adoleſcamus. Quare nos refugis? Quamobrem vim affers: nondum ferre poſſumus aerem, ſine prius radices confirmari, deinde quod naſcitur geniculato culmo erigi. Item ſecundum deinceps tertiumque naſcendo fieri, ad extremum tādem fructus erumpet natura ſic prouehente, quātumuis nolim atq; recuſem ego frugem profundā.

53. Sic Epictetus, qui ſuffragantem latè habet Maximum Tyrium diſſert. 7. Vterque autem non aliam ob cauſam præproperum ac precox virtutis magiſterium criminatur, quàm ne dicta factis deficientibus erubeſcant, pereátque opera docentis, fructibus doctrinæ reſpondentibus vacua. Plurima alus verbis, eadem tamen ſententia, diſputantur apud Nazianzenum orat. 1. & 26. apud S. Gregor. 8. moralium c. 33. & 34. ac etiam apud Petrum Bleſenſem epiſt. 13. pulchè S. Macar. homil. 43. hos præproperos alienæ vitæ informatores luciſq; captatores confert fœtibus è materno vtero in lucem præmaturè erumpentibus in exitium propé certum. Et eſſe ſanè maturitatem & præcocitatem exitij indicem docent illa Senecæ in conſol. ad Marc. c. 23. quæ tametſi in aliam rem prolata, tamen huc aptè transferri poſſunt. *Nec vltimum tempus expectant, quæ in primo maturauerunt. Ignis quo clarior fulſit, citius extinguitur. Viuacior eſt qui cum lenta difficilique materia commiſſus, fumóque demerſus, ex ſordido lucet: Eadem enim detinet cauſa, quæ malignè alit* Et mox: *Vbi incremento locus non eſt, vicinus occaſus eſt. Fabianus ait quod noſtri quoque parentes videre puerum Romæ fuiſſe, ſtatura ingentis viri: Sed hic citò deceſſit, & moriturum breui, nemo non prudens dixit. Non poterat enim ad illam ætatem peruenire quàm præceperat Ita eſt indicium imminentis exitij maturitas & appetit finis, vbi incremēta conſumpta ſunt* Conciuit Fabius, cuius illa ſunt in præfatione lib. 6. inſtit. *Obſeruatum ferè eſt, celerius occidere feſtinatam maturitatem, poſſe neſcio quā, quæ ſpes tantas decerpat, inuidiam.*

54. Nec eſt quod huiuſmodi præcocis in alios ſtudij homines, curam alieni boni prætendant. Priuſquam enim ad id per virtutem propriam idonei ſint, prodeſſe tantum aliis debent iuuando ſeipſos, iuxta illud Senecæ de vita beata c. 30. *Non mittet ſapiens in ſupernacuum* &c. *Quomodo nauem quaſſam non deduceret in mare Quomodo nomen in militiam non daret debilis: ſic ad iter quod inhabile ſciet, nō accedet. Poteſt ergo & ille cui omnia adhuc in integro ſunt antequam vllas experiatur tempeſtates, in tuto ſubſiſtere & protinus commendare ſe bonis artibus: & illud beatum otium exigere virtutum cultor, quæ exerceri etiam à quietiſſimis poſſunt. Hoc nempè ab ordine exigitur vt proſit hominibus, ſi fieri poteſt, multis ſi minus, paucis: ſi minus, proximis. ſi minus ſibi. Nam cum ſe vtilem cæteris efficit commune agit negotium Quo modo qui ſe deteriorē facit non ſibi tantummodo nocet ſed etiam omnibus eis, quibus melior factus prodeſſe potuiſſet. Sic ſi quis benè de ſe meretur, hoc ipſo aliis prodeſt, quod illis profuturum parat* Et hac ratione fieri magiſtrū ad perſuadendum efficaciſſimū, eò quod doctrinæ factis roboratæ, sūma vis niſi tradit luculenter S. Greg. 6. moral. c. 24. poſt Caſſianum col. 11. c. 4. & collat. 14. c. 24. & 16.

Claudo hunc locum de ſapientum ſannis; imò ſtomacho in Magiſtros morum præproperos, labiorum tenus philoſophantes. Epicteti breui, ſed inſigni loco ex c. 69. Enchiridij. *Magni*, inquit, *periculi ſtatim euomere quod non concoxeris. Quod ſi quis dixerit te nihil ſcire, túque commotus non fueris, tum ſcito rem eſſe inchoatam. Nam & oues non fœnum afferant opilionibus ac demonſtrant quantum comederint: ſed paſtu intra ſe concocto, extra ferunt lanam & lac Et igitur ne verba ſimiliter oſtendas imperitis ſed opera quæ verborum concoctionem ſequuntur.* Eadem apud Arrianum habentur l. 3. c. 21, & vtrobiq; propoſitū habet oſtēdere, neminem priuſquā ſeipsū doctrinæ pabulo ſaginauerit, ad ſubminiſtrādū aliis hūc animæ cibū accedere debere.

Rurſus directè aduerſus Morum Magiſtros buccarum tenus.

55. Sed hæc nō niſi indirectè impetunt peruerſam illam bonos mores tradendi rationem quam inſectamur. Itaque reſumo directam eius oppugnationem, ex Seneca preſertim qui ſæpè & grauiter, nō iā ex vulgi conlatratione, ſed ex animo ſuo ac mente, illam buccarum tenus virtutum doctrinam, in ſui temporis Ethicis carpit. Et ſcite epiſt. 95. *Antiqua*, inquit, *ſapientia nihil aliud quàm facienda & vitanda præcepit, & tunc longè meliores erant viri Poſtquam docti prodierunt, boni deſunt: ſimplex enim illa & aperta virtus, in obſcuram & ſolertem ſcientiam verſa eſt, docemúrque diſputare non viuere* Videntur ad poſtrema hæc Senecæ verba reſpexiſſe Petrus Chryſologus, & Minutius, quorum ille ſerm. 167, doctrinam quoque quæ in meris dictis hæreat, *ſcientiam* nominat; procedentem verò ad facta, *virtutem* vocat. Hic autem Chriſtianorum Philoſophiam, Ethnicæ anteponit, quod Chriſtiani, *non habitu ſapientiam ſed mente præferimus, non eloquimur magna, ſed viuimus.* At Ethnici, etiam qui morum cæteris magiſtri, iis erant moribus, quorum meritò puderet Senecam epiſt. 29. *Scrutabitur*, inquit, *ſcholas noſtras & obiiciet Philoſophis congiaria, amicas, gulam. Oſtendet mihi alium in adulterio, alium in popina, alium in aula. Oſtendet mihi lepidum Philoſophum Ariſtonem, qui in geſtatione differebat: hoc enim in edendas operas tempus acceperat. De cuius ſecta cùm quæreretur, Scaurus ait: Vtique Peripateticus non eſt. De eodem cùm conſuleretur Iulius Græcinus, vir egregius quid ſentiret: Non poſſum*, inquit, *tibi dicere neſcio enim quid de gradu faciat: tanquam de eſſedario interrogaretur. Hos mihi circulatores qui Philoſophiam honeſtius neglexiſſent, quàm vendunt, in faciem ingeret.*

56. En Philoſophiæ dehoneſtamenta ac probra, homines ignaua imo peruerſa opera, Philoſopha ſententia, iuxta Pacuuium. Cùm videres illos & cùm audires iidem non erant, vt loquitur idem Seneca epiſt. 75. & quod obiici Philoſophis ſolitum ſcribit epiſt. 24. *Philoſophia verba non opera tractantes*; peccantes in illud eiuſdem inſigne monitum epiſt. 12 . *Verba rebus proba. Aliud propoſitum eſt declamantibus & aſſenſionem coronæ captantibus. aliud his qui iuuenum & otioſorum aures, diſputatione varia aut volubili detinēt. Facere docet Philoſophia non dicere, & hoc exigit vt ad legē ſuam quiſque viuat, nec ab oratione vita diſſentiat, vt ipſa inter ſe vita, vnius. ſine omnium actionū diſſenſione coloris ſit Maximum hoc eſt & officium ſapientiæ & indicium, vt verbis opera concordent vt & ipſe vbiq; par ſibi idémque ſit.* Præclarum & illud ex epiſt. 108. *Sic iſta diſcamus, vt quæ fuerint verba, ſint opera. Nullos autem peius mereri de omnibus mortalibus iudico quā qui Philoſophiam velut aliquod venale artificium didicerunt qui aliter viuunt quàm viuendum eſſe præcipiūt. Exempla enim ſeipſos inutilis diſciplinæ circumferunt, nulli non vitio quod inſequuntur obnoxij Non magis mihi poteſt quiſquam talis prodeſſe præceptor quàm gubernator in tempeſtate nauſeabundus. Tenendum eſt rapiente fluctu gubernaculum; luctandum enim ipſo mari, eripiēda ſunt vento vela Quid me poteſt adiuuare rector*

nauigij

nauig y attonitus & vomitans? Quanto maiore putas vitam tempeſtate iactari, quàm vllam ratem? Non eſt loquendum ſed gubernandum. Omnia quæ dicunt quæ turba audiente iactant, aliena ſunt. Dixit illa Plato, dixit Zeno, dixit Chryſippus, & Poſſidonius & ingens agmen tot ac talium. Quomodo probare poſſint ſua eſſe, monſtrabo. Faciant quæ dixerint. Et ſuperiùs eod. l. 000 *Docent nos diſputare non viuere.* Quidni verò cùm eorum oratio careat vita? Orationem enim factis & exemplo cõiunctam, ſcite Iſidorus Peluſiota l. 1. epiſt. 108. *viuã* nominat: ac proinde quæ eiuſmodi nõ eſt, mortua eſt, nec poteſt animare, ad vitam formandam. Rectè igitur concludit ſapiens. *Itaque quæ Philoſophia fuit, facta Philologia eſt.*

57. Quo ſpectat illud Epicteti c. 73. Enchir. huiuſmodi Philoſophos, non eſſe vetera morum Philoſophos, ſed Grammaticos tantùm. Reuera enim vt optimè ratiocinatus eſt Themiſtius orat. 14. quorſum Philoſophos de verbis tantùm cenſebimus, ac non potius de operibus, qui alibi ſemper nomenclaturam ex factis dicimus: Fabrum ex opere fabrili, Medicum ex curatione, ſutorem ex calceamentis pronunciantes? Itaque qui verborum tenus philoſophantur, Grammatici non Philoſophi dicuntur. Tales duo illi apud Lactantium 5. inſtit. c. 2. *Quorum alter antiſtitem ſe Philoſophiæ profitebatur, verùm ita vitioſus, vt continentiæ magiſter, non minus auaritia, quàm libidinibus arderet. In victu tam ſumptuoſus, vt in ſchola, virtutis aſſertor, parcimoniæ paupertatiſque laudator in palatio peius cœnaret quàm domi. Tamen vitia ſua capillis & pallio, & (quod maximum eſt velamentum) diuitiis prætegebat: quas vt augeret, ad amicitias iudicum miro ambitu penetrabat, eóſque ſibi repentè autoritate falſi nominis obligabat; non modò vt eorum ſententias venderet, verùm etiam vt confines ſuos, quos ſedibus agriſque pellebat à ſuo repetendo hac potentiâ retardaret. Hic verò ſuas diſputationes moribus deſtruebat, vel mores ſuos diſputationibus arguebat ipſe aduerſum ſe grauis cenſor, & accuſator acerrimus.* Hunc fuiſſe Porphyrium, ex narrationis adiunctis, coniectat Baro. anno Chriſti 302. qui rectè dicitur, recta docens & non faciens, cenſor ſui & accuſator fuiſſe. Imo & virtutis quam docebat; iuxta illud Antonini lib. 11. n. 26. *Nunquam legere & ſcribere alios docebis, niſi ipſe priùs didiceris. Id multo magis in vita eſt præſtandum. Seruus es, ratione cares: Tum etiam cor mihi riſum ſuſtulit. Virtuti grauibus facient conuitia verbis.* Grauia verba vocat, forta optimis ſenſibus, & ad omnem honeſtatem erudientia; quæ cùm à cupiditatum ſuarum ſeruis, & rationis ductum in agendo non ſequentibus, funduntur; virtuti inferunt conuitiũ. Non diſſimiliter in huiuſmodi morales Doctores ſtomachatur Iulianus Imperator epiſt. 42. confirmans, quiſquis alia ſentit & agit, alia docet audientes, eum tantopere à viri eruditi nomine abeſſe quantum à gradu viri boni & iuſti. Idque eſſe genus mendacij admodũ ſordidum, quo ſeipſos redarguunt alia præſtantes, alia loquentes atque docentes. Et cum in omnibus planè Doctoribus id turpe iudicetur, in iis tamen qui teneram ætatem informant, deterrimũ longéque turpiſſimum eſſe, grauiter conteſtatur Iulianus.

Conuulſus error de Philoſopho, ex verbis, barba, & pallio.

58. Hos morum magiſtros Dio Chryſoſt. orat. 4 de regno, Eunuchos appellat, quod cùm iuxta Platonicam phraſim à Clemente Alexandrino memoratam 5. ſtrom. c. 2. profiterentur alios generare, & ad id cõniti viderentur; eſſent tamen ſteriles, nihilque progignerent. Alibi verò nec ſemel, multus eſt in inſectatione craſſiſſimi in hac parte erroris, ab Epicteto & Seneca locis proximè adductis notati; nempè quo plerique Philoſophiam ſuam pallio & barba metiebantur, ſéque Philoſophos tum maximè eſſe rebantur, cũ largum capillitium & promiſſiſſimam barbam demiſiſſent, palliúmque geſtaſſent & exomida ac baculum vt S. Chryſ. loquitur hom. 27. ad pop. ſiue clauã, id eſt, nodoſum baculum vt Sidonij Scholiaſtes l. 4. epi. 11. prolatis variis in eam rem autorum locis interpretatur: quibus addendus illuſtriſſimus locus ex calce quarti floridorum vbi Crates cum Hercule confertur. Quanquam idem Madaurenſis in Apologia, baculum ſolius Cynicæ ſectæ geſtamẽ fuiſſe obſeruat, eóque ſceptri vice gloriatum Diogenem affirmat, cui hoc fuiſſe addit *Cynicæ familiæ inſigne, peram & baculum quod Regibus diadema, quod Imperatoribus paludamentũ, quod Pontificibus galerum, quod lituum Auguribus.* S. Chryſoſt. hom. 20. in Geneſ. baculum, peram & pallium à quibuſdam Chriſtianis, Gentilium ſapientiam æmulãtibus vſurpata damnat. Donatiſtas & Circumcelliones tempore D. Auguſt. eodem habitu, ſapientiam ementitos, ſcribit Viues ad 14. Ciuit. c. 20. vbi Auguſt. pallium & clauam geſtaſſe eo tempore reliquias Cynicorum, teſtatur. Vbi autem idem de Donatiſtis & Circũcellionibus tradat, quos Viues affirmat, notare non memini. Non male Iulianus orat. 6. eam fatuitatem ſigillat, informans verum Cynicum, & quomodò ea externa Philoſophiæ ſigna, interiùs ſint, potiùs quàm exteriùs exhibenda, grauiter monet.

Sed audiamus Dionem, errori illi quem memorabam conuellendo intentum. *Quidam,* inquit orat. 35. *fortaſſe ſuſpicantur ex ſapientibus me quempiam eſſe, omniáque ſcientibus, ridiculo & abſurdo vſi indicio, quod comã nutriam. Quod ſi cauſa virtutis foret & modeſtiæ, nulla indigerent magna neque difficili virtute res humanæ. Verũ ego metuo ne nulla ſit ſtultis vtilitas in coma, ſicuti neq. eſt. Neque ſi cor ipſum habeãt piloſum, quemadmodum Ariſtomenem illum Meſſeniũ habuiſſe aiunt, qui plurima Lacedæmoniis negotia exhibuit, & frequenter captus aufugit ab illis. Hoc poſtquam ta dem deceſſerat, ita eſſe inuentum eſt. Aio igitur nullam eſſe vtilitatem militibus hiſce nudis & leuis armaturæ: ſi ſcutati fiant, quod ſanè ad iuſtitiam & modeſtiam veram; prudentiamque attinet. Neque ſi adhuc magis ſeſe exuant, circumcurſiténtque hyeme nudi, aut Medorum aut Arabum ſtolam accipiant. Quemadmodũ neq. tibiis canere ſcient, etiamſi veſtimenta tibicinũ induant. Neq; enim ex aſinis equi fieri poſſunt, etiamſi magis adhuc illis nares diſſecentur mentóque p rſurate armillas illis iniiciant. Neque ſi quis auferat ſtatuas, ſed rudent ante mœnia valde magna voce, aliáque ſibi conuenientia facient. Itaq; nemo me habitus gratia ab vllo differre exiſtimet.* Rurſus orat. 70. poſt longam enumerationem aliorum opificiorum, in quibus verba, & veſtis vacua factis proportionatis, nõ perhibent teſtimonium, quod quis hanc illámve artem calleat, concludit in hunc modũ. *In omni igitur negotio orationẽ quæ per ſe habetur nihil habens rei, irritam cenſebis & falſam; rem autem ipſam veram & credibilẽ, etiamſi nullos adhibeat ſermones? Sic eſt. Vtrum igitur agriculturæ putas eſſe aliqua opera aliquémve apparatum, & nauigationi atque venationi cõpetentem, aut aſtronomiæ & aliis omnibus, Philoſophiæ verò nullum eſſe opus, aut negocium, aut apparatũ cõpetentem? Prorſus eſt & Philoſophiæ. Sed hæc quidem quæ Philoſophiæ atque Philoſopho competunt, ſunt incerta: mercatorum autem & agricolarum & muſicorum aſtronomorúmque, eorúmque quos nunc dixiſti, certa ſunt atque manifeſta? Non mihi videtur. Sed ſunt & ſermones quidam, quos philoſophantem audire oportet, & mathemata quæ diſcere, & victus ratio quam ſeruare oportet. Et in ſumma alia vita eſt Philoſophiæ dantis operã, alia hominum vulgarium. Illa enim ad veritatem pruden-*

tiámque ſpectas, atque Deorum curam atq; cultum, animique ſui fragilitatem atque temperantiam: hac autem plena eſt arrogantia & erroris, ſtudiique voluptatũ Nãq; & veſtis alia eſt philoſophantis, alia plebeiorum: tũ quoque diuerſi accubitus, diuerſáque gymnaſia, atq; lauacra, aliáque viuendi ratio tota. Et qui hac ſectotur, iiſque vtitur, eum confitero oportet quod Philoſophia attendat animum. Qui verò in nullo horum a vulgo differt, neque prorſus alius eſt, pro vno ex plebeis etiamſi millies dicat, profiteatúrque ſe Philoſophia incumbere coram populo Athenienſium, aut Magarenſium, aut apud Lacedamoniorum Reges: ſed tradendus eſt hic homo in arrogantium & ſtultorum, atque delicioſorum numerum.

59. Concinit planè Maximus Tyrius diſſert. 37. n. 220. *Philoſophum*, inquit, *nõ habitus probabit, non atas, non fortuna, ſed iudicium, ſed ſermo, ſed animi inſtitutũ, à quibus ſolus dignitatis ſua ſuffragia capit Philoſophus, Reliqua qua fortuna ſolet addere, hiſtrionum inſtar ſunt amictuum. Eadem enim poematum eſt praſtomia, ſiue Princeps ea re vtet, ſiue famulus. Agamemnon ſceptrum gerit, pellem bubulcus, arma Achilles, pannos laceros cum pera Telephus; animus enim ſpectatoris magis verba Poeta qua dicuntur, quàm eius qui dicit, fortunam reſpicit. Idem exiſtima de ratione Philoſophi: Virtutem eius non variã, non diuerſam eſſe, ſed vnam eándemq; Actores verò eius, alium alio habitu, in vita ſcenam à fortuna produci. Pythagoram in purpura, in lacerna Socratem, cũ thorace Xenophontem & clypeo; cum pera adinſtar Telephi & baculo, Sinopenſem illum athelotam. Aliquid tamen & ipſe ad repraſentationem ſui dramatis, ſingulis addebat habitus. Itaque homines in ſtuporem dabat Pythagoras, arguebat Socrates, perſuadebat Xenophon, explorabat Diogenes Ego quidem & beatos hos hiſtriones iudico, qui agunt, & ſpectatores qui audiunt* Herodes denique Atticus vir Conſularis & ſapientiæ laude præſtans apud Gellium l. 9. c. 2. cum ad eum palliatus quiſpiam & crinitus, barbâque prope ad pubem vſque porrecta adiiſſet, ſtipem poſcens; & rogatus quis eſſet, vultu ſonitúque vſus obiurgatorio, Philoſophum ſe eſſe dixiſſet; & mirari quoque addidiſſet cur quærendũ putaret quod videret; *Video*, inquit Herodes, *barbam & pallium, Philoſophum nondum video.* Subiicit autem ibi Gellius egregiam & grauem Muſonij in hæc (vt iocat) animalia ſpurca atque probroſa orationem; qua exagitat vſurpationem nominis ſanctiſſimi ob extremam duntaxat ſpeciem capillitio & barbæ promiſſione ac baculo conſtitutam.

Nonnulla ex Patribus in rem noſtram.

60. Dedi ex Ethnicis in rem præſentem, ſatis multa, & alia præterea quamplurima ex iiſdem congerit Middendorpius lib. 1. offic. Scholaſt. c. 3. è noſtris paucos duntaxat ſignabo, quod id ſit apud eos propè perpetuum. Gregor. Neocæſarienſis in panegyrico Origeni dicto, cùm immenſam ac variam hominis eruditionem ſuſpicit, tùm maximè in morali docenda induſtriã prædicat. Cùm enim fusè deſcripſiſſet quantam ille in componẽdis affectibus & virtutum exercitatione operam poſuiſſet, ſubdit; *Non verbis igitur aſſuefaciebat, qua denuntiarent atque profiterentur ſcientiam bonorum & malorum, vel faciendorum & non faciendorum eſſe prudentiã. Inanis vtique atque inutilis hac diſciplina ſi verba factis careant, vanáq; ea prudentia qua non ea faciat qua facienda ſint, nec ab iis qua nõ ſunt agenda deterreat, ſed ſolum cognitionem horum ſuppeditet iis qui eam poſſident. Quales cernimus permultos. Nec temperantiam rurſum eligendorum fugiendorúmque ſcientiam quandam eſſe, quam videlicet non admodum doceant ceteri Philoſophi, ac pracipue neoterici, qui verbis quidem ſtrenui fortéſque ſunt, quales ego perſapè miratus ſum, cùm eandem virtutem Dei & hominum, & Deo in primis ſimilem in terra ſapientem eſſe demonſtrarent. Caterùm nec prudentiam vt faciat quiſpiam qua ſunt prudentia; nec Temperantiam, vt ea eligat qua didicit, tribuere ſatagunt. De Iuſtitia non itidem ac Fortitudine inoniter diſputant. Non ſic iſte nobis Origenes de virtutibus, verbis ſolũ differebat, ſed ad opera potius incitabat, & incitabat operibus magis factiſque, quàm verbis* Hæc Thaumaturgus, in Præceptoris Ethicam profitentis laudem, quæ vtinam iugis illi ac perpetua fuiſſet & omnibus huius diſciplinæ Doctoribus communis fiat.

Potenter de more S. Chryſoſt. hom. 30. in Acta, caſtigans Chriſtianum morum Magiſtrum, docentem bona & non facientem. *Cur ſuperbis quod doces ſermonibus? Per quam facilè eſt philoſophari verbis. Doce me vita tua Hac doctrina optima eſt Dicis quod opus eſt modeſtiã, & tu procul ab hoc ſermone recedis, & rhetoricaris, nullo prohibente verbis diffluens. Sed melior ille qui operibus docet. Non enim ſic inſident anima, verba, ac opera. Quoniam ſi non habueris opus bonum, non ſolùm nõ prodeeis loquendo ſed etiam plus nocebis, vtiliúſque fueris, tacere. Quare? quia opus mihi proponis, ac ſi impoſſibile foret, Cogito enim mecum ſi tu qui tanta loqueris, non facis, multò magis ego venia dignus ſum, nihil tale dicens. Idcirco inquit Propheta; Peccatori dixit DEVS, vt quid tu enarras iuſtificationes meas? Magnum enim hoc damnum, quando bene quis docet verbis, & operibus doctrinam impugnat. Hoc multorum in Eccleſia malorum cauſa eſt* Eandem probitatis in Magiſtro morum, neceſſitatem, ex eo quod neganda ſit fides dicenti & non facienti, attigit Chryſoſtomi diſcipulus, Iſidorus Peluſ. l. 2. epiſt. 235. Doctorem verbis non etiam operibus inſtructum, comparans arbori, foliis duntaxat & floribus ornatæ, fructibus autem deſtitutæ. Et pulcherrimè lib. 3. epiſt. 232. increpans eum qui de Deo ſermonem miſcet, ipſe non diuinus, aliterque proinde docet quàm vitam exigat, vrget inter cætera vſum Lacedæmoniorum, qui ſermones actionum vmbras eſſe, & vt ſupra etiam tetigi, addit Philo l. quod deterius potiori inſidietur, & Æſchines apud Gellium lib. 19. c. 3. iuſſiſſe eos vt ſententiam bonam ab improbo excogitatam, promeret vir bonus; ne fœda autoris vita, ſalubre monitum contaminaret & veluti infatuaret ſalem doctrinæ. Idem luculenter eodem libro ſub medium, hos vt ait virtutis ac bonorum morum facundiſſimos laudatores, reuera ſui ipſorum criminatores, inſectatur, expendens illud Caïno dictum, *Quid feciſti.* Et perpulchrè lib. 3. de vita Moſis exponens moraliter vniuerſum Aaronici Sacerdotis amictum ita ſcribit in rem præſentem *Nulla eſt ſermonis vtilitas ſi ab eo diſcrepent opera Et hoc eſt vt rationale pendeat ab epomide & humeris, ne laxum fluat; quod à dictis ſeiungi facta iniquum ſit. Nam per humerum ſignificatur operatio.* Amplexus eſt hãc Philonis allegoriam, Clemens Alexandrinus 5. Strom. c. 3.

61. S. Ambroſius 2. offic. c. 22. eandem in doctore, & conſilij ac doctrinæ bonæ miniſtratore, vitæ tutelam exigit, qua verbis facta conſentiant? quod alioqui auditor vel refugiturus ſit, vel deſpecturus commaculatam prauis moribus ſapientiam. *Quis enim*, inquit, *in cœno fontem requirat? quis è turbida aqua potum petat? itaque vbi luxuria eſt, vbi intemperantia, vbi vitiorum confuſio, quis inde ſibi aliquid hauriendum exiſtimet? quis non deſpiciat morum colluuionem? Quis vtilem cauſa aliena iudicet, quem videt inutilem vita ſua? Quis iterum improbum, maleuolum contumelioſum, non fugiat, & ad nocendum paratum? Quis non eum omni ſtudio declinet? Quis verò quamuis inſtructum ad conſilij opem, difficilem tamen acceſſu ambiat, in quo ſic illud, tanquam ſi quis aqua fontẽ pracludat? Quid enim prodeſt habere ſapientiã ſi conſilium neges? Si conſulendi intercludas copiã, clauſiſti fontẽ, vt nec aliis influat,*

nec

nec ſibi proſit. Pulchrè autem & de illo conuenit, qui habens prudentiam commaculat eam vitiorum ſordibus, eo quod vnquam exitum contaminet. Degeneres animos vita arguit. Quomodo enim eum potes iudicare conſilio ſuperiorem quem videas inferiorem moribus? Supra me debet eſſe cui me committere paro. An verò idoneum eum putabo, qui mihi det conſilium, quod nō dat ſibi? Et mihi eum vacare credam qui ſibi non vacet; cuius animum voluptates occupent, libido deuinciat, auaritia ſubiuget, cupiditas perturbet, quatiat metus? Et mox in capitis decimi tertij fronte, *Quid igitur tantam vultus ſpeciem praeferas pulchritudinis, & belluinis poſterioribus ac ferinis vnguibus, forma ſuperioris dehoneſtet gratiam; cum tam admirabilis & praeclara forma virtutum ſit, & ſpecialiter pulchritudo ſapientiae?* Apud eundem ſerm. 76. iſta habentur in hanc rem praeter caetera *Dictis facta priora ſunt. Nā Dominus in Euāgelio ita dicit: Qui fecerit ſic, & docuerit ſic, magnus vocabitur in regno caelorum. Audis ergo quoniam praecedit factum, ſubſequitur doctrina. Siquidem benefacere, prima doctrina eſt. Ceſſantibus enim verbis, hoc ipſum docet hominem opus optimum, dum videtur quod etſi voce neminem excitet, virtute tamen corda compungat. Quis enim bonum factum videns, non gaudeat miretur, imitetur ac veluti tacito magiſtro vtens, eius exemplo doceatur? Dictis igitur facta praecedunt Imò ſine factis, dicta nihil proſunt. Nā ideo & Dominus fieri voluit, ſic doceri, ne ſine bono opere, verborum inutilis eſſet, & ſuperſtitioſa iactatio. Meliùs ergo docemur facto quàm voce.* Egregiè in eandem ſententiam Chryſologus ſerm. 167.

62. Concinnè Theoph. Alex. epiſt. 1. Paſch. obſeruat quemadmodum in oratione ſi verbum nomini iungamus, perfectum ſenſum efficimus; ſi ſolitariè verbum apponatur, aut ſeorſim nomen abſque verbo opera luditur: ſic verba abſque opere caducū quid & irritum eſſe; ex verbis autem operibúſque coniunctis, perfectam doctrinam exiſtere. Breuiter item ſed pulcherrimè Caſſiodorus l. 11. var. epiſt. 8. *Non poteſt autoritatem habere ſermo, qui non iuuatur exemplo, cùm iniquum ſit bona praecipere, & talia non feciſſe.* Nec omittendus S. Bernard. epiſt. 201. informans alienorum morum inſtitutorem. *Memento etiam voci tuae dare vocem virtutis. Quid illud, inquis? Vt opera tua verbis concinant, imo verba operibus; vt cures videlicet prius facere quàm docere? Pulcherrimus ordo eſt, & ſaluberrimus, vt onus quod portandum imponis, tu portes prior: & ex te diſcas qualiter oporteat aliis moderari. Alioquin ſubſannabit te ſapiēs; vtpote pigrum illum cui labor ſit manum porrigere ad os. Arguet te, & Apoſtolus dicens:* Tu qui alios doces, teipſum non doces? *Sed & notaberis vitio Phariſaeorum* qui alligant onera grauia, & importabilia, & imponunt ea in humeros hominum: digito autem ſuo nolunt ea mouere. *Sermo quidem viuus & efficax, exemplum eſt operis, facilè faciens ſuadibile quod dicitur dum monſtrat factibile quod ſuadetur.* Pulcherrimè Petrus Damiani ſerm. de S. Anaſtaſio, hanc ob cauſam diuina lege Deuter. 20. cautum memorat, vt qui imminente iam bello concionaturus ad populum erat Sacerdos, non alibi, ſed ante ipſam aciē ſtans, concionem haberet: *vt videlicet eſt ad pugnam quos adhortationibus prouocat, ipſe quoque primus antecedat:* ne ſcilicet ex eorum numero ſit quibus dicitur, *conuerſi ſunt in die belli.* Contra hos eam quoque legem pugnare ſtatuit quae lata eſt Deuter. 25. *Non habebis in ſacculo diuerſa pondera, maius & minus.* At habent diuerſa pondera, iudice Petro Damiani, quotquot fruges verbi diuerſo ſibi ac aliis pondere metiuntur. Tandem non incommodè huc transferri poſſit quod ſcriptum eſt à Nyſſeno l. de hom. opific. c. 8. nimirum manus eſſe homini datas ob ſermonem, & magnum eſſe nexum locutionis & manuum; quòd niſi ſuppeditatae fuiſſent homini manus ab opifice neceſſarium fuiſſet cibum per labra carpi, quae proinde oportuiſſet ex duriore materia & ad ſermonis fabricam incōmodiore confici. Vt proinde ex ipſo hominis opificio & ſermonis ac operum organis doceamur qui alium bonis moribus informat innectere duo illa debere. Monſtratū igitur ſufficienter videtur & noſtrorū, & verò etiam ipſorummet Ethnicorū ſuffragio comprobatū, in morum magiſtro praxim notitiae eſſe adiungendā; nec eſſe idoneum alienae vitae regendae Doctorem qui ſuam negligat, quod ex Ariſtotele propoſitum fuit.

Idoneus Moralis Auditor, cuiuſmodi.

63. Iam verò einſdem diſciplinae auditorem, neceſſe eſt Magiſtro in ordine & gradu ſuo reſpondere. *Quēadmodum enim,* vt verba Clementis Alexandrini vſurpem 2. Strom. c. 3 *Sphera ludere, non ſolùm dependet ab eo qui mittit ſpaeram, ſed ei etiam eo opus eſt qui eam numerosè excipiat, vt ex ſphera legibus peragatur ludi exercitatio: ita etiam vt ſit doctrina fide digna accidit, quando fides eorum qui audiunt, quae eſt ars vt ſemel dicam, naturalis, confert ad diſciplinam Adiuuat itaque terra quoque fertilis ad ſeminum deiectionem. Neque enim optima doctrina eſt ulla vtilitas, niſi adſit eius qui dicit ſuſceptio neque Prophetia niſi adſit obedientia eorum, qui audiunt. Arida enim feſtuca quae ſunt parata ad ſuſcipiendā vrendi facultatem, faciliùs accenduntur, & lapis qui vulgo iactatur, ferrū trahit propter cognationem, & lachryma ſuccini attrahit feſtucas, & electrum mouet paleas* Hoc paucioribus Attalum Magiſtrum cōmendans dixit Seneca epiſt. 108. initio. *Idem & docenti & diſcenti debet eſſe propoſitum, vt ille prodeſſe velit,* & ſcilicet per doctrinam exemplis factiſque roboratum poſſit, *hic proficere.* Quidni verò quod de Magiſtro ac diſcipulo artis dicendi, Quintilianus l. 2. inſtitut. c. 9. id nos quoque vnius voculae mutatione, de Moralis doctrinae Praeceptore & Auditore aſſeramus? *Vt docentium,* inquit, *Officium eſt docere ſic diſcipulorum praebere ſe dociles Alioqui neutrum ſine altero ſufficiet. Et ſicut hominis ortus ex vtroque gignentium confertur, & fruſtra ſparſeris ſemina, niſi illa praemollitus fouerit ſulcus, ita* morum ſcientia *coaleſcere nequit, niſi ſociata tradentis accipientiſque concordia.*

Debet ſubactis eſſe affectibus, atque adeo alius à iuuene.

Philoſophus ergo 10. Ethic. c. vlt. & 1. Ethic. c. 3 negat idoneum huius diſciplinae auditorem poſſe eſſe illum qui aetate aut moribus iuuenis ſit, eo quod finis huius Philoſophiae non ſit cognitio, ſed actio. Qui autem nōdum ſubactis eſt affectibus, nec adhuc edomuit rebelles rationi motus animi, non eſt diſpoſitus ad agendum ex ratione & ſecundùm virtutem. Vt enim de eo cecinit Flaccus in arte Poëtica.

——iram
Colligit ac ponit temerè. & mutatur in horas
Imberbis iuuenis. tandem cuſtode remoto
Gaudet equis. canibúſque, & aprici gramine campi;
Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper,
vtilium tardus prouiſor. prodigus aris.
Sublimis, cupidúſque, & amata relinquere peruix

Nemo ſanè ineptior, peiuſve affectus ad agendum ex virtute, quàm qui talis ſit qualem Poëta, expreſſit iuuenem. Acceditque inexperientia: haec enim, vt hoc loco, & infra l. 6. cap. 8. habetur, iuuenes aetate, minus aptos ad hanc diſciplinam efficit, cùm nequeat ad opus redigi abſque prudentia, quam experientia parit aequè ac intellectum ipſum principiorum vt ſupra vidimus.

64. Quamquam Ariſtoteles cap. illo 3. multò ineptiorem cenſet ad hanc diſciplinam capeſſendam, eum qui moribus, quàm qui ætate iuuenis ſit. Locus eſt illuſtris. *Iuuenis, auditor ciuilis idoneus eſſe non poteſt: quippe cùm imperitus actionum vitæ ſit, ex quibus, & de quibus rationes conficiuntur. Adde quod cum perturbationes ſequatur, fruſtra & inutiliter audiet: finis enim, non cognitio, ſed actio eſt. Intereſt autem nihil, iuuenis ætate, an moribus iuuenilis aliquis ſit: Non enim defectus, penes tempus eſt; ſed quia & viuit, & ſingula perſequitur ex perturbatione. Talibus enim cognitio, perinde ac incontinentibus, inutilis euadit. Illis autem eſſe perquàm vtilis poteſt, qui ſecundùm rationem, & appetitiones & actiones ſuas moderantur.* Similia tradit 1. Ethic. c. 4. confirmátque ex ordine qui in hac ſciẽtia tenendus eſt: cùm enim ordo legitimus is ſit qui ad maioren & paratu commodiorem notitiam eſt accommodatus: is autem ſit ille qui à notioribus nobis progredimur ad notiora natura, qualis eſt progreſſus quo hîc ab actibus bonis exorſi deuenimus ad eorum cauſas. Rectè ſubiungit Philoſophus, neceſſarium proinde eſſe, vt huius diſciplinæ auditor, benè moribus inſtitutus ſit vt frequentando honeſtas actiones, à quibus hîc, initium ducitur, ipſo vſu rectè agẽdi, faciliùs quæ dicuntur, intelligat, iiſque acquieſcat. Quàm communem loci huius expoſitionem, hæc de auditoris probitate illatio manifeſtè confirmat. Tametſi Zabarella l. 1. de Meth. c. 7. & lib. 2. c. 15. aliter locum illum interpretetur, velítque Ariſtotelem ibi methodum reſolutiuam in hac ſcientia tenendam indicere. Quod non placet, quia inde non haberemus, ordiendum hîc eſſe ab actionibus, vt Ariſtoteles aſſerit, & ea quam dixi illatio apertè probat. Ex ea porrò illatione & ratione Philoſophi liquidò conſtat non modò iuuenes ætate ob feruorem & vigorem affectuum, minus idoneos eſſe ad hanc diſciplinam, ſed etiam ætate prouectos ac ſenes vt Euſtratius 1. Ethic. c. 5. notauit, ſi vitia in eis occalluerint, ſintque annorum & vitiorum veteres. Ferè enim in illis qui huiuſmodi ſunt luditur opera, quia in eis eadem inidoneitatis ad hanc diſciplinam ratio cernitur quæ in iuuenibus, nimirum affectuum indomitorum effrænatio. Et ideo Seneca epiſt. 112. rogatus quendam iam vitiis induratum imo conſuetudine mala ac diutina fractum formare & inſtituere huius diſciplinæ legibus, deſperat operæ ac laboris fructum, confirmátque ruſtici artificij exemplo. *Non qualibet inſitionem vitis patitur. Si vetus & exeſa eſt ſi infirma graciliſque. aut non recipiet ſurculum, aut non alet, nec applicabit ſibi, nec in qualitatem eius naturámque tranſibit. Itaque ſolemus ſupra terram præcidere, vt ſi non reſponderit, tentari poſſit ſecunda fortuna, & iterum repetita infra terram inſiratur. Hic de quo ſcribis & mandas, non habet vires. Indulſit vitiis ſimul & emarcuit & induruit; Non poteſt recipere rationem, non poteſt nutrire.* Addit, nec ſi homo cuius pectus ſceleri ineuctum cupiat ad bonam frugẽ venire, fidendum illico eſſe & huic inſtitutioni idoneum habendũ. Plerumque enim hiſce hominibus ſtomachum facere luxuriam, ſed citò cum ea in gratiam redire. Quare quod Ariſtoteles de iuuenis ineptitudine ad hanc diſciplinam capeſſẽdam affirmauit, par eſt accipi de iuuene nõ materialiter ſed formaliter ſpectato; hoc eſt, de eo omni in quo affectus non ſint ſubacti, cuiuſmodi maximè eſt qui ætate quoque eſt iuuenis. Quiſquis enim eiuſmodi eſt, inutilem ferè circa ſe efficiet morũ inſtitutoris operam, eo quod ægrè formabilis ſit ad bonos mores & honeſtatẽ.

Nec verò ſolus Ariſtoteles auditorem huius diſciplinæ, benè, vt ita dicam morabilem eſſe voluit. Aliorum quoque Philoſophorum ea cura fuit. Sanè Epictetus apud Arrianum l. 3. c. 6. *in fine* id ſignificat cùm ait; *Effœminatos adoleſcentes hortari, facile non eſt. Neque enim facile eſt caſeum hamo aculeato arripere. Sed bonæ indolis homines quamuis dehortatus fueris, multo audiores feceris ad diſcendum. Quamobrem Ruffus plerumque dehortabatur, hoc quaſi experimento vtens ſtrenuorum & ignauorum. Ita enim dicebat Tanquam lapis etiamſi proiiciatur ſurſum, in ſuum nihilominus, locum deorſum feretur: ita quoque benè natus, quò magis ipſum quis repuleris eò magis ad id incitatur animo quo ipſum fert indoles.* Theognidem refert Themiſtius orat. 1. indignatum grauitérque queſtum quod cum cæteris in diſciplinis & opificiis tanta diligentia adhibeatur in tyronis idoneitate pernoſcenda, hîc temerè & ſine delectu omnes admittantur; negátque qui ex coco aut piſtore natus ſit, & inter chœnices atque heminas educatus, poſſe tantæ Philoſophiæ parem eſſe: cùm conſtet ſordidum & ſeruile ſtirpis vitium, illiberale aliquid & à Philoſophiæ dignitate abhorrens relinquere impreſſum in animis, quo minùs idonei efficiantur ad huius diſciplinæ conſertionem. Itaque concludit, turpe eſſe cum Elei & Piſatæ olympicum illum oleaſtrum tam magnificè celebrent, neminem vt ad certamen nudari patiantur, niſi qui patrem ſuum ac matrem & ſtirpis integram ac ſynceram originem approbare poſſit; (ac etiam multò plura vt eſt apud S. Chryſoſtomum homil. 1. de Machab. & hom, 21. ad pop. & t. 5. Græcol. ſerm. 48. ſub f. ad philoſophica tamen animorum certamina, promiſcuè quemlibet nullo generis ac educationis, proindéque etiam pronitatis ad mores bonos, examine præuio, admitti.

65. Pythagoram diligentiſſimè proſpexiſſe quibus animorum vaſis Philoſophiam ſuam committeret, nec niſi probè expurgatis, credere ſolitum præcepta morum luculenter tradit Lyſides epiſt. ad Hipparchum Pythagoræ olim diſcipulum, ſed poſtea magiſtri decretorum violatorem; Illum ipſum cui idcirco tanquam iam mortuo quamuis corpore ſuperſtiti erectũ eſſe cenotaphium, & poſitam columnam à Pythagoricis teſtatur Clemens Alexandrinus 5. Stromat. c. 4. pro vſu quem in ea ſchola in deſertores viguiſſe teſtatur etiam Origenes 2. contra Celſum longè antè medium. Plagulam ex lõgiore Lyſidis epiſtola, ad huius rei illuſtrationem decerpo. [Operæ pretium eſt, *inquit*, recenſere, quantum temporis in abſtergendis maculis quæ noſtris inuſtæ pectoribus erant, conſumpſerimus, antequam præcepta illius percipere dignè poſſemus. Vt enim tinctores ſolent prius quam telam inficiant, quarundam rerum acrimonia eam purgare, quò faciliùs colorem imbibat: ſic vir ille diuinus, ſtudioſos Philoſophiæ inſtituere, & quaſi formare ſolebat ne quando fruſtrari ea ſpe poſſet, quam de alicuius virtute concepiſſet. Neq; enim doctrinam mercenariam atque venalẽ habeat: nec iuuenum animis quod pleriq; Philoſophiæ Profeſſores facere ſolent, laqueos adnectebat: Sed diuinarum humanarúq; rerum præceptor erat. Nunc verè plerique doctrinam illius ſimulantes, nullo ordine, nec vt decens eſt, iuuentutem erudiunt. Itaque procaces ac temerarios faciunt auditores ſuos, dum perturbatis atque impuris moribus intemerata Philoſophiæ præcepta commiſcent. Vt enim ſi quis in prælatum puteum cœno plenum, aquam puram atque nitentem effuderit, nihil aliud quàm cœnũ perturbat, & aquã amittit; ita iis accidit qui hoc modo docent atque docentur. Crebri enim ac denſi vepres & ſyluæ frequentes, pectus, & præcordia eorum, qui non rectè initiati ſunt, occupant, omnémque animi cultum, omnem manſuetudinem, omnem rationem obumbrant atque impediunt. Subeunt hanc ſyluam permultæ ac variæ feræ vitiorum quæ depopulantur, arcent, propulſant, nullo modo in lucem ſinunt prodire rationẽ. Quarum belluarum duæ matres ſunt, incõtinentia atque cupiditas. Hæ partu fœcundiſſimę ſunt, incontinentia enim filias parit, illicitas nuptias, ſtupra,

voluptates contra naturam, vehementes ac rapidos motus, ad mortem vſque & excidium hominem agitantes. Iam enim libidine quidam vſque adeò inflammati fuerunt, vt nec à parentibus aut pignoribus abſtinuerint: quos eadem quæ contra leges, patriam, parentes, tyrannos impulerat libido, captiuos reuinctis poſt terga manibus ad poſtrema ſupplicia interitúmque pertraxit. Cupiditatis autem filiæ ſunt, rapinæ, parricidia, ſacrilegia, veneficia, & reliqua eius generis. Quamobrẽ ſyluam ipſam in qua huiuſmodi affectus inſtar belluarum latitant, ferro ignique, & omni machinarum genere excidere ac deuaſtare primùm oportet. Cúmque huiuſmodi cultu rationẽ ab eius affectibus liberatam intellexerimus, tum facere optimã aliquam frugem debemus, & optimos atque vberrimos fructus inde prouẽturos ſperare.] Hactenus Lyſides.

66. Ex quibus apparet quod de affectuũ ſubactione ad ſapientiæ exercitationem præmittenda, & prudentia morum directrice, ſapientiæ atrienſi ſtatuenda, elegantiſſimè tradit Ariſtoteles 1. magnor. moral. *in fine*, hic præſertim locum habere. Nec aliò ſpectat illud Simplicij in caput 6. Enchiridij Epicteti. *Qui à praua conſuetudine ad meliorem vitæ rationem tranſire incipiunt primùm euomere debent malæ vitæ venenum, & tum demum bonæ vitæ cibis ali. Nam quod Hippocrates de impuris corporibus ait, quò magis alantur eò magis ea lædi: id de animis multò magis eſt verum. Nam prius inhærens improbitas, bona oblata corrumpit & auerſatur: alias vt moleſta, alias vt noxia, alias vt inutilia & ſupra vires. Simúlque augetur, vt in iudicio contemnere meliora videri velit, & fit inſanabilis: vt denique meliores rationes & actiones, etſi facilè poſſet, non admittat.*

Eodem conſilio Plato, mancum & claudum à Philoſophico negotio reieciſſe videtur. Quod enim claudum à manco iuxta Platonem diſtinguit Marcellus ſuo 6. de anima c. 58. claudum de non operante ſtudioſè, cùm poſſit & debeat; mancum autem de Moralis Philoſophiæ imperito interpretatus minus appoſitum videtur.

Iuuenes, etiam moribus, non prorſus ab hac diſciplina repellendi.

67. Nõ negat porrò Ariſtoteles quin iuuenis quoque ac moribus incõpoſitis homo, poſſit in hanc diſciplinam incumbere, vt naturalium motuum ferociam comprimere hoc quaſi frœno interpoſito aſſueſcat, mitigétque feruorem illum naturæ, cui compeſcendo vniuerſa hæc diſciplina addicitur. Nam ſi ſubactos planè & compreſſos affectus, adeptioni huius ſcientiæ præmittere oporteret, fruſtra parari videretur eius adeptio. Itaque quod Euſtratius 1. Ethic. ſub finem capitis tertij rectè aduertit, eò tantùm tendit Philoſophi diſputatio, vt liqueat minore cum fructu adoleſcentem intemperantiæ deditum, his præceptis imbuendum, quam ſi compreſſis iam & imminutis affectibus ad eam accederet, perfectè expoliendus & virtutibus conueſtiendus, per cautiones & dictamina quæ hinc hauriet. Confirmat hoc Seneca epiſt. 68. agens de ſenectute. *Hæc ætas*, inquit, *optimè facit ad hæc ſtudia. Iam deſpumauit: Iam vitia primo feruore adoleſcentiæ indomita laſſauit. Non multum ſupereſt vt extinguat. Et quando, inquis, tibi proderit iſtud quod in exitu diſcis, aut in quam rem? In hanc vt exeam melior. Non eſt tamen quòd exiſtimes vllam ætatem aptiorem eſſe ad bonam mentem, quamquæ ſe multis experimẽtis, longa ac frequenti rerum patientia domuit. quæ ad ſalutaria, mitigatis affectibus, venit. Hoc eſt breuis huius boni tempus. Quiſquis ſenex ad ſapientiã peruenit, annis peruenit.*

68. Cæteroqui verò nemo eximendus eſt è numero auditorum huius diſciplinæ, vt proficiat quantum licebit per morum effrænationem. Quamuis enim longè maiorem fructum reportaret, ſi ſedatis paſſionibus philoſopharetur, ex quo reſedit æſtus ille qui feruidam ætatem aſſectatur, non omninò tamen vacuus abibit: Vt proinde nemo ab hoc ſtudio per eam occaſionem dehortandus ſit. *Omnis ætatis homines hæc ſchola admittit*, ait Seneca epiſt. 76. probans ſenibus æquè ac troſſulis iuuenibúſque in hanc Philoſophiam incumbendum. Videtur id voluiſſe Epicurus epiſt. ad Menicæum quæ extat apud Laërtium lib. 10. & ex parte apud Clementem Alex. 4. Stromatum c. 4. in fine. *Neque iuuenis*, inquit, *quiſpiam dum eſt, philoſophari negligat, neque ſenex cùm ſit, philoſophando fatigetur. Neque enim intempeſtiuus vllus eſt, neque quis ad animæ ſanitatem tempus non habet idoneum. Qui autem dicit, vt nondum philoſophandi tempus eſſe, aut tempus præteriiſſe ei ſimilis eſt qui dicit ad beatam vitam, aut non adeſſe tempus, aut non amplius eſſe. Philoſophandum igitur & iuueni & ſeni; illi quidem vt ſeneſcens in virtutibus vigeat præteritorum gratia, huic vt iuuenis vnà & vetulus ſit, quòd futurorum careat metu.*

69. Vnum eſt præter alia innumera, quo Moralis Philoſophia Chriſtiana ſupra Moralem verè Philoſophicam eminet, hac quoque in parte, idque obiter hic notaſſe nõ erit inutile: Nempe Moralem Philoſophiã merè naturalem ad quam Ariſtoteles auditorem hic informat, auditorem iam vt vides perturbationum intemperiis liberum ſupponere, alioqui fore inutilem ſaltémque parcé fructuoſam. Quippe exile admodum vel etiam rarum eſt quod Seneca Epiſt. 108. ſcribit. *Ea Philoſophiæ vis eſt vt non ſolum ſtudentes ſed etiam conuerſantes iuuet. Qui in ſolem venit, licet non in hoc venerit colorabitur. Qui in vnguentaria taberna reſederunt, & paulò diutius cõmorati ſunt odorem ſecũ loci ferunt. Et qui apud Philoſophũ fuerint, traxerint aliquid neceſſe eſt quod prodeſſet etiam negligentibus.* At Chriſtiana Moralis Philoſophia leones ipſos cicurat, eſtque in mirabilibus animorum conuerſionibus cauſandis incredibilis efficaciæ, vt optimè ſuſpiciunt Clemens *initio protrept.* Eucherius homilia 2. de Epyphania *in fine*. Cyprianus ad Donatum epiſt. 2. Chryſoſt. hom. 66. ad pop. & homil. 18. in ad Rom. *initio partis Moralis.*

Doctrinæ exercitatio, Morali Auditori neceſſaria præter Magiſtri ac doctrinæ laudem.

70. Qualiſcunque verò tandem ætate ſit qui huius diſciplinæ auditorem agere velit cum fructu, cum Muſonius lib. de exercit. apud Stobæum ſerm. 29. præmonet, accingat ſeſe alacriter ac ſtrennè ad laborem, qui hac in parte maior quam alibi vſpiam neceſſarius. Quandoquidem hæc diſciplina non cognitionem nudam, ſed opus quærit; at hoc cum ex ſeſe arduum, tum ob inolita vitia perdifficile; *Itaque*, ait Muſonius, *tanto magis exercitari conuenit futurum Philoſophum, quam medicinæ aut ſimilis alicuius artis ſtudioſum, quantò maior abſolutúque difficilior eſt Philoſophia quouis alio ſtudio. Siquidem alias quidem artes; ipſarum cupidi accedunt animis non prius corruptis, neque contraria didicerunt anteà his quæ deinde diſcenda ſunt: Philoſophaturi autem, prius multis corrupti modis, impletique malitia, ſic ad virtutem ſe conferunt. Quare hanc ob cauſam quoque maius exercitium requiritur.*

Illud itaque perſuaſum in primis habeat Moralis auditor, labore in hac re, & exercitatione opus eſſe. Nec ſe probè muneri ſuo ſatisfeciſſe arbitretur cùm

his ſtudiis impalluerit, & Magiſtrũ eiuſve doctrinã verbis approbarit, ſed propoſito, imo factis teſtãdũ eſſe, placere doctrinã; quod operoſiſſimum eſſe ſua cuique experientia manifeſtum efficiet. Seneca ſanè epiſt. 108. vitio vertit aliquibus, quod cùm multis apud Philoſophum annis perſederint, ne calorem quidẽ duxerint, quos non diſcipulos ſed inquilinos Philoſophorum vocandos decernit. Addítque: *Quidam veniunt vt audiant, non vt diſcant: ſicut in theatrũ voluptatis cauſa, ad delectandas aures oratione vel voce vel fabulis ducimur. Magnam hanc auditorum partem videbis, cui Philoſophi ſchola diuerſorium otij ſit. Non id agunt vt aliqua illic vitia deponant, vt aliquam legem vitæ accipiant ad quam mores ſuos exigant, ſed vt oblectamento aurium perfruantur. Aliqui tamen & cum pugillaribus veniunt, non vt res excipiant, ſed verba quæ tã ſine profectu alieno diſcãt, quam ſine ſuo audiãt.* Nõ itaque ſufficit ſi Doctor auditori ſuo habeatur quaſi carmen muſicũ, mulcẽs inani ſono præceptorum quæ in aurem duntaxat, non etiam in pectus demittãtur, & ad praxim reuocentur. Quiſquis eiuſmodi eſt Moralis auditor quantumcumque & doctrinam & magiſtrum laudibus efferre præ ſe ferat, non eſt reuera quod præfert, & laudem quam exhibet, ementitur iudice Maximo Tyrio diſſert. 37. num. 217.

71. Adſcribo partẽ grauiſſimæ diſputationis qua vir elegans æquè ac doctus, id mali obrepſiſſe in mores noſtros, grauiter & meritiſſimò quæritur his præter cætera. *Eſtne aliquis qui ſermonem laudet, nec ſermone vti velit, cùm nec voce careat nec audiat? Eſtne aliquis qui Philoſophiam laudet, nec eam amplectatur, qui & animum ad diſcẽdum habeat, & magiſtrum? Planè vt tibias ac citharas, aut ſi qua Dionyſiis præterea tragœdiis aut comœdiis adhibentur inſtrumenta, omnes laudant, nemo imitatur. Niſi fortè & hic, plurimum à voluptate laus abſit. Nemo eſt enim qui non delectatur: qui autem verè laudarit, etiam imitabitur. Priuſquam enim æſtimat, ne laudat quidem. Fit etiam ſæpè vt muſicæ imperitus aliquis tibiam ſi audiat amore capiatur artis, nec amplius abhorreat. Sæpè etiam abſens, modulationem tamen auribus retinet, carmen ruminat, ſecúmque tacitus cantillat. Etiam hoc veſtrûm imitetur aliquis. Fortè enim & ipſas incipiet amare tibias.* Addit narrationem concinnam, qua docet qui Magiſtrum morum audiunt, nec factis probant demiſſa eſſe in imó pectus quæ auribus commiſſa ſunt, ipſis brutis ſtolidiores videri. *Homo fuit vt dicitur, qui animalia quadam magno, vt ferũt, domi ſtudio alebat. Hic homo aues habebat quæ ſuauiter matutinum illud canebant, inconditè tamen vt reliqua ſolent. Hæ cum quotidie audirent hunc tibicinem, qui artis ſuæ faceret periculum, reſpondere voce cœperũt: auréſque ita ad tibiam paulatim earum formauit, vt quoties inflare cœpiſſet, tibiam voce præeuntem, vt in choro fieri conſueuit, ſequerentur omnes. Qui ergo fit vt ipſi homines, frequenter ſi audiant non inconditos tibiæ modos, ſed voces ſapientes, vberes, ad imitationem excitandam compoſitas, nobiſcum canere recuſent?*

Sit ſibi ipſe Magiſter.

72. Hoc ipſum aliis verbis, reuera autem eodem ſcopo ac ſenſu tradit Epictetus apud Arrianum l. 4. c. 6. inculcans ſeriò ac grauiter, conſentaneè ad Diogenis monitum apud Stobæum ſerm. 1. vt audito magiſtro fiat vnuſquiſque magiſter ſibimetipſi ſéque ob negligentiam & ſocordiam in profectu, & iis quæ didicerit exequendis, ſeriò caſtiget ac increpet, quod Magiſtro & hauſtæ ab eo doctrinæ non collaborarit, ſed eius diſſertationum, tanquam concentus alicuius inani dulcedine delinitus, nihil vltra promouerit. At hoc eſſe valdè præpoſterum demonſtrat ille, ex parte in hunc modum. *Ecquis tantum temporis habitauit tecum, aut magis domeſticus fuit quàm ipſe tibi? Quis porrò ad perſuadendum tibi aliquid, maiorem habet facultatem quam tu ipſe? Quis beneuolentior quam ipſe tibi es? Quid cauſæ eſt quod quod non ſuaſeris tibi iſtud diſcendum, ne ſuſque deque iactetur?* Et mox. *Quare non omiſſis aliis ipſe tibi diſcipulus pariter, & magiſter eſſe incepis? Alij de ſe viderint. vtrum conducat & vtile ſit ipſis, contra naturam habere, & vitam agere. Nemo propior mihi eſt quàm ipſemet mihi. Quid ergo eſt cogitandum? Nempe auditas fuiſſe à me diſputationes Philoſophorum, eiſque me fuiſſe aſſenſum, re verò ipſa nihilo factum expeditiorem. Sumne tam indocilis? At in aliis addiſcendis tam hebeti ingenio non fui. Nam & literas citò didici, ne tardum me præſtiti luctando, aut diſcendo Geometriam ſyllogiſmorumque rationibus cognoſcendis. Quid factum eſt vt ratio mihi non perſuaſerit, cum tamen iam inde ab initio tam nihil fecerim aut maiore ſtudio amplexus ſim? Quin etiam nunc de his audio diſſeri, ſempérque lego ac ſcribo hæc, quibus aliam firmiorem aut neruoſiorem nullam adhuc accipimus rationem.*

Conceptum audiendo calorem foueat, & pectus honeſto incoquat.

73. Cùm Moralis doctrina ab Auditore excepta, affectu illi atque propoſito placuerit, & concaleſcente in expoſitum honeſtum pectore, aduerſus præconceptos obices caput generosè erexerit, opportunum erit Auditori Morali illud Senecæ monitum epiſt. 108. *Quidam ad magnificas voces excitantur, & tranſeunt in affectum dicentium, alacres vultu & animo, nec aliter concitantur quàm ſolent Phrygij tibicinis ſono ſemiuiri, & ex imperio furentes. Rapit illos inſtigatque rerum pulchritudo, non verborum inanium ſonitus. Si quid acriter contra mortem dictum eſt, ſi quid contra fortunam contumaciter, iuuat protinus quæ audias facere. Afficiuntur illi, & ſunt quales iubentur. ſi illa animo forma permaneat ſi non impetum inſignem protinus populus honeſti diſſuaſor excipiat. Pauci illam quam conceperant mentem, domum perferre potuerunt. Facile eſt Auditorem concitare ad cupiditatem recti. Omnibus enim natura fundamenta dedit ſemènque virtutum: Omnes ad omnia iſta nati ſumus; cùm irritator acceſſit, tunc illa animi bona velut ſopita excitantur. Non vides quemadmodum theatra conſonent, quoties aliqua dicta ſunt, quæ publicè agnoſcimus, & conſenſu vera eſſe teſtamur. Deſunt inopiæ multa, auaritiæ omnia. In nullum auarus bonus eſt, in ſe peſſimus. Ad hos verſus ille ſordidiſſimus plaudit, & vitiis ſuis fieri conuitium gaudet. Quanto magis, hoc iudicas euenire cùm à Philoſopho iſta dicuntur?* Itaque facillimum eſt has ſcintillas de manibus ſcilicet excudi; curandum duntaxat vt congruo fomite excipiantur, ſitque calor ille diuturnus.

Alia ad informandum Moralem auditorem ſubminiſtrabit Plutarchus toto opuſculo de officio auditoris. Nã tametſi inſcriptio vniuerſalis videtur, & poſſint quæ ibi dicuntur, ad quoſuis diſciplinarum auditores pertinere: præſertim tamen ad huius Philoſophiæ ſtudioſum ſpectant; quod ſimiliter de iis dicendum eſt, quæ ex Platonis mente in futuro Philoſopho exigit Arrius Didymus ſiue Alcinous c. 1. breuiarij doctrinæ Platonicæ.

§. VII.

Modus & Ordo, in morali diſciplina docenda, & audienda tenendus.

A Doctoris & auditoris conditione pergo ad modum & ordinem in tradenda & excipienda hac doctrina tenendum: huius enim notitiam conſtat ſcientiæ præmittendam eſſe, ne quod Ariſtoteles 2. Meth. c. 3. 1. 15. reprehendit tanquam abſurdum, *ſcientiam ſimul & ſcientiæ modum quæramus* Quod vulgò ad Dialectices neceſſitatem trahunt, cum tamen ibi Ariſtoteles tantum contendat quod præmiſi: Nempe præcognoſcendum cuique eſſe cùm ad ſcientiam aliquam accedit, quis in ea procedendi modus pro ſubiecta materia tenendus ſit; an ſcilicet exquiſitus vt in Mathematicis, an minus accuratus, vt in rebus naturalibus ac moralibus, quod diiudicare non eſt Dialectici.

Modus tractandi in hac ſcientia minùs ſubtilis.

In re igitur præſenti ipſemet Ariſtoteles 1. Ethic. c. 3. negat accuratam illam & exquiſitam Mathematicorum cognoſcendi rationem quærendam eſſe. *Satis*, inquit, *de hac re dictum exiſtimetur, ſi perinde explicatum fuerit, ac ſubiecta materia poſtulat Nam exacta tractatio non ſimili modo in vnoquoque genere exquirenda eſt. quemadmodum neque in artium opificiis. Honeſta autem & iuſta de quibus Ciuilis conſiderat, tā tam differentiam tantumq; errorem in ſe habent; vt lege non natura eſſe videantur.* Et paulò pòſt. *Contenti igitur erimus, ſi nos cùm de talibus & ex talibus diſſeramus, pingui quadā Minerua atque adūbrata figuratione verū oſtendamus. Cùmque de iis, quæ plerumque eueniunt, atque ex iis ratiocinemur ſimilia etiam concluſerimus. Eodem modo etiam vnuſquiſque debet, ea quæ de aliquo dicuntur admittere: Eſt enim eruditi eatenus exactam in vnoquoq; genere explicationem requirere, quatenus pati rei ipſius natura poteſt.*

Eadem, hoc ipſo loco allegato, repetit cap. 7. & lib. 2. cap. 2. non obſcurè ſugillans Platonem qui 6. de Republic. ſummam ſubtilitatem, & exquiſitum tractandi modum in Ciuili quoque ſcientia poſtulat. Frequenter quoque eidem vitio vertit Ariſtoteles quod incidentes in Ciuilem ac Moralem tractationem, Phyſicas aut Theologicas difficultates, perinde perſequatur, ac ſi rei Moralis eſſent propriæ. Vnde ſæpè accidit, vt iuxta Agathoni, prouerbium, (quod eſt apud Athenæum lib. 5. dipnoſoph. vſurpatúrque etiam à Galeno lib. 9. de decretis Hipp. & Plato. & rurſus à Philoſopho 2. Polit. c. 12.) πάρεργα abſurdè, & incongruè, æquent vel etiam ſuperent ἔργα. Prudentiùs ſanè Ariſtoteles, extraneas diſputationes præſertim Phyſicas, quæ ſæpè in Moralem tractationem incurrunt. vel omninò reſecat vt videre eſt lib. 1. cap. vlt. & lib. 8. c. 1. vel obiter tantum attingit, aut ſi neceſſitas interdum paulò plura ex aliena meſſe decerpi iubet, qualia ſunt quæ de habitibus intellectualibus ad prudentiæ cognitionem admiſcet 6. Ethic. non tamen ea diligentia eorum tractationi inſiſtit, quam in proprio loco conferret. Quantum enim eſt quod eo libro 6, de ſcientia tradit. ſi non illis conferatur quæ in Analyticis tanquam in ſua ſede de ea attulit.

An hæc tractatio, exoterica, an acroamatica.

73. Verùm quod Ariſtotelem in hac diſciplina tradenda, exquiſitam illam & accuratam philoſophandi rationem, quam ipſe Platoni vitio vertit, hic iniiſſe negamus; erit qui minùs è re noſtra & huius diſciplinæ dignitate factū à nobis interpretetur. Inde enim efficitur, Moralium tractationem Ariſtotelicam, (atque adeò omnium optimam & cæterarum exemplar) non acroamaticam ſed exotericam, hoc eſt, perfunctoriam & leuem eſſe iuxta vulgatam operum Philoſophi partitionem, in acroamatica & exoterica; qua nomine acroamaticorum operum deſignantur quæ exquiſitam tractationem continent, nomine verò exotericorum quæ minus diligentem & accuratam operam exhauſerunt. Quem verum partitionis illius ſenſum eſſe priuſquam dubio propoſito ſatisfaciam placet breuiter demonſtrare, tum quod à pleriſque interpretibus Ethicorum Ariſtotelis ea partitio in huius ſcientiæ præludiis diligenter excutiatur; tum quod ad lucem pleriſque eiuſdem Philoſophi locis ex his libris; conciliandam, neceſſarium videatur.

Germana notio verum prædictarum.

In eo ergo quem dixi ſenſu propoſitam librorum Philoſophi partitionem intelligunt Tullius 5. de finib. Gellius lib. 20. cap. 5. Plutarch. in Alexandro Alex. topic. Simplicius 4. Phyſic. t. 87. & recentiores plerique ac nominatim Budæus in commentariis linguæ Græcæ. Petrus Victorius lib. 7. variar. lect. cap. 18. Pererius 1. phyſiol. cap. 10. Lambinus & Giſanius 1. Ethic. cap. 13. Auguſt. Dathus lib. 4. Stromat. c. 22. Fonſeca 1. Metaph. cap. 2. procemij. Conimbricenſes in procemio Phyſ. q. 4. art. 4. Annuit Euſtratius 6. Ethic. cap. 4. exponens ſermones exotericos quos extra Logicam traditionem communiter vulgus habere conſueuit, atque adeò plebeios. Et ferè idem habet Ammonius in aditu ad categorias: niſi quod non benè addit acroamaticos dictos eſſe libros accuratè ex ſola autoris perſona conſcriptos: exotericos autem illos fuiſſe qui dialogiſticè conſcripti eſſent, ad vulgi captum, nec doctrinam continerent ex propria autoris perſona propoſitam, ſed vt in dialogis aſſolet, nomine eorum qui colloquentes inducuntur. Qua ratione omnes Platonis dialogi exoterici eſſent, quod liquet abſurdum eſſe. Sumo igitur tantum ex ea expoſitione, quod in illa habetur de rudi exotericorum, & accurata acroamaticorum librorum ſcriptione vt docent etiam alij abſque numero.

76. Eóque etiam ſpectat quod Gellius prodit Philoſophum in Lycæo matutino, quo ſua illa acroamatica tradebat non niſi probatos auditores admiſiſſe: in veſpertino autem quo explicabantur eſoterica, omnes abſque delectu admiſiſſe. Ad Pythagoræ fortaſſis imitationem, qui Suida & Iamblicho teſtibus, diſcipulos aliquos habuit exotericos, alios exotericos ſiue intraneos, & ad accuratam rerum tractationem admiſſos. In quem ſenſum non difficilè trahitur quod Clemens Alexandrinus 7. Strom. c. 4. his verbis tradit. *Non ſoli Pythagorei, & Plato multa occultabant, ſed etiam Epicurai dicunt quædam eſſe apud ſe arcana, & non permittere omnibus vt ea ſcripta legant Quin etiam Stoici dicunt à Zenone primò quædam fuiſſe conſcripta, quæ non facilè permittunt legere diſcipulis, quorum non prius fuerit factum ab ipſis periculum, an germanè & ſyncerè philoſophentur. Ariſtotelei quoque dicunt, ex ſuis ſcriptis alia quidem eſſe ἐσωτερικά. id eſt,*

interna; alia verò communia & ἐξωτερικά, hoc eſt, externa. Quinetiam y qui fecere myſteria cùm eſſent Philoſophi, ſua dogmata obſcurauerunt fabulis, vt non eſſent manifeſta omnibus. Idcirco enim acroamatica non euulgabantur quia non erant vulgari captui accommodata ob exquiſitam tractationem. Vt eadem proinde videatur eſſe apud Ariſtotelem tractatio exoterica, quod plebeia & popularis, philoſophicæ ſiue acroamaticæ & exquiſitæ tractationi contrapoſita; vt ſanè contraponitur ab ipſo Ariſtotele variis locis quæ Patricius loco mox citando deſignauit, vt 1. poſt. c. 3 lib. 4. Phyſic. c. 10. l. 9. Metaph. c 4. l. 5. de generat. anim. c. 6.

Alia diuiſionis illius explicationes reiecta.

77. Ad hunc modum diſtributionem illam operum Philoſophi accipio. Quod enim Geneſius Sepulueda ad 3. Polit. cap. 4. & epiſt. 78. interpretationem hanc noſtram erroris inſimulat, tantùm inſimulat, non etiam reuincit. Nec aptè ad Philoſophum facit cùm exotericos & extraneos dictos mauult libros illos qui ſunt extra propoſitam ſciẽtiam vel opus in quo allegantur, iuxta vſum allegandi apud Doctores iuris receptum. Qua in parte præiuit Geneſio S. Thom. 1. Ethic. lect. 19. & 7. Polit. lect. 1. & ſecutus vtrumque eſt Zuingerus 1. Ethic. c. 3. & 13. Quo poſteriore loco Euſtratius & ei adhærens Donatus, aliam expoſitionem adhibent, æquè improbandam: nempe quod acroamatica Ariſtotelis opera dicerentur, quæ ipſe in publicis ſcholis coram diſſerebat; quæ verò ad aliquem reſponſa miſiſſet, dicta exoterica. Reiiciendus denique Patricius tom. 1. diſcuſſ. peripat. lib. 6. & Lælius Biſciola tom. 2. horarum ſubſec. lib. 6. c. 12. & qui Patricio retractata ſua priore ſententia adhæſit Zuingerus lib. 1. Ethic. cap. 3. iuxta quos acroamatici libri ij erant qui penes autorem aſſeruabantur perlegendi diſcipulis, qui item dicerentur eſoterici tanquam domeſtici & acuſmatici, quia ex illis auditores erudiebantur; & epoptici quod ab iiſdem inſpicerentur mox futuri exoterici ſiue externi, cùm perfecti fuiſſent, & ad alios manaſſent; itemque ecdedomeni ſiue editi; & encyclij, quod poſſent omnibus etiam in circulis & quibuſuis congreſſibus patere.

78. In omnes huiuſmodi expoſitiones, cùm multa ſigillatim intorqueri poſſent, tum illud vniuersè quod ipſe Ariſtoteles 1. Ethic. c. 13. apertè vocat exotericos, libros illos in quibus leuis tantùm cognitio rei traditur; quos idcirco 1. ad Eudemum t. 5. & aliis locis ſuprà ex Patricio notatis, opponit Philoſophicis, id eſt, accuratè cõſcriptis. Encicilios item ipſemet Philoſophus 1. Ethic. c. 5. & 1. cœli t. 100. ſignificat fuiſſe libros populares & publicis congreſſibus aptos, quod ad eundem textum 100. expreſsè tradunt Simplicius & Auerroës. Fauétque Franciſcus Luiſinus l. 1. pereg. c. 20. poſt Plutarchum l. de Muſica qui encyclios vocat libros de qq. Conuiuialibus. Tametſi quod in huiuſmodi circulis, periti iuxta ac imperiti frequentes eſſent, argumenta neceſſaria plerùmque popularibus & leuibus admiſcerentur, vt notat Lambinus 1. Ethic. c. 3. Et fuiſſe etiam libros populares de variis ſcientiis ait Donatus 1. Ethic. c. 3. Veriſimilius quàm Euſtratius ibid. & S. Thomas lect. 5. qui per libros encyclios intelligunt verſus circulares, hoc eſt, ad certum numerum editos, quibuſdam ſeruatis ordinibus, quorum vnuſquiſque & ab eodem ordiretur, & in idem deſineret. Varias de iiſdem encycliis Philoſophi libris ſententias excutit Septalius præfatione ad Ariſtotelis problemata, & latiſſimè Zuingerus 1. Ethic. c. 3.

Hinc ergo iuxta ſupradicta effici videtur libros Ethicorum, exotericos & encyclios eſſe, cùm tractationem contineant minus accuratam & exquiſitam, vt admiſimus. Inde autem depreciari hanc tractationem, nec tam philoſophicam quàm plebeiam reddi, nemo non videt.

Ad difficultatem motam num. 75. eſſèque hanc tractationem acroamaticam accenſendam monſtratur.

79. Atenim hanc tractationem eſſe acroamaticam & exquiſitam rectè cenſuit Ammonius in præfatione ad categorias. Sed & apud Laërtium libri Politici, de Politica acroaſi inſcripti leguntur. Quid quod Ariſtoteles in his libris non ſemel allegat libros exotericos tanquã ab illis longè diuerſos, vt videre eſt 1. Ethic. c. 13. & lib. 6. c. 4. & lib. 3. Polit. c. & lib. 7. c. 1. itémque 1. ad Eundẽ. c 5. & l. 2. *initio.* Sunt igitur libri Morales acroamatici. Nec ipſi aliter ſentire cogimur conſentaneè ad ſupradicta. Quod enim huic diſciplinæ exquiſitum philoſophandi modum negauimus cum ipſo Ariſtotele, eò tantum pertinet, vt intelligamus non eſſe in hanc ſciẽtia quærendam euidentiam, & certitudinem illam demonſtrationum quæ in Mathematicis cernitur, ob ſubiecti in hac Philoſophia varietatem & inſtabilitatem. Cæterùm quantum ſubiecta materia patitur, exquiſitam & accuratã philoſophandi rationem ab Ariſtotele in hac tractatione ſeruatam, & ſeruandam cuique eſſe, ſi pro dignitate in hoc argumento verſari velit, nemo iure diffiteatur. Eſt itaque hæc tractatio acroamatica, ſi minus ob difficultatem & obſcuritatem, (quæ certè hîc non eſt tanta quanta in Phyſicis, & prima Philoſophia, ac naturali Theologia;) at ſaltem, ob eruditis accommodatam & minimè popularem rationem tractandi, hic à Philoſopho obſeruatam.

80. Vt propterea minus probem quod aiunt plerique ex iis, quorum de diuerſitate acroamaticorũ librorum ab exotericis ſententiam, penes rudem & plebeiam, vel accuratam & ſeriam tractationem, admiſi: Nempe acroamatica dicta, quod auſcultatione egerent, ob rei & tractationis difficultatem, quæ caterent exoterica, iuxta illud Themiſtij orat. 16. *Illud peculiare Ariſtotelis, ac proprium, quod non eoſdem ſermones crediderit vulgo eſſe ac Philoſophis vtiles, &c. Ob id alios externos vocauit, atque expoſitos omnibus eſſe voluit; alios intus concluſit, & cum paucis tutò communicauit. Horum verò clauſtra quibus aperiuntur aut clauduntur, perſpicuitas eſt & obſcuritas quibus velut Horis commiſſum hoc munus eſt, nubem vt aperiant, aut rurſus opponant. Et verò qui ex ipſis publicè vtiles ſunt, & ad vulgi captum accommodati, luce pleni atque perſpicui ſunt, eorúmque vtilitas, à delectatione, & voluptate penitus non abhorret, ſed affuſa venus eſt ac gratia refulgent, quo velut illecebris quibuſdam attrahant. Alij verò myſtici ſunt, & ſacras initiationes continent. Atque hos idcirco fecit ille, vt qui adhuc profani eſſent, etiam cùm eos habuiſſent non haberent. Qua cauſa eſt cur tametſi omnium ad pedes voluentur y libri, Regia illa qua Ecbatanis eſt, munitiores ſint.* Hoc dico vniuersè de libris acroamaticis agendo mihi non probari. Quamuis enim de pleriſque illius ordinis operibus id rectè habeat; & ita nominatim de libris Phyſicis auſcultatoriis aſſerat ipſe Philoſophus epiſt. ad Alexandr. quam Gellius ſupra exhibet; tamen in libris de argumento non difficili, ea interdum diligentia & accurata

curata ſcribendi ratio adhibita eſt à Philoſopho, ob quam inter acroamaticos recenſiti iure ſint, vt de Politicis ex Laërtio dixi, ac de Rethoricâ ad Theodectem pronuntiant periti.

Non abnuo tamen quin ſit admodum veriſimile ex ſcriptis illis de difficiliore argumento, tranſlatam eſſe acroamaticorum appellationem ad alia æquè accuratè conſcripta, tametſi ob minorem materiæ tenebricoſitatem, magis perſpicua. Et potuit etiam eadem illis appellatio communis fieri, ex eo quod ob exquiſitam ſcribendi rationem in vtriſqoe ſeruatam, non ſolerent à Philoſophis, huiuſmodi ſcriptionum, tanquam legitimorum fœtuum amantibus euulgari inter omoes, ſed potius ſtudioſè premi, nec niſi apud amicos & probatos communicari inſpiciendi. Quam eſſe cauſam cur huiuſmodi libri epoptici dicerentur notat Plutarchus in Alexandro. Multa de huiuſmodi per Philoſophos quorundam librorum ſuppreſſione, habet Clemens Alexand. 5. Strom. cap. 4. & ex recentioribus Picus ſub finem orationis de hominis dignitate, ac Carpentarius diſp. de ordine Philoſophiæ, paſſimque alij

Hæc obiter de iſta Philoſophi operum partitione dicta ſunto, cùm ad intelligentiam Philoſophi qui in huius diſciplinæ tractatiooe frequenter partitionem illam commémorat, tum ad repellendam notam quæ huic ſcientiæ imminebat, exponendúmque quomodo illa minùs exquiſita tractatio quàm hic ſeruandam propoſuimus, ab exoterica & propè neglecta ac populari diſputatione procul abſit.

Vter docendi modus magis hic probandus, dogmaticus an paraneticus.

82. Pergo in expoſitione modi in hac ſcientia tradenda tenendi. Ad quem præter hactenus tradita ſpectat controuerſia quæ inter Ariſtonem Stoicum & Senecâ agitatur epiſt. 94. & 95. vter ſcilicet Moralis Philoſophiæ tradendæ modus aptior ac fructuoſior ſit, dogmaticus an præceptiuus & parænecticus. Dogmata (ſine vt vocem Græcam exprimi poſſe ait an idem Seneca, epiſt. illa 95. *decreta*, vel *ſcita*, vel *placita*, vocantur effata quædam, quæ non ad hanc aut illam vitæ partem diriguntur, ſed vniuersè vitam hominis informant. *Cuiuſmodi ſunt, ſapientem nunquam externorum acceſſione vel amiſſione moueri. In ſapientē non cadere iniuriam. Beatam vitam, virtute ſola parari.* Et huiuſmodi alia præ quibus Ariſto Stoïcus nihil faciebat præcepta, hoc eſt, pronunciata ad ſingulas vitæ partes informandas pertinentia. Vt *quomodo ciuis cum ciuibus agere debeat, vir cum vxore, pater cum liberis dominus cum ſeruis.* Qualia multa M. Brutus in eo libro quem περὶ καθήκοντος inſcripſit, accumulat eodem teſte Seneca. Diſtinguit quoque duplicem illum moralia tradendi modum Tullius, in ipſo propè veſtibulo operis de officiis, cum declarat; omnino de officio duplicem eſſe quæſtionem.

Hanc itaqoe partem leuem exiſtimabat Ariſto, quòd diceret eam non deſcendere in pectus vſqoe; nec dogmatica parte ſuppoſita, eſſe neceſſariam. *Quemadmodum qui iaculari diſcit, deſtinatum locum captat, & manum firmat ad dirigenda quæ mittit. Cùm hanc vim de diſciplina & exercitatione percepit quocunque vult, illa vtitur: Didicit enim non hoc aut illud ferire: ſed quemadocunque voluerit. Sic qui ſe ad totam vitā inſtruxit, non deſiderat particulatim admoueri, doctus in totum. Non quomodo cum vxore, aut cum filio viueret, ſed quomodo benè viueret: In hoc eſt & quomodò cum vxore ac liberis viuat* Ita pro Ariſtone Seneca priore loco, quem latiùs mox proponit & excutit ſubiecto ad ſingula reſponſo.

Sed veriùs tandem epiſtola poſteriore, poſt Cleanthem ſuperiùs allegatum, confirmat hoc intereſſe inter decreta Philoſophiæ & præcepta, quod inter elementa & membra. Hæc ex illis dependere, illa horum cauſas eſſe. Ac proinde ſicut pars parænetica imbecillis eſt, niſi ab vniuerſo fluat, ipſáque capita attingat; ita pars dogmatica, niſi deſcendat ad particularia inſufficiens erit ac inutilis. Itaque iungenda vtraque vt idem rectè concludit. *Namque & ſine radice inutiles rami ſunt, & ipſa radices, his quæ genuere adiuuantur. Quantū vtilitatis materia habeant, neſcire nulli ſcilicet, apertè iuuant. Cor, illlud quo manus viuunt, ex quo impetum ſumunt, quo mouentur, latet Idem dicere de præceptis poſſum. Aperta ſunt; decreta verò ſapientia, in abdito.* Aliis ſimilitudinibus idem illuſtrat Lipſius 2. manuductionis diſſert. 12.

Methodus Morali ſcientiæ apta, reſolutiua.

83. Sequitur vt ordinem huic ſcientiæ conuenientem attingamus. Quem vel abſolutè & intra Moralem ipſam diſciplinam, vel per comparationem ad cæteras attendere poſſumus. Quoad priorem ordinem ſupponenda eſt communis doctrina de duplici methodo variis ſcientiis accommodata. Quamuis enim recentiores pletique de methodi multiplicitate verboſiſſimè deceptarint, vt videre eſt apud Carpentarium digreſſ. 1. in Alcinoum; & apud Zabarellam in duobus prioribus libris de methodis, & in duobus libris apologiæ; Tamen noo dari aliam præterea methodum, niſi fortè quæ ex ambabus miſceatur, plenè euincunt iidem authores.

Ex his duabus methodis, compoſitiua eſt ſcientiis ſpeculatiuis accommodata. Quia cùm finis ſcientiæ ſpeculatiuæ, qui per totam ſcientiam quæritur, ſit obiecti cognitio, non poteſt ab ea cognitione duci exordium. Inchoandum ergo eſt à ſimplicibus quæ eſt methodus compoſitiua. Quod pleniùs exponit Zabarella l. 2. de meth. à c. 7. Et hunc eſſe his ſcientiis accommodatiorem ordinem fatetur Piccolom. in introduct. c. 22. & 24. At in practicis diſciplinis ſemper quæ fini ſunt propinquiora, & in quibus executio deſinit, præmittuntur illis à quibus executio incipit. v. g. Architectus expoſito fine qui primus in eius animum incurrit, nempe domo habitanda, ſtatim agit de proximis eius partibus; nempe de fundamento, parietibus, tecto tum de partibus remotis, nempe de lignis & de lapidibus iiſque expoliendis, vnde incipit executio: Ita vt ibi ceſſet operatio, vbi doctrina incipit, nempe in domo perfecta: Et vbi operatio deſiit, ibi doctrina initiom ſumat. Et ratio perſpicua eſt; nam ſicut mediorum cognitio ex fine pendet, ita cognitio eorum quæ ſunt à fine remotiora, pendet ab iis quæ ſont fini propinquiora. Et quia ſcientia practica agit de fine tantum, & mediis ad eū obtinendum; propterea neceſſe eſt, vt primùm agat de fine, tum de mediis fini viciniotibus, tandémque de remotioribus. Atque ita à fine inchoando deſinit in media quæ eſt methodus reſolutiua in his diſciplinis ſeruanda, de quo alibi fuſius. & diligenter Zabarella l. 2. de method. c. 9 Fateor D. Thomam lect. 3. primi Ethic. aſſerere in ſcientiis ſpeculatiuis procedendum eſſe modo reſolutorio: in practicis autem, compoſito. Sed ratio quam propoſui firmiſſima eſt, & Diuus Thomas videtur aliter vſurpaſſe voces *proceſſus reſolutiui & compoſitiui* Quia enim in Phyſica, verbi gratiâ, initium ducitur à ſimpliciſſimis, in quæ corpus naturale reſoluitur; vocauit eam methodum reſolutiuam, quamuis reuera ſit compoſitiua. Et contra autē quia in practicis à fine venitur ad media, & definitur in mediis ſimpliciſſimis à quibus operatio ducit

ducit initium, vocauit eam methodum compoſitiuam. Quæ eſt tantum de vocibus diſſenſio, de qua non multum curandum eſt, ſi de re conſtet. *Dum enim hoc intelligatur quod intelligendum eſt, non magnoperè curandum eſt quid vocetur*, vt D. Auguſtinus rectè dixit 4. de Gen. ad liter. c. item 4.

Difficultas in contrarium, ex iterata finis tractatione in calce Ethicorum. Varia circa eam ſententia.

84. Ex his igitur probatum & declaratum manet, legitimam huius diſciplinæ tradendæ methodum eſſe reſolutiuam, quod Ariſtoteles exemplo ſuo ſatis expreſſit in Monaſticæ tractatione his Ethicorum libris contenta. Orſus enim eſt à fœlicitate, inde ad actus liberos vniuersè, tum ad actus honeſtos progreſſus eſt. Quo ſpectat tota tractatio de virtutibus, & virtutum effectibus, earúmque annexis. His quippè duntaxat tractandis vniuerſum Ethicorum opus ab Ariſtotele impenditur, vt infra monſtrabo. Videri tantum poteſt Ariſtoteles officere iis quæ diximus, cùm denuò in calce Ethicorum de fœlicitate agat. At nos ſtatuebamus in ſcientia practica qualis hæc eſt, ordiendum eſſe à fine, & deſinendum in mediis à fine remotioribus, & executioni vicinioribus.

Non ſatis aliqui hunc nodum explicant. Sunt qui dicant Ariſtotelem cùm egiſſet de virtutum & honeſtarum actionum effectibus, quos internumerandus etiam eſt finis virtutis conſideratus in ipſo homine habente virtutem, hoc eſt fœlicitas; meritò in ea deſiiſſe. Cum autem finis vt in ipſo homine ſpèctatus, nihil aliud ſit quàm ipſe finis vt adeptus, ac terminans ordinem executionis; manifeſtum eſt eodem recidere quod ait Donatus 10. Ethic. c. 6. nempe fœlicitatem in primo libro tradi, vt primam in intentione; rurſus verò tradi libro 10. quia eſt vltima in executione; & per actus virtutum explicatos, tanquam per media acquiritur. Hoc tamen reſponſum non placet, quia idemmet finis terminat ordinem executionis, qui obiectus fuerat ordini intentionis. Et quamuis prout ſubſtat ordini intentionis, adhuc quæratur: Tamen cùm ad eius poſſeſſionem deuentum eſt, nihil illi acceſſit, quod antè non quæreretur. Itaque nihil de eo vt per executionem obtento tractari poteſt, quod in tractatione eiuſdem prout intenti, expeditum non ſit. Fruſtra ergo & ſuperuacaneè nona tractatio de eo prout obtento inſtitueretur. Aliam reſponſionem indicant Simonius 1. Ethic in præludiis, & Conimbr. d. 3. Ethic. q. 3. art. 3. Nempe Ariſtotelem priore loco de fœlicitate actiua; poſteriore autem de contemplatiua diſputaſſe. Idem voluit Foxius lib. 1. compendij Ethici c. 2. cùm dixit 1. Ethicorum agi de fœlicitate hominis mortalis; libro autem 10. agi de fœlicitate animæ ſeparatæ, ſoli contemplationi intentæ. Sed neque hoc ſatisfacit; In primis quia Philoſophus vtrobique de eadem (ſaltem ex parte) fœlicitate agit. Deinde quia illa ipſa fœlicitas non potuit initio prorſus omitti, quæ eſt finis noſter vltimus, & primum principium ex cuius prænotione vſurpanda & tractanda ſunt media moralia. Atqui ratio noſtri finis vltimi, competit tantùm fœlicitati contemplatiuæ. Præpoſterè ergo Ariſtoteles eam in poſtremum omninò locum reſeruaſſet. Carpentarius ad cap. 20. Alcinoinum 1. docet in primo Ethic. lib. tradi ab Ariſtotele finem hominis mortalis. Libro autem 10. tradi finem hominis in hac vita, quoad poſſumus, diuinam vitam imitantis? Quod nobis quidem non incommodat; nam tractatio de fine illo huius vitæ quo obtento deueniendum certò ſit ad ſtatum illum perfectum, inſtitueretur methodo reſolutiua. Idque ad anteriores quoque reſponſiones accommodari poteſt: Reuera tamen minus placet, quia ſic Ariſtoteles nullibi egiſſet, de fine ſimpliciter vltimo, ſeu de alterius vitæ fœlicitate; quæ tamen cùm ſit verus ſcopus totius Moralis negotij, non potuit prorſus omitti in hac ſcientia.

Vera ſolutio.

85. Illud itaque magis probarim, Ariſtotelem lib. primo, de fœlicitate vltima, ac etiam permixtim de fœlicitate huius vitæ diſſeruiſſe, tanquam de ſcopo in quem collimandum homini eſſet. Nam quamuis fœlicitas huius vitæ non ſit vltimus finis noſter; eſt tamen finis proximus quo obtento finem quoque vltimum ſuo tempore adipiſcemur. Itaque tacto vtcunque in primo libro fine noſtro ſimpliciter vltimo, inſiſtit præſertim in fine vltimo qui in hac vita obtinendus eſt, ſeu in ſtatu illo hominis perfecti, quē vera fœlicitas aliquando excipiet; nec ab Ariſtotele ponitur vt finis ſimpliciter vltimus, vt malè ei opponit. Cornel. Valer. in Morali c. 2. ſed vt finis vltimus, alterius vitæ finis ſubiunctus. Tum lib. 10. non tractat denuo de fœlicitate, ſed vt conſtaret quo tandem reuolueretur tota Moralis tractatio, expoſitis omnibus mediis quibus ad finem initio præfixum perueniri poteſt, obiter tantum denuò ingerit finis libro primo conſtituti excellentiam; vt eius inculcatione amaror, ſi quis in mediorum tractatione obuenerat, abſtergeretur; & voluntas in eius aſſequendi propoſito firmaretur. Perinde ac ſi Medicus (quem à ſanitatis quam intendit prænotione ac tractatione ordiri debere indubitatum eſt, & latiſſimè confirmat Zabarella l. 2. de method. à cap. 11.) expoſitis iis quibus ſanitas parari poteſt rurſus ſubderet, hæc qui vſurpauerit, ſanitate initio expoſita eiúſque commodis omnibus fruiturum.

Ante & poſt quas ſcientias hæc tradenda.

86. Reſtat ordo comparatiuus in hac ſcientia tenendus, nempe ante aut poſt quas diſciplinas exponenda vel audienda ſit. Permagni enim referre hunc ordinem in parandis diſciplinis ſeruare, eleganter oſtendit Arceſilas apud Galenum l. 2 de differentiis pulſuum, & Xenocrates apud Mercurialem 2. variar. lect. c. 51. quorum illud erat. *Sicut lana nouâ in carminata ad fullonis officinam non portatur: ita vellicandum & poliendum eſſe animum quibuſdam diſciplinis, priuſquam aliis tingatur* Cùm autem hic ordo quoad alias diſciplinas inter ſe collatas exploratus ferè ſit & abſque controuerſia; quoad hanc tamen diſſenſio eſt, fuitque iam olim. Nam Chryſippus l. 4. de vitis vt eſt apud Plutarchum de contrarietatibus Stoicorum, auſpicandum volebat à Logicis, inde ad Ethicam, tandem ad Phyſicam veniendum. Quem ordinem in hac diſciplina tradenda, approbauit Alex. Piccolom. 3. Moralis Philoſophiæ lib. c. 4. & fauet Philo ferè initio libri de congreſſu, præmittens diſciplinæ de virtutibus, hoc eſt, Morali Philoſophiæ, tanquam magni argumenti idonea proœmia, & magnæ domus congrua, veſtibula, ac denique ſuburbia magnæ vrbi, liberales artes & Logicam, intactis reliquis Philoſophiæ partibus. Alij referente Ammonio ad initium Categoriarum, duci initium volebant ab Ethicis, vt diſcuſſis affectuum inconditorum nubilis, lux doctrinæ in expurgatis mentibus plenior exciperetur. Quo argumento Simplicius in eodem categoriarum veſtibulo, adigitur vt concedat, leuem quandam & exotericam præceptorum Moralium tracta-

tionem

tionem (καθήκοντα ipſe nominat) eſſe cuiuis ſcientiæ præmittendam. Id quod externis paſſim ſapientibus placuiſſe, diſcimus ex Sancto Hieronimo ad c. 1. Eccleſiaſtis *initio*, vbi propoſito meri Salomonis librorum ordine, quo prouerbia incipientibus, Eccleſiaſtem prouectioribus, conſummatis autem atque perfectis cantica cãticorum aptata docet; ſubdit: *Haud procul ab hoc ordine doctrinarum, & Philoſodhi ſectatores ſuos erudiunt, vt primùm Ethicam doceant, deinde phyſicam interpretentur, & quem in his profeciſſe perſpexerint, ad Theologicam vſque perducant.*

Mihi placet ſententia quam S. Thomas 6. Ethic. lect. 6. his verbis ex Ariſtotele expreſſit. *Erit congruus ordo addiſcendi, vt primùm quidem pueri logicalibus inſtruantur, quia Logica docet modum totius Philoſophiæ. Secundò autem inſtruendi ſunt in Mathematicis, quæ vel experientia indigent, vel imaginationem tranſcendunt. Tertiò autem in naturalibus, quæ etſi non excedunt ſenſum & imaginationem; requirunt tamen experientiam. Quartò in Moralibus quæ requirunt experieniam, & animum & à paſſionibus liberum, vt in primo habitum eſt. Quintò autem in ſapientibus & diuinis quæ tranſcendũt imaginationem & requirunt intellectum.* Nec aliud potuit voluiſſe Franc. Piccolom. in introduct. c. 27. cùm poſt longam diſputationem concludit Moralem tradi debere poſt Philoſophiam ſpeculatiuam. Id enim de Phyſica tantùm, non autem de Metaphyſica verum eſſe poteſt, ob Metaphyſicæ difficultatem. Vt valdè mirabile ſit placitum Antonij Bernardi Mirandulali l. 20. euerſ. ſing. 2. qui Metaphyſicam omnibus omninò ſcientiis præmittendam induxit.

Hæc de ordine in morali per comparationem ad alias Philoſophiæ partes tradenda, ſeruando, non ſunt ad alias diſciplinas extendenda, cùm conſtare videatur diſparatè ad pleraſque ſe habere: ac proinde quãtis earum acceſſione illuſtretur plurimum roboretúrque; tamen parum referre præmittaturne an ſubſequatur applicatio ad Moralem. Quo pacto accipio quæ de iungenda arti Oratoriæ diſciplina Morali, latè differit Fabius l. 12. inſtit. c. 2. Nec aliter intelligo quod Petronius initio ſatyrici, improbans eos qui corda adhuc ſtudia in forum propellunt, & ad dicendi ſtudia promunt, priuſquàm ſapientiæ præceptis animos cõpoſuerint, & verba atroci ſtylo effoderint, autor eſt, vt Socratico plenus grege mittat habenas liber, cui ingẽtis quaterè Demoſtenis arma, conſiliũ eſt.

---

§. III.

Breuiculus Moralis Philoſophiæ Ariſtotelicæ, & quæ eius ad Morales aliorum tractationes comparatio.

87. ORdinatæ methodi, abſolutæque rerum Moralium tractationis ideam, de qua hactenus cumulatè nobis exbibuit Ariſtoteles, vt non modò quoad Naturalem, Rationalem ac Diuinam ſcientiam, ſed etiam quoad Moralem videri poſſit non prorſus hyperbolicè & oratoriè dictum ab Auerroë ad 3. de anima. *Ariſtoteles eſt regula & exemplar, quod natura inuenit ad demonſtrandam vltimam perfectionem humanam*, Hoc nunc expendere conſilium eſt, conſiderata abſolutè & comparatiuè Morali Ariſtotelica: eadémque opera diuiſionem huius diſciplinæ trademus, & quid alij in hanc ſcientiam contulerint, declarabimus

Quot huius diſciplinæ partes, & vbi quæque à Philoſopho expoſita.

Antiqua & peruulgata ſententia de partitione Moralis Philoſophiæ, ea eſt quam Euſtratius in proœmio Ethicorum, Albertus lib. 1. Ethic. tractat. 3. cap. 1. D. Thomas ibid lect. 1. Seneca epiſt. 89. *ita ſenſiſſe & maximos & plurimos autores*. Ammonius præfat. ad categor. itémque in præfat. ad Porphyr. Ac ex Platonis mente Alcinous cap. 3. & ad vnum antiqui omnes proponunt, ſequunturque plurimi recentiores vt Foxius lib. 1. compendij Ethic. cap. 1. Iauell. initio Ethic. Foreſtus ibid. paſsimque alij. Nempe vt pro triplici actione humana, honeſtatis triplicis capace, (priuata ſcilicet vniuſcuiuſque, domeſtica, & ciuili,) tres quoque ſtatuantur huius Philoſophiæ partes, triplcis illius actionis informatrices, & eodem ordine quo nunc à me propoſitæ ſunt pertractandæ: Nimirum Monaſtica, Oeconomica, & ciuilis. Quod enim Monaſticam ab Ethica ſeiungit Angeſtus in prologo lib. 1. de virtutibus, præter omnium mentem factũ ab eo eſt, & non benè, cùm Monaſticam priuatæ cuiuſlibet hominis informationi, Ethicam verò omnium omnino hominum communi iuri præſcribendo addicat? Oeconomicam iuri domeſtico; Politicam, iuri ciuili. At vides ius commmune omnibus, non aliud eſſe quàm ius ciuile paulò latius ſumptum quàm vt vnius ciuitatis finibus claudi queat, ideóque non debuit Ethica ſic accepta diuelli à Morali Philoſophia politica ſiue ciuili, quam omnium diuiniſſimam & veluti apicem cæterarum indigitat Philoſophus 1. Ethic. c. 2. Primam cenſetur Ariſtoteles tradidiſſe in Ethicis Nicomachiis, & magnis, vt vocant Moralibus, librísque de moribus ad Eudemum. Secundam in Oeconomicis, quæ & ſeparato volumine ab eo conſcripta ſunt, & principio quoque Politicorum inſerta. Tertiam in Politicis.

88. Quæ ſi rectè conſtituta ſunt; habemus plenam à Philoſopho Moralis diſciplinæ tractationem. Quod enim opponi poteſt ex quatuor partibus in quas ciuilẽ Philoſophiam ſubdiuidit ſupra Euſtratius, omiſſas eſſe Iudicialem, Exercitatricem, & Medicinam, ſola Legiſlatrice pertractata, quæ primũ locum in ea Euſtratij ſubdiuiſione occupat. Hoc inquam non debet cuiquam negotium faceſſere, aut perſuadere mancam eſſe quam ex Ariſtotele habemus doctrinam de moribus. Quis enim non videt Medicinam perperam ſubiici Morali diſciplinæ, ſtatuíque partem Politicæ, cùm toto cœlo differant? Quippe cùm earum vna corporis ſanitatem, altera actionum humanarum honeſtatem ſpectet, quod eſt non modò ratione formali ſcientiarum conſtitutiua & diſtinctiua; ſed etiam obiecto materiali, plerumque ſcientiis diſtinctis communi, diſſidere. Idem exercitatione dico. Et alioqui ſanè eodem iure omnes artes liberales ad mechanicas, quia vſum aliquẽ circa ciuilem vitam & bonum hominis quoad corpus ſtatum habent poſſemus Morali diſciplinæ ſubiicere, quod nemo admiſerit. Iudicialem quatenus in ſcientia tradi poteſt, nego eſſe à Philoſopho prætermiſſum, cum partim tractatione de legibus, partim explicatione iuſtitiæ, contineatur, vt patebit ex dicendis ſuo loco.

An in Ethicis tradatur Monaſtica, & hæc ſit vera portio huius ſcientiæ.

Dimiſſo igitur Euſtratij placito, duo excutienda reſtant, quæ peruulgatæ illius doctrinæ circa Moralis Philoſophiæ partes, & Ariſtotelicam earum in operibus paulò antè enumeratis tractationem oppon video. Alterum ſpectat ad operũ illorum inſtitutum,

adiiſſet, & miſſus eſt, cùm à quodam fuiſſet allegatum, legem illam de hominibus accipiendam eſſe, non de Philoſophis qui ſunt ſuper homines. Omitto quæ Diuus Greg. 18. moral. c. 39. & Richardus Victor. ad prologum Cant. aliique Patres diſputant, cum eodem ſenſu dicũt, hominem ſanctum ſupra hominem eſſe.

Itaque quia verè admittenda eſt virtus hominis abſolutè & in ſe ſpectati, concedenda quoque eſt pars moralis Philoſophiæ in illam intendens. Hanc vocamus Monaſticam, & niſi ab Ariſtotele vitioſè prætermiſſam volumus, fatendum eſt expoſitam ab eo fuiſſe in libris Ethicorum, & aliis eiuſdem argumenti, quod malè autores prædicti diffitentur.

Libros Ethicos vniuerſam morum ſcientiam complecti, ſententia Mirandulani.

92. E contrario Ant. Bernard. Mirandul. lib. 20. euerſ. ſingul. certam ſect. 3. & lib. 5. de honore, contendit vniuerſam doctrinam ciuilem tradi in libris Ethicorũ, quos propterea ait eſſe per ſe politicos. Quæ verò in libris Politicorum continentur, hoc eſt, tractationem legum & magiſtratuum, negat pertinere ad ciuilem ſciẽtiam, niſi per accidens ob deprauationem naturæ humanæ quæ poſtulat vim coërcitiuam improbitatis, vt qui virtutis amore peccare non oderunt metuant delinquere formidine pœnæ: Eò enim duntaxat ſpectare videtur vniuerſa magiſtratuum inſtitutio, & legum poſitio. Confirmatur, quia in libris Ethicis, & finis Politicæ exponitur; nempe ſummum bonum; & media quibus ad illud pertingere quiſque poſſit, nempe virtutes. Quidni ergo fateamur exponi in his libris ciuilem ſcientiam vniuerſam, quoad ea quæ per ſe in hanc ſcientiam cadunt, & non ex euentu, ſeu ſpectata hominum deprauatione.

Reiicitur.

Verùm hic autor cui in more poſitum eſt è regione vniuerſorum figere tabernacula, dum nimium indulget ingenio, & paulò ſtudioſiùs itinera non trita conſectatur, à veritate frequenter aberrat. Quod vt alia taceam, manifeſtè apparet in re præſenti. Homo enim per ſe & ſuapte natura, eſt animal ſociabile ac politicum, in quo ſtatu poſtulat pleraſque virtutes; quibus non eget in vita ab illis hominibus ſemota, ac ſpectatus ſecundùm ſe. Ergo ciuilis diſciplina quatenus hunc hominis ſtatum reſpicit, non conſideratur in ea Philoſophiæ parte, quæ hominem ad ſe duntaxat ſpectatum informat, ac proinde conſtituit peculiarem huius diſciplinæ portionem. Et ita frequentiſſimè Ariſtoteles, nominatimque 1. Ethic. c. 2. vbi hãc ait eſſe Philoſophiæ moralis partem diuiniſſimam. Item 6. Ethic. c. 7. ſtatuit Legiſlatricem eſſe partẽ ciuilis diſciplinæ. Et idem patet ex fine decimi Ethicorum, & ex aliis pleriſque locis. Adde quod iuxta aduerſarium nulla pars huius diſciplinæ monaſtica, quam ſupra ſtabiliuimus. Si enim quæ Ariſtoteles in libris Ethicis tradit, ſunt per ſe politica, nulla ergo inſtitui poterit tractatio de homine ſecundùm ſe ſpectato; & virtutibus ei neceſſariis, prout ſeorſum ab aliis hominibus conſideratur. Vbi ergo Monaſtica, quæ nihil aliud continere poteſt.

93. Argumentum aduerſarij non eſt ad rem: falsò enim ſupponit leges tantùm ferri & magiſtratus tantùm inſtitui vt peruerſos coërceant. Imò verò per ſe, & ex primaria intentione, feruntur vt dirigant homines in vita communi ac politica. Quamuis vt efficaciter id præſtent, neceſſe ſit adiungi virtuti directiuæ vim coërcitiuam, ne homines ex naturæ deprauatione ad ſcelera proni, ruant in ea effrenes, nemine habenas adducente, ſuppliciorum intentatione. Confirmatio quæ ex aduerſario ſubdebatur eliſa eſt. Neque enim virtutes omnes per ſe & ex inſtituto, tractantur in libris Ethicis, niſi generatim, ſeu quatenus virtutes ſunt, aut quatenus ſũt virtutes neceſſariæ ipſi homini ſecundùm ſe conſiderato, & abſque communicatione cum aliis hominibus. Quamuis per eam occaſionem inſtitutæ ex parte tractationis de virtutibus, & earum naturæ generatim expoſitæ, addi ſoleãt quæ ſpectant ad alias virtutes, præſertim priuatorum hominum ad alios priuatos comparatorum.

Quis trium huius ſcientiæ partium proximè conſtitutarum ordo, ex natura rei, & apud Ariſtotelem.

Perſtemus ergo in antiqua ſententia, iuxta quam moralis Philoſophia tripartita ſtatuitur. Monaſtica ſcilicet, Oeconomica, & Politica, quarum partium vnaquæque per ſe ſpectet ad hanc diſciplinam, vt rectè contra quoſdam Peripateticos aſſerit Seneca epiſt. 89. Et prima quidem in libris Ethicorum aliiſque eiuſdem argumenti; ſecunda in Oeconomicis, tertia in libris de Republica pertractata ſit à Philoſopho. Eſſéque ordinem illum & rationalem, & naturalem probat Ægid. lib. 1. de reg. Princip. p. 1. cap. 2. Rationalem quidem, quia quæ ſunt ad alterum, ſunt poſteriora iis quæ ſunt ad nos ipſos, ac proinde Oeconomica & Politica in quibus attenduntur alij, debent ſubſequi Monaſticam, quæ ipſimet homini abſolutè ſpectato eſt intenta. Naturalem autem eſſe eum ordinem probat, quia ab imperfectiori ad perfectius progreditur, vt natura ſemper ſeruat. Eſt enim perfectiùs benè regere familiam, quàm ſe ſolùm: & adhuc perfectiùs eſt regere ciuitatem ac regnum, quàm familiam. Hic igitur eſt ordo & argumentum operum Philoſophi moralium.

94. Malè autem ordinem illum peruertere nititur Franc. Patric. tom. 1. diſcuſſ. Peripat. l. 9. *in fine*, contendens initium huius diſciplinæ à Politicis ſumi debere; inde ad Oeconomica veniendum; tandem ad Ethica, vt ab vniuerſalioribus ad minus vniuerſalia progreſſus fiat. Item quia munus Politici eſt, & familias & ciues rectè informare; nec familia & ciuis quilibet alio ordinatur, quàm ad ciuitatẽ conſtituendam, quæ proinde & natura, & fine, & vtilitate anterior eſt cæteris partibus huius Philoſophiæ.

Hæc tamen argumentatio eſt admodum leuis. Tametſi enim intra quamuis tractationem vniuerſaliora ſint præmittenda, quantum fert methodus prudentiæ; tamen cùm vna tractatio cum alia confertur, non eſt ſemper neceſſe vt quæ aliquid continet vniuerſalius, quàm quod alia continet, eidẽ præmittatur. Alioqui metaphyſica eſſet præmittenda omnibus, quod falſum eſſe conſtat. Similiter igitur quamuis Politica vniuerſalius aliquid contineret, quàm Oeconomica & Monaſtica nequaquam inferre liceret, præmittendam neceſſariò eſſe Politicam, quandoquidem poſſet hic quoque alia obſtare; ſicut reuera obſtant pro Metaphyſica, quæ tametſi vniuerſaliſſima collocatur tamen poſtremo loco. Addo verò aſſumi falſo à Patricio quod Politica ſit vniuerſalior Oeconomica, & hæc quàm Ethica: Aliquid enim vniuerſaliùs & latius fuſum eſt homo, quàm familia, & familia quàm ciuitas. Ex quo conteritur prima argumentatio. Nec operoſum eſt ſecundum elidere. Nam quamuis homo ad familiam, hæc autem ad ciuitatem conſtituendam ſuapte natura dirigatur, & eatenus ciuitas ſit aliquo modo prius natura quàm familia vel homo; nempe in genere cauſæ finalis: Tamen ex alio capite, familia eſt prior ciuitate; & homo prior quàm familia,

nempe in genere cauſæ materialis & intrinſecè componentis; à qua proinde pendere neceſſariò debet notitia conſtituti per huiuſmodi materiam. Quódque maxime attendendum eſt in hoc negotio, qualibet huiuſmodi partium, ſpectata antecedenter ad totū quod componit, eſt capax alicuius perfectionis moralis neceſſariò præſupponendæ ad perfectionem illius totius quod ex ea conflatur. Neque enim erit bonum familiæ membrum, quod ipſi nequam erit; neque bonam ciuitatem conſtituet quod honeſtate, & ad bonam familiam, & ad bonum virum requiſita, deſtituitur. Quare omni iure peruulgata partium Moralis Philoſophiæ ordinatio retinenda eſt. Et primus locus Ethicæ ſiue Monaſticæ, ſingularem quemlibet hominem informanti; Secundus Oeconomicæ dirigenti familiam; Tertius Politicæ inſtituenti ciuitatem aſſignandus. Primam autem illam partem, Ariſtoteles in libris Ethicis; ſecundam in Oeconomicis; tertiam in Politicis tradidit, vt affirmabam.

Ethica quatenus tradere dicatur Politica principia.

95. Neque tamen negauerim in libris Ethicorum tradi principia & ſemina politicæ honeſtatis: cùm enim ſint eadem generalia principia honeſtatis cuiuſcunque; nec poſſit Monaſtica quæ fundamentum eſt & origo cæterarum huius diſciplinæ partium, exponi, iis principiis prætermiſſis quæ prima eo loco occurrunt; meritò in explicatione principiorum illorum cenſetur contineri expoſitio principiorum honeſtatis ciuilis. Et hoc attendit Ariſtoteles 1. magnor. Moral. c. 1. cùm dixit tractationem de moribus eſſe partem & principium ciuilis tractationis. Eodemque reſpexit S. Thom. 1. Ethic. lect. 2 &. 19. cùm dixit libris Ethicorum contineri elementa ſcientiæ Politicæ.

Locus verò Ariſtotelis in calce decimi Ethicorum quem præterea vrget Piccolomineus, vt probet hos libros continere ſola Politicæ principia & theoricam huius ſcientiæ, nihilque præterea, non multùm cauſā eius promouet. Ait ibi Ariſtoteles non ſatis eſſe ſcire quid ſit virtus, ſed eliciendа eſſe virtutis opera, ideóque de politia & legibus ac magiſtratibus, agendum deinceps eſſe, Hinc ergo ſuaderi videtur libros Ethicorum eſſe veluti theoriam, ciuilis diſciplinæ principia continentem, cuius deinde praxis in operibus Politicorum proximè conſequentibus tradatur.

96. Verùm ſi hæc argumentatio firma eſſet, probare ſimiliter liceret contra aduerſarios, ſolum primū librum Ethicorum continere theoriam moralem: reliquos autem libros eſſe practicos: nam Philoſophus 2. Ethic. c. 2. æquè affirmat hanc totam tractationem opus reſpicere, ideóque veniendum eſſe ad praxim virtutum. Sicut ergo nihilominus aduerſarij volunt reliquos nouem libros theoriam tantùm continere: ita fateri debent ex eo loco non colligi quod colligere ipſi intendebant. Quare Ariſtoteles eo capite vltimo libri decimi, vult ſibi viam ad tractationem conſequentem & Moralis Philoſophiæ abſolutionem munire. Quod vt faciat, ait ſermonem ſuaſiuum non ſufficere vt aliquis fiat bonus, ſed exigi aſſuefactionē & conſuetudinem, quæ vt indicatur interponendam eſſe legem. Hæc enim non ſuaſionem duntaxat ac directionem, ſed vim quoque coactiuam adhibet cùm res fert; idque ſine odio, quia cùm communiter proponatur, non eſt odioſa: ideóque eſt opportuniſſima ad efficaciter procurandam executionem virtutum, & aſſuefactionem in bono. Quod ſi deſint publicæ leges, vt apud ciuitates, Cyclopum more degentes; vel ſi homo ſpectetur prout tantùm viuit in familia, quæ eſt ſocietas anterior ciuili & politica; tunc curandum eſſe ait, vt Paterfamilias, domi ſuæ illum legum defectum ſuppleat: id quod curandum eſt etiam quoad multa de quibus expedit leges publicas ſilere. Hinc ergo concludit Ariſtoteles poſt explicatam in Ethicis monaſticam, aggrediendum ſibi eſſe ad partem illam qua homo redditur idoneus ad leges ferendas. Quod eſt vt dixi efficaciſſimum adiumentum ad firmandum vſum bonorum morum, & eorum executionem conſtanter vſurpandam. Ea porrò pars Moralis diſciplinæ qua homo ad leges ferendas diſponitur, non eſt ſola Politica, (quamuis ipſa quidem principaliter & eminentiſſimè id præſtet;) ſed eſt etiam Oeconomica, in qua Paterfamilias informatur vt leges benè diſponendæ familiæ, & ad virtutem promouendæ conſentaneas ferat. Imò legiſlatrix hæc Oeconomica eſt ſaltem natura anterior legiſlatrice Politica; ſicut ſocietas dumeſtica eſt prior ciuili.

Ex quo vides Ariſtotelem in calce Ethicorum non nouiſſe Oeconomiam loco ipſi debito, nec eam poſtpoſuiſſe ciuili, qui fuiſſet ordo præpoſterus: cùm bonus ordo ciuitatis ex bona familiarum conſtitutione præcipuè exurgat, eámque ſupponat. Habemúſque in hanc rem etiam Philoſophi ſuffragium. Non totus prope liber primus Politicorum, Oeconomicus eſt. Quæ verò Scainus in notis ad libr. Polit. lib. 1. cap. ſuo 14. profert vt perſuadeat eum ordinem Oeconomicæ poſt Politicam, manent ex dictis eliſa. Nec plura de primo puncto ſupra propoſito, ſeu de tripartita Morali diſciplina, & eius partium ordine, & libri quibus à Philoſopho expoſita eſt.

Cenſura Moralium Philoſophi operum, & de quibus minus laborandum.

97. Circa ſecundum punctum ſupra propoſitum, hoc eſt verè ne eos quos dixi libros Ariſtoteli adſcripſerimus, vt fert communis ſententia, ſolliciti præſertim eſſe debemus de Ethicis Nicomachiis. Nā quod Franc. Patricius tom. 1. diſcuſſ. Peripat. lib. 4. Ariſtoteli adimit ſecundum Oeconomicorum, ob ſtyli, vt ait, diuerſitatem & parū dignam Ariſtotelis ingenio tractationem, parum me ſollicitum habet, qui videam non multum inde decedere de Ariſtotelica morali Philoſophia, iiſque reliquiis 178. Philoſophi Moraliū librorum qui ab antiquis allegantur, & magnam partem interciderūt. Quod item libros Moralium Eudemiorū Patricius Ariſtoteli abiudicat, tribuitque Eudemo illi Rhodio, qui etiā Dialectica & Phyſica multa conſcripſit, eſt id quidem non multum probabile, cùm tam multa in libris illis planè Ariſtotelica, & plerúmque iiſdem verbis quibus alibi ab Ariſtotele expoſita ſunt, reperiantur. Tamen vt ex hoc concedatur, minus eſt diſpendium, cum illi libri qua parte à Nichomachiis differunt, rudes ac impoliti ſint. Quanquam eis adhuc incultiora videntur magna Moralia; ſic dicta ſiue quod magni operis exiguæ reliquiæ ſint; ſiue quod vniuerſalia quædam in iis tractentur, vt Viues in Ariſtotelis operum cenſura notauit. Quanquā apud Alexandrum 4. q. cap. 12. (quod Patricius etiam contendit) nomine magnorum Moralium, intelliguntur hi decem libri Nicomachij, non autem duo illi libri & mole & grauitate exigui. Vnde non ita me malè haberet, ſi ea duntaxat quæ nunc inſcribuntur magna Moralia Ariſtotelis eſſe negarentur: fortéque de eis agit Atticus apud Euſeb. 15. præpar. c. 3. liberè pronūcians magna Ariſtotelis Moralia *exiguum quiddam & humile eſſe, imò vulgare prorſus, nec amplius quā idiota aliquis, & homo indoctus aut adoleſcens ſiue mulier aliqua ſentiret.* Quod iudicium quamuis ab homine Platonico & Ariſtoteli infenſo profectum, plenam fidem non faciat; oſtendit tamen opus in quod

tadit

cadit non ita magni paſſim factum, cùm de eo ita abiectè pronunciare non erubuerit Atticus. Si tamen de magnis Moralibus, non eſt locutus eodem ſenſu quo Alexander & Patricius, hoc eſt, deſignans libros Nicomachios. Quid enim mirum opus quantumuis accuratum ab aduerſario deſpici? Denique libellum de virtutibus, ex quo tanquam verè Ariſtotelico ſegmenta profert Stobæus ſerm. 8. & 109. non grauatè fero ab aliis Ariſtoteli adimi, cùm humilior ſit ea tractatio quàm vt Ariſtotelem parentem referat. Iulius Paccius in Prolegom. ad Ethicã n. 15. ex codice quodã manuſcripto, autorem illius libelli facit Andronicum Peripateticum, cuius extat paraphraſis in decem Ariſtotelis libros Ethnicos & libellus de affectibus.

Patricij argumenta ad libros Ethicos Ariſtoteli abiudicandos.

98. At libros decem Ethicorum Nichomachiorũ, ipſam ſcilicet Moralis Philoſophiæ Ariſtotelicæ medullam, contra communem prope omnium ſenſum, tanta præſertim operis accuratione autorem prodente, Ariſtoteli adimi, non poſſumus diſſimulare, niſi vrgentia argumenta Ariſtotelem de præſcripta iampridem horum librorum poſſeſſione deiiciant, quæ certè hîc non ſuppetunt. Non enim aliud vrget Patricius, quam quod Tullius 5. de finibus hos libros Nicomacho tribuat. Idem ſignificat Laërtius in Eudoxo, citãs nomine Nicomachi, locũ qui in his Ethicis l. 10. c. 1. & 2. reperitur. Vrget item Patricius, abſurdum videri, dicere Ariſtotelem huiuſmodi opus inſcripſiſſe filio Nicomacho, qui quo tempore pater obiit, adhuc tenerrima ætate & penè infãs erat, quod ex Ariſtotelis teſtamento apud Laërtium ſatis colligitur, habetúrque etiam ex Euſebio 15. præparationis c. 1. in fine, vt veriſſimile certè non ſit ei tunc à patre, homine grauiſſimo, tam ſerium opus fuiſſe dicatum. Tandem opponitur indubitatus Ariſtoteles qui 2. Polit. c. 1. citat ex ſuis libris Ethicis, nonnulla de æqualitate talionis ciuitates ſeruante, quæ tantùm abeſt vt hîc habeantur, vt potius contrarium affirmetur lib. 5. Ethic. c. 5. Sed & 7. Polit. c. 3. allegatur ex libris de moribus, quòd beatitudo in contrariis paupertati, morbo, & aliis fortunæ caſibus poſita ſit, quod in his libris non habetur. Deeſt etiam in libris Analyticis quod hîc l. 6. c. 3. ex libris illis allegatur de definitione ſcientiæ. Hæc ſunt quæ à Patricio, ad conuellendum communẽ ſenſum de vero horum librorum parente, proferuntur.

Confutantur.

99. Sed vt præmiſi, nihil hîc admodum vrgens proponitur. Tullium enim tam malè plerùmque de Philoſopho meritum, non multum hac in parte moramur, Minus certè impensè, ne dicam oſcitanter, in Philoſophi libris verſatum Tullium, euincit, vt cætera nunc taceam, Ariſtotelica definitio animæ, quam apertè peruertit Tullius 1. Tuſcul. meritò ab Argyropilo notatus indiligentiæ in Ariſtotelis lectione & expenſione. Satis autem frigidè à Politiano defenſus cent. 1. miſcell. c. 1. nec magis efficaciter à Viue 22. ciuit. cap. 11. vbi poſt tempus aliquandiu fruſtra contritum, vt aliquid dicere videretur, tandem pro Tullij defenſione otioſos omnes obteſtatur, vt eam immemoriam Tullio homini occupatiſſimo, cui Ariſtotelem conſulere non vacauerit, condonatam velint. Quid ſi igitur nos quoque hoc ipſum in iſta de qua agimus Tullij ceſpitatione excuſemus? Multò etiam minus me mouet Laërtius, non tam hiſtoricus quàm rapſodus, & quidem non admodum accuratus, vt liberè Balfoureus hic c. 5. procemii, & ante eum Scaliger ad 1. librorum de plantis, Ariſtoteli adſcriptorum annotauit.

Ratio item quam ex tenera Nicomachi ætate cùm è viuis exceſſit Ariſtoteles, petebat Patricius, firma non eſt. Nam & Syneſij Dion, puellulo nondum concepto dicatus legitur. Quod ſi tantoperè refugit Patricius concedere hos libros ab Ariſtotele filio Nicomacho, iam tunc edito tametſi puellulo, fuiſſe dicatos vt eſſent procedente tempore chariores? dicat cum Euſtratio initio Ethicorum, eum Nicomachum cui hi libri inſcripti ſunt, eſſe alium quempiam eo nomine inſignitum; puta patrem ipſius Ariſtotelis, vt ex aliquibus refert in horum librorum veſtibulo Ioannes de Celaya, plura ibidem ineptiens circa hanc Epigraphen; Aut cum Piccolomineo c. 12. introduct. dicat inſcriptũ horum librorum initio nomen Nicomachi, non quod illi dicati eſſent, ſed pro more veterum qui charorum nominibus libros ſuos nominabant, vt ſæpè apud Platonem cernimus. Dicat denique cum aliis voluiſſe patrem informari hac inſtitutione filium ſuũ, cùm idonea ætas appetiiſſet. Sanè in veteribus codicibus inſcriptio horum librorum non eſt quæ nunc paſſim in Latinis voluminibus legitur, nempe *Ethicorũ ad Nicomachum libri decem*, quod dicationem voluminis ſapit, ſed iſta, *Ethicorum Nicomachiorum libri decem*. Cum qua Epigraphe, rectè cohæret quod hi libri in eius duntaxat vſum conſcripti eſſent, quamuis non ei inſcripti. Hæc dixerim admiſſa illa humili Nicomachi ætate, cùm pater è viuis exceſſit, de qua vltra tricari non libet. Quanquam eam certè non admittent Paccius in Prolegomenis ad hos libros n. 12. & alij qui contendunt hos libros à Nicomacho denominationem hauſiſſe, quod dictante patre, ab ipſo fuerint excepti, vt Eudemij ab Eudemo.

100. Ad extremum loca quæ Patricius in his libris deeſſe, vel etiam pugnare cum placitis Ariſtotelicis obtendebat, immeritò vrgentur. Deſtrui namque ciuitatem admiſſa talionis arithmeticæ æqualitate quam Rhadamantus adhibebat, rectè à Philoſopho aſſertũ eſt in Politicis, & hîc confirmatum l. 5. c. 5. Quamuis meritò ibi idem Ariſtoteles (quod Patricius non ſatis diſtinxit) admittat æqualitatem Geometricam talionis. Pari fide negat Patricius, reperiri in hoc opere quam Ariſtoteles alibi aſſerit neceſſitatem externorum bonorum ad conſummandam beatitudinem. Frequenter enim id inculcat l. 1. præſertim c. 10. Idque ſæpe Chriſtiani Doctores, & alij Ariſtoteli vitio verterunt, librũ illum primum allegantes, vt infra referemus. Denique definitio ſciẽtiæ actualis ſatis in Analyticis tradita fuerat; ibique de ſcientia tam multis actum vt potuerit Ariſtoteles hoc loco, ad illud opus reiicere eos qui naturam ſcientiæ penitius introſpicere vellent; ne hîc extra locum in ſcientiæ quidditatem inquireret.

Itaque perſpicuè contritis omnibus rationibus quibus horum librorũ poſſeſſionem Ariſtotelicam impetebat Patricius, pro Ariſtotele pronunciandũ eſt; quod & antiqui propè omnes fecerũt, & recentiores in horum librorum veſtibulo. Vbi Victorius nominatim adducit Alexandrũ & Simplicium. Imo Piccolomineus in introduct. c. 13. contrarium placitum ait tantum fuiſſe quorundam Grammaticorum, quibus pluris eſt vnus aliquis locus Tullij, quàm Philoſophorum vniuerſorum conſenſus. Certè ſi ſtylum, ſi accuratum ſcribendi & tractandi genus, ſi concentum cum aliis certò Ariſtotelicis operibus, & deniq; omnes notas genuini fœtus attentè inſpicimus, dubitare nõ licebit quin verè à Viue in cenſura operum Philoſophi pronunciatũ ſit, nullum videri tam Ariſtotelicum opus, quàm iſtud. Eſtque tam aperta huius operis cum libris Politicorum connexio, & conſenſio, támque perſpicuum

eſt eundem eſſe vtrinſque operis parentem, vt qui vnum Ariſtoteli adimit, alterum item ſubrahere adigatur, quod nec ipſe quidem Patricius de Politicorum libris tentauit quicquid ei in aditu ad Ethicorũ librorum paraphraſim, impingat Peregrinus,

Summa Ethica Ariſtotelica.

101. Habemus ergo à Philoſopho non mancam ſed integram moralis diſciplinæ tractationem, etiam quoad Monaſticam libris Ethicorum pertractatam. Quam verò diligenter & plenè ſingulas huius ſcientiæ partes perſecutus ſit, conſtabit euidenter cùm de ſingulis. Nunc vt vniuersè id potiùs attingam, quàm exponam; obiter dico, Ariſtotelem ita Monaſticam tradidiſſe in his libris vt præfixo homini fine ſuo vltimo, cuius in practicis conſtitutio & prænotio, ante omnia præmitti debet, perget ad media fini illi conſequendo opportuna. Media autem illa, virtutibus earúmque actionibus continentur. Quare à fœlicitate libro primo expoſita gradum facturus ad actiones virtutum, duo virtutum membra proponit in libri primi fine. Eorum alterum, nempe virtutes Morales tractat. l. 2. 3. 4. 5, Alterum, hoc eſt. virtutes intellectuales, exponit l. 6. Quæ tractatio non eſt à re morali abhorrens, quia, vt initio ſexti monemur, medium quod virtutes omnes Morales poſtulant, nequit definiri niſi per rectam rationem. At rationis rectitudo virtutibus intellectualibus continetur. Sic expoſitis virtutibus, Ariſtoteles ad annexa virtutibus, eaſve conſequentia progreditur. Ac primùm l. 7, ad continentiam, quæ eſt quid imperfectum in genere virtutis. Tum lib. 8. & 9. ad amicitiam quæ eſt quidam virtutis effectus. Tandem lib. 10. ſiſtit in voluptate ſeu delectatione quæ eſt alius virtutis partus, ſubdens nõnulla de fœlicitate, vt oſtendat quo pacto tota de moribus diſputatio, illuc vſque præmiſſa, in fœlicitatẽ tanquam finẽ initio propoſitum reuoluatur.

Item Oeconomica ac Politica.

102. Iam verò Oeconomicam, vt ex lib. 1. Oeconomic. c. 2. & ex 1. Polit. perſpicuum eſt, ita pertractauit Ariſtoteles, vt nihil deſiderari queat. Cùm enim ad familiæ conſtitutionem homo & poſſeſſio interueniant: & ad hominem quidem pertineat viri & vxoris ſocietas, quæque hanc ſubſequitur procreatio & educatio liberorum; ad poſſeſſionem autem ſpectent ſerui & agri, multiplexque ratio parandæ & augendæ rei familiaris; nihil horum intactum prætermiſit, vel leuiter dumtaxat attigit Philoſophus. ſed omnia accuratè eáq; copia perſecutus eſt, vt mirũ videri poſſit, homini ſpeculationibus potius & Metaphyſis tricis aſſueto, tam fœliciter eam tractationem ceſſiſſe.

Denique breuem ſummam ſuorum de Repub. librorum confecit ipſemet Ariſtoteles in calce decimi Ethicorum. Et cùm tres ſint Reipublicæ conſtituẽdæ rationes, quæ iure laudantur, Monarchia, Ariſtocratia, & Democratia; triáque his oppoſita vt ipſe Philoſophus nominat, Rerũpublicarum peccata; Nempe Tyrannis, Oligarchia, & Status popularis; ita luculenter, eáque doctrinæ ſubtilitate, & variæ eruditionis vbertate, triplicis probati regiminis conſtitutionem & commoda, ac quæ in ſingulis cauenda & tenenda trium item illarum aberrationum incommoda, & earum præcludendarum, aut ex quo enatæ fuerint tollendarum, rationes perſequitur, vt neſcias quid magis ac præ cæteris mirandum ſit, doctrinæ ne varietas ac redundantia, an diſpoſitio ordinatiſſima, cum inſigni vbique amœnitate & flore coniuncta.

Moralis Ariſtotelicæ ad alienas præcellentia quoad doctrinam.

103. Itaque perſpicuum eſt Moralem Ariſtotelis Philoſophiam eſſe in ſe & abſolutè optimam, quod primo loco oſtendendum ſuſceperam. Nempe verò his poſitis laborandum admodum erit, vt appareat quod præterea propoſueram; nempe comparatiuè quoque optimam eſſe, vt rectè contendit Sepulueda lib. 2. de milit. diſcipl. honeſt. ſub initium. Nec tantùm in theoria, quam vnam excellentiſſimè ab Ariſtotele traditam, affirmat Iouianus Pontanus in præfatione libri de immunitate, ſed etiam in praxi. Imo verò tantùm in praxi, quia hæc tota tractatio apud Ariſtotelem practica eſt. Quamuis autem infiniti præterea alij, & iam olim ante Philoſophum, & poſt eum, de moribus & recta hominis priuati aut familiæ vel Reipublicæ inſtitutione libros ſcripſerint; interdum ſub aliis nominibus vt Nicolaus Damaſcenus quem Simplicius ad cap. 37. Enchirid. Epicteti complexum refert morum Philoſophiam in opere quod inſcripſit de officiis & interiori pulchritudine: Nemo tamen breuiùs, aptiùs, & dilucidiùs hoc argumentũ complexus eſt. Nemo minora peccauit in bonos mores ad amuſſim rectæ fidei conſideratos.

Antiquiores ſanè alij rerum moralium tractatores. præſertim fuerunt Poetæ ſi Patricium audimus lib. 2. de regno tit. 2. (primúmque Pherecydem qui Pythagoram habuit auditorem, verſuum nexu repudiato conſcribere auſum paſſiuis verbis, ſoluto loquutu libera oratione, ſcribit Apul. 2. Florid. ſub finem.) Et Pythagorei, quorum fragmẽta ſparſim apud Stobæũ ſuperſunt, indéque à Cantero & aliis coagmentata ſunt; & Stoici quorum Moralem Philoſophiam, eruditè de more exhibuit in ſua manuductione ad Stoicam Philoſophiam Iuſtus Lipſius, & ante eum Barlaam Gazycenus in Morali Philoſophia ſecundùm Stoïcos quæ extat. 14. bibliothecæ Colonienſis; Et denique Socrates, (quem idcircò Lucretius initio libri ſexti laudibus effert;) Plato & Platonici magno numero. Hi inquam & ſi qui alij Ariſtotele antiquiores huius diſciplinæ tractatores, incredibile eſt quàm ſæpè ac fœdè lapſi ſint in rebus cæteroqui non admodum obſcuris, conſulto naturæ lumine. Nec qui Stoïcos purgare plerúmque tentat, laudatus proximè Lipſius, intentum aſſequitur. Socratem & Platonem rerum omnium communione inducenda, vxoribus quoque non exceptis, *mundum vniuerſum vnicum lupanar feciſſe*, rectè obſeruauit Saluianus lib. 7. de prouid. exaggerátque etiam Lactantius l. 3. inſtit. c. 21. & 22. Alia in iiſdem vel relatu indigna reprehendit latè S. Chryſoſt. hom. 4. in Acta. Theodor. l. 9. aduerſus Græcos, & Alphonſus Toſtatus opuſ. de optima Politia. Laterem verò lauat, qui Socratem & Platonem in Philoſophia morum vſquequaque purgare contendit Franc. Patric. tom. 3. diſcuſſ. Peripat. toto lib. 7. Itaque non eò tantùm nomine diſplicere debet Moralis Platonica quod humilior ſit quàm Stoïca, vt ipſi Ethnici tradunt apud Origenem lib. 1. contra Celſum, ſed etiam quod multis nec modicis fœditatibus ſcateat.

Ac etiam quoad docendi viam & modum.

104. Et vt nulla iſti in parte rectam finem violaſſent; rationem tamen tractationis vulgarem, ac præſertim ordinem minus diſtinctum adhibuiſſe, quod Pythagoræ ac Platoni obiicitur 1. magn. Moralium cap. 1. res ipſa loquitur. De priſcis illis Poëtis mirum non eſt, quia & lege carminis aſtringebantur, & id non intendebant vt Moralem ſcientiam exactè traderent; ſed per occaſionem aliquid ad vitæ honeſta-

tem

tem pertinens obruderent. Et vt verum maximè eſſet quod Seneca epiſt. 108. contendit, efficaciùs demitti animis imperitorum, præcepta morum, cum verſibus inſeruntur, *(eo quod, vt dicebat Cleantes) quemadmodum ſpiritus noſter clariorem ſonum reddit, cùm illum tuba per longi canalis anguſtias tractum, patentiore nouiſſimè exitu effudit: ſic ſenſus noſtros clariores carminis arcta neceſſitas efficit. Eadem negligentius audiuntur, minúſque percutiunt, quandiu ſoluta oratione dicuntur: vbi acceſſere numeri, & egregium ſenſum aſtrinxere certi pedes eadem illa ſententia velut lacerto excuſſa, torquetur.* Vt inquam id verum eſſet quoad priuatam allocutionem, etamen aliud eſt priuatim monere vnum aliquem imperitum; aliud ſcientiam certa ratione tradere.

Quoad Academicos legatur ſumma Moralis Philoſophiæ Philonis Lariſſæi, & Eudori Alexandrini Academicorum, quam exhibet Stobæus in Eclogis Ethicis c. 2. Item breuiculus doctrinæ Platonis, quem confecit Alcinous cap. 20. & ſequentibus. Euicit ſanè ipſa veritas, adegitque Platonis cæteroqui ſtudioſiorem Carpentarium ad caput illud 20. Alcinoi n. 1. vt faterctur in vniuerſo genere morum hoc Ariſtotelem Platone ſuperiorem eſſe, quod ad præſentem humanæ naturæ conditionem magis ſe accommodat; & ad vnum quaſi corpus ea reuocat quæ apud Platonem diſperſa & diſſipata leguntur.

105. Nec diſſimulandum quod in Platone, tum quoad hanc tum quoad reliquas Philoſophiæ partes obſeruauit D. Auguſtinus, Platonis alioqui ſtudioſior; nempe difficile eſſe, ex ſua ne an et aliena ſententia loquatur, diſpicere. *Quid in his*, inquit, *vel de his Philoſophiæ partibus Plato ſenſerit, id eſt, vbi finem omniū actionum, vbi cauſam omnium naturarum, vbi lumen omnium rationum eſſe cognouerit vel crediderit; diſſerendo explicare, & longum eſſe arbitror, & temerè eſſe affirmandum non arbitror. Cum enim Magiſtri ſui Socratis quem facit in ſuis voluminibus diſputantem, notiſſimum morem diſſimulandæ ſcientiæ vel opinionis ſuæ ſeruare, affectat, & illi ipſe mos placuit, factum eſt vt etiam ipſius Platonis de rebus magnis ſententiæ non facile perſpici poſſint.* Accedit etiam illud incommodum, peculiare Platonis diſciplinæ morali, quod non virtutem reapſe alicubi exiſtentem, ſed ferè duntaxat adūbratam & optandam potius ab omnibus, quàm ab aliquo comparatam deſcribit. Quod de eius Politicia notauit S. Ambroſius lib. 1. de Abrah. cap. 1. addens Platonis quoque condiſcipulum Xenophontem Socraticum, & ipſum fictis rebus perſonam voluiſſe informare ſapientis, in eo libro quem inſcripſit Cyripædiam, quæ vt D. Ambroſius ibidem dixit, *compoſita figura ſapientis viri*, habet quidem vſum ſuum aliquem; minus tamen confert, quam doctrina expreſſæ virtutis & humano modo parabilis; eóque magis à vera morum Philoſophia recedit, quò remotior ab opere eſt, cui vniuerſa hæc diſciplina addicitur. Itaque Platoni præreptam ab Ariſtotele hac quoque in parte Philoſophiæ palmam, concedendum videtur. Quanquam non diffiteor S. Auguſtinum 8. ciuit. capite item 8. Platonicis atque adeo etiam Platoni primatum detuliſſe in hac parte Philoſophiæ: cùm ſingulari in Platonem ſtudio ductum: ob cauſas ipſi Auguſtino cum cæteris Patribus communes, quas Fonſeca perſequitur in procem. metaph. c. 5. Tum quòd Plato multò plura de ſummo bono & fœlicitate diſputauerit, quamuis non ita certa ratione ac via ſicut Ariſtoteles. Quo autem interuallo cæteros in hoc ſtudio poſt ſe reliquerit, cùm anteriores, tum poſteriores, qui ex nuda Philoſophiæ inſtitutione Moralem doctrinam tradiderunt, notius eſt quàm vt monere oportcat.

Quandoque tamen Ariſtotelem in Moralibus dormitaſſe & impegiſſe.

106. Neque verò conſilium eſt, Moralem Ariſtotelis doctrinam ita extollere, quaſi nuſquam ille vel leuiter impegerit, aut quaſi ad eam pertigerit doctrinæ laudem, quæ Chriſtianis Doctoribus ex Chriſtianæ lucis illuſtratione iſta tradentibus, præcipua eſt. Non enim me latet, Ariſtotelem magnum reuera hominem fuiſſe, ſed hominem: & in hac ipſa tractatione aliquādo lapſum, vt Scotus notauit q. 1. prolog. *litera N.* Philoſophos item quoſcumque, quantumcunque ingenio valuerint, & labore contenderint, cùm in omnibus Philoſophiæ partibus, tum in hac etiam hallucinatos aliquando, fruſtra inficias iuerim, cùm ſit perſpicuum. Vix enim virtutis qua plerumque plurimum egebant, veri Doctores eſſe potuerunt, & tradere *doctrinam boni, ipſi non boni*, vt ratiocinatur Lactantius l. 3. c. 15. eorum nominatim immiſericordiam, & violationem humanæ communionis reprehendens l. 6. c. 10. Quò etiam ſpectat, quod de ignorata per Philoſophos vera fœlicitatis via, diſputat S. Auguſtinus ad Macedon. epiſt. 52. Nec exiguo eiuſdem ruditatis Philoſophorum hac in parte argumento eſt, tam multiplex eorum quoad moralia placita diſſidium, de quo plenè Franc. Picus l. 1. exam. vanit. doctrinæ gent. à c. 17. ad 20. & med. 2. paræn. c. 2. *ſub finem* Diſſidium inquam non de vocibus tantùm, vt aliàs frequentiſſimè, ſed de ipſis etiam rebus; nec tantùm quoad media ſeu virtutes quibus ad finem tenditur, ſed etiam quoad ipſum finem vltimum, de quo tam inepta, & hominibus nedum Philoſophis indigna plerique aſſeruerunt, vt apud eoſdem videre eſt, & apud Franciſc. Georgium in harmon. cant. 1. tono 2. c. 5. nóſque infrà ſuo loco trademus. Hæ igitur ceſpitandi ac labendi cauſæ, quia Ariſtoteli cum cæteris Philoſophis communes fuerunt, fatendum eſt Ariſtotelem in morum tractatione non prorſus omni reprehenſione vacaſſe; id quod non in decurſu operis perſpicuum fiet, & latiùs traditur ab Alphonſo de Caſtro l. 3. de iuſta hæret. punit. c. 8. & à Pico l. 2. de ſtudio diuinæ & humanæ Philoſophiæ cap. 15. & 6. examinis vanit. doctr. gent. c. 19. cui refert Alliacenſem multa licentiùs effutientem in Ariſtotelē. Vt taceam Archimagum libro vaniſſimo de vanit. ſcient. c. 54. Ethica Ariſtotelis ſugillantem. Illud vèrò multò magis prætereūdum eſt, quia non doctrinæ; ſed vitæ probrum fuit, quod à S. Chryſoſtomo l. de S. Babyla contra Gentiles proponitur. Dum enim ſapientum Ethnicorum præ Chriſtianorum ſanctitate turpidines refert, hæc de Ariſtotele habet. *Vbi quaſo vtile eſt, ſeminis humani guſtu non temperare, id quod faciebat Stagirites?* Proh turpitudinē! Sed ea, vt dixi probroſitas vitæ non doctrinæ fuit; ſi tamen verè fuit: & non potiùs ex iis quæ de Philoſopho à pleriſque iactabantur, à D. Chryſoſtomo Gentiles exagitante, prolata eſt. Quo etiam conſilio, mitto quærere, verène olim Stoici quidam, multa in eius vitæ rationem probra intorſerint quæ Sepulueda epiſtol. 91. latè refellit, ſanctum & cœleſti gloria nunc fruentem Ariſtotelem contendens; quæ ego verba & voces exiſtimo, nec ſubſcribo Colonienſibus Theologis à quibus librum de ſalute Ariſtotelis conſcriptum, idem Aggrippa autor eſt.

Lapſus tamen infrequentiùs quàm cæteri Ethnici, ac præ illis optimus.

107. Tantum itaque contendo eum longè cumulatiùs, & cum minori quàm cæteros Ethnicos mixtura errorum verſatum eſſe in morum tractatione, quod idem Sepulueda initio librorū de Regis officio Caſtro

ſupra cap. 9. & rectè monuit. Nec modica laus videri debet in tanto cæcutientium numero, tam multa perſpexiſſe, & per viam aliis tantoperè lubricam, rarò fallentibus veſtigiis inceſſiſſe. Olim quidem Ethnici, vt eſt apud Origen. lib. 1. contra Celſum, Ariſtotelis Moralem Philoſophiam criminabantur, *& humanis affectibus obnoxiam & pluſquam alias ſectas tribuentem bonis quæ magni ſiunt apud homines.* Sed hanc fuiſſe calumniam ex non bene perſpecta mente Philoſophi, demonſtrabo infra diſp. 1. num. 240. Addo etiam Nouatores (nam hi ferè ſunt quos Ariſtoteles nunc hac in parte infeſtos patitur,) ei interdum in Morali Philoſophia crimini dare quæ ille ex nudo naturæ lumine optimè & ad Euangelium conſentaneè tradidit. Quale eſt quod apud VValleum quendam in farragine Ariſtotelicorum errorum recenſetur; nempe quod primos concupiſcentiæ motus inter vitia non poſuerit, cùm tamen, vt ſectarius obiicit, præcepto decimo prohibeantur. Vbi primùm vides mordendi pruriginem. Nam ſi hæc culpa fuit, quidni ſimiliter Ariſtotelem culpauit, quod omnes Caluini (de cuius qui ita grunnit hara eſt,) errores æquè prætermiſerit? v.g. quod Deum non fecerit peccati autorem; Quod Principum leges in conſcientia irritas, ac nullius efficaciæ eſſe non dixerit, aliáque emoti illius cerebri monſtra. Deinde quæ illa inſulſitas Ariſtoteli opponere quod Catholicam ſententiam aſſeruiſſe videatur, cùm non meminit peccati in primis motibus, quod verè nullum eſt vt docet etiam lumen naturale, cùm motus illi libertate per ſe deſtituantur? Itaque iſtæ & huiuſmodi aliæ ineptiæ, Philoſopho eam laudem quã illi in hac Philoſophia conceſſimus, non eripiunt.

Non tamen æquauit Hebræos olim, vel nunc Chriſtianos.

Ad eos tamen Philoſophos reſtringebam comparationem, qui ex nudo naturæ lumine Moralem Philoſophiam tradiderunt. Nam eos quibus reuelationis diuinæ lumen affulſit, longè altiùs & ſublimiùs, cùm in aliis ſapientiæ partibus, tum in hac etiam euectos, certa res eſt, ſiue de Hebræis quibus ſpiculum legis lumen illuxit; ſiue de Chriſtianis ſit ſermo. Sanè Hebræos moralem diſciplinam priuſquam Græci prima rerum elementa cognoſcerent, longè perfectiùs & abſolutiùs calluiſſe, quàm vlli vnquam Græci Philoſophi perſpexerint, confirmat Euſeb. 11. præparat. c. 2. & habetur etiam ex illis quæ de Salomonis Ethicis ordinatiſſimè conſcriptis, tradit Iſido. Pelnſ. lib. 4. epiſt. 40. Quid quod Latinus autor commentariorum in Cantica, Origeni inſcriptorum in proœmio, cum alias Philoſophiæ partes, tum nominatim Ethicam, à Græcis Philoſophis de doctrina Salomonis hauſta, his verbis tradit. *Hæc vt mihi videtur. ſap entes quique Græcorum ſumpta à Salomone, (vt potè qui ætate & tẽpore longè ante ipſos prior ea per Dei ſpiritum didiciſſet) tanquam propria inuenta protulerunt, & inſtitutionum ſuarũ voluminibus comprehenſa, poſteris tradenda reliquere. Sed hæc* Ethicam, Phyſicam, Theoricem, ſiue naturalem Theologiam, *Salomon ante omnes, inuenit, & docuit per ſapientiam quam accepit à Deo.* Latinum vocaui hunc autorem, quia ita ibi ſcribit de Logica. *Apud Græcos Logicam noluere. quam nos rationalem poſſumus dicere* En nos, vtique Latini, & leges porrò & primam Iudæorum inſtitutionem, eos egregiè finxiſſe ad Moralem, intelligitur ex præclara in hanc rem diſputatione Origenis lib. 5. aduerſus Celſum *à medio.* Itaque indubitatum eſto, moralem priſcorum Hebræorum, longè præcelluiſſe morali Ethnicorum quorumcunque. Multò autem magis de Chriſtiana Morali diſciplina idem pronunciare poſſumus. Id quod per otium tradunt Carbo 3. introd. c. 20. & Ianellus in opere de Chriſtiana Philoſophia tract. 1. qui eſt *de celſitudine Chriſtianæ Philoſophiæ Moralis.* Vt habeat ſanè hic quoque locum illud Ambroſij lib. de incarnat. Domin. ſacram. c. 9. *verba Philoſophorum, excluſit ſimplex veritas piſcatorum.* Itémque illud quod Tertullianus c. 46. Apolog. contentione Philoſophorum cum Chriſtianis facta vniuersè dixit. *Quid ſimile? Philoſophus & Chriſtianus? Græciæ diſcipulus & cæli? famæ negotiator & vitæ? verborum & factorum operator? rerum ædificator & deſtructor? amicus & inimicus erroris? veritatis interpolator & integrator? furator eius & cuſtos?* Præclarè vt omnia Eucher. in paræn. ad Valer. auocans cognatum ab Ethnicæ Philoſophiæ ſtudio ad Chriſtianam, faciens vtriuſque contentionem, conclulit Philoſophiæ nomen Ethnicos vſurpaſſe, Chriſtianos vitam. Illos ignorantes Deum & ſtatim ab exordio Iuſtitiæ declinantes, cõſequenti in cætera errore ferri & finem ſtudiorum habere vanitatem; apud ſolos Chriſtianos, ſolidam ſapientiam & veram rectorum morum, honeſtatiſque planè ſynceram doctrinam tradi. Nominatim verò S. Chryſoſtomus, ſummam cum pelluciditate breuitatem Moralis doctrinæ Chriſtianæ præ Ethnica perobſcura & diffuſiſſima, ita celebrat homil. 1. in Math. *Ibi* in Morali diſciplina Ethnica, *præter laſciuiam morum, multa etiam dictarum obſcuritas & caligo eſt, & ad intelligendum grandis afflictio. Quid enim irriſione magis dignum quam illa eſt diſciplina, in qua vt cætera omittam, cum innumeris verſibus Philoſophus diſputauerit, multa oratione ſuam cumulat prolixitatem dicendi, vt quid ſit iuſtum poſſit oſtendere? Ita vt etiam ſi vtile quid haberent, tanta tamen obſcuritatis titulo, valdè id vitæ hominum eſſet incommodũ. Si enim vel agricola, vel ærarius; ſi faber aliquis vel nauta, aut quiſpiam cæterorum qui manuum ſuarum opere paſcuntur, velit quidem ab arte propria iuſtéque labore diſcedere, vt conſumptis tot annis, ſtudeat ſcire, quid iuſtum ſit: & fortè antequam diſcat, interimatur fame, ebibit profectò propter hoc iuſtium, neque aliquid aliud vt ille addiſcens, & vitam violenta morte diſſoluens. At non etiam noſtra ſunt talia ſed iuſtum, honeſtum, omnémque omnino virtutem, in paucis ſyllabis in breuibus verbis, atque manifeſtis* nos Chriſtus edocuit; *Tum dicendo, quoniam* in duobus mandatis tota lex pendet, & Prophetæ, *id eſt, in Dei & proximi charitate; tum iubendo.*; Quæcunque vultis vt faciant vobis homines, hæc & vos facite illis: hæc eſt enim lex & Prophetæ. *Quæ certe & ſeruo, & ruſtico, & viduæ, & puero, & erudito, & ſatis rudi, facilia ad intelligendum ſunt, & prorſus expoſita.* Iſidorus item Peluſ. 4. epiſt. 91. breuitatem ſummam ac peſpicuitatem Ethicæ Chriſtianæ præ Philoſophica & Ethnica quacunque, his verbis ſuſpicit. *In tantum compendium diuina inſtitutio contracta eſt, vt id quod quiſque voluerit, virtutis eſſe terminum definierit: Sic enim ait. Omnia quæ volueritis vt faciant vobis homines, & vos facite ipſis ſimiliter. Hæc enim eſt lex & Prophetæ. Quid quæſo vel Platonici Dialogi, vel Homerica tabula, vel legiſlatorum Codices, vel Demoſthenis libri, vel Tragœdiæ varij atque inopinati caſus, vel Comœdiæ argumentum, ſi ad hanc virtutem, & breuitatem, perſpicuitatémque conferantur? Rectè indecent qui ſimplicitatem verborum in ludibrium trahunt, & calculum incorruptum ferent. Quot Dialogos conſcripſit eruditiſſimus Plato dum conatur demonſtrare quid ſit Iuſtitia? Nec tamen quicquam potuit proferre quod eſſet perſpicuum aut perſuadere quibuſdam: Quin etiam ipſa libertate cum excidiſſet, vita exceſſit. Quam multa ſcripſit Ariſtoteles, Platoni ſe opponens, eiúſque dogmata traducens velut in Comœdia? Sed neque ipſe quicquam vtilitatis contulit, niſi quod pugnam verborum vitæ humanæ generauit.*

generauit. Quàm multa Stoïci aduerſus Ariſtotelē armati conſcripſerunt? Sed horum quoque extincta ſunt dogmata. Comparent igitur cum iis qui ſapientes perhibētur, diuinorum oraculorum perſpicuitatem, & deſinant nugari diuinámque oraculorum dictionem amplectantur, quæ non ad ambitionem, ſed ad vtilitatem audientium reſpexit. Non vrgeo in hanc rem quæ Nazianzenus orat. 3. profert vt euincat nihil rectè ab Ethnicis in morum Philoſophia tradi poſſe. Agit enim de Ethnicis illis quos ſuſpiciebat. Iulianus, in quem ea oratione inuehitur, qui ſcilicet ſpurios Deos ad omnem improbitatem duces habebant; à quibus Ariſtoteles aliíque cordati Ethnici longiſſimè abfuerunt.

Secluſis Hæreticis & Atheis qui huius vnguenti ſuauitatem perdere tentarunt.

108. Cedant ergo tenebræ lumini, nec cùm Ariſtotelem Moralibus Philoſophis anteponimus ad Chriſtianos tractatores extendatur collatio, quantùm quidem ad dogmata & doctrinam attinet, dimiſſa tradendi & docendi ratione, quæ ſemper in Ariſtotele eſt ſingularis & excellens. Quanquam ſi Chriſtianis accenſendi eſſent plerique Chriſtianum nomen ementiti, ſiue hæretici, ſiue germani eorum Athei, (ab vtriſque enim ſcripta moralia prodire,) Ariſtoteli ſaluum vellem ius illud honoris præcipui, quo eum Morales Philoſophos, quotquot ex nuda Philoſophiæ inſtitutione diſciplinam hanc attigerunt, anteceſſiſſe profitebar. Nam neque iſti alio lumine quàm naturali prælucente philoſophati ſunt, cùm vera fide deſtituerentur; & tam multo limo pelluciditatem Chriſtianæ Doctrinæ quam externa ſpecie obtinent, inquinauerunt; vt merit ògratiùs videatur de puro naturali fonte, qui apud Ariſtotelem perſtat haurire, quàm de cœnoſis iſtorum lacunis, laticem lutoſum, & veneno admiſto mortiferum ebibere.

Scripſit olim Iſidorus Baſilidis filius moralia, referente Clemente Alexandrino 3. Stromat. *initio*. At quantis ſordibus ſpurcus hæreticus cloacam illam ſuā veriùs quàm librum oppleuerit, ibidem ex parte legi poteſt, & apud Epiphanium hæreſ. 32. Eodem ſpiritu de Caluini & Lutheri ganea nonnulli ſuperiore ſæculo, (quidam etiam non ita pridem,) pro Morali Philoſophia craſſiſſimorum errorum contra fidem Catholicam plena horrea obtruſerunt: Nominatim Melancthon, Danæus, Viretus, Placæus, Sculterus. Rhodingus, Scribonius, Molinæus, VValæus. Quod ſi nōnulla rectè & vtiliter dicunt, breui tamen ſe caupones produnt, miſcentes aquam vino, vt in ſimili de huiuſmodi hominibus rectè dixit Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 169. His nonnullos fidei epicœnæ aut lubricæ, præſertim de iis qui Politica ex ſpiritu ſapientiæ carnis pertractarunt, meritò coniunxerim. Quantis enim (vt reliquos præterea,) erroribus ſcatet Bodini Reſpublica? Conſule quæ in ea poſt expurgationis vindemiam, velut racematione facta, collegit Poſſeuinus, in cenſura & cautionibus ad illud opus. Nam de Machiauelli peſtifero opere ſilere præſtat; quod non hominis ambiguæ fidei, ſed prorſus nullius, omninóque Athei, fœtus ſit, vt pridem monuerunt Ambroſius Catharinus tract. de libris à Chriſtaniſmo eliminandis Ribad. lib. de Princip. contra Machiauellum *in operis limine*, Thomas Boſius variis in eundem Machiauellum libris. Hieron. Oſorius l. 3. de nobilit, Melan. lib de fide hæret. ſeruanda c. 3. Poſſeuinus in opere contra Machiauellum & alios eiuſdem furfuris.

109. Hos itaque & ſimiles Catholicæ Eccleſiæ iudicio reprobatos ſcriptores, Ariſtoteli in Moraliū tractatione non antepono: tametſi aliis verè Chriſtianis ſcriptoribus diuinæ reuelationis lumen ſequentibus, plus detuli. Neque enim Chriſtiani ſunt qui in Chriſti Eccleſia non ſunt, vt poſt Cyprianum epiſt. 52. dixit Auguſt. ſermones 181. de tempore & ante vtrumque Tertullianus lib. de præſcriptionibus c. 37. Nec gaudent lucis diuinæ vſu, qui Eccleſiæ pharum non proſpectantes, per errorem breuia & ſcopulos miſerè abſorbendi vagantur. Putidiſſimè verò & inſulſiſſimè magiſtellus nouator Adolphus Scrobonius in aditu ad Ethicas ſuas farragines ex Ariſtotele conſarcinatas, non exſuccas modò ſed & pueriles, nullóque iudicio aut ingenio digeſtas, Ariſtoteli opponens nugas quaſdam; (videlicet prætermiſſam Ethicæ definitionem, longiorem vitiorum quam virtutum explicationem, & ordinem vbique præpoſterum;) ſe Ariſtotelicæ doctrinæ conſummatorem, & methodi ordinatorem acceſſiſſe profitetur. Cui illud ex Euangelio, homini Euangelico, rectè quis occinat. *Tu de teipſo teſtimonium perhibes, teſtimonium tuum non eſt verum.* Ariſtoteles & ordinatiſſimus, & ſucci pleniſſimus vbique eſt, iuréque in eius laudibus poſitum eſt à Themiſtio orat. 15. quod *primus via rationéque omnia declararit. Anteà verò confuſa tumultuariè erant omnia, velut Medorum exercitus antequam Cyaxares eos Deiocis nepos ordinaret.* Abſit ergo vt illi ſectariorum liceat, vel oculos in eum defigere ad ſe illi componendum abſque rubore: Tantum abeſt vt his Lutheranæ vel Caluinianæ caulæ opilionibus, poſtponi vlla ex parte poſſit. Quod de Catholicis ſcriptoribus, admiſi quoad dogmata atque doctrinam. Catholicæ enim Eccleſiæ Doctoribus & ſcriptoribus, lex lux, & Eccleſiæ cynoſura certus viæ index, cum aliis tum in hac præſertim ſcriptione.

---

§. VII.

Noſtra in morum tractatione, via ac modus.

QVare meritò Ariſtotelem inter eos tantùm qui ex nuda Philoſophiæ inſtitutione res Morales pertractarunt, Principem diximus. proindéque eius præſertim veſtigiis in hac noſtra rerum moralium merè naturali tractatione inſiſtemus. Quanquam nec iniucundum nec inutile erit ex Academia quoque & Stoa, aliiſque quibuſuis ſcholis ſuppetias acceſſere cùm res feret, eóque temperamento adhibito quod Seneca epiſt. 33. præſcribit & luculenter Iſid. Peluſiota l. 2. epiſt. 5, ex Chriſtianis verò Doctoribus & Sanctis Patribus, quando hic res duntaxat naturali lumini ſubſtantes perſequi conſilium eſt. (vt & in naturali Theologia, quoad diuina, à me iam factum,) ea duntaxat vſurpabo quæ illi non prout Chriſtiani Doctores ſed prout Morales philoſophi, in rem noſtram præclarè ſcripſerint. iis reſectis quæ lumine reuelationis nixa, Chriſtianorum Theologorum moralium ſunt propria. Qua in parte minus huic Philoſophiæ commodarunt nonnulli qui Moralia ſcribere profeſſi, in iis prope toti, vel maiore certè ex parte verſantur, quæ ſunt iuris Theologorum Moralium Chriſtianorum. Qua de re vt cæteros taceam locuplex teſtimonium ferunt Angeſtus & Almainus & Angeſti expilator Gulielmus Manderſton in ſuis Moralibus. Peiúſque etiam alij cum in ipſam Ariſtotelis Moralem Philoſophiam commentarios ſcriberent ad Philoſophi explanationem. Theologicas commentationes, inuitas ſæpè ac renitentes pertraxerunt. Quod in Ioannis de Celava, Gilberti Crab, ſimiliúmque commentariis in Ethicorum libros, occurrit non ſemel. Quamuis enim extra dubium ſit,

permagni referre Morali Philoſopho, vt Moralis Theologiæ Chriſtianæ iubare non deſtituatur, ad tutò dirigendam, ſicubi cæcutiat & impingat, Philoſophiam; idque in plerîſque vna textus Ariſtotelici expoſitione contentis meritò deſideretur, vt plenius ac floridius agant de moribus; tamen prudentis ſcriptoris eſt Spartam quam ſuſceperis, colere, eâque pro tempore contentum, ad aliena non tranſgredi.

110. Porro alterum quoque extremum hîc declinandum video, nempe vt non pro multorum Philoſophiæ profeſſorum conſuetudine faciendum exiſtimem: qui tricis magnam partem inutilibus, impenſo prope toto temporis ſpatio quod ad philoſophandum conceditur, ad extremum non omiſſam eſſe à ſe hanc Philoſophiæ partem exiſtimant, ſi tribus verbis complexi aliquas ex peruulgatis huius Philoſophiæ côtrouerſiis, additis frigidis gloſſematis ad paucos Philoſophi textus cætera Theologorum Chriſtianorum eſſe cauſati hinc ſe proripiant. Præſtare enim exiſtimo, hanc diſciplinam prætermittere potius, quàm ita ieiunè tradere. Nec ſi aliqua Chriſtiani Theologi vagâtes extra proprios limites & in ductum reuelationis diuinæ; quæ vnica eorum cynoſura eſt aut eſſe debet, minimè intenti, ſola plerûque tractationis opportunitate illecti, ingerunt; inſimulandi confeſtim crimus, motorum terminorum noſtrorum, & velut alienorum inuaſores damnandi; qui reipſa noſtra duntaxat repetimus, ſi iis finibus ad quos huius ſcientiæ obiectum, ſupra ſtabilitum porrigitur, contineamur eorúmque fructui qui in hac parte philoſophica duntaxat expetunt conſultum velimus. Hoc ego præſertim conſilio, ac ne adoleſcentes qui in ſcholis noſtris Philoſophia informantur, quorum magna pars Theologiam non cogitat, rudes, vt ſæpè fit, huius Philoſophiæ excederent, longè profectò vtiliſſimæ & ad rectam vitæ vniuerſæ inſtitutionem opportuniſſimæ, quámque cum aliarum potius diſpendio, traditam oportuerat, laborem iſtum non defugit.

Styli ſimplicis excuſatio, imo accuſatio phaleratæ, in tractatione philoſophica atque morali.

111. Habet lector conſilium meum ſcopúmque in quem collimo; vnáque rationem ac modum quē mihi ipſe ad eius aſſecutionem tenendam præſcribo. Nam vt de ſtylo præterea non eſſem ſollicitus euicit Seneca, cuius eſt illa in hanc rem egregia diſputatio epiſt. 110. probantis ſcriptionem calamiſtratam non decere Philoſophum rectéque Fabianū Papyrium ſuos Moralium libros non compſiſſe quod animis non auribus ſcriberet. *Oratio ſollicita*, inquit, *Philoſophum non decet Vbi tandem erit fortis & conſtans vbi periculum ſui faciet, qui timet verba? Fabianus non erat negligens in oratione, ſed ſecurus. Itaque nihil inuenies ſordidū, Electa verba ſunt, non captata, nec huius ſeculi more contra naturam ſuam poſita & inuerſa ſplendida tamen quamuis ſumantũr è medio. Senſus honeſtos & magnificos habent nō coactos in ſententiā ſed altius ductos.* Alia præterea multa eodem loco legere eſt, incorta in eos qui puſillæ rei aſſident, verbis, in hac ſcriptione quā maſculam, & rerum tantum magnitudini addictam, par eſt aſſerere. Sed optimè epiſt. 75. *Non mehercule ieiuna eſſe & arida volo, quæ de rebus tam magnis dicentur. Neque enim Philoſophia ingenio renunciat; multum tamen operæ impendi verbis non oportet. Hac ſit propoſiti noſtri ſumma. Quod ſentimus, loquamur; quod loquimur ſentiamus, Concordet ſermo cum vita. Ille promiſſum ſuum impleuit, qui & cum audias illum, & cùm videas idem eſt. Videbimus qualis ſit, quantus ſit, vnus ſit. Non delectent verba noſtra: ſed proſint. Si tamē contingere eloquentia non ſollicite poteſt aut ſi parata eſt, aut paruo conſtat; adſit, & res pulcherrimas proſequatur, talis vt res potius quam ſe oſtendat. Alia artes ad ingenium tota pertinent: hic animi negotium agitur. Nō quærit æger Medicum eloquentem, ſed ſanantem, Sed ſi ita competit vt idem ille qui ſanare poteſt, comptè de his quæ facienda ſunt diſſerat, boni conſulet, non tamen erit quare gratuletur ſibi, quod inciderit in Medicum etiam diſertum. Hoc enim tale eſt, quale ſi peritus gubernator, etiam formoſus eſt. Quid aures meas ſcalpis? Quid oblectas? Aliud agitur. Vrendus, ſecandus, abſtinendus ſum. Ad hoc adhibitus es Curare debes morbum veterem, grauem, publicum, Tantum negotij habes, quantum in peſtilentia Medicus. Circa verba occupatus es.*

Addo & alteram, ſi tamen alteram, & non eandem diuerſimodè conditam inſtituti mei rationem, expreſſam Chriſtiani Philoſophi verbis ex 1. Stromat. c. 4. *Meum eſt probabile, vt exiſtimo inſtitutum, verbo quidē ac rationi conuenienter viuere, ea autem quæ ſignificātur intelligere: Eloquentiam autem nūquam magnifaciētem contentum eſſe. ſi ſignificetur id quod intelligitur Quo autem nomine ſignificetur id quod volo exponere, nihil mihi curæ eſt Opem enim ferre vt ſeruentur ij qui ſeruare cupiunt, puto eſſe optimum, non autem dictiunculas tanquam quædam ornamenta componere Et ſi caueris, inquit Pythagoreus in Platonis Politice, ne ſis de nominibus nimirum ſollicitus prudentia locupletior apparebis in ſenectute & rurſus inuenies in Theatete. Nominum autem & verborum facilitas, & non nimis accurata examinatio, vt plurimum non eſt ſordida & illiberalis, ſed eius potius contrarium, eſt autem nonnunquam etiam neceſſaria. Hæc quam fieri poteſt breuiſſimè ſcriptura enūtiauit, dicens Ne multum verſeris in verbis. Dictio autem eſt tanquam veſtis in corpore. Res autem ſunt carnes & nerui. Non oportet ergo maiorem veſtis, quam ſalutis corporis curam gerere, Non ſolùm enim frugalis vitæ ratio, ſed etiam à ſuperuacuo cultu ornatúque aliena oratio exercenda eſt ei qui veram vitam elegit. Siquidem delitias vt doloſas & luxurioſas repudiamus, ſicut vnguentum & purpurā veteres Lacedemonij. Doloſas quidem veſtes, & doloſas vnctiones rectè reputantes & nominâtes, quonia nec honeſtus eſt ille cibi apparatus qui plura habet condimēta, quā ea quæ nutriunt, nec eſt bellus vrbanúſve orationis vſus, qui auditores poteſt magis delectare, quā iuuare. Muſas exiſtimare Sirenibus iucūdiores, admonet Pytgagoras, docēs non cū voluptate exercere ſapientiam, arguens autem deceptricem aliam animi oblectationem.*

112. Non otioſè vel duntaxat vt locum communem depromerem hæc à me prolata intelliget, qui nō ignorauerit, quid mihi, iam affecto hoc opere de aliorum ſtudiis in hac Philoſophia, commēda & oratoriis calamiſtris exornanda, ſuggeſtum ſit. Quibus ego vt ſuam illam venuſtam, & cultam Philoſophiam non inuideo, imò ſi rebus ſeruitura eſt, plurimum probo atque commendo; ita hanc noſtram virilem *quæ res fortiſſimas doceat*, ait Seneca 7. de beneficiis cap. 8. *non concinnatam nec in verba ſollicitam, ſed ingenti animo prout impetus tulit res ſuas proſequentem*, & rationum magis quàm verborum ornamentis ſplendentem, ſordibus duntaxat abactis antepono: Quòd in rebus Moralibus, vt loquar cum Hieronymo epiſt. 147. extrema, *non quærantur verba. ſed ſenſus; ſitque panibus vita ſuſtentanda. non ſiliquis.* Ac vt eſt apud Sidonium lib. 7. epiſt. 13. magis deceat, *occupet harum rerum tractatorem, medulla ſenſuum, quam ſpuma verborum.* Præterquam quod video periclitari ſæpè in verborum nitela maieſtatem rerum, vt prudenter monet Theodoretus ſerm. 8. de prouident. ac vt Seneca in calce epiſtolæ 52. prudenter monet, nocere eloquentiam, quæ non rerum cupiditatem faciat, ſed ſui. Itaque philoſophiæ morum, eo

nomine

nomine dignæ *antiſtitem* non *inſtitorem* congruere. Idem Theodoretus, lib. 1. contra Græcos, magnum ac primum morum Magiſtrum Socratem, balbutientem & oratione incomptum repræſentat. Itaque bellè huc cadunt illa S. Proſperi 3. de vita contemplatiua in ipſo fine. *Cum ſententiarum viuacitatem ſermo ex induſtria cultus eneruet & totam vim dictorum ſplendor elaboratus euacuet; quis non iudicet me affectationem compoſitionis debuiſſe contemnere etiamſi eam potuiſſem velut dicendi peritus implere? Quapropter ea mihi viſa eſt compoſitio ſatis ornata, quæ conceptiones animi cum neceſſaria quadam perſpicuitate proferret, non quæ illecebris aurium deſeruiret. Ea eſt enim, niſi fallor, indicata latinitas, quæ breuiter & apertè obſeruata dicentaxat vſitatorum verborum proprietate res intelligendas enunciat: non quæ vernantis eloquij venuſtate, atque amœnitate luxuriat. Et prudentibus viris non placent phalerata, ſed fortia. quando non res pro verbis, ſed pro rebus enunciandis verba ſunt inſtituta.* Gemina illa ex D. Hieron. epiſt. 125. q. 2. *Hæc diſputanti, non ex flumine Tulliano ducendus eloquentiæ eſt riuulus, nec aures Quintiliani floſculis & ſcholari declamatione mulcendæ. Pedeſtris, & quotidiana ſimilis, & nullam lucubrationem redolens oratio, neceſſaria eſt, quæ rem expliçet, ſenſum ediſſerat, obſcura manifeſtet, non quæ verborum compoſitione frondeſcat. Sint alij diſerti, laudentur vt volunt, & inflatis buccis ſpumantia verba trutinent. Mihi ſufficit ſic loqui vt intelligar* Hæc ille: quæ quia rectè & in rem præſentem accommodatè ſcripta ſunt, noſtra quoque ſunto. Ennodij clauſulam huic loco apponentes, abeamus. *Ergo* inquit lib. 12. epiſt. 7. *dictorum amœna fugientes, materiam ſolidam, ſuo ore celebremus, nec ſentiat virilitas operis, eneruati damna ſermonis.*

Series & ordo, noſtra de Monaſtica tractationis.

His legibus ſeruatis à Monaſtica ordiar iuxta ea quæ de tripartita huius Philoſophiæ parte, ſupra diſputata ſunt. In hac autem prima parte pertractanda, omnium ſine dubio optimus eſt ordo quem Ariſtoteles 7. Polit. c. 13. his verbis indicit. *Duo ſunt in quibus commendatio benè agendi conſiſtit. Vnum vt propoſitum ac finis agendi rectè ſubiaceat. Aliud vt eas quæ ad illum finem ferant actiones inueniamus. Fieri enim poteſt, vt & concordent hæc inter ſe, & diſcordent. Nam quandoque illud ad quod intenditur, rectè iacet, ſed in actionibus per quas illo potiri credimus, aberratur. Quandoque autem omnia ad finem diriguntur, ſed ipſe finis eſt prauè poſitus. Quandoque etiam in vtroque eſt error, veluti circa medicinam. Neque enim quale aliquid eſſe oportet ſanum corpus rectè indicat interdum. neque ad ſubiectum ſibi finem opera diriguntur. Oportet autem in artibus & ſcientiis* (practicas intelligit artibus affines) *hæc vtraque obtineri, finem, & eas quæ ſunt ad finem actiones.*

Itaque finem hominis vltimum, & media ad illius aſſecutionem vſurpanda, tractare neceſſe eſt. Finem quidem primo loco, propter cauſas mox proponendas; Poſteriore autem media; hoc eſt, actiones humanas honeſtate expolitas, ſiue bonos mores, quorum plenam expoſitionem, & ſatis commodam ad ordinem & perſpicuitatem dabo; ſi quatuor morum cauſas percurrens, poſt primam extrinſecam, ſiue finalem; cæteris, vt dixi, præponendam; ſubiiciam effectiuam; quæ item extrinſeca eſt: ac ſi agatur de cauſa ad mores ſimpliciter neceſſaria, eſt naturalis & innata, nempe voluntas, non duntaxat naturaliter & voluntariè, ſed etiam liberè operans. Ab his externis ac ſimpliciter requiſitis morum cauſis, pergam ad internas; Nimirum ad materialem, quæ actionibus humanis, partim ad paſſiones, partim ad modum deliberatè operandi pertinentibus continentur. Et ad formalem, ſiue moralitatem, quæ tametſi bifida eſt & actionum honeſtatem ac turpitudinem complectitur; tamen quæ per ſe & velut ex inſtituto ſub hanc conſiderationem cadit, eſt ſola honeſtas. Quanquam neutram quantum res poſtulabit, & fines noſtri ferent, prætermittemus.

Sic expoſitis ſimpliciter requiſitis cauſis morum, bonorum ac malorum, & vtrorumque è cauſis illis eductione; facilis ac veluti pronus erit delapſus ad poſtea ſubiiciendam virtutum ac vitiorum tractationem. Nam cum virtus eique reſpondens vitium aliquando ſumantur prout habent reſpectum ad certam honeſtatem aut turpitudinem moralem; aliquando autem prout ſunt habilitates, ſiue qualitates facilitantes, vt ſæpè infra ſuis locis exponetur: Priore quidem modo, virtutis ac vitij tractatio aptè ſubnectitur generali tractationi moralitatis, quæ eſt ſuperior ratio ad quam hæc aut illa virtutis honeſtas vel vitij turpitudo ſubſumitur. Spectando autem virtutem ac vitium poſteriore modo; apertiſſimum eſt eorum tractationem rectè ſubiici tractationi de cauſis & exercitio moralitatis; quia habilitas per actuum frequentationem innititur; actus autem non exercentur niſi poſitis eorum cauſis; ac proinde & ipſas cauſas; & editos per eas morales actus, perſpici neceſſe eſt, priuſquam habilitates exponantur. Itaque non incommodè eum quem propoſui ordinem inituri ac ſeruaturi videmur.

DISTINCTIO

DISTINCTIO PRIMA.

DE FINE MORVM.

HOc eſt *de ſummo bono, quò referentes omnia quæ agimus, & quod non propter aliud, ſed propter ſeipſum appetentes, idque adipiſcentes, nihil quo beati ſimus vlteriùs requiramus. Ideo quippe & finis eſt dictus, quia propter hunc cætera volumus; ipſum autem, non niſi propter ipſum.* Vſurpo verba Diui Auguſtini 8. Ciuitat. cap. item 8. cuius etiam illa ſunt in hanc rem pulcherrima l. 19. eiuſdem operis cap. 1. *De finibus bonorum & malorum, multa & multipliciter Philoſophi inter ſe diſputarunt: Quam quæſtionem maxima intentione verſantes, inuenire conati ſunt quid efficiat hominem beatum. Illud enim eſt finis boni noſtri, propter quod appetenda ſunt cætera: ipſum autem propter ſeipſum. Finem ergo boni nunc dicimus, non quo conſumatur vt non ſit, ſed quo perficiatur vt plenum ſit. Et finem mali, non quo eſſe deſinat; ſed quouſque nocendo perducat. Fines itaque iſti ſunt, ſummum bonum & ſummum malum, de quibus inueniendis atque in hac vita ſummo bono adipiſcendo, vitando autem ſummo malo, multùm, ſicut dixi, laborauerunt, qui ſtudium ſapientiæ in huius ſæculi vanitate profeſſi ſunt.* Nec immeritò ſumma contentione in eo argumento laborauerunt. Nam vt eodem ipſo capite ex Varronis de Philoſophia libro ſubdit Auguſtinus. *Nulla eſt Philoſophiæ ſecta dicenda, quæ non eò diſtet à cæteris, quod diuerſos habeat fines bonorum & malorum: quandoquidem nulla eſt homini cauſa philoſophandi, niſi vt beatus ſit. Quod autem beatum facit ipſe eſt finis boni. Nulla eſt igitur cauſa philoſophandi, niſi finis boni. Quamobrem quæ nullum boni finem ſectatur, nulla Philoſophiæ ſecta dicenda eſt.* Finem porrò bonorum & malorum, Philoſophi apicem ipſum boni & mali intellexerunt, vt ex Auguſtino vides. Et ita apertè ſumpſit Tullius, in epigraphe operis *de finibus bonorum & malorum.* Putidè autem & ignoranter, ſus Mineruam, Scaliger Tullium exerc. 250. Latinè docet, negans poſſe dici malorum finem. Eſto enim in alio ſenſu quem Tullius, & vt ex Auguſtino habes, Philoſophi Morales non intenderunt, finis, id eſt, cauſa cuius gratia, ſit tantum in genere boni; tamen finis latiùs acceptus cernitur quoque in malis. Quanquam quia hîc (vt præmiſi,) acturi ſumus de ſummo bono: hoc autem habet etiam rationem cauſæ finalis, multiplex illa finis acceptio hîc eodem recidit. Cur autem tractationem de hac cauſa, omnium reliquarum tractationi præmittam, ratio eſt quam Ariſtoteles 1. de partibus cap. 1. pulchrè tradit, vrgétque præſertim in Moralibus; nempe quod *hæc cauſa ſit, ratio. Ratio autem ſit principium in rebus, tam natura, quàm voluntate conſtituendis.*

Quo ſpectant quæ in præfigendo homini ſcopo qui vſurpationis mediorum rationem contineat, monent paſſim hîc autores: Quamuis non me latet, in rigore quodam vocis, *ſcopum* vſurpari pro immediato termino, quem attingendo adeatur finis: vt meta eſt ſcopus ſagittarij, qui pro fine lucrum habet aut gloriam. Et hoc ſenſu ſcopum à fine ſecernit. Abbas Muſes apud Caſſianum collat. 1. c. 2. & Nazianzenus Iambico 15. verſibus illis

Quo cuncta tendant cætera, id finem voco:
Quæ quiſque fini re ſtudet, dic hoc ſcopum.

Cæterum in præſenti negotio, autores laxiùs loquuntur, cum ſcopum in quem homo ferri & collineare debet, pro fine habent. *Quia natura ita comparatum eſt.* inquit Euſtratius in Præludio ad primum Ethicorum, *vt virtutes labore acquirantur, prius oportuit de fine quomodocunque agere; quidque eſſet illud bonum quod ex labore prouenturum erat, oſtendere; quo propriam appetentes perfectionem, alacriores ad eum tolerandum efficeremur. Adde etiam vt ſcopum haberemus in quem reſpicientes, atque actiones quaſi ſagittas quaſdam mittentes, magis, vt ipſe etiam Ariſtoteles ait, bonum honeſtúmque aſſequeremur.* Locus hic Ariſtotelis habetur 1. Ethic. c. 2. vbi concludens ex dictis c. 1. vnum eſſe aliquem finem vltimum, quod ſit etiam ſummum bonum noſtrum, ſubdit. *Nonne igitur magnum ad vitam cognitio ipſius momentum affert? nam ſi quemadmodum ſagittarij ſcopum habeamus, magis bonum & honeſtum aſſequi poterimus.* Sicut enim ſagittarij qui temerè iaciunt, nec intendūt ſcopum aliquem attingere, rudes ſemper & imperiti ſagittandi manent: propoſitum verò habentes ſcopum aliquem in quem ſagittas frequenter dirigant, periti euadunt eius operis.

operis. Sic qui benè & honeſtè viuere volunt neceſſe eſt propoſitum habeant finem, in quem ſtudia & actiones ſuas dirigant; alioqui vix ac ne vix quidem aſſueſcent ſtudioſè & ex virtute agere.

Expreſſiſſe Philoſophum videtur Seneca epi.71. *Quoties*, inquit, *quid fugiendum ſit, aut quid expetēdum voles ſcire, ad ſummū bonum, & propoſitum totius vitæ reſpice: Illi enim conſentire debet quicquid agimus. Non diſponet ſingula niſi cui iam vitæ ſuæ ſumma propoſita eſt. Nemo quamuis paratos habeat colores, ſimilitudinē reddet, niſi iam conſtet quid velit pingere. Ideo peccamus, quia de partibus vitæ omnes deliberamus, de vita nemo. Scire debet quid petat, ille qui ſagittam vult mittere, & tunc moderari & dirigere manu telum. Errant conſilia noſtra; quia non habent quo dirigantur. Ignoranti quem portum petat, nullus ſuus ventus eſt. Neceſſe eſt multùm in vita noſtra caſus poſſit, quia viuimus caſu.* Sic ille. Qui etiam idem nauigationis exemplo pulchrè declarat epiſt. 95. Fuiſſéque id omnibus olim Moralibus Philoſophis in confeſſo, luculenter traditur 1. ad Eudemum c. 1. vbi Philoſophus cùm multa præmiſiſſet de varietate ſententiarum circa beatam vitam, & iis quæ varij ad eam exigebant, addit omnes tamen in hoc conſentire debere, homini propoſitum eſſe vitæ finem. *Qui de his præcipiunt*, inquit, *aiunt omnibus ſcopum quendam rectè viuendi propoſitum eſſe, qui modò ex electione viuere iam queant; vt ſunt honor, gloria, opes, eruditio, quem ſpectans quiſquis omnes actiones peragit. Quapropter vitam propoſito fine carens, inſignis ſtultitiæ argumentum eſt.* Idem ſapienter admonet Antoninus l. 2. de vita ſua n 6. Medicorum, Ducum, artificum quorumcunque exemplis latè idem confirmat Plato 12. de legibus *ſub finem*. Quod imitatus videtur Dio Chryſ. orat. 24. grauiter quæſtus tantam multorum in re tanta incuriam, cùm tamen, vt ait, omnia alia abſque finis vltimi cura parui ſint facienda. Idem optimè tradit orat. 3. de gloria *in ipſo fine*. Quàm verò alienum eſt à ratione ait S. Baſilius orat. de leg. cum fructu libr. gent. *Vt cum gubernator ventis ſe non committat temerè, ſed clauum rectum teneat, nauim in portum dirigens; ſagittarij in ſcopum collineent; fabri quoque & architecti ad libellam omnia expendant, in finem perducant; nos iis opificibus de ſapientia concedamus; nec ea quæ ad animi profectum conducunt, inquiramus? Erit ergo penes operarios conſideratio finis; & humanæ vitæ finis, non erit conſideratio? Quem ſanè finem ſequi & reſpicere par eſt eum mortalem qui brutis animantibus ſimilis eſſe nolit. Quo fine neglecto, noſter animus velut nauis ſine arte, ſine gubernaculis, huc illúcque iactatur.*

3. Nec mirum eſt id tantoperè inculcari: In moralibus enim, imo & in practicis quibuſvis finis habet rationē principij, nec aliter ſe habet ad actiones vel affectiones, quàm hypotheſes in Mathematicis iuxta Ariſtot. 7. Eth. c. 8. At ſublato principio nihil vlterius quærendum eſt, imo in hac parte cum damno quæreretur. Itaque idem Plato in Theæteto notitias quaſcunque ignorato hoc fine, non modò inutiles, ſed etiam noxias pronunciat. Et cauſam pulchrè his verbis attigit Tullius 5. de finibus. *Hoc conſtituto*, (fine vltimo noſtro ſeu ſummo bono,) *in Philoſophia conſtituta ſunt omnia. Nàm cæteris in rebus, ſiue prætermiſſum, ſiue ignoratum eſt quippiam, non plus incommodi eſt, quàm quanti quæque earum eſt, in quibus neglectum eſt aliquid. Summum autem bonum ſi ignoretur, viuendi rationem ignorari neceſſe eſt. Ex quo tantus error conſequitur, vt quem in portum ſe recipiant, ſcire non poſſint. Cognitis autem rerum finibus, cùm intelligitur quid ſit, & bonorum extremum, & malorum inuenta via eſt, conformatioque omnium officiorum.*

Hinc habetur hanc tractationem eſſe huius ſcientiæ propriam, excluſis Phyſica ac Naturali Theologia, quibus eam communem facit Piccolomineus grad. c. 8 & 9. imo Buratellus l. 6. conciliationis Platonis & Ariſtotelis, hanc tractationem ſolius primæ Philoſophiæ, id eſt, naturalis Theologiæ propriam facit, quod in ea agatur de prouidentia cuius eſt beatitudinem rependere. Quod argumentum, probat quidem poſſe in ea Philoſophiæ ſpeculatiuæ parte attingi hunc finem, ſed non ſub ratione finis per media aſſequendi, quo pacto hìc tractatur; quia ea conſideratio finis vt ſic, non eſt ſpeculatiua, ſed practica. Vnde non ſpectat ad Metaphyſicam vt rectè aduertit Suares d. 1. metaph. ſect. 5. n. 4. Habetur etiam ex dictis quanti ſit hæc tractatio, quod luculenter tradit Viues l. 1. de verit. fidei Chriſt. c. 2. Tanti certè eam fecit Plato, vt quod Alcinous refert c. 20. de notis, paucos, eóſque de quibus antea benè iudicaſſet, huius tractationis participes efficeret.

QVÆSTIO PRIMA.

Detúrne vnus aliquis ſimpliciter vltimus quorumuis effectibilium finis, & quomodo is finalizet.

4. RESTRINGO diſputationem ad finẽ ſimpliciter vltimum rerum omniũ effectibilium, quia non agimus de fine vltimo reſpectu tantum alicuius ſeriei actionum, ſeu reſpectu alicuius tantùm intentionis, & electionum ab ea pendentium. Id enim infinitum eſſet, & tam varium, quàm variæ ſunt intentiones. Agimus ergo de fine ſimpliciter vltimo, qui ſcilicet reſpectu rerum omnium, quæ effici, atque adeo etiam in finem ordinari poſſunt, habeat rationem cauſæ finalis. Nam hic ipſe erit etiam finis vltimus hominis; proindéque de eò hoc loco agendum eſt, quatenus eſt per actiones humanas tanquam per media comparabilis. Quod addo, quia ſi ſpectaretur præcisè quatenus finis vltimus rerum omniom, atque adeo etiam ipſius hominis, tunc eius conſideratio non eſſet practica, ſed ſpeculatiua, nec pertineret ad moralem ſcientiam, ſed ad naturalem Theologiam: & quidem non per modum finis duntaxat, ad quem referantur quæ in ſcientia tractantur, tanquam ſubiectum vel ſubiecti partes; ſed per modum obiecti partialis: quo pacto hîc non agimus de fine hominis ſimpliciter vltimo, vt dixi in prologo num. 11. Valeréque id etiam de fine intelligentiarum & animarum ſeparatarum oſtendi in prologo naturalis Theologiæ num 14. contra Suarem & Salam.

ARTICVLVS I.

Dari finem ſimpliciter vltimum, & quidem vnicum, omnibus effectibilibus communem.

5. ATtigit hanc controuerſiam Philoſophus 1. Ethic. c. 2. eamque quaſi fundamentum totius moralis tractationis præmittere viſus eſt, ideóque à nobis quoque eſt præmittenda.

ASSERTIO.

DARI in cauſis finalibus progreſſum in infinitum, impoſſibile eſt. Itaque admittendus eſt finis ſimpliciter vltimus, in quem aliò non relatum referantur cætera, & quidem pro effectibus omnibus vnicus, nimirum ens à ſe.

PRimò nego dari poſſe proceſſum in infinitum in finibus. Ex quo ſequitur deueniendum neceſſariò eſſe ad finem ſimpliciter vltimum, ſiue is ſit vnicus. ſiue multiplex quod poſtea expendam. Non poſſe ergo admitti proceſſum in infinitum in cauſis finalibus docuit diſertè Ariſtoteles 1. Ethic.c. 2. & 2.metaph. c.2.t.8.& 9.

Progreſſus infinitus in finibus, excluditur ex 1. Ethic. c.2.

6. Priore loco ita loquitur. *Si agendarum rerum finis aliquis eſt, quem propter ipſum, & propter quem alia volumus, neque omnia ob aliud eligimus, (in infinitum enim ita fieret progreſſus, vacuúſque & inanis appetitus noſter eſſet;) perſpicuum eſt eum ſummum bonum atque optimum futurum* Argumentatur hoc loco Philoſophus contra progreſſum in infinitum in finibus, ex ſecutura appetitionum noſtrarum inanitate. Siquidem progreſſu illo admiſſo, nullus daretur certus & determinatus finis, qui eſſet primus via intentionis, & in quo primùm firmaretur agentis appetitio, ac denique in quo terminãda tandem eſſet executio. Quamenim poſita intentione finium intermediorum, qui ſpectando viam executionis ſunt viciniores agenti, poſſit agens propter fines illos vſurpare media & operari: Tamen ſi fines illi intermedij referantur aliò, non tam ſub intentionem cadere dicendi ſunt, quàm ſub electionem, quæ eſſentialiter præſupponit intentionem finis. Hic autem nullus erit poſita finium infinitate, quia tunc omnes fines habebunt rationem mediorum aſſumptorum propter aliud. Ergo vel admittendus eſt vltimus aliquis finis primùm intentus, in quo primùm figatur appetitio, atque adeo tollendus eſt proceſſus in infinitum in finibus: vel omnis appetitio noſtra inanis erit & vana, quippe quæ in incertum tendet, imo in nihil; quia medium qua medium, ſeu prout appetitum propter aliud, non eſt illud quod propriè appetitur, ſed hoc ſoli fini competit, in quo figitur appetitio.

Vana item erit appetitio noſtra vt D. Thomas lectio. 2. exponit, quia ſi procedatur in infinitum in deſiderio finium, ita vt ſemper vnus finis deſideretur propter alium vlteriorem, impoſſibile erit hominem adipiſci quod appetit. Progrediendo enim à fine, ſeu veriùs à medio agenti viciniore, nunquam deueniretur ad infinitorum finium adeptionem, ſed ſemper quicquid obtineretur, clauderetur intra ſeriem mediorum. Atque ita tam impoſſibile eſſet adipiſci finem, quàm impoſſibile eſt infinitum exhauriri, & deueniri in eo ad vltimum. Abſurdiſſimum autem eſt admittere hominem habere à natura appetitum qui vanus ſemper & irritus ſit, & caſſo ſemper impetu feratur in bonum. Fruſtra enim inſertus nobis fuiſſet. At natura nihil fruſtrà facit. Hactenus de priore loco Philoſophi, & argumentatione qua in eo excludit infinitatem cauſarum finalium ſubordinatarum.

Locus ex 2. Metaph. ad idem inſtitutum.

7. Nec inefficaciùs argumentatur in poſteriore loco allegato; imo expreſſiùs vtrumque argumentum verbis proximè expenſis propoſitum adhibet. Statuetai ibi t. 5. remouendum eſſe progreſſum in infinitum in quibuſuis cauſis, ac nominatim in finalibus. *Eadem modo*, inquit, *neque id cuius gratia, in infinitum ire poteſt, vt deambulatio quidem bona valetudinis cauſa ſit; hæc autem, fœlicitatis; fœlicitas vero, alterius rei, atque hac ratione ſemper alterum alterius ſit gratia.* Hactenus

Id cuius gratia, finis eſt. Eiuſmodi eſt autem id quod nõ eſt alterius gratia, ſed alia illius cauſa ſunt. Quare ſi id erit vltimũ non erit infinitio, ſin autẽ nihil tale fuerit, non erit id cuius gratia. Sed qui infinitionem inducunt, non animaduertunt ſe boni naturam de medio tollere. Atqui nemo agere quicquã aggrederetur, nõ peruẽturus ad extremum. Neque verò in his menti locus relinquitur. Sẽper enim alicuius rei gratia agit qui mẽtem habet. Hoc enim extremum eſt, quandoquidem finis extremum.

Senſus eſt finem, eſſe id cuius gratia, ſiue id ex cuius tanquam rei concupitæ amore, alia fiunt; ipſum verò non propter aliud dirigitur; ſed propter ſe. Quibus verbis, vt hoc obiter notem, qui ſæpè in ſequentibus ſuum vſum habebit, apertè excinditur ſententia quam tuentur Fonſeca 5. metaph c. 2. q. 10. ſect. 1. & nat. diſp. 23. metaph. 2. n. 5. qui rationem finis propriè dicti ſaluari putant, & in fine *cui*, vt vocant. & in fine *cuius*. Vides enim Ariſtotelem, rationem finis tribuere, non ſubiecto ſiue perſonæ cui bonum appetitur. quem S. Thom. 2. animæ c. 4. text. 35. vocat finem indirectum: ſed ſoli bono appetito. Et certè iſte eſt qui intenditur; & cuius in homine ponendi gratia, vſurpantur media; & denique quo habito, ceſſat motus. Itaque finis ſolùm eſt cauſa cuius gratia agens agit, non autem perſona cui bonum concupitum deſideratur. Et ita rectè Vaſquez 1. 2. d. 2. c. 2. & Salas 1. 2. tract. 1. d. 2. n. 6. Vel ergo in talibus cauſis datur vltima, & ſic tollitur progreſſus in infinitum. Vel non datur vltima, & ſic excinditur ratio finis, ſiue cauſæ cuius gratia. Quod non aduertunt qui infinitionem in finibus admittunt.

Firmatur vis argumentationis prioris ex eo loco deprompta.

8. Hanc poſteriorem illationem in qua ſola eſt difficultas, & qua continetur prima & efficaciſſima probatio, qua euincitur excludendum eſſe progreſſum in infinitum in cauſis finalibus, Ariſtoteles non declarat pluribus. Eam verò æque confirmant, quæ vel vniuerſæ quoad omnes cauſas, vel vt probabilius videtur, quoad cauſas efficientes præmiſerat t. 6. Poſito enim quod de ſolis cauſis efficientibus ibi egerit, argumentum tamen pro omnibus cauſis vrget, probátque in nullo cauſarũ genere admitti poſſe progreſſum in infinitũ. Sic igitur ibi argumentatur. Si progrediendo à cauſa quæ proximè iungitur effectui ad vlteriores & ſuperiores, nuſquam ſiſteretur, omnes cauſæ ſuperiores, eſſent mediæ quo admiſſo ſequeretur nullã ex illis cauſis eſſe primam. At ſi nulla ſit prima, tollitur ratio cauſæ, falſúmque eſt vllam ex illis cauſis etiã eam quæ proximè cum effectu cohæret, principiare effectum & haberet rationem cauſæ, committitúrque implicantia in adiecto, cùm illud quod rationem cauſæ non habet, nec habere poteſt, cauſa vocatur. Ergo negandus eſt progreſſus ille in infinitum in cauſis. Hæc ratiocinatio quomodo in cauſis efficientibus valeat latè expoſui in naturali Theologia d. 5. à num. 44.

In cauſis autem finalibus eſt longè euidentior. Nam illa cauſa dicitur media quæ habet ab alia vim cauſandi, nec cauſat niſi dependenter ab alia anteriore independenter cauſante, quæ proinde habeat rationem primæ. At aperta repugnãtia eſt, vt omnes fines ſint cauſæ mediæ, quia ſic nihil eſſet quod propter ſe appeteretur, & alia omnia propter ipſum, quæ vt vidimus eſt vera notio cauſæ finalis. Ergo ille excindit rationem cauſæ finalis, qui admittit in finibus progreſſum in infinitum. Confirmatur, quia agens ante intentionem certi alicuius, & determinati finis, eſt cauſa indeterminata, quæ poteſt ad multiplices effectus applicari, potéſtque pro varietate finium ab eâ appetibilium, accingi ad inquiſitionem multiplicium valdéque diſcrepantium mediorum. Ergo eius determinatio debet fieri à fine certo & determinato, qui tollitur admiſſo progreſſu finium in infinitum. Nam ex infinita illa multitudine finium nullus erit determinatè mouens, quia nullus erit qui propter ſe moueat, ſed vnuſquiſque mouebit propter alium finem vlteriorem. Illud autem duntaxat mouet determinatè; quod appetitur ratione ſui, & non quia vtile eſt ad aliud. Quia voluntas non ſiſtitur in vtili quatenus tali, ſed in eo ad quod ipſum vtile dicitur vtile. Atque ità ſi nullus detur finis vltimus; tota collectio finium erit propter aliud, deſtituetúrque bonitate determinata, quæ ſola eſt finaliter cauſatiua. Itaque per eum progreſſum in infinitum, tollitur ratio finis, vt rectè affirmabat Ariſtoteles textu illo 8. ſimúlque deſtruitur ratio boni vtilis. Deſtructo namque appetibili propter ſe, deſtruitur appetibili propter aliud, Ad quid enim vtile eſſet quod vtile dicitur, ſi deſit finis? Vnde vniuerſa boni ratio peſſumdatur, quia bonum omne vel eſt propter ſe, vel propter aliud appetibile.

Effugium præcluditur.

9. Non video qua parte pateat effugium, niſi ſi quod in cauſis efficientibus fingunt Athei, hic quoque ad declinandum argumentum vſurpetur. Poſſet ergo aliquis imaginari totam finium collectionem eſſe propter ſe, quatenus non eſt propter aliud extrinſecum: atque ita ſubdere, agens poſſe operari intendendo totam finium collectionem, quæ eatenus cenſeri poterit eſſe propter ſe, quatenus intra eam nullus eſt finis particularis, qui ob aliquid toti illi finium ſeriei extrinſecum, expetatur: ſed eorum quilibet appetitur propter aliquid aliud intra collectionem illam concluſum.

Hoc tamen effugium manifeſtè præcluditur, quia impoſſibile eſt in iis quæ tantum habent rationem medij ad aliud, cerni rationem finis, quantumcunque multiplicentur. Nam ratio finis & ratio medi pugnant inter ſe, ſi ſecundùm idem ſumantur: ſicut pugnant ratio boni voliti propter ſe & ratio boni non propter ſe voliti, ſed propter aliud. Atqui admiſſa ſuppoſitione finium infinitorum ſubordinatorum, omnes fines ſiue collectiuè, ſiue diſtributiuè accipiantur, ſunt media. Ergo in nullo eorum, nec in tota eorum aggregatione, cerni poteſt ratio finis. Itaque non aliter defendi poteſt totam illam collectionem appeti propter ſe, haberéque rationem finis, quàm ſi vel ſingulæ illius collectionis partes appetantur propter ſe; vel certè omnes appetantur propter vnam pertinentem ad eandem totalem collectionem. Neutrum autem dici poteſt in caſu noſtro. Nam impoſſibile eſt ex infinitis mediis finibus ſubordinatis, ſingulos propter ſe appeti, quia hoc ipſo ceſſaret ſubordinatio. Impoſſibile quoque eſt, omnes appeti propter vnum pertinentem ad eandem cum cæteris multitudinem. Nam talis finis eſſet vltimus, tolleretúrque progreſſus in infinitum, ſicut intendimus. Non enim poteſt admitti progreſſus infinitus, vbi datur primum & vltimum: in tali autem caſu daretur primus finis, nempe is qui proximè coniungitur effectui; & vltimus, nempe is ad quem tota collectio finium referretur. Ergo tolleretur proceſſus in infinitum in finibus.

collimare debere poſtea dicemus. Et nihilominus Ariſtoteles 1. Ethic. cap. 2. manifeſtè ſupponit ex illis rationibus poſſe erui vnum aliquem finem ſimpliciter vltimum, perfectiſſimum, & habentem rationem ſummi boni. Quare enitendum eſt, vt efficacitatem rationum propoſitarum ad hoc concludendum educamus.

Quia eſt ens à ſe, quod eſt eſſentialiter vnicum.

Non erit autem difficile id præſtare, ſi aptemus ad inſtitutum argumentationes hactenus adhibitas, quæ reuera vniuerſales ſunt, & æquè probant de fine vltimo vnius ſeriei actionum, ac de fine vltimo omnium ſerierum. Sic igitur argumentor. Omne ens effectibile, ſeu quod eſt ab alio, eſt propter ens à ſe tanquam propter finem ſimpliciter vltimum, ſed ens à ſe eſt vnicum. Ergo finis ſimpliciter vltimus rerum omnium effectibilium, eſt vnicus, & communis omnibus. De minore non eſt controuerſia, eámque latè ſtabiliuimus in Naturali Theologia d. 7. qu. 1. art. 1. Maior quoque ibidem eſt ſufficienter probata d. 1. q. 2. art. 1. Hic autem breuiter ex eo confirmatur, quia ente à ſe ad quæcunque effectibilia comparato, conueniunt duæ illæ conditiones quas ſupra ex Ariſtotele 2. metaph. t. 8. & 1. Ethic. c. 7. in fine ſimpliciter vltimo neceſſarias eſſe diximus. Nempe vt omnia propter ipſum fiant, & vt ipſe non fiat propter aliquid aliud. Ita vt quemadmodum ſi ſermo ſit de fine vltimo in aliqua tantum ſerie effectuum & actionum, nihil in ea ſerie reperitur quod non referatur ad talem finem, & ipſe ad nihil tali ſerie concluſum relationem habet, quaſi effectum ob illud: Sic agendo de fine ſimpliciter vltimo omnium rerum, (de quo nunc agimus,) omnia quidem ad ipſum dirigantur, ipſe autem ſui tantum gratia ſit, hoc eſt, ad nihil prorſus ordinetur, tanquam ad finem ſuum.

Has itaque conditiones finis ſimpliciter vltimi, cadere in ens à ſe reſpectu cuiuſuis entis ab alio, facilè oſtenditur. Inprimis enim ens à ſe non eſt propter ens ab alio; quia quod caret cauſa efficiente, caret & cauſa finali, vt conſtat ex nexu cauſarum illarum, qui ex eo perſpicuus eſt quod finis non cauſat niſi pelliciendo cauſam efficientem: hæc autem non agit niſi propter aliquem finem, vt habetur ex Ariſtotele 3. metaph. t. 3. vbi dicitur, finem, eſſe finē alicuius actionis: & idcirco etiam 1. de gener. c. 7. dicitur ceſſante actione ceſſare finalem cauſam. Conſtat autem ens à ſe, carere cauſa efficiente. Deinde eſſet aperta repugnantia quod ens à ſe, pēderet quomodolibet ab alio: nam eo ipſo non eſſet à ſe.

Iam verò quod omnia entia ab alio ſint propter ens à ſe, probatur, quia certum eſt omnia entia ab alio, quandoquidem ab agente aliquo prodierunt, (hoc eſt ab ente à ſe,) facta eſſe ab eo propter finem aliquem. *Nihil enim turpius eſt Phyſico*, vt rectè pronunciat Tullius, *quàm fieri aliquid ſine cauſa dicere.* Finem porro illum ob quem omnia facta ſunt ab ente à ſe, neceſſe eſt eſſe vltimum; quia, vt probauimus, non datur, nec dari poteſt progreſſus in infinitum in finibus. Neceſſe item eſt finem vltimum, vnicum eſſe pro omnibus rebus. Quia ſi daretur res aliqua facta, quæ non eſſet propter ens à ſe, tunc vel daretur progreſſus in infinitum in finibus, quem iam oſtendimus admitti non poſſe. Vel daretur res facta quæ non eſſet propter finem vllum, quod item impoſſibile eſt, vt paulò ante attigi: Vel denique daretur res facta tantùm propter ens ab alio, abſque relatione immediata rei illius factæ, ad ens à ſe, tanquam ad finem: Hoc autem dici non poteſt, quia hoc ipſo quod illud ens ab alio cui ea alterius finalizatio tribuitur, eſt ens factum, neceſſe eſt illud eſſe propter ens à ſe, cum non careat fine, & in finibus non liceat in infinitum procedere. Vnde quamuis poſſes fortaſſis dicere, rem hanc ab alio quæ eſt finis alterius, eſſe etiam ab alia re creata & facta; tamen tandem congeris ſiſtere alicubi, & ens ipſum increatum enti facto reliqua entia facta finalizanti, aſſignare pro fine vltimo. Vnde perinde eſt ad vim argumenti, agnoſcere primum illud ens ab alio quod eſt finis alterius, manare finaliter ab ente à ſe, ac id fateri de alio aliquo poſteriori ente ab alio, quod aliquibus prioribus dederit eſſe finaliter.

14. Itaque reducamus totum hoc negotium ad tres terminos; nempe ad ens à ſe ex vna parte; & ens creatum factum ob aliud ens creatum, v. g. plantam factam ob hominem, & ad ipſum hominem. Cum ergo illud ens ab alio quod dicebatur eſſe finis vltimus alterius rei factæ; nempe homo, ſit reuera ob ens à ſe, & propter illud tanquam propter finem accipiat eſſe; tam primùm, per primam productionem: quàm continuatum, per conſeruationem; neceſſe etiam eſt admittere, illam aliam rem factam, hoc eſt plantam, eſſe finaliter ab ente à ſe; Et quidem immediatè, quia quotieſcumque vnum fit propter aliud, ſi illud aliud fiat propter tertium, non datur cauſalitas finalis tantùm mediata tertij in primum, ſed verè immediata; eo quod ſecundum in tali caſu, præ tertio habeat tantùm rationem medij, non autem finis: Vnde niſi tertium influeret immediatè in primum daretur illudmet incommodum quo oſtendimus vrgeri eos qui dicunt dari progreſſum in infinitum in finibus: Nempe quod omnia illa quæ haberent rationem finis, eſſent tantùm media, quod eſſet excindere rationem boni, & finalem cauſalitatem, vt ſupra oſtenſum eſt. Ergo planta, facta eſt immediatè propter Deum tanquam propter finem: Ergo omne ens ab alio, (eſt enim par ratio de quibuſuis aliis, vt dixi,) eſt immediatè propter ens à ſe, tanquam propter finem, quæ erat ſecunda finis ſimpliciter vltimi prærogatiua, quam probandam ſuſceperam competere enti à ſe. Ergo cum ens à ſe ſit vnicum, liquet dari vnicum ſimpliciter vltimum omnium effectibilium finem.

Euaſio præluditur.

15. Omnes propoſitiones ex quibus hæc concluſio emitur, adeò validè ſunt firmatæ, & conſecutio item adeo perſpicua eſt, vt nulla ex parte labefactari poſſe videatur. Tantùm poſſet aliquis exiſtimare, patere adhuc perpetuo effugium, ſi dicat rem creatam, quæ alteri item creatæ tanquam finis præfigebatur; verbi gratia hominem in exemplo propoſito, pendere quidem finaliter ab ente à ſe in alio ordine & ſerie: non tamen in ea ſerie in qua alia res creata, hoc eſt, planta pendet ab ipſo homine, eo quod hæc ſeries conſummetur in homine, nec vlterius progrediatur, quamuis deinde in alio ordine homo pendeat à Deo finaliter. Sicut poſſet quis vltimò expetere pharmacum propter ſanitatem, non referendo vlterius ipſam ſanitatem, atque adeo neque vniuerſam illam ſeriem actionum quibus ſanitatem expetiit, & obtinere conatus eſt. Eſto deinde in alio progreſſu & ſerie actionum, homo ille ſanus, & ſe, & ſanitatem ſuam ad Deum referat. Hæc enim poſterior directio ad finem ſe habet omnino per accidens ad priorem; nec vnus finis influit in alium, ſed ſunt diſparati. Hoc autem ſi in re præſenti admitteremus, planè ſequeretur dependentiam finalem ab ente à ſe, in re creata facta ob aliam rem creatam, hoc, eſt in

planta, eſſe duntaxat diſparatam, vel ad ſummum mediatam, contra ea quæ præmiſimus.

Hoc tamen effugium eſt ſufficienter præcluſum. Nam res illa creata propter quam fit alia, verbi gratia homo, propter quem fit planta in eo ipſo quod finaliter terminat plantam, ſubeſt finaliter enti à ſe; Non enim finaliter terminat plantam, niſi quia accipit nunc eſſe per continuationem concurſus conſeruatiui. Hæc autem conſeruatio non fit niſi propter ens à ſe, vt demonſtratum eſt. Ergo ipſa quoque paſſiua plantæ terminatio finalis, eſt propter ens à ſe, quia propter quod vnumquodque volitum eſt & illud magis. Confirmatur quia illud fieri propter finem, in planta eſt aliquid poſitiuum: nihil enim aliud eſt quàm ipſa productio plantæ, vt connotans finem ex cuius amore datur eſſe plantæ: Atqui ea actio eſt immediatè à Deo tãquam ab efficiente. Ergo eſt etiam immediatè ab eo tanquàm à fine. Hæc poſtrema conſecutio nititur fundamento quod articulo ſequenti ſtabilietur.

16. Quare rectè poſitum eſt omne ens creatum habere pro vltimo fine immediato ac directo, ens à ſe. Quod nihilominus benè cohæret cum ordine multarum rerum creatarum ad alias res creatas tanquam ad fines proximos: quia cum finis proximus comparatus cum vltimo, cui ſubiungitur, habeat tantùm rationem medij, ratio finis immediata quæ in voluntatis tractione conſiſtit, ſalua manet enti à ſe, vt expoſitum eſt in naturali Theologia d. 1. num. 23. Non affirmo tamen quænam cauſa efficiens præfigat ſibi & intendat hunc finem ſimpliciter vltimum. Id enim ſpectat ad motionem qua finis ille vltimus mouet cauſas efficientes, ſiue ad eius finalizationem, reſpectu diuerſorum agentium diuerſimodè explicandam.

ARTICVLVS II.

Quomodo finis ille vltimus à cauſis efficientibus intendatur, & earum opera finalizet.

CAuſa finalis non aliter finalizat quàm mouendo agens itellectu præditum, à quo ex amore boni propoſiti datur eſſe effectui. Non dico ipſam agentis motionem metaphoricam ſtatui vniuersè debere pro influxu cauſæ finalis: Id enim falſum eſſe oſtenſum eſt ſuo loco. Itaque idcirco finis dicitur finalizare mouendo metaphoricè agens cui obuerſatur, quia interueniente ea agentis intellectualis pellectione, & voluntatis ineſcatione per bonum ab intellectu propoſitum, effectus accipit eſſe ex amore boni illius, ita vt illamet actio qua effectus à cauſa efficiente prodit, ſit etiam dependentia quâ prodit à fine, interuentu amoris ſimplicis eiuſdem finis, ſeu boni, tanquam conditionis ſemper ad dependentiam iſtam præuiæ. Quare vt intelligamus per ordinem ad quam cauſam efficiẽtem finis ille ſimpliciter vltimus quem pro omnibus effectibilibus vnicum eſſe vidimus, vniuerſalem illam finalizationem exerceat, dando finaliter eſſe eius effectibus; conſiderandum erit quas cauſas efficientes ad operandum moueat: eos enim effectus earum finalizabit, qui accipient eſſe interuentu amoris quo cauſa efficiens proſecuta fuerit finem.

ASSERTIO.

EFFECTVS quilibet ad primam cauſam comparatus, à fine illo ſimpliciter vltimo omnibus communi, ſiue à beatitudine in particulari ſumpta, vt vero ſuo ſubiecto inſidet, hoc eſt à Deo, immediatè & actu pendet. Prout verò ad cauſam ſecundam comparatur, non ſemper, ſiue formaliter ſiue virtualiter à fine illo vltimo finaliter cauſatur: Quamuis à beatitudine vniuersè ſumpta, eatenus ſemper pendeat finaliter, quatenus quoduis bonũ cauſam ſecundam efficientem mouens, eſt beatitudinis illius portio quædam.

PRimò comparo effectus creatos cùm cauſa prima & ſic admiſi quoſuis effectus pendere finaliter à fine communi ſimpliciter vltimo, ſiue à beatitudine ſumpta in particulari. Quod addo, quia finis ille communis & ſimpliciter vltimus, non coincidit cum beatitudine quomodolibet accepta; ſed tantùm cum beatitudine ſumpta in particulari & verè conſtituta, ſeu potius verè cognita.

Finis vltimus, ſub generali ratione cumuli bonorum omnium, vel in ſe ſpectatus.

Hoc vt perſpectius habeatur, aduertendum eſt, ſũmum bonum, vel certè bonum plenum, dupliciter ſpectari poſſe vt notauit Durandus in 4. d. 49. q. 8. n. 17. Nempè primò quaſi vniuersè & generatim; nõ quod hoc pacto ſpectatum, habeat rationem generis & rationis cõmunis ad inferiora, ſeu particularia bona: hoc enim oon cogitat qui bonum plenum ſic acceptũ apprehendit:) ſed quod non conſideretur in hac aut illa re particulari: ſumatur autem quaſi abſtractum à ſubiecto cui adhæreſcere poteſt ratio boni. Et ſic bonum vniuersè ſumptum, nihil aliod eſt quàm cumulus bonorum omniũ, & cuiuſuis mali defectus. Quo pacto ſumitur apud Ariſtotelem ſummũ bonum, cum 1. Eth. c. 4. ait, *in hac communi fœlicitate omnes conuenire:* Omnes enim fœlices eſſe, & plena boni poſſeſſione frui geſtiunt, vbicunq; tandem ſit plenum illud & nulla ex parte immunitũ bonum, & ſiue in vna re, ſiue in pluribus reſideat. Secundò bonum plenum ſeu ſummum ſpectari poteſt in particulari; ſeu prout omnimoda plenitudo boni, in vna aliqua re vel reipſa reperitur, vel eſſe concipitur. Et hoc pacto Ariſtoteles ibidem fatetur eſſe diſſenſionem circa fœlicitatem.

Hoc ſecundo modo, pendent finaliter ab ea omnes effectus, prout ſunt à Deo.

A beatitudine ergo ſumpta in particulari prout eſt in vero ſuo ſobiecto, ſioe quod idem eſt, à Deo, pendẽt effectus omnes tanqoam à fine ſimpliciter vltimo, prout actiones quibus effectus illi efficiuntur, à Deo effectiuè manant: quod facilè confirmatur ex celebri effato quod vſurpat S. Thomas 3. contra gent. c. 17. nempe quod ordo finium eſt iuxta ordinem agentium. Præpoſterè enim agenti perfectiſſimo & à ſe,

proponeretur

proponeretur alius finis quam ipſum ens à ſe, quia cùm poſſit ei competere ratio finis vltimi quæ eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, male & cum diſpendio infinitatis ſuæ ei negaretur. Item cum hoc pacto Deus ordinet actionem ſuam ad finem ſibi commenſum, perperam aliò reſpiceret, & contra rectam ordinationem aliquid ad finem ignobiliorem vltimò referret. Ex his ergo facile concluditur effectus pendere à fine ſimpliciter vltimo communi omnibus, prout à Deo prodeunt. Actio enim qua effectus pendent à cauſa ſua efficiente, non tantùm eſt actio cauſæ proximæ, ſed etiam cauſæ primæ ſiue Dei: Omne autem agens intellectuale cùm deliberatè agit propter finem agit, vt ſæpè ſuprà dictum eſt, & probatum ex connexione vtriuſque cauſæ extrinſecæ. Ergo Deus qui ad extra liberrimè operatur, præfigit ſemper externæ ſuæ actioni finem aliquem; nec alium quàm ſemetipſum vt dictum eſt, & plenius etiam eſt confirmatum in Naturali Theologia d. 1. q. x. art. 1. Hoc autem eſt actionem quamcunque pendere à fine ſimpliciter vltimo, & communi omnibus prout ipſa ſubeſt diuinæ intentioni, & ex boni illius vniuerſaliſſimi amore exercetur à prima cauſa.

Etiam ſi à cauſa quoque ſecunda prodeant.

18. Nec eſt hac in parte difficultas vlla de actionibus quas exercet ſolus Deus, abſque ſubiuncta ſibi cauſa ſecunda. In illis enim non cernitur alia cauſalitas finalis, quæ tamen nulli effectui deeſſe poteſt per ordinem ſaltem ad aliquam ſuam cauſam; cum opus naturæ ſit opus intelligentiæ; certúmque ſit, temerè & incaſſum eliciendas fore operationes, ſi abſque ſcopo, & fine per cauſam aliquam efficientem intento exercerentur. Hæc verò argumentatio idem probat de actionibus quas cauſa prima exercet cum ſecundis, vel deſtitutis prænotione finis, eiúſque incapacibus; vel certè eam non præmittentibus. Quoad operationes autem quas homo exercet præfigens ſibi finem aliquem diuerſum à fine illo ſimpliciter vltimo, nihil eſt quod vetet agnoſcere duplicem dependentiam finalem, à duplici illo fine, quorum vnus vni cauſæ efficienti, alter alteri obſeruatur. Fateor eam dependentiam æquè ac effectiuam, eſſe reipſa vnicam, intellectus tamen artificio ſecatur in duas, per habitudinem ad diuerſos illos fines. Quod in mea ſententia mirum non eſt. Exiſtimo enim omnium cauſarum cauſalitates poſſe reipſa identificari, nec ſecerni niſi per mentem, qua eadem entitas inadæquatè modò cum reſpectu ad vnum terminũ, modò ad alterum concipiatur. Sic productio formæ materialis, eſt depẽdentia illius formæ à cauſa ſua efficiente, & à fine ſuo, & à materia. Neque enim in eiuſmodi formis eſſentialiter ſubiecto affixis, quærenda eſt alia earum cum ſubiecto coniunctio, ac proinde etiam alia cauſalitas materiæ in eas, quàm ipſa actio, qua fiunt in ſubiecto & ex ſubiecto. De qua re pleniùs ſuo loco,

19. Itaque omnis planè res effectibilis, hoc eſt, quælibet res extra Deum, ſi conſideretur prout à Deo efficitur, habet pro fine vltimo, communem illum finem quem dixi, nempe ipſummet Deum. Quod pulchrè tradidit Callicratides Pythagoricus libro de familiarum fœlicitate apud Stobæum ſerm. 85. dicens, *Mundum Græce* Κόσμον *appellari, vt qui per communem omnium diacoſmeſim, id eſt, decoram adminiſtrationem ad vnum optimum dirigatur. Eſt verò vnum illud optimum, Deus ipſe, principium & cauſa diſpenſationis rerum omnium.* Omnium inquam; nec enim eſt admittenda vlla reſtrictio: Nam & rationes propoſitæ vniuerſales ſunt, & Sapiens Prouerb. 6. vniuersè & abſque limitatione pronunciat, Dominum vniuerſa operatum propter ſemetipſum. Quo item S. Thomas 3. contra gentes c. 17. applicat illud ex Apocalypſis vltimo. *Ego ſum α & ω, primus & nouiſſimus.* Nam quamuis poſterior hic locus ad Deum hominem potius ſpectet, in quem tanquam in ſcopum & finem vniuerſa ſcripturarum & myſteriorum fidei ſeries tendit; vnde illa frequens olim Chriſti per duas illas literas deſignatio, de qua pluribus Roſuedius ad carmen 26. Paulini. Tamen non malè etiam accommodatur locus ille ad Deum vt ſic; qui ſicut principaliori iure eſt principium, ita etiã rationem finis vltimi perfectiſſimè obtinet; eóque perfectiùs quod in eum ipſe quoque Chriſtus reuoluitur tanquam in finem ſuum. Sanè illi ipſi antiqui quos Deum hominem binis illis litteris deſignaſſe retuli; vt in vera diuinitatis aſſertione exceſſiſſe è viuis aliquem teſtarentur, eaſdem literas ſepulchro inſcribant, vt refert Ambroſius Morales 11. hiſt. cap. 41.

Enodatur difficultas de actu prauo.

Contra hanc vniuerſalem finalem cauſalitatem Dei in omnia effectibilia, video duntaxat opponi poſſe actiones poſitiuas morali fœditate inquinatas. Hæ namque non videntur eſſe à Deo finaliter, præſertim iuxta veram ſententiam quæ huiuſmodi fœditatem non diſtinguit à phyſica entitate actionis, admittítque eſſe poſitiuam, de quo infra pluribus cum de moralitate. Nihilominus certum eſſe debet illas quoque actiones, quatenus ſunt à Deo efficienter, eſſe etiam ab eo finaliter. Sunt autem efficienter à Deo ratione ſuæ entitatis ſpectatæ phyſicè ac materialiter; ita vt nihil ſit poſitiuum in ea entitate, quod non fiat æquè à Deo ac à Creatura peccante; tametſi deordinatio à ſola creatura pendeat: Quia eadem entitas per comparationem ad vnam cauſam ſuã tenentem certum operandi modum, denominatur, & eſt deordinatio; per comparationem autem ad aliam aliquam cauſam ſuam, nec dicitur nec eſt deordinatio, de quo diligentiùs loco allegato. Itaque ſimiliter ea actio ratione ſuæ entitatis comparatæ ad cauſam primam efficientem, & ſpectatæ materialiter, habet Deum pro fine vltimo.

Cauſa ſecunda, ſempérne agendo intendat finem vltimum.

20. Secundò comparaui effectus creatos cum cauſis ſuis proximis intellectu præditis, & formaliter ex fine agere capacibus: (de iis enim duntaxat nunc agimus;) Et ſic negaui effectus illos finaliter pendere ſemper à fine illo omnibus creaturis communi, & ſimpliciter vltimo: dependentia enim finalis ſupponit amorem; & amor finis illius vniuerſaliſſimi, non ſemper mouet cauſas proximas. Vt autem hoc exactè probetur, diſtinguendi ſunt varij modi quibus cauſa efficiens poteſt finem intendere; ſi minus omnes, ac ij ſaltem qui inſtituto præſenti deſeruiunt. Alia ergo finis intentio eſt directa, alia indirecta, quia cum omnis intentio ſit voluntaria, planè efficitur pro duplici voluntario duplicem quoque illum intendendi modum eſſe poſſibilem.

Multiplex intentio indirecta, atque directa.

Rurſus autem pro duplici vſurpatione voluntarij indirecti, duplex aſſignari poteſt intentio indirecta. Nam interdum voluntarium indirectum dicitur

quod non eſt volitum per actum poſitiuum voluntatis; cenſetur tamen volitum, eo quod agens poſſit & teneatur aliquid agere, vel impedire, quamuis neutrum præſtet. Aliter verò vſurpatur aliquando voluntarium in directum, nempe pro eo quod in ſeipſo, non cadit expreſsè ſub voluntatis intentionem; cenſetur tamen volitum ex affectu ſeu intentione alterius rei ad quam conſequitur. Sic enim quiſquis prænoſcens effectum aliquem ex cauſa ſecuturum, cauſam illam vult, cenſetur eo ipſo indirectè & interpretatiuè ac remotè velle effectum quamuis expreſsè non feratur in eum per voluntatem.

21. Iam verò intentio directa poteſt eſſe vel merè habitualis vel actualis. Habitualem varij variè vſurpant. Nam S. Thomas 3.p.c.64. art. 8. ad 3.& S. Bonauent. in 2. d.41. art. 1.qu. 3. num. 33. nomine intentionis habitualis intelligunt eam quam paulò poſt vocabimus virtualem. Nec irrationabiliter vſurpari in eo ſenſu vocem intentionis habitualis, tradit Caietanus ad articulum illum 8. Additque ſanctus Bonauentura n. 35. aliam quóque acceptionem, nempe quod habitualis intentio ſit illa quâ homo non præcogitato actu fine; cenſetur tamen finem appetere, quia facit aliquid ſuapte natura tendens in finem, quo pacto quæuis bona opera cedunt in Dei honorem. Infrequens tamen eſt ea vſurpatio intentionis habitualis. Poſſumus tertiam eámque ſatis vulgarem acceptionem addere, iuxta quam intentio habitualis ea dicitur quæ interuenit cum præceſſit voluntas, & nullo poſtea modo influit in effectum neque remanet per ſe, neque per virtutem relictam. Scotus in 4. d. 6. qu. 6. *littera A.* ait talem eſſe intentionem dormientis, in eóque tantùm conſiſtere quod quis habeat habitum inclinantem ad talem actum.

Actualis verò intentio duplex eſt, nempe formalis & virtualis. Prior eſt expreſſa & explicita volitio finis: Poſterior autem quamuis à pleriſque contraponatur actuali, quàm falsò putant eandem eſſe cum formali;tamen reuera eſt etiam actualis quamuis non eo modo quo formalis, quia non tam perſtat in ſeipſa, quàm in aliquo connexo cum ea priùs formaliter habita: Quo pacto (quod eſt exemplum Scoti benè ac fusè intentionem hanc virtualem deſcribentis in 4. d. 6. q. 6. n. 2.) viator cenſetur actu intendere continuationem itineris, & ſingulos paſſus quos facit, ex quo itineri ſe dedit cum formali intentione perueniendi aliquo, quandiu eam intentionem non reuocauit per contrarium actum, vel planè abrupit per ſomnum; ſed perrexit in itinere ſemel ex ea formali & explicita intentione ſuſcepto, ex vno actu, ad alium illi connexum progrediendo. Quod moraliter quomodo contingat, difficile ad intelligendum non eſt. Phyſicè autem ægriùs exponitur, nec ſine diſſidio ſententiarum; Quibuſdam contendentibus durante toto illo progreſſu actionum connexarum, durare etiam actionem aliquam circa finem voluntatis, quãuis eam actionem nos plerumque defectu reflexionis non aduertamus! Aliis autem vt Suares tom. 3.3. part. d. 13. ſ. 2. concl. 2. eam volitionis formalis perſeuerantiam reiicientibus; Aliis denique vt Richardo in 4. d.6. art.1.q.3.ad 2.exiſtimantibus vi intentionis formalis primùm elicitæ, imprimi organis facultatis executricis virtutem quandam & veluti impetum qui ceſſante intentione formali primùm elicita, principiet actiones conſequentes tanquam virtus relicta à prima illa intentione, quod plenè diſcutere non eſt huius loci.

22. Obiter tamen dixerim non perſeuerare quidem actu toto tempore quo ſeries actionum connexarum decurritur, formalem vllam voluntatem actualem circa finem de facto, tametſi ſubobſcurius prælucente intellectu elicitam: Id enim neceſſarium non eſt ad rem præſentem explicandam, & videtur eſſe contra experientiam: Nullam item imprimi ab actu voluntatis qualitatem vel impetum, cùm huiuſmodi actiones ſint tranſeunter ſteriles, nec niſi per vitalem potentiarum ſympathiam aliis operationibus originem tribuant. Tamen per comparationem ad volitionem habitualem quæ omnino præteriit, idcirco hanc quoque volitionem poſſe aliquo modo dici actualem, quia verum eſt in hoc operandi modo, volitionem formalem finis, cum primum ſeries actionum connexarum inchoata eſt, interueniſſe; & ex eius motione inchoatam eſſe vnam aliquam actionem, à qua ad alias ei connexas progreſſus ſit factus, & ita conſequenter ad cæteras, vſque ad eam quæ certam illam actionum concatenationem clauſit, renouato identidem propoſito illo primo ex quo tota actionum ſerie ſuſcepta eſt. Itaque non eſt neceſſe actus illos connexos quandiu eliciuntur, aſſumi perpetuò vt media; ſed dummodo cum quolibet eorum inchoatur præceſſerit applicatio potentiæ ad eos exercendos, facta per volitionem finis renouatam aut perſeuerantem in effectu ſuo, hoc eſt, in connexione huius actionis cum proximè antecedente, tandémque cum ea ad quam formalis intentio finis interuenerat, exerceri poterit actus, & ſufficienter ad finem ordinabitur. quamuis nulla actuali formali ordinatione tunc de facto interueniente, ſed tantum præſuppoſita.

Quid porro ſit ea connexio actionum, vix puto poſſe commodius intelligi, quàm ſi attendamus ad id quod in recordatione rerum ante perceptarum paſſim experimur. Conſtat enim eſſe quandam affinitatem inter pleraque obiecta, ratione cuius ſtatim atque vnum ex illis percipitur, intellectus excitatur vt de alio cogitet, idque tam prono vt ſic dicam delapſo ex vno in aliud, tàmque facili conſecutione perficitur, vt plerumque homo non aduertat, aut tenuiſſimè dumtaxat intentus in recordationem ordinatam multorum illorum obiectorum; tamen omnia decurrat, nullo prætermiſſo. Quod elegantiſſimè expreſſit Maximus Tyrius diſſert. 28. n. 167. & palpabili propè experimento deprehendimus in recitatione orationum memoriæ commendatarum: qua in re nemo finxerit ſpecies impreſſas, recordationi rerum illarum connexarum vel vocum deſeruiẽtes, aliter phyſicè affici, quàm ſi quælibet earum ſolitariè perciperetur aut recoleretur. Similiter ergo in re præſenti, actiones, connexæ dicuntur ex eo tantùm quòd propter affinitatem aliquam, vel ſæpè frequentatam eo ordine exercitationem earum, excitemus ab vna ad aliam.

Intentio directa, nihil ad rem præſentem,

23. Hæc cum ita ſint, difficultas eſt quonam ex illis modis finis ille communis ſimpliciter vltimus intendatur à cauſis proximis. Appeti enim aliquo tandem modo, receptiſſima doctrina eſt, cuius veritas infra erit manifeſta. Tantum creditur ei refragatus Scotus in 4. diſt. 49. quæſt. 10. Eum tamen non abnuere, poſtea patefiet. Quare vt veritatem receptiſſimæ illius ſententiæ ſtabiliamus, percurrendæ ſunt variæ illæ intendendi rationes quas hactenus recenſuimus. Et de illa quidem intentione quam vocaui indirectam, non eſt quod ſimus ſolliciti. Agimus enim hoc loco de intentione finis poſitiua, qualis prærequiritur ad phyſicam effectus cauſationem, ſiue finalizationem. Intentio autem indirecta non eſt poſitiua tendentia in finem, ſed interpretatiua tantum. Imo in priore modo intentionis indirectæ, poteſt

omninò deeſſe actus quilibet voluntatis, vt attendenti perſpicuum erit. Itaque tota eius negotij difficultas ſpectat ad intentionem directam. Nec verò ad eam in toto ſuo ambitu ſumptam, (ſeu quatenus habitualem communiter acceptam, & vitualí cõtradiſtinctam complectitur,) ſed prout continet actualem intentionem ſiue formalem, ſiue vitualem; vel certè prout continet habitualem, ſecundo illo modo quo retuli vſurpari à S. Bonauentura, & eſſe minus vſitatam vocis illius acceptionem notaui. Habitualem enim propriè acceptam ſepono, quia non eſt directa finis proſecutio qualem quærimus, ſed quaſi potentialis.

Sententia admittens intentionem directam virtualem in dubio propoſito reiicitur.

24. Aliqui ergo intent onem virtualem finis vltimi communis admiſiſſe videntur, Fuerunt enim qui dicerent, neceſſarium eſſe vt intentio finis illius communis & ſimpliciter vltimi, de quo agimus, præcedat omnes alios voluntatis actus. Non quod vellent neceſſe eſſe, vt ſigillatim cuiuis particulari intentioni cæterorum finium præmittatur intentio finis communis ſimpliciter vltimi; quod operoſum eſſet, & contra experientiam pugnaret: ſed quod exiſtimarent primum voluntatis intendentis fœtum, eſſe proſecutionem finis vltimi ſeu felicitatis in communi, vel boni perfecti, iuxta illud ab Ariſtotele librorum Ethicorum veſtibulo inſcriptum. *Bonum eſt quod omnia appetunt*. Ex eo autem affectu deriuari voluerunt reliquos actus qui ſunt circa fines particulares. Iuxta quam ſententiam daretur illa finis ſimpliciter vltimi intentio virtualis, in quaſuis alias intentiones influẽs. Affingit eam ſententiam ſancto Thomæ, Nauarrus in cap. *Cùm miniſter* num. 15.

Sed non eſt difficile eam ſententiam reuincere falſitatis, cùm comminiſcatur actum circa bonum in communi, quem nemo cum fundamento affirmare poteſt ſe primum omnium elicuiſſe; præſertim cum non potuerit volitionem illam exercere, niſi prælucente eiuſdem obiecti notitia, quam quibuſuis intentionibus noſtris præuiam eſſe, gratis & prorſus voluntariè dicitur. Præterea in ea ſententia fingitur connexio commentitij actus, cum reliquis omnibus intentionibus. Eſto enim demus illam boni perfecti, vel felicitatis proſecutionem, antecedere initio vitæ rationalis ſiue in primo quaſi diluculo vſus rationis, vt aduerſarij æquè hic aſſerunt, ac alij quidam, cum de obligatione conuerſionis noſtræ ad Deum philoſophantur. Quis tamen non videt abſurdiſſimum nihilominus eſſe aſſerere, reliquas omnes intentiones vitæ totius, etiamſi prima illa prorſus euanuerit, pendere ab ea, & ab eius motione deriuari. Tam multæ enim perbreui interuenientes interruptiones filum motionis illius ita intercidunt, vt niſi repetitio primæ illius intentionis interueniat, impoſſibile ſit vllum præterea eſſe vſum eius, ad colligendas actiones nullo alio inter ſe nexu ſociatas, ſed diſſolutas abiunctáſque ab inuicem.

Nec Ariſtoteles vulgari illo effato. *Bonum eſt quod omnia appetunt*, huic commento patrocinatur vt infra patebit. Sanctus item Thomas longè ab illo abeſt vt infra euincam Nec ſi 1.2.qu.1.art.6.ad 3.adhibet exemplum in quo virtualis intentio cernitur, cenſendus eſt eã admiſiſſe in cuiuſuis boni particularis appetitione, de qua ibi agebat. Tantum enim vt oſtenderet ad eum modum appetendi finem vltimum, quem poſtea cum eo tradetmus, non præexigi expreſſam intellectionem finis vltimi, ſumpſit exemplum ex finis intentione virtuali, quam actualis prænotio finis ſic intenti, non aſſectatur. Non viator ad ſingulos paſſus non cogitat de meta, etiamſi quandiu progreditur, ex virtuali eius intentione moueatur. Itaque meritò antiquata eſt prima illa ſententia admittens virtualem finis vltimi omnibus communis intentionem, quibuſuis particularium bonorum intentionibus præuiam.

Alia ſententia admittens formalem intentionem in eodem dubio, improbatur.

25. Nec veriſimilior aut fundatior eſt aliorum ſententia, iuxta quos omnis omninò actio cauſarum proximarum ratione pollentium & vtentium, pendet ab vltimo ſimpliciter fine actu finalizante, non mediante prima eius intentione antecedente quoſuis voluntatis actus; ſed interuentu nouæ intentionis in finem ſimpliciter vltimum omnibúſque communem tendentis, toties repetitæ quoties noua aliqua finis cuiuſlibet alterius intentio elicitur. Quare iuxta hanc ſententiam, quoties volumus aliquid, datur formalis intentio finis illius communis.

Sed hoc ita commentitium eſt, vt vel refellere pigeat. Certè non poteſt ea intentio admitti, niſi præceſſerit in intellectu cogitatio de fine in quem ipſa dirigitur: At liquet nos non eſſe in perpetua cogitatione finis vltimi ſimpliciter, & communis omnibus, quoque tandem nomine exprimatur finis ille; hoc eſt, ſiue nomine Dei, ſiue nomine beatitudinis, aut boni perfecti deſignetur. Igitur intẽtio quæ cogitationẽ ad illam conſequi deberet, eſt prorſus conficta. Affertur eam ſtabiliendam argumentum ex eo ductum, quod ſicut datur prima cauſa efficiens, ita debeat dari prima cauſa finalis, ob inſeparabilem finis & efficientis nexum, ac proinde oporteat vniuerſalem illum finem in quibus vis operationibus finalizare, & cum quibuſuis finibus finaliter concurrere: ſicut prima cauſa efficiens cum quibus cauſis ſecundis efficientibus, actionem promit. Sed hoc argumentum nullius eſt momenti; quamuis enim veriſſimum ſit dari cáuſam finalem primam, & vniuerſaliſſimam primæ cauſæ efficienti correſpondentem, ideóque in quibuſuis operationibus finalizantem non, tamen neceſſe eſt finalizationes particularium bonorum prout ad cauſas proximas efficientes referuntur, ſeu prout ſunt dependentia effectus à cauſa ſecunda efficiente & à fine illi præfixo, reſpicere finem vltimum per cauſas illas proximas formaliter concupitum, quod vnum nunc expendimus. Satis ergo eſt quod omnis operatio cauſæ ſecundæ, quemcunque tandem finem ſibi præfigat ſecunda illa cauſa, deſtituetur à primo efficiente ad primam cauſam finalem.

Vera ſententia de intentione finis vltimi per cauſam ſecundam quoties agit.

26. Sic reiecta actuali quacumque finis ſimpliciter vltimi, ſiue beatitudinis in particulari ſpectatæ intentione per cauſas proximas, ſupereſt vt conſiderãdo actiones agentium proximorum, prout ab ipſis manãt, (in qua conſideratione nunc verſamur,) nullam in eas finis ſimpliciter vltimi omnibus communis in particulari ſumpti & rectè conſtituti, finalizationem admittamus; etiamſi beatitudinis vniuerſe ſumptæ, quo pacto à fine illo vltimo ſecerni poteſt, concedamus vniuerſalẽ intentionem habitualem, eò minùs vſitato modò vocem illam vſurpando, quo deſignat intentionem finis actu concupiti in alio, quod ad ipſum ſuapte

pte naturam referatur, vt portio ad totum; iuxta doctrinam Diui Thomæ 3. contra gent. cap. 17. rat. 5. & 1. Ethic. lect. 1. ex Philoſopho variis locis hauſtam. Quia enim nihil eſt bonum niſi quatenus eſt ſimilitudo quædam & participatio boni ſummi & pleni, ex omnibus bonis quaſi integrati; propterea ſummum bonum ſiue beatitudo vniuerſè ſumpta, appetitur quodam modo in omni bono. Et ſic iuxta D. Thomam dici poteſt vnum bonum eſſe quod omnia appetant. Excutiamus ſingula.

Eſt eius, tantum vt pleni boni.

27. Spectatum ergo in particulari ac vero ſubiecto ſuo ſummum bonum, fateor non appeti quoties quoduis bonum appetimus. Et hoc omninò euincunt argumenta quibus Scotus in 4. d. 49. q. 10. *litera H*, contendit non omnia bona quæ appetimus appeti à nobis propter beatitudinem, ſeu propter ſummum bonum vel vltimum finem. Veriſſimè enim Scotus ita pronunciat, vt liquet ex proximè diſputatis contra ſententiam quæ admittebat intentionem formalem vltimi finis, noſtris quibuſuis intentionibus adiunctam. Vnde habetur, Scotum, contrà quàm illi affingant recentiores, non refragari receptiſſimæ ſententiæ de aliquali appetitione vltimi finis in omnibus intentionibus: ſed tantum inficiari appetitionem eius in ſe ſumpti, & ſpectati in particulari. At ſi ſummum bonum ſpectetur priore modo, hoc eſt, prout eſt cumulus bonorum omnium; ſic admitto, (nec diſſentit Scotus,) ſummum bonum appeti in quouis bono, & per quamuis intentionem. Quoties enim aliquid intendimus, voluntas noſtra fertur in aliquod bonum, quod habere cupit; vel in aliquod malum quod declinare ſatagit; quæ boni aſſecutio, & mali declinatio, bonum quoddam eſt, & veluti portio quædam beatitudinis in vniuerſum conſideratæ. Atque ita quoties intendimus, rectè dici poſſumus intendere beatitudinem, aut finem vltimum, qui reipſa cócidit cum beatitudine ſpectata in particulari.

Hunc ſenſum vulgati illius effati intendit Ariſtoteles 1. Ethic. cap. 2. 4. 7. Perſpicuéque cum expreſſit 1. Rhet. cap. 5. cùm dixit finem ob quem res proſequimur aut malum aliquod cauemus, eſſe felicitatem vel eius particulas. Quo nomine intelligit inchoationes pleni boni, ſeu bona ſingula, ex quibus ad reliquam bonorum ſummam congeſtis, exurgere plenum ac vndecunque integrum bonum. Latè idem tradit Boëtius 3. de conſol. proſ. 2. docens omnem mortalium curam, quam multiplicium ſtudiorum labor exercet, diuerſo quidem calle procedere, ſed ad vnam tantam beatitudinem aſpirare per diuerſos illos tramites. Quod cum latè in variis ſingularibus exemplis declaraſſet concludit in hunc modum. *Hominum animus, & ſi caligante memoria, tamen bonum ſummum repetit. ſed velut ebrius, domum quo tramite reuertatur, ignorat.* Interponit hominum ſtudia in eo ferueſcere, vt nullo egeant, vt potentes clarique ſint, et læti, & benè affecti. Tum ſubdit. *Atqui hæc ſunt, quæ adipiſci homines volunt, eáque de cauſa diuitias, dignitates regna, gloriam, voluptatéſque deſiderant, quod per hæc ſibi ſufficientiam, reuerentiam, potentiam, celebritatem, lætitiam credunt eſſe venturam. Bonum eſt igitur quod tam diuerſis ſtudiis homines petunt: In quo quanta ſit naturæ vis, facilè monſtratur, cùm licet varia diſſidentéſque ſententia, tamen in deligendo boni fine conſentiunt,*

28. Plenè & minutatim hoc verſat Maximus Tyrius, diſſert. 19 à num. 108. & breuiter ſed concinnè diſſert. 23. num. 137. *non ſecus quàm maris partes ſingula, alia Ægæum, Ionicum alia, alia Myrtoum, Creticum alia dicuntur, cum tamen vnicum ſit mare eiuſdem generis, naturæ eiuſdem, partibus ſuis commiſtum. Eodem modo bonum quoque, quod vnum ſibique ſimile & æquale eſt vndique pro ingenij noſtri imbecillitate, bonique ipſius ignorantia, in opiniones varias diſtraximus.*

Eodem ſenſu Sanctus Auguſtinus 13. ciuit. cap. 3. docet, omnes quidquid velint beatos eſſe velle, & nolle eſſe miſeros. Corrigitque illud facetè dictum à Scenico quodam ad ingentem turbam quam euocauerat, cum anterioribus ludis promiſiſſet, ſe quid audientium quiſque in animo haberet, expoſiturum: quos ſuſpenſos & expectatione defixos luſit ioco illo, *vultis vili emere & carò vendere*, Id enim multipliciter falſitatis arguit S. Auguſtinus, cum plerique ſint qui neque vendere neque emere volunt: & reperti ſint qui carò emere voluerint, quæ pretio penè nullo detraherent. Reperti propterea ſint, qui cum poſſent pretio leuiſſimo aliquid comparare, voluerint iuſto, tametſi maiore, ac carò emere. *At ſi dixiſſet*, ſubdit D. Auguſtinus, *omnes beati eſſe vultis, miſeri eſſe non vultis, dixiſſet aliquid quod nullus in ſua non agnoſceret. Quid enim aliud quiſquam latenter velit, ab hac voluntate quæ omnibus ſatis nota eſt, non recedit.* Imò concio 2. in Pſal, 32, ad illud *beata gens*, pulcherrimè tradit omnes peccantes, malè agendo, non aliud quærere quàm vt beati ſint. *Amant*, inquit, *omnes beatitudinem, Et ideo peruerſi ſunt homines, qui mali volunt eſſe, miſeri nolunt. Et cum ſit malitia indiuidua comes miſeria, iſti, peruerſi, non ſolum mali eſſe volunt; & miſeri nolunt, quod fieri non poteſt; ſed ideo volunt mali eſſe, ne miſeri ſint. Quid eſt hoc quod dixi. ideo volunt miſeri eſſe ne miſeri ſint? Conſiderate hoc paululum in omnibus hominibus qui malè faciunt. Beati ſemper eſſe volunt. Furtum facit. Quæris quare? Propter famem, propter neceſſitatem. Ergo ne miſer ſit, malus eſt, & ideo miſerior eſt, quia malus eſt. Depellenda ergo miſeriæ cauſa, & acquirendæ beatitudinis cauſa. faciunt omnes homines quicquid vel boni faciunt, vel mali Semper ergo beati eſſe volunt ſiue malè viuentes ſiue benè viuentes, beati eſſe volunt Et non contingit omnibus quod omnes eſſe volunt, non autem erunt, niſi illi qui iuſti eſſe voluerint.* Similia elegantiſſimè tradit conc. 1. in Pſal. 118. & lib. de morib. Eccleſiæ cap. 3. & tract. de Epicureis & Stoicis c. 3. vbi inde impudentiæ & erroris arguit peccantem. quod de malo velit beatus fieri, cum bonum ſit beatum eſſe, ideóque peruerſè bonum quærat homo & malum faciat. Quod ex parte expreſſit Boëtius l. 1. de conſolation. proſa 2. Eodem ſpectat pulcherrima diſſertatio Epicteti apud Arrianum l. 2. c. 26. latè affirmantis neminem peccando facere quod vult, cum velit bonum & felicitatis portionem quandam appetat, & tamen imprudens pertrahatur in malum. Rurſúſque eadem apud eum habentur l. 3 cap. 23. *ſub finem.*

Bonum, quomodo quod omnia appetunt.

26. Ex his eruitur germana expoſitio effati illius quod Ariſtoteles morali ſuæ tractationi in libris Ethicis & Politicis præfixit, & tanquam fundamentum conſtituit. *Bonum eſt quod omnia appetunt*. Quam meritò teſtatur eſſe antiquam boni definitionem. Habetur enim, apud Platonem in Gorgia; confirmatúrque in Cratylo ex notatione vocis: Dicitur enim vox ἀγαθὸν ducta eſſe ἀπὸ τοῦ ἄγειν, quod eſt illicere & ducere ad ſe appetimm. Nec abludit Sextus Empyricus l. 3. Pyrrhon hypotip. cap. 21. notans ἀγαθὸν dici quaſi ἀγητόν. Eodem recidit quod in opere aduerſus Mathematicos l. 10. cap. *quid ſit bonum, malum & indifferens*, ἀγαθὸν deriuat ἀπὸ τοῦ ἄγασθαι, id eſt ab eo quod

quod illud laudemus & admiremur. A vocando, quia, appetitum ad ſe vocat, alia Græca voce Καλὸν dicitur, vt aduertit D. Dionyſ. cap. 4. diu nom. Quo etiam Albert. 1. Ethic. tract. 2. cap. 6. allegans Maximum & Aſpaſium, traxit vocem latinam *Bonum*; quam notatione admodum futili deriuatam vult à verbo *boo*, quia ſcilicet bonum immenſo planè boatu omnes appetitus ad ſe vocat. Verùm inſulſam illam ethymologiam dimittamus, quàm Maximus & Aſpaſius Græci ſcriptores nunquam ſomniarunt. Boni tamen deſcriptio per eam appetitus aduocationem, idonea eſt. Refert eam definitionem Seneca epiſt. 118. verbis illis. *Quæramus quid ſit bonum. Varia eius interpretatio fuit, finiuit hoc alius alio modo, alius aliter expreſſit. Quidem ita finiunt, Bonum eſt quod inuitat animos, quod ad ſe vocat.* Nec niſi verbis ab iſta diſcrepat alia boni deſcriptio, quàm paulò poſt ſubdit ex aliis in hæc verba. *Bonum eſt quod appetitionem ſui mouet, vel quod impetum animi tendentis ad ſe mouet.* Tandémque aliam ex ſua mente ſubiicit, quæ item aliorum plurium fuit ad Lipſium 2. manud. diſſert. 22. reuera autem non in bonum vniuersè ſed in bonum duntaxat honeſtum cadit. Sic habet. *Bonum eſt quod impetu animi ſecundùm naturam mouet.* Quamuis enim voces illæ, *ſecundùm naturam*, poſſent ita latè accipi vt æquè in omnia bona caderebt; tamen ex mente Senecæ, quam mox longa diſputatione confirmat, perfectè, ſecundùm naturam, duntaxat eſt bonum honeſtum.

Eam ergo boni definitionem vulgatiſſimo illo effato contentam, *bonum eſt quod omnia appetunt*, liquet non debere accipi de bono ſimpliciter in particulari ſumpto; ſiue de fine ſimpliciter vltimo communi omnibus effectibilibus, vt cenſuiſſe Aretinum notat Gilbertus Crab. q. 1. libri primi Ethic. addita in Ariſtotelis interpretatione particula, *ſummum*. in hunc modũ. dum. Summũ bonum eſt quod omnia appetunt, quod nõeſſe de mente Ariſtotelis cũ Philelpho benè aduertit idẽ Gilbertus. Idem cum Aretino videntur voluiſſe, qui ex ea boni definitione intulerunt, ſummum bonum in particulari, ſiue finem ſimpliciter vltimum, ſemper appeti in omni intentione humana. Quod ſine dubio malè fingitur. Quamuis enim in magna proſecutionum noſtrarum parte, nihil cogitemus de fine ſimpliciter vltimo, vel de beatitudine in particulari: tamen ratio boni quæ in obiecto appetito cernitur, optimè poteſt trahere agens ad operandum. Et habet quidem bonum quod fini creato ineſt, ſubordinationem eſſentialem ad bonum quod ineſt ni ſimpliciter vltimo. Ea tamen ſubordinatio, non eſt in genere cauſæ finalis, quaſi ſcilicet bonum creatum non poſſit finalizare niſi vim ſuam mouendi & cauſandi finaliter, virtuti motiuæ, & finaliter cauſatiuæ, quæ eſt in bono increato, adiunctam vel potius ſubiunctam actu habeat, reſpectu cauſæ creatæ efficientis: Sed eſt ſubordinatio alterius rationis, in eo conſiſtens quod bonum omne creatum, participatur efficienter à bono increato. Itemque in eo quod finis creatus non finalizaret effectum creaturæ reſpectu eius talem finem intendentis, niſi finis increatus finalizaret eundem effectum reſpectu Dei intendentis ſeipſum.

Bonum cum appetibili obiter collatum; ſylua qq. extranearum reciſa.

31. Alia verò de quibus circa eandem boni deſcriptionem controuerti ſolet, aliò potius ſpectant. Verbi gratia an peccator appetat bonum: an qui ſe interimit, & appetit non eſſe, feratur appetitu ſuo in bonum. In quibus diſcutiendis multus eſt Gilbertus quæſt. 2. citata, & Ioannes de Celaya ad cap. 1. lib. primi Ethic. Conimb. d. 1. quæſt. 2. in Ethic. Præterea an bonum reciprocetur cum appetibili, ita vt malum, qui tale, non ſit appetibile: quod hic tractat Pauonis diſp. 1. quæſt. 1. definit 5. An idem ſit, *bonum omnia appetunt, & omnia bonum appetunt*, in quibus ſecernendis operam ludit Tartaretus lib. 1. Ethic. cap. 1. quæſt. 3. His itaque prætermiſſis quia vt dixi aliò ſpectant, obiter tantum attingam quomodò bonum ſe habeat ad appetibile, ſiue ad finem, quod hic paſſim quæri video, & ad illuſtranda quæ hactenus tractata ſunt, iuuare poteſt. Diſcutit hoc Suarez d. 10. Metaph. ſect. 1. num. 18. concludens bonum quatenus appetibile formaliter acceptum; eſſe aliquid poſterius bono. Id tamen negarunt plerique apud Ferrar. 1. contra gent. c. 37. nominatimque Capreolus in 1. d 3. quæſt. 3. qui tamen ſibi contrarius in 2. d, 34. docet bonum ſecernendum eſſe ab appetibili. Similiterque. D. Thom. variis in locis varia ſenſiſſe hac in re videtur, & rationem boni modò reſpectum importare, modo nõ importare ſignificat. Sed breui diſtinctione poterit res iſta componi, ſi dicamus, bonum quidem abſolutum, quod idem eſt atque rei perfectio, diſtingui omnino ab appetibili, nec eſſe aliquid reſpectiuũ. bonũ autem reſpectiuũ fundamentaliter ſumptũ non diſtingui ab amabili, ſiue appetibili fundamẽtaliter item accepto; diſtingui tamen ab amabili formaliter ſumpto. Per amabile formaliter ſumptum, hîc non intelligo amabile prout denominatum ab actu amandi: Eam enim denominationem ab actu amoris refuſam, conſtat eſſe poſteriorem non modò bonitate; ſed etiam actu proſecutiuo in bonitatem tendente: Intelligo igitur attributum amabilitatis quatenus anterius actione amandi, eique præſuppoſitum in obiecto, licet connotans actionem illam quaſi aptam elici circa obiectum, tali ad voluntatem proportione & conuenientia inſtructum. Quo pacto poſſibilitas quæ ex parte ſubiecti præſupponi debet ad potentiam effectricem, eiúſque operationem, non concipitur tamen abſque connotatione potentiæ & operationis ab ea proditurę, per quam poſſibilitas transferenda eſt in actualitatem, in qua transferibilitate conſiſtit poſſibilitas.

QVÆSTIO II.

De naturali fine ſimpliciter vltimo, quem homo ſibi poteſt debétve præfigere.

33. CONSTITVTVM eſt vnum eſſe omnium creaturarum finem ſimpliciter vltimum, qui tamen non ſemper finalizet quaſcunque actiones prout fluunt ab agentibus proximis; quandò quidem, vt oſtendimus, neceſſarium non eſt quoduis agens intellectu præditum, propter finẽ illum actu vel virtute intentum, operari. Quia verò homini liberum, eſt hunc finem in quem ex natura rei ordinatur, & ad quem ab ente primo deſtinatur, appetitionibus ſuis proſequi; aut ab eo deſciſcendo alium ſibi finem ſimpliciter vltimum (hoc eſt, non vnius tantum ſeriei actionum ſed planè omnium,) præſtituere: ſequitur vt id excutiamus, ſimúlque expediamus quæ ſpectant ad hominis beatitudinem quæ in veri finis ſimpliciter vltimi aſſecutione conſiſtit. Ridiculè enim Scultetus ſuo lib. 2. Ethic. cap. 1. aliud ait eſſe finem hominis vltimum, aliud hominis beatitudinem, quaſi homo ad aliud creatus ſit, quàm vt Deo potiatur. Nec admitti

poteſt

poteſt quod ait, finem hominis vltimum eſſe rectam vitam: id enim eſt confundere media cum fine, vt rectè attigit Syneſius epiſt. 130, in fine & in Dione pag. 50. Reſtrinxi autem hanc tractationem ad finem naturalem, quia duplex intelligi poteſt finis hominis; Nempe naturalis, qui ei in pura natura creato, nec euecto ad aliquid naturæ terminos excedens, connaturaliter proponeretur; Et ſupernaturalis ad quē extraordinario & prorſus naturæ indebito Dei beneficio conditus de facto eſt. Et quia duntaxat hic moralem Philoſophum non Chriſtianum Theologum ago, totam hanc tractationem ad finis naturalis conſideratione̅ arctabo, duo præſertim circa illum exponendo. Nempe quis ſit finis ille ſimpliciter vltimus quem homo ſibi præfigere poteſt exorbitando à recto calle. Tum quis ſit ille finis ſimpliciter vltimus, quem ſibi conſentaneè ac natura rei operando, debet proponere. Quia vero hic poſterior finis eſt ſummum hominis bonum, cuius aſſecutione homo beatur, de beatitudine quoque hominis, cum perfecta alterius vitæ, tum imperfecta vitæ præſentis, quantum naturalis luminis & ſtatus fines ferent, diſputabo, iis reſectis quæ altioris ſunt ſubſellij, quia ad gratiam & ei repenſam ſupernaturalem gloriam pertinent.

ARTICVLVS PRIMVS.

De fine ſimpliciter vltimo malè conſtituto.

33. ETsi rectum, ſui & obliqui regula eſt iuxta Philoſophum; ideóque ab vltimo fine ritè conſtituto duci potius debuiſſe huius tractationis initium videri poſſit: Tamen methodum [illegible] prudentiæ, quàm doctrinæ incuntes, ordimur à fine ſimpliciter vltimo malè præfixo, quia breuius expediri poteſt. Prætetquam quod commodius à fine rectè conſtituto delabemur ad media eius aſſecutioni idonea, de quibus toto reliquo opere agendum eſt.

ASSERTIO.

HOmo quamtumuis peruersé intendat, non poteſt plures fines ſimpliciter vltimos ſibi præfigere. Poteſt tamen vnum aliquod bonum, nunc hoc, nunc aliud, ſimplex vel ex pluribus coagmentatum. tanquam in finem ſimpliciter vltimum tendere, ſiue formaliter & propriè, ſiue, quod in graui culpa ſemper contingit, interpretatiuè ac virtualiter.

PRimò nego hominem quantumlibet malè intendendo poſſe ſibi ſimul conſtituere plures vltimos fines ſimpliciter vltimos. Non abs re duas illas limitationes adhibui, *ſimul & ſimpliciter vltimos*. Dubitari enim non poteſt quin homo ſucceſſiuè ſibi poſſit reponere plures fines ſimpliciter vltimos, quia repugnantia & incompoſſibilitas quam mox in intentionibus finium ſimpliciter vltimorum ſimul elicitis aſſignabimus, non habet locum in intentionibus finium illorum ſucceſſiuè elicitis, vt mox patebit. Dubitari item non debet quin poſſit plures ſimul fines ſecundū quid vltimos, expetere, & ex eis operari. Vocamus enim vltimum finem finē vltimum ſecundum quid, illum qui in tota aliqua actionum ſerie vltimus eſt, ita vt omnia ibi concluſa ad ipſum referantur; ipſe verò ad nihil illorum referatur: ac etiam vi intentionis cui tota illa ſeries directè & immediatè ſubeſt; ad nihil aliud referatur, quamuis referri aliò poſſit per aliam intentionem, quia prior illa intentio ſiſtens in hoc fine non ſimpliciter vltimo, imperetur ex vlteriore aliquo fine, & in illud ordinetur; ac ita planè fieri oporteat, ſi intentio finis ſecundum quid vltimi, quæ ex ſua natura aliò non tendat, morali bonitate eſt exornanda. Hos itaque fines ſecundum quid vltimos poteſt ſimul homo ſibi proponere plures, etiam diſparatos, iuxta veram ſententiam Philoſophicam quæ ab intellectu & à voluntate plures ſimul actus certo numero poſſe naturaliter exerceri concedit, & latè confirmatur à Gregorio in 1. d. 1. q. 1. art. 3.

Impoſſibile in plures ſimul fines ſimpliciter vltimos tendere.

34. Hæc igitur cum ſint perſpicua, ſupereſt tantùm difficultas de multiplici fine ſimpliciter vltimo, qui ſcilicet talis ſit vt omnes hominis actiones propter ipſum expetantur, & in eum veluti ſcopum collimient, quæ eſt finis abſolutè dicti definitio à Stoicis tradita apud Stobæum in Eclogis Ethicis cap. 5. Talem ergo finem nego reſpectu eiuſdem hominis poſſe ſimul eſſe multiplicem. Quod videtur ex terminis euidens; quia concipi vt dignum in quod omnia omnino referantur, & in quo deſiderium appetentis ſiſtat, nec vlterius procedat vel alio diſtrahatur, eſt aliquid quod non poteſt eſſe commune pluribus, ſed neceſſariò arctatur ad vnum. Nam ſi quod tale eſt, multiplex ſit, hoc ipſo non erit illud in quod referuntur omnia, nec appetitus in eo figetur. Atqui de ratione finis ſimpliciter vltimi eſt, concipi vt dignum in quod ordinentur omnia, & vt tale appeti, fixa in eo voluntatis motione. Ergo impoſſibile eſt talem finem poſſe eſſe ſimul multiplicem. Non nego tamen quin finis ille ſimpliciter vltimus quem homo ſibi poteſt proponere, componi queat ex pluribus cum integrátibus. Nihil enim vetat plures res hoc modo in vnum finem ſimpliciter vltimum coaleſcere: Nec inde ſequitur compoſſibilitas vlla inter plures partes finis prædicti. Sed controuerſia propoſita, erat de multiplici fine totali, quem hoc ipſo quod totalis eſt, volumus eſſe tantum poſſe omnino vnicum, vt ex ipſa motione finis ſimpliciter vltimi probatum eſt.

Et confirmatur ex eo quod nemo ſimul poteſt in duos vltimos terminos tendere, quia vnus eorum excludit rationem terminatiuam & conſtitutiuam alterius motus. Nemo item poteſt duobus Dominis ſupremum cultū & obſequium exhibere, iuxta Chriſti oraculum, quod Celſus apud originem initio libri octaui ſtultè impugnat; ratus id à Chriſto aſſertum, & à Chriſtianis ad polytheiſmi reiectionem vſurpatum, timentibus inferendum Deo nocumentum, ſi ſimul alium ſupremum Dominum ac finem agnoſcerent: Cum tamen Chriſtus non ſpectarit in eo effato damnum Dei, qui nocumento obnoxius non eſt, ſed quod fert rei natura id expoſuerit, nempe incompoſſibilitatem duplicis ſupremi dominantis. Nemo denique poteſt aliquid diligere ſupra omnia, (qui eſt amor fini ſimpliciter vltimo debitus,) ſimúlque amoris ſui partem deriuare ad aliud: Quanto minùs eundem & æquè intenſum amorem illi impendere, ſicut fieri neceſſe eſſet ſi amor ſuper omnia ſimul multiplex eſſe,

&

& in diuerſa bono æquè primò illud terminantia diuidi poſſet; Quare Ethnici illi qui polytheiſmo laborabant, fingebant ſibi numen quod reuera etiam in ipſorum imaginatione, numinis appellatione deſtituebatur quandoquidem ei, quippè iuxta ipſos multiplici, non poterat ratio finis ſimpliciter vltimi competere, quam tantùm conſtat in vero numine importari.

35. Porro non eſt quod reſolutio tradita arctetur ad ordinem naturæ, ſiue ad potentiam ordinariam, vt hic aliquid immeritò faciunt. Nam de quacumque potentia impoſſibile eſt voluntates illas & intentiones contrarias, in eodem ſubiecto coniungi; pugnant enim inuicem & ſe mutuo tollunt, etiamſi falſis iudiciis nitantur, vel ambæ vel vna earum. Et ita rectè Nauarr. in c. *…om miniſter* num. 20. paſsimque alij. Nec refert quod pleraque contraria ex eodem ſubiecto ſe excludant ſpectata tantum vi naturæ: Diuina autem vi poſſint pacificè cohabitare, quo argumento nituntur pauci illi, quos dixi harum voluntatum incompoſſibilitatem diffiteri. Sed eſt imbelle argumentum. Illa enim contraria quæ vi diuina poſſunt coniungi, non ſe excludunt vi ſuarum rationum eſſentialium præcisè ſumptarum, vt rectè notauit Marſil. 3. Phyſ. tract. 1. dub. 5. in fine: ſed tantum ratione finitatis ſubiecti determinati ad certam quandam contrariorum graduum latitudinem paſſiuè cauſandam. Vnde quia ſemper ea ſumma eſt expleta ex variis gradibus pugnantium qualitatum in materia adunatis, idcireò quantum vni earum accedit, tantum ab altera decuti neceſſe eſt, vt ſemper ſiſtatur intra latitudinem virtuti naturali ſubiecti, contrariorum illorum ſimul cauſatiuæ proportionatam. Ac proinde facile eſt Deo contraria illa ſociare, ſupplendo obedientialiter vim paſſiuam ſubiecti; hoc eſt, eam efficienter eleuando vt recipiat gradus plures vnius contrarietatis, quã naturaliter poſſet. At alia quædã cõtraria ita ſe excludunt, vt vnũ eorum in ſua ratione eſſentiali importet alterius excluſionem. Eo quod vel vnum eorum habeat effectum formalem eſſentialiter remouentem id quod eſt effectus formalis alterius, vt patet in curuitate & rectitudine, quas proinde impoſſibile eſt etiam vi diuina coniugi contra Capreol, in 1. d. 17. quæſt. 2. ad. 3. Greg. contr. 2. Vel certè ſi de contrariis actibus ſermo ſit (vt hoc loco,) eo quod vnus eorum deſtruat rationem obiectiuam alterius vnuſquiſque ſit approbatio, & alter reiectio eiuſdem. Quos actus nulla vi fœderari poſſe, ex eo eſt perſpicuum quod vnus eorum alterius negationem eſſentialiter inferat. Et de his tantum, valet doctrina Ariſtotelis 4. Metap. 1. 27. ſignificantis vnum contrarium neceſſariò alterius priuationem inducere. Niſi ſi tantum attendit quod de facto in quibuſdam contrariis euenit, ſpectata vi naturæ. Gabriel in 3. d. 23. q. vnica litera f. priora contraria vocat, *contraria realia* quæ ait poſſe iungi diuinitus, eo quod ex eis non inferatur contraditorias eſſe veras. Poſteriora autem vocat *contraria logicalia*, nempe quia hæc contrarietas apprimè elucet in propoſitionibus contrariis, vt in aſſenſu & diſſenſu, & aliis, quorum diſcuſſio ad Logicam pertinet. Ex his ergo patet perperam ex ſociabilitate aliquorum contrariorum diuinitus factibili, concludi poſſibilem quoque eſſe coniunctionem intentionum de quibus egimus, quæ non minus inter ſe pugnant, quam aſſenſus & diſſenſus ſub eodem de eadem ratione; vel quàm eiuſdem rei amor & odium.

Poteſt pro vero fine vltimo, falſus intendi.

36. Secundò admiſi hominem peruersè intentem, poſſe ſibi proponere finem ſimpliciter vltimũ diuerſum à vero ſuo fine ſimpliciter vltimo. Quod perſpicuũ eſt ex Idololatra. *Qui ligno accidit & ſaxo …cit Deus meus es tu.* Quamuis enim hoc non niſi per ſummum ſtuporem, & extraordinariam mentis obtenebrationem poſſit contingere. cùm tam altè in hominis mente impreſſa ſit veri Dei notio, niſi illam quis atrocitate ſcelerum exculpat. vel ſuperingeſtis voluntariæ peruicaciæ ac obdurationis molibus obruat. Tamen contingere reuera poſſe, & ſæpe contigiſſe, deflendum potius, quàm probandum eſt, Itaque Idololatra qui fingit ſibi Deum pro eo quod non eſt ipſe & agnoſcit rationem ſummi boni in re nihili, proponit ſibi illam pro fine ſimpliciter vltimo, quem conſtat longè diuerſum eſſe à vero fine hominis.

Id præſtare quemcunque grauiter peccantem, qua ſuadeant.

Sunt qui ſimiliter aſſerant quemcunque grauiter delinquentem, conſtituere finem ſuum ſimpliciter vltimum in bono malè concupito; quod idcirco paſſim dicitur eſſe voluntati malè affectæ pro Deo, iuxta illud Apoſtoli e congeriem peccatorũ quæ enumerauera vocantis *ſ…uit…tem dolo…* Quam lectionem loci illius Apoſtolici ſequitur Sanctus Cyprianus epiſt. 52. & Hieron. epiſt. 1. Sigillatim etiam hoc ipſũ in pleriſque grauibus culpis proſequuntur alij, vt in guloſitate Tertullianus in calce libri de ieiunio, ſic gulonem alloquens: *Deus tibi venter eſt, & pulmo templum, & aqualiculus altare, & Sacerdos coquus, & Sanctus Spiritus nidor, & ructus prophetia.* In auaritia frequentiſſimè idem proſequitur S. Chryſoſtomus præſertim homil. 18. in 1. Corinth. *ſub finem.* vbi aurum & pecunias cum ſtatua Nabuchodonoſoris confert, & ſerm. 18. in ad Epheſ. circa med. vbi de ara & ſacrificiis huius idol. Pulcherrimè item S. Cypriani nomine perperam inſcriptus liber de virtut. Chriſt. Cardinal in prologo *ſub finem* & Hieron. dicta epiſt. 1. monens, *non eſſe in eo tantum ſeruitute m idoli, ſi quis duobus digitulis thura in buſtum aræ iaciat, aut buſtum patera poculo fundat merum*, ſed in auaritia quoque eam labem cerni. Plurima eiuſmodi legere licet in ſpurio apud eundem Cyprianum opere de duplici martyrio; a medio libri.

37. Vniuersè eandem idololatriæ labem in quouis graui delicto agnoſcit S. Greg. Nyſſen. homilia 8. in Eccleſiaſten vbi queſtus de vitio hominis in vſu peruerſo creaturarum. *Ingredientia*, inquit, *contraria loco Dei ponuntur, adeo vt per ea vitioſæ affectiones in Deos referantur. Sic iis qui gulæ ſunt dediti, Deus eſt venter: ſic auari ſibi ex vitio idolum conſtituunt: ſic & qui per errorem habẽt in hoc ſeculo obſcuratos animæ oculos, Deũ ſibi faciunt vanam gloriam: Et vt ſemel dicam, cui rei quiſpiam ſuam rationem ſubduxerit & in ſeruitutem redactam mancipauerit eam ſuo vitio Deum facit.* Vniuersè item & perelegantèr, idem dixit S. Chryſoſtomus homil. 6 in ad Rom. *in morali*: Inſectatus enim Chriſtianum verbis tantùm philoſophantem, cætera Ethnicũ, & negãs fas ei eſſe tentare idololatras à polytheiſmo abducere, ſubiungit. *Quidnam obſecro gentili dicturus es, rapacitati interim atque auaritiæ addictus? Ab idolorum ductu recedito Deũ agnoſcito ne argẽto ne auro adhæreſcas. Hæc ſi dixeris, nõne ex illo ridente audies. Tibi ipſe hæc prius diſputato.* Et paulò pòſt. *Mihi porrò ne hoc dixeris, te aureum idolum non adorare. Quin potius illud mihi probato, te ea nõ facere, quæ ipſum aurum facienda iubet. Varij enim ſunt idololatriæ modi; & hic quidem mammonam; alius autem ventrem ſibi Deum facit, alius aliam concupiſcentiam perniciosiorem.*

At non ipſis ſacrificas boues, quemadmodum Gentiles? Sed quod multo perniciosius eſt, tuam ipſius animam pro victima offers. At genua non flectis, nec adoras? Sed magis audiens dicto es ſi qu d præceperint, & venter, & aurum, & concupiſcentia id genus aliorum, tyranni: quando & gentiles hoc nomine execrabiles ſunt, quod hominum affectus Deos effecerunt; Concupiſcentiam, Venerem; Iram, Martem; Ebrietatem, Bacchum appellantes At non idola ſculpis illorum exemplo! Verum maiore cum animi ſtudio, te ipſe illis iiſdem animi morbis ſubmittis, quæ Chriſti membra ſunt meretricis membra efficiens, cæteriſque ſceleribus te coinquinans. Ob quod obſecro abſurditatis huius magnitudine penſata, idolorum cultum vt deuitemus. Sic enim Paulus auaritiam appellat; nec pecuniarum tantùm cupiditatem immoderatam, ſed & appetentiam omnem malam, tum in veſtium, tum in menſa apparatu, & denique in rebus cæteris. Mitto alia paſſim obuia in eandem ſententiam, præſertimque apud Idiotam annot. in. Pſalm. 15. ad illud, dixi Domino, Deus meus es tu.

Contrarium demonſtratur.

38. Verùm quod quilibet grauiter delinquens, finem ſuum vltimum in bono malè expetito conſtituat, vt hæc teſtimonia affirmare videntur, meritò inficiati ſunt Scotus quod l. 28. *litera Cc.* & Adrianus quod l. 7. quæſt. 3. & Nauar. in cap. *cum miniſter*, num. 21. Et ratio eſt perſpicua: Quia non quiſquis grauiter labitur, ita afficitur erga eſcam boni creati per quam ad ſcelus illicitur, vt ſe omniáque ſua in eam referat, eámque habeat tanquam bonum vndecunque plenum, & dignum in quod cætera omnia tanquam in finem deſtinet. Quin potius ſæpè ad horam tantùm exultare vult in luce peccati; nec vt bonum ſummum illud agnoſcit, ſed vt ſuauitatis guttam bono vetito inſperſam lingat, patitur ſe abripi, non ignarus ſtillam hanc eſſe, non pelagus boni. Tantum etiam abeſt vt hunc ſibi ſtatuat finem ſimpliciter vltimum, vt potius ſæpè vnum peccatum habeat pro medio ad aliud, vel certè vnum peccatum ad alium finem ex ſe vitio carentem referat: At ea relatio & ratio medij, cum ratione finis ſimpliciter vltimi cohærere nequit. Tandem qui plura ſimul grauia peccata admitteret, (quod conſtat fieri poſſe, plures ſibi fines ſimpliciter vltimos proponeret, quod vidimus repugnantiam inuoluere. Itaque quamuis qui ſiue grauiter, ſiue leuiter delinquit, in illo quidem opere & actione Deum pro fine ſimpliciter vltimo non habebat; non tamen oportet, vt creatum bonum in quod tunc fertur, ſtatuat ſibi tanquam omnium ſuarum actionum & totius vitæ finem; ſicut illum ſtatuere neceſſe eſſet, ſi hic eſſet illi finis ſimpliciter vltimus. Neque verò quiſquis agit, adigitur tendere in finem ſimpliciter vltimum: Et ſi ſemper neceſſe ſit agens intellectuale cum operatur tendere in finem ſaltem ſecundum quid vltimum; cùm non poſſit dari progreſſus in infinitum in finibus, vt ſupra probatum eſt:

Alterum placitum, valet interpretatiuè.

39. Admittendum tamen eſt, quod etiam non inficiantur Scotus, Adrianus & Nauarrus locis allegatis, & adductis Patrum teſtimoniis euincitur; nempe eum qui grauiter delinquit, etiamſi propriè non ſemper conſtituit finem ſuum ſimpliciter vltimum in creatura, quoties ſcilicet diuinum cultum ei non impendit: Tamen interpretatiuè cenſeri habere bonum malè expetitum pro fine ſimpliciter vltimo; eo quod ita ſe gerat ac is cui creatura eſſet finis ſimpliciter vltimus. Inprimis enim elicit actum qui neque natura ſua, neque ex agentis intentione poteſt in verum ac naturalem rerum omnium finem tendere. Vnde quatenus operationem illam elicit, ſiſtit in obiecto eius tanquam in fine, ad verum finem rerum omnium nequaquam ordinabili, ac proinde quaſi contendente cum Deo de ratione finis vltimi & primatu in hac parte. Sed quia hæc labes communis eſt peccato leui, quod mox oſtendam non cenſeri finem hominis peruertere: propterea paulo aliter vſurpanda eſt hæc ratio, nempe quia actus grauiter malus reddit hominem inordinabilem & irreferibilem ad finem ſuum ſimpliciter vltimum. Nam per eum actum diſſoluitur amicitia, ſi homini cum ſuo fine ſimpliciter vltimo intercedebat; ac ita ab eo auertitur qui ſic delinquit, vt reddat ſe inidoneum ad aſſecutionem eius: quia ea operatio cum tali aſſecutione cohærere nequit vt optimè attigit Scotus ſupra. Itaque poſita ea praua hominis intentione circa tale bonum malè concupitum, & remanendo in ſtatu ad quem ea intentione deuenitur; ſiſtendum homini eſt in eo male optato bono, perinde ac ſi ob illud conditus eſſet, carerétque fine vltimo ſimpliciter.

Et hinc etiam ducenda eſt germana ratio cur vni, graui culpæ tametſi per momentum duntaxat duranti, æternum ſupplicium iuſtiſſimè rependatur, vt variè contra Philoſophos quoſdam Ethnicos diſputant multi Patres & Doctores quos adduxi in naturali Theolog. d. 8. à num. 231. Quibus adde Chryſoſtomum homil. 37. in Ioannem ſere initio, & Abucaram opuſc. 31. Attendenda enim eſt voluntas, grauiter peccantis, quæ actu illo Deum abiicit, & affectum ſuum, quantum eſt ex natura illius actus, in perpetuum & in ſolidum addicit illi obiecto; quod idcirco, in teſtimoniis ſupra allegatis, dicitur voluntati grauiter exerranti, eſſe pro Deo.

Ac ne ſic quidem, pro minuta peccantibus.

40. Semper hæſi in actione grauiter mala; quia actio leuiter inquinata non præbet fundamentum affingendæ homini peccanti tam diſtortæ voluntatis vt finem ſuum ſimpliciter vltimum in obiecto malè expetito conſtituere cenſeatur. Eſt quidem hoc peccatũ æquè irreferibile in Deum ac peccatum graue. Neque enim quæ aliqui adducunt, vt perſuadeant peccatum veniale referri poſſe in Deum, vllius reuera ſunt momenti, cùm tantùm oſtendant non obſtante leui culpa ſaluam manere perſonæ ipſius referibilitatem ad Deũ, & idoneitatem ad eius aſſecutionem de quo nunc non quærimus, ſed de ipſo actu leuiter malo. Hunc ergo nego poſſe nullam habere rationem medij reſpectu finis vltimi: Nam finis vltimus rationem habet præmij ſimul ac finis. At huic actui, ſupplicium potius ac coërcitionem quàm præmium, rependi dignum eſt. Itaque generaliter valet quod de peccato indefinitè dixit Durandus in 1. d. 1. quæſt. 4. n. 9. nempe peccatum cum ſit actus deordinatus à fine, non eſſe vſum, ſicut eſſe deberet, ſed propriè eſſe abuſum. Neque vnquam ita elui poterit turpitudo actui malo inſidens, quamdiu malus erit; tametſi leuiter, vt poſſit vſum aliquem ad finis vltimi conſecutionem habere. Nihilominus perſona ipſa quæ actu illo leuiter ſe inquinat, non fit incapax aſſecutionis finis ſimpliciter vltimi, nec ab eo auertitur ſic operando: Quia cùm leuis culpa ſit, & vel cum tenui malitiæ notitia, vel ex magna imbecillitate admittatur aut certè in re duntaxat exigua verſetur, non ſufficit ad diſſolutionem diuinæ cùm homine amicitiæ ſi prius inita erat proindéque homini idoneitatem ad finis ſui vltimi poſſeſſionem aliquando conſequendam permittit.

Et

Et huc reſpexerunt antiquorū Scholaſticorum plerique, cum dixerunt, peccatum leue non eſſe contra ſed præter legem. vel non eſſe circa finem, ſed circa media, aut non eſſe contra præcepta, ſed contra conſilia. Quæ omnia ſi crudè accipiantur nullo modo admittenda erunt. Reuera enim peccatum leue, cùm ſit peccatum, eſt iniquitas ſiue ἀνομία. eſtque contra legem; cùm particularem, nobis in operando immediatè prælucentem, tum, etiam æternam, ad quam particularis hæc regula formanda & dirigenda eſt, de quo latius Vega 14. in Concil. c. 13, Staple. 12. de iuſtif. cap. 5. & 7. ac Petrus Soto lect. 6. de diſcr. peccat. Dicitur ergo non eſſe contra legem, quia non eſt contra legis finem, diſſoluendo coniunctionem hominis cum Deo. Qua etiam ex cauſa dicitur eſſe tantùm contra media ad finem ſimpliciter vltimum tendentia, quia tantum tollit actum bonum qui ad finem illum conduceret, eſtque remota ad aſſecutionem finis. Et denique eadem ex cauſa dicitur tantum eſſe contra conſilia, quia nihil tollit ad finis conſecutionem abſolutè neceſſarium, ſed tantùm aliquid eò conducturum, qualia etiam ſunt conſilia.

ARTICVLVS SECVNDVS

De naturali fine ſimpliciter vltimo, humanæ appetitionis ordonatæ.

41. Hic finis non alius eſt quàm Deus ipſe. Quod cum ex ſupra diſputatis perſpicuum maneat, hìc duntaxat attingendum eſt ac paulò preſſiùs vrgendum cum Cameracenſi in 1. quæſt. 2. art. 7. *litera X.* & Gabriele in 1. d. 1. q. 4. *litera I.* Quos tamen non probo, quatenus dicunt finem vltimum homini naturalem non eſſe Deum. Id autem probant, quia alioqui Deus eſſet naturaliter acquiſibilis per hominem, quod habent pro magno incommodo. Aſſerunt igitur creaturam rationalem tendere in ſeipſam, tanquam in finem vltimum appetitus naturalis; id eſt, in conſeruationem & in bonum ſui ipſius, quamuis appetitu elicito & libero tendere debeat in Deum. Hanc inquam diſtinctionem non approbo, cùm idem debeat eſſe finis vltimus appetitus innati & eliciti; quia ſe habent vt actio & potentia, quarum eſt idem finis vltimus.

Deus finis vltimus in quem homini collimandum,

Hominem itaque debere Deum tanquam finem ſimpliciter vltimum habere propoſitum, ea ratio euidenter probat, quod idemmet ſit finis operis, ac ipſius operationis. Opus enim cum non eſſet, non potuit ſibi finem præfigere ex quo efficeretur. Atqui ens à ſe facit omnia propter ſe ipſum tanquam propter finem ſimpliciter vltimum, vt probaui quæſtione 1. ac ex Ariſtotele & Platone confirmat Cuſanus lib. 7. excit. Ergo homo qui eius opificium eſt, eodem refertur ab illomet autore ſuo. ac proinde hic eſt naturalis finis hominis, in quem par eſt ipſum quoque arbitrio ſuo contendere, ne videatur opificem criminari, & quaſi inſimulare malè ſibi præfixi finis, quem propterea inuertere oporteat. Accedit elegans ratiocinatio quam ſæpè vrget D. Auguſtinus ac nominatim in Pſalmū 54. & 56 Quanquam enim de Deo homine diſſerit, tamen quia quæ dicit, in Chriſtum quatenus Deum præcisè cadunt, commodè hic locum habent. *Finis*, inquit poſteriore illo loco, ad ipſum Pſalmi titulum, *Chriſtus. Quare dictus eſt finis? Non qui conſumat ſed qui conſummet: conſumere enim perdere eſt; conſummare perficere. Finitum enim quicquid dicimus à fine dicimus. Aliter dicimus, finitus eſt panis; aliter finita eſt tunica. Finitus eſt panis qui manducabatur: finita eſt tunica quæ texebatur. Panis ergo finitus eſt vt conſumeretur, tunica finita eſt vt perficeretur. Finis ergo propoſiti noſtri Chriſtus eſt, quia quantumlibet conemur, in illo perficimur, & ab illo perficimur, & hæc eſt perfectio noſtra ad illum peruenire. Sed cum ad illum perueneris, vltra non quæris, finis tuus eſt. Quomodo enim finis viæ tuæ locus eſt quo tendis, quo cùm perueneris iam manebis, ſic finis ſtudij tui. propoſiti tui, conatus tui, intentionis tuæ, ille eſt, ad quem prætendis, ad quem cùm perueneris, vltra nihil deſiderabis, quia melius nihil habebis.* Suppeditat hîc locus potens argumentum in rem noſtram: is enim cenſeri debet finis vltimus, in quem homini intendendum eſt, à quo vno, abſoluta perfectio homini eſt expectanda, & in quo vno omnes eius motus debent deſinere, tanquam in termino in quo ſit ei conquieſcendum. Atqui non aliter poſſe perfici hominem plenè & abſolutè quam ſi Deo potiatur, infra oſtendemus, vel etiam liquebit in Deo duntaxat eſſe poſſe homini quietem & eius tantum conſecutione expleri poſſe capacitatem humanam. Ergo finis ſimpliciter vltimus quem homo ſibi debet præfigere. non alius eſt quàm Deus.

Et idcirco centrum & locus noſter dicitur.

42. Frequenter hoc ipſum aliis verbis eadem tamen ſententia tradunt Patres reliqui. ac Philoſophi cùm Deum appellant *rerum centrum*. Vſurpant autem illam Dei appellationem Syneſius hymno 2. & 3. Plotinus enneadis 6. lib. 9. cap. 8, & ex antiquioribus, ſæpe Cuſanus vt lib. 2. de docta ignorantia cap. 11. & l. 1. de coniecturis cap. 14. Spectàtque eodem quod Marius Victorinus lib. 4. aduerſus Arrium. Deum dictum ait *ſedere quaſi in centro omnium quæ ſunt*, eo quod ſit *ipſum manens, vel manſio. quies quietis?* Eſt enim centri maximè propria ſtabilitas & quies; hæc autem nobis non niſi in Deo.

Nec alia mens pleriſque Deum vocantibus *locum noſtrum.* Quæ eſt frequens Dei appellatio apud veteres: Sic enim Theophilus Antiochen. 2. ad Autolic. Deum omnium rerum locum nominat. Et fuiſſe communem Iudæis antiquis loquendi, de Deo modum, teſtatur Galatinus 2. de arca cap. 8. Et quanquam ea appellatio vbiquitatem diuinam. & diffuſionem per realia quæuis ſpatia plerumque deſignat; tamen ad hanc quoque Dei finis ac centri noſtri perfectionem ſignificandam extenditur: vt quemadmodum grauium locus ac finis centrum eſt ad quod connituntur, & extra quod inquieta ſemper manent? Ita Deus in quem veluti centrum pondera affectuum noſtrorum ferri debent, locus noſter iure appellatur. Pulchre id tradit S. Gregorius 8. Moral. cap. 15. ad illud, *Neque cognoſcet eum amplius locus eius*, vbi inter alia ſic loquitur. *Locus quippe hominis ſed non localis, ipſe ſcilicet conditor extitit, qui hunc vt in ſemetipſo conſiſteret, creauit &c. Si enim appellari locus nequaquam conditor poſſet, Deū laudans Pſalmiſta non diceret* filij ſeruorum tuorum habitabunt ibi: *ibi enim non dicimus niſi cum locum ſpecialiter deſignamus, &c. Vnde*

de & notandum ſummoperè eſt, quod non ait: neque cognoſcet amplius locum ſuum, *ſed ait*: neque cognoſcet eum amplius locus eius. *Dum enim cognitio non homini, ſed loco tribuitur, patenter ipſe conditor, loci nomine deſignatur.* Nec abs re fortaſſis eodem referatur quod Deum διὰ τὸ τεθεικέναι à Græcis θεὸν dictum tradit Theophilus 1. ad autol. Quaſi in eo duntaxat ſtabilitatem & conſtitutionem connaturalem ſortiamur. Quem antiquiſſimi inter Chriſtianos ſcriptoris locum, qui ex lib. 4. cap. 1. Euſebij de demonſt. deſcriptum volunt; patentem anachroniſmum nec modici interualli hallucinationem (vt vel ex ipſo Euſebij chronico diſcere poterant,) pro ſelecta obſeruatione obtrudunt.

Eadem veritas, magis illuſtratur

43. Eſt itaque Deus centrum noſtrum, ac locus, id eſt finis ſimpliciter vltimus, quo vno adepto motibus appetitionum noſtrarum quies erit. Quod quanti interſit hominem expendere, pulchrè tradit Eucherius in paræn. ad Valer. *ferè initio*, cum ait. *Primum inſtituti atque in lucem editi hominis officium eſſe propriũ cognoſcere autorem, cognitúmque inſpicere, vitámque id eſt diuinum donum, in diuinum officium cultúmque conferre, vt quod Dei munere ſumpſit, Dei deuotione conſummetur; atque id quod ab eodem indignus cepit, eidem ſubiectus impendat. Sana quippe opinione agimur, ſi eductos nos, ſicut ab ipſo: ita ipſi arbitremur. Vnde ille plenè magnificéque perſpicit creatoris noſtri in effingendo homine ſententiam, quiſquis ita intelligit, quod nos & IPSE & SIBI fecit.*

Idem luculenter tradit S. Anſelmus in monol. c. 65. & 66. verbis illis quibus veritas propoſita & optime confirmatur, & illuſtriſſime exprimitur, vt proinde non pigeat ea adſcribere. *Omninò cogitari nõ poteſt rationali creaturæ naturaliter eſſe datum aliquid tam præcipuum tanquam ſimile ſummæ ſapientiæ, quam hoc, quia poteſt reminiſci, & intelligere & amare id quod optimum & maximum eſt omnium. Nihil igitur aliud eſt inditum alicui creaturæ quod ſic præferat imaginem Creatoris. Conſequi itaque videtur, quod rationalis creatura nihil tantum debet ſtudere quam hanc imaginem ſibi per naturalem potentiam impreſſam, per voluntarium effectum exprimere. Etenim præter hoc quod creanti ſe debet hoc ipſum quod eſt: huic quoque, quia nihil tam præcipuum poſſe, quam reminiſci & intelligere & amare ſummum bonum, cognoſcitur; nimirũ nihil tam præcipuè debere velle conincitur. Quis enim neget quæcumque meliora ſunt in poteſtate, ea magis eſſe debere in voluntate? Deniq. rationali naturæ nõ eſt aliud eſſe rationalẽ, quem poſſe diſcernere iuſtum à non iuſto, verum à non vero, bonum à non bono. maius bonum à minus bono: Hoc autem poſſe, omninò inutile eſt illi, & ſuperuacuũ, niſi quod diſcernit, amet vel reprobet, ſecundũ veræ diſcretionis iudicium. Hinc itaq; ſatis patẽter videtur omne rationale ad hoc exiſtere, vt ſicut ratione diſcretionis aliquid maius vel minus bonũ ſiue non bonum iudicat, ita magis aut minus id amet aut reſpuat. Nihil enim aptius quam rationalem creaturam ad hoc eſſe factam; vt ſummam eſſentiã amet ſuper omnia bona, ſicut ipſa eſt ſummum; Imo vt nihil amet niſi illam, aut propter illam: quia illa eſt bona per ſe, & nihil aliud eſt bonum niſi per illã. Amare autem eam nequit, niſi eius reminiſci, & eam ſtuduerit intelligere, Clarũ eſt ergo rationalẽ creaturã, totũ ſuũ velle & poſſe ad memorãdum & intelligendũ & amãdum ſummum bonum impendere debere, ad quod ipſum eſſe ſuum ſe cognoſcit habere.*

Suffragium Philoſophorum.

44. Iuuat hoc ipſum ex Ethnicis diſcere, vt appareat naturæ lumine, quo vno iſti dirigebantur, idem doceri quod Caietanus rectè notauit 2. 2. q. 10. art. 4. & Soto in caput. 1. ad Romã, Inſigniter Plato l. 6. de Republ. *An non*, inquit, *decẽter hunc modum eius cauſam defendemus, dicentes hominem ſcientiæ cupidum ita natura inſtitutum eſſe, vt ad id quod verè eſt, ſemper contendat, neque moras trahat in his ſingulis ac plurimis circa quæ verſatur opinio; ſed vltro progrediens non antequieſcat, quam propriam cuiuſque naturam ea animi vi attigerit, qua id apprehendere conuenit? Conuenit autem vi quadam cognata, quæ cum adhæſerit, ſéque ei quod verè eſt miſcuerit, atque inde reuera intelligentiam veritatemque genuerit, cognoſcet vtiq; verum, veréque viuet atque aletur. Ex hoc denique partu moleſtia eius ceſſabit, prius verò nequaquam.* Diſputãtur ab eo in eãdem ſententiam, quàm plurima. Et optimè in Philœbo, itémque inſigniter in Timœo ſub finem. Locum deſcripſit Clemens Alexandrinus 1. Stromat cap. 6. & ex Clemente Euſebius 13. de præparat cap. 7.

Idem planè ſonant illa Epicteti apud Arrianum l. 13. c. 3. *Si quis huic opinioni ex animo, atq. ita vt ipſius præſtatia poſtulat, aſſentiretur, Nimirũ nos procreatos à Deo, quodam inſigni naturæ principatu; atque præterea Deum patrem eſſe Deorum atque hominum: haud dubiè nihil humile aut abiectum de ſe ipſo cogitaturus eſſet. Quod ſi Cæſar te adoptaret, ſupercilium tuũ nemo ſanè ferret. Si ergo Dei te filium agnoſcis, non te efferes. At iſtud nos non ità facimus propterea quòd duo hæc in ortu noſtro confuſa ſunt & coagmentata, corpus ſcilicet, quo communicamus cum animalibus reliquis, & ratio atque intelligentia qua conuenit nobis cum Diis. Quare nonnulli, (& maxima quidem pars,) ad mortiferam illam atque infelicem cognationem naturæ propenſiores ſunt. Quidam verò & perpauci, ſeſe ad diuinam & beatam illã adiungunt cognationem naturæ. cũ porro ſit neceſſe quemlibet, eo qualibet ſic vti pro eo vt de ea ſenſerit pauci nimirũ illi qui ſe natos eẽſent ad fidem, ad pudorẽ, ad cautionem prudẽter viendi viſi, de ſe ipſis nihil ſcilicet cogitãt humile aut abiectũ. Plurimi verò illi cõtra faciũt*

Aut virtutum exercitatione Deum pro fine vltimo agnoſci & quæri, idem ipſe Stoicus ſæpè profitetur. Vt idem ſit, nos ad virtutem & Dei cognitionem natos & factos dicere atque ad ipſum Deũ. Apud Simplicium Epicteti interpretem in cap. 1. Enchirid. Hic ipſe omnium finis vltimus luculenter conſignatur.

Duriuſcula in contrarium Antonini ſententia.

45. Deprimit verò hominem quiſquis eum inferiori fini addicit. Quia in parte videri poſſet reprehẽdendus Antoninus Imperator & Philoſophus, qui ſæpè inculcat, finẽ hominis eſſe ſocietatẽ politicam humani generis. Ita enim cùm aliàs frequẽter, tum diſertiſſimè n. 18. lib. 2. de vita ſua, numerans inter ea quibus homo ſe afficit contumelia: *Si quam actionem aut conatum ad nullum certum ſcopum dirigit, ſed fruſtra quicquam nullaq, conſequentia agit: quum oporteat etiã minima quaque, ad certum finem referri. Finis autem animanti ratione prædito propoſitus eſt vt rationem atque legem ciuitatis vetuſtiſſimæ ſequatur* Lib. item 3. n 13. hominẽ ad eum finem conditum fuiſſe inculcat; eámq; cogitationem tanquam totius ſanctitatis fõtem proponit. *Id enim*, inquit, *ſi per vniuerſam vitã obſerues, vt cogitationes tuæ ſemper ſint de iis rebus quæ ad ſocietatẽ ciuilẽ nato animali, eiq; rationis cõpoti cõueniãt*

nihil

nihil vnquam in animo deprauatum, nihil purulentum, nihil contaminatum, nihil ſuggillandum inuenies: &c.

Molliuntur.

Videtur tamen ipſe Antoninus ſua hæc dicta alibi mollire, & quomodo in bonum ſenſum accipi poſſint innuere. Eodem enim lib. 3. num. 13. ita loquitur. *Quemadmodum medici ad ſubitum malorum curandum in promptu ſua inſtrumenta habent, atque ferramenta: ſic tu ad res diuinas humanáſque precepta inſtructa habe, atque parata: Omniaque etiam minima ita age, vt memineris hæc duo genera inter ſe eſſe connexa. Neque enim rem vllam humanam rectè perfeceris, niſi ſimul eam ad Deos referas: neque contra.*

Et libro 6. num. 7. *Vno hoc te oblecta, inque vno acquieſce, vt ab vna, ſocietatis humanæ tuendæ cauſa ſuſcepta actione, ad aliam tranſeas, Dei memor.*

Et libro 8. num. 20. *Si quid ago id ita fit à me, vt ad benefaciendum hominibus referatur. Accidit mihi aliquid refero id ad Deos, omniúmque rerum fontem, & originem, à qua omnia inter ſe connexa dependent.* Itaque vides, iuxta Antoninum, in iis ipſis in quibus homo ſocietatem humanam proximè reſpicit, in Deum quoque ſimul collimare; ac proinde hominem non aſſeri ab Antonino procreatum ſocietatis humanæ gratia tanquam vltimi finis ſui.

QVÆSTIO III.

De eodem fine, ſub ratione ſummi boni [illegible]ri, & obiectiuæ beatitudinis.

46. QVi *Ariſtoteli & Peripateticis, hominis finis eſt, idem Platonicè vocabulo hominis beatitudo; dicitur* inquit Stobæus in Eclogis Ethicis cap. 3. Nec abs re. Nam ipſe Ariſtoteles 1. Ethic. c. 2. ait perſpicuum eſſe ſi eſt vnus aliquis finis ſimpliciter vltimus, eum ſummum bonum atq; optimum eſſe. Quia vt D. Thomas 1. Ethic. lect. 2. ratiocinatur. Quicunque finis eſt talis, quòd alia omnia rectè volumus propter ipſum; ipſum autem propter ſeipſum, & non propter aliud volumus; ille finis non ſolum eſt bonum quodlibet, ſed bonum optimū. Alioqui præpoſterè omnia alia propter ipſum vellemus, nec ordinatè & cum animi exſatiatione ac quiete in eo ſiſti poſſet. Atqui propter finem ſimpliciter vltimum, aliò non relatum, omnia volumus. Eſt igitur bonum optimum ac ſummum. Eandem ratiocinationem repetit Philoſophus 1. Ethic. c. 7. vbi expreſsè etiam tradit bonum illud optimum quod coincidit cum fine vltimo, debere eſſe omnium perfectiſſimū, quippe quod ſemper propter ſeipſum, nūquam propter aliud, expetatur. Et concinit nomen Græcum τέλος, quod non finem qualemcunque, ſed finem perfectū plerumque ſignificat, vt habetur ex doctrina Stoicorum apud Stobæum in Eclogis Ethicis c. 3. qui ait nuptias quoquo Doricè eodem Græco nomine appellatas, quod ætatem perfectam ſupponant; eadémque ex cauſa Iunonem pronubam *perfecta* nomen obtinuiſſe. Vult præterea ibidem Ariſtoteles, & 1. magn. Moral. c. 3. hoc bonum eſſe per ſe ſufficiens: Tale ſcilicet *quod ſi ſolum relinquatur, ſufficientem atque expetibilem vitam nulliúſque rei indigam faciat.* Nam vt ratiocinatur Boëtius 3. de conſol. proſ. 2. Bono ſummo ſi quid abforet, ſummum eſſe non poſſet, quoniam relinqueretur extrinſecus quod poſſet optari. Id eſt, non plenè exſatiaret hominis deſiderium, quod eſt de ratione ſummi boni. Neceſſe itaque eſt concurrere in bonū ſummam perfectionem ſiue honeſtatem, & ſumma iucunditate, ne vlla boni ratio apta homini appetitū explere, in eo deſideretur. Bonum tamen vtile non poteſt in hoc bonū cadere quia eſt finis vltimus, de cuius ratione eſt aliò non referri, quod eſſentialiter importatur in ratione boni vtilis. Itaque quodcitio moralium Eudemiorum & 1. Ethic. c. 8. refellit is qui propyleo templi quod in Delphis erat, inſcripſerat, *bonum* (id eſt vtile (*honeſtum & iucundum non concurrere in vnam & eundem rem*, quod inquam id locis citatis refellitur, eò quod tria illa in felicitatem concurrant. Intelligendum eſt de vtili latè accepto ſiue commodo ad honeſtum naturale vel iucundum pertinēte. Præterquam quòd nihil eſt quod cogat bonum ibi accipere pro vtili. His accedat neceſſe eſt ſtabilitas & firmitas ſummi illius boni. Nam ſi fluxum & labile eſſet, ſummum non eſſet; nec homini; cuius anima perpetuum quid eſt, proportionatur. Quod ergo ſit ſummum iſtud hominis bonum, inueſtigandum ſequitur.

ARTICVLVS I.

Finem hominis vltimum hactenus expoſitum, eſſe ſummum hominis bonum, nec in aliud quoduis cadere poſſe rationem obiectiuæ noſtræ beatitudinis, generatim traditur.

47. BOnum ergo illud cui omnes ſummi boni characteres recenſiti competunt, Ariſtoteles ſupra ait eſſe felicitatem. Hanc enim & maximè expetendam eſſe, & finem eſſe agendorū omnium, & per ſe ſufficientem, & omnium conceſſione eſſe optimum & iucundiſſimum, ac mutationi & inſtabilitati non obnoxium bonum. Felicitatem autem eo loco accipit pro beatitudine obiectiua, quandoquidem eam cum ſummo bono coincidere affirmat. Eſt enim præterea alia quædam felicitas, quam formalem beatitudinem nominant, conſiſtitq; in ſummi illius boni cōſecutione & poſſeſſione. Vtramque apertè diſtinxerunt Ægyptij apud Iamblicum in fine libri de myſteriis. Varia autem vtriuſque apud varios nomina, attingam infra Porro ab obiectiua ducendum eſt initium, quippè quæ alterius principiū & radix eſt, ac principalius rationem beatitudinis meretur, vt rectè tradunt Argentina in 2. d. 5. quæſt. vnic. art. 4. & ibid. Ægyd. q. 2. art. 2. malè refragante Durando in 4. d. 49. q. 1. & n. 5. Omitto tertiam quandam beatitudinem quam nōnulli apud Gabrielem in 1. d. 1. q. 6. *litera B.* diſtinguunt à duabus prædictis, & vocant ſubiectiuam Ineptè enim ſubiectum formalis beatitudinis, appellatur beatitudo, vt rectè eo loco obſeruat Gabriel.

ASSERTIO.

SVmmum hominis bonum, atque adeò felicitas eius obiectiua. Deus eſt; Et quidem ſolus: ita vt bona inferiora quæcunque, & quomodocunque ſumpta, perfectum hominis bonum, eiúſque obiectiua beatitudo eſſe non poſſint.

PRimò affirmo Deum eſſe ſummum hominis bonum, atque adeo beatitudinem eius obiectiuam.

Quod quamuis lumine naturali comperiri̅ queat,& reuera à Philoſophorum prioribus vnque cognitum ſit ; longè tamen illuſtrius factum eſt, iuuante cæcultantem ex ſe intellectum nostrum, Chriſtianæ fidei lumine;quo deſtituti de Philoſophorum vulgo plerique,in valdè abſonas circa tanti momenti negotium ſententias abierunt;non modò quoad media acquirenda felicitatis;ſed etiam quod ipſam fœlicitatis ſubſtantiam, ad quam aſpirandum eſt.

Deus ſummum bonum noſtrum, idque Chriſtianis perſpectiſſimum.

48. Quod enim circa hanc quoque impegerint Philoſophorum plerique, & quod longè altiùs & perfectiùs philoſophentur Chriſtiani, luculenter tradidit D. Auguſtinus tract.de Stoic. & Epicur.in ipſo fine. *Vita, inquit, qua hoc nomine digna eſt vt vita dicatur, non eſt niſi beata. & beata non eſt niſi æterna. Hanc volunt omnes, hanc volumus omnes veritatem & vitam, ſed ad tam magnam poſſeſſionem, ad tam grandem fœlicitatem qua itur? Inſtruxerunt ſibi vias erroris Philoſophi, Alij dixerunt,hac;alij non hac:ſed hic latuit nos via qua Deus ſuperbis reſiſtit. Lateret & nos niſi veniſſet ad nos.Ideo Dominus, Ego,inquit ſum via. Piger viator, venire nolebas ad viam ad te venit via. Quærebas quo ires Ego ſum veritas & vita. Non errabis quando ibis ad illum per illum. Hæc eſt doctrina Chriſtianorum, non planè conferenda, ſed incomparabiliter præferenda doctrinæ Philoſophorum, immunditia Epicureorum, ſuperbia Stoicorum* Sic Auguſtinus *de derratinis* vt paulò antè vocauerat *Philoſophorum multorum ſemitas ad felicitatem.* Nomine porro viæ ac ſemitæ ad felicitatem, intelligit illud ſingulare bonum quod hic vocamus bonum ſummum, ſiue beatitudinem in particulari iuxta ſupradicta. Id enim planè velle Auguſtinum liquet ex c. 3. vbi affirmat omnes Philoſophos in ſtudio ac voluntate obtinendæ felicitatis conſentire, ſed diſſentire in eo quo ipſa ſtatuenda eſt, ſiue per quam viam perueniendum ſit ad felicitatem:Hoc eſt quo bono ſingulari obtento, explenda ſit illa vniuerſalis beatitudinis cupiditas, ad quam omnes contendimus.

Annuit Lactantius lib. 3.inſtitut. cap. 12. multus de more in Philoſophorum errore detegendo hac in parte:Falſus tamen, eos in præfigenda aliqua beatitate quam omnes conſectemur, non diſſentire. Annuit etiam Proſper, cuius illa ſunt inſignia libro contra Collatorem cap.12.alias 26.*Ignotum non eſt,quantum Græcia ſchola, quantum Romana eloquentia, & totius mundi inquiſitio, circa inueniendum ſummum bonum, acerrimis ſtudiis, excellentiſſimis ingeniis laborando; nihil egerint,niſi vt euaneſcerent in cogitationibus ſuis, & obſcuraretur inſipiens cor eorum, qui ad noſcendam veritatem ſemetipſis ducibus vtebantur.* Quanquam lib. 1. de vocat. gent.cap. 4.rectè addit,pleróſque ex Philoſophis qui ad ſummi boni inquiſitionem aciem mentis intenderunt, *in pulchritudine cœli & terræ, (quæ pagina quadam ſunt ſemper patentes & autorem ſuum nunquam tacentes,* vt idem epiſt. ad Demetriadem loquitur,) perlegiſſe ſummum bonum, nec niſi obcæcante ſapientia, in tenebras ſuas à ſuperna luce relapſos, perdidiſſe quod inuenerant nempe malè ac fœdè vitam conformando, & excidendo à bono quod exquiſierant & repererant.

Nec latuit pleróſque Philoſophos, nominatimque Ariſtotelem.

49. Hos inter, quod ſpectat ad verè compertum ſummum bonum, recenſeo Ariſtotelem. Omiſſis enim illis, quæ et antiquorum plerique, quoad vitæ inſtitutionem & mores, vitio vertunt apud Euſebium 15. præpar. cap.1.ipſum ſanè ſcopum humanæ vitæ ac obiectiuam beatitudinem noſtram rectè attigit, quantum naturali lumine fas erat, vt perſpicuum eſt ex conditionibus quas requirit in ſummo bono; Omnes enim in Deum cadunt. Sunt autem conditiones illæ quas initio quæſtionis recenſui, & conſignaui ex variis locis Philoſophi;Nempe ſumma perfectio,ac proinde etiam idoneitas ac dignitas terminandi relationem omnium ad ſe, ſecluſa quauis ſui ordinabilitate ad illud: Excluſio cuiuſuis indigentiæ ac penuriæ, cum boni cuiuſuis & delectationis affluentia:Et denique ſtabilitas & firmitas huiuſmodi perfectionum. Illuſtriſſimè in eandem ſententiam diſſerit Plato, bona parte Philœbi. Has ergo Ariſtotelicas ſummi boni conditiones cadere in Deum, notius eſt, quàm vt declaratione vel confirmatione egeat. Et conſenſiſſe hac in parte Philoſophos, in primiſque Ariſtotelem, oſtenſum abundè eſt in Naturali Theologia, agendo de diuinis perfectionibus quatenus naturali lumine compertis. Nunc paucis & obiter eas aliter illuſtro, & oſtendo conſequi ſummam Dei perfectionem, augmentum recuſantem & minui neſciam.

Character primus ſummi boni, bonitas pura, Deo ineſt.

50. Primam ſummi boni notam,ex oratione entis à ſe philoſophicè eruit S. Hilarius 11. de Trinit. *ferè in fine,* verbis illis. *Deus qui ſemper eſt. non ſubiectus, modo,neque ab anteriore ſui aliquo motu mentis aut intelligentia præuenitur. Et idcirco inueſtigabile & imperſcrutabile totus profundum eſt. Totus autem ... non per hoc definiens vt in modo ſit,ſed intellectus ſit in immenſo, quia à nemine quod eſt ſumpſit. Sed nec prior ei dedit aliquis,vt retribui officium danti oporteat. Ex ipſo enim & per ipſum. in ipſo ſunt omnia. Non eget ex ſe, & per ſe, & intra ſe manentibus; nec qui origo, nec qui opifex eſt, nec qui continens eſt & internis externus, & effectus conditio, & ſuorum ipſe egens nunquam eſt, Nihil antè eſt, nihil aliunde, nihil extra eſt. Quo igitur caret plenitudo perfecta, vt per tempus adhuc Deus omnia in omnibus ſit? Vel vnde ſumet extra quem nihil eſt? Nihil autem ita vt ſemper ipſe ſit. Et qui ipſe ſemper eſt extra quem nihil eſt,quo incremento explendus eſt, vel quo augmento demutandus eſt dicens, ego ſũ,& non demutor,cũ nõ relinquatur vel ad demutationem locus, vel ad profectum cauſa, vel ad æternitatum anterius, vel ad Deum aliud propter quod Deus ipſe eſt.* Ratiocinatio eſt planè ſolida & Philoſophica, ad plenitudinem boni Deo aſſerendam, ex eo quod ſit ens independens. Conſuléque in eam rem dixi in Naturali Theologia diſt.7. quæſt. 3.art.1.

Attendenda autem præſertim eſt puritas boni prædicti abſq; vlla defectus aut malitiæ mixtura, quæ cauſa eſt cur Mercurius Triſmeg.c. 2.Pimandri & ſæpè alibi Deum vocet *ipſum bonum.* Et vt omittam alia loca ex eo adducta alibi,cum de diuina bonitate;luculenter id tradit c. 6. Pimandri verbis illis. *Bonum in nullo ponitur niſi in vno Deo, imo ipſum bonum Deus ipſe ſemper. Quamobrem eſſentiam omnis motionis atq; cognitionis eſſe Deum oportet. Hac eſſẽtia orbatũ nihil; hæc circa ſe ſtabilem actum,nullius egenum, infinitum, ſuperabundanter porrigentem poſſidet. Vnum id vniuerſorum principium,bonum porrigens,& effundens bonum, Quoties nomino bonum, id quod omnia bona & quod bonum ſemper, intellige. Hoc vnico Deo adeſt. Neque enim cuiuſquã indigus eſt vt adeptionẽ illius appetendo malus fiat, neque iactura cuiuſquam in eum vnquam cadit,*

cadit,vt poſt damnũ dolore efficiatur. Maior enim pertione mali;nec eſt in illo validius aliud,à quo expugnetur. In hunc iniuria incidere nulla poteſt, qua irritatus laceſſitúſve exſcandeſcat Nihil eius ingum ſubterfugit, Itaque contẽptus indignetur, atque iraſcatur:nec eſt ſapientius eo quicquam, quod illi æmulationem enunciat. Itaque cum hæc illi non accidant, nihil eius naturæ præter ipſum bonum reſtitit. Quemadmodum verò nihil eorum quæ mala ſunt in hac inſunt eſſentia,ita in nullo alio bonum inuenitur Confirmat id pulchra ſed paulo longiore ratiocinatione,petita ex eo quod omnia præter Deum ſint genita & facta, vnde colligit bonum quod illis ineſt, eſſe potẽtiale & defectibile ac proinde impurum.Id quod in particulari tandem de homine affirmat in hunc modum. *In homine inſuper compaſsione mali bonum.id quippe quod non nimis malum, quodque minus malum, bonum in hominibus appellamus. Quo fit vt bonum noſtrum nihil aliud ſit, quam mali portio minima Vnde illud etiam ſequitur,vt bonũ huiuſmodi à malo ſeparatum eſſe non poſſit. Inquinatur enim hoc bonum, admiſtione malorum. Infectum verò vlterius bonum non permanet: ſin minimè permanet, malum efficitur.In ſolo igitur Deo,bonum ipſum exiſtit.*

Alij præterea ſummi boni characteres, Deo aſſeruntur.

51. Ex hac perfectionis plenitudine quæ Deo competit,deriuatur ratio vltimi finis,vt ſatis quæſtione ſuperiori deductum eſt. Atque ita habetur etiam ſecunda conditio ſummi boni.Tertiam item Deo non deeſſe indidem habetur. Cum enim ſit bonum, plenum & omnis perfectionis pelagus,omnem boni cuiuſuis indigentiam excludat neceſſe eſt.Et ſicut iuxta Caſſiodorum lib. de anima c.1.*ipſe nullius indigens,à creaturis omnibus indigetur*:Ita egeſtatem omnem arcebit tam locuplex & plena poſſeſſio. Et hoc etiam tractatum à nobis eſt in Natur. Theo diſtinctione illa 7.num. 124. Nec poterit non perfundere ſumma ſuauitate voluntatem poſſidentis, quæ erat quarta conditio. Quomodo enim tam exaggeratam bonitatem, non aſſectetur iucunditas, quæ ſemper boni comes eſt; eóque perfectior & ſyncerior quo maius & perfectius eſt bonum ex quo deriuatur? Et incredibile profectò eſt minutis hiſce bonis quæ vndecunque manca & obſepta defectibus cernimus, adnatam eſſe ſuauitatem voluntatis ineſcatricem,non item vero ac ſummo & perfectiſſimo bono. Tandem ſtabilitas illi præcipua eſt, eſtque *ipſum ſimile & idem*, in quo iuxta Euclidem apud Lactantium 3. inſtic. c.12. beatitudo obiectiua ſita eſt. Non poteſt autem nõ eſſe ſtabile,quia eſt ẽs à ſe vt optimè ratiocinationẽ paulò antè adductã cõcluſit S.Hilarius verbis illis; *Manet vt eſt ſemper Deus; nec profectu eget. quia id quod eſt, ex ſe ac ſibi ſemper eſt.* Nos plenè de hac re loco cit. à num. 65. Itaque omnes ſummi boni characteres à Philoſopho præſcripti Deo competunt, & quidem eminentiſſimè

Eadem Philoſophi doctrina, Deum ſtatuens ſummum hominis bonum,aliter communitur.

52. Perſpicua ergo eſt concluſio quam inferebam, nempe quod Deus ſit hominis felicitas obiectiua. Eam ſiquidem coincidere cum ſummo bono;hoc autem Deum eſſe, hactenus oſtenſum eſt. Eandem ratiocinationem ex Boëtio 3. de conſol. proſa 10. illuſtrare ac confirmare placet.Sic habet præmiſſa neceſſaria præſuppoſitione entis pleni ac conſummati, ad ens participatum ac imperfectum. *Deum rerum omnium Principem bonum eſſe,communis humanorum conceptio probat animorum.Nam cum nihil Deo melius excogitari queat, id quo melius nihil eſt, bonum eſſe quis dubitet? Ita verò bonum eſſe Deum ratio demonſtrat, vt perfectum quoque bonum in eo eſſe conuincat. Nam ni tale ſit rerum omnium princeps eſſe nõ poterit: Erit enim eo præſtantius aliquid perfectum poſſidens bonum, quòd hoc prius atque antiquius eſſe videatur. Omnia namque perfecta, minus integris priora eſſe claruerunt. Quare ne, in infinitum ratio procedat, confitendum eſt, ſummum Deum ſummi perfectique boni eſſe pleniſſimũ Sed perfectũ bonum veram eſſe beatitudinem conſtituimus Verã igitur beatitudinem in ſummo Deo ſitam eſſe neceſſe eſt.*

53. Eodem tametſi alia via,reuoluitur argumẽtatio quam magno apparatu in rem præſentem inſtruit S.Auguſt.lib.de Morib. Eccl.à.c.3.ad 7.Partem duntaxat delibo *Beatè certè* inquit,*omnes viuere volumus, neque quiſquã eſt in hominum genere qui non huic ſententiæ antequam plane ſit emiſſa conſentiat. Beatus autem,quantum exiſtimo,neque ille dici poteſt,qui non habet quod amat, qualecunque ſit: Neque qui habet quod amat, ſi noxium ſit Neque qui non amat quod habet etiamſi optimum ſit Nam & qui appetit quod adipiſci non poteſt, cruciatur, & qui adeptus eſt quod appetendum non eſt,fallitur:& qui non appetit quod adipiſcendum eſſet, ægrotat. Nihil autem iſtorum animo contingit ſine miſeria. Nec miſeria & Beatitudo in homine vno ſimul habitare conſueuerunt. Nullus igitur illorum beatus eſt. Quartum reſtat,vt video, vbi beata vita inueniri queat, cum id quod eſt hominis optimum, & amatur & habetur. Quid enim eſt illud quod dicimus frui, niſi præſto habere quod diligis? Neque quiſquam beatus eſt, qui non fruitur eo quod eſt hominis optimum nec quiſquam qui eo fruitur, non eſt beatus. Præſto ergo eſſe nobis debet optimum noſtrum ſi beatè viuere cogitamus.* Hoc eſt fundamentum cui tota ſubſtructio innititur;eſtque planè firmum,vt attendenti, & principia aſſumpta libranti,erit perſpicuum. Conſummat ergo D. Auguſtinus hoc modo, rationem propoſitam.*Sequitur vt quæramus quid ſit hominis optimum, quod profectò deterius eſſe quam ipſe homo non poteſt.Quiſquis enim quod ſe ipſe eſt deterius, ſequitur fit & ipſe deterior. Oportet autem omnem hominem id quod optimum eſt ſequi. Non eſt igitur homine deterius hominis optimum. Fortaſſe tale aliquid erit quale ipſe homo eſt,Ita ſit ſanè,ſi nihil eſt homine melius, quo perfrui poſſit. Si autem inuenimus aliquid quod & homine ſit excellentius, & præſto eſſe amanti ſeſe homini poſſit quis dubitauerit hominis ad id nitendum eſſe, vt beatus ſit, quod eo ipſo qui nititur,manifeſtum eſt eſſe præſtantius? Nam ſi id eſt beatum eſſe,ad tale bonum perueniſſe quo amplius non poteſt; id eſt autem quod dicimus optimum quo tandem pacto poteſt in ea definitione includi, qui ad ſummum bonum ſuum nondum peruenerit? Aut quomodo ſummum eſt, ſi eſt aliquid melius quo peruenire poſſimus? Hoc igitur ſi eſt,tale eſſe debet quod non amittat inuitus. Quippe nemo poteſt confidere de tali bono quod ſibi eripi poſſe ſentit, etiamſi retinere id amplectiq; voluerit. Quiſquis autem de bono quo fruitur non confidit,in tanto timore amittendi, beatus eſſe qui poteſt?* Hinc poſt longam excurſionem,ac multorum principiorum interpoſitionem & confirmationem, concludit cap. 8. *Hoc igitur aliud quòd ſequendo anima virtutis atque ſapientiæ compos fit, aut homo ſapiens eſt, aut Deus. Sed ſupra dictum eſt tale quiddam eſſe debere, quod inuiti amittere nequeamus. Quis verò cunctandum putet, hominem ſapientem, ſi enim ſi qui ſatis putauerimus, auferri nobis non modo recuſantibus, ſed etiam repugnantibus poſſe? Deus igitur reſtat, quem ſi ſequimur, benè; ſi aſſequimur, non tantum benè, ſed etiam beatè viuimus.*

Mens Ariſtotelis, liquidiùs deprehenſa.

54. Liquido igitur demonſtrata & confirmata manet quam Deo cum Ariſtotele aſſerebamus, ratio, ſummi boni. Vnde habemus meritò nomen ſummi boni Deo tributum, eò quod ſummi boni ratio, vt Themeſtius orat. 15. aduertit, emicet in diuinitate illuſtriſſimè. Habemus item iure poſitum à nobis fuiſſe, de Ariſtotelis ſententia Deum eſſe ſummum hominis bonum, quandoquidem notæ queis ſummum bonum deſcribit, quaſque hactenus Deo vendicare ſategimus, tam manifeſtè in Deo elucent. Idem præterea colligere licet ex eo quod beatitudinem conſtituit in præſtantiſſima operatione facultatis præſtantiſſimæ, circa optimum obiectum. Quicquid autem nunc ſit de operatione illa & facultate, quia hoc pertinet ad formalem beatitudinem, quam nunc nóo attendimus; obiectum optimum quod felicitatem, de qua nunc agimus, conſtituit, nempe obiectiuam; Deus eſt, vt ipſe etiam Philoſophus agnouit 10. Ethic. c. 7. & 8. Confirmátque præter cætera ex analogia beatitudinis noſtræ cum diuina, quam ex Deo ipſo tanquam obiecto duci debere, eſt per euidens, cum contrarium aſſeri nequeat, quin Deus ſtatuatur aliunde pendens; quod non poteſt cum ratione entis à ſe, & omnimoda Dei independentia cohærere. Abſtrahimus autem nūc ab obiectiua huius vel alterius vitæ felicitate, quia vniuersè tātùm de ea diſſerimus. Quantam porrò vim habeant quæ plerique antiquorum, vt Atticus apud Euſebium 15. pr par. 3. & alij apud Picum l. 6. exam vanit. doct. gent. c. 19. nec pauci recentiores vt Foxius libr. 1. comp. Ethici c. 3. & 6. & alij infra allegandi, contra Ariſtotelem diſputant quod ad beatitudinis obiectum voluerit aliquatenus perinere bona externa, infra patebit.

Nec Plato diſſenſit, quamuis Ariſtoteli improbatus.

55. Eandem fuiſſe Platonis mentem, apertè habetur ex l. 6. & 7. de Repub. aliiſque locis quibus ideam boni ſtatuit pro ſummo hominis bono. Quāuis enim Ariſtoteles 1. Ethic. c. 6. longa diſputatione hanc Platonis opinionem tentet conuellere, improbans, nec immeritò, ſententiam Platonis de Ideis, intellectam prout verba ſonant, ne præpoſterus ille vſus res per ſe ſatis obſcuras, verborum ambagibus magis obſcurandi Platoni familiaris, ſerperet vlteriùs, non ſine diſpendio diſciplinarum: Tamen reipſa Plato, nomine ideæ illius ſeparatæ quam Ariſtoteles impugnat, nihil aliud intellexit quàm Deum, rerum omnium exemplar. Nomine item ideæ boni, in hac diſputatione, Deum quatenus ſummum hominis bonum intellexit, vt ex locis ex eo citatis, aliiſque compluribus manifeſtum eſt: fuſiúſque confirmauerunt Platonici, cùm vniuersè Platonis de ideis ſententiam exponentes, vt Plotinus l. de intellectu & ideis, & lib. de idearum multitudine. Alcinous c. 8. Epitomes doct. Platonicæ, & ibi Carpentarius latè digreſſ. 2. Marſil. Ficin. 2. Theolog. Platon. Lælius Biſciola tom. 2. ſubſec. lib. 13. c. 1 Marius Ambroſius lib. 3. de creatore & rebus creatis cap. 2. aliíque latè adducti in Naturali Theologia d. 1. q. 2. art. 3. & apertè D. Auguſtinus l. 1. retract. cap. 3. Tum ſpeciatim in hac ipſa materia, expiccantes quid Plato intellexerit per ideam boni, quam ſtatuit eſſe felicitatem noſtram obiectiuam, & ſummum bonum hominis. Quod luculenter tradidit Alcinous in Epitome c. 20. idémque recentiorum plurimi confirmarunt, nominatimque Iauellus tract. 7. Ethicæ Plat. c. 3. Patric. tom. 3. diſcuſſ. Peripat. l. 5. Piccolomineus gradu 9. c. 22. Buratellus lib. 2. & 7. conciliationis dogmatū Ariſtotelis & Platonis Henriq. lib. de fin. homin. c. 7. num. 5. litera D. & toto c. 8. Foxius l. 1. compendij Ethici, allegatis in eam Platonis explicationem plurimis antiquis Platonicis, & nominatim Plotino, Apuleio, Iamblico, Porphyrio, aliiſque.

Ego Paucis delibatis ex longiore Euſtratij diſputatione, quam pro Platone aduerſus Ariſtotelis impugnationes inſtituit 1. Ethic. c. 6. Platonis mentem in hoc negotio ſynceram fuiſſe demonſtro. *Plato* inquit Euſtratius, *rationes quaſdam introducit, quæ ſubſtantia prædita diuina ſint & intellectuales, ad quarum exemplar materialia omnia & ſint, & fiant. Quas videlicet formas, & ſpecies, & vniuerſa, & vniuerſalia appellare conſueuerunt. Formas quidem & ſpecies, quæ ante has quæ in corporibus cernuntur exiſterent ab hiſque omnibus abſtracta, in opificis Dei mente eſſent, ad quarum exemplar ille, alia quidem in materia ſimilia effingeret atque exprimeret: Vniuerſalia verè & vniuerſa appellantur, eo quod vnaquæque ex ipſis, licet vna ſit, multa habet corpora & materialia, quæ ex ipſa, ad ipſiúſque imitationem facta ſunt, ad quæ nimirum ſpectando, vniuerſale & vniuerſum, non notionali quodam modo, ſed intellectuali vocantur: vniuerſale, quia eſt a multis quæ ad eius imitationem facta ſunt, abſtractum; vniuerſum propterea quod vicem partium obtinent, ea quæ ad ipſum quaſi ad vniuerſum & totum referuntur. Quod tamen totum non ex ipſis compoſitum eſt, neque poſt ipſa notione tantum comprehenſum; ſed ante ipſa eſt, & per ſe ſubſiſtit, eáque omnia ad ipſum tāquam ad propriam integritatem atque vniuerſitatem reducuntur.* Vides ergo Platonem nomine ideæ boni, quam ſtatuit eſſe ſummum bonum noſtrum, nihil intellexiſſe niſi Deum, qui eſt bonum bona faciens, vt ex Platone alibi retuli. Et contra ſic expoſitam ſententiam Platonis de boni idea nos beante, faciunt quæcunque Ariſtoteles opponit cap. illo 6. lib. 1. Ethic. quod ibi diligenter oſtendit Euſtratius, & attigit Piccolom. grad. 9. cap 24. nequicquam reclamantibus nonnullis ad illud cap. 6. ac nominatim Peregrino. Paulò autem obſcurius de hac re locutum Platonem & Platonicos, ne riſui Epicureorum & Stoicorum obiicerent ſentētiam ſuam de beatitudine minus popularem, notat S. Auguſt. epiſt. 56.

Solus Deus, ſummum bonum hominis.

56. Secundò dixi hunc ſolum finem hominis, ſiue ſolum Deum, eſſe ſummum hominis bonum, atque adeò felicitatem eius obiectiuam. Quod ſpecialiter confirmandum eſt, oſtendendo nulli alteri bono competere rationem ſummi boni prius expoſitam. Quia Quamuis ſupra oſtenſum ſit, finem vltimum ſiue ſummum bonum non poſſe eſſe niſi vnicum; tamen poſſet aliquis fingere, vnicum illud bonum ex variis bonis adunatis compingi, atque adeo ſummum hominis bonum in aliquo præterea alio conſiſtere, quam in Deo. Imo antiquorum non pauci nihil de Deo cogitantes, rationem ſummi boni in aliquo bono creato conſtituerunt, nonnulli quidem in aliquo corporis bono, alij autem in bono quopiam animæ. Quare oſtendemus nulli bono creato, ſiue ſoli, ſiue iuncto cum aliis, competere poſſe rationem ſummi boni: Sic enim eadem opera, & ſolum Deum eſſe ſummum hominis bonum declarabimus, qui eſt hoc loco ſcopus noſter, & priorem concluſionis partem non modicè confirmabimus, nempe quod ipſe Deus ſit ſummum hominis bonum. Nam ſi non poteſt negari quin detur tale aliquod bonum, & illud procul eſſe ab omnibus creatis bonis oſtenderimus, planè probatum

probatum, manebit, Dei, & quidem ſolius, eſſe perfectionem illam iure præcipuo. Duplici porro via oſtendendum eſt bona creata quæcunque, à ratione ſummi boni valdè deficere. Nempe primò generatim, quod nunc præſtabo. Secundò ſigillatim, varia animi & corporis bona de quibus aliquando circa hoc fuit controuerſia, & eorum defectus ac incommoda percurrendo; vt appareat quantum abſint à ratione ſummi boni, quod ſeorſim poſteà exequar.

Deſunt bonis creatis, propoſiti characteres ſummi boni, ac primùm pura & plena bonitas.

57. Nunc priorem viam breuiter expediemus, ſi attendamus omnia bona creata ad aliud quoddam vlterius bonum ordinari, quod eſt contra rationem ſummi boni. Item bona creata ſunt valde diminuta & innumeris permixta defectibus, propter quos nequeunt pene infinitam humani appetitus capacitatem explere, quod tamen præſtari debet per ſummum bonum. Addit verò S. Chryſoſtomus homi. 12. in 1. ad Timo. *in morali*, tantùm abeſſe vt hæc ſint ſumma bona, vt ne ſimpliciter quidem ſint bona, cùm poſſeſſores eorum: boni idcircò non ſint, ſed ſæpè qui his vulgariter & populariter dictis bonis potiuntur, ipſi ſint peſſimi. Quod cùm ille ſpecialiter de diuitiis tradat, vrgeaturque etiam à Cebete ſub finem tabulæ, in extenuatione bonorum quorumvis externorum habet tamen etiam locum in quibuſuis bonis creatis naturalibus. Vtitur eodem argumento, illúdque à Peripateticorum inſultibus tuetur Seneca epiſt. 87. latè inſuper queſtus, bona hæc creata in quoſdam vt denarium in cloacam cadere. Egregiè item epiſt. 81. de publico hac in parte errore expoſtulat. *Abſtrahunt*, inquit. *à recto diuitiæ, honores, potentia & cætera quæ opinione noſtrâ cara ſunt. pretio ſuo vilia. Neſcimus æſtimare res; de quibus non cum fama, ſed cùm rerum natura deliberandum eſt. Nihil habent iſta magnificum, quo mentes in ſe noſtras trahant, præter hoc; quod mirari illa conſueuimus. Non enim quia concupiſcenda ſunt, laudantur: ſed concupiſcuntur, quia laudata ſunt, & cum ſingulorum error publicum fecerit. ſingulorum errorem fecit publicus* Inſigniter item Anton. lib. 9. de vita ſua n. 29. *Vide quàm putris ſit omnium rerum materia, aqua, paluis, oſſicula, fætor. Rurſus calli, terræ, marmora: fæces, aurum & argentum: crines veſtis, ſanguis purpura, omnia reliqua eiuſdem modi. Etiam quæ ſpiritu conſtant, alio modo talia, atque ex his in hæc mutantur.*

58. Accedit altera ratiocinatio quam adhibet S. Auguſtinus conc. 2. in Pſal. 32. ad illud, *Beata gens*: probat enim fruſtra tentare pleroſque beatitudinem conſequi adeptione bonorum quorumuis creatorum, cùm omnia ſint nobis inferiora & deteriora, repugnétque meliorem perfici ac beati à deteriore, Locus eſt inſignis ex quo aliqua decerpo: *Omnes* inquit, *beati eſſe volumus; non autem erunt niſi illi qui iuſti eſſe voluerint. Et ecce neſcio quis, vt malè faciat beatus vult eſſe. Vnde? ex pecunia, ex argento & auro, ex prædiis, fundis, domibus, mancipiis, pompa ſeculi, honore volatico & perituro. Habendo aliquid, volunt beati eſſe. Quære ergo quid habeas, vt beatus ſis. Cùm enim beatus fueris, melior vtique eris quàm cum miſer es. Fieri autem non poteſt, vt res deterior te faciat meliorem. Homo es; Deterius te eſt quicquid cupis. quo beatus eſſe deſideras. Aurum, argentum, qualibet corpora quibus inhias acquirendis, poſſidendis, fruendis, inferiora ſunt te. Tu melior es, tu fortior es, & vtique vis melior eſſe quàm es, cùm beatus eſſe vis, quia miſer es. Melius eſt enim vtique beatum eſſe quàm miſerum. Vis eſſe melior te, & quæris per quæ id fiat, deteriora te. Quicquid quæſieris in terra, deterius eſt quàm tu. Hoc omnis homo optat amico ſuo, ſic eum audiuras: Sic melior ſit, ſic meliorem te videamus, ſic de te meliore gaudeamus. Quod optat, hoc & ipſe vult. Accipe ergo fidele conſilium. Melior te vis eſſe, noui: Omnes nouimus, omnes volumus, quære quod eſt melius te, vt inde efficiaris melior te. Intuere nunc cælum & terram, non tibi ſic hæc pulchra corpora placeant, vt eis fieri beatus velis. In animo eſt quod quæris: beatus enim eſſe vis. Ipſo animo tuo quære quid ſit melius. Cum enim duo ſint quædam, hoc eſt, animus & corpus, eò quòd iſtis duobus illud melius ſit, quod animus dicitur, poteſt corpus tuum melius fieri per meliorem, quia ſubiectum eſt corpus animo. Poteſt ergo melius fieri corpus tuum per animum tuum, vt cùm fuerit iuſtus animus tuus, ſit poſtea immortale etiam corpus tuum. Per animi enim illuminationem meretur corpus incorruptionem, vt fiat inferioris reparatio per meliorem. Si ergo corporis tui bonum animus eſt, quia corpore tuo melior eſt, cum quæris bonum tuum, illud quære quod melius eſt animo tuo. Quid eſt autem animus tuus, attende, ne fortè contemneat animam tuum & putans neſcio quid eſſe vile & abiectum, viliora quæras quibus beatificetur animus tuus. In animo tuo eſt imago Dei. Mens hominis capit eam Accepit eam, & inclinando ſe ad peccatum decolorauit eam. Ipſe ad eam venit reformator, qui erat eius ante formator Quia per verbum facta ſunt omnia, & per verbum impreſſa eſt hæc imago Venit ipſum verbum vt audiremus ab Apoſtolo* Reformamini in nouitata mentis veſtræ. *Iam ergo ſupereſt, vt quæras quid ſit melius quàm animus tuus. Quid erit obſecro niſi Deus tuus?*

Sileo reliqua quæ de ſumma tantum bonum obtinendi facilitate; in ſummis apparentia hæc bona comparandi moleſtiis; & ſæpè caſſis laboribus, luculenter & piè admodum proſequitur. Quo ſpectat quod addit 9. Trinit. c. item 9. de ægrotante animo ob indigentiam; & inardeſcente ac veluti patiente hæc bona quæ deſiderando concepit; vnde & ea *parta* vocari notat, cum ad aſſecutionem peruentum eſt. Addo & illud ex 4. Florido. initiò; *Verum verbum eſt profectò, quod aiunt: Nihil quicquam homini tam proſperum diuinitus datum quia ei tamen admixtum ſit aliquid difficultatis; vt etiam in ampliſſima quaque lætitia ſubſit quæpiam vel parua querimonia, coniugatione quadam mellis & fellis. Vbi vber, ibi tuber.* Nimirum nullum eſt creatum bonum, ſine mixtura incommodorum, nulla roſa ſine ſpinis; nullus nucleus ſine putamine & cortice. Vel vt Eucolpius in Petronij Satyr. *Apes ideo pungunt, quia vbicunque dulce eſt, ibi & acidum inuenies.* Ex quibus omnibus generatim habemus deeſſe rebus quibuſuis infra ens à ſe perfectionem illam ac dignitatem ſummam, quæ tanquam prima ſummi boni conditio exigebatur.

Alij naui bonorum creatorum, præſertim inſufficientia atque caducitas,

59. Tandem bona quæuis creata ſi deſit vel vnum ex omnibus non eximunt à miſeria Vnde deeſt ſingulis per ſe ſufficientia & excluſio cuiuſuis indigentiæ. Vt autem omnia concurrant impoſſibile eſt, humano modo rem expendendo. Et vt concurrerent; idque gratis ſupponeretur, tamen labilitas & inſtabilitas eorum, veræ beatitudinis rationem ab illis etiam collectis & adunatis excluderet. *inter mortales temulentum quodammodo eſt bonum ac nemine etiam concutiente, vix conſiſtit*, ait Iſidorus Peluſiota l. 2. epiſt. 126. O aureè, ô ſapientiſſimè dictum. Non poterat breuius & concinnius exprimi mobilitas & in-

ſtabilitas noſtratium quorumuis bonorum. Inſinuatúrque inſuper paucis illis verbis ea mentis cæcitas & inexplebilis ſitis quam potientibus inferunt, vt idem Iſidorus perpulchrè diſſerit lib 2. epiſt. 412. comparans ebrietatem cum cupiditate. Præclarè in eandem ſententiam Victor Cartennenſis lib. de pœnit. cap. 29. *Volo dicas mihi* (inquit) *quæ rerum præſentium gloria; qui ſint huius temporis fructus, quæ vtilitas caducorum. Regni potentia, morte finitur, poteſtatis ambitio ſucceſſione dirimitur, diuitiarum copia vitis nobis plerunque ſubtrahitur, voluptatis affectio triſtitia interueniente corrumpitur, iucunditas gaudiorum metus formidine violatur, & omne quod capitur deſiderio aut corporis aut animæ, finis falce ſcinditur. Nec poteſt perfectum priuilegium beatitudinis obtinere, quòd æternitatis non circumuallat infinitas Caducum enim ſit neceſſe eſt, quod indeuitabili neceſſitate metitur.*

Sed non poſſum meliùs & explicatiùs proponere inſufficientiam & labilitatem bonorum humanorum, in quibus verſabar, quàm verbis S. Chryſoſtomi in Pſal. 127. *Qui*, inquit, *falsò beatus dicitur, vt qui ſit fictus & ſimulatus, & quem multi beatum exiſtimant. Multa concurrentia vix tandem talem faciunt, & niſi omnia concurrerint non fuerit quis beatus apud homines vt v.g. dico. Si quis ſit diues, hoc non ei ſufficit ad beatitudinem, ſed oportet etiam adeſſe ſanitatem. Si enim ſit quidem diues, corpore verò mutilus: claudicat eius beatitudo & eſt miſerior pauperibus. Multi certè diuites cum morbis conflictantes, pauperes qui compita mendicantes obeunt, fœlices eſſe dicunt, & ſe miſeros eſſe ducunt, cum decies mille talentis. Rurſus ſi ſit quidem ſano corpore & diues, gloria autem & honore careat, eſt aliud rurſus impedimentum; ſunt enim nonnulli qui plurimum quidem poſſident pecuniæ, ſúntque corpore integro & inoffenſo, ſed ab iis qui principatum obtinent, & magiſtratum gerunt, grauiſſima patiuntur, & in militiam trahuntur. Eò enim quod nullius ſunt honoris participes, exiſtimant ſe eſſe omnium miſerrimos, vt qui iis pareant quibus ſæpè habent ſeruos locupletiores, Rurſus ſi adſit quidem gloria, diuitiæ, & ſanitas, non adſit autem ſecuritas, vt pote quod innumerabiles ei inſidientur, inuideant, malè velint, oderint, accuſent, calumnientur, is erit omnium miſerrimus, vitam agens lepores, & umbras habens ſuſpectas, omniáque horrens & pertimeſcens Quodſi ab iis etiam liber ſit, ametur autem ab omnibus, & ei omnia ſuccedant ex animi ſententia, nempe gloria, diuitiæ, ſecuritas, honor quod fieri non poteſt, nempe vt hæc omnia ſimul concurrant, & tamen ita eſſe fingamus; licet ergo hæc omnia affluant, & nihil ſit quod ea diſtrahat, aut interrumpat; ſed & populi beneuolentia. & gloriæ magnitudo, & pecuniæ abundantia, & corporis ſanitas, & omnis ſecuritas, & à nullo poſſe vinci, in eo concurrant, improba ſæpè & peruerſa muliere ſibi coniuncta, euadit iis omnibus miſerior qui carent his omnibus. Quod ſi ei vxor bona & ex animi ſententia euenerit, ſi malos habeat filios, eum eſſe omnibus miſeriorem neceſſe eſt. Quod ſi nullos habeat, lugere & lamentari. Denique quæcunque humana aſpexeris quiſpiam, multa videbis præcipitia. Et quid alia perſequi opus eſt? Improbus ſæpè famulus omnia euertit & confundit; & nihil eſt adeò incertum & lubricum, vt in iis gloriari, & de iis ſe iactare.* Et nonnullis interpoſitis. *Illa beatitudo nunquàm planè conſtiterit, niſi omnia concurrerint: Imo verò etiamſi concurrerint, tunc labefactatur ab iis ipſis quæ eam pariunt. Nam & diuitiæ perniciem attulerunt; Et vxor formoſa ſæpè cauſa fuit interitus; Et famuli prodiderunt; & filij fuere parricidæ; & vt iam dixi, multa habet vndique incerta & valdè lubrica* Eadem paucioribus & planè inſignier tradit idem S. P. homil. 1. in Geneſ. *ad finem.* tractans illud Amos, vt ipſe quidem legit? *Quaſi ſtantia arbitrati ſunt, & non quaſi fugientia.*

60. Addo ſuauiſſimi ſcriptoris ſuffragium eadem breuiùs complexi; Boëtium dico 2. de conſol. proſa 4. *Quis eſt*, inquit, *tam compoſitæ fœlicitatis, vt non aliqua ex parte cum ſtatus ſui qualitate rixetur? Anxia enim res eſt humanorum conditio bonorum, & quæ vel nunquam tota proueniat, vel nunquam perpetuò ſubſiſtat. Huic cenſus exuberat, ſed eſt pudori degener ſanguis, Hunc nobilitas notum facit, ſed anguſtia rei familiaris concluſus, eſſe mallet ignotus. Ille vtroque circumfluus, vitam cœlibem deflet. Ille nuptiis fœlix, orbus liberis, alieno cenſum nutrit heredi. Alius prolè lætatus, filij, filiæve delictis mœſtus illachrymat. Idcirco nemo facilè cum fortuna ſuæ conditione concordat. Ineſt enim ſingulis, quod inexpertus ignoret, expertus exhorreat. Adde quod fœliciſſimi cuiuſque, delicatiſſimus ſenſus eſt; &, niſi ad nutum cuncta ſuppetant, omnis aduerſitatis inſolens, in minimis quibúſque proſternitur; adeo perexigua ſunt, quæ fortunatiſſimis beatitudinis ſummam detrahunt.* Et paulò pòſt: *Quam multis amaritudinibus humanæ fœlicitatis dulcedo reſperſa eſt. Quæ ſi etiam fruenti iucunda eſſe videatur, tamen quò minùs, cùm velit, abeat, retineri non poſſit. Liquet igitur quàm ſit mortalium rerum miſera beatitudo; quæ nec apud æquanimos perpetua perdurat, nec anxios tota delectat.*

61. Inſigniter idem libr. 3. proſa 9. conſtituta ſummi boni vnitate, & diſperſione variarum boni particularum per varias res creatas, quarum particularum vnam qui appetit, cùm nequeat ſimul omnes expetere ac perſequi, cæteris caret: concludit, perperam in rebus creatis quæri beatitudinem. *Hoc*, inquit, *quod eſt vnum ſimpléxque natura, prauitas humana diſpertit: Et dum rei, quæ partibus caret, partem conatur adipiſci; nec portionem, quæ nulla eſt, nec ipſam, quam minimè affectat, aſſequitur. Quonam, inquam, modo? Qui diuitias, petit penuriæ fuga. de potentia nihil laborat; vilis obſcurúſque eſſe mauult; multas etiam ſibi naturales quoque ſubſtrahit voluptates, ne pecuniam quàm parauit amittat. Sed hoc modo ne ſufficientia quidem contingit ei, quem valentia deſerit, quem moleſtia pungit, quem vilitas abiicit, quem recondit obſcuritas. Qui verò ſolùm poſſe deſiderat, profligat opes, deſpicit voluptates, honorémque potentia carentem gloriam quoque nihili pendit. Sed huic quoque quàm multa deficiant vides. Fit enim vt aliquando neceſſariis egeat, vt anxietatibus mordeatur. Cúmque hæc depellere nequeat, etiam id quod maximè petebat, potens eſſe deſiſtit. Similiter ratiocinari de honoribus, gloria, voluptatibus licet. Nam cùm vnum quodque horum, idem quod cætera ſit, quiſquis aliquid horum ſine cæteris petit, ne illud quidem quod deſiderat apprehendit. Quid igitur inquam? ſi quis cuncta ſimul cupiat adipiſci, ſummam quidem ille beatitudinis velit: Sed num in his eam reperiet, quæ demonſtrauimus, id quod pollicentur, non poſſe conferre? Minimè, inquam. In his igitur, quæ ſingula quæque expetendorum præſtare creduntur, beatitudo nullo modo inueſtiganda eſt.* Non habeo verba, queis commodiùs & aptiùs diſſertationem hactenus inſtitutam obſignem. Quare in eis, meta illi ac finis eſto.

ARTICVLVS. II.

Partitione bonorum quorumuis creatorum, eorúmque in certas claſſes digeſtione, preluditur abroganda, ſingulis rationi vltimi finis noſtri, ac obiectiua beatitudinis.

62 VEnio in particulari ad excludendam à bonis quibuſuis creatis rationem ſummi boni. Quem fuiſſe ſcopum Salomoni in libro Eccleſiaſtæ propoſitum, attigit D. Auguſtinus 20. Ciuit. cap. 3. & ex inſtituto tradidit Canus 9. de locis cap. item. 9. & perſpicuum eſt ex libri ſyntaxi: ſtatuit enim Auctor à principio generale illud pronunciatum. *Vanitas vanitatum & omnia vanitas*, quod oraculum S. Chryſoſtomus homil. in Eutrop. ait *in parietibus, in veſtibus, in foro, in ædibus, in viis, in feneſtris, in ianuis, ſed potiſſimùm in ipſa cuiuſque conſcientia, continenter inſcriptum eſſe oportere, & omni tempore cogitationi obuerſari*. Apertè autem eo principio atque effato ſignificatur, nulla huius ſæculi bona, ea eſſe quæ veram homini fœlicitatem præſtare, finémque illi ſuum exhibere poſſint; hoc enim eſt vanitatis damnari. Vanum quippe illud dicitur, quod otioſum eſt & inidoneum ad finis quæſiti conſecutionem: ideóque præfari omnia vana eſſe, idque poſtmodum ſigillatim de ſapientia, diuitiis, gloria volupeate demonſtrare, quod vniuerſo eo libro præſtat Sapiens, perinde eſt ac demonſtrare in nullo creato bono ſtatui poſſe obiectiuam hominis beatitudinem. Et hoc ipſum, vt dixi, eſt quod in ſequentibus ſigillatim demonſtrandum ſuſcipio.

Varietas bonorum apud varios, quæ & vnde.

Vt autem diſtinctiùs & clariùs id præſtem, imitor cum Sexto Empyrico l. 3. Pyrron. hypotip. c. 23. & in opere aduerſus mathematicos c. *quid ſit bonum*, varia bona creata enumerare, cùm de vulgi, tum de Philoſophorum ſententia, & quæ ſit bonorum apud Philoſophos partitio præmittere. Commemorat ille primùm varietatem iudiciorum humanorum de bono, quam inde proficiſci rectè aduertit, quòd cum omnes homines vt dicebat etiam Æneſidemus, bonum eſſe exiſtiment id quo capiuntur, non omnes iiſdem obiectis capiantur; Imo de eodem obiecto, varij iudicia ferant pugnantia pro affectus varietate: Sic enim cum omnes corpoream pulchritudinem charam habeant atque ſuſpiciant, quæ tamen ſit corporea pulchritudo eo nomine digniſſima, non conſentiunt. ſed Æthiopes quidem naſi ſimitatem & nigrorem; Perſæ è contra naſi aduncitatem & alborem commendant, tanquam aliquid in genere pulchritudinis excellentiſſimum. Similiter ergo iuxta Empyricum, & vulgus & Philoſophi communi & anticipata notione, ſtatuunt eſſe aliquod bonum: Quod verò illud ſit, præſertimque quod inter plura bona præcellat, æſtimat vnuſquiſque ex ſuo affectu. Inde apud imperitam multitudinem, quæ corporeis & externis rebus maximè capitur, boni nomine veniunt, firmus corporis habitus, diuitiæ, honores, bona exiſtimatio, ſed præſertim voluptates.

Eſt tripartita apud Philoſophos.

63. His ita de vulgi ſenſo propoſitis, ſubdit Empyricus, Piloſophos quoque prout variis rebus capiuntur, in cenſum bonorum varia allegere, & in diuerſas claſſes tribuere. Nam Academici, & Peripatetici (adde & Philoſophos paſſim apud D. Auguſtinum 8. ciuit. cap. item 8.) tria bonorum genera ſtatuunt. Et alia quidem dicunt eſſe in anima, alia verò in corpore, alia extra animam & corpus. In anima collocant virtutes, in corpore ſanitatem & bonam habitudinem, vigentéſque & benè affectos ſenſus, & quicquid eſt eiuſmodi. Extra animam verò & corpus, diuitias, amicos, aliáque ſimilia. Habetur hæc bonorum partitio apud Platonem 3. de leg. & variis locis quæ ſignat Carpentarius ad cap. 20. Alcino. n. 4. & Viues 9. ciuit. c. 4. & lib. 8. cap. 8. optiméque tradita eſt ab Archyta lib. de viro bono & beato, vt propterea Patricius tom. 2. diſcuſſ. Peripat. l. 7. §. *Bonorum diuiſio*, contendat Ariſtotelem eam bonorum diuiſionem ab Archyta deprompſiſſe. Eam vero Ariſtoteles vt exploratam proponit 7. Polit. c. 1. & 1. Ethic. c. 8. & 1. magnor. Moral. c. 3. Et neminem eſſe qui neſciat his tribus æſtimari hominis bonum, dixit Epictetus apud Arianum l. 3. c. 7. diſputans cum Epicureo, eámque tripartitam boni diuiſionem tanquam apud omnes peruulgatam, iaciens pro fundamento diſputationis.

Eius verò ſufficientia pulchrè demonſtratur Archytæ ratiocinatione, quæ in Pythagoræorum fragmentis & apud Stobæum ſermone 1. his verbis proponitur. *Cum ex bonis alia quidem propter ſe ipſa ſint expetenda, non ob aliud; alia verò propter aliud, nō. propter ſeipſa: Reperire eſt & tertiam quandam ſpeciem bonorum, quæ & propter ſe ſit expetanda, & propter aliud. Quæ igitur huius generis erunt bona? In bonis quæ propter ſe nec propter aliud ſolent expeti, recenſetur planè beatitudo. Illius enim gratia reliqua expetimus, eam verò ipſam nullius alterius gratia. Quæ verò ſunt quæ ob aliud, nec propter ſeipſa appetimus? Nimirum ea ſunt vtilia, & ea quæ bona promouent conciliántque, cauſáque ſunt obtabilium; vt labores quidem corporis, & exercitia, & fricationes bonæ valetudinis, lectiones autem & meditationes, & ſtudia, honeſtorum & virtutis. Quæ verò ſunt quæ propter ſe & ob aliud eliguntur? Nempe virtutes & habitus earum & electiones & actiones, & quicquid coheret cum honeſti ratione. Bonum igitur quod propter ſe nec propter alterum eligendum ſit, ſolum & vnicum eſt. Quod verò & propter ſe & propter aliud, trifariam diuiſum eſt. Partim enim in anima eſt, partim in corpore partim extrinſecus. In anima quidem virtutes animæ, in corpore verò corporis virtutes, extra hominem amici, gloria, honor, diuitiæ. Simili ratione & quod propter aliud expetitur. Eſt enim partim id omne quod animæ bona efficit, partim quod corporis, quódque externorum præbet cauſam, ſcilicet diuitiarum, gloriæ, honoris, & amicitiæ.* Tota ratiocinatio perſpicua eſt, nec alia vel interpretatione vel confirmatione eget. Tantùm obiter aduerto, in ſecundo membro quo ſtatuuntur quæ ſunt propter ſe & propter aliud expetibilia; non ita accipiendam eſſe eam expetibilitatem propter ſe, quaſi appetitus in bonis illis planè hæreſum: Sed deſignari illis vocibus, quid phyſicè poſſit appetitus circa ea bona; vel certè ſubintelligi virtualem ſaltem ordinationem bonorum illorum ad finem vltimum, qui eſt duntaxat per ſe appetibilis; id quod pars altera ſecunda illius membri apertè fert.

Quæ Stoici in contrarium ſtatuant.

64. Reclamarunt aduerſus hanc diuiſionem Stoici: nam quamuis tria & ipſi bonorum genera ſtatuerint, aliter tamen expoſuerunt, quod idem Empy-

ſicus refert locis allegatis, & Laërtius in Zenone, Stobæus in Eclogis Ethicis c,45. *de Zenonis decretis*, ac Lipſius l.2. manuduct. ad Philoſophi Stoicam diſſert. 22. Et vnum quidem boni genus dixerunt eſſe circa animum, aliud extra animum; quoddam etiam nec circa, nec extra animum. In anima ſtatuerunt virtutes & honeſtas actiones. Extra animum, amicum & virum bonum, & bonos liberos, & parentes ac ſimilia. Denique neque in anima neque extra animam aſſignarunt bonum virum abſolutè ſpectatum, ſeu comparatum ad ſeipſum. Neque enim fieri poteſt vt ipſe ſit extra ſe, vel vt ſit in anima, cùm ex corpore & anima coaleſcat. Vides non referri à Stoicis in cenſum bonorum, ſiue bona corpus ſpectantia, ſiue bona fortunæ, & eo ex capite aduerſari eos antiquæ bonorum diuiſioni, qua bona quoque aliqua corporis & fortunæ agnoſcebantur. Sed vnicum apud eos bonum, quod honeſtum.

Pulchrè ex Zenonis ſententia id ita explicatum lego apud Tullium 1. Academic. qu ıſt. n. 35. locum non grauatè adſcribo quia ad perſpiciendam Zenonis mentem & receptas in 'toa loquendi formulas, eſt accommodatus. Ita habet. *Zeno nullo modo is erat, qui vt Theophraſtus, neruos virtutis, incideret: ſed contra, qui omnia, quæ ad beatam vitam pertinerent, in vna virtute poneret: nec quicquam aliud numeraret in bonis, idque appellaret honeſtum quod eſſet ſimplex quoddam, & ſolum & vnum bonum. Cætera autem etſi nec bona, nec mala eſſent, tamen alia ſecundum naturam dicebat, alia naturæ eſſe contraria; Iis ipſis alia interiecta, & media numerabat. Quæ autem ſecundum naturam eſſent, ea ſumenda, & quadam æſtimatione dignanda dicebat, contráque contraria: neutra autem in mediis relinquebat, in quibus ponebat nihil omnino eſſe momenti. Sed quæ eſſent ſumenda, ex iis alia pluris eſſe æſtimanda, alia minoris: quæ pluris, ea præpoſita appellabat: reiecta autem quæ minoris. Atque vt hæc non tam rebus, quàm vocabulis commutauerat: ſic inter rectè factum, atque peccatum, officium, & contra officium; media locabat quædam; rectè facta ſola in bonis actionibus ponens prauè, id eſt peccata, in malis; officia autem & ſeruata, prætermiſſáque, media putabat, vt dixi* In 3. de finibus, præpoſita ait [illegible] eſſe dicta, contraria vero [illegible].

66. Nullum ergo bonum agnouerunt Stoici niſi honeſtatem eiuſve adiuncta. In quam rem infinita diſputantur apud Senecam epiſt. 94. alibique infinities. Viſique ſubſcribere nonnulli Patres vt S. Ambroſius 2. offic. c. 3. & 6. & lib. 3. c. 2. ſed explicatiſſimè S. Hieronimus in cap. 6. ad Galatas & in c. 11. Eſaiæ. Quo poſteriore loco ita caſtigat Iudaizantes, qui Eſaiæ eo loco vaticinium, iuxta literæ corticem Interpretabantur. *Si reſponderint pro beatitudine temporum hæc futura, vt abſque cuiuſque noxa, homines bonis omnibus perfruantur; audiant à nobis nihil eſſe bonum niſi virtutem, & nihil malum niſi vitium* Attexit aliqua ex Pſalte, quibus confirmet hoc quod aſſumit; ſolum ſcilicet vitium, malum eſſe; bonum autem, virtutem duntaxat. Tum pergit. *Diuitiæ autem & ſanitas corporis, & rerum omnium abundantia, & his contraria; paupertas, infirmitas, & inopia, etiam apud Philoſophos ſeculi, nec inter bona reputantur, nec inter mala, ſed appellantur indifferentia. Vnde & Stoici qui noſtro dogmati in pleriſque concordant, nihil appellant bonum, niſi ſolam honeſtatem, atque virtutem, nihil malum, niſi turpitudinem.* Nihil pro Stoicis proferri apertius potuit, aut etiam honorificentius; quandoquidem hoc eorum placitum, Chriſtianis dogmatibus à D. Hieronymo accenſetur. Subſcribere præterea viſus eſt ex Plantonicis Maximus Tyrius, diſſert. 23. n. 136. vbi bona quæcunque, præter honeſta, abdicat boni dignitate & appellatione, nec niſi voluptatem nomen eis reliquum facit.

Eſt lis de ſolis vocibus.

67. At hanc non eſſe niſi diſceptationem de nomine, & Stoicos eâ boni ad ſola honeſta reſtrictione, aucupatos tantùm vanam nouarum vocum gloriam, optimè ex Tullio docuit S. Auguſtinus 9. ciuit. c. 4. verbis illis. *Stoicos Ciceronem libris de finibus bonorum & malorum, verbis magis quàm rebus aduerſus Platonicos ſeu Peripateticos, certare conuincit: quandoquidem Stoici nolunt bona appellare, ſed commoda corporis & externa: eò quòd nullum bonum volunt eſſe hominis præter virtutem, tanquam artem benè viuendi, quæ non niſi in animo eſt. Hæc autem iſti ſimpliciter & ex communi conſuetudine loquendi appellant bona: ſed in comparatione virtutis, quâ rectè viuitur, parua & exigua. Ex quo fit vt ab vtriſque quomodolibet vocentur, ſeu bona ſeu commoda, pari tamen æſtimatione penſentur: nec in hac quæſtione Stoici delectentur, niſi nouitate verborum.*

Quin etiam in ſcripturis, paſſim bona fortunæ & corporis nominari notat S. Hieronymus ſubiectis in hanc rem pleriſque exemplis in cap 6. ad Galatas. Itaque retineamus ſanè Platonicam illam & Peripateticam bonorum diſtributionem tripartitam, quam præter S. Auguſtinum ſupra, approbat etiam S. Ambroſius lib. 2. de Abrah. c. 6. *ſub finem*. Et eiuſdem libri c. x. eam tripartitam bonorum diuiſionem à Philoſophis Ethnicis ex Scripturis hauſtam, ſic tradit. *Hæc quæ ſimplicibus verbis ſacra Scriptura exprimit*, de corporis ſcilicet, atque animæ & accidentibus bonis, quæ [illegible] à Græcis dici, memorauerat, *magno quodam cothurno, Ariſtoteles & Peripatetici perſonant atque extollunt. Pythagoricum quoque dogma eſſe, teſtificantur ſui. Sed quis illorum æquauit Abraham tempore? Quis autoritate & ſapientia Dominatum, cuius oraculo, triplicis huius gratiæ munus agnoſcis?* Itaque S. Ambroſius Philoſophicam hanc triplicis generis bonorū diſtributionem, ratam habet, & meritò: Neque enim negari iure poteſt quin ſint etiam corpori ſua bona, eáque non fucata tantùm, ſed & vera. Tametſi quia plerumque eorum appetitio rectæ rationi aduerſatur, cenſeantur bona tantùm apparentia. Nempe non ſpectata ſenſibiliter, ſed per comparationem ad regulam vitæ noſtræ, & id quod homini ex præſcripto rationis rectæ præeligendum foret. Qua ratione interdum, & Plato & Ariſtoteles, vt Apuleius lib. de Platonis dogmate obſeruauit, non numerant in bonis quæ virtuti obſtrepunt, eámque turbant, ſed quæ in eius inſtrumenta & miniſterium tranſeunt; quamuis abſolutè loquendo, rémque non moraliter ſed phyſicè ſpectando, planè agnouerint rationem boni iis quæ Stoici apud Senecam epiſt. 87. *commoda* nominant, nunquam deeſſe. Eam verò appellationem fortunæ bonis non niſi moraliter ſpectatis abiudicat S. Ambroſ. 1. offic. c. 9.

Quo in ſequentibus collineandum, & quo ordine.

68. Sic conſtituta bonorum quorumuis creatorum diſtributione, enitendum eſt vt euincamus nulli illorum prærogatiuam ſummi boni & vltimi finis noſtri competere, qui eſt hoc loco ſcopus noſter, & idem propoſitum habuerunt benè multi, cùm recentiores tum antiqui. Nominatim præter Philoſophi interpretes ad librum 1. Ethic. S. Thomas 1. 2. q. 2. & lib. 3. contra gent. à c. 27. ad 36. S. Odo Cluniac. l. 2. Collationum. Ægidius Roman. lib. 1. de regim. Princip. part. 1. à c. 5. ad 12. Abulenſis Math. 5. à q. 18.

ad

ad 26. Beroald. toto opuſc. de fœlic. Niphus lib. 6. de intellectu. Viues lib. 1. de verit. fid. cap. 5. & 6. Iauellus 8. part. Philoſoph. Chriſt. tract. 1. cap. 3. Lælius Peregrinus 1. Ethic. in digreſſione quam ſubiunxit capiti 12. Maiolus tom. 2. colloq. 7. Leſſ. l. 1. de ſummo bono propè toto, aliique abſque numero.

Ego vt amœnior & grauior ſit diſputatio, Eclogas Ethicas exhibebo, ideſt, Pancarpiam ex Patrum & Philoſophorum defloratione contexam, coactis in vnum hoc ſertum quæ in vernantiſſimis illis pratis ſuaueolentiora & ſpecioſiora libauero. Et ne quid fragrantiæ deſit, ipſa ſingulorum verba quæ ad rem facient, ſuauianda ac fruenda exhibebo commiſſa noſtris atque conſerta; *Pariter enim* (verba ſunt Madaurenſis Philoſophi 2. florid. quæ huc non incongruè aptauero;) *vt qui harediolum ſterilem, & agrum ſcrupoſum, meras rupinas & ſenticeta miſeri colunt; quoniam nullus in teſquis ſuis fructus eſt, nec vllam illbic aliam frugem vident, ſed infelix lolium & ſteriles dominantur auena, ſuis frugibus indigent, aliena furatum eunt, & vicinorum flores decerpunt; ſcilicet vt eos flores carduis ſuis miſceant; ad eundem modum qui ſua virtutis ſterilis eſt*, & eruditionis ac doctrinæ. Hic namque aliorum præclarè dicta ſibi aſſumere citra probrum poteſt, in quam ſententiam multa diſputat Caſſiodorus, aut (vt aliis viſum) Petrus Bleſenſis in præfatione operis de Amicitia. Ordiar porro à bonis corporis, quod minus ad hominem attineant, quàm bona animæ, ſintque (vt infrà cum Pilone dicam) fons expetibilitatis bonorum externorum, quæ remotiora quoque ſunt ab homine quàm bona corporis: Sed quia bona corporis vel ſunt aliqui eius actus primi ad bonum illius habitum, inſtructionémve pertinentes; vel actus ſecundi à primis illis prodeuntes, vt mox patebit, variis illis corporis bonis enumeratis, propterea inter bona corporis ea primùm vocabo ad examen quæ inter actus primos numerantur; ab illis enim prodeunt reliqua.

ARTICVLVS III.

Corporis decora, & actus quilibet primi; quantum abſint à ratione obiectiuæ noſtræ beatitudinis, Ecloga Ethicæ ex Philoſophis ac Patribus.

69. ILlud imprimis firmiſſimum ac validiſſimum vniuerſæ huius diſputationis fundamentum iacio, quod Seneca epiſt. 92. ſubminiſtrat. *Corpus natura vt quandam veſtem animo circundedit Velamentum eius eſt. Quis autem vnquam veſtimenta æſtimauit arcula? Nec bonum nec malum vagina gladiū facit. Ergo de corpore quoque idem tibi reſpondeo.*

Varia corporis bona, & quibus aliqui palmam detulerint.

Sed vt diſtinctè in vberi argumento verſemur, nec rerum multiplicitas confuſionem (vt ſolet) inuehat, diſtinguenda ſint varia corporis bona de quibus dubitatio quandoque mota eſt, aut moueri potuit, eſſéntne ſummum hominis bonum. Phyntis Pythagoræa lib. de temperantia mulieris apud Stobæum ſerm. 74. corporis bona, aut, vt ipſa loquitur, virtutes, animi virtutibus cõtra diſtinctas enumerat, ſanitatem, robur, pulchritudinem, ſenſuum integritatem. Hæc ſunt quæ D. Auguſtinus 19. Ciuit. c. 2. *prima natura* & ex Varrone, *primigenia* vocat. Eleganter etiam Marinus in Procli vita n. 3. & Euſtratius 1. Ethic. c. 3. eaſdem corporis virtutes cum quatuor animi cardinalibus virtutibus componunt, ſatiſque inſinuant, in ſenſuum integritate (quam Marinus prudentiam carnis nominat,) non modò vim ſenſitiuam expeditam ad functiones conſentaneas comprehendi, ſed etiam functionum illarum appendicem connaturalem, ſiue corpoream voluptatem. Idque etiam poſtulat adæquata bonorum corporis enumeratio. Nam voluptatem; quamuis ſit actus ſecundus non primus, atque adeò quamuis non ſit virtus corporis, ſed functio virtutis corporeæ, ad Phynthios & Maximi ſenſum; tamen non poſſe bonorum corporis cenſu excludi, extra controuerſiam eſt.

70. Ex his ergo corporis bonis, inuenti ſunt qui humanorum bonorum apicem darent ſanitati & voluptati. Quod enim Hieronymus & Diodorus, ambo Peripatetici teſte Tullio, l. 2. Academ. qq. ſummum hominis bonum ſtatuerunt indolentiam; ſiue quod idem eſt, (quamuis à Lactantio 3. inſtit. c. 7. ſecerni videatur,) doloris priuationem; de corporis ſanitate plena & perfecta, remouente omnem dolorem ex mala corporis affectione, accipi poteſt. Quia etiamſi dolor eiúſque carentia finibus corporis non concludatur, & iuxta medicos detur ſtatus neuter, qui nec doloris aut ægritudinis, nec ſanitatis eſt: tamen Lactantius lib. cit. c. 8. priuationem illam doloris quam prædictos Hieronymum & Diodorum inuexiſſe dixi, ita intellexit, vt cum corporis incolumitate & valetudine planè coincidat. Et aliter quidem Hieronymum illum interpretatur Clemens Alex. vt dicam articulo vltimo huius quæſtionis. Tamen paſſim ab aliis in hunc ſenſum accipitur. Apertiùs idem placitum amplexi ſunt alij, quos Sextus Empyricus lib. 10. aduerſus Mathematicos cap. *quid ſit bonum* his verbis commemorat quorum bonam partem ex Platonis opere de legibus repræſentat etiam Theodor. l. 6. contra Græcos. *Sanitatem primum bonum dixerunt, non pauci tam Poeta quàm qui ſolutà ſcripſerunt oratione. Nam Simonides quidem Lyricus dicit, præclara ſapientia ne eſſe quidem gratiam, niſi quis honeſtam habeat ſanitatem. Licymnius cùm hac prius dixiſſet:*

O nitidis es qua oculis mater Apollinis,
Sublimium ædium Regina optabilis,
Et dulce ridens ſanitas:

quàm excelſum ſtatim ſubiungit?

Quadam eſt opum, quadam parentum eſt gratia;
Æquiparatur quoque Diis humani imperij;
Beatus abſque te eſſe ſed nemo poteſt.

Herophilus quoque dicit in Diætetico, non demonſtrari poſſe ſapientiam, artémque eſſe incertam & obſcuram; viréſque non poſſe decertare, opéſque eſſe inutiles, infirmàmque & imbecillam eloquentiam, ſi abſit ſanitas. Atque ij quidem ſic. Dicebant autem eam eſſe bonum, non tamen primum, Academici & Peripatetici. Dicebant enim vnicuique bono tribuendum eſſe ſuum ordinem ac dignitatem. Simonidi in aſſertione placiti propoſiti, ac primatu bonorum hominis, deferendo ſanitati, Ariſtotelem adiungit Clemens Alexand. 4. Strom. c. 3. quod conſtat vel abiiciendum eſſe, vel de alio Ariſtotele quàm de Stagirita accipiendum. Quàm multi enim eo nomine donati ſint, Laërtius locuples teſtis eſt l. 5. ad calcem vitæ Philoſophi, octo einſdem cum eo nominis recenſens. Quod ergo hi Philoſophi, tantùm ſanitati detulerint, in cauſa fuit eius pretium, quod eſt ſanè maximum. *Sanitas*, ait S. Auguſtinus ſermo 1. de diuerſ. c. 3. *Sic dulcis eſt, vt in faſtidium nunquam veniat. Quando hanc habet, quid deeſt pauperi? Quando iſtam non habet, quicquid habet quid prodeſt diuiti?* Multa de einſdem pretio ac præconiis petere licet ex Luciani Apologia, pro ſua inter ſalutandum

tandum prolapſione. Sanitatis flos eſt pulchritudo, iuxta Clementem Alexandr. 3. Pædag. c. 11. Ei autem aliquos beatitudinem aliquam inædificaſſe, author eſt Diuus Pythagoræus apud Stobæum ſerm. 66. Voluptati verò corporeæ primas dediſſe pleroſque, neminem latet, & infra manifeſtum faciam. Excutiamus itaque hæc placita, breuiter oſtendendo nullum eſſe ex bonis enumeratis, quod magni momenti cenſeri debeat; Tantùm abeſt vt poſſit ſummum ac conſummatum hominis bonum ſtatui.

Corporis ſanitas & robur, quàm minutum bonum.

71. Sanitas certè, ſeu ſymmetria illa humorum & accidentium quibus humanum corpus aptè ad fouendam animam temperatur, non excludit à pleriſque benè valentibus, magnas miſerias, éſtque bonum innumeris caſibus obnoxium. Non ènim duntaxat ei perpetuò timendum eſt ab incurſu externorum hoſtium ſed etiam ab inteſtino mortis & inualetudinum fonte nunquam exareſcente. Elegantiſſimè hanc boni iſtius caducitatem tradidit S. Ambroſius lib. 3. Hexaem. cap. 7. agens de herbarum virentium ac florum breui duratione. *In hac*, inquit, *germinum ſpecio, & in illo virentis herbæ munere, imago eſt vitæ humanæ, & naturæ conditioniſque noſtræ inſigne quoddam ſpectatur, & ſpeculum elucet. Illa herba & flos fœni, figura eſt carnis humanæ, ſicut bonus diuinitatis interpres organo ſuæ vocis expreſſit, dicens clama: quid clamabo? Omnis caro fœnum, & omnis gloria hominis vt flos fœni. Aruit fœnum. & flos decidit &c. Et verò. Viret enim & gloria hominis in carne, quaſi fœnum: Et quæ putatur eſſe ſublimis, exigua quaſi herba eſt, præmatura vt flos, caduca quaſi fœnum: Germinat vita viriditatem in ſpecie, non in fructu ſoliditatem: hilarioris vitæ quaſi flos prætendens iucunditatem, breuiori ſpatio occaſura, ſicut herba fœni, quod priuſquam euellatur areſcit. Quæ enim firmitudo in carne, quæ ſalubritas poteſt eſſe diuturna? Hodie videas adoleſcentem validum, pubeſcentis ætatis virtute florentem, grata ſpecie ſuaui colore; craſtina die tibi facie & ore mutatus occurrit: Et qui pridie tibi lautiſſimus decora formæ viſus eſt gratia, alio die miſerandus apparet, ægritudinis alicuius infirmitate reſolutus. Pleróſque aut labor frangit, aut inopia macerat, aut cruditas vexat, aut vina corrumpunt, aut ſenectus debilitat, aut euiratos deliciæ reddunt, luxuria decolorat. Nonne verum eſt quia aruit fœnum & flos decidit?* Accedit quod ſanitas brutis nobiſcum communis eſt. Nemo autem ſummum hominis bonum pecudibus & brutis commune dixerit, niſi ipſemet pecus aut brutum ſit. S. Auguſtinus eodem modo in hanc rem diſputat ſerm. 1. de diuerſ. Nam non modò conceſſam à Deo ſanitatem blaſphemis pleriſque ac impiis expendit, ſed etiam pecoribus ac iumentis quo aptat illud Pſalmi 35. *Homines & iumenta ſaluos facies Domine* Itaque addit. *Ne extollerent ſeipſi homines, quia habent temporalem ſanitatem, addita ſunt illis iumenta. Quid eſt ergo vnde gaudet homo? Nonne tibi cum aſino tuo commune eſt, & cum gallina tua, & cum quocunque animante in domo tua, cum illis paſſeribus. Nonne tibi ſanitas corporis cum iſtis omnibus eſt communis.*

72. Eædem rationes contra robur corporeum, & firmitatem virium militant. Ideóque rectè Lactantius l. 1. cap. 18. ait; *Quis tam ſtultè ineptus eſt vt corporis vires diuinum vel etiam humanum bonum iudicet, cùm ſint & maiores pecudibus attributæ; & vno morbo ſæpè frangantur; vel ipſa ſenectute minuantur & corruant?* Paulo aliter Seneca epiſt. 92. *ſunt quæ ſæpè contingunt, pleniora viliſſimis; crus ſolidum, & lacertus & dentes, & horum ſanitas firmitáſque* Deſignat haud dubiè, athletas quorum toros atque lacertos viriúmque corporearum firmitatem nemo ignorat, cum tamen genus hominum fuerit longè viliſſimum, tantúmque à ſummo hominis bono, quantum ab honeſtate remotum, quod Galenus bona parte libelli quo exhortatur ad capeſſendas bonas artes, accuratè & cumulatè demonſtrat. Omitto quod ex propoſito exemplo pecudum & athletarum eſt euidétiſſimum, quàm plerumque infirma ſit mens in corpore firmo, imo quàm multis & corporis & animæ exitio fuerint vires corporis, id quod Ariſtoteles. 1. Eth. cap. 3. obiter attigit, cum dixit, *fortitudinem*, id eſt, interprete ibi Euſtratio, robur corporeum, *pleriſque exitio fuiſſe.* Vt obſeruarint propterea Patrum nonnulli, Deum hominis ſtudioſum & amicum hæc nequitiæ & licentiæ inſtrumenta, prouidè plerumque ſubducere, & increpare potius per dolorem in lectulo, omniàque oſſa hominis marcie in hac vita damnare vt ſpiritus ſaluus fiat.

Cætera quæ in hanc rem plurima ſuppeterent, mitto in præſentia, vno contentus Saluiani loco epiſt. ad Catturam ſororem ex morbo recreatam. *Ego*, inquit, *ne hanc quidem tibi quam pertuliſti terreſtris vaſculi infirmitatem obfuiſſe exiſtimem, cuius fortitudo, vt ſcis, menti ſemper inimica eſt, vt te iure nunc tanto fortiorem ſpiritu putem, quanto imbecilior carne eſſe cœpiſti. Caro enim, inquit Apoſtolus, concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem: hæc enim inuicem ſibi aduerſantur, vt non quæ vultis, illa faciatis. Ergo, ſi repugnante corpore, quæ volumus facere non poſſumus, infirmandum carne eſt, vt optata faciamus. Et verum eſt: Imbecillitas enim carnis, mentis vigorem exacuit, & affectus aritubus; vires corporum in virtutes transferuntur animorum: Vt mihi genus quoddam ſanitatis eſſe videatur, hominem interdum non eſſe ſanum, Nulla enim admodùm tunc ſpiritui cum corpore; id eſt: nulla diuina indoli; cum terreno hoſte colluctatio eſt; non turpibus flammis medulla æſtuant; non malè ſanam mentem latentia incentiua ſuccedunt; non varij ſenſus per varia oblectamenta laſciniunt; ſed ſola exultat anima, læta corpore affecto, quaſi aduerſario ſubiugato. Gaudo ergo, alumna Chriſti, ſemper quidem ſimplicis & quieta, ſed nunc magis defæcata tuæ mentis & libera oſtium aperi. & attrahe, vt legis, ſpiritum ſanctum. Nunquam, vt puto, habitatore Deo dignior exſtitiſti. Quanto imbecillior corpore, tanto purior ſenſu es vincentibus carnem tuam morbis, mente viciſti. Felix ſi hanc ſemper corporis mortem in vitam ſpiritus conſeruaris. Extinctis in te forſitan cunctis humanarum tentationum incentiuis, habere quodammodo naturam animæ etiam in carne cœpiſti.*

Depreciatio pulchritudinis.

73. Pulchritudinem corpoream, cuius eſt ex parte idem fons ac firmitatis, & roboris, ac ſanitatis ex qua effloreſcit, ſummum humanorum bonorum pronunciare, fœminei potius indicij, imo ſtolidiſſimi fuerit quàm Philoſophici. Vt meritò ſanè Dius Pythagoræus apud Stobæum ſerm. 66. temerariam ac ſtolidam, tametſi (vt ait) plurimorum animos occupantem, pronunciet opinionem quæ formoſitatem corporis, donat fœlicitatis nomine. Nec tam ad veritatem quàm ad Oratoriam pompam, de ſuo Melanchoma grauis alioqui morum cenſor Dio Chryſoſtomus orat. 29. ſcripſit. *Ego primùm eum beatum dico ob pulchritudinem quæ humanorum bonorum illuſtriſſimum eſt & iucundiſſimum tam Diis quàm hominibus, habentique promptum & cognitu facillimum. Nam talia bona quum cui adſunt, latent ferè; vt fortitudo*

& prudentia, niſi ex facto quodam demonſtretur: Pulchritudo verò non poteſt latere. Siquidem & habenti apparet, & dicere poſſes quòd etiam priùs alijs acutum ſui ſenſum præbet. Præterea quoque alia bona inuidioſa ſunt, & inimicos habent: pulchritudo autem ſui ſenſum habentes facit amicos, nullúmq; ſibi inimicum permittit fieri. Idem corporis bonum, ſummis laudibus extollit Lucianus in Charidemo, & breuiter, ſed ſupra modum ac fidem Latinus Pacatus in Theodoſij panegyr. Deitatis irradiationem quandam in pulchritudine corporis celebrans. Peripatetici quoque apud Stobæum in Eclogis Ethicis cap. 4. pulchritudinem per ſe placere, inde probabant, quod omnes naturâ, pulchris etiam præter vſum afficimur, iiſque benefacere cupimus; ita vt beneuolentiam parere videatur pulchritudo, iuxta illud Publij Minji, *Formoſa facies, muta commendatio* tanquam naturale philtrum, quod Laërtius lib. 5. ex Ariſtotele plus quàm epiſtolas omnes valere ad commendationem profitetur: & ex Platone *naturæ priuilegium*, ex Carneade *regnum non munitum ſatellitibus* nominat. Pulchritudinis maioris, (hoc eſt internæ) præludium appellat Tyrius diſp. 9.

Sed in primis nihil hoc luti noſtri tectorio fugacius aut fragilius, *ſta ceſſit pulchritudo, & citius quam folia humi decidit, & priuſquam venerit autumnus, marceſcit, & interit*: Verba ſunt Clementis Alexandrini 3. Pædag. c. 1. Scitè Auſonius epigr. 54. quod eſt Laidis dicãtis Veneri ſpeculum ſuum,

Lais anus, Veneri ſpeculum dico. Dignum habeat ſe,
Æterna æternum forma miniſterium.
At mihi nullus in hoc vſus, quia cernere talem,
Qualis ſum nolo, qualis eram, nequeo.

Nec minus venuſtè ædyll. 14. quod eſt de roſa, aptans roſæ fugacitatem, mox dilabenti pulchritudini.

Hæc modo quæ toto rutilauerat igne comarum,
Pallida collapſis deſeritur folijs.
Mirabar celerem fugitiua ætate rapinam,
Et dum naſcuntur, conſenuiſſe roſas.
Ecce & defluxit rutili coma punica floris,
Dum loquor & tellus tecta rubore micat.
Tot ſpecies, tantóſque ortus, varióſque nouatus,
Vna dies aperit conficit vna dies.
Conquerimur natura, breuis quod gratia florum eſt,
Oſtentata oculis illico, dona rapis,
Quam modo naſcentem rutilus conſpexit Eoüs,
Hanc rediens ſerò veſperè vidit anum.

Concludit poſt aliqua, hanc ipſam eſſe viuam imaginem fugacitatis pulchritudinis corporeæ. Quæſiuiſſe pleróſque in Alcibiade paulò prouectiore, ſpeciem ac venuſtatem quæ eum in ætate teneriore condecorauerat, notat Phauorinus apud Stobæum ſermon. 66. Pulchritudinem, *modici temporis tyrannidem* vocabat Socrates apud Laërtium lib. 5. *in Ariſtotele*. Nazianz. orat. 31. corporis pulchritudinem vocat *temporis & morbi ludibrium*. Audi etiam ſanctum Hieronymum epiſt. 139. tractantem illud Pſalmi 89. *Manè ſicut herba tranſeat, manè floreat & tranſeat; veſpere decidat, induret & areſcat*: poſt nonnulla de humana ſpecie ac conditione ſomnio comparata. *Omnis*, inquit, *humana conditio ſomnio comparabitur: ſicut enim manè virens herba, & ſuis floribus vernans delectat oculos contemplantium, paulatímque marceſcens amittit pulchritudinem, & in fœnum quod conterendum eſt, vertitur: Ita omnis ſpecies hominum vernat in paruulis, floret in iuuenibus, viget in perfectæ ætatis viris, & repentè, dum neſcit, incanesſit caput, rugatur facies, cutis prius extenta contrahitur; & extremo fine, quod hîc dicitur veſpere, id eſt, ſenectute, vix moueri poteſt ita vt non cognoſcatur quis prior fuerit, ſed penè in alium commutetur Quid loquimur de infantiæ tõporibus vſque ad extremam & decrepitam ſenectutem,*

cùm hoc & languor faciat, & inedia mœror, vt vultus priùs pulcherrimus fœminarum, ad tantam tranſeat fœditatem, vt amor in odia commutetur? Super hac conditione mortalium, & Eſaias loquitur. Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos fœni Fœnum aruit, & flos decidit. De fœnore hoc corporeorum bonorum, & vniuerſæ vitæ noſtræ cupiditate, videndi inſuper S. Ambroſ. 3 Hexaëm. c. 6. Aug. ſerm. 42. de verb. dom. Chryſoſt. homil. 28. in Geneſ. & Bernardus epiſt. 114. quæ eſt ad Gualterum.

74. Et vt daremus corporis pulchritudinem, eúmque decorum animæ amictum, & vt Tertullianus nominat *veſtem vrbanam*, nullo ſitu exedi; eſſéque bonum corporis diuturnum ac ſtabile, quàm tamen gracilis ac tenuis eſt ſubſtantia boni illius, quod extimam cutem non tranſcendit? Potenter de more ac ſapienter Chryſoſtomus in priore parænesi ad Theodorum lapſum; poſt multa præmiſſa de diuino in nos fauore qui pulchritudinem corpoream noluerit eſſe iuris noſtri; tanquam alioqui futuram nimiæ curæ, & cepturam tempus ac facultatem comendæ animæ: Interiorem verò pulchritudinem opus noſtrum eſſe voluerit, ſubdit quàm exile bonum ſit corporea pulchritudo, ſic affatus Theodorum. [Scio quod admiraris Hermionis faciem, & bonam formam eius, nihil ei in terris exiſtimas ſimile: Verùm ſi voles ô amice, iam nunc eris ea multò elegantior & pulchrior: Tantúmque præſtabis quantum luteis, aureæ ſtatuæ. Si ſuper corpore illuſtri multorum mentes percelluntur & obſtupeſcunt, quando in anima refulſerit lumen decoris, quid æquale huic ſic pulchro oppones? Nam huius pulchritudinis ſubſtantia, eſt pituita, ſanguis fluidus, atrabilis, ſuccus cibi bene manſi. Talibus enim pigmentis oculi, genæ, & reliqua membra venuſtantur: quanquam non ſuſcipiunt huiuſmodi aſperſionem quotidie, quòd ſæpenumero propter ventris malaciam, aut hepatis corrumpitur, ipſáque cutis marceſcit, congruo farcimento deſtituta, atque oculi excauantur. Cuius euolat quàm intellexeris oris decor vniuerſus. Quid ſubeſt micantibus ocellis? Quid occulitur rectis naribus? Quid ore celatur gratioſo, & malis purpureis? Certè nihil aliud quàm gypſo incruſtatum ſepulchrum eſſe dixeris; bonam corporis formam, modò exactè cognoſcas. tam diuerſis oppleta eſt intus ſordibus. Deinde & pannum reiectum quem cùm vides implicitum, tenere ſimile quiddam pituitæ aut fluori, cuiuſmodi ex ore vltrò diſtillat, quémque ne ſummis quidem digiſtis audes attingere, imò ne intueri quidem; ſed ad plicas eius, & conuolutiones intimas conuertens viſum, exhorreſcis nauſeans. Huiuſmodi eſt, ſi penitus expendis, corporis venuſtas, quæ conferta eſt putore & ſanie multa.] Expreſſit hũc S. Chryſoſt. locum, vt alia pleraque S. Odo l. 2. Matth. 1. 9. His planè gemina extant apud eundẽ Chryſoſt. Oratione quadam *de Vxore & pulchritudine*, quæ eſt numero octaua inter eas quas primus è Græco edidit Cromerus. Ibi in pulchro corpore cellas & horrea muci & corruptæ pituitæ repræſentat, miratúrque eſſe qui ad eam venuſtatem obſtupeſcant, quæ ſubiecta tabe ac fœtore latcat; qui ſtercore vrantur, & terram cute obductam admirentur; Hanc enim eſſe quã pulchritudinem corporis nominant. Non diſſimilia ex Ariſtotele prodit Boëtius, loco quem dabo n. 185. & breuiter Anton. l. 8. n. 31. exquiſitiſſimam pulchritudinem vocat *tabum in facco*.

75. Nec leuis præterea externæ huius ſpeciei infamia, quod plerumque in compto & pulchro corpore, deformiſſimus & incultiſſimus animus habitat: Quod conſiderandum eſſe aiebat Clemens Alexandrinus lib. 3. Pædag. cap. 2. initio. [Non animaduertunt dum colunt id quod eſt extrinſecus, quæ intus

in profundo ſita ſunt, eſſe planè inculta, horrida & ſterilia; cuiuſmodi ſunt etiam ornamenta Ægyptiorum, apud quos templa eorúmque porticus, veſtibula ac luci magnificè inſtructi: eorúmq; atria multis columnis cincta ſunt: parietes autem lapidibus externis & artificiosè depictis reſplendent, ita vt nihil deſit: ædes autē auro, argento, & electro collucent, & ex India ac Æthiophia variis fulgentibus lapillis; adyta verò intextis auro obumbrantur peplis. Sed ſi penetralia templi ambitus ſubieris, & ad eius quod eſt præſtantius ſpectaculum properans, imaginem quæ templum habitat quæſieris: ſacerdos quiſpiam ex iis qui in templo ſacrificant, graui & venerando vultu aſpiciens, & Ægyptiorum lingua Pæanem concinens, cum veli aliquantum contraxerit, tanquam Deum oſtenſurus, abundè nobis ſuppeditat occaſionem irridendi numinis. Neque enim intus inuenietur Deus qui quærebatur, ad quem feſtinabamus, ſed felis, vel crocodilus, vel ſerpens indigena, vel aliqua eiuſmodi bellua, quæ templo quidem eſt indigna, ſed antro, ſpeluncæ, ac cœno magis congruit. Apparet Deus Ægyptiorum, bellua, quæ ſuper veſtem ſtragulam purpuream volutatur. Ita etiam mihi videntur fœminæ quæ aurum geſtant, & in criſpandis crinibus exercentur, & in genis vngendis, oculiſque pingendis & pilis tingendis verſantur, & aliam mollitiem arte improba perſequuntur, carnalem ambitum ornantes, & verè Ægyptios imitantes, infœlices amatores attrahere. Sed ſi quis velum templi aperuerit; vittam inquam, veſtem, aurum, fucum, ducturam, & quæ eis intrita & incruſtata ſunt; hoc eſt velamentum, quod ex eis contextum eſt, tanquam illic veram inuenturus pulchritudinem, rectè ſcio eum eſſe abominaturum. Neque enim Dei imaginem intus inueniet habitantem; quam eſt conſentaneum; ſed loco eius fornicatrix & adultera anima occupauit adytum, & vera eſſe beſtia cōuincetur, fuco ſcilicet intrita & incruſtata ſimia: & ſeductor ille ſerpens mentis exedens intelligentiam, per gloriæ cupiditatem, pro ſpelunca habet animam.] Hâc ob cauſam exiſtimo Theophraſtum vt eſt apud Laërtium lib. 5. *in Ariſtotele* pulchritudinem vocaſſe *tacitam deceptionem* quod ſub externa ſpecie eleganti atque decora, plurimam turpitudinem occulat.

E contra verò quod Seneca epiſt. 66. initio egregiè tradit ex deformi humilique corpuſculo magnus plerumque & formoſus animus exit, vt ex caſa vir magnus, oſtendente in pleriſque natura, poſſe ingenium fortiſſimum ac beatiſſimum ſub qualibet cute latere. Nota Hipponactis nobilis Poëtæ fœditas vultus apud Plinium lib. 36. c. 5. Socratem, ſimis naribus, recalua fronte, piloſis humeris & repandis cruribus fuiſſe refertur apud Xenophontem in Sympoſio. Platonis gibberum ex inſulſa diſcipulorum æmulatione omnibus innotuit. Quid Æſopus Phryx in quo corporis deformitas prope monſtroſa cum ingenij excellentia certabat? Demum B. Pauli præſentia infirma & contemptibilis vt ipſemet prodidit, & tamen animo, *mundi lilium erat. & Eccleſia pulcherrima roſa*, vt Adrianus Papa ſcitè dixit in epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ. Imo vt Eumolpus Petronij dixit; *Raram facit miſturam cum ſapientia forma.*

76. Tandem non minimum decoris huius corporei dedecus eſt: quod ferè eſt peccati illicium, & vel illis quibus obtingit exitium procreat, vel aliis malè conſultis boni huius captatoribus, vel vtriſque: vt propterea iure à Theocrito apud Laërt. l. 5. in Ariſtotele, dictum ſit, *eburneum detrimentum.* Ex hoc capite Tertullianus lib. de cultu fœmin. c. 2. Chriſtianas mulieres ad neglectum ſpeciei corporeæ, & abiiciendum ſuperuacui cultus ſtudium, grauiſſimè hortatur, his præter cætera. *Quid alteri periculo ſumus? Quid illis alteri concupiſcentiam importamus? quam ſi Dominus ampliando legem à facto ſtupri non diſcernit in pœna, neſcio an impune abeat qui alteri fuerit cauſa perditionis. Perit enim ille ſimul in tua forma, ſi concupierit, & admiſit iam in animo quod concupiuit; & facta es tu gladius illi. Vt à culpa vaces, ab inuidia non liberaberis. Vt cùm in alicuius agro latrocinium geſtum eſt, crimen quidem Dominum non conſtringit, dum res tamen eius ignominia notatur, ipſe quoque infamiâ aſpergitur. Expingamus nos vt alteri pereant? Vbi eſt ergo, Diliges proximum tuum ſicut teipſum? Nolite veſtra curare, ſed alterius? Cùm igitur & noſtra & aliorum cauſa verſetur in ſtudio periculoſiſſimi decoris, iam non tantum conficta & elaborata libidinis ſuggeſtum recuſandum à vobis ſciatis: ſed etiam naturalis ſpecioſitatis oblitterandum diſſimulatione & incuria, vt proinde oculorum incurſibus moleſtū. Nam etſi accuſandus decor non eſt, vt fœlicitas corporis, vt diuina plaſtica acceſſio, vt animæ aliqua veſtis vrbana; timendum tamen eſt vel propter iniuriam & violentiam ſpectatorum, quā etiam Pater fidei Abraham in vxoris ſuæ ſpecie pertimuit, & ſororem mentitus Saram, ſalutem contumelia redemit.* Breuiter ſed pulcherrimè autor libri de diſcipl. & bono pudic. qui paſſim quidem cenſetur Cyprianus, ſed niſi me guſtus fallit, alius ab eo, & idemmet cum autore libri de oper. Chriſti Cardin. Vt vt ſit, grauis plane & perantiquus autor citati libri num. 34. *Decor corporis & apte poſitorum figura membrorum, ſuggerit pleraque, vt quaſi flos quidam properans velociter tranſitura ætatis, porrecta voluptatis occaſione paſcatur.* Itaque non abs re de Achilla Martialis duo illa nectit.

Inſignis forma, nequitiáque puer.

Et l. 8. epigr. illud Catullæ optat, quod pleriſque optari æquè poſſit:

O, quam te fieri Catulla vellem,
Formoſam minùs, aut magis pudicam.

Quare credit in probrum corporeæ pulchritudinis quod in eius commendationem ex Dione referebamus: ſapientiúſque Diuus Pythagoræus loco allegato, faſſus pulchritudinem neſcio quid reuerendum & admiratione dignum continere, & hanc eſſe apud pleróſque vitæ huius beatitudinem; grauiter tamen ſtomachatur, quod pulchritudo deſiderium ſui in aliis incendat, quibus plerumque vt beſtiis *vſus pulchritudinis luxuria*, (ita enim Tertullianus l. de cultu fœmin. cap. 3.) non pulchritudo ipſa, amori eſt. Ea item ex cauſa Cyrus, vt notauit Iſidorus Peluſiota lib. 3. epiſt. 66. & ex Xenophonte Plutarchus lib. de amore, aiebat metuendum potius eſſe a pulchritudine corporis quàm ab igne, quod ignis proprius duntaxat accedentes exurat, pulchritudo autem etiam eos qui procul remoti ſint. Ideóque optandum potius vnicuique, in altero eſſe bonum corporeæ pulchritudinis quàm in ſeipſo, ſtatuit idem Dius: Sicut præoptandum eſt ſplendidam veſtem habere quàm veſtem eſſe; & vinum ſuaue ac generoſum haurire quàm vinum eſſe; vel vineam ſuaui illo ſucco grauem. Tandem verò propoſita exultatione ſcioli alicuius de ſua pulchritudine, inde ſe fœlicem exiſtimantis, reſpondet. *Exulta tu quidem; non poſſum tamen te fœlicem appellare, ne mentiar.* Non tamen vbiuis pulchritudinem exitij eſſe ſuo ſubiecto ideóque non eius vitio ſed prauitate noſtra damnoſam eſſe, grauiter admodum confirmat Iſido. Peluſ. l. 4. epiſt. 71.

Boni exilitas in ſenſuum integritate, atque vigore.

77. Senſuum integritas (quæ erat Poſtrema corporis

poris virtus iuxta Phy. I n Pythagoræam (bonum eſt exigui admodum momenti. Quod vt cætera capita taceam, inde eſt euidentiſſimum, quòd eo pleraque bruta nos ſuperent, cùm tamen eo quod verè bonum eſt, præſertimque eo quod inter bona vera eminet, par ſit naturam rationalem eſſe potiorem. Itaque cadit plane in hunc locum diſputatio egregia qua S. Auguſtinus 8. ciuit. c. 15. Apuleium redarguit laudantem in dæmonibus ſubtilitatem, & infirmitatem corporum, ſenſuúmque eis implantatorum vigorem. Abſit verò ait S. Auguſtinus, gratis admiſſa falſa illa Apuleij ſuppoſitione, *Abſit*, inquam, *vt animus veraciter religioſus & vero Deo ſubditus, ideo arbitretur dæmones ſeipſo eſſe meliores quod habeant corpora meliora. Alioquin multas ſibi & beſtias prælaturus eſt, quæ nos & acrimonia ſenſuum, & motu facillimo atque celerrimo, & valentia virium & annoſiſſima firmitate corporum vincunt. Quis hominum videndo æquabitur aquilis, & vulturibus? Quis odorando canibus? Quis velocitate leporibus, ceruis, auibus omnibus? Quis multum valendo leonibus & elephantis? Quis diu viuendo ſerpentibus, qui etiam depoſita tunica ſenectutem deponere, atque in iuuentam redire perhibentur? Sed ſicut his omnibus ratiocinando & intelligendo meliores ſumus, ita etiam dæmonibus bene atque honeſtè viuendo meliores eſſe debemus. Ob hoc enim & prouidentia diuina, eis quibus nos conſtat eſſe potiores, data ſunt quædam potiora corporum munera, vt illud quo eis præeminemus, etiam iſto modo nobis commendaretur multo maiore cura excolendum eſſe quàm corpus: ipsámque excellentiam corporalem quam dæmones habere noſſemus, præ bonitate vitæ qua illis anteponimur, contemnere diſceremus.* Simili ratione lib. 15. eiuſd. operis c. 23. in fine, depreciat corporeas dotes Gigantum, quos propterea ait, *creare placuiſſet creatori, vt etiam hinc oſtenderetur, non ſolùm pulchritudines, verùm etiam magnitudines & fortitudines corporum non magnipendendas eſſe ſapienti, qui ſpiritualibus atque immortalibus longè melioribus atque firmioribus, & bonorum propriis, non bonorum malorúmque communibus beatificatur bonis.*

ARTICVLVS IV.

Neque in actu vllo ſecundo corporeo ſtatuit poſſe obiectiuam hominis fœlicitatem. Ecloga Ethicæ ex Philoſophis & Patribus.

BOnum corporis quod ſupereſt, nempe voluptas corporea aptè ſubiungitur ſenſuum integritati ac vigori cuius præſertim partus eſt. De aliis autem actibus ſecundis corporeis ſilendum hoc loco erit, quia de nullo alio mota eſt mouerive potuit controuerſia eſſétne ſummum bonum noſtrum. Itaque in voluptate hærebo, & quidem corporea. Nam quamuis pleráque ex iis quæ proferam contra voluptates ex corporeis bonis perceptas, æquè impugnabunt genus omne voluptatis, etiam quod ſolis ſpiritualibus facultatibus percipitur: Tamen qui voluptati prærogatiuam ſummi boni quandoque adſcripſerunt, animales homines, nec animam niſi pro ſale habere viſi, de ſola corporea voluptate ita ſenſerunt, & alias eſſe altiores ac ſynceriores voluptates, quæ animo ſolo haurirentur, vix cogitatione perceperunt. Et vt eſſet qui de ſpiritualibus illis voluptatibus idem vellet opinari, quod pecora iſta de corporeis, quæ ex ſenſuum pabulo guſtantur; non difficile ea opinatio ex infra dicendis circa interna animi bona, euerteretur. Siſtamus ergo in corporea voluptate.

Voluptas corporea non eſt totius hominis bonum.

Huius boni depretiatiò eò diligentiùs inſtituenda eſt, quò apud pleróſque mortalium, etiamnum feruet eius ſtudium, perinde ac ſummi boni, ac etiam ardentiùs quàm eius quod verè eſt ſummum hominis bonum: cùm tamen hoc, vt ſæpè Sanctus Auguſtinus inculcauit, & ex Ariſtotele aliiſque Ethnicis infra notabo; bonum potius ſit pecorum atque brutorum, nec hominis potiorem partem attingat, ſed eius quaſi loculamentum ac thecam. Scitè Epictetus apud Arianum lib. 1. cap. 20. *Si conſentaneum non ſit teſtitudinis bonum, ipſius conchæ adſcribere, quanto magis conſentaneum iſtud non erit in homine? Aliud quiddam habes Epicure quod præſtantius ſit corpore. Quid quæſo eſt in te, quod conſilium capit? Quid illud quod cognoſcit ſingula, atque adeo carnem quoque ipſam, quo perſpicuum ſit idipſum etiam eſſe eminentius eo quod iudicet?* Rectè profectò: nam ſi in homine aliquid eſt corpore ſuperius, neceſſe eſt rationem ſummi boni in eo conſtitui, quo ſublimior illa hominis portio perficiatur: quandoquidem beatitudo ſummam ac plenam perfectionem homini conferat neceſſe eſt: hæc autem adeſſe non poteſt, ſi quod melius eſt in homine imperfectum maneat; ac multo magis ſi peſſimè interim afficiatur, dum corpori optimè eſt, vt vſu venire ſolet. Argumentatur hinc Seneca lib. de vita beatá c. 7. & optimè c. 11. *Multos*, inquit, *oſtendam voluptatibus obſeſſos, in quos fortuna omnia ſua munera effudit, quos fatearis neceſſe eſt malos. Aſpice Nomentanum & Apicium, terrarum ac maris (vt iſti vocant) bona conquirentes, & ſuper menſam recognoſcentes omnium gentium animalia. Vide hos eoſdem è lectis ſuis ſpectantes popinam ſuam, aures vocum ſono, ſpectaculis oculos, ſaporibus palatum ſuum delectantes: mollibus leuibúſque fomentis totum laceſſitur eorum corpus. Et ne nares interim ceſſent, odoribus variis inficitur locus ipſe, in quo luxuriæ parentatur. Hos eſſe in voluptatibus dices: nec tamen illis bene erit, quia non bono gaudent.*

Eſt bonum brutis commune.

79. Itaque deeſt voluptatibus corporis ea perfectio quæ ſummo hominis bono ineſſe debet, vt eum vndecunque perficiat, ſitque dignum in quod homo omnia ſua referat. At corporis voluptates quippe ſenſibilia bona, pecudum potius & porcorum quibus nihil eſt ſenſu ſublimius, bona ſumma cenſenda ſunt quàm hominis, rationem & intellectum ſortiti. *Quod ad voluptatem attinet*, inquit Seneca lib. de vita beata c. 5. *licet circumfundatur vndique, per omnes vias influat, animúmque ſuis blandimentis leniat, aliáque ex aliis admoueat, quibus totos quoque partes noſtri ſollicitet: quis mortalium cui vllum ſupereſt hominis veſtigium, per diem noctémque titillari velit, & deſerto animo, corpori operam dare?* Et epiſt. 123. extrema *Voluptas, humilis res & puſilla eſt & in nullo habenda pretio cõmunis cum mutis animalibus, ad quam minima & contemptiſſima aduolant.*

Quare luculenter Epictetus apud Arrian. l. 2. c. 20. Epicurum criminatus quod tanto ſtudio in voluptatis commendationem incumberet, iubet illum quando ita placet corporea voluptas, hominem abiicere & facere quæ vermes ſolent, edere, bibere, ſtertere, Veneri ac ventri indulgere. Idem de voluptariis in-

dictum fuit Ariſtotelis 1 Ethic. c. 5. aientis eos effici prorſus ſeruiles & pecudum vitam viuere. Diuinè Plato 9. de Republ. verbis illis. [Homines prudentiæ virtutiſque expertes & epulis rebuſque ſimilibus mãcipati, deorſum feruntur: rurſuſque ad medium vſque perueniunt, & circa hæc per omnem vitam oberrant, ſuper hæc verò emergunt nunquam, Et quod verè ſummum eſt nequaquam ſuſpiciunt neque ad ſupera euehuntur, neque vera vlla re quandoque fruuntur: neque ſtabilem puramque guſtant voluptatem: ſed veluti pecora humum proni ſpectant, ventrique obediente paſcendo, coëundo, ætatem conterunt. Proque his rebus vberiùs potiundis, calcibus inter ſe & cornibus ferreis, vnguibuſque decertant, ſeſe inuicem ob inexplebilem libidinem trucidantes: vt pote qui neque veram & firmam ſui partem, neque veris pabulis implent.]

80. Abſit ergo vt hominis bonum ſummum, functionibus quæ homini cum beſtiis communes ſunt, aſſequendum admittamus. *Quomodo bonum hominis,* inquit Maximus Tyrius diſſert. 33 n. 188. *aut qua ratione inueſtigabimus? Eodem modo quo de leone, de auibus, reliquiſque animalibus Reſpondeo tibi. Quare bonum hominis vbi eiuſdem eſt functio. Functionem verò vbi inueniam? Vbi inſtrumentum. Inſtrumentum vbi? Vbi id quod conſeruat hominem. Hinc iam incipiamus. Hominem quid conſeruat? voluptas? Rem communem dicis, quâ nulla pars naturæ caret, adeòque reliquis omnibus cur præponenda ſit, non video. Voluptate & bos & aſinus & ſus afficitur, & ſimius. Vide iam quo loco ponas hominem, quot illi voluptatis ſocios adiungas. Quod ſi id eſt voluptas quod conſeruat hominem; quæro quod ſit inſtrumentum voluptatis Multa inuenies ac diuerſa. Et ad oculos quidem vſque atque aures inſtrumenta laudo Quod ſi porro pergas, reliquaſque voluptatis ingrediaris ſemitas; vide quibus inſtrumentis conſeruationem adſcribas hominis. Inſtrumenta inueniſti, quære functiones. Helluetur lingua, libidine tabeſcant oculi; voluptate liquiſcant aures, impleatur venter, Veneri ſeruiant partes illi deſtinatæ. Inueniſti functionem, inueniſti bonum. Haccine eſt conſeruatio? haccine fœlicitas?* Quaſi diceret, non pudet hominem tantam ſibi irrogare contumeliam, vt rem adeo vilem & deſpicabilem, pro ſummo ſuo bono ducat? cum tamen reuera neque bona ſit abſolutè, quandoquidem Deo deeſt, à quo nullum verè bonum exulat; & pecoribus ac brutis affluit vberiùs, in quibus tamen verum bonum non habet locum.

Argumentum eſt Senecæ epiſt. 74. *Aut iſta,* inquit, *bona non ſunt quæ vocantur, aut homo fœlicior Deo eſt. Quoniam quidem quæ parata nobis ſunt, non habet in vſu Deus: nec enim libido ad illum, nec epularum lautitia, nec opes, nec quicquam ex his hominem ineſcantibus, & vili voluptate ducentibus pertinet. Ergo aut, quod incredibile eſt, bona Deo deſunt, aut hoc ipſum argumentum eſt bona non eſſe, quæ Deo non deſunt. Adiice quod multa quæ bona videri volunt, animalibus quàm homini pleniora contingunt. Illa cibo auidius vtuntur: Venere non æquè fatigantur. Virium illis maior eſt, & æquabilior firmitas. Sequitur vt multò feliciora ſint homine. Nam ſine nequitia, ſine fraudibus degunt, fruuntur voluptatibus quas & magis capiunt & ex facili ſine vllo pudoris aut pœnitentiæ metu. Conſidera tu itaque an id bonum vocandum ſit quo Deus ab homine vincitur. Summum bonum in animo conſtituamus. Obſoleſcit ſi ab optima noſtri parte ad peſſimam tranſit, & transfertur ad ſenſus, qui agiliores ſunt animalibus mutis. Non eſt ſumma fœlicitatis noſtra in carne ponenda.* Optimè epiſtola 92. *Voluptas bonum pecoris eſt. Magnam vitam facit ſtillatio corporis? Quid ergo dubitaris dicere, bene eſſe homini ſi palato bene eſt? Et hunc tu, non dico inter viros numeras, ſed inter homines, cuius ſummum bonum ſaporibus, ac coloribus ac ſonis conſtat? Excedat ex hoc animalium numero pulcherrimo ac Diis ſecundo. Mutis aggregetur animal pabulo natum.* Breuiùs idem lib. de vita beata cap. 9. *Quid mihi voluptatem nominas? Hominis bonum quæro, non ventris, qui pecudibus ac belluis laxior eſt.*

Ne ſummum quidem eſt brutorum bonum.

81. Quin etiam neque finem & ſummum bruti bonam eſſe voluptatem; ita demonſtrat Muſonius apud Stobæum ſermone 118. [Cum ſenex quidam interrogaret, quodnam ſenectutis optimum eſſet viaticum. Idem, dixit, quod etiam iuuentutis. Nempe iuxta viam & rationem naturæ viuere. Quid autem hoc ſibi velit, maximè intelliges, ſi hominis naturam conſideraueris, quod non ad voluptatem facta ſit. Nam nec equus, aut canis, aut bos, quæ animalia multò ignobiliora ſunt homine, ad voluptatem nata ſunt. Non enim exiſtimaretur finem ſuum conſequi equus, qui ſolum ederet, biberet, coitúque impudenter vteretur, nihil autem ageret iſtorum quæ ad officium equi pertinent. Neque canis probaretur, qui, vt iam de equo dictum eſt, voluptatibus quidem indulgeret omnibus, nihil autem eorum ageret, quorum gratia canes boni eſſe putantur. Non denique aliud vllum animal, ſi officio ſuo prætermiſſo, voluptatibus operam det, laudari meretur. Nullum igitur hoc pacto ſecundùm naturam viuere dici poſſet: verùm illud quod maximè virtutem eorum exbibuerit, per quæ ſecundùm naturam ſuam agit. Etenim cuiuſque natura, vnumquodque ad ſuam virtutem ducit. Quamobrem etiam homo ſecundùm naturam viuere videri debet, non cùm in voluptate, ſed cùm in virtute vitam degit.

Non ſatiat explétve fruentem.

82. Ad indignitatem & exilitatem huius boni (de qua hactenus) pertinere etiam videtur quòd explere animum nulla ratione poteſt. Nec mirum: non enim eſt bonum ſimpliciter, ſed tantùm eſt medium, quod per modum condimenti ad proſpiciendum neceſſariis quibuſdam functionibus prouiſum eſt, vt Ariſtoteles 10. Ethic. cap. 6. rectè vidit, & optimè docet Clemens Alexandr. 2. Stromatum, cap. 9. verbis illis. *Non eſt omnino neceſſaria affectio voluptatis, ſed acceſſio quadam & affectatio, vſibus quibuſdam naturalibus fami, ſiti, frigori, matrimonio. Si itaque fieri poſſet vt abſque ea vel liberetur, vel alimentum ſuſciperetur, vel liberi procrearentur; non poſſet oſtendi alius eius vſus. Neque enim operatio, neque affectio, ſed neque aliqua pars noſtri eſt voluptas. Sed vicarij miniſterij gratia, in vitam acceſſit. Quemadmodum acceſſiſſe dicunt ſales, nutrimenti concoquendi cauſa.* Eadem mens Senecæ Epiſtola 116. cùm ſcripſit. *Voluptatem natura neceſſariis rebus admiſcuit, non vt illam peteremus, ſed vt ea ſine quibus non poſſumus viuere, gratiora nobis illius faceret acceſſio. Si ſuo iure veniat, luxuria eſt.*

Imo Tyrannicè vexat.

Eſt igitur voluptas condimentum duntaxat & medium, ac proinde non poteſt appetitum humanum

num explere : Sed cùm eius ſitim magis ſemper ac magis incendat, nunquam tamen reſtinguit. Illuſtriſſime id tradit Seneca epiſt. 39. voluptatis moderatæ vſum aliquem agnuſcens, ſuperuacuæ ac excedentis non niſi tormentum & aſperrimam ac planè tyrannicam oppreſſionem. *Quis hoſtis*, inquit, *in quenquam tam contumelioſus fuit, quam in quoſdam voluptates ſuæ ſunt? Quorum impotentiæ atque inſanæ libidini ob hoc vnum poſſis ignoſcere, quod quæ fecere patiuntur. Nec immeritò hic illos furor vexat. Neceſſe eſt in immenſum exeat cupiditas quæ naturalem modum tranſiliit; Illa enim habet ſuum finem; Inania, & ex libidine orta, ſine termino ſunt; Neceſſaria metitur vtilitas ſuperuacua quo redigis? Voluptatibus vtique ſe immergunt, quibus in conſuetudinem adductis, carere non poſſunt. Ob hoc miſerrimi ſunt, quòd eo perueniunt, vt illis quæ ſuperuacua fuerant, facta ſint neceſſaria. Seruiunt itaque voluptatibus ſuis, non fruuntur: & mala ſua, quod malorum vltimum eſt, amant. Tunc autem conſummata eſt infœlicitas, vbi turpia non ſolum delectant, ſed etiam placent: & deſinit eſſe remedio locus, vbi quæ fuerant vitia, mores ſunt.* De hac ipſa Tyrannidè animorum luculenter rurſus agit Epiſt. 114. *fere in fine.*

83. Pleniùs etiam eam tyrannidem expreſſit Maximus Thyrius diſſert. 34. n. 297. [Si ordinem confundas vt imperet voluptas, morem gerat ratio, durum animo Tyrannum & inexorabilem præficis. Cui vbique & ſine excuſatione vlla ſeruiendum eſt, etiam cum fœda & iniuſta imperat. Quem enim voluptati terminum præſcribes, quæ a cupiditatum, vires ſibi aſſumit, licentia! Inſatiabilis hic tyrannus eſt: qui & quæ adſunt deſpicit, & quæ non adſunt deſiderat, qui & abundantiâ accenditur, & ſpe erigitur, nimiâque laſciuit copia. Hic Tyrannus contra honeſtatem irritat turpitudinem, contra iuſtitiam armat iniuſtitiam. Nihil enim eſt quod faciliùs ſatisfieri ſibi patiatur, quàm corporis neceſſitas. Sitit aliquis? Vbique fontes ſunt. Eſurit aliquis? Vbique fagi ſunt. Sol ille quem vides, quauis penula calidior eſt. Hæc prata, quouis ſpectaculo amœniora ſunt. Hi flores, genuinum odoris oblectamentum ſunt. Et hactenus quidem voluptati præfigi poteſt terminus; ipſe nimirum vſus: Quem ſi ſemel tranſcenderis, longiúſque proceſſeris, liberum voluptati curſum, nullíſque definitum ſpatiis concedis, virtutémque penitus intercludis. Hoc eſt quod plus habendi ſemper ſitim excitat, hoc eſt quod tyrannides creat. Sicut nec regio anguſta Pagaſaridæ Perſarum Regi, nec Cyri naſturtium ſufficit: ſed tota vnius quaſi voluptatibus vectigalis eſt Aſia. Niſæos illi equos alit Media; meretriculas Ionia; Barbaros Eunuchos educat Babylon; artes cuiuſcunque generis ſubminiſtrat Ægyptus; ebur ſuum Indi; odores Arabes; Pactolus aurum; triticum Nilus; aquam præbet Coaſpes. Quid quod ne hæc quidem illi ſufficiunt, ſed peregrinas amare voluptates incipit? Atque eo fine Europam petit, Scythas perſequitur, Pæones euertit, Erethriam capit, nauibus Marathonem inuadit, vbique oberrat denique. O deplorandam in homine paupertatem! Quis enim pauperior illo eſſe poteſt, qui nuſquàm concupiſcere deſinit? Animus enim humanus cùm ſemel vltra quàm flagitat neceſſitas, voluptates guſtauerit, priora ſemper negligit, optat noua, vt reuera Tantali, de hoc mutato nomine narretur fabula. Quid enim laudi eſt quàm perpetua ſitis eius hominis, quem explere voluptas non poteſt? Quid aliud quam cupiditatum aqua, quæ fluit ſemper aut refluit: quæ triſtiſſimis ſemper imbuuntur curis, tumultu ac metu. Si adſit voluptas, times ne abeat, ſi abſit, times ne non veniat. Vt eum qui hæc ſectetur, nec dolore vacare vnquam, nec vllas ſentire voluptates ſit neceſſe, perpetuáque in confuſione rerum & ambiguitate verſari. Iam cogita quem qualémque animo tyrannum præficis.]

Ipſo ſui vſu, perit.

84. Quid voluptatis corporeæ infidelitas, quæ vſu ipſo ineptum ad ſeipſam efficit hominem, vt argumentatur Dio Chryſoſtomus orat. 1. de regno. Optimè Seneca de vita beata c. 7. *Summum bonum, bonum immortale eſt, neſcit exire, nec ſatietatem habet, nec pœnitentiam. Nunquam enim recta mens vertitur: nec ſibi odio eſt, nec quicquam mutauit optima. At voluptas tunc cùm maximè delectat, extinguitur. Nec multum loci habet. Itaque citò implet, & tædio eſt, & poſt primum impetum marcet. Nec id vnquam certum eſt, cuius in motu natura eſt. Ita ne poteſt quidem vlla eius eſſe ſubſtantia, quod venit tranſitve celerrimè, in ipſo, vſu ſui periturum. Eo enim peruenit vbi deſinat, & dum incipit, ſpectat ad finem.* S. Auguſtinus ſerm. 210. de temp. *præterfluentem, fugitiuam, & in abyſſum deſcendentem* multóque limo infixam voluptatem exagitat. Pulcherrimè idem docet Nyſſenus tract. 1. in tit. Pſal. c. 4. deſcribens voluptatem, vt volucri fallacique phantaſmati ſimilem, cuius per momentaneam præſentiam vnicum ſuperſit veſtigium, pudor. Egregiè item idem Nyſſenus hom. 4. in Eccl. in fine. *Quomodo qui ſcribunt in aqua, manu quidem efficiunt ſcripturam typos characterum deſcribentes in humido; ex characteribus autem nihil manet in figura, ſed ſcribendi opera eſt tantum dum ſcribitur; manum enim ſemper ſequitur aquæ ſuperficies, id quod eſt impreſſum leuigans: Ita omne ſtudium & operatio quæ ponitur in fruendâ voluptate, apparet in iis quæ fiunt. Nam cùm ceſſauerit operatio, deletur etiam ſenſus voluptatis neque eius quicquam amplius reconditur, neque iis qui lætantur remanet vllum veſtigium aut reliquia operationis quæ erat ex voluptate. Hoc eſt quod ſignificat id quod dicit Sapiens. Non eſt reliquum ſub ſole iis qui in iis laborant quorum terminus eſt vanitas.*

Imo voluptas per vſum ſui tranſit in moleſtiam. Audi Maximum Tyrium diſſert. 34. num. 199. *Fingamus ſi lubet, hominis quem voluptatum beat fœlicitas, huiuſmodi imaginem. Vnum eſſe qui eodem tempore colores videat iucundiſſimos, ſonos audiat ſuauiſſimos; naribus odores percipiat gratiſſimos, ſuccos guſtet diuerſiſſimos, tempore foueatur iucundiſſimo, venereæ rei ſit intentus. Si enim ſpatium concedas intermedium, ſeparéſque voluptates ac diſiungas ſenſus, eneruas voluptatem. cuius enim iuuat præſentia, eius neceſſariò nocet abſentia. Quis ergo tam firmus eſt animus, vt tantum voluptatis ferre poſſit impetum, quæ quietem nullam reſpirationem admittat nec minimam? Quis miſerrimè cum hoc agi non intelligat, futurúmque vt otiari aliquando & vacare ipſe deſideret? Quæ enim diutius perſeuerat voluptas, fit moleſtia. Quid ergo miſerius eſſe voluptate poteſt, quæ commiſeratione digna videtur?* Hoc eſt quod breuiſſimè dixit Iuuenal. Satyr. 11. *voluptates commendat rarior vſus.*

Habet ſubiunctam moleſtiam.

85. Inſuauitatem ſummæ fragilitati coniunctam, aperit aculeus per iucunditatis ſpeciem infixus. Rectè Seneca epiſt. 51. *in fine* voluptates corporis latronum Ægyptiorum more confodere & ſtrangulare ait, quos complecti & ſuauiari videntur. Hoc quid ſit accipe ex eiuſdem lib. de vita beata cap. 14. *Qui voluptati tradidere principia. vtroque caruere. Vir-*

tutem enim amittunt. Cæterum non ipſi voluptatem, ſed ipſos voluptas habet: cuius aut inopia torquentur, aut copia ſtrangulantur, miſeri ſi deſeruntur ab illa, miſeriores ſi obruuntur. Sicut deprehenſi in mari Syrtico, modò in ſicco relinquuntur, modò torrente vnda fluctuantur. Euenit autem hoc nimia intemperantia, & amore cæco rei. Nam malu pro bonis petenti, periculoſum eſt aſſequi. Vt feras cum labore periculóque venamur, & captarum quoque illarum ſollicita poſſeſſio eſt; ſæpè enim laniant dominos: Ita habentes magnas voluptates, in magnum malum euaſere, captæque cepere. Quæ quò plures maioréſque ſunt, eò ille minor ac plurium ſeruus eſt, quem fœlicem vulgus appellat. Permanere libet in hac etiamnum huius rei imagine. Quemadmodum qui beſtiarum cubilia indagat, & laqueo captare feras, magno æſtimat, & magnos canibus circundare ſaltus, vt illarum veſtigia premat, potiora deſerit, multiſque officiis renunciat: Ita qui ſectatur voluptatem, omnia poſtponit, & primam libertatem negligit, ac pro ventre dependit. Nec voluptates ſibi emit, ſed ſe voluptatibus vendit. Idem breuiter ſed pulcherrimè in eandem ſententiam epiſt. 27. *Dimitte iſtas voluptates turbidas, magno luendas. Non venturæ tantùm, ſed præteritæ nocent. Quemadmodum ſcelera etiamſi non ſint reprehenſa cùm fierent, ſollicitudo non cum ipſis abit; Ita improbarum voluptatum, etiam poſt ipſas pœnitentia eſt. Non ſunt ſolida, non ſunt fideles, etiamſi non nocent, fugiunt. Aliquod potius bonum manſurum circumſpice.* Alibi, voluptarios, inæquales, ſub ictu pœnitentiæ poſitos, hilarem inſaniam inſanientes deſcribit: Videſis l. 2. de benef. c. 29. & l. de vita beata c. 12.

Idem voluptatis vitium acutè attigit Antoninus lib. 8. de vita ſua num. 8. cùm intulit malam eſſe carnis voluptatem, quandoquidem excipit eam pœnitentia, quæ non niſi de malo concipitur. Boëtius eodem itinere inſiſtit l. 3. de conſol. proſa 7. *Quid*, inquit, *de corporis voluptatibus loquar, quarum appetentia quidem plena eſt anxietatis ſatietas verò pœnitentiæ? Quantos illæ morbos, quàm intolerabiles dolores, quaſi quendam fructum nequitiæ, fruentium ſolent referre corporibus? Quarum motus quid habeat iucunditatis, ignoro. Triſtes verò eſſe voluptatum exitus, quiſquis reminiſci ſuarum libidinum volet, intelliget. Quæ ſi beatos efficere poſſunt, nihil cauſa eſt quin pecudes quoque beatæ eſſe dicantur, quarum omnis ad explendam corporalem lacunam feſtinat intentio.* Et mox metro 7. quod eidem proſæ ſubnectitur.

Habet omnis hoc voluptas.
Stimulis agit fruentes,
Apiúmque par volantum,
Vbi grata mella fudit;
Fugit, & nimis tenaci
Ferit icta corda morſu.

Pulchrè de more in hanc ipſam rem S. Hieronymus epiſt. 11. *libido tranſacta, ſemper ſui relinquit pœnitudinem, nunquam ſatiatur, & extincta reaccenditur, vſu creſcit & deficit, nec rationi paret quæ impetu ducitur.*

Hæreo, an illud ex Acci Amphitruone huc adducam, quo voluptatis incommodum in quo verſamur, egregiè expreſſit. Sed quid vetat margaritum ex cœno legere? Ita habet.

Satin parua res eſt voluptatum in vita atque in ætate agunda!
Præ quam moleſta eſt; ita quoque comparatum eſt in ætate hominum.
Ita Diis placitum, voluptati vt mæror comes conſequatur:
Quin incommodi plus malique illico adſit, boni ſi obtigit quid.

Affine & illud non probatiorũ morũ Scriptoris, quanquam plerúnque in contumeliã ſuam veracis ac diſerti:

———*vſque adeo nulla eſt ſyncera voluptas,*
Sollicitúmque aliquid lætis interuenit.

Imo adiunctam.

86. Spectat eodem pulcherrima Simplicij obſeruatio in cap. 1. Epicteti. *Voluntas*, inquit, *ad res expetendas & bonas fertur, ſiue illæ vere bona ſint, ſiue ob adiunctas voluptatis illecebras, falſa boni ſpecie blandiantur. Nam quia cum vero bono, ſemper & vera voluptas eſt coniuncta, vbicunque animus adumbratum aliquod voluptatis ſimulacrum animaduerterit, non conſiderans verúmne ea ſit, veréque bono cognata, an vere fallax & adulterina boni vmbra, tanquam ad bonum accurrit. Nec illud expendit, multo plus in eſſe moleſtiæ, tam conſequentis quam antecedentis. Neque enim eſu delectatur quiſquam, niſi prius famis moleſtiam ſenſerit; neque potu qui non ſitierit: Moleſtia denique cum voluptate cohæret. Proinde ſi voluptatem quæ bibendo percipitur, imbibueris, ſitim adhuc ineſſe videbis. voluptaſque durat quandiu moleſtia ei adhæret. Nam vbi fames, ſitis, algore, aut ſimile aliquid ſedatum fuerit: ſuauia illa eſſe deſinunt, ac penitus aduerſa ſunt & faſtidium cient. Omnino certe moleſtia eas comitatur, quæ voluptates impulſi illecebris, excedunt modum, & è iucundi boni ſtudio peccata noſtra omnia oriuntur, ſicut è ſtudio veri boni; recte facta.*

Verùm ego nimius iam mihi videor in re peſpicua. Quare taceo Athenæum lib. 12. *initio*, cùm alia multa aduerſus voluptates corporeas intorquentem, tum hanc in primis dolorum & aculeorum ſementem quæ fit captatione corporeæ voluptatis. Taceo etiam alios qui in eandem ſententiam fusè diſputant, vt Plutarchum opuſculo *quod vita iucundè tranſigi neque at iuxta Epicurum* præſertim à n. 11. Hieroclem ad v. 30. Pythag. ne quid de noſtris dicam, vt Chryſoſtomo infinities, ſed nominatim homil. 22. & 37. in 1. Cor. *vtrobique in morali.* & Iſidoro Peluſiota l. 2. epiſt. 240. ac Hier. l. 2. in Iouinia. Ex quibus aliiſque proferam nonnulla diſputans de Temperantia & voluptatis affectu, itémque agens de honeſtatis ſuauitate, vitij verò amaritudine. Nunc quod Plinius in ſimili lib. 7. epiſtol. 5. monebat, æſtimandum quæ vita eorum ſit, quibus requies in labore, in miſeria curíſque ſolatium eſt. Sed nimirum corruptio iudicij, & obnubilatio intellectus per ſubuectam æſtu concupiſcentiæ fumidam caliginem, facit vt voluptas videatur quæ reuera non eſt voluptas veri nominis, ſed ſomniata tantum, ait Gulliel. Pariſ. tract. de ſacram. matrimo. c. 8. cuius inſignem planè in hanc rem ſenſum, iuuat adſcribere. *Quemadmodum mulieribus grauidis carbones & cineres ſuauiter ſapiunt interdum, & propterea eos naturalibus cibis naturaliuérque ſapidis & delectabilibus præferunt, auidiſſiméque appetunt; & ipſe error virtutis appetitiuæ, ſiue corruptio palati corporis, mentitur eis delectationem guſtabilem, & quodammodo eas ſomniare facit illam. ſic corruptio palati interioris ac ſpiritualis, hoc eſt palati cordis, mentitur nobis ſuauitatem eſſe ſeu voluptatem quod reuera non eſt ſuauitas vel voluptas. Sic & ſcabioſo ipſa ſcabies, & prurigo ſcabiei, mentitur ſuauitatem eſſe in ſcalptione, & in cutis ſuæ laceratione, cùm reuera non ſit veri nominis ibi voluptas: ſicut apparet è contrario Amaritudo enim ſalina, & fumus coleræ, mentitur, febricitanti amaritudinẽ amygdalarum, cum reuera in eis amaritudo non ſit, imo dulcedo ſit. Et vehementia*

famis

fames mentitur interdum ſuauitatem ſaporis in eo in quo non eſt; ſicut legitur Prouerb. 7. anima eſuriens, amarum pro dulci ſumit. *Similiter Iob* 19. Cum ſingula reperiſſent, ad ea cum clamore currebant. *Et eiuſdem ſexto.* Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ anguſtia cibi mei ſunt. *Sic vehementia & prurigo concupiſcentiæ, mentitur conuenientem coniunctionem quæ non eſt, & voluptatem vbi non eſt.* Videſis alia quàm plurima in ementitam voluptatem quæ ab eodem autore neruosè & copiosè de more eodem libro proferuntur à c. 7.

Eſt vitij Metropolis.

87. Tandem conſideranda obiter ſunt inſignia corporeæ voluptatis damna, quæ paucis complexus videtur Clemens Alex. 3. Pædag. c. 7. appellans voluptates graue & periculoſum diuinæ vitæ naufragium. Pulchrè item 7. Stromatum vocat voluptatem vitij metropolim. Id quo pertineat & quàm vere dictum ſit intelligi optimè poteſt ex eo malorum examine voluptatem conſequente, quod Philo ex perſona Virtutis per proſopopœiam inductæ, ita deſcribit lib. de non recipienda in Sacrarium mercede meretr. *Sias velim è tu ſi voluptatis amator fueris, eris & vafer, audax, incompoſitus, inſociabilis, moroſus, iniquus, difficilis, iracundus peruicax, moleſtus, inobediens, leuis, malitioſus, ineruditus, iniuſtus, nefarius tibi viuens, infidus fœdifragus, auarus, malè moratus, nemini amicus, exul. ſine lare, ſeditioſus, perfidus, impius, prophanus, inconſtans, inſtabilis, execratus, piacularis, ſceleſtus, ſcurra, peſtilens, noxius, illiberalis, refractarius, ferus, ſeruilis, pauidus, perditus, turpis, probroſus, proditioſus, immoderatus, immodicus, inexplebilis, arrogans, ſibi placens, suo iudicio ſapiens, ſordidus, inuidus, calumnioſus, contentioſus, delator, vanus fallax, circulator, emeritus, indoctus, inſenſatus, nemini conueniens, inobſequens, contumax, præſtigiator diſſimulator, ſimulatórque, tereps, ſuſpicioſus, infauſtus, inſcrutabilis ineuitabilis, peruitioſus, maleuolus, inconcinnus, importunus, loquax, nugax, inaniloquus, aſſentator, piger, luctuoſus, durus, meticuloſus, inſidioſus, incircumſpectus, imprudens, improuidus, negligens, imparatus, bonarum rerum imperitus, ſuperfluus, errabundus, offenſator, indiſpoſitus, inacceſſus, guloſus, vagus, futilis, mobilis, doloſus, bilinguis, animo ambiguus, impoſtor, ſubſeſſor, petulans, incorrigibilis, ſemper indigus, incertus, circumforaneus, ſeductor, inconſultus, ebrioſus, inſanus, faſtidioſus, vita auidus, glorioſus, irritabilis ira tenax, inſenſus, procraſtinator, ſuſpectus, implacabilis, ſupparatus, male ſperans, lacrymoſus alienis gaudens calamitatibus, rabidus, adulterinus, informis. machinator, turpis lucri cupidus, amans ſui, ſeruitutis patiens, ſimultatis appetens ambitioſus, de re domeſtica parum ſolicitus, ceruicoſus, effœminatus, inanis, profuſus, mordax, pugnax, fatuus, vinolentus, infortunatúſque, Hæc ſunt* concludit virtus, tot tantorúmque voluptatis probrorum ſyllabo prolato, *huius formoſa ac exoptata voluptatis magna myſteria, quæ libenter omnino tegeret ne iis cognitis auerſteris eius conſuetudinem. Meorum verò theſaurorum copiam & amplitudinem, nulla lingua pro dignitate eloqui valeas.*

Epicuri grunnitus pro voluptate.

88. Aduerſus tam confertam aciem rationum, tot ſapientum conſenſu munitam, aduerſa ſigna ſuſtulit Epicurus, quem iis potius annumerandum quos Epictetus apud Arrianum lib. 1. cap. 9. *inteſtina ventres ac pudenda nominat*, quàm philoſophis; pro voluptate corporis tanquam ſummo hominis bono pugnaſſe proditum eſt. Quanquam non quaſcunque ab eo corporis voluptates probatas, multa confirmant. Sic enim Hieronymus lib. 2. contra Iouinian. ait eum libros ſuos vniuerſos pomis & oleribus repleuiſſe, causámque adduxiſſe, quod plus moleſtiæ eſſe in benè curando corpore quàm ſuauitatis in vſu. Eodem pertinet quod Seneca epiſt. 18. de eo ſcribit. *Certos habebat dies, ille magiſter voluptatis Epicurus, quibus malignè famem extingueret, viſurus an aliquid deeſſet ex plena, & conſummata voluptate, vel quantum deeſſet, & an dignum quod quis magno labore penſaret. Hoc certè in his epiſtolis ait quas ſcripſit Charino magiſtratu ad Polyænum. Et quidem gloriatur non toto aſſe ſe paſci. Metrodorum qui nondum tantùm profecerat, toto.* Et epiſt. 110. illam eius vocem refert. *habeamus aquam, habeamus polentam; Ioui ipſi de felicitate controuerſiam faciemus* Eadem ex Epicuro refert epiſt. 21. *in fine* & epiſt. 25. & Stobæus ſerm. 17. mazam & aquam duntaxat illum expetiiſſe teſtatus; Similiter panem duntaxat & olera expetere doctos à Magiſtro Epicuræos teſtatur Porphyrius 1. de abſtinent. *ſub finem.* Et affinia ſunt quæ S. Ambroſius epiſt. 82. adductis his Epicuri verbis tradit. *Succo ſolo & pane vel aqua qui libenter vtitur, deſpuit delitiarum epulas, quia multa ex his generantur moleſtia.*

89. Eadem ex cauſa Epicurus vt infra oſtendam, & refert D. Thomas lect. 5. virtutes diligenter commandabat: ne voluptatem vitiorum effectus & adiuncta interturbarent. Et ſanè Seneca hoc eius dictum refert l. de vita beata c. vlt. *receſſurum ſe à voluptate, dolorem etiam appetiturum ſi aut voluptati imminebit pœnitentia, aut dolor minor pro grauiore ſumetur.* Ideoque vt eſt apud Arrian. l. 3. cap 7. à furto arcebat ſuos; ac etiam, vt eſt apud Originem 7. contra Celſum ab adultero, ob ingruentia ex vtroque illo ſenſibili bono, (quod ipſe inhoneſtum eſſe non cenſebat,) pericula & damna, angorémque ex damnorum metu, qui voluptatis ſuauitatem cùm maximè ſentiri deberet, obtunderet. Præterea ob moleſtias educationem prolis conſequentes, & curam ac ſollicitudinem inde ingenerandam, ſocietatem Oeconomicam tollebat, vt Arrian. lib. 2. cap. 20. refert ac refellit. Et quanquam ſibi contrarius, voluptates ex vſu coniugij & corporum commixtione conſectabatur, nolebat tamen prolem ſuſceptam educari ait idem Arrianus lib. 1. cap. 23. Vt meritò his verbis eum compellet Epictetus ad calcem eiuſdem capitis. *Arbitror profectò ſi mater paterque tuus diuinare potuiſſent tà huiuſmodi dictorum ſententiam, nullam in te enutriendo ſuſcepturos fuiſſe operam.* Denique ob eandem cuiuſuis moleſtiæ declinandæ ſummam curam, (quod ibidem annotatur, habetúrque etiam apud Senecam lib. de vita beata cap. 30. & apud Plutarchum lib. quod non poſſit vita iucundè tranſigi iuxta Epicurum, & plenius toto opuſculo de illo Epicuræorum effato, λάθε βιώσας; Negabat Epicurus tractandam ſapienti Rempublicam, quæ eſt beata illa, vt Epicuræi appellabant, *tranquillitas*, à Seneca his verbis exaggitata l. 4. de benef. c. 13. *vobis voluptas eſt, inerti otio aſſuefacere corpuſculum, & ſecuritatem ſoporis ſimillimam appetere, & ſub denſa vmbra latitare, teneriimiſque cogitationibus, quas tranquillitates vocatis, animi marcentis oblectare torporem: & cibis potionibuſque, iuxta hortorum latebras corpora ignauia pallentia ſaginare.* Nempe iuxta præclarum Epicteti initio capitis citati pronunciatum, Epicurus *ſemel in concha bonum ipſum collocans, aliud nihil prætereà poteſt ſentire ac loqui: huic enim arctiſſimè eſt affixus, nec ab ea auulſum aliquem cenſet, oportere verum bonum vel admirari vel approbare.* Demum vt Petrus Bleſenſ. ſerm, 14. ſcite dixit, Philoſophi gentium, *Epicu-*

rum tanquam hæreticum ab Eccleſia philoſophantium abiecerunt.

Epicurus à Patribus, corporea voluptatis aſſertor, auditur.

90. Nec diſſimilia in Epicurum eiúſque ſententiam Eccleſiæ doctores. Ita S. Ambroſius 2. de Abrah. cap. 1. & 11. Et epiſt, 82. hanc Epicuri & Epicuræorum Philoſophiam fuiſſe teſtatus, ait, *eos demonſtraſſe, corpore ſe tantum non anima viuere, nec animæ fungi ſed carnis ſolius munere, qui ſucceſſione animæ corporiſque, diſſolui munus ſua vita omne exiſtimem, perire mori. a virtutum atque animæ omnem vigorem, totos ſe deficere cum corporis ſenſu. Excluſum denique idcirco Epicurum per reliquos Philoſophos è ſuo conſortio tanquam patronum luxuriæ.*

Abdicatum item & proſcriptum ab omnibus ſapientibus Epicurum ſcribit Iſidorus Pelu̇ſiota lib. 2. epiſt. 230 additque lib. 4 .epiſt. 55. Epicuræorum, quod vitiis patrocinari auſi ſint, vel mentionem fieri, indignum atque abſurdum eſſe Epicurum, Chryſolog. ſerm. 5. *vltimum deſperationis & voluptatis autorem indigetat. Fæcem ac fœtidum cœnum omnium Philoſophorum,* eum nominat Pius II. epiſt. ad Morbiſanum Turcorum Principem. Idem de Epicuri & Epicuræorum placito ſenſit Auguſt. ſerm. 15. de verb. Apoſt. & 14. ciuit. c. 2. Qui etiam paucis multa complexus eſt Tract. de Stoicis & Epicuræis c. 5. vbi hanc Epicuri & Epicuræorum ſententiam ait, *non eſſe hominum ſed porcorum*, quos addit nunquam ita abiectè ſummo bono exiſtimaturos fuiſſe, ſi animam meliorem corpore ſibi eſſe cenſuiſſent. Sed homines prope omnino carneos, & vt dixit S. Ambroſius epiſt. 82. *corpore tantum non mente viuentes; nec animæ, ſed ſolius carnis munere fungentes*, de animæ cogitationem illam ſuſcepiſſe tam demiſſam, vt dicerent, *poſt efflatum ſpiritum manente cadauere & integris membrorum lineamentis aliquantum durantibus, animam mox vt exierit, veluti fumum vento diuerberatum diſſolui*

91. Non diſpari ab Auguſtino appellatione Epicurum ac ſuos notauit Clemens. Alexandr. 2. Stromat. c. 11. verbis illis. *Epicurus in non eſuriendo, nec ſitiendo, nec frigendo ponens beatitudinem. vocem illam Deo parem exclamauit: impiè dicens, ſe pro his vel cum Ioue Patre eſſe pugnaturum: Tanquam porcorum ſtercoribus veſcentium, & non ratione præditorum. & Philoſophorum beatam decernens victor am. Ex iis enim qui voluptati parent, conſtat eſſe Cyrenaicos & Epicurum. Eos enim apertè dicere finem eſſe iucundè viuere Perfectum autem bonum, ſolum eſſe voluptatem. Epicurus autem doloris quoque amotionem dicit eſſe voluptatem. Exigendum autem & expetendum eſſe dicit, id quod primum à ſe ipſo trahit ad ſeipſum, quod videlicet eſt omnino in motu.* His poſtremis verbis quæ ſubſit ſententia, explicatur paulò pòſt his verbis. *Epicurus & Cyre aici id quod eſt primum natura proprium, dicunt eſſe voluptatem, voluptatis enim cauſa, accedens, inquiunt, virtus peperit voluptatem.* Infra quoq; ex Anniceræis de ſucceſſione Cyrenaica Philoſophis, Epicurum refellit, quod ex carne primò affecta omnem voluptatem deriuaret. Quod autem voluptatis cauſa accedere virtutem dicebant, S. Auguſtinus 19. ciuit. cap. 1. ita exponit vt vellent Epicuræi nihil virtutem agere niſi ad conſeruandam vel comparandam corporis voluptatem, quam negat eſſe veram virtutem, & *horribilem turpitudinem nominat.* Nec aliter Ariſtippi placitum (quod reuera etiam Epicuri) & Ariſtippi ſectatorum Cyrenaicorum, expreſſit Seneca lib. de vita beata à c. 6. & 4 de benef. c. 2. & Lactantius lib. 3. c. 8. ac rurſus Auguſtinus 5. ciuit. c. 20. & Clemens Alexand. ſupr. c. 9. qui eandem ſubdolam voluptatis ſub ſpecie virtutum captationem ex Gnoſtico quodam refert, & eodem cœno Nicolaum ex ſeptem Diaconis vnum, aſperſum à nonnullis memorat, purgátque ab ea calumnia. Eius tamen probri cum Epicuro damnat Ariſtippum Cyrenaicorum parentem, cuius placitum in meretricis ſinu non in Philoſophi corde natum, dixit Lactantius lib. 3. c. 15. Eucherius autem in paræn. ad Valeria, eum nihil a ſuibus aut pecoribus, ingenio diſcrepaſſe affirmat.

Quæ Epicuro fœdi placiti.

Sed ſiſto in Epicuro, cuius dogma circa felicitatem tractans Theodoretus lib. 1. aduerſus Græcos ferè initio, tam fœdi dogmatis originem apperit, quam operæ pretium erit notare. *Epicurus*, inquit, *felicitatem hominis eam definiuit, vt nec famem, nec ſitim patiatur, próque iucunda ſaturitate cenſebat vel aduerſus Patrem Iouem eſſe homini depugnandum. Ad tantam ille impietatem, voluptarium hominem erudiebat. Neque enim ſolùm Iouis nomen aduertendum eſt, quod ille in deriſum ac dicterium vſurpabat; ſed Deum totius mūdi opificem, quem ille Iouis appellatione intelligens, blaſphemare eſt auſus. Hoc autem vitium illi accidit, quod & caſui & atomis nimium tribuebat, nullóque duce gubernari, ſed ferri ſua ſponte, ac impunè vagari cuncta opinabatur; nullam putans anteacta vita reddendam eſſe cuiquam rationem, ſed ſtatum hominis, ſepulchrorum tenus protendi.*

Vides vnde Epicuri de felicitate placitum dimanarit; nempe ex aſſerta per illum non tam hominem quam porcum mortalitate animæ rationalis, vt diſertè ei tribuit præter Theodoretum, Arnobius l. 2. contra gentes, S. Ambroſius Epiſt. 82. S. Auguſtinus 6. confeſſ. 16. Tertull. de præſcript. cap. 7. & lib de teſtim. animæ c. 1. & 4. Eodem recedit quod Plotinus ennead. 2. l. 9. c. 15. ait Epicurum ex negatione prouidentiæ, euaſiſſe in tantum voluptatis præconem. Quem etiam ennead. 3. l. 6. c. 6. inſectatur tanquam ſpiritualium omnium inficiatorem, & totum corpori ac cœno materialitatis immerſum, nec niſi ſomniorum ſectatorem. Nimirum qui nihil niſi corporeum agnoſcit, & Deum rebus humanis proſpicere ac poſt mortem bonis operibus præmia decernere inficiatur, is mortalem quoque & materialem animam ſtatuat neceſſe eſt. At hoc, quid magis iniurium in genus noſtrum? Quidve à recta ratione alienius: Vt vel ex hoc vno plus ſatis confutata videri debeat Epicuri porcina beatitudo, & pecudibus, qualem ſe ille habuiſſe videtur, non hominibus digna felicitas.

Eine ſuffragati Democritus & Heraclitus.

93 Hanc porro ſententiam, Epicurum à Democrito Abderita hauſiſſe, & aſtipulatorem habuiſſe, ſin minus vocibus, ac certè ſententiis Heraclitum, teſtatur loco citato Theodoretus. Annueréque videtur de Democrito Stobæus in Eclogis Ethicis cap. 3. *in fine*, aliqua eius verba referens, eiúſque ſententiam à Platonica diſiungens in hunc modum. *Democritus & Plato communiter in animo felicitatem ponunt. Et ille quidem ſic ſcribit. Animi beatitudo & miſeria non in pecore, nec in auro habitat. Anima eſt eius domicilium atque hanc etiam animi tranquillitatem, harmoniam, ſymmetriam, & perturbationum varietatem vocat. Naſci autem ait ex voluptatum diſcrimine, quod homini præſtantiſſimum ſit & vtiliſſimum.*

ſinum. Plato autem in hoc cum Democrito conſentiens, in principatu noſtri beatitudinem collocat, quæ ſit eiuſdem, habitus quidam atque affectio, cuius initium quidem ab effectibus ſumatur, finis autem teneat ratiocinatio. Duos enim ait fontes fluere voluptatem ac dolorem, de quibus qui rectè hauriat beatum, qui ſecus miſerum euadere. Itaque cum voluptatem ac dolorem poſuit, ab effectibus initium beatitudinis duxit, cùm rectè haurientem beatum dixit, rationis diſcrimen adiunxit. Et in hoc quidem inter ſe conſentiunt. Quatenus autem Plato in rationis præſtantia ponit bonum antecedens ac per ſe expetendum, & in voluptate conſequens, quod ipſe quoque gaudium & perturbationum vacuitatem vocat, diſcrepant.

Quanquam ego quidem quoad Democritum nihil definio: Video enim eum à Seneca lib. de Breuit. vitæ cap. 14. Zenoni Pythagoræ, Ariſtoteli, cæteriſque *bonarum*, vt ait, *artium antiſtibus*, annumeratum, & ſine probro voluptariæ huius ſententiæ ſemper memoratum à veteribus tanquam optimum morum Magiſtrum, non minus verbo, quam exemplo, vt docent quæ de eo ſcribit Seneca lib. de prouidentia *ſub finem*, & quæ inter Hippocratis epiſtolas de eo leguntur Diſertéque aliqui apud Laertium l. 9 in Democrito *ἡδονὴν* illam quam Democritus humanæ vitæ finem ſtatuebat, ſeiunxerunt à voluptate Ægriùs etiam de Heraclito aſſentiar, cuius inges lachrymæ, omnia alia quàm intentam voluptatis cum Epicuro captationem ſuadent. Sanè Heraclitum Epictetus c. 21. Enchirid. *virum diuinum*; Iuſtinus autem in apol. ad Senatum *probum & iuſtum virum* nominat.

An de animi quoque voluptatibus locutus.

93. Ex eo tamen quod Democritus & Heraclitus à Theodoreto ſuffragatores Epicuri cenſeantur, perſpicuum eſſe poteſt, Epicurum iuxta Theodoretum, non hæſiſſe in ſola corporis voluptate. Neque enim in ea hærebat Democritus, vt vidimus. Sed neque Heraclitus, nam cùm ſummum hominis bonum ſtatueret *beneplacitum*, nec qualitatem huius beneplaciti exprimeret, ſed qood vnicuique libitum eſt & amabile, ſummum hominis bonum eſſe diceret; liquet de Theodoreti ſententia, Epicurum non ſolam corporis voluptatem: (quanquam hanc maximè cùm eam placere alicui contingeret, eo enim ſemper ſpectaſſe Epicurum, vt cuius placentia loqueretur notat Lactātius lib. 2. cap. 17.) ſed & voluptatem animi conſtituiſſe ſummum hominis bonum. Id quod habet etiam Tertull. cap. 38. Apolog. vt pulchrè ibi in paraphraſi expreſſit Zephirus. Quanquam animalis homo, cui anima non niſi corporea eſſe videbatur, alias quam corporeas voluptates, verbo tenus duntaxat agnouit. Niſi ſi initio, mentis quoque voluptates reuera ſpiritales admiſit, & vna ſpiritualem animam. Si enim ſæpè errores varia variis temporibus, & vt plurimū poſterius detriora efficiuntur. Aut niſi ad tegendam ſpurciſſimi placiti fœditatem, iis interdum verborum operimentis eam contexerit; quibus ægrè, nec ſine benignæ interpretationis capacitate, in deteriorem partem acciperetur, quod familiare etiam eſt errorum propolis. Et ita ſanè in re præſenti ab Epicureis factum, latè perſequitur Plutarchus lib. quod neqoeat vita tranſigi iuxta Epicurum, fusè inter cætera tradens, Epicureos omnem ex diſciplinis delectationem auerſatos. Vnde quæ eis animi voluptates, in tanta morum corruptela ſuppeterent, non apparet.

Diſsidium Autorum, & qui pro Epicuro.

Ex his porro lux affulget ad conciliandas pugnantes in ſpeciem ſententias de Epicuri dogmate. Quidam enim in eum inuehuntur tanquam corporeæ voluptatis aſſertorem, vt ferè quos hactenus retulimus, & Plutarchus lib. quod ſit iniucunda vita iuxta Epicurum; & l. contra Coloten & Naz. orat. 33. in fine, Nicetas 1. Theſauri cap. 5. (qui nominatim notat quantoperè Epicurus mellitarum placentarum amore caperetur,) & Ioſtinus apol. ad ſenat. exprobrans Ethnicis quod ex Epicuri magiſterio, turpia quæque conſectarentur. S. verò Auguſtinus 19. ciuit. c. 1. ita agnoſcit pugnatum eſſe ab Epicuro pro ſola voluptate corporea, vt tamen eo nomine intellexiſſe dicat non ſolum actum delectationis, ſed etiam vacuitatem cuiuſuis moleſtiæ. Alij de voluptatibus animi egiſſe volunt, & laudant, tuenturque ab obtrectatoribus. Sic Lactantius 3. inſtit. cap. 7. Tertull. in Apolog. cap. 38. Laërt. lib. 10. fine in Epicuro, Piccolom. gr. 4. cap. 3 Peregrinus 1. Ethic. cap. 12 in digreſſ. 5. de voluptatibus, & quidem dogmatum Philoſophicorum interpretes quos refert Nonnus in expoſitione fabularum quæ memorantur orat. 1. Nazianzeni in Iulia num. 26 Commendat item honeſtam eius vitam, idem Naxianzenus Iambico 18. ſic canens.

Epicurus autem præmium æternum ſibi
Statuebat omnis gaudium: húcque tendere
Aiebat, homines quicquid efficiunt boni.
Ac ne putaret quiſquam hunc ob gaudia
Id facere, honeſta vita erat. Sic dogmati
Opem ferebat caſtitas morum improbo.

Sed nullus frequentiùs vel vberiùs quàm Seneca præſerim lib. de vita beata cap. 12. & 13. vbi inſectatus eos qui Epicuri placita ſuis deprauatis affectibus obtendebant. *Non ab Epicuro*, inquit, *impulſi luxuriantur, ſed vitij dediti luxuriam ſuam in Philoſophia ſinu abſcondunt, & eò concurrunt vbi audiunt laudari voluptatem. Nec æſtimatur voluptas illa Epicuri; (ita enim mehercules ſentio;) quàm ſobria ac ſicca ſit, ſed ad nomen ipſum aduolant, quærentes libidinibus ſuis patrocinium aliquod ac velamentum. Itaque quod vnum habebant in malis bonum, perdunt, peccandi verecundiam. Laudant enim ea quibus erubeſcant, & vitio gloriantur, ideóque ne reſurgere quidem adoleſcentia licet cum honeſtus turpi deſidiæ titulus acceſſit. Hoc eſt cur iſta voluptatis laudatio pernicioſa ſit, quia honeſta præcepta intra latent, quod corrumpit, apparet: Mea quidem iſta ſententia eſt; (inuitis hoc noſtris popularibus dicam;) ſancta Epicurum & recta præcipere, & ſi propius acceſſeris, triſtia. Voluptas enim illa ad paruum & exile reuocatur; & quam nos virtuti legem dicimus, eam ille dicit voluptati. Iubet illam parere naturæ. Parum eſt autem luxuriæ, quod naturæ ſatis eſt. Quid ergo eſt? Ille qui deſidioſum otium, & gulæ ac libidinis vices, felicitatem vocat, bonum malæ rei quærit autorem: & dum illo venit, blando nomine inductus, ſequitur voluptatem, non quam audit, ſed quam attulit, & vitia ſua cum cœpit putare ſimilia præceptis, indulget illis, non timidè nec obſcurè. Luxuriatur etiam inoperto capite. Itaque non dico quod plerique noſtrorum; ſectam Epicuri flagitiorum magiſtram eſſe, ſed illud dico: Malè audit, infamis eſt, & immeritò. Nec hoc ſcire quiſquam poteſt, niſi interius fuerit admiſſus. Frons ipſa dat locum fabulæ, & ad malam ſpem inuitat. Hoc tale eſt, quale vir fortis ſtolâ indutus.*

Ipſius certè Epicuri verba ſunt in Epiſt. ad Menicæum, quam refert Laërtius in Epicuro. *Cùm dicimus voluptatem finem eſſe, non luxurioſorum & neperum voluptates,*

voluptates eáſque quæ in guſtu & ingluuie ſunt poſitæ dicimus, vt quidam ignorantes aut à noſtra ſententia diſſentientes, aut malè accipientes arbitrantur; ſed non dolere corpore, animóque tranquillum eſt, & perturbatione vacare dicimus. Non enim conuiuia & comeſſationes, non puerorum mulierúmque congreſſus, non piſcium eſus & cæterorum quæ affert pretioſior menſa; ſuauem gignit vitam: verum ratio ſobria cauſáſque perſcrutans, cur quæque vel eligenda, vel fugienda ſunt, opinioneſque expellens, per quas animos vt plurimum occupat tumultus, Horum omnium initium, maximúmque bonum prudentia eſt. Quocirca Philoſophiam quoque prudentia antecellit, ex qua reliquæ virtutes omnes oriuntur, docentes quod non iucundè viuere poſſit quiſquam niſi prudenter, honeſtéque viuatur: Virtutes enim ſuaui & iucundæ vitæ coniunctæ ſunt, iucundáque vita ſeperari à virtutibus nequit. Eadem ex Demarcho tanquam Epicuri verba refert S. Ambroſius Epiſt. 82.

Initur conciliatio ex ſupra dictis.

96. Huius ergo inter authores diſcrepantiæ in recitando Epicuri dogmate, ea iniri poteſt conciliatio, quod cum Epicurus voluptatem vniuersè acceptam, ſiue eius quod cuiuis allubeſcit conſecutionem ſummi boni loco duceret, vt obſeruat Boëtius 3. de conſol. proſ. 3. iuncta vacuitate moleſtiæ vt ait S. Auguſtinus 19. Ciuit. cap. 1 Voluptas autem & corpoream; & eam quæ ex honeſtate eſt delectationem complectatur, vt tradit etiam Tertullianus lib. de ſpectac. cap. 4. Priores rationem habuerint illorum quibus placent corporis voluptates, ſúntque iis proinde ſummum bonum iuxta Epicurum. Poſteriores verò attenderint illos alios quibus voluptates animi probarentur, & in iis repoſitam haberent felicitatem, de Epicuri ſententia. Quem etiam improbabile non eſt variis temporibus varia ac pugnantia ſenſiſſet. Nimirum initio ſolas animi voluptates poſuiſſe conſectandas; mox in peius proficientem ad corporeas ſolas commendandas, prolapſum vtpotè quæ ſolæ ſupereſſent, proſcripto per hoc pecus quouis ſpiritu. Vel certè cùm res ferret & declinanda tam demiſſæ ſententiæ inuidia eſſet, quia voluptatem eo quo dixi modo & vniuersè ſtatuebat pro fine vltimo nunc quod reipſa ad priuatum guſtum ſuum magis faciebat, hoc eſt corporis voluptates; mox quod ad fucum faciendum, & tegendam placiti ſui deformitatem opportunum erat, quia aliorum aliquorum palato magis arridebat, (mentis ſcilicet oblectationes,) propoſuiſſe vt finem & ſummum hominis bonum. Quo pacto non de ipſo Epicuro, quem purè corporeas voluptates pro ſummo bono habuiſſe cenſet; ſed de poſterioribus Epicuræis, cum ſpurcum magiſtri placitum omnibus exoſum eſſe cernerent, philoſophantur Viues 1. de verit. fid. cap. 5. Video etiam dici poſſe ex D. Auguſtino 19. Ciuit. cap. 1. & 4. ac Seneca 4. de benef. cap. 2. Epicurum ita ſpirituales delectationes, & honeſtatis vſum adamaſſe vt tamen hoc totum ad ſaginam, & corporis bonum eſſe referret; quatenus animo benè habente, refunditur in corpus oblectatio. Et ita planè à Cyrenaicis Epicuræorum germanis factitatum, ex Lactantio dicam num. 102.

Mahometes Epicuri partiarius,

97. Hinc verò exciſum quoque manet infame placitum quod profitentur omnes Mahumetis ſuperſtitioni addicti, hoc eſt, orbis bona pars: Non enim aliam ſummam felicitatem hominis agnoſcunt, quàm porcinam iſtam ab Epicuro propoſitam. Non me latet quid Mahumetanorum nonnulli, quibus frons minus attrita, vel intellectus minus hebes, cauillati circa hoc iam olim ſint, referente Gulielmo Pariſiēſi lib. de leg. cap. 18. & Ianello parte 8. Chriſt. philoſ. tract. 1. cap. 2. negantes hæc à Mahumeto vnquam aſſerta vel ſcripta; quamuis in eius operibus nunc inueniantur; contendentes autem partim à maleuolis operum Mahumeti adulteratoribus inſerta, partim in alium ſenſum accepta, quàm ferret mens autoris, quem tam ſpurca dogmata, & tam veſanam de hominis felicitate ſententiam, quàm cortex verborum eius fert traditurum negant, niſi fuiſſet mente captus. Nec videtur excuſationem pro Mahumete reiicere Gulielmus ibidem cap. 19. *in fine*, vt neque Cuſanus lib. 2. cribrationis Alcorani cap. 28. multa ex variis Mahumetis locis colligens quibus minus pingue placitum ei affingat. Tribuit tamen Auicennæ Epicuræam illam de corporali beatitudine opinionem, idem Gulielmus in calce citati capitis; quo toto, latè eam felicitatem; provt verba ſonant acceptam, rationibus conuellit, vocans Mahumetis Paradiſum, *volutabrum porcorum, & tabernam indefeſſæ ingurgitationis, ac proſtibulum perpetuæ turpitudinis.* Multus etiam eſt in eadem Mahumetanorum porcina felicitate euertenda Cantacuzenus orat. 2. in Mahumet. num. 11. Richardus; ſiue (vt apud Cuſanum vocatur,) Ricoldudus ordinis prædicatorum in confutatione legis Sarraceniæ cap. 1. (habetur in farragine Alcorano annexa,) Chriſtianus cuius diſputationem contra Sarracenos refert Vincentius in ſpec. hiſt. lib. 24. & optimè Viues lib. 4. de verit. fidei cap. 15. ac Pius II. epiſtola ad Morbiſanum Turcorum Principem, meritò deſcriptionem turpitudinum, ac ſpurcitiarum à Mahumete traditarum his verbis concludens, *Bouis hoc paradiſus & aſini potius quam hominis eſt*,

98. Verùm quoad excuſationem *carnei* huius *legiſlatoris*, vt ibidem Mahometem appellat Pius, vel vt quidam apud Gulielmum Pariſienſem ſupra c. 18. loquitur, *vaccini* atque *porcini*; Ego quidem fundamentum idoneum eius admittendæ non video; Et ipſe Cuſanus ſequenti cap. 19. notatis variis capitibus ex eius doctrina, ingenue fatetur admirabilem ſibi ſemper viſam tantam in huius pecoris veriùs quàm hominis ſcriptis ſpurcitiam, quæ pectoris illius camarinam & teterrimam mephitim prodit, quia ex abundantia cordis os loquitur. Auicennam tamen non modò excuſandum, ſed etiam calumniam paſſum cōtendo libro enim de prima Philoſoph. 9. cap. 7. vt ex eo refert Niphus lib. 6 de intellectu cap. 4. & Ianellus parte 8. Chriſt. philoſ. cap. 2. cùm ſpurcam illam felicitatis à Mahumete propoſitæ rationem attenderet. *Lex noſtra*, inquit, *quam dedit Mahomet, diſpoſitionem felicitatis & miſeriæ, quæ ſunt ſecundum corpus oſtendit; ſed eſt alia promiſſio quæ apprehenditur intellectu. Sapientibus verò Theologis multò maior cupiditas fuit, ad apprehendendum iſtam, quàm corporum; Quā quamuis daretur eis, non tamen attenderunt eam, nec in pretio habuerunt in comparatione felicitatis quæ eſt coniunctio cum prima veritate.* Quibus verbis vt probè vidit Medina 1. paræn. cap. 4. nihil probroſiùs & infamius homo Chriſtianus de lege Mahumetica efferre potuiſſet: cùm omnem honeſtatis radicem veram ſcilicet hominis felicitatem, verúmque hominis finē per Mahumetis doctrinam euerti aſſerat, nec niſi falſam & corpoream beatitudinem in ea proponi affirmet. De Mahumetis autem ſententia quoad rem ipſam, nihil eſt quod addam, quandoquidem eadem, aut etiam craſſior & pinguior eſt quàm Epicuri opinio, rectéque monet Ariſtoteles 1. Eudemiorum cap. 1. in fine abſurdas de beatitudine ſententias (quas inter iſta eminet) di-

mittendas

mittendas potiùs eſſe quàm longa confutatione dignandas.

Epicuri nugamenta eliduntur.

99. Argumenta Epicuri nulla fuerunt, niſi quod excíſa animæ immortalitate & Deo exoculato, ac extra orbem relegato, quod vnum ſupererat, fruendum præſentibus exiſtimabat. Quæ inſana & bruta prorſus cogitatio, non tam argumentum confirmandæ Epicuri de felicitate ſententiæ, quàm totius impietatis barathrum & nequitiæ obtendiculum cenſeri debet. Lego tamen præterea apud S. Ambroſium epiſt. 82. Philuminarem Epicuri ſectatorem in epitomis ſuis diſputaſſe, voluptatem in homine, Deo principaliter autore creatam. Verùm Deum prouidè voluptatem neceſſariis quibuſdam operibus conſeuiſſe, cùm ad gratiorem earum vſum, tum ad virtutis exercitationem, oſtenſum iam ſupra eſt ex Clemente Alexandrino ac Seneca num. 82. Paſſim tamen mali, inuerſo ordine medii loco finis habentes, inſertam nobis voluptatis cupiditatem, trahunt in ſuum excidium, incredibili æſtu abrepti ad eam vndecunque colligendam, lutum luto aggregantes, ſéque inquinantes non perficientes. Quod perelegranter de morte expoſuit Philo libro de agricult. ad illud, *Cain erat operans terram*: hunc enim terræ operarium interpretatus quemlibet improbum ſubdit. *Mali anima circa nihil aliud occupari ſolet, quam circa terrenum iſtud corpus, & cunctas eius voluptates. Proinde vulgus hominum, obeundo varios tractus vſque extrema terra, mare quoque traiciendo, & ſinus eius penetrando, nullámque huius vniuerſitatis partem inperſcrutatam relinquendo, ſemper & vbique illa colligit, qua ad cumulandam voluptatem faciunt. Nam ſicut piſcatores retia dimittunt interdum longiſſima, in medio complexi magnum maris ſpatium, vt quamplurimos piſces incluſos, ac velut obſidione cinctos capiant: Eodem modo maxima pars hominum, non in ſinum aliquem maris, ſed in totam aquæ terræ, aeriſque naturam, omnicapientia, vt Poëta loquuntur, lina extendens, omnia vbique ad voluptatis vſum inuenit & attrahit. Etenim terra metalla perquirunt, vaſta maria traiiciunt, omnia belli paciſque exercent negotia materiam copioſam ſeu Reginæ voluptati parantes: quippe non initiati agricultura animæ, quæ ſeminans plantaſque virtutes, fructum vitam beatam decerpit ex eis. Qui autem exercent & tractant quæ carni grata ſunt, lutum maceratum, fictilem ſtatuam, animæ carcerem, quem illa à natiuitate ad extremum diem ceu cadaueroſum onus circumferre cogitur, celant magno ſtudio.*

100. Aliud item argumentum pro ſententia quæ voluptatem ſummi boni loco habet propoſuit Ariſtoteles 1. Ethic. cap. 5. & libr. 10. cap. 6. atque fuiſſe quorumdam ſeruilium & importuniſſimorum, vitam pecudum, eligentium. Nempe quod Magnates & viri Principes qui bonorum omnium copiam & vſum habent, ſpecioſis hiſce malis decepti, vt loquitur Maximus Tyrius diſſer. 19. num. 109. voluptates huiuſmodi maximè conſectantur. Hoc fuiſſe argumentum Heraclidis Pontici in lib. de voluptate, teſtatur Athenæus lib. 12. dypnoſoph. Verùm quanti hæc argumentatio ſit facienda, optimè tradidit Ariſtoteles cap. illo 6. in hæc verba. *At videntur quidem hæc felicia eſſe, propterea quòd qui in poteſtatibus conſtituti ſunt, his vacant: ſed nullum fortaſsè argumentum, huiuſmodi homines ſunt. Non enim in dominatu, virtus collocata eſt, aut intellectus, ex quibus honeſtæ operationes exiſtunt. Neque ſi iſti, quia ſyncera & liberalis voluptatis guſtum non habent, ad corporis voluptates confugiunt propterea has magis eſſe expetendas exiſtimandum eſt. Nam & pueri quæ apud ſe in pretio ſunt, præſtantiſſima eſſe opinantur. Conſentaneum igitur eſt, vt ſicut pueris & viris diuerſa eſſe in pretio videntur, ita prauis & bonis quoque videantur. Vnde quemadmodum ſapè dictum eſt, ea ſunt pretioſa & iucunda, quæ probo viro huiuſmodi ſunt. Atque ea maximè expetenda operatio eſt vnicuique, quæ ex habitu proprio; probo autem viro quæ ex virtute ſit.* Concludit inde Ariſtoteles, non obſtante contrario plurimorum Magnatum ſenſu; *Non eſt igitur in luſu felicitas*]

Obiter aduerſus placitum Epicurao annexum, de luſu ſummo bono.

Luſum ipſum ibi vniuersè vſurpare & extendere poſſumus ad quæuis obiecta vnde corpori voluptas obuenit, etiamſi Ariſtoteles vt conſtat ex toto capitis decurſu, & argumentis quæ in fine eius multiplicat, reuera nomine *luſus* intelligat actionem qua animus relaxatur ac remittitur. Quod autem Magnates quoque in huiuſmodi de felicitate iudicio annumerat vulgò, ſuffragatur Seneca lib. de vita beat. cap. 2. qui vulgus peſſimum veritatis interpretem, ait ſe tam chlamydatos quam coronam vocare. *Non enim*, inquit, *colorem veſtium quibus prætexta corpora ſunt aſpicio: oculis de homine non credo:* Aſperius etiam de illis pronunciat Socrates, qui, vt eſt apud Porphyrium lib. 3. de abſtinentia initio, *cùm vidiſſet nonnullos de fine diſcrepantes pro voluptate. Neque ſanè inquit ſi ſues & hirci hunc ſibi finem comprobent, felicitatem ob id noſtram, (donec mihi mens in his omnibus incolumis manſerit, in voluptate eſſe collocatam, vnquam perſuadebunt.*

101. Cæterùm quod beatitudinem aliqui per ſummum ſtuporem in ludi voluptate collocauerint, grauiter exagitat S. Anſelmus tract. de beatit. cap. 1. quem prætereo, cùm res ſit explorata: & ſatis ſuperque ad eam vel trunco perſuadendam eſſe queat, ratiocinatio quam ex Ariſtotele decimo Ethic. cap. 6. iam ex parte propoſui. Itaque quod ex ea deerat tanquam probatiſſimum doctrinæ aurum appendo & abeo. Probat ergo Ariſtoteles non eſſe in luſu felicitatem. [Abſurdum enim eſt falſum eſſe finem: & negotiari; & laborare tota vita ludendi cauſa Nam omnia vt ita dicam, præter felicitatem alterius cauſa expetimus: quippè cùm finis ipſa hæc ſit. Serio autem agere & laborare luſionis cauſa, ſtultum planè ac puerilè admodum videtur. Ludere autem vt ſerio agat quiſpiam ex Anacharſidis ſententia videtur rectè ſe habere: quippè cùm luſus requiei ſimilis ſit, & cùm nequeant homines aſſiduè operari, requie indigent. non eſt igitur finis requies. Cauſa enim operationis ſit. At eſſe ex virtute vita fœlix videtur. Hæc autem ſtudioſa & ſeria eſt, non in luſu verſatur. Meliora præterea ſeria & ſtudioſa eſſe dicimus ridiculis. & iis quæ cum luſu fiunt. Et melioris ſemper partis, & hominis operationem eſſe ſtudioſiorem affirmamus. Melioris autem operatio præſtantior, fœlicitatíque accommodatior iam eſt. Frui item corporis voluptatibus quilibet etiam mancipium, non minus quàm optimus poſſet.]

In Epicurum & aſſeclas conclamatio.

102. Nec plura contra propoſitum ab Epicuro ſummum hominis bonum, quem ſcarabæorum in cœno ſemper, ac fimo volutatorum verba locutum, iure dixerim cum Chryſoſtomo homil. 9. in 2. Corinth. *in morali.* Nec aliter de Ariſtipi placito huic gemino, pronunciat Lactantius lib. 3. cap. 8. *Ariſtippum*, inquit, *in corporis ſemper voluptates ruentem,*

nihilque aliud quam ventri & Veneri ſeruientem, nemini ſ dubium eſt, hominem non fuiſſe. Sic enim vixit, vt nihil inter eum pecudemque diſtaret, niſi vnum quod loquebatur. Quodſi aſino, aut ſui, aut cani facultas loquendi tribuatur, quæráſque ab his quid ſibi velint, cùm fœminas tam rabidè conſectantur, vt vix diuelli queant: cibos etiam potúmque negligant: cur aut alios mares, violenter abigant, aut ne victi quidem abſiſtant, ſed à fortioribus ſæpè contriti, eò magis inſectentur: cur nec imbres nec frigora pertimeſcant, laborem ſuſcipiant, periculum non recuſent: Quid aliud reſpondebunt, niſi ſummum bonum eſſe corporis voluptatem? Eam ſe appetere vt afficiantur ſuauiſſimis ſenſibus; eóſque eſſe tanti vt aſſequendorum cauſa, nec laborem ſibi vllum, nec vulnera, nec mortem ipſam recuſandam putent. Ab hiſne igitur præcepta viuendi petemus, qui hoc idem ſentiunt quod animæ rationis expertes? Aiunt Cyrenaici virtutem ipſam ex eo ipſo eſſe laudandam, quod ſit efficiens voluptatis. Vero inquit obſcœnus canis, aut ſuis ille lutulentus; Ideò cum aduerſario ſumma virium contentione depugno, vt virtus mea pariat mihi voluptatem cuius expers ſim neceſſe eſt, vt ſi victus abſceſſero. Ab his ergo ſapere diſcemus, quos à pecudibus ac belluis non ſententia, ſed lingua diſcernit? Sic de Ariſtippo, eiúſque aſſeclis Cyrenaicis Lactantius. Sed & Dio Chryſoſtomus oration. 78. *hanc eſſe hircorum & aſinorum felicitatem* ſcitè dixit. Et affinis eſt expoſtulatio Ethnici illius apud Clementem Alex. 5. Strom. cap. 4. querentis eſſe qui ſe homines dicant: & tamen beatitudinem, tanquam pecora, iis quæ in nobis ſunt turpiſſima, ventre ac pudendis metiantur. Itaque contendamus cum Saluiano l. 1. de prouid. *Nemo idem & probroſus eſſe poteſt & fœlix: quia vbi non eſt vera honeſtas, non eſt vera felicitas.*

ARTICVLVS V.

Obiectiuam hominis felicitatem non contineri externis fortunæ bonis, ſiue diuitiis Ecloga Ethicæ ex Philoſophis & Patribus.

103. A Bonis corporis, pergo ad externa bona, quæ quia minùs homini coniuncta ſunt, quàm bona corporis, alium locum poſcerent, niſi quod optima aduertit Philo lib. de temulentia ſub finem, *externa bona, corporis eſſent ſatellites.* Exempli cauſa diuitiæ non alium vſum habent, quàm vt corpori bene ſit: Omnes enim illi diuitiarum vſus, qui longa oratione à diuitiarum Deo amplificantur in libro Toletis de comparatione diuitiarum & virtutis, apud Stobæum ſerm. 91. omnes inquam illi vſus, tandem ad corporis commodum pertinent. *Nam ſublata lautitie,* ait Porphyrius 1. de abſtinent. *ſublata rerum venerearũ conſternatione, ſublatis vanis honoribus, quis in reliquum vſus ſocordiam diuitiarum, nihil nobis in aliud conferentium; quàm in ſarcinam & pondus, ita inutile, vt nulla ex his percipiatur voluptas ſatis pura, quæ contagione ſatietatis non ſit refertas?* Rectè item Salu. 2. ad Eccleſ. *Omnis fructus diuitiarum in vſu eſt poſitus deliciarum, alioqui remoto vſu deliciarum, cauſa opum non relinquuntur.*

Imò honor quoque & fama, etiamſi ſublimiora bona ſint, nec tam directè ſpectent corpus quinetiam diſſoluto iam corpore perſtare cenſeantur, ideóque non niſi cum iniuſtitia violentur in iis defunctis de quorum æterno exitio non liquet: Tamen ſuo quoque modo corpori conſeruiunt, quatenus illud met teſtimonium excellentiæ cui honor defertur, obſequia quoq; & commodorum corporis ſubminiſtrationem depoſcit, & quidem iure potiore. Quid enim honor, bonum adeo gracile, eum iuuet, qui malè affectus ſit corpore & interno illo incommodo præpediente, prohibeatur quieta fruitione externi illius boni? Nec aliam ſanè ob cauſam principatus & imperia tantam in omnibus ſui appetentiam cient, quàm quia adiunctam habent commodorum & deliciarum corporis vbertatem & numeroſitatem. Quare de eis commodè hoc loco, tanquam de adiunctis, tractato iam principali quod aſſectantur, hoc eſt corporis bonis, diſſeremus; ducto initio à diuitiis quippè deſpicatiore bono & inferioris notæ.

Diuitiæ ſunt bona tantùm vtilia, víxque bona; Non ſunt igitur ſummum bonum.

104. Non eſſe igitur in diuitiis ſummum bonum, perſpicuè euincitur vel ex eo duntaxat quod nunc attigi, notatúmque eſt in hanc rem ab Ariſtot. 1. Ethic. cap. 5. nempe quod vſus diuitiarum quantus eſſe poteſt, non ſiſtit in ipſis; ſed vniuerſus aliò refertur. At hoc à ratione finis vltimi procul abeſt. Expreſſit id pulchrè æquè ac piè Paulinus epiſt. 5. ad Seuerum: *Nihil*, inquit, *in hunc mundum inferentibus, ſubſtantiam rerum temporalium quaſi tonſile vellus, appoſuit* nobis Deus; *non vt ſarcina impediant quos expeditos naſci iubet, ſed vt materiam virtutis ſuggerant.* Multus item eſt in hac diuitiarum natura & ordinatione ad aliud exponenda, Theodoretus ſerm. 6. de prouident. & Plato in Eryxia, adducens notationem Græcæ vocis, docenſque χρήματα ſuapte natura eſſe χρήσιμα, id eſt, *vtilia ad aliud*: ex qua etiam vocis notatione argumentatur S. Chryſoſtomus homil. 50. in Matth. Itaque diuitiæ non ſunt ſummum bonum & finis noſter vltimus, cùm ſint tantùm bona vtilia, & ad aliud ordinentur.

Imò eſſe bona negat S. Chryſoſt. homil. 12. in 1. ad Timot. in morali. *Quanam*, inquit, *iſta bona ſunt? Pecuniæ ſcilicet copia magnificentia domus, ſoli infinita iugera, mancipiorum greges, argenti atque auri pondus immenſum. Hæc tu appellare bona non erubeſcis; neque ſuffunderis homo cùm ſis, cui de cœleſtibus philoſophari fas ſit? Non inquam erubeſcis terrenis ſolùm rebus & commodis inhiare mortalibus, cui ad fruendum patet, ſi volueris, cœlum? Eáque appellas bona quæ indigniſſima ſimul atque viliſſima ſunt? Nempe enim ſi bona hæc dicimus, & eos qui ea poſſident; bonos itidem vocare debemus. Nam qui bonum aliquod habet, quomodo poteſt ipſe non eſſe bonus? Quid ergo ſi qui iſta poſſident, immodica habendi cupiditate aliena diripiant, num eos dicemus? Si enim bona diuitiæ ſunt, hæc verò ex cupiditate, iniquiſque compendiis oriuntur, quantò illa auctiores ſunt, tantò qui eas poſſidet, melior fieri putandus eſt, atque ea ratione ille erit optimus, qui cupidiſſimus fuerit. Si autem diuitiæ bona ſunt, quæ ex cupiditate incrementa ſuſcipiunt, eò quiſque bonitate præſtabit, quò plura poſſiderit. Quod quam ſit abſurdum, quámque à ratione diſſentiat, omnibus perſpicuum eſt; niſi fortè abſque cupiditate opes congeri poſſent, atque innoxia poſſideri; ſed id profectò fieri nulla ratione poteſt, vt pernicioſiſſima hæc perturbatio innoxia ſit.*

Idem argumentum breuiter attigit Clemens Alexandrinus 3. pedag. cap. 6. Et idem prolixè variis propoſitis & corroboratis argumentis confirmat Seneca epiſt. 87. Multi certè mali & improbi diuitiis abundant; ac proinde non ſunt bona verè, quæ non efficiunt bonos, vt idem paucis attigit lib. de vita beata

cap. 24.

cap. 24. *in fine.* Pergit fusè ibidem S. Chryſoſtomus oſtendere diuitiarum vbertatem ex iniquitate ac ſcelere initium ducere, quæ eſt vera radix, cur probi vt plurimum pauperes ſint, dimiſſis popularibus quibuſdam rationibus eius rei, quæ aſſignantur à Philoſophu ſect. 29. problem. quæſt. 4. eſtque id argumentum potentiſſimum, ad perſuadendum procul abeſſe à diuitiis vim illam hominis perfectiuam, quam debere ſummo bono ineſſe, initio diximus.

Opes inſtrumenta & occaſiones malorum omnium; non ſunt igitur ſummum bonum.

105. Imò exercitatio virtutum plerumque ac magna ex parte tametſi non ipſarum vitio ſed noſtro ab eis intercluditur. *Diuites,* ait Lactantius libr. 7, inſtitut. cap. 1. [ſiunt impedimentis plurimis implicati, imò catenati. & compediti ſeruiunt ad nutum dominæ cupiditati, qui illos inextricabilibus retibus irretiuit: nec poſſunt in cœlum reſpicere, quoniam mens eorum in terram prona, humique defixa eſt. Virtutis autem via non capit magna onera portantes. Anguſtus admodum trames eſt, per quem iuſtitia hominem deducit in cœlum. Hunc tenere non poteſt, niſi qui fuerit expeditus, & nudus. Nam iſti locupletes, multis & ingentibus ſarcinis onerati, per viam mortis incedunt, quæ latiſſima eſt, quoniam latè perditio dominatur. His acerba ſunt, his venena, quæ Deus ad iuſtitiam præcepit, quæque nos Dei magiſterio de virtute diſſerimus. *Idem confirmat in hunc modum Sen ca epiſt. 30. initio:* Res eſt inquieta, felicitas, ipſa ſe exagitat, mouet cerebrum, non vno genere. Alios in aliud irritat: hos in potentiam, illos in luxuriam. hos inflat, illos mollit, & totos reſoluit. At benè aliquis illam fert ſic quomodo vinum.] Nec iam partæ duntaxat, opes, inſtrumenta malorum ſunt, ſed etiam cùm parantur. Quo ex capite, pernicioſas eas dixit Eucher. in paræn. ad Valer. quòd rarò niſi cum iniuſtitia congerantur. *Adeò quædam ſocietas eſt penè etiam nominis; duabus his rebus, vitiis & diuitiis.* Addit eſſe reuera opes materiam contumeliarum, non earum modò quas plerumque diuites ſubeunt, prouocantibus & quodammodo oſtentantibus proſcriptionem opibus, ſed earum quoque quas inferunt, eo quod rarò opes abſque iniuſtitia congerantur. In quam rem laudat Eucherius, Sãctorum Eccleſiæ Chriſtianæ Patrum quendam, ex quo hæc refert. *Quid aliud ſunt diuitiæ: niſi pignora iniuriæ?* Nimirum iuxta Philoſophum a D. Hieronymo approbatum in Pſalm. 83. & quæſt. 1. ad Hedibiam, *Omnis diues aut iniquus, aut aut iniqui heres eſt,* quod diiudicandum Iamblicho obieciſſe Alypium eius æqualem, autor eſt in Iamblicho Eunapius addens noluiſſe de eo dicto pronunciare Iamblichum. An etiam Eucherius ementita libri de diuitiis epigraphe eiúſque S. Sixto per aliquos facta adſcriptione, quæ aliquando non paucis impoſuit, inductus ipſe quoque, eſt in errorem, & opus illud ab homine Pelaſiano concinnatum, quo ea quam protulit ſententia continetur, vt mox dicam, laudauit tanquam vnius Patris.

106. Sed longè pleniùs ac vberiùs diuitiarum damna proſequitur Iſidorus Peluſ. l. 2. epiſt. 146. cum Caſio ſcholaſtico, homine Ethnico agens, qui Demoſthenis autoritate nixus, nihil ſine opibus eorum quæ in rem ſunt, fieri poſſe affirmantis, multa in diuitiarũ commendationem congeſſerat. E contra enim Iſidorus ipſorum inter Ethnicos ſapientiſſimorum autoritate, imprimiſque Iſocratis, Ariſtidis, Epaminondæ Cratetis, Phocionis, Platonis, Lycurgi, confirmat diuitias, vitij potius quam virtutis eſſe adminiſtras. Additque etiam veterem conſuetudinem quaſi publicæ vocis, diuitias damnantis, ſuffragium. Apud veteres enim in more poſitum fuiſſe refert, vt poſt conuiuiũ lyram caperent illúdque canerent. *O diuitiæ, vtinam nec in terra videamini nec in mari.* Nempe quod intelligerent, omnia ab eis deriuari verorum malorũ genera & bono quæ verè bona ſunt, iis impediti.

Congeſtis autem huiuſmodi ſapientum teſtimoniis & exemplis, ſic inſuper ipſe ratiocinatur. [At ſi omiſſis calculis ſapientum, ipſam rei naturam expendere oportet, nullum in humana vita ſcelus reperietur quod non ob pecuniarum amorem perpetretur; Ob eas odia, & pugnæ, & bella. Ob eas cædes & latrocinia & calumniæ. Ob eas vrbes duntaxat, ſed etiam ſolitudines non ſolum cultæ & habitatæ, ſed etiam incultæ ac deſertæ terræ, cruore ac cædibus redolent, Ac ne à mari quidem hoc malũ abſtinuit. Verùm illic quoque, ingenti cum furore graſſatur, prædonibus illud obſidentibus, ac nouum quendam latrocinij modum excogitantibus. Ob eas & cognationis ac neceſſitudinis leges euerſæ ſunt, & naturæ ſanctiones conuulſæ, adeo ſepulturæ iura labefactata. Hic enim improbus ac ſceleſtus amor, non aduerſus viuos duntaxat, ſed etiam aduerſus eos qui mortem obierunt, furum ſepulchra effodientium manus armauit: Quippe quæ ne eum quidem qui ex hac vita exceſſit, ab his inſidiis ſuis liberum atque immunem eſſe patiantur. At denique quæcunque mala quiſpiam inuenire queat, ſiue in conciliis, ſiue in iudiciis; ſiue in domibus, ſiue in vrbibus, ex hac radice ea pullulare conſpiciet. Verum quid laboro? omnes enim huius morbi malignitates, ne ſi omnes quidam mortales in vnum coierint, explicare poſſint.]

107. In eodem argumento multus eſt Auctor Pelagianus à quibuſdam naris obeſioris, in Sixtum Papam malè transformatus libro de diuitiis *ſub initium*; probãs non poſſe diuitiarum fructum innoxium eſſe, cuius ferè venerunt flores ex crimine. Quod rurſus *ſub libri finem*; inde confirmat quod opes aut mentiendi ſtudio, aut furandi arte, aut furandi infidelitate, aut rapiendi violentia, aut adulterandi temeritate quæruntur Nonnunquam etiam viduarum ſpoliis, aut pupillorum oppreſſione, aut iniuſtitia dominatione, vel quod multò atrocius eſt, effuſo innocentium ſanguine, colliguntur. Itaque concludit difficile omnium eſſe bonum ſimul & diuitem eſſe. Quæ eò libentiùs ex hoc autore allego, quod eo temperamento addito, abſit ſuſpicio mixturæ fermenti Pelagiani, quo abdito, vel etiam apertè ſe prodente, vitiari libellum illum, eſt omnino exploratum.

Inſigniter verò poſteà docet quorum malorum origo ſit cupiditas diuitiarum, earumque vbertas. Adſcribo nonnulla. [Non immerito dominus opum affluentiam arguit atque condemnat, quarum concupiſcentiam vniuerſorum criminum cauſam eſſe cernebat. Quis enim ſapiens aut prudens dubitet cupiditatem fontem eſſe omnium malorum, radicem ſcelerum, culparum fontem, delictorum materiam, propter quam nec terra, nec materia, nec vllus omnino locus aut ſecurè inhabitatur, aut ſine pauore trãſitur? Huius igitur concupiſcentiæ cauſa prædones in fluctibus, in itineribus latrones, in vicis & orbibus fures, & in omni regione raptores. Propter hanc circumuentiones, rapinæ, mendacia, periuria, falſa teſtimonia, fraudes, impietates, crudelitates, & quæcunque eſſe nefandorum facinorum genera poſſunt. Huius cauſa quotidie innocentium cauſa polluitur. ſpoliatur pauper, miſer opprimitur, nec viduis aut orphanis parcitur. Propter hanc omnibus penè momentis lex diuina contemnitur, & aſſiduis præuaricationum generibus decretum cœleſte violatur. Huius cauſa nonnunquam expugnatur pudor, caſtitas vincitur, & per illicitas voluptates impudens libido vagatur. Per hanc ſæpè parricidia, partim votis, partim

operibus prepetrantur. Dum enim quis ad diuitiarum poſſeſſionem nimia & impatienti auiditate feſtinat, mortem parentibus aut optat, aut irrogat.

Hoc tametſi immane, ac vel ſolo auditu horrendum, tamen non vno exemplo firmari poteſt. Collegit multa Fulgoſius lib. 9. cap. 11. atque vtinam nulla extarent poſteriora. Ideóque hoc etiam ex capite, auaritiam confodiunt & externi, & noſtri. Hos inter, pulchrè Aſterius homil. de Auarit. Valeria. Cemel. homil. 20. & hic ipſe Author, Libelli de diuitiis qui hactenus ex eo propoſita cupiditatis diuitiarum probra, cumulat in hunc modum. [Harum cauſa, etiam maleficiorum, nec fauſta nec affabilis impietas diſcitur: & ad omnium turpium, non minus quàm criminoſarum artium ſtudia proſilitur. Per has peruertuntur mores, animi quoq; violantur, & omnis bonæ indolis natura corrumpitur. Deniq; quotus quiſque diues ſine elatione, ſine arrogantia, ſine tumore, ſine ſuperbia, ſine faſtu? Quis quamuis ſit in paupertate mitis, humilis, patiens, benignus, & lenis; non accedentibus diuitiis, aut tumore inflatur, aut ſuperbia extollitur, aut ira ſuccenditur; aut furore graſſatur? Quando opulens conditionis ſuæ aut fragilitatis memor eſt? quando ſui non ita obliuiſcitur, vt neque eſſe ſe hominem putet? Vel quomodò putat qui ſuperbo nimis & elato faſtigio, naturæ ſuæ aſpernatur noſſe conſortes; & eis deterior eſt, cúm cupit non eſſe quod homo eſt? Æſtimat ſeſe meliorem ingentibus miſer innolutus malis, & tantorum forſitan peccatorum ſeruus, quantarum diuitiarum dominus. Dedignatur inopem, qui illo eò forte morum integritate ſit ditior, quò rerum facultate pauperior eſt, & in humili habitu, nec domini ſui contemplatione mulcetur. Audias illum dicentem deinde hunc abiectum, mendicum, ignobilem. Et hic dicere aliquid nobis coram poſitis audet & his pannis de morum noſtrorum conuerſatione tractare, & conſcientias noſtras per rationabilem diſputationem veritatis agnitione pulſare? Quaſi ſolis diuitibus loqui conceſſum ſit, & veritatis ratio opibus magis, quàm ſenſibus debeatur. Non fruſtra ergo dominus eam rem vbique penè arguit atque condemnat, cuius cupiditatem omnium ſcelerum ſeminarium nouerat.]

108. Illuſtriſſimè præterea Theodoretus ſerm. 6. de prouid. ex inſtituto inde confirmat diuitias non eſſe ſummum bonum, quòd ſint tam multorum ſcelerum ſementis; & virtutum adeptioni, tam multiplices apponant obices, quo ipſo ad omne oppoſitorum vitiorum genus, oſtium aperiunt. *Si enim propter diuitiarum theſaurum, mali ſupercilia attollunt, buccas inflant & equis ac curribus vecti forum ſuperbè ingrediuntur, in tantum alios præ ſe contemnentes, quantum illos ex alto deſpicere contigit: Si denique propter hunc iniquè agunt, defraudant, aliena ſibi vendicant, ad ſe non pertinentia concupiſcunt, in aliorum bonis voluptuantur, ex pauperum bonis negotiantur, & hæc omnia diuitiarum ope & auxilio vſi faciunt; quo pacto fœlicitatis finem, & beatitudinis materiam, diuitias eſſe dicemus?*

Et non ita multo poſt, proponit virtutum capita & cardinales, queis à diuitiis excidium & clades impendet. Etiamſi quod cum Atheis & Ethnicis ferè ageret miſſas fecerit virtutes Theologicas quibus æquè ab hac lue timendum. Nam fidei quoque ob hanc cauſam naufragia, noua non eſſe, monſtrabo ex Aſterio, & P. Damiani, agens infra de auaritia. Sic igitur de virtutibus moralibus primariis hinc periclitantibus, Theodoretus. [Atqui diuitiæ quidem, quæ multas turbas, & curas habent omniuarias, tum infinitas quoque fructuum & tempeſtatum ſpecies, virtutis inſidiatrices & hoſtes ſunt, non auxiliares ſocij. Quomodo enim temperantiam conſequatur, qui ventri aſſiduè inſeruit, & compotationibus intabeſcit, & conuiuia inſtruit; lectis item & menſis occupatus, piſtores, propinatores, fartores & cupediarios, vina odorata, phialas, calices, & varia poculorum genera, & obſoniorum varios apparatus animo ſuo circumfert, merum auide bibit, ventrémque plus quàm natura ferre poſſit, onerat? Qui denique rationis vigilantiam extinguit; affectuum verò pyram hac materia magis incendit, atque immodicum & intemperans voluptatis ſtudium quàm maximè inflammans iram, per ea quæ illius feruori ſeruiunt, exacuit, & rationem hominis gubernatricem, affectuum ſeruitio ſubiicit, eámque quæ domina facta eſt, ventris famulam reddit: Qui diuinitus collatam homini poteſtatem & imperium, ad cupiditatum mancipia detrahit, principem ſubditis captiuum tradit, aurigam equis diſtrahendum propinat: Qui item facit vt gubernator clauum non amplius tenere, nec nauim totam regere poſſit, ſed affectuum procellis quæ nauim per præceps abripiunt, & fluctibus mergunt, permittat. Qui equidem talis fuerit, non prudentiæ modò expers, verùm etiam omniuariis intemperantiæ vitiis addictus eſt. De Iuſtitia verò qui hîc dicere attinet, cùm & ipſi aduerſarii fateantur, eum qui vt multa poſſideat, concupiſcit, iniuſti & iuſti crimen non velle agnoſcere? Qui enim tales ſunt, iis inordinata, infinita, & indiſcreta ſunt omnia. Quod ergo qui diuitiarum auxilio vtuntur, virtutem difficulter conſequi poſſint, vel contentioſiſſimis quibuſvis ex iis, quæ modo dicta ſunt, perdiſcere licet.] Subiicit de paupertate virtutis organo, & conſenſu hac in parte Græcorum ſapientum, ante Euangelij facem orbi illatam.

109. Eleganter iuxta ac ſapienter in eandem ſententiã Chryſoſt. homil. 17. in 1. ad Tim. *Cuius ergo mali diuitiæ cauſa non ſunt? Nonne harum gratia concupiſcimus? non rapimus? non eiulatu perſtrepimus non inimicitias ſubimus? non conſerimus rixas? Non contentiones perpetuas teximus? nonne illæ ad mortuos vſque impias extendere manus? nonne inter parentes & fratres ſæuierunt? nonne iura naturæ ac præcepta Dei, & omnia prorſus violarunt qui illarum tenentur deſiderio? nonne harum cauſa iudicia ſunt inſtituta? Tolle itaque pecuniarũ ſtudium, & omnia mala ſublata ſunt*

Et homil. 7. in ad Coloſſ. exemplo corporis morbis ingentibus proſtrati, aperit ſtatum in quem diuitiæ animam deducunt: quodq; non modo miſerrimè eum afficiant, ſed etiam ad reſpuendam curationem obfirment; quandoquidem non ſolent diuites facinore aliquo inquinati, ſalubria monita queis veluti pharmacis cum à ſe morbum depellant, admittere. Tum inſignem hanc clauſulam, in rem noſtram adhibet. *Non inueneris quiſquam alium animum adeo concupiſcentiis, idque tam abſurdis refertum, atque eorum ſunt, qui diteſcere volunt. Etenim quantas nugas ſibi ipſis illinunt, magis quam qui hyppocentauros & chymeras imaginantur & fingunt? Et dracontopodas, & Scyllas, & reliqua monſtra viderit quis illos referre & fingere. Et ſi quiſquam vnam eorum concupiſcentiam fingere & exprimere volet, nihil neque Scylla, neque Chymæra, neque hippocentaurus ad monſtroſitatem illam eſſe videbitur, ſed inuenies eam omnes complecti beſtias.* Subdit benè multa de inſania quam diuitiæ menti concilient.

Alia diuitiarum labes, quod mentem in vana & nugas miſerè diſtrahant.

110. Præ his diuitiarum damnis & incommodis, vix attendendum videri poterit damnum quod S. Baſilius

Baſilius homil. 7. quæ eſt in diuites auaros, ducit ex mentis diſtractione in tam varia tamque inania. At quantum id ſit, æſtimet lector ex ipſius Baſilij oratione. [Profectò non veſtium aut ciborum cauſa multi aſſectantur opes, verùm quædam eſt Diaboli methodus ad ſuggerendas diuitibus mille ſumptuum inanium occaſiones; vt ea quæ ſuperflua & ad rem pertinentia non ſunt, pro neceſſariis ducantur. Ex quo ad ſumptuum excogitationem, nihil ſatis homines huiuſcemodi habent. Subſtantiam namque in præſentem ac futurum vsũ diducũt; primùm ſibi, deinde filiis accumulant. Rurſus eandem in ſumptus varios, pro ſtatu & ordine cuiuſlibet diuidunt. Sit, inquiunt, res partim in vſu, partim condita ſepoſitáque. Item quæ in vſu eſt, neceſſitatis terminos tranſcendat. Iſta ſeruiat ſumptibus domeſticis, illa præſto ſit ad externas phantaſias, vt iter facienti ornatus, equitatus, viaticum, pro conditione fiant; hæc domi permanenti vitam reddat ſplendidam & illuſtrem. Ita vt mihi mirandum ſit, quomodo tot inanes ſumptus excogitentur. Innumeri inſtituuntur currus, quibus vel ſarcinæ, vel ipſi mortales vehantur, illique ære vel argento obtecti: Equi comparantur permulti, atque illi è maioribus ſuis generoſi, qualiter homines ſolent, æſtimati. Quorum alij delicatos per vrbem ad oſtentationem circumuehunt; alij ad venationem, alij ad iter faciendum præparantur, fræna, zonæ, frontalia, argentea omnia aureáque: Inſuper tapetia purpurea, ipſos veluti ſponſos ornantia equos: Mulorum quoque multitudo colore diſtincta: aurigæ illorum, ſucceſſores inuicem qui præcedunt, & qui ſubſequuntur. Seruorum infinitus numerus: ſumptibus eorum cunctis ac magnificentiæ ſuppeditans: curatores, promi, coloni; miniſtri cuiuſuis artis, ſiue neceſſariæ, ſiue voluptariæ periti. Prætetea coci, piſtores, pincernæ, venatores, fictores, pictores; voluptatis omnimodæ commentatores. Camelorum greges partim ad onera, partim ad paſcua deſcripti. Equorum greges armẽta boum, porcorũ, ouium, horúmq; paſtores; ac tellus non ſolùm his omnibus paſtionibus ſufficiens, ſed prouentus reliquos amplificans. Balnea inſuper in ciuitate, balnea in agris. Domus omni marmorum genere coruſcantes, Phrygiò, Lacònico, Theſſalico, è quibus alia, hyeme calida, alia æſtate, frigida eſſe oportet: Pauimentum calculis ornatum variis: Cameræ laqueariáque. & quicquid parietibus ſupereſt auro picturæque floribus decorata. Sic igitur in vſus mille ſupernacuos diſtractæ opes, etiam in terra conduntur, & in ſecretis arcaniſque cuſtodiuntur.]

Hoc oſtendit S. Baſilius ad inanem animi cruciationem & infoſſionem cordis vnà cum opibus pertinere: Hácque negotioſa circa opes congerendas, aſſeruandas, oſtentandas diſtentione, his inquam nugis maiorum quæ negotia vocantur, vt eſt apud Chryſoſtomum homil. 24. in Matth. in mor. Auguſt. 1. confeſſ. c. 9. & Senecam apud Lactant. 2. inſtit. c. 4. ſubducit tempus rem vtique pretioſiſſimam: & hominẽ à ſuimet ipſius, neceſſaria cura auerti, quod ingens omnino eſt diſpendiũ. Itaque inferiùs liberè pronunciat, quoties inſtructiſſimas opibus diuitum domos conſpicaretur, intelligere ſe, nihil illos pretioſius poſſidere, quod inanimata tanto ſtudio excolerent, ſui ipſorum negligentes, ob diſtractam à diuitiis in tam multa, tamque inania animam. Idem egregiè proſequitur, Saluian. lib. 2. ad Eccleſiam. Affinis verò huic labi eſt, illa alia quam Plinius in libri 14. procemio, diuitiis affricat nempe quod diſtractam in tam varia & diuulſam mentem, ſtudiis literarum tractandi inidoneam reddant, vnde illa literarum clades, & bonarum artium veluti rubigo ardens circa opes ſtudium conſecuta. *Nimirum alij ſubiere ritus, circáque alia mẽtes hominũ detinentur, & auaritia tantùm artes coluntur. Antea incluſis gentium imperiis intra ipſas, ideóque & ingeniis, quadam ſterilitate fortunæ neceſſe erat animi bona exercere; regéſque innumeri, honore artium colebantur, & in oſtentatione has præferebant opes, immortalitatem ſibi per illas prorogari arbitrantes. Quare abundabant & præmia, & opera vitæ. Poſteris laxitas mundi, & rerum amplitudo damno fuit, poſtquam Senator cenſu legi cœptus, iudex fieri cenſu, magiſtratum ducémque nihil magis exornare quam cenſus. Poſtquam cœpere opes in authoritate ſumma & potentia eſſe, captatio in quæſtu fertiſſimo, ac ſola gaudia in poſſidendo, peſſum iere vitæ pretia, omnéſque à maximo bono liberales dictæ artes, in contrarium cecidere.*

Concludo hanc diuitiarum labem, obſeruatione S. Ambr. lib. de Nabuthe c. 6. aduertentis, apud Ethnicos nomen numinis inferorum Regiam tenentis, & nomen diuitis, vnum & idem fuiſſe: *Ditem* enim vocabant Plutonem, perſpicuo argumento qua ſede diuitiæ hominem ſtatuant, de ipſorum etiam Ethnicorum ſententia. Apud noſtros verò idem eſt exploratiſſimum, cuius enim auribus non inſonuit illud tubæ Apoſtolicæ, qui colunt diuites fieri incidere in laqueũ & in deſideria nociua hominem mergentia in perditionem? Sanè quo tempore Chriſtiana fides quæ vnicum eſt æternitatis viaticum, profeſſoribus damno erat quotquot de itinere quo ſalutare Dei oſtenditur deuiabant, ex nimio duntaxat erga opes, affectu factos eſſe participes dæmoniorum S. Cyprianus qui ea coram contuebantur, grauiſſimè confirmat lib. de lapſis n. 44. ſic ſcribẽs. *Diſſimulanda fratres veritas non eſt, nec vulneris noſtri materia & cauſa reticenda. Decepit multos patrimonij ſui amor cæcus; nec ad recedendum, parati aut expediti eſſe potuerunt, quos facultates ſuæ velut compedes ligauerunt. Illa fuerunt remanentibus vincula, illa catenæ, quibus & virtus retardata eſt, & fides preſſa, & mens vincta, & anima præcluſa: vt ſerpenti terram, ſecundùm Dei ſententiam decoranti, præda & cibus fierent qui terreſtribus cupiditatibus inhærent.* Habes gloſſam verborum illorum quibus Apoſtolus conſequenter Timotheum informat. *Radix omnium malorum eſt cupiditas. quàm quidam appetentes naufragauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis.*

Non explent animum, quia ſunt ſuaptè natura bona nihili.

111. Iam verò per ſe ſufficientia & animi exſatiatio, quam per ſummum hominis bonum conferri oportere præmittebam initio articuli nullo modo diuitiis quantumcunque exaggeratis obtinetur. Quod acutè probat Boëtius 3. de conſol. proſa 3. ex eo quod diues ſemper egeat; ſaltémque præſidio vt diuitiæ ſaluæ ſint, nec eripiantur inuito. Quod ſi infinitam appetitus noſtri capacitatem nihil niſi infinitum explere & ſatiare poteſt, quantò minus hæc vt Tertullianus ſcitè appellauit *terræ minutalia.*

Suppeditat argumentum iſtud inter cætera extirpando diuitiarum parandarum æſtui Seneca epiſt. 91. *Capax eſt*, inquit, *noſter animus; perfertur illo ſi vitia non deprimant, Quemadmodum corporum noſtrorum habitus erigitur, & ſpectat in cœlũ, ita animus, cui in quantum vult licet porrigi, In hoc à natura rerum formatus eſt, vt paria Diis velit, & ſic vtatur ſuis viribus, ac ſe in ſpatium ſuum extendat Nam ſi aliena vi ad ſumma niteretur, magnus erat labor, ire in cœlũ. Redit, cùm hoc iter ad quod natus eſt, vadit audacter, & contemptor omnium, nec ad pecuniam reſpicit: aurum argentúmque, illis in quibus iacuere tenebris digniſſima, non hoc æſtimat ſplendore, quo imperitorum*

verberant oculos, & auerterunt à cælo, ex quo illa ſecreuit cupiditas noſtra & effodit. Scit inquiùn alibi poſitas eſſe diuitias, quàm quo congeruntur: animum impleri debere, non arcam. Hunc imponere Dominio omnium rerum licet, hunc in poſſeſſionem rerum natura inducere, vt ſuorum Oriens, Occidênſque terminus fiat, Deorumque ritu cuncta poſſideas, cum opibus ſuis diuites ſuperuè deſpicias: quorum nemo tam lætus eſt ſuo, quàm triſtis alieno.

Sed de hoc incommodo mox plura. Nunc Hæreo in naturali vilitate huius boni cui non niſi ex corruptis hominum iudiciis pretium eſt, ac proinde eſt prorſus ineptum ad explendam eam quam dixi immenſam voluntatis noſtræ capacitatem. Eam naturalem diuitiarum vilitatem, corruptis duntaxat noſtris iudiciis nixam. proponunt ſæpè morum Magiſtri & externi, & noſtri. Dio egregiè orat. 79. [Si prodeſſet poſſidere aurum, nihil prohibuiſſet Æthiopas ſupra nos habitantes, beatiſſimos videri, vbi aurum abiectius eſt quàm apud nos plumbum; ferúntque ſceleratos craſſis vinciri compedibus, nihil tamen minus ſunt vincti, atque praui & iniqui. Beatos autem dicere opulẽtos multáſque poſſidentes pecunias in cæteris autem nihil à planè peruerſis differentes, perinde eſt ac ſi quis illic vinctos prodire videns admiraretur atque felicißimum omnium indicaret maximos habentem compedes. Si verò ebur admirabilis res eſt, & totis viribus expetenda; Indi longè omnium ſunt fortunatiſſimi optimíque? apud quòs elephantorum oſſa proiecta iacent, nemóque ad ea accedit, quemadmodum hic boum atque aſinorum oſſa: dicúntque frequenter muris inædificari elephantorum caluarias, cum ipſis dentibus. Quid autem opus eſt de Celtis dicere? Vbi aiun. flumen quoddam deferre electrum, multúmque vbique iacere in ripis eiectum ſcaturigine, quemadmodum calculi apud nos in littoribus? Et antea quidem illo ludebant pueri, húcque atque illuc iactabant: Nunc autem & illi colligunt, idque cuſtodiũt, à nobis videlicet eruditi, quod ad felicitatẽ pertineat.]

112. Nec aliter diuitem vrget S. Baſil. homil. 7. quæ eſt in diuites auaros. *Infælix homo, pecunia naturam aliquantulum inſpice. Quid attonitus aurum miraris? Lapis eſt aurum, lapis argentum. lapis margarita, lapides ſunt chryſolitus, berillus, achates, hyacinthus, amethyſtus, iaſpis, hæc ſumma, hi flores opũ magnarum. Hos partim cum ſint clariſſimi in tenebris abſcondis: partim in digitis micãtibus, aliiſque in ornatibus circũfers. Dic quæſo quæ vtilitas digitos vertere lapillis coruſcantes, atque oſtentare? Nõne erubeſcis te lapillorum auidum oſtendens quemadmodum prægnantes fœminæ ob malaciam interdum lapillos edunt? Tu item tanquam ipſorum belluo ſarnodichas, iaſpidas, amethyſtos omni ſtudio conquiris, Quis pulchritudini formæque fingendæ ſtudens, vnam vitæ diem ſibi prorogare potuit, aut cui mors ob diuitias pareit? à quo morbus ob pecuniam abſtinet, Quouſque igitur opes erunt animarum laqueus, mortis hamus, peccati eſca.*

Addo & Chryſ. hom. 17. in 1. ad Timoth. in acerrima diuitiarum exagitatione, cuius hæc eſt extrema lacinia. *Candore lucentis margarita attraheris: Cogita maris eſſe aquam: & in eius ſinubus antè iacuiſſe deiectam. Rapit animum auri fulgor, & nitor argenti. Cogita terram ac cinerem & fuiſſe prius, & modo eſſe. Placet pretioſa & ſerica veſtis; at vermium ille contextus eſt, opinio eſt & humana præſumptio, nihil habet in ſe naturalis pulchritudinis, Nam quæ ſunt per naturam pulchra, admonitore opus non habent: At tu ſi videas æreum nummum inauratum, admiratione primùm fului metalli raperis, aurúmque appellas. Vbi verò peritiores quique in huiuſmodi, te erroris admonuerint, & miraculum vnà & error abiit. Vides vt in natura non habeat ſpeciem? Eadem argentiratio eſt, nam ſi ſtannum videas, veluti argentum admiraris, opíſque doctore habes ne te rerum ſpecies fallat, adeo non ſufficit ad ea dignoſcenda oculus. Non huiuſmodi profectò ſunt flores, ſed illis longè præſtant Ros enim aſpiciens, abſq; doctore, per teipſum, odorem ſpeciémq; diſcernis. Ita & violas, & lilia, & flores reliquos.* Hoc audacius dictũ videri poſſet, niſi ipſorum agri liliorum ſpecioſitatem, omni Salomonis gloriæ, eiq ſplendori cui orbis terrarum vix parem vidit, antepoſitã; quamuis neque auri neque argenti ſpecies in eo apparatu deſideraretur, noſſemus Chriſtiani.

Itaque rectè de auro & argento concludit Chryſ. *Sola igitur opinio iſtis pretium facit Namque ſi Imperatori viſum fuerit, argentum auro pretioſius ſtatuere, per leges continuò miraculum affectúſq; transfertur: adeò auaritiæ opinioníque ſeruimus, Quod verò ita ſe habeat res. vnum quoque omne pretioſum eſt, & qui fructus apud nos viliſſimi ſunt, in Cappadocia ſunt pretioſi: ac longè his qui apud nos habentur in pretio cariores. In Syria autẽ prouincia, abundè indumenta iſta, in aromatum ferace Arabia, & India pretioſis lapidibus plenâ plurima inuenire eſt. Adeo præſumptio & humana opinio inualuit; nihilque iudicio agimus, ſed temerè ac paſſim omnia. Reſipiſcamus igitur tandem ex huiuſmodi temulentia. Videamus quod verè bonum eſt, quod natura pulchrum eſt* De hoc argumento, inſaniàque eorum. qui iis bonis quæ verè hominem bonum ſtatuunt deſtituti, externis hiſce bonorum minutiis ſplendere, & boni ac honorabiles videri volunt; præclarè omnino diſputat idem Chryſ. hom. 4. in Matth. *in parte morali.*

Acuunt potiùs quàm ſatient, animi famem.

113. Quantam verò eſſe dicemus miſeriam & infelicitatẽ, à tenuibus huiuſcemodi veréque minutis bonis, quòd iis iniectis quaſi modicis atque ſtilis, incenſiſſima humani appetitus fornax multò magis ſuccenditur? *Acceſſione enim facultatum accedit cupiditatis argumentum. inflammatúrque lucro auaritia, non reſtinguitur*, vt philoſophatur S. Ambroſius lib. de Nabuthe c. 2. & optimè epiſt. 82. *ſub finem.* Et Epictetus apud Arrian. l. 4. c. 9. & Caſſiodorus lib. de amic t. c. 24. Tãtum abeſt, vt ad per ſe ſufficientiam & exſatiationem deueniatur comparatione huiuſmodi bonorum Clementis Alex. dictum eſt. 3. pædag. c. 2. *Qui auri purpura, & gemmarum nimio ſtudio tenentur, iis nec quod ſuper terram, nec quod ſub terra eſt aurum ſuffecerit; neque mare Tyrium, neque ab Indis & Æthiopibus deportantur onera, ſed nec Pactolus cuius ſunt fluenta aurea. Sed nec ſi quis eorum Midas factè euaſerit, is impleri poteſt, ſed eſt adhuc pauper. alias opes deſiderans.* Pleniùs etiam addito Platonis ſuffragio, idem tradit 2. ſtrom. cap 3. Optimè D. Auguſtinus ſerm. 10. de Sanctis. *Diſcamus amare veras diuitias, id eſt, caſtitatem & iuſtitiam, pacem & miſericordiam Iſta enim iuſta dicuntur diuitiæ quæ bonis meritis iuſtiſque tribuuntur: iſtæ veræ dicuntur diuitiæ quia quiſquis eas habuerit; non egebit: dum iuxta Apoſtolum habet victum & veſtitum his contentus eſt. Iſtas verò terrenas diuitias, iniuſtum eſt putare diuitias quæ non auferunt egeſtatem. Tantò enim magis quiſque ardebit egeſtate auaritiæ, quantò magis eas diligens maiores habuerit Quomodo ergo ſunt diuitiæ quibus creſcit inopia, quæ amatoribus ſuis quantum fuerint ampliores, non afferunt ſatietatem. ſed inflammant cupiditate diuitem. Non putas quia minus egeres ſi minus haberes? Vnde benè quidem dixit.* Creſcit amor nummi quantum ipſa pecunia creſcit. *Cum pecunia enim incremento, rabies cupiditatis augetur. Nam omnes auari vel cupidi velut hydropis morbo ægrotare videntur. Quomodo enim hydropicus*

quantum

quantum plus bibit, tantum ampliùs ſitit, ita auarus vel cupidus, acquirendo non ſatiatur

Similia autor falsò creditus Sixtus III. lib. de diuitiis *fere init.* o, & Nazianz. Iambic. 22. & optime Simplicius ad c. 61. Enchiridij Epicteti. Nec alia mens Epicuro, ex quo ſcitè illud apud Senecam habemus epiſt. 2. in fine. *Honeſta,* inquit, *res eſt, læta paupertas. Illa verò non eſt paupertas, ſi læta eſt. Cui enim cum paupertate benè conuenit, diues eſt, non qui parum habet, ſed qui plus cupit pauper eſt. Quid enim refert quantum illi in arca, quantum in horreis iaceat, quantum paſcat, aut fœneret, ſi alieno imminet, ſi non acquiſita, ſed acquirenda computat? Quis ſit diuitiarum modus, quæris? Primum, habere quod neceſſe eſt, proximum, quod ſat eſt.* Rurſus ex eodē Epicuro epiſt. 16. *Si ad naturā viues, nunquam eris pauper; ſi ad opinionem, nunquā diues. Exiguum natura deſiderat, opinio immenſum.* Quæ ſic illuſtrat ibid. Seneca. *Congeratur in te quicquid multi locupletes poſſederunt; vltra priuatum pecuniæ modum fortuna te proueheat, auro tegat, purpura veſtiat, & eò deliciarum opúmque perducat, vt terram marmoribus abſcondas; & non tantum habere tibi liceat, ſed calcare diuitias, Accedant ſtatuæ & picturæ, & quicquid ars vlla luxuriæ laborauit, maiora cupere ab his diſces. Naturalia deſideria finita ſunt: Ex falſa opinione naſcentia, vbi deſinant, non habent. Nullus enim terminus falſò eſt. Via eunti, aliquid extremum eſt; error immenſus eſt*

114. Ex hoc capite ebrietatem cùm cupiditate inſigniter confert Iſid. Peluſ. l. 3. epiſt. 412. quem adſcribo, dimiſſis aliis quæ in eam rem peti poſſunt ex Chryſ. hom. 13. & 24. in ad Rom. & hom. de gula cæteriſque voluptatibus. [Etſi temulentiæ, ait Iſidorus, eorum qui vini & pecuniarum rabie tenentur, ſpecies diuerſa eſt. (Altera enim à vino, altera à pecuniis proſici citur,) at effectus tamen ſimilis eſt. Nam vtrique eodem modo à turpi & abſurda cupiditate ſubacta ſunt. Siquidem & qui vini auidus eſt, quo plures calices exhauſerit, eò plures appetit & qui pecuniarum amore tenetur, quo plura colligerit, eò magis cupiditatis fornacem accendit. Atque hæc quidē in re illi ſimilis eſt. At verò alia rurſum ratione is qui pecuniæ ſtudio flagrat, ſuperiores fert. Nam cùm aliter etſi omni reprehenſione atque condemnatione dignus ſit, tamen rem naturæ conſentaneam perpetiatur. (vinum quippè cùm feruidum & ardens ſit ac naturalem ſiccitatem augeat, ebriis ſitim accerſit;) hic contra, qua de cauſa plura ſemper appetat, dicere nequeo. Nam cùm ampliores opes conſecutus eſt, tum demum maximè in paupertate verſatur. Inexplicabilis enim hic morbus eſt, atq; ænigmati ſimilis. Quamobrem ſi cum curatur ingraueſcit, ac per excogitatum remedium atrocius redditur, materiam eiuſmodi igni præbere deſinamus, ac priſtinam vel ſubito vel paulatim ſubtrahamus, ne aliqui inextinctum effectum, & hic nos in cinerem redigat & illic ad nunquam extinguendum ignem nos tranſmittat.

Vera diuitum egeſtas, tantum abeſt vt ſint beati.

115. Ex hac porro inexplebili opum quo plures congeruntur cupiditate, indice egeſtatis, infert ſupra S. Ambroſ. lib. illo de Naburhe, diuitem qui quicquid acquiſierit, adhuc indiget, nomine tenus diuitem, reuera pauperem eſſe. Quod luculenter c. 14. & 15. confirmat ex eo quod iidem diuites, non domini ac arbitri facultatum ſuarum ſint, vt verè idcirco diuites dici queant, ſed ſerui, ac vt ex Pſalte obſeruat. *viri diuitiarum* à quibus ſcilicet ipſi poſſideantur, non qui eas poſſideant ipſi. Viros quoque diuitiarum, eos nominat Seneca l. de vita beata c. 22. quò reſpexit etiam epiſt. 14. *in fine* ex Epicuro, cuius illud præclarè dictum. *Is maximè diuitiis fruitur*, qui minime diuitiis indiget. Hoc ita gloſſat Seneca, *Qui eget diuitiis timet pro illis. Nemo autem, ſollicito bono fruitur, Adiicere illis aliquid ſtudet. Dum de incremento cogitat, oblitus eſt vſus, rationes accipit, forum conterit Kalendarium verſat, fit ex domino procurator.* Nec diuitiarum duntaxat, ſed & eorum à quibus diuitiæ expectantur ſubeunda eſt ſeruitus diteſcere volenti, vt notauit ex Platone Apollonius epiſt. ad Euphratam & Epictetus cap. 20. Enchirid. & apud Arrianum l. 2. c. 2. *in fine*.

Sed vt in diuitum pauperie, & nunc & ſuperiùs tacta, ſiſtam nullas in mundo eſſe veras diuitias eo nomine dignas ſed in altera tantum vita, probat venuſtiſſimè S. Auguſtinus ſerm. 74. de temp. c. 9. agens de ſtatu regni cœlorum, & pinguem de eo ineruditi Chriſtiani cogitationem redarguens. *Si diuitem te in illo regno futurum putas, cupiditatem non amputas ſed mutas, & tamen diues eris, & non niſi illic diues eris. Nam hic indigentia tua colligit plurima Quare multum habent diuites? Quia multum indigent, Maior indigentia, quaſi maiores comparat facultates. Illbic ipſa indigentia morietur. Tunc verè diues eris, quando nullius indigens eris. Non tu diues & Angelus pauper qui non habet iumenta & rhedas, & familias. Quare? Quia non indiget. Quia quanto fortior, tanto minus indiguus Ergo ibi diuitiæ & vera diuitiæ.* Idem Pulcherrimè ſerm. 15. de diuerſ. c. 4. *Iniuſtum eſt eas putare diuitias quæ non auferunt egeſtatem. Tantò enim quiſque magis ardebit egeſtate, quanto magis eas diligens, maiores habuerit. Quomodo ergo ſunt diuitiæ quibus creſcentibus creſcit inopia; quæ amatoribus ſuis quantò fuerint ampliores non auferunt ſatietatem, ſed inflammant cupiditatem: Diuitem tu putas, qui minus egeret, ſi minus haberet?* Perleganter quoque S. Chryſoſtomus in Pſal. 43. diuites per antiphraſim dictos confirmat, ex tanta opum vilitate & nullo earum vſu ad æternas miſerias declinandas. [Audite, inquit, qui nihilo melius affecti eſtis quam qui ſunt in ſomnis diuites. Quæ ſunt enim præſentia, ſunt ſomnio nihilo meliora, ſed quemadmodum qui in ſomnis ſibi videntur habere pecunias, licet fuerint Regiæ gazæ domini, cùm dies illuxerit, ſunt omnium pauperrimi, ita etiam in vita præſenti qui nihil illuc auferre potuerit, eſt omnium pauperrimus licet omnia poſſederit, In ſomnis enim ſolum eſt diues. Si velis ergo mihi oſtendere diuitem, tunc mihi oſtende quando fuerit dies, quando in illam patriam receſſerimus. Nunc autem non potero diſcernere diuitem & pauperem. Non eſt enim rerum veritas, ſed potius ſplendida & ſpecioſa vocabula. Quemadmodum enim nonnulli appellant cæcos græcè πολυβλέποντας, hoc eſt, multum videntes, licet res nomen non ſequatur, imo ij ſunt maximè non videntes: Ita etiam nomen diuitum, hîc dico circumferri, eorum qui nihil illic poſſident: Quando enim hic diues fuerit, tunc eum ſcio eſſe maximè pauperem. Niſi enim eſſet valdè pauper, non valdè diteſceret. Quemadmodum enim cæcum, niſi omninò eſſet excæcatus, non appellaſſent ipſum πολυβλέποντα hoc eſt, multum videntem. Ita hic etiam putandum eſt. Depoſita ergo deceptione nominum veritatem rerum arripiamus. Res enim non conſiſtunt in nominibus, ſed rerum naturæ, effingunt nomina ex propria ſubſtantia. Hic vocatur diues, ſed non eſt.]

116. Eodem ſpectat quod Clemens Alexandrinus 7. Stromat. c. 3. ex variis Platonis locis confirmat, *Diuites qui vulgò dicuntur*, verè pauperes eſſe, & vt

Diogenes appellabat & μεγαλοπτώχους: Nec aliam eſſe veriorem paupertatem quàm inſatiabilitatem qua diuites ſemper laborant, Itaque concludit ex Platonis, Phœdro, ſolum virum bonum & virtute præditum eſſe diuitem quod ſolus auertat à ſe inſatiabilitatem quam cupiditas inuehit, augent autem diuitiæ. *Non eſt autem*, vt ait, *paupertas, pecunia paucitas, ſed inſatiabilitas.* Id quoque breuiter expreſſit, ex Xenoph. Stobæus ſerm. 5. *Primum*, inquit; *Socratis admirabilem doctrinam, approbare debes, qui diuitias ex vſu meriti iubebat. Non enim immenſas poſſeſſiones diuitias vocabat: ſed tantum quantum requiritur ad vſum decentem. Monebat autem ne iudicio falleremur. Illos enim quos diximus, reuera diuites; reliquos pauperes appellabat; & incurabili ipſos paupertate laborare dicebat, nempe animi morbo, non poſſeſſionis.* Acutè S. Ambroſius 2. offic. cap. 26. diuitiarum probra recenſens, negánſque diuitem habere vnde intumeſcat: *Nunquid*, inquit, *ideirco honeſtior, quia habet quo honeſtas plerumque amittitur; quia habet quod cuſtodias, magis quàm quod poſſideas? Illud enim poſſidemus, quo vtimur quod autem vltra vſum eſt, non vtique habet poſſeſſionis fructum, ſed cuſtodiæ periculum.* At hoc eſt eſſe admodum pauperem, cùm vſus arctetur ad tam pauca. Verè Dandamis Alexandro magno apud Ambroſium tract. de Braph. *Cupiditas paupertatis eſt mater, quæ medicamento malo, hoc eſt ſollicitudine nequit curari: quæ ita ſemper omnia quærit quaſi inuenire nihil poſſit, quia non in iis ad quæ iam potuit peruenire requieſcit, ſed ex illis quæ necdum tenere ſe cernit, magis magiſque cruciatur.*

117. Audiendus prætetea Teles, commentario de paupertatis & diuitiarum comparatione, diuitum paupertatem ſic demonſtrans primùm ex antiquorum quos refert, ſenſu & ratiocinatione, quàm deinde ipſe communit. *Veteres non ineptè mihi ſuper eadem hac re ratiocinari videntur. Quod hominem inſatiabilitate, illiberalitate, ac arrogantia non liberat, id quoque ab indigentia & penuria eum non ſoluit. Nihil autem iſtorum auaritia, arrogantia, & inexplebilitate liberat: mores enim ingeniúmque non immutat: ſicut neque temperantium frugíque hominum mores à paupertate mutantur, ſi ex diuitibus pauperes fiant. Probabilius enim aſſertu mihi videtur colorem ſtaturámve, aut faciem à poſſeſſione diuitiarum immutari, quàm mores. Quandiu inſatiabilis fuerit diues, arrogans, aut timidus. tandiu indigentia & inopia laborabit. Sed quomodo illi poſſunt indigere rebus omnibus, quas habent? Nimirum vt nummulari, (Bion ait,) pecuniis egent, quas tamen habent, non proprias enim poſſident, imò nec ipſi ſeipſos.*

Hactenus veterum ratiocinatio, & propoſitæ aduerſus eam ex vulgi ſenſu argumentationis, depulſio. Nunc aliter Teles de ſuo ad inſtitutum philoſophatur Pergit enim. [Sed eſto, tibi concedatur nunc, eos non indigere? Tamen hoc modo habere, & non habere ſimile eſt, cùm eis vti non valeas. Aut quia intereſt non omnino carere, vel ſic habere, vt Phorcides oculum dicuntur habuiſſe repoſitum, cùm ipſæ interim nihil proſpicientes, in ſepes, foueas & lutum inciderent oculum verò conditum relinquerent, donec tandem ipſe oculus etiam à Perſeo eis auferretur? Quid item differt cibo carere, vt piſcibus & columbis: aut habere talem, qualem quis guſtare nolit: vt Ægyptius canem, aut Græcus cranium humanum? Tam enim alimento indigebit ſi tale habuerit, quàm ſi caruerit? Quid igitur prodeſt ita habere? Nam & tu argentum habes cuius vſu ob ſorditiem & paruitatem animi abſtines. Quare & veteres non ineleganter dixerunt, alios χρήματα, id eſt pecunias; inquientes habere, alios κτήματα, id eſt, poſſeſſiones. Illos enim vti ſuis bonis, hos verò poſſidere ſolùm; nihil interim neque ſibi neque aliis communicantes. Et veluti res quas Rex aut Princeps obſignauit, à quoquam tangi non licet: ita nonnullorum illiberalitas & diffidentia, opes obſignatas contingere non permittit, ſed indigent, ac inopes ſunt; & cum multa deſiderent; vti tamen eis non poſſunt. Quare, Crates, ad interrogantem, quidnam ſi philoſopharetur, lucraturus eſſet; marſupium; (inquit,) facile aperire poteris, & manu exempta expeditè elargiri: non ita vt nunc facis, obſeruans, cunctans treménſque, vt illi quibus reſolutæ ſunt manus. Sed ſi plenum fuerit, eodem modo ipſum aſpicies; & vacuum intuitus non dolebis. Et ſi pecuniis vti ſtatueris, facilè poteris: & ſi nihil habeas, non alia deſiderabis, ſed contentus viues præſentibus, abſentia non appetens; rerum denique euentui acquieſces.]

Sequitur egregia ipſius Teletis ex dictis illatio. *Si quis ergo velit, ſeu ipſemet ab indigentia penuriáque liber fieri, ſeu alium liberari, pecunias ſibi ne quærat. Secus enim ſimiliter faciet, Bione teſte, ac ſi quis hydropicum à ſiti ſoluturus, morbum ipſum non curet, ſed fontes ac fluuios ei comparet, vnde ager humi iacens; priùs bibendo rumpetur, quam ſitire deſinat. Eodem modo homini inexplebili, vaniſque opinionibus & ſuperſtitionibus dedito ſatisfieri nunquam poterit.* Vides iuxta Teletem, eos qui apud vulgus diuites audiunt, corruptè & per vocis abuſum, diuites dici cùm propter inexplebilitatem magis ſemper ac magis flagrantis cupiditatis vere ſint pauperes.

118. Confugit eodem Minutius in Octauio purgans Chriſtianos ab illato paupertatis probro. *Quod plerique*, inquit, *pauperes dicimur non eſt infamia noſtra, ſed gloria: Animus enim vt luxu ſoluitur, ita frugalitate firmatur. Et tamen quis poteſt pauper eſſe, qui non eget. qui non inhiat alieno. qui Deo diues eſt? Magis pauper ille eſt, qui cum multa habeat, plura deſiderat. Dicam tandem quemadmodum ſentio: Nemo tamen pauper poteſt eſſe, quàm natus eſt. Aues ſine patrimonio viuunt, & in diem paſcua paſcuntur: & hæc nobis tamen nata ſunt: quæ omnia ſi non concupiſcimus, poſſidemus. Igitur vt qui viam terit, eò fœlicior quo leuior incedit: ita beatior in hoc itinere viuendi, qui paupertate ſe ſubleuat, non ſub diuitiarum onere ſuſpirat.*

Grauiter & ſplendidè de more Theodoretus orat. 6. de prouid. poſt Chryſoſt. homil. 5. de fide Annæ, & hom. 12. in 2. Corinth. cum diuitibus iuxta ac pauperibus communia, quæcunque meritò pretioſiſſima cenſentur, cœlos, ſydera, elementa, fluuios, fontes, deſcripſiſſet; communem item vtriſque eundem vitæ introitum & egreſſum cùm expoſuiſſet; id quod etiam tradit elegantiſſimè S. Cyprianus ſub finem libri de opere & eleemoſ. & Nazianzenus orat. 26. num 28. ſubdit, communes quoque, (quod incredibile videri poſſit,) ambobus eſſe diuitias & paupertatem, & qui pauper dicitur reuera diuitem eſſe; hoc eſt, vt definit Autor libri de diuitiis: *habentem plus quàm neceſſe eſt.* Qui verò diues dicitur, pauperem eſſe; cùm ei deſunt quæ cupiditati & ſtatui ſunt neceſſaria.

Sic porrò ſuum illud pronunciatum ſtabilit Theodoretus. [Diuitum opibus, pariter & ij qui in paupertate victitant fruũtur. Communis enim vtrorumque conditor, omniuariis artibus paupertatem excoluit, propter quas diuites ad pauperum fores veniunt; & pro pecuniis quæ ſibi neceſſaria ſunt, ab illis recipiunt: & dum pluribus propter opes indigent, omniũ neceſſariorũ penuria laborant. Ab his enim panes ab

iiſdem

iiſdem obſonia emunt, Alij item pedibus calceos conficiunt: Alij tunicas, togas, & pallia parant, Alij tapetia, vittas, & amicula texunt. Et hi rurſom domos ac thronos ædificant; illi verò olerum & fructuum infinitas ſpecies: Alij triticum, hordeum, & reliquas agriculturæ diuitias proferunt, ſine quibus vitam tranſigere impoſſibile eſt, licet vel Cræſi, vel Midæ aurum aliquis poſſideat. Paoperi verò, panis ex miloi confectus, vel etiam ſurſuracens ſufficit, & vulgari obſonio contentus eſt. Quem ergo (ſiquidem iuſte & recte pronunciare voles,) indignum vel egenum vocabis: Quem item pauperem eſſe & neceſſariis carere dices? Eum ne qui paucis quibuſdam, vel potius illum qui pluribus indiget? Eúmne inquam, qui ea per quæ vita noſtra conſiſtit, manibus tenet; vel eum qui auro infido confidit, quod ſeras ſigilla atque ſignacula vincit, quod item foribus longum valere renuncians, foſſorum furúmque manibus raptum aufugit? Atqui pauperis artem nullus prædo eripiet; opulentos autem non prædo duntaxat, ſed ſycophanta quoque, diuitiis ſpoliare poteſt.]

Audet atiam Theodoretus, mutam ipſius diuitis confeſſionem proferre, ex qua conſtet diuitum populariter dictorum egeſtas, & pauperis prærogatiua. Subdit enim. *Et pauper quidem ad forum aſſides, vel ſutoriam exercens vel aurum elaborans, vel argentum aut veſtem vel aliud quidpiam neceſſariorum diuidens: Qui verò diuitiis ſuperbis, qui corpus vltra capitis quoque verticem attolit, & manus magna ſatellitum caterua ſtipatus circunfert, ad hunc venit. Et hic quidem vt par eſt, ſedet, vel corium conſuens, vel argentum exſculpens, vel aliud quidpiam artis quam profitetur, opus perficiens: Hic verò cum illo ſermones miſcens, & præſentia ſua, artis illius neceſſarium vſum indicans, aſtat. Quid ergo indignaris, & paupertatem accuſas, cùm diuitiam quoque huius opera cum primis indigere, eóſque qui diuitiis affluunt, ſine hac viuere non poſſe videas.*

Ex hoc capite Plena apud Ariſtophanem in Pluto, ſua in orbem commoda, & quàm generi humano ſit neceſſaria, latè effert: quod pulchrè etiam proſequitur Theophylactus Simocacta, in epiſtola nomine Hermagoræ ad Sopatrum conſcripta. Indéque ſanè perſpectiſſimum fit introſpicientibus, qui diuites dicuntur, eos eſſe egentiſſimos: Aliunde etiam eam egeſtatem diuitum, ſupra vulgarium pauperum egeſtatem exaggerat Auſonius epigr. 113. illis verſibus.

Non eſt diues opum diues; nec pauper inópſque,
Infælis: alio nec magis alter eget,
Diues eget gemmis, cereali munere pauper.
Sed cum egeant ambo, pauper egens minus eſt.

Acutè ſanè. Nam egeſtas pauperis vulgariter dicti, eſt rei vilioris, ac paratu facilioris: proindéque tanta non eſt, quanta egeſtas diuitis item vulgariter dicti, qui amore flagrat rerum pretioſarum, & ægrè parabilium præterquàm quod iſte quia cupiditas eſt immenſa eget infinitis, ille pauciſſimis. Taceo quod iis ipſis quorum vſum habent diuites, retrahente auaritia quæ eſt magnorum opum veluti tinea. nequaquam fruuntur, quæ eſt egeſtas ſupra quàm dici poſſit exaggerata, nec domino tantùm vt infra demonſtrabo, ſed ferrè etiam vſuſpolians. Audi Petronium.

Non bibit inter aquas, poma aut pendentia carpit,
Tantalus infælix quem ſuo vota premunt.
Diuitis hac magni facies erit; omnia cernens
Qui timet, & ſicco concoquit ore famem.

Tantali fabulam egreglè deſcribit & huc aptat Chorus. 1. Thyeſtis, & Horat. 1. ſerm. ſat. 1

119. Tandem luculenter omnino Seneca 7. de benefic. cap. 9. ſub Demetrij Cynici Philoſophi nomine diuitum paupertatem, præmiſſa inſignis opulentiæ deſcriptione ita exponit: *Volo ſub conſpectu meorum. ponere, quæ gentium oculos Regúmque perſtringunt, nem Volo intueri pretia ſanguinis animarúmque veſtra. Prima mihi luxuriæ ſpolia propone: ſiue illas ſe per ordi expandere, ſiue (vt eſt melius) in vnum aceruum dare, Video elaboratam ſcrupuloſa diſtinctione teſtudinem, & fædiſſimorum pigerrimorúmque animalium teſtas, ingentibus pretiis emptas, in quibus ipſa illa quæ placet varietas. ſubditis medicamentis in ſimilitudinem veri coloratur. Video iſtic menſas, & æſtimatum lignum Senatoris cenſu, eò pretioſius quo illud in plures nodos, arboris infelicitas torſit. Video iſtic chryſtallina, quorum accendit fragilitas pretium. Omnium enim rerum voluptas apud imperitos, ipſo quo fugare debet periculo, creſcit. Video murrhina pocula; parum ſcilicet luxuria magno fuerat, niſi quod vomant, capacibus gemmis inter ſe propinarent. Video vniones, non ſingulos ſingulis auribus comparatos: Iam enim exercitata aures oneri ferendo ſunt: Iunguntur inter ſe, & inſuper alij binis ſuperponuntur. Non ſatis muliebis inſania viros ſubiecerat, niſi bina ac terna patrimonia auribus ſingulis pependiſſent. Video ſericas veſtes. Quid agis auaritia? Quot rerum caritate, aurum tuum victum eſt? Omnia iſta quæ retuli, in maiore honore pretióque ſunt.*

Hactenus expreſſio, inſignis iuxta vulgarem ſentiendi & loquendi modum opulentiæ, quoad præcipuas quaſque eius partes: Nunc quomodo eam expendat, & vere paupertatem eſſe confirmet Demetrius, eundem ipſum diuitem alloquens, audi. [Nunc volo tuas opes recognoſcere; laminas vtriuſque materiæ ad quas cupiditas noſtra caligat. At mehercule terra, quæ quicquid vtile futurum nobis erat, protulit, iſta defodit, & merſit; & vt noxiis rebus ac malo gentium in medium prodituris, toto pondere incubuit. Video ferrum ex eiſdem tenebris eſſe prolatum, quibus aurum & argentum, ne aut inſtrumentum in cædes mutuas deeſſet, aut pretium. Et adhuc iſta aliquam materiam habent. Eſt in quo errorem oculorum, animus ſubſequi poſſit. Video iſtic diplomata, & ſyngraphas, & cautiones, vacua habendi ſimulachra, vmbras quaſdam auaritiæ laborantis per quas decipiant animum, inanium opinione gaudentem. Quid enim iſta ſunt? Quid fœnus, & Kalendarium, & vſura, niſi humanæ cupiditatis extra naturam quæſita nomina? Poſſum de rerum natura queri, quòd aurum argentúmque non interius abſconderit; quod non illis maius, quam quod detrahi poſſet pondus iniecerit. Quid ſunt iſtæ tabulæ, quid computationes, & venale tempus, & ſanguinolentæ centeſimæ? Voluntaria mala ex conſtitutione noſtrâ pendentia, in quibus nihil eſt quod ſubiici oculis, quod teneri manu poſſit: inanis auaritiæ ſomnia. O miſerum, ſi quem delectat ſui patrimonij liber magnus, & vaſta ſpatia terrarum colenda per vinctos, & immenſi greges pecorum per prouincias ac regna paſcendi, & familia bellicoſis nationibus maior, & ædificia priuata laxitatem vrbium magnorum vincentia! Cùm bene iſta, per quæ diuitias ſuas diſpoſuit ac fudit, circunſpexerit, ſuperbúmque ſe fecerit, ſi quicquid habet, ei quod cupit comparet, pauper eſt.]

Opum ſpinoſitas, ac proinde elongatio à ſummo bono.

120. Sequitur alia ſummi boni prærogatiua, nempe ſumma voloptas, quâ beati animum perfundit. At quantis è contra angoribus & curarum morſibus diues vellicetur, vnde omnis ei ſuauitatis ex

tenni hoc bono obuenturæ, ſenſus hebeſcat, frequentiſſimè diſputant, & noſtri, & externi. Seneca quidem luculenter epiſtol. 70. *Libera te*, inquit, *metu paupertatis. Si vis ſcire quàm nihil in illa mali ſit, compara inter ſe pauperum & diuitum vultus. Sæpiùs pauper & fidelius ridet: nulla ſollicitudo in alto eſt: etiam ſi qua incidit cura, velut nubes leuis tranſit. Horum qui felices vocantur, hilaritas ficta eſt, aut grauis & ſuppurata triſtitia. Et quidem grauior, quia interdum non licet palam eſſe miſeros: ſed inter ærumnas cor ipſum exedentes, neceſſe eſt agere fœlicem. Sæpius hoc exemplo mihi vtendum eſt: nec enim vllo efficacius exprimitur hic humanæ vitæ mimus, qui nobis partes has quas malè agamus aſſignat. Ille qui ſcena elatus incedit, & hæc reſupinus dicit.*

Eximpero Argis; regna mihi liquit Pelops,
Qua Ponto ab Helles atque Ionio mari
Vrgetur Iſthmos.

Seruus eſt, quinque modios accepit, & quinque denarios: Ille qui ſuperbus, atque impotens, & fiducia virium tumidus, ait:

Quod niſi quieris Meneal ë, hac dextera occides: *diurnum accipit, in cœnaculo dormit. Idem de iſtis licet omnibus dicas, quos ſupra capita hominum ſupraque turbam delicatos lectica ſuſpendit. Omnium iſtorum perſonata felicitas eſt.*

Hæc ad vitæ humanæ cum ſcena collationem ſpectant, quæ eſt apud ſapientes frequens comparatio, latè illuſtranda cum de virtute aſperorum perpeſſioni addicta. Aliam præterea deſpoliationem, huic loco opportuniſſimam, indicit continenter Seneca [Contemnes illos, ſi deſpoliaueris. Equum empturus, ſolui iubes ſtratum; detrahis veſtimenta venalibus, ne qua vitia corporis lateant: Hominem inuolutum æſtimas! Magones, quicquid eſt quod diſpliceat, aliquo lenocinio abſcondunt. Itaque ementibus, ornamenta ipſa ſuſpecta ſunt: ſiue crus alligatum ſiue brachium aſpiceres, nudari iuberes, & ipſum tibi corpus oſtendi. Vides illum Scythiæ Sarmatiæve Regem, inſigni capitis decorum? Si vis illum æſtimare, totúmque ſcire qualis ſit, faſciam ſolue. Multum mali ſub illa latet. Quid de aliis loquor? Si perpendere te voles, ſepone pecuniam, domum, dignitatem: Intus te ipſe conſidera. Nunc qualis ſis, aliis credis.]

Præclarum item in eandem ſententiam illud Socratis dictum apud Stobæum ſerm. 93. *Magnifacienda eſſent diuitiæ, ſi lætitiam ſibi coniunctam haberent. Nunc autem plurimum diſſident. Nam ſi diuites ſuis opibus frui velint, præ nimia voluptate corrumpuntur: ſin cuſtodire, curis: ſi verò acquirere, nimio deſiderio peſſumibunt.*

121. Multa item in hanc rem prorſus inſigniter Dio Chryſoſtomus orat. 27. oſtendens diuitiarum ſitim, omnium bellorum, angorum & anxietatum fontem eſſe, & ſicut corporis morbi, ex ſanguinis nimietate oriuntur, ita & perturbationes ac mœrorem animi, ex hoc principio dimanare. Idem optimè orat. 10. ſolius pauperis vitam iucundam & hilarem, diuitis ſemper triſtem & meticuloſam, ac multò inſuauiorem quàm ſit ferarum, deſcribit in hunc modum. [Non ſemper argentum affert emolumentum poſſeſſoribus: ſed multo maiora damna, & plura paſſi ſunt homines ab argento, quàm à paupertate, cùm alioqui fatui eſſent. Non tu ergo illud prius ſtudebis poſſidere, quo poſſis qualibet ex re emolumentum capere, omnibúſque tuis rebus rectè vti, nempe vt ſapias: ſed antequam ſapias, quæras argentum, aut terram, aut mancipia, aut iuga, aut nauim, aut domum, quibus cum vna ſeruies, proptérque ea contriſtaberis, multáque facies incaſſum, pérque totam meticuloſus eris vitam, illorum curam gerens; nihil autem vnquam ex eis vtilitatis capiens? Non vides haſce beſtias volucréſque quantò viuant quàm homines iucundiùs, atque etiam ſuauiùs, magíſque ſanæ ſint, validioréſque; viuátque vnaquæque earum quàm longiſſimum poteſt tempus; tametſi neque ſermos habeant, neque humanum intellectum? Pro omnibus tamen aliis malis, hoc maximum habent bonum, quod nihil poſſideant.]

122. Inter noſtros egregiè S. Chryſoſtomus, nominatim homil. 18. in ad Hebræos, *in morali*, vbi benè multa congerit paupertatis elogia. Nec minimum eſt illud, quod negat habere pauperem vnde triſtitia afficiatur, ac incommodo: diuidem è contrà, vt damnis, ita & triſtitiæ vndecunque patere. Facile enim eſt eum apprehendere, qui funes tam multos & longos, trahat: aurum, & argentum, & rerum ac curarum dena milia. Optimè homil. 14. in 1. ad Cor. *in fin*, diuitum perpetuam ingémque fodicationem animi, & voluptatis veræ egeſtatem; ex eo colligit, quod cupiditas cruciet donec ſatietur. Ideirco enim qui fament & ſitiunt, cruciantur quia cupiunt. At diuitibus quo plura poſſident, eo magis incenditur creſcitque cupiditas. Magis ergo ſemper ac magis augetur eorum labor & dolor, fitque vt ibi Chryſoſtomus loquitur, *præſens quædam gehenna.*

Idem homil. 3. in 2. ad Theſſal. ad illud, *Non meminiſtis*, &c. diuitias ſpinis perpulcrè confert. *Spinæ ſunt diuitiæ*, inquit, *nullum afferentes fructum, & aſpectu deformes & vſu iniucunda, lædentes eos à quibus continguntur. Non ſolum ipſa fructum non habentes, ſed & naſcentem fructum impedientes. Tales ſunt diuitiæ. Non ſolum ipſa fructum non afferunt æternum; ſed & fructificare volentes, cohibent, & impediunt, Irrationalium camelorum cibus ſunt ſpinæ, alimonia ſunt ac ſumptus ignis, ad nihil vtiles. Tales ſunt & diuitiæ. Nullis ſunt vſui, niſi ad incendium camini; ad incendium eius diei qui ardebit velut clibanus; ad alimoniam, affectionum irrationalium, vtpote iniuriarum memoriam. & iram. Talis eſt etiam camelus ſpinis veſcens. Fertur enim ab iis qui talia viderunt, nullum eſſe ex omnibus iumentis quod ita iniuriam acceptam tenaciter contineat, ita difficilis iræ ſit, ita malum illatum recordetur, vt camelus. Tales ſunt diuitiæ. Irrationales animi affectiones paſcunt: rationales verò pungunt ac vulnerant, quemadmodum ſpinæ faciunt. Durum quid eſt & ſcabrum hæc planta, vltrò naſcitur ſua ſponte; videamus quomodo naſcatur vt ipſam excidamus, In locis præruptis naſcitur, in ſaxoſis, in aridis. Vbi nulla eſt humiditas. Igitur ſicubi quiſquam ſcaber eſt & præruptus, hoc eſt, immiſericors; naſcuntur in illo ſpinæ.* Sed & alibi eidem comparationi inſiſtens, diuitias *ſpineum amictum* nominat, quod vndecùnque hominem pungant, vt veſtimentum vndecunque tegit veſtitum. Ita ille homil. 13. in ad Eph. Non inſiſto huic comparationi, quod eam ſacri interpretes occaſione Chriſti parabolæ, fusè ac ſæpè illuſtrent.

Exponit eleganter hoc ipſum de quo agimus diuitiarum incommodum S. Gregorius 15, Moral. c. 11. circa illud, *cum ſatiatus fuerit arctabitur, æſtuabit, & omnis dolor irruet ſuper eum.* Exaggerato enim dolore nato ex poſſeſſionis ampliatione, & anguſtiis ex vbertate procreatis, ſubdit. *Benè ergo dicitur*: Cum ſatiatus fuerit arctabitur, *quia mens auari quæ prius ex abundantia requiem quæſierat, poſt ad cuſtodiam grauiùs laborabit. Vnde hic quoque adhuc ſubditur*: Æſtuabit & omnis dolor irruet in eum: *Prius namque dolorem habuit ipſa ſua concupiſcentiæ fatigatione, qualiter concupita pararet: quomodò alia blandimentis? alia terroribus auferret: At poſtquam acquiſitis rebus peruenit ad deſiderium, alius hunc dolor fatigat, vt*

cum

cum ſollicito timore cuſtodiat , quod cum graui labore meminit acquiſitum. Hinc inde inſidiatores metuit , atque ſe hoc perpeti quod ipſe fecit aliis, pertimeſcit. Formidat potentiorem alterum, ne hunc ſuſtineat violentum. Pauperem vero cùm conſpicit , ſuſpicatur furem : Ipſa quoque quæ congeſta ſunt , curat magnoperè ne ex natura propria defectu per negligentiam conſumantur. In his itaque omnibus , quia timor ipſe pœna eſt , tanta infelix patitur, quanta pati timet. Poſt hoc quoque ad gehennam ducitur , & æternis cruciatibus mancipatur. Omnis ergo dolor ſuper eum irruit, *quem & hic primo pœna concupiſcentia , poſtmodum vero cura cuſtodia & illic quandoque pœna vltionis cremat.*

123. Ad caput incommodorum, bona fortunæ affectantium , illud quoque pertinet , quod à tam multis excitetur diues , & ſomno prohibeatur. Pulcherrimè id tradit S. Ambroſius libr de Nabuthe cap.6: Denique optimè S. Cyprianus epiſtol. 2. numeras diuitum moleſtias cōplexus ex verbis illis. *Quos diuites opinaris continuantes ſaltibus ſaltus , & de confinio pauperibus excluſis , infinita ac ſine terminis rura latius porrigentes , quibus argenti & auri maximum pondus , & pecuniarum ingentium vel extructi aggeres vel defoſſa ſtrue ; hos etiam inter diuitias ſuas trepidos, cogitationis incerta ſollicitudo diſcruciat ; ne prædo vaſtet , ne percuſſor infeſtet , ne inimica cuiuſque locupletioris , inuidia , calumnioſis litibus inquietet. Non cibus ſecuro ſomnúſque contingit ; Suſpirat ille in conuiuio : bibat licet gemma , & cum epulis marcidum corpus toros mollior alto ſinu condiderit , vigilat in pluma : Nec intelligit miſer ſpecioſa ſibi eſſe ſupplicia , auro ſe alligatum teneri , & poſſideri magis quam poſſidere diuitias atque opes. O deteſtabilis cæcitas mentium , & cupiditatis inſana profunda caligo ! Cum exonerare ſe poſſit , & leuare ponderibus, pergit magis fortunis angentibus incubare , pergit pœnalibus cumulis pertinaciter adhærere.* Itaque tantum abeſt vt diuitiæ prætenſam ſuauitatem ac mentis tranquillitatem conferant , vt potius mœrore ac ſollicitudinibus compleant animum, æſtúque perpetuo agitent. Quod breuiter in hunc modum expreſſit Minutius ad calcem Octauij. *Magno viatico, breue vitæ iter, non inſtruitur, ſed oneratur.*

Nulla diuiti à diuitiis ſecuritas.

124. Quod verò ſecuritatem ſibi aliqui ab hoſtibus , interuentu diuitiarum pollicentur , inane planè eſt ; vt vel hanc ob cauſam negatum eis velit S. Auguſtinus *diuitiarum* nomen. Sic enim ſcribit ſerm. 35. de verb. dom. c. 4. *Has diuitias noli appellare , quia vera non ſunt. Paupertate plena ſunt , & ſemper obnoxia caſibus. Quales diuitiæ ſunt, propter quas latronem times, propter quas times ſeruum tuum , nec te occiſo auferat , & fugiat ? Si vera diuitia eſſent , ſecuritatem tibi darent.* Idipſum tradit. luculenter inter cæteros Iſidorus Peluſiota lib. 2. epiſt. 146. quæ eſt de diuitiarum incommodis contra Ethnicum quendam. Ita ibi ſub medium epiſtolæ. [Si eum qui pecuniam habeat vix ſubigi atque expugnari poſſe arbitraris , ac propterea rem quandam omni contentione appetendam diuitias eſſe ; ego contrarium demonſtrare conabor. Ecquem enim non pertimeſcit qui auro abundat! An non latrones? An non calumniatores? An non Amplos ac potentes homines? quippe cùm etiam famulos ipſos ſuſpectos habeat. Et quid dicam dum viuere videtur? (neque enim viuit dum huiuſmodi morbo correptus tenetur :) imo ne mortuus quidem , latronum improbitate liberari poteſt, nec mors ipſum ab iniuria tutum & incolumem ſeruare poteſt : ſed exanime quoque corpus ac ſepultum deprædantur , qui huiuſmodi ſceleribus aſſueuerunt. Vſque adeò periculoſa res eſt , opum copia. Neque enim domus tantum effodiuntur , ſed etiam libitinæ & ſepulchra effringuntur. Quidnam igitur hoc calamitoſius ac miſerabilius fingi poſſit , cum ne mors quidem ipſis ſecuritatem præbeat ? Verùm miſerum illud corpus, ne vita quidem orbatum , huius vitæ calamitatibus defungi poteſt : Quippe cùm ij qui in huiuſmodi ſceleribus verſari ſolent , aduerſus puluerem & terram, bellum gerere feſtinent ; & quidem multò acriùs ac moleſtius, quàm cùm vitæ vſura frueretur ? Nam tum ſi ipſis in illius penu ingredi contigiſſet , exinanitis arculis à corpore vtique manus abſtinuiſſent , neque vſque eò in capiendo progreſſi fuiſſent , vt corpus quoque ipſum ſpoliarent. Nunc verò ne ab hoc quidem ſibi temperant ſceleſtæ eorum , qui ſepulchra effodiunt, manus : verum & illud continenter mouent, atque vndique conuertunt , ac cum ingenti crudelitate contumeliis afficiunt. Etenim , poſteaquàm terræ traditum eſt , illud , tum eiuſmodi integumento , tum veſtium inuolucro nudant , atque ita iacere ſinunt.]
Cauſam huius in cadauera inhumanitatis ad diuitias refert Iſidorus , quod ſuo tempore vt conſtat ex D. Chryſoſtomo homil. 5. de fide Annæ *ferè in fine*, multa veſtis pretioſa & aurata cum defuncti diuitis cadauere conderetur ; vnde oculi furum ad cadaueris ſpoliationem furtiuam irritabantur. Sed & ex vſu peruantiquo , virorum Principum ſepulchris condiri theſauri , vt eruditè tradit Pineda in c.3. Iobi v.15. n.4. & agens de Dauidis ſepulchro Villap. tomo 2. lib.5. d. 4. cap.8.

Sed concludamus ex dictis , cum Iſidoro. *Quiſnam igitur adeo teter & importunus hoſtis eſt, vt diuitiæ? Quippe quæ & viuentium animæ exitium afferant , & mortuorum corpori contumeliam inurant , ac ne terrâ quidem illud occultari ſinant : quod tamen in commune conceditur , & rei capitalis damnatis , & iis qui in fœdiſſimis criminibus deprehenſi ſunt. Nam cùm ab his capitis pœnam legiſlatores expetiuerunt , nihil vltra ſibi inquirendum putant.* (Hoc dicit pro Græcorum more Tempore enim S. Iſidori , hoc eſt , tempore S. Chryſoſtomi , apud Græcos , damnati ob quæuis ſcelera , poſt vnum ſaltem aut alterum diem , terræ mandabantur ; vt patet ex homil. 35. D. Chryſoſtomi in 1. Cor [ſub finem.) Illos contra diuitiæ , poſt mortem quoque grauiſſimo ſupplicio mulctant , vt pote quos nudos & inſepultos proponant. Spectaculum ſanè miſerum & horrendum. Itaque ſuperuacanea eſt hæc oratio quæ illud demonſtrare ſtudet, diuitias eam vim habere vt ægrè admodum expugnari poſſint: Quippe cum ne poſt diſceſſum quidem è vita , ſecuritatem obtineant, qui iis præditi ſunt. Et tamen quis non cùm mortuo in gratiam redit; ſit licet barbarus , ſit bellua, ſit execrandus dæmon ? Siquidem huiuſmodi ſpectaculum , perquam etiam rigidum & implacabilem hominem, frangere atque commouere poteſt. Ac propterea cùm quis mortuum conſpicit , etiamſi eum teterrimum & infeſtiſſimum hoſtem habuerit , vna cum ipſius familiaribus & neceſſariis collacrhymat. Adeò omnes , communem naturam , legéſque ab ea inuectas venerantur. At aurum , ne hoc quidem conſecutum , pœnam iis , qui ſe adepti ſunt , remittit. Verùm eos quoque , qui nullâ iniuriâ affecti ſunt , hominis mortui hoſtes reddit ; ſiquidem cadauer ſpoliare acerborum inimicorum & hoſtium eſt. Ac natura quidem , hoſtes quoque ipſi tum reconciliat : At diuitiæ , eos quoque, qui nihil habent quod obiiciant , hoſtes efficiunt, ac cum ingenti contumelia corpus excruciant. Atqui multa illic ſunt quæ animos ad miſericordiam

pertrahere

pertrahere queunt. Quænam tandem hæc? Nimirum hoc ipſum quod mortuus eſt, quod motu caret, quod ad terram ac cinerem tendit; quod nemo præſto eſt qui opem ipſi ferat. At nihil horum, ob eam tyrannidem quam improba hæc cupiditas parit, impuros ac nefarios illos inflectit. Siquidem acris ille & inexplebilis pecuniarum amor, inſtar crudelis cuiuſdam & immanis tyranni ipſis aſtat, ſæua illa & inhumana edicta ipſis proponens, eoſque in feras commutatos ita demum ad ſepulchrum ducit.]

Diuites angoribus obſepti, atque oppreßi.

125. Itaque apparet nullam eſſe diuiti à diuitiis ſecuritatem; ac ne poſt mortem quidem, ſed iuges terrores perpetuàque cruciamenta, atque angores. Vt non abs re Seneca lib. de tranquillit. animi capit. 8. patrimonia, maximam humanorum ærumnarum materiam indigitet. *Si omnia*, inquit, *alia quibus angimur compares, mortes, ægrotationes, metus, deſideria, dolorum laborúmque patientiam, cum iis quæ nobis mala pecunia noſtra exhibet; hæc pars multum prægrauabit.* Et mox. *Anguſtanda certè ſunt patrimonia vt minùs ad iniurias fortunæ ſimus expoſiti. Habiliora ſunt corpora puſilla, quæ in arma ſua contrahi poſſunt, quàm quæ ſuperfunduntur, & vndique magnitudo ſua vulneribus obiecit.*

Optimè item apud eundem Attalus epiſtol. 71. voluptatis, ex cupiditate ac ſiti vlteriore ſuffocationem, exponit in hunc modum. *Vidiſti aliquando canem, miſſa à Domino fruſta panis aut carnis aperto ore captantē? Quicquid excepit, protinus integrum deuorat, & ſemper ad ſpem futuri hiat. Idem euenit nobis. Quicquid expectantibus fortuna proiecit, id ſine vlla voluptate demittimus; ſtatim ad rapinam alterius erecti & attenti. Hoc ſapienti non euenit, plenus eſt, etiamſi quid obuenit, ſecurè excipit ac reponit, lætitia fruitur maxima, continua, ſua.* Atque adeò iugi & imperturbabili, quia in ſeipſo habens gaudij fontem, non extimeſcit illius obſtructionem ab externis incommodis; quæ ſemper ei verenda eſt, qui fortunæ bonis incubat, & rei fluxiſſimæ innititur. Hæc illi iugis, vt cæteræ abeſſent, ærumnarum ac mœroris ſcaturigo.

Inſigniter prætereà Dio Chryſoſtomus orat. 17. [Conſiderandum autem eſt, quod corporis fortitudinem plurimi in bonis ducant: ſed puto ſumma præditis fortitudine, nimiſque excellentibus bona corporis habitudine, conducere, vt partem aliquam demant. Plus enim habere quàm recta proportio requirit, peſſimum arbitror. Similiter & diuitiæ quandam habent vtilitatem, & ſiquidem fuerint mediocres, non grauant poſſeſſores, ſed faciliorem & (per Iouem) magis prouiſam reddunt vitam; ſin verò excellant, plures præbent curas, & triſtia, pro præſumpta voluptate. Et multos pœnituit, quòd ad ſummum diuitiarum perueniſſent. Alij verò propter idipſum, minimarum quoque rerum ſuſtinuerunt indigentiam. Age verò in nobis ipſis, ſi quodque membrorum naturalium plus habere velit, potéſtne fieri vt vel breuiſſimum tempus conſiſtere queamus? V.g. vt ſi cui plus quàm iuſta menſura flagitat, ſanguinis naſcatur, aut etiam (per Iouem) ſpiritus ille calidus, ſi interdum in nobis augeatur præter iuſtam & conuenientem menſuram, nonne ſcitis magnos ex his & difficiles exoriri morbos? In harmonia verò inſtrumentorum, ſi quis ſonorum plus appetat intendi, nonne per Iouem, neceſſe eſt omnem diſſolui conſonantiam?]

E contrà pauperes cruciamentis illis liberi.

126. Pauperum è contrà, quod non ſemel expendit S. Chryſoſtomus, veræ ac ſynceræ, omnibùſque moleſtiis liberæ ſuauitates, ſic ille inſigniter homil. 13. in Acta *in morali*, vbi Epictetum Iro licet pauperiorem, tranquilliùs vixiſſe quibuſuis confirmat. Hos enim ſemper angi & cruciari variis infrœnibus affectibus, nec plus voluptatis capere, quàm qui ſcabie pleni ſunt, eàmque fricando leuantur ad momentum, mox perſenſuri acriorem morſum corrupti humoris, frictione exacerbati: Ita enim cupiditates diuitum ſe habere, quo eis plus indulgent, pluráque poſſident aut comparant. At pauperi, omnem materiam angorum ſubductam eſſe. Itaque longè ſuauiorem & amœniorem vitam viuere.

Addo ex eodem, alia in hanc ſententiam ex homil. 12. in 2. ad Corinth. *in morali. Videtur tibi*, inquit, *ſumptuoſitas iſta admirabilis, eò quod maiorem habeat voluptatem. Verùm apud pauperem non voluptas, ſed ſanitas maior eſt: & in hoc plus poſſidet ſolùm diues, vt corpus infirmius efficiat, & plures infirmitatum plagas contrahat. Nam pauper ſe totum ſecundum naturam regit: ille autem quia immoderatus eſt, ad corruptionem & malam valetudinem vergit. Iam ſi placet iſtud ipſum & in exemplo contueamur. Nam ſi opus fuerit caminum accendere, ille quidem ſericas veſtes, & multa & ſine fine linteamina ſubiicit, & ſic illum accendit: At pauper ligna de quercu vel pinu. Quid amplius habuit hic, quàm ille? Nihil, ſed & minus,* Sanè. Nam quid igne ex eo pabulo ob putorem ingratius? Vt videas quod Seneca, & Chriſtianus Pædagogus aliquoties expoſtulant; luxui nimiùm excreſcenti, deſipientiam adiungi.

Subiicit Chryſoſtomus alterum quoque caput quod in hanc rem ſæpè alibi adhibet, vt homil. 5. de fide Annæ, N homil. 2. ad pop. Sic igitur diſputat. [Adhæc nihil prohibet etiam aliter exemplo admonere. Nam ſiquidem hic ligna iaciat, ille verò corpora adurat; cui camino ſuauiter aſſiſteres; ei quia lignis, vel ei qui à corporibus accenditur? Manifeſtum quod ei qui à lignis. Nam ille quidem ſecundum naturam flagrat, & dulce ſpectaculum videntibus eſt: iſte autem nidore, & pedore, & fumo, & oſſium maleolentia omnes abiget. Horruiſti & abominatus es audito camino illo at tales ſunt diuitum ventres. Nam plus putredinis in illis, quàm in camino illo inueneris, & ventos malè olentes, & fluxus immundos: quod omnibus modis, (etiam in quouis vnguento) multa propter ſatietatem fit incoctio: Non etenim ſufficit naturalis calor omnia perficere, ſed aliis ſuppreſſis alia ſuperiacent fumigantia, & magnam inſuauitatem faciunt. Cui igitur quis conferret illorum ventres? Ne ægrè feratis ſermonem hunc, ſed ſi vera non dixero, reprehendite. Cui igitur quis illos compararit? Non enim ſufficiunt prædicta, illorum miſeriam monſtrare. Inueni & aliam imaginem. Quam nam? Quemadmodum enim in fontibus, vbi multæ herbæ, fœnum. ſtramina, ſtercus, lapides, lutum continuæ obturationes fiunt, & deinde ſupereffluit ſurſum luti voramen: ita & in illorum ventribus contingit. Nam dum ille infra obſtruitur ſupra ſcaturiunt? plura quàm hæc mala fluenta: ſed non ita eſt cum pauperibus, ſed quemadmodū pura flumina profluūt, fontes, & hortos irrigāt, ita & ventres ab illis ſuperfluitatibus puri ſunt. Sed nō tales diuitum. Imò delicatum nō tales ſunt ventres, & ſuccis, phlegmatis, felle, corrupto ſanguine, putrefacto humore, & aliis talibus pleni ſūt. Ea propter nullus, etiamſi ad paruum ſuffecerit tempus ſēper in deliciis viuere ſufficiet, ſed in perpetuis viuet morbis

bis &c. At non pauper qui ſanitatem & bonam valetudinem pertenu.m victum lucrifacit. Ne igitur plora propter paupertatem, ſanitatis matrem, ſed & exulta. Et ſi vis ditari, contemne diuitias. Non enim habere diuitias, ſed non indigere vt habeas, hæc maxima abundantia eſt.]

113. Expendit quoque luculenter de more hanc paupertatis prærogatiuam Theodoretus orat. 7. de prouid. Expendi enim vult *ſummi gubernatoris diſpenſationem. Poſtquam enim multam circa diuites curam vidit, corporis valetudinem integram, paupertati ſeu ſorte attribuit. Et diues quidem magno cum labore & ſtudio fert.r, Pauper verò alienis pedibus nequaquam opus habens, incedit. Et hic quidem pauperis valetudinem optat, ille verò diuitis infirmitatem miſeratur. Sed in ipſis quoque morbis videre eſt, hun. quidem multorum cura foueri, interim verò acerrimis dolor.b.s excruciari, & morbi vehementiam ſuſtinere non poſſe. Et hyberno quidem tempore miſerabiliter domi deſidet, molli lecto affixus iacet, veſtibus multis & calidis inuoluitur, focos vndique circumſtantes habet, qui frigoris vim arceant, pharmaca item innumera quæ cum morb.s certent. Medicorum quoque pollicitationes conſolationis plenas audit & amicorum præſentia fruitur, qui morbi vires ſuauibus colloquiis auferunt vel fallunt. Quod ſi verò æſtiuum aduenerit tempus mox aliæ illum domus ſuſcipiunt, patentiores nimirum, quæ ventorum auras facilè admittant, & vbi hæc ceſſauerint famuli flabellis motis, ventulum ſtudioſè faciunt. Rami circunquaque fixi aſtant, qui hortum ex tempore referant aemum ſylua aut nemori ſimilem reddant, Fontes quoque in ſummis ædium faſtigiis ingenioſè parantur quorum ſcilicet ſtrepitu palpebris ipſius ſomnum conciliare ſtudent: Et tanta licet vndique cura adhibeatur, nihilominus tamen ille, vndis & hac illac ſeſe circumuolutans cruciatur: & man.um iactatione, abſconditum & latentem morbi calorum indicat. Pauper verò vnicam domunculam eàmque mercede conductam inhabitat: (imò eos etiā inuenire licet, qui cùm mercedem exoluere non poſſint, foro pro domo vtuntur, quibus lecti loco ſolum eſt; & ſtraguli mollioris vſum, ſtorea exhibet:) illique nec medicus aſtat, nec coquus Medici mandatis ſubſeruiens: Non famula & nonnunquam nec fœmina coniux. Ad omnia autem ipſi Dei prouidentia ſufficit, quæ morborum ſtimulos hebetat, dolores mitigat, caloris ignem & æſtum citra omnem pharmaci opem extinguit, ſimùlque omne quod vel ex frigore vel æſtu vel inhærente humore detrimentum oboritur, arcet. Nemo illum docet quinam cibi morbi vires alant, qui item valetudini & ſanitati auxilium ferant. Sed non aliquod horum diſcrimen obſeruans, indifferenter quodcunque nactus fuerit comedit, & quod per ſe noxium erat, ipſi vtile & proficuum redditur, cum etiam frigida aqua hauſtus illi loco pharmaci eſſe conſpicitur, ac aridus ſiccuſque panis, morbi æſtum ac flammam extinguit. Non indiget iis quæ ſupra per os ſumuntur pharmacis, nec qui per anum immittuntur Clyſteribus. Natura enim inopiam ſupplet, & medicam opem laboranti offert. Et ſanè videre licet eum qui in ſolo nudo proſtratus iacet, faciliùs morbum ſuſtinere, quàm ij qui omni illa, quam paulò antè commemorauimus, cura fouentur:*

Pauperum deliciæ, puriores quàm diuitum.

128. Argumentum de plenioribus ac purioribus pauperis ex cibario pane & aqua deliciis, quàm diuitis ex opiparo conuiuio, proſequitur ſpendidè S. Chryſoſtomus homil. 2. ad populum. Partem longioris de paupertate encomij. *Vnum eſt quo paupertatem diuitiæ ſuperare videntur. Quotidianis diffluere deliciis, & multa in conuiuiis repleri voluptate. Hoc tamen & in pauperum menſa contingere videtur; Et hos maiori, quàm omnes diuitas voluptate frui. Et ne miremini dictum: Ex ipſa enim rerum demonſtratione, hoc vobis faciam manifeſtum. Noſtis quippe omnes & confitemini, quod voluptatem in conuiuiis, non ferculorum natura, ſed conuiuantium diſpoſitio facere conſueuit. Puta cum fame quis menſam attingens, omni obſonio & ferculo & innumeris ciborum illecebris iucundiorem eſcam guſtabit, etſi omnium viliſſima ſit. Neceſſitatem verò & eſuriem præueniens, (quod diuites faciunt,) ſi etiam placentas viderit appoſitas, non ſentiet voluptatem, ipſius appetitu non excitato. Et vt diſcas quòd hoc ita habet, teſtes quidem & vos omnes. Audiamus autem & ſcripturam hoc ipſum dicentem:* Anima ſaturata calcabit fauum, & anima eſuriens etiam amarum pro dulci ſumet. *Et certè quid fauo eſt dulcius & melle? Sed non iucundum,* inquit, *non eſurienti. Quid verò amarū iniucundius? Sed dulcia ſunt in pauperie conſtitutis. Quod autem pauperes cum neceſſitate & eſurie ad cibum veniant, diuites verò non expectent, hoc cuique manifeſtum eſt: vnde legitimam & ſynceram voluptatem non capiunt. Nec in cibis tantùm, ſed & in potu idem accidere, quis videre poteſt. Et ſicut illic eſurire, ſupra eſcarum naturam voluptatem inducit: ſic & hic ſitire, iucundiſſimum potum facere conſueuit, etſi pura ſit aqua quæ bibatur. Et hoc ipſum Propheta demonſtrans dicebat:* Et ex petra melle ſaturauit eos. *Atqui hoc nuſquam in ſcriptura lectum eſt, quod mel de petra Moſes eduxerit: ſed vbique fluuios & aquas, & frigida fluenta. Quid igitur tandem eſt quod dicitur? Neque enim Scriptura mentitur. Poſtquā enim ſitientes & indigentiâ defatigati, frigidioribus aquis inciderunt, ex potu voluptatem aſſerere volens, mel aquam appellauit. Non tanquam mutata in mel natura, ſed bibentium diſpoſitione, fluenta illa melle iucundiora faciente. Didiciſti, quo modo & potum ſuauem, ſi ientium affectio reddere conſueuit? Multi igitur pauperes, ſæpè laborantes & defatigati, & ſiti ardentes cum dicta voluptate talia libauere fluenta: diuites verò vinum ſuaue, & floris odorem, & omnem virtutem habens quæ in vino optari poſſit, haurientes, non eandem ſenſere delectationem. Hoc in ſomno quiſpiam fieri videret: Non enim mollis ſtratus, neque deargentatus lectus, neque quies per domum facta, neque aliud huiuſmodi quicquam, ſomnum dulcem & proc:iuem facere ſolet: ſicut laborare, & laſſari, & vehementer ſomni indigentes & dormitantes reclinari. Et hoc quidem teſtatur & rerum experientia. Deliciis enim innutritus. Salomon, idem demonſtrare volens, dicebat:* Iucundus ſomnus ſeruo, ſiue parum ſiue multum comedat. *Cur igitur addidit,* ſiue multum ſiue parum comedat? *Ambo hæc vigiliam inducere ſolent, indigentia & crapula: Illa quidem primùm areſaciens, & palpebras corneas reddens, nec claudi permittens: hæc verò anhelitum angens & elidens, & multos inferens dolores. Sed tanta eſt laborum medicina, quod ſi etiam ambo adſint, ſeruus dormire poteſt. Poſtquam enim ſerui tua die vbique circumcurſitant, dominis ſuis miniſtrantes, vapulantes, laborantes, & ne minimum quidem reſpirantes, ſufficientem laſſitudinum & laborum illorum retributionem, capiunt in dormiendo, voluptatem. Et hoc Dei benignitate factum eſt, vt non auro & argento, ſed labore, & ærumna, & neceſſitate, & omni diſciplina, voluptates emi valeant. Sed non ſic diuites, ſed ſtratis mollibus iacentes, multoties totam noctem ducunt inſomnem, & multa machinantes, tali non fruuntur voluptate, Pauper ex diurnis laboribus ſurgens, defatigata habens membra, priuſquàm recubuerit, integrum & ſuauem & legitimum ſomnum ſuſcepit, non exiguam & hanc iſtorum laborum capiens mercedem. Cùm igitur cum voluptate pauper & dormiat, & bibat, & comedat; quæ gratia erunt amplius diuitiæ digna, quam*

vibebuntur

videbuntur ſupra paupertatem prærogatiuam habere, & hac priuata? &c. *Etenim ante cœlorum regnum hic maximum capimus præmium, ex ipſa re voluptatem capientes, non autem voluptatem tantùm, ſed & quod voluptate multò maius eſt, puriſſimam ſanitatem. Diuitibus enim iniucunditates & multæ ægritudines irruunt: pauperes autem a Medicorum manibus immunes ſunt. Si verò nonnunquam & in imbecillitatem incidant, breui ſeipſos inſtaurant, mollitie omni liberi & corpora robuſta habentes. Magna poſſeſſio paupertas ſapienter ipſam ferentibus; inculpabilis poſſeſſio; diuerſorium ab inſidiis tutum.* S. Auguſtinus ſerm. 5. de verb. dom. cap. 11. non diſſimiliter, multipliciter contuſo diuite, cum eum induxiſſet reponentem, id ſibi à diuitiis obuenire boni, & commodi quod epulis veſceretur prætioſis, pauper vilibus, hoc ita repellit. *Interroge vos, quando fueritis ambo ſatiati, pretioſus cibus ad te intrat: quid fit cum intrauerit? Nonne ſi ſpecularia in ventre haberemus, de omnibus cibis pretioſis erubeſceremus, quibus ſaturatus es? Eſurit pauper, eſurit diues. Saturari quæris pauper, ſaturari quærit diues. Saturatur pauper de vilibus cibis, ſaturatur diues de pretioſis cibis. Satuitas æqualis eſt, poſſeſſio vna eſt, quo ambo volunt peruenire. Sed ille per compendium, ille multùm circuit. Sed melius inquis, mihi ſapiunt apparata pretioſa. Vix faſtidioſus ſatiaris. Neſcis quomodo ſapit, quod fames accendit.* In vniuerſum de diuitum pauperúmque comparatione, & pauperum prælatione videndus Libanius tom. 1. diſſertat. 1. morali.

Summa bonorum fortunæ labilitas.

129. Tandem ſtabilitas ac firmitas, quam poſtremo loco quærebamus in ſummo bono, in diuitiis ac fortunæ bonis prorſus nulla. Luculenter ex variis Patribus id declarat Damaſcenus 1. parab. c. 10. Ego pauca hinc inde delibabo. Imprimis inſigniter id tradit Boëtius 2. de conſol. proſa 2. inducens ius volubilitatis ſuæ habentem fortunam, & cõfirmantem nemini nouam videri debere inconſtantiam ac continuum ludum ſuum in tanta mundi diuerſiformitate quam idem auctor deſcribit poſt Tertullianum lib. de pallio, & Cyprianum ad Demetrianum. Præclarè item Nazianzenus orat. 16. quæ eſt *de pauperum amore*, miratur homines hanc tantam inſtabilitatem minus attendere, & in re tam lubrica firmitatem expectare. [Non tamen, inquit, aliquando reſipiſcemus? Non ſtuporem atque indolentiam ne dicam tenacitatem, abiiciemus? Non res humanas cum animis noſtris conſiderabimus? Non in aliorum malis, rebus noſtris conſulemus? Naturâ quippe nihil eſt in rebus humanis firmum & æquabile ac diuturnum, atque eodem ſtatu conſtanter manens. Verùm rerum noſtrarum velut orbis quidam voluitur, aliâs alio tempore, ſæpè etiam vno eodémque die, atque etiam interdum eadem hora, mutationes ferens: adeò vt inſtabilibus ventis, ac nauis per mare iter facientis veſtigiis, & fallacibus noctis inſomniis, breuem voluptatem afferentibus, iiſque figuris quas pueri per ludum in arena fingunt, fides potius haberi poſſit, quàm hominum proſperitati.]

Et paulò pòſt, ad idem inſtitutum, pulcherrimè. [Cætera omnia fluxa & fragilia ſunt ac velut in calculorum ludo aliâs ad alios iactantur & transferuntur, nec quicquam eſt ita poſſidentis proprium, quod non vel temporis tractu finem capiat, vel liuore ad alios traducatur. Hæc verò certa & fixa ſunt, nec vnquam recedunt ac dilabuntur: nec ſpes eorum qui fiduciam in his collocarunt, fruſtrantur. Ac mihi hæc quoque cauſa eſſe videtur, cur nullum huiuſce vitæ bonum hominis certum ſit ac diuturnum: Atque hoc, vt ſi quid aliud, rectè ab artifice verbo & ſapientia illa mentem omnem ſuperante factum eſſe, vt nos in iis, quæ in aſpectum cadunt, atque aliâs aliter mutantur & mutant, ac ſurſum deorsúmque feruntur & inuertuntur, ac priuſquam manu teneantur, fuga ſe proripiunt, eludamur. Nimirum vt perſpecta eorum inſtabilitate ac varietate ad futuræ vitæ portum contendamus. Quid enim feciſſemus, ſi proſperitas nobis firma & perpetua eſſet cùm licèt fluxa & fragilis ſit, vſque eo tamen ipſi tanquam vinculis quibuſdam aſtricti ſimus, eiúſque voluptate atque impoſtura in hanc ſeruitutem redacti, vt nihil præſentibus rebus melius atque excellentius cogitare poſſimus. Idque cùm ad Dei imaginem, quæ & ſurſum eſt, & ad ſe trahit, creatos nos eſſe audiamus, ac perſuaſum habeamus?]

Non mihi tempero, quominus his perſpectis atque perpenſis, cum eodem Nazianzeno ibidem continenter, exclamem [Quis ſapiens & intelliget hæc? Quis prætereuntia præteribit? Quis ſtabilibus & æternis mentem adiunget? Quis de præſentibus rebus tanquam de abeuntibus cogitabit? Quis de his, quæ in ſpe poſitæ ſunt, tanquam de certis & conſtantibus? Quis ea quæ verè ſunt, ab his, quæ apparent, diſtinguet, atque illa ſequetur, hæc contemnet, ac pro nihilo putabit? Quis picturam à veritate? Quis terrenum tabernaculum à cœleſti ciuitate, quis peregrinationem ab habitatione, quis tenebras à luce, quis limum profundi à terra ſancta, quis carnem à ſpiritu, quis Deum à mundi Principe, quis mortis vmbram à vita ſempiterna diſcernet? Quis præſentibus rebus futuras emet? Quis fluxis opibus opes conſtantes & perennes? Quis rebus iis, quæ aſpectui ſubiiciuntur ea quæ ab oculorum ſenſu remota ſunt? Beatus quidem ille, qui hæc verbi gladio, virtutem à vitio ſecante, diſtinguens ac diuidens, aſſenſiones in corde ſuo diſponit, vt quodam loco diuinus Dauid loquitur, atque hanc lachrymarum vallem, quàm celerrimè poteſt, fugiens, quæ ſurſum ſunt, quærit.]

Rota fortunæ.

130. Præclare item idem Theologus ſequenti oratione 17. ex Herodoto, (vt ibi aduertit Elias) perpetuũ in diuitiis ac fortunæ bonis, motum, aperit his verbis. [Res humanæ, velut orbe quodam voluuntur, ac Deus per cõtraria nos erudit: vt ſapienter omnia coagmentauit, quaſique vinculis aſtrinxit, ſic non minori ſapientia (vt inacceſſa ſunt iudicia, minimèque humana mente peruestigari poſſunt) cùm vniuerſam rerum machinam, tum res quoque mortalium regens ac gubernans. Mouetur enim vt ſic dicam ac fluctuat vniuerſitas rerum circa immobilem, haud quidem quantum ad rationem (nam ea ipſa inter omnia firma & immobilis ſtat, etiamſi noſtram infirmitatem atque animorum hebetudinem effugiat) verùm quantum ad ea quæ ſingulis diebus nobis occurrunt & eueniunt, Atque hoc vetus fixúmque Dei decretum eſt, tenebras oculis noſtris vndique affuſas, ipſius latibulum eſſe permultáque in ipſius gubernatione, hanc rationem habere, vt à nobis, niſi in obſcuris ænigmatis, ac velut ſpectris, perſpici nequeant: ſiue hac ratione faſtum noſtrum & arrogantiam coercere velit, (vt intelligamus nos nihil eſſe, ſi cum prima illa & vera ſapientia conferamur; eámque ob rem ad ipſum vnum tendamus, nec quicquam aliud quæramus, quam vt promanantibus illinc radiis colluſtremur) ſiue per earum rerum quæ oculis cernuntur, ac conuerſioni ſubiectæ ſunt, inconſtantiam, ad ea quæ ſtabilia & æterna ſunt reuocare. Cæterùm nihil motus expers eſt vt diximus, nihil planum & æquabile, atque in finem vſque ſibi ſimile, non hilaritas, non mœſtitia, non opes,

opes, non paupertas, non vires, non infirmitas, non humilitas, non potentia, non præſens tempus, non futurum, non res noſtræ, nun alienæ, non paruum, non maius, nec denique quicquid dicere quiſquam poſſit. Atque hoc vnum æquale inæqualitas habet, nempe in omnibus rebus mutationem. Omnia enim facile in orbem feruntur, atque in diuerſum migrant, ſibique inuicem aduerſantur: vt ventis tutiùs aut literis in aqua ſcriptis potius haberi poſſe fides videatur, quàm hominum felicitati.

Extrema hæc clauſula, iiſdem fere verbis reperita habetur apud eundem Nazianzenum epiſto. ad Sophronium, quæ eſt 18. inter Theologi Epiſtolas. Et vtrobique cauſa ſubditur, cur viſum ſit Deo tantam in hac verè rota volubilitatem & citatiſſimam vertiginem ſtatuere. Nimirum *vt harum rerum inconſtantiam & varietatem inſpicientes, concitatiore curſu ad Deum & futura properemus, ac nobis quoque ipſis nonnihil proſpiciamus. paruam vmbrarum & ſomniorum curam gerentes.* Senſiſſe id quàm accuratiſſimè Abrahamum, & hanc humanorum quorumuis bonorum velut in rota circumactionem peritiſſimè perſuaſiſſe, & idcirco affectu ab eis fuiſſe abiunctum, S. Chryſoſtomus autor eſt homilia de nomine Abraham. Vbi de hac rota, ſic præter cætera. *Sicut videre nequit in rota quæ continuò verſatur, aliqua pars eius, eo quod crebra circumferentia, ſemper ſumma fiunt ima, & ima ſumma; ita & noſtrarum rerum impetus dum continuò vertuntur, ſumma facit infima, vt videre licet in diuitiis, potentiis, & aliis. Nunquam enim in eodem ſtatu manent, ſed ſemper inſtabiles, fluminum fluxus imitantur. Quid igitur his incertius quæ tam crebro transferuntur, & priuſquàm rectè appareant auolant? Priuſquàm adueniant, reſiliunt? Vnde & Propheta de diuitiis & deliciis talibus diſſerens, & ſpectans vacantes talibus quaſi permaneant, dicit.* Reputarunt quaſi ſtantia, & non quaſi fugientia. *Non dixit* quaſi prætereuntia, *ſed quod multo plus*, quaſi fugientia. *Non enim paulatim recedunt, ſed mira celeritate.* Hebraicus Commentarius ſententiarum Benſyræ circa 11. annotat diuitias denariis comparari, qui rotæ inſtar (nam & effictus in rotam eſt,) nunc huc, nunc illuc migrant. Audiendus in eandem ſententiam chorus Thyeſtis, actu 3.

Omne ſub regno grauiore regnum eſt:
Quem dies vidit veniens ſuperbum,
Hunc dies vidit fugiens iacentem.
Nemo confidat nimium ſecundis:
Nemo deſperet meliora lapſis:
Miſcet hæc illis, prohibétque Clotho
Stare fortunam: Rotat omne fatum.
Nemo tam diuos habuit fauentes,
Craſtinum vt poſſet ſibi polliceri.
Res Deus noſtras, celeri citatas.
Turbine verſat.

Hic eſt turbo & circulus rerum humanarum, quæ ſurſum deorſúmque ab æuo in æuum voluuntur nunquam & nuſquam conſiſtentes iuxta Anton. lib. 9. num. 19. Loquitur ad eam mentem, ſed ſapientiùs etiam ac grauiùs S. Chryſoſtomus homil. 2. ad pop. quo loco, *incertum diuitiarum*; vt loquitur Apoſtolus, his verbis expreſſit. *Propterea & ipſarum poſſeſſionem incertam & non ſtabilem fecit, vt & per hoc inſania circa ipſas intentionem diſſolueret. Si enim nunc poſſidentes qui de ipſis confidere non valent, quinimo multas ex hac re naſcentes inſidias cernunt; ſic circa illarum deſiderium ſuccedunutur: ſi & hoc propoſitum eſſet, vt ſtabiles & minimè caducæ forent, cui pepercuſſent? vnde abſtinuiſſent? quæ viduæ? quibus pupillis? quibus pauperibus? Ne igitur magnum putemus bonum eſſe diuitias.*

131. Optimè item, & ſubiecta inſigni huius veritatis praxi in Eutropiu ditiſſimo, & Arcadio Imperatori in paucis charo mox ad ſummam redacto egeſtatem; concludit, quocunque nomine diuitiarum vilitatem ſignificemus, fore vt minus quàm pro veritate dicamus. *vel ſi fumum, eas vel fœnum, vel ſomnium, vel flores vernos, vel quidlibet aliud nominauerimus, vſque adeo ſunt fragiles & magis nihili, quàm nihil ipſum.* Ita ille homil. in Eutropium. Certè etiamſi huc diuitiarum dominium perenne ac perpetuum eſſet, parui tamen faciendum erat, ſpectata obiecti exilitate & intermiſtis incommodis. At nunc breuiſſimam cuique eſſe huius dominij vſuram, nec vitæ finem prætergredi, nemo diffiteri queat. & pulchrè expreſſit Conſtantinus magnus apud Euſeb. lib. 4. de eius vita c. 30. Cuidam enim, auaritiæ inſimulato, ipſe humo, haſtili quod fortè manu verſabat, inſcripta; quantum homo longus eſt; *ſi*, inquit, *orbem acquiſieris, hoc agelli nihilo plus auferes* Si autem Præterea obſeruemus, ne tantam quidem eſſe magnæ hominum parti dominij huius durationem, nec ipſos per mortem diuitias ſuas deſerere; quod vnicuique ineuitabile & fixum eſt, ſed ſuperſtites deſeri ab eis; ob fluxam ipſarum conditionem, & inſtabilem apud priorem poſſeſſorem conſiſtentiam; auferetur omnis dubitandi occaſio, detrahetúrque diuitiis larua illa bonitatis; quam plerique in eis deluſi ſpecie agnoſcunt.

Solus diuitiarum vſus penes poſſeſſorem.

Ob hanc tantam inſtabilitatem diuitiarum, plerique & noſtri & externi, negant earum dominium eſſe penes poſſeſſorem, ſed merum duntaxat vſum illi concedunt. Pulcherrimè S. Chryſoſtomus hom. 2. ad populum [Ne dicas mihi tot & tot annorum prouentus repoſitos habeo, auri talenta innumera; lucra per ſingulos aduecta dies. Quantacunque dixeris, omnia temerè dices & incaſſum. Sæpius vna hora, & breui temporis momento, velut vento ſupernè irruente iactabilis puluis, ſic hæc omnia ex domo exufflantur. Et horum vita plena, plenæ verò ſcripturæ diſciplinarum & exemplorum. Hodie diues, cras pauper. Idcircò ſæpiùs riſi teſtamenta legens dicentia; ille quidem habeat agrorum, vel domus dominium, vſum verò alius: Omnes enim vſum habemus, dominium autem nemo. Etſi enim nobis per omnem permaneant vitam, nullam facientes diuitiæ mutationem, & volentes & nolentes, in fine aliis cedemus, ipſarum vſu ſolo decerpto, dominio autem nudi & orbati, ad illam vitam migrantes. Vnde manifeſtum eſt quod illi ſoli dominium habent, qui & ipſarum vſum contempſerunt, & fructum deriſerunt.]

132. Seneca variis locis, tanquam monitum ad mores pernéceſſarium, id infigit. Illuſtriſſimè lib. 6. de benef. c. 3. *Hæ ſunt*, ait, *diuitiæ certæ, in quacunque ſortis humanæ leuitate vno loco permanſuræ: quæ quo maiores fuerint, hoc minorem habebunt inuidiam. Quid tanquam tuo parcis? Procurator es. Omnia iſta quæ vos tumidos, & ſupra humana elatos, obliuiſci cogunt veſtræ fragilitatis, quæ ferreis clauſtris cuſtoditis armati, quæ ex alieno ſanguine rapta, veſtro defenditis, propter quæ claſſes cruentaturas maria deducitis, propter quæ quaſſatis vrbes; ignari, quantum telorum in aduerſos fortuna comparet, propter quæ ruptis toties affinitatis, amicitiæ, collegij fœderibus, inter contendentes duos, terrarum orbis eliſus eſt; non ſunt veſtra: In depoſiti cauſa ſunt, iam iámque ad alium dominum ſpectantia, aut hoſtis illa, aut hoſtilis animi ſucceſſor inuadet.*

Et in conſolatione ad Marciam c. 10. [Quicquid eſt hoc, Marcia, quod circa nos ex aduentitio fulget

liberi, honores, opes, ampla atria, & excluſorum clientium turba referta veſtibula, clara, nobilis, aut formoſa coniux; cæteráque ex incerta & mobili ſorte pendentia: alieni commodatíque apparatus ſunt. Nihil horum dono datur: collatitiis, & ad dominos redituris inſtrumentis ſcena adornatur. Alia ex his primo die, alia ſecundo referentur: Pauca vſque ad finem perſeuerabunt. Ita non eſt quod nos ſuſpiciamus, tanquam inter noſtra poſiti: Mutuo accepimus. Vſus fructus noſter eſt, cuius tempus, ille arbiter muneris ſui temperat. Nos oportet in promptu habere, quæ in incertum diem data ſunt, & appellatos, ſine querela reddere.

Optimè epiſt. 87. [Contra totius generis humani opiniones mittenda vox erat. Inſanitis, erratis, ſtupetis ad ſuperuacua, neminem æſtimatis ſuo. Cúm ad patrimonium ventum eſt, diligentiſſimi computatores, ſic rationem ponitis ſingulorum, quibus aut pecuniam credituri eſtis, aut beneficia. Nam hæc quoque iam expenſa fertis. Latè poſſidet, ſed multum debet: habet domum formoſam, ſed alienis nummis paratam: familiam nemo citò ſpecioſiorem producet, ſed nominibus non reſpondet. Si creditoribus ſoluerit, nihil illi ſupererit. Idem reliquis quoque facere debebatis, excutere quantum proprij quiſque habeat. Diuitem illum putas quia aurea ſupellex in via eum ſequitur, quia magnus Kalendarij liber euoluitur, quia tantum ſuburbani agri poſſidet, quantum inuidioſè in deſertis Apuliæ poſſideret: & cùm omnia dixeris, pauper eſt. Quare? quia debet. Quantum, inquis? Omnia; niſi fortè iudices intereſſe vtrum aliquis ab homine, an à fortuna mutuum ſumpſerit.]

Dicta idcirco aliena bona.

133. Et hoc expreſſiſſe Chriſtum Dominum, cùm diuitias aliena bona vocauit, obſeruat Caſſianus coll. 3. c. 10. & ibi ex aliis Patribus Gazæus. Rectè enim dicuntur bona aliena, quæ tam facilè fiunt alienorum. Eámque ob cauſam S. Chryſoſtomus apud Damaſcenum 2. parall. c. 17. diuitias nominat meretrices, quód nunc iſti, nunc alij iungantur, vt quemadmodum meretrix, aliena eſt ei cui iungitur, ita & opes alienæ ſunt ab eo qui illis potitur. Eucherius ſapienter homil. 2. de natali Eccleſ. agens de opum contemptione præ æternis bonis atque ſalute. *Cariores vobis nos debemus eſſe quàm noſtra ſunt. Sed quid ego noſtra voco quæ abauis atque auis qui ante tenuerunt, videmus aliena? Quæ à poſſeſſore ſuo vna febricula veniente, nouimus repoſcenda? & remanebit omni re indigens, qui ſibi videbatur eſſe prædiues. Sed quid porro noſtra voco, quæ nos dum nimis occupant, à Deo qui ſolus noſter eſſe debet, alienant; quæ dum nos ad ſe vocant, à patria reuocant; & dum ſe nobis, quaſi noſtra, cum extranea eſſe probentur, inſinuant, illis eos bonis, quorum proprietas eſt promiſſa deſpoliant?* A caducitate eſſe diuitias bona aliena probat latè S. Baſil. hom. de non adhærendo rebus ſecul. Seneca item epiſt. 8. in fine laudat Publium Mimum quod negaſſet fortuita in noſtris habenda illo verſu.

Alienum eſt omne quicquid optando venit.

Quòd à Lucilio paulò meliùs & aſtrictiùs dictum memorat, eo verſu.

Non eſt tuum, fortuna quod fecit tuum.

Sed egregiè epiſt. 41. diuitias ex tam facili ad alios tranſitu aliena bona vocat. [Quid eſt ſtultius quàm in homine aliena laudare? Quid eo demétius, qui ea miratur, quæ in alium protinus transferri poſſint? Non faciunt meliorem equum aurei fræni. Aliter leo aurata iuba nitet, dum contrectatur, & ad patientiam recipiendi ornamenta cogitur fatigatus: aliter incultus, integri ſpiritus. Hic ſcilicet impetu acer, qualem illum eſſe natura voluit, ſpecioſus ex horrido, cuius hic decor eſt, non ſine timore aſpici, præfertur illi languido & bracteato. Nemo gloriari niſi ſuo debet. Vitem laudamus, ſi fructu palmites onerat, ſi ipſa ad terram, pondere eorum quæ tulit, adminicula deducit. Num quis huic illam præferet vitem, cui aureæ vuæ, aurea folia dependent? Propria virtus eſt in vite fertilitas. In homine quoque id laudandum eſt, quod ipſius eſt. Familiam pulchram habet, & domum pulchram: Multum ſerit, multum fœnerat. Nihil horum in ipſo eſt, ſed circa ipſum. Laudo in ipſo quod nec eripi poteſt, nec dari; quod proprium eſt hominis.] Attingit alterum quoque modum quo diuitiæ aliena bona ſunt, id eſt, nobis extrinſeca; quo ex capite eas etiam depreciat Boëtius 2. de conſol. proſ. 5.

Collata cum fluuio, æſtuariis pompa, fumo.

134. Sed hæreo in ea diuitiarum labe ob quam alienas dici notabam; nempe in inſtabilitate; Quæ tanta eſt, vt nullibi maior appareat, non in fluuio, non in vento, non in ſomnio, vel vmbra. Illuſtriſſimè Sanctus Baſil. in Pſalmum 61, tractans illud, *Diuitiæ ſi affluant*; Verbi enim energiam ſuſpiciens. *Si aliquem*, inquit, *opulentum videris, noli propterea beatum in vita exiſtimare. Si tibi multa vndique quaſi ex copioſiſſimis fontibus affluxerint opes, noli luculentam illarum recipere copiam. Diuitiæ ſi affluant. Mihi cum admiratione hanc ſuſpicito vocem. Fluxa eſt diuitiarum natura, ſuos poſſeſſores torrente prærapido ocyùs prætercurrit alios alio modo apta mutare dominos. Quemadmodum fluuius ex alto ruens loco, ita ſubitò exuberat, vt ſtantes in ripa quandoque attingat: ſimul verò vbi attigit, mox ſuccedit: ſic & opum lubrica decliuitas, pernicioſiſſimam exhibet & prolapſione leuiſſimam ſui præſentiam, aliud ex alio natum permutare. Hodie huius eſt ager, cras erit alterius, & paulò poſt ad alium perueniet. Reſpice parumper ad ciuitatis domos, quot nomina ex eo tempore quo fuerunt ædificatæ, ſortitæ ſunt, aliter ab aliis atque aliis appellatæ poſſeſſoribus: Et aurum è manibus habentis ſe, fluens ſemper ad alium transfertur, & ab illo ad alium. Magis enim aquam manum circumplexam retinere continenter poſſis quàm diuitias conſeruare tibi ipſi. Illud itaque diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere, te admonet, vt ne animo erga illas affitiaris, ſed vſum tantum ſumas neceſſarium.*

Et opum, & rerum humanarum quarumcunque cum fluuio præterlabente analogiam, ſcitè inſtituit Max. Tyrius diſſert. 37. n. 213. *Conuerſionem*, inquit, *rebus quotidie humanis inducit Deus, nec alia quàm in diem earum eſt cōditio. Sic vt Fluuiis qui è perpetuo oriuntur fonte: nomen vnum eſt; Sercbius videlicet, Alpheus, aut ſimile; noua autem ſemper aquarum acceſſio, quarum hæc tranſiit, illa venit. oculis imponit, vt vnum idémque eſſe videatur flumen: Eodem modo è perēni res humanæ fonte, mira quadam perpetuáque velocitate fluunt, naſcuntur, proueniunt: curſum verò earum acumo ſenſit, nec aliter humana in eo decipitur ratio, quàm in fluuio aſpectus, vt vnam eandémque eſſe arbitretur vitam. Res enim diuerſa, res eſt varia, quæ à caſibus, negotiiſque multis mutatur & occaſionibus.* Antoninus in eam rem pulcherrimè lib. 6. de vita ſua num. 25. *Quædam iam fiunt quædam mox exiſtent: Quin & eius quod fit pars iam nunc aliqua euanuit. Fluxus & alterationes continenter mundum renouant; quemadmodum infinitum æuum temporis aſſiduo lapſu, nouum ſubinde redditur: In hoc itaque flumine quiſnam ea quæ præterferuntur, ac quibus inſiſtere non poſſit, honore aliquo dignetur? Is quidem perinde ſit, ac ſi*

quis

quis vnũ de prætervolantibus paſſerculis diligere incipiat, atque is iam è conſpectu eius abierit. Idem de torrente & fluctibus rerum humanarum perbellè lib. 9. n. 21. & annuunt alij proferendi num. 251.

Affinia ſunt illa Philonis lib. *quòd Deus immutabilis* deſcribentis fortunæ æſtuaria. *An putas mortalem rem vllam verè eſſe ac ſubſiſtere, & non tanquam in ſuggeſto quodam ab inani & incerta opinione ſuſtineri, non aliter quàm ſomniorum ludicra? Quod ſi non libet ſingulorum fortunas perquirere, vide regionum integrarum & gentium mutationes in melius ac deterius. Floruit quondam Græcia, ſed Macedones abſtulerunt ei potentiam. Poſtea Macedonia viguit opibus, ſed diuiſa in plures portiones, debilitata eſt, donec omnino interiit. Ante res Macedonum inclyta fuerat perſarum felicitas. Sed vna dies tam ingenti regno finem attulit. Et nunc Perſæ penes quos paulò antè fuerat imperium, ſunt Parthorum prouincia. Fuit & Ægypti olim perampla magnificáque potentia, ſed nubis in morem præteriit eius felicitas. Quid Æthiopes, quid Carthago in Africa? Quid Pontici Reges, quid Europa Aſiáque, & vt compendio dicam totus orbis habitabilis? Nonne more nauis ſuſque deque iactata marinis fluctibus, nunc ſecundis ventis, nunc aduerſis vtitur? Nam verbum diuinum choreas in orbem ducit, quod vulgus hominum fortunam nominat. Et cùm perpetuò feratur per ciuitates, gentes regionéſque, res aliorum aliis, omnium omnibus tribuit; ſubinde variantibus apud ſingulos temporibus, vt totus terrarum orbis tanquam vna ciuitas optimo Reipublicæ genere adminiſtretur, populari regimine. Nihil igitur eſt in humanis rebus ac negotiis præter vmbram, auráque leuiſſimam ſine mora prætervolantem. Eunt enim vltrò citróque tanquam æſtuaria. Nam & marini æſtus nunc cum magno impetu ſonitúque accedunt, & longe latéque per littora diffunduntur vndis ſtagnantibus. Nunc refluunt retrò magnámque maris partem in formam continentis redigunt. Simile quiddam accidit, quando fortuna poſtquam populoſam aliquam gentem inundauit magnis felicitatibus, fluxu auerſo ne guttam quidem ſinit reliquam, deletis etiam veſtigiis opulentia priſtina.*

Sapientiſſimè Attalus apud Senecam epiſt. 110. cùm in Circenſi quodam apparatu, conſpexiſſet, quæ res ſuas recognoſcens ſummi imperij fortuna protulerat; totas inquam opes vrbis, cælatas ex auro & argento, & his quæ prætium auri argentique vicerunt: ſubiicit, minus ſe cupiditatis, ex ea pecuniæ & opum pompa extuliſſe, quàm attuliſſet. *Contempſi*, inquit, *diuitias, non quia ſuperuacua, ſed quia puſilla ſunt. Vidiſtine quàm intra paucas horas, ille ordo quamuis lentus diſpoſitúſque tranſierit. Hoc totam vitam noſtram occupabit, quod totum diem occupare non potuit? Acceſſit illud quoque. Tam ſuperuacua mihi viſa ſunt habentibus quàm fuerant ſpectantibus. Hoc itaque ipſi mihi dico, quoties tale aliquid præſtrinxerit oculos meos; quoties occurrit domus ſplendida, cohors culta ſeruorum, lectica formoſis impoſita calonibus: Quid miraris? Quid ſtupes? Pompa eſt. Oſtenduntur iſtæ res, non poſſidentur, & dum placent tranſeunt. Ad veras potius te conuerte diuitias. Diſce plane eſſe contentus.* Hæc ſibi Attalus; ac vt mox ſubdit Seneca, natura omnibus idem edicit, iubens agnoſci hanc eſſe pompam, & inanem fluxarum rerum oſtentationem. Pulchrè item Dio Chryſoſto. orat. 64. *in ipſo fine* poſt expoſitam fusè labilitatem & inconſtantiam opum, aliorúmque noſtratium bonorum, concludit his verbis. *Nihil mihi videtur hominum vita differre à pompa, in omnibus quæ nobis accidunt mutationibus.*

Denique bellè Theophylactus Simocatta epiſtola nomine Themiſtoclis ad Chryſippum, demonſtrat, in fabula graculi alieno ornatu conueſtiti, poſtmodum verò ſpoliati, atque nudati aſcititio illo cultu; adumbratum, quàm nihil hîc omnes homines quantumlibet, diuites poſſideant ſuum ſed alienis tantùm & aſcititiis ornamentis ad tempus fulgeant, mox exuendi.

Hanc ipſam ob cauſam cum fumo quoque conferuntur diuitiæ, & quæ ab eis eſt gloria, cap. 5. Sap. *Tanquam enim in ventos, ſuæ vanitatis elatione diſſipata interit, quemadmodum diſperit fumus elatus, tumida non ſolida magnitudine inflatus. Sic eſt enim fumus: Vides magnam molem, habes quaſi quod videas, non habes quod teneas.* Verba ſunt D. Auguſtini ad illud Pſalmi 67. *Sicut deficit fumus deficiant*, integro ſermone de eo verſu, qui eſt 109. de temp. Perpulchrè tamen S. Chryſoſtomus, aliam inſuper cauſam profert, cur poſſint fumo conferri diuitiæ, & quæ ex eis eſt gloria. Sic enim diſſerit homil. 2. in Matth. *Fumo ſunt humana negotia comparanda. Propterea & ille ait: Defecerunt ſicut fumus dies mei: Sed ille quidem de breuitate hoc, & fuga quadam huius dixit ætatis. Ego verò non ad hoc ſolum, verum etiam ad turbulentiam rerum præſentium, dici poſſe illud accipio. Nihil enim ita oculos animæ contriſtat ac turbat, vt ſecularium conditio curarum, & quaſi obuolutatia quadam multiplicis cupiditatis examina. Hæc enim ſunt iſtius fumi ligna. Nam ſicut ignis iſte communis, vbi humidam corripit conſperſámque materiam, plurimum ſine dubio fumum ſuſcitat; ſic etiam concupiſcentia vehemens illa prorſus ac flammea, quandò humentem alicuius ac paluſtrem ſuccendit animam, multum in ea fumum gignit ac nutrit. Propter hoc etiam rorè opus eſt Sancti Spiritus, & potentis illius auræ flatu, vt huiuſmodi extinguat ignem, fumúmque diſpergat, & cogitationem noſtram, expeditam reddat & volucrem.* Itaque hanc etiam ob cauſam poſſunt cum fumo conferri diuitiæ: Quamuis negari non poſſit, ſummam earum vanitatem & labilitatem, eâdem comparatione optimè exprimi.

Summa damnorum quæ à diuitiis exiſtunt, ex Telete. Earumdem receſſus à perfectione ſummi boni noſtri, concluditur.

136. Verùm quæcunque diuitiis vitio verti poſſunt, accuratè, & pro argumenti vbertate breuiter complexus eſt Teles lib. de collatione diuitiarum & virtutis, ex quo omnium antedictorum breuem ſummam iuuat abſcribere. [Homines natura quidem ad virtutem nati ſunt, ſed diuitiæ illos ad ſe conuertunt, infinita ad malitiam habentes pharmaca. Diuitiæ falſa boni opinione propoſita à veriſſimis abducunt, hominem cui hærent, ſapere non permittunt, ſed rapiunt eum externa, & à fortuitis temerariiſque euentibus animos ſuſpendunt. Audaciſſimæ ſimul ac timidiſſimæ ſunt, ſuperbientes tanquam de rebus maximis, & timentes tanquam imbecillibus. Inflatæ ſunt arrogantia, curis humiles. Si rebus ſuis vtuntur, luxurioſæ ſũt: ſi abſtinent, miſeræ. Alium multæ in acquirendo ærumnæ infœlicem reddunt, alius propter abundantiam, in voluptatibus perit. Nulla ſatietate poſſidentes capiuntur. Nunquam vacant moleſtia aut dolore, vtcunque acciderit: & veluti aqua intercus magis magíſque impleri ſitiens, augeſcit earum cupiditas. Homini ignauo nocent, diligentiã enim quæ ad meliora conferri poterat, in exigua numiſmata conſumunt. Obſunt etiam ignauo, dum occaſiones delinquendi præbẽt. Sic

vtriſque perniciosæ ſunt. Nam laborandi gnarum, occupant; deliciis autem emollitum, magis effœminant. Eadem adulatores ſpe pecuniarum allectos faciunt, & pecuniarum gratia diuites à multis deliniri fictis huiuſmodi blanditiis in cauſa ſunt. Adhæc quamuis bona non ſint, multi tamen illis ceu propter maxima bona inuident. Ipſarum cauſa infinitæ ſtruuntur inſidiæ, à Regibus, vicinis, & familiaribus etiam, Præterea nullus diues nec de vita quidē ſua ſecurus eſſe poteſt, ſed vnà cum pecuniis ipſemet etiam fortè perit. Item diues, primùm animi bona negligit, tanquam & ſine illis fœliciter agat: denide corpus deliciis corrumpit & propter abundantiæ occaſionem plenitudini aſſueſcit, vnde morbos plurimos colligit. Quinetiam ea quibus quiſque indiget per ſe faciendi laborem, quo corpus exerceretur, omnium ſaluberrimum omittit, Eſt enim huiuſmodi exercitium, quod tempore certo non definitur vt palæſtra & venatio. Sanè qui ſua opera victum parat, præſtantior eſt illo, qui id per alios facit. Diuitiæ verò etiam ſaluberrima opera nactæ, ea frangunt, molliunt; ac propter ſumptuoſas conſuetudines infirmant. Vides vt ille qui nihil nō ſōni gratia molitur, ob hoc ipſum ſomnis difficilioribus vtatur: naturales autem multo faciliores ſunt. Somni enim non acceſſuntur lectis auro & ebore ornatis, neque tapetibus purpureis, non denique fulcris & thalamis pretioſis, ſed operibus & laboribus iuſtis, & ipſa naturæ neceſſitate. Cæterum diuitiæ ſpontaneis naturæ bonis frui non ſinunt, ſed conſuetudines proprias corrumpunt & naturales conſuetudines inficiunt. Anni quoque temporibus non deſinunt vti, nec ad præſentem cœli ſtatum ſe accommodare: ſed tum æſtu imbecillior fit diues, tum frigore: imò per hæc ipſa magis vtrique iniuriæ patet, quibus ſe tutum efficere moliebatur; aſſuetus autem faciliùs tolerat. Perſiſtit enim in ordine vitæ, ſub dio viuere nouit, Deique operibus non indignatur, ſed validè per ipſa tranſit. Hoc ſanè modo corpora quoque lædunt diuitiæ, reliqua vero incommoda maiora ſunt. Domeſticas ſeditiones mouent, quarum infœlix præmium inter fratres proponitur, liberos deteriores parentibus reddunt, propter cupiditatem opibus licentiosè vtendi: item parentes proli ſuæ moleſtiores faciunt. Amici per diuitias ſuſpecti fiunt. Verus enim propter adulatorem amittit fidem. Vincit adulatòr imitando verum (eſt autem ſimile quiddam ſpoliis, cùm ſemper expectentur diuitum morbi;) Et illis qui ingenio ſunt liberaliore, diues ſuccēſet, quòd non adulentur: Aſſentantes contra ſuſpectos habet, & rapiēdi gratia adeſſe putat. Præterea defunctum diuitem nemo luget, ne ſucceſſores quidem; gaudent enim illi propter hæreditatem. Nec alij qui nihil acceperunt; nam odio potius eum habent, vt qui ex tantis opibus nihil nacti ſint. Porro quod maximè diuitias commendare videtur, beneficiorum collatio, non ſimplex eſt, ſed varia. Beneficium enim pecuniarū parum liberale eſt, & gratuitum, tēquam in pauperem, donum præ ſe fert: Illi verò qui ſine pecuniis, meram beneuolentiam exhibent iuuantque, liberalem beneficentiam præſtant, eàque affectis gratam. Item qui à diuite quid acceperit, denuo poſtulat: & niſi conſequatur, prius quoque beneficium perit. Rurſus qui nihil accepit, diuitem incuſat, ſi dederit aliis: ac ita qui gratificatur aliquibus, plures accuſatores ſibi acquirit. Non enim omnibus placet: Interim verò omnes tanquam ex aceruo abundante petunt. Hæc ſunt quæ in diuitiis etiam ex illis rebus quibus ornari videntur, culpari poſſunt: cætera planè intolerabilia ſunt, arrogantia inquam, audacia, ſuperbia, curæ turpes, malæ cupiditates, prauæ voluptates, deſiderium inſatiabile. Denique vitia plurima & infinita mala haud naſcerentur ex eis, niſi ipſæ diuitiæ malæ eſſent. Committitur cædes lucri gratia, ſpoliantur templa, amicitia violatur, fides negligitur lucro perfidiam gignente, produntur patriæ: In ſumma, nihil non malorum perpetratur.]

Poteram hanc tractationem auctiorem facere adductis Luciani teſtimoniis: Nam exultat etiam ipſe in hoc campo; cùm alibi, tum præſertim in Timone dialogo, & in Necyomantia, ac Charonte, & in ſomnio ſeu gallo. Verùm ego nimius iam mihi videor in vulgatiſſimum errorem, quo diuitiæ ſummi boni loco habentur. Auſimque confirmare, his expenſis latentem in eis infœlicitatem, fore perſpicuam. *Paucis imponit leuiter extrinſecus introducta facies. Veritas in omnem partem ſui, ſemper eadem eſt. Quæ decipiunt, nihil habent ſolidi; Tenue eſt mendacium, perlucet ſi diligenter inſpexeris.* Monitum eſt Senecæ epiſt. 79. Itaque aliis quæ congeri poſſunt, dimiſſis, ſecurus concludo; ſiue cum Tullio, ſiue cum Petronio, aut Pentadio Poëta, (variis enim aſcribitur carmen quod ſubdo.)

Non eſt, falleris, hæc beata non eſt:
Quod vos creditis eſſe, vita non eſt:
Fulgentes manibus videre gemmas;
Aut teſtudineo iacere lecto;
Aut pluma latus abdidiſſe molli;
Aut auro bibere, & cubare cocco,
Regales dapibus grauare menſas,
Et quicquid Lybico ſecatur aruo,
Non vna poſitum tenere cella.
Sed nullos trepidum timere caſus,
Nec vano populi fauore tangi,
Et ſtricto nihil æſtuare ferro:
Hoc quiſquis poterit, licebit illi,
Fortunam moueat loco ſuperbus.

Non poterit porro illud, niſi cui Deus, apex bonorum, & meta operum fuerit, vt poſtea euincam.

ARTICVLVS VI.

Neque in aliis externis bonis, fama inquam gloria atque honore, ſitam eſſe obiectiuam noſtram beatitudinem. Ecloga Ethica ex Philoſophis & Patribus.

136. VT apertum fiat non eſſe in fama & gloria ac honore, ſummum hominis bonum (quanquam eſt id adeo perſpicuum, vt nemini vnquam Philoſopho aut diſputatori, in mentem veniſſe vt inficiaretur prodat Diu. Auguſtin. epiſtola 56.) breuiter præmittenda eſt horum bonorum diſtinctio. Quamuis enim ſæpè videantur confundi & haberi pro eodem; tamen ad viuum rem reſecando, certum eſt, ſecerni debere. Et ita quidem, vt fama nihil aliud ſit, quàm iudicium quod ab aliis formatur, de bono quod alicui ineſt; ſiue reuera inſit, ſiue tantùm exiſtimetur ineſſe. Quo pacto accepta fama, ſi habeat adiunctam laudem, (quod non ſemper contingit; pleriſque ex inuidia, bonum alienum quod diffiteri nequeunt, prementibus, & verbo ſæpè mordentibus;) coincidit cum gloria vt liquet ex Seneca epiſt. 102. & ex vulgata gloriæ definitione, hauſta ex Diuo Auguſtino q. 31. ex 83. & tract. 100. & 105. in Ioannem. *Gloria eſt frequens fama cum laude.* Honor autem eſt teſtimonium virtutis alienæ, per exhibitionem externi alicuius actus, quo illa alienæ virtutis ſignificatio prodatur; vt habetur ex Philoſopho 8. Ethic. cap. 14. & lib. 4. cap. 3. & ſæpè alibi, annuitque D. Thomas, quem

Ferrarienſis

Ferrarienſis 1. contra gentes c. 92. rectè obſeruat, interdum honorem bonis ſpiritualibus annumerare, interdum corporalibus: Quia & importat reuerentiam, quæ eſt actus timoris, ac ſpirituale quiddam; & externa ſigna, quibus teſtificamur excellentiam. Agimus enim de honore non euanido, qui in ſpeciem duntaxat exhibeatur.

Hinc patet hæc bona eſſe extrinſeca, æquè ac diuitias; eóque amplius quod ab aliis prorſus pendeant, eiſque inſint, quamuis ſecundum prudentem æſtimationem refundantur in eum cui deferuntur. Nunc momentum vtriuſque boni expendere aggrediamur, ducto initio à fama quia neceſſariò honori præmittitur: Eſt enim honor, eius quaſi partus, vt ex deſcriptionibus propoſitis liquet. Nam idcirco honor, ac externum alieni boni teſtimonium exhibetur, quia conueniens de eo bono exiſtimatio habetur, quæ exiſtimatio ad famam pertinet.

Fama quàm exile bonum, quoad ſubſtantiam ſuam.

137. Quàm exile igitur bonum ſit fama, etiamſi optima ſit, quàmque procul abſit à ratione ſummi boni, per ſe euidens erit, ſi notionem ſummi boni ſupra poſitam recolamus; eámque perfectionem qua pollet, & ſufficientiam quam confert, ac ſtabilitatem qua firmatur, attendamus. At famæ bono quid imperfectius vel tenuius & ad explendam hominis indigentiam ineptius, ac denique quid fugacius? In primis imperfectionem eius ſummam, prodit quod in alienis iudiciis exiſtit. *Exiſtimatio de nobis*, inquit Simplicius ad cap. 1. Enchirid. Epicteti, *Non ſita eſt in nobis, quamuis occaſiones quaſdam ei præbeamus ipſi, ſed in iis qui de nobis exiſtimant. Penes enim eos eſt, exiſtimántque quidquid velint. Itaque ſæpè cùm numen impiè violent, & ſibi ipſi & aliis, religioſi videntur. Contráque alij qui honeſtiùs & magnificentiùs de numine ſentiunt, & humana quadam & imperfecta de eo profiteri recuſant, a nonnullis impij exiſtimantur: Et fingi homines, quidam bardos exiſtimant; Ita nec gloria noſtri arbitrij eſt, ſed illorum quibus hoc aut illo modo ſentire de nobis libuit.*

Hæc autem iudicia non ſemper ſana ſunt & veracia: immo vt plurimum fallacia ſunt, quia humana ſunt; id eſt, imbecilla, & ex tenui rerum inſpectione proficiſcuntur. Cùm enim iudicia noſtra, rerum quaſi tectorium & externam faciem non prætergrediantur, mirum non eſt quod falſa nobis vel volentibus excidant. Itaque Dioſcori felicitatem, pendentem ex linguis hominum atque nutantem à tam infelici retinaculo abrumpere, & cuidam ſedi omnino inconcuſſæ ſtabilique religare. aggreſſus D. Auguſtinus epiſto. 56 hunc vocat finem nugatorium, inanem, ventoſum, inflatum tumore ſub quo etiam tabes gignitur, & pupillamentis ad non videndam opulentiam veritatis offuſum. Negat vanitate hac laudis humanæ ſatiari auidum ſpiritum, quia nihil ad cibandum affert niſi inane & inflatum. Quod ſi hic finis in alium referatur, iſque temporali lapſo præterfluat, ita eſſe ait, quaſi fluuius ducat in fluuium, vt non ſit finis miſeriæ, quamdiu finis officiorum noſtrorum in re ſtabili collocatur, Itaque concludit vaniſſimum omnino eſſe tam euanidi boni cupiditate flagrare, & linguis humanis ruinoſa gaudia conſtruere.

Accedit quod vt humana iudicia adeo nutantia & flaccida non eſſent, tamen pro voluntatis deprauatione & affectuū varietate, nimirū quàm ſæpè à vero deflectunt. Fingi enim iudicia pro cuiuſque affectu & (quod ridiculum planè ac prorſus præpoſterum eſt; nobis autem familiare, & ex iugi vſu prope adnatum;) dirigi & inflecti intellectum, per voluntatem, non contrà, vt naturalis potentiarum illarum ſubiunctio expoſceret; docemur experientia quotidiana, & eleganter monuit S. Cyrillus hom. 12. Paſch. adducto etiam antiquioris cuiuſdam teſtimonio, qui affirmaſſet, quod in lanis efficiunt colores quibus imbuuntur, idem in obiectis de quibus pronunciandum eſt, efficere mores & affectus eorum per quos iudicium de illis ferendum eſt. Confirmat idipſum fusè Lactantius lib. 7. inſtit. cap. 1. nec ſemel infra id recurret cùm de libertate atque affectibus ſermo erit.

Hæc igitur cùm ita ſint, & quàm deprauati in alios eſſe ſoleant hominum affectus, nemini ignorare liceat; nunc inuidia, nunc odio, nunc aliorum ſibi coniunctorum quibus alienam lucem offecturam timeant, amore liberum ac ſyncerum de reliquis iudicium intercludente: Et vt hæc deeſſent, ignorantia tamen, & ingenij curta ſupellectile, rectè æſtimandi facultatem, maiori hominum parti negante; quotus quiſque erit, cui famæ imperfectio obſcura ſit vel dubia? Scitè Epictetus apud Arrianum lib. 1. cap. 21. Præfatus, cum homo ea eſt vitæ conſtantiâ quâ eſſe conuenit, extra ſe non reſpicere, & iudicio de ſe ſuo contentum, aliorum ſenſa non attendere, concludit: *Quinam ſunt illi apud quos expetis eſſe in admiratione? Nonne hi ſunt quos ſoles appellare inſanos? Ergo vis vt te admirentur inſani?* Similiter Dio Chryſoſtomus orat. 24. *in fine*, laudari à fatuis, quale ait eſſe vulgus nihil à vituperatione differre pronunciat. Seneca item epiſt. 62. *Quæ iſta dementia eſt, quem clamores imperitorum hilarem ex auditorio dimittunt? Quid lætaris, quod hominibus iis laudaris, quos non potes ipſe laudare?* Alia in hanc rem dabo cum de humilitatis virtute.

Eiuſdem anguſti limites.

138. Accedunt anguſti limites bonæ famæ, ſiue tempus, ſiue locorum ſpatia ſpectes. Luculenter vtrumque expoſuit Boëtius 2. de conſol. proſa 7. [Hoc vnum, *inquit*, eſt quod præſtantes quidem natura mentes, ſed nondum ad extremam manum, virtutum perfectione perductas; allicere poſſit: gloriæ ſcilicet cupido, & optimorum in Rempublicam fama meritorum; quæ quàm ſit exilis, & totius ponderis vacua, ſic conſidera. Omnem terræ ambitum, ſicuti aſtrologicis demonſtrationibus accepiſti, ad cœli ſpatium, puncti conſtat obtinere rationem: id eſt, vt ſi ad cœleſtis globi magnitudinem conferatur nihil ſpatij prorſus habere iudicetur. Huius igitur tam exiguæ in mundo regionis, quarta ferè portio eſt, ſicut Ptolomæo probante didiciſti, quæ à nobis cognitis animantibus incolatur, Huic quartæ, ſi quantum maria paludéſque premunt, quantúmque ſitu vaſta regio diſtenditur, cogitatione ſubtraxeris, vix anguſtiſſima inhabitandis hominibus area relinquetur. In hoc igitur minimo, puncti, quodam puncto circumſepti, atque concluſi, de peruulganda fama, de proferendo nomine cogitatis? At quid habet amplum, magnificúmque gloria, tam anguſtis exiguíſque limitibus arctata? Adde quod hoc ipſum breuis habitaculi ſeptum, plures incolunt nationes, lingua, moribus, totius vitæ ratione diſtantes: ad quas tum difficultate itinerum, tum commercij inſolentia, tum loquendi diuerſitate non modò fama hominum ſingulorum, ſed ne vrbium quidem, peruenire queat: Ætate denique Marci Tullij, ſicut ipſe quodam loco ſignificat, nondum Caucaſum montem, Romanæ Reip. fama tranſcenderat, & erat tunc adulta? Parthis

etiam cæteriſque id locorum gentibus formidoloſa. Videſne igitur quam ſit anguſta, quam compreſſa gloria, quam propagare, ac dilatare laboratis? An vbi Romani nominis tranſire fama nequit, Romani hominis gloria progreditur? Quid quod diuerſarum gentium mores inter ſe, atque inſtituta diſcordant, vt quod apud alios laude, apud alios ſupplicio dignum iudicetur? Quo fit, vt ſi quem famæ prædicatio delectat, huic, in plurimos populos nomen proferre nullo modo conducat. Erit igitur peruagata inter ſuos gloria quiſque contentus, & intra vnius gentis terminos præclara illa famæ immortalitas coarctabitur.]

Tantum de arctis bonæ famæ limitibus quoad locum Nunc ad ſimiles anguſtias quoad tempus progreditur. *Sed quàm multos clariſſimos ſuis temporibus viros, ſcriptorum inops deleuit opinio? Quanquam quid ipſa ſcripta proficiunt, qua cum ſuis autoribus premit longior, atque obſcura vetuſtas? Vos autem immortalitatem vobis propagare videmini, cùm futuri formam temporis cogitatis. Quod ſi ad æternitatis infinita ſpatia pertractes, quid habes, quòd de tui nominis diuturnitate læteris vnius enim mora momenti, ſi decem millibus conferatur annis, quoniam vtrumque ſpatium definitum eſt, minimam licet, habet tamen aliquam proportionem. At hic ipſe numerus annorum, eiúſque quantumlibet multiplex, ad interminabilem diuturnitatem ne comparari quidem poteſt. Etenim finitis, ad ſe inuicem, fuerit quadam; infiniti verò atque finiti, nulla vnquam poterit eſſe collatio. Ita fit, vt qualibet prolixi temporis fama, ſi cum inexhauſta æternitate cogitetur, non parua, ſed planè nulla eſſe videatur.*

Diceres expreſſum ab eo Antonium lib. 4. de vita ſua num. 4. *forſitan*. inquit, *glòriola te ſollicitum tenet? Reſpice quàm celerrimè omnia obliuione deleantur? Quod ſit chaos infiniti vtrinque æui; quàm inanis famæ ſonus, quanta inconſtantia & incertitudo opinionum humanarum; quàm arcto includantur hæc omnia loco. Quippe punctum eſt terra, atque huius ipſius quàm perexiguus angulus habitatur? Quot verò ſunt in ea ipſa, aut quales illi, qui te ſint laudaturi?* Optimè item in hanc rem num. 14. *Qui fama poſt mortem cupidiſſime ducitur, non cogitat quemlibet eorum, qui ipſius mentionem ſint facturi, mox ipſum etiam moriturum: Deinde itidem eum qui huic ſuccedit, idque eò vſque dum omnis memoria per attonitos inani famæ extinctóſque homines propagata, aboleatur. Quin etiam finge immortales fore eos, qui tui recordentur, immortalémque tui futuram memoriam. Quid ergo id ad te, ne dicam, mortuum: quid vel viuo tibi laus proderit?*

Quo diffuſior, eo incertior.

139. Quid quod fama, quo locorum vel temporum ſpatiis latiùs funditur, eò factis (vt aſſolet,) acceſſionibus, à vero magis recedit: proindéque cuius benè conſulto; famam bonam, id eſt veram, non inanem ac falſam captanti, minùs expetibilis vel etiam repudiabilis videri debet? Aienti famam *eſſe conſenſum ciuitatis, & velut publicum teſtimonium*, Fabius 5. inſtit. c. 3. rectè opponit, famam eſſe *ſermonem ſine vllo certo autore diſperſum, cui malignitas initium dederit, incrementum credulitas: Quod nulli non etiam innocentiſſimo poſſit accidere, fraude inimicorum, falſa vulgantium.* Addo id pleniùs explicantem, è noſtris vnum. *Natura famæ*, ait Tertullianus c. 7. Apolog. cum Ethnicis diſputans famam de Chriſtianis ſparſam iactantibus, *omnibus nota eſt: Veſtrum eſt?*

Fama malum, quo non aliud velocius vllum.
Cur fama malū? quia velox? quia index? an quia plurimum mendax? Quæ ne tunc quidem cùm aliquid veri affert, ſine mendacij vitio eſt, detrahens, adiiciens, demutans de veritate. Quid quod ea illi conditio eſt, vt non niſi cùm mentitur, perſeueret, & tandiu viuit, quandiu non probat? Siquidem vbi probauit, ceſſat eſſe, & quaſi officio nunciandi functa, rem tradit: exinde res tenetur, res nominatur. Nec quiſquam dicit (v.g.) hoc Romæ aiunt factum: aut fama eſt illum prouinciam ſortitum: ſed ſortitus eſt ille prouinciam? & hoc factum eſt Romæ. Fama nomen incerti, locum non habet, vbi certum eſt. An verò famæ credat, niſi, inconſideratus? quia ſapiens, non credit incerto. Omnium eſt æſtimare quantacunque illa ambitione diffuſa ſit, quantacunque aſſeueratione conſtructa, quod ab vno aliquando principio exorta ſit; neceſſe eſt deinde in traduces linguarum & aurium ſerpat: Et ita modici ſeminis vitium, cætera rumoris obſcurat? vt nemo recogitet num primum illud os mendacium ſeminauerit; quod ſæpè fit, aut ingenio æmulationis, aut arbitrio ſuſpicionis, aut non noua, ſed ingenita quibuſdam mentiendi voluptate. Benè autem quod omnia tempus reuelat, (teſtibus etiam veſtris prouerbiis atque ſententiis,) ex diſpoſitione naturæ, quæ ita ordinauit, vt nihil diu lateat, etiam quod fama non diſtulit.] Quod his verbis Tertullianus de fama nō bona affirmat, de bona itidem affirmare licet: nam hæc quoque incertitudine & illis aliis incommodis laborat: quippe ex iiſdem orta principiis, ex quibus mala fama, nec alios quàm iſta habens natales.

Omitto quam externis verbis attigit Tertullianus famæ inſtabilitatem. Poteſt enim quiuis de ſe dicere, quod de ſe Seneca epiſt. 21. *Profunda ſuper nos altitudo temporis veniet; pauca ingenia caput exerent, & in idem quandoque ſilentium abitura, obliuioni reſiſtent, ac ſe diu vindicabunt.* Veriſſimè Antoninus l. 3. de vita ſua num. 15: *Exiguum ſane tempus quod viuit quiſque: perexiguus etiam terra, in quo viuitur angulus Etiam longiſſima poſt obitum fama, exiguum eſt, quæ & ipſa per ſucceſſionem conſeruatur homunculorum mox moriturorum, ac ne ſe quidem ipſos cognoſcentium, nedum eum, qui iampridem fato conceſſit.* Omitto item ieiunitatem famæ, & eius inſufficientiam ad explendam appetitus noſtri vaſtitatem; quod mox ſub nomine gloriæ eam labem ſum expreſſurus. Nec enim à famà differt gloria, niſi differentia indiciorum, & laude, quas connotat vt præmiſi.

Inanitas gloriæ, vt plurimum quanta.

140. Gloriam itaque omnem Tertullianus lib. de cultu fœminar. c. 3. *vanam & ſtuperatam* eſſe pronunciat. *Vanam* quidem, quia non eſt reuera ſolidum bonum, ſed in ſola opinione conſiſtens, vt fusè Dio Chryſoſtomus orat. 66. Imo non eſt bonum eius cui tribuitur, ſed eius qui eam tribuit, vt S. Auguſtinus pulchrè notauit tract. 100. in Ioann. & ante eum Ariſtoteles 1. Ethic. cap. 5. *Stuperatam* autem quia hebetes & velut ſtupore defixos reddit, qui eius ſtudio ducuntur; quòd ex tantis eius damnis, & hoc ipſo in primis quod obſtupefacit, perſpicuum mox fiet.

Opportunum porro erit, in primis gloriæ inanitatem ſpectato multiplici errore qui in eam irrepit, ex Auguſtino ſupra deſcribere. [Eſt, *inquit*, falſa gloria quando laudantes errore falluntur, ſiue in rebus, ſiue in hominibus, ſiue in vtriſque. Nam in rebus falluntur, quando putant id bonum eſſe quod malum eſt: In hominibus autem quando putant eum bonum eſſe,

qui malus eſt. In vtriſque verò, & quando id quod eſt vitium, virtus putatur, & ipſe qui propter hoc laudatur, non habet quod putatur ſiue ſit bonus, ſiue ſit malus. Donare quippe res ſuas histrionibus, vitium eſt immane non virtus, Et ſcitis de talibus quam ſit frequens fama cum laude, quia ſicut ſcriptum eſt; laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ & qui iniqua gerit benedicetur, Hi laudatores non falluntur in hominibus, ſed in rebus; malum eſt enim quod bonum eſſe credunt. Illi autem qui hoc malo largitionis vitioſi ſunt, tales vtique ſunt, quales eos qui laudant, non ſuſpicantur, eſſe ſed cernunt. Porrò ſi ſe quiſquam iuſtum fingat, & non ſit, ſed totum quicquid coram hominibus laudabiliter agere videtur, non agat propter Deum, hoc eſt propter veram iuſtitiam, ſed ſolùm quærat & diligat ab hominibus gloriam: illi autem apud quos frequens eſt, eius fama cum laude: non eum putent niſi propter Deum laudabiliter viuere, non falluntur in re, ſed falluntur in homine. Quod enim bonum eſſe credunt, eſt bonũ; ſed quem bonum eſſe credunt, non eſt bonus. Quod ſi putetur, v.g. bonum, artium peritia magicarum, & dum quiſque patriam liberaſſe, eiſdem quas omnium neſcit artibus creditur, ac frequentem cum laude famam quæ gloria definita eſt, apud homines impios conſequatur, errant in vtroque qui laudant; & in re ſcilicet, quia id quod malum eſt, bonum putant, & in homine, quia non eſt quod putant. Quapropter falſa eſt in his tribus generibus gloria. Cum autem de aliquo, per Deum & propter Deum iuſto; hoc eſt, veraciter iuſto, cauſa ipſius Iuſtitiæ, frequens eſt fama cum laude, vera quidem gloria eſt, non tamen ea credendum eſt beatificari iuſtum, ſed laudantibus gratulandum eſt, quia rectè iudicant, & diligunt iuſtum.

Vides quam plerumque inane ac ementitum bonum ſit gloria: cùm tam rarum ſit, eam ex poſtremo capite ortum habere; & plerumque gloria non tam ſit vmbra virtutis, iuxta Senecam epiſt. 79.) vt docent quos ibidem conditos, & ſeculi ſui malignitate compreſſus queritur.) quam humanæ peruerſitatis, vel adulationis argumentum, Hinc enim eſt quod clam plerique irrident, quos palam laudant, vt notauit Epictetus apud Arrianum lib. 3. cap. 23.

141. Ac vt ex eo quem dixi veræ gloriæ fonte deriuetur gloria ad aliquem; aperta tamen eſt eius boni inanitas, quod non ei bonum ſit, cuius eſſe dicitur, ſed eius à quo proficiſcitur, (vt acutè obſeruauit Antoninus lib. 6. de vita ſua num. 44.) cuius tamen comparatione, rationem gloriæ & rem non habet. Inſigniter hanc ipſam humanæ gloriæ labem detexit idem Antoninus lib. 4. de vita ſua n. 14. verbis illis. *Quid vel viuo tibi laus proderit, niſi ratione cuiuſdam diſpenſationis? Omitte enim nunc naturæ munus, huic tempori non conueniens, & de quo ſuo loco erit differendum. Omne quod pulchrum eſt ex ſeipſo tale eſt: atque in ſeipſo abſoluitur, nullámque ſui partem habet, laudem. Ideo id quod laudatur, eo ipſo neque peius fit, neque melius. Idque etiam de iis intelligi volo, quæ communiori nomine pulchra aut bona dicuntur, vt quæ ex materia fiunt, artis opera. Id autem quod reuera bonum eſt; non magis alia quadam re opus ad id, vt ſit bonum, habet, quàm lex veritas, tranquillitas animi, verecundia. Quid horum vel ſi laudetur, bonum fit vel vituperatione corrumpitur? Smaragdus quidem ſi ſi laudetur, de bonitate ſua aliquid amittit? Quid aurum ebur purpura, culter, floſculus, arbuſcula?* Præclare item præter cætera in hanc rem Boëtius 3. de conſol. proſa. 6. *Gloria verò quàm fallax ſæpè, quam turpis eſt: Vnde non iniuria Tragicus exclamat: ὦ δόξα δόξα μυρίοισι δὴ βροτῶν οὐδὲν γεγῶσι βίοτον ὤγκωσας μέγαν, Plures enim magnum ſæpè nomen falſis vulgi opinionibus abſtulerunt, quo quid turpius excogitari poteſt? Nam qui falsò prædicantur, ſuis ipſis neceſſe eſt laudibus erubeſcant. Quæ ſi etiam meritis conquiſita ſint, quid tamen ſapientis adiecerint conſcientiæ, qui bonum ſuum non populari rumore ſed conſcientia veritate metitur.*

142. Acutè Auguſtinus q. 36. ex 83. eiuſdem boni inanitatem ex alio capite petit, & à nullo tanquam finem vltimum appeti iure poſſe, ſubtiliter concludit. *ſupponens pudendum eſſe eis placere, & ab eis gloriam aucupari velle, quos nolis imitari. Aut enim boni no ſũt, & nihil magnũ eſt à malis laudari, aut boni ſunt, & eos oportet imitari. Sed qui boni ſunt, virtute boni ſunt. Virtus autem non appetit, quod in aliorum hominum poteſtate eſt. Qui ergo imitatur bonos, nullius hominis appetit laudem: qui malos, non dignus eſt laude.* Itaque quæcunque ſit gloriæ origo, & quicunque ſint, qui eam deferunt, nemo veram gloriam, purè ſiſtendo in ea tanquam in fine prorſus vltimo poteſt expetere niſi eo ipſo caſſam & inanem reddat. Abeat igitur quàm longiſſimè à ratione ſummi boni, quod omnes natura duce & magna cum laude quanto poſſunt ſtudio conſectantur.

Sed quod inanitatem huius boni maximè detegit, eſt mutabilitas eorum per quos defertur, quæ in ipſum etiam gloriæ cupidum refunditur, vt pulchrè tradit Dio Chryſoſtomus orat. 7. vmbræ conferens gloriam, verbis illis de Sapiente. [Gloriam quæ dicitur, arbitrabitur nihil ab vmbra differre, cernens à magnis paruam fieri, atque à paruis magnam; frequenter etiam ab iiſdem modo maiorem, modo minorem. Non prorſus malè mihi videtur aſſimilare. Si quis igitur foret talis homo, qui viueret ad ſuam vmbram; nempe vt ea aucta afferretur, atque gloriaretur, Diiſque ſacrificaret ipſe, & iuberet amicos: breuiore autem facta, contriſtaretur: deiectioríſque videretur animi, tantóque magis, quantò ea minor fieret, quaſi ipſe deficiens; admirabilem, opinor exhiberet conuerſationem, haud multo vtique eſſet Margite ſapientior. Eadem enim die nunc quidem mœſtus eſſet, nunc autem gauderet. Manè quidem cùm vmbram videret matutinam valdè prolixam, atque expreſſis turribúſque immanibus ferè maiorem, haud dubium quin gauderet, quaſi ipſe repetente compar factus eſſet Aloidis: atque in forum vaderet, & in theatra, inque omnia ciuitatis loca, quo ab omnibus conſpici poſſet. Circa meridiem verò inciperet mœſtior ſeipſo fieri, atque ſecederet. At in meridie erubeſceret ab illo homine conſpici, domíque maneret clauſus conſpecta in pedibus vmbra. Poſtea verò circa crepuſculum, rediret ad ſe, fieretque ſuperbior ſemper ad veſperam. Prorſus mihi videris, abſurdam affectionem virùmque effingere ſtolidum. Quare is qui gloriæ animum aduertit, nihilo eſt melior, ſed multo miſerior. Nonnunquam enim vna die ſæpius immutaretur: neque quemadmodum ille in certis quibuſdam horis, ſed etiam manè, & circa crepuſculũ nihil prohiberet, quo minus hominum eſſet infortunatiſſimus. Nunc enim impetu ferretur volarétque altius nubibus, ſi qui teſtimonium illi perhibuiſſent, illámque laudaſſent: Nunc autem contraheretur abiiceretque animum; multóque plura incrementa ac decrementa illius ſuſciperet animus, vt mihi videtur, quàm Luna.]

Gloriæ damnoſitas.

Enim verò minus improbandi eſſent gloriæ aucupatores ſi inanis duntaxat nec etiam multipliciter damnoſa eſſet, non tantum quatenus inuidiam mo-

niet, éſtque ei quod corpus vmbræ, vt Ariſton ſcite dixit apud Stobæum ſerm. 38 ſed etiam quia S. Chryſoſtomus homil. 28. in Ioann. grauiſſima oratione conteſtatur, omnium malorum cauſa eſt *inſania glo-rie.* Ita enim appellat inanis huius boni cupiditatem. Quam etiam *gehennam quandam, & præcipuum gehen-na ignium fomentum*, mox deſcribit, veréque orbis vniuerſi perturbationem & excidium eſſe confirmat. Pleniùs etiam & ſubiectis validis probationibus tradiderat ibidem homil. 2. quantis malis inanis gloria, ſtudioſum eius afficiat. Eſt autem vt ex Auguſtino inanis ea omnis gloria, cuius aliquis à virtute ſeiuncta ſtudio dicitur; quámque captat ſeorſim à virtute ſpectatam.

Non poſſum tam grauem, & huic loco tam accommodatam, Chryſoſtomi orationem præteritam prorſus velle. Itaque quamuis non omnem exibebo, quod ſit paulò diffuſior, quædam tamen ſelectiora libabo; Prolixitatis damnum, orationis grauitas & elegantia penſabit. Sic igitur habet. *Intolerabilis quadam ebrietas eſt, inanis gloria, idéoque quem ſua ſubiecit ditioni, is agrè in ſanitatem reſtituitur. Et quam peſtifera tabe infecit animam, à cœlo abſcindēs terræ affigit, neque eam amplius ſinit, vt ad veram lucem dirigere poſſit intuitum: ſed in huius ſæculi ſordibus, ſemper eius perſuaſione demoluitur; & dominos nobis tam potentes imponit, vt etiam ſine iuſſu aliquo nos exuperent, nobiſque perpetuò dominentur. Qui enim hoc modo afficitur, nullo præceptore omnia ſua ſponte operatur, quæ dominis ſuis placere quibúſque plurimum eos lætari arbitratur. Etenim pulchra veſte eorum cauſa induitur, faciemque ornat, non ſibi, ſed aliis; catena ſequentium ſtipatur que omnes ipſum admirentur; Quicquid denique facit, aliorum tantum gratia facit. Num quicquam poſſet eſſe moleſtius? Vt aliis admirationi ſit, praceps frequenter agitur. Vis eius intelligere tyrannidem? Satis tibi ex Christi verbis conſtabit. Audi & quæ ſequuntur. Nam ſi quempiam negotiatorem qui pretioſiſſimas ſibi merces magno auri pondere compararit, rogaueris quanam gratia tantum auri profundat, quidve tantum ſibi ſumptus velit; nullam aliam ab eo rationem accipies, quam vt populo placeat. Quod ſi deinde quid populus ſit percontaberis: quiddam, inquit, tumultus perturbationiſque plenum, è ſtultitia maiori ex parte conſtans atque compoſitum temerè, ſuper maris fluctus varia & pugnante ſententia ſæpenumero iactatum. Qui igitur eiuſmodi dominij ſeruitio premitur, nónne omnium eſt ſanè miſerrimus.*

Et mox. [Alij animæ affectus, & ſi magno ſint homini nocumento, aliquam ſaltem afferunt voluptatem quamuis temporalem, atque breui duraturam. Nam qui pecuniarum aut mulierum flagrant deſiderio, eáſque ſectantur, nonnullam tamen cum damno voluptatem, licet breuiſſimam capiunt. Quos verò hic morbus irretiuerit, hi ſemper omni priuati voluptate, vitam viuunt quam miſerrimam. Neque enim quod tantopere exquirunt, multitudinis gloriam aſſequūtur ſed cum ea frui videantur, ea tamen omnino carent, cùm id nulli proſus gloriæ ſit adnumerandum, Ideóq; non gloria, ſed inanis gloriæ opus appellatur. Inanem gloriam hanc maiores noſtri omnes meritò dixerunt: Inanis namque eſt, nihil in ſe habens, neque clarum, neque glorioſum tanquam perſonæ quæ pulchræ quidem viſu, & decore, intus inanes reperiuntur. Quare cum aſpectu ipſo elegantiores appareant neminem tamen vnquā ad ſe amandū allexerunt. Ita nihil etiam miſerius quæ multitudine comparatur gloria, difficilem nobis & violentum affectum ſignificat: aſpectu námque ſolo pulchra, atque elegans videtur, intrinſecùs autem non inanis modò, verùm etiam ignominioſa, crudelitatis & violentiæ plena. Vnde igitur tam temerarius, tam inſanus abſque vlla voluptate affectus? Non aliunde ſane quam à vili & abiecto animo. Neque enim fieri poteſt, vt qui gloriæ dulcedine capitur, magnum aliquid & egregium ſapiat. ſed ignominia illico ipſum notari neceſſe eſt, & animi abiecti, infamis atque exigui exiſtimari. Qui enim nihil propter virtutem, ſed vt hominibus & rudibus, & indoctis placeat, operatur, quive in omni re fallacem hominum atque erroris plenam exquirit ſententiam, quam is gloriam meretur.]

Nullam porrò ſuppetere excuſationem, proſequenti tam inane támque morboſum bonum iis ſpectatis qui gloriam deferunt, continenter ita demonſtrat. *Animaduerte ſi quis eum percontaretur, quid tu multitudinem eſſe arbitraris? Procul dubio & deſidē & nullæ bonæ rei deditam reſponderet. Quid autem? An ex illius numero fieri optares, ſi quis eundem interrogares? Non vtique mihi aſſenſurū perſuadeo Nónne igitur maximè ridiculum eſt, eorum gloriam aucupari quorum ne ſimilis quidem eſſe velles? Si autem dixeris multos etiam & conſtantes viros, hac eſſe ſententia, idcirco longe magis contemnēdos dicimus. Nam ſi ſponte ſua contemptibiles ſunt, cùm multi fuerint, maiorem in modum digni ſunt qui contemnantur ſingulorum enim amentia ſimul collecta multitudine ipſa ſit auctior. Quamobrem ſi quis eos ſigillatim caſtigaret, facilè quod velles, aſſequeretur, ſin cunctos ſimul, nullus eſſet correctioni locus, cum numero ipſo ſtultitia creſcat, & pecudum more ducantur quocunque inuicem ſecularem gloriam, atque opinionem ſecuti.*

Pergit reueniens ad gloriæ damna, quæ admotis lectori facibus. ita concludit. *Agite quid hanc popularem gloriam tantoperè deſideratis; Nolite, inquam obſecro. Gloriæ támque cupiditas omnia commiſcuit, auaritiam. inuidiam, calumniam, inſidias peperit: & qui nulla affecti ſunt iniuria, in illos qui nihil de ipſis malè meriti ſunt, & armat, & efferat, Hac amicitiæ & conſuetudinis obliuiſcitur. Nihil eam pudet, ſed omni abiecta virtute omnibus bellum indicit, ſemper inconſtans, ſemper iniuſta. Et ſanè ira, & violentus, & intolerabilis morbus eſt, non tamen ſemper nocumento eſſe ſolet, duntaxat cùm irritatur, Inanis enim gloria omni tempore peſtifera eſt. Nunquam ceſſat, nunquam remittitur, niſi ratione & cohibeatur, & ſedetur, ſemper præſto eſt, non ſolùm peccandi ſe hortatricem exhibens; verum etiam ſi quid rectè faciamus, id è manibus, ſumma vi eripere contendit, vel nihil rectè à nobis inchoari perficique permittit. Quod ſi auaritiam Paulus idolorum ſeruitutem appellat: eius mater, radix, fons, hoc eſt, inanis gloria, quo nomine merebitur appellari! Nullum quidem, ſi rectè eius malitiam contemplabimur, inueniemus.* Infinitus eſt in hoc argumento idem Chryſoſtomus, aliis præterea locis. Sed illuſtriſſimè hom. 2. in Epiſt. ad Titum *in morali.*

Seruitus animalium gloriæ.

145. En cuiuſmodi ſtupore vt rectè cum Tertull. loquebamur percelluntur gloriæ animalia. Quorum animalia vt ſcite dixit Epictetus apud Arr. l. 3. c. 2. cū priùs digito grandior non eſſet, per vnam laudatiunculam duobus cubitis maior efficitur. Quique vt idem ait l. 3. c. 26. nihil aliud ſunt quàm *frigida & futilis opiniuncula, ex verborum ſutelis contexta è quibus tanquam tenuiſſimo pilo dependet:* Quib. enim verbis aptius expreſſero eorum animum, qui tātoperè ſuſpiciūt *fumum gloriæ omne?* Ita ſcitè loquitur S. Chryſ. hom. 24. in 2. ad Cor. potenter ibid. & homil. 41. in Matth. *in mor.* latéque eodem opere homil. 50. vrgens illud ipſum, quod Dio item Chryſoſtomus orat. 66.

orat. 66. optimè quoque vrget, verbis illis. [Quid verò infœlicius hominibus qui aliis innituntur, & quemuis obuium, Dominum habent, ad quem reſpicere illis eſt neceſſe, & cuiuſque vultum conſiderare, quemadmodum ſeruis dominorum ? Omnis quidem ſeruitus, difficilis eſt: Qui verò fortè fortuna in eadem domo ſeruiunt, in qua duo vel tres ſunt domini, præſertim ætate & natura differentes, vt ſenex illiberalis, & huius pueri adoleſcentes, bibere & dilapidare volentes, quis non eos cæteris ſeruis confiteatur eſſe miſeriores, quum tot oporteat dominis inſeruire, & horum cuique aliud quid volenti atque mandanti? Si verò publicus quis ſit ſeruus, ſenum & adoleſcentum, pauperum & diuitum, prodigorum & auarorum, qualem tandem huiuſmodi ſeruum eſſe oportebit? Arbitror autem ſi quis pecunias habens, in tali ciuitate cogatur degere, vbi liceat omnibus rapere quæ vicinus habeat, idque nulla prohibeat lex, confeſtim haud dubiè illum pecuniæ defecerint; etiamſi auaritia, omnes qui vnquam vixerunt, ſuperaſſet. Hoc autem iam circa gloriam contingit. Permittitur enim cuique volenti, damno circa eam afficere quemlibet, & ciui, & hoſpiti, & inquilino.

Et mox non minus concinnè, quàm verè ac potenter. Seruum ſæpenumerò remiſſum & ludentem, herus ſuperueniens plorare fecit: Eum autem qui gloriam aucupatur, omnis qui vult ab animo deiicit, vno verbo. Si quis incantationes eiuſmodi noſſet, aut acceptas à Medea aut à Theſſalis, vt vocem emittens, quoſcunque vellet homines plorare faceret, & doloribus affici, nullo malo præſente, nonne videretur tyrannis eſſe eius potentia? At aduerſus gloria inflatum, nemo eſt qui non hanc habeat potentiam. Duo enim aut tria dicens verba, in calamitatem & triſtitiam iniicit. Quinetiam ſi quis tale corpus à Genio quodam habeat, vt cùm quis ipſum execraretur, ſtatim febri laboraret, aut doleret caput; hic certè miſerrimis eſſet miſerior. Si quis etiam infirmum ita habeat animum, vt ad cuiuſque conuicia ſtatim commoueatur, vt non ſit apud ſe, quomodo non homini huiuſmodi fugienda eſſet vita? Si quis etiam quotidie iudicum ſententiis eſſet obnoxius de quacunque re, aut de vita, aut de pecuniis: nonne foret omni ex parte ſatius eam amittere, & non amplius in poſterum periclitari, ſi de pecuniis pecunias; ſin verò de vita, vitam? Quid ergo gloriæ certamen nonne ſemper fatuis hominibus inſtat, qui non ſemel tantùm in die, ſed ſæpius iudicantur? Neque à declaratis Iudicibus, ſed ab omnibus ſimpliciter, & his iniuratis, neque teſtium neque iudiciorum curam habentibus? Neque enim ſcientes, neque audientes, neque ſortientes iudicant, nihilque illorum refert, an bibentes, an lauantes ſententiam ferant: &, quod omnium eſt acerbiſſimum, quem hodie abſoluunt, cras condemnant. Proinde neceſſe eſt hoc morbo laborantem, ſententiis omnium obnoxium circumire, & attendere vnicuique, metueréque ne quem nolens aut volens offendat, & præcipuè promptum aliquem aut facetum. Nam ſi vel modicum (qualia multa vſueniunt,) quempiam offendat, is ſtatim moleſtum emittit verbum: atque id dicens, ſiquidem aliquo modo non tetigit, minus conturbat: ſin verò tetigit, viuum confeſtim iugulauit.]

146. Expenſa igitur tam aſpera ſeruitute, premente quæ ſibi aſtrinxerit mancipia, eò pluribus dominis obſtricta, quò plures ſunt apud quos gloria captatur; Tandémque expenſo etiam eo incommodo, quòd gloria æmulos ſemper & inuidos pleróſque patiatur infeſtos; concludere licet cum S. Chryſoſt. in hæc verba. *Eſtne hoc bonum; dic oro? Eſtne gloria? minimè, ſed ignominia, & ſeruitus, & vincula, & quicquid dicere licet, onerosum.* Eſſe item hanc ſeruitutem tetriorem, & acerbiorem quacunque barbarorum captiuitate, conteſtatur idem S. P. homil. 17. in ad Roman.

Gloriæ caducitas.

Sed apertiùs ſtuporem humanum deprehendemus hac in parte, ſi gloriæ inſtabilitatem, & verè ſœneum florem aduertamus. Tractat id inſigniter S. Gregorius lib. 6. moral. c. 3. ad illud; *Et maledixi pulchritudini eius ſtatim.* Et pulcherrimè 17. moral. c. 5. tractans illud, *eleuati ſunt ad modicum & non ſubſiſtent*, vbi breuitatem gloriæ humanæ, vapori ad modicum parenti & fœni flori conferri docet, *quia carnalis gloria dum nitet cadit, dum apud ſe extollitur, repentino intercepta fine terminatur. Sic namque aurarum flatu in altum ſtipula rapitur; ſed caſu concita ad ima reuocatur. Sic ad nubila fumus attollitur, ſed repentè in nihilum tumeſcendo diſſipatur. Sic ab infimis nebula denſeſcendo ſe erigit, ſed exortus hanc Solis radius, ac ſi non fuerit abſtergit. Sic in herbarum ſuperficie, nocturni roris humor aſpergitur, ſed diurni luminis ſubito calore ſiccatur. Sic ſpumoſæ aquarum bullæ inchoantibus pluuiis excitatæ, ab intimo certatim prodeunt, ſed eo celeriùs diruptæ defecerunt, quo inflatæ citiùs extenduntur. Cùmque creſcunt vt appareant: creſcendo peragunt ne ſubſiſtant.* Floris ſpeciem adeo caducam, in diem gigni obſeruat Plin. l. 21. c. 1. *magna admonitione hominum quæ ſpectatiſſimè florent, citò marceſcere.* Quis ergo gloriam, tam fragilè támque ſubitò marcens bonum, ſummi boni loco habeat, ſuperſtite mentis ſanitate?

Et gloriam quidem ex caducis hiſce ac fluxis bonis, eiuſmodi eſſe vt momento propè euaneſcat, palpabili tot ſæculorum experimento, teſtatiſſimum eſt. *Gloria*, inquit Seneca epiſt. 123. *vanum & volatile quiddam eſt, auráque mobilius.* Vnum eſt quo gloriam æternari poſſe pronunciat. Seneca in Conſolat. ad Polyb. c. 37. *Produc*, inquit, *memoriam aliquo ſcriptorum monumento tuorum. Hoc enim vnum eſt rebus humanis opus, cui nulla tempeſtas noceat, quod nulla conſumat vetuſtas. Cætera quæ per conſtructionem lapidum, & marmoreas moles, aut terrenos tumulos in magnam eductos altitudinem conſtant, non propagabunt longam diem; quippe & ipſa intereunt. Immortalis eſt ingenij memoria.* Non dubitauit Poſſidius Calamenſis Epiſcopus æqualis D. Auguſtini & eius vitæ ſcriptor, affirmare ſcriptorem in libris ſuis ſemper viuere, idque teſtimonio confirmat ſæcularis Poëtæ, cuius illos verſus refert.

Viuere poſt obitum vatem, vis noſſe viator?
Quod legis ecce loquor, vox tua nempe mea eſt.

Sic ille in calce vitæ D. Auguſtini. Hoc nomine Plin. l. 9. epiſt. 3. otium literarium eorum qui certi poſteritatis cum futura gloria viuunt, tametſi contendentium, nec remiſſorum; quippe immortalitatem ſuam cogitantium, nominat *altum & pingue*, & ad hominis beatitatem facere plurimùm. cenſet: Multus quoque eſt in hoc puncto Ioan. Sariſber. lib. 8. Polycrat. c. 14. At ex hac quoque ſemente quàm inanis & fluxa móxque in auras euaneſcens gloriæ meſſis colligatur, docent aboliti tot ſcriptorum labores; multorum, cum blattis certantes ac tineis vigiliæ. Vt probra aliorum, vnde decus expectabant, prætermittam, quod benè demõſtrat Franciſcus Petraccha lib. 1. de remc. dial. 44. Quotus verò eſt, cui de opinione editorum operum, in portu iudicij publici, poſt Liuidorum Latratuum ſcyllas enauigatas, ſufficientis gloriæ anchoræ ſedeat: vt de ſe ſcripſit Sidonius l. 1. epiſt. 1. *in fine*. Quod alij à ſaxis & monumẽtis, & vt de Abſalone Scriptura loquitur,

loquitur qui manu ſperant ſibi gratiæ perennitatem, valdè hi quoque hallucinantur. Nam vt Auſonius ſcitè epigr. 34. cecinit, *etiam ſi monumenta fatiſcunt, Mors etiam ſaxis nominibuſque venit.*

Cæterùm quantumuis etiam poſt funera perſtet hominis gloria, quid tamen ei conferat qui non adeſt, nec ſignificare poteſt ſe eſſe de quo fama illa bona increbuit, inexpertum ſibi eſſe, tradit Epictetus apud Arrianum lib. 1. c. 9, *in fine*. Denique quò quis apertiùs multitudini educitur, eò pluribus ſe telis opponit, & maleuolentiæ quod mordeat oſtendit, iuxta Senecam lib. de vita beata c. 2. qui rectè addit *quam magnus mirantium, tam magnus inuidentium populus eſt.* Taceo inexplebilitatem cupiditatis gloriæ, de quo eius malo luculenter Dio Chryſoſtomus orat. 66.

Qui in honore vani: ac primùm quod ſit extrinſecum quid, & vt plurimùm extrinſecùs deferatur,

147. Pauca de extremo huius ordinis bono, hoc eſt, de honore ſubiicio, quem in primis ex eodem capite depretiare licet, ex quo ſuprà, famam S. Auguſtinus, nempe quod ſit extrinſecum bonum cum non honorati bonum ſit ſed honorantis, cui ſoli ineſt, vt Ariſtoteles etiam pronunciauit; & Epictetus cap. 31. Enchir. inſinuauit cúm dixit. *Iſta cogitationes ne te crucient, fore vt ſine honore viuas, & nullo ſis loco. Nam ſi honore carere malum eſt, nihilo magis per alium in malum eſſe potes, quàm in vitio.* Occurrit & alia ratio cur honor extrinſecum bonum dici vt plurimum debeat. Suppeditat eam S. Chryſoſtomus hom. 7. in ad Coloſſ. latè exaggerans, honoris qui paſſim inter homines exhibetur, planè inſignè probrum & dedecus eſſe quod reuera nec illi cui defertur, nec eius virtuti vt poſtulat natura ac ratio honoris, ſed diuitiis potiùs aliíſque externis bonis, nec ex amore eius cui honor redditur, ſed ex amore ipſius reddentis commodóque aliquo ſuo, ad quod aſpirat, exhibetur.

Ipſum Chryſoſtomum audiamus qui hoc luculenter diſſeritt vt cætera. [Sed honores habere iucundum eſt, inquis; Et quid eſt honore illo iniucũdius qui propter pecuniarum neceſſitatem obtingit, quando is non ex animi ſententia, neque ex alacritate aliqua exhibeatur? Nõ tu honore illo potiris, ſed ipſæ diuitiæ. Itaque hoc ipſum omnium potiſſimum, ignominia diuitem afficit. Nam dic mihi, ſi te amicum quendam habentem omnes illius gratia honore afficerent, ſimul tamen ingenuè faterentur, nullo te prorſus honore dignum eſſe, cogique ſe propter illum amicum tuum honorare te, quomodo non magis ignominia te afficerent iſti? Itaque diuitiæ nobis ignominiæ cauſa ſunt, maiore præditæ honore, quàm quis poſſident. Sunt quoque non potentiæ ſed infirmitatis indicium & argumentum. Quomodo igitur abſurdum non eſt, terra nos & cinere (hoc enim aurum eſt,) non putare dignos eſſe; ſed nos illius gratia honorem conſequi? Meritò. Verùm talis non eſt qui diuitias contemnit. meliùs enim eſt non honorari, quam hoc pacto honorari. Etenim dic, quæſo, ſi quis tibi diceret; te quidem nullo arbitror honore dignum, verùm propter ſeruos tuos honore te afficio, an hac ignominia quicquam peius eſſe poſſet? Si verò turpe eſt honori eſſe propter ſeruos, qui tamen eiuſdem animæ nobiſcum & eiuſdem naturæ participes ſunt; multò magis propter iſta quæ viliora ſunt, parietes dico ædium, & aulas, & vaſa aurea, & veſtimenta. Ridicula verè ſunt iſta & turpia. Satius fuerit mori quam ad hunc modum honorari. Nam dic mihi, ſi te in iſto faſtu periclitantem, vilis quiſquam & deſpicendus periculo eximere vellet, quid tibi turpius euenire poſſet? Quòd verò de ciuitate iſta inuicẽ alius alij dictis ad vos quoque dicere volo. Offenderat aliquãdo Regem ciuitas hæc noſtra, iuſſerátque illam totam funditus perdere, cum viris, pueris & ædificiis: (Tales enim ſunt Regij furores. Poteſtati ſuæ quantùm volunt permittunt & largiuntur. Tantum malum eſt libera poteſtas.) Erat igitur in extremis periculis. Vicina ciuitas, maritima illa ſuccurrens, Regem pro nobis obſecrabat. Qui verò vrbem hanc noſtram inhabitabãt, dicebant, hoc peius eſſe, quam ſi vrbs ipſa ſolo adæquaretur: Ita ſcilicet ad hunc modum honorari peius eſt, quàm ignominia affici. Etenim vide vnde radicem ſuam habeat honor iſte. Coquorum manus faciunt vt honoremini. Itaque illis gratiam referre debemus. Et ſubulci exhibent diuitem menſam, & textores, & lanarij, & qui metallis operantur, & placentarij & ſtructores. An non melius eſt itaque non honorari, quam illis honoris gratiam debere?]

148. Caſtigationem quoque publici huius erroris, quo honor externis potius ornamentis rependitur, quàm virtuti, legere eſt quod Senecam variis locis. Vnicum profero ex Epiſt. 76. *Nemo*, inquit, *ex iſtis quos purpuratos vides fælix eſt, non magis quam ex illis quibus ſceptrum & chlamydem in ſcana fabula aſſignãt. Cum præſente populo elati inceſſerunt, & cothurnati; ſimul exierunt, excalceantur, & ad ſtaturam ſuam redeunt, Nemo iſtorum quos diuitiæ honoréſque in altiore faſtigio ponunt, magnus eſt. Paruus pumilio, licet in mõte cõſtiterit, Coloſſus magnitudinem ſuam ſeruabit, etiã ſi ſteterit in puteo. Hoc laboramus errore: ſic nobis imponitur. quòd neminem æſtimamus eo quod eſt, ſed adiicimus illi & ea quibus adornatus eſt. Atqui cùm voles veram hominis æſtimationem inire. & ſcire qualis ſit, nudum inſpice: Ponat patrimonium, ponat honores, & alia fortunæ mendacia: Corpus ipſum exuat; animum intuere, qualis quantúſque ſit, alieno, an ſuo magnus.* Vides quàm ſapienter Anton. lib. de vita ſua num. 16. patrem ſuum commendet quod deſpiceret eos, *qui putantur honores & non ſunt.* Honor enim phaleris prædictis impenſus, honor putatur; abeſt tamen longiſſimè à vera honoris ratione, quæ eſt eſſe virtutis præmium.

Item quod ab inhonoratis deferatur.

Sed illud expenſione digniſſimum quod Chryſoſtomus homil. 12. in ad Epheſ. ad detegendam honoris vanitatem obſeruauit. *Quid eſt*, inquit, *à multis in pretio atque honore haberi? Nihil ſi enim intereunt qui honorem impendunt, multò magis honor ipſe. Qui honorem exhibet alteri, ſibi ipſi primum exhibere debet. Si verè illum ſibi ipſi non impendit, quo pacto exhibebit alteri? Iam vere honores, etiam ab ignominioſis, tenuibus contemptibilibúſque viris, quos probroſos eſſe ſcimus venamur. Qualis eſt ergo honor ipſe?* Simulia Antoninus lib 3. de vita ſua n. 7. & pleniùs quoque l. 5. num. 12. *Res quidem ipſa*, inquit, *in tanta quodammodo verſantur obſcuritate, vt Philoſophorum pleriſque & iis non ignobilibus, omnino percipi poſſe nihil, viſum ſit. Stoici tamen poſſe percipi; ſed planè difficulter cõſuerunt. Eſtque omnis noſtra aſſenſio talis vt falli & mutari poſſit Quis enim ſe non poſſe errare dixerit? Transfert itaque. cogitationes ad ipſas res ſubiectas ac vide quam breues viléſque ſint, quæ etiam à cinædo. ſcorto, aut prædone poſſint teneri. Inde tranſi ad mores eorum quibuſcum vitam degis, inter quos vix eſt etiam gratioſiſſimum perferre. ne dicam quòd vix ſeipſum quis perpeti poſſit. Tanta igitur in caligine ſordibus, tantóque rerum, temporis, motuúmque & rerum quæ mouentur fluxu, non video quid ſit eſſe in honore, aut obſeruantia hominum.*

Et

Et quod indignis.

149. Quid quod indigniſſimis ſæpè defertur honor, vt non iam *dignitatum* nomen retineri debere cùm de honoribus agitur, expoſtulet Boëtius 2. de conſol. proſa 6. negans boni loco habendos eſſe honores, cùm tam ſæpe peſſimis hæreant, nec bonos efficiant quibus adueniunt. Luculenter idem lib. 3. proſa 4. *Sed dignitates,* inquit, *honorabilem reuerendúmque cui prouenerint, reddũt? Nã vis ea eſt magiſtratibus, vt vtentium mentibus virtutes inſerant, vitia depellant! Atqui non fugare ſed illuſtrare, potius nequitiam ſolent. Quo fit vt indignemur eas ſæpè nequiſſimis hominibus contigiſſe, Vnde Catullus, licet in curuli Nonium ſedentem ſtrumam appellat. Vidéſne quantum dedecus malis adiiciant dignates? Atqui minus eorum patebit indignitas: ſi nullis honoribus inclareſcant* Omnino verè. Eorum enim qui cæteris eminent, vt eximiæ dotes; ita & dedecora vt Dio Chryſoſt. orat. 3. egregiè diſputat, latere non poſſunt, & iuxta illud Senecæ in Agamenone act. 2. *Perlucet omne regia vitium domus.* Concinit Claudia. in Paneg. de 4. Honorij Conſul.

Hoc te præterea crebro ſermone monebo,
Vt te totius medio telluris in orbe,
Viuere cognoſcas, cunctis tua gentibus eſſe
Facta palam, nec poſſe dare regalibus vſquam
Secretum vitiis, nam lux altiſſima fati,
Occultum nihil eſſe ſinit; latebraſque per omnes
Intrant & abſtruſos explorat fama receſſus.

Neroni idem inculcat Seneca 1. de Clem. c. 8. *Alia,* inquit, *eſt conditio eorum qui in turba quam non excedunt latent: Quorum & virtutes vt appareant diu luctantur & vitia tenebras habent Veſtra facta dictáque rumor excipit.* Ex Saluſtio id benè illuſtrat Philippus Abbas epiſt. 13. *Et deniq; & Abbas.* Rogatus ſententiam Cæſar, apud P.C. ſic præter cætera diſſerit. *Qui demiſſi in obſcuro vitam agunt, ſi quid iracundia deliquere, pauci ſciunt; fama atque fortuna eorum, pares sũt. Qui magno imperio præditi, in excelſo ætatem agunt, eorum facta cuncti mortales nouere. Ita in maxima fortuna, minima licentia eſt* Naſo ad Liuiam in conſolát.

Impoſuit te alto fortuna, locúmque tueri
Iuſſit, honoratum Liuia perfer onus.
Ad te oculos aurés que trahis, tua facta notamus
Nec vox miſſa poteſt Principis ore tegi.

Gunterus ſine fuco & candide lib. 4.

Nec Princeps latebras, nec ſol deſiderat vmbras
Abſcondat ſolem qui vult abſcondere Regem.

Denique Plin. in Trayan. Panegyr. *Habet hoc magna fortuna quòd nihil tectum, nihil occultum eſſe patiatur; Principum verò non modò domus, ſed cubilia ipſa intimóſque receſſus recludit, omniáque arcana noſcenda proponit fama* Eadem Tyrius diſſert. 6. n. 36.

Sed pergit Boëtius. [Non poſſumus ob honores reuerentia dignos iudicare, quos ipſis honoribus iudicamus indignos. At ſi quem ſapientia præditum videres, non poſſes eum vel reuerentia, vel ea, qua præditus eſt ſapientia, non dignum putare? Minimè. Ineſt enim dignitas propria virtuti, quam protinus in eos, quibus fuerit adiuncta, transfundit. Quod quia populares nequeunt facere honores, liquet eos propriam dignitatis pulchritudinem non habere. In quo illud eſt animaduertendum magis. Nam ſi eo abiectior eſt, quò magis à pluribus quiſque contemnitur, cùm reuerendos facere nequeant quos pluribus oſtentat deſpectiores, potius dignitas improbos facit. Verùm non impunè: Reddunt namque improbi parem dignitatibus vicem quas ſua contagione commaculant. Atque vt agnoſcas veram illam reuerentiam per has vmbratiles dignitates non poſſe contingere, ſic collige. Si quis multiplici conſulatu functus in barbaras nationes fortè deuenerit, venerandúmne barbaris honor faciet? Atqui ſi hoc naturale munus dignitatibus foret, ab officio ſuo quæque gentium nullo modo ceſſarent. Sicut ignis vbique terrarum, nunquam tamen calere deſiſtit. Sed quoniam id eis non propria vis, ſed hominum fallax annectit opinio, vaneſcunt illicò, cùm ad eos venerint, qui dignitates eas eſſe non æſtimant. Sed hoc apud exteras nationes. Inter eos verò apud quos ortæ ſunt, num perpetuò perdurant? Atqui præfectura, magna olim poteſtas, nunc inane nomen eſt, & ſenatorij cenſus grauis ſarcina: Si quis quondam populi curaſſet annonam, magnus habebatur: Nunc ea præfectura quid abiectius: Vt enim paulò antè diximus, quod nihil habet proprij decoris, opinione vtentium, nunc ſplendorem accipit, nunc amittit. Si igitur reuerendos facere nequeunt dignitates, ſi vltrò improbrorum contagione ſordeſcunt, ſi mutatione temporum ſplendere deſinunt; ſi gentium æſtimatione vileſcunt, quid eſt, quod in ſe expetendæ pulchritudinis habeant, nedum aliis præſtent?] Huic Boëtij diſputationi aduerſùs honores, alia planè affinis & breuior quidem, ſed ſucci pleniſſima extat apud Eucherium in paræn. ad Valer. cùm de honorum nihilo, & incommodis diſſerit.

Spinæ honorum, etiam eminentiſſimorum.

150. Ex his exilitas ac imperfectio boni huius, in quod hominum plerique tanto æſtu feruntur, perſpicua eſt. Quanta verò ſi eius ſufficientia ad animum explendum, & iucunditas qua eum perfundit, quæ erant aliæ ſummi boni prærogatiuæ, nec tacente res loquitur. Auſim verò præterea affirmare, non modò non expleri honoribus animum, vel ſuauitatibus inſolitis imbui; ſed etiam innumeris compleri angoribus, qui ſenſum omnem fortè intermiſſarum iucunditatum haberent, eóque pluribus & grauioribus quo altior fuerit honoris gradus, quem quis attigerit.

Quid enim inter homines ſublimius culmine honoris Regij? de Regia tamen felicitate ſic pronunciat Epictetus apud Arrianum lib. 3. cap. 22. *Vbique ſunt perturbationes, mæſtitiæ, timores appetitus infiniti, declinationes impeditæ; inuidia, obtrectationes quo aditu præcluſis ſic omnibus ſeſe felicitas præſtaret?* Intercidit vitam præeſt animi fluctibus ſic proditus choro 2. Herculis Oetei.

Rarum eſt ſenex idemque fœlix
Ceſpes Tyrio mollior oſtro
Solet impauidos ducere ſomnos
Aurea rumpunt tecta quietem
Vigiléſque trahit purpura noctes.
O ſi pateant pectora ditum.
Quantos intus ſublimis agit
Fortuna metus!

Affinia planè illa Chriſtiani Poëtæ 4. de conſol. metro 2.

Quos vides ſedere celſos,
Solij in culmine Reges
Purpura claros nitente,
Septis triſtibus armis
Ore toruo comminantes,
Rabie cordis anhelos:
Detrahat ſi quis ſuperbis
Vani tegmina cultus,
Iam videbit intus arctas
Dominos ferre catenas.
Hinc enim verſat libido,
Auidis corda venenis:
Hinc flagellat ira mentem.
Fluctus turbida tollens:

Mœror aut captos fatigat.
Aut ſpes lubrica torquet.
Saluos caput tot vnum,
Cernas ferre Tyrannos.
Non facis quod optat ipſe,
Dominis preſſus iniquis.

Seneca itero pulcherrimè lib. de breuit. vitæ cap. 4. & 5. [Potentiſſimis, & in altum ſublatis hominibus, excidere voces videbis, quibus otium optent, laudent, omnibus bonis ſuis præferant. Cupiunt interim ex illo faſtigio ſuo, ſi tutò liceat, deſcendere. Nam vt mihi extra laceſſat, aut quatiat, in ſeipſam fortuna ruit. Diuus Auguſtus cui Dij plura quàm vlli præſtiterunt, non deſiit quietem ſibi præcari, vacationem à Republica petere. Omnis eius ſermo ad hoc ſemper reuolutus eſt vt ſibi ſpectaret otium. Hoc labores ſuos e iamſi falſo, dulci tamen oblectabat ſolatio, aliquando ſe victurum ſibi. In quadam ad Senatum miſſa epiſtola, cùm requiem ſuam non vacuam fore dignitatis, nec à priore gloria diſcrepantem pollicitus eiſet, hæc verba inueni: Sed iſta fieri ſpecioſus quàm promitti poſſunt: Me tamen cupido temporis optatiſſimi mihi, prouexit, vt quoniam rerum lætitia morabatur adhuc, præciperem aliquid voluptatis ex verborum dulcedine. Tanta viſa eſt res, otium, vt illam, quia vſu non poterat, cogitatione præſumeret. Qui omnia videbat ex ſe vno pendentia, qui hominibus gentibúſque fortunam dabat, illum diem lætiſſimus cogitabat, quo magnitudinem ſuam exueret. Expertus erat, quantum illa bona per omnes terras fulgentia, ſudoris exprimerent, quantum occultarum ſollicitudinum tegerent.]

Gemere & fatiſcere ſub onere mirum non eſt, eos qui tanta præmuntur mole, quot ipſis ſubditi ſubiacent. Imò ſi rectè rem æſtimamus, quot ipſi regendis & curandis ſubſunt; Id quod S. Gregor. 9. mor. cap. 13. ad illud *ſub quo curuantur qui portant orbem*, his verbis expreſſit. *Ipſi orbem portant qui curam præſentis ſeculi tolerant. Tanto rum quippe pondera vnusquiſque ſuſtinere compellitur, quantis in hoc mundo principatur, Vnde & terræ Princeps, non incõgruè Græco eloquio βασιλεὺς dicitur. Λαὸς enim populus interpretatur, βασιλεὺς igitur βασιλαοῦ vocatur, quod Latina videlicet lingua baſis populi dicitur: quia videlicet ipſe ſuper ſe populum ſuſtinet, qui motus illius, poteſtatis pondere fixus regit. Quò enim ſubiectorum ſuorum onera tolerat, eo quaſi ſuperpoſitam columnam baſis portat.* Has ob curas, Regiam vitam mortem potius eſſe quã vitam longéque dulciorem eſſe vitam priuatam etiãſi pauperrimam, conteſtatus ſub mortem eſt, qui vtroque in ſtatu ætatem exegerat, Suatocopius Morauorum, primus Rex Chriſtianus apud Æneam Syluium hiſtor. Bohem. cap. 13.

Vertigines ſæpè eorundem

151. Quid quod ne eo quidem malo eximitur principatus, quod ei ab excelſitate ſua, & vt loquitur idem Seneca, *à prærupto* non rarò accidit ob volubilitatem rerum humanarum & fortunæ inconſtantiam? Luget hoc chorus Hippoliti actu 4.

Quanti caſus humana rotant?
Minus in paruis fortuna furit.
Leniúſque ferit leniora Deus.
Seruat placidos obſcura quies:
Præbet ſomnos caſa ſecuros.
Admota ætheriis culmina ſedibus,
Euros excipiunt notos,
Inſani Boreæ minas.
Imbriferúmque Corum:
Humida vallis raros patitur
Fulminis ictus: Tremuit telo
Iouis altiſoni, Caucaſus ingens:
Phrygiúmque nemus matris Cybeles.
Metuens cælo Iupiter alto
Vicina petit non capit vnquam
Magnos motus humilis tecti
Plebeia domus: Volat ambiguis
Nobilis aliis hora: nec vlli
Præſtat velo fortuna fidem.

Et grauiſſimè ſimul ac mellitiſſimè chorus Thyeſtis act. 3.

Nulla ſors longa eſt; dolor ac voluptas
Inuicem cedunt B.euior voluptas.
Ima permutat breuis hora ſummis.
Ille qui donat diadema fronti,
Quem genu nixa tremuere gentes,
Cuius ad nutum poſuere bella
Medus, & Phœbi propioris Indus,
Et Daca Parthis equitum minati,
Anxius ſceptrum tenet; & mouentes
Cuncta diuinas, metuitque caſus
Mobiles rerum, dubiúmque tempus
Præclarum illud in ∴io Oedip.
Quiſquam ne regno gaudet, ô fallax bonum
Quantum malorum fronte quàm blanda tegis;
Vt alta ventos ſemper excipiunt iuga,
Rupémque ſaxis vaſta dirimentem freta
Quamuis quieti verberant fluctus maris
Imperia ſic excelſa, fortunæ obiacent.

Præter Iuuenalem ſatyr. 10.

Legendus in hanc rem S. Hieronymus in fine Epitaphij Nepotiani, & B. Petrus Damiani Opuſ. 56. cap. 7. Petrus Bleſenſ. tract. de auct. peregrin. Hieroſol. Vniuersè item Syneſius ſub initium orationis de Regno. Arcadium monet vt aduertat, quarúmnam vitarum copia, Tragicorum ſcenis ſuppeditetur. Quippè mediocrem domum calamitatis magnitudinem non capere: nec grauitati infortuniorum ob noxiam eſſe: Sed id potentum ac principum proprium eſſe, vt & ſecundis, & aduerſis rebus illuſtres ſint. Denique Eucherius in paræn. ad Valer. grauiter eum monet, in hac vita perinde alta atque humilia, parum tuta eſſe. Et depreſſa quidem obteri, celſa autem faſtigia, nutare. Vtraque autem grauem turpitudinis ſortem non effugere. Quæ grauiſſimè omnia in hanc rem diſputat Chryſoſtom. l. 1. ad viduam iuniorem *ſub f.* prolixiora ſunt, quàm vt repræſentari in loco poſſint.

Ignorantia veri, ingens malum ſummorum faſtigiorum.

152. Accedunt tria ingentia Regum ac Principum mala, quæ idem Seneca non ſemel, & alij plerique annotarunt. Primum eſt quòd ægrè percipiunt rei veritatem, omnibus ad nutum & voluntatem, non autem ad veritatem loquentibus, ne in offenſionem incurrant eorum à quibus prædam aliquã expectant. *Monſtrabo tibi*, ait Seneca lib. 6. de benef. cap. 30. *cuius rei inopia laborent magna faſtigia, quid omnia poſſidentibus deſit. Scilicet ille qui verum dicat & hominem inter mentientes ſtupentem, ipsáque conſuetudine pro rectis blanda audiendi ad ignorantiam veri perductum, vindicet à conſenſu concentúque falſorum. Non vides quemadmodum illos in præceps agat extincta libertas, & fides in obſequium ſeruile ſubmiſſa; dum nemo ex animi ſui ſententia ſuadet, diſſuadétque, ſed adulandi certamen eſt, & vnum omnium amicorum officium, vna contentio, quis blandiſſimè fallat? Ignorauere vires ſuas & dum ſe tam magnos quàm audiunt, credunt, attraxere ſuperuacua.* Confirmat id cap. ſequenti exemplo Xerxis atque Demarati. Aſtipulatur B. Petrus Damiani

miani Opuſ. 57. cap. 1. omninò benè demonſtrans hac eſſe ſummam Regum Principúmque infelicitatem. Refert Ioannes Michael l. cui titulus Anatome corporis Politici c. 39, ex Gulielmo de Mara; Carolum octauum Francorum Regem pridie quàm obiret Bernardum de Villanoua aquam ſibi affundentem ſciſcitatum eſſe, cur tam pauci Regum canoniſmo decorati eſſent nec ſatisfaciente Bernardo, ſubiunxiſſe, cauſam illam ſibi videri maximè idoneam paucitatis illius ſanctorum Regum, quod nullos aut perpaucos habeant à quibus audiant veritatem. Addit Michael, Antiochum Regem cùm in venatione aberrarit à ſuis pernoctaſſet apud ruſticum cui cognitus non erat, & ab eo ſyncerè referente didiciſſet quæ Rex cæteroqui non malus admitteret improbanda, poſtridie deprehenſum cum ruſtico, dixiſſe ſuis ea ſe primùm die apud ruſticum vera audiuiſſe de tardo ac difficili veritatis ad Principes acceſſu expoſtulantém. Idque probè intellexerat Gordianus Imperator cum inter primum imperij rudimentum deceptus ab aſſentatoribus in mandandis muneribus ac magiſtratibus multa deliquit: donec Miſioteo ſocero edocente veritatem cōperiens exclamauit. *Miſerū eſſe Principem, apud quē vera ſileantur.* At ſileri propè apud omnes iā diximus; confirmátque experientia. Connectitur cum hac intellectus labe, alia quam vix à quoquam magnatum effugi obſeruat S Bernardus 2. de conſid. c. 14. nempe facilitas credulitatis: *cuius*, inquit, *calliſſima vulpecule magnorum neminem comperi ſatis caviſſe verſutias. Inde eis ipſis pro nihilo ira multa, inde inſolentium frequens addictio, inde præiudicia in abſentes.*

Item creſcendi cupiditas.

Alterum nec mediocre ſummorum faſtigiorum malum eſt, gliſcens ſemper in eis cupiditas, magis ſemper atque magis eminendi atque creſcendi; ad innumera priuata & publica mala cladéſque & bella parans aditum, ſaltémque omnem illis vſum quietis ac tranquillitatis intercludens. *Non eſt*, ait Seneca epiſt. 94. *quod inuideas iſtis quos magnos fœlicéſque populus vocat: Non eſt quod tibi compoſitæ mentis habitum & ſanitatem plauſus excutiat. Non eſt quod tibi tranquillitatis tuæ faſtidium faciat ille, ſub illis faſcibus purpura cultus. Non eſt quod fœliciorem eum iudices, cui ſubmouetur, quàm quem lictor ſemita deiicit. Si vis exercere tibi vtile, nulli autem graue imperium, ſubmoue vitia. Multi inueniuntur, qui ignem inferant vrbibus, qui inexpugnabilia ſeculis, & per aliquot ætates tuta, proſternant: Qui æquum arcibus aggerem attollant, & muros in miram altitudinem adductos, arietibus ac machinis quaſſent. Multi ſunt qui ante ſe agant, & tergis hoſtium graues inſtent, & ad mare magnum perfuſi cæde gentium veniant: ſed hi quoque vt vincerent hoſtem, cupiditate victi ſunt. Nemo illis venientibus reſtitit, ſed nec ipſi ambitioni crudelitatique reſtiterant. Tunc cùm agere viſi ſunt alios agebantur.*

Subiicit exempla varia Regum, ac Principum virorum, quibus inſanus amor magnitudinis falſæ, & infinita cupido creſcendi, cùm ſibi vnis parum magni viderentur, infeſta fuit. Tum ſubdit. *Iſti cum omnia concuterent, concutiebantur turbinum more, qui rapta conuoluunt, ſed ipſi ante voluuntur, & ob hoc maiore impetu incurrunt, quia nullum illis ſui frenum eſt. Ideóque cum multis fuerunt mali, peſtiferam illam vim quâ pleriſque nocuerunt, ipſi quoque ſentiunt. Non eſt quod credas quemquam fieri aliena infelicitate felicem.* Præclarè item epiſtol. 118. de honorum præſertim aſſecutione, & candidatorum angoribus diſputans, circumſpici vult *tot millia hominum inquieta; qui vt aliquid peſtiferi conſequantur, per mala nituntur in malum; petúntque mox fugienda aut etiam faſtidienda. Cui enim aſſecuto ſatis fuit, quod optanti nimium videbatur? Non eſt vt exiſtimant homines, auida felicitas ſed puſilla. Itaque neminem ſatiat. Tu iſta credis excelſa, quia longè ab illis iaces: ei vero qui ad illa peruenit, humilia ſunt. Mentior niſi adhuc quærit aſcendere. Iſtud quod tu ſummum putas gradus eſt. Omnes autem malè habet ignorantia veri. Tanquam ad bona feruntur, decepti rumoribus. Deinde mala eſſe, aut inania, aut minora quàm ſperauerint, adepti ac mala paſſi vident; maiórque pars miratur ex interuallo fallentia, & vulgò magna, pro bonis ſunt.*

153. Hoc ipſum incommodum Tullius, (vt cætera abeſſent,) non defuturum Regibus pronunciat in conſolat. [Reges ipſi, inquit, quàm miſeri ſint quantóque opere ſollicitudini, timori, atque inſidiis propoſitis ſatis oſtendit Dionyſius, cum imminente capiti gladio, Damoclem fortunæ ſuæ felicitatem, voluit experiri. Nec mirum cum iis bellorum calamitates, agrorum vaſtationes, populorum cædes, vrbium exitia immineant: quæ cùm eueniunt qui victoria potitur, aliquid & ad gloriam, & imperium ſemper acquirit; ſed tanta præterea rerum amiſſio, tantúſque ſumptus conſequitur, vt magni conſtet victoria ac plerùmque præſtiterit, nunquam arma ſumpſiſſe: ſin profligatio exercitus, aut clades aliqua contingit, nihil eo ſtatu miſerius ne cogitari quidem poteſt, ſiquidem captiuitati, inopiæ, luctui, contemptui coniunctus eſt. Sed fac Regem eſſe à bellorum impetu, & à caſtrorum puluere remotam, ſua pacatè poſſidentem, nulla hoſtium incurſione vexatum, num idcircò tutior, & à miſeriis ſecurior? Quinimo vt otium humana natura non fert, ipſe ſibi moleſtiam ac ſollicitudinem exhibebit. Nam aut de augendis vectigalibus, aut de producendis finibus, déque vrbibus ad imperium acquirendis, aut de iungendis cum potentioribus propinquitatibus, atque amicitiis cogitabit, quæ qui animo cogitat, nec à moleſtia liber eſt, nec alios ſecuros ac quietos eſſe ſinit. De ambitione verò maxima animorum peſte, nolim hoc loco pluribus diſputare? quæ in deſide atque otioſa mente quàm maximè exoritur, eáque erectiores animos, & altiores dignitatis gradus maximè ſollicitat.] Itaque vides rectè à Ferrando ſcriptum eſſe in parænet. ad Rheginum, *De radice temporalis felicitatis, germinant cupiditati.*

Sed maximè peccandi opportunitates & incentiua.

154. Tertium, nec cæteris minus, in eminentibus hiſce gradibus incommodum, ſpectat incentiua ad omne peccandi genus vbertim ſuppetentia, præſertim ad elationem. Breuiter id tradit Seneca epiſtol. 36. *initio.* S. Chryſoſtomus luculenter l. 2. de compunct. cordis illis de Dauide verbis. *In regno poſitus quis, multa habet quæ ad luxuriam & effuſionem prouocent. Neceſſitas ipſa conuiuij affluentis & regij, quantum ſegnitiei, quantùm putas reſolutionē conferat animæ. Tum deinde vis poteſtatis, quantum elationis, & rurſum quantum rigoris imponit. Sed & gloriæ cupido, erigit animos ad ſuperbiam libidinis quoque innumera confluunt incitamenta, quam gignit quadā poteſtatis auctoritas, nutriūt: verè & fouent deliciarum fomenta, & ſuper omnia regalis luxus inflammat. Curarum verò (vt diximus) frequentia, velut imbribus infunditur, & perturbatur. Inter hæc ergo omnia, vbi habebit locum cordis compunctio tot obſtaculis repulſa, tot aurorum circumuallatione ſecluſa?* S. Ambroſius in apologia Dauidis *prope initio*, ex maximè capite celebrat Dauidem, quod *lubrica ſit*,

viſum in horrimoribus licentia poteſtatis, & oblatio fauentium; & tutiſſimi ſint in poteſtate conſtituti, *qui quod per iuſtitiam non licet, nec per poteſtatem licere cognoſcunt*. Et itaque concludit poteſtatem ſecularem frequenter nihil prodiſſe; & plerumq; obeſſe, & planè eſſe admirandum Dauidem, qui abuſus poteſtate, *peccauit quod ſolent Reges; ſed pœnitentiam geſſit & fleuit, quod non ſolent Reges*; quibus ſolemne potius eſt, peccata ſua diligere, culpas pia dicere, crimina defendere. *Quibus cum à extinguen authoritatem eſt poteſtatis* Sed inſigniter Iſidorus Peluſiota lib. 3. epiſt. 153. vbi de aliis præterea regiæ dignitatis incommodis pluſcula, vt propterea operæ pretiū ſit locum adſcribere. [Imperium, quod tanto ſtudio, tantáq; contētione ab omnibus expetitur, in medium proponentes, ab eo cæteras quoq; omnia confitemur, atque illud tacētes, quod breue eſt, ac citò extinguitur. (Multi enim ex imperij throno ad tumulum delati ſunt, luctúſque præconum voces excepit.) iſtudq; item omittentes quod permulti aliis quoque bonis perſcriptionem ſpoliati ſunt; Cùm floret; tum maximè illud exploremus, ac meretricis fucos & pigmenta minimè detrahamus, verùm ornatam & fucatam in medium producamus, vt tum etiam ipſius difformitas ſeſe prodat. Itaque cultum, ac dignitatem, & actores, & præconis vocem, & populi obedientiam, eámque ſui qua omnes afficit admirationem adhibeamus: ac perpendamus an non hæc quæ præclara & expetenda videntur, non modò ſuperuacanea ſint, atque inanis quædam & vtilitatis expers opinio, verùm etiam noxia, & cum detrimento coniuncta. Quid enim hinc ille, aut corpore, aut animo, (nam hoc homo eſt.) melior efficitur. An propterea ſublimior, aut ſanior, aut pernicior exiſtit, aut liquidioribus ſenſibus erit? Id profectò nemo dixerit. Ad animum igitur nos conferamus. Vtrum itaque ab hac pompa temperatior, aut ſuauior, aut prudentior redditur? Minimè ſané; verùm contrà omnino: neque enim quod in corpore: idem etiam in animo euenire ſolet. Nam illud quidem ad virtutem ſuam nihil aſſumpſit; hic autem, vitium etiam aſſumpſit. Siquidem & amentiam, & inanem gloriam, & arrogantiam, & iracundiam, aliáque ſexcenta vitia hinc contrahit. Quod ſi gaudet, ac ſuperbit, & inflatur, hoc verò præſertim totius mali caput eſt: quippe cùm latro etiam poſt prædam gaudeat, & raptor poſt admiſſam fraudem, & adulter poſt perfoſſum & violatum alienum matrimonium, & ſicarius poſt cædem perpetratam. Quamobrem ne mihi illud quiſquam commemoret, quod gaudeat: verùm an commodè & vtiliter, oſtendat, & ego ipſi gratulabor.]

Non poſſum inſignem alium S. Gregorij locum miſſum facere, quo cùm aliæ principatus ærumnæ, tum hæc poſtrema in qua verſamur à ſanctiſſimo Pontifice egregiè deſcribuntur, 17. Moral. cap. 11. ad illud, *Ecce gigantes gemunt ſub aquis* in ſecunda quam eo capite proponit dicti illius interpretatione. *Si gigantum nomine*, inquit, *potentes huius ſeculi deſignantur, in aquis poſſunt populi figurari Ioanne atteſtante qui ait: Aquæ enim ſunt populi. Bene autem contra ſuperbientem dicitur: Ecce gigantes gemunt ſub aquis; quia elati omnes dum in hac vita aſſequi honorum celſitudinem cupiunt, ſub ponderibus populorum gemunt. Nam quanto quis hic altiùs erigitur, tanto curis grauioribus oneratur, eiſque ipſis populis mente & cogitatione ſupponitur, quibus ſuperponitur, dignitate. Et benè his verbis ac breuiter indicatur, quia omnis ſuperbia eo ipſa in imo iacet, quo in alta ſe erigit: vt inde magis cunctis ſuppoſita ſit, vnde cunctis expetit ſupereſſe. Nemo quippe in ſublimibus eleuatur, tantos ſuper ſe ſuſtinet quantos ſuppoſitos regit. Hi autem qui talibus ſociantur ipſi etiam laboris eorum participatione deprimuntur. Nam cum eis laborem etiam tolerant ponderis, dum pariter gloriam affectant honoris. Vnde cùm diceret: Ecce gigantes gemunt ſub aquis, protinus adiunxit; & qui habitant cum eis: ac ſi dicat, pariter gemunt qui eorum gloria ex delectatione ſociantur. Ipſa autem occupatio ſecularium dignitatum tanto facilioribus vitiis premitur, quanto maioribus curis grauatur, Humanus namque animus; videre & deuitare peccata vtinam valeat, vel quietus. Qui ergo vidit deſideratas rerum celſitudines abſque peccatis miniſtrari non poſſe, & quia diuina ira non abſconditur, quicquid illicitum perpetratur, ſuprè ſecutus adiunxit, nudus eſt infernus coram illo, & nullum eſt operimentum perditioni.* Legendus idem S. Pontifex lib. 1. eiuſdem operis cap. 35. Quo verò hæc peccandi licentia Magnates ac Principes poſt vitæ ſcamma facile pertrahit, inſigniter docet Plato in Gorgia locum deſcripſit Euſeb. 12. præpar. cap. 3. Hunc eſſe caminum probationis virorum principum, ſcitè dixit Facundus Hermianenſis l. 12. pro tribus capitu. c. 4. compellans Zenonem Imperatorē Enothicij autorē. *Si hoc ipſum*, inquit Facundus, *quod tibi omnia licent, caminum eſſe tuæ probationis intelligeres, etiam ipſius purpura quæ veſtiris ſpecie, id eſt, colore ſemper admonitus, velut in medio flammæ, te credens conſtitutum*. A camino ergo probationis ac velut tyrocinio flāmarum æternarū ad plenam earum exceptionem traduci periclitantur quotquot ea quidlibet impunè agendi facultate; ſeu veriùs licentiam abutuntur ex his omnibus capitibus principatum egregiè omninò depraetiat Ioannes Cātacuſenus, filio Matthæo, non grauatè ferre imperij inuaſionem à cognato factam, perſuadere tentans, vt ex l. 3. hiſtor. Cantac. c. 94. repræſentatur in eiuſdem Matthæi vita, præfixa explanationi eius in Salomonis Cantica.

Beatior priuatorum conditio

155. His & aliis ritè perpenſis S. Auguſtinus 4. Ciuit. cap. 3. non dubitat affirmare, longè meliorem eſſe priuati cuiuſpiam etiamſi inglorij conditionem, quàm Regis aut Principis in vertice collocati. [Vellem, *inquit*, paululum inquirere quæ ſit ratio, quæ prudentia, cum hominum felicitatem non poſſis oſtendere, ſemper in bellicis cladibus, & in ſanguine ciuili vel hoſtili, tamen humano; cum tenebroſo timore & cruenta cupiditate verſantium: vt vitro lætitia eorum comparetur fragiliter ſplendida, cui timeatur horribilius ne repente frangatur; de imperij magnitudine ac latitudine velle gloriari. Hoc vt faciliùs diiudicetur, non vaneſcamus inani ventoſitate iactati, atque obtundamus intentionis aciem altiſonis vocabulis rerum, cùm audimus populos, regna, prouincias, ſeu duos conſtituamus homines. Nam ſingulus quiſque homo, vt in ſermone vna littera, ita quaſi elementum eſt ciuitatis, & regni quantalibet terrarum occupatione latiſſimi. Quorum duorum hominum, pauperem vnum, vel potius mediocrem, alterum prædiuitem cogitemus: ſed diuitem timoribus anxium, mœroribus tabeſcentem, cupiditate flagrantem, nunquam ſecurum, ſemper inquietum, perpetuis inimicitiarum contentionibus anhelantem, augentem ſanè his miſeriis patrimonium ſuum in immenſum modum, atque illis augmentis curas quoque amariſſimas aggerantem. Mediocrem verò illum re familiari parua atque ſuccincta ſibi ſufficientem, chariſſimum ſuis cognatis, vicinis, amicis, dulciſſima pace gaudentem, pietate religioſum, benignum mente, ſanum corpore, vita parcum, moribus caſtum, conſcientia ſecurum. Neſcio vtrum quiſquam ita deſipiat, vt audeat dubitare quem præferat.]

Iuuat hanc ipſam collationem referre & confirmare propoſita Alexandri magni & Diogenis Cynici compararione, quæ in hunc modum inſigniter inſtituitur apud Dionem Chryſoſtomum orat. 4. de regno. [Erat Alexander (vt aiunt) hominum ambitioſiſſimus,& præſertim gloriæ indagator, & quomodo quàm maximum ſuum nomen relinqueret inter omnes Græcos & barbaros? Et concupiuit honorari propemodum non ab hominibus ſolum vbiquo, verùm etiam ſi qnà fieri poſſet, ab auibus, & feris in montibus. Alios quidem omnes ſpreuit, & neminem arbitratus eſt dignum qui ipſi hac in re conferretur:Neque Perſarum, neque Scytarum, neque Indorum Regem, neque vllum virum inter Græcos neque vllam ciuitatem. Intellexit enim quod propemodum omnium animi eſſent corrupti ex deliciis & ſegnitie,lucrandique cupiditate atque voluptate victi. Audiens autem de Diogene, & illius ſermonibus quos dixiſſet, operibus quæ feciſſet, & quomodo tuliſſet exilium, interdum quidem, ſpreuit hominis paupertatem & frugalitatem vtpote iuuenis, & educatus in Regio faſtu: ſæpè autem admirabatur, & inuidebat illi ob fortitudinem,& tolerantiam, & maximè ob gloriam, quod quum talis eſſet, inter omnes Græcos cognoſceretur, eſſetque admirationi, & nemo aliorum poſſet vlla ambitione talis fieri,qualis ille: Et quod ſibi quidem opus eſſet Macedonum phalange, & Theſſalorum equitibus.& Thracibus, & Pæonibus & aliis multis, ſi eſſet iturus quò vellet,& conſecuturus ea quæ appeteret; ille autem ſolus ambularet valde ſecurè, non ſolum interdiu, ſed etiam noctu, vbi placeret. Et quod ipſe auro & argento quam plurimo indigeret, vt perficeret ea quæ vellet:inſuper ſi habere cuperet obedientes Macedonas, & alios Græcos, quod ſibi Principes & aliæ turbæ colendi eſſent ſermonibus & donariis ſæpè: ille autem neminem hominum ſubiret, adulans, ſed vera omnibus dicens; & nullam drachmam poſſidens, pro voluntate viueret,nullàque re parabili fruſtraretur: Et vitam viueret ſolus quam putaret optimam & beatiſſimam? & non acciperet illius regnum, neque Perſarum aut Medorum diuitias, pro ſua paupertate.

156. Vnum eſt vnde tantis in ærumnis abblandiri ſibi poteſt humanus error, in excelſa ſorte ſupra priuata commendanda,quod ſcilicet viris principibus adſint multi ad nutum parati, multóque eos honore & cultu proſequentes. Hoc verò quale ſit, audi ex Seneca epiſtol. 36. initio. *Non eſt quod tibi iſti perſuadeant eum eſſe fœlicem qui à multis obſidetur. Sic ad illum quemadmodum ad lacum circumitur, quem qui exhauriunt, & turbant*, Sed ſcitè Epictetus apud Arrianum lib. 1.cap. 19. propoſita ea inani voce. *Omnes mihi miniſtrant*, ſic reſpondet: *Ego tabulam adorno, & lauo, & extergo eam, & propter myrothecam infigo paxillum parieti: Num propterea meliora hæc ſunt quam ego ſim? Non ſed vſum mihi quendam præbent, cuius gratia iſta apparantur. Num aſinum non accuro, nonne ipſius lauo pedes, & quominus ſit ſtrigoſus, como ipſum ſtrigili? An neſcis ſui quemque hominem curatorem eſſe; te verò ab aliis tanquam aſinum curari? Aut oſtende quinam te tanquam hominem curet, aut qui ſimilis tibi eſſe cupiat, aut qui imitetur quemadmodum Socrates ad imitandum proponi ſolet.*

Sicut beatior Mancipij quàm Domini ſors.

157. Mihi verò dimiſſo honoris Regij ac cuiuſcunque Principatus faſtigio, quod conſtat vbertate & magnitudine curarum ſæpè opprimi, placet cum

Theophili Raynaudi Mo al.

Theodoreto ſerm. 7.de prouident. quas præmiſi honorum ſpinas, in tenui imagine Principatus; hoc eſt, dominum inter & mancipium, conſiderare: (non enim qualemcúnque ſeruum domino componam; ſed eum ſeruum qui alterius ſit pleno iure.) hunc præ domino fœlicem ac innumeris iucunditatibus & commodis potientem, incommodis vero plurimis & grauiſſimis carentem,deſcribit ſupra Theodoretus. Quis vero non videt longè potiorem eſſe ac optabiliorem ſortem ciuis cuiuſuis, abſque honoribus ad Principem & Regem comparati, quàm mancipij ad Dominum.

Sed Theodoretum audiamus. [Durum & amarum eſt, *inquiunt*, ſeruire, & aſſiduis vexari laboribus, atque pro dominorum arbitrio dimenſum ſuum accipere. Cæterùm ſi cum veritatis ſtudio ſingula quæ diximus inſpicere velis, contentioſis illis valedicens ſermonibus, herilem poteſtatem triſtitiæ, ſeruilem autem conditionem vtilitatis plenam inuenies Paterfamilias enim plurimis curis oppugnatur, multum nimirum cogitans & circumſpiciens, vt domeſticis neceſſaria ſuppeditet. Regibus conſtitutũ tributum exoluat;vt quæ ex reditibus ſuperflua ſunt expendat;ea vero quæ ipſi deſunt coëmat. Quod ſic terra agricolas ingrata fefellerit, hominum ſcilicet erga Creatorem ſuum ingratitudinem imitata, ille mœrore conficitur, creditores circumſpicit, ſcribis nomen dat,& voluntariam ſibi ſeruitutem contrahit. Quod ſi eadem fructus protulerit, ſi inquam frugibus tota oneretur & ſegetibus luxuriet, ſi denique arborum ramos fructuum copia oneratos deorſum nutare cogat: ille nouis rurſum vrgetur ſtimulis. Nam prouentuum emptores ſollicitè quærens, nullos inuenit, & fertilitatis abundantia, ipſi nonnihil fit intolerabilior. Nec interdiu ſolummodo curæ illi obuerſantur, animámque circunſtipantes affligunt, ſed noctu longè grauius oppugnant. Anima enim externis negotiis liberata quietem agens, domeſticarum rerum, ſiue illæ benæ ſiue malæ ſint ſenſu acrius tangitur. Seruus aptẽ corpore ſeruiens, animam liberam, & omnium iſtiuſmodi expertum poſſidet. Nec enim ob terræ ſterilitatem dolet, nec venalium vilitatem quæritur,nec in creditoris conſpectum,cum mœrore incidit, nec exactorum petitionem formidat, nec foro aſſidere cogitur, nec præconis vocẽ,nec Iudicem terribili ſe vultu oſtentantem metuit. Dimenſum ſuum iuxta menſuram quidem ſed omni cura liberum accipit. In ſolo proſtratus dormit, ſed nulla cura ſomnũ excutit, quin potius hic dulcis admodum palpebris ipſius infuſus, ſoli duritiem ſentire non permittit. Id ipſum ſapiens quoque iuxta naturæ rationes pronunciauit, Dulcis ſomnus ſerui. Vnica veſte corpus tegit, ſed corporis viribus herum longè ſuperat, Furfuraceo pane vtens, nullo alio ad hoc obſonio veſcitur, ſed ſuauius multò quàm ipſe dominus epulatur. Hic etenim ventri aſſiduè inſeruiens, & ſatietatis limites tranſcendens, cibos vrget,ac vi quadam ventri tranſmittit. Hic vero manu dimenſum ſuum metiens, & datum chœnicem non modo rectè diſtribuens, auidè, & cum appetitu cibum ſumit, verùm etiam facilius concoquit, laborem ſcilicet ſibi cooperarium habens. Cæterùm tu ſeruitutem quidem vides, valitudinem autem corporis integram non vides: Et miniſterium quidem cernis, ſed quod huic ſubeſt ſolatium, non perſpicis: Et laborem quidem damnas, vitam vero ſecuram non laudas: ſed & ſeruitium calumnioſè carpis, ſomnum vero illum dulciſſimum non animaduertis. Atqui hinc quoque Dei prouidentiam videre, & gubernationis ipſius æqualitatem perſpicere oportebat. Quandoquidem enim peccati neceſſitas in herilem & ſeruilẽ conditionem humanum

genus diuiſit; illis quidem cum imperio curas quoque coniunxit, & vigilarum moleſtiam tradidit, ſed & morbos in illos plures effudit: his verò corporum valetudinem præſtantiorem, & ſuauiorem cibi eſum, ſomnum item dulciorem longioremque, qui corpus à laboribus recreet & illud ipſum ad craſtini diei labores robuſtius reddat, conceſſit. Quapropter non labores duntaxat, ſed etiam laborum ſolatia inſpice & communem omnium gubernatorem hymnis celebra.

158. Itaque felicior planè, & curis liberior, minúſque penuria angoribus ſors eorum qui ſubſunt, quàm qui honoribus præfulgent. Id quod luculenter prodidit Dionis Charidæmus orat. apud Dionem 30. deſcribens omnes homines ritu mancipiorum in ergaſtulis vna catena vinctorum. *Et corpora & animas ſicuti noſtro ſeculo videre licet in vna catena multos ex ordine vinctos, hos quidem deformes, illos autem formoſos, nihilo verò minus omnes ex æquo in eadem neceſſitate teneri. Similiter autem & fortunis, & gloriis, & honoribus, alterum ab altero ſuperari quemadmodum corporibus. Eſſe enim hoc quidem Reges, illos autem priuatos: & hos quidem diuites, illos autem egenos Et nihil ſanè propter hoc minus affligi, & teneri eodem vinculo eos qui beati vocantur, quam pauperes & ignobiles: ſed magis illos etiam, quàm hos. His enim, cum ſint maciores, vinculum relaxari, & remiſſius cuique circundatum eſſe; Reges autem, & Tyrannos, vtpotè inflates animo & admodum benè habites, magis premere, & arcta eſſe illis, & quemadmodum contingit qui corpore vincti ſunt: Craſſos enim & tumidos magis, quàm tenues, & inediam paſſos; vinculum conſtringit, Quaſdam ſanè & hos admodum paucos, remiſſionem quandam habere à Deo: Et vinctos quidem eſſe, ſed leuiter propter moderationem.*

Extremum ac ſummum periculum in ſorte Magnatum.

Satis multa de Regum Principúmque ſupra priuatos ærumnis, ac remotione à beatitate. Excurrunt in eo campo præter citatos quàm plurimi, ac nominatim Franc. Petrar. lib. 1. de remed. dialo. 96. Iouianus Ponta. lib. 1. de Prudentia cap. 19. Cardanus lib. 3. de conſol. & Carolus Paſchalius in cenſura animi ingrati cap. 16. Conſultò tacui hactenus, & vt infixum firmius hæreret, in hanc metam diſtuli, quod rectè æſtimanti, magna pars infelicitatis magnatum videri poteſt; nempe æternæ infelicitatis periculum in iſtis longè maius ac præſentius. Quod piè omninò ac luculenter Lucius Marinæus lib. 18. rerum Hiſpanicarum *in fine*, ex ore Ioannis Regis Aragonum in vitæ meta conſtituti deſcribit. Obſigno hoc punctum tam illuſtri clauſula, & ab eo. *O vanas*, inquit, *hominum cogitationes! ô miſeros omnes qui ad principatus aſpirant! qui diuitias, opes, & nimios honores affectant. O fœlicem pauperum conditionẽ & illorum ſecuram vitam atque beatam qui panem comedunt cum ſudore ſui vultus, qui viuunt labore manuum ſuorum, Nam mihi miſero quid regnum, quid honores quid obſequia plurimorum contulerunt. Quid? Labores ſcilicet magnos & multa corporis ac animæ pericula nec vnquam ætate tam longa, potui mihi dies aliquos videre bonos. O me miſerum & infœlicem qui tam ſerò fallacem mundum cognoſco, Qui vitam certè vixiſſem multò meliorem ſi non Rex ſed pauperis agri cultor fuiſſem,* Subdit Marinæus. *Hæc magno cum animi dolore ſecebat. Alphõſi fratris, vt arbitror, recordatus atque ſecutus exemplum, qui Neapoli olim moriens, eadem protuliſſe verba memoratur.*

Miſeria eorum qui ſummis faſtigiis proximi.

159. Quod ſi tantæ ac tot, ipſorum Regum ac Principum moleſtiæ, ac curarum aggeres tam immenſi, proindeque tot amaritudinibus inſperſa vita, quantò infelicior eorum qui iſtis proximi, honoribus duntaxat inferioribus & à ſuperioris nutu ac plerumque impotentis animi æſtu ſubito & mera libidine pendentibus, nitent? *Ecce Gigantes*, id eſt, iuxta B. Gregorij interpretationem 17. moral. cap. 11. potentes, *gemunt ſub aquis*, hoc eſt, in cura populorum, *& qui habitant cum eis*, nempe aulici, eiuſdem ſunt conditionis. *Martyres ſeculi*, appellat & calamitoſiſſimos eſſe, latè proſequitur Petrus Bleſenſis epiſtol. 14. & experimento ſuo doctus Budæus libr. 3. de contemptu rerum fortuit. Splendidè item id aſtruit Æneas Syluius, tract. de miſeriis curialium, ſiue epiſtol. 166. longiſſima, Antonius Gueuara opuſculo de aulæ vituperatione, nec non Maiolus Colloquio de aula.

Sed pulcherrimè omninò Epictetus apud Arrianum lib. 3. cap. 26. ad ſuæmet infelicitatis ingenuam confeſſionem, Aulicum adigit in hunc modum. [Qui adeptus erit, vt ſit amicus Cæſaris, nihilo magis id quod quærimus bonum conſequetur. Quid ergo eſt cuius omnis homo eſt appetens? Bono ſtatu eſſe, atque felicem agere vitam. omnia ad ſummum arbitrium facere, non impediri, non cogi. Si Cæſaris amicus ſit factus, deſiitne cogi, benè habetne? aut ſecundis fruitur rebus? Quem potius rogabimus, aut cui facilius credemus, quam ei ipſi qui ſe iactat amicum Cæſaris? Procede in medium & dic nobis, ex eóne tempore quietiús dormiuiſti, quam antea, cùm nondum eſſes ex ipſius familiaribus? Mox audis; Per Deos, quæſo, deſine illudere vitæ meæ. Ignoras quantis crucier malis? Propemodum enim ſomnum capio nunquam, ſed modò adeſt quiſpiam qui dicat; Iam euigilauit Cæſar, iam egreditur, poſtea turbæ, ſollicitudines. Suauiúſne cœnatus modo fuiſti, quam antea fueris? Audi & de hac re diſſerentem ipſum aliquid. Primò ſi non vocetur, ſe angi animo: ſin autem vocetur, ſe ita cœnare, quemadmodum ſerui ſoleant cum dominis: ſollicitus eſt nimirum, ne quid efferat ridiculum, aut faciat. Præterea quidnam videtur? Timet ne vapulet tanquam ſeruus flagris cæſus. Quid verò eſt quod exiſtimas præclarè ipſius res comparatas; An quia extra periculi metum eſt, ne quando extremo ſupplicio afficiatur? Num poſtea minus lauit turbulentè, quietiorem ſe preſtitit exercendo? Quid opus eſt verbis? Quam vitam agere malles, illamne an priorem? Iureiurando affirmare poſſum, neminem eſſe tam inſulſum, & tam à verò alienum, qui ſuas deploraturus non ſit calamitates, & eò magis quo fuerit familiarior.]

160. Inſtabilitatem huius conditionis hominum & mentium fluctus, ex malè fida gratiæ Principum ſtatione ob facilem ex ea caſum, vrget S. Gregorius lib. 7. Regiſtri epiſt. 190. Idemque attigerat S. Auguſtinus 8. confeſſ. cap. 6. & pulcherrimè Syneſius epiſt. 147. vocans Imperatoris amicos, *ſortis caſuſque velut ſaltationem, & nomina flammarum inſtar, ad ſummum gloria excitata faſtigium, móxque viciſſim reſtincta*, Id præcipuè ex calumniis ortum habet. Quantæ enim calumniæ & ſycophantiæ quibus aula ſemper ſcatet ſempérque ſcatebit.

Audi Lucianũ dialogo de nòn credendo temerè calumniæ. *In bello qui iuſta acie vincere hoſtem palã poteſt, turpe ducit aſtu & inſidiis certare. At hoc genus homines in aulis regiis ſpectare plurimos datur: Optimatũ fauorem hiſce artibus ambientes; vbi ſcilicet & inuidia*

dia crebra, & variæ ſuſpiciones, & aſſentandi criminandique occaſio multiplex in promptu eſt. Siquidem ibi quo pluribus plura ſpes oſtentat, eo neceſſe eſt maiore inuidia, ſimultatibus odiis, æmulatione callidiore certari. Illic videas licet quam acres alter in alterum oculos defigat, qua curâ obſeruet, veluti ſingulari certamine congreſſus, ſi quid vſpiam in alterius corpore fortè fortuna nudum aut malè munitum conſpiciat, quod ferire feliciter poſſit. Ita ſtudio cuique eſt, eum ipſe primus eſſe cupit, vt proximum deiiciat, exturbet, conuellat, proculcet. Hic ſi quis eſt vir frugi, temerè euertitur, illuditur, denique ignominioſè exterminatur. Contrà qui aſſentandi paulo peritior eſt, & habiliore ad mentiendum ingenio probatur ſuperat. Sanè omninò iuxta Homeri carmen eſt huius certaminis alea:

Vndique communi ſæuitur Marte, parique
Victuſque victórque cadunt fato.
Alium ſubinde alius alia via aggreditur vt ferè
Fieri ſolet, ſicubi de magnis agitur commodis,

Idem huius vitæ generis initia, progreſſum, & exitum, Dialogo de mercede conductis in tabella ſubiicit, breuiter concludens quæ toto eo dialogo latè tractauerat. Ita habet in illius dialogi calce. [Libet mihi Cebetis illius exemplo, & imaginem quandam huius vitæ depingere, vt eam contemplatus, ſcire queas num ex vſu tuo ſit eam adire. Equidem magnoperè cupiam, vel Apellem quempiam vel Parrhaſium vel Actionem, vel Euphranorem, ad hanc depingendam tabulam adhibere. Verùm quoniam fieri potis non eſt. vt aliquem artificem tam egregium atque abſolutum nanciſcamur, in præſentia tenuem quandam pro mea virili imaginem demonſtrabo. Ergo pingatur veſtibulum ſublime atque inauratum, neque id humi ſitum in ſolo, verùm procul à terra in edito collis faſtigio: prætcrea inacceſſum fermè & abruptum, lubricóque aditu, ita vt plerumque qui ſe iam ad ſummum vſque verticem penetraſſe ſperant, lapſo pede præcipitati ceruicem frangant. Intus autem opulentia ſedeat, tota (ſicuti videtur) aurea, maiorem in modum formoſa, atque amabilis. Porrò amator, vbi vix tandem conſcendit, iámque ad fores acceſſit, obtupeſcat, oculis in aurum defixis: Deinde ſpes, quæ & ipſa ſpecioſa vultu eſt, at verſicoloribus amicta manu prehenſa introducat, mirè iam ipſo ingreſſu attonitum. Atque ab eo quidem tempore ſpes vſque illum antecedat, ducátque. Tum aliæ mulieres illum excipientes, puta fallacia, ſeruitúſque, tradant labori. At is miſerum penitus defatigatum, tandem ſenectæ tradat iam morbidum, colóreque commutato. Poſtremò contumelia, arreptum illum ad deſperationem pertrahat. Et hoc quidem tempore ſpes auolans euaneſcat. Tum ille non per aureum illud atrium per quod ingreſſus fuerat, ſed per poſticum quoddam, & occultum exitum extrudatur nudus, ventricoſus, pallidus, ſenex, læua quidem pudorem occultans dextra verò ſeipſum ſtrangulans. Occurrat autem exeunti pœnitudo fruſtra lachrymans, & miſerum bis etiam conficiens. Atque hic quidem eſto picturæ finis.]

Cæterùm in Timocle optimè, concludit Lucianus & poteſt ſimiliter cuiuſuis accini, *ipſe diligenter conſideratis ſingulis, expende num è re tua ſit vt in hanc imaginem per aureas illas fores ingreſſus, per illas longè diſſimiles tam turpiter excutiaris. Quicquid autem feceris, memineris ſapientis illius qui dixit. Deum in culpa non eſſe, verùm qui ſua ſponte delegerit.*

161. Quo verò tandem omnis hic ærumnarum & miſeriarum apparatus ſpectat? Nempe ad ſummum vt præfectura, munúſve aliquod publicum obtingat. At hoc quantum, quamque leue: vt ponamus reuera accidere, nec quod frequentiſſimum eſt, delûdi ſpem vacuam? Præſtat ferri ab Epicteto iudicium lib. 4. apud Arrian. cap. 7. *Cum audiero quempiam ex his quos pro beatis habent; à Cæſare honorari, quæro quidnam ei euenerit. Num ſentiat ita quemadmodum deceat ipſum ſentire? Si nactus ſit præfecturam, vtrum præeſſe, prout poſtulat officium illud, poſſit? Sed quid eſt quòd propellor ego? ficubus miſtas nuces ſpargit quiſpiam puſiones diripiunt concertantes inter ſe quod non faciunt grandiores natu; haud enim magni iſta faciunt. Si quis conchulas proiecerit, ne pueris quidem certatim rapienda videntur. Diſtribuuntur præfecturæ, reſpectus habebitur puerorum; diuidentur pecunia, iidem reſpicientur; proponuntur imperia, conſulatus tanquam in medium coniecta diripiantur à pueris, excluſiones fiant, verbera infligantur. exoſculetur manus dantis, adeóque ſeruorum. Mihi hæc omnia erunt inſtar mixturæ cuiuſdam ex ficubus nucibúſque. Ne cures ſi dum proiiciuntur, nihil arripueris, Si qua in ſinum tuum fortè ficus inciderit, arreptam comede; tantiſper haberi rationem ficus poterit. Sin celare, aliúmque ſupplantaro, aut ab alio ſupplanter ego, adulor ingredientibus, haud tanti pretij erit ficus, nec quicquam aliorum bonorum; quæ vt pro bonis non habeam Philoſophi ſuaſerunt.*

Ludunt ſe plerique huic viæ inſiſtentes, vana ſpe commodorum, diuitiarum, & honorum, hiſque adiunctarum voluptatum, cæterorúmque illiciorum queis vulgares animæ prolectantur. Audiant tamen rationem rectam apud Senecam epiſtola 84. his verbis monentem quo tandem deſitura ſit omnis hæc curarum & laborum congeries. [Relinque iſta iamdudum, ad quæ diſcurritur. Relinque diuitias, aut periculum poſſidentium aut onus, Relinque corporis atque animi voluptates, Molliunt & eneruant. Relinque ambitum; Tumida res eſt, vana, ventoſa, nullum habet terminum: Tam ſollicita eſt ne quem ante ſe videat, quam ne poſt alium. Laborat inuidia, & quidem duplici. Vides autem quàm miſer ſit is cui inuidetur, ſi & inuidet Intueris illas potentium domos, illa tumultuoſa, rixa ſalutantium, limina? Multum habent contumeliarum vt intres, plus cum intraueris. Præteri iſtos gradus diuitum, & magno aggeſtu ſuſpenſa veſtibula. Non in prærupto tantum iſthic ſtabis, ſed in lubrico. Huc potius te ad ſapientiam dirige, tranquilliſſimáſque res & ſimul ampliſſimas pete. Quæcunque videntur eminere in rebus humanis, quamuis puſilla ſint, & comparatione humillimorum extent, per difficiles tamen & arduos tramites adeuntur. Confragoſa in faſtigium dignitatis via eſt. At ſi conſcendere hunc verticem libet cui ſe fortuna ſubmiſit omnia quidem ſub te quæ pro excellentiſſimis habentur, aſpicies; ſed tamen venies ad ſumma per planum,

Alibi præterea idem Seneca, nullorum bonorum quæ eo vitæ genere de quo agimus, captantur quantumlibet conſertam ac vberem aſſecutionem eſſe viam ad felicitatem, pulcherrimè tradit. *Rectum iter,* inquit epiſtola 8, *quod ſerò cognoui, & laſſus errando, aliis monſtro. Clamo, vitate quæcunque vulgo placent, quæ caſus attribuit: Ad omne fortuitum bonum, ſuſpicioſi pauidique ſubſiſtite. Et fera & piſcis, ſpe aliqua oblectante decipitur. Munera iſta fortunæ putatis? Inſidiæ ſunt. Quiſquis noſtrum tutam agere vitam volet quantum plurimum poteſt, iſta viſcata beneficia deuitet: In quibus hoc quoque miſerrimi fallimur, quod habere nos putamus, habemur: In præcipitia curſus iſte deducit. Huius eminentis vitæ exitus cadere eſt. Deinde ne reſiſtere quidem licet, cùm cœpit tranſuerſos agere felicitas, Aut rectus ſta aut ſemel fuge. Qui hoc faciunt, non euertit fortuna, ſed cernulat & allidit.*

Et idcircò lib. de tranquill. animi cap. 10. ad modeſtiam & animi demiſſionem hos ita componit. [Sciamus omnia æquè leuia;;extrinſecus diuerſas facies habentia, introrſus pariter vana. Nec inuidiamus altiùs ſtantibus. Quæ excelſa videntur, prærupta ſunt, illi rurſus quos ſors iniqua in ancipiti poſuit, tutiores erunt ſuperbiam detrahendo rebus per ſe ſuperbis, & fortunam ſuam quàm maximè poterunt in planum deferendo. Multi quidem ſunt quibus neceſſariò hærendum ſit in faſtigio ſuo, ex quo non poſſunt, niſi cadendo deſcendere: ſed hoc ipſum teſtentur maximum onus ſuum eſſe, quod aliis graues eſſe cogantur; nec ſubleuatos ſe, ſed ſuffixos, iuſtitia, manſuetudine, humana lege, & benigna manu præparent, multa ad ſequentes caſus præſidia, quorum ſpe ſecuriùs pendeant. Nihil tamen æquè nos ab his animi fluctibus vindicauerit, quàm ſemper aliquem incrementis terminum figere, nec fortunæ arbitrium deſinendi, ſed ipſos & quidem vltrò, citra extrema conſiſtere.]

Ærumnæ quorumuis captantium honores.

162. Non abſunt à ſorte aulicorum; qui aliis viis prehenſant publica munera, & ad honores per omne demiſſionis genus aſpirant ad omnem occurſum decreſcentes propter vnius animi volaticum gaudium. Inſigniter Seneca cap. 19. de breuit. vitæ. *Omnium quidem occupatorum conditio, miſera eſt: Eorum tamen miſerrima, qui ne ſuis quidem occupationibus laborant; ad alienum dormiunt ſomnum: ad alienum ambulant gradum, ad alienum comedunt appetitum, amare & odiſſe res miſerrimas iubentur. Hi ſi velint ſcire quàm breuis ipſorum vita ſit, cogitent ex quota parte ſua ſit. Cum videris itaque prætextam ſæpè iam ſumptam, cum celebre in foro nomen non inuideris. Iſta vita damno parantur. Et vnus ab illis numeretur annus; omnes annos ſuos contererent. Quoſdam cùm in ſummam ambitionis enitorentur intra prima luctantes ætas reliquit. Quoſdam quum in conſummationem dignitatis per mille indignitates erepſiſſent, miſera ſubiit cogitatio, ipſos laboraſſe in titulum ſepulchri. Quorundam vltima ſenectus, dum in nouas ſpes, vt iuuenta, diſponitur, inter conatus magnos & improbos inualida defecit.*

Subſcribit Tullius aut quiſquis alius conſolationis autor. *Homine ambitionis vinculis irretito, quippe qui è popularibus ſuffragiis totus pendeat, nihil vſquam infelicius reperiri poteſt. Quantus in eo timor, quanta dubitatio, quantus conatus, quanta ſollicitudo! Vt nullam illi à moleſtia vacuam eſſe horam, non immeritò ſuſpicari poſſimus. Nam ſi ſeruientis ea eſt conditio, vt ex eius, cui ſeruit, moribus, voluntate, ingenio, propriam ſibi fortunam fingat, qui populo ſeruiet, auido, inuido, ignaro, ad mutationem procliui, & quod caput eſt, ingrato, num aliquando beatus eſſe poterit? An potius quoties de eius natura cogitabit, toties ſuam ipſe calamitatem, ac fortunam conqueretur? Præclarè verus Poeta:*

Ærumnis mixtam luctu mortalibus vitam,
Olim conſtituit Diuum Pater atque hominum Rex.

Pereleganter item in hoc argumento verſatus eſt ex noſtris S. Cyprianus epiſt. 2. [Iam tibi, *inquit*, illa quæ ignorantia ſæcularis bona opinatur, oſtendam illic etiam fugienda conſpicies. Quos honores putas eſſe, quos faſces? quam affluentiam in diuitiis? quam potentiam in caſtris? In magiſtratu purpuræ ſpeciem, in principatu licentiæ poteſtatem? Malorum blandientium virus occultum eſt, & arridentis nequitiæ facies quidem læta, ſed calamitatis abſtruſæ illecebroſa fallacia: Inſtar quoddam veneni, vbi in lethales ſuccos dulcedine aſperſa, calliditate fallendi, ſapore medicato, poculum videtur eſſe quod ſumitur; vbi epotaueris, pernicies hauſta graſſatur. Quippe illum vides qui amictu clariore conſpicuus, fulgere ſibi videtur in purpura, quibus hoc ſordibus emit, vt fulgeat? quos arrogantium faſtus prius pertulit? quas ſuperbas fores matutinus ſalutator obſedit? Quot tumentium contumelioſa veſtigia in clientium cuneis ante præceſſit: vt ipſum etiam ſalutatum comes poſtmodum pompa præcederet, obnoxia non homini ſed poteſtati? Neque enim coli moribus meruit ille, ſed faſcibus. Horum denique videas exitus turpes, cùm auceps temporum palpator abſceſſit, cùm priuati latus nudum, deſertor aſſecla fœdauit, tunc laceratæ domus plagæ, conſcientiam feriunt, tunc rei familiares exhauſtæ damna noſcuntur, quibus redemptus fauor vulgi, & caducis atque inanibus votis popularis aura quæſita eſt. Stulta prorſus & vana iactura, fruſtrantis ſpectaculi voluptate id parare voluiſſe, quod nec populus acciperet, & perderet magiſtratus.]

Fugacitas honorum.

163. Reſtat honorum quorumcunque fugacitas & inſtabilitas, quam tot experimentis firmatus vſus indubitatam facit. Neque enim recens cuſum eſt, ſed iam olim decantatum adagium: *Hodiè vincurus, cras ciſtifer.* Soldanum, quem nemo vnquam ad riſum concitare voluerat, multis ad id fruſtra connixis, ob propoſitum à Ludouico VII. Francorum Rege præmium, tandem in riſum erupiſſe, cùm currum vidiſſet, memorat Conſtantinus Porphyrog. l. de adminiſtr. imperij c. 29. cauſam profeſſum, quod conſideratis rotis in curru vertentibus, agnouiſſe ſe quoque aliquando caput fuiſſe, qui tunc infra omnes eſſet, nec dubitaret quin poſſet rurſus à Deo extolli; ex quo tempore Ludouicus Rex ad menſam ſuam illum adhibuit ſortem miſeratus & humanas viciſſitudines reputans. *Deus alta humiliat*, ait Seneca hanc inſtabilitatem attingens initio tertij natural. quæſt. *alia ſubmittit, nec molliter ponit, ſed ex faſtigio ſuo nullas habitura reliquias iactat. Magna iſta quia parui ſumus credimus. Multis rebus non ex natura ſua ſed ex humilitate noſtra, magnitudo eſt.* O verè ac planè philoſophicè? Quid enim exilius ſecundùm rectam æſtimationem, bonis adeò inſtabilibus? Eandem non honorum duntaxat, ſed & quorumuis bonorum noſtrorum inſtabilitatem vrget egregiè idem Seneca ibid. initio ſexti.

Pleniſſimè ſimul ac neruoſiſſimè hoc argumentum verſat S. Chryſoſtomus homil. in Eutropium, infeliciſſimam eius ſortem, & ſubitam à ſummorum honorum culmine deiectionem ac lugubrem planè caſum deſcribens. Idem elegantiſſimè tradit S. Baſil. hom. 5. hexaëmeri adhibita floridiſſima comparatione honorum ac bonorum quorumuis noſtrorum, cum caducitate florum. Porrigo lectori inſigne hoc ſertum. [Omnis gloria hominis, veluti fœni flos eſt, breuitas enim temporariæ iſtius ac deſidaæ vitæ, oblectamentúmque proſperitatis humanæ, atque hilaritas exiguo tẽpore perſiſtens, accommodatiſſimam eſt apud Prophetam ſimilitudinẽ ſortita. Hodiè floruléous corpore, propter delicias obeſus. & florente colore præditus, ob ætatis viriditatem effloreſcentem laſciuiens; vehemẽs, impetu intolerabilis, nec quóquam ſecum conſiſtens. Cras idem ipſemet miſerabilis, aut tẽpore marcidus, aut morbo forsã diſſolutus, ſenióq; cõfectus. Eſt quiſpiã ob amplitudinẽ patrimonij illuſtris, ac ſuſpiciẽdus & adulatorum hominum, copia, & ſatellitium circa ipſum verſatur, ſeptúſque eſt fictis amicis qui gratiam ipſius venantur. Magna quoq; caterua sãguine propinquorum,

quorum, & ipſa ſimulata, ſtipatus: Innumera denique ſequitur illum eorum hominum multitudo, qui partim alimoniæ emerendæ gratia comitantur, aut propter alios vſus ei adſunt, quos abiens domo, ſeſéque recipiens domum, ſecum trahens, inuidioſus eſt occurrentibus. Adde diuitiis, ſi volueris, & ciuilem aliquam poteſtatem. vel etiam honores ex Regibus, curam & adminiſtrationem gentium, imperatorium munus exercitus ducendi, præconem præitantem & anteambulonem ipſius, qui exerta voce reboet, feruligeros lictores qui vel ipſo prægreſſu terrorem acerrimum incutiunt ſubditis imperio, plagas ingerant, & irrogent facultatum publicationes, abreptiones, carceres, è quibus intolerabilis ſubditorum metus emergit atque accumulatur. Quid poſt hæc, quæſo? Nox vna, vna febris, aut certè pleuritis ſiue peripneumonia, abreptum hunc è medio hominum cœtu abit ſecum abducens hominem, omni prorſus quæ eundem circumſtabat, ſcæna ſpolians in veſtigio ac nudans. Splendor ille maieſtatis ac gloriæ ad inſomnij imaginem momento diſparuit. Quare per hoc Prophetæ oraculum gloriæ humanæ ſimilitudo, ad debiliſſimum florem appoſitè videtur accommodata.]

Sed vt aliunde vertigo & caſus, imò contritio ac excidium, honoribus quibuſuis decſſet, ei tamen exitio ſubduci nequeunt, quod illis certò ab hominis interitu imminet. Quæ magna planè eſt labes humani ſplendoris, ita vt ea præoccupatus animus, laſciuire in honoribus & fœlicitatem vllibi in his inferioribus agnoſcere prohibeatur. Mitto in præſentia cæteros. Vnum duntaxat ex Seneca profero Senecionem Cornelium, hominem naturæ ac fortunæ bonis cumulatè inſtructum, honoribus ac dignitatibus auctum, planéque ex eorum numero, qui beati ac fœlices vulgo putantur. *Hic homo*, inquit Seneca epiſt. 101. *ſummæ frugilitatis, non minus patrimonij quam corporis diligens, cùm me ex conſuetudine mane vidiſſet; cùm per totum diem amico grauiter affecto & ſine ſpe iacenti vſque in noctem aſſediſſet, cùm hilaris cœnaſſet, genere valetudinis præcipiti abreptus, angina, vix compreſſum arctatis faucibus ſpiritum traxit in lucem. Intra pauciſſimas ergo horas, poſtquam omnibus erat ſani ac valentis officiis functus deceſſit. Ille qui & mari & terra pecuniam agitabat, qui ad publica quoque nullum relinquens inexpertum genus quæſtus acceſſerat, in ipſo actu bene cedentium rerum in ipſo procurrentis pecuniæ impetu raptus eſt.*

Inſere nunc Melibœe pyros, pone ordine vites.

Quàm ſtultum eſt ætatem diſponere; ne craſtino quidem dominamur. O quanta dementia eſt ſpes longas inchoantium. Emam, ædificabo, credam, eligam, honores geram, tum demum laſſam & plenam ſenectutem in otium referam. Omnia mihi crede, etiam fœlicibus dubia ſunt.

Simili ſenſu Petronius exacto naufragio conſpicatus iactatum fluctibus Lycæ cadauer necdum agnitũ. *Hunc forſitan*, proclamat, *in aliqua parte terrarum ſecura expectat vxor, forſitan ignarus tempeſtatis filius, aut patrem vtique reliquit aliquem cui proficiſcens oſculum dedit. Hæc ſunt conſilia mortalium, hæc vota magnarum cogitationum.* Inter hæc Lycam leui vortice circumactum agnoſcens, non tenens lachrymas, & manu pectus ſemel iterúmque percutiens, [Et vbinam eſt, *inquit*, impotentia tua? Et qui paulo ante iactabas vires imperij tui, de tam magna naue ne tabulam quidem naufragus habes. Ite nunc mortales, & magnis cogitationibus pectora implete. Ite cauti, & opes fraudibus captas per mille annos diſponite. Nempe hic proxima luce patrimonij ſui rationes inſpexit, nempe diem etiam quo venturus eſſet in patriam, animo ſuo fixit. Dij Deæque quàm longè à deſtinatione ſua iacet? Sed non ſola mortalibus maria hanc fidem præſtant. Illum bellantem arma decipiunt. Illum Diis vota reddentem, penatum ſuorum ruina ſepelit: Ille vehiculo lapſus, properantem ſpiritum excuſſit. Cibus auidum ſtrangulauit, abſtinentem frugalitas. Si bene calculum ponas, vbique naufragiũ eſt. Hoc S. Chryſoſtomus hom. 82. in Matth. in fine in ſingulis hominis ætatibus valere, perpulchrè monſtrat, annuitque Saluianus 3. de prouid. qui Apoſtolum tertiò naufragantem, vinci à nobis confirmat, *quorum pene omnis vita, naufragium eſt*. Sic hi Patres de naufragio in moribus, idemque de naturali naufragio ſemper & vbinis imminente dicere licet. At hoc ipſum naufragandi diſcrimen, hæc dubitatio, ſummam planè adiunctã habet miſeriam & infelicitatem. *Nihil enim eſt miſerius*, vt mox adiungit Seneca, *dubitatione venientium quorſum euadant*. Itaque vel hæc vna cogitatio, quòd ſæpè, ipſam quoque quam premimus oram caſus incidat, & quantiſvis opibus ac honoribus finem ſubitum ſtatuat; (quod tam multis per omnia retro ſæcula Pontificum. Regum, Principum exemplis nemini incompertis firmare, ſuperuacuum foret;) idonea eſt ad infligendam deſpectionem ſplendoris, quem ſubita plerumque caligo offundit, & ſaltem aliquando nocte æterna mergit ſublata fulgoris diſparitate. *Æquat*, enim, *omnes cinis, impares naſcimur, pares morimur*, vt eſt apud eundem Senecam epiſt. 9.

Externorum quorumuis bonorum, (de quibus hactenus,) inanitas, receſsúſque à ſummo bono, breuiter colligitur.

164. Hæc quæ circa quæcunque externa; delibauimus veriùs quàm expreſſimus, quiſquis non ſegniter ac perfunctoriè inſpexerit, agnoſcet iure à Seneca dictum l. de conſol. ad Polyb. c. 28. [Omnia iſta bona, quæ nos ſpecioſa, ſed fallaci voluptate delectant; pecunia, dignitas, potentia, aliáque complura, ad quæ generis humani cæca cupiditas obſtupeſcit, cum labore poſſidentur, cum inuidia conſpiciuntur, eóſque ipſos quos exornant, & premunt. Plus minantur quàm proſunt. Lubrica & incerta ſunt, nunquam benè tenentur. Nam vt nihil de tempore futuro timeatur, ipſa tamen magnæ felicitatis tutela, ſollicita eſt. Si velis credere altiùs veritatem intuentibus, omnis vita ſupplicium eſt. In hoc profundum inquietúmque proiecti mare, alternis æſtibus reciprocum, & modò alleuans non ſubitis incrementis, modò maioribus damnis deferens, aſſiduéque iactans, nunquam ſtabili conſiſtimus loco. Pendemus, & fluctuamus, & alter in alterum illidimur, & aliquando naufragium facimus, ſemper timemus. In hoc tam procelloſo & in omnes tempeſtates expoſito mari nauigantibus, nullus portus niſi mortis eſt. *Et epiſt.* 15. Diſcedent aliquando iſta inſidioſa bona, & ſpectantibus meliora quam aſſecutis. Si quid in illis eſſet ſolidi, aliquando & implerent. Nunc haurientium ſitim concitant & irritant ſpecioſi apparatus.

Addo etiam Antonini argumentationem l. 5. n. 16. [Ratio & rationalis ars, facultates ſunt ſibi ipſæ ſufficientes, ſuiſque operibus. Progrediuntur à ſuo principio; ac pergunt ad finem propoſitum. Habent actiones earum à via cui inſiſtunt, illæ nomen apud Græcos vt ſint κατορθώσεις: Nos rectas effectiones dicere poſſumus. Horum nihil de homine dici poteſt. Neque enim ei conuenit, ea ratione, qua homo eſt: Non hæc homo, neque ipſius natura profitetur: non eſt ea in humanæ naturæ perfectio. Proinde in externis rebus nequaquam erit finis homini conſtitutus, neque id bonum, quod finem illum abſoluit. Alioquin hominis

partes non fuiſſent, vt eas deſpiceret, neque laude dignus, qui ſe ita parat, vt illis non indigeat: neque qui illis rebus abſtinet, bonus dici mereretur, ſiquidem eæ bonæ eſſent. Nunc verò tantò quiſque melior eſt, quantò magis ſeipſum ab illis rebus abſtinet.

ARTICVLVS VII.

Naturalia animi bona, quibus ſiue intellectus ſiue voluntas perficitur, longè abeſſe à ratione plena ac vera obiectiua noſtra beatitudinis. Ecloga Ethica ex Philoſophis & Patribus.

165. VLtimus, iſque omnium eminentiſſimus bonorum ordo, quo animi bona continentur, ea complectitur & quibus intellectus, & quibus voluntas perficitur. Intellectum porrò exornant diſciplinæ naturales, voluntatem virtutes humana diligentia & ſtudioſa inconditorum motuum coërcitione parabiles. Quia enim memini me Moralem Philoſophum, non tranſcendo ad eum intellectus & voluntatis cultum, quem diuina liberalitas ſupra naturæ exigentiam, & connaturalem capacitatem homini impertituit; ſed ſiſto in naturalibus harum facultatum ornamentis & bonis.

Scientia ac virtutes, magna bona.

Et ſunt ſanè hæc bona præ cæteris hactenus enumeratis inſignia, longéque pretioſiſſima. Quis enim optandum eſſe homini neget, mentis oculo naturæ latebras peruadere; ſcrutari rerum cauſas, & nihil ſibi imperuium ſinere? Nota eſt illa Cornelij Celſi vox apud Auguſtinum 2. ſolil cap 12. *Sapientia ſummum bonum, dolor ſummum malum.* Humanas etiam diſciplinas inſigne Dei donum eſſe, & Philoſophiam loco legis ſcriptæ fuiſſe Græcis à Deo prouiſam, tradit latè Clemens Alexandr. 1. Strom. Optimè item Nazianzenus in magni Baſilij elogio, qui probitate ſolùm polleant, monoculos ſibi videri, qui verò eruditionem cum pietate coniunxerint, ambidextros eſſe, & ipſam etiam ſecularem humanámque ſcientiam Chriſtiano eſſe magnifaciendam confirmat. In quam etiam rem multa peti poſſunt ex Bleſenſi epiſt. 8. aliíſque paſſim.

Virtutes verò exponi vix poteſt, quàm elegantem & concinnam efficiant animam cui accedunt. Illuſtre ſanè ab iis animæ decus, & magnum earum ſupra gemmas & aurum, & quaſuis diuitias pretium, ſæpè inculcat Clemens Alexandrinus, ac nominatim 2. Pædag. c. 12. & l. 3. c. 6. Imo Plato lib. 1. de legib. cuius verba deſcripſit Theodoretus 6. contra Græcos, omnia reliqua bona vocat, *bona minora*, & præ iſto, ait non eſſe niſi æquiuocè bona; quòd virtute ſublata, cætera bona officiant plurimùm, vertantúrque in poſſeſſoris ruinam. Præclarè inſuper Muſonius l. de optimo ſenectutis viatico, ita in rem præſentem argumentatur. *Homo in vniuerſum, ſolus omnium in terra degentium Dei imago eſt; & ſimiles ei virtutes habet. Nam ne inter Deos quidem præſtantius aliquid excogitari poteſt. quam prudentia, iuſtitia, fortitudo, & temperantia. Quemadmodum igitur Deus propter iſtarum virtutum præſentiam, à voluptate & auaritia vinci nequit, ſuperátque omnem cupiditatem, inuidiam, & æmulationem; magnanimus, beneficus, & hominum amans eſt; (Talem enim Deum eſſe animo concipimus:) Sic & imaginem eius, videlicet hominem, ſimiliter ſe habere exiſtimandum eſt, cùm ſecundum naturam viuit &, ſic ſe habentem, deſiderabilem, & æmulatione dignum eſſe: Qualis cùm ſit, ſtatim & felix fuerit. Non enim alios quam felices æmulamur.*

166. In eandem ſententiam Seneca epiſt. 76. ita ratiocinatur! [Quæ conditio rerum, eadem & hominum eſt. Nauis bona dicitur, non quæ pretioſis coloribus picta eſt, nec cui argentum aut aureum roſtrum eſt, nec cuius tutela ebore celata eſt, nec quæ fiſcis ac opibus regiis preſſa eſt: ſed ſtabilis ac firma, & iuncturis aquam excludentibus ſpiſſa, ad ferendum incurſum maris ſolida, gubernaculo parens, velox & conſentiens vento. Gladium bonum dices, non cui deauratus eſt baltheus, nec cui vagina gemmis diſtinguitur; ſed cui & ad ſecandum ſubtilis acies, & mucro munimentum omne rupturus. Regula non quàm formoſa, ſed quàm recta ſit, quæritur. Eo quodque laudatur, cui comparatur, quod illi proprium eſt. Ergo in homine quoque nihil ad rem pertinet, quantum aret, quantum fœneret, à quàm multis ſalutetur, quàm pretioſo incumbat lecto, quam pellucido poculo bibat; ſed quàm bonus ſit. Bonus autem eſt, ſi ratio explicita & recta eſt, & ad naturæ voluntatem accommodata. Hæc vocatur virtus, hoc eſt, honeſtum & vnicum hominis bonum. Nam cùm ſola ratio perficiat hominem, ſola ratio perfecta, beatum facit. Hoc autem vnum hominis bonum eſt quo vno beatus efficitur.]

167. Iuuat ad huius rei lucem, Crantoris antiquiſſimi Philoſophi fragmentum apponere, pro virtutis, ſupra cætera bona de quibus hactenus egimus, præcellentia. Ita habet apud Sextum Empyricum in opere aduerſus Mathematicos lib. 10. cap. *quid ſit bonum.* Cùm enim præmiſiſſet Empyricus iuxta Academicos & Peripateticos varium eſſe bonorum ordinem ac dignitatem multiplicem, ſubdit. [Hinc Crantor volens nos deducere ad eius quod dicitur maiorem euidentiam, admodum eleganti & lepido vſus eſt exemplo. Si, inquit, vobis in mentem venerit aliquod commune & publicum omnium Græcorum theatrum; & ad id accedere vnumquódque bonum primas partes ſibi vendicans, ſtatim etiam deducemur ad notionem differentiæ bonorum. Nam primum quidem diuitiæ ſe ingerentes dicent; Ego, ô præclare Græcorum cœtus, ornatum præbens hominibus, & veſtes, & calceos & alia quibus vtantur; ſum vtilis & ægrotis & ſanis? Et in pace quidem præbeo quæ ſunt iucunda ac delectabilia: in bello autem ſum nerui rerum gerendarum. Hæc verba cum audiſſet vniuerſus Græcorum cœtus, vnanimes vno ore iubent vt primæ dentur diuitiis. Sed quum iam id publico proclamaretur præconio, accedens voluptas.]

Adfuit huic & amor, deſiderium atque venuſtus
Qui poſſit quamuis prudentes fallere, ſermo.

[Dixi autem prodiens in medium, æquum eſſe vt ipſa publico renunciaretur præconio. Diuitiæ enim, inquit, non ſunt firmæ, ac ſtabiles, ſed vix vno die durant, ab ædibúſque auolant cùm exiguo tempore floruerint. Eas autem perſequuntur homines non propter ſe, ſed propter eam quæ ex ipſis accedit voluptatem & delectationem. Græci autem omnes omnino non aliter quàm ſic rem ſe habere exiſtimantes, clamabant oportere coronare voluptatem. Sed cùm ea quoque iam eſſet acceptura præmium, ingreſſa eſt ſanitas cum Deabus quæ illi aſſident, docétque neque voluptatis, neque diuitiarum vllum eſſe vſum ſi ipſa abſit. Quid mihi in morbo proſunt diuitiæ? Mallem non multum habens vnde vitam quotidie, triſtitiæ ac mœroris expertem vitam agere, quàm diues ægrotare. Cùm eam rurſus audiiſſent Græci, & accepiſſent

quòd

quod in lecto decumbens & ægrotans non poſſit conſiſtere felicitas, dicebant vincere ſanitatem. Sed cùm iam vinceret ſanitas, & ingreſſa eſſet fortis & excelſi animi virtus, fortium virorum & Heroum eam magna ſtipante caterua, & dixiſſet, ſi non adſim, bonorum quæ ſunt apud vos, aliena erit poſſeſſio, optarinque hoſtes vos abundare bonis omnibus, vt qui ſint vos ſuperaturi. Ergo his quoque auditis Græci primas quidem partes dabant virtuti: ſecundas autem ſanitati: tertias verò voluptati: in vltimo autem loco collocabant diuitias.]

Non tamen ſumma. Ac primùm ſcientiæ labes ex origine à ſenſibus

168. Sunt igitur & ſcientiæ & virtutes omninò magna bona, & corporis ac fortunæ bonis omnino maiora longè tamen abeſſe à ratione ſummi boni non eſt difficile euincere. Et vt miſſa faciam benè multa quæ aduerſus humanam ſcientiam diſputantur apud Lylium Gyraldum, progymnaſmate aduerſus literas: ſcientiam quidem vniuersè; hoc eſt, ſiue in inferiora nobis obiecta, ſiue in ſuperiora, ſiue in nos ipſos cadat, (neque enim alia ſunt quæ ſcire liceat,) cùm tota ſit propter obiectum, illique eſſentialiter tanquam fini ſuo addicta ſit, conſtat non poſſe eſſe finem ſimpliciter vltimum, vt rectè argumentatur Lactantius lib. 3. c. 8. Eandem verò ex eo valdè depretiat Philo lib. de temulentia ad illud, *Potauerunt patrem vino*, quòd ex infidis, & nimium quantum fallacibus internunciis ortum habeat; nempe ex ſenſibus, in quos primùm neceſſe eſt incurrant obiecta, de quibus ſcientiam comparamus, aut à quorum perceptione reptamus ad alia, quæ ſenſum non perculerunt. At ſenſus ſæpè ex medij vel obiecti certa diſpoſitione, plerúmque ex proprio vitio, (materiales enim potentiæ ſunt, & corpori implantatæ, ideóque variis obnoxiæ viciſſitudinibus & alterationibus;) aliter obiectum percipiunt, quàm reuera ſe habeat, & adulterino ſpecierum alienarum ſemine intellectum fœcundantes, ſpurium fœtum notitiæ pro legitimo ſubſtituunt.

Oſtendit id Philo ſuprà, diligenter in viſu. Vniuersè in quibuſpis ſenſibus externis ex Academicis & aliis antiquis idem tradit Tertullianus lib. de anima. c. 17. [Viſus eſt & auditus & odoratus, & guſtus, & tactus. Horum fidem Academici duriùs damnant, ſecundum quoſdam & Heraclitus, & Diocles, & Empedocles. Certè Plato in Timæo irrationalem pronuntiat ſenſualitatem, & opinioni complicitam. Itaque mendacium viſui obiicitur, quod remos in aqua inflexos vel infractos aſſeuerat aduerſus conſcientiam integritatis; quòd turrem quadrangulatam, de longinquo rotundam perſuadeat; quod æqualiſſimam porticum anguſtiorem in vltimo infamet; quod cœlum tanta ſublimitate ſuſpenſum, mari iungat. Perinde auditus fallaciæ reus, vt cùm cœleſte murmur putamus, & plauſtrum eſt; vel tonitru meditante pro certo, de plauſtro credimus ſonitum. Sic & odoratus & guſtus arguuntur: ſiquidem eadem vnguenta, eadémque vina poſteriore quoque vſu depretiantur. Sic & tactus reprehenditur, ſiquidem eadem pauimenta manibus aſperiora, pedibus læuiora creduntur, & in lauacris idem calidus lacus feruentiſſimus primò, dehinc temperatiſſimus renunciatur. Adeò, inquiunt, ſic quoque fallimur ſenſibus, dum ſententias vertimus.]

169. Hinc illa animæ tenebricoſitas, ex obſcuro quo circunſepta eſt corporis domicilio, ob ſenſuum feneſtras non ſatis excipientes lucem veritatis. Hinc denſi errores & cæſpitationes, vel etiam prolapſiones crebræ. Quid enim aliud præſtarent, in tam parca luce gradientes, loco ſalebroſiſſimo? Signabant hoc vela liminibus ſcholarum olim pendentia; *non illa magis honorem ſecreti, quam tegumentum erroris prodentia*, ait D. Auguſtinus 1. confeſſ. c. 13. Hanc fuiſſe Socrati cauſam, vt hoc ſe vnum ſerie diceret, quòd nihil ſciret, cæteros autem ſcientiæ oſtentatores, nihili faceret, memorat Lactantius lib. de ira Dei c. 1. Addens, idcircò ſuſtuliſſe eum, humanam omnem ſapientiam. Quòd ex eius oratione apud Xenophontem, confirmat Theodoretus *ſub initium* primi contra Græcos.

Non igitur omnino abs re idem Lactantius,) dummodò debita temperatio verbis quibuſdam paulò crudioribus adhibeatur;) l. 3. inſtit. c. 3. ità de noſtrate hac ſcientia philoſophatur. [Scientia venire ab ingenio non poteſt, nec cogitatione comprehendi, quia in ſeipſo habere propriam ſcientiam, non hominis, ſed Dei eſt. Mortalis autem natura non capit ſcientiam niſi quæ veniat extrinſecùs. Idcircò enim oculos, & aures, & cæteros ſenſus patefecit in corpore humano diuina ſolertia, vt per eos aditus ſcientia perueniret ad mentē. Nam cauſas naturalium rerum diſquirere, aut ſcire velle ſol vtrúmne tantus quantus videtur, an multis partibus maior ſit, quàm omnis hæc terra: Item luna globoſa ſit, an concaua, & ſtellæ vtrúmne adhæreant cœlo, an per aërem libero curſu ferantur: Cœlum qua magnitudine, qua materiâ conſtet, vtrum quietum ſit, & immobile, an incredibili celeritate voluatur. Quanta ſit terræ craſſitudo, aut quibus fundamentis librata & ſuſpenſa ſit. Hæc inquam diſputando, & coniecturis velle comprehendere, tale eſt profectò, quale ſi diſſerere velimus qualem eſſe arbitremur cuiuſpiam remotiſſimè gentis vrbem, quam nunquam vidimus, cuiuſque nihil aliud quàm nomen audiuimus. Si nobis in ea re ſcientiam vendicemus, quæ non poteſt ſciri, nonne inſanire videmur, qui id affirmare audeamus in quo reuinci poſſimus? Quanto magis qui naturalia quæ ſciri ab homine non poſſunt, ſcire ſe putant, furioſi, dementéſque ſunt iudicandi? Rectè ergo Socrates & eum ſecuti Academici, ſcientiam ſuſtulerunt, quæ non diſputantis ſed diuinantis eſt.]

Anguſtiæ, ſcientiæ à nobis parabilis.

170. Verùm vt non ſemper infidi, aut quod alij etiam contendunt, ſemper ſynceri & erroris exortes ſint externi ſenſus, darique proinde poſſit humana aliqua ſcientia, quæ rectè, nec tantùm nomine tenus ſcientia ſit; (vt verè danda eſt, perpetuo illo ſenſuum errore procul abacto, quod lepidè præſtat Epictetus apud Arrianum lib. 2. cap. 20.) Ea tamen ſcientiæ per ſenſus comparatæ imperfectio, indubitata omninò eſt quòd cùm riuus ſupra fontem ſuum ac caput non aſſurgat, nequeat homo notitiam genuinam, qua obiectum vt in ſe eſt exhibeatur, niſi de paucis obiectis ſenſu perceptis comparare. At quàm pauca ſunt quæ ſenſus feriant, & quàm modicæ perfectionis præ iis quæ ſenſibus ſunt impertia. Nullæ enim ſubſtantiæ ſub ſenſum cadunt etiam quæ materiales ſunt & corporeæ, & ex accidentibus quàm plurima, ſenſibus ſe ſubducunt. Itaque admodum anguſtam eſſe humanam ſcientiam neceſſe eſt, quæ per tam arctos canales influit in animum. Quid quod multorum effectuum in ſenſus incurrentium quorum eſt exploratiſſima veritas; cauſa tamen adeò obſcura eſt, vt cùm in ea fœliciſſima ingenia diu ſe torſerint, nullum fructum reportarint, præter fatigationem corporis & animi.

Huiuſmodi ſunt quæ Ethnicis reſurrectionis corporum

porum inficiatoribus, quod eam humani ingenij captum ſuperare dicerent & idcirco negandam contenderent; pauca de plurimis enodanda proponit S. Auguſtinus 21. ciuit. c. 5. [Agrigentinum, *inquit*, Siciliæ ſalem perhibent cùm fuerit admotus igni, velut in aqua flueſcere, cùm verò aquæ, velut in igne crepitare. Apud Garamantas quendam fontem tam frigidum diebus, vt non bibatur: tam feruidum noctibus vt non tangatur. In Epiro alium fontem in quo faces, vt in cæteris extinguuntur accenſæ, ſed non vt in cæteris accenduntur extinctæ. Asbeſton Arcadiæ lapidem propterea ſic vocari, quod accenſus ſemel iam non poſſit extingui. Lignum cuiuſdam ficus Ægyptiæ, non vt ligna cætera in aquis natare, ſed mergi, & quod eſt mirabilius, cùm in imo aliquandiu fuerit inde ad aquæ ſuperficiem rurſus emergere, quando madefactum debuit humoris pondere prægrauari. Poma in terra Sodomorum gigni quidem & ad maturitatis faciem peruenire, ſed morſu preſſúve tentata, in fumum ac fauillam corio fatiſcente vaneſcere. Pyriten lapidem Perſicum tenentis manum ſi vehementiùs prematur adurere, propter quod ab igne nomen accepit. In eadem Perſide gigni etiam lapidem Selenitem, cuius interiorem candorem cum luna creſcere atque deficere. In Capadocia etiam vento equas concipere, eoſdémque fœtus non ampliùs triennio viuere. Tilon Indiæ inſulam eo præferri cæteris terris, quod omnis arbor quæ in ea gignitur, nunquam nudatur tegmine foliorum. De his atque aliis innumerabilibus, mirabilibúſque, hiſtoria non factorum & tranſactorum, ſed manentium locorum tenet. Mihi autem aliud agenti, ea perſequi nimis longum eſt. Reddant rationem ſi poſſunt infideles iſti.]

171. Sed hæc quia remotiora nec paſſim obuia, tolerabiliùs ignorantur. Illud durius, quòd in pleriſque quotidianis cæcutimus. Quod fuse proſequitur Arnobius initio libri ſecundi. *Quid enim*, inquit, *(ſi verum fateamur) etiamſi omnia ſæcula in rerum inueſtigatione pèrantur, ſcire per nos poſſumus, quos ita cæcos & ſuperbos neſcio qua res protulit, & concinnauit inuidia, vt cùm nihil ſciamus omnino, fallamus nos tamen, & in opinione ſcientiæ ſubinflati pectoris tumore tollamur? Vt enim diuina prætereem, & naturali obſcuritate res merſas, poteſt quiſquam explicare mortalium, id quod Socrates ille comprehendere nequit, in Phædone? Homo quid ſit, aut vnde ſit, anceps, vagus, mobilis, pellax, multiplex, multiformis, in quos vſus prolatus ſit, cuius ſit excogitatus ingenio, quid in mundo faciat, cur malorum tanta experiatur examina? Vtrum illum tellus vliginis alicuius conuerſa putore, tanquam vermes animauerit, tanquam mures? An fictoris alicuius & fabricatoris manu lineamenta hæc corporis, atque oris acceperit formam? Poteſt, inanam, ſcire in medio hæc poſita, atque in ſenſibus conſtituta communibus, quibus cauſis mergamur in ſomnos, quibus euigilemus, quibus modis fiant inſomnia, quibus viſa; imò (quod ambigit in Theætete Plato) vigilemus aliquando, an ipſum vigilare, quod dicitur, ſomni ſit perpetui portio? Ecquid agere videamur, inſomnium cùm videre nos dicimus? Radiorum & luminis intentione videamus, an rerum imagines aduolent, & noſtris in pupulis ſidant? Vtrum ſapor in rebus ſit, an palati contagionibus fiat? Quibus ex cauſis pili nigrorem ingenitum ponant, neque omnes pariter, ſed paulatim adiiciendo caneſcant? Quid ſit quod humores vniuerſi vnum corpus efficiant mixtione, ſolum oleum reſpuat inuerſionem in ſe pati, ſed in ſuam naturam impenetrabile ſemper perſpicuè colligatur? Ipſe denique animus qui immortalis a vobis, & Deus eſſe narratur, cur in ægris æger ſit, in infantibus ſtolidus, in ſenectute defeſſus? delira, & fatua, & inſana, quorum infirmitas & inſcientia miſerabilis hoc magis eſt, quod cùm fieri poſſit vt veri aliquid aliquando dicamus, & hoc ipſum nobis incertum, an veri aliquid dixerimus.*

Scientia puteus inexhauſtibilis.

172. Accedit huius, vt Sapiens dixit, *peſſima*, hoc eſt, moleſtiſſimæ & operoſiſſimæ occupationis, altera labes: Infinitas nimirum, & nunquam exhaurienda quantouis labore immenſitas obiectorum. Cùm enim intellectus noſtri acies, omne quod entis rationem habet, poſſit peruadere; entium autem ſphæra, etiam eorum quæ eiuſdem nobiſcum ſunt ordinis, nullis finibus claudatur, neceſſe eſt famem illam veri tanquam connaturalis ſibi pabuli qua intellectus noſter tenetur, ſemper manere inſatiatam, ac proinde ſemper intellectum torquere. Scitè Philo initio libri de ſomniis, puteum illum iuramenti à quo digreſſum Iacobum ſcriptura memorat, interpretatur ſcientiam; accommodatè ſanè in rem noſtram. [Mihi, *inquit*, videtur hic puteus ſignificare ſcientiam, quæ ſuapte natura in profundo ſita eſt, non in ſuperficie, nec in propatulo ſolet eſſe, ſed in abdito: nec facilè: ſed vix multo labore inuenitur: Id quod videmus, non ſolùm in magnas obſcuráſque contemplationes habentibus, verùm etiam in viliſſimis. Elige quancumque libet artem, non eximiam inquam, ſed omnium obſcuriſſimam, quam nemo liber in vrbe educatus ſponte exerceret, ruri verò vix ſeruus coactus à duro moroſóque domino multa facere præter ſententiam. Inuenies hanc quoque multiplicem, variam, querulam, difficilem, aduerſam pigritiæ, ſocordiæ, negligentiæ, plenam ſtudio curáque; & laboribus ac ſudoribus. Quin & aquam in hoc puteo foſſores inuentam negant: quoniam fines ſcientiarum non ſolùm difficiles inuentu ſunt; verùm etiam nunquam inueniuntur. Verùm ideò alius aliò doctior eſt in grammatica geometriâve, quia profectus & incrementa non poſſunt circumſcribi certis terminis. Semper enim plura quam diſcuntur, ſuperſunt: vt etiam is qui ſe putat attigiſſe finem ſcientiæ, ſemiperfectus habeatur ſub alio iudice. Quod ſi ſubeundum ſit ipſius veritatis iudicium, adhuc circa principia hærere videbitur. Breuis enim vita, vt quidam inquit, ars longa: cuius amplitudinem is optimè cognoſcit, qui in eam deſcendit profundiùs, tanquam puteum fodiens: Qualis quidam iam canus, decrepitus capularis ſenex, illachrymaſſe fertur, non ob ignauiam metúmve mortis, ſed ſcientiæ deſiderio, quaſi tum primùm eam adiret, quando relinquenda erat. Viget enim ſemper ad ſcientias anima, cùm vires corporis longa ætate marceſcant & langueant. Ergo priùs quàm ad quandam ceu pubertatem exquiſitioris doctrinæ perueniatur, periculoſus lapſus eſt. Eſt autem id commune omnium ſtudioſorum quibus aliæ poſt alias contemplationes ſuboriuntur, multas ex ſe pariente anima, modo non ſit ſterilis, multas natura vltrò ingerente non obtuſis mentibus. Hic eſt igitur ille ſcientiæ puteus fundo finéque carens, ſicut oſtendimus.]

173. Idem luculenter proſequitur lib. de plantat. Noë de Iſaaci puteo idem expendens. [Qui rerum, *inquit*, naturas ſcrutantur, & ſingulas in diſpoſitionem vocant magna cum diligentia, ſimiles ſunt puteos fodientibus. Nam & illi fontes latentes inquirunt, vtriſque commune eſt deſiderium potus inueniendi, ſed alteris quo corpus, alteris quo recreatur anima. Quemadmodum igitur quidam foſſores puteorum, quæſitam aquam ſæpè non inueniunt; ita

qui vlteriùs progrediuntur in ſcientiis, & diutiùs in eis inambulant, non poſſunt finem attingere. Certò admodum doctos aiunt accuſare ſuam magnam ignorantiam. Hoc enim tantùm ſentiunt, quàm longe abſint a veritate. Ex his vnus olim vſque ad miraculum ſapiens dicere ſolebat, homines meritò ipſum mirari, qui hoc tantùm ſciret, ſcire ſe nihil. Elige ſi libet quamcunque artem maiorem minorémve, & aliquem in ea laudatiſſimum; deinde examina an præceptis artis reſpondeant artificis opera. Videbis hæc ab illis non exiguo ſed magno interuallo abeſſe; quandoquidem ferme impoſſibile eſt in quacunque abſolutum eſſe, quòd hæ fontis in morem vndabundæ variæ contemplationum ſpecies ebulliant. Ideo iurantes nominetur aptiſſimè, quod eſt fidei ſignum firmiſſimum, coniunctum cum Dei teſtimonio. Nam cùm iurantes in re dubia teſtem Deum inuocent, nihil licet iurare certiùs, quàm quòd nullius ſcientiæ finis inuenitur apud vllum artificem. Idé dicere poſſumus & de aliis potentiis noſtris penè omnibus.

Hinc fieri vt nouis in dies compertis, notiſque ſemper parata cognitione, multò plura ſemper reſtent quæ lateant, tradit Seneca 7. natural. quæſt. cap. 31. *Quàm multa*, inquit, *animalia hoc primùm cognouimus ſæculo! Et quidem multa venientis æui populus, ignota nobis ſciet. Multa ſæculis tunc futuris, cùm memoria noſtri exoleuerit, reſeruantur. Puſilla res mundus eſt, niſi in illo quod quærat omnis mundus habeat. Non ſemel quædam ſacra traduntur. Eleuſis ſeruat quod oſtendat reuiſentibus. Rerum natura, ſacra ſua non ſimul tradit. Initiatos nos credimus, in veſtibulo eius hæremus. Illa arcana, non promiſcuè, nec omnibus patent, reducta & in interiore ſacrario clauſa ſunt. Ex quibus aliud hæc ætas, aliud quæ poſt nos ſubibit, aſpiciet. Quando ergo iſta in notitiam noſtram perducentur?*

Alij naui ſcientia noſtra vniuerſim accepta.

174. Hæc igitur eſt, vniuersè loquendo, ſcientia quam parare homines poſſumus, exilitas & imperfectio. Et tamen hæc quantulacunque notitia, malè conſultos, & *ſuam ipſorum ignorantiam ignorantes*, vt rectè dixit Nazianzenus orat. 2. de Theol. inflat plerumque & tumefacit. Quæ eſt certè non exigua eiuſdem ſcientiæ macula. Vt in alia fortè grauiore non immorer, quæ ex tanta caligine conſequitur. Videlicet quod tot ſint diſſidia & pugnæ, eorum qui ſcientiæ addicti, rerum naturas ſcrutantur. Cùm enim in tam diuerſa abeant, proindéque vnum duntaxat metam attingere poſſe errantibus cæteris certum ſit, homines tamen ſibi de veritate blandiuntur. Nec eſt quod in ea re demonſtranda lectoris otio abutar. *Sufficit*, ait S. Baſilius hom. 3. hexaemeri, *Ethnicorum Philoſophorum libros inter ſe oppoſitos, in magna quiete ſpectaturos belli ipſorum fœdere.* Quæ fere verba, legere licet apud S. Euſtathium ſub initium Commentariorum in Hexaëmeron. Ait enim de Philoſophicorum dogmatum diſcrepantia. *Nonnulli Græcorum contrariam partem permulta diſputare conati, in profundā ignorantiæ præcipites acti ſunt. Dogmata namque, humana ratione iudicióque prodita, multis obſcuritatis tenebris inuoluta latent, & nouello firmitatis fulcro conſtabilita vacillant. Nulla quippe ſententia apud vos immota manet, ſemper primam impugnamē ſecunda, ita vt vos refellere nihil ſit negotij, cum illi propriis dogmatibus euertendis ſufficiunt.* Theodoretus item initio quarti aduerſus Græcos. *De creatura quæ cerni oculis poteſt, neque vera neque inter ſe concordia Philoſophi opinati ſunt, ſed velut per vmbram illi depinxerunt, in multas diſſidij partes abierunt, mutuiſque diſſenſionibus ſeſe tanquam acerrimis inimicis vſi ſunt.*

Similia habet etiam Plotinus & alius lib. 2. initio, & S. Chryſoſtomus hom. in primam ad Corinth. ad illud, *animalis homo*. Res loquitur ipſa per ſeſe, & cuiuis facile eſt apud Senecam epiſt. 88. in fine; Iſidorum Peluſiotam lib. 4. epiſtol. 91. Euſebium lib. contra Philoſophos, fine. 15. præparat. Theodoretum ab initio libri quarti contra Græcos, Aetium & Plutarchum in eam rem allegantem, ſodomitationis incapaces de omnibus propè rebus, ſummam ſapientiæ laudem affectantium, rixas legere. Pulchre item & fusè de ſapientum diſcordia S. Auguſtinus 18. Ciuit. c. 41. Breuiter, ſed benè Arnobius ſub initium libri ſecundi, ſapientes queritur apud Ethnicos dici *qui nihil ſciſcunt, nec pronunciant vnum, qui pro ſuis ſententiis bella cum aduerſantibus conſerunt, & pernicacia ſemper digladiantur hoſtili, qui cùm alter alterius labefactat conuelluntque decreta, cuncta incerta, fecerunt. nec poſſe aliquid ſciri ex ipſa diſſenſione monſtrarunt.* Tandem *ſcientia*, vt philoſophatur Lactantius l. 3. c. 8. *parum eſt ad bonum ſuſcipiendum malúmque fugiendum, niſi accedat & virtus.* At exanimem ſæpè eſſe ſcientiam, hácque ſua veluti forma & anima deſtitutam; olidum cadauer in pleriſque eſſe, extra dubitationem eſt, & ſuprà cum de idoneo Morali Philoſopho ageretur, ſatis oſtenſum.

Defectus ſcientiæ noſtræ ſigillatim.

175. Iam ſi in particulari ſcientiæ noſtræ conditionem, penes tres illos quos ſuprà aſſignaui obiectorum gradus exquirimus; citra dubium vllum ſcientiam noſtram vndecunque imperfectiſſimam, & à ratione ſummi boni longè abhorrentem comperiemus. Et quoad ſuperiora quidem, ſi Dei notitiē viribus noſtris ac induſtria parabilem, inſpicimus; pudebit profectò nos ipſos tam confuſæ & tam multis imperfectionibus immerſæ cognitionis noſtræ. Et hîc quoque puteum altum agnoſcit S. Maximus centuria 2. ex variis c. 29. acutè obſeruans intellectus noſtros tanquam ſitulas, quamuis aliquid ex eo hauriant, multò tamen plus relinquere. Vide in hanc rem benè multa quæ profero in naturali Theologia d. 5. q. 2. art. 2. Nec aliter propè cenſuerim de noſtra intelligentiarum notitia. Quia enim corpori tanquam cochleæ affigimur, (quòd Philo ſæpè queritur) ipſas quoque intelligentias ad modum corporum, atque adeo ruditer, nec dignè nobilitati obiectorum illorum, nobis mente effingimus, & falſa earum imagine ludimus nos ipſos.

Pulchrè de noſtra horum obiectorum ignoratione Seneca 7 naturalium quæſt. c. 30. *Non omnia*, inquit, *Deus humanis oculis nota fecit. Quota pars operis tanti, noſtris oculis committitur? Ipſe qui ea tractat, qui condidit, qui totum hoc fundauit, deditque circa ſe, maiorque eſt pars operis ſui, ac melior, effugit oculos; cogitatione viſendus eſt. Multa præterea cognata numini ſummo, & vicinam ſortita potentiam, obſcura ſunt. Aut fortaſſè quod magis mireris, oculos noſtros implent & effugiunt: ſiue illis tanta ſubtilitas eſt, quantam conſequi acies humana non poſſit: ſiue in ſanctiore ſeceſſu maieſtas tanta delituit, & regnum ſuum, id eſt ſe regit, nec vlli aditum dat niſi animo. Quid ſit hoc, ſine quo nihil eſt, ſcire non poſſumus.*

Sed hoc minus mirum eſt, cùm nos ipſos, & illam met quâ viuimus & omnia alia cognoſcimus rationalem animam, ſpiritum nobiliſſimum, tam craſsè percipiamus, & corporis noſtri ſtructuram, tametſi ſenſibilem & materialem, non ſatis compertam habeamus, vt propterea neget Philo lib. 1. alleg. Adamum ſibi nomen impoſuiſſe, quamuis cæteris impoſuerit.

poſuerit. Nempe cùm nomen imponere ſit ſapientis, & rei quam nomine donat, naturam peruadentis; idcirco Adamus ſeipſum non ſatis penetrans, nominis ſui impoſitione abſtinuit. Tandem inferiora nobis obiecta, hoc eſt, reliqua omnia, mirum quàm nobis abdita, & in obſcuro poſita. Taceo corpora ſimplicia quorum perexiguam notitiam haberi lites de eis Philoſophorum teſtantur, vt mirer Philonem lib de ſomniis *ſub initium*, terræ, aquæ, aëris notitiam plenam homini concedere, & in eos tantum inuehi qui, vt ait, *ſubtiliter de ſyderibus*, cùm tamen trium illorum elementorum tam tenuem ac propè nullam cognitionem nanciſcamur.

De cœlis autem ac ſyderibus, annuo Philoni ibidem ita affirmanti. *Cœlum naturam habet incomprehenſibilem, nec vlla eius notitia certa demanat ad nos. Quid enim poſſumus de hoc pronunciare? Eſſe concretam glaciem vt quibuſdam placuit, an ignem puriſſimum, an quintum quoddam corpus in orbem mobile, nulli affine ex elementis quatuor? Quid illa extrema ſphara fixorum ſyderum, habétne ſoliditatem, an ſuperficiem tantum ſine altitudine, figuræ in plano pictæ ſimilis? quid ſtella ipſa ſuntne terreæ moles ignitæ? Nam quidam aiunt eas eſſe colles ſaltúſque ignitos, ipſi digni piſtrino & carcere; vbi hæc inſtrumenta ſunt torquendis impiis iſtorum ſimilibus. An fortè ſunt denſi quidam ætheris globi, non diſſimiles? ſed animatine ac rationales, an ratione ſimul carentes & anima? Voluntarióſne an neceſſitate coactos motus habent? Quid Luna? natiuóne an mutuatitio lucet lumine? ſuis radiis micans, an illuſtrata ſolaribus? An horum neutrum eſt, ſed quiddam mixtum ex vtroque igne, tum alieno tum proprio? Nam hæc & huiuſmodi omnia in præcipuo mundi corpore quarto, id eſt, cœlo, incerta incomprehenſibiliaque, coniecturis veriſimilibus magis, quàm certis veriſque rationibus nituntur: vt iurare fas ſit, neminem mortalem poſſe vnquam quicquam horum certè percipere.*

De mixtis quibuſuis eadem aut etiam maior eſt ratio; Cùm præter rationem corporis, quæ in prædictis corporibus ſimplex & immixta eſt, confluxum formalem aut virtualem (nam & hoc obſcurum eſt,) plurium miſcibilium contineant, & paſſiones effectúſque varios ſortiantur, nulli vnquam ſatis perſpectos. Imò ſi de viuentibus quantumuis deſpicatiſſimis ſit ſermo, vel ipſa corporum quantumuis exiguorum & vnius velut puncti compages, (ex parte licèt ſenſibus patens,) obſcuriſſima tamen eſt, & ingeniorum quantumuis perſpicacium obtutum fugiens. Quid enim exilius vel abiectius formica? Ad eius tamen ſtructuræ ac naturæ intelligentiam, Eunomium, rerum omnium, ac ipſius etiam Dei comprehenſione gloriantem prouocat S. Baſilius epiſt. 168. his verbis inter cætera. [Qui ſe exiſtentium ſcientiam aſſecutum eſſe gloriatur, exponat nobis quomodo quod minimum eſt eorum, quæ in lucem prodierunt natura habeat, & quæ formicæ ſit natura: Dicat, an ſpiritu vel anhelitu vita ipſius contineatur, an corpus habeat oſſium diſtinctione concinnatum ac diſcretum. Neruíſne ac nodulis coniuncturarum roborata ſit. An muſculorum & glandularum complexu neruorum natura vndequaque conſeruetur. An è ſincipite per dorſuales nodos ad caudam vſque medulla prorogetur. Vtrum ex neruoſæ pelliculæ complexione motis membris ſit progrediendi facultas. Habeátne hepar, an ſub hepate ſit flauæ bilis folliculos. Vtrum renes habeat, & cor, & arterias, & venas, & membranas, & diaphragmata. Nudáne ſit vel crinita. An vnius tantùm generis aut multifariis vtatur pedibus. Quandiu viuat. Et quæ ſit illis propagandæ poſteritatis ratio. Quotuplo fœtu dum generat fœcundetur. Et quomodo nec pedeſtres omnes ſint formicæ, nec alatæ omnes, ſed aliæ humi repant, aliæ verò per aëra volitent. Dicat itaque formicarum nobis naturam, qui eorum quæ in natura ſunt, ſcientiam cum faſtu ſe prædicat aſſecutum.] S. item Chryſoſtomus homil. de ieiuniis & Geneſeos lectione refellens Manichæorum dementiam de materia infecta & Deo coæterna, cum vrgeret Manichæus, *Quomodo ex nihilo fieri aliquid potuit*, ídque à nobis intelligi poſſe negaret, reponit viciſſim æquè à nobis in hac vita perſpici non poſſe, pleráque paſſim obuia & non quotidiana tantùm ſed & perpetua, vt quomodo hominis compages tam multiformis tantáque partium & munerum varietate mirabilis, ex vna ſimplici ſubſtantia exiſtat: quomodo panis in ſanguinem, phlegma, fel, bilem, oſſa, carnes, neruos, túmque alias hominis partes mutetur. Quomodo è terræ venis aurum educatur, ex arena vitrum lucidiſſimum fiat, aliáque eiuſmodi quæ cum fieri nemo ambigat, quomodo tamen fiant, ſumma caligo humanis intellectibus offuſa eſt.

Nec plura, vt liqueat ſcientiam non eſſe ſummum bonum. Quod probaſſe, non debet videri ſuperfluum, cùm aliqui tantuli boni, amore adeò ebrij ſint, vt etiam Spiritus ſanctus, totum caput primum Eccleſiaſtæ in id impendi voluerit, vt appareret non eſſe in ſcientia ſummum bonum. Scopum hunc illius capitis, & in hoc probando artificium, detegit Canus 9. de locis cap. 9.

Virtus humana tendit aliò: non eſt igitur ſummum bonum.

177. Subdo pauca de altero huius ordinis bono, & reuera humanorum bonorum apice, hoc eſt, de virtute Morali, in qua non eerni rationem ſummi boni facillimum eſt demonſtrare. Nam vel ſpectamus virtutem habitualem, vel eius fœtum ſiue operationem ex virtute, & rationi congruentem. Priorem conſtat eſſe aliquid imperfectum, & deſtinatum ad ſtudioſam operationem. Præterquam quod vt ſæpè vrget Philoſophus infrà adducendus cùm agetur de formali beatitudine, habitans ineſt quoque dormientibus & otiantibus, quos ſummo bono potiri nemo dixerit. Poſterior autem, hoc eſt, operatio virtutis, quamuis ſit ſummo bono proximior quàm habitus per quem gignitur; tamen ad obiectum tendit, nec ſiſtit in ſe, quod eſt contra rationem ſummi boni, eámque perfectionem, quam eſſe de ratione finis vltimi initio præmiſimus.

Quæ ratio vniuersè probat nullam operationem poſſe cenſeri beatitudinem hominis obiectiuam: ſemper enim operatio tendit aliò, cùm ſit attingentia vel perceptio obiecti. Proindéque ratio ſummi boni non in tendentiam illam, ſed in terminum eius, ſiue obiectum, cadere potius debet. Et ideò S. Auguſtinus 19. ciuit. c. 25. ſuperbam (vt vocat, & inflatam Stoïcorum ſententiam, beatitudinem in ſua virtute locantium, ex eo reprehendit, quòd virtus tendat aliò, ſi virtus ſit & non vitium. *Virtutes*, inquit, *quas ſibi quis habere videtur, per quas imperat corpori, & vitiis ad quodlibet adipiſcendum vel tenendum, niſi ad Deum retulerit, etiam ipſa vitia ſunt potius quàm virtutes. Nam licèt à quibuſdam tunc vera & honeſta putentur eſſe virtutes cùm ad ſeipſas referuntur, nec propter aliud expetuntur, etiam tunc inflata & ſuperba ſunt: & ideò non virtutes, ſed vitia iudicanda ſunt. Sicut enim non eſt à carne, ſed ſuper carnem, quod carnem facit viuere: ſic non eſt ab homine, ſed ſuper hominem, quòd hominem facit beatè viuere.*

Vtitur quoque hoc ipſo argumento Lactantius 3. inſtit.

inſtic.c. 8. tumpetſi paulo aliter. *Non eſt*, inquit. *virtus ipſa ſummum bonum, ſed effectrix & mater eſt ſummi boni, quoniam praueniri ad aliud ſine virtute non poteſt. Vtrúmque intellectu eſt facile. Quæro enim vtrùmne ad præclarum illud bonum facilè perueniri poteſt, an cum difficultate ac labore? Expediant acumen ſuum errorémque defendant. Si facilè ad illud, ac ſine vllo labore perueniri poteſt, ſummum bonum non eſt. Quid enim nos cruciemus quid conficiamus enitendo diebus ac noctibus? Quandoquidem tam in promptu id, quod quærimus iacet, vt illud quilibet ſine vlla contentione animi comprehendas. Sed ſi commune quoque ac mediocre quodlibet bonum, non niſi labore aſſequimur, quoniam bonorum natura in arduo poſita eſt, malorum in præcipiti; ſummum igitur bonum ſummo labore aſſequi neceſſe eſt. Quod ſi veriſſimum eſt, ergo altera virtute opus eſt, vt perueniamus ad eam virtutem quæ dicitur ſummum bonum: quod eſt incongruens & abſurdum, vt virtus per ſeipſam perueniat ad ſeipſam, Si non poteſt ad vllum bonum niſi per laborem perueniri, apparet virtutem eſſe, per quam peruenitur: quoniam in ſuſpiciendis præferendíſque laboribus, vis officiúmque virtutis eſt. Ergo ſummum bonum non poteſt eſſe id, per quod neceſſe eſt ad illud perueniri. Sed illi cum ignorarent quid efficeret virtus, aut quo tenderet; honeſtius autem nihil reperirent, ſubſtiterunt in ipſius virtutis nomine, quam nullo propoſito emolumento appetendam eſſe dixerunt; & bonum ſibi conſtituerunt, quòd bono indigeret.* Deeſt ergo virtuti prima nota obiectiuæ batitudinis.

Idem concluditur, ex non plena hominis per eam perfectione.

178. Accedit virtutis inſufficientia ad explendum hominis appetitum, & adiuncta ei amaritudo ac moleſtia, cuius plerique pertæſi virtutem abiiciunt, & denique labilitas & fragilitas virtutis cuiuſuis. At hi defectus à ſummo bono procul abſunt, vt ſupra vidimus. Et inſufficientiam quidem illam, non difficile erit deprehendere, ſi munus virtutis ſpectemus, quod eſt actionum ad humanum conuictum ſocietatémque pertinentium directio ad rectæ rationis amuſſim compreſſio item affectuum & ſubactio, ne ſuprà rationis præſcriptum extollantur. Agimus enim de virtutibus Moralibus, quia ſuperiores, quas reuelationis lumen detexit, non agnoſcuntur à Philoſophis quorum hîc perſonam ſuſtinemus; éaque proportione de eis quoad hoc par ratio, ac de Moralibus, etiamſi circa aliam materiam verſentur. Ea ergo affectuum moderatio, quam virtutes Morales inducunt, ſolius partis appetitiuæ perfectio eſt, non quidem ſumendo appetitum pro ſola facultate ſenſitiua corporea brutis quoque communi, (quamquam ei tantùm facultati ineſſe virtutes Morales nec pauci, nec vulgares Philoſophi aſſeruerunt;) ſed ſumendo appetitum largè, prout ſcilicet voluntatem & appetitum preſsè acceptum complectitur. Quare ea perfectio cùm ad huiuſmodi ſubiectum arctetur, non ſufficit ad perficiendum adæquatè hominem, eiúſque omne deſiderium explendum ſicut ſummo bono præſtari debet.

Sanè in pleriſque virtutum decore illuſtribus, intellectus admodùm incultus eſt: contingítque iuxta S. Hieronymum epiſt. 105. vt *ſancta eorum ruſticitas ſolum ſibi proſit, & quantum ædificat ex vitæ merito, tantum plerúmque noceat per ignorantiam.* In quam rem legendus etiam eſt S. Chryſoſtomus homil. 16. in Ioan. *in fine* Damaſc. 4. fidic. 18. Petrus Bleſenſ. epiſt. 8. & pulcherrimè S. Nazianz. in Baſilij encomio, affirmans luſcos ſibi videri qui probitate duntaxat polleant eruditione autem careant. Itaque virtus Moralis, potiorem animæ partem, ipſum inquam internum oculum, & facultatum Reginam, abſque conſentanea perfectione relinquit, vt taceam corpus, cuius perfectio non tanti eſt.

Et ex eius amarore, proborúmque ærumnis.

179. Iam verò adiunctam virtuti amaritudinem, quæ tam multos abſterret, & in vitia deiicit, nemo eſt qui ignoret, non tam ex ſapientum teſtificatione quã ſuomet experimento. Quis ergo inteſtini illius belli, quo omnes, quantumuis Moralium virtutum præſidiis inſtructi, agitantur, tumultum attendens; pacem plenam, & animi integram quietem, quærat in eo bono, quod ſedandis motibus illis inidoneum eſt nec ita poteſt pacare animum eiúſque tranquillitatem firmare, vt abditus in ipſis penetralibus hoſtis, de ſalubri deditione cogitet, nec identidem turbas miſceat? Vrget latè hoc argumentum D. Augaſtinus 19. ciuit. cap. 4. ex quo infrà quædam libabo. Non vrgeo infœlicem plerúmque ſortem proborum, variáſque calamitates quibus vt plurimùm percelluntur. Nam quamuis hæc incommoda, cum quibus homini virtutem excolenti luctandum ferè ſemper eſt, ſementis quædam ſint, ex qua ingens gloriæ ſeges ſuo temporè exiſtit (quòd demonſtrant qui ſaluam eſſe in tanta ſortis inæqualitate & proborum anguſtiis prouidentiam tradunt; latè recenſiti in naturali Theologia d. 8. q. 3. art. 4.) Tamen cũ eo nubilo quod calamitates menti offundunt, puram ac ſerenam fœlicitatis lucẽ conſiſte re, paradoxum eſt; Imo omnino alienum à veritate.

Et hanc ob cauſam, de miſera proborum & virtuti deditorum conditione, querelas ſæpè legimus, etiam in ſcripturis. Imo eò proceſſit Menander apud Stobæum ſerm. 106. vt negaret optandum eſſe, hominem eſſe. *Si quis*, inquit, *potens Deus me accedens diceret, Poſtquam mortuus fueris denuo reuiuiſces: Eris autem quod voles, canis, ouis, hircus, homo, equus: rurſus enim vita tibi tranſigenda eſt, ſic fata iubent, in quod mauis elige. Quidais potius, ſtatim dicturus mihi videor, fac me, quam hominem. Indigna proſperitate verſus in proſperitate immerita ſolus animalium homo afficitur. Optimus equus, diligentiori cura quàm alius colitur. Canis ſi bonus fueris in pretio longè maiori habeberis, quam malus canis, Gallinaceus generoſus, peculiaribus alimentis nutritur; ignauus verò etiam timet præſtantiorem: At homo licet probus, nobilis, & valde generoſus ſit, nihil ei prodeſt in hoc ſæculo. Adulator autem omnium optimè viuit: deinde ſycophanta: tertio loco fraudulentus. Aſinum fieri præſtat, quàm deteriores ſe ſplendidius viuentes intueri.*

Obiter etiam ex virtutis fragilitate.

180. Denique excidunt plerique virtute ſemel parta; atque ita virtus non eſt perenne bonum. Imò nihil fragilius aut ſeruatu difficilius, cùm vel minima labes actionem vniuerſam inficiat, & virtutem expungat. Nec minus, proportione ſeruata, fas eſt, virtutem Moralem de qua agimus, appellare *vitream*, quèm ſupernaturalem & infuſam: de qua illud ſcitè à Braccario ſcriptum eſt epiſtola ad Ianuarium: rectè virtutem & gratiam Chriſtiano collatam in Baptiſmo vocatam eſſe in ſacra Apocalypſi, *mare vitreum quia in nobis citò periclitatur aut frangitur.* Quare aliud ſummum bonum, & alia obiectiua beatitudo quærenda eſt. Impugnat ſæpè in Stoïcis hoc placitum, tanquam typhi & ſuſpectæ vanitatis plenum, S. Auguſtinus, nominatímque ſerm. 13. de verbis Apoſt. & tract. de Epicureis & Stoïcis & l. 19. ciuit. c. 4.

ARTICVLVS VIII.

Breuis ſumma antedictorum, ex Epicteto, Seneca, Boëtio, atque Lactantio.

181. NOn vocat percurſis creatorum quorumuis bonorum capitibus, eorúmque exilitate demonſtrata, minutiùs inſiſtere in particularibus quibuſdam bonis penes quæ ſententiæ de fœlicitate hominis obiectiua multiplicatæ ſunt. Id enim ſuperuacaneũ fore rectè monet Philoſophus 1. Ethic. c.4. & 1. ad Eudemum c.5. addens ſatis eſſe excutere circa hoc eas ſententias quæ eminent, aut aliquo cum colore defendi poſſe videtur. Nunc igitur poſt tam longam exſpatiationem, & quorumuis bonorum creatorum non indiligenter expenſam exilitatem, hîc ſiſtere & meritò cum Epicteto apud Arrianum l.3.c.22. [proclamare poſſe videor Socraticum illud. O mortales quo vos proripitis? quid facitis? O miſeri quàm eſtis cæci ac ſúſque déque voluimini, aliàque quàm conueniat via inceditis, legitimã illam relinquentes. Alibi quæritis ſucceſſus veſtros, & principatum vitæ. Illic ſcilicet vbi non eſt, nec ſi quis vobis demonſtret, creditis. Quid eſt quòd extra vos, quæritis bonum? In corpuſculo? Non eſt. Si fidem non habetis, inſpicite Myrona, inſpicite Offellium. In opibus? Non eſt bonum: Si creditis, videte Crœſum. Conſiderate eos qui nunc ſunt diuites, quanto ploratu vita eorum ſit plena. In dignitatibus? Non eſt. Quòd ſi eſſet, qui ſecundùm aut tertium cõſules fuiſſent, beatos eſſe oporteret; at non ſunt. Sed de his rebus cuinam habebimus fidem? Vobiſne qui externa hæc ſpectatis, & rerum viſis illuſtribus vndique circũfuſis tenemini, an verò hi ipſis de quibus loquimur? Illi ipſi porrò quid dicunt? Adhibete aures quando plorant & ingemiſcunt, quando ſe propter conſulatus & honores ac dignitates miſeriores eſſe opinantur, ac maioribus ob id obnoxios periculis. In imperio bonumne? Non eſt: Alioqui enim Nero, aut Sardanapalus fuiſſet beatus. Sed ne Agamemnon quidem fœlix fuit, quamuis modeſtior Sardanapalo & Nerone, *&c.* In quo igitur bonum collocatis tandem, quandoquidem in his nullum eſt? Dic quæſo nobis Domine cùm ſis Angelus & ſpeculator bonorum operũ? Illic eſt bonum, vbi nec videtur vobis eſſe, nec vbi vos ipſum quæritis.] Quis neget videri Auguſtinum ad hunc Epicteti locum alluſiſſe 4. confeſſ. c.12. verbis illis quibus mortales item compellat. *Non eſt requies vbi quæritis eam; Quærite quod quæritis, ſed ibi non eſt vbi quæritis. Beatam vitam quæritis in regione mortis. Non eſt illic. Quomodo enim beata vita, vbi nec vita?* Quamquam videritne Auguſtinus librum Epicteti aut concinnatas ab Arriano ex eius doctrina diſſertationes, ambiguum ſit ex l.9. ciuit. cap.4. Vbi tamen rurſus cap.5. Epicteti meminit, & nobiliſſimum Stoïcum vocat.

182. Geminas adductæ ex Epicteto diſputationi, ſed benè multis & inſignibus in rem noſtram argumentationibus fœtas, ſuppeditant Seneca epiſt. 84. Boëtius 3. de conſol. proſa 8. & Lactantius l.3. c.11. omnes hactenus adductas ſententias de beatitudine obiectiua in bonis creatis locanda, paucis refellentes; quos proinde in hac meta, tanquam prolixæ diſputationis breuiarium, hîc apponere operæ pretium exiſtimo. Seneca ſic ait. *Rationem ſi audire volueris dicet tibi: Relinque iſta iam dudum, ad quæ diſcurritur. Relinque diuitias, aut periculum poſſidentium, aut onus. Relinque corporis atque animi voluptates. Molliunt & eneruant. Relinque ambitum. Tumida res eſt, vana, ventoſa, nullum habet terminum. Tam ſollicita eſt, ne quem ante ſe videat, quàm ne ſe poſt alium. Laborat inuidia, & quidem duplici. Vides autem quàm miſer ſit is cui inuidetur, ſi & inuidet. Intueris illas potentium domos, illa tumultuoſa, rixâ ſalutantium; limina? Multum habent contumeliarum vt intres, plus cùm intraueris. Præteri iſtos gradus diuitum, & magno aggeſtu ſuſpenſa veſtibula. Non in prærupta tantum iſtic ſtabis, ſed in lubrico. Huc potiùs te ad ſapientiam dirige, tranquilliſſimáſque res, & ſimul ampliſſimas pete. Quæcunque videntur eminere in rebus humanis, quamuis puſilla ſint, & comparatione humillimorum extent, perdifficiles tamen & arduos tramites adeuntur. Confragoſa in faſtigium dignitatis via eſt. At ſi conſcendere hunc verticem libet, cui ſe fortuna ſubmiſit, omnia quidem ſub te, quæ pro excelſiſſimis habentur, aſpicies; ſed tamen venies ad ſumma per planum.*

183. Boëtij diſputatio ſpectat vulgares ad beatitudinem vias. Ita enim vocat bona hactenus tractata, prout in eis iuxta aliquos reperitur ratio ſummi boni in particulari, quæ eſt via ad beatitudinem in cõmuni, vt notaui ſupra circa locum Auguſtini. Sic ergo de his (vt vocat) viis Philoſophatur. *Nihil dubium eſt, quin hæ ad beatitudinem viæ deuia quædam ſint; nec perducere eò quemquam valeant, ad quod ſe perducturas eſſe promittunt. Quantis verò implicita malis ſint, breuiſſimè monſtrabo. Quid enim? Pecuniámne congregare conaberis? Sed eripies habenti. Dignitatibus fulgere velis? Danti ſupplicabis: & qui cæteros præire honore cupis, poſcendi humilitate viloſces. Potentiámne deſideras? Subiectorum inſidiis obnoxius, periculis ſubiacebis. Gloriam petis? Sed per aſpera quæque diſtractus, ſecurus eſſe deſiſtis: Voluptariam vitam degas? Sed quis non ſpernat atque abiiciat viliſſimæ fragiliſſimæque rei, corporis, ſeruitium? Iam verò qui bona præ ſe corporis ferunt, quàm exigua, quàm fragili poſſeſſione nituntur? Num enim elephantos mole, tauros robore, ſuperare poteritis? Num tigres velocitate præibitis? Reſpicite cœli ſpatium, firmitudinem, celeritatem, & aliquando deſinite vilia mirari. Quod quidem cœlum non his potius eſt, quàm ſua, qua regitur, ratione mirandum. Formæ verò nitor vt rapidus eſt, vt velox & vernalium florum mutabilitate fugacior? Quòd ſi, vt Ariſtoteles ait, Lynceis oculis homines vterentur, vt eorum viſus obſtantia penetraret, nónne introſpectis viſceribus, illud Alcibiadis ſuperficie pulcherrimum corpus, turpiſſimum videretur? Igitur te pulchrum videri, nõn tua natura, ſed oculorum ſpectantium reddit infirmitas. Sed æſtimate, quàm vultis nimio corporis bona, dum ſciatis hoc quodcunque miramini, triduanæ febris igniculo poſſe diſſolui. Ex quibus omnibus illud in ſummam redigere licet: quòd hæc, nec præſtare, quæ pollicentur bona poſſunt, nec omnium bonorum congregatione perfecta ſunt, ea nec ad beatitudinem, quaſi quidam calles, ferunt, nec beatos ipſa perficiunt.*

184. Lactantius non multùm aliter diſputat. [Miror nullum omnino Philoſophorum extitiſſe, qui ſedem ac domicilium ſummi boni reperiret. Potuerunt enim ſic quærere. Quodcunque eſt ſummum bonum, neceſſe eſt omnibus eſſe propoſitũ. Voluptas eſt quæ appetitur à cunctis: ſed hæc & communis eſt cum belluis, & honeſti vim non habet, & ſatietatem affert, & nimia nocet, & proceſſu minuitur ætatis, & multis non contingit: nam qui opibus carent, quorum maior eſt numerus, etiam voluptate careant neceſſe eſt. Non eſt igitur ſummum bonum, ſed ne bonum quidem voluptas. Quid diuitiæ? Multò magis. Nam & paucioribus & plerumque caſu, & inertibus ſæpè, & nonnunquam ſcelere contingunt, & optantur ab iis, qui eas iam tenent. Quid regnum ipſum? Ne id

quidem. Non enim cuncti homines regnare poſſunt, & neceſſe eſt vniuerſos ſummi boni capaces eſſe. Quæramus ergo aliquid, quod propoſitum ſit omnibus. Num virtus? Negari non poteſt quin & bonum ſit, & omnium certè bonum: Sed ſi beata eſſe non poteſt, quia vis, & natura eius in malorum perferentia poſita eſt, non eſt profectò ſummum bonum. Quæramus aliud. At nihil virtute pulchrius, nihil ſapientia dignius inueniri poteſt. Si enim vitia ob turpitudinem fugienda ſunt, virtus igitur appetenda eſt ob decorem. Quid ergo? Potéſtne fieri vt quod bonũ, quòd honeſtum eſſe conſtat, mercede ac præmio careat; ſitque tam ſterile, vt nihil ex ſe commodi pariat? Labor ille magnus, & difficultas, & eluctatio aduerſus mala, quibus hæc vita plena eſt, aliquid magni boni pariat neceſſe eſt. Id verò quid eſſe dicemus? Num voluptatem? At nihil turpe ex honeſto naſci poteſt. Num diuitias? Num poteſtas? At ea quidem fragilia ſunt & caduca. Num glariam? Num honorem? Num memoriam nominis? At hæc omnia non ſunt in ipſa virtute, ſed in aliorum exiſtimatione atque arbitrio poſita. Nam ſæpè virtus & inuiſa eſt, & malo afficitur. Debet autem id bonum quòd ex eo naſcitur, ita cohærere, vt diuelli atque abſtrahi nequeat: nec aliter ſummum bonum videri poteſt, quàm ſi & proprium ſit virtutis, & tale, vt neque adiici quicquam, nec detrahi poſſit. Quid quod in his omnibus contemnendis, virtutum officia conſiſtunt? Nam voluptates, opes potentias, honores, eáque omnia quæ pro bonis habẽtur, non concupiſcere, non appetere, non amare, quòd cæteri faciunt, victi cupiditate, id eſt perfectæ virtutis. Aliud ergo ſublimius atque præclarius efficit; nec fruſtrà his præſentibus bonis reluctatur, niſi quòd maiora & veriora deſiderat. Non deſperemus inueniri poſſe, modò verſet ſe cogitatio in omnia. Neque enim leuia aut ludicra petuntur præmia.] Sic ille, qui quæ ea ſint illuſtria præmia, mox aperit cap. 12. nempe illud ipſum quod articulo primo huius quæſtionis propoſuimus, ad quod nunc nobis poſt longam excurſionem regrediendum eſt.

ARTICVLVS IX.

Regreſſus ad veram noſtram obiectiuam beatitudinem, & vtilia quædam ex antedictis corollaria.

185. AVſim lectorem meum qui ſuperiora non oſcitanter expenderit, conteſtari illis ipſis vocibus quibus vel ſuum lectorem vel ſeipſum conteſtatur Antoninus Imperator l. 8. vitæ ſuæ n. 1. *Expertus es circum quot res vagatus, nuſquam vitam beatam inueneris: Non ratiocinationibus, non in diuitiis, non in gloria, non in voluptate, NVLLIBI.*

Fructus primus antedictorum; DEVM ſolum, eſſe ſummum bonum.

Deprehendiſti inquam ex ſuperiori tractatione, bona quæcunque Deo inferiora, vix imaginem boni tenuiſſimam habere, ac proinde à ſummi boni maieſtate longiſſimè abeſſe? Quæ non modica eſt confirmatio aſſertæ ſupra ſoli Deo rationis vltimi ſimpliciter finis noſtri, ac obiectiuæ noſtræ beatitudinis: quo ſpectauit tota illa diſputatio de exilitate noſtrorum quorumuis bonorum. Cùm enim in aliquo bono, eoque ſummo locanda ſit beatitudo hominis obiectiua de qua agimus vt oſtenſum ſupra eſt, nec poſſit in vllo vel omnibus ſimul creatis bonis conſtitui vt ſupra item probatum eſt; ſupereſt ſanè vt ſtatuatur in Deo.

Hoc firmiſſimè & ineluctabiliter euictum eo, proferens inſignem B. Auguſtini ratiocinationem epiſt. 56. his verbis comprehenſam [Qui quærit quomodo ad beatam vitam perueniat, nihil aliud profectò quærit, niſi vbi ſit finis boni; hoc eſt, vbi conſtitutum ſit, non parua opinione atque temeraria, ſed certa atque inconcuſſa veritate, ſummum hominis bonum; quod à quolibet vbi conſtituatur, non inuenitur, niſi aut in corpore, aut in animo, aut in Deo, aut in duobus aliquibus horum, aut certè in omnibus. Quod ſi didiceris neque ſummum bonum, nec aliquam partem ſummi boni, omnino eſſe in corpore, duo teſtabunt, animus & Deus, quorum vel in vno, vel in ambobus ſit. Si autem adieceris & didiceris hoc idem de animo quod de corpore, quid iam niſi Deus occurret, in quo ſummum hominis bonum conſtitutum ſit? Non quod alia, bona non ſint, ſed ſummum id dicitur quò cuncta referuntur. Eo enim fruendo quiſque beatus eſt, propter quod cætera vult habere, cùm illud iam non propter aliud, ſed propter ſeipſum diligitur. Et ideo finis ibi dicitur, quia iam quò excurrat, & quo referatur, non inuenitur. Ibi requies appetendi, ibi fruendi ſecuritas, ibi tranquilliſſimum gaudium optimæ voluntatis. Da igitur qui citò videat, non corpus eſſe animi bonum, ſed animum potius eſſe corporis bonum. Recedetur iam ab inquirendo, vtrum ſummum illud bonum, vel aliqua eius pars ſit in corpore. Quod enim ſtultiſſimè negatur animum eſſe meliorem corpore, item ſtultiſſimè negatur meliorem eſſe eum qui dat beatam vitam vel partem aliquam beatæ vitæ, quam eum qui accipit. Non igitur accipit animus à corpore vel ſummum bonum, vel partem aliquam ſummi boni. Hoc qui non vident, cæcati ſunt dulcedine carnalium voluptatum, quam ex indigentia ſanitatis venire non intuetur.]

Et mox intermiſtis nonnullis contra Epicuræos quæ ad propoſitam ratiocinationem minus pertinent. [Da item qui citò videat animum quoque ipſum non ſuo bono beatum eſſe, cùm beatus eſt, alioquin nunquam eſſet miſer, & recederetur à quærendo, vtrum in animo ſit ſummum illud, atque, vt ita dixerim, beatificum bonum, vel aliqua pars eius. Nam cum ſeipſo ſibi quaſi ſuo bono animus gaudet, ſuperbus eſt. Cùm verò perſpicit ſe eſſe mutabilem, vel hoc vno ſaltem quòd de ſtulto ſapiens efficitur, ſapientiámque eſſe incommutabilem cernit, ſimul oportet cernat eſſe illã ſupra ſuã naturam, eiúſq; participatione atque illuſtratione ſe vberiùs & certius gaudere, quàm ſeipſo: Ita ceſſans atque detumeſcens à iactatione atque inflatione propria, inhærere Deo, atque ab illo incommutabili refici & reformari nititur, à quo eſſe iam capit, non ſolùm omnem ſpeciem rerum omnium, ſiue quæ ſenſu corporis; ſiue quæ intelligentia mentis attinguntur, ſed etiam ipſam capacitatem formationis ante formationem, cùm vel informe aliquid dicitur, quod formari poteſt. Itaque tantò minus ſe eſſe ſtabilem ſentit, quantò minus hæret Deo qui ſummè eſt. Et ideo illum ſummè eſſe, quia nulla mutabilitate proficit, ſeu deficit, ſibi autem illam commutationem expedire qua proficit, vt perfectè illi cohæreat.]

Ex quo tandem concludit, rectè Platonicos, abiectis Epicuræis, qui in corpore; & Stoïcis, qui in animo & in ſeipſis, ſummum hominis bonum locabant, conſtituiſſe illud in Deo; cùm perſpexiſſent prærogatiuam illam nulli alteri bono poſſe conuenire. Et hic eſto primus ac nõ exigimus, imò à nobis tota præ-

terita exſpatiatione intentus fructus, totius hactenus inſtitutæ diſputationis de tenuitate bonorum creatorum. Occurrunt verò præterea inſignia quædam & perutilia eiuſdem diſputationis commoda, quæ iuuat proponere.

Fructus alter antedictorum; nihil creatum, bonum aut amandum eſſe, niſi per ordinem ad Deum.

☞ 186. Illúdque in primis quòd primario illi fructui continens eſt, omninóque adiunctum; nempe quandoquidem Deus duntaxat habet rationem ſummi boni, & finis noſtri ſimpliciter vltimi; cætera quæuis bona enumerata, etſi quæ ſunt alia, eatenus duntaxat bona cenſeri poſſe, quatenus ad hunc finem comparandum ſubſeruire poſſunt, & ex opportunitate ad illum, bonitatem aliquam nanciſcuntur: Idcóque non niſi per ordinem ad principaliſſimum finem, expetenda vel refugienda eſſe. Tota quippe mediorum expetibilitas, ex vſu ad finis conſecutionem metienda eſt: ita vt ſicut in mediis, prout media ſunt, nulla bonitas cernitur niſi propter ordinem ad finem; (hoc enim eſt eſſe medium ad aliud, ſiue eſſe vtile,) ſic nulla ſit ratio ea appetendi, præciſa illa ad finem ordinatione & habitudine. Atqui omnia bona, inferiora fine ſimpliciter vltimo, habent ad illum rationem medij duntaxat, nec niſi per coniunctionem cum ea bonitate, quæ in ipſo fine primaria eſt, bona ſunt aut dicuntur: ergo non aliter expetenda vel refugienda ſunt, quàm prout ad illum finem conducunt, vel ab eo auertunt propter ſe autem non item. Sicut (quod eſt Caſſiani exemplum in ſimili, collat. 21. c. 15.) nemo ferramentum propter ſe appetit: Nemo item artem cui ferramentum ſubſeruire debet, appetit propter ferramentum? niſi inſanus ſit, & rationem vſúmque ferramenti ignoret, ſed è contra. Similiter ergo bona hæc humana, non niſi quatenus ad finem vltimum conferunt, amanda aut quærenda ſunt; nec in eis figendus animæ pes tanquam in domicilio, ſed tranſeundum per ea tanquàm per hoſpitium, aut tanquam per tramites ac vias quibus vltimus noſter terminus aditur.

187. Huc ſpectat præclara S. Baſilij oratio homil. in Pſal. 1. explicantis qua ratione dicamur hîc omnes eſſe in via qua ad vltimam metam tendimus. *Via*, inquit, *vita dicitur per quam quilibet natus properat ad finem. Quemadmodum qui in nauigiis dormiunt, ſponte à vento in portum deducuntur, etſi ne ſentiant quidem, percellente eos ac perurgente nauis curſu ad finem optati portus: ſic & nos vita noſtra tempore prætereunte, velut quodam motu continuo & irrequieto, ad proprium quilibet terminum occulto vita noſtra curſu properamus. v. g. Dormis? tempus prætercurrit & elabitur. Vigilas, & mente aliquid agis? Vita etiamſi non ſentiamus, abſumitur. Omnes enim vnum currimus curriculum, ad propriam quiſque metam tendentes. Quamobrem omnes in via ſumus. Atque ad hunc modum ſi de via hac ſenſeris, viator eris in hac vita. Tranſibunt omnia poſt tergum relinquentur omnia. Vidiſti de via plantam, herbam, aquam, aut aliud quiduis non indignum ſpectatu? Nonnihil hinc decerpſiſti oblectationis? Hæc interim abs te defluxerunt. Rurſus in lapides incidiſti, in conualles, præcipitia, ſcopulos, lignáve acuminata, aut fortè in feras incurriſti, reptilia, ſpinas, alia item permoleſta? Hinc nonnihil contraxiſti mœroris? Mox iſta reliquiſti. Talis eſt vita quæ nec delectabilia, nec rurſus acerba & triſtia diu retinet: Sed nec via hæc tua eſt, neque præſentia tua ſunt. In viatoribus primus veſtigium mouit, & poſt eum alius, item alius inſequitur. Conſidera parumper, num res humanæ ſint conſimiles? Hodie terram coluiſti? cras alter colet, & poſt eum alius. Vides agros hos & domos ſumptuoſas? Quot nomina iam vnumquodque horum permutauit? Dicebantur alicuius eſſe & poſtea in alterius denominationem tranſierunt, & poſt illum rurſum ad alium, nunc quoque alterius eſſe dicuntur. Cur vita noſtra non dicetur via, quæ modò hunc, modò alium ſortitur continuò.*

Itaque colligit beatum planè eſſe, qui cùm non poſſit hîc non eſſe in via, eam tamen viam init, quæ verè ad finem noſtrum ducit, nec in via peccatorum ſin minus aliquando fuerit, at ſaltem non ſteterit. Affinis eſt alia eiuſdem ſancti Doctoris oratio quam habet homil. 23. ex variis ſub initium. Titulus homiliæ eſt, *non eſſe adhærendum rebus ſæcularibus.* Videſis præterea S. Gregorium 15. Moral. c. 27. ad illud, *interrogate quemlibet de viatoribus.*

188. Eodem ſpectat perelegans Maximi Tyrij oratio diſſert. 23. num. 155. [Sicut in magna via terminus vnus eſt, multa interualla. Si Babylonem petas, propinquior Armenio eſt Aſſyrius; Rurſus Armenius quam Lydi ſunt, aut Iones aut Inſulani. Si Eleuſin, proxima Peloponneſus, deinde Megara, deinde Iſthmus. Quòd ſi nondum initiatus es, quamuis Megara vſque perueneris, donec in templo ſis, nihilo magis quàm Peloponneſij initiatus eris. Cogita eodem modo vitam hanc longam quandam viam eſſe, quæ Babylonem aut Eleuſin deducit: Terminum huius vel Regiam aliquam, vel templum, vel initiationem eſſe. Plenam viatorum eſſe hanc viam, quorum alij currunt, alij ſe mutuo impellunt, alij laborant, quieſcunt alij, alij iacent, alij à via deflectunt, oberrant alij. Deuiæ enim fallacéſque viæ, occurrunt plurimæ: quarum aliæ per rupes, altiſſimóſque hiatus, ad Sirenas; aliæ ad Lotophagos, aliæ ad Cimmerios deducunt. Vna autem eſt anguſta, accliuis, atque aſpera, eáque trita pauciſſimis, quæ ad ipſam deducit metam: quàm ægrè, nec ſine maximis moleſtiis, multoque ſudore, diligentes quædam abſoluere conantur animæ: quòd & loci flagrent cupidine, iiſque initiari ſacris geſtiant, quorum iam ante animo perceperunt præſtantiam. Ad quæ ſimul ac peruenerint, & labore ſuo defunguntur, & ſtudio. Quia nulla initiatio ſanctior, nullus pro illo locus viſu dignus eſt. Quod autem iis qui nondum initiati ſunt, eſt Eleuſis; id hominibus eſt ipſum bonum. Initiare agendum, locum conſcende, bona eius amplectere: nec maius vnquam optabis. Quòd ſi boni nomen illis quæ bona non ſunt tribuas; qualis aut corporis ſanitas, aut forma, aut auri argentique ornamenta ſunt, aut decus maiorum, aut honor ciuilis, & eiuſmodi quæ voluptatis potius quàm boni nuncupanda ſunt nomine; eliminas myſteria, Deum ipſum offendis. Talia ſunt bona quæ petis, qualia myſteria Alcibiadis: cùm ebrius facem geſtat, in epulis Sacerdotem agit, per ludum iocúmque, res ſacras exprimit.]

189. Spectat præterea eodem, Epicteti diſputatio apud Arrianum lib. 2. cap. 23. contendentis non ſecus hallucinari qui in mediis hærent, ac viatorem qui oblitus metæ in hoſpitiis, vel amœnis locis in quæ inter ambulandum incurreret, tempus viæ malè conſumeret. Et agit ille quidem duntaxat de ſcientia dicendi ac loquendi, ad ſcientiam morum & finis vltimi comparata: Poteſt tamen ea diſputatio, iiſdem planè verbis, ſcopo duntaxat mutato, æquè ad rem præſentem accommodari; nec minùs hoc loco, quinetiam potentiùs vrget, vt expendenti planum fiet. [Magni, *inquit*, illud eſt animi ſuam cuique vim attribuere quàm habeat, & ſic diſcernentem conſiderare dignitatem, cuiuſque facultatis; ac porrò etiam cognoſcere eam quæ præſtet omnibus aliis, quã

præ

præ cæteris perſequaris, & ſtudio excolas tanquam ſubſidiarias reliquas facultates adiungens, non omni cura depoſita illorum quoque ſenſuum quoad eius fieri poſſit. Nam curandi etiam ſunt oculi, ſed non vt præſtantiſſimum quiddam: at propter præſtantiſſimũ illud, quod alioqui ſecundum naturam non habebit ſeſe: his benè ſe non habentibus, & omnino alia propter alia ſunt expetenda. Quid fieri porrò conueuit? Quemadmodum ſi quis in patriam proficiſci velit, & peragrans loca veniat in hoſpitium deliciis affluens, quo arridente perſeuerare illic velit. Bone vir nam oblitus es propoſiti tui; Non ideo ingreſſus es iter vt venires huc, ſed vt pertanſires. At optimum illum eſt, & pulchrè exornatum! Quam multa ſunt præterea ſimiliter exornata hoſpitia & lauta? Quot prata florentiſſima? ſed per hæc omnia tranſeundum, ac iter faciendum, quod propoſuiſti, eſt, vt in patriam reuertare. Illud porrò quid eſt? Familiam in tuto & ſine metu conſeruare, ciuis officio defungi, ducere vxorem, liberos ſuſcipere, præeſſe legitimo imperio. Non enim aduениſti vt amœnioribus locis, quæ ipſe tibi eligas, fruare quam nos: ſed in quibus natus es, & inter quos ciuis es conſtitutus, apud eos te verſari oportebit. Haud longè ſecus in noſtro quoque inſtituto res eſt comparata.] Mox verò ſeriò monet prætereunda hæc fuiſſe vt hoſpitia.

190. Vniuerſaliùs hoc ipſum exemplum vrget c. 15. Enchiridij. Nec aliò ſpectant quæ tradit ibidem cap. 11. aliis licet verbis ac ſub alio ſchemate. *Quemaamodum*, inquit, *in nauigando, vbi in portum eſt ventum, ſi exeas aquatum, incidit vt cochleas in itinere, aut bulbulos colligas, animum tamen ad nauigium intentum habere conuenit, & ſæpè reſpicere an gubernator vocet: & ſi vocet omnia illa abiicere, ne vinctus eò coniiciaris inſtar pecudum. Sic in vita, ſi pro bulbulo, aut cochlea, vxorcula nobis, aut filiolus prabeatur, nihil ſit prohibendum: ſi autem gubernator vocet, curre ad nauigium, relinquens hac, neque reſpiciens. Si autem ſis ſenex nunquam procul à nauigio diſcede, ne fortè vocatus deſit.* In eum locum Simplicius pulchrè oſtendit, ſcopum Epicteti eſſe, humanam voluntatem ab externa iſta ſpecie bonorum, auocare ad bonum noſtrum; cætera autem non niſi obiter & quatenus ad illud ducunt vel opportuna ſunt, curæ habere.

Sed pulchrè omnino Hierocles, ad verſum Pythagoræ 25. ex eo quod ad hũc finem facti ſumus, infert nihil à nobis vtile eſſe cenſendum niſi quod ad hunc finem deducat, nóſque Deo aſſimilet: & ad hanc regulam pronunciandum eſſe de rerum quarumuis inutilitate aut damno, vel fructu ac commodo. Quæ fuit etiam communis Stoïcorum doctrina, vt videre eſt apud Sextum Empyricum lib. 3. Pyrrhon. hypotip. c. 20. Et annuit Autor Theolog. Ægypt. lib. 1. c. 4. Tandem optimè Ariſtot. *in ipſo fine* moralium Eudemiorum, ſupponens vt Medico, ita & rectè operanti ſcopum aliquem & finem vltimum præfixum eſſe oportere. & concludens reſpectu bonorum morum, finem illum non alium eſſe poſſe quàm Deum; hæc addit. *Quæ igitur electio poſſeſſióque natura bonorum vel corporis, vel amicorum, vel reliquorum, conſiderare maximè Deum facit; præſtantiſſima eſt, atque hic terminus eſt pulcherrimus. Quæ verò vel ob defectum, vel ob exceſſum, conſiderare colerêque Deum permittit minimè, ea eſt peſſima. Atque ſic quidem res habet anima: & is terminus eius præſtantiſſimus eſt; nimirùm, inquam, alteram irrationalémque anima partem ſentire, quatenus talis eſt. Quis igitur probitatis terminus ſit; & quis ſimpliciter bonorum ſcopus, hunc in modum ſit dictum.*

Sanè ſi omnis actio quæ finem hominis legitimum non ſpectat, *vitam interpolat, & vnitatem eius ſoluit turbáſque ciet, ſicut in populo plebs cùm ſeceſſionem facit*; (verba ſunt Antonini lib. 9. de vita ſua n. 16.) non eſt quòd vllam ſibi tranquillitatem polliceatur, qui à Deo veriſſimo fine noſtro abludit, aliúmque operibus ſuis metam præfigit; cùm extra hoc centrum ſuum, nulla queat eſſe homini requies, quocunque peruersè aliò feratur.

191. Claudo hunc fructum inſigni loco Caſſiodori lib. de amicitia cap. 23. [Quidam ad perfruendum ſibi eligunt ea quæ peremptoria ſunt ſalutis. Veneno enim cupiditatis infecti, & abſorpti à malitia huius mundi, in fallacibus diuitiis, in tranſitoriiſque honoribus, in voluptatibus carnis, ſæculique fauoribus, ſuæ intentionis finem conſtituunt, & his, quæ ſunt æternæ damnationis actionibus, fœlicitatem ſuam falſa opinione, quaſi ſomniando depingunt. Iſti, vt metam ſuæ intentionis attingant, viarum diſpendia eligunt, & cœcæ cupiditatis multiplici præſtigio dementati, ad ſui deſiderij finem, per diuortium & anfractus incedunt. Tendit enim vnus ad brauium ſui curſus, malitia mediante: alius negotiatione alicuius artis: alius latrociniis & rapinis. Id autem ſpecialiter ab vnoquoque diligitur, ad quod finaliter intentio eius tota dirigitur. Cætera verò quaſi quædam adminicula ſunt, militia atque negotiatio, & cætera quibus mediantibus, id quod quis ad fruendum eligit obtinere conatur. Iterum autem mens eluſa, quæ ſibi fœlicitatis imaginem in re præſagiebat inutili, dum poſt rei deſideratæ obtentum, maiori ſe ſentit indigentia laborare, præoptata incipit faſtidire; & denuo in alterius rei ſuccenditur appetitus; non tamen ſatianda, ſed alterius falſæ fœlicitatis imaginatione fallenda. Hic eſt circuitus impiorum, hæc eſt vituperatio multorum commorantium in circuitu. Hæc eſt mola Samſonis, quàm deciſis virtutum crinibus, & effoſſis prudentiæ oculis circumuoluit, ſequens cupiditatum circuitum, etiam relicto compendio charitatis: *Caput* inquit, *circuitus eorum: labor labiorum ipſorum, operiet eos.* Porrò de hoc labore non ſatiabitur homo. Niſi de ſiliquis porcorum illa fortè ſatietas inducatur, quæ diuitem dormire non ſinit. Vbi enim copia maior diuitiarum exuberat, ibi grauior moleſtia ſollicitudinum, totius perturbatiua quietis, intruditur. Rationalis itaque anima licèt ad ſuam beatitudinem deſideranter aſpiret, aliis tamen abſtrahitur, & eam quædam falſæ fœlicitatis imago deludit, aut veræ miſeriæ ſimilitudo deterret.

Agnitio cæcitatis priſcorum Philoſophorum circa vitæ noſtræ terminum, fructus tertius antedictorum.

192. Alius & quidem perutilis, antedictorum fructus eſt, quem Scotus in 4. d. 43. q. 2. *in fine* collegit; nempe agnitio cæcitatis quæ antiquorum, etiam ſapientum, magnam partem occupauit. & beneficij quo Deo obſtringimur, ob ſcopum illum in quem collimare omnes tenemur, multò apertius patefactum. Quanquam eo etiam lumine quod naturæ Deus indidit, detegi ſufficienter finem illum non nego, & compertum reipſa à nonnullis vno illo lumine prælucente, non diffiteor. Sed facile quàm plurimis fuit, offuſa animo per vitia & impotentes affectus caligine, in deuia abripi, & *ſummum bonum in imo quærere*, vt ſcitè dixit Lactantius lib. 3. cap. 12. qui ibidem varietatem ſententiarum quibus ſciſſi ſunt Philoſophi in hoc, vt appellat, *ſummo ac principali in quo totius ſapientiæ cardo verſatur*, in hunc

porrò qui veritatem in vita indagauit atque illuſtrauit, eámque vniuerſos edocuit homines, non tam ad viuendum quàm benè viuendum accommodatam, quis vnquam veſtrùm aram dedicauit, aut fanum ſtruxit, aut effigiem poſuit? Aut quis pro beneficio tanto ſe ſupplicem exhibuit Deo? Nam quia vitium aut tritici vtilitatem percepimus à Deo, ei ſacrificamus? Quod verò tantum in animis hominum produxerit fructum, quo nobis veritatem patefecit felicitatis noſtræ, pro tanto beneficio gratos nos non exhibebimus Deo?

Error non tendentium ad DEVM quantus. Fructus alius antedictorum.

195. Vlterior iſque longè maximus & perneceſſarius fructus ex antedictis colligi poteſt; ingentem omnino hallucinationem eſſe multorum, in quos meritò intorqueas ſcomma Diogenis, quem Stobæus ſerm. 4. ſcribit in Stoicorum gymnaſio cùm retrorſum incederet, ridentibus nonnullis grauiter repoſuiſſe. *Non vos pudet viuendi iter facere retrogradum, mihi verò deambulando tantum id facienti, vitio date?* Verè enim regrediuntur, & retrorſum incedunt, qui ad finem vltimum cui ſe factos & deſignatos norunt, non progrediuntur, ſed ad alia auertuntur. Et non eſt quidem qui ad ſuum illum vltimum finem verum atque legitimum pertingendi deſiderium ſibi eſſe non præ ſe ferat: Non eſt inquam qui velle ſe ſummi boni adeptione felicem fieri refugiat affirmare: Viam tamen eò pertingentem, ineunt quàm pauciſſimi.

Hoc ſibi inexplicabile videre ait Dio Chryſoſtomus orat. 69. ſubditque. [Alij quidam circa agriculturam ſunt occupati, alij circa mercaturam? hi ad militiam feruntur, illi ad medicinam: hi architecturam, illi artem naues fabricandi diſcunt: hi cithara, illi tibia canere: hi ſuere calceos, illi luctari: hi autem vt eloquentes videantur ad dicendum coram populo atque in iudiciis omne ſtudium impendunt, illi autem vt corpora habeant robuſta. Et negotiatores quidem, & agricolas, & milites, & Medicos atque architectos, & citharistas, tibicinéſque & puerorum exercitores, eóſque præterea qui dicuntur Rhetores, quique admodum validis ſunt corporibus, miſeros & infelices multos videas, & fermè omnes. Si verò animus prudens fiat, & mens bona; atque idonei reddantur & ad ſua ipſorum, adque aliorum agenda negotia, hos neceſſe eſt & legitimos effectos viros fœliciter viuere, bonúmque nactos eſſe genium: Diíſque eſſe amicos. Neque enim par eſt, vt alij ſint prudentes, alij autem periti rerum humanarum: neque vt alij humana, alij autem diuina ſciant: neque vt alij circa diuina ſint docti, alij autem pij: neque vt alij ſint iuſti, alij autem pij: neque vt alij ſint pij, alij verò Diis chari: neque alij erunt Diis chari, alij autem infelices: neque alij ſunt homines imprudentes, alij verò rerum ignari ſuarum: neque qui ſuas ipſorum res ignorant, diuina nouerunt: neque qui vitioſam de Diis habent opinionẽ, impij non ſunt: neque impij, Diis poſſunt eſſe amici: neque qui Diis non ſunt amici, fortunati eſſe. Qui fit igitur vt qui felices eſſe cupiunt, non in animum inducant tales exhibere ſemetipſos? Rurſum verò his, quæ facientes nihil obſtat quo minus malè & miſerè viuant, maximam adhibeant diligentiam?]

Fructus quintus, extra DEVM nuſquam homini quies.

96. Ingens item, ex dictis, multorum hallucinatio deprehenditur, qui ſperant ſe alibi fruituros animi tranquillitate, quàm in Deo. Cùm enim cor noſtrum ſuopote nutu nõ minùs præcipitetur in centrum ſuum, hoc eſt, in finem ſuum vltimum, quàm lapis aliáque grauia ad centrum mundi, ideo enim Deus centrum noſtrum & locus appellatur vt dixi num. 42. irrequietum ſit neceſſe eſt, quouſque ad eum pertingat; omniſque aliorſum auerſio non poteſt violentiam non inferre æquè ac lapidi, cum ſurſum iacitur. *O tortuoſas vias*, exclamat S. Auguſtinus 6. confeſſionum c. vlt. *væ animæ audaci quæ ſperauit, ſi a te receſſiſſet, ſe aliquid melius habituram. Verſa & reuerſa; in tergum & in latera, & in ventrem, & dura ſunt omnia, & tu ſolus requies.* Ad hanc metam mouemur omnes à natura.

Itaque quadrant huc maximè; (quæcunque tandem ſcribentis mens fuerit,) illa Antonini lib. 6. de vita ſua num. 16. [Quod vegetamur more ſtirpium; reſpiramus more pecudum, & ferarum quod viſis afficimur, quòd appetitionis cauſa mouemur, quòd congregamur, quod nutrimur: omnia hæc non maioris ſunt in pretio ponenda, quàm quod excernimus cibi recrementa. Quid igitur honore dignum eſt: Num plauſus? Nequaquam. Ergo ne laus quidem populi, quæ nihil aliud eſt quàm plauſus linguarum. Sublata igitur etiam gloriola, quid reſtat quod ſuſpiciamus & veneremur? Equidem hoc ſentio, vt quemadmodum facti inſtructique à natura ſumus, ita moueamur. Eò nos etiam diligentia opificum & artes ducunt. Omnis enim ars huc collimat, vt id quod paratum eſt, aptum ſit & idoneum ad opus, cuius operis cauſa paratum eſt. Idem quærit vinitor, idem qui pullos equorum domat, idem qui canes educat. Ergo & inſtitutio primæ ætatis & doctrina eò contendunt: iſque finis eſt quem expetere debeas. Hunc conſecutus nihil eſt in aliis rebus quod ſit tibi quæſiturus. Quod ſi pergas alia etiam expetere, neque liber eris, neque tibi ſufficiens ipſe, neque eris affectuum vacuus. Neceſſariò enim inuidebis, æmulaberis, ſiniſtra ſuſpicaberis de his qui illa tibi adimere poſſunt, inſidiaberis iis; qui id quod magni fit à te poſſident. Omnino enim neceſſe eſt, cum eſſe animo perturbato, qui iſta deſiderat: ſæpè etiam Deos incuſare. Qui verò mentem ſuam reueretur atque colit, *(id eſt, quiſquis agnoſcit quorſum factus ſit, & in illud veluti centrum irrequieto motu fertur,)* is & ſibi ipſi probabitur, & cum cœtu hominum benè ei conueniet, eúmque Diis conſentiet, id eſt, laudabit quæcunque ij diſtribuunt; & ordinauerunt.]

Malè beatum dici populum cui externa affluunt, & in cuius plaga non eſt firmamentum fructus ſextus.

197. Alia præterea, eáque grauiſſima plurimorum exerratio ex dictis corrigitur, qui diuites, & honore affluentes, ſi imbecilla valetudo abſit: fœlices exiſtimant: E contra verò infelicitatis damnant, quos cum paupertate & incommodis corporis conflictari vident. Hunc vero eſſe craſſiſſimum errorem, nec aliunde vt Boëtius. de conſol. proſ. 6. rectè aduertit, quam ex veri finis noſtri ignoratione profectum, conſtat ex iis quæ circa horum bonorum exilitatem, ac verum eorum vſum præmiſſa ſunt. Quo crediderim reſpexiſſe Anaxagoram, cum roganti plebeio homini, quemnam beatiſſimum indicaret, *nullum*, inquit, *ex iis quos tu beatos exiſtimas. ſed eum qui tibi à felicitate remotiſſimus videatur.* Ita refertur 1. moral. Eudemiorum cap. 2. & inſinuatur 10. Ethic. cap. 8.

Potenter omnino in eandem ſententiam Simplicius ad cap. 38. Enchir. Epict. { Non eſt, *inquit*, verum, quod putamus bonos aliquando calamitoſos

eſſe, atque affligi;malos vero fortunatos & beatos, ſi modo illa vera ſunt, quæ ſupra diximus; Neque nos canoris nugis occupati fuimus, cùm demonſtraremus eum eſſe bonum hominem, qui malum & bonum humanum in rebus noſtræ poteſtati ſubiectis collocaret; ac talis qui ſit, eum nunquam fruſtrari appetendo, neque vnquam in id incidere quod declinaret. Quod ſi ita eſſet, nunquam ei quicquam accideret mali; Nam & ij qui controuerſiam mouent, malum eſſe dicunt fruſtrari deſideriis, & in ea quæ declines incidere. Quare nunquam infortunatus eſt homo bonus, neque malè cum eo agitur. Et viciſſim malos homines eſſe infelices, qui vitam naturæ humanæ contrariam agant, omnes fateantur. Hi verò ſuæ libertatis obliti, qua natura humana à cæteris diſtinguitur, in rebus externis bonum humanum & malum collocant, in valetudine corporis proſpera, in diuitiis, potentia; nobilitate, deliciis & ſimilibus. Mala verò in contrariis. Itaque ea quæ in his bona videntur, appetunt; alia, vt mala declinant. Neceſſe porrò eſt in externis rebus, cùm in noſtra poteſtate ſitæ non ſint, & is quæ appetuntur fruſtrari, & in ea quæ declinantur incidere. Quæ vtraque, ne aduerſariorum quidem iudicio bona ſunt, ſed mala. Quare mali cùm plerumque in mala incidant, ſi paulisper reſipuerint, intelligent ſe neque fortunatos, neque beatos eſſe, ſed contra miſeros & infelices. Quod ſi quis fingat eos in rebus externis, aut plerunque, aut etiam ſemper ſecunda fortuna vti, magis etiam infelices erunt. Quum enim iis rebus potiuntur, gliſcunt in eis affectus & cupiditates naturæ humanæ repugnantes. Cuilibet autem id quod eſt ipſius naturæ contrarium. & malum eſt, & calamitoſum.]

Certè qui quis compertum habuerit finem hominis ſimpliciter vltimum eſſe Deum, cætera autem omnia eatenus tantum proſequenda eſſe, quatenus ad finem illum ducunt, vel abducunt ab eo; nunquam committet vt aſſecutionem bonorum illorum quæ poſſunt plerumque viam ad finem intercludere, tanto ſibi ſtudio quærendam iudicet, ac ſi reuera eſſet ipſemet finis: Quaſi ſcilicet aduerſos euentus ſummi mali loco ducat; ea autem bona tanquam ipſum ſummum bonum ſuſpiciat. Sed quæcunque tandem quoad hæc bona diuinitus illi ſors obtigerit, æqui boníque conſulet. Sapienter Epictetus apud Arrian. lib. 3. cap. 24. *Quando*, inquit, *minùs ſecunda ſorte quis periclitatur, memento quod miſeriam hanc à ſeipſo habeat. Deus enim vniuerſos homines procreauit, vt ſint beati, & vt optimi ſtatus ſint compotes, Id vt poſſint adipiſci, ingenerauit appetitus, cuique largiens propria & ſua. Cæterùm aliena ſunt quæcunque vel prohiberi, vel cogi, vel adimi poſſunt: ſed quorum contra eſt ratio comparata, priora ſunt, quæ impediri ſcilicet nequeunt. Nempe ſubſtantia hæc eſt boni, & mali.*

198. Pulchrè verò Seneca in calce libri de prouidentia, Deum ipſum ſic inducit, ſuos dedocentem hunc craſſum errorem. *Quid habetis quod de me queri poſſitis vos, quibus recta placuerunt? Aliis bona falſa circumdedi, & animos inanes, velut longo fallacique ſomnio luſi. Auro illos, argento & ebore ornaui: Intus boni nihil eſt. Iſti quos pro felicibus aſpicitis, ſi non quà occurrunt, ſed quà latent, videritis miſeri ſunt, ſordidi, turpes ad ſimilitudinem parietum ſuorum extrinſecus culti non eſt iſta ſolida & ſyncera felicitas: cruſta eſt, & quidem tenuis Itaque dum illis licet ſtare, & ad arbitrium ſuum oſtendi, nitent, & imponunt: Cùm aliquid incidit quod diſturbet ac detegat, tunc apparet quantum altæ ac veræ felicitatis, alienus ſplendor abſconderit. Vobis dedi bona certa, manſura quanto magis verſaueritis, & vndique inſpexeritis; meliora maioráque permiſi vobis metuenda contemnere, cupienda faſtidire. Non fulgetis extrinſecus: Bona veſtra introrſus obuerſa ſunt. Sic mundus exteriora contempſit, ſpectaculo ſui lætus: Intus omne poſuit bonum. Non egere felicitate, felicitas veſtra eſt.*

Denique qui animo ex Dei nutu pendente, bona ac mala excipit, ea bona verè ſibi eſſe bona efficiet, mala autem in bona vertet. Hoc ipſo ſenſu accepit Theodoretus lib. 6. aduerſus Græcos, quod legitur apud Platonem 1. de leg. *Ego quidem dico quæ vocantur mala, iuſtis quidem hominibus bona eſſe, iniuſtis autem mala: quæ verò bona dicuntur, iuſtis quidem bona contingere, malis autem hominibus mala eſſe.* His quippe Platonis verbis allegatis, (poteràtque etiam ſimilia addere ex eius Euthydemo, quæ expreſſit Alcinous cap. 20.) ſubdit Theodoretus. *Ego quoque vt verum fatear, hanc bonorum diuiſionem valdè laudo, plurimúmque admiror. Maximum eſt enim profectò bonum ſcire quidnam propriè veróque ſit bonum. Quid item bonum quidem dicatur, fiat autem alicubi quidem bonum alicubi verò malum, apud eos qui benè pulchréque viuntur vel qui abutendi mentem conſiliúmque ſectantur, &c. Ne itaque amici homines confundamus rerum naturam, ſed deſpiciamus quid verè quidem bonum, quid autem ſit malum, quidque illud ſit quod medio inter vtrumque loco poſitum eſt. neque beatos vocemus diuites, nec robuſtos, neque eos qui poteſtate aliqua communiti ſunt. Infelices enim profectò ac miſerrimos appellari eos decet, qui eiuſmodi naturæ muneribus præditi, vtuntur eis tanquam materia ſcelerum. Quemcunque igitur peſſimum hominem videmus vndique affluentem diuitiis, opibúſque ſuffultum, ne quæſo hunc beatiſſimum nuncupemus ſed infelicem cenſeamus, quod ei multæ ſint ad iniquè viuendum occaſiones oblatæ. Contra verò ſi quem videamus qui probus homo exiſtimetur, ſed qui tamen inopia rerúmque difficultate circumuentus ſit. ne propterea hunc eſſe miſerum opinemur.*

199. Deplorat admodum piè ac grauiter hunc errorem, inter Chriſtianos quoque peruulgatum Aëlredus Abbas in compendio ſpeculi charitatis cap. 4. Chryſoſtomus & Auguſtinus infinities, vt non ſit operæ pretium loca vlla ſignare. Minus tamen mirum ab hominibus Chriſtianæ doctrinæ conſultiſſimis ſic ſtatui: cùm nihil frequentius in ſacris literis prodatur, quàm hallucinari qui *beatum dixerunt populum cui hæc ſunt*, diuitiæ, ſanitas, proles numeroſa, armentorum ac gregum copia, proſper vndique & abblandiens fortunæ curſus, & alia quæ falſa deluſi rerum imagine, mortales appellant bona, cùm verè *beatus tantum ſit, populus cuius Dominus Deus eius.*

Contrarius vulgi ſenſus conculcandus.

Neque vero contra tam benè firmatam veritatem ſenſus vulgi contrarius, & omnium propè hominum aduerſantia ſtudia, leuiùs momenti cenſenda ſunt. Hic certè videtur fons maximorum in vita malorum, tanti æſtimare peruerſum multitudinis ſenſum, cùm in aliis negotiis tum maximè in hoc omnium præcipuo, vt optimè vidit Seneca libr. de vita beata cap. 1. & 2. qui ſubdit. [Quandiu quidem paſſim vagamur, non ducem ſecuti, ſed fremitum, & clamorem diſſonum in diuerſa vocantium, continetur vita inter errores, breuis etiamſi dies noctéſque, bonæ menti laboremus. Decernatur itaque, & quo tendamus, & quâ, non ſine perito aliquo, cui explorata ſint ea in quæ procedimus. Quoniam quidem non eadem hic quæ in cæteris peregrinationibus conditio eſt. In illis comprehenſus aliquis limes, & interrogati incolæ, non patiuntur errare. At hic triſtiſſima quæque via & celeberrima maximè decipit. Nihil ergo magis præſtandum eſt, quàm ne pecorum ritu ſequamur antecedentium

dentium gregem, pergentes non quà eundum eſt, ſed quà itur. Atqui nulla res nos maioribus malis implicat, quàm quod ad rumorem componimur, optima rati ea; quæ magno aſſenſu recepta ſunt, quorúmque exempla multa ſunt. Nec ad rationem, ſed ad ſimilitudinem viuimus. Inde iſta tanta coaceruatio, aliorum ſupra alios ruentium. Quod in ſtrage hominum magna euenit, cùm ipſe ſe populus premit, nemo cadit, vt non alium in ſe attrahat, primi exitio ſequentibus ſunt, hoc in omni vita accidere videas licet: Nemo ſibi tantum errat, ſed alij erroris cauſa & autor eſt; Nocet enim applicari antecedentibus: & dum vnuſquiſque mauult credere, quam iudicare, nunquam de vita iudicatur, ſemper creditur. Verſatque nos & præcipitat traditus per manus error, alieníſque perimus exemplis. Sanabimur ſi modo ſeparemur à cœtu. Nũc verò ſtat contra rationem defenſor mali ſui populus. Itaque idem euenit quod in comitiis in quibus eos factos prætores, iidem qui fecere mirantur, cum ſe mobilis fauor circumegit. Eadem probamus, eadem reprehendimus. Hic exitus eſt omnis iudicij, in quo lis ſecundùm plures datur. Cùm de beata vita agitur. non eſt quod mihi illud diſceſſionum more reſpondeas; hæc pars maior eſſe videtur: Ideo enim peior eſt. Non tam benè cum rebus humanis agitur, vt meliora pluribus placeant. Argumentum peſſimi, turba eſt. Quæramus quid optimè factum ſit, non quid vſitatiſſimum. Et quid nos in poſſeſſione felicitatis æternæ conſtituat, non quid vulgo, veritatis peſſimo interpreti probatum ſit,]

Itaque aſſueſcamus cum alibi ſemper tum maximè in hoc negotio, vulgi ſenſum abiicere, & vt rectè monet Plato in Lachete *de rebus ſcientia non multitudine iudicare*, Quod ſi abiicientes vulgi ſenſa, impetamur dicteriis & ſannis, vt eſt vſu vel abuſu priſco receptum penſanda erunt illa Senecæ epiſt 91. *Quid ſtultius homine verba metuente! Eleganter Demetrius noſter ſolet dicere, eodem loco ſibi eſſe voces imperitorum, quo ventre redditos crepitus, Quid enim, inquit, mea refert, ſurſum iſti an deorſum ſonent? Quanta dementia eſt, vereri; ne infameris ab infamibus? Quemadmodum famam extimuiſti, ſine cauſa, ſic & illa quæ nunquam timeretis, niſi fama iuſſiſſet Nunquid detrimenti faceret vir bonus, iniquis rumoribus aſperſus?*

Diuinum conſilium in aſpera via ad beatitudinem.

200. Claudo locum hunc vniuerſum, inſigni conſideratione quam adhibet Nyſſenus orat. de mortuis. Probat enim, prudentiſſimè & optimo conſilio prouidiſſe Deum, hunc per aſpera & incommoda progreſſum ad beatitudinem. *Eſt præſens vita, tanquam via quædam nos docens ad id quod ſperamus. Vt in arboribus videmus; in quibus cum fructus à flore principium ducat, per ipſum florem eò progreditur, vt fructus fiat, licet flos non ſit fructus. Et ipſa ſegetes, quæ ex ſeminibus proueniũt, nõ ſtatim ſpicã oſtentat, ſed herba primum enaſcitur, deinde culmus herbâ corruptâ conſurgit, tum in ſumma ſpica granum perficitur. Quæ cùm fiunt, neceſſarium hunc ordinem & ſeriem non accuſat agricola. Nec ait quorſum flos ante fructum, aut cur herba naſcitur, prius quàm ipſum granum, cum & flos defluat, & herba inaniter exareſcat, humanóque victui nihil proſit? Nouit enim qui mirabile artificium naturæ intuetur, aliter fieri non poſſe, vt ex ſeminibus plantiſque fructus gignatur, niſi ad eius perfectionem artificioſè hoc ordine natura viam muniat. Neque enim quoniam herba quæ prius emittitur, inutilis eſt. eáque non veſcimur, idcirco id quod fit, eſt inane ac ſupervacuum. Nam qui indiget cibo, nihil aliud niſi vtilitatem conſiderat ſuam? Naturæ verò illud propoſitum eſt, vt inſtituto ordine fructum ad abſolutionem perducat.* Interponit pereruditè cauſas lenti illius tamque diuerſiformis progreſſus, quo ſemen terræ mandatum; in herbam, calmum, ſpicam, huiuſque firmamenta & ſepimenta promouetur, priuſquam expectatum grani fructum legere liceat.

Tum pergit. [Cùm igitur non indignetur agricolæ nec ob ſtirpium fibras, nec propter herbam, nec propter ſpicarum ariſtas, quæ quidem omnia proueniunt ex ſemine, ſed in his ſingulis vſum quendam perſpiciat neceſſarium, quo natura artificioſè progrediens, & abiiciens quæ ſunt inutilia, frugem perficit & abſoluit, ne tibi quidem iniquo ferendum eſt animo, quòd natura noſtra neceſſarias perſequens vias, ad proprium finem perueniat. Sed vt in exemplo ſeminum cernis; debes exiſtimare, quod præſens eſt, ad vtile & neceſſarium aliquid omnino referri ac dirigi. neque illud eſſe, cuius gratia geniti ſumus. Neque enim fœtum creator noſter formauit, vt in matris vtero permaneremus: neque inde nos educit, vt in infantia, aut in iis, quæ deinceps ſubſequuntur ætatibus, naturam ſemper aliam poſt aliam induente, & formam corporis commutante, degeremus: Neque vt corpus ipſum accedente morte diſſolueretur: ſed vt per hæc & alia eiuſmodi, quæ ſũt tanquã partes illius vitæ per quam incedimus, ad ſtatum noſtrum priſtinum, hoc eſt ad ſimilitudinem Dei perueniremus. Ac quemadmodum ad perficiendam ſpicam, ex naturæ inſtituto herbam oſtendimus eſſe neceſſariam, nec tamen propter ipſam herbam, nec propter tunicas, aut ariſtas, aut calmum inſtituitur agricultura, ſed propter frugem victui accommodatam ad cuius perfectionem natura per illa progreditur: Sic expectatus huius vitæ finis eſt beatitudo. Quæ vero nunc corpori eueniunt, vt mors, ſenectus, forma incuruata, infantia, informatio fœtus in vtero, vt herbæ, & ariſtæ, & culmi; ſunt veluti viæ, per quas ad perfectionem ſperatam contendimus. Quam tibi ipſe proponens, ſi ſapis, nec propter hæc indignaberis, nec vllo modo ſic animo afficieris, vt vel ab hac vita decedens, angaris, vel ſponte mortem præcipias.]

QVÆSTIO IV.

De aſſecutione finis noſtri ſimpliciter vltimi, ſeu de formali beatitudine.

201. HAbemus obiectiuam noſtram beatitudinem. Nunc ad formalem veniendum eſt: ſic enim appellant aſſecutionem eius, ſiue coniunctionem, quà ſummum bonum, ſit bonum noſtrum: nam cum ea aſſecutio ſit aliquid per modum formæ nobis adueniens, nec beatitudo obiectiua abſque tali forma, nomen ac rationem beatitudini noſtræ ſit habitura, merito beatitudinis formalis appellationem ſortita eſt. Alij aliter nominant. Quidam apud Iacobum Viterbienſem lib. 1. quodlibet quæſt. 8. vocant *beatitudinem creatam*. Nauarrus in caput *cùm miniſtrorum*. 6. Vocat *beatudinem quâ*, ſeu *finem quo*, quia ſcilicet eo fine eàque beatitudine adipiſcimur formaliter obiectiuam. Ferrarienſis 3. contra gent. capit. 26. vocat *creaturæ intellectualis vltimum finem intrinſecum*, (nempe quia informat beatum,) eúmque contraponit alteri fini quem vocat *extrinſecum*, hoc eſt, beatitudini obiectiuæ. Similiterque Durandus in 4. d. 49. quæſt. 5. num. 5. eoſdem duos agnoſcit, & vocat.

finem

finem intra, & *finem extra.* Iuxsa eundem verò in 1. d.1.q.2.n.5.is quē internum nūc vocauit, dicitur *finis vt aſſecutio*, alter autem vocatur, *finis vt res aſſecuta*, n.14. vocātur *finis immediatus & intrinſecus ac mediatus extrinſecus*. Ab aliis dicūtur *finis vt res* & *finis vt adeptio*. Plato in Timæo & Protagora vt ex eo refert Stobæus in Eclogis Ethicis cap. 3. priorem vocauit *Scopum*; poſteriorem autem ſimpliciter vocauit *finem* aliter vſurpatis his vocibus quàm fecerit Caſſianus adductus num. 2. Ex horum duorum finium adunatione, exiſtit illa hominis ſiue εὐδαιμονία, ſiue εὐτυχία, ſiue εὐζωία, ſiue εὐπραξία, ſiue μακαριότης: Et ſi quod aliud eſt nomen, quo Ariſtoteles, aliique, beatitatem deſignare promiſcuè ſolent. Tametſi recentiores diligentius & ſubtilius, quàm vtiliùs, de illarum vocum vera notione & diſtinctione tricantus. Videſis Zuingerum 1. Ethic. cap. 2. & ibidem Peregrinum cap. 4. Mihi tam ſtudioſè in vocum corticem cem inquirere, conſilium non eſt.

ARTICVLVS I.

De formali beatitudine; Communia quibuſuis humanæ naturæ ſtatibus, & vtrique vita noſtra,

DE hoc ergo fine ac beatitudine quæ eſt noſtri finis vltimi ac obiectiuæ beatitudinis adeptio, dicendum nunc venit; primum quidem vniuersè ac generatim exponendo in quo collocanda ſit in quocunque ſtatu humanæ naturæ. Sunt enim vt poſtea dicam varij eius ſtatus, & homo in ſingulis beari poſſet, per analogicè eandem ſummi boni poſſeſſionem. Similitèrque hominis in vno aliquo prædictorum ſtatuum locati, duplex eſt vita, nempe præſens & futura: Et in vtraque formalem beatitudinem analogicè eandem ſortiri poteſt. Quæ ergo in omnibus communia ſunt, primùm exponam. Quæ verò pro variis ſtatibus debeat eſſe formalis beatitudinis perfectio, quando homini poſſit obtingere, ſeorſum dicetur.

ASSERTIO.

FOrmalis beatitudo hominis, alia eſſe non poteſt quam operatio aliqua rationalium facultatum; nec alia quam intellectio ſummi boni, quâ Deus in homiminis poſſeſſionem cedit. Quanquam ſi non de formali beatitudine eſſentialiter ſumpta ſit ſermo, fatendum eſt, amorem quoque & gaudium, imo cæterarum omnium hominis perfectionum poſſeſſionem, & bonorum quorumuis hominis ſtatui conſentaneorum affluxum, malorum oppoſitorum depulſioni coniunctum, completiuè, (vt vocant,) ad formalem beatitudinem pertinere.

202. PRimò aſſero formalem hominis beatitudinem collocandam eſſe in aliqua operatione facultatum rationalium: quod rectè cenſuit Ariſtoteles locis mox allegandis, paſſimque Philoſophi, quos immeritò Henricus Gandauenſis quodlib. 13. q. 12. reprehendit quaſi ita ſenſerint ex veræ beatitudinis ignoratione; nec aduerterint iuxta placitum illud ſuum non beari hominem quoad eſſentiam ſuam, ſed duntaxat quoad potentiam cui immediatè aduenit operatio. Perſtandum tamen eſt in ſententia Philoſophorum, cui etiam Chriſtiani Theologi adhæſerunt, eſtque indubitata: ita vt neget Scotus in 4. d. 49. q. 2. *litera H.* veriſimile eſſe Philoſophos in hoc, vt ait *primo noto* erraſſe.

Varij de formali beatitudine dicendi modi.

Sic igitur argumentor. Beatitudo formalis eſt ipſamet adeptio beatitudinis obiectiuæ per eum qui beandus eſt, ac proinde eſt coniunctio beatitudinis prædictæ cum beato. Nec enim poteſt quis intelligi adipiſci rem aliquam, niſi per poſſeſſionem qua rem illam ſibi habeat coniunctam, eámque veluti teneat. eo modo quo res quæ poſſidetur teneri poteſt. Ea porro coniunctio non poteſt tantum eſſe localis coëxiſtentia, Dei & beati, vt per ſe certum eſt, alioqui omnes eo ipſo quod in rerum natura degerent, & Deo localiter coniunctiſſimi eſſent, bearentur, quod liquet eſſe abſurdiſſimum. Itaque debet eſſe coniunctio per aliquam formam, vel Deo ſoli; vel ſoli homini internam (vtrique enim interna nulla eſſe poteſt,) cuius interuentu Deus prius homini non coniunctus in ratione ſummi boni poſſeſſi, fiat eidem de nouo coniunctus.

203. In prima coniunctione beatitudinem formalem collocare poſſent, qui ipſammet diuinam notitiam, qua ſe Deus ipſe percipit dixerunt poſſe homini eſſe pro formali perceptione obiectorum quæ Deus attingit, atque adeò etiam ipſius Dei. Quāuis enim ea coniunctio poſito quod dari queat non ſit per veram informationem & phyſicum nexum actus diuini cum intellectu beati: tamen tranſcendit puram coëxiſtentiam & coniunctionem localem, ob ſympathiā quæ diuino actui competit ad intellectum hominis comparato: vnde fit vt habeat ad eum rationem quaſi formæ, eúmque vitaliter immutet, licet nō informet, vt loquitur & ſentit Ioann. de Ripa apud Capreol. in 3. d. 13. q. 1. *in argumentis contra* 1. & alij apud Gregorium in 2. d. 7. q. 2. *ad argumenta contra ſecundam partem concluſionis tertiæ.* Quibus Gregorius concedit hanc fuiſſe reuera mentem Philoſophi & Commentatoris quoad intelligentias; quamuis aliter ſenſerint quoad intellectus humanos: hos enim ait nunquam Philoſophum vel Commentatorem, admiſiſſe beari, ipſomet Dei actu ſecundo. Nec refragatur Capreolus in 2. ad quæſt. 2. *ad quartam probationem maioris, argumenti decimi contra primam concluſionem.* Quamuis ibidem *ad octauam contra eandem concluſionem*, conatur Commentatorem exponere. At non pauci Auerroiſtæ magiſtrum ſecuti, ſenſerunt, hominem, externi intellectus agentis, hoc eſt, Dei operatione formaliter beari. Quo trahunt Ariſtotelem 10. Ethic. cap. 7. dicentem, beatum non quatenus homo eſt ita victurum; ſed quatenus diuinum quid ineſt ipſi. Quod eſt vndecimum ex locis Ariſtotelis argumentum pro intellectu agente Auerroiſtico, ab Auerrois ſectatoribus prolatum apud Dandinum 3. animæ digreſſ. 23. §. *quod anima ſit hominis forma.*

Spectat quoque ad hanc coniunctionem primam, illapſus ille in quo Henricus ſtatuit formalem beatitudinem. Iam verò coniunctio cum Deo per formam ſoli homini inexiſtentem, non aliter poteſt fieri, quàm per actum aliquem primum vel ſecundum ipſius hominis. Et actus quidem primus aut innatus eſſe poteſt, puta eſſentia hominis ac naturales potentiæ; aut ad-

uentitius, nimirum vnio aliqua homini inexiſtens, terminata ad Deum; aut habitus aliquis vel ſpecies impreſſa. Actus verò ſecundus vel eſt actio homini competens quatenus corpus eſt, tali temperamento, & accidentaria actiuitate præditum; aut quatenus anima vegetante, vel ſentiente, vel rationali conſtitutus.

Hæ igitur ſunt, hominis cum Deo tanquam ſummo bono ſuo coniunctiones, in quibus locare quis poſſet formalem beatitudinem. Atqui coniunctio quam quærimus non poteſt vllo prædictorum modorum explicari, ſed tantùm per operationem hominis rationalem, vnam vel multiplicem: Ergo per eam explicanda eſt. Probemus ſingula in hac minore contenta: Reliqua enim adeo certa & explorata ſunt, vt probatione non egeant.

Non poteſt ſtatui in Dei & beati nexu, per aliquid Deo internum.

204. Quòd ergo coniunctio beati cum Deo per aliquid Deo ſoli internum, v. g. per actum diuinæ notitiæ aut volitionis, homini communicatum, nequeat eſſe formalis beatitudo hominis, eſt concors ſententia Doctorum, meritò exiſtimantium impoſſibile eſſe, vt actu diuino vitalitèr immutet intellectum aut voluntatem creatam, reddátque formaliter intelligentem & volentem, ſecluſo actu ſecundo ipſius potentiæ creatæ. Nemo ſiquidem poteſt conſtitui intelligens aut volens, quin viuat. Imò intellectio & volitio ſunt flores vitæ, ita vt omnia alia quibus actualis vitæ ratio competit, præ iſtis iaceant, ſintque nullius pretij. Atqui de intima ratione vitæ actualis duo ſunt, quæ non poſſunt cadere in actum increatum comparatum cum facultatibus noſtris: Primum eſt, dependentia effectiua ab eo qui viuere dicitur. Secundum eſt, dependentia ſubiectiua, vel ſaltem coniunctio informatiua vitæ actualis cum viuente.

Quia homo viueret per formam quam non efficeret.

In primis itaque vt rectè argumentatur Caietanus 1. p. quæſt. 26. art. neceſſe eſt actū quo quis cōſtituitur formaliter viuens, pendere ab eo efficienter alioqui liceret de re paſſiuè tantùm ſe habente, dicere quod viuat actualiter: Id autem conſtat dici non poſſe; cùm ſit contra ipſamet vocis notionem: Nam viuere, non eſt pati, ſed agere; & quidem immanenter, per quod viuens ſecernitur à non viuente.

Non contendo quidem id in quo conſiſtit formaliter vita actualis, ſeu per quod homo formaliter conſtituitur intelligens & volens, eſſe actionem adæquatè, vel ex parte, de quo probabiliter in vtrãque partem controuertitur inter Doctores. Cùm enim ad intellectionem concurrant, fieri ſpeciei expreſſæ, quod eſt actio de genere actionis; & ſpecies ipſa expreſſa, quæ eſt qualitas quædam facta per actionē prædictam, tanquā per viā in ea qualitate vt termino interno ſiſtentem; non deſunt qui velint intellectum reddi formaliter attingentem obiectum interuentu ſolius viæ: alij autem dicunt id eſſe munus ſolius qualitatis, quæ eſt tantùm actio grammaticalis; id eſt, non eſt actio, niſi nomine tenus, quamuis præſupponat veram actionem tanquam viam. Denique alij, & viam & terminum iungunt, ac vtrique tribuunt prædictum effectum formalem. Non vacat autem nunc inter has ſententias arbitrum ſedere. Itaque non contendo vitam actualem eſſe formaliter actionem, ſiue adæquatè vt ſentiunt primi: ſiue ex parte, vt poſtremi. Imò fortaſſis media ſententia, quæ vitam formalem collocat in ſolo termino ſiue qualitate, probabilior eſt, & amplectenda. Eamq; in ipſa diſputatione de beatitudine, diſertè tradidit Scotus in 4. d. 49. quæſt. 2. ad 4. litera Dd. quem non ſatis percepit, ideóque malè reiecit Piccolomineus gradu 9. cap. 52.

Tantum igitur contendo viuere eſſe agere, ſaltē indirectè, & præſuppoſitiuè, quatenus ſi ea qualitas ſola confert attingentiam obiecti, inuoluit repugnantiam vt fiat aliter quàm per actionem propriè dictam, cuius principium & cauſa efficiens ſit ille ipſe qui eam qualitatem recipit. Alioqui is viuere diceretur qui nullo modo ageret; quod eſt tollere rationem vitæ actualis. Hinc ergo apertè habemus hominem non poſſe reddi actu intelligentem vel volentem per actum diuinum, quem impoſſibile eſt manare efficienter ab ipſo homine. Sic enim viueret quatenus intelligeret aut appeteret: ſimúlque non viueret, quatenus nihil ageret.

Itèmque per formam quam non ſubiectaret.

205. Et idem etiam habetur ex alia conditione quam in vita actuali exigebamus cum Adamo apud Capreolum in 2. d. 3. quæſt. 2. ad quintam probationem minoris argumenti contra primam concluſionem, annuente eodem Capreolo. Nempe vna viuente eiúſve potentia vitali, ſubiectiuè pendeat, ſiue coniungatur tanquam forma. Siquidem vita actualis eſt aliquid immanens: Nam viuens non viuenti contradiſtinguitur per immanentiam formæ quæ vita dicitur. Immanentia autem neceſſariò includit alterutram illarum coniunctionum, quarum vtraque à Diuino actu prorſus abhorret. Nam neque ſubiectari in alio poteſt, neque habere ad illud rationem formæ, etiam ſecluſa dependentia ſubiectiua; quia in vtraque illa coniunctione tam altè imbibitur potentialitas & imperfectio, vt ſeparari non poſſit.

Poteſt quidem Deus habere rationem ſpeciei impreſſæ determinantis effectiuè potentiam creatam ad expreſſionem alicuius notitiæ. Poteſt item habere rationem termini ſubſtantialis reſpectu naturæ creatæ euehendo illam ad ſummum eſſe perſonale: In his enim duobus nulla eſt repugnantia: quia ad determinationem illam exigitur tantum coniunctio in ratione principij effectiui comprincipiantis eandem actionem, in quam etiam influit potentia creata: Ad terminationem verò ſubſtantialem, ſufficit incompletio naturæ terminandæ, iuncta eius vnione ad diuinum ſuppoſitum extrinſecum, non tanquam ad formam, ſed tanquam ad merum terminum ſubſtantialem.

Vt tamen Deus alio aliquo modo coniungatur cum creatura, fieri non poteſt, vt attigit Capreolus in 3. d. 14. q. 1. ad 1. contra primam concluſionem. Cùm ergo coniunctio actus diuini cum potentia beati per modum attingentiæ obiecti, nec ſit effectiua, nec ſuppoſitalis; liquet eam eſſe impoſſibilem. Præterquam quod non poſſet ea ratione defendi inæqualitas in formali beatitudine, quæ tamen omninò admitti debet: ac proinde alia formalis beatitudo quærenda eſt, etiam pro Intelligentiis.

Hic Dei cum beato nexus, non eſt Ariſtotelicus.

206. Nec Ariſtoteles, pro Intelligentiis innexit huiuſmodi formalem beatitudinem, vt malè ſuprà admiſit;

miſit Gregorius. Multò autem minùs id admiſit Ariſtoteles pro intellectu humano, vt voluerũt Auerroiſtæ quos inter Niphus ad librum 2. Auerrois de beatitudine animæ commento 21. dub. vltimo, idem ſi Deo placet; Catholicis Theologis tribuit, poſt Suggerium quendam quem citat, impugnátque Sanctum Thomam affirmantem noſtram formalem beatitudinem eſſe intellectionem creatam à beato elicitam: Impugnat, inquam, hoc Niphus, quia actus ille intelligendi, neque debet admitti vt medium; alioqui Deus non bearet immediatè per ſeipſum; neque vt repræſentans Deum, quia Deus eſt irrepreſentabilis. Itaque concludit, neque ex parte Dei, neque ex parte noſtra quicquam neceſſarium eſſe, ad nos beandos, præter Deum volentem fungi in aliquo intellectu, munere intellectionis eúmque beare. Idem pluribus confirmat l. 6. de intellectu 26. & ſequentibus vbi argumentatur etiam ex eo quod ſi beatitudo formalis eſſet operatio creata, deberet eſſe propter Deum atque ita non eſſet finis vltimus.

Verùm vniuerſa hæc Niphi diſputatio, in mera vocum æquiuocatione fundatur, eſtque prorſus vitioſa. Actus enim intelligendi non admittitur vt medium quod neque vt repræſentans ad modum ſpeciei impreſſæ, ſiue ea ſpecies dari poſſit reſpectu intellectionis qua Deus clarè videatur ſupernaturaliter, ſiue non poſſit, quod eſt Theologicum problema: ſed admittitur vt repreſentet formaliter, ſitque vitalis expreſſio & poſſeſſio beatitudinis obiectiuæ, integrans cum ea vnum finem totalem; propter quem ita elicitur vt tamen ſit ipſa eius adeptio, atque adeò eſt finis vltimus, formalis non eſt obiectiuus: Quo pacto perſpicuè infringitur poſtremum Niphi argumentum, in quo aliter diſſoluendo fruſtra laborat Gilbertus 1. Ethic. tract. 2. ad argumenta contra 9. Beatitudinem porro obiectiuam ſic repræſentari actu creato, nihil vetat: quia quamuis repreſentatur tota; non tamen exhauritur eius intelligibilitas, quia ſemper repreſentatur finitè & formaliter ex parte actus.

207. Quare ablegenda eſt Auerroiſtica illa Niphi Theologia: qua aſſeritur ſecundùm Theologos Chriſtianos, Deum repreſentari intellectui beati, eo ipſo quod vult ei repreſentari: Nec differre Theologos noſtros ab Auerroe, niſi quia Auerroes ait Deum idem præſtare, non quatenus eſt volens, ſed quatenus repeuit intellectum ſpeculatiuum perfectum, eíque ſe copulando conſtituit intellectum adeptum, vt ſolet loqui Auerroës poſt Iamblicum lib. de myſter. §. 1. Theologos enim Chriſtianos procul à prædicta ſententia abeſſe, liquet ex eo quod Diuum Thomam columen Theologiæ Chriſtianæ, aliter ſentire fatetur ipſe Niphus. Intellectus verò ille Auerroiſticus qui ab hoc Theologis ſuppoſito commento tam parum abeſt, tot monſtrorum ferax eſt, & tam potenter à multis ſuo loco adductis debellatus, vt non ſit cur hoc loco extra locum de illo diſputem. Præſertim cum rectè dixiſſe videatur Scotus, *hanc Auerroïs maledicti phantaſiam, nec ſibi nec aliis intelligibilem eſſe.*

Obiter tantùm addo & concludo non ridiculè minùs quàm nequiret, Auerroiſtas ſupra adductos, tentare huc trahere locum ex c. 7. lib. decimi Ethic. Quod enim eo loco, felicitas contemplatiua dicatur eſſe in homine, quatenus in eo eſt quid diuinum, & non quatenus, homo eſt; eò tantum ſpectat vt intelligamus hanc operationem non prodire, niſi ab intellectu: nec corpus, quod ad hominis conſtitutionem pertinet, ſimul cum anima rationali, influere in huiuſmodi actum ſaltem immediatè ac directè. Præterquam quod ea operatio intellectus Deique ſpeculatio qua beabimur iuxta Ariſtotelem, peculiari iure Deo aſſignari poteſt, quia eius munere obtinget, tametſi verè erit actio animæ humanæ. Id quod disertè agnoſcit Philoſophus verbis illis eiuſdem capitis in fine. *Quod natura vniuſcuiuſque proprium eſt, id præſtantiſſimum, ac iucundiſſimum vnicuique eſt. Ergo & homini vita quæ ex intellectu traducitur. Siquidem maximè id homo eſt.* Quid clarius in rem noſtram.

Eadem formalis beatitudo, non poteſt in illapſu numinis collocari.

208. Alius primæ huius cum ſummo bono coniunctionis modus quem referebam; nempe illapſus, æquè reiiciendus eſt, tanquam impertinens ad rem præſentem, Non enim poteſt hoc loco vox *illapſus* accipi pro indiſtantia & immeatione purè locali, quia certum eſt Deum qui eſt beatitudo noſtra obiectiua, illabi omnibus localiter quamuis non beet omnes, vt notũ eſt. Ergo qui beatitudinem formalem collocant in illapſu Dei in animam beandam neceſſe eſt de alio illapſu agant quam de purà locali, qui in omnimoda indiſtantia & compenetratione conſiſtit. Itaque accipiunt illapſum vel pro vi conſeruatiua ſubſtantiarum: Deo ſoli competente; iuxta explicationem illapſus, quam tradunt Lenſæus lib. 2. de libertate Chriſtian. cap. 7. Vaſq. 1. p. d. 193. num. 3. & Suarez libr. 2. de Ang. cap. 5. num. 14. vel pro vi immediatè docendi intellectum, aut mouendi voluntatem creaturæ intellectu ac voluntate pollentis, iuxta aliam illapſus expoſitionem, quam tradunt Molina 1. p, q. 56. art. 2. & Henriquez lib. 8. ſum. in proœmio n. 3. negantes diuinum illapſum ad omnes creaturas ſaltémque ad omnes ſubſtantias pertinere vt alij ſupponunt.

Alterutro autem illorum modorum explicandum eſt, quod quidem Patres & communiter Theologi in 2. d, 8. affirmant de illapſu, nempe quòd Deo competat iure præcipuo, ita vt ne intelligentiæ quidem, illabi poſſint animæ rationali, vel aliis intelligentiis. Et mihi quidem poſterior ille modus dicendi videtur melior, vt plenius alibi oſtendi, & obiter tetigi in Naturali Theologia d. 2. num. 59. vbi etiam reieci tertium quendam modum explicandi diuinum illapſum quem Gillius l. 2, tract. 9. c. 13. num. 12 inuexit longo diſcurſu, qui eò tandem reuoluitur vt Deus dicatur illabi quia eſt cauſa exemplaris ſimul & efficiens rerum quibus illabi dicitur.

Vt vt ſit, liquet omnes huiuſmodi vires; nempe cauſandi, conſeruandi, docendi, ac mouendi penes quas, iuxta varia placita, illapſus Deo proprius exponitur, eſſe actus quoſdam primos. At non poſſe beatitudinem formalem collocari in tali vllo actu, mox euincemus. Quinetiam licet exponerem diuinum illapſum per actiones viribus prædictis reſpondentes perſpicuum eſſe deberet, beatitudinẽ formalem non poſſe in eis conſtitui. Neque enim beari quis poteſt, quia producitur, aut conſeruatur, aut docetur, mouetúrve, etſi immediatè, Præterquam quòd omnes huiuſmodi operationes, non eſſent ipſius beati, ſed Dei. Sicut autem eſt ipſe beatus qui prehendere & poſſidere debet ſummũ bonum, ita prehenſio eiuſdẽ boni atque poſſeſſio, debet ipſius beati actio eſſe. Poſtremo habet hic locum ratio quam ex Ariſtotele poſteà dabimus, nimirum quod fœlicem eſſe ſit benè viuere: Vita autem dicit immanentiam: Neque enim poteſt quis formaliter viuere in actu ſecundo, per actum aliunde prodeuntem, quàm ab illomet qui viuere dicitur. Itaque valeat illa ab Henrico inuecta formalis beatitudo, conſiſtens in illapſu ac immeatione obiectiuæ beatitudinis in beatum: fixúmque proinde ſit in

in nulla coniunctione per formam ſoli Deo internam, collocari poſſe formalem noſtram beatitudinem.

Neque in vllo ipſius beati actu primo.

290. Iam verò expendendum ſequitur quæ coniunctio per formam ſoli homini internam, poſſit ſtatui formalis noſtra beatitudo. Oportet autem illam eſſe actum aliquem primum vel ſecundum. Atenim in primis non poſſe beatitudinem formalem in actu aliquo primo collocari, perſpicuum eſt. Non enim in actibus illis primis qui cōgeniti ſunt homini, hoc eſt, in eſſentia & potentiis: quia quilibet eſſentiam ſuam ac potentias obtinet, ex quo eſt, & quandiu eſt, quo toto tempore non habet beatitudinem. Imò illi ipſi qui infeliciſſimi ſunt, non deſtituuntur eſſentia ſua atque potentiis: Neque enim infelices eſſent, niſi eorum eſſentia vel potentiæ infelicitatem exciperent, quia malum debet bono aliquo ſuſtentari. Non item poteſt formalis beatitudo collocari in aliquo actu primo aduentitio; puta in vnione phyſica cum Deo, vel in habitibus aut ſpeciebus impreſſis: Nam ea quidem vnio, alia eſſe nequit quàm ſuppoſitalis vt ſuprà dictum eſt. Suppoſitalis autem vnio, eſt impertinens ad rationem poſſeſſionis ſummi boni. Poſſet enim competere etiam dormienti. Imò & lapidi ac bruto, quæ nemo admiſerit beari poſſe, ac Deum poſſidere.

Similis ratio eſt habitibus & ſpeciebus impreſſis: Nam vt argumentatur Ariſtoteles 1. Ethic. cap. 8. *fieri poteſt vt habitus licet adſit nullum tamen bonum efficiat, id quod in dormiente vel alio aliquo manente otioſo homine euenit. Vt operatio autem nihil boni agat, non datur: aget enim neceſſario, & benè etiam aget.* Præfert, vt vides, Philoſophus operationem habitui, quod hic poſſit iners eſſe & abſque operatione, quod in operationem quæ eſt ipſummet exercitium actus primi non poteſt cadere. Accedit quod omnes operationem habitui præferunt tanquam aliquid melius & dignius, quod ſub iſta eleganti ſimilitudine declarat in hunc modum. *Sicut autem in Olympiis non pulcherrimi & robuſtiſſimi coronantur, ſed qui decertant. ex his enim nonnulli vincunt; ſi ex honeſtis probiſque hominibus in vita, illi qui rectè agunt compotes ſiūt:* Vtique beatitudinis de qua eo loco eſt ſermo. Præterea vt argumentatur 10. Ethic. c. 6. habitus manere poſſunt in eo qui maximis calamitatibus opprimeretur, quem tamen nemo fœlicem dixerit. Tandem 1. magnor. moral. c. 4. ex eo probat felicitatem eſſe in actione & vſu actus primi; non autem in actu primo, quod fœlicem eſſe, ſit benè viuere, vt ibidem ait, & tanquam per ſe notum affirmat 2. Phyſic. text. 58. Atqui viuere eſt actus quidam ſecundus. Præterquam quòd felicitas habet rationem finis vltimi ac optimi, vt ibidem dicitur: hoc autem non competit actui primo qui ad actum ſecundùm deſtinatur ſuapte natura, ac proinde felicitas formalis, non in habitu, ſed in actione collocari debet.

Habitum porrò, ſi de intellectiuis agatur, accipio adæquatè prout ex habilitate facilitante & ſpecie impreſſa integratur, iuxta communem modum loquendi de habitu ſcientiæ: paſſim enim ex vtroque illo actu primo coagmentatur, & omnes rationes quæ probant formalem beatitudinem in qualitate facilitante collocari non poſſe, æquè vrgent pro ſpecie impreſſa quacunque. Repudianda igitur eſt, vt falſa, ſententia Speuſippi, Platonis ex ſorore filij, quem Clemens Alexandrinus 2. Strom cap. 11. refert dixiſſe, beatitudinem eſſe perfectum habitum in iis quæ ſunt ſecundùm naturam aut habitum bonorum. Nec abeſt omninò ab hac ſententia, qui mox ibidem adducitur Xenocrates Chalcedonenſis, definiens beatitudinem, propriæ virtutis poſſeſſionem, & eius quæ ei inſeruit facultatis. Quanquam hic ipſe Xenocrates, honeſtas actiones bonis habitibus adiungebat in beatitudinis conſtitutione; vnde ex parte tantum Speuſippi ſententiam hactenus reiectam ſecutus eſt.

Sed neque in actu vllo ſecundo, non rationali

210. Sic reiectis quibuſuis actibus primis, neceſſariò ſequitur formalem beatitudinem in aliquo ipſius beati actu ſecundo conſtituendam eſſe. Ex variis autem actibus ſecundis ab ipſo beato elicibilibus quos ſuprà recenſuimus, dimittendæ in primis ſunt actiones non vitales: Quippe nec hominis propriæ, vt homo eſt, nec pertingentes ad ſummum bonum obiectiuum, cuius poſſeſſione homo eſt beandus. Ex quibus etiam capitibus reiicere poſſumus operationes quaſlibet animæ vegetantis, & ſentientis, tanquam ineptas in quibus ſtatuatur formalis noſtra beatitudo. Diſertéque Ariſtoteles id intulit ex primo capite, ſeu ex eo quod hæ operationes non ſint hominis propriæ vt homo eſt. Ita enim ratiocinatur 1. Ethic. c. 7. ſuppoſito (quod per ſe euidens eſt,) felicitatem, eſſe aliquid perfectum & optimum. *Quemadmodum tibicini & ſtatuario, aliiſque artificibus, & denique omnibus quorum opus aliquod & actio exiſtit in opere bonum ipſum, & id quod benè eſt, videtur conſiſtere; ita homini quoque, ſi modo eius aliquod opus eſt, eſſe videretur. Vtrum igitur fabri & ſutoris opera ſunt aliqua, & actiones; hominis verò opus nullum, ſed natura homo otioſus eſt?* Hoc tanquam manifeſtè abſurdum, tacitè reiicit, & contrarium de more per interrogationem ſtatuit, ſubdens: [An quemadmodum oculi, pedis, manus, & denique vniuſcuiuſque membri, opus quoddam extat: ſic etiam hominis præter omnia hæc, opus quoddam ſtatuere aliquis poſſet? Quidnam igitur hoc erit? Nam viuere commune etiam cum plantis videtur. Nunc verò proprium quoddam eſt; quod quæritur. Vnde nutriendi augendique vita omnis ſeparanda eſt. Sequitur ſentiendi vita; ſed ea quoque cum equo & boue, & omnibus demum animalibus communis videtur. Reliqua eſt igitur actiua quædam vita, eius quod ratione præditum eſt.]

Vides quâ ratione Philoſophus, operationes quaſcunque rationalibus inferiores, deiiciat gradu ordinéque beatitudinis noſtræ formalis. Nimirum quia non ſunt actiones hominis propriæ. Par autem eſt, hominem in ea perfectione quæ illius propria ſit, beatum effici. Expreſſiſſe videtur Philoſophus ratiocinationem Platonis libr. 1. de Repub. *in fine*, quo loco Plato; bonos melius commodiúſque viuere quam improbos, ac proinde beatiores eſſe demonſtrat ex eo quod vniuſcuiuſque rei conſummatio ex propriæ operationis exercitatione ducatur: At probos operari ſecundùm naturam in confeſſo eſt; cùm ſequantur ductum rationis qua homo conſtituitur. Sunt igitur ſoli fœlices, non item qui malè operando, à rationis regula exorbitant. Non diſſimilis eſt, vt vides, Ariſtotelis hoc loco argumentatio: Probat enim operationes rationalibus inferiores, non eſſe formalem noſtram beatitudinem, quia non ſunt operationes hominis propriæ, ac proinde non eſt ab eis expectanda hominis conſummatio atque perfectio. Dilatat etiam & munit hanc Philoſophi ratiocinationem Alexander 4. qq. c. 27. & eodem ſpectant quæ latè diſputat Piccolomineus gr. 9. cap. 5. probans ſolum hominem inter ſubſtantias materiales eſſe felicitatis capacem. Quod etiam pulchrè tradit Dio Chryſoſtomus orat. 23. & Hippodamu

lib. de ſelicitate apud Stobæum ſerm. 103.& ibidem Euriphamus Pythagoricus lib. de vita.

Quæ operatio rationalis ſit beatitudo formalis, variæ ſententiæ.

211. Eò itaque rem deduximus, vt quando omnis alia hominis cum Deo ſummo bono coniunctio, inepta eſt ad rationem formalis beatitudinis, præter coniunctionem per operationes rationales. nempe per ſummi boni intellectionem vel volitionem; neceſſarium ſit in ambabus illis operationibus, vel al terutra earum coniunctionem prædictam, & formalem noſtram beatitudinem ſtatuere. Qua in re ſunt tres celebres ſententiæ. Prima, id tribuit intellectioni;ſecunda,volitioni primariæ, ſeu amori;tertia, vtrique illi actui quam eſſe Ariſtotelis ſententiam cenſuit Maior Matth. 5. ſub initium. His celebrioribus placitis adiunxerunt alij quartum, ſtatuentes formalem beatitudinem noſtram in prædictis actibus, inſupérque in gaudio ſiue delectatione voluntatis de Deo poſſeſſo. Nam etiam nomen ipſum Græcum beatitudinis & beati à gaudendo dictum eſt,vt obſeruat Ariſtoteles quod ex eo docebo n. 26. Nec defuerunt etiam qui quintam ſententiam adderent aſſerentes noſtram formalem beatitudinem in huiuſmodi tantum gaudio conſiſtere, quippè actuum omnium poſtremo & formaliter oppoſito ſummæ miſeriæ ſiue dolori. Ita enim pro hac ſententia argumentatur Ocham in 4.q. *3. ex addititiis.*

Ex eodem fundamento, ſiue ex eo quod beatitudo formalis ſit actus vltimus,addita eſt ab aliis ſexta ſententia, quam refert, & latè refellit Baconus in 1. d. 1. q. 1. art. 2. iuxta quam beatitudo conſiſtit in actu reflexu quo priores illi actus agnoſcuntur; aduertitque beatus ſe per eos Deum tenere; & quidem (vt illius ſententiæ anthores loquuntur clariùs quàm elegantiùs (*imperdibiliter.* Nimirum vt Seneca rectè vidit,& ex Epicuro confirmauit Epiſt. 9. non poteſt cenſeri beatus,qui ſe beatum eſſe non agnoſcit. Verba Senecæ ſunt. *Si cui inquit Epicurus, ſua non videntur ampliſſima, licet totius mundi dominus ſit, tamen miſer eſt. Vel ſi hoc modo tibi melius enunciari videtur: ſed enim agendum vt non verbis ſeruiamus. ſed ſenſibus.) Miſer eſt qui ſe non beatiſſimum iudicat licet imperet mundo. Vt ſcias autem hos ſenſus communes eſſe, natura ſcilicet dictante, apud Poetam Comicum inuenies:*

Non eſt beatus, eſſe ſe qui non putat.

Quid enim refert qualis ſtatus tuus ſit, ſi tibi videtur malus?

Hæc autem agnitio ſuæ felicitatis in actu illo reflexo, & omnium vltimo conſiſtit: proindéque autores prædicti viſi ſibi ſunt non malè philoſophari, collocando in eo rationem formalis beatitudinis. Sed non aduerterunt, ſe obiectum beatitudinis, facere ens creatum: actus enim ille qui iſti reflexo obiicitur, eſt creatura.

Litigant ferè de vocibus, & conciliantur.

212. Itaque poſtremam hanc ſententiam prorſus omittam: eius autem fundamentum poſtea diruam cum fundamento adducto ex Ochamo, qui optimè aduertit hanc quæſtionem licet magni circa eam motus iam enim efferbuerint,ac etiamnum vigeant, *magis tamen eſſe*, vt ipſe loquitur, *vocalem quam realem*; Quod aliter expreſſit Vvendelinus in ſupplemento Gabrielis in 4. d. 49. q. 2. dicens, *hanc quæſtionem non eſſe magnæ importantiæ*, eo quod varietas illa ſententiarum non aliunde exorta ſit, quàm ex multiplici formalis beatitudinis vſurpatione; Quibuſdam eo nomine intelligentibus actum entitatiuè perfectiſſimum; qualem nonnulli volunt eſſe intellectionem: alij volitionem. Quibuſdam verò, nomine formalis beatitudinis, intelligentibus actum vltimum, cui putant aptè tribui rationem *finis quo*, & exſatiationem hominis nihil vltra quæſituri, cùm ad ſuum vltimum actum circa optimum obiectum deuenerit. Denique, quibuſdam prædicto nomine omnia illa complentibus. Vnde ea quam dixi ſententiarum multiplicitas enata eſt. Idem ferè notat Viterb. quodl. 8. libri primi.

Ergo vna optima diſtinctione quam adhibet Durandus in 4. d 49. q. 4. num. 10. viam ſternam ad reſolutionem controuerſiæ, & conciliationem pugnantium ſententiarum. Ait ergo Durandus, beatitudinem formalem, ſiue, vt ipſe loquitur, *beatitudinem formaliter*, poſſe dupliciter accipi: nempe primò prout includit omne illud, quod pertinet ad perfectionem totius hominis; ſiue prout eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus. Et hoc modo pertinent ad formalem beatitudinem,non modò actus prædicti, quibus anima perficitur; ſed etiam omnes eius appendices, hoc eſt, omnia illa quæ exiguntur ad corporis perfectionem Hoc ergo pacto notat Durandus non quæri hîc de beatitudine,quia iã eſſet ſoluta quæſtio. Dicendum quippè eſſet,beatitudinem formalem conſiſtere in aggregato perfectionum omnium corporis & animi. Secundo modo ſumi poteſt beatitudo formalis,quaſi radicaliter & eſſentialiter; hoc eſt, pro actu perfectiſſimo & optimo, quo homo ſummum bonum poſſidet: Ei namque poſſeſſioni iungitur deinde tanquam appendix, reliquarum potentiarum, & totius hominis exſatiatio, & plena quies. Hoc igitur pacto quærimus quis ſit actus ille rationalis in quo locanda eſt noſtra formalis beatitudo.

213. Optimum porrò actum intelligo, non qui ſit entitatiue perfectiſſimus, de quo multi extra rem in hoc negotio rixantur,) ſed qui ſit conſecutio eius boni quod eſt ſummum ac optimum. Cùm enim hic actus idcircò tantùm interueniat, vt per eum tãquam per formam obtineamus ſummum bonum, non aliud poſtulandum eſt in actu de quo quærimr ſitne formalis beatitudo, quàm vt ei competat eſſe aſſecutionem ſummi boni. Quæuis autem alia perfectio ac præcellentia, impertinens eſt ad rem præſentem: quamuis non diffitear huic perfectioni formalis beatitudinis, concomitanter etiam adiungi præcellentiam entitatiam, vt infra manifeſtum fiet. Ex his facile eſt eruere reſolutionem controuerſiæ propoſitæ, ſiue in quonam actuum rationalium,(ad quos tandem deueniendum eſſe vidimus,) conſiſtat noſtra beatitudo formalis,& conciliationem aliquam inter tot pugnantes ſententias inire.

Sola ſummi boni intellectio, eſt formalis beatitudo eſſentialiter, ex Ariſtotele.

Secundò ergo dixi formalem hominis beatitudinem eſſentialiter ſpectatam, conſiſtere in ſola intellectione ſummi boni. Quoad ad hoc adhæreo primæ ſententiæ; eique etiam patrocinatus haud dubiè eſt Ariſtoteles, vt conſtat ex 1. Ethic. à c. 7. ad 12. & ex 10. Ethic. c. 7. quo poſteriore loco breuem præcedentium ſummam faciens, applicat contemplationi nobiliſſimi obiecti, omnes felicitatis conditiones. *Intellectus operatio*, inquit, *tum ſtudio praſtare, cùm contemplatiua ſit. tum appetere præter ſeipſam finem nullum videtur, haberéque voluptatem propriam, quæ operationem ipſam auget, Et ſufficientiam quoque, & otioſitas, & indefatigabilitas, vtpotè humana,* (operatio enim

connaturalis

connaturalis non fatigat) *& quecunque alia beato attribuuntur, ex hac operatione videntur exiſtere Perfecta ſane felicitas hec hominis eſt.* Subdit verò paulò pòſt, luculentum contemplationis encomium, ex principio eius efficiente, quod eſt in nobis optimum, & quodammodo diuinũ. Ex quo infert vitam quæ ex intellectu immortalia contemplante, traducitur, altiorem humana videri, & quodammodo diuinam eſſe; ideóque adnitendum omnino cuiuis eſſe, vt huiuſmodi vitam viuat, extollátq; ſeſe, & æterna ac immortalia cogitãdo, æternum ſe quoque ac immortalem efficiat.

Addit c.8. aliud in rem noſtram argumentum, ductum ex eo quod bruta, quia contemplatione carent, felicitate quoque deſtituantur Item aliud ductum ex felicitate Dei. Eodem enim proportione modo conſtituimur beati, quo Deus ipſe; *cui iuxta Philoſophum, beata vita eſt: hominibus autem eatenus, quatenus ſimilitudo quadam eiuſmodi operationis Deum beantis, in ipſis ineſt.* At Deus, iuxta Ariſtotelem ibidem, ſui contemplatione beatur. Ergo nos quoque Dei contemplatione beandi ſumus. Idipſum etiam illuſtriſſimè proponit 1. Metaph. t. 39. Hanc item eſſe Philoſophi mentem latè tradit Eugubinus lib. 4. peren. Philoſophiæ c. 11. & 12. Cardanus l. 1. de ſapientia, & Flaminius Nobilius l. 3. de felic. cap. 10. Nec refragatur c. 12. adiongit enim de Ariſtotelis ſententia, notitiæ amorem, tanquam notitiæ partum & acceſſionem, non autem vt aliquid formaliter ſpectans ad formalem beatitudinem.

Suffragium Peripateticorum.

214. Magiſtro adhæſerunt Peripatetici, nominatimque Alexander, quem S. Cyrillus 3. in Iulianum ad text. 1. & l. 5. ad text. 2. refert, agnouiſſe beatitudinem hominis, in Dei cognitione & contemplatione conſiſtere, hac eius ratiocinatione adducta. *Homini felicitas eſt, habere ſũmã cõtemplationem Iã digniſſimo virtutum animæ eſt ſecundùm mentem operat o. Contemplatio enim eſt, optimorum qua ſunt vera cognitio. Optima autem inter omnia qua ſunt ſunt diuina. Igitur in diuinorum contemplatione. noſtra felicitas eſt.* Idem communiter Peripatetici ſenſerunt, quos latè enumerat Carthuſian. in 1. d. 1. q. 3. Quod autem Clemens Alexandrinus 2. ſtromat. c. 11. Peripateticis tribuit quod ſenſerint finem hominis, hoc eſt formalem beatitudinem eſſe, viuere ex virtute, intelligendum eſt dè virtute, contemplatiua, ex qua intellectus, obiectum ſuum perfectiſſimum, hoc eſt, Deum contemplatur. Quo eodem modo accipiendi ſunt plerique, qui ex Ariſtotelis ſententia dixerunt beatitudinem eſſe in virtute, vt Lactantius 3. inſtit. c. 7. conformiter ad ipsũ Ariſtotelem qui locis allegatis modum illum loquendi vſurpat, ſed apertè agit de virtute intellectiua; & ita eum intellexit Alexander. 4. qq. c. 25. quanquam ambiguum in hac re fuiſſe Ariſtotelem cenſuit Themeſtius, vt refert Iulianus Imperator epiſtola ad eum.

Quæ hac in parte mens Platonis, ac Stoicorum.

Præiuerat Ariſtoteli & Peripateticis Plato, quem variis locis conſtituiſſe noſtram beatitudinem in aſſimilatione cum Deo, oſtendit Clemens Alexand. 2. ſtromat. c. 9. & 11. Interpretatur tamen eam aſſimilationem Clemens, affectationem Dei; & iuſtitiæ ac ſanctitatis diuinæ expreſſionem. Quod etiam cenſuit D. Augoſtinus 9. ciuit. c. 16. (Perperam enim quod ibi ex Platone refert, Plotino tribuitur in quibuſdam vitiatis Auguſtini codicibus: eſſe autem re vera Platonis ſententiam colligitur ex lib. 8. eiuſdem operis cap. 9. & iis quæ ibi Viues cap. 8. & 9. adducit.) Eodem, ex parte reſpexit Euſebius 15. præparat. c. 2. dicens, Moſem in Dei cogitione, & amicitia, ac pietate, locaſſe felicitatem hominis; idque etiam Platonem approbaſſe. Et in eandem ſententiam Clemens cap. illo 9. & 5. Stromatum c. 6. (vbi Zenonem à Platone id accepiſſe ait, approbante Euſebio 13. præparat. 7.) exponit ſententiam Stoicorum affirmantium hominis finem eſſe viuere conſequenter ad naturam, eique conformari. Id enim de principe natura, cui antonomaſticè id nomen competit; dictum exiſtimat: Quo pacto idem eſt, conformari naturæ & aſſimilari Deo.

215. Et ita ſanè apertè tradunt Stoicorum nobiliſſimi, vt Cleanthes apud Laërtium, & Chryſippus apud eundem in Zenone. Nec obſcurè habetur ex Epicteto apud Arrianum l. 1. c. 6. & ex Philone lib. de plantat. Noë ad illud, *p ſuit in eo hominem*; ac etiam ex Seneca epiſt. 31. verbis illis. *Hoc eſt ſummum bonum, quod ſi o cupas, incipis Deorum eſſe ſocius, non ſupplex* Apage Stoicam arrogantiam, ſi ad verum numen quod vnicum eſt, transferatur oratio; aut aliter quàm proportionem aliquam imperfectiſſimam accipiatur. Sed pergit. *Quomodo inquis iſto peruenitur? Non per Appenninum Graiumve montem, nec per deſerta Candavia Nec Syrtes tibi, nec Scylla aut Charybdis adeunda ſunt: qua tamen omnia tranſiſti pro curae. nnenla pretio. Tutum iter eſt, iucundum eſt, id ad quod natura te inſtruxit. Dedit tibi illa qua ſi non deſerueris, par Deo ſurges: Parem autem Deo pecunia non faciet: Deus nihil habet, Prætexta non faciet: Deus nudus eſt. Fama non faciet, nec oſtentatio tui, & in populos nominis dimiſſa notitia. Nemo nouit Deum: Multi de illo malè exiſtimant, & impunè Non turba ſeruorum lecticam tuam per it nera vrbana ac peregrina portantium. Deus ille maximus potentiſſimúſque, ipſe vehit omnia. Nec forma quidem & vires, beatum te facere poſſunt: nihil horum non patitur vetuſtatem. Quærendum eſt ergo quod non fiat in dies deterius, cui non poſſit obſtari, quo nil melius poſſit optari Quid hoc eſt? animus: ſed hic rectus, bonus, magnus. Quid aliud voces hunc quàm Deum in humano corpore hoſpitantem? Hic animus, tam in equitem Romanum, quam in Libertinum, quàm in ſeruum, poteſt cadere. Quid eſt eques Romanus, aut Libertinus, aut ſeruus? Nomina ex ambitione, aut ex iniuria nata. Subſilire in cœlum ex angulo licet. Exurge modo, & te quoque dignum finge Deo: finges autem, non auro. non argento. Non poteſt ex hac materia, imago Deo exprimi ſimilis. Cogita, illos cum propitij eſſent, fictiles fuiſſe.*

Hinc igitur non obſcurè colligitur, mentem Stoicorum fuiſſe, quam ex Clemente Alexandrino propoſui. Quanquam mox c. 11. idem Clemens, tanquam recentiorum Stoicorum ſententiam profert, hominis finem vltimum eſſe, viuere conformiter conſtitutioni ſiue naturæ ipſius hominis. Et alia prætereà quàm plurimas verborum illorum variè apud varios ſonantium expoſitiones, refert Lipſius 2. manuduct. diſſert. 14. Eadem ſententia, & logicæ, & vniuerſæ Philoſophiæ, adſcribitur apud Iulianum Apoſtatam Orat. 6. cum exponit finem Cynicæ Philoſophiæ, viuere ſecundùm naturam, in eo collocatur, & vita non ex multorũ opinione exigatur, atque adeo non quærãtur externa, ſed noſtri portio melior, optima efficiatur atq; perfecta. Quam eſſe ait, veram beatitudinem, veræ cuiuis Philoſophiæ præfixam; monſtratque &, ſtirpes, & animalia, & Deum ipſum non aliunde rectè & optimè ſe habere, quod eſt ſua quemque modò beatum eſſe, quàm cùm ita ſe habent, quemadmodum ſe habere ex natura ſua debent. Quare nec homini, alia vlla in latebra quærendam eſſe beatitudinem.

Subſcripſiſſe propoſitæ ſententiæ, eſt veriſimillimum

216. Verùm quid ſi eam quam Plato, (annuentibus fortè antiquioribus Stoicis, ac etiam vt ex Stobæo in Eclogis Ethicis c. 3. habetur, præeunte Pythagora,) finem vltimum noſtrum eſſe cenſuit; aſſimilationem cum Deo; interpretemur de ipſa Dei notitia, & contemplatione perfectiſſima, potius quam de voluntatis operationibus morali honeſtate conueſtitis? Variè námque à Platone eam aſſimilationem fuiſſe intellectam, notarunt, & in eum quem dixi ſenſum in hac re expoſuerunt, Foxius lib. 1. compendij Ethici c. 5. *in fine*. Valerius in Moral. c. 2. Conuentius lib. 3. de aſcenſu mentis in Deum cap. 5. Omnes poſt Alcinoum in Epitome c. 20. Vbi in calce capitis, & expreſſius c. 2. tum demum hominem ad Dei ſimilitudinem peruenturum docetur iuxta Platonem, cùm mentem ab aliis auocatam, in intelligibilia contemplatione defixerit. Item Hierocles ad v. 45 Pythagoræ, cui Platonem inſtitiſſe ſæpè monet, ac nominatim in tradenda hominis felicitate; ait hominem in beatitudine Deo fore aſſimilandum *per diſtinctam cauſarum Deo inexiſtentium intelligentiam*. Sed & Iulianus Imperator Platoni addictiſſimus, cum orat. 6. exquireret quid ſit ea Dei ſimilitudo in qua ſcopum Philoſophiæ plerique collocant, reſpondet, *nihil aliud eſſe quàm illam rerum omnium cognitionem aſſequi ad quam hominum natura poteſt pertingere*. Eam autem cognitionẽ maximè, admetiendã eſſe Deo, mox ſubiungit, quod Deus ſui præſertim cognitione ſit beatus. Et in hũc ſẽſum accipit dictum Pythagoræ, Ariſtoteli quoque & omnibus ad Theophraſtum vſque probatum, quod Philoſophia ſit, aſſecutio diuinæ ſimilitudinis quoad licet. Sanè aſſimilatio noeſt propria operationum voluntatis; ſed intellectus, qui & ex natura ſua aſſimilatiuus paſſim dicitur; & principia notitiæ ab obiecto accipit, quibus ſimilitudinem nomen ſæpè datur apud Philoſophos, vt & notitiis ipſis, ſiue expreſſis per eius actionem qualitatibus.

Itaque qui Deum contemplantur non tantum eàtenus imitantur Deum, eíque ſimiles fiant, quòd illi operationi intenti ſunt, quæ Deum ipſum beat: ſed etiam quia in ſeipſis, ſimilitudinem eius exprimunt, & in eum intentionaliter tranſeunt, ac quantum fas eſt aſſimilantur, iuxta illud: *ſimiles ei erimus*, quia videbimus eum ſicuti eſt. Audi & Hermetem c. 10. Pimandri. *Tunc poterimus mentis oculos eleuare, bonumque decorémque incomprehenſibilem proſpicere, cùm nihil de illo prorſus dixerimus, Eius cognitio diuinum ſilentium eſt, & intenta omnium applicatio. Qui id intelligit, nihil poteſt aliud cogitare. Qui id intuetur; nihil præter ipſum aliud intueri. Qui id audit, nihil audire poſt ipſum poteſt, neque corporis etiam ſui membra mouere. Vniuerſis profectò corporis ſenſibus, motibúſque ſolutus, intrepidus agit. Nam qui totum circumluſtrat, vndique mentem totam quoque irradiat, animam abſtrahit totam à corpore, totam in eſſentiam denique Dei transfigurat. Impoſſibile enim ô fili animam hominis in corporis fæce iacentem diuinam aſſumere formam. Neque licet etiam Dei pulchritudinem contueri: niſi quis ante in Deum fuerit reformatus.* En tranſitum, ac transformationem, & transfigurationem hominis in Deum per contemplationem.

217. Et vt non diffitear, Platonem quandoque nomine aſſimilationis cum Deo, intellexiſſe honeſtas operationes, indéque conſequentem hominis cum Deo affinitatem, & in ea ſimilitudine, tanquam a medio & via collocaſſe huius vitæ beatitudinem vt habetur ex Plotino Ennead. 1. lib. 2. cap. 1. & Clemente ac Euſebio ſuprà, & ex ipſo Platone in Theæteto de quo infrà: Tamen veram felicitatem formalem conſtitutam ab eo fuiſſe in Dei cognitione, & quidem ſola; diſertè & claré hunc in modum tradit Alcinous c. illo 2. [Noſtrum quidem bonum, *inquit*, *agens de Platone*, ſi quis diligenter eius ſcripta repetat, ponebat in ſcientia & contemplatione primi boni; quod quidem & Deum & primam mentem, poſſit quis appellare. Omnia enim quæ quacunque ratione ab hominibus numerantur in bonis, ea hoc nomine in illis haberi volebat, quod aliquo modo, ipſo ſummo digniſſimòque bono participent. Quemadmodum dulcia atque calida quadam primorum participatione, eiuſmodi appellationem ſortiuntur. Ex iis verò quæ in nobis ſunt ſolam mentem atque rationem, cum ipſo bono ſimilitudinem quandam retinere: Quamobrem bonum noſtrum pulchrum, auguſtum, diuinum, amabile, commenſuratum, & diuinis aliis nominibus appellatum. Eorum autem quæ vulgò dicuntur bona, cuiuſmodi ſunt ſanitas, pulchritudo robur, diuitiæ, & his ſimilia, nihil eſſe omnino bonum niſi in vſum virtutis inciderit. Separata enim ab hac, materiæ tantum conditionem obtinere: in malum verò cedere abutentibus. Interdum etiam caduca bona nominauit. Felicitatem autem in bonis humanis non cenſebat eſſe; ſed in diuinis atque beatis. *Et mox*: Quare, bonum & pulchrum in ſcientia primi conſiſtere, & honeſtum eſſe, per omnes libros à Platone eſt declaratum.]

Alij Philoſophi, in eandem ſententiam.

In eadem ſententia diſertè eſt Theages Pythagoreus lib. de virtute; ex quo illa verba in fragm. Pythagor. & apud Stob. ſerm. 1. referuntur, *Intellectus in ſummo vertice corporis ſede fixa, pollénſque prælucida ac euidenti inſpectione, indagat rerum in natura exiſtentium cognitionem: hócque eſt ei natura inſitum, vt cum inquiſierit & comparauerit ea, ſequatur quæ ipſa optima & excellentiſſima ſunt. Principium enim & cauſa & regula humanæ beatitudinis, eſt, diuinarum, præſtantiſſimarúmque rerum cognitio.* Annuit Iamblicus l. de myſter. §. 49. addens §. 50. hanc etiam fuiſſe Ægyptiorum ſententiam, & Dei cognitionem fuiſſe ab illis conſtitutam, religioſè & ſacræ eleuationis, finem. Eidem noſtræ ſententiæ ſubſcribit Porphyrius lib. de occaſionibus, & optimè 1. de abſtin. *ſub medium*, vbi pro perfectione & vltimo fine noſtro ſtatuit coniunctionem contemplantis cum contemplando, & coaleſcentem inde inter vtrumque cognationem. Contemplandũ intellige, ipſum numen, & quod verè exiſtit, vt ibidẽ mox ſubditur, vbi etiam, *bonorum omnium officina* nominatur, additurque, notitias aliorum obiectorum, velut medicamentum purificans, & ad plenam hominis ſanitatem diſponens adhiberi, nequaquam tamen perficere beatitudinem noſtram. Alios præthereà antiquos Philoſophos in eam ſententiam quam aſtruimus laudat Eugubinus lib. 10. peren. Philoſoph. cap. 9. 10. 11. Imo fuiſſe ſententiam omnium Philoſophorum dixit Auerroës lib. 1. de beatitudine animæ.

Firmamenta rationum.

218. Authoritati ſuffragatur ratio. Quam plurimas conſtipat S. Thomas 3. contra gent. c. 25. & 37. & facilè occurrunt permultæ. Nam ſola hæc operatio de qua agimus, eſt hominis vt ſic, maximè propria; & in ea nullum aliud inferius ens communicat: ſola item non ordinatur aliò, ſed propter ſeipſam

quæritur:

quæritur : eſt quoque ſumma noſtri, cum Deo aſſimulatio ac coniunctio : & denique ad eam omnia liaa meritò referuntur. Sed his rationibus tantùm obiter tactis, placet inſiſtere alij, quam optimè attigit D, Thomas 3. illo lib. contra gent. c. 26. ratione 9. & ad idem caput Ferrar. ac etiam Durandus in 4. d. 49. q. 4. n. 16. Poteſt autem in hunc modum formari Beatitudo formalis eſt adeptio beatitudinis obiectiuæ. Atqui ſola ſummi boni intellectio eſt talis adeptio Ergo ſola illa intellectio, eſt beatitudo formalis.

Sola minor eget probatione, vel potius declaratione, quæ ex eo facilè ducitur, quòd intellectio ex genere ſuo eſt tentio & apprehenſio quædam rei intellectæ : Per hoc enim differunt intellectus & voluntas, quòd hæc pellicitur & trahitur ab obiecto : Ille verò tanquam manus animæ, per actionem ſuam, (quæ idcirco etiam dicitur apprehenſio,) trahit ad ſe obiectũ, illudq; ſibi ſiſtit, & præſens facit, quod actus volũtatis non habent. Nam ex triplici actu voluntatis circa bonum, nempe amore, deſiderio, gandio, nullus eſt qui ſit poſſeſſio & tẽtio boni. Quod patet de deſiderio: Eſt enim boni nondum obtenti. Itémque de gaudio : eſt enim boni iam poſſeſſi & præhabiti: ſicut etiã in miſeris, dolor non eſt mali poſſeſſio, ſed eius veluti frutex, & aliquid ad eam conſequens. Amor autem etiam ille qui rem præſentem attingit, quantum eſt ex ſe, & prout eſt amor, abſtrahit ab obiecti præſentia vel abſentia, vt rectè notauit Durandus ſuprà : ac proinde nòn eſt poſſeſſio boni amati. Interdum verò amor ſubſequitur ad poſſeſſionem boni iam factam per operationem anteriorem, quæ non poteſt eſſe alia quàm intellectio Itaque ſola ſummi boni intellectio eſt eius poſſeſſio ac conſecutio, ac proinde etiam noſtra beatitudo formalis vt affirmabam.

Dei per hominem poſſeßio, qualis & quanta.

219 Porrò poſſeſſionem hic intelligerè oportet, non qua res poſſeſſa ſubiicitur poſſidentis dominio; id enim impoſſibile eſt in re præſenti: ſed qua omnes rei poſſeſſæ fructus, & inde obuenire apta commoda, percipiuntur. Quod rectè attigit Philo lib. de plantat. Noe verbis illis : *Sunt quidam pietatis ſimulatores, qui hec dictu quàm factu procliuiora calumniantur, negantes vel pium vel tutum dicere Deum hereditatem hominis, quibus libenter dicerem, Non miror eum non germano affectu, ſed ſuppoſititio adulterinóque ad eas res contemplandas veniatis. Nihil enim intereſſe putatis inter poſſeſſiones vinetorum, olinetorum, ſimiliúmque. & Deum, qui ſapientum dicitur hereditas: Nec reputatis quod & pictori ars pingendi, & ſua cuique artifici ars, hereditas ſeór ſue cenſetur; non vt terrena poſſeſſio, ſed vt Olympicum premium, Nam huiuſmodi res, quamuis non ſint Domini, proſunt tamen habentibus. Ergo & eum qui eſt, ſortem non vulgaribus iſtis ſimilem, intelligite ſycophanta, ſed maximum autorem bonorum, cultoribus ſuis vtiliſſimum.*

Huiuſmodi ergo poſſeſſionem Dei contendo homini obtingere per intellectionem & contemplationem. Non tamen affirmo intellectionem eſſe poſſeſſionem reſpectu cuiuſuis obiecti, Non enim ſi pecunias, aut agrum alienum, vel cibos intelligo, confeſtim tranſit ad me eorum poſſeſſio. Tantum ergo aſſero intellectionem ex genere ſuo eſſe poſſeſſionem, ac proinde, per eam, cùm id fert natura obiecti poſſidendi, iniri illius poſſeſſionem ; quod nunquam fit per actum voluntatis, qui nunquam formaliter confert præſentiam obiectiuam. atque adeo neque poſſeſſionem. Tunc autem obiectum cenſeri debet prehendi ac poſſideri per ſolam intellectionem, cùm tale eſt, vt interuentu intellectionis colligere liceat omnes fructus, quos ex eo licet percipere : ſunt enim pro obiectorum varietate, varij modi potiendi facultate colligendi fructus prædictos ac proinde etiam poſſidendi. Aliqua ſi quidem obiecta talia ſunt, vt eorum fructus non colligantur niſi interueniente inhæſione phyſica: quo pacto poſſidemus ſcientias & virtutes. Alia verò exigunt phyſicam & materialem tentionem, vt pecuniæ ? Vel tentionem ciuilem, vt iura quædam. Denique nonnulla talia ſunt vt omnium ex ipſis perceptibiliũ fructuum colligẽdorum facultatem præbere, atque adeo etiam poſſideri cenſeantur, cùm obiiciuntur. Quo pacto concentus muſicus non aliter poſſidetur, quàm cum hauritur per auditum cui obiicitur. Et idem eſt de quauis re ſpirituali quæ à nobis ſuppoſito diſtinguitur. Vnde quia Deus eſt huiuſmodi, concludendum eſt poſſeſſionem eius non aliter iniri, quàm eum intelligendo tanquam præſentem ; ſeu attingendo eum mentaliter, prout hic & nunc exiſtentem. Ergo cùm noſtra formalis beatitudo, vt ſæpè inculcatum eſt, conſiſtat in poſſeſſione ſummi boni ; fatendum eſt rationem formalis beatitudinis quaſi eſſentialiter ſpectatæ, in ſolam ſummi boni intellectionem cadere.

220. Fœlix ſanè poſſeſſio, & cum qua nullam, quãtumuis amplam & pinguem, terrenam poſſeſſionem cõponere liceat. *Eá nunc*, inquit ſupra Philo, *& glorientur qui condiderunt regna imperiáque maxima Alij quia ciuitatem, aut regionem, aut gentem vnam ſubiugauerunt: Alij quia tractus omnes terræ ad vſque eius terminos : Græcas barbaráſque gentes, flumina omnia, maríáque, quàm multa quàm magna ſunt in poteſtatem ſuam redegerunt. Etiamſi prater iſta ſublimem illam naturam, (quod vel dictu nefas eſt) quam ſolam ſeruituti non obnoxiam opifex condidit, ſibi ſubiecissent Tamen è plebeiorum numero cenſendi eſſent collati cum magnis Regibus. quorum hereditas Deus eſt Quanto enim poſſeſſor poſſeſſa re habetur potior, & opifex opere ſuo, tanto magis illi accedunt ad maieſtatem regiam* S. Auguſtinus in Pſal. 32. tractans illud, *beata gens cuius eſt Dominus Deus eorum*, ſolita ſubtilitate & pietate, ſuſpicit hanc Dei omnia iure ſupremo poſſidentis, poſſeſſionem per hominem, ſummámque facilitatem qua tantum bonum cuius poteſt obtingere, cùm poſſeſſio bonorum deſpicatiſſimorum, tam carò væneat. Recolit hunc locum & ineſtimabiles diuitias huius poſſeſſionis quæ Deus ipſe eſt, aperit in Pſal. 36. ad illud, *& paſceris in diuitiis eius.*

Expendit item hoc ſuis momentis, imitatus Philonem, (vt ſæpè alias) S. Ambroſius epiſt. 82. *ſub finem.* & ſerm. 8. in Pſal. 118. Et certè ſiue rem poſſeſſam, ſiue poſſidendi modum attendimus, ceſſat omnis analogia. Quantum enim eſt agros, prata, armenta, poſſidere, ſi cum poſſeſſione conferantur ipſius Dei, *quo*, inquit ſerm. illo 8. S. Ambroſius, *nihil poteſt eſſe pretioſius ; Quid enim pretioſius Deo ?* Quare vt paulò antè præmiſerat, poſſeſſores Dei *ſunt multò ditiores quàm qui poſſeſſionum ſuarum ſpatia ampla diffundunt. Quantumlibet fines ſuos extendant & terra deficit, & mare includit inſanas cupiditates, & pendunt tributa maiora quàm fructus ſunt. At verò iſte, cuius ſupra terram eſt portio, non eum deficit, non mari clauditur. Cui portio Deus eſt, totius poſſeſſor eſt naturæ.* Poſſidendi porrò modus is eſt, qui non fortunæ vlliſve caſibus ludibrium debeat. Hæc enim portio, vt idem verè Ambroſius Pater mox ſubdit, *non ariditate ſiccatur, non imbre diluitur, non frigore vritur, non tempeſtate quaſſatur.*

Ex hac Dei poſſeſſione, omnes beati perfectiones oriuntur.

221. Verùm his dimiſſis quæ paſſim obuia ſunt, & ad poſſeſſionem potius obiectiuè ſumptam pertinent, quàm ad formalem, de qua agimus; (quamuis & ad hanc quoque,) præſtat inſpicere quomodo ex hac Dei per hominem poſſeſſione, tanquam ex radice, omnes beati perfectiones exoriantur, & quomodò afficiatur eam ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus, quod eſt de ratione beatitudinis illius eſſentialis quam nunc venamur. Hoc autem non difficile aſſequemur, ſi aduertamus, quaſlibet hominis perfectiones, vel animam intellectu ac voluntate inſtructam, vel ad corpus pertinere, reductis ad alterutram ex his claſſibus bonis illis, quæ externa vocantur, nec reuera habent rationem boni, niſi quia, aut animæ aut corpori commodant.

In intellectu, lux ſumma.

Animam ergo Dei contemplatio, in primis quoad intellectum ſummoperè perficit. Quid enim vt Cyrillus rectè dixit 5. in Iulian. ad tex. 2. *Quid, inquam, huiuſmodi cognitione ſplendidius?* aut quæ non corporis cæcitas hac interni oculi cæcitate tolerabilior? vt ibid, ait S. Cyrillus. Merito quoque idem infrà ad poſtremum Iuliani textum, ſcientias quaſuis alias atque notitias, vocat paruas artes, & nullius pretij eſſe ducit, ſi cum hac cognitione conferantur. Huc ſpectant quæ de ſcientia primi & optimi ex Platone tradit Alcinous c. 20. aduertens, eum per omnes libros tradere, bonum & pulchrum in ſcientia primi conſiſtere, eiúſque ſcientiæ nobilitatem & eminentiam luculenter exponit.

Optime item Seneca, præſentem intellectus noſtri ſtatum, cum futuro componens epiſt. 79. *Quid oculis*, inquit, *glorietur qui ſuſpiciuntur diem, quibus ſol per caliginem ſplendet? licet contentus interim ſit effugiſſe tenebras, a lhuc fruitur bono lucis. Tunc animus noſter habebit quod gratuletur ſibi, cùm emiſſus his tenebris, in quibus volutatur, non tenui viſu clara proſpexerit, ſed totum diem admiſerit, & redditus cælo ſuo fuerit, cùm receperit locum, quem occupauit ſorte naſcendi Surſum vocant illum initia ſua.*

212. Egregiè etiam Maximus Tyrius diſſert. 28: n. 168. verbis illis. *Hic dum verſatur anima, obſcuritate plurima perfuſa eſt, & caligine, & quod temulenti ſolent, capitis vertigine laborat. Inter hæc non ſecus quã immodica vini ingurgitatione exæſtuans, non longè abeſt ab inſania, niſi quod interdum ſe colligit, vt neque planè vacillet, neque omnino ſyncera vtatur ratione; ſed in ignorationis rationiſque ſedeat confinio. Poſtquam verò hinc illuc tanquam è Cimmeriorum terra ſe ſubduxerit, claróque frui cœperit æthere, nec amplius cum corpore morbiſve, aut vllis luctatur calamitatibus; tum demum veritatem ipſam perſpicit, puráque ratione aſſequitur. Tum in Deorum, Deárumque recepta conſortium, ſupra ſummos cæli cum iis vagatur fornices diuinaque aciei aſcribitur, cui Imperator præeſt, ac Dux Iupiter. Tunc integra vtitur memoria, nunc tantum reminiſcitur. Tunc confidit ſibi: nunc errat tantum.* Abrado fuliginem Platonici erroris, quo aſtruitur animæ vita ante corporis informationem, & reminiſcentia; cuius loco poſitam velim prægustationem cœleſtium bonorum hìc præmittendam.

Inſigniter denique de hac animæ deputatione in altera vita Plato 10. de Repub. mandans in hunc modum *Oportet animaduertere quæ attingit animus, & quibuſcum conſuetudinem inire affectat & nititur, vtpotè qui cognatus ſit Diuino, immortali, & ſempiterno Qualiſque præterea futurus eſt, ſi quando eiuſmodi totus naturam ſequatur, per hunc affectum nixúmque, eductus ex pelago quo ad præſens mergitur, nudúſque emergens excuſſo ſabulo & oſtreis, quæ ei nunc tanquam ex terra nutrito, terrena, lapidoſa, & agreſtia plurima inhæreſcunt. Propter eam vtique alimoniam, quam plerique beatam exiſtimant. Tunc demum veram naturam ipſius animi contemplabimur.*

Ac æſtus amoris in voluntate.

223. Ex hac intellectus luce, exiſtit in voluntate calor, vel potius æſtus amoris, vt Plato in Philebo docet, & luculenter omnino. S. Ambroſius lib. de Iſaac & anima c. 8. *ſub finem*: Nec ratio obſcura eſt. Nam voluntas eſt pondus in bonum, ita vt in malum nunquam niſi ſpecie boni obductum ferri queat, nec bonum ſi reuera plenum ſit, & nulla ex parte malo admixtum, auerſari poſſit. Itaque ſi ſummum bonum perſpiciat, ruat in illud quanto poteſt niſu neceſſe eſt, nullo occurrente quod affectum remoretur, vel naturalem impetum in bonum imminuat. In cæteris namque bonis, vt multorum quibus ſemper ſcatent, incommodorum mixtura deeſſet, occurrit tamen ſemper eorum potentialitas, ac finitus perfectionis modulus qui vt voluntatem inefcat & illicit, qua parte perfectionem continet, ita quatenus ea perfectio obiicitur imminuta ac non plena, non plenè voluntatem ad ſe rapit, nec famem eius ita proritat, quin poſſit ipſa frænare ſeſe, & cohibere ab appetitione. Contra vero euenit, cùm boni plenitudo menti obſeruatur, tametſi finito modo ex parte notitiæ; qualem ſemper eſſe modum cognoſcendi creaturarum ob earum potentialitatem ac finitatem neceſſe eſt. Merum quippè & purum putum bonum, nullo admixtum malo occurrit, ac etiam plenum & nulla ex parte deficiens. Vnde præcipitare in illud voluntatem neceſſe eſt, & quàm arctè poſſit, illud ſtringere pro perfectione notitiæ:

Adſcribo inſigniter Philoſophatum in hanc ſententiam Plotinum enneade 6. lib. 7. cap. 32. *Res illa deſiderabilis cuius neque figuram, neque formam accipere vllam potes, ſummopere deſideranda eſt & amanda, immenſúſque illius eſt amor. Neque enim hic finitus eſt amor, quando neque amatum quidem ipſum eſt finitum: ſed amor huius eſt infinitus Quapropter & pulchritudo eius alia ratione ſe habet. Eſt enim ipſa ſuper pulchritudinem pulchritudo Cùm enim nullum ſit entium, quonã pacto poteſt eſſe aliqua pulchritudo. Cùm verò amabile ſit nimirum eſt pulchritudinis autor. Eſt itaque pulchritudinis vniuerſa poteſtas, ac flos ipſe, pulchram efficiens pulchritudinem: Eam namque generat, & genitam, ſua pulchritudinis abundantia efficit pulchriorem.*

Et mox cap. 33. & 34. amoris huius perfectionem & tantæ quantam in eo detegit, perfectionis, veram radicem, multis Platonicis myſteriis intermiſtis, egregiè aperit; libabo aliqua. [Quod primò eſt amabile, primúmque exiſtit, omnem prorſus ſpeciem ſupereminet, pulchríque intelligibilis illic pulchritudo decórque extat ipſa boni natura. Teſtantur hoc amantium paſſiones. Quãdiu enim circa figuram oculis manifeſtam duntaxat quis intuendo verſatur, nondum amore corripitur: ſed quum primùm animus ab illa ſe reuocans, figuram in ſeipſo concipit non vltra viſibilem, neque diuiduam, amor protinus oritur. Amatum tamen adhuc intueri deſiderat, vt quod in amante areſcit, amati iugiter irrigetur aſpectu. Sin autem animaduertat tranſcendendum eſſe ad aliquid à forma remotius, illud manifeſtius exoptabit. Etenim quod ab initio paſſus eſt, id certè eſt quidam ex tenui quodam lumine incitatus ingentis

luminis

luminis amor, forma namque, rei cuiuſdam (vt ita loquar) informis, veſtigium eſt; quæ quidem gignit formam, interim ipſa non forma. Gignit inquam formam, quando materia iam propinquat. Materia verò ſuapte natura neceſſariò remotiſſima eſt: quippe cùm ne poſtremarum quidem formarum vllam ex ſeipſa poſſideat. Quamobrem ſi amabile nobis eſt, non quidem materia, ſed quod ſpecie formatum eſt: ſpecies autem in materia fit ab anima; anima verò magis ſpecies eſt, magiſque amanda: item intellectus magis eſt quàm anima ſpecies, magiſque amabilis: procul dubio, primam iam pulchri naturam oportet ſuper omnes formæ limites conſtituere.] Ac proinde fateri neceſſe eſt eam eſſe ſupra omnem modum & modulum amandam, & toto voluntatis impetu ſtrigendam.

Sed quod illatio ſequentis capitis initium faciens, id apertiſſimè ferat, & ante dicta egregiè illuſtret, placet eam quoque adſcribere. *Quam ita ſe res habeat*, inquit, *bona quaquam admiraturi ſumus alteriùs, quod ac rimos amoris ſtimulos incitat, procul ab omni forma etiam intelligibili eſſe ſemotum. Quandoquidem & anima cùm ardenti illius flagrat amore, quam amore, quamcunque formam habet in ſe, deponit; etiam ſi qua intelligibilis ipſius in ea ſit forma. Fieri namque non poteſt, vt qui aliud quoduis habet, vel circa aliud agit, aut videat illud, aut congruat cum illo, atque copuletur: Sed oportet neque mali, neque boni, aliud quicquam in promptu habere, vt quandoque capias ſola ſolum. Poſtquam verò id a ima feliciter conſecuta fuerit, idque ad eam acceſſerit, imò verò iam præſens nuper illuxerit, quando videlicet illa ſeipſam à cæteris præparans ſeipſam interea vt pulcherrima fiat, ſimiliſque euadat, apparatus autem eius atque ornatus, illis qui ſeritè præparant duntaxat eſt cognitus: Poſtquam, inquam ita ſe animus comparauerit, cernet in ſe Deum ipſum ſubitò coruſcantem: nihil enim interuenit medium. Neque ibi duo quadam diſcernentur vlteriùs, ſed ambo iam vnum: neque enim quandiu adeſt, diſcernere licet. Id autem apud nos imitari ſolent amantes, & amati, mutuè redamantes qui conflari nituntur in vnum.*

Inſupérque impeccabilitas.

224. Inde ea inſuper ſanè maxima & omnino expetenda voluntatis perfectio exiſtit, vt tanto ſummi boni affectu præoccupata, nihil contra rationem & primariam illam honeſti regulam, quàm contemplatur, poſſit expetere iuxta illud. *Qui peccat non vidit eum, & non nouit eum:* ſi enim nouit, diligat neceſſe eſt, vt iam probauimus. at cum eo amore quem plenum & ex toto voluntatis niſu extorquet, tam cumulatum bonum; cohærere non poteſt proſecutio & amor eorum quæ à pleni illius boni amore auertunt, eúmque peſſundant. Eo autem minus timenda eſt ea exorbitatio, quod bona alia quæcunque in ſumma illa luce obuerſantur animo qualia reuera ſunt, hoc eſt, minuta & exilia, verèque ſtillæ ad Oceanum, vt proinde conſtante mentis ſanitate, omne ad ea malè deflectendi periculum, abiecto ſummo bono, intercludatur. Et ſanè frequenter Seneca ac Epictetus potentiſſimum peccati cuiuſuis amuletum proponunt non oſcitantem Dei contuitum.

Luculentiùs etiam Clemens Alexandrinus 7. ſtrom. cap. 4. *Si alienius* inquit, *boni viri præſentia, propter obſeruantiam & reuerentiam eius quod eſt præſtantius, eũ qui conuerſatur ſemper format, & effingit: quemadmodũ ſe qui cum Deo ſemper eſt præſens per cognitionem, & vitam, & gratiarum actionem, non iure ſe melior ſemper euadat in omnibus factis, & verbis, & affectionibus? Talis eſt is cui eſt perfuſum. Deum vbique adeſſe, non autem arbitratur eum certis ac definitis locis eſſe concluſum: vt cùm ſe abſque eo eſſe aliquando exiſtimauerit, noctu & interdiu intemperantiæ ſedebat, & libidini. Per totam ergo vitam diem feſtum agentes, vbique & omni ex parte Deum adeſſe perſuaſi, laudantes nauigamus: & in omni alio vitæ inſtituto vt decet ex arte verſamur.* Hæc ſi de Dei cognitione tenebroſiſſima, qualem corporis huius oſtreo circundati aſſequi poſſumus, rectè ſcripta ſunt, quantò magis de perfectiore numinis contuitu valere exiſtimanda.

Item voluptas defæcatiſsima & ſumma.

225. Alium, & quidem maximè connaturalem, amoris in tantum bonum impenſi fœtum, gaudium dico ac voluptatem, exaggerat ſæpè Ariſtoteles, contestatus in primis nullam eſſe eius voluptatis, quæ ex diuinorum conſideratione etiam tenui ac modica hauritur, comparationem, cum ea quæ ex omnibus creatis obiectis, ſi vel omnia ſimul tenerentur, decerpi poteſt. Ita enim disertè habet 1. de partibus c. 5. Inculcat etiam ſummam contemplationis diuinorum delectabilitatem 10. Ethic. c. 7. vbi eam, oblectamentis ex quauis aliarum virtutum exercitatione perceptis, anteponit. Et illuſtriſſimè 12. metaphyſ. tex. 39. vbi Flaminius hanc contemplationis noſtræ dulcedinem, ſplendidè exponit. alibi præterea non ſemel, ſimilia apud Ariſtotelem iterantur: quod ita compertum fuit Platonicis quibuſdam, vt dicere non ſint veriti, Ariſtotelem tantopere contemplationis delicias exaggerantem, eiúſque voluptatem ad cœlum ſemper tollentem, plus Epicuro voluptatem ſummum bonum eſſe affirmanti ſuffragatum eſſe, quàm vel Ariſtippus, vel alius quiſpiam eiuſdem furfuris. Ita ſanè Ariſtotele pronunciat Bernardinus Donatus, Platonis quàm Ariſtotelis ſtudioſior; lib. de differentia Philoſophiæ Platonis & Ariſtotelis c. 11.

Vt neſciam quid in mentem venerit quibuſdam apud Caietanum 1. p. q. 26. art. 4. vt negarent, felicitatem contemplatiuam, adiunctas habere delectationes. Certè operationem optimam (quod eſt eiuſdem Caietani argumentum, ac etiam Ferrarienſis 2. contr. gent. c. 5.) coniungentem obiecto naturaliſſimo, non poteſt non ſequi delectatio, vt patet ex definitione delectationis, quæ à Philoſopho aſſignatur 2. Rhetor. Nec iuuat aduerſarios argumentum, quod petunt ex Ariſtot. 3. de anima, affirmante intellectum ſpeculatiuum, nullam fugam vel proſecutionem indicere: id enim valet duntaxat de proſecutione alicuius operis à quo procul abeſt, qui tantum ſpeculatur: non valet autem de gaudio naturaliter reſultante ex dilectione boni per functionem contemplatiuam percepti.

226. De huius delectationis fonte in beatis, hoc eſt, de amore & recto de veris bonis iudicio, luculenter omnino Plotinus enneade 6. l. 7. c. 34. & 35. vbi etiam de inſania & beata ebrietate animæ cœleſti nectare exſaturatæ, Deum clarè conſpectum diligentis. Sed inſigniter enneade 1. l. 6. c. 7. vbi præfatus quæ exigatur denudatio, vt perueniatur ad inſpiciendum, IPSVM SOLVM, PVRVM, & SIMPLEX, à quo cuncta dependent; ſubdit. *Id igitur quiſquis videt, quantò, proh Iupiter, ardet amore, & quanto deſiderio flagrat, in vnum congredi vehementer affectans: quàm mirabiliter voluptatem cum ſtupore commiſcet! Sic profectò natura comparatum eſt, vt qui nondum videt, ipſum appetat tanquam bonum Qui verò iam videt, oblectetur velut pulchro, admiratióneque cum voluptate pariter impleatur: ſalutari*

quodam ſtupore pulſetur: vero ſumméque afficiatur amore, acres affectus, aliósque amores irrideat: quæ prius habebantur pulcra, contemnat. Quod quidem ferme his quoque contingit, qui cùm oculis habuerint Deorum, vel dæmonum formas, cæterorum deinde corporum formas nihil pendant. Quidnam igitur acturum putamus eum, qui pulchrum ipſum fuerit contemplatus? Ipſum, inquam, in ſeipſo purum: neque carnibus neque a corpore prægrauatum: neque terra, neque cœlo comprehenſum: vt videlicet exiſtat purum. Etenim aduentitia ſunt hæc omnia atque mista, ideóque nec prima, ſed ab ipſo prodeunt. Si quis ergo illud quod præbet quidem omnibus munera, manétque interim in ſeipſo dum tradit, nec quicquam ab alio recipit, quandoque intueatur in eius intuitu permanens, adeóque fruatur vt ſimilis ipſi fiat, quénam pulchro vlterius indigebit?

Subdit hanc clauſulam Chriſtiano quàm Ethnico digniorem, quæ vtinam ab omnibus vt par eſt perſuaderetur: nec vſquam excideret recordatione. [Vbi profectò maximum extremúmque animabus propoſitum eſt certamen cuius gratia prorſus elaborandum, ne forte relinquamur optimæ contemplationis expertes, quam quiſquis aſſequitur, euadit felici viſione beatus: contra verò qui non conſequitur, eſt infelix. Non enim miſer eſt qui colores pulchros & formoſa corpora non conſequitur, neque qui a principatu & potentia regnóque excedit: ſed qui huius ſolius caret poſſeſſione, pro qua certè ſola, regna, imperiáque terræ totius, & maris atque cœli oportet abiicere, ſi relictis his omnibus atque ſpretis, ad ipſum quis conuerſus intueatur.] Satis de hoc gaudio, cuius acceſſum permagni referre ad beatitudinem perfectam, videtur ex ipſo nomine intelligi. Nam vt notauit Ariſtoteles 7. Ethic. cap. 11. beatus à Græcis μακάριος dictus eſt à verbo χαίρειν quod eſt gaudere. Vt dictus ſit μακάριος quaſi, μάλα χαίρων ἀπὸ τὸ χαίρειν, addita particula μα, quæ auget & affirmat magis.

Omnes denique totius hominis perfectiones.

227. Reliquas perfectiones, homini ad cumulatam & vndecumque perfectam beatitudinem neceſſarias, ex Dei contemplatione exiſtere, agnoſcit Ariſtoteles 10. Eth. c. 7. docens in hac maximè eſſe ſufficientiam beati, quòd diuinorum contemplationi addictus, minimum indigeat, & iis præoccupatus bonis quæ animi partem optimam implent, non vrgeatur ſollicitudine minutorum huiuſmodi bonorum, nec angatur eorum defectu. Addit eſſe quoque in hac contemplatione, beatum illud otium, quod quærunt qui negotioſiſſimi ſunt; & pacem, quam per cædes & bella quærunt qui bella gerunt. Nemo enim niſi belluinus, ſanginem fundere aggrederetur ſola cæde delectatus, ac non impulſus deſiderio pacis, vt ait ibid. Ariſtoteles & pulcherrimè Aug. 19. ciuit. c. 12. At pacem illam & veluti animæ fluſtrum, confert contemplatio diuinorum, auellens contemplationem ab iis inferioribus, quæ motui ſemper, & variationi patent.

Tandem & corporis bonorum & externorum nullum defore homini diuinis contemplandis addicto, ex eo confirmat Philoſophus 10. illo Ethic. c. 8. quòd qui ex intellectu operatur, éſtque diuinorum contemplationi intentus, Deo eſt chariſſimus; conueniátque conſequenter ad illam diuinorum contemplationem, cui vitam etiam conformat; rependi homini à Deo cumulum illorum omnium bonorum, quorum defectu oblæſa & manca eſſet beatitudo, ita vt verè dici non poſſet ſtatus bonorum omnium aggregatione perfectus. Quòd intelligendum eſt conſentaneè ad ſtatum hominis, nempe vt ſi de altera vita & eius beatitudine agatur, abſolutè id valeat: ſi autem de præſenti vita ſit ſermo, tum demum prouideantur homini huiuſmodi bona, cùm id eius magis intererit, iuxta regulas diuinæ ſapientiæ ac prouidentiæ. Saltem autem prouideatur illi præparatio animi ad excipienda æquanimiter quæcunque aduenientia. Vnde ita miteſcit ſenſus incommodorum, vt beatitudinem ſtatui ac conditioni proportionatam, non temeret.

Non patior locum ipſum Philoſopho planè dignum hîc deſiderari, præſertim cùm expreſſam diuinæ prouidentiæ aſſertionem contineat; cui refragatum Ariſtotelem multi alibi reiecti comminiſcuntur: nominatímque Nemeſius lib. de hom. cap. vltimo, nullum ſignans certum locum, Philoſopho impingit inficiationem prouidentiæ ad ſingularia extenſæ in Ethicorum libris traditam; quod hic locus conuincit calumniæ. Ita ergo loquitur, agens de ſapiente, ſiue contemplante diuina, & quærens vnde illi externa, & corporis bona ſint ſuppetitura. [Qui ex intellectu operatur, háncque excolit; atque optimè afficit, is eſſe Deo chariſſimus videtur. Nam ſi aliquam humanarum rerum curam dij habent, (ſicut videtur:) conſentaneum eſt ipſos, re illa quæ optima eſt, atque ipſis maximè cognata, delectari, qui eſt intellectus: eóſque qui eam maximè amant & honorant, remunerari; vt pote qui eorum quæ ipſis ſunt amica, curam habeant, rectéque & honeſtè agant. Hæc autem omnia ſapienti maximè ineſſe, obſcurum non eſt. Is igitur eſt Deo chariſſimus: eundémque etiam eſſe feliciſſimum, veriſimile eſt. Quare ita quoque efficitur, vt ſapiens maximè fœlix ſit.

Stimuli ad capeſſendam tam beatam poſſeſſionem, & pro ea gratulatio.

228. Poſſumus igitur iiſdem quibus ſanctus Cyrillus 6. in Iulian. ad textum. 2. verbis concludere. *Dei contemplatio, poſſeſſio eſt ſaluaris; & omnis boni, radix nobis & generatio.* Et cum Iamblico lib. de ſecta Pythagoræorum, quem meritò hac in parte ſuſpexit Eugubinus 10. de peren. Philoſ. c. 9. de Architæ ac Pythagoræ conſilio, nos ipſos adhortari ad ſapientiam & ſcientiam vnius; ad Dei inquam contemplationem, qui finis eſt omnis contemplationis: ſic enim plenæ ac conſummatæ felicitati noſtræ, prout præſens ſtatus feret, proludemus; & mentis oculos ad purum luminis illius contuitum irretorta acie eliciendum firmabimus. Sed hæc poſtea pluribus. Nunc quod præſens locus poſtulat, concludamus iuxta prædicta formalem hominis beatitudinem ſpectatam eſſentialiter & radicaliter, ſiue prout ad eam cætera bona, ex natura rei, aut diuina virgula conſequuntur, eſſe ſitam in ſola Dei ſummi boni noſtri contemplatione, quæ beatum complet ſummo Dei amore, & gaudio amori commenſo, & intellectuali pulchritudine comparationes omnes noſtras exſuperante.

Quia verò præter amorem & eius germen, tantam quantam deſcripſi ac etiam longè auctiorem delectationem; acceſſurum beato diximus complementum omnis generis bonorum; licet ſanè cuiuis per virtutum exercitationem viam ſibi ad beatitudinem munienti, gratulari iis verbis quæ habentur apud Antonium initio decimi de vita ſua. *Eris aliquando, ô anima, bona ſimplex, vnica, & nuda, ſplendidior corpore tibi circumiecto. Guſtabis olim amoris affectum; plena eris, nullius indigens, nihil deſiderans neque animati neque inanimi ad fruitiones voluptatum: neque*

tempus

tempus requirens, quo diutius fruare, neque locum regionem aut aëris commoditatem, neque hominum conuenientiam. Sed contenta eris præſenti ſtatu, delectaberis omnibus quæ erunt in promptu, tibique ipſi perſuadebis omnia tibi adeſſe, omnia tua rectè habere, omnia à Diis tibi allata; probabis quæcunque iis probabuntur ac quæ tibi ad perfecti animalis ſalutem dabunt; quod bonum eſt, iuſtum, honeſtum, omnia generat atque continet & amplectitur, quæ diſſoluuntur eò, vt alia ex ipſis exiſtant. Eris aliquando talis, vt ita cum Deo & hominibus viuas, vt neque quid in iis reprehendas, neque ab illis damneris. Ad hæc aſpirare, hæc per Philoſophiam prægustare, hominis eſt conditionem ſuam agnoſcentis.

Seneca autem id tradit epiſt. 65. *Corpus hoc, animi pondus ac pœna eſt: Premente illo vrgetur; in vinculis eſt niſi acceſſit Philoſophia, & illum reſpirare, rerum naturæ ſpectaculo iuſſit, & à terrenis dimiſit ad diuina. Hæc libertas eius eſt, hæc euagatio: ſubducit interim ſe cuſtodiæ in qua tenetur, & cœlo reficitur. Quemadmodum artifices ex alicuius rei ſubtilioris intentione quæ oculos defatigat, ſi malignum, & non præclarum lumen habent, in publicum prodeunt, & in aliqua regione ad populi otium dedicata, oculos libera luce delectant: ſic animus in triſti & obſcuro domicilio clauſus, quotiens poteſt, apertum petit, & in rerum naturæ contemplatione requieſcit. Sapiens affectatórque ſapientiæ adhæret quidem in corpore ſuo, ſed optima ſui parte abeſt & cogitationes ſuas ad ſublimia intendit, & velut Sacramento rogatus, hoc quod viuit ſtipendium putat, ita formatus eſt, vt illi nec amor vitæ nec odium ſit: patiturque mortalia, quamuis ſciat ampliora ſupereſſe.* Hic hominis Ethnici de re propoſita ſenſus, vtinam & noſtrum omnium ſit, qui ad altiorem fœlicitatis poſſeſſionem aſpiramus.

Difficultas contra formalem beatitudinem in intellectione conſtitutam, extricatur.

229. Aduerſus reſolutionem propoſitam, populoſa difficultatum examina educi ſolent: ſed difficultates illæ magnam partem imbelles ſunt, & nullius roboris. Vnam, quæ in ſpeciem firmior eſt, exhibuit hoc ferè modo Ioſephus Angles in floribus quarti ſentent. q. de beatit. difficult. 3. Beatitudo formalis, debet eſſentialiter eſſe actus eiuſdem potentiæ, cui obijcitur ſummum illud bonum quod eſt obiectiua beatitudo, cúm ſit ipſa eius perceptio & adeptio: Atqui ſummum bonum eſt obiectum voluntatis, non intellectus, qui in verum fertur non in bonum: Ergo beatitudo formalis non eſt actus intellectus, ſed voluntatis.

Hoc argumentum peccat in primis in maiori, confundens perceptionem boni cum adeptione & poſſeſſionem eius. Poteſt enim bonum, quà bonum, voluntate percipi, vt notum eſt; nec tamen voluntatis perceptione poſſidetur vt ſupra oſtendimus. Itaque, maior, quæ ex eo quòd bonum, quà bonum: percipitur per voluntatem, aſſumit poſſideri etiam per eam, falſa eſt, & neganda: Atque ita beatitudo formalis quæ conſiſtit in ſummi boni poſſeſſione, non eſt actus voluntatis, cui ſummum bonum, quatenus ſummum bonum eſt, obijcitur, vt argumentum contendit, aſſumitúrque in maiori. Vnde conſequenter concedo ſummum bonum, qua tale, ſine habendo rationem formalem motiui potentiæ poſſidentis, non poſſe poſſideri.

Minor item argumenti vitio non caret: Nam ſummum bonum eſt etiam obiectum intellectus, quamuis non formaliter ſub ratione boni, ſed ſub ratione veri; eò quòd ratio formalis & motiua voluntatis tranſeat in materialem, reſpectu intellectus in eam tendentis. Hoc tamen non impedit, quo minus ratio boni materialiter ſubſtrata rationi motiuæ intellectus, obijciatur intellectui, poſſideatúrque per illud. Sicut color, etiam quatenus color, eſt obiectum intellectus; non quòd ratio coloris expreſſa per reduplicationem, ſit formalis intellectus, prout obijcitur viſui; ſed quòd ea ratio formalis, inferiorem potentiam mouens, cùm ſit ens quoddam, & verum, ſubſternatur rationi motiuæ potentiæ ſuperioris, nempe intellectus, & ab eo percipiatur ſub ratione formali ſibi congruente, tranſeundo in rationem materialem reſpectu eius. Sicut etiam hæc ipſa ratio formalis intellectui obiecta, poterit per voluntatem, (quæ eſt etiam potentia vniuerſalis) appeti ſub ratione boni, quæ eſt ratio formalis & motiua voluntatis, tranſeundo in rationem obiectiuam materialem reſpectu huius potentiæ, cum reſpectu intellectus eſſet ratio motiua & formalis. Eſt enim id his potentiis vniuerſalibus familiare, vt quandoquidem rationes earum formales vagantur per quamuis realem ac poſitiuam entitatem, porrigi poſſint ad quancumque earum rationi ſuæ formali ſubſternendam.

Hinc abundè diſſoluitur difficultas propoſita. Et poſſet etiam breuiùs diſſolui, dicendo bonum illud ſummum, quod eſt noſtra fœlicitas obiectiua, eſſe bonum intellectus, vt loquitur D. Thomas 3. contra gent. c. 143. quod bonum eſt formaliſſimè idem quod verum: ac proinde actio circa verum, ſiue intellectio poterit eſſe beatitudo formalis, & eſſe poſſeſſio ſummi boni.

Alia præterea contra eandem ſententiam difficultates, enodantur.

230. Turbam argumentorum quæ præterea in hanc rem circumferuntur, non moror: Ac nominatim quæ aliqui vt Viterb. lib. 1. quodlib. 6. ducunt ex materiali & entitatiua volitionis ſupra intellectionem præcellentia, quam etiam confirmant ex eo quod illud ſit melius, cuius oppoſitum eſt peius, quod Ariſtoteles 2. Topic. cap. 8. de priuatiuè oppoſitorum coniugationibus dixit, ſtatuens illud eſſe melius cuius priuatio eſt deterior. Vt auditus non æquat viſum, quia priuatio viſus eſt deterior priuatione ſurditatis. At oppoſitum amoris in Deum, ſiue odium Dei, eſt aliquid deterius, quàm oppoſitum cognitionis de Deo, hoc eſt, quàm error. Hinc quippe inferri putant formalem beatitudinem, quæ iuxta Ariſtotelis canonem 1. Eth. cap. 7. & l. 10. cap. item 7. apud omnes, (vt ait), ratum & fixum; debet eſſet operatio perfectiſſima, potentiæ perfectiſſimæ, non poſſe locari in intellectione, ſiquidem volitioni cedit. Accedit quod actus voluntatis ſunt vltimi, & intellectionem ſubſequentes, ac proinde videntur ſoli idonei ad rationem finis; ſoli item opponuntur ſummæ miſeriæ ſiue dolori. Tandem intellectio non exſatiat omnes potentias, nec perficit hominem vndecunque.

Verùm hæc, vt dixi, leuiora ſunt, quàm vt morari multùm nos debeant; vel dimouere de ſententia. Nam quod attinet ad entitatiuam nobilitatem, idem de actionibus iſtis cenſendum eſt quod de facultatibus ex quibus prodeunt. Itaque potiores partes concedendæ ſunt intellectioni ſimpliciter loquendo; ſicut intellectus abſolutè & ſimpliciter, dignior potentia eſt, quàm voluntas; quippe qui agit trahendo obiectum, cum voluntas potius patiatur & trahatur, vt rectè dixit Damaſcenus lib. de duab. Chriſti voluntat. Deinde intellectus eſt in operando independen-

tior, cùm nullam per ſe loquendo ſupponat anteriorem potentiam, ſicut voluntas in omni planè actione ſupponit intellectum. Eſto, ſecundum quid (vt latè tradit Ægidius in correptorio corruptorij primæ partis art. 34. & in corrept. corruptorij primæ ſecundæ art. 2.) voluntas quia libera eſt ſuique actus domina, intellectui præcellat. Idem igitur de volitione ad intellectionem collata ſtatuendum eſt. Quanquam, vt ſupra iam monui, tota hæc præcellentia in re præſenti nullius eſt momenti; quia hic ſpectanda tantum eſt dignitas actus ex eo quòd ſit poſſeſſio ſummi boni, non autem ex eo quòd ſecondum eſſentiam quam ſit tantæ dignitatis ex obiecto, vel ratione potentiæ à qua manat.

231. Quo item modo declinatur quod addebatur de oppoſito intellectionis comparato ad oppoſitum amoris; ſiue comparentur oppoſita priuatiuè, nempe intellectio & carentia intellectionis, & amor ac priuatio amoris; Siue oppoſita contrariè, nempe intellectio & error, amor & odium. Nam quicquid ſit de eo quaſi effato: *Illud eſt melius, cuius oppoſitum eſt deterius* quod non pauci negant eſſe vniuerſaliter verum, vt Medina q. 2. de eleemoſ. & alij argumentãtes ex eo quòd peius ſit non audire ſacrum in feſto, quàm legitimè violare virginitatem, cùm tamen longè perfectior ſit virginitatis obſeruatio, obſeruatione feſti. Quicquid, inquam, ſit de eo affato, facilè argumentum in præſenti negotio eliditur, dicendo non eſſe curandum quod intellectio ſit in genere entis, aut quomodolibet aliter, deterior, amore, & odium deterius errore; (quod eo argumento concluditur, licet falſum ſit & negandum:) ſed tantum attendendum eſſe vter ex illis actibus ſit ſummi boni poſſeſſio, quod ſoli intellectioni competere oſtenſum eſt.

Præterea hoc ipſo modo eneruatur inſtantia quæ ſubijciebatur: nempe quod voluntatis actio ſit vlterior actione intellectus ideóque aptius ſubeat rationem finis qui eſt vltimum quid. Vt enim diſſimulem confundi in ea inſtantia, finem obiectiuum, cuius eſt eſſe vltimum in ſua ſerie aut ſimpliciter, cum fine formali, de quo nunc agimus; conſtat non intereſſe ad rationem formalis beatitudinis, quòd ordine generationis ſit actus vltimus, vel non vltimus. Tantum quippe in ea quæri debet vt eatenus ſit actus vltimus quatenus eſt poſſeſſio & aſſecutio ſummi boni, hoc autem habet ſola intellectio, quamuis amori & gaudio præſuppoſita. Prætærquam quòd gaudio ſeu delectationi, quæ eſt omnino poſtremus volũtatis actus ordine generationis, deeſt alio ex capite ratio vltimi, quatenus non eſt propter ſe honeſtè appetibilis, ſed tantùm ratione alterius cui coniungitur, vt aduertit Ferrarienſis 3. cont. gent. c. 26.

232. Negandum verò eſt quod addebatur, ſolos ſcilicet actus voluntatis opponi ſummæ miſeriæ nẽpe gaudium dolori: maior enim miſeria eſt carere ſummo bono, quam dolere de malo aliquo. Quod grauiſſimè tradit Dorotheus doctrina 12. ex Chryſoſtom. cuius hæc verba refert. *Etſi non fluerent illhic ignis flumina. ſi non aſtarent horribiles viſu dæmones At vocari tantum alios quidem ad honorem, gloriam, & triumphum, alios verò ignominioſè tranſmitti ne gloriam illam videant. Nonne hæc ignominia & confuſionis pœna, hæc tantorum bonorum priuatio & exciſio, longè amarior & acerbior eſt quauis gehenna, quouis cruciatu?* Locus hic Chryſoſt. habetur in priore ad Theodorum parænesi: ſimiliáque repetit hom. 35. & 47. ad pop. & in Pſalm. 5. & latè etiam hom. 24. in Matth. Affiniã item ſunt quæ leguntur apud D. Auguſtinum in Pſalm. 49. ad illud, *ignis ante eum præcedet.*

Quæ denique opponebantur de non exſatiatis per intellectionem omnibus hominis facultatibus, præcluſa ſunt ſuprà, cùm præmiſimus ſpectari hîc à nobis formalem beatitudinem eſſentialiter, ac prout ſaltem exigitiuè eſt radix perfectionum omnium neceſſariarum ad ſtatum hominis vndecunque perfectum. Hoc itaque modo intellectio perficit omnes potentias, nimirum ſaltem radicaliter & exigitiuè, quamuis non per ſeipſam immediatè ac formaliter. Enimverò hæc difficultas non plus ſententiam noſtram impetit, quàm eam quæ ſtatuit formalem beatitudinem in amore. Nam neque amor intellectum perficit, ac proinde neganda quoque amori eſſet ratio formalis beatitudinis. Imo etiamſi amor & intellectio iungerentur ad integrandam eſſentialiter beatitudinem animæ adhuc deſiderarentur perfectiones corporis, quas ad integram hominis beatitudinem interuenire debere non eſt dubium; nec tamen formaliter conferuntur per amorem, vel per amorem ſimul & intellectionem. Sed hæc magis illuſtrabuntur ex mox dicendis.

Complementa formalis beatitudinis in intellectione conſtituta.

233. Tertiò ergo dixi formalem beatitudinem, ſi non ſpectetur eſſentialiter, ſed quatenus complementa quoque & appendices illi eſſentiæ conſentaneas complectitur, non contineri ſola intellectione ſummi boni, ſed porrigi quoque ad amorem, & gaudium, ac reliquas omnes hominis perfectiones, & bona quæcunque cum interna, tum externa ſtatui beati conſentanea, & oppoſitarum miſeriarum depulſionem. Quoad hoc adhæreo reliquis ſententiis ſuprà propoſitis, præſertim ſecundæ, tertiæ, & quartæ; quibus etiam ſuffragatus eſt Ariſtoteles, quoties de felicitate diſputat, præſertim 1. ac 10. Ethic.

Quod enim Viues 1. de verit. fid. c. 5. & Leſſ. i. de ſum. bono n. 61. criminantur prætermiſſum ab eo ſũmi boni amorem, non rectè obiicitur. Nam quamuis ob inæqualitatem, negauerit intercedere amicitiam populariter acceptam, inter Deum & hominem: Tamen non negauit, Deum, tantum ac tam purum bonum amari ab homine poſſe: alioqui perperam, ſummã in beato delectationem, ex Dei notitia admiſiſſet: Nã delectatio, proximè ab amore progerminat. Agnouiſſe autem delectationem ex ipſo boni ſummi amore profectam, non ex ſolo amore notitiæ de tali bono, manifeſtum eſt ex ſupradictis de delectationibus felicitatis contemplatiuæ ex ipſomet Philoſopho, qui etiam ignorare non potuit eò liquidiores voluptates ex ipſo ſummo bono exiſtere quàm ex eius notitia, quo maior eſt voluptatis cauſa, ſiue bonitas in ſummo bono, quam in notitia illius. Nec contemnendum quod Bonetus 4. Theol. c. 3. *in fine* adducit, vt probet Ariſtotelem non omnino excluſiſſe amorem à formali beatitudine, ſed eum incluſiſſe in contemplatione, tanquam in fonte. Allegat enim locum ex 10. Methap. vbi intelligentia prima ac ſuprema, dicitur mouere alias, in ratione amati ac deſiderati. Idem eruit Maior Matth. d 5. *ferè initio*, ex eo quod Ariſtoteles contemplationi diuinorum adiungi voluerit puritatem vitæ: In hac nim inuolui amorem notat Maior.

Conciliatio ſententiarum, num. 212. promiſſa.

234. Itaque Ariſtoteles prædictis ſententiis patrocinatus eſt ex eo quo dixi modo, in quo etiã eis adhæreo, quamuis reprobem eas, quatenus vel amori primatum deferunt, vt facit ſecunda; vel amorem ex

æquo

æquo cum intellectione ad formalem beatitudinem pertinere autumant, vt facit tertia, vel gaudium ſimul & amorem intellectioni æquiparant in hoc negotio vt facit quarta. Reuera enim amor & gaudium, non vt partes eſſentiales, ſed vt complementa ac fructus ſpectant ad formalem beatitudinem. Nec intellectio ſummi boni ordinatur ad actus illos tanquam medium ad finem ſed tanquam cauſa ad effectum, & radix ad proprietatem debitam, ſin minus phyſicè, at ſaltem moraliter & exigitiuè: quod in prædictis ſententiis non eſt ſatis animaduerſum. Peius etiam labuntur autores quintæ. cùm ſoli delectationi, quippe actui prorſus vltimo, primatum deferunt. Quod argumentũ quanti ſit, paulò antè oſtendi. Quare ſi ab his placitis reſeces hæc addimenta, non renuo quominus aſſeri poſſint veritatem continere.

Cum eodem item temperamento, non grauatè admittam, ſententiam noſtram cum prima à nobis propoſita conciliari poſſe. Neque enim diffiteri poteſt ea prima ſententia, quod nunc tantum reliquis damus; nempe quod amor, & gaudium ac reliquæ hominis perfectiones quamuis beatitudinem formalem non conſtituant, quia non ſunt ipſa ſummi boni poſſeſſio; ſint tamen connaturalia poſſeſſionis illius complementa, & velut germina. Sicut è contrario quamuis auerſio à malo pœnæ inflictæ, & dolor de ea non ſint ipſa pœna, & ipſa (vt ita dicam) mali habitio ac poſſeſſio, ſed eam potius præſupponant, & ex ea naſcantur; Tamen ſunt aliquid cum mali poſſeſſione connexum. Imò ita ad illam ſe habent, vt iis excluſis multum decedere intelligatur de ratione pœnæ. Siquidem pœna homini ſenſibus deſtituto inflicta, ob defectum auerſionis & doloris ex pœnæ illius perpeſſione, mitis admodum cenſetur, ac propè nulla. Itaque ſimiliter amor ſummi boni poſſeſſi, & gaudium inde reſultans, extenſiuè perficiunt ac complent formalem beatitudinem eſſentialiter ſpectatam, quam etiam in ſuo genere & ordine conſummant perfectiones corporis, & ſenſuum exſatiatio, ac externorum bonorum ſtatui hominis conſentaneorum, congrua vbertas, & oppoſitorum quorumcunque malorum depulſio. Quis enim retento communi vſu vocis, beatum pronunciet eum qui intellectu quidem ſummum bonum percipiat, & poſſideat, atque adeò eſſentialiter ſit beatus; voluntate tamen in aliquid rationi diſſonum malè afficiatur, aut vrgeatur graui aliquo animi aut corporis incommodo, non cohærente cum ſumma felicitate?

235. Proinde qui ſummum bonum intellectu attingeret, & tamen miſeriis prædictis ſubiaceret, potiretur quidem eſſentiali beatitudine, ſed tamen mutila, ac valdè violenter ſe habente, & ad ſtatum naturæ ſuæ valdè diſſentaneum redacta. Propè dixi oblæſa & monſtroſa. Sicut homo truncus omnibus membris non requiſitis ad perſeuerantiam animæ in corpore, & deſtitutus omnibus potentiis homini connaturaliter annexis, eſſet quidem homo eſſentialiter; vix tamen appellatione hominis donaretur iuxta communem vocis vſum. Quod multò magis contingeret ſi loco membrorum, hominis complemento & integritati debitorum quibus carere ſupponeretur, aliena, & homini prorſus diſſentanea membra haberet. Idem ergo eſſet de affecta ad eum modum beatitudine, quia hæc vox non ſolet nudam beatitudinis eſſentiam ſonare, ſed aggregatum ex eſſentia illa, eique pro beati ſtatu conſentaneis complementis, quæ ſupponimus in propoſito euentu defutura.

Semper addo ad beatitudinem exigi tantùm genus illud ac menſuram huiuſmodi complementorum quæ ſint conſentanea ſtatui beati: quia nunc vniuerſaliter ago de formali beatitudine, prout communis eſt cuiuis hominis ſtatui. At non eſt par in quouis ſtatu congruentia, vel opportunitas huiuſmodi complementorum eſſentiali beatitudini aduenientium. Imò ex eis aliqua, fœlicitati huius vitæ, quæcunque tandem ea ſit, (de quo poſtea) accommodata ſunt, vt diuitiæ & honores, quæ felicitati poſt mortem rependendæ mutato hominis ſtatu, & perſonarũ ad nouum illum ſtatũ pertinentiũ, iam longè alia conditione, non congruũt. Quare generatim quidem affirmare rectè poſſumus, hæc complementa penſato hominis beati ſtatu deeſſe non debere: an tamen hæc aut illa in particulari adeſſe debeant, ex eo ſtatu in quo eſt qui beatitudine donatur, & ex ſtatus prædicti exigentia ac natura, dijudicandum eſt.

Sententia Ariſtotelis, de bonorum externorum neceſſitate ad beatitudinem, aperitur,

236. Hinc ſuppetit commoda ratio purgandi Ariſtotelem, quem paſſim antiqui iuxta ac noui Doctores, ac etiam multi P.tres erroris inſimulant, quòd ad beatitudinem, præter contemplationem ſummi boni, bona quoque reliqua adiungi voluerit, vt videre eſt l.1.Ethic.c.8.9.ac 10.& lib.10. c.8. & lib.7.Polit. c.1. quo poſtremo loco hanc ſententiam ex communi ſenſu confirmat, & à nemine repudiandam vel vlli ambiguam fore docet, niſi ſi ſermo ſit de quantitate huiuſmodi bonorum ad fœlicitatẽ requiſita. Hanc enim vulgus quidem quod externis tantum rebus quarum duntaxat ſenſum habet, omnia metitur, longè maximã ſtatuere, non item ſapientes, nominatímque Solonem & Anaxagoram, tradit c.illo 8.lib.decimi. Apud ſapiẽtes enim eam ait ſtatui, bonorum minorum fœlicitati congruentium, menſuram, quæ virtutum exercitio & miſeriarum depulſioni conueniat. Et rectè quidem. Cùm enim iſta bona nõ expetantur niſi propter aliud, & in hoc differant ab animi dotibus, vt dicitur c.illo 1. lib.7.Polit. certum eſt illam eorum portionem cuique eſſe expetendam, quam finis aſſecutio indixerit. Quãuis igitur quoad hanc menſuram poſſit eſſe diſſenſio, tamen de bonorum illorum ad plenam fœlicitatem interuentu, neminem diſcrepaturum, habet pro comperto Ariſtoteles: Videtúrque exploratum. Niſi ſi hominem peſſimè affecto corpore, aut quibuſuis deſtitutum adiumentis quibus tranquillè degat, fœlicem dicere placeat, quòd à communi ſenſu & loquendi vſu abhorret.

Quare Ariſtoteles 1.Ethic.c.8. ita concludit. *Operationes ſecundum virtutem, aut vnam ex his quæ optima ſit*. nempe actionem virtutis intellectiuæ, qua ita attingitur ſummum bonum, vt poſſideatur. *fœlicitatem eſſe affirmamus Videtur tamen etiam ipſa, externis bonis ſicut diximus indigere. Fieri enim non poteſt, vel non facile ſit vt cui neceſſaria non ſuppetunt, is bona atq; honeſta agat. Multa enim & per amicos, & diuitias, & ciuilem potentiam quaſi per inſtrumenta quædam aguntur. Quibuſdã verò priuati nonnulli, vt nobilitate, bona prole, pulchritudine, beatitudinem maculant. Non enim felicitatis admodũ compos ille eſt; qui vel ſpecie prorſus deformis, vel genere ignobilis, vel ſolitarius eſt ac prole carens. Nec minus etiam fortaſſe ſi alicui peſſimi filij fuerint aut boni mortui ſint. Videtur igitur, vt diximus talis etiam proſperitate felicitatem indigere Vnde nonnulli idem eam cum bona fortuna alij cum virtute eſſe dicunt.*

237. Hanc Philoſophi de bonorum externorũ poſſeſſione ad beatitudinẽ requiſita doctrinam, declarat apud Agellium lib.18. c.1. Peripateticus cum Stoico diſputans, exemplo amphoræ, cui ſi vel congius deſit, plena non eſt. Confirmat & Euriphamus Pythago-

ricus de lib. de vita docens bona externa eſſe quaſi corpus, virtutem verò quaſi animam : ex vtriſque autem exiſtere quaſi animal vnum, fœlicitatem. Luculēter item id tradit Archytas lib. de viro beato (*in fragmentis Pythag.*) *Bonū cenſemus virtute praditū & qui virtute vtitur. Vtitur autē ea tribus tēporibus, aut in infœlicitate, aut in rerū ſtatu mediocri, Atq; in aduerſa quidē fortuna eſt miſer, in proſperitate felix, in ſtatu verò medio nō beatus. Liquet igitur felicitatē aliud eſſe nihil quàm viū virtutis in ſucceſſu. Loquimur autē hoc loco de beatitudine hominis.. Homo autem non tantùm conſtat anima, ſed & corpore. Quod enim ex vtriſque animal, & quod ex talibus conſtatum, homo erit. Quamuis enim corpus anima ſit organum, tamen & hominis pars eſt, itidem & anima. Ideóque & bona alia quidem ſunt hominis, alia verò partium. Ac hominis quidem bonum felicitas. Ex partibus verò hominis, anima quidem prudentia, fortitudo, iuſtitia, temperantia: corporis verò forma, ſanitas, bona habitudo, integritas ſenſuū. Externa verò, opes, gloria, honor, nobilitas, ſolent acceſſoria eſſe hominis, & comitantia ea bona. qua natura priora potioráque ſunt. Minora è bonis, iis qua maiora sūt, quaſi ſatellites aſtāt; amicitia quidem, & gloria, & diuitia, corpori atque anima: ſanitas verò, & robur, & ſenſuum integritas anima. Prudentia autem, & fortitudo, & temperantia, & iuſtitia, intellectui anima. Intellectus autem Deo ipſi. Ille enim eſt ſupremus, & gubernator. Ideóq; & reliqua bona ſemper adeſſe ſolent. Exercitum etenim ducit Imperator, nauigia verò gubernator, mundum autem Deus, animam verò mens ipſa. Fœlicitatem autem praſentis vita, temperat regítque prudentia.*

Qua in contrarium, Philoſophi reliqui.

Eandem verò doctrinam veluti ex condicto tanquam valdè indecoram, impetunt reliqui ferè Philoſophi : Nam Seneca in eius impugnatione multus eſt epiſt. 92. Conſtituto enim quod in eo vno ſit beata vita vt ratio perfecta ſit. *Hac*. inquit, *ſola non ſubmittit animum: ſtat contra fortunam. In quolibet rerum habitu ſecurata ſeruat. Id autem vnum bonum eſt, quod nunquam defringitur. Is, inquam, beatus quem nulla res minorem facit. tenet ſumma, & ne vlli quidem, niſi ſibi innixus. Nam qui aliquo auxilio ſuſtinetur, poteſt cadere Si aliter eſt, incipient in nobis multùm valere non noſtra Quis autem vult conſtare fortuna aut quis ſe prudens ob aliena miratur?* Et mox : *Si poſſunt aliquid non honeſta conferre ad optimum ſtatum, in iis erit beata vita, ſine quibus non eſt. Et quid ſtultius turpiúſve, quàm bonum rationalis animi ex irrationabilibus nectere?*

Hactenus ſententiam ſuam ſtatuit, ei quam ex Ariſtotele propoſuimus, aduerſantem, ſed intacto Ariſtotele : Nunc in eum aperto Marte inſilit. Pergit enim ad hunc modum. *Quidam tamen augeri ſummum bonum iudicant, quia parum plenum ſit fortuitis repugnantibus. Antipater quoque inter magnos ſecta huius authores, aliquid ſe tribuere dixit externis, ſed exiguū admodum Vides autem quale ſit, Sole non eſſe contentum, niſi aliquis igniculus alluxerit. Quod poteſt in hac claritate ſolis habere ſcintilla momentum? Si non es ſola honeſtate contentus, neceſſe eſt aut quietem adyci velis, quam hiſychiam vocant Graci, aut voluptatem. Horum alterum vtcumque recipi poteſt. Vacat enim animus moleſtia liber ad conſpectum vniuerſi, nihilque illum auocat à contemplatione natura. Alterum illud, voluptas, bonum pecoris eſt. Adycimus rationali irrationale; honeſto inhoneſtum. Magnam vitam facit titillatio corporis? Quid ergo dubitaris dicere, benè eſſe homini ſi palato bene eſt? Et hunc tu, non dico inter viros numeras, ſed inter homines, cuius ſummum bonum ſaporibus ac coloribus ac ſonis conſtat? Excedat ex hoc animalium numero pulcherrimo ac Diis ſecundo, mutis aggregetur animal pabulo natum.* Hæc & alia eo loco.

Multus item eſt in hac re, & vellicando circa eam Ariſtotele, Atticus Platonicus apud Euſeb. 15. præpar. ſiue lib. contra Philoſophos cap. 3. indignitatem, (vt ait) ac turpitudinem Ariſtotelici huius placiti inde præſertim inſectatus, quòd tanta ſit externorum bonorum inconſtantia. Sed & Plotinus enneade 1. lib. 4. cap. 6. ac ſeqq. multa aduerſus idem placitum diſputat. Scitè etiam Lucianus in Eunucho ſugillat Peripateticos, quod ex hac Magiſtri ſententia pecunias captarent. Et in Dialogo Alexandri & Diogenis, inducit Alexandrum apud inferos inanitatem huius ſententiæ Ariſtoteli opponentem, & affirmātem ſobdolè ab eo excogitatam, vt non deeſſet obtendiculum. quo abſque rubore diuitias poſtulare ac vndecúnque corradere liceret, quaſi ad beatitudinem neceſſarias.

Ac etiam Patrum plerique.

239. Grauius eſt quod è Patribus plerique, idem vitio vertunt Philoſopho. Sic enim Euſebius ſupra cap. 2. ex mente ſua. Sic Lactantius 3. inſtit. cap. 8. & Tatianus orat. aduerſ Græcos, ac Nazianzenus epiſt. 64. quæ eſt ad Philagrium (éſtque etiam 118. inter Baſilij epiſtolas tanquàm ad Eudoxium Rhetorem ſcripta à Nazianzeno) Ibi laudabuntur Stoici, quod nihil eorum quæ extra hominem ſunt, felicitatem impedire dicerent, ſed qui ex virtute ageret, eum felicem pronunciarent, etiamſi in Phalaridis tauro viuicomburium ſubiret : Reprehenditur verò Ariſtotelis ieiunitas, & minutiloquium, admodúmque abiectè ſenſiſſe arguitur, ad fœlicitatem exigens exilia illa bona. Theodoretus quoque l. 11. contra Græcos & lib. 12. *ſub medium*. Ariſtotelem hac in parte vellicat : Hincque etiam prodiiſſe arbitrantur nimiam in eo corporis curam, quàm item à Peripateticis proditam, nec diſſimulatam teſtatur; Quantò minus ab eo æmulorum exercitu, quem Ariſtoteli ſcriptis libris infeſtum fuiſſe memorat Themiſtius orat. 4. inter eos recenſens, Cephiſiodoros, Eubilidas, Timæos, Dicæarchos?

Præterea S. Chyſoſt. hom. 19. ad popul. ex hoc nominatim puncto, anteponit ſapientiam agricolarum Chriſtianorum, ſapientiæ omnium Ethnicorum Philoſophorum, quos Scenicis & Mimis confert; atque præter ſtolam, palliū, & barbam, nihil amplius exhibuiſſe, & eo vſque deſipuiſſe, vt dicerent bona externa eſſe ad felicitatem neceſſaria. Subſcribūt denique Ariſtotelici huius dogmatis damnationi, recentiores communiter vt Picus 6. exam. cap. 19. Foxius 1. compedij Ethici cap. 3. Canus 9. de locis cap. 9. Conſtant. Rogerius tract. de ſummo bono cap. 2. num. 5. Alphonſus de Caſtro lib. 3. de iuſta hæretic. punit. cap. 8. Valentia 1. 2. dict. 1. quæſt. 4. p. 3. cauſatus quod externa bona ſint inſtrumenta nequitiæ. Nec multum abeſt argumentatio, quam certans hac in parte pro Stoicis Lipſius 2. Manuduct. diſſert. 21. contra Philoſophum adhibet: nempe quod hæc, poſſint & benè & malè vſurpari.

Ariſtoteles ex dictis purgatus atque defenſus.

240. Non erit tamen difficile, ex ſupradictis (vt monebam,) purgare Ariſtotelem, & hoc eius placitum

ab

ab his inſultibus indemne præſtare. Philoſopho enim duntaxat propoſitum fuit oſtendere ; falſum, ac etiam præter communem loquendi vſum fore, cum dicere beatum qui cum morbo conflictetur, aut indigens rerum ad vitam ſuſtentandam neceſſariarum, & ingloriꝰ, variiſque calamitatibus oppreſſus, viuat. Hac autem in parte vniuerſè vel accommodatè, & cum conuenienti diſtributione loquendo de beatitudine, prout variis hominis ſtatibus communis eſt, (vt nunc facimus,) tantum abeſt vt tam acriter notandum ac reprehendendum ſit quod Ariſtoteles affirmauit, vt potius ſit veriſſimum. Quod Sepulueda epiſt. 91. rectè notauit, & poteſt etiam ex Archyta confirmari verbis illis quæ habentur in fragmento libri de viro bono & beato. *Primò itaque illud tenendum eſt quòd bonus vir non ſtatim neceſſariò beatus, quoque ſit; ſed beatus etiam bonus vir erit. Beatus enim ex laudabili & beato ſeu fortunato fit. Bonus autem vir, è laudabili tantummodò. Contingit autem laus quidem ob virtutem, beatificatio autem ob fortunam. At bonus quidem vir, ob bona quæ in ipſo ſunt, talis efficitur* In eandem quoque ſententiam Euriphamum & Hippodamum Pythagoræos citat Franciſcus Patric. tom. 2. diſcuſſ. Peripatetic. lib. 7 §. *expetenda*

241. Accedit maniſeſta ratio, Felicitas enim eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus iuxta Boëtij definitionem, & communem felicitatis notionem, non eſſentiam duntaxat felicitatis, ſed eius quoque adiuncta complectentem. At inter bona numerari quoque debere quæ ad bonum corporis ſpectant, & quæ externa bona dicuntur, (attento tamen ſtatu hominis;) itémque malorum omnibus illis bonis oppoſitorum excluſionem eidem ſtatui conſentaneam, dubitare non licet. Itaque non debent ea bona deeſſe illi qui beatus eſt: Et cùm mali abſentia ſit bonum quoddam, neceſſe eſt eam ad beatitudinem interuenire. Mirum porro videtur non aduertiſſe Stoicos non poſſe eum plenè ſaltémque quoad dimidium ſui beatum eſſe, qui in tauro candente cremaretur, etiamſi patienter id excipiat. Non enim idcirco erit beatus veraciter, ſed miſer fortiter, vt contra hoc ipſum dixit S. Aug. 13. Trinit. c. 7.

Culpati è contra Stoici & Epicurei.

Vt propterea Stoicorum hac in parte frontem mirari ſe ſcribat, idem D. Auguſt. 19. Ciuit. cap. 4. [Humana mala, *inquit*, quæ compellitur patientia tolerare, Stoici Philoſophi miror qua fronte mala non eſſe contendant; quibus fatentur, ſi tanta fuerint, vt ea ſapiens vel non poſſit, vel non debeat ſuſtinere, cogi eum mortem ſibimet inferre, atque ex hac vita emigrare. Tantus autem ſuperbiæ ſtupor eſt in his hominibus, ſic ſe habere finem boni, & à ſeipſis fieri beatos putantibus, vt ſapiens eorum, hoc eſt, qualem mirabili vanitate deſcribunt, etiamſi excæcetur, obſurdeſcat, obmuteſcat, membris debilitetur, doloribus crucietur, & ſi quid aliud talium malorum dici aut cogitari poteſt, incidat in eum, quo ſibi mortem cogatur inferre: hanc in his malis vitam conſtitutam, eos non pudeat beatam vocare O vitam beatam, quæ vt finiatur, mortis quærit auxilium. Si beata eſt, maneatur in ea: ſi verò propter iſta mala fugitur ab ea quomodo eſt beata? aut quomodo iſta non ſunt mala, quæ vincunt fortitudinis bonum, eandémque fortitudinem, non ſolùm ſibi cedere, verumetiam delirare compellunt, vt & eandem vitam dicant beatam, & perſuadeant eſſe fugiendam. Quis vſque adeò cæcus eſt, vt non videat, quòd ſi beata eſſet, fugienda non eſſet? Sed ſi propter infirmitatis pondus quo premitur, hanc fugiendam fatentur, quid igitur cauſæ eſt, cur non etiam miſeram fracta ſuperbiæ ceruice, fateantur?

242. Nec Stoicorum tantum fuit hæc fatuitas. Qua enim hæc ab iſtis gloriæ animalibus, ventoſitate promebantur; eâdem ex ipſa voluptatis officina vt loquitur Seneca epiſt. 92 (Epicuro inquam) prodiit vox illa, inter incredibiles veſicæ & exulcerati ventris cruciatus, animam ad extima labra iam propellentes, *Beatiſſimum hunc & vltimum diem ago*. Idem Seneca Epicurum ſub eundem mortis articulum, dixiſſe commemorat epiſt. 66. *Sapientem ſi in Phalaridis tauro peruratur, exclamaturum dulce eſt. & ad me nihil pertinet.* Quibus verbis. (niſi ſtuporem quis excuſet,) nihil magis à communi ſenſu alienum, & à naturali appetitu abhorrens fingi poſſe videatur. Nec niſi riſum captaſſe videri, iſta effutiendo, dixit Tullius 2. Tuſculan. Homo enim naturaliter expetit huiuſmodi incommodorum remotionem. *Nequit autem vllo modo fieri*, verba ſunt Epicteti apud Arrianum lib. 3. cap 24. *vt conueniant felicitas & deſiderium non præſentium Quoniam beatum oportet habere omnia quæ expetit. Veriſimile enim eſt abundare ipſum omnibus rebus; non ſiti etiam affligi, non fame* Sic Epictus ex communi ſenſu.

Quatenus Ariſtoteles externa bona ad fœlicitatem requiſiuerit

Quare Ariſtoteles non immeritò bonorum corporis ac externorum eam copiam ſuppetere beato voluit, quæ ſufficiat ad excludendam miſeriam, valeátque ad eam animi tranquillitatem conciliandam, quàm defectus prædictorum bonorum temeraret, cùm tamen perſpicuè ad beatitatem exigatur conſentaneè ad ſtatum beati. Hanc eſſe Philoſophi mentem perſpicuè liquet ex his verbis 7. Ethic. c. 13. *Omnes felicem vitam iucundam eſſe exiſtimant; voluptatémque felicitati conſentaneè annectunt: quippe cùm nulla operatio, quæ impeditur, perfecta ſit, felicitas vero ſit ex perfectis, Ideò fit vt ex corporis & externis bonis, fortunáque ipſa inſuper indigeat felix ne hæc impediant Nam qui eum qui rota torquetur, & calamitatibus magnis opprimitur, ſi bonus ſit, felicem eſſe dicunt, vel inuiti, vel ſponte nihil dicunt. Quia verò inſuper fortuna indiget felix; idem eſſe nonnullis fortuna proſperitas, & felicitas videtur: cum tamen non ſit: Nam ipſa quoque cùm excedit, impedimento eſt; ac fortaſſe non amplius fortuna proſperitas appellari iure poteſt: quippe cùm eius definitio ad felicitatem ſpectet.* Non eſt ſenſus quem aliqui aſſignant, nempe finitionem, ac terminum certum bonæ fortunæ, requiri ad fœlicitatem; eo quod nimiùm excreſcens proſperæ fortunæ flatus, animæ tranquillitatem euertat. Quamuis enim id veriſſimum ſit & rei quoque præſenti accommodatum, tamen mens Philoſophi extremis illis verbis, eſt; in bonæ ac proſperæ fortunæ definitione ſiue deſcriptione quidditatiua, inuolui ordinem ad fœlicitatem: ita vt eatenus fortuna cenſeatur proſpera, quatenus ad fœlicitatem confert. Vnde quia nimia fortunæ proſperitas, cum ordinem ad fœlicitatem non habet, excidit proſperæ fortunæ cenſu ac gradu. Eſt itaque fortuna proſpera ad fœlicitatem neceſſaria, ſed temperata; & vt addebam, ſumpta conſentaneè ad ſtatum beati.

243. Alia ſanè externa bona homini in corpore degenti opportuna ſunt, ſi eam qualemcunque beatitudinem cuius capax eſt præſens hominis conditio, reipſa conſequatur: alia eidem iam è viuis ſublato, & beatitudine potienti, quoad ſolam animam; vel quoad corpus non vltra morti & mortis proluſioni-

bus obnoxium. Vnde cùm Ariſtoteles locis ſupra allegatis, quamuis generatim ac vniuersè de beatitudine diſſerat; (vt patet ex c.11. lib.1.Eth. vbi de mortuorum fœlicitate habet nonnulla;) præcipuè tamen agat de hominis Politici felicitate; (vt perſpicuum præſertim eſt ex 7. Pol. c.2. vbi probat eandem eſſe beatitudinem vnius hominis & ciuitatis,) mirum eſſe beatitudinem vnius hominis & ciuitatis,) mirum non eſt quod noſtratia externa bona ad felicitatem requiſiuerit. Rectè hoc vidit Buratellus lib. 6. conciliationis Ariſt. cum Plat. *ſub finem*, & Flamin, 1. de fœlicitat. cap.15.

Ei reipſa ſubſcripſerunt Stoici.

Ipſi Stoici de ſuo beato, hoc eſt, de ſapiente idem cenſuerunt. Audi Senecam libr. de vita beat. cap.22. [Quid dubij eſt quin maior materia ſapienti viro ſit animum explicandi ſuum in diuitiis, quàm in paupertate: cùm in hac vnum genus virtutis ſit, non inclinari, nec deprimi: in diuitiis, & temperantia, & liberalitas, & diligentia, & diſpoſitio & magnificentia, campum habeat patentem? Non contemnet ſe ſapiens, etiamſi fuerit minimæ ſtaturæ: Eſſe tamen ſe procerum volet: Et exilis corpore ac amiſſo oculo valebit: malet tamen ſibi eſſe corporis robur. Et hæc ita, vt ſciat eſſe aliud in ſe valentius: Malam valetudinem tolerabit, bonam optabit. Quædam enim etiamſi in ſummam rei parua ſunt, vt & ſubduci ſine ruina principalis boni poſſint, adiiciunt tamen aliquid ad perpetuam lætitiam & ex virtute naſcentem. Sic illum afficiunt diuitiæ, & exhilarant, vt nauigantem ſecundus & ferens ventus, vt dies bonus, vt in bruma ac frigore apricus locus. Quis porrò ſapientum, (noſtrorum dico, quibus vnum eſt bonum virtus;) negat etiam hæc quæ indifferentia vocamus, habere in ſe aliquid pretij, & alia aliis eſſe potiora? Quibuſdam ex his tribuitur aliquid honoris, quibuſdam multùm. Ne erres itaque, inter potiora, diuitiæ ſunt.]

244. Itaque Stoici cùm aliàs negarunt extrema beata ad beatitatem eſſe neceſſaria, illud vnum voluiſſe videntur, (tametſi confuſè & implexè ſententiam ſuam expreſſerunt:) ſapientem & beatum, ab externis hiſce bonis non pendere quoad ſtatum mentis, vt pendent qui ſapientes non ſunt, quorum non ſunt diuitiæ & reliqua externa bona, ſed ipſi ſunt diuitiarum. En namque quid ipſe idem Seneca dicat eodem ipſo loco, obiiciens ſibi, ſententiam verbis ex eo iam adductis expreſſam, videri à Stoa diſſentire. Hæc obiectio. *Quid ergo*, inquis, *me derides, cùm eundem apud te locum habeant, quem apud me?* Subiicit reſponſionem. *Vis ſcire quàm non habeant eundem locum? Mihi diuitiæ ſi effluxerint, nihil auferent niſi ſemetipſas; Tu ſtupebis, & videberis ſine te relictus, ſi illæ à te receſſerint. Apud me aliquem locum diuitiæ habent; apud te, ſummum. Ad poſtremum, diuitiæ meæ ſunt; tu diuitiarum es.*

Et eodem ſenſu pulcherrimè epiſtola 9. negat beatum, ſiue ſapientem Stoicum, externis rebus egere, quamuis illis opus habeat. *Se contentus eſt ſapiens. Hoc, mi Lucili, perperam plerique interpretantur. Sapientem vndique ſubmouent, & intra cutem ſuam cogunt. Diſtinguendum eſt autem, quid & quatenus vox iſta promittat. Se contentus eſt ſapiens ad beatè viuendum, non ad viuendum. Ad hoc enim multis illi rebus opus eſt, ad illud, tantùm animo ſano, & erecto, & deſpiciente fortunam. Volo tibi Chryſippi quoque diſtinctionem indicare. Ait ſapientem nulla re indigere, & tamen multis illi rebus opus eſſe: Contrà, ſtulto nulla re opus eſt; nulla enim re ſcit vti, ſed omnibus eget. Sapienti, & manibus, & oculis, & multis ad quotidianum vſum neceſſariis, opus eſt; ſed eget nulla re. Egere enim, neceſſitatis eſt. Nihil autem neceſſe ſapienti eſt. Ergo quamuis ſeipſo contentus ſit, amicis illi opus eſt.*

Idem de quibuſuis aliis externis bonis dictum eſto iuxta illud Maximi Tyrij diſſert. 24. num 142. ex quo Platonicos, ab Ariſtotele hac in parte non diſſenſiſſe, deprehendimus. *Aliúdne hanc vitam eſſe putas, quàm tranſitum quendam, ex anima, corpore fortunáque ſimul temperatum? Quæ omnia ſi aptè inter ſe iungantur, ſinguláque ad ſummum ſuarum virium gradum perueniant, totum id ſimul, felicitas nuncupatur. Ita vt anima imperet pro duce, pareat corpus pro milite, adiuuet fortuna tanquam arma. Ex quibus omnibus victoria conſequitur. Quod ſi fortunam tollas, arma demes militi; ſin militem, exauctorabis ducem.*

Depellitur obiectio ex eo ducta quod bona externa, fiant interdum nequitiæ inſtrumenta.

245. Hæc autem eſſe improuidis nequitiæ inſtrumenta non diffitemur; ſed abutentis animus, non rei ex ſe bene vſurpabilis vitioſus vſus, in culpa eſt. Id quod Plato in Eryxia rectè docuit. Et omnino benè Theodoretus in epitome diuinor. decret. cap. de prouidentia, his præter cætera. [Facile ſciri poteſt, quòd eorum quidem arbitratu qui vtuntur, diuitiæ, & paupertas, & ſeruitus, & dominium, & quæ ſunt his ſimilia, nunc quidem laudanda, nunc verò vituperanda ſunt. Quemadmodum & ferrum, nunc quidem hominum vitæ opem ferre dicimus, vt quod per aratrum, bipalium, & ligonem terram colat; per falcem autem putet arbores, per dolabram verò & ſerram, & domorum & variorum inſtrumentorum & multiplicis ſupellectilis conſtitutionem præbeat. Nunc autem nonnulli id illi inſidiari dicunt, dum vident enſes, & cædes quæ per eos fiunt. Sed neque enſis cædium cauſa eſt, ſed is qui enſe malè vſus eſt. Neque diuitiæ & paupertas aliæque vitæ proſperitates & aduerſitates, reprehendi & accuſari merentur, ſed qui vnoquoque eorum præter leges vtuntur. Si enim vnumquodque eorum eſſet malum natura, non vllis vnquam bona conciliaret. Inuenimus autem multos per hæc ſe rectè, & ex virtute geſſiſſe. Neque ergo malum eſt, quod boni inſtrumentum efficitur neque rurſus bonum, quod alij fit inſtrumentum ad vitium. Eſt ergo in ordine medium, ſicut etiam medicamenta. Opium enim, & cicuta, ſi à medicis cum optimo iudicio adhibita fuerint, ſunt ad propulſandos morbos optima remedia. Sin autem præter artis rationem ſumpta fuerint, venena ſunt, & exitialia. Panis etiam & vinum, nonnunquam etiam morbo iis qui vtuntur afferunt. Exuperatio enim detrimentum procreat.

246. Non diſſimili ratione S. Chryſoſtomus hom. 58. in Matth. refellens eos quos ſe audiuiſſe ait exclamantes, *vtinam non eſſet vinum*, cùm conſpicarentur quanta aliqui per vinum peccarent, *Si dicis*, inquit, *vtinam non eſſet vinum, ordine paulatim progrediens, optabis ne ſit ferrum propter homicidium; ne ſit nox propter fures; ne ſit lux propter calumniatores; ne ſit fœmina propter adulterium; & ſic omnia Dei opera tibi deſtruentur.* Itaque concludit, non vinum, aliáve diuina opera quibus abutimur, ſed eorum abuſum tollendum eſſe. Pulchrè idem docent Nazianz. orat. 20. Auguſt. de vera relig. cap. 20. Caſſia. lib. 7. de inſtitut. cap.4. & Syneſius orat de regno, notans hanc ob cauſam, externa bona apud Ariſtotelem & Platonem vocari *bona adminiſtra*. Pletho Gemiſtus tract. de virtutibus, *fere in fine*, hanc ob cauſam ea vocauit, *bona generis neutrius* Ita enim loquitur. *Vir bonus idem*

&

& beatus & felix, idque eatenus, quatenus virtutis fuerit particeps: Peruerſus autem eatenus miſer, quatenus vitiis fuerit contaminatus. Nobilitas autem & ignobilitas, magiſtratus & vita priuata, diuitiæ & paupertas, voluptates & labores, ſanitas & morbi, longæuitas & mors, ipſa quidem ſuapte natura neutrius ſunt generis, neque omnino bona nec mala. Nihil etenim horum ad noſmetipſos pertinet. Vtrorumuis autem vſus legitimus, ſi cum virtute coniungatur, bonus nobis efficietur & felix; cum improbitate autem, noxius & infelix.]

Noua Philoſophi criminatio, reuincitur calumnia.

Quare Ariſtotelis ſententia rectè intellecta, reprehenſioni non eſt obnoxia; quamuis ab aliquibus perperam intellecta & reprehenſa fuerit. Licentiùs autem alij in Ariſtotelem hac in parte graſſati ſunt, quaſi duos vltimos fines homini præfixiſſet, & duo ſumma bona, ambo æquè perfecta adiunxiſſet. Hæc enim eſt Petri cuiuſdam Placæi in Ariſtotelem expoſtulatio lib. 1. de recto vſu Moralis Philoſophiæ *post meusum.* Mentem porro Ariſtotelis eam fuiſſe confirmat, ex eo quòd & virtutis actiones & contemplationem ſummi boni, (atque adeo cum intellectus practici tum etiam contemplatiui functiones,) interuenire ad felicitatem velit.

Sed hanc frigidiſſimam calumniam inde facillimum eſt repellere, quòd nuſpiam apud Ariſtotelem extet veſtigium duplicis vltimi finis obiectiui, ſiue duplicis ſummi boni, quorum vtrumque ſit æquè perfectum. Quod verò ad fœlicitatem politicam in hac vita parabilem, & actiones virtutum moralium, & contemplationem deſideret, nihil profectò ne per ſpeciem quidem iuuat ad fouendam calumniam illam aduerſus Philoſophum: Cùm neque exercitium virtutum, neque functio intellectus contemplatiui, habeant rationem ſummi boni; ſed virtutis quidem operationes, hominem veluti adaptent atque promoueant ad honorificam conſecutionem præmij poſt hanc vitam rependendi: Eius autem veluti proluſio ac prægustatio, ſit contemplatio boni increati: quæ eſt apex temporariæ fœlicitatis qualem in hac vita parare poſſumus. Hoc planè non aliud voluit Ariſtoteles quem proinde vides eſſe ab ea duplicis ſummi boni aſſertione omnino alienum. Sed homo Caluini ganeam ructans, qui in eo quod citaui opere, ſanctos ipſos Patres ac Eccleſiæ Doctores non vellicat modò, verùm apertè etiam mordet, & calumniis onerat licere ſibi eodem iure cenſuit, Ariſtoteli dicam iure vel iniuriâ impingere.

Obſeruatio circa propoſitam Philoſophi doctrinam.

247. Rectè tamen ſtatuebat Ariſtoteles, externorum bonorum ad beatitudinem, non quemcunque cumulum ſed ſolum mediocritatem eſſe neceſſariam; qua videlicet excludatur miſeria cum politica fœlicitate incompoſſibilis; non autem congeratur malorum materia. Nam externa hæc bona, ſi mediocritatem excedant, malorum grauiſſimorum ſementis fiunt, vt & Simonides monebat; & Ariſtoteles 4. Polit. cap. 11. præclarè aduertit; Et optimè Archytas lib. de viro bono & beato, inter Pythagor. fragmenta. [Finis, *inquit*, quidam eſt proſperæ fortunæ, quantam eligat bonus vir vt adminiculo ipſi ſit ad res agendas; ſic vt magnitudo nauis & magnitudo claui, quem prehendere & regere poteſt bonus gubernator, dum vaſta maria tranſmittit, ac longinquam nauis gubernationem ingreditur. At ſi nimia obtingat proſperitas, non ferè ſolet moderationi & imperio animæ ſubiici, ſed imperare potius ipſi. Quemadmodum enim refulgens lux perſtringit aciem oculorum: ſic etiam excellens fortunæ benignitas, intellectum animæ.] Similia ex Solone, Theognide, Thucydide, atque Philiſto, Clemens Alexandrinus 6. ſtrom. cap. 1.

ARTICVLVS II.

Perfectam formalem beatitudinem eſſe alterius vitæ propriam, & hîc fruſtra in quacunque hominis conditione ac ætate quærendam.

QVæ hactenus de formali beatitudine diſputauimus, ſunt cuiuis hominis vitæ communia, proportione ſeruata. Quiſquis enim aliquando beatus eſt, ſiue in hac vita ſiue in futura iis neceſſe eſt potiatur bonis, iiſque careat malis, quæ hactenus diximus adeſſe vel deeſſe beato oportere. His ergo quia communia ſunt, præmiſſis, ad duplicem illam hominis vitam delabendum eſt, præmiſſa diſtinctione formalis fœlicitatis in illam quæ perfecta eſt, nominéque beatitudinis abſolutè digna, & eam quæ imperfecta eſt, rectéque rem æſtimanti, à dignitate veræ beatitudinis longè recedit; etiamſi ob aliquam analogiam ad priorem & ſimpliciter ac abſolutè dictam felicitatem, appellationem eius ac decora, vtcunque participet.

Nemo in hac vita plenè beatus.

248. Perfectam ergo beatitudinem eoque nomine abſolutè dignam, negandum eſt habere in hac vita locum. Quod apertè agnouit Ariſtoteles 1. Ethic. capit. 9. & 10. vultque etiam Nazianzenus eo reſpexiſſe Ariſtotelem cùm definiuit beatitudinem, *operationem ſecundum virtutem in vita perfecta*, hoc eſt, (vt Nazianzenus id valdè commendans intellexiſſe videtur epiſtol. 64.) in altera vita. Quanquam Ariſtotelis verba alium ſenſum patiuntur, vel potius exigunt, vt patet ex libr. 1. cap. 7. quo hæc definitio habetur. Cur enim vitam perfectam ad beatitudinem exigat, rationem reddit, quia ſicut vna hirundo non facit ver, ita neque vna dies facit beatum, ſed diuturnitas & longitudo vitæ, quantum humanus curſus ferre ſolet ac debet, ſi de huius vitæ beatitudine ſit ſermo. Hanc perfectæ vitæ in hac definitione expoſitionem, ferunt etiam illa Philoſophi 10. Ethic. cap. 7. poſt expoſita contemplationis decora. *Perfecta ſanè fœlicitas hæc hominis eſt, vbi vitæ longitudinem perfectam eſt nacta. Nihil enim eorum quæ ſunt fœlicitatis, imperfectum eſt.* Hinc tamen poſſumus intentum colligere, nempe in altera tantum vita fore beatitudinem: quia hîc nulla eſt bonorum ſtabilitas, atque adeò neque beatitudo.

Præter expoſitionem perfectæ vitæ hactenus datam, ſuppeditat aliam ipſe Ariſtoteles 1. magn. moral. cap 4. vel potius cum hac quam dedimus iungit; nempe vt beatus ſit etiam perfectæ ætatis. Neque enim puer, eſt capax beari quamdiu puer eſt vt hic lib. 1. cap. 9 traditur. At hîc omnes pueri ſumus, non modò iuxta Apoſtolum, ſed etiam iuxta Senecam & alios Ethnicos infra proferendos. Non me latet

quàm diuerſa præterea ratione vitam perfectam cuius ſit mentio in felicitatis definitione, interpretentur Plotinus Ennead. 1. lib. 4. cap. 3. & 4. ac Iouian. Pontanus lib. 1. de prudentia cap. 31. & ex parte Mirandulanus lib. 40. euerſionis ſingul. certam. ſect. 2 Nec male quoad rem ipſam; ſed tantum quatenus deficiunt ab Ariſtotele. Eis tamen quoad aliqua præiuit Hippodamus Thurius libr. de fœlicit. Extat inter fragmenta Pythagoræorum: Ibi enim vitam perfectam ad beatitudinem exigit, eámque vitæ perfectionem longè aliter intelligit, quàm fecerit Ariſtoteles cuius mens apertè eſt quam expoſui.

Ex ea verò ſic expoſita apertè habetur, quod affirmabam; videlicet nulli hîc competere beatitudinem. Nec eſt ad id longa probatione opus: Tot enim tantiſque incommodis ſemper obſepta, imò prorſus oppreſſa eſt vita præſens, vt nemini ſano ac mentis oculos vigentes nacto, dubitare liceat, quàm procul abſit à perfecta beatitudine. Imò Triſmegiſtus cap. 6. Pimandri, ſolum boni nomen homini hîc competere contendit; naturam verò nequaquam: Et infinitorum quibus hic opprimimur malorum deterrimum eſſe cenſet, quod bona finita apud improuidos ſummi boni nomen obtineant; cùm tamen cuiuis non prorſus exoculato patere poſſit, nihil hîc ſuppetere dignum eo nomine. Quod duobus ferè modis declarari poſſe videtur: nempe primò exponendo quàm tenuis hîc nobis obtingat poſſeſſio beatitudinis obiectiuæ ſuperius conſtitutæ. Secundò exponendo incommoda longè grauiſſima, quæ omnes hîc mortales quacunque ſorte ac gradu vel ætate ſint, vndecunque obſepiunt, tollúntque complementa illa & acceſſoria fœlicitatis formalis eſſentialis quæ in Dei poſſeſſione conſiſtit; & ita connotantur per felicitatem ſimpliciter dictam, vt iis excluſis, beatitudinis ſimpliciter, nomen & decus amittat. Ordiar à primo capite, quod hic paucis perſtringendum eſt.

Noſtra hîc, circa Dei notitiam ruditas, atque adeo ad beatitudinem ineptitudo.

249. Quàm ergo modicam & imperfectam, ac ſi ingenuè dicendum eſt, Deo indignam Dei notitiam hic nanciſcamur, quantumcunque connitamur, fruſtra declararem. Dixi in eam rem quam plurima in naturali Theolog. d. 5. à numer. 183. & multa etiam habet D. Thomas 3. contra gent. à cap. 41. ad 45. refellens ſigillatim ſomnia veriùs quàm placita Philoſophorum illorum, qui aliquam intuitiuam & propriam ſubſtantiarum ſeparatarum notitiam, ipſiúſque etiam Dei, homini virtutibus intellectualibus exculto concedebant iam ex hac vita. Sed breuiter rem complexus eſt Anaxandrides apud Stobæum in Eclogis Ethicis cap. 1. dicens, *Diuina circum, caudices sw ðis ſumus. nihilque ſcimus.* Rationem fusè ac optimè expoſuit Nyſſenus homil. 8. in Eccleſiaſtem *ſub finem,* ſcitè hæc applicans illud Sapientis, *tempus tacendi:* Ait enim eſſe in hac vita tempus de diuinis rebus tacendi: Nec poſſe nos ad Deum perſpicuè ac dignè intelligendum ſubuehi, reptando à creaturis, vt hîc ſemper facere cogimur: Eo quippe modo progredientes, ſemper in nobis cognata relabimur, nec à materia vnquam, ac potentialitatis fæcibus aſſurgimus, vt par eſſet, ſi conuenientem de Deo cogitationem ſuſciperemus. Non omitto pulcherrimam ſimilitudinem qua Nyſſenus eo loco, eam quam dixi, noſtram circa Deum ruditatem declarat. *Sicut,* inquit, *inuentus in aliquo promontorio, ponatur autem rupes aliqua leuis & prærupta, infernè in rubra figura in infinitam extenſa longitudinem, & supernè habens in altitudine illud promontorium, quod in proiecto ſupercilio, in vaſtam cadit profunditatem. Quod ergo conſentaneum eſt euenire ei qui ſummo pede tangit illam veluti dorſi ſpinam, qua declinat in profundum, & neque inuenit in quo figat pedis greſſum, neque quid manu apprehendat: hoc vſuuenit anima qua tranſiit id per quod incedi poteſt in iis qua diſtinguuntur interuallorum ſpatiis, in quærendo naturam quæ eſt ante ſecula, & quam nulla metiuntur interualla: vt qua cùm nihil habeat quod apprehendat; non locum, non tempus, non menſuram, non aliquid aliud eiuſmodi noſtra cogitationis, non ſuſcipit ingreſſum: ſed vndique dilabens ab iis qua per nos poſſunt comprehendi, caligat, & eſt perplexa & perturbata; & ſe rurſus conuertit ad id quod eſt ei genere coniunctum; ſatis habens ſi de eo quod eſt ſuper omnia, hoc ſolum cognoſcat, quod perſuaſum habeat, id eſſe aliquod aliud a natura eorum qua cognoſcuntur. Propterea quando venerit ratio & oratio ad ea qua rationem ſuperant, nec verbis poſſunt explicari, tunc eſt tempus tacendi & ineffabilis illius natura inexplicabilitas habet miraculum in arcanu conſcientia.*

250. Quare intellectio Dei, quam hîc conſequi poſſumus; atque adeo ea Dei adeptio, ad quam hîc licet aſpirare, imperfectiſſima eſt, & perfectæ beatitudinis appellatione indigna. Qualiſcunque verò eſt, & momento propè dilabitur, & ea ipſa exigua mora qua durat, crebrò interciditur: Eo enim celeriùs labitur mens, vt D. Greg. 10. Moral. cap. 19. aduertit, quo ſe altiora corpus tranſgrediens appetit, vnde etiam ab ſe citò feſſa deſcendit. Non poſſumus igitur in hac vita per hîc parabilem Dei notitiam beari; Quia mens noſtra iuxta Maximum Tyrium diſſerta. 1. num. 8. quantauis hîc perſpicacia polleat, non poteſt irretorta acie iugiter in ſplendidiſſimum deitatis iubar defigi; quod tamen liquidò conuincendum eſt vt beemur. At [Quò hæc accedemus propiùs; *ait Tyrius*, quo à terra recedemus longiùs, ſemper quod ſequitur magis magiſque maniſeſtè, & perſpicuè ſe nobis offeret, & diuinæ quaſi naturæ præludet. De qua inter aſcendendum audiet: poſtquam aſcenderit, videbit. Porro meta ipſa itineris, non cœlum erit, nec quæ in eo ſunt corpora, (quamuis hæc quoque amœna ſint, & diuinitatis plena, vt pote vera eius legitimáque progenies, & quâm fieri poteſt pulcherrimè conſtructa.) Sed & hæc tranſcendenda ſunt, ipſúmque ſupra cœlum caput proferendum donec ad verum illum, quem quærimus locum, eiúſque ſerenitatem veniamus.]

Quam non fuſcat hyems, nec multo ſemper ab
imbre
Tingitur ——
—————— Sed candidus aër
Diſpergit nebulas, & lux puriſſima cingit.

Vbi nullus corporis huius affectus, qui miſerrimam hanc animam dum hic eſt, exercet, & quicquid in ea contemplationi vacare poteſt, fremitu ſuo tumultúque in præceps agit, contemplationi noſtra interueniet. Quem enim, quaſo, tot cupiditates, tot curarum monſtra, Deum eiúſque naturam intelligere patiantur, ac non continuè, tumultu ſuo interturbent? Non magis quàm in ſtatu populari, cùm diuerſa plebs fremit, & fluctuat, legis vocem intelligere poteſt aliquis aut Principis.

Namque virûm magno in fremitu quis verba loquentis
Audiat?

Idcirco animus cùm in hunc tumultum incidit, ſeméque immenſis hiſce fluctuum verticibus ſe dedit, mare hoc intranabile nauigat, donec Philoſophia ſubueniat qua nauigantem excipit, rationémque illi ſuam, ſicuti viam Vlyſſi Leucothea ſubſternit. Hoc ergo mare qua ratione emerges Deúmque videbis? plenè

quidem

quidem & perfectè cùm ab eo vocaberis quod paulo poſt futurum eſt Tu modò mane & expecta, dum vocet. Iam ſenectus aderit, quæ eò te deducet: Iam mors aderit, quam imbelles deplorant, cuius aduentum tremunt: Quiſquis contrà Deo iungi amat, cum gaudio expectat, forti animo excipit. Quod ſi etiam dum hic es naturam eius vis diſcere, quis id præſtabit ſatis?

Alterum fœlicitatis obſtaculum, fluxa conditio rerum noſtrarum.

251. Huic eſſentiali ac primario defectui, felicitatis in hac vita parabilis, accedit ſecundus, quem ſuprà addebam expendi inſuper in hanc rem poſſe. Nempe miſera ſors, qua perpetuò rotamur & agitamur, de nullo vnquam bono adepto ſecuri, & innumeris ſemper incommodis obſepti, aut etiam oppreſſi: Quo in ſtatu rerum quis poſſit eſſe fœlicitati locus? Expendamus breuiter ſingula. In primis bonorum quorumuis noſtratium, ea eſt caducitas & infidelitas vt meritò dicere liceat cum Tyrio, diſſert. 37. numero 213. quem ex parte adduxi ſupra numer. 134. res omnes noſtras inſtar fluuij decurrere, nec vnquam vultum ſeruare ſuum. Sed inſigniter planè eas cum torrente confert S. Auguſtinus ad Pſalm. 109. calcem. *Quis eſt*, inquit, *torrens? Profluxio mortalitatis humana. Sicut enim torrens pluuialibus aquis colligitur, redundat, perſtrepit, currit, & currendo decurrit, id eſt curſum finit, ſic eſt omnis iſte curſus mortalitatis. Naſcuntur homines viuunt, moriuntur & aliis morientibus alij naſcuntur, rurſúſque illis naſcentibus alij moriuntur, & illis morientibus, alij oriuntur; ſuccedunt, accedunt, decedunt, nec manebunt. Quid hic tenetur? Quid non decurrit? Quid non quaſi de pluuia collectum it in abyſſum? Quomodo enim fluuius repente collectus de pluuia de guttis imbrium, it in mare nec apparet, quia nec apparebat antequàm de pluuia colligeretur, ſic hoc genus humanū de occultis colligitur & profluit morte rurſum in occultum vergit medium ho. ſonat & tra ſit* Res item noſtras quaſcunque, & nominatim ætates, fluuiorum more decurrere, perpulchrè tradit in Pſ. 65. ad illud, [in flumine pertranſibunt pede.] De omnibus rebus humanis idem habet in Pſal. 136. ad illud [ſuper flumina vbi etiam S. Hilarius. In eandem ſententiā & rum noſtrarum cum fluuio comparationem, habetur perelegans diſputatio apud Senecam Epiſt. 58. & apud Nyſſenum dialog. cum Macrina. Ad idem inſtitutum, bene multa vndecunque congeſſit Lælius Biſciola tom. 2. ſubſec. lib. 13. c. 7. Hominis item rerúmque humanarum omnium, collatio cum folio quod vento rapitur vulgatiſſima eſt, & à Poëta vſurpata Iliad. 6. eo carmine quod Pyrrhoni Academico perpetuum in ore fuiſſe ſcribit Laertius.

Tale quidem genus eſt hominum quale eſt foliorum
Quorum hac ventus humi fundit nec non illa vireſcens
Profert ſylua. ſimul veris iam aſſlauerit aura.

Annuit Ariſtophanes, ex quo iſta Clemens Alexand. lib. 4. ſtrom. c. 4. [Agite obſcuræ vitæ homines, generationi foliorum ſimiles, imbecilli. ceræ figmenta, folia inſtar vmbræ reddentia, euanidi, inuolucres, vnius tantum diei vitam habentes.] Addit ex Epicharmo *homines vitam eſſe vires inflatos* quod vſurpauit Nyſſenus, orat. in differt. baptiſmum.

Nec minus appoſitè dicere liceat cum Philone l. de Ioſeph vitam noſtram vniuerſam, ſomnium commune ac publicum, vigilantium non dormientium eſſe, & quæcunq; hic proſequimur, quantumuis ſplendida & ad beatitudinem ex vulgi ſenſu ſufficientia, nihil niſi ſomnia eſſe. Vnde concludere fas erit, beatum hîc neminem eſſe aut dici poſſe niſi per ſomnium. Decerpo aliquid ex ſcriptoris elegantiſſimi oratione. [Sōnium ne quid mentiar, eſt vita hominū. Nam ſicut in ſomniorū viſionibus videntes non videmus, audientes non audimus, guſtantes aut tangentes nec guſtamus nec tangimus, loquentes non loquimur, deambulantes non deābulamus, ſed cū videamur vti motibus & habitibus nullo prorſus vtimur; mente inaniter ſine vllis veris obiectis pingēte ſibi ſimulacra rerū non exiſtentiū tanquā exiſtentiū: Eodē modo etiā vigilantiū imaginationes ſōniis ſunt ſimillimæ; veniunt, abeunt, occurrūt, refugiunt, priuſquā cōprehēdantur, auolāt. Diſquirat quiſq apud ſe & domi teſtimonium inueniet, vt ipſe taceā. Præſertim ſi quis eſt ætate prouectior, is fuit aliquādo infans, mox puer, deinde pubens, deinde adoleſcens poſtea iuuenis, poſtea vir, poſtremo ſenex, ſed non ſimul omnia. Nonne infans puero cedit, puer pubenti, pubens adoleſcenti, adoleſcens iuueni, iuuenis viro, vir ſeni, ſenex morti? Et fortaſſe ſingulæ ætates decedendo præmoriuntur, natura nos paulatim docente non timere mortem extremam omnium, quando priores facilè tulimus, infantiæ, pueritiæ, pubertatis, adoleſcentiæ, iuuentutis, virilitatis, quæ omnes ætates ante ſenectutem euanuerunt. Quid aliæ res corporis nonnè ſomnia ſunt? Nonne pulchritudo momentanea, penè prius marceſcit quam floreat? Sanitas incerta, infirmitatibus obnoxia. Robur, morbis expugnabile per occaſiones plurimas: Senſuum integritas, humoribus vitioſis facilè corrumpitur. Iam quanta ſit in rebus externis obſcuritas quis neſcit. Ingentes opes ſæpè vna dies abſtulit. Multi honoratiſſimi antea, verſis rerū vicibus in cōtemptū venerunt cū ignominia. Imperia Regū maxima, breui temporis momento ſubuerſa ſunt.] Addit plurima in eandem ſententiam.

252. Inſiſtit egregiè eidem comparationi Max. Tyr. ſerm. 28 & feſtiuè Dio Chryſoſtom. orat. 33. qui plurimos hominum Tarſi vbi ad populum agebat, & vt mox ſubdit alios quoque, erectos & inter eundem ac loquendum dormientes ac ſomnia ſomniantes, deſcribit. [Si verò, *inquit*, vigilare pluribus videntur falſum hoc eſt: nam & lepores: inexpertorum aliquis diceret vigilare ſi videat dormientes. Vnde igitur hoc colligunt? Ex aliis quibuſdam quæ ſomni ſigna ſunt quia oculi eorum aperti ſunt. Quid igitur faciunt dormientes? Multa quidem & alia propemodum autem omnia illorum opera ſomniis ſunt ſimillima. Nam & gaudent fruſtra, & contriſtantur, & confidentes ſont, & metuunt cùm nihil adſit metuendum & conantur & concupiſcunt impoſſibilia, & ea quæ non ſunt eſſe putant, & quæ ſunt non ſentiunt.]

En quomodo plerique omnes afficiantur mortalium etiam cùm maximè negotioſi videntur. Somnia ſibi fingunt, & deuinctæ rationis inanibus ludibriis mox diffluxoris agitantur. Verſat eandem ſomnij cum humanis rebus comparationem; è noſtris S. Hieronymus epiſt. 139. explanans quod Pſalmo 89. legimus *Quæ pro nihilo habētur eorum anni erunt* aut vt ille ex Hebræo vertit *Percutiente te eos ſomnium erunt manè.* In quem locum fugacitatem temporis, & variarum hominis ætatum (vt ita dicam) mortem, ſummam que rerum noſtrarum caducitatem, pulcherrimè deſcribit. Videndus in eandem ſententiam S. Auguſtinus in Pſalm. 62. ad illud, *quam multipliciter tibi caro mea*, & in Pſalm. 76. ad illud, *annos æternos in mente habui* & perpulchrè ſermone 32. ex 40. nouis, Prudentius pulcherrimè, hymno 1. Cathemer. *in fine.* S. Chryſoſtom. ſerm. de vanit. & breuit. vitæ, qui hebetur tom. 5, & Seneca epiſt. 12. & 24, iuxta

quos omnis vita noſtra iuge quoddam ſomnium eſt, falſa rerum imagine deludens quam improuidi ſibi pro vera ſpecie ſubſtituunt. Accidit eis quod aiebat ille errore ſoluto in Satyrico,

Nocte ſopiſera, veluti cum ſomnia ludunt
Errantes oculos, effoſſaque protulit aurum,
In lucem tellus, verſat manus improba furtum;
Theſaurósque rapit, ſudor quoque perluit ora,
Et mentem timor altus habet, ne forte grauatum
Excutiat gremium ſecreti conſcius auri:
Mox vbi fugerunt eluſam gaudia mentem
Veráque forma redit, animus quod perdidit optat;
Atque in præterita ſe totus imagine verſat.

En veram imaginem, fruentium in huius vitæ ſomno, creatis bonis: qui ſuum errorem, ſoluto tandem in vigilia æterna ſopore, ſerò deprehẽdent. Itaque meritò cũ Minutio dixerim in Octauio n.69. *Quæ poteſt eſſe ſolida felicitas, cùm ſit ſomnio ſimilis? Antequam teneatur elabitur.* Et eum Platone variis locis quæ collegit Viues ad 8. de ciuit. c. item 8. non poſſe cuiquam in hac vita veram beatitudinem obtingere ob nimiam elongationem à plena cognitione ſummi veri, & tantam noſtratium bonorum infidelitatem, facilémque vnius ſyllabæ acceſſum, ad hoc quod apud nos felicitas dicitur vt optimè ait Seneca epiſt. 121.

Spinoſitas earundem, excludit beatitudinem.

253. Ferenda porrò eſſet tanta rerum noſtrarum inanitas, eóque minus à beatitudine remoueretur, ſi ad fluxam & inſtabilem earum conditionem, innumeri ab eis aculei, ac fodicantes omnium dolorum ſtimuli, in miſeriæ cumulum nõ accederent. Nunc autem omnia ſentibus ac ſpinis conferta. Pungimur vndecunque nec vlla eſt viuendi ratio, ab innumeris incommodis, magnaq; triſtitiæ ac moleſtiæ ſemente, immunis. Quod luculenter proſequitur Nazianzenus, carmine de vilitate externi hominis, & præclarè Dio Chryſ. orat. 23. iuxta quem, *Si ſemel deflendi ſunt homines propter infœlicitatem, & natos conuenit lamentari, aduenturorum ipſis malorum cauſa, & mortuos, quòd multa & atrocia paſſi ſint; & omnes, quòd ſint in malis. Itaq; tempus eſſet, iuxta Poetam, nunquam ceſſare à luctu, multò magis quã luſciniæ. Illæ enim dicuntur lamentari hyem. homines autem par eſſet lamentari vere & hyeme:*

Præclarè etiam Poſidippus apud Clementem 6. Stromat. cap. 1. & idem vel certè Crates apud Stobæum ſerm. 98. *Quod quis inſiſtet genus viuendi. Nam in foro ſunt lites & actiones moleſtæ in ædibus autem, curæ, vxori, labores nimij, at in mari timor eſt; in peregrinatione, ſi quid habes, metuendum; ſi nihil, moleſtum eſt. Nuptus es, non ſine curis eris; non ducis vxorem, eo magis ſolitariam vitam agis; liberi dolores pariunt orbitas, vita eſt ſine liberis iniucunda. Iuuentus ſtolida eſt, ſenectus, verò infirma Ex duobus igitur eligendum eſt alterutrum, aut naſcè nunquam, aut ſtatim natum vita defungi.*

Inſigne & illud ex Telete lib. de vita. *Si felix vita ex maiore voluptatum numero per collationem ducenda eſt nullus, vt ait Crates fœlix fuerit. Sed ſi quis omnes vitæ ætates per ſe conſideret, longè plus dolorum inueniet Primùm enim totius temporis dimidium, quo ſumnus capitur, indifferens eſt: Deinde quantumcunque temporis circa infantiam inſumitur, laborioſum eſt. Eſurit infans, à nutrice ſopitur: ſitit, lauatur, dormire vult, nutrix quatit crepitaculum. Vbi iam nutricem effugit, aſſumit ipſum Pædagogus, pædotribus, ludi magiſter, muſicus, pictor. Adultior fit accedit Arithmeticus, Geometra, equitandi magiſter: ab omnibus iſtis cæditur, diluculo excitatur, nullum otij tempus habet. Ephebus eſt factus, rurſus moneratorem metuit, pædotribam, hoplomachum, gymnaſiarcham: ab iſtis omnibus flagris afficitur, obſeruatur, cruciatur. Ex ephebis exceſſit, & annos iam natus eſt viginti, adhuc metuit, & obſeruat. Excubare ſicubi oportet, illi excubant. Cuſtodiendum aut vigilandum eſt, illi cuſtodiunt. In naues intrandum, iidem intrant. Virilem deinde ætatem & vigorem aſſecutus, militat; legationes obit nomine ciuitatis, exercitum ducit, præeſt choro, certaminibus & præmiis conſtituendis præficitur. Interim verò laudibus extollit vitam ſuæ pueritiæ. Declinans tandem atque ſeneſcens iterum puerilem educationem recipit, & iuuentutem deſiderat. O grata mihi iuuentus: ſenecta verò, onus Ætna grauius. Itaque non video quomodo quiſquam felicem ætatem viuere poſſit, ſi pro voluptatum abundante numero metienda ſit.* Planè ſimilia habet Plato initio Epinomidis.

254. Inter hæc ergo tam conferta & tam grauia incommoda, quæ affulgere poteſt ad fœlicitatem ſpes vt ratiocinatur Diuus Auguſtinus 19. ciuit. c. 4. Non affulſit certè Ariſtoteli qui eas quas dixi mœroris moles homini incumbentes cõtemplatus, vt eſt apud Stobæum ſermone 98. in hunc modum deſcribit hominem. *Quidnam eſt homo? Imbecillitatis exemplum, temporis ſpolium, fortunæ luſus, inconſtantiæ imago, inuidiæ & calamitatis trutina: reliquum verò pituita & bilis.* Luſum fortunæ vocauit, quem Plato 1. & 7. de legibus, vocauit παίγνιον θεῶν valdè approbante Syneſio orat. de prouid. verbis illis: *Mihi præclarè dictum videtur homines Dei ludibrium eſſe, eundémque rebus humanis perinde ac alea luſitate. Idq; cùm primus ex Græcis Homerus animaduertiſſet, in Patrocli exequiis ludos inſtitutos finxiſſe, in quibus de quorum victoria maior omnium erat expectatio, eorum ſemper inferior eſt conditio.* Varia huius ludi exempla annotat Syneſius: & aſtipulatur qui hominem Dei item ludum præfatione adhibita appellat, Nazianzenus carmine de vtilitate externi hominis. num. 32. Quanquam ibi Græcus interpres aliò detorſit mentem Theologi; ratus affirmari ab eo, hominem eſſe eiuſmodi ludum Dei, vt ſicut in ſcena, fabuloſa rerum ſpecies à laruatis exhibetur; mox autem ludo finito ac detractis laruis, qualis eorum quiſque erat, apparet; ita omnes hîc in vita velut in theatro ac ſcena, coram numine perſonam nobis ab eo impoſitam ſuſtineamus, laudem vel vituperium reportaturi, cùm corporis integumentum ac veluti laruam, ludo vitæ conſummato poſuerimus. Ita Græcus interpres non aliena ab hoc negotio ſententia, & conſentanea ad Epictetum, Tyrium, Antoninum, & alios cum externos tum noſtros à quibus ea ſcenæ cum humana vita comparatio, frequenter vſurpatur, vt referam infra agens de virtute conſtantiæ. Reuera tamen Theologus, carmine allegato, aliud intendit vt benè ibi aduertit Billius. Significare enim voluit Deum in rebus humanis ludere ſolere, ac veluti aleatorem agere, quod Plato item voluit 7. de leg. vocans hominem, *ludum Dei:* Tametſi noc me latet in quàm alium ſenſum ea Platonis verba detorqueat Piccolomineus gradu 9. Moral. toto cap. 7.

Volo Ariſtotelicæ hominis deſcriptioni quam nunc adhibui & illuſtraui, aliam addere ex Chryſoſtomo homil. in illud Pſalmi 38. *verantamen fruſtra conturbatur.* Tanto enim aurei eloquij profluuio circa illud argumentum voluitur, támque graphicè noſtram infelicitatem in tot ærumnis & calamitatibus contuendam exhibet, vt nihil cenſeam apud eos qui dicendi facultate valuerunt extare in hoc genere luculentius atque robuſtius. Non poſſum tamen niſi vnam & alteram periodum diffuſioris diſputationis repræſentare *Fruſtra,* inquit, *conturbatur omnis homo viuens. Perturbatur & tandem interibit ac peribit. Perturbatur & antequam confirmatus ſit, conculcatur:*

tur: Vt ignis incenditur, & inſtar arundinis in cinerem excidit. Vt procella extollitur, & vt puluis terra, adaquatur: Vt flamma excitatur & inſtar fumi diſſipatur: Vt flos forma eſt praſtanti, & fœnum in exſiccando imitatur: Vt nubes conglobatur, & tanquam gutta imminuitur: Vt denique bulla inflatur, & ſcintilla inſtar extinguitur. Perturbatur & inſatiabili cupiditate, fœdum vtrúmque odorem ſibi parit: Perturbatur, & eum ei perturbatio nulli vſui fuit, extinguitur. Eius ſunt motus & perturbationes, aliorum delicia: Eius labores, aliorum theſauri: Eius cura, aliorum voluptates: Eius aduerſa res, aliorum ſecunda: Eius execrationes, aliorum clientela: Eius rapina, aliorum oblectationes: Eius gemitus aliorum, verum omnium abundantia: Eius lachryma, apud alios pecunia: Ipſe denique in inferis ſuppliciis afficitur, alij contra bonis eius cum cantu perfruuntur. Veruntamen fruſtra conturbatur omnis homo viuens. Homo, vita vſura qua ad tempus durat, mortis non fictum debitum, conſultò indomitum animal, improbitas qua per ſe docetur, inſidia qua ſponte ſua docentur, id quod arte inſtructum eſt ad maleficium, quod ad iniuriam induſtria praditum eſt, ad auaritiam compoſitum & paratum, ad explctionem inſatiabile, natum ad perfidiam, infinitus ſpiritus, gloria oſtentatrix, exulcatio & feror in qua facile ſedatur, elatio qua paruo negotio deletur, audacia qua facilè capitur, cenum arrogantia plenum, cinis feſtiuoſus, puluis elato animo, cinis inflatus, ſcintilla qua facilè extinguitur, flamma qua facilè marceſcit, lucerna inſtabilis, lignum cuius interitus procliuis eſt, fœnum quod exarnit, herba qua facilè a. estù moritur, natura qua facilè conficitur & conſumitur. Qui hodie minatur, & cras excedit è vita: qui hodie diuitiis abundat, cras ſepulchro tegitur: qui hodie regia corona ornatur, & cras inhumatur: qui hodie purpura fulget & cras effertur: qui hodie in theſauris verſatur, & cras in buſtos: qui hodie cum aſſentatoribus viuit. cras cum vermibus: qui hodie eſt, & cras nullus eſt: qui hodie à cohorte cuſtoditur, & paulo poſt lugitur: qui in ſecundis rebus tolerari non poteſt, & in aduerſis nulla conſolatione leuari poteſt: qui ſe ipſo ignorat, & in iis cognoſcendis qua naturam ipſius longè multúmque ſuperant, occupatur: qui id quod adeſt & praſens eſt, neſcit, & de rebus futuris cogitat: qui natura ſua mortalis eſt, & animi elatiore ductus, vt ſibi videtur immortalis eſt. Omnium morborum propoſita acceſſio, facillimum omnis perturbationis domicilium, quotidianarum febrium ſine vllo delectu gymnaſium, omnis denique doloris paratum diuerſorium homo eſt. Ohe iam ſatis eſt. Quanquam Chryſoſtomi quidem vbertas in tam feraci argumento, ibi non ſiſtit: ſed continenti oratione, procelloſum in homine mare, tempeſtates, ventos, nimbos, ac turbines repreſentat: vt in tanta perturbatione & iactatione, tanta rerum noſtrarum veluti vndarum colliſione atque ſalſugine, non poſſit eſſe ambiguum, quàm procul à felicitate viuat, omnis homo viuens.

Noſtra corporis & animi arumna, beatitudinem arcent. Sententia Philoſophorum.

255. At fingamus ſtabiles & moleſtiarum expertes eſſe res noſtras. Quid noſtri ipſorum, (vt extrinſeca quæcunque ſeponamus,) compages, quantis ærumnis & infelicitatibus origo eſt? Quàm fœcundus ac ferax huiuſmodi paliurorum ac tribulorum eſt ager corporis ac animi noſtri? Infiniti in hac parte ſunt & externi & noſtri. Itaque pauca duntaxat ſelectiora ex nonnullis delibabo, ex quibus perſpici liquido queat, quam ob cauſam apud Stobæum ſerm 44. Apharantes referente Nicolao, in opere de moribus gentium. Soli orienti conuiciari ſoliti eſſent, quòd tam multa mala noſtro conſpectui offerat. Verè enim ſiue quæ intra, ſiue quæ extra nos ſunt, conſideremus, vndecunque mala & miſeriæ, & mœroris ac luctus argumentum multiplex ſuppetit. Sed audiamus quorundam ſapientum de re propoſita iudicium.

Hipparchus Pythagoræus lib. de animi tranquillit. hominibus hanc vitæ peregrinationem obeuntibus, commendatiſſimum eſſe vult vt ſeipſos & res ſuas inſpiciant, *Nempe quod mortales ſint, & ex carne conſtent; corpus offenſu facile & corruptibile gerant, denique grauiſſima quæque ad vltimum vſque ſpiritum expectare cogantur. Primùm enim lugenda ſunt qua circa corpus eueniunt, morbi coſtales, pulmonarij, phrenitides, podagra, ſtillicidia vrina, tormina, veterni, comitiales, putredines. & infinita alia. Circa animam verò, longè maiora & difficiliora contingunt, Siquidem omnia quæ per vitam committuntur nefanda mala, illegitima, & impietates ex animi affectibus oriuntur. Nam propter immoderatas contra naturam cupiditates, multi in affectus effranatos inciderunt: & nec à filiabus, nec à matribus ſuis impuriſſima voluptate capienda ſibi temperauerunt: quinetiam parricida facti ſunt, & multi eorum ſuos liberos iugularunt. Quid illa recenſeam, qua foris impendent nobis, per imbres, ſqualores, æſtus immodicos, & nimia frigora, ita vt frequenter propter inaqualem aeris intemperiem peſtis & fames, & alij multi diuerſique caſus fiant, integra ciuitates deſolentur? Cùm igitur huiuſmodi multa nobis immineant, neque corporis dotibus gloriantes efferri debemus, vt qua vel exigua febricula Deûm voluntate immiſſa, ſtatim emarceſcant: nec externa proſperitate, vt putatur, Et hac enim vt plurimum citius perire, quam oriri ſolet. Quippe hac omnia incertam ac inſtabilem obtinere naturam, & in multis variiſque mutationibus gigni, exploratum habemus; & nihil ipſorum permanere, nec immobile aut firmum aut continuum eſſe,*

256. Maximus Tyrius, eundem fuiſſe Academiæ ſenſum ita prodidit, diſſert 25. num. 146. *Quis non videt quam multa paſſim circa terram verſentur, quàm multis luctibus ſuſpiriiſque terram impleant? Qua omnia tanquam fato quodam vitam humanam comitantur. Deplorat hoc corpuſculum morbos ſuos, à quibus obſidetur; deplorat incertam valetudinis conditionem, & ambiguitatem vita. Qua namque ætas aut tempus eſt, quo non à malo aliquo oppugnetur? Nonne ſimul ac natum eſt, humidiſque matris è locis recens auulſum luto ſordibúſque diffluit, vagitu omnia complet ac lachrymis. Poſteà ſi ad ætatis florem adoleſcat, feruore quodam & intemperie agitur. Si ad pubertatem, pra ardore animi & vehementia, nullis conſiliis in officio contineri poteſt, nullis monitis. Si ad ſenectutem, paulatim moritur. & deflorescit. Nihil denique aliud quam inutile, moroſúmque fit ac difficile anima hoſpitium, quod nec imbres ferre amplius, nec ventos, nec ſolem. De omnibus denique cœli tempeſtatibus conqueritur, & cum ipſo Ioue in certamen venit. Si hyems adueniat, veſte multa tegitur: Si æſtas, refrigerari petit: Si cibis ſe repleuerit euacuare eos optat: Si euacuauerit, rurſus ſe replet. Denique vt Euripus aliquis aut maris reſluxus, nunquam conſiſtit, nunquam, quieſcit. Inſatiabile eſt, contumax eſt, vorax eſt: Veſtibus eget, eget calceis, vnctionibus eget, eget medicamentis eget lauacris. Cúmque mille equos equiſo vnus, infinitas oues paſtor vnus regat, infinitas boues vnus bubulcus; vni corpori manus plurima. plurima inſeruiunt artes. Nec hoc ſufficiunt omnia. Quam enim hactenus artem inuenire potuerunt homines, qua aut peſtem auertere aut cœlo cadentem vim pluuia cohibere. aut terra motum ſiſtere, aut ignem è terra ſurgentem poſſent extinguere? Vides malorum ſeriem ſucceſſionémque mutuam, vides continuationem periculorum.*

Nil nutrit tellus homine infelicius vno.

Quod ſi ad animam venias, videbis & hinc morborum agmen quibus obſidetur ea. Si mœrorem abſterſeris, metus ſuccedit; ſi metus receſſerit, ira excitatur; Si ira deſinit, inuidia accedit, nec vlla vnquam certa quies contingit.

Contraxiſſe in pauca Maximum Magiſtrum ſuũ, videtur Antoninus libr. 2. numer. 19. (Nam Maximum agnoſcit Magiſtrum, cùm alibi, tum nominatim libr. 1. num. 15. déque eius Magiſterio gratias Deo agit ibid. num. 17.) Sic igitur conſentanee ad propoſitam ex Maximo doctrinam, Antoninus lib. 2. num. 19. *Humana vita tempus, momentum eſt, natura fluxa, ſenſus obſcurus: Totius corporis temperamentum putreſcit facilè; anima vaga eſt; fortuna quæ ſit, difficile eſt colligere; fama incerta eſt. Atque vt ſummam rei dicam, omnia quæ ad corpus pertinent fluuÿ naturam habent: quæ ad animum inſomnÿ & fumi: vita bellum eſt & peregrinatio; fama poſt mortem obliuio eſt.* Idem lib. 10. num. 22. *Æuum totum & vniuerſa natura,* homines inquam, qui toti retro æuo coexſtiterunt, vt ſæpè alibi eadem ſenſa reuoluens exponit, *ratione ſubſtantiæ, nuclei ſunt oliuarum: ratione temporis, terebri conuerſio.* Comparationem hominis cum oliua quæ maturitatem conſecuta, decidit, vſurpat quoque libr. 4. num. 39. nucleum haud dubiè cum anima & interno homine conferens, corpus cum circumiecta ſubſtantia quæ & caro dicitur apud Plinium lib. 15 cap. 3, Itaque hominis cum oliuo collatio, recidere videtur in eam Epicteti ſententiam quam laudat idem Anton. lib. 4 num. 35 dicens homini: *Animula es quæ cadauer geſtat.*

257. Plinius argumentum in quo verſamur, tractat elegantiſſimè in præfatione libri ſeptimi; niſi quod naturam perperam incuſat, ob tot noſtras & corporis & animi ærumnas, & veram tot incommodorum noſtrorum à prima ætate cauſam non perſpexit. Eſt tamen eius oratio potentiſſima ad id quod intendimus conficiendum, & contundendam humanam ſuperbiam, quæ plerumque in ſuis miſeriis ac ærumnis pabulum elationis deprehendit. Ita habet: *Hominis cauſa videtur cuncta alia genuiſſe natura, magna & ſæua mercede, contra tanta ſua munera: vt non ſit ſatis æſtimare, parens melior homini, an triſtior nouerca fuerit. Ante omnia vnum animantium cunctorum, alienis velat opibus: cæteris, variè tegumenta tribuit, teſtas, cortices, coria, ſpinas, villos, ſetas, pilos, plumam pennas, ſquamas, vellera. Truncos etiam arboréſque cortice, interdum gemino à frigoribus & calore tutata eſt. Hominem tantum nudum & in nuda humo, natali die abiicit ad vagitus ſtatim & ploratum, nullũmque tot animalium aliud ad lachrymas & has protinus vitæ principio At Hercule riſus, præcox ille & celerrimus, ante quadrageſimum diem, nulli datur. Ab hoc lucis rudimento, quæ ne feras quidem inter nos genitas, vincula excipiunt, & omnium membrorum nexus: Itaque feliciter natus iacet, manibus pedibùſque deuinctis, flens animal cæteris imperaturum & à ſuppliciis vitã auſpicatur: vnam tãtum ob culpam, quia natum eſt. Heu dementiam, ab iis initiis exiſtimantium ad ſuperbiam ſe genitos? Prima roboris ſpes, primúmque temporis munus, quadrupedi ſimilem facit. Quando homini inceſſus? Quando vox? Quando firmum cibi os? quandiu palpitans vertex ſumma inter cuncta animalia imbecillitatis indicium? Iam morbi tótque medicina contra mala excogitata, & hæ quoque ſubinde nouitatibus victa. Cætera ſentire naturam ſuam, alia pernicitatem vſurpare, alia præpetes volatus, alia vires, alia nare. Hominem ſcire nihil ſine doctrina, non fari, non ingredi, non veſci: breuitérque non aliud natura ſponte, quàm flere. Itaque multi extitere qui non naſci optimum cenſerent, aut quam ocyſſimè aboleri. Vni animantium luctus eſt datus, vni luxuria, & quidem innumerabilibus modis ac per ſingula membra: Vni ambitio, vni auaritia, vni immenſa viuendi cupido, vni ſuperſtitio, vni ſepulturæ cura, atque etiam poſt ſe de futuro. Nulli vita fragilior; nulli rerum omnium cupido maior, nulli pauor confuſior; nulli rabies acrior.*

Dio Chryſoſtomus orat. 30. ex Charidemi moribundi oratione, ſapientiſſimè idem demonſtrat in hunc modum. *Aiebat nos compoſitos eſſe ex iis quæ nos torqueant, nempe ex anima & corpore. Illam enim deſideria, & ægritudines, & iras, & timores, curáſque, & ſexcentas tales in ſe habere affectiones, atque dies noctéſque ſemper ab his diſtendi & rotari: Etenim quicunque etiam moderatius affectus eſt, in vniuerſum tamen ab horum nullo plenè abſolutus eſt: ſed quemadmodum feras intus habet incluſas, vti pariter & ſuadela quadam coactas quieſcere. Si verò vel modicum eſſet in cantando & attendendo continuò tum valdè ea moueri. Corpus autem vertigines, & conuulſiones, & morbos comitiales, atque alios habere morbos, quantos nemo ſermone conſequi queat? vt quod ſanguinis & ſpiritus plenum ſit, præterea ex carnibus & neruis & oſſibus conſtet, ex mollibus & duris, & humidis & aridis, & breuiter ex diuerſiſſimis. Et cibaria, vt dixi, cùm ſint pernicioſa, & aer variè diſpoſitus, in corporibus alios quidem morbos intendere, alios autem excitare, qui prius non videbantur ineſſe, inerant autem in corporum natura. Et hæc quidem mala, intus in nobis ipſis premere Alias autem pœnas extrinſecus accidentes, ſi quis comparet, ex natura orientibus eſſe leniores. Ignis enim & ferri natura, & plagarum, & aliorum, acutè & citò ſenſum perimit, ſi quis vel paululum modum tranſcendat. Morbi autem nonnunquam ſenſum exedunt in longum tempus Talibus ergo & tantis compreſſos homines, in hac cuſtodia & hoc carcere, manere præfixum vnumquemque tempus: neque ante diſcedere plurimos, quam alium ex ſe procreatum relinquant cruciatuum ſucceſſorem, partim vnum partim plures. Manere autem eos non ſponte ſed vna omnes catena vinctos, & corpora & animas: ſicut in noſtro ſæculo videre licet in vna catena multos ex ordine vinctos; hos quidem deformes, illos autem formoſos. Nihilo verò minus, omnes ex æquo in eadem neceſſitate teneri.* Hoc de catena omnibus hic iniecta, déque eadem cuſtodia circumdante vniuerſos, & quod omnis vita ſeruitium ſit, tradit illuſtriſſimè Seneca lib. de tranquillit. animi cap. 10. Nec ſanè incommodè inde aperiuntur quot quantiſque hic premamur imo opprimamur incommodis.

258. Inſigniter præterea in hoc argumento verſatur Hippocrates epiſt. ad Damagetum, qua Democriti nomine exagitatur hominis vita, eiúſque & corporis & animi ærumnæ latè recenſentur. Et animo quidem homo infinitis iiſque abſurdiſſimis cupiditatibus obnoxius deſcribitur, quorum pleniſſimis ac populoſiſſimis examinibus, (quæ latè quoque deſcribit Porphyrius lib. 2. de abſtinent.) incredibile eſt quam miſerè afficiatur & lancinetur animus: Corpore autem à natiuitate *totus eſſet morbus* pronunciatur. Perpetuum eius defluxum ac mortem iam à vitæ exordio inchoatam, deſcribit elegantiſſimè Seneca epiſt. 58 [Nemo noſtrũ, *inquit*, idem eſt in ſenectute qui fuit iuuenis. Nemo eſt manè qui fuit pridiè. Corpora noſtra rapiuntur fluminum more. Quicquid vides currit cum tempore Nihil ex his quæ videmus manet. Ego ipſe dum loquor mutari iſta, mutatus ſum. Hoc eſt quod ait Heraclitus. In idem flumen bis non deſcenditur. Manet idem fluminis nomen, aqua tranſmiſſa eſt Hoc in amne manifeſtius eſt quàm in homine. Sed nos quoque non minus velox curſus prætervehit.

Et

Et ideò admiror dementiam noſtram, quod tantoperè amamus rem fugaciſſimam, corpus: timemúſque ne quando moriamur; cùm omne momentum mors prioris habitus ſit. Vis tu timere ne ſemel fiat, quod quotidie fit?] Similia pulcherrimè epiſt. 24. claudens eo amici verſu.]

Mors non vna venit, ſed quæ rapit, vltima mors eſt.
Gemina extant apud Quintilianum in Mathematico.

Nonnulla ex noſtris in eandem rem.

Ex Chriſtianis Doctoribus, quod perpetui propè ſunt in hac veritate & confirmanda & illuſtranda, nõ eſt quod multa conquiram. Legantur qui de humanæ naturæ vulneribus & ſauciatione ſplendidè ſcripſerunt, Gulielmus Pariſienſis tract. de vitiis cap. 2. Andreas Vega toto lib. 2. in Concil. Trid. & Bellarminus lib. 6. de amiſſ. gratiæ & ſtatu peccati à c. 9. ad 14. Mihi Diui Auguſtini locus, (ſed palmaris & in hanc rem planè illuſtris,) pro omnibus eſſe poſſe videtur. Sic enim diſputat 22. ciuit. cap. item 21. arceſſens à prima origine ærūnas noſtras & infelicitatem. [Omnium mortalium progeniem fuiſſe damnatam, hæc ipſa vita, ſi vita dicendi eſt, tot & tantis malis plena, teſtatur. Quid enim indicat aliud horrenda quædam profunditas ignorantiæ, ex qua omnis error exiſtit, qui omnes filios Adam tenebroſo quodam ſinu ſuſcipit, vt homo ab illo liberari ſine labore, dolore, timore non poſſit? Quid amor ipſe tot rerum vanarum atque noxiarum; & ex hoc mordaces curæ, perturbationes, mœrores, formidines, inſana gaudia, diſcordiæ, lites, bella, inſidiæ, iracundiæ, inimicitiæ, fallacia, adulatio, fraus, furtum, rapina, ſuperbia, perfidia, ambitio, inuidentia, homicidia, parricidia, crudelitas, ſæuitia, nequitia, luxuria, petulantia, impudentia, impudicitia, fornicationes, adulteria, inceſta, & contra naturam vtriuſque ſexus tot ſtupra atque immunditiæ, quas turpe eſt etiam dicere; ſacrilegia, hæreſes, blaſphemiæ, periuria, oppreſſiones innocentium, calumniæ, circumuentiones, præuaricationes, falſa teſtimonia, iniqua iudicia, violentiæ, latrocinia, & quicquid talium malorum in mentem non venit, & tamen de vita iſta hominum non recedit? Verùm hæc hominum ſunt malorum: ab illa tamen erroris & peruerſi amoris radice venientia, cum qua omnis filius Adam naſcitur. Nam quis ignorat cum quanta ignorantia veritatis, quæ etiam in infantibus manifeſta eſt, & cum quanta abundantia vanæ cupiditatis, quæ in pueris incipit apparere, homo veniat in hanc vitam, ita vt ſi dimittatur viuere vt velit, & facere quicquid velit, in hæc flagitia, & facinora quæ commemoraui, & quæ commemorare non potui, vel cuncta vel multa perueniat?] Et infra eodem capite (cogor enim multa detruncare, ne nimia vbertas lectorem obruat, eſto, non ſit metuendum eius faſtidium, tanta eſt & ſenſorum grauitas, & orationis concinnitas.) *Quot & quantis pœnis genus agitetur humanum, quæ non ad malitiam nequitiámque iniquorum, ſed ad conditionem pertinent, miſeriámque communem, quis vllo ſermone digerit, quis vlla cogitatione comprehendit? Quantus eſt metus, quanta calamitas ab orbitatibus atque luctu, à damnis & damnationibus, à deceptionibus & mendaciis hominum, à ſuſpicionibus falſis, ab omnibus violentis facinoribus, & ſceleribus alienis? Quandoquidem ab eis, & deprædatio, & captiuitas, & vincula, & carceres, & exilia, & cruciatus; & amputatio membrorum, & priuatio ſenſuum, & oppreſſio corporis ad obſcœnam libidinem opprimentis explendam, & alia multa horrenda ſæpè contingunt? Quid ab innumeris caſibus qui forinſecus corpori formidantur, æſtibus & frigoribus, tempeſtatibus, imbribus, alluuionibus, coruſcatione, tonitru, grandine, fulmine, motibus hiatibúſque terrarum, oppreſſionibus ruinarum, ab offenſione & pauore, vel etiam malitia iumentorum, à tot venenis fruticum, aquarum, aurarum, beſtiarum, ac ferarum, vel tantummodò moleſtis vel etiam mortiferis morſibus, à rabie quæ contingit ex rabido cane, vt etiam blanda & amica ſuo domino beſtia, nonnunquam vehementiùs & amariùs quàm leones draconéſque metuatur, faciátque hominem quem fortè attaminauerit, contagione peſtifera ita rabioſum, vt à parentibus, coniuge, filiis, peius omni beſtia formidetur? Quæ mala patiuntur nauigantes? Quæ terrena itinera gradientes? Quis ambulat vbicunque, non inopinatis ſubiacens caſibus? De foro quidam rediens domum ſanis pedibus ſuis cecidit, pedem fregit, & ex illo vulnere hanc vitam finiuit. Quid videtur ſedente ſecurius? De ſella in qua ſedebat, cecidit Heli ſacerdos, & mortuus eſt. Agricolæ, imò verò omnes homines quot & quantos à cælo & terra vel perniciofis animalibus caſus metuunt agrorum fructibus? Solent tamen de frumentis tandem collectis & reconditis eſſe ſecuri. Sed quibuſdam, quod nouimus, prouentum optimum frumentorum, flumen improuiſum fugientibus hominibus de horreis eiecit atque abſtulit. Contra mille formes dæmonum incurſus, quis innocentia ſua fidit, quandoquidem ne quis fideret, etiam paruulos baptizatos, quibus certè nihil eſt innocentius, aliquando ſic vexant, vt in eis maximè Deo ſinente iſta monſtretur huius vitæ flenda calamitas, & alterius deſideranda felicitas?*

159. Hactenus præcipuè de ærumnis ac miſeriis noſtris, quæ in animo vigent, etiamſi pleræque, corporis incommodum reſpiciant, quod aut impendet, aut timetur. Scitè enim idem S. Pater ſerm. 42. de verb. dom. c. 2. conteſtatur vniuerſam vitam noſtram timore ac dolore tanquam duobus alternantibus tortoribus malè vexari. Cum enim benè eſt, timemus; cùm malè dolemus. De iis verò ærumnis quibus corpus immediatè ſubiacet, hæc pauca ſubdit. *Iam verò de ipſo corpore tot exiſtunt morborum mala, vt nec libris medicorum cuncta comprehenſa ſint, In quorum pluribus, ac penè omnibus, etiam ipſa adiumenta & medicamenta, tormenta ſunt, vt homines à pœnarum exitio pœnali eruantur auxilio. Nonne ad hoc perduxit ſitientes homines ardor immanis, vt vrinam quoque humanam vel etiam ſuam biberent? Nonne ad hoc fames, vt à carnibus hominum abſtinere ſe non poſſēt, nec inuentos homines mortuos, ſed propter hoc à ſe occiſos, nec quoſlibet alienos, verùm etiam filios, matres incredibili crudelitate, quam rabida eſuries faciebat, abſumerent? Ipſe poſtremo ſomnus qui propriè quietis nomen accepit quis verbis explicet ſæpè ſomniorum viſis quàm ſit inquietus, & quàm magnis licèt falſarum rerum terroribus, quas ita exhibet, & quodammodo exprimit, vt à veris eas diſcernere nequeamus, animam miſeram ſenſuſque perturbet? Qua falſitate viſorum etiam vigilātes in quibuſdam morbis & venenis miſerabilius agitātur, quamuis multimoda varietate fallaciæ, homines etiam ſanos maligni dæmones nōnunquā decipiant talibus viſis etiāſi eos per hoc ad ſua traducere nō potuerint, ſenſus tamē eorùm ſolo appetitu qualitercunque perſuadendæ falſitatis illudāt. Ab huius tam miſeræ quaſi quibuſdā inferis vitæ, non liberat niſi gratia Saluatoris Chriſti Dei ac Domini noſtri.* Itaq; ipſa etiā quies corporea, admodum inquieta eſt. nec immeritò quodam hîc quaſi inferno diſtineri dicimur, tantis & corpore & animo preſſi ac oppreſſi calamitatibus.

Alia de iiſdem corporis incommodis egregiè diſputat idem ſanctus Doctor lib. 19. eiuſdem operis c. 4. vbi etiam ſplendidè tradit, quantùm hic, tranquillitas noſtra per turbulentos affectus paſſionéſque temeretur: Ipſáſque virtutes noſtras quibus

tudo eſt, cui curandi neceſſitas nunquam deeſt. Quot enim ſolatia ad viuendi vſum quærimus, quibus toti noſtræ ægritudini medicam nos obuiamus. Sed ipſum quoque medicamen in vulnus vertitur quia exquiſito remedio paulo diutius inhærentes, ex eo grauius deficimus quod prouidendo refectionem paramus. Sic de noſtro (vt mox ſubdit,) luto quotidie defluente, Sanctus Pontifex: ſubtexens inſignem diſputationem de animæ infirmitatibus, & (vt vocat) quæſtionibus, quas homo tolerare cogitur à tantis tamque inconditis affectibus. Itaque perſpicuum videtur quam morboſi ſimus, & iure Theodoſium IV. Imperatorem, vt eſt apud Baronium anno 717. vnam illam vocem ſepulchro ſuo inſcribi voluiſſe qua graues hic infirmitates noſtras, & plenam ac ſolidam poſt mortem tantùm affuturam incolumitatem demonſtraret, SANITAS. Quo item reſpexit S. Vigilantius in vita S. Aſpionis. cum matre de Aſpionis filij obitu mœſtiſſima, ac rogante quæ eſſet ea regio in quam eum commigraſſe diceret Vigilantius; reſponſum dedit, eſſe regionem robuſtorum, atque valentium, ſiue ſanorum.

Imo mors perpetua.

Denique vt Chriſtiana teſtimonia profanis concinnant, quod poſtremò ex *Seneca* dicebam vitam noſtram non modò ingem morbum ſed etiam mortem eſſe, pulcherrimè. Idem tradit Diuus Auguſtinus ſerm. 1. de verb. dom. Cùm enim cap. 1. præmiſiſſet vitam noſtram admodum fragilem eſſe, ipſoque vitro fragiliorem, (nam vitrum ſeruetur plerunque & durat per ſecula, nec illi eſt à febre vel ſenectute timendum, ſed tantùm à prolapſione, cum tamen vita noſtra à tam multis aliis diſcriminibus periclitetur;) hæc inquam cum præmiſiſſet D. Auguſtinus ſubdit cap. 3. & 4. viuere noſtrum, eſſe tendentiam & progreſſionem ingem ad interitum, atque adeò perpetuum defluxum vitæ, & perpetuam, tametſi lentam vitæ acciſionem ac mortem. Sed placet partem orationis eius attegere. [Vnuſquiſque, *inquit*, habet horam quando finiat viam. Via, vita iſta dicta eſt; Finiſti iſtam vitam, finiſti viam. Ambulamus, & ipſum viuere, accedere eſt. Niſi fortè putatis, quia tempus accedit, & nos ſtamus. Non poteſt fieri. Quomodo accedit tempus, accedimus & nos, & non anni nobis accedunt ſed magis decedunt. Valdè errant homines quando dicunt; Puer iſte adhuc minùs ſapit. Accedunt illi anni, prudens erit. Attende quid dicas. *Accedunt* dixiſti, ego oſtendo quia decedunt cum tu dicis *Accedunt*. Et audi quàm facilè id probo. Putemus nos fuiſſe annos ipſius ex quo natus eſt. v. g. vt benè illi optemus; Annos 80. victurus eſt, peruenturus eſt vſque ad ſenectutem. Scribe 80. annos. Vixit vnum annum. Quot habes in ſumma? Quot tenes? 80. Deduc vnum. 79. reſtiterunt. Vixit decem. 70. reſtiterunt. Vixit viginti. 60. reſtiterunt. Certè accedebant. Quid eſt hoc? Veniunt, ait, veniunt vt abeant anni noſtri. Veniunt inquam, vt eant. Non enim veniunt vt ſtent nobiſcum, ſed cum tranſeant per nos, terunt nos, & minus minuſque valere nos faciunt. Talis eſt via in qua venimus.] Eadem habet ſerm. 245. de tempo. Idem ab eo expreſſum eſt 1. conf. c. 6. cùm hanc vitam dixit eſſe, *mortalem vitam, aut mortem vitalem.* Per otium autem ac plenè 13. ciuit. c. 10. in hæc verba. [Ex quo quiſque in iſto corpore moriturо eſſe cœperit, nunquam in eo non agitur vt mors veniat. Hoc enim agit eius mutabilitas toto tempore vitæ huius, (ſi tamen vita dicenda eſt,) vt veniatur in mortem. Nemo quippe eſt qui non ei poſt annum ſit quàm antè annum fuit, & cras quàm hodie, & hodie quàm heri, & paulo pòſt quàm nunc, & nunc quàm paulo ante propinquior. Quoniam quicquid temporis viuitur, de ſpatio viuendi demitur, & quotidie fit minus minúſque quod reſtat, vt omnino nihil ſit aliud tempus vitæ huius, quàm curſus ad mortem. In quo nemo vel paululum ſtare, vel tardiùs ire permittitur, ſed omnes vrgentur pari motu, nec diuerſo impelluntur acceſſu. Nec enim cui vita breuior fuit, celeriùs diem duxit, quàm illi cui longior, ſed cùm æqualiter æqualia momenta raperentur ambobus, alter habuit propius, alter remotius quo non impari velocitate ambo currebant. Aliud eſt autem amplius viæ peregiſſe, aliud tardiùs ambulaſſe. Qui ergo vſque ad mortem productiora ſpatia temporis agit, non lentiùs pergit, ſed plus itineris conficit. Porrò ſi ex illo quiſque incipit mori, hoc eſt, eſſe in morte, ex quo in illo agi cœperit ipſa mors, id eſt, vitæ detractio; quia cum detrahendo finita fuerit, poſt mortem iam erit non in morte; profectò ex quo eſſe incipit in hoc corpore, in morte eſt. Quid enim aliud diebus, horis, momentiſque ſingulis agitur, donec ea conſummata mors quæ agebatur impleatur, & incipiat iam tempus eſſe poſt mortem, quod cùm vita detraheretur, erat in morte. Nunquam igitur in vita homo eſt, ex quo eſt in corpore iſto moriente potius quàm viuente, ſi & in vita & in morte ſimul non poteſt eſſe. An potius & in vita & in morte ſimul eſt? In vita ſcilicet in qua viuit donec tota detrahatur: In morte autem, quia iam moritur, cui vita detrahitur. Si enim non eſt in vita, quid eſt quod detrahitur, donec eius fiat perfecta conſumptio? Si autem non eſt in morte, quid eſt vitæ ipſa detractio? Non enim fruſtra cùm vita fuerit corpori tota detracta, poſt mortem iam dicitur, niſi quia mors erat cùm detraheretur.

Similia illa Proſperi l. 2. de vocat. Gent. c. 21. *Nunquam corruptio ita incorruptionis eſt particeps, vt non ſemper obnoxium ſit defectioni, quod debetur occaſui. Vitæ huius principium, mortis exordium eſt; nec prius incipit augeri ætas noſtra, quàm minui: Cui ſi quid adiicitur ſpatij temporalis, non ad hoc accedit vt maneat, ſed in hoc tranſit vt pereat.* Item illa D. Gregorij 11. moral. cap. 27. *Dum infantia ad pueritiam, pueritia ad adoleſcentiam, adoleſcentia ad iuuentutem, iuuentus ad ſenectutem, ſenectus tranſit ad mortem; in curſu vitæ præſentis ipſis ſuis augmentis ad detrimenta impellitur, & inde ſemper deficit, vnde ſe proficere in ſpatium vitæ credit. Fixum enim ſtatum hic habere non poſſumus, vbi tranſituri venimus, atque hoc ipſum noſtrum viuere, quotidie à vita tranſire eſt.* Eadem iterat 25. moral cap. 1. *in fine*, & homil. 37. in Euang. Alterius Gregorij locus dignus eſt qui non prætermittatur. Nyſſenus eſt quem dico, orat. de mortuis, qui vt demonſtrat non eſſe quod mori à nobis peregrinum dicamus aſſumit vitam noſtram in carne eſſe perpetuam quandam mortem, vultque illud expendi, *naturam aſſiduè in mortem incumbere, vitæque tempori antecedenti mortem prorſus inſitam atque inhærere. Etenim cum vita præteriens ſemper ad futurum contendat, nec ad præteritum vnquam reuertatur, quid aliud eſt quàm mors, id quod vitalem actionem vſque ſubſequitur. Quare cum in tempore quod ante fluxit, deſinat motus omnis & actio vitalis, mortiſque proprium ſit, res ad interitum nihil am que redigere, quod quidem ſemper actioni præterita omnino contingit, non mentitur qui tunc vitæ mortem dicit eſſe coniunctam. Hoc autem res ipſa verum eſſe confirmat; quandoquidem quod ad ſubiectam materiam pertinet, homo non eſt idem hodie qui heri fuit. Aliquid etiam ex eo momentis ſingulis moritur, & fœtet, & corrumpitur, & abiicitur: Cum rerum natura fœtorem ex corpore, tanquam fumus ex aliqua domo efferat, & quod vitalem facultatem iam*

exuit,

exuit, terra tradat. Quamobrem vt Paulus ait, quotidie morimur, quippè qui non iidem ſemper manemus in ipſo corporis domicilio, ſed acceſſione deceſſionéque continua alij ex alio reddimur & in nouum aſſiduè corpus immutamur. Quid igitur cum morte nos, vt hoſpites peregrinóſq; degeremus, cùm demonſtratum ſit, vitam hac quam in carne degimus, nihil aliud eſſe niſi perpetuum mortis progreſſum ac decurſum? Quid ipſe ſomnus atque vigilia quid aliud ſunt, niſi mortis vitaque complexus atque coniunctio? cùm & dormientes tanquam extinctos ſenſus nos deferat, & excitatos vigilia ſperata reſurrectionis ad moueat. Hoc de ſomno mortis fratre & imagine, pluribus exponam agens de virtute caſtitatis, prout temperantis delectationes ex ſomnij captatione. Nunc ſatis eſt, aduertere quod Nyſſenus expendit ſomnum ſcilicet cuius identidem imo ter dies ſingulos incumbit neceſſitas, mortis nobis non memoriam duntaxat, ſed ſtatum quoque aliquatenus ingerere, & admonere nos quotidie mori vitámque noſtram nihil aliud eſſe quam perpetuum mortis progreſſum ac decurſum. Ita enim ferunt Græca apud Nyſſenum, pro quibus Zinus *mortis commentationem ad ſtudium*, obtruſit, nonnulla mentis Nyſſeni obſcuratione. Defluxum hunc noſtrum quotidianum & iugem prolapſionem in mortem ex Seneca illuſtrabo diſtinct. 4. n. 208.

Denique perpetuam in hac vita mortem noſtram, egregiè produnt illa Hieronimi in c. 40. Eſaiæ. *Reuera ſi quis fragilitatē carnis aſpiciat, & quod per horarum momenta creſcimus atque decreſcimus nec in eodem manemus ſtatu, ipſumque quod loquimur, dictamus, & ſcribimus, de vita noſtra parte prætervolat, non dubitabit carnem fœnum dicere, & gloriam eius quaſi gloriam fœni, ſiue prata camporum. Qui dudum infans, ſubitò puer: qui puer repente iuuenis, & vſque ad ſenectutem per ſpatia mutamur incerta; & ante ſe ſenem intelligit, quam iuuenem non eſſe ſe miretur.* Idem epiſt. 2. in ipſo fine. *Sentiſne obſecro te, quando infans, quando puer, quando iuuenis, quando robuſtæ ætatis, quando ſenex factus ſis? Quotidie morimur, quotidie commutamur, & tamen æternos nos eſſe credimus. Hoc ipſum quod dicto, quod ſcribitur, quod relego, quod emendo, de vita mea tollitur. Quod puncta notarij tot meorum damna ſunt temporum Scribimus atque reſcribimus; tranſeunt maria epiſtolæ & ſcindente ſulcum carinâ per ſingulos fluctus, ætatis noſtræ momenta minuuntur.*

Ærumnæ ætatum omnium, ac primum puſillæ.

Verùm quòd eo ipſo loco quem allegabam paulò antè, hoc eſt 19. ciuit. c. 4. S. Auguſtinus in huius argumenti tractatione verſatum memoret Tullium in opere de Conſolatione; & quanquam argumento imparem; tamen quantum potuit, & mœror de filiæ morte adegit, expreſſiſſe ærumnas & calamitates noſtras, teſtetur: Placet dimiſſis illis quæ in rem præſentem copiosè diſputat, nonnulla ex eo depromere, quibus confirmat, nullam vitæ noſtræ portionem infœlicitate vocare: exprimens (vt videtur,) egregiam ea de re Platonis in Axiocho diſputationem, & quod ingenuè fatetur, Crantoris verè aureum; &, (vt Panætio placuit,) ad verbum ediſcendum de luctu librum, quo humanæ naturæ incommoda accurratè & diligenter expreſſit. Non me latet quod ſit plurimorum recétiorum, nominatimque Iuſti Lipſij iudicium de Conſolationis, quæ nunc extat, vero parente. Alij tamen vt Mariana lib. 3. de Immort. c. 4. contendunt hanc planè eſſe Conſolationem, quæ à veteribus; Lactantio & Auguſtino præſertim, Tullij nominè allegatur. Et cuiuſcunque tandem ſit, noſtra non refert, qui tantum quærimus luculentam incommodorum ac miſeriarum cuiuſuis ætatis humanæ vitæ deſcriptionem cuiuſmodi eſt quæ apud Autorem Conſolationis habetur, his præter cætera, ducto ab infantia & pueritia initio. *Fac naſci hominem & in lucem edi: continuò ſenties; non rerum humanarum dominum & gubernatorem exortum, ſed verius miſeriarum ſeruum atque incommodorum. Nam infantiam & pueritiam vagitus, lachrymæ, imbecillitas, nullus nec rationis nec corporis vſus dolores, moleſtiaque quam plurima amplectuntur.*

261. Hanc parcitatem circa puſillæ ætatis miſerias ſupplere poſſumus, cum ex iis quæ iam ſupra ex Plinio in hanc rem adducta ſunt ex præfatione libri ſeptimi, tum etiam ex D. Auguſt. 1. confeſſ. à c. 6. Qui item pulcherrimè ſerm. 26. de verbis Apoſt. imitatus Cyprianum l. de bono patientiæ n. 31. Infantes ſuarum calamitatum prænuncios, ac communis hominum miſeriæ teſtis deſcribit. *Iſtos pueros*, inquit, *qui naſcuntur interrogemus quare à ploratu incipiunt, qui & ridere poſſunt. Naſcitur & ſtatim plorat, poſt neſcio quot dies ridet. Quando plorabat naſcens, Propheta ſuæ calamitatis erat: lachrymæ enim teſtes ſunt miſeriæ. Nondum loquitur, & iam prophetat? In labore ſe victurum, vel in timore. & ſi bene vixerit, & iuſtus fuerit, certè in mediis poſitus tentationibus ſemper timebit.*

Notanda & illa de puſillæ ætatis laboribus ex l. 22. ciuit c. item 12 Deſcripſerat qua ratione cum erroris & peruerſi amoris radice, omnis filius Adam naſcitur quantáque ignorantia, etiam in infantibus, manifeſta eſt, & quanta abundantia vanæ cupiditatis apparere in pueris incipiat. Tum ſubdit. [Sed diuina gubernatione non omnino, deſerente damnatos, & Deo continente in ira ſua miſerationes ſuas, in ipſis ſenſibus generis humani prohibitio & eruditio contra iſtas cum quibus naſcitur tenebras vigilant, & contra hos impetus opponuntur, plenæ tamen interim laborum & dolorum, Quid enim ſibi volunt multimodæ formidines, quæ cohibendis paruulorum vanitatibus adhibentur? Quid pædagogi, quid magiſtri, quid ferulæ, quid lora, quid virgæ, quid diſciplina illa qua Scriptura ſancta dicit, dilecti filij latera eſſe tundenda ne creſcat indomitus, domarique iam durus, aut vix poſſit, aut fortaſsè nec poſſit? Quid agitur his pœnis omnibus niſi vt debelletur imperita, & praua cupiditas refrænetur, cum quibus malis in hoc ſeculo viuimus? Quid eſt enim quod cum labore meminimus, ſine labore obliuiſcimur, cum labore diſcimus, ſine labore neſcimus; cum labore ſtrenui, ſine labore inertes ſumus? Nónne hinc apparet in quid veluti pondere ſuo procliuis & prona ſit vitioſa natura & quanta ope vt hinc liberetur indigeat? Deſidia, ſegnities, pigritia, negligentia, vitia ſunt vtique, quibus labor fugitur, cùm labor ipſe etiam qui eſt vtilis, pœna ſit. Sed præter pueriles pœnas, ſine quibus diſci non poteſt quod maiores volunt, qui vix aliquid vtiliter volunt; quot & quantis pœnis genus agitetur humanum, quæ non ad malitiam nequitiámque iniquorum, ſed ad conditionem pertinent miſeriámque communem, quis vllo ſermone digerit, quis vlla cogitatione comprehendit.]

Infelicitates Adoleſcentiæ.

262. Pergit conſolationis autor ad ætatem prouectiorem. *Adoleſcentiam*, inquit, *ardor quidam excipit ætatis, nec prudentiæ, nec iudicij compos, rerum veilium ac laudabilium contemptio, voluptatis & ſæpè. turpitudinis appetitio, veri boni ignoratio, in pares ferocia, in ſuperiores ſuperbia, in infirmos, arrogantia Ex his contentiones, rixæ, contumelia, aſſiduus denique moleſtiarum concurſus exiſtit ex rebus honeſtis contemptis infelicitas*

licitas, & infamia; ex turpibus curioſè arreptis & conquiſitus, luctus, morbi, perpetuum denique ſui ipſius odium, ex cogitata rerum turpium mercede conflatum. Adde inſanas pecuniarum largitiones, nullam futuri temporis curam, non inopia, non liberorum, non vxoris, non poſterorum, non familia. Quæ ſi quis ætatis potiùs vitia, quam naturæ miſerias, velit appellare, quanquam nominis quæſtionem inducat, non tamen ipſas ab homine miſerias, atque incommoda remouebit. Huius ætatis lubricum, in quo collapſio & attritio honeſtatis ac virtutis ferè cernitur, in hunc modum deſcribit Latinus Pacatus in Theodoſij Panegyr. *Et qui venturi ſunt in virtutis adoptionem, illo tamen adoleſcentiæ lubrico vt non cadant, titubant. An non clariſſimos nominis Romani viros, (è los Catulos, Scipiones, loquor;) aliquantiſper ſibi luxuria vendicauit? Quos etſi ad portum mutati in melius reuexerint flatus; diu tamen vitiorum turbo iactauit, & naufragos atque fluctuantes ab illis quibus merſabantur erroribus ægre ætas recepit.* Turbinem illum vitiorum, ac errores, huic ætati plus minus ferè vbiuis communes fatebimur, ſi quæ Conſolationis author, proximè aſſeruit diſpiciamus. Ex Patribus breuiter ſed pulchrè id attigit venuſtiſſimus ſcriptor S. Ambroſius lib. 1. de interpellat. Iob. c. 7. tractans illud. *Quare ob repſiſti aduerſum me mala & appoſuiſti mihi adoleſcentiæ peccata*, ſic Philoſophatur. *Pulchrè id ætatis arripuit ad quietem quæ magis ad vitium lubrica eſſe conſueuit. Habet enim pueritia innocentiam, ſenectus prudentiam, ipſa vicina adoleſcentiæ iuuentus. bona exiſtimationis intuitum, & verecundiam delinquendi. Adoleſcentia ſola eſt inualida viribus, infirma conſiliis, vitio calens, faſtidioſa monitoribus, illecebroſa delictis.* Sic de præcipuis adoleſcentiæ malis Ambroſ. Pulcherrimè item de iiſdem S. Auguſtinus ſerm. 246. de temp. verbis illis. *Si pueriliis & ſenilis ætas non eſt à tentationibus libera; quarum altera id eſt puerilis, nondum benè ingreditur altera iam egreditur iſtam vitam; & altera paulo ante non erat, altera paulo poſt non erit: quid ſentiendum eſt de flagrantia iuuenilis ætatis quæ vtrinſque in medio conſtituta, & ab infirmitate pueritiæ iam receſſit, & nondum ad torporem ſenectutis acceſſit? Hæc pluribus atque maioribus tentationum tempeſtatibus quatitur. Hæc fluctuum crebriore impetu ſæculi inundantis operitur. Præſumtis viribus, forma dignitate iactatur, pompa rerum temporalium præfulgere, aut exoptat, aut gaudet. Itaque iuuentuti, malorum venenum eſt, quicquid veritas præcipit ſeuera eſt. quicquid Diabolus ſuggerit.* Iuuentutis fines ita eo locò ponit S. Auguſtinus vt adoleſcentia (imo hæc præſertim,) iis contineatur. Itaque vides quot præcipitiis illam ſtatuat obnoxiam. Breuiter ſed pro more neruosè S. Hieronimus epiſt. 2. *Adoleſcentia multa corporis bella ſuſtinet, & inter incentiua vitiorum carnis titillationes quaſi ignis in lignis viridibus ſuffocatur, vt ſuum non poſſit explicare fulgorem.* Hæ ſunt quas præfatione libri 11. commentar. in Amos vocat, virentis corporis neceſſitates. Et cùm res quotidiano iugíque experimento ſit manifeſta, hærendum in ea non eſt. Quare pergo ad crucem aliam, adoleſcentiæ ferè fixam.

Vidiſti ab authore Conſolationis, iſtam ætatem vxori & coniugio illigari, quæ quanta ſit infœlicitatis materia. multorum iam olim ſcriptis & plurium experimento eſt compertiſſimum. *Si tibi placet ſcire* ait Hieron. Euſtochium alloquens epiſt. 22. *quot moleſtiis virgo libera, quot vxor adſtricta ſit, lege Tertullianum ad amicum Philoſophum ſcribentem; & de Virginitate alios libellos; & beati Cypriani volumen egregium; & Papæ Damaſi ſuper hac re, verſu proſaque compoſita; & Ambroſij noſtri quæ nuper ſcripſit ad ſororem Opuſcula, in quibus tanto ſe effudit eloquio vt quicquid ad laudes virginum pertinet, exquiſierit, expreſſerit, ordinarit.* Nominatim verò coniugij iugum & vincula & onera, eleganter ac fusè proſequitur ſub medium tertij opuſculorum illorum, hoc eſt, libri tertij de Virginibus. Idem ex inſtituto tractant Nazianz. carm. de laude Virginit. Nyſſenus lib. de Virginit. à capit. 3. Author libri de caſtitate Sixto III. adſcripti. Bleſenſis epiſt. 79. & Author epiſtolæ 49. inſertæ tomo 9. Sancti Hieronymi. Alios præterea exſcripſit Eſpencæus in fœminei ſexus inſectatione, quæ apud eum legitur lib. 6. de continent. cap. 6. & 7.

Ego vnum adſcribo Antiphontem, cuius hæc eſt oratio apud Stobæum ſerm. 68. *Age progrediatur vita vlterius, & nuptias vxorémque cupiat. Iſte dies, iſta nox noui genij principium affert, & noua fortis. Magnum profectò homini certamen nuptiæ ſunt. Nam ſi vxor incommoda contigerit, quo pacto tenabit calamitatem? Difficile eſt illam abigare, & pro amicis inimicos ſibi parare, quotquot illi cognati & animis coniuncti ſunt. Graue autem eſt rem huiuſmodi poſſidere, & voluptatem comparare ſibi exiſtimantem, dolores aſciſcere. Verum age, tacendo deteriora, ea quæ omninò commodiſſima ſunt, recenſeamus. Quid enim homini ſuauius fuerit, quàm vxor grata? Quid itemque dulcius tùm aliàs, tum in ætate iuuenili? Sed eidem rei cui iucunditas ineſt, in vicino eſt moleſtia. Nam voluptates non ſola accedunt, ſed comites earum ſunt triſtitia & labores; Quandoquidem & qui in Olympiis & Pythiis aliiſque huiuſmodi certaminibus victores euadunt, aut ſapientiam, aut quoduis genus voluptatum ſibi comparant, multas potius moleſtias & labores ſubeunt. Honores enim, præmia, & huiuſmodi illecebræ, quas Deus humano generi largitus eſt, magnos labores atque ſudores neceſſariò requirunt. Certè ſi mihi tale corpus alterum, quale meum eſt, accederet; non viuere poſſem, tantùm negotiorum mihi exhibens pro ſanitate corporis, & victu in dies colligendo, & pro gloria ac temperantia, celebriſque famæ ac bene audiendi gratia. Quid igitur fieret ſi alterum quoque tale corpus ſimiliter mihi procurandum eſſet? Itaque conſtat, quòd vxor etſi viro chariſſima fuerit, non minus tamen ei faceſſit negotij circa amores & dolores, quam ipſemet ſibi. Itaque pro duobus corporibus quod ad ſanitatem, victum, temperantiam, bonámque famam attinet, curam gerat, oportet. Quod ſi inſuper liberi naſcantur, iam omnia curis plena ſunt, & iuuenilis animi exultatio diſperit, & facies bona amplius eadem eſt.*

Conſtantis ætatis ærumnæ.

263. Iam de conſtanti ætate; hæc mox ſubiiciuntur in Conſolatione. *Conſtantis ætatis, quot quantaque miſeria ſint. non difficile eſt intelligere, at difficillimum enumerare. Hæc enim ex omnibus hominis ætatibus in perturbationes animi, in pericula capitis, famæ, fortunarum, vna maximè incurrit. Sicut enim cæterarum omnium ætatum, ad res negotiáque tum priuata, tum publica peragenda, aptiſſima eſt, maximéque idonea; Ita etiam vna præ cæteris omnibus, difficultatum miſeriarúmque omnium, quæ ex publica priuatáque adminiſtratione oriuntur, particeps & ſocia eſt. Hæc priuata amicorum negotia procurat; hæc publica ſuſtinet munera; hæc gloriam & commodum ex rebus feliciter euenientibus; hæc ærumnas & moleſtias ex aduerſis experitur. Huic bonorum omnium propugnatio; huic malorum accuſatio propoſita eſt; huic inuidia & æmulatio*

à bonis imminent, à malis pericula & inſidiæ intenduntur. Ætas nunquam pacata ſemper laborioſa ſemper anxia & ſollicita, quaſi non aliquos interdum vel vtilitatis vel voluptatis fructus ex labore perciperet, ſe ipſam profectò regere ac tueri non poſſet. Sed miſeriarum numerus multo maior eſt; magnitudo autem, tanta, vt neminem à publicis procurationibus non auertere ac deterrere poſſit. In hanc ſententiam innumera proſtant apud Arrianum. Senecam, aliόſque morum magiſtros, vt fruſtra videar diligentiam in re paſſim obuia probaturus,

Extrema ætatis, labor & dolor.

Quare pergo ad vitæ fæcem, extremam inquam de ætatibus, quam in paucis quibuſdam robuſtiſſimis, & vt Pſaltes loquitur, *potentibus*, vegetam cerni ac firmam, pro miraculo eſt. Quàm tamen enim eſt, in quem illa Hieronymi epiſt. 21. de Paulo Concordienſi, centenario aptè cadant? *Oculi puro lumine vigent, pedes imprimunt certa veſtigia, auditus penetrabilis, dentes candidi, vox ſonora, corpus ſolidum & ſucci plenum, canis cum rubore diſcrepant, vires cum ætate diſſentiunt: Non memoria tenacitate. (vt in pleriſq; cernimus) antiquior ſenecta diſſoluit non calidi acumen ingenij frigidus ſanguis obtundit non contractā rugis faciē, arata frons exaſperat, non denique tremula manus, per curuos cera tramites, errantem ſtylum ducit Futuræ nobis reſurrectionis virorem in te Dominus oſtendit.* Hoc inquam admodum infrequens eſt. & vt plurimum ſenes, vt ibidem ſubdit Hieronymus, *viuentes præmoriuntur in carne*: id eſt, vitam viuunt calamitatibus non iam obſeptam, ſed oppreſſam: Quod idem Hieronymus præfat. libri . commentar. in Amos, his verbis aperit. *Quæ putantur ſeſecti ſui mala, iſta ſunt Crebræ infirmitates, pituita moleſtiſſima, quam Græci malum κόρυζαν ὀνόμαζα nuncupant. caligantes oculi, acceſcentes cibi, tremens interdum manus, nudæ gingiuis dentes, & inter cibos cadentes. Adhuc torminibus & aculeis ſtomachi, podagraque & chiragra doloribus ſæpè torquetur, ita vt nec ſtylum quidem aut calamum tenere queat, vt ſuis pedibus non poſſit incedere, magnáque parte videatur eſſe truncata & multis membris præmortua. Minora hæc & exigua* præ ſenſus imminutione & ingenij marcore. Quotus enim eſt cui præ ætate ac ſenio non exigeſcat ingenium. Et hoc idem S. Hieronymus epiſtola ad Nepotianum, de ſeipſo agens pulchrè expreſſit, cum ait. *Pro ætate nunc luſimus, & calentibus adhuc Rhetorum ſtudiis atque doctrinis, quadam ſcholaſtico flore depinximus. Nunc iam cano capite, & araca rugis fronte & inſtar boum pendentibus à mento palearibus, frigidus obſiſtit circum præcordia ſanguis. Vnde & in alio loco idem Poeta canit. Omnia fert ætas animū quoque. Et poſt medicum Nunc oblita mihi tot carmina, vox quoq Mœrin, iā fugit ipſa.* Vides magna & multa ſenectutis incommoda, ita vt aſpectus ipſe & nomen ſenectutis, delineatio quædā ſit grauiſſimæ, nec vnius ſed omnino multiplicis calamitatis. Itaque grauiſſimè Nyſſenus orat. de funere Pulcheriæ Theodoſij magni filiæ quæ immatura obierat, grauiſſimè conteſtatur dolēdum non fuiſſe quod ad ſenectutem non perueniſſet, cùm nihil aliud ſit ſenectus quàm omnium (vt ibidem deſcribit) corporis & animi incommodorum accumulatio.

Hoc ſic demonſtrat ſæpè laudatus conſolationis author. [Quid ego de ſenectutis incommodis ac miſeriis loquar. Quas plurimas eſſe & grauiſſimas, & nomen ipſum, languoris calamitatiſque pleniſſimum indicat, & aſpectus ipſe ſenum hominum pateſacit. Quid eſt enim aliud ſenem videre trementem, incuruum, canum, imbecillum, infirmum, quam cernere morientem viuum, aut viuentem mortuum; Ac ſi nónnullis viſum eſt magnam eſſe ſenilis ætatis conſolationem, prudentiam vſu rerum quæſitam, quæ illius ætatis propria eſt: Eoſdem illos fateri oportet, ex eo ipſo fonte manare etiam ad ſenes non minimum doloris atque moleſtiæ. Qui enim ſe prudentem rerúmque agendarum peritum agnoſcit, cur non doleat, quæ optimè intelligit, præ ætatis vitio, optimè etiam perficere non poſſe? Et ſi patriam diligit, cur non angatur, quòd quam conſilio iuuat, opera etiā iuuare non poſſit? Eòq; maior prudentium dolor eſt, quòd optimorū conſiliorum fructum nulla alia ratione percipi poſſe, quàm ſi optimè ad exitum perducantur; intelligant, quòd, niſi vir optimus patriæque amantiſſimus ad agendum accedat, prorſus inania ſunt futura.]

264. Iuuat & alia ex Iunci opere de ſenectute paulò expreſſiùs in hanc rem tradita adſcribere. [Mihi, *inquit, Iuncus*, perdifficilis ſenectutis vita videtur propter ſenſuum priuationem, qui paulatim extinguūtur. Proinde nihil amplius iucundi ſenibus adeſſe dicunt ſed omnia laborioſa & grauia contingere: Atque illi qui hanc ætatis mutationem ſuſtinet, ſupra alia metum mortis ſemper adhærentem moleſtum eſſe, vt qui tanquam itineris comes, aut contubernalis inſidiator nunquam ab eo diſcedat, cùm certa quidem & naturali neceſſitate mortem imminere conſtet. Nam primi vitæ limites, per quos ab vna neceſſitate ad alteram tranſitur, facilè relinquuntur; cùm ſcilicet puer, non amplius puer futurus eſt; & adoleſcens inter viros cenſetur; à virili autem ætate ſenectus accedit: poſtquam cùm aliud nihil ſuperſit, diſſolutio & ſeiunctio animæ à corpore fiat, neceſſe eſt quod mors vocatur. Sed alia quoque multa grauia laborioſáque ſenibus vitam ſequuntur. Etenim continui morbi, & omnino valetudinaria victus ratio, etiamſi nihil ſit quod medicum requirat, felicitatem dictam abſumūt. Iacet enim ſenex reſolutus ætate, cibi potúſque abſtinens, inamabilis, nulla re cum iucunditate fruens; moleſtias verò nimis percipiens. Si quando autem in forum progredi auſus fuerit, riſum videntibus mouet videns obtusè, clamantes non audiens: & dum eundo ſuſtinere ſe conatur concidens de latere in latus, titubando tranſiliens quinetiam communem ciuitatis aërem lædere ac inficere dicitur. Nec ſi in concione ſit, inter tribules refertur: neque magiſtratum gerere poteſt; tum propter impedimenta iam dicta, tum quia gibboſus, rugoſus, deformis & inualidus eſt. Animo autem, (vt prouerbium habet,) repuераſcit. In militia verò quid opus eſt referre, quam ſine omni munere & nudus relinquatur? Non pedes, non eques conſtituitur, neque remex aut miles in naui. Nam vel ſedere ſolùm, imo iacere etiam non ſine labore poteſt, cum coniuncta ei mors ſit, & iamiam ipſum intra fores ſuas ducat. Quod ſi etiam paupertas viro ſeni adfuerit, nimirum ipſe vltro prorſus à vita diſcedere optabit propter penuriam rerum omnium, cum non habeat viæ ducem, non altorem, non veſtem ſufficientem indutus ſit; inops alimentorum ex terra, nonnunquam & aquæ, cum nemo ſit, qui ei hauriat. Illi verò qui ipſum aſpiciunt; quamuis amici & familiares nominentur, exiſtimant ipſum eſſe moleſtum ſpectaculum, dolore triſtitiáque plenum, & nimis diuturnum; denique per omnia Iliadem malorum.]

Quod dixit de ineuitabili ſenibus. (& quidem proximè,) mortis hora; déque lenta ſed diuturna ſenum morte perpulchrè à Seneca expreſſum eſt epiſt. 30. *Alia*, inquit, *genera mortis, ſpei mixta ſunt. Deſinit morbus, incendium extinguitur, ruina quos videbatur oppreſſura, depoſuit: mare quos hauſerat, eadem vi qua ſorbebat, eiecit in olume; gladium miles ab ipſa perituri ceruice reuocauit. Nihil habet quod ſperet, quem ſenectus*

ducit

ducit ad mortem. Huic vni intercedi non poteſt Nullo genere homines molliùs moriuntur, ſed nec diutiùs. Fert hanc in ſenibus libitinæ viciniam, Græca ſenectutis appellatio, quam παρὰ τὸ γῆν ὁρᾶν, hoc eſt, à terræ mox ſubeundæ amore, deducit Iſido, Peluſ. lib. 3 epiſt. 54. quo recidit quod Theodoretus ſerm. 8. de prouid. ſenectutem, *mortis præludium*, eſſe dixit Et illud Petri Bleſenſis epiſt. 6. *Mors in inſidiis iunioribus eſt, ſenioribus eſt in iannis.* Itaq; omnibus quidem, nec tantum Grammaticis, incredibile eſt verbum *morior*, vt S. Auguſtinus acutè luſit. 13. Ciuit. c. 11. Senibus tamen immitis & inexorabilis neceſſitas lethi, diem vel etiam horam proximam dicit, abſque cõperendinatione, iuxta illud S. Marcellæ Cerealem eludentis apud Heieronymum epiſt. 16. *Iuuenis quidem poteſt citò mori, ſed ſenex diu viuere non poteſt*, quod pia fœmina ab Ethnica acceptum, ſãctificauit, vt dixit in ſimili, Tertullianus. Miſſa facio alia de huius extremæ ætatis ærumnis, quæ vndecunque congeſſit Tiraq. l. 6. connub. à n. 7. Breuiculum duntaxat addo, ex Iuuen. Satyra 10. ridente ſtultum votum eius, qui hoc recto vultu, ſolùm hoc & pallidus optabat, vt ſpatium vitæ, & annos multos à numine impetraret.

Sed quàm continuis, & quantis, longa ſenectus
Plena malis? Deforme & tetrum ante omnia vultum,
Diſſimilémque ſui: deformem pro cute pellem,
Pendentéſque genas, & tales aſpice rugas
Quales vmbriferos vbi pandat Tabraca ſaltus,
In vetula ſcalpit iam mater ſimia bucca.
Plurima ſunt iuuenum diſcrimina: Pulchrior ille
Hoc, atque ille alio: Multum hic robuſtior illo.
Vna ſenum facies, vna voce trementia labra,
Et iam læue caput, madidique infantia naſi:
Frangendus miſero gingiua panis inermi
Vſque adeo grauis vxoris, gnatiſque ſibique,
Vt captatori moueat faſtidia Coſſo.

Sic ille de ſenectute, *morbo inſanabili*, prout apud Senecam notatur epiſt. 108. Quando vero profani Poëtæ verſus attexui, volo & ſacri nonnullos in eandem ſententiam verſus adſcribere. Sancti inquam Columbani ex epiſtola metrica de auaritiæ deteſtatione ad Hunaldum. Sic habet, cohortans diſcipulum ad hæc fluxa deſpicienda.

Vltima iam ſapiens meditatur tempora vitæ:
Torpentes ſenio vires, morbóſque frequentes,
Incertúmque diem lethi, certóſque dolores.
Multa ſenem fragilis vexant incommoda carnis;
Nam macie turpi tabeſcunt languida membra.
Tunc genuum iunctura riget venæſque per omnes
Illius in toto frigeſcit corpore ſanguis.
Sic baculo nitens artus ſuſtentat inertes
Quid triſtes memorem gemitus? quid tædia mentis?
Somnus abeſt oculis, illum ſomus ex itat omnis.

Conſulto omiſi elegiacum de ſenectutis calamitatibus ac incommodis carmen à Cornelio Gallo aut vt alij volunt Maximiniano conſcriptum (eſt prima inter eius elegias) omiſi autem ob prolixitatem tametſi quia nihil de hoc argumento proferri poteſt, quod ille intactum dimiſerit, ibi legatur. extat ad calcem farraginis veterum Poëtarum.

Vnum eſt quo ætas ſenilis videtur præcipuè gloriari poſſe nempe deferueſcentia æſtus iuuenilis & illius ardoris quo paſſim conflagrat vrgetior ætas & quod rara inter emortuos cineres ſcintilla ſublucens reuiuiſcere nititur, at tam incentiua non poteſt ſuſcitare vt loquitur S. Hieron. præfat lib. n. 21. commentar. in Amos, plenè item de eo ſenectutis commodo diſſerens epiſt. 2. *initio.* Audi vero quid è contra ſtatuat D. Auguſt. ſerm. 247. de temp. *An forte ſenectus excepta eſt* (a tentationibus de quibus egerat) *& in carne iam vicina cadaueri ſanguis ac membra illicita concupiſcentia friguerunt, & à feſſo ac propè mortuo iam corpore, materies tentationis emarcuit? Imo verò tantus eſt in malis ſenibus plerumque gurges auiditatis & inſatiabilis vorago ventris & gutturis, vt quanta boni ſenes prudsia ſerenantur, tanta iſti violentia ſepeliantur: quaſi ad hoc in eis arida viſcera & ſucco exhauſta cernentur, vt ad vigorẽ priſtinum reparandũ, ebrietatis inũdatione riganda ſint quid auaritia quæ radix eſt omnium malorum. Nonne in frigidis ſenibus tanto ad acquirendum feruentius inardeſcit, quanto citius relictura eſt quod acquirit? Mirabilis ſanè dementia: Grauioribus enim ſumptibus ſe onerare feſtinat, cum iam peruenerit quo tendebat.* Similiter expoſtulat Petrus Bleſenſis epiſtola 141.

Omnis ætas, infelix

265. Concludere igitur meritò liceat, nullam eſſe humanæ vitæ portionem, nullam ætatem grauiſſimorum incommodorum expertem. Et quod dicit Bleſenſ. ſerm. 4. *habet vnaquæque ætas inſitam ſibi & natiuam moleſtiam, quibus quaſi torrentibus per ſingulas ætates miſer raptatur ſpiritus, quaſi vectigalia miſeriarum. exigente reſ rens natura.* Idque Epictetus ad 32. Adriani quæſtionem (ſi genuinum eſt opus,) expreſſit Pereleganti ſimilitudine quatuor balnei cellarum, totidem hominis ætatibus enumeratis reſpondentium. In quem locum videndus latè Ioannes Corraſius & Fortunatus Scacchus myroth. 1. ſacro Elæochryſ. cap. 36. Seneca non aliud potentius argumentum habuit, ſiccandi vel ſiſtendi Polybij lachrymas, quam lugem earum vſum in tantis cuiuſvis ætatis ac ſortis ærumnis. *Ab amara quadam*, inquit, in Conſolat. ad prædictum Polybium c. 23. *libidine dolendi, animus recipiẽdus. Nam lachrymis noſtris niſi ratio finem fecerit, fortuna non faciet Omnes agedum mortales circumſpice, Larga vbique flendi eſt aſſidua materia, Alium ad quotidianum opus laborioſa egeſtas vocat: Alium ambitio nunquam quieta ſollicitat: Alius diuitias quas optauerat, metuit, & voto laborat ſuo. Alium ſollicitudo, alium labor torquet; Alium ſemper veſtibulum obſidens turba. Hic habere ſe dolet liberos, hic perdidiſſe lachryma nobis deerunt, antequam cauſa dolendi Non vides qualem vitam nobis rerum natura promiſerit, quæ primum naſcentium omnẽ fletum eſſe voluit? Hoc principio edimur Huic omnis ſequentium annorum ordo conſentit: Sic vitam agimus Ideóque moderatè id fieri debet à nobis, quo ſæpè faciendum eſt, & reſpicientes quantùm à tergo rerum triſtium immineat, ſi non finire lachrymas, at certè reſeruare debemus Nulli parcendum eſt rei magis quàm huic, cuius tam frequens vſus eſt.* Imo ingis ac perpetuus in omni ſorte, in omni ætate, quod hactenus demõſtraui, & compendio egregiè complexus eſt ex Græco Auſonius Edyllio 16. omnes hominum conditiones, ac ætates, ærumnis refertiſſimas exhibens. Adſcribo tantum quæ ætates ſpectant quia pauciora

Omnes annum cura, cunctis ſua diſplicet ætas.
Senſus abeſt paruis lactentibus & puerorum
Dura rudimenta & iuuenum temeraria pubes.
Afflictat fortuna viros, per bella per æquor.
Iras inſidiáſque, catenatóſque labores,
Mutandos ſemper grauioribus. Ipſa ſenectus
Expectata diu, votiſque optata malignis,
Obiicit innumeris corpus lacerabile morbis.

Optimè porro Seneca epiſt. 99. ex ea ſingulorum ætatum vexatione, quæ omnem vitæ iucunditatem exterminat, intulit quam breuis & anguſta cenſenda ſit homini vita, etiamſi ſingulæ eius ætates menſuram ſuam ſortitæ ſint. *Propone*, inquit, *profundi temporis vaſtitatem, & vniuerſum complectere: Deinde hoc quod ætatem vocamus humanam compara immenſo: Videbis quàm exiguum ſit quod optamus, quod extẽdimus.*

Ex hoc quantum lachrymæ, quantum ſollicitudines occupant, quantam mors antequam veniat optata, quantùm valetudo, quantùm timor, quantùm tenent, aut rudes aut inutiles anni. Dum diuta ex hoc edormitur. Adiice labores, luctus, pericula: Et intelliges, etiam in longiſſima vita, minimum eſſe quod viuitur.

Idem obſeruat Plinius l. 7. hiſt. c. 50. verbis illis. [Incertum ac fragile eſt hoc munus naturæ, quicquid datur nobis: Malignum verò & breue, etiam in iis quibus largiſſimè contingit, vniuerſum vtique æui tempus intuentibus. Quid quod æſtimatione nocturnæ quietis, dimidio quiſque ſpatio vitæ ſuæ viuit. Pars æqua morti ſimilis exigitur, aut pœnæ niſi contingit quies. Nec reputantur infantiæ anni qui ſenſu carent; non ſenectæ in pœnam viuacis. Tot periculorum genera, tot morbi, tot metus, tot curæ, toties inuocata morte, vt nullum frequentius ſit votum. Natura verò nihil hominibus breuitate vitæ præſtitit melius. Hebeſcunt ſenſus, membra torpent, præmoritur viſus, auditus, inceſſus, dentes etiam ac ciborum inſtrumenta; & tamen vitæ hoc tempus annumeratur.] Heraclitus apud Clementem Alexandrinum 3. Strom c. 2. attendentes tantas calamitates quibuſcum in vita tam breui confligamur, malebat eam vocare *mortem*. & ipſos quoque homines vocauit *mortes*; quos querebatur ſatagere poſt ſe filios relinquere, vt & ipſi *mortes* fiant. In eandem ſententiam, & vitæ tam miſeræ deſignationem mortis nomine, Pythagoram, & Socratem in Gorgia, laudat Clemens loco citato; cenſens eodem quoque reſpexiſſe Apoſtolum Rom. 7. poſtulantē liberari de corpore mortis huius. Aliò tamē reſpexit Similis, qui vt eſt apud Dionē in Adriano, monumento ſuo inſcripſit, *in ætatis annis multis, tantùm ſeptennio vixi.*

Plurima homini ab homine mala

Porrò cùm malorum ac ærumnarum, de quibus hactenus, magna pars homini ipſi innaſcatur, ſunt præterea aliæ quamplurimæ eæque grauiſſimæ, homini ab homine miſeriæ, Plinius ſanè l. 18. c. 1. naturam rerum noxia parientem, traduci à nobis perperam expoſtulat, cum nos ipſi ſimus qui ad vſum aptemus, & in aliorum damnum adhibeamus, quæ innocens natura rerum, nobis nocere idonea fundit. [Noſtris, *inquit*, eam criminibus vrgemus, culpámque noſtram illi imputamus. Genuit venena: ſed quis inuenit illa præter hominem. Cauere ac refugere, alitibus feriſque ſatis eſt. Atque cum arbore exacuant limentque cornua elephanti & ſaxo rhinocerotes, & vtroque apri, dentium ſicas; ſciántque ad nocendum ſe præparare animalia; quod tamen eorum tela ſua, excepto homine, venenis tingit? Nos & ſagittas vngimus, ac ferro ipſi, nocentius aliquid damus: nos & flumina inficimus, & rerum naturæ elementa. Ipſum quoque quo viuitur aërem, in perniciem vertimus, *&c.* nec ab vllo præter hominem, veneno pugnatur alieno. Fateamur ergo culpam; Ne iis quidem quæ naſcuntur contenti. Etenim complura eorum genera, humana manu fiunt, Quid non & homines quidam, vt venena naſcuntur?] Vides quam homini, malorum ab homine ſementis ac ſeges, ita vt ipſi quoque Ethnici, ex hoc capite, hominum infra bruta deiecerunt. Audi eundem Plinium in libri ſeptimi præfatione. [Cætera animantia in ſuo genere probè degunt: congregari videmus, & ſtare contra diſſimilia Leonum feritas inter ſe non dimicat: ſerpentum morſus non petit ſerpentes: ne maris quidem belluæ ac piſces niſi in diuerſa genera, ſæuiunt. At Hercule, homini plurima ex homine ſunt mala. *Seneca non diſſimiliter 2. de ira c. 7.* Nulla pax eſt; aliter in alterius exitium leni compendio ducitur. Nulli niſi ex alterius damno quæſtus eſt: felicem oderunt, infelicem contemnunt; maiore grauantur, minori graues ſunt: diuerſis ſtimulantur cupiditatibus: omnia perdita ob leuem voluptatem prædámq; cupiunt. Non alia quàm in ludo gladiatorio vita eſt, cum iiſdem viuentium pugnantiúmque, Ferarum iſte conuentus eſt: niſi quod illæ inter ſe placidæ ſunt morsúque ſimilium abſtinent, hi mutua laceratione ſatiantur. Hoc vno ab animalibus mutis differunt; quòd illa manſueſcunt alentibus, horum rabies ipſos à quibus eſt nutrita, depaſcitur. *Idem luculenter epiſt.* Quid iſta, *inquit*, circumſpicis, quæ tibi poſſunt fortaſſe euenire, ſed poſſunt & non euenire, Incendium dico, ruinam aliáquæque nobis incidunt, non inſidiantur. Illa potius vide, illa deuita, quæ nos obſeruant, quæ captant. Rari ſunt caſus, etiamſi graues, naufragiū facere. vehiculo euerti. Ab homine, homini quotidianum periculum. Aduerſus hoc te expedi hoc intentis oculis intuere. Nullum enim malum frequentius, nullum pertinacius, nullum blandius. Tempeſtas minatur antequam ſurgat. Crepant ædificia antequam corruant, prænunciat fumum incendium: Subita eſt ex homine pernicies. & eo diligētius tegitur quo propius accedit, Erras ſi iſtorum tibi qui occurrunt, vultibus credis, hominum effigies habent animos ferarum; Niſi quod illarum pernicioſior eſt primus incurſus quos trāſire non quærūt, Nunquam enim illas ad nocendum niſi neceſſitas iniicit: aut fame aut timore coguntur ad pugnam. Homini perdere hominem libet. *Eſt in hanc rem locus inſignis autorē Imperfecti hom. 13. ad illud.* Attēdite vobis ab hominibus *itēque apud S. Aug. ſerm. 107. c. 6. de diuerſ. qui ſic ait.* Homini vnde malum niſi ab homine? Enumerate quanta extrinſecus homines patiuntur. Quæ non videātur ab hominibus fieri, perpauca ſunt. Abundant mala homini ab homine. Ferra ab homine: adulterium paſſus eſt in vxore ab homine; ſeductus eſt & ſeruus ab homine Zelatus eſt ab homine; proſcriptus eſt ab homine, expugnatus eſt ab homine captiuus ductus eſt ab homine. Libera me Domine ab homine malo.

Luctus ex ſcelerum eluuione.

266. Quid vberrima mœroris materia quæ ex aliorum quibuſcum viuit, nequitia & ſcelera homini obtingit? Vndique ſanè ſcelerum eluuio. Vndique viro probo mœſtitiæ argumenta occurrunt. Lucilium ſuum his verbis monet Seneca in præfatione lib. 4. Natur. qq. *Omnes time à me incipe. Virgilianum illud excute. Nuſquam tuta fides.*

Aut Ouid anum:

——— Quâ terra patet, fera regnat Erynnis..
In facinus iuraſſe putes

Ad illud Menandri. (Quis enim non in hoc magnitudinem ingenii ſui concitans deteſtatus conſenſum humani generis tendentis ad vitia?) Omnes ait malos viuere, & in ſcenam velut ruſticus Poeta proſiluit. Non ſenem excepit non puerum non fœminam, non virum Et adiicit. nec ſingulos peccare, nec paucos, ſed iam ſcelus eſſe contextum:

Plenius etiam 2. de ira c. 8. [Omnia, *inquit*, ſceleribus ac vitiis plena ſunt. Plus committitur, quàm quod poſſit coërcitione ſanari.. Certatur ingenti quodā nequitiæ certamine. Maior quotidie peccandi cupiditas minor verecundia eſt. Expulſo melioris æquioriſq; reſpectu, quocunq; viſum eſt, libido ſe impingit: nec furtiua iam ſcelera ſunt, præter oculos eunt. Adeóque in publicum miſſa nequitia eſt, & omnium pectoribus inualuit, vt innocentia non rara, ſed nulla ſit. Nunquid enim ſinguli, aut pauci rupere legem?

Vndique velut ſigno dato, ad fas nefáſque miſcendum coorti ſunt.]

——Non hoſpes ab hoſpite tutus.
Non ſocer a genero, fratrū quoque gratia rara eſt.
Imminet exitio vir coniugis, illa mariti.
Lurida terribiles miſcent aconita nouercæ.
Filius ante diem patrios inquirit in annos.

Et quota pars, iſta ſcelerum eſt? Non deſcripſit caſtra ex vna parte contraria, parentum liberorúmque ſacramenta diuerſa, ſubiectam patriæ ciuis manu flammam & agmina infeſtorum equitum ad conquirendas proſcriptorum latebras circumuolitantia, & violatos fontes venenis, & peſtilentiam manu factam, & præductam obſeſſis parētibus foſſam, plenos carceres & incendia totas vrbes concremantia, dominationéſque funeſtas, & regnorum publicorúmque exitiorum clandeſtina conſilia: Et pro gloria habita quæ quandiu opprimi poſſunt, ſcelera ſunt, Raptus ac ſtupra, & ne os quidem libidini exceptum. Adde nunc publica periuria gentium, & rupta fœdera & in prædam validioris quicquid non reſiſtebat, abductum: circumſcriptiones, furta, fraudes, inficiationes, quibus trina non ſufficiunt fora. Si tantùm iraſci vis ſapientem, quàntum ſcelerum indignitas exigit, non iraſcendum illi ſed inſaniendum eſt

Vides non ex vano Lactantium l. 5. inſtit. c. 9. quia crimina orbem mergentia noſſe cuperet, amādaſſe ad Senecam, quem morum vitiorúmque publicorum, & *deſcriptorem veriſſimum & accuſatorem acerrimum* nominat. Subdit item hæc ad rem præſentem opportuna. *Sed & Lucilius, tenebroſam iſtam vitam, circumſcriptè breuitérque depinxit his verſibus:*

Nunc verò à mane ad noctem, feſto atque pro feſto
Totus item paritér, ac die, populúſque patréſque,
Iactare, indu foro ſe omnes, decedere nuſquam
Vni ſe atque eidem ſtudio omnes dedere & arti:
Verba dare vt cautè poſſint, pugnare doloſè.
Blandiri, certare, bonum ſimulare virum ſe,
Inſidias facere, vt ſi hoſtes ſint omnibus omnes.

Hanc verò ſcelerum & vitiorum diffuſionem, ad omnes æquè pertinere, grauiſſimè expoſtulat Saluianus ſub finem tertij de prouid. Inde verſus quærelas. *Quid aliud eſt cunctorum negotiantium vita, quàm fraus atque periurium? Quid aliud curialium, quàm iniquitas? Quid aliud officialium, quàm calumnia? Quid aliud omnium militantiū quàm rapina?* Epiſt. 2. S. Cypriani quæ eſt ad Donatum, cumulatiſſimè & ſplēdidiſſimè monſtratur, totum mundum in maligno poſitum eſſe, ac ſceleribus redundare. S. Chryſoſtomus ſplendidiſſimè hom. 59. ex var. in Matthæum locis penſatis ſigillatim variorum ſtatuum criminibus, rem hanc exequitur.

In tanta prauitatis & nequitiæ vbertate, tametſi nō ſuæ ſed alienæ, quæ poteſt ſapienti fœlicitatis ſuæ opinio ſenſum mœroris abſtergere, dum affricari ſibi aliquid de aliena fuligine meritò timet? Et vt hic metus deeſſet, non poteſt homini acerbum non videri quod genus ſuum naturámque in alio homine, tam fœdè ac turpiter haberi deprehendit. Nemo enim tam ſaxeus eſt, vt non alienæ miſeriæ, præſertim veriſſimæ ac maximæ, commiſeratione tangatur.

Reſumitur concluſio propoſita, firmatúrque, neminem ſuprema ante funera, beatum eſſe

267. Perſplenè ergo ex omnibus hactenus tractatis infertur concluſio: quam inferendam ſuſceperam, & verbis autoris Tullianæ Conſolationis exhibeo *Redeo igitur ad illud, quod initio dixi, neminem eſſe qui ſpiritum ducat, non miſerum, neminem verè fœlicem: Pariúmque ſapiunt illi, qui hominem luendorum ſcelerum cauſa natum* (abrado fuliginem hanc Platonicam deiectarum in corpora animarum tanquam in carceres ad expiandas anteriores noxas) *felicem aut beatum audent nominare. Noſtra enim quæ dicitur vita, mors eſt nec vnquam viuit animus niſi compage ſolutus corporis, liber æternitate potiatur.*

Hoc paucis aliter dixit Sophocles in Ione. *In Iouis tantum hortis beata felicitas colitur:* Nec diſſimiliter Lactantius 3. inſtit. c. 12. concluſit impugnationem variorum Philoſophorum qui beatitudinem homini in hac vita dabant. Idem ex Platonis Epinomide refert Clem. Alex. 5. Strom. cap. 1. addens de beatorum paucitate, ex eodem, & ducens Platonem in his ex Moſe profeciſſe. Neminem latet Solonis cum Crœſo diſputatio ab Herodoto deſcripta lib. 1. & breuiter a Stobæo contracta ſer. 105. qua Crœſus ſe fœlicem ducens, dedocetur errorem, eíque demonſtratur, quod dicit beatus.

Ante obitum nemo, ſupremáque funera debet.

Quod verò iudicium de iis qui hîc felices dicuntur férat Plinius, doceo adſcriptis eius verbis ex l. 7. c. 40. *Si verum facere iudicium volumus, ac repudiata omni fortunæ ambitione decernere, mortalium nemo eſt felix. Abundè igitur atque indulgenter fortuna decidit cum eo, qui iure dici non infelix poteſt. Quippe vt alia non ſint, certè ne laceſſat fortuna metus eſt: quo ſemel recepto, ſolida felicitas non eſt. Quid quod nemo mortalium omnibus horis ſapit? vtinam falſum hoc, & non à vate dictum quamplurimi iudicent? vana mortalitas & ad circumſcribendam ſeipſam ingenioſa computat more Thracia gentis: quæ calculos colore diſtinctos, pro experimento cuiuſque diei in vrnam condit, ac ſupremo die ſeparatos dinumerat, atque ita de quoque pronunciat. Quid quod iſte calculi candore illo laudatus dies, originem mali habuit? Quàm multos accepta afflixere imperia? Quàm multos bona perdidere, & vltimis merſere ſuppliciis? Iſta nimirum bona. ſi cui inter illa, hora in gaudio fuit. Ita eſt profectò, alius de alio iudicat dies; Et tamen ſupremus de omnibus: Ideóque nullis credendum eſt. Quid quod bona malis paria non ſunt, etiam pari numero, nec lætitia vllo minimo mœrore penſanda? Heu vana & imprudens diligentia? Numerus dierum computatur, vbi quæritur pondus.*

ARTICVLVS III.

Formalem illam alterius vitæ beatitudinem, quæ Dei viſione continetur, & nunc morte obita piis rependitur, ſupernaturalem omnino eſſe, ac proinde hîc dimittendam.

268. Beatitudo quæ in hac vita perfectè haberi nequit, vt proximè monſtrauimus in alia vita quærenda eſt: verùm quia beatitudo alterius vitæ quam de facto in ſtatu ad quē Dei benignitate naturæ indebita euecti ſumus, adipiſcimur, adeò excelſa eſt, vt tranſcendat naturæ lumen, quo vno nunc dirigimur: Cogimur hoc loco, ne Moralis Philoſophi fines tranſiliamus, de præſenti alterius vitæ felicitate formali tacere, eius duntaxat eminentia, & exceſſu ſupra naturam obiter tacto. Hiatum autem quaſi lacunam explebimus mox ſubiicienda conſideratione felicitatis illius formalis, quæ in altera vita homini obtigiſſet, ſi fuiſſet conditus in puris naturalibus, quod ea beatitudo Philoſophicæ ſit conſiderationis. Etſi non ignoro in ea pertractanda, coniecturis potius per analogiam ad ea quæ reuelatio diuina de ſupernaturali beatitudine detexit, quàm propriis ac certis argumentis agendum fore.

ASSERTIO.

ILLA formalis beatitudo alterius vitæ quæ clara Dei viſione continetur, & ab ipſo Deo quatenus gratiæ, ac ſupernaturalis gloriæ authore, in vitæ cum laude tranſactæ remunerationem, hominibus in hoc ſtatu confertur; adeò ſupra naturam eminet, vt eius quoque appetitum cum innatum tum elicitum, formaliter, ſiue in ſuo ordine ſpectata longè tranſcendat.

PRimò dico beatitudinem illam formalem, quæ in altera vita nunc ſperatur, & clara Dei viſione continetur, eſſe ſupernaturalem. Quod vt dixi obiter duntaxat attingendum eſt, tantùm vt appareat eam non eſſe Philoſophicæ conſiderationis. Dimiſſis autem illis, quæ à Chriſtianis Theologis in hanc rem plenè adducuntur, contra monſtroſum Eunomij & Anomæorum placitum, qui iam ex hac vita non minus clarè contueri ſe Deum, quàm ipſe ſeſe conſpiciat, mentiebantur; quod apertæ inſaniæ damnat S. Auguſtinus 32. contra Fauſtum c. 18. Et magnæ ſtultitiæ eſſe, ait Nazianzenus orat. de ſtatu Epiſcop. in fine; Ac denique ridiculum eſſe, imò omni furore plenum ait S. Cyrillus 11. theſ. initio, potentiſſiméque à Chryſoſtomo. Baſilio, Nyſſeno, aliiſque Patribus Anomæos & Eunomium impugnantibus debellatum eſt. His inquam dimiſſis, quia de quauis huius vitæ cognitione iam conſtitutum eſt quantùm abſit à vera formali beatitudine, recolenda breuiter eſt ratio alteri quoque vitæ communis, quæ ex eminentia Dei, prout in ſe eſt, ducitur; & à nobis propoſita, ac ſapientum authoritate munita eſt in Naturali Theol. d. 5. n. 174. & d. 4. n. 19. ſic igitur argumentor.

Claram Dei viſionem, (quæ eſt plena hominis beatitudo,) ſupernaturalem eſſe demonſtratur.

269. Intellectus noſter, etiamſi anima corpore exceſſerit, non mutat obiectum connaturale per ipſum intuitiuè cognoſcibile, alioqui mutaret naturam ſuam ac eſſentiam, quæ ex illo obiecto petitur. Atqui intra obiectum connaturale intellectus noſtri, non comprehenditur Deus. vt in ſe eſt. Ergo ne in altera quidem vita, propriis & connaturalibus viribus Deum intuebimur. Sola minor, confirmatione aut potiùs declaratione eget. Nam quandoquidem experientia teſte, omnes nouimus quàm imperfectè animam ipſam noſtram concipiamus; ita vt, quamuis euidenter iudicemus eam eſſe ſpiritualem, tamen non aſſurgamus ad genuinam eius notitiam efformandam; quis dubitare queat, multò minus ipſum actum purum, qui eſt in vertice totius intelligibilitatis, non poſſe vt in ſe eſt, per nos conſpici? Multò nanque minus phantaſmata corporea, quorum interuentu connaturaliter ad clarè intelligendum excitamur, & ſpecies intelligibiles ei commenſæ vſui eſſe poterunt ad claram Dei notitiam expromendam.

Et ratio à priori eſt, quia inter obiectum connaturale, quod ſolùm intuitiuæ notitiæ connaturali obiicitur, & potentiam cognoſcentem, debet intercedere proportio. Nam natura, potentia, actio & obiectum connaturale debent eſſe eiuſdem ordinis, imò & gradus, vt rectè contra Pomponatium diſputat Contarenus 2. de immortal. & nos latè diſt. illa 5. à n. 3. Non enim ſenſus poteſt habere rationem potentiæ reſpectu plantæ. Cùm ergo inter Deum prout in ſe eſt, & intellectum noſtrum, etiam iam corpore liberum, nulla ſit proportio, propter ordinis diuerſitatem, & potentialitatem noſtram, puriſſimæ Dei actualitati ſemper imparem, fatendum eſt Deum non eſſe obiectum nobis connaturale, atque adeò non poſſe ab intellectu noſtro conſpici, vt eſt in ſe.

Accedit quod Dei cognitio, prout in ſe eſt, excludit quoduis notitiæ illius motiuum extra Deum; nam ſi Deus videretur in aliquo alio obiecto, & per aliud motiuum, quod vtique creatum, & Deo inferius eſſe oporteret, notitia non foret intuitiua, nec pertingeret ad Deum, vt in ſe eſt. Atqui cognoſcere Deum per ipſummet Deum eſt aliquid ſoli Deo connaturale, eique reciprocum: Non enim alios ſupereſt modus cognoſcendi, conformis modo eſſendi Dei, illúmque aſſectans; qualem tamen pro quouis intellectu aſſignare neceſſe eſt, iuxta vulgare pronunciatum. Ergo fieri non poteſt, vt creatura viribus propriis aſſurgat ad eum operandi modum. Quamuis vt ille modus operandi Deo ſoli connaturalis & proprius, communicetur creaturæ accidentariò, ex mera Dei benignitate naturæ indebita, nihil ſit quod vetet: cùm ſæpè accidentia propria vnius naturæ, reperiantur extra ſubiectum connaturale ſub ratione accidentis communis. Valent autem hæc omnia, tam de intellectu noſtro poſt ſolutionem à corpore, quàm de quouis creato intellectu, non tantùm reipſa producto, ſed etiam producibili.

Eiuſdem viſionis poſsibilitas, indemonſtrabilis.

270. Colligere porrò ex dictis licet, non modò clarum illum Dei coutuitum naturalibus viribus elicitum, eſſe impoſſibilem; ſed etiam poſſibilitatem viſionis claræ, non poſſe intra merum naturæ lumen demonſtrari, aut euidenter cognoſci, vt rectè cenſuit Mol. 1. p. q. 12 art. 1. d. 1. Suar. de attrib. Dei negat. c. 7. & l. 2. de Angel. c. 29. à num. 25. Euidenter quidem cognoſcere poſſumus repugnantiam talis viſionis nequaquam oſtendi, & omnia quæ contra poſſibilitatem eius opponuntur, infirma eſſe, nec conuincentia. Vt tamen ipſa poſſibilitas euidenter penetretur, fieri naturaliter nequit. Valdè namque differunt duo illa; euidens eſſe aliquid non repugnare, ſiue, eſſe poſſibile; &, euidens eſſe, non oſtendi repugnantiam eius. Plus quippe requiritur ad poſitiuam euidentiam poſſibilitatis, ſiue non repugnantiæ; quàm ad euidentiam, quòd impoſſibilitas non euincatur. Et idcircò quamuis myſteria fidei Chriſtianæ non poſſint euidenter oſtendi poſſibilia: tamen euidenter oſtendimus, non eſſe in eis repugnantiam; & argumenta quibus impugnantur, imbellia eſſe ac irrita, de quo alibi.

Quamuis ergo admittam viſionem claram Dei non probari impoſſibilem, ídque euidenter conſtare profitear; Tamen nego probari poſſibilem: Maléque aliqui id inferunt ex eo quod Deus claudatur obiecto humani intellectus. Non enim clauditur obiecto connaturali; quod tamen neceſſe eſſet, vt poſſet claræ de Deo notitiæ poſſibilitas inde inferri. Comprehenditur ergo tantùm ſub obiecto adæquato intellectus humani, & hoc ipſum non innoteſcit euidenter, ſi ſiſtamus intra naturæ lumen. Quod verò Vaſques 1. 2. d. 20. c. 2. argumentatur præterea in hanc rem ex naturali appetitu viſionis claræ Dei: (quod eſt etiam in hanc rem Niphi argumentum 2. Metaph. diſp. 3. c. 4.) pendet ex mox dicendis de eo appetitu.

Sitne ea viſio, naturaliter appetibilis, varia placita.

271: Secundò ergo dixi, eam fœlicitatem formalem perfectam, quæ clara Dei viſione continetur, éſtque in hoc humanæ naturæ ſtatu,ſanctè è vita excedentibus præmium, ac merces laborum; ita tranſcendere fines naturæ, vt ne in appetitum quidem ipſum naturalem, ſiue innatum ſiue elicitum, cadat. Quod breuiter oſtendendum eſt, cùm vt enodetur difficultas qua euerti videntur omnia hactenus conſtituta de ſupernaturalitate huius beatitudinis: nam ſi poteſt naturaliter appeti, videtur eſſe naturalis, cùm appetitus à natura inſitus nequeat eſſe irritus & fruſtra inſertus. Tum etiam vt appareat eam meritò hic à nobis non explicari: non enim poſſumus de ea hoc loco diſſerere, vbi ſpiculo naturæ lumine prælucente dirigimur, ſi verum eſt eam non modò naturæ fines, ſed etiam noſtrum quemuis appetitum tranſcendere.

Hoc ſecundum, inficiati ſunt nonnulli, exiſtimantes claram Dei viſionem eſſe formalem vltimum finem noſtrum naturalem, nóſque appetitu innato ac elicito, ad Deum clarè videndum ferri; quamuis aſſecutio finis ex gratiæ ſubſidiis naturæ indebitis, pendeat. Ita Scotus q. 1. prologi *litera D*.& in 4. d.49. q.10. *literis A & B*. Soto 1. de natura & grat. cap.4. Carbo 2. introducti. ad Theolog. cap.16. Alij verò, cùm appetitum innatum negent admittunt tamen elicitum. Ita Vaſqu. 1.2.d.22.q.4.& 5.& Salas 1.2. tract.2. d.12.num.21. Et conſentit Ferrar. 3. contr. gent. cap. 51. ſi ſermo ſit de viſione Dei præcisè vt authoris rerum naturalium, & primæ cauſæ in eo genere. Mihi neuter appetitus videtur admittendus cum Fonſeca 1. Metaph. cap. 1.q 2.ſect.2. Molin. 1.par. q. 12. art. 1. d. 2. Suar. in Metaph. d. 30. ſect. 10. num. 37. & proleg. 4. de grat. c. 1. *ſub finem*. Quanquam quia poteſt hic eſſe lis de nomine, præſtat adhibitis diſtinctionibus, tentare ſententiarum conciliationem.

Reſolutio de appetitu innato.

272. In primis ergo diſtinguendum eſt de appetitu innato: ſi enim hoc nomine intelligatur potentia naturalis, cum ea inchoata & imperfectiſſima capacitate, ſeu potius rudimento capacitatis, quod ineſt naturæ vt ſupernaturaliter paſſiuè vel actiuè perficiatur, recipiendo vel eliciendo formam viſionis, qua Deum finem ſuum ſupernaturalem clarè perſpiciat, prout ipſemet in ſe eſt: ſic homo habet naturaliter appetitum innatum viſionis Dei. Negari enim non poteſt, quin homo habeat remotam illam potentiam, cum paſſiuam, tum actiuam, & quidem ſibi natiuam & eſſentialem,quia homo ſuapte natura,& ſecundùm eſſentiam eſt talis, vt poſſit diuinitus ſupra naturæ ſuæ debitum, ſuſtolli ad huiuſmodi actionem & receptionem. Hoc autem eſt habere appetitum naturalem & innatum beatitudinis ſupernaturalis ſeu viſionis Dei, ſumendo appetitum innatum primo illo modo. Nec ex eo quod huiuſmodi appetitus, ſit naturalis, quicquam decedit ſupernaturalitati viſionis prædictæ: ſicut fides, qua propter Dei ſolius authoritatem reuelantem aſſentimur; & charitas, qua eundem ſupernaturaliter cognitum voluntate ſtringimus, ſunt formæ ſimpliciter ſupernaturales: & tamen D. Auguſtinus l. de prædeſt. Sanct. c. 5. & Proſper 2. de vocat. gent. c. 8. attendentes remotam illam capacitatem, ſeu non repugnantiam naturæ ad actus illos eliciendos, eoſdémque & eorum habitus recipiendos, disertè ſcripſerunt, *poſſe habere fidem & charitatem, natura eſſe hominum*: nempe *poſſe* remota poteſtate; innata quidem, & natiua ac eſſentiali, ſed per naram nudam irreducibili in actum.

Si autem nomine appetitus innati naturalis, intelligatur potentia nobis congenita, vt proximè capax profundendæ, vel recipiendæ viſionis, & poſitiuè in illam inclinata, tanquam in bonum, quod viribus naturæ implantatis, eíve debitis reſpondeat: ſic negandum eſt dari appetitum innatum beatitudinis prædictæ. Vnde non ſequitur deeſſe homini finem vltimum naturalem, quo adepto ſatietur: Poſſe enim naturalem hominis appetitum expleri alia aliqua Dei finis ſui notitia, quàm eius viſione, oſtendam art. ſequenti. Et quia nomen appetitus innati, magis propriè ſumitur modo poſterius propoſito propterea ſimpliciter negandum eſt dari in nobis, appetitum innatum viſionis Dei. Hæc eſt diſtinctio Læbij Zecchij tract. de Theol. cap. 2. Nec incommodè diſcrepantes ſententias ſupra propoſitas, in concordiam reuocat quoad appetitum innatum. Eò item recidere poteſt diſtinctio cætero qui minus commoda, quam adhibet Antonius Peres certam. 5. Scholaſt. cap. 3.

Quid de appetitu elicito, viſionis claræ ſumptæ formaliter.

273. Iam verò quoad appetitum elicitum adhibenda eſt alia diſtinctio. Vel enim beatitudo ſupernaturalis, ſiue viſio Dei, ſpectatur formaliter, & determinatè ac expreſsè quatenus ſupernaturalis: vel ſpectatur tantùm materialiter, vt entitas quædam conueniens cum entitatibus quibuſdam naturalibus, & communem cum eis habens rationem boni, hoc eſt, vt ſcientia & cognitio quædam magni pretij. Si ſumatur primo modo, nego dari appetitum eius elicitum naturalem. Negandi ratio eſt, primò quia appetitus elicitus nihil aliud eſt, quam fœtus & partus innati: Eſt enim ipſamet actualis appetitio, quâ exercetur pondus illud naturæ in ſuppoſitis cognitione præditis. Ergo vbi deeſt naturalis appetitus innatus, neceſſe quoque eſt vt deſit appetitus naturalis elicitus.

Vt proinde parùm conſequenter locuti videantur aliqui ſupra adducti, qui inficiati naturalem appetitum innatum beatitudinis, admiſerunt elicitum; manantem, vt aiunt, ex appetitu innato, non obiecti, ſed ipſius appetitionis elicitæ. Quaſi verò poſſit eſſe in potentiis noſtris appetitus innatus obiecti, aliter quàm per ordinem ad appetitionem elicitam, vt liceat dicere, nos carere appetitu innato obiecti; non autem actus eliciti tendentis in obiectum? Quare ſicut obiectum, inter quod & potentiam interiacet actus, non eſt nobis connaturaliter proportionatum, & idcircò caremus appetitu innato proximo ac completo ad illud: ita neque actus elicitus eſt nobis connaturaliter proportionatus; ac proinde non habemus reſpectu eius appetitum innatum: qui tamen vt dicebam, præſupponendus eſt vt appetitus elicitus progerminet.

Accedit ſecunda ratio, quia actus eſſentialiter merè naturalis non poteſt verſari circa obiectum ſupernaturale qua tale: nam ſpecificatio actus ducitur ex obiecto. Vnde ſi obiectum ſit ſupernaturale, ſumatúrque vt tale, non poterit refundere in actum niſi eſſentiam ſupernaturalem, alioqui degeneraret à nobilitate ſibi ingenita, ederétque fœtum ſpurium, ſuæ virtuti ac dignitati imparem: Atqui beatitudo formalis ſupernaturalis, ſumpta formaliter, eſt entitas eſſen-

tialiter ſupernaturalis. Ergo impoſſibile eſt eam meram & immixtam, attingi actu naturali. Fateor quidem intellectum noſtrum, poſſe per actum naturalem, attingere motiuum ſupernaturale impurum & commixtum partiali motiuo naturali : Quod puto contingere in aſſenſu Theologico, qui ideirco eſt ſecundùm ſubſtantiam ſuam naturalis, quia terminatur ad præmiſſas prout per naturalem diſcurſum aptatas, ita vt proximum motiuum partiale aſſenſus præſtiti propoſitioni obiectiuæ importatæ per concluſionem Theologicam, coaleſcat ex præmiſſis ſupernaturalibus, & ex illo quarto actu, fundato in axiomate illo naturaliter euidenti : *Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe :* qui quartus actus, ſuprà tres actus enunciatiuos interuenit ad compactionem ſyllogiſmi, & exprimitur per particulam *ergo*.

Hoc igitur admitto in eo actu intellectus, propter mixturam & impuritatem motiui, vi cuius, actus inficitur, nec reſpondet parti illi quæ præcellentior eſt in motiuo ſed alteri abiectiori. At in re noſtra agitur de actu voluntatis cui motiuum ſupernaturale purum putum obiicitur, quà ſupernaturale iuxta aduerſarios. Vnde ergo actus ille hauriet naturalitatem ſuam, cùm tota eius eſſentia in genere cauſæ formalis extrinſecæ ducenda ſit ab obiecto, quod eſt purè ſupra naturam ?

274. Eſt verò ſpecialis ratio difficultatis in actu voluntatis, quæ eſſe poteſt tertia ratio cur negandus ſit appetitus elicitus naturalis reſpectu viſionis beatificæ prout formaliter ſupernaturalis. Nam actus voluntatis ſupponit notitiam intellectus proportionatam obiecto appetendo. quia nihil volitum, quin præcognitum. Atqui obiectum de quo appetendo hic agitur, ſiue proximè, nempe viſio Dei clara, ſiue remotè, nempe Deus author gratiæ & gloriæ, ſunt obiecta omninò excedentia notitiam quamuis naturalem, ſi ſint attingenda diſtinctè & ſecundùm proprias rationes, ſeu formaliter quatenus ſupernaturalia. Ergo excedunt quoque omnem naturalem appetitionem.

Quanquam ſatis video poſtremam hanc rationem non vrgere aduerſarios, qui, quo iure admittunt naturalem actum voluntatis terminatum ad obiectum ſupernaturale, qua tale ; eodem etiam admittent naturalem intellectus operationem, ad illud obiectum termin tam : Sed id mihi ſpecialiter videtur incommodum in intellectu, quia voluntas, ſaltem cùm prælucet notitia ſupernaturalis, poſſet vtcunque intelligi idonea ad attingendum bonum quomodolibet propoſitum. Vt autem intellectus, cui nulla anterior potentia viam munit, aſſurgat ad obiectum ſuperioris ordinis, quatenus ſuperioris ordinis eſt ; nulla ratione intelligi poſſe videtur. Et hactenus de naturali appetitu elicito viſionis Dei ſpectatæ formaliter.

Quid de appetitu elicito viſionis ſpectata materialiter.

Si verò viſio Dei ſpectetur materialiter & confusè, prout ſcilicet eſt bonum quoddam intellectus, & homini valdè congruum, ſic admitto eam poſſe naturaliter appeti appetitu elicito. Nam quoad hunc actum, ac proinde etiam reſpectu obiecti eius ſic ſpectati, habet homo appetitum naturalem innatum : nec eſt vllus exceſſus in obiecto, ſiue ex parte volontatis, ſiue ex parte intellectus eam dirigentis. Vnde nihil eſt quod prohibeat, hominem hoc bonum ſuum naturaliter cognitum, quatenus habet rationem boni cum aliis naturalibus bonis communem, naturaliter quoque ſibi expetere. Sicut alia pleráque bona ſupernaturalia, voluntati propoſita ſub ratione bonorum naturalium, poſſunt naturaliter appeti.

Et ea ratione Simon Magus, actu naturali, (quippe criminoſo,(expetiit poteſtatem impertiendi Spiritum ſanctum, quæ poteſtas eſt obiectum ſupernaturale. Item hæretici, ſupernaturalem peccatorum remiſſionem per gratiæ infuſionem, ipsámque ſupernaturalem hominis beatitudinem in Scripturis expreſſam, naturaliter cognoſcunt & proſequuntur per voluntatem. Idémque dicendum eſt de actibus, quos interdum elicere potuerunt Ethnici, de noſtræ fidei myſteriis, inaudientes, & craſsè concipientes aliqua. Quod neque Ethnici neque germani eorum hæretici facere poſſent, ſi attingendum eſſet obiectum ſub ratione formali obiectiua naturam excedente. Sic enim, (vt ex ipſis terminis patet,) obiectum quandoquidem naturæ vires excederet, non poſſet attingi, ſiue per intellectum, ſiue etiam per voluntatem. Nam hæc quoque præſuppoſita quauis intellectus completione, exigit ex ſua parte compleri & roborari, vt aſſurgere poſſit ad actum circa obiectum ſuperioris ordinis, ad quem ipſa ob infirmitatem ſuam ſuſtolli nequit.

275 Itaque negandum eſt, viſionis Dei quatenus eſt actus ſupernaturalis, dari appetitum elicitum naturalem. Quod non reſtringo ad viſionem Dei prout gratiæ authoris, quia viſio Dei vt authoris naturæ, eſt impoſſibilis (quod Ferrarienſis cuius eſt ea diſtinctio, non animaduertit.) Impoſſibile enim eſt Deum videri, nec attingi quoad omnia ipſi interna, illáſque perfectiones, quæ ſunt in eo maximè ſupernaturales. Imò hæc ipſa perfectio Dei quæ eſt eſſe authorem naturæ, non differt formaliter præciſiuè ab iis perfectionibus quas vocamus ſupernaturales : Omnia enim quæ Deo inſunt, ſalua diſtinctione virtuali, ſunt vnica & ſimpliciſſima perfectio, ne per ipſam quidem intellectus aciem ſectilis, quamuis intellectu noſtro in ſuam ſemper pluralitatem diſſiliente, (vt pulchrè tradit S. Bernard. 5. de conſid. *ſub finem*,) quod vnum eſt, occurrat velut quadruplicatum, aut multo plus etiam multiplicatum.

Concluditur viſionem claram ab hac tractatione extraneam eſſe.

Hinc ergo liquet, quàm meritò poſitum à nobis ſit, illam formalem beatitudinem quæ nobis in ſtatu ad quem diuinâ benignitate euecti ſumus, poſt mortem piè obitam rependitur, eſſe omninò ſupernaturalem, non tantùm quoad aſſécutionem, ſed etiam quoad appetitionem. Ac proinde ſilendum prorſus hîc de ea eſſe, vbi naturalis ſolius luminis ductum ſequimur. Facile tamen erit aliunde naturam eius ac perfectionem & adiuncta omnia petere. Nam præter ea quæ Chriſtiani Theologi de illa tradunt 1. p. q. 12. art 1. 2. q. 3. luculenter quoque de ea diſſerunt Petrus Damiani epiſt. 3. & 15. Proſper l. 1. de vita contempl. per decem prima capita. S. Chryſoſt. in paræneſi priore ad Theod. S. Anſel. l. de ſimilit. à cap. 47. (qui locus repetitur ſermone de beatitudine, Cluniaci habita.) Author libri de triplici habitaculò, apud Auguſtin. tom. 9. Guliel. Pariſ. de retribut. Sanctorum. Sebundius in natural. Theol. titulo 154. & ſeqq. aliíque his recentiores abſque numero.

ARTICVLVS IV.

De formali illa beatitudine, quæ hominibus diuino munere poſt mortem concedenda fuiſſet in ſtatu puræ naturæ.

276. SIcut de facto ſtatus puræ naturæ nunquam fuit, nec erit: ita neque vlla reipſa vnquam fuit, eritve beatitudo formalis, conſentanea ſtatui puræ naturæ. Coniectabimus tamen hoc loco aliqua de huiuſmodi beatitudine ob cauſam initio præcedentis articuli propoſitam.

ASSERTIO.

ILLA, pro ſtatus imperfectione perfecta formalis beatitudo, quam homines naturæ ſuæ puræ relicti, in altera vita conſecuti diuino munere fuiſſent, nec neganda eſt, nec eſſentialiter in alio collocanda, quàm in operatione intellectus circa Deum: abſtractiua quidem, ſed tamen intra naturæ fines perfectiſſima, tametſi in variis ſubſtantiis magis aut minus perfecta, pro meritorum varietate; vbique autem perpetua & neceſſaria, iugique item ac perenni, naturalis in Deum amoris ſuper omnia, & exuberantiſſimi gaudij, fonte: Quam etiam reſurrectio corporum, & plena quatumuis hominis facultatum exſatiatio, cùm congrua defectuum indecentium remotione, aſſectaretur.

PRimò admitto in ſtatu puræ naturæ, (ſi inſtitutus à Deo fuiſſet, vt ſanè inſtitui poterat) futuram fuiſſe aliquam naturalem beatitudinem rependendam homini poſt mortem in præmium vitæ, ex rationis præſcripto, & ad diuinæ voluntatis amuſſim, exactæ. Cuius rei gratia recolendum eſt obiter quis foret ſtatus ille qui reipſa quidem nunquam fuit, potuiſſet tamen eſſe de facto, ſi ita Deo viſum fuiſſet.

Quis foret ſtatus puræ naturæ.

Puræ igitur naturæ ſtatum, intelligo conditionem naturæ, quæ nullo peccati cœno oblita, & omni naturam ſuperante dono exuta, aut potius nunquam conuestita, ſolis ſuis connaturalibus perfectionibus & auxiliis ordini ſuo conſentaneis, perducta fuiſſet ad finem eidem ordini conſentaneum, hoc eſt, ad Deum vt authorem naturæ. Quod poſtremum eſt huic ſtatui valdè intrinſecum: nam ſi ſupponeremus hominem deſtinatum ad Deum, vt ad finem ſupernaturalem, per gratiam ſuo tempore conferendam conſequendum, creatum fuiſſe abſque vllis ſupernaturalibus donis; non propterea diceretur productus in ſtatu puræ naturæ. Nempe quia ante expletum integrum viæ decurſum, habiturus fuiſſet gratiam; & ex ipſo (vt ita dicam) productionis diluculo, habuiſſet ordinem ad ſupernaturalem finem: quòd in ſtatum puræ naturæ non poteſt cadere. Habiturum autem tunc fuiſſe hominem, ordinem illum, debet eſſe extra dubium: quia Deus non poteſt agere niſi propter finem aliquem vltimum. Vnde quia ſupponeretur mox voliturus homini conſecutionem vltimi finis ſupernaturalis, non poſſet intelligi producere hominem propter finem vltimum naturalem, niſi voluntas diuina mutationem ſubiret, conſtituto primùm homini fine naturali; deinde autem ſupernaturali, quæ mutatio non poteſt in Deum cadere. Itaque ſtatui puræ naturæ intima eſt ea deſtinatio ad vltimum finem naturalem, vt affirmabam.

Talem porrò naturæ humanæ productionem, quæ in ſtatu ſibi connaturali ſiſteret, nec ad finem ſuperiorem aſſurgeret, potuiſſe diuinitus dari, indubitatum eſſe debet, ex ſupernaturalitate atque adeò eminentia, & non exigentia finis illius, qui nunc nobis à Deo liberrimè præfixus eſt. Quid verò Deum potuit adigere, vt non attenta noſtra nuda capacitate naturali, ſuſtolleret nos ad capeſſendum finem naturâ noſtrâ ſuperiorem, per capacitatem ſupernaturalem & auxilia indebita? Itaque merum fuit Dei beneplacitum, quòd humanam naturam ſibi ipſi non reliquerit, altiúſque euexerit, quàm ferret debitum omne quod in ea fundari poteſt. De facto tamen hic ſtatus nunquam in rerum natura locum habuit, habebitve. In quo hallucinati ſunt Philoſophi, qui altiore lumine, quod nobis affulſit, deſtituti, conditum in natura pura hominem cenſuerunt. Nec aliter de natura noſtra, eiúſque ad finem ordinatione, cenſuiſſe Pelagium, non diffitebitur quiſquis eius errorem introſpexerit, apertéque habetur ex eius epiſtola ad Demetriadem.

Inteſtina, rationem inter ac ſenſum diſſidia, in eo ſtatu.

277. In hoc igitur puræ naturæ ſtatu, ſi Deus illum inſtituiſſet, homo, (quippe eſſentialiter ex anima & corpore coaleſcens,) facultates quoque huic ſuæ naturæ conſentaneas; cùm cæteras, tum maximè ſenſum & rationem ſortitus fuiſſet. Senſus porrò nomine appetitum quoque ſenſitiuum intelligo, ſicut nomine rationis, fœtum etiam eius deſignatum volo, nempe libertatem. Vnde quia inter ſenſum & rationem ſic ſumptam, eſt naturale diſſidium, eò quòd ſenſus cuius eſſet rationi obtemperare, detrectet plerúmque imperium, & abſtractus ac illectus à bono ſenſibili, rationem ſiniſtra auertere conantem, ſequi renuat: (non enim ei præeſt ratio deſpoticè, ſed politicè, vt habetur 1. Polic. c. 3) propterea in eo ſtatu natura humana, eaſdem quas nunc, honeſtè operandi difficultates, ab intrinſeco; & eadem ferè ab extrinſeco malorum incentiua fuiſſet experta. Ferè inquam, quia excipiendæ eſſent dæmonum mille nocendi artes, & ad peccatum irritamenta, quæ tunc defuiſſent. Verùm quia ratio ſubiectum ſibi ſenſum iure habuiſſet, & libertas quod liberet operandi, ſalua ſemper perſtitiſſet: potuiſſet homo frænare appetitum, quoties efficaciter ei reniti, & honeſtè operari delegiſſet.

Item proxima capacitas honeſtorum operum.

Itaque habuiſſent etiam tunc locum bona opera ordinis naturalis, & operationes moraliter honeſtæ, ac dignæ præmio. Quod enim id aliqui refugiunt, cauſati naturæ nudæ ac ſine gratiæ ſpectatæ impotentiam ad perſpiciendum verum morale, & exequendum quoduis bonum; immeritò faciunt. Vt enim taceam veritates ſpeculatiuas & practicas ad artem ſpectantes, de quibus hîc non agitur; quáſque, ſin minus omnes, ſaltem pleráſque, in eo ſtatu perſpectum iri ab iis, qui ſe earum inueſtigationi addixiſſent,

extra

extra controuerſiam eſt; nemini qui naturam noſtram abſque gratia, naturam ratione præditam eſſe admiſerit, dubium erit, quin homo pleraque dictamina prudentialia ſolo naturæ lumine præuio poſſit elicere. Vnde rectè infert Sotus 1. de natura & gratia cap. 4. in eo ſtatu de quo agimus, futurum fuiſſe in poteſtate hominis rectè agere, & verè pleróſque rectè fuiſſe interdum operaturos.

278. Loquor indefinitè, & per ſe rem attendendo, ne cogar importunè in quæſtiones alterius loci, ac alieni iuris excurrere. Nihil igitur ſtatuo, an homo per nudam naturam in eo ſtatu potuiſſet in quoſuis actus bonos morales, & in quibuſuis circunſtantiis, erumpere, non modò poteſtate remota, quod certum eſt, (quandoquidem actus illi, naturales fuiſſent, & virtuti hominis proportionati, nec vllæ circunſtantiæ hanc ſuam virtutem & libertatem homini eripuiſſent;) ſed etiam poteſtate proxima, & in actum quandoque prodeunte. Quicquid verò de hoc ſit, quod alibi excutiendum eſt, nunc tantùm contendo, indefinitè ſaltem, ac per ſe loquendo, in tali ſtatu, hominem omnino habiturum hanc quam dixi proximam poteſtatem rectè operandi, conſentaneè ad lumen ſibi naturaliter inditum & vires libertatis: Quæ idcirco quòd ſupernaturalibus præſidiis deſtituerentur; non eſſent tamen prorſus attritæ, aut potius nullæ. Hæc vna mihi videtur in hanc rem efficaciſſima argumentatio, dimiſſis innumeris, quas aliqui propè infinita doctrinæ & verborum vbertate, multiplicant.

Audiendi verò non ſunt qui reclamant, & notitiam omnem congruam ex qua morale opus bonum exiſtere contingit ad ſpecialem Dei prouidentiam referunt, volúntque eſſe gratiæ donum; quod ſtatui de quo agimus conſtat fuiſſe defuturum. Negandum ſiquidem eſt congruam quamcunque cogitationem, ex cuius ſolius ſeminio exiſtit de facto opus bonum, eſſe ſemper effectum ſpecialis & extraordinariæ prouidentiæ, & ad gratiam pertinere: cùm ſæpè ex naturali duntaxat Dei prouidentia, & communi rerum curſu, exoriatur. Nihil quippe eſt in huiuſmodi iudicio congruo, quod extraordinarium Dei influxum ſemper requirat: ſiue intrinſecas eius cauſas, nempe motiuum & materiam attendamus, ſiue quoſuis modos actus, nempe intenſionem, claritatem, expreſſionem, & ſi qui ſunt alij.

279. Hinc igitur liquet rectè concedi in ſtatu de quo agimus, futura fuiſſe bona quædam opera: etiamſi enim defuiſſent in eo gratiæ ſubſidia: nihilominus homo rectè quandóque & honeſtè operatus fuiſſet, interuentu tantum cogitationum conceptarum ex naturæ fœcunditate & communi prouidentia, ac beneficiorum ordinem naturæ non tranſcendentium, eíque debitorum: non quidem in quolibet indiuiduo, (non enim omnes ſemper aut etiam aliquando benè egiſſent,) ſed in ſeipſa, ac per eam alicui ſaltem ex indiuiduis intra illam contentis ea prouidentia quandoque obtingeret. Cuiuis enim naturæ ſpecificæ, quandoquidem vniuerſalis gubernatio rectè ac ſapienter procedit, talis prouidentia & cauſarum aptatio ac curſus naturæ inſtitutio debetur, ſecundùm quam interdum exequatur operationes ſibi conſentaneas. Et ita cernimus in quibuſuis naturis, tametſi à connaturali actione impedibilibus & defectibilibus. Quidni ergo idem de humana natura dicamus quoad operationes ipſi connaturales, hoc eſt, moraliter honeſtas?

Nec quod huiuſmodi beneficium non omnibus ſemper indiuiduis obtingat, eo quod non ea ſemper operandi principia ſortiantur, per quæ de facto excudatur operatio, argumentum idoneum eſt ad perſuadendum, eſſe hoc gratiæ beneficium naturæ indebitum. Nam neque temperies, ad vitam diuturnam, vel ingenij acumen opportuna, omnibus dantur ex vi ordinis cauſarum de facto inſtituti. Quod tamen nemo ad gratiam naturæ indebitam, referat cùm etiam in brutis & aliis pleríſque indiuiduis veræ gratiæ incapacibus, (ſola enim natura intellectualis aptum eius ſubiectum eſt ex D. Auguſtino 4. contra Iulian. cap. 3.) ea beneficiorum inæqualitas locum habeat; quibuſdam perfectiorem temperiem & commodiorem ſortitis, vi curſus naturæ de facto inſtituti, & aptationis cauſarum materialium & efficientium, quæ aliter aptari potuiſſent. Sunt tamen ex communi prouidentia ſic diſpoſitæ per beneficium merè naturale, & clauſum in dono creationis, eámque conſequentis prouidentiæ.

280. Hæc paucis ſtatuiſſe non piget, quòd neceſſarium contineant totius ædificij mox ſuperſtruendi fundamentum. Tametſi video tactum à me potius quàm expoſitum ingentis ac prolixæ operæ negotium, ſi quæ ex ſuperiori lumine ad eius illuſtrationem peti poterant, huc accerſere conſilium fuiſſet. Sed iis præcisè contentus quæ huic loco neceſſaria ſunt, & ad eum faciunt, cætera ad altius ſubſellium relego. Nonnulla item explicatiùs in hanc rem proferam, agens de cauſa effectiua honeſtatis formalis merè naturalis. Quæ enim de ea cauſa pro præſenti naturæ humanæ ſtatu adducam, per ſe rem ſpectando, æquè valent pro ſtatu puræ naturæ qui eſſe potuiſſet.

Ac etiam inhoneſtorum.

Habemus ergo ex dictis hominem in ſtatu puræ naturæ, de quo agimus, bene quandoque operaturum. Sæpè item caſurum non eſt dubium. Et id ſatis euincunt quæ proximè admiſimus de non æquali omnium indiuiduorum ſorte quoad beneficia ad benè operandum ex communi prouidentia illis in eo ſtatu prouidenda: Idem habetur ex tam frequentibus nunc lapſibus, tametſi gratiæ præſidia tam multa, támque valida, naturæ noſtræ imbecillitatem fulciant. Quod enim nunc dicamur eſſe in ſtatu naturæ lapſæ, & peccato parentali vulneratæ, ac ſeminiinæ relictæ, non eſt ſenſus naturam eſſe nunc in nobis debiliorem ab intrinſeco, quàm fuiſſet futura in ſtatu puræ naturæ, nec ſignificatur aliquem ei connaturalem vigorem detractum, vel nouam ad malum pronitatem poſitiuam ingeneratam eſſe; ſed ſenſus eſt, naturam donis illis quæ cum exiſtentia per generationem cuique adueniſſent; denudatam, aut potius nunquam veſtitam fuiſſe. Eáque deſtitutio & carentia ſanitatis ſupernaturaliter communicandæ, vulneratio & debilitatio naturæ appellatur, de quo alibi diligentiùs.

281. Si itaque hoc tempore cùm debilitatem naturæ fulcit ac vegetat gratia, tam aſperum experimur virtutis iter, & tam frequenter in eo ceſpitamus vel etiam corruimus, quis non videt & frequentiores & grauiores futuros fuiſſe lapſus in ſtatu puræ naturæ, ſublato prorſus gratiæ vigore? Et quamuis ſæpè nunc in tantis tenebris & lubrico itinere multi ad lapſum propellantur, vrgente Angelo Domini malo cuius pellaciæ & odium in nos defuiſſent in ſtatu puræ naturæ. Tamen non omnibus quibus nunc implicamur ſceleribus dæmonis machinationes & ſuggeſtiones admiſcentur. Et cùm interueniunt, fortior eſt qui pro nobis pugnat, ſi per nos non ſtet, quàm qui nos impetit. Nam & ſuppetiæ ſupernaturales diuinorum auxiliorum nunc nobis cùm res fert communicatarum, & præſidum Angelorum tutela, longè potentiora

tiora præſidia ſunt firmandæ imbecillitati noſtræ, quàm ſint ad eam impugnandam omnes inſultus ac niſus hoſtium niſi voluntas vltro illis dedat ſeſe, haſtámque turpiter abiiciat, pertæſa alicuius laboris ſuſcipiendi in reniſu, vel eſca fallacis voluptatulæ illecta.

Quare vt dicebam perſpicuum videtur futura fuiſſe in ſtatu puræ naturæ peccata, maiore etiam numero & grauitate, quàm nunc ſint in ſtatu naturæ lapſæ. gratiæ reliquiis, quæ nobis ex primo illo naufragio ſuperſunt, naturam ſuſtentantibus, ac roborantibus. Nec minor, imò maior fuiſſet in homine difficultas rectè agendi. Vnde diſplicent, qui affirmant in ſtatu puræ naturæ facile futurum fuiſſe viatoribus, omnem omnino culpam vitare, & vniuerſam naturalem legem exactè implere; quòd cenſuit Iuſtinianus 1. Ioan. 1. verſ.8. num.9. & in epiſtol. Iudæ verſ.5.& num.25.

Et inſtitutio poteſtatis, cùm dirigentis, tum coërcentis.

282. Ad bona autem illa opera, quæ per puram naturam fieri poſſe admiſimus, promouenda; eáque mala auertenda. quæ timeri poterant ab homine ex ſe in malum prono, & ad honeſtatem ex ſe adeo imbecilli, prouiſi fuiſſent à Deo, (ſaltem interuentu naturalis luminis à ſe impreſſi.) Magiſtratus ac rectores ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum poſiti: hoc eſt, quibus curæ foret bonos laudis ac præmij inuitamentis propoſitis excitare, ad benè agendum: malos autem deterrere intentatione ſuppliciorum, eſſetque id ſtatui illi & hominis naturæ conſentaneum. Nam homo ex ſua natura, & ſecluſo quouis ordine ad gratiam diuinam, eſt animal ſociale ac politicum, ad quod exigitur poteſtas aliqua directiua communitatis illius, ex pluribus ſic ſociatis adunatæ. Alioqui non euitarentur innumera incommoda obuentura, deeſſentque magna innumera bona apta exurgere ex poteſtatis prædictæ directione, vt ex analogia ad communitatem membrorum vnius corporis phyſici, facilè intelligi poteſt, & ex illis quæ in eam ſententiam diſputat S. Chryſoſt. homil. 6. ad pop.& homil. 23. in ad Rom. Et quia poteſtas directiua. ſi nuda ſit, & abſque vi coërcitiua, (præſertim ſuppoſitis hominum ingeniis ſupernaturalis præſidij exortibus,) nullius propè fructus foret; idcirco ambæ non minùs iungendæ fuiſſent, in ſtatu de quo agimus, quàm nunc iungantur in præſenti ſtatu rerum.

Porrò poteſtatem populorum regimini præficiendam, & Eccleſiaſticam, & ciuilem futuram fuiſſe, dubitari non debet, quia functiones vtriuſque illius poteſtatis locum haberent in pura natura. Nam homines congregati in vnum corpus politicum, indigniſſent ſuperioris directione, & quoad mutuum conuictum, & quoad cultum diuinum. Qui ergo priorem curam ſuſcepiſſent, ciuilem poteſtatem merè temporalem habuiſſent, qui verò poſteriorem, donati fuiſſent poteſtate Eccleſiaſtica ſpirituali, tametſi merè naturali, vt notauit Victoria relect. 1. de poteſt. Eccleſ. ſect.4. num.3.

Et pænitentia, ac remiſſio culparum.

283. Cæterùm quia non obſtante huiuſmodi directione & intrinſeca benè operandi facultate, homini in ſtatu de quo agimus competitura, adhuc ſæpè contingerent lapſus in culpam; propterea ne poſt caſum, qui in via tam lubrica, & tanta imbecillitate naturæ noſtræ gratia destitutæ, frequens foret, perennis ac irreparabilis eſſet ruina; non dubito quin in eo ſtatu locum habitura fuiſſet pœnitentia ex parte hominis; & ex parte Dei remiſſio noxarum, abſtergens maculas ex actu prauo relictas. Quod immeritò inficiatus eſt Azor tom. 1. lib. 3. cap. 35. quæſt. 13. & 14 Sed pœnitentiam quidem ex parte hominis futuram tunc fuiſſe in hominis poteſtate cùm is ad ſe rediens culpam ſuam præteritam deteſtaretur, copiosè infra exponam, cùm de virtutibus Iuſtitiæ annexis.

Nunc breuiter id confirmo, ex eo quòd peccatum eſſe Dei vniuerſalis gubernatoris & legiſlatoris offenſam, docet lumen naturæ. *Deus enim in aperto conſtitutus eſt; & vel ex ipſis rebus comprehenſibilem ignorare non licet; atque adeò ignorantes Dominum*, quatenus ſcilicet peccato offenditur, *nulla ex opinione poſſunt ſe à pœna tueri*, vt rectè dixit Tertullianus libr. de pœnit. capit. 5. Et conſtat apud omnes, docente natura Deum ex ſua prouidentia eſſe peccatorum quantumuis latentium vltorem ac vindicem, Quidni ergo homo pura natura præditus, ſibi à Deo per peccata violato male metuens, illam iniuriæ diuinæ fœditatem ex ſe valde deteſtabilem, & naturali rationi aduerſantem, dolore naturaliter concepto poſſit auerſari? Certè actus illius tam materiale quam formale obiectum eſſet naturalis ordinis quia ſupponimus hominem peccata auerſaturum præcisè prout impetunt legem naturæ, & Deo authori eius aduerſantur. Qua ipſa ratione Ethnici, qui ſupernaturalem ordinem omninò ignorarunt, pœnitentiam peccatorum commendant. Itaque daretur actus pœnitentiæ merè naturalis, nihilque eſſet in eo actu, quod naturæ vires excederet, per ſe loquendo, & quantum eſt ex parte affectus, quem homo pro aliquo breui tempore poſſet concipere, ac ſecluſa etiam ſpe conſtantiæ diuturnæ in eo propoſito.

284. Per huiuſmodi ergo actum, tanquam per diſpoſitionem ex parte ſua accommodatam, homo in ſtatu de quo agimus conſtitutus, diſpoſitus fuiſſet, ad conſequendam à Deo peccati condonationem & reſtitutionem in integrum, abſque vllius formæ ſupernaturalis immiſſione. Nam & inter homines aboletur iniuria præterita, abſque vllius internæ formæ per condonationem facta communicatione. Et non fuiſſet quidem homo habiturus diuinæ remiſſionis certam ſpem, niſi interueniſſet diuina aliqua promiſſio de ea remiſſione, dolorem ab homine conceptum conſecutura. Sed neque ea ſpes aut notitia remiſſionis conſecuturæ, neceſſaria abſolutè eſt ad pœnitentiam de peccato concipiendam qui eſt ſolus actus, quem nunc ei ſtatui non defuturum contendimus; Neque quamuis ad eam neceſſaria eſſet, apparet quamobrem illa Dei promiſſio interuenire in ſtatu illo nequiuiſſet. Imò vt rectè philoſophatus eſt Suares tomo 4. 3. p. d. 15. ſ. 3. num. 13. ita videtur poſcere humana imbecillitas, quæ in eo ſtatu maxima eſſet: & Dei ſummæ ſemper prouidentiæ ac benignitati, valdè conſentaneum foret, ne qualibet ceſpitatio perpetuum homini damnum crearet, ac deſperationem iniiceret. Cur autem admittam Deum homini ſic qualitercunque diſpoſito peccata remiſſurum, ratio petenda eſt ex eadem diuinæ erga hominem prouidentiæ perfectione. Non enim apparet quod prouidentia Dei in hominem foret perfecta, ſi in eo ſtatu tam fragili, ſpes omnis reſurgendi à caſu præcluderetur.

Remiſſio inquam merè naturalis & extrinſeca.

Itaque Deus homini ſic affecto peccatum remiſiſ-

ſet

ſet per liberalem condonationem homini indebitam. Quod tamen trahendum non eſt ad colligendam remiſſionis huius ſupernaturalitatem. Ea quippe liberalis remiſſio, nihil homini conferret excedens ordinem naturalem. Vnde non diceretur indebita homini ex eo quod aliqua forma homini à Deo communicaretur, quæ eſſet ſupra naturalem exigentiam, ſicut nunc fit in remiſſione peccati: ſed tantùm ex eo quòd Deus nulla ad condonandum obligatione aſtrictus; motus tantum miſeratione opificij ſui, malum ordinis duntaxat naturalis (quale tunc eſſet peccatum) amoueret ab eo per meram extrinſecam condonationem gratis factam: hoc eſt, (vt dicebam,) liberaliter & abſque obligatione: non tamen gratis, ideſt, per gratiam ſimpliciter dictam, quæ à ſtatu de quo agimus omnino exularet. Et ita de remiſſione peccati in ſtatu puræ naturæ philoſophatum Victoriam refert Medina 1. 2. quæſt. 113. artic. 2. ibidem Zumel diſput. 2. qui Victoriam ſequitur, notátque Medinæ inconſtantiam, reiicientis eo loco ſententiam Victoriæ quam eodem opere non ſemel admiſerat. Eidem ſententiæ ſubſcribit Suares tom. 4. 3. p. d. 9. ſect. 3. numer. 9.

285. Neque verò exiſtimandum eſt ex eo quòd nunc homine ad ſtatum ſublimiorem directo & ad finem ſupernaturalem ordinato, graue peccatum inducat gratiæ ſanctificantis priuationem; illam quoque ſemper & in quouis ſtatu inducturum; ideóque aboleri non poſſe abſque gratia. Nam ea priuatio, quam nunc infert, minimè induceretur, ſi homo ad finem ordinis ſuperioris non fuiſſet euectus: tunc enim peccatum non fuiſſet violatio Dei vt finis ſupernaturalis, ſed merè vt finis naturalis ac legiſlatoris, in ordine ad ſe vt finem naturalem aliquid homini mandantis; quod homo prætergrediens, naturalem obliquitatem & deformitatem incurreret: Hanc autem Deus tollere poſſet reſtituendo naturalem rectitudinem, ad quam nulla ſupernaturalis forma exigeretur: Imò neque poſitiua naturalis cum peccati præteriti labe incompoſſibilis, quam licet aliqui inuexerint, non video tamen quo fundamento: cùm participatio diuinæ naturæ, quæ id gratiæ ſanctificanti confert, non poſſit naturali vlli qualitati concedi.

Itaque ad eam naturalis rectitudinis reſtitutionem, & contractæ tunc deformitatis abſterſionem, ſufficeret beneuola intrà naturæ ordinem Dei voluntas, condonans noxam, nec imputans vltrà ad culpam quod prius meritò imputatum fuiſſet. Subtracta enim habituali illi peccato per condonationem ratione generica peccati, quæ eſt violatio diuini iuris, ſublatíſque Dei cum homine intra naturæ ordinem inimicitiis, impoſſibile eſſet peccatum perſtare: ſicut fieri non poteſt, vt homo retineat ſuum eſſe, ſi auferatur ab eo ratio animalis vel viuentis.

Ac denique mors aliquorum, abſque graui culpa, quibus rependenda beatitudo.

286. Quarè rectè omnino videtur conſtitutum, hominem in ſtatu puræ naturæ, nunc ſtantem nunc cadentem, potuiſſe tandem ſubita morte intercipi dum culpa (ſaltem graui) careret. Id quod clarum etiam eſt de illis qui in maternis vteris vitæ vſuram amiſiſſent nondum luce fruentes; aut in infantia ante rationis vſum exceſſiſſent è viuis. Idem namque conceptus & natiuitatis modus tunc fuiſſet qui nunc eſt: nam per deſtinationem hominis ad finem ſupernaturalem in præſenti ſtatu factam, & per peccatum, quod naturæ integræ concinnitatem violauit, non eſt immutatus modus procreationis; quem eſſe naturalem, ſexuum diuerſitas in quouis ſtatu locum habitura declarat. Aliqui ergo potuiſſent in pura natura æquè ac nunc ante ortum ex vtero materno, vel in ipſo ortu, aut paulò pòſt perire, priuſquàm per ætatem ac libertatem aliquo ſe facinore impiare potuiſſent.

Sicut ergo iis qui præoccupati morte fuiſſent in aliquo ſcelere, rependenda fuiſſet in tali ſtatu pœna æterna: ita & iis, qui ſine culpa ac piè defuncti fuiſſent, rependenda fuiſſet naturalis beatitudo. Analogia eſt euidens; Nec enim Deus, quatenus eſt author naturæ, minus prouidus eſt, vt remuneret actiones honeſtas, quàm vt plectat delicta. Quod autem ſuppono delictis in termino viæ non expiatis, pœnam æternam fore diuinitus infligendam, admiſerunt Philoſophi, qui cùm ſolum ſtatum puræ naturæ agnoſcerent; non ſunt tamen inficiati æternitatem vltionis diuinitus exercendæ in eos, qui ſceleribus implicati è vita exceſſiſſent: & grauitatem ſuppliciorum illorum ſæpè exaggerant, vt oſtendi in Natur. Theolog. d. 8. quæſt. 4. artic. 3. Vnde, qui in morte non fuiſſent exortes ſcelerum, præter perpetuam pœnam damni, conſiſtentem in perpetua carentia finis naturalis, incurriſſent æternam pœnam ſenſus, diuinitus ordini naturalis prouidentiæ accommodatam. Itaque ſimiliter iis qui cum laude vitam tranſegiſſent, rependenda à Deo fuiſſet merces vitæ laudabiliter inſtitutæ & conſummatæ.

Contra negantes naturalem illam beatitudinem, ritè morientibus rependendam.

287. Hoc autem eſt, quod in hac prima aſſertionis parte probandum ſuſceperam, &, ni fallor, perſpicuè ex antedictis ſequitur. Eſt autem contra nonnullos, quibus viſum eſt ſi homo in pura natura fuiſſet conditus, nullam ei competituram fuiſſe beatitudinem naturalem alterius vitæ. Ita cenſuit Va q. 1. p. d. 226. capit. 2. & 1. 2. d. 12. capit. 3. licèt enim agat tantùm de via, & de præſenti vita: Tamen rationes quas affert, prorſus excludunt quamcunque beatitudinem naturalem, in ſtatu puræ naturæ aſſignandam. Idem videtur velle Ægidius Coninc diſput. 21. de act. ſupernat. numer. 156. & 158. Sed contraria ſententia eſt communis. Eam tradiderunt Philoſophi, quotquot æternam hominum vita functorum fœlicitatem agnouerunt, quos retuli in naturali Theol. d. 8. quæſt. 4. artic. 5. eoſdémque in eam ſententiam laudant Carthuſianus in 1. d. 1. quæſt. 3. Henriquez libr. de fin. homin. capit. 2. numer. 4. *litera P.* Engubin. libr. 19. peren. Philoſoph. à capit. 19. ad 28.

Annumerandum autem eſſe Philoſophis illis Ariſtotelem, reclamante licet Cano 9. de locis capit. 9. & Alphonſo de Caſtro l. 3. de iuſta hæret. punit. c. 8. mihi dubium non eſt, qui pro certo ſtatuo compertam illi fuiſſe animæ noſtræ immortalitatem, vt alibi probo pleniſſimè. Ex contraria enim ſententia de Philoſophi errore circa animæ noſtræ immortalitatem, hunc ei errorem de ſublata alterius vitæ beatitudine impingit Canus: ſed hoc eius fundamentum refellere, non eſt huius loci. Satis autem videtur, quòd in hac ipſa tractatione de beatitudine 1. Ethic. capit. 11. agnoſcit aliquos fore in altera vita beatos, & quærit an ad eos miſeriæ poſterorum pertingant. Alia item loca ex eadem tractatione, optimè in hanc rem vrget Duodus libro ſuo 7. de anima capit. 15. Agnouit ergo Ariſtoteles alterius vitæ beatitudinem, & quidem naturalem, cùm ſupernaturalem non

habuerit

habuerit compertam. Ex quo etiam loco redarguitur Ferrarienſis 3. contra gent. cap. 48. aſſerens Ariſtotelem alterius vitæ beatitudinem nec admiſiſſe, nec inficiatum eſſe.

288. Hanc beatitudinem, quam Philoſophi prædicti reipſa futuram cenſuerunt, agnouerunt etiam Chriſtiani Philoſophi, ſed ſub conditione duntaxat inſtitutionis ſtatus puræ naturæ, vt videre eſt apud Salam 1. 2. tract. 2. d. 2. ſect. 7. & d. 13. ſect. 2. annuit etiam Leſſius libr. 1. de ſummo bono num. 63. iuncto numer. 64. Ratio petitur ex D. Thom. 1. part. quæſt. 23. artic. 1. Nempe quia non eſt veriſimile homines ſi in ſtatu puræ naturæ fuiſſent conditi, abiiciendos prorſus à Deo fuiſſe poſt mortem, quaſi fruſtra creatos: Ex peculiari ergo Dei prouidentia, qui rectè ſe geſſiſſent cùm in viuis degerent, naturalem beatitudinem accepturi fuiſſent in præmium virtutis & vitæ cum laude tranſactæ: Et ſanè niſi ita euenturum fuiſſet, probi plerique, imò ferè omnes miſerabiliores fuiſſent omnibus hominibus: Nam infelix ſors bonorum in hac vita, & calamitates ac miſeriæ, quæ virtutis exercitationem infeſtam habent, ac etiam habuiſſent in eo ſtatu, euincere videntur debuiſſe tunc quoque, æquè ac nunc, firmum ſolatium ſupereſſe iis, quibus vitæ innocentia, & morum integritas cordi foret.

Quorſum verò cura Magiſtratuum in promouenda virtutum exercitatione, & eliminandis ſceleribus niſi ad hunc præcipuè finem? eam enim curam, in ſtatu etiam de quo agimus non fuiſſe defuturam, ſuprà oſtendimus. Collimaturam verò fuiſſe ad ſcopum felicitatis alterius vitæ, videtur efficaciter colligi ex analogia ad poteſtates in ſtatu præſenti inſtitutas, quarum (niſi exerrent) functiones omnes, æternam ciuium beatitudinem ſpectare debent, ſaltem vltimò & mediatè. Idem ergò eſſet de poteſtatibus in ſtatu puræ naturæ inſtituendis.

Diſplicent autem Sotus 1. de nat. & grat. cap. 3. & Suares lib. 3. de leg. cap. 11. num. 7. & 8. qui poteſtates ciuiles in eo ſtatu futuras addicere videntur ſoli fœlicitati politicæ; ita vt alius finis ne remotè quidem ac mediatè fuiſſet eis proponendus, quàm vt communitas quietam tranquillámque vitam degeret, cum ſufficientia bonorum quæ ad vitæ corporalis conſecutionem & commoditatem ſpectarent, & cum ea probitate morum, quæ ad hanc externam pacem & Reipubl. felicitatem, non protenſam vltrà præſentem vitam neceſſaria eſſet: hæc inquam felicitas, in qua Authores prædicti ſiſtere videntur, non fuiſſet reuera finis vltimus ciuilis præfecturæ: ſicut neque nunc eſt finis vltimus ciuilis poteſtatis reipſa inſtitutæ: ſed tantùm proximus & immediatus. Idem quippe debet eſſe finis vltimus hominis, & omnium propter hominem inſtitutorum, inter quæ liquet eſſe ciuilem quoque poteſtatem. Itaque fixum ſit in ſtatu puræ naturæ proponendam fuiſſe hominibus naturalem alterius vitæ beatitudinem in præmium vitæ rectè conformatæ.

Examina difficultatum in contrarium.

289. Sed erumpunt contra hoc difficultatum agmina. In primiſque vrgeri poteſt, beatitudinem naturalem alterius vitæ, non in alio collocandam fore, iuxta ſupradicta, quàm in notitia Dei. At hæc, vel eſſet naturæ debita & homini connaturalis, & ſic poſſet homini competere, etiam in via: vnde, non poſſet eſſe beatitudo: vel non eſſet debita homini & connaturalis; & ſic tranſcenderet ſtatum puræ naturæ. Vrgeri etiam poteſt cum Vaſque ſuprà, in ſtatu, de quo agimus, à quo prorſus exularet gratia, naturam rationalem nihil habituram quod non poſſit eſſe cum ſumma miſeria, nempe cum mortali peccato etiamſi ſit aliqua Dei notitia. Præterea hæc notitia viribus naturæ non poſſet eſſe diuturna, & multo minus perpetua, vt poſtularet beatitudo. Quod argumentum adegit Fonſecam 1. Metaph. cap. 1. quæſt. 2. ſ. 3. ad 3. vt extraordinarium aliquod donum exigi cenſeret ad plenitudinem ac ſtabilitatem naturalis beatitudinis: Eſſet igitur donum illud ſupra naturam, ac proinde ad gratiam pertinens.

Addi poteſt, in ſtatu puræ naturæ nullam fuiſſe futuram corporum reſurrectionem, quippe quæ ſit opus ſupernaturale. Eam verò defuturam affirmant Suarez tom. 2. 3. p. d. 44. ſ. 7. Salas 1. 2. tract. 1. diſp. 14. ſect. 2. Leſſ. 1. de ſum. bono à num. 67. magiſque in hanc partem inclinat Henriquez lib. de fin. hom. cap. 9. numer. 6. Ergo homo non poſſet plenè beari: ſed ad ſummum quoad animam: Præſertim quia etiamſi daremus fore reſurrectionem; tamen corpus, & ab intrinſeco & ab extrinſeco, ſemper eſſet paſſionibus & alterationibus, (hoc eſt, ad mortem proluſionibus,) obnoxium, ſiſtendo in ordine naturæ. Tandem etiamſi hæc omnia defendi poſſent futura in ſtatu puræ naturæ; tamen perperam poſuiſſe videmur futura fuiſſe ſub ratione præmij æterni. Hoc enim nullum dari apud Deum, ſecluſa gratia, affirmat Henriques ſuprà cap. 7. num. 2. propterea negans beatitudinem ſtatui puræ naturæ rependendam, rationem præmij ac meriti habituram.

Hæ difficultates nullo negotio enodabuntur numero 324. ad finem tertiæ partis aſſertionis, ſuppoſita natura & adiunctis naturalis beatitudinis formalis poſt mortem in pura natura concedendæ. Quare ad exponendam naturam illam & adiuncta, in reliqua aſſertione propoſita, veniendum eſt.

Formalis illa beatitudo, fuiſſet aliqua Dei intellectio.

290. Secundò ergo dixi beatitudinem formalem alterius vitæ in ſtatu puræ naturæ non fuiſſe futuram eſſentialiter aliam quam intellectionem aliquam ſummi boni. Quod clarum eſt ex ſupra diſputatis vniuersè de obiecto beatitudinis. Oſtendi enim hoc obiectum non poſſe eſſe aliud quàm Deum operatione intellectus apprehenſum ac poſſeſſum. Operationem porro iſtam, in ſtatu de quo agimus, oportet eſſe notitiam Dei tantùm abſtractiuam non intuitiuam, ac proinde longè diuerſam à clara viſione: Hanc enim conſtat eſſe prorſus ſupernaturalem, cùm ſit expreſſio ac perfectiſſima participatio diuinæ illius notitiæ, qua Deus ſeipſum ſicuti eſt, per ſeipſum & ſecluſo quouis medio extraneo intuetur: qui modus cognoſcendi cùm ſit conformis diuino modo eſſendi, ac Deo proprius, non poteſt in intellectum vllum Deo inferiorem connaturaliter cadere, ſed tantum ſupernaturaliter; ac proinde non poſſet habere locum in ſtatu puræ naturæ. Id quod etiam liquet ex mediis, quibus nunc in præſenti ſtatu ad finem illum diuinæ viſionis ordinamur: ſunt enim ſupernaturalia, quia id exigit debita mediorum proportio cum fine. Atque ita indubitatum eſſe debet eam Dei cognitionem, non fore notitiam eius intuitiuam.

Fateor iuxta ſententiam Scoti admittentis ſpeciem aliquam Dei impreſſam quidditatiuam naturalem, debere

debere etiam admitti naturalem ſpeciem expreſſam Dei quidditatiuam: Et cùm omnis notitia Dei quidditatiua, ſit etiam intuitiua, vt probaui in Naturali Theologia d. 4. numer. 22. ſequeretur poſſe dari naturalem Dei notitiam intuitiuam. Verùm eam Scoti ſententiam nullo modo eſſe admittendam loco citato oſtenſum eſt.

Abſtractiua, ſed perfectior quacunque notitia naturaliter parabili.

Quamuis autem intellectio illa Dei, de qua agimus, non poſſet eſſe alia quàm abſtractiua, & per ſpecies alienas: longè tamen illuſtrior eſſet, quàm quælibet de Deo notitia, viribus naturæ, ſeu per induſtriam noſtram parabilis. In quo diſplicet. Suarez d. 30. Metaph. ſect. 11. numer. 38. naturalem hanc alterius vitæ beatitudinem ſtatui puræ naturæ rependendam, collocans in notitia Dei, quam homo ſuo naturali lumine, & per media ſuæ naturæ proportionata conſequi poſſet: Hoc, inquam diſplicet: Ea enim omnis cognitio, eſſet imperfectiſſima & indigna nomine beatitudinis exſatiantis intellectum; quandoquidem homo intra naturæ fines, eſſet capax notitiæ perfectioris; nec poſſet hanc ipſam humana induſtria parabilem recipere in præmium vitæ ritè & laudabiliter tranſactæ: poſſet quippe ex ſe ac viribus ſuis ad eam aſſurgere.

Eam ergò notitiam quam homini in ſtatu puræ naturæ in præmium conferendam eſſe à Deo, ſtatuimus, oporteret eſſe longè diſtinctiorem & nobiliorem ea, quam homo ex ſui vel aliarum inferiorum creaturarum naturaliter parabili cognitione poſſet colligere: Ac proinde non eſſet debita huic naturæ ex ſuis principiis naturalibus, ſeu phyſicè ſpectatæ: ſed tantum eſſet ei debita moraliter, ſiue in ratione præmij, bonis moribus diuinitùs debiti. Phyſicè autem debitam nego, non quod eſſet ſuprà vniuerſam naturam: ſed quod tantæ eſſet perfectionis, vt intellectus humanus ad eam ex ſe nunquam eſſet ſurrigendus.

291. Hoc video poſſe dupliciter explicari: nempe primò, quia ea notitia, quamuis non eſſet niſi de Deo prout per obiecta intra connaturalem humani intellectus ſphæram intelligibilem clauſa, attingibili, idque humano modo; Tamen eſſet ſupra gradum notitiæ homini ordinarium, & naturæ finitæ par induſtria parabilem. Quo pacto dici ſolet notitiam omnium rerum materialium, veram, & nulla falſitate immixtam, tranſcendere vires humanas. Non quod ſi ea notitia compararetur, deberet eſſe ſupernaturalis: (nihil enim reuera inuolueret homine ſuperius, & ratio cognoſcendi poſſet claudi naturæ finibus:) ſed quod acquiſitio illius notitiæ, ſuperaret diligentiam naturalem, & noſtra fragilitas ei ſemper futura eſſet impar ex ſe. Similiterque ſcientiæ naturales, quæ per accidens fuere infuſæ primo parenti, & Salomoni; tales & tam perfectæ fuerunt, vt homo quantauis induſtria & labore conniteretur ad earum adeptionem, nunquam ad eam pertingeret: Et tamen non niſi naturales erant, quoad ſuam entitatem & perfectionem. Idem ergo ac etiam aliquid amplius, de huiuſmodi naturali beatitudine alterius vitæ, licet imaginari.

Quid ſi etiam ſecundò admitteremus in præmium vitæ ritè tranſactæ homines intelligentiis ſimiles efficiendos, communicato eis modo intelligendi intelligentiis connaturali; eáque Dei expreſſione intellectuali, quam intelligentia, vtens ſeipſa, tanquam ſpeculo, poſſet perfectiſſimam naturaliter exhibere. Hoc enim quamuis eſſet ſupra hominis naturam; non eſſet tamen ſimpliciter & abſolutè ſupernaturale; ſed entitatiuè ſemper eſſet intra ordinem naturæ; eſſétque cum ſtatu puræ naturæ cohærens: Et aliunde valdè extolleret hominem, eiúſque intellectum perficeret, ſuprà quàm ipſe vnquam vel cogitare vel naturaliter expetere potuiſſet, quod eſt formalis beatitudinis proprium.

292. Video interrogari ſtatim poſſe, ecquam intelligentiæ formalem beatitudinem conceſſuri eſſemus, ſi ipſa quoque in ſtatu puræ naturæ condita, perueniret ad ſuum terminum, eſſétque in eo donanda beatitudine. Sed facile eſt reſpondere, intelligentiæ inferioris formalem beatitudinem, fore intellectionem Dei, commenſam perſpicaciæ intelligentiæ ſuperioris: Rurſus autem iſti concedendam fuiſſe intellectionem Dei, ſuperiori ac perfectiori intelligentiæ reſpondentem: Et ita abſque termino: cùm nullus in Intelligentiis perfectioribus ſemper ac perfectioribus poſſit eſſe limes, quem nequeat Deus tranſcendere. Vterque modus propoſitus poteſt probabiliter defendi; & iuxta vtrumque commodè intelligitur, communicandam fore beato notitiam Dei longè illuſtriorem ac diſtinctiorem ea, quam hîc per induſtriam humanam parare poſſumus.

Quæ foret ratio eius formalis, ſiue motiua.

Tantùm opponi poſſet, in eo modo cognoſcendi Deum, rationem formalem notitiæ, non eſſe Deum ipſum, ſed aliquid inferius, ex cuius notitia aſſurgeretur ad illegitimam & abſtractiuam Dei notitiam: Atque ita obiectum quo bearemur, non eſſet Deus, ſed illud inferius ens, per quod, tanquam per gradum ſubueheremur ad Deum: Hoc autem videtur incommodum, cùm ſuprà conſtitutum ſit, beatitudinem hominis obiectiuam, non aliam eſſe quàm Deum.

293. Erit qui reſpondeat, non aliter in hoc negotio accidere, quàm in regreſſu demonſtratiuo: In eo ſiquidem, ab effectibus progreſſus fit ad cauſam; tum à cauſa reuenitur ad effectum, nec iam cauſa per effectum tanquam per motiuum attingitur, ſed effectus cognoſcitur per cauſam: Similiter ergo videretur dici poſſe, intellectum beari ab effectibus repantem ad Deum; mox à Deo ad effectum in Deo illuſtrius cognoſcendum reuenire, Deo iam effectui præſtante, quod ab effectu prius acceperat: hoc eſt fungente munere motiui & rationis cognoſcendi.

Sed eſt latum diſcrimen inter iſta. Nam regreſſus demonſtratiuus, iuxta veram de eo doctrinam, quam tradunt Caietanus 1. poſter. cap. 13. *circa ſecundam concluſ.* Tol. 1. poſter. c. 2. q. vnic. ad 5. & c. 3. q. vnic. & Zabarella lib. de regreſ. cap. 5. (malè reclamantibus paucis recentioribus;) non ita perficitur, vt cauſa & effectus priuſquàm formentur demonſtrationes *quia*, & *propter quid*, cognoſcantur vt cauſa & effectus: Sed cum initio duo illa cognoſcerentur tantùm vt coniuncta, & ignoraretur an ſe haberent merè concomitanter, an verò vnum eſſet cauſa alterius, poſteà interpoſito examine inter demonſtrationem *quia* prius formatam, & demonſtrationem *propter quid* ſubſequentem; diligentérque expenſis extremis illis, agnoſcitur vnum illorum, (nempe illud ſenſibile, ex quo primum progreſſus factus fuerat,) eſſe effectum: aliud verò eſſe cauſam: Et tum demum à cauſa priùs per effectum materialiter tantùm

tùm ac confuſè & non niſi ſub ratione entis coniuncti percepta; nunc verò per examen interpoſitum cognita formaliter, & in ratione cauſæ, deuoluimur ad effectum in hoc ſubiecto ex hac cauſa demonſtrandum propter quid & à priori: Ita vt ea cognitio effectus quæ poſito examine parta fuerat vt explicata, iam interuentu demonſtrationis, habeatur vt deducta, & vt prædicati competentis tali ſubiecto per talem cauſam. At in re noſtra, Deus, & effectus illi è quibus ad eum beatus aſſurgeret; non cognoſcerentur diuerſimodè: ſed ab initio, effectus cognoſceretur vt effectus, & Deus cognoſceretur per effectum formaliter quatenus cauſa. Quomodò ergo haberet Deus rationem motiui & rationis cognoſcendi cognitæ reſpectu effectuum creatorum? Aut quomodo non ſemper eſſet obiectum ſecundarium, non primarium.

Eſſet creatum aliquid, & quodnam.

294. Quare exiſtimo negari non poſſe, quin Deus in huiuſmodi beatitudine formali, habiturus duntaxat eſſet rationem obiecti materialis & terminatiui. Motiuum autem eſſet res creata, quatenus ex ea beatus ad Deum aſſurgeret. Sed ſunt hîc diligenter ſecernenda duo, nempe primò creatura ex qua ad Deum aſſurgeretur tanquam ab effectu ad cauſam: Et hæc creatura habet rationem motiui ac rationis formalis cognoſcendi. Secundò, creatura ſub cuius ſpecie Deus perciperetur: Et hæc, non haberet ſe vt motiuum cognitionis, ſed tantùm eius notitia transferretur ad Deum, per eam & ſub eius inuolucro perceptum.

Eo propè modo quo entia fictitia & negationes cognoſcuntur à nobis per entia realia, quorum conceptum obiectiuum transferimus ad repræſentationem illorum entium commentitiorum ac negatiuorum. Vbi entia realia non habent rationem motiuorum per quæ cognoſcantur entia fictitia, ſed ſubſtituuntur loco entium fictitiorum, ad formandam repræſentationem eorum, quæ alioqui fieri non poſſet. Vnde ſicut in huiuſmodi apprehenſione entium fictitiorum, illud quod intelligere dicimur, non tam eſt res illa, cui genuinus eſt conceptus obiectiuus menti tunc occurrens, quàm ens illud fictitium, cui realem conceptum tunc repræſentatum aptamus, & quem eo duntaxat animo vſurpanimus vt ſubſtimeretur enti fictitio irrepræſentabili aliter quàm ſub ratione entis: Ita quod in euentu propoſito exhiberi diceretur, non eſſet res illa creata, vna, vel multiplex, ex qua beatus progrederetur ad Deum, ſed eſſet ipſe Deus: qui proinde haberet rationem beatitudinis obiectiuæ reſpectu intellectus creati; non autem res illa inferior, ſub cuius ſpecie Deus exhiberetur.

Sicut etiam cùm aliquid demonſtramus de anima noſtra concepta per modum corporis, ſubiectum demonſtrationis, non eſt corpus illud, quod nobis tanquam animam effingimus, ſed ipſa anima. Et ſicut calculus qui ſubducendo rationes adhibetur pro nummo aureo, non implet ſummam quatenus calculus, ſed perinde ac ſi eſſet nummus aureus cui ſubſtituitur.

295. Porrò Deus, vtrumlibet ex prædictis modis eligamus, non cognoſceretur vt in ſe eſt, ſed per ſpecies alienas: Propterea frustrà quæreretur quæ Dei ſpecies impreſſa beato immitteretur diuinitus. Reuera enim nulla immittetur; non quod Deus cognoſceretur per ſuam eſſentiam vice ſpeciei impreſſæ fungentem vt affirmat Iamblicus lib. de myſt. §. 19. *in fine*. ſed quia homo ex notitia effectuum reperet ad Deum, eúmque ſemper ſub illorum imagine cognoſceret; atque ita nullis aliis, quàm ipſorum effectuum ſpeciebus impreſſis opus haberet. Vel potius vna ſpecies vnius alicuius obiecti ſub cuius ratione Deus perciperetur, ſufficeret ad Dei repræſentationem. Neque enim Deus cognoſceretur ſub multiplici forma, etiamſi ad eum ex pluribus effectibus tanquam ex motiuis notitiæ deueniretur. Nam etiam imago corporea qua mihi exhibeo Angelum ex variis effectibus cognitum, vna eſt, non multiplex. Sed nimirum aliud eſt eſſe motiuum cognoſcendi: aliud verò eſſe obiectum cuius imago transferatur ad expreſſionem alterius, eique ſubſtituatur. Primum poteſt eſſe multiplex ſaltem partialiter; atque adeò poſſunt multæ ſpecies impreſſæ ad illud interuenire, etiamſi res per tale motiuum concipienda, non ſit multiplex, ſed vna. Secundum verò eſt ſemper vnicum, ſi res concipienda ſit vnica.

Item quàm multiplex.

Cæterùm an in re noſtra, beatus ad formandam eam Dei notitiam, qua bearetur, aſſumpturus eſſet tanquam notitiæ motiua, plures diuinos effectus, & quoſnam, dubitari meritò poteſt. Nam ſi vnicus aſſumeretur, non videretur ea Dei tanquam cauſæ rerum naturalium repræſentatio, ſatis diſtincta fore: ſi autem plures, quo iure aſſumerentur duo vel tria obiecta creata, eodem aſſumenda eſſent infinita, quippe æquè conductura ad formandum Deo dignum partum mentalem, & æquè pertinentia ad Deum ſub ratione cauſæ rerum naturalium conſideratum; quo pacto eum à beato in ſtatu puræ naturæ ſpectandum volumus.

Sed dicendum videtur, iuxta alterum ex duobus modis ſupra propoſitis, beatum ad Dei expreſſionem vnico totali motiuo & ratione formali ex pluribus coaleſcente vſurum. Nempe iuxta primum modum, vteretur ſeipſo ac ſibi intima perfectione aliiſque præterea quibuſuis entibus eundem cum homine eſſendi modum actualiter ſortitis: Non quidem quoad omnia indiuidua, ſed quoad aliqua cuiuſuis ſpeciei rerum exiſtentium in aliqua temporis differentia: ac etiam quoad aliqua eiuſdem ordinis obiecta poſſibilia, vt diſtinctior diuinæ potentiæ notio efformaretur. Iuxta ſecundum verò modum beatus vteretur perfectione illius obiecti ſuperioris, cuius notitiam claram diuinitus acciperet, non omiſſis aliorum quoque obiectorum inferiorum perfectionibus:

296. Vtrumuis autem dicatur, ſufficit ad perilluſtrem Dei notitiam formandam. Nam homo, cùm ſit rerum inferiorum & ſuperiorum confinium, ex Philone in Coſmop. continet in ſe tanquam in compendio quodam, perfectiones omnium inferiorum; & aliquam etiam participationem perfectionis ſuperiorum: ac proinde perfectè penetrata perfectione hominis, aliquatenus peruaderentur omnia inferiora & ſuperiora: Tametſi hæc confuſius & indiſtinctiùs perciperentur ob eminentiam ſuam. Accedente ergo diſtincta inferioris expreſſione, (quam eſſe adiungendam negari non poteſt, niſi velimus intelligentiam ex ſe & in via naturaliter beatam fore; ac etiam niſi velimus vrgeri imperfectione illa notitiæ, de qua in ratione dubitandi,) ea inquam diſtincta inferioris repræſentatione adhibita, repræſentatio Dei tanquam cauſæ primæ, quam beatus notitiæ tam perfecti obiecti totalis optimè ſuperſtrueret, eſſet valdè illuſtris; haberétque rationem beatitudinis. Et idem dicetur de notitia ſuperioris obiecti, ſi admittamus hominem eius interuentu beandum eſſe: motiuum enim notitiæ de Deo, qua homo efficietur beatus, erit obiectum illud ſuperius iunctis omnibus inferioribus, quibus ſuperſtruet Dei expreſſionem.

Neque verò propterea actus plures erunt in beato neceſſarij; ſed ſufficiet vnicus, ad omnia illa obiecta ſub vna aliqua ratione formali vnita terminatus. Sicut enim intelligentia, iuxta ſententiam probabilem, poteſt à Deo vnicam de obiectis valdè differentibus ſpeciem impreſſam accipere, quæ vſui etiam ſit ad vnius ſpecici expreſſæ impreſſam adæquantis formationem, eò quòd obiecta illa cæteroqui valdè diſiuncta, induant vnitatem aliquam, quatenus conueniunt in vna aliqua ratione obiectiua communi: id quod etiam in tam diuerſis ſenſibilibus ſub internum ſenſum tametſi vnicum cadentibus, videre eſt: Ita beatus totam illam quam dixi ſphæram obiectorum, quorum interuentu ad Deum aſſurgeret, & quorum notitiæ diuinam ſuperſtrueret, poſſet non modò vna ſpecie impreſſa, (quod iam ſuppono,) ſed etiam vno actu conſpicere: non quidem ex ſe, ſed à Deo naturæ authore in præmium virtutis adiutus, vt explicabo infra cum de perennitate huius actus.

Maior illuſtratio ſuperioris doctrinæ, de motiuo beatitudinis formalis in pura natura.

297. Sed reſtant hoc loco exponenda expreſſiùs duo: alterum quoad obiecta rationem motiui habentia, eorumque vicarias ſpecies: alterum quoad actum. Nam quoad obiecta dixi beatum indiuidua rerum aliquando exiſtentium, eáque non omnia penetraturum; itémque nonnulla ex indiuiduis ſpecierum poſſibilium cogniturum. Non dixi penetraturum ſpecies, quia hæ non poſſunt attingi, niſi in indiuiduis, vno aut pluribus: cùm ſpecies extra indiuidua nihil reale ſit, nec eſſe poſſit. Penetratur tamen ſpecies, penetrando indiuiduum vnum vel multiplex, quatenus ratio illa poſitiua, quæ ineſt vni indiuiduo, habétque aliam ſibi ſimilem in alio indiuiduo, attingitur per mentem eodem actus ob vnitatem fundamentalem, ſiue ſimilitudinem indiuiduorum in illa ratione communi, non cogitato eo, in quo indiuidua diſſimilia ſunt. Et hoc modo dicere liceret beatum penetraturum ſpecies rerum ex quibus ad Deum progrederetur.

Cur autem nolim, res illas fore quælibet indiuidua intra vnam ſpeciem poſſibilia, clarum eſt ex eo quod ſint infinita: & cùm ſint eiuſdem rationis, nec differant niſi materialiter, fruſtrà adhiberentur omnia, quia nec diſtinctiorem, nec perfectiorem cauſæ notitiam ingenerarent, quàm ſi præter vnum aut aliqua diſtinctè occurrentia intellectui, cætera confusè tantùm & generatim apprehenderentur. Quam ob cauſam omnes fatentur ad comprehenſionem ignis, quam Angelus naturaliter habet, ſufficere diſtinctam quorundam indiuiduorum ignium ab eo profuſibilium perceptionem, reliquis confusè tantùm menti Angelicæ obuerſantibus.

Quæ ratio, non tantùm de indiuiduis poſſibilibus inſtitutum euincit, ſed etiam de iis quæ extiterint in aliqua temporis differentia. Nec enim abſolutè neceſſe eſt illa omnia cognoſci vt ſpecies cenſeatur penetrata, & vt cauſa in ſpecie expreſſiùs reluceat. Quòd ſi aliquod ex illis indiuiduis diſtinctè cognoſcendum fuiſſet, ob aliquam peculiarem cauſam; tunc oportuiſſet communicari notitiam indiuidualiter talem, vt in eius obiecto clauderetur illud indiuiduum. Neque poſſet notitia vnius indiuidui obiecti diſtinctè percepti, modificari duntaxat ad exhibitionem alterius indiuidui: quia vnum indiuiduum, non eſt obiectum primarium reſpectu alterius, ſed ambo ſe habent ex æquo: Modificatio autem habet duntaxat locum inter obiecta, quorum vnum ſit primarium reſpectu alterius in ratione cognoſcibilis, quicquid ſit de gradu dignitatis eorum in ratione entis.

Itaque ea duntaxat indiuidua rerum quandoque exiſtentium penetrarentur, ad ſuperædificandam eis Dei notitiam, quæ Deo muneratori viderentur aptiora ſpectatis circunſtantiis & ſapientiæ ſuæ regulis. Quam eandem temperationem adhibitam volo quoad indiuidua aliquarum ſpecierum duntaxat poſſibilium, quæ admiſi beato manifeſtanda fore, vt illuſtriùs Dei notionem efformare poſſet. Nec plura quoad obiecta motiua eſſentialis beatitudinis homini in pura natura rependendæ.

De illius motiui ſpecie impreſſa.

298. Circa ſpecies impreſſas eorum vicarias, quæri poſſet de earum multiplicitate & perfectione: Non enim ſi ſpecies expreſſa ſiue notitia vnica eſt, vt ſupra admiſimus, confeſtim inferre licet ſpeciem quoque impreſſam eſſe vnicam, cùm poſſit ex multiplici ſpecie impreſſa, fœtus exiſtere neutram ſpeciem impreſſam ſigillatim referens. Vnde poſſet quis in hac re exiſtimare, ſpeciem impreſſam huic notitiæ deſeruientem, futuram fuiſſe multiplicem, pro eſſentiarum per eam repræſentabilium multiplicitate. Non enim idcirco futuræ eſſent numero infinitæ, quia eſſentiæ illæ, quatenus intellectui beati obiicerentur, neque numero, neque ſpecie infinitè multiplicarentur, vt ſuprà vidimus.

Et ſanè quoad ſpecies obiectorum ſenſibilium, quæ eſſent genuinæ & legitimæ, nulla ſuppetit idonea ratio, cur debuiſſent ex beati intellectu obliterari: quamuis de ſpeciebus ſubſtantiarum, aut potius hic per nos ab accidentibus ad ſubſtantias tranſlatis, aliud dicendum foret. Hæ quippe ſpecies quamuis non eſſent ſpecies propriæ, deleri deberent, ſubrogatis in earum locum ſpeciebus propriis ac genuinis, quarum ſtatus puræ naturæ, quoad obiecta eiuſdem cum homine ordinis, capax foret: ac etiam quoad aliqua obiecta naturalia ſuperiora, ſi verum eſſet, aliquorum ex his notitiam intuitiuam homini tunc communicandam, de quo ſuprà.

Nihilominus quamuis propriæ illæ paucorum accidentium ſpecies remanſuræ, eſſent vſui futuræ ad notitias obiectorum illorum extra actum beatitudinis repetendas: dicendum videtur communicandam tunc fuiſſe beato ſpeciem vnam impreſſam repræſentatiuè vniuerſalem, quæ poſſet ad omnia illa obiecta ordinis naturalis ſufficere. Quod incommodum non iudicaret Marſilius, qui vnam multò adhuc latius patentem ſpeciem impreſſam, in intellectu Chriſti de facto fuiſſe cenſuit. Nec video quid poſſit validè opponi, cùm eam vnam ſpeciem non ab obiectis immittendam, ſed à Deo communicandam fuiſſe dicamus. Et hæc ipſa ſpecies potuiſſet quoque diuinitus talis fieri, vt vſui futura fuiſſet ad expreſſionem vnius vel alterius ſubſtantiæ ſuperioris, ſi earum notitia fuiſſet tunc communicanda. Vel certè prouiſa ad id fuiſſet peculiaris ſpecies impreſſa, expreſſura vnum actum cum illa alia ſpecie, de qua hactenus.

Notitia inde expreſſa, natura, & compoſitio.

299. Iam verò quoad actum, expendi volo quod aliquoties dixi beatum ſuperſtructurum Dei expreſſionem, notitiæ obiectorum creatorum. Hinc enim

enim oſtendimr, longè aliter ſe habituram fuiſſe ſpecificationem actus beatifici, in ſtatu de quo agimus, quàm nunc ſe habeat in beatitudine ſtatus præſentis. Nunc ſiquidem iuxta valdè receptam doctrinam, beati creaturas vident in Deo clarè viſo, nec vltra feruntur per creaturarum ſcalas ad Deum, vt optimè dixit S. Bernard. 5. de conſid. c. 1. ſed potius abſque deſcenſu ad creaturas, illas ibi intuentur vbi meliùs ſunt, quam in ſeipſis. Hoc eſt interuentu Dei tanquam rationis motiuæ, percipiunt creaturas; tales quidem, quales ipſæ in ſe ſunt, ſed tamen duntaxat vt obiecta terminatiua, nobiliùs per hoc altius medium percepta, quàm ſi attingerentur, ipſæ ſibi ipſis fungentes ratione motiui in notitia earum intuitiua in proprio genere. At in ſtatu puræ naturæ, beatus non videret creaturas in Deo cognito; nec ex vi notitiæ, qua Deum rerum omnium opificem perciperet, creaturas quoque cum Deo connexas tanquam terminos ſecundarios vna & indiuiſibili actione mentis attingeret: ſed potius è contrà, ex creaturis penetratis Deum cognoſceret.

Ex eis inquam, non *in eis*; Quod eſt alterum diſcrimen, huius notitiæ Dei, & eius qua in ſtatu præſenti, beati creaturas cognoſcunt interuentu Dei clarè viſi. Ea ſiquidem creaturarum perceptio, non eſt diſcurſiua, ſed eſt vnus & ſimplex intuitus ad Deum primariò ſpectans, ſecundariò autem ad res cum eo connexas porrectus. Impoſſibile enim eſt cognoſcere euidenter cauſam, quin per eandemmet notitiam in cauſa prius ratione cognita, attingatur etiam effectus: Quia omnis cauſa, eſt alicuius cauſati cauſa. At notitia qua beatus in ſtatu puræ naturæ perciperet Deum ex re creata, eſſet diſcurſiua: Quia quamuis in effectu creato euidenter cognito, videatur neceſſariò cauſa cum eo eſſentialiter connexa; Videatur inquam, non per diſcurſum, ſed vno ſimplici intuitu: ideóque beatus penetrando creaturam illam, qua vteretur tanquam motiuo, non poſſet non attingere Deum, ad quem creatura illa dicit tranſcendentalem & eſſentialem habitudinem: Tamen ea Dei exhibitio, non transfunderet in illum perfectiones effectus cum ipſo connexi, & cæterorum, cùm inferiorum tùm ſuperiorum: ſed merè Deum repræſentaret vt terminum, coniunctum eſſentialiter cum tali effectu, tanquam principium.

At cognitio Dei, quæ beatum in ſtatu puræ naturæ bearet, ea eſſet qua perfectiones omnes creaturarum habentium rationem medij cogniti, & cæterarum confusè cum eis repræſentatarum, refunderentur in Deum; & quidem cum exceſſu: Nimirum agnoſcendo cerni in Deo non modò perfectionem effectuum ex quibus grados fieret ad illum; ſed etiam hanc ipſam effectuum perfectionem longè nobiliori modo eſſe in Deo, & alias præterea infinitas longè eminentiores. Qui modus cognoſcendi valdè differt è ſimplici notitia cauſæ indiſtinguibiliter perceptæ cum effectu ob eſſentialem vtriuſque nexum. Per hanc enim notitiam, cauſa nudè cognoſcitur vt cauſa, quia vt ſic duntaxat connectitur cum effectu: non cognoſcitur autem vt cauſa æquiuoca longè perfectior & hoc, & aliis effectibus. Vnde ea cauſæ cognitio in effectu, tanquam in obiecto primario cum cauſa connexo eſſentialiter, eſt ſimplex intuitus effectus & cauſæ. Cognitio autem cauſæ vt perfectioris importat diſcurſum & pluralitatem notitiarum; quarum vna, id eſt, notitia inferioris, colluſtrat aliam qua obiectum ſuperius attingitur, quod proinde tunc non dicitur cognoſci. *in obiecto inferiori*. ſed *ex illo*, iuxta doctrinam S. Thomæ quæſt. 8. de verit. art. 15. qua tunc aliquid dicitur cognoſci *in aliquo*, quando cognoſcens fertur vno motu atque adeò abſque diſcurſu in vtrumque obiectum: Tunc verò aliquid cognoſcitur *ex aliquo*, cùm intellectus primò mouetur in vnum obiectum; & ex hoc mouetur in aliud; qui eſt diſcurſus quidam mentis, vt patet in demonſtrationibus, in quibus intellectus primò fertur tantum in principia; mox autem per principia fertur in concluſionem, & ideò diſcurrere dicitur.

Itémque inſignis perfectio.

300. Ex his non modò quidditas & natura beatitudinis formalis, quæ homini communicanda eſſet in ſtatu puræ naturæ, ſatis declarata videtur; ſed etiam eius perfectio eſſentialis, intra naturæ fines permagna; vt liquet ex tam clara tam multorum diuerſæ rationis obiectorum inſpectione, ex qua ad Deum naturæ authorem factus fuiſſet progreſſus. Vterque enim ille terminus motus intellectiui, idoneus eſt ad inſignem nobilitatem ei tendentiæ conciliandam. Et hoc præſertim attenderunt, qui perfectionem ac dignitatem beatificæ de Deo contemplationis, extulerunt, quod inſigniter præſtitum, non modò à noſtris Doctoribus de vera & intuitiua ſummi boni cognitione diſſerentibus, ſed etiam ab Ethnicis cùm illius contemplationis, qualem perſpexerunt, decora aperiunt.

Pulcherrimè Trimegiſtus cap. 10. Pimandri. *Adhuc*, inquit, *imbecilliores ſumus ad conſpiciendum; Tunc autem poterimus oculos mentis eleuare, bonúmque decorémque incomprehenſibilem proſpicere*; Aureè item ex Platone Alcinous lib. de Platonis Philoſophia c. 20. alias 27. & optimè etiam c. 2. vbi hæc inter cætera. *Animus ipſum diuinum, huiúſque notiones contemplans, bene affici dicitur. Atque hæc eius affectio, ſapientia eſt nuncupata. Quam quidem, nihil aliud quàm cum ipſo diuino ſimilitudinem, rectè dixeris. Quamobrem illa eſt primaria ac veneranda, & maxime omnium expetenda hominique propria, non impedita, atque eadem finis nobis propoſiti cauſa. At actio & ad agendum vis, quoniam corporis ſeruitio vtuntur, eiuſdem incommodis præpediri tardarique poſſunt.*

Nullus pleniùs & aptiùs in rem noſtram quàm Seneca epiſt. 102. vbi pulcherrimè ſtatum præſentis vitæ, confert cum commoratione in tenebricoſo ſpecu ventris materni. In cœlo duntaxat ait fore nobis puram lucem, & ſummam mentis claritatem. Quam comparationem Maximus quoque Tyrius attigit diſſert. 15. cum dixit, *hominem quamuis animal mortale ſit, nihil tamen propterea de eius præſtantia decedere; cùm id quod vulgus mortem vocat, nihil aliud quàm immortalitatis exordium futuræ vitæ ſit natalis.* Eandem comparationem Sanctis quoque Patribus probatam; nominatimque Chryſoſtomo hom. 20. in *Acta in morali*, & in priore paræn. ad Theodorum lapſum, inſignitérque Nyſſeno Orat. de mortuis, placet ex Senecæ loco allegato adſcribere. Nec faſtidio prolixitatem, quam ſenſorum grauitas, & orationis concinnitas, abundè penſat.

Per has, inquit, *mortalis æui moras, illi meliori vitæ longiorique proluditur. Quemadmodum nouem menſibus nos tenet maternus vterus, & præparat non ſibi, ſed illi loco in quem videmur emitti, iam idonei ſpiritum trahere, & in aperto durare: ſic per hoc ſpatium, quod ab infantia patet in ſenectutem, in alium naturæ ſumimur partum. Alia origo nos expectat, alius rerum ſtatus. Nondum cœlum, niſi ex interuallo pati poſſumus. Proinde intrepidus horam illam decretoriam proſpice. Non eſt animo ſuprema, ſed corpori. Quicquid circa te iacet rerum, tanquam hoſpitalis loci ſarcinas ſpecta.*

Tranſeundum eſt. Excutit redeuntem natura, ſicut intrantem: Non licet plus efferre, quàm intuleris. Immò etiam ex eo quod in vitam attuliſti, pars magna ponenda eſt. Detrahetur tibi hæc circumiecta, nouiſſimum velamentum tui, cutis: Detrahetur caro, & ſuffuſus ſanguis, diſcurrénſque per totum: detrahentur oſſa neruique, firmamenta fluidorum ac labentium. Dies iſte quem tanquam extremum reformidas, æterni natalis eſt. Depone onus. Quid cunctaris, tanquam non prius quoque relicto in quo latebas corpore, exieris? Hæres & reluctaris. Tum quoque magno niſu matris expulſus es. Gemis, ploras; & hoc ipſum flere, naſcentis eſt. Sed tunc debebas ignoſci. Rudis & imperitus omnium veneras, ex maternorum viſcerum calido mollique fomento emiſſum, afflauit aura liberior. Deinde offendit duramanus tactus, tenérque adhuc, & nullius rei gnarus, obſtupuiſti inter ignota. Nunc tibi non eſt nouum ſeparari ab eo cuius antè pars fueris: æque animo membra iam ſuperuacua dimitte, & iſtud corpus inhabitatum diu, pone. Scindetur, obruetur, abolebitur. Quid contriſtaris? Ita ſolet fieri. Pereunt ſemper velamenta naſcentium. Quid iſta ſic diligis, quaſi tua? Illis opertus es. Veniet qui te reuelet dies, & ex contubernio fœdi atque olidi ventris educat.

Hactenus analogia ſtatus vitæ præſentis, cum ſtatu pueri in materno vtero. Addit Seneca quæ & quanta lux abiectis illis impedimentis, oculo mentis ſit affundenda, & ad eam hîc præcipiendam ſtimulat amicum. *Hinc nunc quoque tu quantum potes, ſubuola; ab aliis, niſi qua etiam neceſſariis cohærebunt, alienus. Iam hinc altius aliquid ſublimiúſque meditare. Aliquando tibi naturæ arcana retegentur: diſcutietur iſta caligo, & lux vndique clara percutiet. Imaginare tecum quantus ille ſit fulgor, tot ſyderibus inter ſe lumen miſcentibus. Nulla ſerenum vmbra turbabit: æqualiter ſplendebit omne cœli latus. Dies & nox aeris infimi vices ſunt. Tunc in tenebris vixiſſe dices, cùm totam lucem totus aſpexeris, quam nunc per anguſtiſſimas oculorum vias obſcurè intueris, & tamen admiraris tam procul. Quid tibi videbitur diuina lux, cùm illam ſuo loco videris?*

301. Dicebam porrò claram futuram fuiſſe inſpectionem obiectorum ex quibus progreſſus factus fuiſſet ad Deum: quia etiamſi nunc cùm haurimus notitiam per ſenſus, contingat ſæpè inquinari limpiditatem affuſo limo phantaſmatum: ideóque pauca tantùm accidentia ſenſibilia diſtinctè contueamur, ſcientiámque adipiſcamur euidentem duntaxat quoad aſſenſum; non autem quoad terminos ſimplices: Tamen in ſtatu beatitudinis, Deo ſpecies omnium obiectorum connaturalium genuinas prouidente, ſumma claritas in notitiam eorum redundaret, quod intellectioni de Deo, qua beatus potiretur non modicam perfectionem conciliaret.

Eiuſdem inæqualitas in variis beatis.

Eſſent verò præterea aliæ quædam perfectiones formalis beatitudinis expenſione dignæ, partim peculiares illi in quibuſdam ſubiectis, partim communes in omnibus. Eiuſmodi ſunt perpetuitas, & neceſſitas. Sed de prioribus nihil ſpecialiter dicere poſſumus. Tantum generatim monendum eſt, in omnibus ſubiectis beatis, non futuram fuiſſe æqualem de Deo notitiam; ſed in quibuſdam futuram fuiſſe perfectiorem, non modò accidentariò, vel indiuidualiter, ſed etiam ſpecificè. Nam non tantum notitia quorundam eſſet euidentior & diſtinctior: (quo pacto etiam nunc in ſtatu præſenti, beati, alius alio clariùs vident, éſtque accidentaria diuerſitas perfectionis, in ea beatitudine, quam paſſim vocant eſſentialem:) ſed etiam aliquæ eſſent diuerſæ ſpeciei ab aliis, quod in ſtatu præſenti non habet locum, propter vnitatem obiecti primarij, quod in ſtatu puræ naturæ eſſet creatum & eſſentaliter multiplex: quamuis enim plura illa obiecta primaria, vt ſupra dixi, coirent in vnum totale; tamen ex vnius eorum variatione, mutaretur formale obiectum actus, atque adeò etiam ipſe actus. Sicut quamuis colores eſſentialiter multiplices, coaleſcant in vnam rationem ſpecificatiuam, viſus tamen, ſi vnus color non pertineret ad eam rationem viſus conſtitutiuam, vel nouus alius illis accederet, in quem viſus prout ante erat ferri non poſſet, admitti deberet eſſentialiter nouus, penes nouam illam rationem formalem conſtitutus.

302. Sic igitur in re præſenti, vnus beatus, vel penes obiectum ſuperius, quo ad Dei cognitionem principaliter aſſurgeret, vel penes obiecta inferiora merè poſſibilia ſpecificè diuerſa ab iis quæ de facto eſſent producta, eſſéntque ex connaturali debito omnibus peruia, poſſet accipere notitiam eſſentialiter inæqualem notitiæ alterius vel certè æqualem proportione meritorum. Hæc enim eſſet tota radix prædictæ æqualitatis vel inæqualitatis: quia cùm hæc Dei notitia rependenda eſſet beatis tanquam præmium; beati autem, qui quidem adulti è vita exceſſiſſent, non eſſent omnes quoad merita æquales; non eſſet congruum æquales eſſe in præmio, præſertim eſſentiali, quod eſt præcipuum. Et ita planè agnouit Plato, vt conſtat ex nouem illis beatorum ordinibus, quos ex eius mente diſtinguunt Marcellus ſuo 6. de anima c. 61. & Ficinus 18. Theol. Platon. cap. 8.

Obiecta aduerſus eam inæqualitatem, diſſoluuntur.

In contrarium video opponi poſſe argumenta quæ multiplicat Seneca epiſt. 85. vt probet omnem beatum, eſſe æquè beatum & nullam eſſe in ſummi boni poſſeſſione inæqualitatem. Relata enim opinione affirmante poſſe aliquem beatum eſſe, ſed non perfectè ac plenè. *Hoc*, inquit, *quomodo fieri poſſit, non reperio. Beata enim vita, bonum in ſe perfectum habet, inexuperabile. Quod ſi eſt, perfectè beata eſt. Si Deorum vita nihil habet maius aut melius; beata autem vita diuina eſt, nihil habet in quod amplius poſſit attolli. Præterea ſi beata vita nullius eſt indigens, omnis beata vita perfecta eſt. eadémque eſt & beata & beatiſſima. Nunquid dubitas quin beata vita ſummum bonum ſit? Ergo ſi ſummum bonum habet ſummè beata eſt. Quemadmodum ſummum adiectionem non recipit, (quid enim ſupra ſummum erit?) Ita ne beata quidem vita, quæ ſine ſummo bono non eſt. Quod ſi aliquem magis beatum induxeris, & multo magis innumerabilia diſcrimina ſummi boni facies: cùm ſummum intelligam quod ſupra ſe gradum non habet. Si eſt aliquis magis beatus, quàm alius, ſequitur, vt hic alterius vitam beatiorem concupiſcat, quàm ſuam: beatus autem nihil ſuæ præfert. Vtrumlibet ex his incredibile eſt, aut aliquid beato reſtare, quod eſſe quàm quod eſt malit, aut id illum non malle quod illo melius eſt. Vtique enim quo prudentior eſt, hoc magis ſe ad id quod eſt optimum, extendet, & id omni modo conſequi cupiet. Quomodo autem beatus eſt, qui cupere etiamnum poteſt, immo qui debet?*

303. Hæc argumenta, quamuis ex Senecæ mente, ſpectent duntaxat ad ſummum bonum Stoicum, ſiue ad honeſtatem, quam Stoici, augmenti & imminutionis incapacem ſtatuebant, vt infrà ſuo loco tra-

ctabo-

ctabo, & plenè tradit Lipſius l. 3. manuduct. diſſert. 3. Tamen quia eadem ratione intentari poſſent aduerſus inæqualitatem ſummi boni de quo diſputamus, breuiter diluenda ſunt, quod præſtare operoſum non eſt.

Admitto enim beatam vitam bonum in ſe perfectum habere, & nullius eſſe indigentem: Nego autem bonum illud eſſe inexſuperabile: Quaſi ſcilicet non poſſit eius poſſeſſio; quæ vni ſubiecto creato competit, tranſcendere poſſeſſionem eius alij ſubiecto creato conceſſam. In quo poſſeſſio ſummi boni Deo ipſi natiua & intrinſeca, longè differt ab ea, quæ diuinitùs obtingit: Nam Dei beatitudinem ne cognitione quidem tranſcendere liceat.

Nego præterea, beatam vitam ex eo quod nullius ſit indigens; itémque ex eo quòd ſit ſummum bonum; eſſe vbique æqualem. Poteſt enim nullo egere, is cui bene eſt, ex eo quod habet, quamuis non omnia habeat. Item qui bono obiectiuè ſummo, & poſſeſſione ſecundùm ſpeciem & eſſentiam ſuam ſumma potitur, dici poteſt ſummo bono potiri, etiamſi in ea poſſeſſione ſint gradus, nec vbiuis æqualis ſit, boni illius obiectiuè ſummi poſſeſſio.

De inquieto beati appetitu & expetitione perfectionis, quam ſibi deeſſe agnoſceret, dicam infra commodiùs, num. 317. exponens omnimodam cuiuſlibet beati exſatiationem. Itaque euaneſcunt omnia illa Senecæ argumenta prout aduerſus inæqualitatem ſummi boni, de quo agimus, intorqueri poſſunt. Quatenus verò ad vnam honeſti ſtaturam augeri & minui neſciam, à Seneca diriguntur, habebunt infrà ſuum locum.

Perpetuitas beatitudinis formalis ſtabilitur.

304. Iam quod ad huius beatitudinis perpetuitatem attinet, inficiati illam ſunt Philoſophi illi, quibuſcum agit Auguſtinus 12. ciuit. c. 20. inani prorſus nixi fundamento: Nempe, *vt poſſint Deo, circuitibus definitis euntibus ſemper atque redeuntibus, per noſtras falſas beatitudines, & veras miſerias alternatim quidem, ſed reuolutione inceſſabili ſempiternis, nota eſſ. opera ſua: quoniam neque à faciendo quieſcere neque ſciendo poſſit ea quæ infinita ſunt indagare.* Dedi ipſa verba quibus fatuitatis illius fundamentum expoſuit ſupra Auguſtinus. Accenſet illius auctoribus Ariſtotelem Fauentinus lib. 6. de immortal. c. 44. nullo quantum video colore aut fundamento. Non placet autem hoc loco fuſiùs inſulſum illud placitum refellere, quia de eius fundamento, dictum abundè eſt in Naturali Theologia d. 8. quæſt. 1. art. 2. & 4. vbi tractatum eſt obiectum diuini intellectus, & perfectio diuinæ ſcientiæ expoſita eſt, oſtenſúmque eam poſſe ad omnia cognoſcibilia tametſi infinita pertingere. De illis verò circuitibus dixi ibid. q. 4. art. 5. à num. 275.

Nunc itaque ea fatuitate dimiſſa, ago quod hic locus poſcit; hoc eſt, beatitudinis, quæ in ſtatu puræ naturæ foret, perpetuitatem ſtabilio, paucis, ex loco allegato, Auguſtini verbis, quæ ab eo de ſtatus præſentis beatitudine prolata, valent vniuerſè. *Abſit,* inquit, *vt vera ſint, quæ nobis minantur veram miſeriam nunquam finiendam, ſed interpoſitionibus falſæ beatitudinis ſæpè ac ſine fine rumpendam. Quid enim illa beatitudine falſius atque fallacius, vbi nos futuros miſeros, aut in tanta veritatis luce neſciamus, aut in ſumma felicitatis arce timeamus? Si enim futuram ibi calamitatem ignoraturi ſumus, peritior eſt hîc noſtra miſeria, vbi futuram beatitudinem nouimus. Si autem nos illic clades imminens non latebit, beatiùs tempora tranſigit anima miſera, quibus tranſactis ad beatitudinem ſubleuetur, quàm beata, quibus tranſactis ad miſeriam reuoluatur. Atque ita ſpes noſtræ infelicitatis eſt felix, & felicitatis infelix. Vnde fit vt quia hîc mala præſentia patimur, ibi metuimus imminentia, veriùs ſemper miſeri, quàm beati aliquando eſſe poſſimus.*

305. Optimè etiam in hanc rem facit eiuſdem Diui Auguſtini ratiocinatio 13. Trinit. c. 8. qua probat, beatitudini iungi debere immortalitatem beati, quod alioqui impoſſibile ſit beatum eſſe eum, quem beatitudo vel volentem, vel nolentem, vel neutro modò ſe habentem deſereret, quæ ratiocinatio eodem modo hîc locum habet. Eam ratiocinationem per omnes ſuas partes ritè munitam, & antè omninò ſtabilitam, hac demum pulcherrima clauſula obſignat. *Si volunt inquam, beati eſſe, qui beati ſunt, beati vtique non eſſe nolunt. Si autem beati non eſſe nolunt, proculdubio nolunt conſumi & perire quod beati ſunt, nec niſi viuentes beati eſſe poſſunt. Nolunt igitur perire quod viuunt. Immortales ergo eſſe volunt, quicunque verè beati vel ſunt, vel eſſe cupiunt. Non autem viuit beatè cui non adeſt quod vult, Nullo modo igitur eſſe poterit vita veraciter beata, niſi fuerit ſempiterna.*

Diſcutitur difficultas in contrarium.

Ex his beatitudinis perpetuitas, ſufficienter ſtabilita videtur. Quamuis autem ratiocinatio prædictorum in circuitu ambulantium, nullius omnino ſit roboris contra beatitudinis perpetuitatem, poteſt tamen aliunde contra eam proferri non imbelle argumentum, ductum ex vaſtitate obiectorum quæ actu eſſentialis beatitudinis percipi diximus: Videtur enim vires naturæ ſuperare, perpetuò tantopere contendere ingenij neruos, vt actus ad tam multa obiecta protenſus, perpetuetur: ac præſertim in eadem intenſione, ſicut beatitudinis ſtabilitas poſtulat. Multò autem magis vrgebit difficultas, pro tempore quo corpus denuò conſeretur animæ: Tunc enim hæc notitia, propter concomitantem phantaſiationem, videtur non modicè fatigatura hominem, ſi diu continuetur: fatigatio autem non cohæret cum ſtatu beatitudinis.

Sed dicendum eſt attentionem quidem illam magnam, quæ ad tam multorum obiectorum ſimultaneam perceptionem exigitur, cùm diuturna futura eſt, ac multò magis cùm in æternum eſt duratura, excedere menſuram virium noſtrarum: facile tamen futurum fuiſſe Deo, iuuare imbecillitatem noſtram hac in parte, & vires ſuppeditare ad perpetuandam actionem illam. Vires inquam naturales, etiamſi phyſicè indebitas; moraliter tamen (vt in ſimili ſuprà dixi) homini beato debitas, nec tranſcendentes entitatiuè ordinem naturæ, & prouidentiam ei conſentaneam. Sic ergo vegetatus intellectus eadem ſemper alacritate in operationem illam incubuiſſet: nec timenda fuiſſet fatigatio poſt corporis reſurrectionem, de qua infra, quia ea fatigatio non aliunde oritur, quàm ex conſumptione ſpirituum animalium facta per phantaſiæ capiti inſidentis nimium laborem.

At hæc operatio non eſſet ex determinatione phantaſiæ, ſed ex impulſu primæ cauſæ: Non enim fuiſſet exercenda per conuerſionem ad phantaſmata, ne obnoxia eſſet illis cognitionis defectibus, quos à phantaſia in intellectionem deriuari, latè perſequitur Plato in Phœdone: ſed intellectus ſuas notitias efformaſſet abſque vllo ad phantaſiam ordine vel ſubiunctione, qualem nunc ſubimus in hac vita, cùm

intelligimus. Latiùs enim patet cognitio abſtractiua, ſiue per ſpecies alienas, qualem ſupra admiſimus beato in ſtatu puræ naturæ competituram reſpectu Dei, quàm cognitio per conuerſionem ad phantaſmata. Adde quod etiamſi phātaſia intellectui ad hanc quoque operationem de qua agimus cooperatura fuiſſet; nihilominus potuiſſet phantaſia æquè ſubleuati ac intellectus. & ita roborari, vt in perpetuū perſtare poſſet inſiſtens iiſdem phantaſiationibus. Nec idcirco aliquid inueheretur pugnans cum ordine naturæ & prouidentia illi debita in ſtatu beatitudinis, ſed tantum aliquid præter naturale: hoc eſt, non cōſequens ex illo phyſico debito, conſentaneum tamen ſtatui beatitudinis, ac proinde prouidendum à Deo naturæ autore & bonorum remuneratore.

Quæ radix perpetuitatis in formali beatitudine,

306. An verò hæc beatitudinis perpetuitas, ortam habuiſſet ex neceſſitate operandi incumbente beatis in ſtatu qui de facto inſtitutus eſt, difficultas eſſe poteſt. Verùm ſi ea operationis beatificæ neceſſitas admittatur interuentura fuiſſe in ſtatu puræ naturæ, certum eſſe debet eam non poſſe referri ad aliam cauſam, quàm ad determinationē diuinā qua prouideretur perpetuatio actus beatifici & beato ſuum præmiū conſtaret. Sicut enim ea eſſet origo æternorum ſuppliciorum in iis qui cū ſceleribus ex hac vita exceſſiſſent, vt alibi de ipſorum etiam Philoſophorum ſentētia admiſimus: ita de beatis ſeruata proportione dicendum videtur. Et ita planè poſtulat ſtatus beatitudinis: qui ex ſua ratione ſtabilis ac immutabilis eſſe debet.

Ipſe etiam beatus ſi per eum ſtaret, nulla ratione actum contemplationis diuinæ vellet abrumpere, cùm & nobiliſſimus ſit, & mentem iucundiſſimè paſcat, omnibúſque bonis cumulet, vt mox attingam. Alia autem ex parte nulla adueniret per eum actum defatigatio, cuius pertæſi homines ab operationibus nobiliſſimis plerumque auertuntur. Quare etiamſi ad hanc de qua agimus operationem, diuina determinatio perennitati eius conſulens, defutura fuiſſet: tamen beatus nunquam præeligeret ceſſationem à tanto támque facili & nullatenus ſibi incommodo bono quod ſufficere poſſet ad ſtabilitatem & perennitatem illius.

Atque ita conſtitutam ſufficienter habemus perpetuitatem beatitudinis, eámque eius ſtabilitatem, quam pulchré expreſſit Pindarus in Threnis apud Stobæū ſerm. 103. verbis illis, *Beatorum felicitas non eſt fugitiua*; è contra verò lætitia noſtra & beatitas, momento præteruolat. Quod expreſſerunt Romani, qui lætitiam Deam, nominarunt Deam *fugiam*, vt eſt apud Varronem. 5. de lingua Latina.

Adiuncta beatitudinis formalis eſſentialis in natura pura.

307. Tertiò, ſic expoſita eſſentiali beatitudine formali alterius vitæ in ſtatu puræ naturæ, attigi adiuncta eius, quæ partim in anima, partim in corpore ſpectati poſſunt. Quia enim beatitudo, ſi ſit integra ac plena non eſt ſolius animæ, ſed totius hominis: propterea, quamuis eſſentialiter in anima eiúſque arce, id eſt, intellectu, locetur; tamen neceſſe eſt, vt & ad alias quoque animæ potentias, & ad corpus etiam deriuetur. In anima ergo adiungeretur eſſentiali beatitudini, quàm in intellectu conſtituimus, amor & gaudium in voluntate: In corpore autem iam rediuiuo, & ad primum eſſe reuocato, perfecta ſanitas & firmitas virium nullis in poſterum iniuriis externarum cauſarum temeranda, aut ab intrinſeco vocanda in diſcrimen, cum omnium ſenſuum cumulata exſatiatione ſtatui illi conſentanea. Quæ omnia breuiter nunc percurrenda ſunt, addita etiam extenſione abactionis incommodorum quibus beatus, & in anima & in corpore, per beatitudinem eſſentialem eiúſque adiuncta liberaretur, nempe erroris in intellectu, culparum & triſtitiæ in voluntate, & infirmitatum in corpore. Eſt enim hæc pars magna felicitatis, nullis vrgeri malis.

Ac primùm naturalis amor beneuolentiæ in Deum. Summus ac ſuper omnia.

Amorem admitto futurum eſſe ſuper omnia. Neque enim actus ille excedit ſtatum puræ naturæ, quicquid in contrarium aliqui malè ſenſuerint. Quod mox euincam ſi prius ſtatuero dari poſſe naturalem aliquem amorem beneuolentiæ erga Deum. Id autem videtur euidens: naturali enim lumine cognoſcimus Deum eſſe perfectiſſimum, & in nos beneficentiſſimum. ac propter ſe amabiliſſimum. Quidni ergo poſſimus nudæ naturæ viribus elicere actum voluntatis proſecutiuum huius obiecti? Nihil certè eſſet in tali actu, ſiue intellectum ei prælucentem, ſiue volūtatem attendas, quod naturæ ordinem trāſcenderet. Et quamuis poſſit eſſe lis de nomine, an poſſibilis ſit naturalis amicitia erga Deum & pars negatiua amplectenda ſit, ſumendo amicitiam cum omnibus illis connotatis, cum quibus ſumitur 8. Ethic. ſeu quatenus importat amicorum proportionem & mutuam notitiam, & ſecretorum communicationem: Tamen ſimplex beneuolentia, imò etiam aliqualis amicitia, quæ de eo amicitiæ rigore nonnihil remittat dari inter Deum & hominem poteſt ex nudis naturæ viribus, vt infra dicam, in tractatione partium potentialium virtutis iuſtitiæ, inter quas numeratur amicitia.

Hoc ita poſito, addendum eſt hunc Dei amorem naturæ viribus elicibilem, poſſe etiam eſſe amorem perfectum, & vt vocant, ſuper omnia, quæ eſt longè maior beneuolentiæ perfectio. Interdum enim complacet ſibi aliquis in bonis diuiuis, vúltque Deo bona quæ habet; quamuis non propterea ſtatuat adhærere Deo in omnibus, & nunquam ſibi indulgere contra ipſius beneplacitum quod aliqui dicunt eſſe, *concipere amorem affectiuum, non obedientialem* At cum voluntas, eo quo par eſt modò affecta eſt, toto ſuo niſu in Deum fertur, eique ſe pleno iure mancipat, ſtatuens nullius omnino rei creatæ amore, quod Deo libitum agnouerit, prætergredi, quod eſt ſuper omnia illum diligere. Quod ſi in hac vita; tam obſcurè támque imperfectè cognoſcentes Deum, tamen quoties de eo cogitamus ad tanti boni obiectam ſpeciem flagramus amore, quanto incenſionem futuram fuiſſe putandum eſt, ſummi boni dilectionem, conceptam de eo non prout luſcioſis oculis noſtris obuerſante iuxta eorum aciem nullomodo roboratam extrinſecus, aut vegetatam aſcititio vigore, ſed prout iuxta diuinæ prouidentiæ diſpenſatio ferret, obtutum noſtrum intra naturæ fines, extraordinario modo perficiendum eſſe? Nam quòd D. Auguſtinus ſerm. 5. ex 40. nouis ſcite dixit de amore beatorum in hoc ſtatu naturæ ad gratiā euectæ proportione ſeruata locum quoque haberet in amore beatorum in ſtatu puræ naturæ. *Amas uxorem non ductam ſed adhuc ducendam Et forte ducenda amatur ducta odio habebitur Quare hoc? quia talis nō apparuit ducta, qualis ab animo pingebatur ducenda Deus autem nō vileſcit præſens. amatur abſens. Quantumcumque enim ſibi humana mens exaggerauerit bonum quod Deus eſt, minus agit & valdè infra eſt, & neceſſe eſt plus inuenias adeptus, quàm formabat cogitatio, Plus ergo amabimus cum viderimus, ſi potuerimus amare & antequam videremus.*

videremus. Eſſet ergo amor ille Dei, plenus tunc ac ſummus.

308. Hunc itaque perfectum amorē etiamſi reclament aliqui, admitto eſſe ſolius naturæ viribus poſſibilem; futurúmque fuiſſe in ſtatu puræ naturæ in beatis. Et nihil ſanè afferri poteſt. vnde amor ille ſuſtolli cenſendus ſit ad ordinem ſuperiorem: Nam & obiectum, & ratio formalis eius, eſt naturalis. Quid quod appetitum innatum naturalem habemus ad talem actum Voluntas enim cùm ſit appetitus hominis, inclinat naturaliter ad bonum hominis, & quidem eo optimo modo qui eſt homini conſentaneus ſpectata ipſius natura. quæ cùm ſit naturalis, amorem ſuum rationabiliter impendit, & pro meritis obiectorum; ac proinde ſummè inclinatur ad ſummè amandum, quod eſt ſummè amabile. Cùm ergo Deus ex ſe ſit bonum ſummè amabile; amor illius ſummus & plenus, erit homini maximè conſentaneus, ac etiam naturalis, vt rectè admiſerunt benè multi quos allegat & ſequitur Henriquez lib. de fine hominis cap. 2. n. 1. *litera A.* Addit Durandus in 3. d. 29. q. 2. n. 13. perfectum hunc amorem homini mandari, lege morali ad præcepta naturalia pertinente, At nihil lege aliqua ſanciri poteſt, quod viribus intra legis illius ordinem ſuppetentibus, executioni mandari non poſſit.

Et hæc quidem clara videntur, agendo (vt hactenus egimus,) de vno aliquo ſingulari amoris actu abſoluto, & quantum eſt ex præſenti diſpoſitione operantis, efficaci ad excludendum quoduis peccatum actuale, & inuehendam cuiuſuis tunc vigentis mandati obſeruationem, per ſe loquendo, & ſecluſis grauibus obicibus extrinſecis, ſicut facilè excludi poſſent in actu duntaxat momentaneo, aut durante per breuem moram.

Et perennis, idque vnde abſque gratia.

309. At quia beatitudo & amor ei adiunctus per totam æternitatem durare debuiſſet; eam autem perfectam dilectionem quam expoſui, diuturnam eſſe poſſe, fragilitatis noſtræ ac leuitatis conſcij, negare cogimur; addendum eſt, non fuiſſe timendum mobilitati noſtræ in ſtatu beatitudinis puræ naturæ: quamuis ab eo exularet gratia, tenacitatem omnimodam ac firmitatem in bono, voluntati ſupra naturæ ordinem concilians. Nam deeſſent prouidente Deo irritamenta malorum, omnéſque peccandi illices auerterentur. Honeſtas autem moralis, & virtutis dignitas, ac Dei ſuper omnia amabilitas obiicerentur voluntati faciem præferentes terſam ac nitidam, nullo moleſtiarum ac difficultatum à bono retrahentium tegmine obductam: Itaque faſcinatione nugacitatis, vera bona non obſcurante, vt nunc accidit nec vllis ad aberrandum peccati illecebris occurſantibus, quales nunc infinitas patimur; facillimum & iucūdiſſimum fuiſſet futurum, tenere in perfecto illo Dei amore conſtantiam, ſecluſa gratia, & naturam ſuperantibus auxiliis: quæ in tantis benè operandi opportunitatibus ſtatui illi ad terminum deducto congruentibus, & nulla ad ſupernaturalem finem relatione interueniente, minimè tunc fuiſſent neceſſaria.

Nec eſt improbabile, neceſſitatem beato iniiciendam fuiſſe ad hunc amorem; non quidem vi obiecti, (quod cùm non eſſet appariturum, quale in ſe eſt, & clarè vt ſummum bonum, non proponeretur vt deſtitutum indifferētia illa, quæ eſt radix libertatis;) ſed adigente Deo, & voluntatem beati abripiente. Quanquam etiamſi extrinſeca hæc determinatio effectiua, non eſſet interuentura, perſpicuum eſt nihil vnquam occurſurum fore beato: propter quod diligeret, voluntatis ſuæ in tantum bonum præcipitantis, impetum ſiſtere: præſertim cùm experiamur in quibuſdam bonis creatis tantam eſſe vim ineſcandi voluntatem, vt plerumque (præſertim ſi aſſuefactio anteceſſerit,) ægerrimè iniicere ſibi ipſa frænos poſſit, & ſe ab amore tantuli boni cohibere. Multò ergo promptiùs ac propè neceſſariò voluntas beati, quamuis nullo vrgēte ferretur in bonum plenum, quantum ſtatus pateretur perſpicuè obiectum. Vnde patet amoris huius dimanatio ex eſſentiali beatitudine.

Eiuſdem amoris frutex, gaudium plenum.

310. Ex amore, de gaudio pronunciandum eſt: Eſt enim gaudium, frutex amoris. Itaque quod de amoris perfecti entitate, & ordine naturali, ac perpetuitate, & neceſſitate conſtitutum proximè eſt, de gaudio etiam dictum eſto. Menſuram autem eius, ex amoris etiam menſura licet colligere: Nam ſicut amor omnem alium amorem excederet; ita & gaudium de bono tantopere amato, cùm illud poſſideri contingeret, omnem planè de cuiuſuis alterius boni poſſeſſione delectationem, ſuperaret. *Tunc,* ait Seneca l. de vita beat. c. 5. *illud orietur inæſtimabile bonum, quies mentis in tuto collocata, & ſublimitas; expulſiſque terroribus ex cognitione veri, gaudium grande & immotum, comitáſque & diffuſio animi, quibus delectabitur, non vt bonis, ſed vt ex bono ſuo ortis.*

Sed non hæreo in hac conſideratione, quòd ſuprà vniuersè agendo de his adiunctis beatitudinis eſſentialis, dictum ſufficienter ſit de huius gaudij beatifici exuberantia. Quæ enim ibi in hanc rem ex Philoſophis & naturali ratione attulimus, in ſtatum puræ naturæ cadunt, quem vnum Philoſophi habuere compertum. Et eodem ſpectant multa quæ de voluptate ac gaudio animarum beatarum, ex nudo naturæ lumine diſputat Algazel l. 2. Philoſophi tract. 5. cap. 4. & Auicenna lib. de Almahad ſiue de ſtatu animarum ſeparatarum capite 7. Cùm enim voluptas conſequatur liberam ac expeditam perceptionem obiecti naturæ conſentanei, & id tunc animæ obtingat, iuxta Algazelem, neceſſe eſt eam immenſis delectationibus colliqueſcere; eóque maioribus quo intellectus obiectum eſt altius, & perceptio perfectior.

Corporis reſurrectio, alterum formalis beatitudinis adiunctum in pura natura.

311. Pergo ad refuſionem internæ beatitudinis in corpus. Vbi in primis ſupponendum eſt, in ſtatu puræ naturæ futuram fuiſſe corporum reſurrectionem. Quem fuiſſe ſenſum Philoſophorum plurimorum tradit Bouerius tomo 1. demonſtrat. in ſymbol. fidei demonſtratione 3. generali art. 12. & Thomas Bonardinus l. 1. de cauſa Dei cap. 1. §. 39. teſtatúſque eſt iam olim Athenagoras in fine orationis pro Chriſtianis. Idem de Pythagoræis, addita non illepida narratione, traditur apud Senecam l. 7. de benef. c. 21. Diſcuſſi hoc punctum latè in Natural. Theol. d. 8. q. 4. art. 6. & ſuffragantur rationes ibidem propoſitæ ex pleriſque Patribus qui agnoſcunt diuinam prouidentiam in nouailla corporis & animæ conſertione: vt quibus ſocietas meriti vel culpæ fuerat in vita, communitas etiam ſit præmij vel cruciatus.

Non eſt æquum, ait Theodoretus in Epitome diuinorum decretorum c. 20. quod eſt de iudicio, *vt anima, quæ cum corpore peccauit, & per oculos inuidiam & improba deſideria ſuſcepit, per aures autem impiis verbis delinita eſt, & per vnamquamque corporis particulam non bona irritamenta admiſit, ſola peccatorum pœnas luat, &c. Quomodo autem rurſus fas & ſanctum* eſt,

eſt, vt ſanctorum anima ſola promiſſis bonis fruantur, quæ coniunctè corporibus, ex virtute rectè geſſerunt? Oculi enim profundunt lachrymas compunctionis, aures diuina eloquia ad animam tranſmittunt, lingua autem, & laudat benefactorem, & aſſiduè offert orationem, manus autem ſubſeruiunt ad ſubminiſtrandum egenis: & pedes nunc quidem currunt ad domos orationis, nunc ſtant in orationibus, & plurimum laborem ſufferunt. Quomodo ergo iuſtum eſt, vt corpus, quod vnà cum anima virtutis opes comparauit, puluis ſit & abiiciatur, ſola autem anima vt victrix pronuncietur. Sin autem hoc graue eſt & miſerum, iuſtum eſt ergo vt corpora primùm reſurgant, deinde eorum quæ geſſerunt ab eis communiter ratio exigatur.

Similia apud Athenagoram legere licet lib. de reſurrectione carnis, & apud Nyſſenum in Dialogo cum Macrina, & orat. 3. de reſurrect. frequentérque apud alios Patres, cùm quoſdam Ethnicos reſurrectionis corporum inficiatores impugnant: contra quos non vrgent, prouidentiam ſupernaturalem id expoſcere, (eam enim prouidentiam Ethnici illi non agnoſcebant:) Vrgent ergo prouidentiam diuinam, ordini naturæ puræ conſentaneam. Ac proinde illa Patrum ratiocinatio, aliæque nonnullæ, quas loco ſupra allegato ex eis produximus, æquè confirmant in ſtatu puræ naturæ futuram fuiſſe reſurrectionem, ac iuxta illas ratiocinationes eſſe debuit in præſenti ſtatu, de quo Patres in re præſenti philoſophabantur, tanquam de ſtatu puræ naturæ quia fere agebant cum Philoſophis qui alium ſtatum non agnoſcebant.

312. Neque video quid proferri validè queat quo oſtendatur hanc Dei in homines prouidentiam in ſtatu puræ naturæ, fuiſſe ſtatui illi parum accommodatam, eúmve tranſcendentem. Nam in reſurrectione corporis, nulla actio exercitur quæ ſpectet ad Deum gratiæ authorem. Tantum ſiquidem ibi interuenit noua corporis & animæ coniunctio, quæ eſſentialiter & phyſicè, eſt eiuſdem planè rationis cum prima coniunctione, quæ certè entitatiuè ſupernaturalis non erat. Nec dubito quin ſi illa ipſa anima, quæ corpori alicui iam inextiterat, ſiſteretur alteri humano corpori idoneis ad eam excipiendam diſpoſitionibus inſtructo, æquè naturaliter ſecutura eſſet vnio, ac primum ſecuta fuerat cùm primùm ad explendam corporis illius vltimò diſpoſiti exigentiam facta eſt. Quorſum ergo vnio ad idemmet corpus quod anima informarat priuſquàm collaberetur, ſuppoſita eiuſdem corporis anaſtaſi, ſupernaturalis entitatis cenſebitur?

Eſt quidem reſurrectio, opus ſupernaturale, quatenus vniuerſæ naturæ vi cauſari nequit, quæ cùm entitatis ſupra naturam eminentia deeſt, dicitur ſupernaturalitas ſecundùm modum duntaxat. Et hoc ſenſu plerique Scholaſticorum apud Carthuſianum in 4. d. 43. quæſt. 1. vocant reſurrectionem noſtram, opus ſupernaturale & miraculoſum. Tamen ea ſupernaturalitas, non eſt aliquid cum ſtatu puræ naturæ incompoſſibile; præſertim ſi ex morali debito, & ad perfectionem diuinæ in eo ſtatu prouidentiæ, par ſit actionem eo duntaxat modo ſupernaturalem euei [illegible], vt oſtenſum eſt eventurum in re præſenti.

Nonnulla, quibus corporum ruinam in pura natura perennem volunt.

Ex alio capite, reſurrectionem in ſtatu puræ naturæ defuturam, probat Leſſius lib. 1. de ſummo bono num. 67. nempe quia nullo modo conueniret animæ reuerti ad corpus, ob inſignia commoda quæ corporis ſocietas eripit animæ. Nam & libertatem ei adimit vbiuis verſandi, & motus celeritatem, & cogitandi pernicitatem præpedit. Impedit etiam contemplationis puritatem, & continuitatem.

Ex quibus infert idem author animam etiamſi corpus immortale fieret, tamen ſemel corpore ſolutam, horrori ducturam & infœlicitati, iteratam cum corpore colligationem. Nec vult Leſſius vrgeri in contrarium, inclinationem quam anima, quippe eſſentialiter incompleta, habet ad corpus: hanc enim inclinationem, ait idem author, non eſſe in anima niſi ſecundùm gradum vegetatiuum & ſenſitiuum: at ſecundùm gradum intelligendi, contendit eam à corpore abhorrere. Imò num. 72. disertè ait animam non eſſe ſubſtantiam incompletam, niſi quoad partem inferiorem, ratione cuius eſt apta vniri corpori; & quidem tunc tantùm cùm ineſt corpori; Ex quo autem anima corporis vinculis exſoluta eſt, negat eam eſſe amplius ordinatam à natura ad compoſitionem.

Denique cùm reſurrectio, licèt ſit bonum corporis, cedat tantùm in damnum & incommodum animæ, negat Leſſius eſſe æquum, vt corpus, quod non niſi per animam meretur (tota enim ratio meriti formaliter & intrinſecè eſt in actione animæ, nec niſi per extrinſecam denominationem refunditur ad actionem corporis,) aliquod ſibi præmium expoſcat, cum animæ incommodo, quale animæ multiplex aduenturum ex corporis reſurrectione, paulo ante oſtenſum eſt ex eiuſdem authoris mente.

Eliduntur.

313. Verùm hæc omnia admodum inefficacia videntur. In primis enim contendimus, incommoda quæ initio proponuntur, minora eſſe commodo, quod animæ obuenit ex vnione ad corpus, nempe completione ſubſtantiali. Eſſet enim anima, ens duntaxat dimidiatum & mutilum, niſi accederet ad eam corpus, cuius interuentu per vnionem miraculi plenam (vt loquitur Author libri de ſpiritu & anima apud Auguſtinum, meritóque ſuſpicit Nazianzenus orat. 26. *ſub finem*,) conſummatur illud totum, cui conſtituendo eſſentialiter addicuntur & corpus & anima. Vnde quia anima ſemper eſſentiam ſuam retinet, impoſſibile eſt eam ſpoliari ſua incompletione, & inclinatione innata ad corpus. Competit autem animæ rationali ea incompletio & inclinatio, non modò quoad gradum ſenſitiuum & vegetatiuum, ſed etiam quoad rationalem, quia tota anima rationalis eſt ſimpliciter & abſolutè forma corporis; quod puto certum.

Non me latet, quoſdam cenſuiſſe animam rationalem non eſſe formam corporis quatenus rationalis eſt. Quod paſſim malè tribuitur Caietano 1. parte q. 76. art. 1. quem rectè ibi purgat Bannes dub. 2. Melius autem tribueretur Ferrarienſi 2. contra gentes c. 58. *in fine*. Et fuiſſe præſtantiſſimorum Thomiſtarum ſententiam, notat eiuſdem familiæ ſcriptor, Gryſaldus in deciſionibus v. *anima*, n. 22. graui tamen cenſura id notans: Quod & alij recentiores paſſim faciunt, nixi, & definitione Concilij Viennenſis, ſtatuentis animam rationalem eſſe formam corporis: Et damnatione Petri Ioannis, quem hæreticum negaſſe animam quatenus rationalem eſſe formam, referunt nuperi hæreſeologi, & Annalium Eccleſiaſticorum ſcriptores.

Ego tamen vlla cenſura percellere non auſim, placitum illud paſſim Caietano tributum, dummodò anima rationalis, & ſenſitiua, & vegetatiua, dicantur reipſa eſſe vnica entitas, vt omnino dicendum eſt.

eſt. Hoc enim admiſiſſe qui addunt animam quatenus rationalem, non informare corpus; volunt tantùm quòd anima ſi poſſet ſub illo ſolo gradu eſſe, eo modo quo ſub ea præcisè concipitur, non informaret; quod verum eſt, quia anima non eſt facta vnibilis materiæ, niſi propter vires inferiores, intellectionis adminiſtras per ſubminiſtrationem ſpecierum ex ſenſibilibus obiectis ad ſenſus corporeos deriuatarum. Atque ita non dubito, quin rectè & abſque errore ad eum ſenſum dicatur, animam rationalem vt ſic, non informare corpus: idque vnum ſi dixiſſet Petrus Ioannes, innoxius hac ex parte fuiſſet.

314. Poſita tamen reali illa identitate, quæ reipſa intercedit inter animam quatenus rationalem & ſenſitiuam ac vegetatiuam, admittendam ſimpliciter contendo, animam rationalem eſſe vt ſic formam corporis: id eſt, etiam quoad illam entitatem, quæ gradum illum conſtituit, ſpectatam prout eſt à parte rei; Itémque contendo eam, etiam vt ſic, eſſe incompletam & dimidiatam ſubſtantiam: cui proinde, cùm à corpore ſeiuncta eſt, naturalis ad corpus inclinatio, & ordo ad illud eſſentialiter ac inſeparabiliter inſit. Quod ſatis eſt ad diſiiciendam vniuerſam illam argumentationem, quæ contra reſurrectionem in ſtatu puræ naturæ corpori concedendam, formabatur; ex eo quòd nullum animæ rationali ſemel dè corpore deturbatæ bonum obtingat ex conſertione noua cum corpore. Hinc enim patet bonum ei per corpus accedere, quod longè præponderet minutis illis incommodis, quæ ab aduerſario opponebantur. Quamuis ſis quoque incommodis, quæ alicuius æſtimationis videri poſſent, medendum fuiſſe diuinitus in altera vita, ſæpè ſuprà oſtenſum ſit, exponendo quomodo contemplationis puritas & perpetuitas, nullatenus impedienda fuiſſet in homine rediuiuo. Quod item de cogitationis pernicitate dixerim, vt ex ibidem dictis liquet.

His porro omnibus in corpore reſumpto ſaluis, quid admodum curaret anima paulò minorem progreſſionis celeritatem, vi ſcilicet animæ motiua, tantundem retuſa & imminuta in cauſanda progreſſionis celeritate, quantum expromendum eſt virtutis in mouendà mole corporis? Quid item admodum curaret anima libertatis vbiuis verſandi reſtrictionem aliquam, ob impenetrationem molis corporeæ, cum aliis quantitatibus? Hæc certè tam exigua ſunt, vt planè videatur verum, animam non modò appetitu innato, de quo hactenus, ſed etiam elicito, completionem ſuam ſubſtantialem longè ſtudioſius expetituram, quàm huiuſmodi incommodorum declinationem.

Qualia futura piorum reſurgentium corpora, in natura pura.

Corpori igitur diuina vi ad moralem exigentiam ſtatus illius & congruam hominum gubernationem ſic ad priſtinum eſſe reuocato, eadem diuina vis per extrinſecam prouidentiam conciliaret in bonis ſuis firmitatem, mortiſque obnoxietatem & omnes mortis appendices ab eo remoueret. Quod potuiſſe intra fines huius ſtatus fieri, rectè conceſſit Henriques lib. de fine hominis c.9. n.6. etiamſi agendo de facto, in ſententiam contrariam magis inclinet, eò quòd ſentiat reſurrectionem de facto non fuiſſe futuram in eo ſtatu. Quod nos quia falſum eſſe paulò ante oſtendimus, ſupereſt vt conſequenter dicamus prædicta mortalitatis conſectaria, abacta à noſtris corporibus ſemel reſtitutis caducitate, abfutura ſemper ab eis fuiſſe in ſtatu de quo agimus, vt inſinuatur in Theologia Ægypt. l.7.c.10.

Inſuper verò diuina liberalitate, immarceſcibilis pulchritudinis perpetuum ver in iiſdem effloruiſſet: Non per aliquam gloriæ dotem vniuerſæ naturæ terminos excedentem, vel collatam cum reſpectu ad Deum gratiæ authorem, ſed per acceſſionem aliquam ad cultum corporis temperamento commenſum, à Deo tanquàm naturali virtutis remuneratore tunc faciendam in corporibus piorum reſtitutis: quæ explicari proportione ſeruata poſſet per ea quæ de beatorum corporum in hoc ſtatu pulchritudine fusè diſputantur à Guilielmo Pariſ. 2. primæ de vniuerſo cap. 29. & breuiter attinguntur à Chryſoſtomo in Pſalm. 109. ad illud. *In ſplendoribus Sanctorum.* Nec aliter cum proportione debita philoſophandum, de vigore perenni, iiſdem corporibus diuinitus immittendo.

Amœnitates iiſdem prouidendæ.

315. Quæ verò præterea, de ſenſuum in beatorum corpore amœnitatibus, loci ſplendore, omniúmque externorum bonorum ſtatum illum non dedecentium vbertate, Philoſophi agnouerunt, retuli latè in Naturali Theologia d.8. q.4. art.5. Nunc vnus prætereà vel alter, ex antiquis Philoſophis locus, ſatis erit. Heraclitum refert in hanc rem Theodoretus lib. 8. contra Græcos ſub medium. *Illud*, inquit, *Heracliti dictum valdè admiror, manere morientes homines, ea quæ neque ſperant, neque expectant. Quòd autem ſanctorum animæ beati finis iucundiſſimos fructus percipiant, Plato quoque in Phædone oſtendit, ait enim. Qui autem videntur vita ſanctitate præ cæteris egregij fuiſſe, hi ſunt qui terrenis malis veluti quodam carcere liberantur: ad ſupernam verò puram illam habitationem perueniunt; Paulo verò mox & hoc addidit: Ad habitacula verò multò his quoque pulchriora perueniunt, quæ neque facilè oſtendi poſſunt neque mihi ad hæc explicanda tempus datur.* Ibidem de piè mortuorum veneratione, & religioſo ſepulchorum quibus occuluntur, cultu plura ex Platone.

Eiuſdem Platonis, illa ſunt in Axiocho præclarè ſcripta, de externa hac beatorum fœlicitate: *Quibuſcunque in vita melior aſpirauerit dæmon, ij ſedes incolunt piorum, vbi omnes ora ſcatent omnigena fructuum vbertate. Fontes puris labuntur aquis, variis prata omnimodâ floribus vernant, conuentus ſunt Philoſophorum, theatra Poëtarum, exultantium corona, muſicique concentus: adhæc inſtructa diligenter conuiuia, & ipſa ſeſe ſuppeditans affluentia victus, indolentia immortalis, iucunda victus ratio. Non enim frigus illis, non æſtus eſt grauis. ſed temperatus aer funditur mitibus ſolis radiis illuſtratus. Hìc etiam initiatis eſt dignatio quædam, & religioſa ibidem quoque peragunt ſacra.*

Non omitto pauca quæ continenter ſubdit de contraria impiorum ſorte. Sic enim ſplendor fœlicitatis beatorum, micabit pleniùs; eritque contra malum, bonum, contra vitam mors, iuxta Sapientis oraculum. *At illi*, inquit, *quibus per ſcelera vita fuerit peracta, per Tartarum à furiis ad Erebum chaoſque rapiuntur, vbi impiorum eſt locus, inexplebiléſque Danai filiarum vrnæ, vbi Tantali ſitis, præcordia Tityi, Siſyphi inexplicitum ſaxum, cuius finis ab alio incipit rurſus labore. Ibi circumlambentibus eos feris, indeſinenter lampadibus adusti, & omnium pœnarum afflicti cruciatu, tormentis laniantur immenſis.* Ruſuſque in Phædone: *Qui ob ſcelerum magnitudinem inſanabiles eſſe videntur, qui vel ſacrilegia multa & magna, vel cædes iniquas vel alia horum ſimilia perpetrauerint, hos omnes conueniens ſors mergit in Tartarum, vnde nunquam egrediuntur. Qui autem piè præ cæteris vixiſſe inueniuntur, hi ſunt qui ex his terrenis*

tanquam è carcere ſoluti atque liberati ad altiora tranſcendunt; puramque ſupra terram habitant regionem.

Societas bonorum, atque charorum.

316. Quòd paulo ante poſitam à Platone vidiſti; in beatitudinis parte, Philoſophorum ſocietatem atque conuentum, egregiè à Socrate iam damnato animaduerſum eſt, & ad aliquam ſui alleuationem propoſitum in Apologia; quem locum Tull. 1. Tuſc. n. 98. exſcripſit. *Sin vera*, inquit, *ſunt quæ dicuntur; migrationem eſſe mortem, in eas oras, quas, qui è vita exceſſerunt, incolunt. Id multò iam beatius eſt, te, cùm ab iis, qui ſe iudicum numero haberi volunt, euaſeris, ad eos venire, qui verè iudices appellentur, Minoem, Rhadamanthum, Æacum, Triptolemum: Conuenireque eos qui iuſtè & cum fide vixerint: hæc peregrinatio mediocris vobis videri poteſt? Vt verò colloqui cum Orpheo, Muſæo, Homero, Heſiodo liceat, quanti tandem æſtimatis? Equidem ſæpè mori, ſi fieri poſſet, vellem, vt ea quæ dico, mihi liceret inuenire. Quanta delectatione autem afficerer, cum Palamedem, cùm Aiacem, cùm alios iudicio iniquorum circumuentos, conuenirem? Tentarem etiam ſummi Regis, qui maximas copias duxit ad Troiam, & Vlyſſis, Siſyphique prudentiam.*

Haud dubiè etiam, expreſſa ex eo Apologiæ loco eſt ſimilis ratiocinatio, quæ in Conſolatione habetur, his verbis. *Si migrationem malimus eſſe mortem in eas oras, quas è vita profecti incolunt; quid optabilius, quam ad eos proficiſci, quos mortuos viuens dilexeris, & cum iis perpetua vita perfrui; qui vt nos in laude viueremus, & ſilenter mereremur ſuis & præceptis & exemplis tantopere laborarunt? Mihi certè nihil videtur euenire poſſe gratius; quam, ſi mors aditum ad alia loca patefaciat, ad eos venire, & cum iis eſſe, quos & maximè dilexi, & nunquam non diligere ac laudare poſſum. Ad meos autem & affines, & amicos vt peruenero quantopere lætabor? quæ iucundior collocutio, quis ſuauior vel congreſſus, vel complexus? O vitam verè vitalem, vt ait Ennius, omnibus bonis ac gaudiis circumfluentem! ſed beatam etiam mortem, quæ ad beatiſſimam vitam aditum aperiat.*

Hoc ipſi Ethnici conſentaneè ad ſacras literas prodiderunt quibus docemur iucundiſſimum fore beatorum conuictum & qui piè hinc exceſſerint, *ſuctum habituros in reſpectione animarum ſanctarum* Omnino enim agnituros ſe inuicem beatos, & ex ea agnitione perfundendos inexplicabili voluptate, confirmat latè Dionyſius Richelius opuſculo de agnitione Sanctorum in patria, & attigit Theodorus Studita hom. 22.

Plena exſatiatio beatorum omnium, & quomodo ſalua inæqualitate.

317. Habemus itaque beatitudinem in ſtatu puræ naturæ futuram fuiſſe, non animæ modò, ſed totius etiam hominis, plenam intra naturæ terminos exſatiationem & quietem, quod eſſe de ratione beatitudinis, ſæpè ſuprà oſtenſum eſt. Neque verò cum plena illa cuiuſuis beati exſatiatione, pugnaret, quòd non omnes beatos, æquales futuros eſſe ſupra admiſimus: Non enim qui minus beatus foret, aliqua ex parte inſatiatus maneret: Nam neque haberet appetitum vllum innatum ad incrementa beatitudinis, ſuperiori beato conceſſa neque elicitum cum ſatiatione plena pugnantem.

Non quidem innatum, quia appetitus innatus non eſt niſi ad formam vel actum connaturalem, & ex ... potentiæ facultate ſuſceptibilem vel proſaſibilem, quod hic deeſſet, quandoquidem formalis beatitudo concederetur tantùm vt præmium vitæ ritè tranſactæ. Quo recidunt quæ tradit Scotus in 3. d. 13. q. 4. *litera M.* cùm ait, minùs beato nullam fieri violentiam, eò quòd careat principio intrinſeco determinante ad auctiorem gloriam beato ſuperiori competentem.

Non item eſſet in illo minùs beato appetitus efficax elicitus beatitudinis maioris, qui ſolus appetitus elicitus quietem beatitudinis temerare poſſet: Nam beatus inferior, non proſequeretur actu efficaci bonum, quod in altero cognoſceret, & ſibi deeſſe videret. Id enim reuera turbaturum eſſet beatitudinem, ob angorem quem menti ingeneraret, & cupiditatem, quam relinqueret non expletam, quamuis expleri adiectione rei concupitæ voluntas optaret. At ab inferiori beato talis actus procul abeſſet, quia haberet voluntatem ordinatam, vt rectè notat D. Thomas 1. Ethic. lect. 9 *in fine*. nec quæreret habere perfectiorem, quam ſciret ſibi congruentem non eſſe; ideóque eam reputaret impoſſibilem, cuiuſmodi obiectum non poteſt appeti efficaciter.

Itaque inferior beatus ad ſummum inefficaciter, & amore aliquo ſimplici, appeteret bonum illud, quo ſe deſtitutum videret, donatum autem eum qui ſuperior eſſet: quod beatitudini nequaquam officeret. Sicut in præſenti ſtatu, quamuis ſtella à ſtella differat in claritate, ſintque beati etiam quod beatitudinem eſſentialem accidentariò inæquales; inferior tamen beatus, æquè expletum habet in minoribus bonis ſuis deſiderium ſuum, ac ſuperior in ſuis maioribus, ad quæ inferior non ſuſpirat: etiamſi cùm occurrit de eis cogitatio, poſſit ea ſimplici aliquo affectu proſequi, ſed ſine anxietate vel abſoluta voluntate, quia agnoſcit accrementum illud beatitudinis, quod ſibi deeſſe videt, non eſſe ſibi debitum. Similiter ergo in ſtatu puræ naturæ, quamuis omnia præmia entitatiue eſſent naturalia, tamen quia non eſſent ex naturæ principiis & phyſicè debita; ſed tantùm moraliter & intuitu præteritorum meritorum: hæc autem inferior beatus videret ſibi non ſuppetere proportionata illi auctario beatitudinis quod beatiori repenſum eſſet propter maiora merita, degeret contentus ſorte ſua, nec affectaret gradum altiorem.

Quod pulchrè Proſper l. 1. de vita contempl. c. 4. agens de beatitudine ſupernaturali, expoſuit exemplo corporalis ſaturitatis, quæ duos inæquali corpore homines æqualiter ſaturos reddit, nec vltra cibi appetentes: quamuis non æqualem cibum ambo perceperint, ſed vnuſquiſque quantùm ſibi congruebat. Eodem exemplo intra lumen, quo hîc dirigimur, rem hanc expreſſit Seneca epiſt. 85. Addit S. Auguſtinus 22. ciu. c. vlt. & eum vbique imitatus Anſelmus ſerm. de beat. exemplum diſparium corporis membrorum, quorum tamen, quod deſpicatius eſt, verbi gratia pes aut digitus, ſi volendi facultate inſtructum eſſet, non optaret efficaciter eſſe hoc ipſum quod eſt oculus vel caput. Omitto alias ſimilitudines, quas in eam rem profert Sanctus Macarius homil. 36. Itaque in ſtatu de quo egimus, quilibet beatus plenam ac cumulatam omnium ſuarum animæ & corporis facultatum exſatiationem conſequeretur, vt affirmabam, eſſentiali beatitudine, quæ animæ arcem & caput occuparet, ad reliquas potentias omnes, quod eis ad plenam pacem opportunum foret, tranſmittente, vt expoſitum vniuerſè eſt artic. 4.

Depellenda

Depellenda mala omnia, ac primùm error & ignorantia.

318. Non eſt autem omittendum (tametſi ex dictis ferè intelligitur) non modò ſingulas hominis facultates poſitiuis perfectionibus ſtatui illi conſentaneis exornandas fuiſſe, vt hactenus expoſitum eſt, ſed etiã prouidente Deo omnibus illis incommodis, quibus in vita ſubiacuiſſent, fuiſſe liberandas. Verbi gratia intellectum liberandum fuiſſe errore; voluntatem, quouis peccato & triſtitia; corpus ægritudinibus & morbis, ac iteratæ mortis periculo: Nam error eſt nobiliſſimæ in homine facultatis magnum malum: vnde deceret illud prorſus exulare à ſtatu fœlicitatis: Quod Deo facile eſſet præſtare, abſque vllis auxiliis naturæ fines entitatiue ſuperantibus; accedente externa protectione, occaſiones impingendi ſubmouente, & planum ac expeditum iter parante intellectui de rebus pronunciaturo: Ita vt intellectus neque ſponte præcipitaret in errorem, inconſultæ voluntatis temeritate; neque improuidè, ac neſcius in eum rueret: ſed potius cùm non omnino liqueret, dimiſſa perſuaſione in rei penetralia, ſiue aſſertione abſolutæ inexiſtentiæ prædicati in ſubiecto, hæreret pro foribus: id eſt, ſiſteret in probabilitate ac veriſimilitudine illius exiſtentiæ. Quod iudicium non eſt fallax, ſed certum. Nullus itaque error, ſiue prauæ diſpoſitionis ignorantia, inquinaret intellectum beati.

Ignorantiam autem puræ negationis eatenus non fuiſſet incurſurus, quatenus nihil eum lateret quod ſcire deberet; in quo vera labes ignorantiæ ſita eſt. Ignorans enim propriè is duntaxat dicitur, qui quod debet ſcire, non cognoſcit, ſaltem habitualiter: ſiue qui ſaltem non habet ſpecies, quæ ſunt actus primus requiſitus ad cognoſcendum quod oportet, aut conuenit ipſum ſcire. Si autem aliquid aliud ſuperſit, reſpectu cuius non habeat actum ſecundum ſcientiæ, vel ſaltem primum; non idcirco dicetur ignorans. Nemo enim Ariſtotelem ignorantem dixerit, quòd ignorauerit, quæ ſcire, non ad hominem, ſed ad intelligentias ſpectat. Quare beatus, qui omnia quæ eius intereſſent probè ſciret, ab ignorantiæ macula alienus eſſet.

319. Suſpirabat ad hunc ignorantiæ expertem ſtatum Triſmegiſtus cap. 7. Pimandri, increpans mortales, quod ignorantiæ fæcibus magis ac magis immergerentur indies, & hortatus vt lucem veritatis, plenè in Deo abiecta aliquando corporis ſarcina; oculis internis hauriendam quærant. Locus eſt planè inſignis. *Quò ruitis*, inquit, *mortales ebrij, qui merum ignorantiæ combibiſtis? Cùm id ferre nequeatis, euomite, vimite ſobrii, oculis mentis inſpicite. Quod ſi minus poteſtis omnes, ſaltem qui poſſunt, id agant. Ignorãtia peſtis omnem terram ſubuertit, animùmque corruptis vinclis incluſam, neque ſinit eam ſalutis iter aſciſcere. Nec permittite vos in lacum corruptionis; mortiſque ſubmergi.*

Auocatos ab ignorantia, terris quaquauerſum incumbante, ciſque caliginem denſiſſimam offundente, reducit ad ſerenum enùhilatæ veritatis, contuendæ adultæ quandoque luce. Pergit ergo. *Reſpirate iam, reſpirate; ad fontem vitæ recurrite, illúmque qui vos introducet in adytum veritatis, capeſſite. Ibi fulgidum lumen nullis immiſtum tenebris; ibi nullus ebrietate delirat, ſed omnes ſobrij vigilant atque mentis oculis, eum qui videri vult, acutius intuentur, Is nec auribus percipitur, nec cernitur oculis, neque ſermone profertur: ſola mens eum proſpicit, ſola mens prædicat.*

Verùm ne quis præproperè, falſitatis diſcrimine eximi, & puritate veritatis, errorum offuciis omnino liberæ & ad plenum defæcatæ, frui velit, conteſtatur Hermes, abiiciendas primùm eſſe exuuias corporis; hanc inquam teſtam, qua vndecunque obuoluti, vix tenuem liquidæ lucis ſcintillam haurire poſſumus. Hoc nomine, in corporis probra effunditur, his præter cætera, quæ alibi in eam rem paſſim profert. [In primis autem oportet veſtem, quam circumfers, exuere; Indumentum inſcitiæ, prauitatis fundamentum, corruptionis vinculum, velamen opacum, viuam mortem, ſenſitiuum cadauer, ſepulchrum circumuertile, domeſticum denique furem, qui dum blanditur, odit; dum odit, inuidet, Huiuſcemodi eſt; quo circumtegeris, vmbraculum inimicum. Ad ſeipſum te deorſum raptat, ne fortè conſpiciens veritatis decorem, atque proximum bonum, huius oderis prauitatem: néve huius inſidias, quas in te aſſiduè machinatur, aliquando præſentias. Hoc aciem interiorum ſenſuum hebetat, & obtundit: craſſa illam materia ſuffocat; abominabili faſtidioſáque hebetat voluptate, ne audias vnquam, néve perſpicias ea, quæ iure & audienda ſunt, & in primis inſpicienda.

Aditus nouis culpis præcludendus, quæ præiacuiſſent, abſtergenda.

320. Idem quod de depellendo errore & ignorantia ab intellectibus beatorum affirmaui, ſtatuo quoque de culpa quoad voluntatem. Nam culpa quælibet de nouo contrahenda, excluderetur per perfectum illum actum amoris, quem ſupra expoſuimus: Voluntas enim actum illum amoris eliciens, & per eũ firmata in bono, vel peccaret peccato cõmiſſionis vel omiſſionis. De priore genere peccati, liquet id eſſe negandũ: alioqui contingeret voluntatem, toto ac pleno affectu in Deum ferri; ſimúlque aliquid ſibi affectus ſui reliquum facere, quod in Deum non transferret, imò aliò referret, contra Dei beneplacitum; quod eſſet priorem illam voluntatem exſcindere: Ex quo fieret eam ſimul poni, vt ſupponimus, & non poſſe propter inuectionem alterius actus, cùm ea incompoſſibiliter pugnantis. Idem ferè eſt de poſteriore peccati genere. Amor enim ille, quia verus & perfectus eſt, vrgeret ad operandum nihilque omittendum eorum quæ beatus Deo placere compertum haberet: & ex alia parte defatigatio ac tædium operandi, quæ ſæpè homines remorantur, aut etiam auertunt ab operibus debitis, procul forent à beato illo ſtatu.

Sic igitur nulla noua culpa in beatum caderet, ex peculiari Dei cura ſtatui illi conſentanea: Eo enim duntaxat recurrendum eſt, non ad ipſam naturam iam in termino poſitam, vt facit Salas 1. 2. tract. 2. d. 7. num. 95. affirmans naturam Intellectualem cùm primum eſt extra viam, eſſe ab intrinſeco impeccabilem: ſed perperam. An enim Apoſtatæ ſpiritus, & eorum gregales, quorum ſuperbia aſcendit ſemper, quamuis in termino ſint, peccare deſinunt? Et cum eadem ſit natura in termino, quæ in vita fuerat, quorſum in termino naturam intrinſecè impeccabilem ſtatuemus, quæ in via tam facilè labitur? Eſſet ergo homo extra viam abſque peccato, ſic prouidente Deo; & regente potentias, & peccati occaſiones prouidè amoliente, per extrinſecam protectionem; & conſentaneam ſtatui illi prouidentiam. Quod ſi ad id intrinſeca aliqua auxilia & beneficia fuiſſent quandoque neceſſaria: minimè tamen opus fuiſſet prouideri auxilia entitatiuè ſupernaturalia, quæ ſtatum puræ naturæ excederent;

ſed ſuffeciſſent auxilia naturæ proportionata, vt rectè de viatoribus eiuſdem ſtatus pronunciat Henriquez cap. 2. libri de fine hominis n. 2. & de iam deductis ad terminum Suares lib. 3. de Angelis c. 11. n. 8. qui de viatoribus idem docet proleg. 4. de gratia c. 2. n. 15. & ibid. l. 1. c. 28. n. 9. & ſequentibus.

321. Hinc igitur liquet qua ratione noua peccata locum non haberent in beatis. Antiqua verò ſi quæ ante contraxiſſent, non remanerent habitualiter in beatitudine, quia id dedeceret perfectionem ſtatus beatifici, proindéque elui prius & abſtergi per diuinæ condonationis ſpongiam oportuiſſet, quam ſtatus ille conferretur. Fieret autem ea condonatio vel antecedenter ad terminum viæ, & vitæ clauſulam; vel in ipſo intrinſeco puncto mortis, ſi tantum agatur de leuibus delictis, quorum retractatio durante via non interueniſſet. Tunc enim in primo extra viam momento, ritè perſpecta peccati cuiuſuis fœditate, anima corporis vinculis ſoluta, & liberior ad cognoſcendum, illico erumperet in actum retractationis, cui diuina remiſſio adiungeretur, etiamſi ad abſtergendam ſuperſtitem pœnæ condignitatem perpeſſio aliqua in loco expiatricibus pœnis deſtinato, fuiſſet ſubeunda. Porro Ethnicos quoque purgatrices illas pœnas, pro ſanabilibus, vt Plato vocauit, hoc eſt, minoribus culpis agnouiſſe, copioſè traditum eſt in Naturali Theol. d. 8. q. 4. art. 2.

Fugiſſet dolor ac gemitus, & quod vis corporum incommodum.

Triſtitiam quoque à beatorum voluntate exulaturam, vel ipſo beatitudinis nomine docemur: beatum enim omnes triſtitiæ cuiuſuis exortem faciunt, qua parte beatus eſt, alioqui deeſſet illi bonum, cuius contrario vel carentia triſtaretur: atque ita non eſſet in ſtatu perfecto per bonorum omnium aggregationem, quæ eſt apud omnes beatitudinis notio. Sed ratio excludendæ omnino à beatorum voluntatibus triſtitiæ, non eſt adeò clara. Quidni enim pleráque eis mala obuerſari potuiſſent de quibus deberent dolorem concipere atque triſtitiam? Quo ſpectat, quod à Philoſopho 1. Ethic. c. 11. quæſitum eſt, pertingántne ad beatos vita functos calamitates poſterorum; concluditque pertingere. Deinde nihil vetat beatos iſtos, tametſi gaudio ſummo perfundendos, potuiſſe de aliquibus aliis obiectis triſtari ac dolere. Nam triſtitia & gaudium, vt notauit Durandus in 3. d. 15. q. 3. n. 10. non ſe excludunt per modum formarum incompoſſibilium, niſi cum ſint circa idem; quod hic deeſſet: ſicut reuera etiam in Chriſto defuit, qui propterea potuit in eadem voluntate ſummum gaudium, ſimúlque triſtitiam ingentem de diuerſis obiectis percipere

322. Verùm, quamuis abſolutè non repugnet triſtitiam & gaudium eidem voluntati inſidere, affirmandum tamen eſt ſuppoſito pleno gaudio, quod beatos perfunderet, vt expoſitum ſupra fuit, exulaturum prorſus fuiſſe à beatorum voluntatibus, dolorem ac gemitum: eò quòd gaudium illud plenum ex bono pleniſſimo profectum, & prælucente perfecta illius notitia, ac præuio pleno illius amore procreatum, nullam triſtitiam compatiatur naturaliter loquendo, & ſecluſo miraculo, quale in Chriſto contigit. Sicut enim voluntas præoccupata acerbiſſimo doloris ſenſu, delectationem ex ſolatiolo aliquo progerminare aptam, non percipit: eò quòd gutta illa ſuauitatis, in voluntatem doloris abyſſo altiſſime infoſſam demiſſa, exuat potius ipſa dulcedinem ſuam & amarorem contrahat, quàm impertiat de ſuo aliquid. Ita vice verſa, ſi voluntas immenſis delectationibus ſtabilibus immergatur, non eſt capax triſtitiæ ex minutis quibuſdam obiectis alioqui obuenturæ, vt docet etiam Ariſtoteles 7. Ethic. c. vltimo, qui eodem modo in re præſenti philoſophatur cap. illo 11. docens incommoda poſterorum quamuis beatis ſint perſpecta, non tollere tamen vel minuere eorum fælicitatem: nempe quia minutias iſtas incommodorum alienorum non æſtimant tanti. Quod ſi omnia alia triſtitiæ excluſiua impedimenta deforent, non eſſet Deo graue, in præmium, & ad priores triſtitias in via virtutis perceptas congruè compenſandas, triſtitiam omnem depellere, remotione triſtium obiectorum: nec tantum imminuto, ſed etiam prorſus ſublato eorum ſenſu, propoſitione rerum ad id idonearum, aut concurſus ſubtractione.

Reſtaret exponenda ac probanda depulſio malorum corporis, morborum ſcilicet, ægritudinum, iteratæ mortis periculorum, aut præludiorum ex cauſarum externarum iniuriis, aliiſque huiuſmodi damnis, vel etiam ab intrinſeco. Hæc enim arcenda omnino à beatis fuiſſe dubitari non debet. Verùm id ſatis patet ex dictis ſupra de bonis corpori conferendis in ſtatu beatitudinis. Pulchrè autem & breuiter id complexus eſt Seneca in conſolatione ad Marciam. c. 19. verbis illis. *Exceſſit filius tuus,* (Petilius, in cuius obitu matrem Marciam ſolatur:) *terminos intra quos ſeruitur. Excepit illum magna & æterna pax, non paupertatis metu, non diuitiarum cura, non libidinis per voluptatem animos carpentis ſtimulis inceſſitur: non inuidia fælicitatis alienæ tangitur, nec ſua premitur: nec conuiciis quidem vllis verecundæ aures verberantur, nulla publica clades conſpicitur, nulla priuata: Non ſollicitum futuri pendet ex euentu ſemper in deteriora dependenti. Tandem ibi conſtitit, vnde nihil eum pellat, vbi nihil terreat. O ignaros malorum ſuorum, quibus non mors vt optimum inuentum naturæ laudatur.*

Affuiſſet cumulus bonorum omnium.

323. Itaque videas meritò ciuitatem Sanctorum omnibus bonis cumulatam, quibuſuis malis liberam, à Dione Chryſoſtomo orat. 36. ita deſcribi. *Bonam ex vniuerſis bonis ciuitatem, neque quiſquam anteà vidit factam inter mortales, neque vnquam futuram in poſterum cogitare dignum eſt; præter eam, quam Dij beati in cœlo habitant, quæ nunquam immobilis neque otioſa, eſt, ſed vehemens & incedens ducibus primatibúſque Diis, abſque contentione, cladéque. Neque enim Deos contendere, neque cladem accipere fas eſt, neque alterum ab altero, vt pote amicis, neque ab aliis fortioribus, ſed facere abſque impedimento ſua opera, cum omni amicitia intérque omnes ſemper communi, manifeſtiſſimus euntibus quibúſque ſuâ viâ, non errantibus fruſtra fatuum errorem, ſed felicem choream tripudiantibus cum mente, ſummâque prudentia: reliqua autem multitudine, à communi curſu vno ducta conſilio, & cæli totius impetu. Vnam ſiquidem hanc purè beatam eſſe Rempublicam ſiue ciuitatem appellare conuenit, Deorum inter ſeipſos communionem.* Hæc Dio, pro Ethnico egregiè.

Præclarum & illud, quod ex Metrodoro, homine Epicuræo, cuius frequens eſt apud Senecam mentio, deſcripſit Clemens Alexandrinus 5. Stromat. capite vltim. ferè in fine libri. *Memento Meneſtrate (quoniam es mortalis, & vitam accepiſti terminatam,) anima aſcendere, donec ſeculum, & rerum videris infinitatem, tam quæ futura ſunt, quam quæ fuerunt. Quando cum beato choro, ex Platonis ſententia, felicem viſionem ſpectaculúmque contemplabimur; nos quidem cum Ioue ſequentes*

ſequentes, alij autem cum Diis aliis, & beatiſſima, (ſi fas eſt dicere,) myſteria peragemus ac celebrabimus; ipſi quidem integri & nulli malorum perpeſſioni obnoxij, quæ in poſteriori tempore nos manſerunt; integra autem & quieta viſa aſpicientes, & contemplantes in luce pura, puri, & nequaquam hoc obſignati, quod nunc corpus circumferentes nominamus, eo inſtar oſtrei alligati.

Ad difficultates contra beatitudinem ſtatus puræ naturæ, num. 289. propoſitas.

324. Supereſt vt in calce huius puncti expoſita iam eſſentiali ratione & adiunctis omnibus formalis beatitudinis alterius vitæ in ſtatu puræ naturæ, oſtendam difficultates omnes propoſitas in fine prioris puncti contra alterius vitæ beatitudinem in ſtatu naturæ puræ, nullius eſſe momenti, & ex dictis euaneſcere, quod ibidem hic præſtandum receperam. In primis ergo quod quærebatur, foretne ea Dei notitia in qua beatitudinem formalem collocauimus, naturalis homini, an ſupernaturalis, diſſoluendum eſt, reſpondendo eam notitiam futuram fuiſſe entitatiuè naturalem; non tamen homini connaturalem; hoc eſt, ex ſuis phyſicis principiis debitam, ſed moraliter tantùm. Non enim quicquid phyſicam naturæ exigentiam tranſcendit, cenſendum eſt ſupernaturale, & ſpectans ad ordinem gratiæ: alioqui creatio rerum eſſet beneficium ſpectans ad ordinem gratiæ, cùm nulla res exiſtentiæ expers, phyſicè exigat ſui productionem.

Quod addebatur de compoſſibilitate ſummæ miſeriæ, hoc eſt, mortalis peccati, cum ea Dei notitia, & quouis eius adiuncto, diſcuſſum eſt paulo ante; & oſtenſum, neque peccata habitualia, neque actualia noua, locum habitura in beatitudine: non quod forma vlla beato inexiſtens, foret cum peccato habituali incompoſſibilis: Sed quia homo Dei benignitate ſtatui illi conſentanea, emundandus eſſet à peccato anteà contracto. Nouum verò peccatum actuale excluderetur vi amoris perfecti beatitudinem eſſentialem aſſectantis: ita vt vel beatus peccare de nouo non poſſet, ſi ad illum amorem diuinitus neceſſitaretur, vel ſaltem peccaturus infallibiliter non eſſet, ſi ſolis auxiliis congruis & abſolutè repudiabilibus firmaretur in bono: quæ auxilia non fuiſſe exceſſura ordinem naturæ, paulò ante dictum eſt. Atque ita perpetuitas beatitudinis in ſtatu de quo agimus, nullum ordinis gratiæ donum depoſceret contra quàm aliquos velle retulimus. Nec plura de illis quæ contra animæ beatitudinem opponebantur. Quæ verò præterea beatitudini corporis obiiciebantur, diſſoluta manent ex dictis, de futura tunc reſurrectione, & ſtatu corporum poſt eam.

325. Denique quod naturalis beatitudo potuiſſet concedi ſub ratione præmij (quod malè ibidem poſtremo loco negabatur) non negaret Canus qui l. 12. de locis c. 4. contra Caietanum latè confirmat, naturali lumine patere, quòd Deus ſit intra naturæ ordinem remunerator ac præmiator bonorum in alia vita. ex quo apertè ſequitur quod hic intendo, & mihi perſpicuum videtur: An non enim etiam tunc opera moraliter bona, quæ homo in vita elicuiſſet, & hic ſæpè irremunerata manſiſſent, condigno præmio compenſari congruum fuiſſet? Nec refert quòd bonitas operum illorum finita eſſet, præmium autem dicatur fore æternum. Hoc inquam non refert: Nam fœditas quoque actui malo inſita, finita eſt; & tamen, etiam ex natura rei, æternum ſupplicium promeretur: Similitérque bonitas ſupernaturalis actus ex gratia eliciti, finita eſt; & tamen ex natura rei meretur æternam retributionem: Ergo proportione ſeruata idem dici poſſet de actu morali naturali ad naturale præmium æternum comparato. Quod enim cuiuſuis præmij perpetuitas, ſolius gratiæ fœtus eſſe dicebatur, reſpuendum eſt, quippe gratis aſſertum, & abſque fundamento.

Ex alio capite Sueſſanus in lib. 1. Auerrois de beatitud. animæ, negat meritum fœlicitatis contra ipſum Auerroëm, quem ibi variis locis id tradidiſſe refert: nempe ex eo quòd per nihil finitæ perfectionis mereri liceat rem infinitam cuiuſmodi eſt Deus, qui eſt noſtra fœlicitas. Putátque Niphus eſſe affirmandum de merito etiam ſupernaturali per gratiam comparato. in quo quantopere hallucinetur alibi dicendum eſt. Nunc tantum dico, meritum entitatiuè non debere æquare præmium, vt Niphus falsò ſupponit: ac proinde res entitatiuè finita, omnino poteſt ſtatui meritum præmij entitatiuè infiniti, ſuppoſita præſertim conuentione inter muneratorem & operantem inita.

An beatitudo ſtatus puræ naturæ, infantibus qui nunc intincti obeunt, concedatur.

326. Et hactenus de formali beatitudine alterius vitæ in ſtatu puræ naturæ: paucis, ſi argumenti & rerum multitudinem ſpectes: multis autem ſi tenebras ſtatus illius, quem nec vnquam fuiſſe nec fore, initio monuimus. Non enim poteſt rependenda ei ſtatui beatitudo eſſe perſpicua, ipſo ſtatu, cui conſentanea fuiſſet, tantis tenebris obſcurato, & vnà cùm ea prorſus precluſo è rerum quandoque exiſtentium ſerie. Quod autem aliqui illam ipſam beatitudinem, quam in ſtatu illo homines accepturi fuiſſent, affirmant in præſenti ſtatu tribui paruulis illis qui cum ſola parentali culpa exceſſerint è vita, audiendi non ſunt, ſi abſque vlla temperatione ita loquantur.

Immeritò enim vocatur fœlicitatis aut beatitudinis ſtatus, is in quo peccatum mortale viget, quamuis inuoluntarium: itémque in quo locum habet carentia diuinæ viſionis, ad quam in præſenti ſtatu homo à Deo euectus fuit. At vtrumque hoc malum, in pueris illis perpetuum erit. Ex quo ſequitur eum puerorum ſtatum, eſſe ſtatum damnationis, & æternæ mortis; non autem æternæ beatitudinis cuiuſcunque. Idque vnum euincunt qui ſententiam illam de naturali puerorum cum ſolo originali decedentium beatitudine ſeueriùs notant, Petrus Soto lect. 6. de bapt. *in fine*, Bellarm. lib. 6. de ſtatu peccati c. 2. & 3. & Valent. 1. 2. d. 6. q. 17. p. 4.

Quoad cætera tamen, quæ nomine naturalis beatitudinis importantur, non renuo quominus dicatur pueros frui naturali beatitudine in ea menſura minima, quæ ſi inſtitutus fuiſſet ſtatus naturæ puræ, conceſſa fuiſſet pueris in ſtatu illo ante rationis vſum mortem obeuntibus. Hæc enim opinio, vt mitior, & dignitati naturæ rationalis ac diuinæ benignitati in pueros alieno tantùm, non ſuo actuali vitio miſeros, congruentior; ita & veriſimilior videtur, vt latius ſuo loco probatum eſt, additis etiam pluribus circa ſtatum puerorum illorum coniecturis, quas hic repetere non eſt huius inſtituti. Nec timeo infinitati quam in horum paruulorum cognitione & iucunditate conſecuturam timuit Gul. Pariſ. lib. de vitiis cap. 7. pedem idcirco retrahens, nec auſus quicquam hac in parte ſtatuere. Infinitum enim illud crementum perfectionis notitiæ Dei, quamuis in profunda pace & perpetuo conniſu; finitus modulus

virium humanarum, facilè excluderet.

Admittunt quod dixi Catharinus opuſc. de hoc argumento, Thyræus lib. de Chriſti apparit. ad indic. partic. cap. 9. Leſſ. lib. 13. de diuin. perfect. num. 144. & 145. Setar. lib. 1. contra Puccium cap. 8. num. 4. & plerique antiqui apud Carthuſianum in 3. d. 33. quæſt. 2. Itémque ex recentioribus plerique apud Salam 1. 2. tract. 2. d. 13. num. 24. & 25. qui latiſſimè idem confirmat & approbat n. 36. reprobaturus tract. 13. d. 11. n. 92.

ARTICVLVS V.

Eadem alterius vitæ beatitudo naturalis, Platonicis ænigmatibus adumbrata.

327. NAturalem alterius vitæ beatitudinem formalem, eiúſque adiuncta ex Philoſophorum mente; ad amuſſim tamen veritatis exacta, hactenus apertè, & quantùm res tulit, abſque inuolucris expoſuimus. At quia Plato, hæc ipſa, ænigmaticè quidem, ſed tamen elegantiſſimè, & ad iucundè reficiendam lectoris mentem accommodatè tradidit; iuuat paucis in id excurrere. Ænigmatum enim apud priſcos Philoſophos plena fuiſſe omnia, obſeruat latè Fabius Paulinus libro 7. hebdom. c. 7. & Franciſcus Georgius in harmonia mundi cantico 1. ton. 2. c. 8. & ante eos. Macrob. l. 1. in ſomn. Scipion. c. 2. impugnans Colotem Epicureum, à quo fabulæ in re philoſophica improbatæ, & Platoni eas frequenter vſurpanti, dica impacta. Item Maximus Tyrius diſſert. 29. hanc, (vt appellat,) priſcorum ſapientum in occultanda veritate reuerentiam collaudans; quòd eorum quæ expoſita facilè vileſcunt, ſpecioſior interpres ſit fabula. *Ea enim*, vt idem rectè dixit, *humanæ mentis impudentia eſt, vt quæ expoſita ſunt, minoris faciat, quæ abſtruſa, vehementer admiretur. Res enim occultas coniectura ſoles accedere, rationiſque inueſtigare beneficio, quas priuſquam inuenis, quæris; poſtquam inuenis, tanquam opus ſuum amas.* Simili ratione illorum ſapientum, qui ferè etiam Poëtæ erant, artificium in occulendis & tegendis diuinis rebus, collaudat Dio Chryſoſtomus orat. 36. approbans quod maluerint rudes apparere, quàm aperte efferre, quæ celata conueniebat. Quo ipſo modo conſilium diuinum in ſcripturarum obſcuritate, crebríſque parabolis ac ſymbolis, approbat S. Auguſtinus 2. de doctr. Chriſtiana c. 6 & Chryſologus ſermone 96.

Platos Ænigmatiſtes.

Hoc itaque ſcribendi genus fuiſſe Platoni familiariſſimum notat Syneſius in præfatione libri de inſomniis, docéntque illa apud Platonem paſſim, obuia de Ioue aurigante, & volucri curru, de exercitu Deorum diſtributo in acies duodecim: de amore ex Poro & Penia genito: de reuolutionibus in fuſo ſororum, aliáque à Tyrio ſuperius annotata. Sed illuſtriſſimè quæ de fœlicitate alterius vitæ, in Phœdro præſertim ac Timæo, & l. 7. de Repub. ſub ſymbolis aſcenſus animi iam purgati & ſanati priſtiniſque alis inſtructi propoſuit, ex Scripturis ſuffuratus vt obſeruat S. Ambroſius l. 3. de Virginibus.

Ego hîc ex eis pauca attingam. Qui plura deſiderabit, habet vnde ſitim affluenter reſtinguat, apud Chriſtophorum Marcellum operis de anima lib. 6. à cap. 42. ad 63. & apud Stephanum Conuentium libris ſex de Platonico aſcenſu mentis in Deum, & apud Symphorianum Camperium lib. de vita ſupercœleſti cap. 1. & 2. Itémque apud Ficinum in Platonica Theologia lib. 8. à cap. 4. & alibi infinities; & denique apud Neotillæum lib. 2. de pulchritudine animi c. 6. Vt omittam Plotinum variis libris, & Proclum de anima, Tyrium, alióſque ex ea ſchola antiquos, quibus nihil frequentius. Selegit ex eis non pauca Stobæus in Eclogis phyſ. cap. 40. §. *de deſcenſu*. Plurima etiam in hanc rem, ſed ferè abſque ænigmatis, tradit homo Platonicus, author Theologiæ Ægyptiorum, quæ tanquam ex opere Ariſtotelis vnum collegit Fauentinus lib. 6. de immortalit. c. 43.

Deſcenſus animæ, vna adumbratio ex Phædro.

328. Verùm quia Plato & Platonici, prædictis vocibus *aſcenſus in Deum*, inſigniunt collationem fœlicitatis: Aſcenſus autem iuxta eoſdem ſupponit deſcenſum, breuiter præmittendum eſt, quid ſit deſcenſus ille iuxta Platonem, de quo non eſt facile ſtatuere, vt notauit etiam Plotinus Ennead. 4. lib. 8. cap. 1. Varia enim de huiuſmodi deſcenſu dixiſſe videtur, vt conſtabit conferenti, quæ de eo habet in Timæo, cum iis quæ habet in Phœdro *ſub medium*: vbi deſcenſum illum ita deſcribit, vt per alarum defluxum contigiſſe dicat: qui defluxus ſiue confractio tunc accidit, cùm malè adminiſtratur aurigatio. Animæ enim conditionem & modum quo regitur cum aurigatione confert ibidem Plato: & ex vna parte currum, eúmque alatum, ex alia verò parte equos, partim bonos, partim malos apparat: & denique aurigam dominantem; ex quo grauem & difficilem effici animæ noſtræ vectionem ac gubernationem profitetur.

Igitur de Platonis mente, animæ priuſquàm corpori immittantur, aliæ aliorum Deorum in cœlo comites fiunt: atque in contemplandis ideis, ſimulem cum Deo ſuo diſcurſionem pro viribus conficiunt. Et quidem quatenus imitari Deos valent, retinentur apud ſuperos: cùm verò malè equus ad terram vergens, & ipſo pondere inclinans deorſum propulerit animam, confractio in ea alarum efficitur, & inebriatio ac dementatio per alligationem ad corpus: in quo tandiu animæ hærendum eſt, donec alis renaſcentibus, penniſque recuperatis, inſupérque refecto curru, regrediatur in cœlum.

Quid hiſce ſymbolis deſignetur, varij variè exponunt, vt latè refert Marcellus ſuprà c. 44. Commodiſſimè tamen & ad Platonem accommodatiùs dixiſſe videntur, qui alas interpretantur intellectum & voluntatem. Ala dextra intellectus eſt, & ille ad veri intuitum inſtinctus, qui animæ conſertus eſt ab exortu. Ala ſiniſtra eſt voluntas, cuius pennæ ſunt, deſiderium honeſti & inſtinctus ad bonum. Has alas per immiſſionem in corpus confringi ait Plato, quia corpus, quod corrumpitur aggrauat animam, & ſenſum eius deprimit; ita vt anima mole carnis præpedita neque intellectu ad verum, neque voluntate ad bonum expeditè aſſurgat. Contigiſſe autem caſum, & conſecutam illum confractionem, ex equorum malorum deuiatione, exiſtimat: quia, vt eum interpretatur Clemens Alexandrinus 5. Strom. c. 4. appetitus mali, (quos malos equos nominat;) cauſa fuerunt, cur anima demitteretur in corpus, quod iuxta Platonis errorem, veluti carcer eſt animæ ac ſepulchrum: Ita vt anima, in illud demiſſa ſit, in pœnam non rectè conformatæ vitæ, cum ſola degeret ante immiſſionem in corpus: quod Plato in Cratylo ex Orpheo refert, annuúntque alij apud Clementem Alexandrinum . Stromatum cap. 2. vbi etiam idcirco additur, dictum fuiſſe corpus σῶμα quaſi σῆμα.

Alligationem

Alligationem & inebriationem, ita exponit Po-phyrius lib. . de ab inent. [Duæ ſunt propagines vinculorum, quibus anima in hac vita irretitur, nec non veluti mortiferis inebriata poculis in obliuione ſibi inſitæ contemplandi facultatis, marceſcit; voluptas, inquam, & triſtitia: quorum ſenſus eſt opifex, & quæ ſecundum ſenſum fit præſumptio, ſensúſque comites phantaſiæ, opiniones, memoriæ. Ex his exſuſcitati appetitus, & tota dementia ſaginata à proprio domicilio, deorſum agit animam, atque ab amore verè entis auertit.]

Hoc igitur eſt Platonis in Phœdro de animæ deſcenſu ænigma. In quo Platonem, receptam apud Pythagoræos doctrinam expreſſiſſe docet Hierocles ad v.54. Pythagoræ, adducens locum Empedoclis Pythagoræi, confirmatque denuo ad v.65.

Altera, ex Timæo.

329. At in Timæo parte 2. aliter exponit Plato deſcenſum animæ ad corpus. Imitatus enim Triſmegiſtum in Pimandro, fingit Deum ſingulares animas producturum in eodem cratere, in quo mundi totius animam permiſcens, temperauerat; ſuperioris temperationis reliquias, miſcendo perfudiſſe, deinde aſtris parem animarum numerum diſtribuiſſe, ſingulis ſingulas adhibentem, eiſque tanquam vehiculo impoſitis, leges fatales edixiſſe, oſtendendo primam quidem omnibus generationem ordine quodam vnam fuiſſe: Satis autem, & quaſi ſparſis per ſingula corpora animabus ſingulis, exoriturum hominem, qui cum paſſionibus & affectibus corporeis luctans, vel eis turpiter ſe dedens, iuſte vel iniuſtè victurus eſſet, præmium vel pœnam ſuo tempore conſecuturus.

Quid his ſymbolis ſignificetur, ſi Platonis error de animarum ante corpora in ſuperiori mundo præexiſtentia perſpectus habeatur, obſcurum non erit, fuséque declarat Plotinus l.1. de dubiis animæ, & lib. de deſcenſu animæ in corpus, Macrob. lib. 1. in Somn. Scipion. c.11. & 12. Chalcid. Theod. Aſin. Foxius, aliique, qui Platonis Timæum ſunt interpretati.

Tantùm obiter attingendum eſt, quid ſit vehiculum illud, cui impoſitas eſſe animas, & per quod eas ab intelligibili natura in corpus delabi, de Platonis mente retulimus. Quem enim in Phœdro currum dixit, hunc vehiculum voce latius patente in Timæo appellauit, vt notauit etiam Ficinus lib. 18. Theologiæ Platonicæ c. 4. Quamuis autem vnius duntaxat vehiculi eo loco explicitè meminerit Plato; tamen apud Platonicos triplex eſt animarum vehiculum. Primum æthereum, in quo ſcilicet omnes animi à Deo facti ſunt merè intellectuales, nec vllo adhuc irretiti corpore. Secundum, aëreum, in quo animi ſpiritum accipiunt ab elementari aëris natura. Tertium denique, terreum quod ſubeunt cùm corporibus illigantur. Primo vehiculo reſpondere dicunt mentem & rationem, quæ eſt prima animi pars Deo ſimillima: Secundo, accommodant communem ſenſum: Tertio, ſingulares ſenſus corpori annexos & patibiles.

Hæc ergo tria fingunt Platonici in animarum ad corpora delapſu interuenire, tanquam gradus per quos deſcendunt in corpora, ad ſignum cancri, vt exponit Macrobius 1. in ſomnium cap. 12. vbi nona ebrietati ſopiri dicuntur in Phœdone, contraheréque obliuionem illam quam veteres, ait Macrobius, Lethæum fluuium vocauerant. Diſſerit de his vehiculis copiosè Marcellus ſuo 6. de anima cap.45. poſt Syneſium libro de inſomniis, in quem locum Nicephorus Gregoras, Platonis verba latè adſcribit, quibus animæ deſcenſus & vinculatio deſcribitur.

Platonicus animæ aſcenſus, priori deſcenſui reſpondens deſcribitur.

330. Sic ſuppoſito animarum deſcenſu, facilè erit earum aſcenſum, & regreſſum in priores ſedes, ex Platonis mente deſcribere & intelligere. Aſcenſum autem hic intelligo, non imperfectum illum; qui nobis hîc diuina contemplantibus conceditur, de quo Auerroës in procemio libri de beatitudine animæ, & author Theolog. Ægypt. libr. 9. cap. 4. ſed perfectum illum, quem libertatem à corpore ſubſequi, Plato affirmat. Et iuxta priorem quidem deſcenſum ex Phœdro expoſitum, po quam alæ in deſcenſu confractæ ſalutaribus aquis inſperſæ ac nutritæ reuenerunt in ſtatum priſcum, conceditur animæ facultas remeandi, relicto in terris corporis oſtreo, & conceſſo animæ tranſitu in Deum, iuxta illam Pythagoræ verſuum clauſulam. *Si corpus reliqueris, & purificatus ad æthera veneris, eris immortalis, Deus, incorruptibilis, non amplius mortalis. Hic finis laborum optimus.*

Hæc à Platone fuiſſe expreſſa, & ibi, & in præfatione ad ea carmina docet Hierocles, ex quo in priore loco pauca adſcribo, quæ perpulchrè Pythagoræ & Platonis mentem explicant. [Qui per hæc, *inquit*. pergunt, verè bonis vniuntur, atque à laboribus huius terrenæ vitæ, tanquam ab aliqua ſubterranea ſpelunca, liberantur, & ad æthereos ſplendores adducuntur, & in beatis inſulis collocantur: his theſaurus & præmium reſeruatur: Sed nefas eſt quempiam ad genus Deorum accedere, niſi illum qui animo veritatem acquiſiuerit & virtutem, & in ſpirituali ipſius vehiculo, puritatem. Sic enim ſanus atque integer ſpe animus factus, ad primi habitus ſpeciem reſtituitur, per rectarum ſententiarum vnitatem, ſeipſo fruens, & totum diuinum ornamentum recognoſcens, & opificem huius totius inueniens. Sic poſt purificationem, quantum poſſibile eſt, vt ſemper ſunt ij, qui in generationem naturalem non recidunt, ſed ad ipſum Deum reducuntur. Corpus verò congenitum habentes, loco egent, quem inquirunt ex ordine in aſtris tanquam ſedem. Conueniens quidem ex hinc tali corpori locus, ſub luna propinquo. Nam & terreſtria corpora ſupernat, & à cœleſtibus ſupernatur, quem locum Pythagoræi æthera liberum appellant. Æthera quia locus eſt ſine materia, & perpetuò liberum, quia terrenis paſſionibus purgatum & ſolutum eſt.] Hæc ibi: omitto enim quæ fuſiùs ſtatim proſequitur de animarum tranſcriptione in Deos, eò quòd vitam in poſterum degant corporis ærumnis ſolutam; & Deorum, hoc eſt, intelligentiarum incorporearum modo. Ad verſum item 95. fusè diſſerit de purificatione ſpiritualis vehiculi, quam conſequitur perfecta ſanatio alarum animi.

331. Eandem purificationem latè exponit Plotinus Enneade 1. libro 2. capite 4. & 5. & ibidem, libro 6. capite 6. & dilucidè Porphyrius libro 1. de abſtinentia, ex quo idcirco nonnulla decerpo præciſis quàm plurimis tametſi in hanc rem illuſtribus. *Ad illud inſpectabile labéque carens domicilium properantibus reditum, enitendum erit, geminis velut alis, duplici meditatione. Vnâ quidem ſecundùm quam mortale omne materiaque cognatum deponimus: alterâ quâ reditum molimur, & ad ea nos è contra recipimus vnde decideramus. Intelligentes enim eramus, & ſumus, adhuc, ſubſtantia ſenſus omnis & dementia expurgata, ſed impotentiam æternæ congreſſionis cum rebus ſub intelligentiam cadentibus, implicati ſumus cum rebus*

ſub ſenſum cadentibus, per potentiam verò eius, explicatis. Omnes ſiquidem cum ſenſibus & corpore cooperata potentia, anima non manente ἐν τῷ αὐτῷ, læduntur, ſimiles terræ prauitati, quæ pro frumenti ſemine ſibi mandato, lolium rependit. Ita fieri conſueuit in communis anima virtutum ſeminibus, quæ prauitate quadam vitia producit, incorruptâ tamen manente à vitiorum generatione eius ſubſtantiâ: propterea quòd immortalis cum mortali copulata à proprio domicilio deturbatur. Quare pro viribus enitendum, ſi velimus ad propria conuerti ſtudia, vt abſcedamus à ſenſibus, phantaſia, eiúſque comite dementia, & qui ad eam referuntur, affectibus, in quantum non vrget generationis & genitis conſeruandi neceſſitas. Cùm etiam perpolienda & conformanda ſunt, quæcunque ad mentem referuntur; ipſique pacem & quietem ex bello contra dementiam fœliciter geſto comparandam, vt non ſolùm bene audiamus de mente & de rebus ſub intelligentiam cadentibus, ſed etiam pro viribus ſimus ipſius compotes; contemplati, vt extra corpus conſtituti viuamus verè per ipſum. & ſine cognatorum corpori ſenſuum & ſuorum obiectorum deceptione. Exuenda igitur ſunt nobis multiplices veſtes, ſpectabilis & carnea, interiúſque cutaneis contigua, vt nudi ſtadium percurrentes, olympica animæ certemus certamina. Multis cum Porphyrio de hac animæ purgatione agit S. Auguſtinus 10. ciuit. à cap. 23. ad finem vſque libri, & cum Longiniano Ethnico Philoſopho epiſt. 22.

332. Hanc purificationem, & alarum renouationem, ſequitur reductio ad Deum, (de qua Hierocles poſteriore loco ſuperius allegato) itemque in ſummam voluptatem immerſio, ex contuitu eius, qui verè eſt; quas eſſe veras epulas Plato in Phœdro ſcitè dixit; ſubdens, tunc quoque equis ad præſepe alligatis apponi ambroſiam, & præter ipſam, nectar quoque ad potandum præberi: & deinceps, animas Deorum vitam viuere excurrentes in campo veritatis, quando & quandiu libet. Equos illos appetitus dici; (cætera enim perſpicua ſunt, & quo ſpectent, nemo non videt,) iam ſupra expoſuimus, ſignificatúrque eos quoque ex animæ plena ſatiatione refici abundè: ita vt omnes animæ partes ſynceriſſimis, ac in explicabilibus voluptatibus perfundantur.

Sed quod priore loco allegato, Hierocles animæ è corpore exitum vocat liberationem quaſi è ſubterranea ſpelunca; expurgatúmque & ſecratum mentis habitum, id eſt, animæ oculos, ad contuitum veri ſolius intelligibilis propoſuit; alluſum vtique ab illo eſt ad ea quæ initio ſeptimi de Repub. latè traduntur apud Platonem, breuíque compendio ſic comprehenſa ſunt ab Alcinoo in Epitome cap. 20. alias 27. cùm enim præmiſiſſet fœlicitatem noſtram, iuxta Platonis mentem, in Dei cognitione ſitam eſſe, ita concludit. *Quare Philoſophorum animos rerum magnis & admirandis voluptatibus abundare ait, & à corpore ſeparatos, Deorum conſuetudine atque conſeſſu frui, vitam illis habitantes, & veritatis campum perluſtrantes:* Veritatis campum, nominat ſedem fœlicitatis, imitatus Hippocratem epiſtola 1. ad Philopœmenem, qua illuſtriſſimè regionem veritatis deſcribit: Et nonnulla etiam iis affinia habet, ſecunda ad eundem Philopœmenem epiſtola, in ipſiuſmet veritatis delineatione.

Cauſam autem perluſtrandi per philoſophicos animos campi veritatis, hanc ex Platone, continenter prodit Alcinous, *Quoniam in vita illius cognitionem extremitus, eiuſdémque ſtudium omnibus aliis poſthabitis coluerunt. Cuius beneficio cùm illi repugnarent, atque recrearint animi quaſi oculum, (qui extinguebatur, & exiccabatur, dignior tamen conſeruatione innumeris oculis;) ad vniuerſi quod ratione praditum eſt, naturam comprehendendam apti effici potuerunt. Amentes enim his ſimiles eſſe, qui in ſubterranea ſpelunca vitam degentes, ſplendidum lumen nunquam intuiti; cùm tenues quaſdam vmbras eorum corporum, quæ apud nos ſunt, vident; arbitrantur ſe ea quæ ſunt apertè videre. Vt enim hos ſi quando datum ſit è tenebris in lucem prodire, credibile eſt illa omnia quæ antea viderant contempturos, ac ſeipſos multò magis, quaſi fuerint deluſi: ſic & eos qui ex huius vitæ denſa caligine ad ea quæ verè diuina ſunt & pulchra, ſe conferunt, rationi congruum eſt ea quæ quondam admirati ſunt, aſpernaturos, ardentioremque in illis contemplationis diuinorum atque pulchrorum cupiditatem futuram.* Illuſtrauit longo commentario, hunc Platonicum è carcere ac tenebris, ad veram lucem progreſſum; Stephanus Conuentius toto libr. 5. de aſcenſu mentis in Deum, & Marcellus lib. ſuo 6. de anima à cap. 48.

Altera deſcriptio aſcenſus animæ, reſpondens deſcenſui poſteriùs expoſito.

333. Iam verò poſteriori deſcenſui, quem ex Timæo expoſuimus, reſpondet aſcenſus ibidem expreſſus; nempe quo animæ poſt vitæ corporeæ curſum peractum, dignam mentis ſortem accipiunt. Quæ enim aliter quam ex rationis præſcripto ſe geſſerint, nec ita grauiter deliquerint, mulctari primum dicuntur, demiſſione noua in corpus muliebre. Quod ſi ne ſic quidem congruè ſe geſſerint, transfundi in belluina corpora, alia ſemper atque alia, donec reſipuerint, & vitiorum maculas omnino abſterſerint. Hæc quia ad animarum ſupplicium pertinent, miſſa facio. Tractantur autem pleniùs à Platone, in Gorgia & Phœdone dialogis.

At animæ quæ laudabiliter exegerint corpoream hanc vitam; (quas paucas fore conteſtatur in fine Epinomidis, idémque in eiuſdem dialogi initio præmiſerat; quod ex eo initio aduertit Clemens Alexandrinus 5. ſtromat. cap. 1.) Eæ inquam paucæ animæ, tandem curſu peracto, vt in Timæo additur, ad illud aſtrum, cui accommodatæ initio fuerant, reuertuntur, ibíque beatam vitam agunt; quæ cuiuſmodi ſit, fuſiùs ibi non exponitur, ſed plenè in Phœdone, & in Socratis Apologia, & lib. 10. de Repub. Multi in eodem argumento ex Magiſtri ſenſu ſunt Plotinus lib. de rationali exitu ex hac vita, Macrobius in ſomnium, Ficinus lib. 18. Theolog. cap. 8. & 9. Pleraque ipſe ex Platone, aliiſque Platonem ſecutis retuli in Naturali Theologia d. 8. quæſt. 4. art. 5. quæ hic repetere operæ pretium non eſt.

Tantùm, ne nihil dicam, attexo partem longioris diſputationis, quæ à Themiſtio ex Platonis ſententia inſtituta eſt apud Stobæum ſerm. 121. vt declararet quæ illa ſit migratio & diſceſſio, quæ mortem obeuntibus tribuitur; quod primùm, diſcuſſis vocum notationibus, perpulchrè in hunc modum præſtat. [Videtur ipſum τοῦ θανάτου, (id eſt, mortis) nomen, hominem è vita migrantem, non ad locum aliquem ſub terram referre, ſed extollere ἄνω εἰς θεόν: (hoc eſt, ſurſum ad diuinam ſedem.) Sic enim probabile eſt, animam veluti à vinculo corporis, quod expirauit, ſolutam, tum demum verè reſpirantem ſeque recreantem, Deo ſociari, & ab eo pendere. Deinde morti oppoſitam τὴν γένεσιν, (id eſt, generationem) contemplare, quomodo contrarium quid indicet, nempe inclinationem quandam deorſum, νεῦσιν ἐπὶ γῆν, (id eſt, nutationem in terram,) cùm rurſum deſcendit illa pars, quæ moriente homine aſcendit, vnde genethlium, hoc eſt, natalem diem vocant ὡς ἀρχὴν γενέσεως ἄλλων, (id eſt, eo quòd principium ſit certaminum

taminum & laborum multorum.) Sed potiùs ab altera parte & manifeſtiùs hoc idem perſpicienus Morientem enim ſolui dicunt, & mortem vocant ſolutionem. Et corpus Græci δέμας nominant, tanquam anima ab eo hoc in loco præter naturam δεδεμένη, id eſt, ligata ſit. Nihil enim vbi naturaliter verſari ſolet, vi aut vinculis ibi retineri opus habet. Hinc & vocabulo à vi deducto, vitam nominarunt. Græci autem βίον ἀπὸ τῆς βίας: ſicut ſe ὅπλον Homerus βιὸν vocat. Quamobrem contrario violentiæ ſenſu, defunctum quieſcere vulgò dicunt, vt qui ab ingenti & præter naturam neceſſitate liberatus ſit. Ita periſſe dicimus animam, vbi mutata eſt, & ad vniuerſi ordinem reuerſa: quod in corpore viuens, fore neſcit, antequam moriatur.

Subdit perpulchram, mortis & conſequentus eam ſtatus, cum initiatione collationem, lectu digniſſimam. [Mortis autem affectum ſubire, ſimile eſt initiationi in magnis aliquibus ſacris. Quocirca vt ipſa vocabula, ſic etiam res inter ſe conſimiles ſunt. τελευτᾶν enim mori eſt. τελεταὶ ſacra, τελεῖσθαι initiari. Primum errores vitam occupant, & diſcurſus fatigantes, ac veluti per tenebras itinera ſuſpecta & inutilia fiunt. Dein ante finem vitæ nihil non graue ſuperuenit, horror; tremor, ſudor, ac ſtupor. Poſt mortem verò mirabilis quædam lux occurrit. Loci puri & amœna prata defunctos excipiunt, in quibus voces, choreæ, & venerabiles de rebus ſacris narrationes reſonant: Illic homo iam perfectus, initiatus, ſui iuris factus, & liber, coronatus obambulans ſacra celebrat, & conuerſatur viris ſanctis puriſque, profanam in terra & impuram turbam inſpiciens, quæ in cœno & caligine à ſeipſa conculcatur & compellitur: mortis autem metu & dubitatione de meliori defunctorum ſtatu, in terreſtribus malis permanet.] Hæc ibi, in quibus alluſum ad Platonicam de loco beatorum doctrinam, perſpicuum erit, iſta cum iis, quæ locis allegatis apud Platonem habentur, conferenti.

334. Porro alij Platonici paſſim, initiationem, de qua proxime inaudiſti, tranſitum animæ in dæmonem nominant, de quo cum ex Triſmegiſto cap. 10. Pimandri, & aliis pleriſque, plurima ſuppetant, vnico Maximi Tyrij loco, quo accuratè deſcribitur, contentus ero. Ita habet diſſertat. 27. *Propone tibi exempli gratia, nauem, quæ medius quidem in fluctibus verſetur: ſic tamen vt plurimis rudentibus petra cuidam ſit aſtricta, quorum alter alteri annexus, in petra ipſa, quæ firma eſt & immobilis, affixus deſinit. Eo modo corpus quod medio in æſtu maris fluctibúſque deprehenſum iactatur aſſiduo compellitúrque, continet anima, anima in tutum recipit, ſiſtitque. Simul verò ac nerui hi ſpiritúſque, & reliqua, quæ tanquam retinacula ſunt, quibus tamdiu anima adhæſit corpus, deficere incipiunt, perit illud mergitúrque: Illa contrà, ſua ſponte enatat, ſe ipſa continet, firmáque manet. Talis animorum denique dæmon vocari incipit; res videlicet cœleſtis, in hanc coloniam è terra tranſcripta.*

Illuſtrat hunc tranſitum duplici egregia comparatione, quæ quod rem bellè exponat, dimittenda non eſt. [Vt ſi quis è Barbaris ad Græcos, aut ex vrbe, quæ ſine legibus ſuis, ex præſcripto tyranni viuit, aſſiduiſque factionibus agitatur, in aliam quæ æquis legibus, iuſto Rege, tranquilla pace fruitur, transferatur. Haud longè mihi abire ab Homerica imagine hæc res videtur. Qui Vulcanum fingit aureo in clypeo duas ſculpſiſſe vrbes, in quarum altera ſunt]

——— conuiuia, feſtus & Hymen

[Et tripudia, & cantus cæterúmque magna copia. In altera verò; bella, contentiones, rapinæ, pugnæ, vlulatus, luctúſque audiuntur, & gemitus. Hoc inter terram intereſt & cœlum. Ibi enim longa ac profunda pax eſt, cantúque ac diuinis choreis plena ſunt omnia. Hic vario diſſonóque ſtrepitu infinitis negotiis omnia miſcentur.]

Reuenit ad tranſitum animæ in dæmonem cui propoſitis comparationibus proluſum. [Cùm ergo ex his locis eò ſe contulerit anima, corpúſque ſuum exuerit, ac terræ corrumpendum reliquerit, eodem tempore ac lege, dæmon fit ex homine, puriſque oculis ſpectacula ſua intuetur, nulla corporis obducta caligine, nulla figurarum diuerſitate turbata; nulla aëris denſitate intercluſa; ſed ita vt ipſum pulchrum oculis intueatur ſuis; plenóque perfruatur gaudio. Hîc de vita præterita cùm cogitat, miſeretur ſui; cùm de præſenti, gaudet & gratulatur ſibi. Deplorat & cognatas ruinas, quæ adhuc in terris voluuntur; velletque quo eſt erga homines amore; verſari cum illis, labantéſque fulcire. Munus hoc illis interea à Deo impoſitum eſt, vt cuicunque hominum generi, cuicunque fortunæ, animo atque arti aſſiſtant.] Sic acceptum animæ tranſitum in dæmonem conſtat non eſſe ſubſtantialem, qualem à quibuſdam Ethnicis confictum pro animabus cæſorum, referam infra cùm de iniuria homicidij, & latè exagitat S. Chryſ. hom. 29. in Matth. aiens hæc eſſe verba vetularum, & ludicra commenta puerorum.

Dilucida ænigmatum propoſitorum euolutio, ex ipſomet Platone.

Verùm priuſquam fabularum hactenus propoſitarum faſtidium abſtergam, & lucem ænigmatibus conciliem, ſubdo eiuſdem Tyrij monitum diſſertat. 1. *Subſiſte paulatim*, alloquitur criminantes obſcuritatem in Platonicis iſtis allegoriis, *illud ipſum hic fit quod in illis qui metalla effodiunt. Qui cùm terram ipſi cædant, aurum educant, eius tamen naturam dignoſcere non poſſunt: ſed aliis hoc relinquunt qui admoto igne explorent. Ego primam Platonis lectionem metallo ſimilem facio; & quidem auro mero. Quod deinde ſequitur, aliam artem requirit, quæ examinare id quod habet, & rationis ſubſidio tanquam igne purgare poſſit: atque ita aurum purum exploratúmque ſatis, ad vſum ſuum conuertere. Si nobis ergo veritatis ipſius non minus quam auri, vena manifeſta eſt & quidem copioſa atque opulenta, nec minus tamen alia arte opus eſt, quæ hoc ipſum exploret.*

335. Eam tamen ego extra Platonem non quæſiam, & annuet qui legerit illuſtriſſimam fælicitatis noſtræ deſcriptionem, quæ habetur apud eundem Platonem in conuiuio: vbi Diotima Socratem erudiens, animabus ritè hic excultis ſpondet, fore vt ad immenſum pulchritudinis pelagus ſeſe prouehant, ibique prorſus immergantur, vnicæ de pulchro ſcientiæ intendentes. Illud autem pulchrum, eiúſque perceptionem vt explicet vtcumque, monet Diotima annitendum eſſe mentis viribus quantum licuerit: nec labori parcendum in illius obiecti prægustatione tentanda, cuius gratia omnes ab homine labores ſuſcipi par eſt. Sic præfata, pulchrum illud cuius perceptione beandi ſumus, ita adumbrat. [Primum quidem illud ſemper eſt; nec fit, neque interit; neque creſcit vnquam, neque decreſcit. Præterea non hinc quidem pulchrum illinc turpe; vel modò pulchrum modò non: neque illius quidem ratione pulchrum, huius autem, turpe: vel hîc pulchrum, illic, turpe; vt quibuſdam pulchrum ſit quibuſdam non item. Neque verò hoc pulchrum imaginatione ita fingetur quaſi vultus quidam pulcher, aut pulchræ manus, aut aliæ quædam corporis partes, aut earum rerum, quæ

corpori accidunt. Neque vt pulchra quædam oratio; neque vt quædam ſcientia : neque in alio quodam ineſſe : veluti in animali, vel in terra, vel in cœlo vel in aliqua quapiam re : ſed (vt aiebamus), pulchrum illud de quo nunc inſtituta eſt à nobis oratio. IPSVM EX SEIPSO, SECVM, VNIFORME, ET SIMPLICISSIMVM ESSE : alia autem omnia, illius ſummi pulchri participatione quadam & precaria vi pulchra modo quodam dici, ea tamen lege & conditione, vt cùm alia pulchra & fiant & pereant, nihil illi ſummo pulchro vel accedat, vel decedat, nulla denique affectio ſiue qualitas in ipſum cadat.

Vidit Diotima, hanc diuini pulchri delineationem, longiſſimè à prototypo abeſſe, nec animum explere. Vt neque ſanè cum explent alia quam plurima quibus ex Trismegiſto, Platone ac Platonicis, nonnullíſque etiam Patribus diuinam pulchritudinem vtcumque exprimere tentauimus, in Natur. Theol. diſt. 7. quæſt. 3. toto art. 3. Itaque manuductionem ſubminiſtrat, quæ ad ipſum vitæ & pulchritudinis fontem deducat : Vt in ea tenui imagine, cuiuſmodi futura ſit ſummi pulchri contuitio perfectè beans, & noſtram pulchri ſitim exſatians, deprehendere vtcunque liceat. Sic itaque pergit.

[Quum verò aliquis ab his rebus inferioribus ex legitimo amore ducens progrediendi initium, ſummum illud pulchrum inceperit perſpicere, & contemplari, ipſum iam finem penè attigerit. Hic eſt enim legitimus ordo ad res amatorias progrediendi ; vel ab alio duci, incipientem videlicet ab iſtis pulchris, illius ſummi pulchri gratia, ſemper regredi ad ſuperiora : Veluti gradibus quibuſdam, ab vno ad duo, à duobus ad omnia pulchra corpora ; & à pulchris corporibus ad pulchra vitæ officia & inſtituta ; & ab officiis ad doctrinas & ſcientias ; à diſciplinis denique illis multis, ad SVMMAM ILLAM DOCTRINAM peruenire, quæ non alterius cuiuſlibet rei, ſed illius ipſius pulchri tantùm, ſit doctrina : Atque ita demùm, ipſum illud ſummum pulchrum cognoſcere atque intelligere. Hoc nimirum vitæ genus (ait mulier illa vates) ſi quod aliud vſpiam, vitale eſt homini ipſum illud ſummum pulchrum contemplanti.]

Vita beatorum, ſola vita.

336. Quod ait, hoc eſſe vitæ genus homini maximè vitale, ſummum illud pulchrum contueri atque cognoſcere, alluſiſſe videri poteſt ad Pythagoræorum doctrinam expreſſam à Hierocle ad verſ. 53. Pythagoræ, vbi ſola ferè intellectiua vita, habetur digna vitæ nomine, præ vita ſenſuum affectibus permixta, qualem hic viuimus, eóque trahitur illud Heracliti, nos cum ſuperis comparantis, dicentíſque. *Viuimus illorum mortem, mortui ſumus illorum vitam.* Id autem Heraclitum à Moſe accepiſſe, notat Philo in fine libri primi allegoriarum, tractans illud, *morte morientur.* Obſeruat enim, illud, *morte mori* ſignificare mortem, non naturalem, cuius expers eſt anima rationalis, ſed pœnalem. *Naturalis porro eſt*, inquit, *per quam anima ſeparetur à corpore : pœnalis verò, cùm anima è virtutis vita emoritur, & viuit in vitiis. Quam opinionem Moſis ſecutus propemodum Heraclitus. ait :* viuimus illorum mortem, mortui ſumus illorum vitam. *Ac ſi dicat, nunc cùm viuimus, mortuam eſſe animam, & tanquam monumento inſepultam corpori. Quod ſi mortui fuerimus, tum demum animam viuere vita propria, liberatam à malo, mortuo vinclóque corpore :*

Rurſus idem Philo libr. de profugis vt eſt in ſcripturis ſcrutandis, & ad Platonica myſteria moralémque doctrinam aptandis, ſolers ac diligens, ita ex ſuo ſenſu circa eandem phraſim philoſophatur. *Cùm ſcriptæ leges nullo vno verbo ſuperuacaneo, quod a per humanam loquacitatem excidunt, haſtaus intra meiſ ſum, eum homicidam voluntarium non modo mori pronunciet, ſed morte mori. Quid enim aliud morientes quàm mors enecat ? Adita igitur muliere ſapiente, cui nomen deſcepatio, deſij quærere. Ea reſpondit, malos etiamſi ad extremum pertingant ſenium, eſſe mortuos, quòd virtuti non viuant : probos verò etiamſi disiungantur à corpore, ſortitos immortalitatem in ſempiternum viuere.* Subdit in eam rem aliquot ſcripturæ oracula.

Nihil verò frequentiùs apud Auguſtinum, alióſque Eccleſiaſticos Doctores, quàm huiuſmodi mors animæ per receſſum à bono. Vide Auguſtinum 13. ciuit. cap. 2. & lib. 20. cap. 6. & S. Gregor. libr. 6. epiſt. 31. Laurentium Iuſtinianum libro de ſpirituali animæ interitu, & optimè omnino Baſilium in Pſalm. 48. ad illud, *Sepulchra eorum, domus illorum in æternum* ac ſplendidè Chryſoſtomum hom. 28. in Matth. *in mortuis.* Pulchrè Seneca epiſt. 60. in fine. *Hos (vt ait Salluſtius) ventri obedientes, animalium loco numeremus, non hominum : Quoſdam verò ne animalium quidem, ſed mortuorum. Viuit is qui ſe vtitur. Qui verò latitant & torpent, ſic in domo ſunt, quaſi in conditiuo. Horum licet in limine ipſo nomen marmori inſcribas mortem ſuam anteceſſerunt.* Sed & Hierocles ad primum Pythagoræ verſum (vt vnde diuerteram eò reueniam) luculenter pro Ethnico idem exponit. Denique Porphyrius l. 4. de abſtin. ex Democrate ait : *Viuere laſciue, impie, & imprudenter, non eſſe malè viuere, ſed ſenſim mori.*

Aliam tamen animæ mortem Philoſopho optandam, qua anima moritur vitiis, & cupiditatum dulces inſidias reliquáſque omnes exuitur paſſiones, ex Platone exponit Macrobius lib. 1. in ſomn. cap. 13. Et hanc eſſe philoſophicam mortis meditationem ex Platonis Phœdone notat Theodoretus 8. contra Græcos, annuítque Clemens 5. Stromat. cap. 1. & ex Pythagora S. Hieronymus in fine Apologiæ aduerſus Ruffinum, quamuis vt Plato ex Pythagora profecit, idem S. D. epiſtol. 26. hanc philoſophicam mortis meditationem, Platonicam nominet. Apud Iamblicum l. de ſecta Pythagoræa, hæc mors egregiè deſcribitur, his præter cætera. *Latet vulgus quemadmodum moriuntur, & digni ſunt morte, & qua tam morte veri Philoſophi. Mors ergo eſt nihil aliud, quàm animæ à corpore liberatio : atque illud eſt eſſe mortuum, corpus ſcilicet ab anima abiunctum per ſe factum, & animam item ſeparatam à corpore, per ſe ipſam eſſe. Hæc ſi ita ſe habet, non erit Philoſophi dare operam corporeis affectibus. Apparet in his Philoſophus, abſoluens & eximens animam à corpore, eiuſque conſortio eripere.* Plura ibidem de hac ſolutione animæ à vinculis corporis, quæ eſt ſanè mors quædam. & ab ea Philoſophi non malè inter mortuos recenſiti, vt ibidem diſſerit Iamblicus. Quid ſi etiam ea ex cauſa vt eſt apud Apul. 1. florid. & cadauera, & Philoſophi, pallio amiciebantur ? Medica mortis meditatio alterius eſt inſtituti. Adi ſi lubet Senecam epiſtol. 54. Mercur. 6. var. cap. 16. & Chiffletium lib. 2. Dædalma. cap 18.

Fructus antedictorum, ex Diotima oratione.

337. Non poſſem aptiùs quàm cum Diotima ſuprà concludere, & ea ipſa quam ſapiens fœmina diſputationi ſuæ clauſulam fecit, obſignare hanc Platonicam veræ noſtræ fœlicitatis adumbrationem. Dixerat contemplanti pulchrum illud, paulo ante verbis

eius

eius expreſſum, nullam ſiue veſtis, ſiue auri, ſiue pulchrorum corporum pulchritudinem, æſtimatione dignam futuram: miratúque, mortalium pleroſque in caducæ corporum pulchritudinis intuitione obſtupeſcentes, ſic claudit vniuerſam diſputationem. [Quàm verò felix fore putamus, ſicubi contigerit vt ipſum pulchrum intueatur, ſyncerum, integrum, purum, ſimplex, impermixtum, non humanis carnibus, coloribus, non aliis denique mortalibus nugis contaminatum: ſed ipſum ex ſeſe pulchrum, diuinum, ſimplex, & vniforme contempletur. Illiúſne hominis vitam, qui & illud quod conſentaneum eſt, contempletur, & cum eo verſetur parui faciendam arbitraris? Nónne animo concipis futurum, vt ille homo à cæteris omnibus rebus ſeiunctus atque ſeparatus, cum illo vno pulchro verſetur, ac illud pulchrum eo oculo cernens, quo cerni poteſt; non imagines & ſimulachra virtutis, ſed ipſas per ſe virtutes pariat, quippe qui non ſimulachrum, ſed rem ipſam verè attingat? quúmque veram virtutem pepererit & aluerit, Deo amicus efficiatur, & ſi quis omnium hominum, ille nimirum, immortalis exiſtat?

ARTICVLVS VI.

De formali imperfecta huius vitæ beatitudine.

PErfectam fœlicitatem in altera vita eſſe quærendam ſupra conſtituimus: *Ipſa enim beatitudo finalis*, verba ſunt Auguſtini 19. ciuit. cap. 10. *ipſa perfectionis finis, qui conſumentem non habet finem: hic autem dicimur quidem beati, quando pacem habemus quantulacunque hic haberi poteſt in vita bona, ſed hæc beatitudo illi quam finalem dicimus beatitudini comparata, prorſus miſeria dicitur.* Quod veriſſimè pronunciatum ab Auguſtino fuiſſe non diffitebitur, quiſquis noſtras in intellectu tenebras; & rabidam in appetitu nunquam hîc expleto famem boni; crebra peccata, & anxietatum examina: in corpore autem morbos; & ingruentem ex tam variis internis ac externis cauſis mortem; externorum item bonorum indigentiam attentè penſabit. Vt propterea meritò Philoſophus 1. Ethic. capite 10. hominem hîc beatum eſſe poſſe admittat (vt fert etiam vox communis) ſed *vt homines*, id eſt, valde imperfectè & cum magno à beatitudine ſimpliciter dicta receſſu, qualis præſertim erat in ea beatitudine, quam Marinus in Procli vita numero 2. vocat *beatitudinem ſapientum.*

In quo ſita ſit huius vitæ beatitudo, varia placita.

338. His ita conſtitutis, quæ clara ſunt ex ſupra tractatis, breuiter ſubiiciendum reſtat, in quo conſiſtat imperfecta huius vitæ beatitudo; de quo pugnantes ſententias inuenio, etiam agendo de ſola naturali beatitudine, cui ſoli exponendæ hîc inſiſtimus. Quidam enim, beatitudinem naturalem huius vitæ aiunt conſiſtere in ſola Dei contemplatione, qualis naturaliter haberi poteſt in hac vita, neglecto ſtatu voluntatis. Alij vero eam beatitudinem volunt ſitam eſſe in operatione intellectus circa Deum, non quacunque, ſed affectum mouente ad virtutis exercitationem, & diuinarum perfectionum, (quantum fas eſt homini,) expreſſionem in ſeipſo.

At Stoici ſi fideliter eorum ſententiam refert Clemens Alexandr. 5. Stromat. cap. 6. pro fine cui in hac vita inſudandum eſt, ſtatuerunt *φιλόθεον* fieri, quod interpres minùs aptè vertit, *pium & vel gioſum fieri*; Nam vt eſt apud eundem Clementem lib. 7. c. 1. pius ille & religioſus cultus, *θεοφιλία* potiùs dicitur, eſtque frutex amoris. Stoicorum hoc placitum approbaſſe videtur Mocenicus in vniuerſalibus Inſtitutionibus contemplat. 5. p. 1. cap. 10. Sed apertè Canus 9. de locis c. item 9. huius vitæ felicitatem non in cognitione, ſed in ſola Dei dilectione & timore, virtutúmque omnium exercitatione conſtituit.

Multus porro ibidem eſt in Ariſtotele refellendo, quòd fœlicitatem huius vitæ in ſola cognitione conſtituerit. De nulla quippe alia, quàm de huius vitæ fælicitate locutum fuiſſe Ariſtotelem, ex eo ſibi perſuadet, quòd animæ immortalitatem vel impiè negauerit, vel nunquam perſpicuè admiſerit. Et ferè idem habet Alexand. Piccolom. ſuo 1. Ethic cap. 1. & 7. niſi quod cauſam illam prorſus intactæ ab Ariſtotele fœlicitatis alterius vitæ, minus apertè tradit. Argumenta Cani ſunt quod animus tanta corporis mole non onuſtus ſed obrutus, ac vt Sapiens dixit aggrauatus ac depreſſus, non poſſit Deum hîc contemplando beari, cùm tam infirmæ ſint ingenij noſtri vires; memoria anguſta, fluxa, infidelis; acumen retuſum, impeditum, debile: diligentia ſegnis ac tarda; ex quo efficitur noſtram hîc de Deo contemplationem admodum imperfectam & vilem eſſe, nihilque propemodum habentem ex iis, quæ veræ fælicitatis notione includuntur. Accedit frequentiſſima noſtræ de Deo contemplationis interceptio per res abiectiſſimas: poteſt enim eam & morbus tollere, & dolor intercidere, & inopia interturbare. Quid quod hæc beatitudo non poteſt eſſe omnibus communis, nec verò debet. Nam ſi omnes homines ad contemplationem prædictam conarentur eo modo quo par eſt omnes ad vltimum ſuum finem conari, Reſpublica omnis interiret. Præterea contemplatio quam hîc parare poſſumus, hominis deſiderium non ſatiat ſed excitat; aucta verò non requiem ſed laborem auget. Colligit ergo Canus, huius vitæ beatitudinem naturalem in Dei amore & timore, virtutúmque exercitatione, non autem in Dei cognitione ſtatuendam eſſe.

Denique Sanctus Ambroſius 2. offic. cap. 1. tametſi de huius vitæ ſupernaturali beatitudine diſputans; tamen ponit vt conforme Philoſophis, quos ibi commemorat, & de naturali tantùm beatitudine locutos non ignorabat. beatitudinem huius vitæ conſiſtere in cognitione diuinitatis, & fructu bonæ operationis: hoc eſt, & in actu intellectus, & in actu voluntatis, cum elicito circa Deum, tum imperato. In quam ſententiam illud etiam legitur apud Triſmegiſtum cap. 6. Pimandri. *Si Deum quæſieris, pulchritudinem ipſam quæres. Qua tandem ad id feras vnica via, eſt pietas cognitioni coniuncta.* At via ad perfectam alterius vitæ beatitudinem, eſt beatitudo huius vitæ. Similia habet Alexander apud S. Cyr. 3. in Iulian. ad text. 1.

Conciliantur.

339. Ego breui diſtinctione adhibita hanc litem dirimam: vel enim de naturali huius vitæ beatitudine philoſophamur per proportionem ad beatitudinem alterius vitæ, itémque ad beatitudinem Dei, quæ ſunt primaria analogata nomine beatitudinis expreſſa: Vel certè beatitudinem ſumimus prout hoc nomen ad alia quædam analogata minus præcipua extendi poteſt. Nam ſæpè nomen primarij analogati ad alia quædam transfertur, propter aliquam

cum

cum coconiunnctionem, ſiue cauſæ, ſiue effectus, ſiue ſigni, aut aliam quamlibet. Qua ratione beatitudo huius vitæ poſſet accipi pro ea actione, quæ eſt via ad beatitudinem alterius vitæ, eſtque proxima origo quietis illius internæ ac pacis, qua beatorum tranquillitatem & pacem vtcunque in hac vita æmulari poſſumus.

Beatitudo via, prout adumbratio beatitudinis perfectæ, ſita eſt in cognitione.

Si ergo beatitudo naturalis ſumatur primo modo, rectè conſuit Ariſtoteles eam conſiſtere in cognitione Dei. Nam hæc eſt creata delineatio & adumbratio diuinæ beatitudinis, vt Ariſtoteles 10. Ethic. c. 8. argumentatur, & optimè etiam tradidit Plato 7. de Repub. *ferè initio*: Monens, qui rectè attenderint, quanta futura ſit fælicitas alterius vitæ in pulchri infiniti & ſolis intelligibilis contuitu, omnino allaboraturos, vt hic per aſſiduam cœleſtium illorum ſpectaculorum contemplationem, diuinam vitam prægustent, & diuturnam in corpore moram ægrè laturos, nec niſi vi adigendos ad tractationem Reipub. in vnius Dei rerúmque diuinarum contemplationem prorſus intentos, quippe gnaros hanc eſſe veram æternæ beatitatis in hac vita imaginem.

Hæc item qualiſcunque ſuppetere hîc perfectè poteſt, Dei contemplatio, eſt id quod in nobis viatoribus proximè accedit ad formam, qua beantur qui ad terminum peruenerunt. Cùm ergo primum in vnoquoque genere ſit menſura cæterorum, fatendum omnino eſt naturalem noſtram huius vitæ beatitudinem, prout eſt expreſſio veræ beatitudinis, eiúſque participatio quædam, conſiſtere in contempaltione Dei. Nec eſt neceſſe id confirmare pluribus: cùm id ſupra vniuersè oſtenſum ſit de beatitudine hominis, in quouis ſtatu & vita conſtituti. Et hanc ſemper fuiſſe omnium rectè ſapientium ſententiam, affirmauit S. Thomas in prologo primi ſententiarum, largeque ſtabilitur à Iacobo Bruto lib. de laudibus ſcientiæ ratione 6.

Canus Ariſtotèlem impetens, abigitur

340. Argumenta verò à Cano propoſita non vrgent, Fatemur enim noſtram hic de Deo notitiam, eſſe admodum imperfectam, & omnibus illis incommodis, quæ ab eo recenſebantur obnoxiam. Nec id Ariſtotelem latuit; cùm expreſsè tradat, oculos noſtros, hic ad diuina caligare, vt noctuam ad lumen ſolis. Sed meminiſſe etiam Canum oportuit, Ariſtotelem non niſi imperfectam & multis incommodis obnoxiam, valdéque diminutam beatitudinem hic agnoſcere. Propterea enim lib. 1. Ethic. cap. 10. *in fine*, homines hic beatos effici poſſe tradit, ſed *vt homines*. Quæ limitatio optime exprimit, quàm imperfectam eſſe voluerit, quam hic aſſequi poſſumus beatitudinem. Non tamen idcirco addendum eſt, (vt malè Canus addebat) nihil propè in tali actione haberi eorum quæ de veræ beatitudinis ratione paſſim cenſentur. An non enim ea actio qualiſcunque tandem eſſe dicatur, eſt poſſeſſio ſummi boni, qualem hic comparare poſſumus & actus præſtantiſſimus nobiliſſimæ facultatis de obiecto nobiliſſimo ac eminentiſſimo: At hæc eſt germana beatitudinis formalis notio, præſertim in ſchola Sancti Thomæ, cui adhæret Canus.

Reliqua ab eodem propoſita, eiuſdem ſunt ponderis; id eſt, nullius. Falsò enim aſſirmat non omnes poſſe Deum contemplari. Audiam potius antiquum legis naturæ Theologum conteſtantem, *Omnes homines vident eum, vnuſquiſque intuetur procul.* Et ad hanc inſpectionem ingem, omnes ſæpè vrgentur ſcripturarum & ſanctorum Patrum oraculis. Satis autem erit, ſi vnuſquiſque pro ingenio & captu ſuo in id opus incumbat: Addo & pro ea facultate, quam tempus in tam multas priuatas ac communes neceſſitates impendendum concedet: Nec enim imprudentem & vitioſam Dei contemplationem, ſtatuimus huius vitæ naturalem beatitudinem, ſed ſtatui ac conditioni congruentem, quæ ſi ſola adhibeatur, timendum non erit orbis excidio, cui Canus ex hac Ariſtotelis ſententia malè timuit. Denique damus Cano, excitari potius quàm expleri hac noſtra de Deo contemplatione famem ſummi boni, & augeri ea aucta laborem ac faſtidium rerum humanarum: ſed hoc tantum abeſt vt de huius actionis nobilitate quicquam imminuat, vt eam potius valdè amplificet, & commendet magis; cùm nihil hic queat eſſe optabilius, quàm abſtrahi, quantum per hanc vitam fas eſt, à fæcibus ac cæno rerum creatarum, & iam nunc prægustare æterna bona, quod ea ratione commodiſſimè aſſequimur.

Nihil repoſui ad ea quæ Canus præmiſerat, non allatrans modò, ſed etiam mordens ac genuinum infigens, Ariſtotele impietatis & tantum non Atheiſmi aſſerta animarum noſtrarum mortalitate, inſimulato. Quamuis enim me lateat, quam multi Ariſtotelem hac in parte criminati ſint; eos tamen omnes, *mentiri* ὡς ἐν ἄλλοις λέγειν, pronunciat Michael Epheſius 10. Ethic. capit. 6. Certè iam olim iuſto opere magiſtrum purgauerat Hermias Peripateticus apud Suidam: Et purgarunt etiam innumeri recentiores, præſertim Fauentinus toto lib 4. de immortal. & Dodus totu lib. ſuo 7. de anima, Iacobus Brutus in Corona aurea, aliíque innumeri ſuo loco recenſiti.

Eadem via beatitudo, prout medium ad perfectam, ſita eſt in amore & virtutum actibus.

341. Iam verò ſi nomen beatitudinis naturalis huius vitæ, ſumatur pro medio aſſequendæ beatitudinis in altera vita, benè hic operantibus, repoſitæ; ſic admitto naturalem huius vitæ beatitudinem ſitam eſſe in actione voluntatis hoc eſt, in amore ergà Deum aliiſque virtutum actibus, iuxta illud Lactantij lib. 3. cap. 12. in fine. *Hoc vno beati eſſe in hac vita poſſumus, ſi minimè beati eſſe videamur, ſi fugientes illecebras voluptatum, ſoliqùe virtuti ſeruientes, in omnibus miſeriis laboribúſque viuamus, quæ ſunt exercitia & corroboramenta virtutis, ſi denique aſperam illam vitam, difficilemque teneamus quæ nobis ad beatitudinem patefacta eſt.*

Ratio cur actionibus voluntatis potius quàm intellectus tribuatur in hac vita ratio beatitudinis; ex eo ducenda eſt, quod eiuſmodi actiones ſint via compendiaria, qua ad Deum tendimus & media ad finis noſtri vltimi conſecutionem peropportuna. Qua de cauſa Stoicos in virtute beatitudinem collocantes, non diſſidere niſi vocabulis à Platonicis, omnem huius vitæ beatitudinem, nempe exquiſitam & perfectam inficiantibus, docet Barlaam Gyracenus in Ethicis ſecundùm Stoicos part. 1. cap. 32.

Præſertim verò datum eſt nomen beatitudinis exercitationi virtutum, quia exercitationi huiuſmodi operum adiungitur mentis ſerenitas, diſcuſſis affectuum nubibus, & pax ac tranquillitas, compreſſa

rebellantium

rebellantium appetituum ferocitate. Quod quiſquis aſſequitur, is iam ex hac vita fœlix quodammodo haberi poteſt, vt Simplicius docuit in præfatione ad Epicteti Enchiridion, *ſi tu initium:* quòd ea pax, ſit imago quædam æternæ illius pacis, qua in altera vita potiuntur beati. Quo reſpexiſſe videntur, qui huius vitæ beatitudinem deſcribunt per eas actiones quibus id aſſequimur, vt nullo caſu, vltra quàm par eſt, moueamur, ſimúlque animo compoſiti ad quamcunque ſortem adepti *εὐθυμίαν* illam, de qua egregium volumen ſcripſit Democritus teſte Seneca lib. de tranquil. animi cap. 2. qui vocem illam *tranquillitatem* vertit; & ſtatum Deo vicinum, *non concuti*, transfert, ac ſupra modum commendat.

Ita etiam frequentiſſimè Epictetus apud Arrianum: ſed pulchrè libro 4. cap. 4. *Vna via eſt ad fœlicitatem, quam ob oculos pone tibi cùm ſurrexeris; eóque die, ac noctu etiam in promptu habeas; nempe vt abſtineas ab his quæ voluntati noſtræ non ſubiiciantur, quorum nihil vt tuum & proprium complectare; ſed quicquid fuerit adſcribito voluntati Dei.* Eadem repetit cap. 7. vbi id etiam illuſtrat longa expenſione ſingularium incommodorum, quæ mentis ſic affectæ beatum ſtatum nequaquam perturbant. Vide etiam Enchiridij caput 3. & rurſus caput 4. & Simplicium in caput illud 3. ac etiam 7. Legendus præterea Plotinus Ennead. 1. lib. 4. cap. 12.

Quatenus ad via beatitudinem ſpectet, agere tantùm ac ſubire qua velis.

342. Tametſi cauendum omnino eſt, in his Epicteti, Plotini, & aliorum Philoſophorum dictis, ne hanc putemus eſſe veram & plenam hominis fœlicitatem, quòd qui ita comparatus eſt animo, nihil niſi quod vult faciat vel ſubeat. Quod referens D. Auguſtinus 13. Trinit. cap. 7. *Hæc eſt tota*, inquit, *vtrum ridenda, an potius miſeranda, ſuperborum beatitudo mortalium, gloriantium ſe viuere vt volunt, quia volentes patienter ferant, quæ accidere ſibi nolunt. Hoc enim aiunt quòd ſapienter dixit Terentius.* Quoniam non poteſt id fieri quod vis, id velis quod poſſis; *Commodè hoc dictum eſſe quis negat? Sed conſilium eſt datum miſero, ne eſſet miſerior. Beato autem, quales ſe eſſe omnes volunt, non rectè nec verè dicitur, non poteſt fieri quod vis. Si enim beatus eſt, quicquid vult fieri, poteſt: quia non vult, quod fieri non poteſt. Sed non eſt mortalitatis huius hæc vita, nec erit, niſi quando & immortalitas erit.*

At longiùs etiam aberrarunt à vera huius vitæ beatitudine, qui pacem illam mentis quam diximus aliunde expectant, quàm à Dei cognitione & amore, virtutúmque quibus ad finem illum vltimum tenditur exercitatione. Et illum beatum eſſe, qui quod vult faciat, aliter etiam, & quidem deteriùs, interpretati ſunt, ſiue rectè, ſiue inhoneſtè fiat. Quem errorem D. Auguſtinus cap. 5. libri allegati, ex quibuſdam apud Tullium refert. Verba Tullij ab Auguſtino laudata ex Hortenſio Dialogo qui intercidit, iſta ſunt. *Ecce non Philoſophi quidem, ſed prompti tamen ad diſputandum homines, aiunt eſſe beatos qui viuant vt ipſi velint. Falſum id quidem. Velle enim quod non deceat, id ipſum miſerrimum eſt: nec tam miſerum eſt, non adipiſci quod velis, quàm adipiſci velle, quod non oporteat.*

Subiicit de hoc Tullij dicto Auguſtinus ſenſum ſuum, his verbis. *Præclariſſimè omnino atque veriſſimè. Quis namque ita ſit mente cæcus, & ab omni luce decoris alienus, ac tenebris dedecoris inuolutus, vt eum qui nequiter viuit ac turpiter, & nullo prohibente, nullo vlciſcente, & nullo ſaltem reprehendere audente, inſuper & laudantibus plurimis, (quoniam ſicut ait ſcriptura diuina,* laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & qui iniqua gerit benedicitur,) *implet omnes ſuas facinoroſiſſimas & flagitioſiſſimas voluntates, ideo beatum dicat, quia viuit vt vult: cum profectò quamuis & ſic miſer eſſet, minus tamen eſſet, ſi nihil eorum quæ perperam voluiſſet, habere potuiſſet? Mala enim voluntate, vel ſola, quiſque miſer efficitur, ſed miſerior poteſtate, qua deſiderium malæ voluntatis impletur.* Et paulò pòſt, *Longiùs à beata vita eſt quiſquis adipiſcitur male concupita, quàm qui non adipiſcitur concupita, cùm potius eligi debuerit voluntas bona atque præponi, etiam non adepta quæ appetit. Propinquat enim beato qui benè vult quæcunque vult, & quæ adeptus cùm fuerit, beatus erit. Et vtique non mala ſed bona beatum faciunt, quando faciunt, quorum bonorum habet aliquid iam, idque non parui æſtimandum, eam ipſam ſcilicet voluntatem bonam, qui de bonis quorum capax eſt humana natura, non de vllius mali perpetratione vel adeptione gaudere deſiderat, & bona qualia & in hac miſera vita eſſe poſſunt, prudenti, temperanti, forti, & iuſta mente ſectatur, & quantum datur aſſequitur, vt etiam in malis ſit bonus & finitis malis omnibus atque impletis bonis omnibus ſit beatus.* Laudat eandem Tullij diſputationem & ſententiam idem S. Auguſtinus lib. de vita beata non multùm à principio, vbi matrem ſuam B. Monicam, quam diſputantem inducit, commendat, quod ad propoſitam interrogationem, an omnis qui quod vult habet, beatus ſit; adhibuiſſet diſtinctionem, & tum demum aſſeruiſſet fore beatum, ſi bona velit, & habeat: ſi autem mala velit, quamuis quæcunque vult habeat, miſerum futurum. Hoc matris reſponſum ita extollit D. Auguſtinus, vt dicat eam tenuiſſe arcem Philoſophiæ; ſubditque in eam rem locum Tullij allegatum, additis etiam ad ea quæ retulimus, his paucis verbis; quæ tametſi exigua, in naufragio tamen totius operis; deſpicienda non ſunt, continéntque rationem, cur habere quæ velint, malis officiat. *Plus enim mali, prauitas voluntatis affert, quàm fortuna cuiquam boni.* Itaque quantumuis affluant malis, bona quæ expetunt, cenſéntque bona, quamuis duntaxat obducantur boni larua & imagine: Tamen in tanta inteſtina infœlicitate, & ipſa prauitate, quæ ſummum malum eſt, arcem mentis apud eos occupante, impoſſibile eſt adeſſe beatitatem huius vitæ, quæ quidem eo ſit digna nomine, cùm è contra, pij ac probi omnes quia virtute in eis regnante non niſi quod verè bonum eſt quærunt, fœlices verè ſint, quacunque tandem conditione viuant & qualeſcunque vulgo videantur.

Præiuit Tullio Plato quem Euſeb. 12. præpar c. 15. in hunc modum ſcribentem refert aduerſus eum vulgi errorem quo beati dicuntur, qui habent & poſſunt quod volunt, ſiue benè ſiue malè velint. *Poetæ cogendi ſunt carminibus dicere, bonum quidem, modeſtum, iuſtúmque virum, fœlicem eſſe atque beatum; ſiue magnus ſiue paruus ſit, & ſiue diues, ſiue pauper. Si verò iniuſtus ſit, etiamſi ditior eſſet quàm Cinyras aut Midas, miſerrimum omnium eſſe. Dicant igitur Poetæ, neminem eſſe virum appellandum, qui non omnia quæ vulgo bona dicuntur, iuſtè acquirat atque diſponat. Quamuis hæc bona, non rectè bona dicuntur. Sanitas enim primò, deinde forma, tertiò vires quartò diuitiæ numerantur. Innumerabilia huiuſmodi cætera ſunt.*

ſunt. Nam & acutè cernere atque audire, aliiſque ſenſibus integrè vti, bona videntur, & ad hæc, omnia poſſe facere quæ cupias, & demum immortalitas cum ipſorum omnium poſſeſſione. Ego autem aſſero, iuſtis ſanctiſque viris hæc optima eſſe, iniuſtis autem peſſima. Sanum enim eſſe, acutè cernere, & omnino facilè ſentire ac immortaliter viuere abſque virtute peſſima ſunt. Talia ergo rhytmo ac numero à Poetis tempeſtiua, adoleſcentes perdiſcant. Ego enim dicere non dubito, ea quæ mala vulgo dicuntur, iniuſtis bona eſſe, iuſtis mala. Quæ verè bona videntur, bona, verè bonis ſunt, malis autem mala. Hactenus Euſebius exſcribens, ſeu potius contrahens Platonem lib. 2. de legibus. Ex quibus planè liquet quam fœlicitatem agnouerit Plato in ea beata pace quæ de vulgi ſententia, exiſtit ex affluxu bonorum omnium & quidlibet agendi & habendi facultate; quam eſſe inanem & ementitam beatitudinis huius vitæ ſpeciem, ratiocinatio Tullij, hanc Platonicam æmulata, planè confecit.

Luculenter, vt cætera, hoc ipſum tradit Saluianus lib. 1. de prouidentia, oſtendens pios omnes, quacunque ſorte ſint, beatos tamen ſemper eſſe, *quia hoc ſunt quod volunt: ſoleant quamuis eſſe nonnulli, qui turpia atque obſcœna ſectantes, etſi iuxta opinionem ſuam beati ſunt, quia adipiſcuntur quod volunt, re tamen ipſa, beati non ſunt, quia quod volunt, nolle debuerant. Religioſi autem, hoc cunctis beatiores ſunt, quia & habent quod volunt, & meliora quam quæ habent, omnino habere non poſſunt.* Religioſos appellat, non eos tantùm qui nunc à ſpeciali cura religioſi cultus, ferè ſoli audiunt religioſi, ſed pios & probos quoscunque. Quanquam Aſcetæ, quos paſſim vocamus religioſos, ſi ſint quod dicuntur, & veſte ac inſtituto præferunt, nec aliud ſint, aliud exhibeant; ea præſertim inter omnes homines ſorte ſunt fœliciſſima & optima in hac vita, quam Saluianus deſcripſit; id quod Chryſo[ſt]. hom. 56. & 57. ac 58. ad pop. egregie proſequitur, collatis atque longè prælatis quoad huius vitæ beatitatem, cum ſecularibus in ſpeciem fœliciſſimis, iis qui abiectis omnibus, ac ſua etiam exuti libertate ad quidlibet agendum vel omittendum, volentes alieno ductu regi, ærumnoſiſſimam vitam viuere videntur. Illis nimirum qui de ſuo ſenſu æſtimant cæteros; & quam ipſi in diuitiis, in honoribus, in cœno turpitudinéque voluptatum, in voluntatis omnimoda exſolutione reponunt huius vitæ beatitatem, ſi alicubi deeſſe conſpicantur, nullam ibi infœlicitatem ac calamitatem abeſſe indicant. Longè aliter pronunciandum monſtrat ibi Chryſoſtomus. Et aſtipulatur Petrus Bleſenſis cuius illud ſcitum eſt æquè elegans ac breue, epiſtol. 13. in fine. *Iuxta ſententiam cordis mei, ſi paradiſus in hac vita præſenti eſt, vel in claustro eſt, vel in ſcholis. Quicquid ex m extra hæc duo eſt, plenum eſt anxietate, inquietudine ... formidine ſollicitudine & dolore.* Sed hæc ad illuſtrandum Saluiani dictum, obiter nunc dicta ſunto, quamuis non extra locum quandoquidem ad amoliendam falſam de huius vitæ beatitudine opinationem pertinent.

Vera via beatitudo, non eſt æqualis vbiuis.

343. Cæterùm vtrouis ex duobus legitimis modis propoſitis, accipiatur beatitudo huius vitæ, fixum eſſe debet contra Stoïcos, eam non eſſe vbique parem, ſed alios aliis eſſe poſſe magis & minùs beatos. Quod enim Seneca epiſt. 79. & ſæpè alibi, inculcat ſapientes omnes pares eſſe & æquales, hoc Tullius 4. & 5. de finibus, aliter profert de Stoæ ſenſu; nempe omnes beatos, ſummè beatos, (vtique in hac vita,) & æquales eſſe. Quod confirmat ea illius argumentatio in lib. 5. *Quid minus probandum, quàm eſſe aliquem beatum, nec ſatis beatum? Quod autem ſatis eſt, ei quicquid acceſſerit nimium eſt. At nemo nimium beatus eſt, & beato beatior.* Similis illa Senecæ ad hoc ipſum ratiocinatio epiſt. 84. *Quemadmodum ſummum adiectionem non recipit (quid enim ſupra ſummum erit?) ita nec beata quidem vita, quæ ſine ſummo bono non eſt*

Hæc tamen longiſſimè abſunt à vero; & per ſe concident infra, vbi contra eoſdem Stoïcos oſtenderimus, virtutem, quâ vnâ illi beatitudinem metiebantur, intendi & decreſcere poſſe, nec eſſe vbiuis parem. Nunc breuiter tantùm elido argumentum propoſitum, dicendo; beatitudini huius vitæ aliquam acceſſionem fieri poſſe, nec eſſe abſurdum, aliquem imperfectè, aut vt Philoſophus loquitur *ſicut hominem* & quidem hîc viuentem, eſſe beatum; & tamen non eſſe ſatis beatum, ita vt poſſit in ſua illa qualicunque beatitudine creſcere. Non enim hæc beatitudo, eſt reuera bonum ſummum, cui nihil adiici poſſit, etiamſi cenſeri poteſt ſummum præ aliis minutioribus bonis, præſertim ſenſibilibus.

Clauſula totius de beatitudine tractationis.

344. Nec plura de fine vltimo, cuius gratia hominem cætera omnia facere & adminiſtrare conuenit. Ex hoc autem veluti initio, & totius fabricæ fundamento, in quibuſuis diſciplinis, magnum ad reliqua adiumentum percipitur, iuxta authorem Theolog. Ægypt. l. 1. cap. 1. Et optimè etiam idem tradit Proclus in Alcibiadem 1. Platonis verbis illis. [Ignorantia finalis cauſæ circa rem quamlibet, efficit vt & cæteræ cauſæ ad eandem pertinentes, ignorentur ſimiliter. Quoniam finis eſt cauſarum prima, præcipuáque atque potentiſſima: huius enim gratia, & efficientes cauſæ faciunt, & quæ fiunt efficiuntur. Quapropter Timæus, huiuſmodi cauſam apud ſapientes, optimam arbitratur habendam. Hæc ille, quæ cùm vbique valeant, at in hac diſciplina longè etiam magis; cùm ſit purè practica, & tota in finem collimet, ideóque ab eo tota pendeat, & in eum duntaxat debeat intendere; & quo finis eius eſt vniuerſalior, eo latiorem habeat influxum, & ad plura pertinentem.

Itaque aptiſſimè in hunc locum cadunt illa Dionis Chryſoſtomi ex orat. 67. [Spes eſt quærentem inuenturum id quod oportet, ſimúlque ad aliquid oculos habentem intentos, ſpectantémque cuiuſnam gratia cætera omnia facere conueniat, atque adminiſtrare. Qui autem hoc intelligit, omnia iam benè conficiet, & quæ magna videntur; & quæ parua: Et ſiue equeſtris rei ſtudeat certamini, ſiue muſicæ, ſiue agriculturæ nauet operam; ſiue exercitum regere velit, aut aliis fungi magiſtratibus; aut alia ad Rempublicam pertinentia in ciuitate facere, rectè omnia fecerit, in nullóque errauerit. Abſque hoc autem, iuxta opera quidem ſingula, interdum & ſibi & aliis apparere poterit optimè facere: vt ſi agriculturæ ſtudens, fructus acquirat copioſos; aut equitans aliis peritior ſit; ſiue in muſica ſatis doctus, certánſque poſſit aduerſarios vincere: In vniuerſis autem vtique erraret ad nullum bonum, neque ex operatione vllam perciperet vtilitatem. Non igitur quis poteſt feliciter agere, abſque cognito ſcopo, quemadmodum neque benè nauigare quis poteſt, neſciens quò nauiget, ſed fruſtra in pelago huc illuc rapitur: nunc quidem rectè eunte naui, ſi ita fortuna ferat, nunc verò declinante, & nunc quidem ſecundo ferente

ferente vento, rurſus autem contrario. Conuenit autem, quemadmodum in lyra medio ſono aptato, deinde ad hunc alios faciunt congruere; ſin minùs nullam vnquam harmoniam oſtentant: ita etiam in vita, optimo intellecto, eóque deſignato termino, ad eum omnia facere: ſin minùs, incongruam ipſis & diſſonam fieri vitam par eſt.]

Quantum verò ex hac finis vltimi, & beatitudinis noſtræ obiectiuæ conſideratione exiſtat leuamen in laboribus qui in virtutum exercitatione neceſſariò ſunt exantlandi, inculcant frequentiſſimè, non Patres tantùm, ſed ipſi etiam Ethnici quorum nonnullos in ſuperioribus adduximus, ac nominatim Seneca & Epictetus. Nunc dimiſſis aliis quia Ethnicorum germani ſunt hæretici iudice Tertulliano, breuem Pelagij locum profero ex epiſtola ad Demetriad. Virginem. [Dicas forſitan, *inquit*: Grandis labor eſt. Sed reſpice quod promiſſum eſt. Omne opus leue fieri ſolet, cùm eius pretium cogitatur, & ſpes præmij ſolatium eſt laboris. Sic durus agricola, inaratum diu campum, & pinguiores otio glebas, violento vomere ſcidiſſe ſe gaudet, & mirum in modum ipſa operis difficultate lætus, ſpem ſegetis de labore metitur. Sic negotiator auidus, maria contemnit; ſpectare auſus fluctuum ſpumas, rabiémque ventorum: Dum in omni labore ac periculo lucrum cogitat, & laſſitudinem ſimul obliuiſcitur & timorem. Conſidera quaſi magnitudinem præmij tui, ſi tamen conſiderari poteſt, quod immenſum eſt. Poſt abſceſſum animæ, poſt carnis interitum, poſt fauillas & cinerem, in meliorem ſtatum virgo reparanda es. Mandatum terræ corpus, in cœlum eleuandum eſt, & mortale tuum immortalitatis honore mutandum eſt. Poſt hæc Angelorum es donanda conſortio; regnum acceptura cœlorum, ac in perpetuum manſura cum Deo, &c. Quem laborem durum putabis cuius tanta ſunt præmia?]

Sed planè inſigne monitum authoris Theologiæ Ægypt. quo ad ſummum propoſitæ homini fœlicitatis ſtudium, incendit Lectorem, non debeo in hac meta prætermittere: Atque vtinam ita cuiuis legenti infigatur animo, vt eſt præclarum & Chriſtiano potiùs, quàm Ethnico dignum. Poſtquam enim ità ſtatuit libro 1. cap. 4. *Qui ad ſupremum mundum aſpirans, intellexerit ſubſtantias diuinas, cauſaſque vniuerſas; profectò ſummum præmium conſequetur.* Poſtquam inquam ita eo loco ſtatuit, infert hanc digitalibus & aureis literis dignam concluſionem. Quare nemini hoc negligendum eſt, etiamſi in eo maximus labor ſubeundus. Siquidem in illo fruetur animus tranquillitate perpetua, eáque quæ nulla ratione poteſt interturbari. Atque cùm homo ad hanc contemplationem natus ſit. nihil agit ſi vel minimo tempore ab illa receſſerit: immò animum perdit, ſibique maximè contrarius efficitur. Ex quo futurum eſt, vt in obitu, anteactæ vitæ fruſtrà eum pœniteat.

DISTINCTIO II.

DE

PRINCIPIO MORUM EFFECTIVO innato, ſeu de humana libertate.

SICVT *Medicinæ ſtudium omne refertur ad finem ſiue ſanitatem; ſic huius Philoſophiæ, ad beatitudinem*, ait ex Philone Lariſſæo Stobæus in Eclogis Ethicis cap. 2. *ideóque*, vt idem ſubdit, *coniungitur cum tractatu de Finibus, alter de vita*: hoc eſt, de mediis, quibus ad fœlicitatem primò conſtitutam perueniri poſſit. Quid enim intereſſet finem optimè præfixiſſe, eúmque habere perſpectum, ſi rectæ operationes ad illius conſecutionem neceſſariæ non ſubſequerentur? Hoc autem liquet præſtari non poſſe, niſi operationes illæ prænoſcantur. Propterěáque ſcientiam huiuſmodi mediorum, ſeu viarum ad beatitudinem, ſcitè Apuleius lib. de Philoſophia, initio, ex mente Platonis appellat, *caput Moralis Philoſophiæ*. Eſtque maiorem in huiuſmodi mediis cognoſcendis ac deligendis, quàm in fine præſtituendo & appetendo difficultatem, pulchrè docet Seneca lib. de vita beata cap. 1. verbis illis. *Viuere omnes beatè volunt: ſed ad peruidendum quid ſit quod beatam vitam efficiat, caligant. Adeóque non eſt facile conſequi beatam vitam, vt ab ea quiſque eo longiùs recedat, quo ad illam citatiùs fertur, ſi via lapſus eſt: quæ vbi in contrarium ducit, ipſa velocitas, maioris interualli cauſa fit. Proponendum eſt itaque primùm, quid ſit quod petamus, tunc circunſpiciendum eſt, quà contendere illò celerrimè poſſimus; intellecturi in ipſo itinere, ſi modò rectum erit, quantùm quotidie profligetur, quantóque propius ab eo ſimus, ad quod nos cupiditas naturalis impellit.*

Itaque incumbendum eſt nauiter in huiuſmodi mediorum expoſitionem reliqua Morali tractatione tradendam, explicando quaſlibet morum cauſas eo ordine quem in prologi calce propoſuimus, qui fert vt poſt morum finem, prima explicetur cauſa eorundem efficiens. Hæc autem cùm duplex ſit, nempe innata, ſeu voluntas, voluntariè ac liberè operans; & aduentitia, nempe virtus moralis; Ariſtoteles priorem 3. libro Ethic. per quinque prima capita expoſuit, cùm de virtutibus multa iam præmiſiſſet, & in calce libri primi, & in toto lib. 2. Multáque etiam de iiſdem ſubdit in eodem lib. 3. & ſequentibus. Quem etiam ordinem ſeruauit 2. ad Eudemum cap. 8. & 1. magnorum Moral. cap. 10. & 11. vbi rationem tractandi de principio voluntariè operante, eámque diſputationem permiſcendi cum tractatione de virtutibus, hanc aſſignat, quòd voluntarium dominantiſſimum ſit ad virtutem capeſſendam. Commodius tamen videtur tractationem de virtute non intercidere immiſſa diſputatione de principio operationis voluntariæ ac liberæ, ſed iſtam præmittere, quod videtur etiam ordini naturæ accommodatum: Anterior enim eſt facultas voluntariè & liberè operans, virtutibus moralibus, eidem facultati per eas operationes aduectis: quo conſilio, virtutum explicationem poſt tractationem de operationibus rectis, ſiue de honeſtate formali, locandam monui in huius operis ſyntaxi, & rurſus infra aperiam poſt tractatam formalem moralitatem.

2. Quod autem libertatem ſuppono eſſe actum quendam primum, ſiue principium operationis, & quidem innatum, non poteſt reuocari in dubium: Quandoquidem etiam cùm non agimus, ac priuſquàm agamus, ac per actus vllum habitum comparauerimus, pollemus facultate liberè operandi, quam nomine libertatis, vel liberi arbitrij deſignant; nomine actus tranſlato ad principium eius, vt notauit D. Thomas 1. p. q. 83. art. 2. Tribuitur quidem Heruæo, quòd dixerit libertatem eſſe in actu aliquo: & S. Bonauenturæ, quòd dixerit libertatem eſſe habitum. Quo nomine hos Doctores refellunt Suarez d. 19. Metaph. p. 5. num. 4 Bellarm. lib. 3. de grat. & libero arbitr.

arbitr. cap. 7. & 8. Verùm Heruæus, videtur intelligendus eodem modoquo Capreolus in 2. d. 24. q. vnica *ad 2. Aureoli contra ſecundam*, & *ad ſecundum ex dictis Adæ contra quintam*. Quia enim voluntas, vt liberè agere poſſit, præſupponit prælucentem actum iudicij pronunciantis de indifferentia obiecti, propterea Capreolus, quamuis admittat libertatem eſſe facultatem animæ; tamen dicit eam facultatem id habere vt ſtat ſub actu, licèt non intendat libertatem eſſe actum. Idem ergo videtur eſſe de Heruæo, cùm dixiſſe viſus eſt libertatem eſſe actum. De S. Bonauentura clarum eſt ex loco allegato q. 5. eum non ſtatuere libertatem in habitu addititio, ſed in habitu; qui ſit ipſa animæ potentia. Ratum ergo maneat, libertatem eſſe principium effectiuum, & quidem innatum.

Quanti porrò ſit ad rem Moralem vniuerſam, nominatímque ad legum diſciplinam tractatio de voluntario & libero, hiſque adiunctis rationibus Ariſtoteles disertè monet 3. Ethic. *initio*, vbi Peregrinus ex Cuiacio, obſeruat varios iuris Cæſarei titulos, quibus opportuniſſima eſt, vel etiam neceſſaria ea doctrina, vt ſunt tituli; *condictioni indebiti*, *actioni mandati*, *actionibus empti*, *venditi*, *redhibitorij*. *SC. Velleiani*, *Macedoniani* & alij.

QVÆSTIO I.

De rationibus communibus ad principium liberum præſuppoſitis; earúmque oppoſitis.

QVIA voluntarij ratio eſt ſuperior ratione liberi, & voluntario adhuc ſuperius eſt naturale: propterea auſpicabor à principio naturali; inde ad voluntarium delapſurus, tandémque ad liberum rationes illas genericas præſupponens: ſimúlque complectar expoſitionem rationum illis oppoſitarum, nempe violenti, inuoluntarij, & neceſſarij. Ex horum quippe oppoſitorum tractatione, lux magna accedet negotio in quo verſamur. Imò ad pleraque poſteà tractanda neceſſarium eſt oppoſitas illas rationes non omittere, vt non ſemel infrà vſu ipſo docebimur. Nec Ariſtoteles eas omiſit, vt liquet ex 3. Ethic. cap. 1. & 2. ad Eudemum cap. 9. quibus locis hanc tractationem orſus ſemper eſt à tractatione violenti, vt inde innoteſceret principium naturale oppoſitum violento ſeu coacto, quod, vt dixi, eſt ratione liberi ac voluntarij ſuperius; Et ideo inanimatis etiam competit; ſicut & violentum ex 1. magnor. Moral. cap. 13. quamuis ratio voluntarij, & liberi, & oppoſitarum iſtis rationum, in illa non cadat, ſed duntaxat in cognoſcentia.

ARTICVLVS I.

De principio naturali & violento.

3. NON ſuppetere Græcis vnam vocem quam opponant violento ſiue coacto, affirmatur 2. ad Eudemum cap. 9. Verùm nos quod Græci dicunt; *κατὰ φύσιν*, paſſim vocamus *naturale*: eáque ratione in poſterum deſignabimus principium oppoſitum violento. Porrò Ariſtoteles ſupra & 3. Ethic. cap. 1. planè agnoſcit aliquod coactum, ſiue inuitum, cum violento idem eſſe: atque ita concedit coactum latiùs patere quàm plerique velint, qui cenſent non cerni coactum & inuitum niſi in cognoſcentibus, nec illud contraponunt naturali ſed voluntario & ſpontaneo, vt videre eſt in Durando 2. ſentent. d. 25. q. 4. num. 4.

ASSERTIO.

NATVRALE libero ſuperius, non ſupernaturali vel neutro opponitur, ſed violento phyſicè accepto, quod ſcilicet eſt à principio extrinſeco nihil conferente paſſo; quinetiam renitente per internum impetum contrarium, qui in paſſiua quoque potentia cerni poteſt. Eſt itaque naturale; quod eſt à principio intrinſeco non renitente, ſed conferente, & natiuam in illud, quod naturale dicitur, propenſionem habente, quale reuera oportet eſſe morum principium.

PRimò oppono naturale, de quo hoc loco agimus, violento; ex violenti declaratione, mox illaturus, quid ſit naturale in hoc negotio.

Naturale, Scoto quotuplex.

Hanc reſtrictionem adhibeo quia naturale non ſumitur ſemper eodem modo, vt rectè aduertit Scotus in 4. diſt. 43. q. 4. *litera A*. Et ex eo Antoni. Andreas q. 4. de ſex principiis. Interdum enim naturale opponitur ſupernaturali, aliàs verò opponitur libero: interdum autem opponitur violento phyſicè accepto: aliàs autem opponitur ei, quod dicitur neutrum. Cuius diuiſionis ſufficientiam ex eo confirmant Doctores prædicti, quòd naturale vel attenditur penes principium actiuum, vel penes paſſiuum.

Si attendatur penes principium actiuum, exurgit duplex prior acceptio, fundata cùm in modo quo agens in ſeipſo ſe habet reſpectu operationis eliciendæ aut non eliciendæ; cùm in modo quo agens ſe habet ad operationem, ſpectato ordine eius. Primo modo, illud agens dicitur agere naturaliter, vel eſſe agens naturale, quod agit neceſſitate naturæ: in quo ſenſu Ariſtoteles 2.Phyſic. tex.49.contraponit naturam agenti à propoſito, ſiue cauſæ liberæ determinanti ſeipſam ad hoc aut illud operandum: cùm natura ſit ad vnum determinata, vt D. Thomas, hæc duo ſecernens, notauit 1.part.1.q.41.art.2. in corpore. Poſteriore modo illud principium actiuum dicitur naturale, quod habet naturalem ordinem actiui ad paſſum. Supernaturale autem agens dicitur, quod excedit naturalem ordinem, quale Scotus ait eſſe Deum tantùm.

Iam verò ſpectando naturalitatem ex parte paſſi; illud dicitur ſubiectum naturale, quod recipit ſecundùm propriam ſuam inclinationem, conſequentem determinationem ſubiecti ſactam à natura. Quædam enim ſubiecta ſunt eſſentialiter receptiua quarumdem formarum tanquam perfectionum ſuarum, & idcirco reſpectu earum dicuntur ſubiecta naturalia. Cùm verò receptio non fit conſentaneè ad naturalem inclinationem paſſi, tunc paſſum renititur formæ & inductioni eius, vel indifferenter ac neutro modo ſe habet. Ex priore membro habetur violentum. Ex poſteriore autem, potentia illa, quam vocant neutram.

Habemus ergo iuxta Scotum duplex naturale ex parte principij actiui, nempe naturale oppoſitum libero, & oppoſitum ſupernaturali: itémque duplex naturale ex parte principij paſſiui; nempe naturale contrapoſitum violento, & neutro. Et ad hæc membra facilè reducuntur alia, quæ proponit idem Scotus collat.14. & latè Gilbertus Crab 2.Ethic. q.1. ad primum tractatum,& ibidem Henricus Krosbein dub.1.

Næui quidam in ea doctrina.

Verùm in huiuſmodi doctrina, probare non poſſum quòd admittat ſupernaturale contrapoſitum naturali, tantùm ex parte principij actiui: cùm tamen ex parte quoque principij paſſiui, admittenda ſit ſupernaturalitas, vt rectè diſputat Caietanus tomo 3. opuſc. tract. 3. q. 2. Nam v. g. anima noſtra, non poteſt dici ſubiectum naturale reſpectu gratiæ ſanctificantis; ad quam tamen ſe habet merè paſſiuè. Quamuis autem ſubiectet huiuſmodi formam immediatè per ſuam naturalem entitatem, tamen ſi hanc entitatem ſubiectantem ſpectemus ſecundùm vim naturæ ſuæ proportionatam, & ſecundùm concurſum effectiuum, quem ipſa expoſcit, vt poſſit ex ea in genere cauſæ ſubiectiuæ profundi receptio formæ ſupernaturalis, eiúſque paſſiua cauſatio, liquebit ſubiectum illud non debere dici naturale defectu naturalis inclinationis ad talem formam. Ea enim inclinatio, in illo paſſo non concernitur, niſi fateri velimus naturam inclinari ad aliquid impoſſibile intra ſuos fines, & ordinem. Eſt ergo ſubiectum eius ſupernaturale, interuentu eleuationis quam à Deo ſupra connaturalem ſuam exigentiam effectiuè accipit, vt ſuſtolatur ad paſſiuè cauſandam formam ordinis ſuperioris.

Nunquam enim ſubiectum (vt hoc obiter aduertam,) dicitur cauſa ſupernaturalis niſi inſtrumentalis & reſpectu formæ pertinentis ad ſuperiorem ordinem: quia cauſa ſubiectiua,cùm ſit ens creatum,non poteſt reſpectu formæ ſupernaturalis eſſe niſi cauſa inſtrumentalis, ſeu concurrens interueniente eleuatione quæ illi à ſuperioris ordinis cauſa confertur; non quidem in genere cauſæ paſſiuæ, cuius modus cauſandi importat imperfectionem,ſed in genere cauſæ efficientis, nimirum vltra paſſi exigentiam, eliciendo efficienter illam ipſam actionem vel entitatem, quæ eſt vinculum nectens formam cum ſubiecto; & quæ eo ipſo quod tali paſſo aduenit, & ab eo ſubiectiuè cauſatur, eſt cauſalitas paſſi in talem formam. Cauſa autem efficiens ſupernaturalis, poteſt vtroque modo concurrere, nempe & principaliter & inſtrumentaliter. Nam facultates noſtræ vitales, intellectus inquam & voluntas, ſuſtolluntur diuinitus ad efficienter cauſandos actus ſupernaturales fidei. ſpei, & charitatis, quos in ratione cauſæ phyſicæ non producunt, niſi inſtrumentaliter, etiamſi in ratione principij moralis dicantur egere principaliter, quia homo ſe determinat ad illos actus, vſurpátque pro libito diuinam aſſiſtentiam ſibi præparatam: Ipſe autem Deus, per modum cauſæ principalis ſupernaturalis, operatur actiones & effectus excedentes ordinem naturæ.

Alius næuus in adducta Scoti doctrina eſt, quòd dicat omne agens cauſatum, eſſe agens naturale, & ſolum agens increatum dici ſupernaturale.Hoc autem falſum eſſe liquet ex proximè adducto exemplo potentiarum noſtrarum eleuatarum; & ex quibuſuis habitibus infuſis, qui licèt ſint entia creata, ſunt tamen agentia ſupernaturalia. Et certè ipſemet Scotus in 4. d.49. q. 11. admittit viſionem beatificam eſſe actum ex ſuo genere & ſimpliciter ſupernaturalem:& tamen fatetur eam ab ipſo beati intellectu fœto lumine gloriæ, effectiuè prodire; ergo datur aliquod agens creatum,quod ſupernaturaliter operatur, & cauſat rem ſupernaturalem, ac proinde dici debet agens ſupernaturale in ratione agentis. Quod malè Scotus,in doctrina ex eo allata, diffitebatur.

Placet quoad reliqua, nominatimque quoad potentiam neutram.

5. Itaque Scoti doctrinam,quoad rationem,quam reddit variarum illarum acceptionum principij naturalis, repudiandam cenſeo; illas tamen varias acceptiones admitto. Nec me mouent, quæ contra vltimam acceptionem opponunt paſſim Thomiſtæ contendentes nullam dari potentiam neutram, quoad formas non artificioſas, vt Caietanus 1. p. q.1. art. 5.& tomo 3. opuſc. tractat.3 q 1. Sotus 2.Phyſic.q. 1.ſequitúrque Molina 1. p. q. 12. art. 1. d. 2. *ſub finem*: Nihilominus enim exempla quædam quibus Scotus vtitur, videntur conuincere quod intendit: ac nominatim exemplum motus cœleſtis, & motus ignis in ſphæra ſua.

Habilitas enim illa, quæ eſt in cœlo ad motum circularem, eò quod leuitate & grauitate careat, non ſufficit, vt illum motum cœlo naturalem cenſeamus; ſed tantùm vt cenſeatur non violentus, vt agnouit etiam Durandus in 2.d.14.q.2 n.6.& in 3.d.22. q.7. n.9. qui addit poſſe quoque illum motum dici præter naturam. Almainus tract.1. moral. cap. 2. ſubſcribens Scoto vocat actum ſeu motum indifferentem; at hoc ipſum eſt, quod nomine actus neutrius,& potentiæ neutræ intelligimus. Appellamus enim actum neutrum, vel formam neutram, eam, quæ cùm non ſit ſuperioris ordinis, tamen talis eſt vt potentia: quamuis poſſit eam recipere (alioqui non eſſet potentia neutra ſed nulla ex Caietano ſupra q. 11.) neque in eam propendeat, neque etiam ab ea abhorreat: cùm neque malum potentiæ ſit, neque bonum. Quod clarè patet ex motu cœli quem idcirco Durandus vocat præter naturam. Ipſi ſiquidem cœlo,

dummodo

modo ſpectetur vt corpus particulare, cùm ſupra elementa conſiſtit, perinde eſt ſtare, aut hac vel illâc, vel hoc aut illo motus genere cieri, quia quomodocunque ſe habeat ad motum vel quietem, æquè illi benè eſt, ac proinde potentia cœli ad motum illum ſubeundum ex parte formæ, (ſi eſt in cœlo alia compoſitio ſubſtantialis, quàm ex partibus entitatiuis,) eſt neutra; eſto ex parte materiæ dici poſſit naturalis. quod tamen, vt patet ex motu lapidis ſurſum, non ſufficit ad motum aliquem denominandum ſimpliciter naturalem: cùm ad id ſit tantùm ſpectanda forma. At hæc in cœlo ad motum circularem neutraliter ſe habet, vt dixi.

Et idem dico de motu circulari ignis in ſua ſphæra conſtituti: de quo motu, ſitne violentus, an naturalis, an neuter, variant ſententiæ apud Zabarellam iuſto opuſculo. Et Vaſquez quidem 1.2.d.25.num.14. & Salas 1.2. tract. 3. d.1. n.3. aſſerunt eſſe violentum repugnantes Ariſtoteli qui nullum violentum perpetuum agnoſcit 1. cœli tex. 15. & manifeſtæ rationi; quæ confirmat motum illum non eſſe violentum, cui paſſum non renititur, eò quòd per illum non afficiatur malè, aut contra naturæ ſuæ exigentiam; quod liquet cerni in motu circulari ignis. Quem proinde cum Scoto variis locis, quæ ex eo allegat Molina ſuprà, & cum Suare d.43. Metaph. ſ.4. n.13. admitto eſſe neutrum. Et annuit reipſa idem Molina cùm ait hunc motum eſſe *præter naturam*. Nam vt oſtendi, hæ voces idem reipſa denotant, quod voces *motum neutraliter ſe habentem*; id eſt, neque naturalis, neque violenti. Eſto interdum hic motus latè ſumpto violenti nomine, ſeu pro eo quod non eſt à principio interno, dicatur violentus à Philoſopho 1. cœli text. 15. quem locum aliter fusè ſed non benè exponit Piccolomineus Gradu 1. moral. c.15. Et eodem ſenſu 4. Phyſic. t.67. dicitur omnem motum aut eſſe naturalem aut violentum, id eſt, vel ab intrinſeco vel ab extrinſeco.

6. Placuit hæc potius exempla adhibere, quia valida videntur pro doctrina Scoti quam defendendam propoſuimus, etiamſi alia quædam exempla, quæ in hanc rem à Scoto adhibentur, pateant calumniæ, & facilè ab aduerſariis infringantur; nominatimque facile eneruant exemplum illud, quo vno Baſſolis in 2.d.18 q.vnica art 1. confirmat potentiam neutram: nempe motus Angeli ſurſum, aut deorſum, quem ait neque eſſe naturalem, neque violentum, ſed neutrum & indifferentem. Facilè enim aduerſarij naturalem eſſe affirmabunt, non neutrum, cùm ſit à vi intrinſeca.

Arctanda tractatio, ad naturale, oppoſitum violento phyſicè accepto.

Ex his habetur de quo naturali ſit hoc loco habendus ſermo. Non enim de naturali, quod contraponitur libero, cùm illud ipſum naturale, quod hîc inueſtigamus, ſit ſuperius libero, ac proinde debeat cum illo cohærere & ob eandem cauſam non agimus hîc de naturali, quod contraponitur ſupernaturali, quia dantur multi actus ſupernaturales qui verè liberi ſunt, vt patet ex proximis diſpoſitionibus ad gratiam ſanctificantem, & ex actibus quibuſuis ſupernaturalibus meritoriis; qui cùm ſubſint poteſtati hominis, non poſſunt dici naturales, ſic vſurpando eam vocem vt excludat actus liberos. Denique non agimus de naturali quod contraponitur neutro, quia mores, in ordine ad quos iſta tractamus, ſunt actus naturæ rationali, aut ſaltem ſenſitiuæ conſentanei; ac proinde non ſe habent neutro modo, ad hominem eos elicientem.

7. Agimus ergo de naturali, quod contraponitur violento, & quidem phyſicè accepto. Quod addo; quia Iuriſperiti, vt videre eſt apud Bartolum l. 1. C. *de nauicularius*, violentiam aliter vſurpant, quàm Philoſophi. Sumunt enim violentiam, ita vt extendatur etiam ad ea quæ homo violentiam patiens efficit. Duplicem ſiquidem vniuersè loquendo agnoſcunt violentiam; nempe vnam, quam vocant abſolutam & præciſam, ac preſsè acceptam, quia ad eam interuenit impetus in eum, qui violentiam patitur, etiamſi tunc ipſe propter impetum feratur in actum, in quo dicitur ſubire violentiam. Alteram, quam vocant conditionatam, qua quis, etiamſi non contingatur, nec in eum impetus fiat, adigitur incuſſo metu ad aliquid faciendum, vel conſentiendum in aliquid, in quod ipſe niſi metu vrgeretur non conſentiret. Nam iſtum quoque dici poſſe ſubire violentiam, conſtat ex cap. *Maiores. de Bapt, & eius effectu*, vbi Innocentius III. agnoſcit eum per violentiam attrahi ad ſuſcipiendum baptiſmum, qui intentatis ſuppliciis ad id adducitur, aitque eum etiamſi abſolutè nollet, tamen conditionaliter velle.

Vtraque autem hæc violentia non pugnat cum libero, quia non obſtante incuſſione metus, aut impreſſione impetus, poteſt homo in actum ferri, vel ab eo deſiſtere. Eſt tamen hæc violentia minus propria, quàm illa, quam Innocentius ibidem agnoſcit interuenire in eo, qui nullatenus aſſentiens neque cooperans, violenter adigitur thus idolo cremare: nempe quia manus paſſiuè tantùm ſe habens, impletur thure, & ad illud prunis iniiciendum, illata extrinſecus vi rapitur; quod eſt violentum propriè ac phyſice acceptum, cui contraponitur naturale, quod hîc exponimus.

Idem violentum, definitur.

Eſt autem duplex huius violenti definitio apud Philoſophos, tametſi re quidem ipſa in idem recidant. Prior habetur 3. Ethic. c. 1. his verbis. *Violentum eſt, cuius principium eſt foris, in quod nihil is qui agit, aut patitur confert.* Poſterior autem, quæ expreſsè apud Philoſophum non habetur, ſed ex variis eius locis contexta eſt, his verbis concipitur. *Violentum eſt, quod eſt à principio extrinſece vim non conferente paſſo ſed renitente per contrarium impetum, & quaſi conatum internum.* In priore definitione, nomine *principij foris exiſtentis*, intelligitur agens extrinſecum, vt exponit Alexander 4. qq. c.12. hanc definitionem gloſſans, atque ita in vtraque definitione priora verba, eundem ſenſum faciunt.

8. Quod autem in priore definitione additur, *nihil is qui agit*, reprehenſum eſt à nonnullis apud Euſtratium 3. Ethic. c. 1. in expoſitione eiuſdem definitionis. Dixerunt enim illud additamentum eſſe ſupernacaneum, ac etiam falſum; quandoquidem in pleriſque violentiam ſubeuntibus, nulla actio cernitur. Quid enim agit qui violentæ verberationi ſubiacet, aut qui à vento violenter abripitur? Cùm ergo ſint qui violentiam ſubeant & patiantur duntaxat, non item agant, inferri videtur violentum non debere definiri per actionem. Imò fuerunt qui cenſerent violentiam non poſſe cerni in cauſa efficiente: Ita enim planè videtur aſſerere Gilbertus Crab. 3. Ethic. q. 1. dub.1. cùm neget vllum motum, qui eſt à principio intrinſeco eſſe violentum. Eſt autem à principio intrinſeco ſi cauſa efficiens agit, & agendo ſubit violentiam.

Sed rectè reſpondet Euſtratius, (habetúique etiam ex Philoſopho 2. ad Eudemum c.8. aliàs 9.) poſſe in cauſa quoque efficiente violentiam cerni. Vt ſi alio me impellente, tertium quendam ipſe protrudam ac

ſternam innitus. Additúrque ibidem à Philoſopho, non actionem tantùm ſic profuſam, ſed etiam ceſſationem ab opere, poſſe agenti eſſe violentam, ſi videlicet cùm agens operari cuperet, aut ad id innato impetu ferretur; cohibeatur à principio extrinſeco & impediatur agere. Talis enim ceſſatio, eſt violenta agenti. Quo pacto ignis per violentiam ceſſauit à calefactione & combuſtione trium puerorum, & lapis per vim detinetur ſurſum extra proprium locum.

9. Iam quod in priore definitione dicitur, huiuſmodi principium extrinſecum tale eſſe debere, vt nihil illi conferat qui violentiam ſubit; explicatur in poſteriore definitione per illa verba *renitente*, &c. Vnde patet non ſatis eſſe quod paſſum nihil conferat, negatiuéque ſe habeat, ſed debere nihil conferre contrariè; eò quòd violentia ſit contra internum impetum, vt benè notauit Scotus in 4.d.43. q.4. *litera B.* & in 2.d.18.q. vnica *litera D.* Geruaſius lib. de notitiis, tract. de appetitu rationali q. de coactione, & Suares ad cap.5. libri quinti Metaphyſ. vbi Ariſtoteles id inſinuat, ac etiam 1. cœli c.2.& 5. de generatione animalium c.8. & lib.1. Magnor. Moral. c.13. & 2. ad Eudemum cap.8. aliàs 9. vbi malè interpres particulam παρὰ, aliquando vertit *præter*, cùm eo loco debuerit verti *contra* vt fecit in verbis illis: *continentia exercetur, cùm contra cupiditatem ſecundum rationem viuitur:* Quo eodem modo ſ.1.proble. q.6. violentum dicitur eſſe contra naturam, παρὰ φύσιν, quod malè eo quod dixi cap. 8. interdum vertitur *præter naturam:* Sic enim non deſignat reniſum illum, & contrarium impetum internum, quo dixi conſtitui violentum.

Ratio autem cur hunc reniſum, & contrarium impetum, in violento interuenire velim, ex eo ducenda eſt, quòd ſi is deſit, nulla ſit occaſio dicendi effectum eſſe violentum. Nam quod violentum eſt, debet tale eſſe, vt in paſſis cognoſcentibus moleſtiam ingeneret, ex 3. Ethic. cap.1. & 2. ad Eudem cap.8. Atqui nihil moleſtiam procreat, niſi ſit contra internum impetum appetitus. Ergo vniuerſaliter loquendo, violentum debet eſſe contra internum impetum cuiuſuis violentiam ſubeuntis. Et ſanè niſi ita eſſet; lux deberet dici violenta corporibus opacis; & habitus ſupernaturales, ad quos nullam internam propenſionem habemus, proindéque ad quos nihil naturaliter conferimus, eſſent nobis violenti; quod nemo dixerit. Sic explicatæ ambæ illæ definitiones, eundem (vt vides) ſenſum efficiunt, nec niſi verbis geminæ ſunt.

Difficultates in contrarium: ac primùm non quoduis agens extrinſecum, videri vim inferre.

10. Enodanda porrò eſt duplex difficultas, communis vtrique illi definitioni: vna quoad principium extrinſecum: altera quoad paſſum renitens. Sunt enim qui negant quoduis extrinſecum agens, idoneum eſſe violentiæ inferendæ, etiamſi paſſum nihil conferat, etiam contrariè: hoc eſt, etiamſi impreſſio facta ab agente extrinſeco, ſit contra internum impetum paſſi ſubeuntis impreſſionem. Sic Aluares d.32. de auxil. concl. 2. ratione 4 & ad 4. contendit nullum motum à Deo immediatè effectum, poſſe eſſe ſimpliciter violentum creaturæ; eo quòd Deus non ſit principium creaturis extrinſecum, nec poſſit immediatè mouere aliquam creaturam niſi ordinando talem motionem in ſuam bonitatem. Sed omnis creatura magis inclinatur in diuinam bonitatem, quàm lapis in centrum. Impoſſibile ergo putat, eſſe aliquem motum, qui procedat à Deo immediatè; & tamen ſit violentus creaturæ: Alioqui creatura poſſet Deo reſiſtere ac obniti; quod quis dicat?

Huc ſpectat, quod ait S. Auguſtinus 26. contra Fauſtum cap.3. *Deus conditor & creator omnium naturarum, nihil contra naturam facit. Id enim erit cuique rei naturale, quod ille fecerit, à quo eſt omnis modus, numerus, ordo naturæ.* Splendide item in hanc rem diſputat Paſchaſ. Rathbertus l. 1. de corp. & ſang. dom. c. 1. ſic ſtatuens præter cætera. *Omnium rerum & naturarum cauſa, ſola voluntas Dei rectè creditur. Ideóque quotieslibet in ſeculo videtur, quaſi contra naturam aliquid euenire, quodammodò non contra naturam eſt, quia potiſſimùm rerum natura creaturum hoc habet eximium vt à quo eſt, ſemper eius obtemperet iuſſis; vt ſicut velle Dei eius profectò eſt eſſe, ita quoque quicquid eam rurſus virtus Dei eſſe decreuerit, iure aut creſcendo augeatur*, &c. eóque aptat illud Poëtæ Chriſtiani.

——————Subditur omnis,
Imperiis natura tuis, ritúque ſoluto
Tranſit in aduerſas, iuſſu dominante figuras.

Cenſere ergo videtur Paſchaſius, nihil quod creatura à Deo ſubeat eſſe violentum, ſed eo ipſo, eſſe ſecundum naturam creaturæ cui hoc à natura congenitum eſt, vt ad Dei ſe nutus conformet. Idem de impreſſione, à cœlo, & aliis quibuſuis vniuerſalibus cauſis prodeunte, affirmat Capreolus in 3. d. 27. q. vnica ad 3. contra tertiam. Idcirco enim affirmat motum aquæ ſurſum, ſi à cœlo, aliáve (vt ait) regitina vniuerſi virtute fiat, non eſſe violentum, ſed naturalem.

Deinde nec paſſum quâ paſſum, videri violentiæ obnoxium.

11. Iam verò quoad paſſum renitens, quæ erat altera difficultas propoſita, ſunt qui contendant illud non eſſe aliud, quàm potentiam actiuam, vel aliquid ex parte eius ſe tenens: hoc eſt, formam, per quam cauſa efficiens deſtruit vel expellit aliam. Si ergo cauſa efficiens per vim ſibi inſitam conetur actu ad oppoſitum eius quod ſubit, aut ita affecta ſit in actu primo, vt ſi expedita relinqueretur, illico erumperet in actum ſecundum, aut ſi forma, ſubiecto immiſſa non extruderet eam, cuius depulſionem formaliter & aduentu ſuo inferre idonea erat; admittunt hi authores, huiuſmodi entia reniti, & pati violentiam, & contra internum appetitum affici. Negant autem in potentia paſſiua & materiali, quâ tali, cerni poſſe reniſum illum & contrarium impetum. Ita Vaſq. 1. 2. d. 25. num.16. & 17.

Probat autem non competere cauſæ materiali internum impetum quia ex tali cauſa nihil procedit, ac proinde ipſa ex ſe non dicitur conari, vel ſe habere inſtar conantis. Deinde ſi ita eſſet, tenebræ eſſent aliquid aëri violentum; quandoquidem aër habet naturalem potentiam ad lucem, tanquam ad naturalem quandam perfectionem ipſius. Quies item eſſet violenta cœlo, quippe pugnans contra internam inclinationem paſſiuam, quæ negari in cœlo non poteſt reſpectu lationis circularis. Adhæc materia prima poſſidens vnam formam, violenter careret aliis, ad quas naturalem inclinationem paſſiuam haberet. Item humanitas Chriſti vim pateretur, dum caret ſua naturali perſonalitate à qua terminari naturaliter exigit. Quæ omnia incommoda declinantur, ſi negetur internum illum impetum, quo renitente violentum conſtituitur, competere potentiæ paſſiuæ.

Ad priorem difficultatem; oſtenditúrque violentiam, etiam à Deo inferri poſſe.

12. Verùm quod ſpectat ad priorem difficultatem, fatendum eſt quodcunque tandem ſit agens extrinſecum, inferri ab eo violentiam, ſi violetur interna exigentia naturæ, taliſque ſit immiſſio, à Deo vel vniuerſali cauſa prodiens, vt per aliud aliquod agens cauſata, diceretur violenta. Ita apertè admittit Durandus in 2.d.25.q.4.n.5. & Bannes 1.p.q.105.art.6. dub.2. & q. 82. artic. 1. dub. 3. omneſque illi DD. qui concedunt Deum poſſe inferre voluntati violentiam, ſaltem priuatiuam, qua cohibeat voluntatem ab eliciendo actu in quem alioqui ferretur; quam eſſe veram violentiam ſi à Deo prodeat, negat Aluares ſupra ad 5. Sed malè, vt conſtat ex eo quòd eam vnam ob cauſam, qui vim naturalis actionis elicitiuam hebetat, violentiam infert. Accedit ratio communis etiam poſitiuæ violentiæ, quâ ſcilicet potentia contra natiuam ſuam inclinationem adigitur ad cauſandum aliquid. Nam vbi eſt eadem impreſſio, & idem modus eius inferendæ, debent admitti omnes illæ denominationes, quæ talem impreſſionem modúmve quo facta eſt, conſequuntur, etiamſi agens ſit diuerſum. Nec enim agimus de denominationibus refuſis ab agente, ſed de illis quæ petuntur à ſola impreſſione, vel modo impreſſionis prædictæ. Atqui impreſſio, de qua nunc agimus, talis eſt, vt ſi à creatura prodiret, denominaretur violenta; non quia à creatura eſt. nam pleræque eius impreſſiones, non denominantur tales, ſed quia eſt impreſſio talis; id eſt, diſſentanea facultati, quæ violentiam ſubire dicitur. Ergo etiamſi eadem impreſſio fiat à cauſa aliqua ſuperiori, non eſt negandum, quin ea impreſſio denominanda ſit violenta.

13. Nec quæ in contrarium opponebantur, ſunt alicuius momenti. Falſum enim eſt, quòd Deus non ſit principium creaturis extrinſecum. Quamuis enim ob immenſitatem ſit quibuſuis rebus localiter intimus; tamen eſt inter Deum & creaturam diſtinctio tanta, vt non poſſit Deus non eſſe extra creaturam, eo modo quo principium violentum debet eſſe extrinſecum: alioqui omnis actio Dei in creatura, quamuis à ſolo Deo prodiens, diceretur immanens. Præterea falſum eſt quòd creatura magis inclinetur ſuapte natura in quamcunque formam vel actum, quem Deo placuerit illi immittere, quàm inclinetur lapis in centrum. Satis quippe eſt, quòd creatura ordinetur ſuapte natura in Deum, tanquam in finem vltimum: ita ſcilicet vt Deus ſit vltima meta, in quam & res, & omnes eius functiones generales deſtinatæ ſunt à ſupremo earum opifice: Itémque quòd creatura ita ſit apta ſubiacere diuinæ diſpoſitioni, vt nihil ſubterfugere queat, quod in ipſa, vel per ipſam, Deus pro ſumma ſua poteſtate, agere voluerit: quamuis nihilominus ſuapte natura res illa, aliquos ſibi actus vel formas depoſcat, quibus ſi priuetur, aut contrariis donetur, (à quocunque tandem id fiat,) violentiam ſuſtineat.

Nec idcirco dicendum erit creaturam reſiſtere Deo, vt perperam inferebat aduerſarius. Non enim reſiſtit, qui ſubiacet diſpoſitioni alterius, quamuis aliud ex ſe depoſcat: illúdque faceret ſi ſibi permitteretur. Et in hoc magis elucet ſupremum Dei dominium in opificium ſuum; quod, cùm lubet, rapit quò ipſum natura ſua non ferebatur, vt ex Theodoro Aneyrano notaui in Naturali Theol. d. 8. n. 115. vbi inſinuaui, quæ illorum Patrum mens ſit, qui interdum dicunt, hoc eſſe rei naturam, quod Deus voluerit; quo pacto loquebatur Auguſtinus verbis quæ ex eo obiecta ſunt. Senſus enim eſt, Deum nullis creaturæ inclinationibus arctari, quominus iis neglectis exerceat per creaturas ſuas, vel in creaturis ſuis, quod diuinæ voluntati ſuæ placitum fuerit: Quamuis quia inclinationes illæ, creaturis intimæ ſunt, & ipſam earum eſſentiam aſſectantes, negari non poſſit quin ſemper maneant, reddántque violentam impreſſionem iis aduerſantem, etiamſi à Deo fiat: Multóque etiam magis, ſi à cœlo. Vnde motus aquæ ſurſum ad impediendum vacuum non debuit à Capreolo vocari naturalis. Apertè enim, aquæ in ea tractione ponderoſitas, docet eam motu violento ſurſum ferri. Et ita rectè affirmat Scotus in 3. d 27. q. vnica *litera F.* quanquam motum illum non à cœlo aliáve vlla vniuerſali cauſa, ſed ab eo proficiſci qui trahit corpus, quo amoto ſequeretur vacuum, alibi pleuè eſt demonſtratum.

Eliditur poſterior difficultas, poſita num. 11, oſtenditúrque violentiam malè arctari ad vim actiuam.

14. Iam quod attinet ad poſteriorem difficultatem, perperam violentia arctatur ad potentiam actiuam. Violentum enim in vniuerſum eſt, quod eſt contra naturalem appetitum; etiamſi appetitus ille ſit potentiæ paſſiuæ exigentis formam aliquam, ad naturale ſuum complementum. Hic enim appetitus coincidit cum illo interno impetu, per quem rationem violenti declarauimus. Cùm itaque in potentia quoque paſſiua, cernatur appetitus ad formam ſibi conſentaneam, admittendus etiam in ea potentia eſt impetus innatus, contra quem eſſe poſſet violentia. Nec niſi gratis, huiuſmodi impetus ad potentiam actiuam reſtringitur. Imò Philoſophus apertè in priore definitione videtur agnoſcere potentiam paſſiuam eſſe capacem violentiæ, quæ non eſt niſi contra huiuſmodi internum impetum. Ait enim violentum eſſe, *cui nihil confert*, id eſt, cui contranititur *qui agit aut patitur*. En *patitur*.

Et ita admittunt Ruuius q 4. de potentiis animæ in communi n. 72. Salas 1 2. tract. 3. d. 2. n. 4. Suares d. 34. Metaph. ſ. 6. n. 17. & lib. 2. de Angelis cap. 7. n. 14. Nec reuera diſſidet Scotus in 4. d. 43. q. 4. *litera C* cùm ait, in primo paſſo, id eſt, in materia prima non poſſe cerni violentiam: Rationem enim reddit, quia ipſa non inclinatur contra aliquid, cuius eſt abſolutè receptiuum. Cùm ergo pleráque alia paſſa inclinentur contra id quod recipiunt, vt idem Scotus paulo pòſt ibidem fatetur; manifeſtum eſt ex eius mente admittendum eſſe, dari poſſe violentum reſpectu potentiæ paſſiuæ.

Quæ in contrarium opponebantur, nullius ſunt roboris. Nam facultas paſſiua, hoc ipſo quòd appetit connaturaliter actum aliquem; non autem alium à quo abhorret, dicenda eſt conari ad ſuum illum actum; & tendere ad eum per natiuum impetum; ac proinde ſubire violentiam, cùm tali perfectione priuatur. Et è contra, paſſum quod non exigit connaturaliter formam aliquam etiamſi poſſit eam recipere, dicendum eſt non pati violentiam, ſi ea careat. Vnde quia aër ſecundùm formam ſuam non inclinatur ad lucem, non eſt dicendus ſubire violentiam quando ſubeſt tenebris; quia eis non renititur, cùm lux non ſit aliquid aëri debitum. Similiter quia cœlum ſecundùm ſuam formam non inclinatur ad motum circularem, nullam ſubit violentiam ſi moueri deſinat. Quod autem materia aëris & cœli ſit huiuſmodi formarum capax, ideóque dici poſſit eas appetere, parum refert; quia huiuſmodi formæ non

debentur materiis cœli vel aëris, ſiue ſecundùm ſe, ſiue prout ſubſtant formis ſubſtantialibus huiuſmodi corporum. Quod maximè attendendum eſt, quia cùm agitur de violento reſpectu alicuius totius, non attenditur an materia ſit capax actus aduenientis, quaſi cùm id contingit actus cenſeatur naturalis: ſed attenditur forma & materia ſubſtans formæ & iuxta reniſum tunc interuenientem, vel non interuenientem ratione formæ, pronunciatur de violentia vel non violentia actus aduenientis tali toti.

15. Præterea, vt reliquis exemplis ab aduerſario adductis ſatisfaciam, materia prima cùm ſubeſt ſubſtantiali alicui formæ, non renititur illi, ac proinde non ſubit violentiam: quia pro eo tempore, quo excipit ſinu ſuo vnam ſubſtantialem formam, non debetur illi alia: habet tamen iam tunc capacitatem excipiendi aliam formam ſi iſta abſcedat: vt ſanè cogetur abſcedere, cùm apparatus diſpoſitionum illi alteri formæ opportunus, integrè admiſſus fuerit. Et ob has diſpoſitiones, quia hoſpitante etiamnum forma priore, excipiuntur in materia, dicitur materia machinari maleficium, & fidem hoſpiti datam perfidè infringere; quod metaphoricum eſt, nec vllum materiæ reniſum in præſentem formam ſubſtantialem importat. Quanquam ſi quis materiæ, vt his vel illis diſpoſitionibus affectæ, reniſum ad formam diſpoſitionibus illis diſſentaneam, vnáque violentiam tribuere velit, non refragabor.

Denique humanitatem Chriſti, ex eo quod connaturali ſibi perſonalitate deſtituatur, admitto ſubire violentiam, ſed gratam & optabilem; eo quòd ſubſiſtentia illa connaturalis in quam interno impetu fertur natura humana, ſuppleatur per ſubſtitutam altiorem perſonalitatem longè eminentiſſimam, qua natura illa ſuſtollitur ad ordinem diuinum, & ita euehitur, vt nequeat altiùs efferri, iuxta Diuum Auguſtinum lib. de prædeſt. Sanctor. cap. 15. Vnde natura humana, ſi in eius optione conſtitueretur, hoc extraneo complemento ſubſtantiali, vel alio ſibi connaturali & humano compleri ac perfici, ſemper appetitu elicito ſupernaturali, præeligeret diuinum iſtum terminum; ſaluo tamen ſemper appetitu innato, hoc eſt, connaturali exigentia ſubſiſtentiæ humanæ, cui eo modo non ſatisfieri gratiſſimum foret voluntati, ſummum decus ex illa extrinſeca ſuppoſitatione aduenien, agnoſcenti.

Datur potentia paſſiua violenta.

16. Hinc porrò obiter diiudicandum eſt, quod inter Caietanum tomo 3. opuſc. tract. 3. q. 1. & Molinam 1. p. q. 12. art. 1. diſp. 2. controuertitur, quorum prior admittit potentiam paſſiuam violentam; poſterior autem eam diffitetur. Dicendum enim eſt, quamuis reſpectu materiæ primæ ad formas ſibi aduentitias comparatæ, non detur violentia, quia materia eſt ad omnes formas indifferens, vt ſupra cum Scoto dicebamus: Tamen reſpectu materiæ vt ſubſtantis alicui formæ, dari poſſe potentiam paſſiuam violentam, ob reniſum materiæ ad nouam illam formam. Vniuerſalius autem agendo de potentia paſſiua, dicendum eſt dari quoque poſſe violentum in potentia paſſiua ſecundùm ſe ſpectata, eo quòd poſſit priuari actu ſibi connaturali, & accipere actum repugnantem, quod eſt ſubire violentiam, & eſſe potentiam paſſiuam violentam: Non quòd ipſa potentia paſſiua violenter inſit compoſito, cùm entitatiuè eadem ſit cum potentia naturali, nec niſi per habitudinem ad diuerſos actus vel formas, ſecernatur ab ea; ſed quod reſpiciat formam vel actum, toti, ad quod iſta potentia pertinet, violentum, & ab eo diſſentaneum.

Non poſſe voluntati inferri violentiam poſitiuam, ſententia communis.

Diiudicari quoque ex dictis poteſt; an voluntas poſſit pati violentiam poſitiuam diuina virtute. De violentia enim priuatiua, res eſt clara; eámque rectè admiſit cum Paludano, Almainus tract. 1. Moral. cap. 2. quia facile eſſet Deo denegare voluntati concurſum neceſſarium ad operandum; quo ipſo voluntas ſubiret violentiam priuatiuam. Naturaliter tamen non poſſe voluntatem ſic cogi, benè confirmat Durandus in 4. d. 29. q. 2. num. 7. difficultas itaque eſt, an voluntas vi diuina & de potentia abſoluta, poſſit ſubire violentiam poſitiuam. Quod aliter quæritur, an voluntas poſſit cogi coactione contrapoſita naturalitati, & ſuperiore ad neceſſitatem, quæ non excludit principium intrinſecum propẽdens in actum, ſicut facit coactio & violentia. Qua in re Doctores communiter, negant voluntatem poſſe pati violentiam de quacunque potentia, eo quòd implicet in adiecto, vt actus ſit à voluntate efficienter; & tamen ſit à principio extrinſeco, quod eſt de ratione violenti. Ita paſſim Scholaſtici, vel in 2, d. 25: vbi Bonau. Richar & alij vel in 4. d. 29. vbi Scotus, Maior, aliique. Vel apud S. Thomam 1. 2. q. 6. art. 4. aut 1. p. q. 82. art. 8. vbi latè Bannes dub. 1. Videtur planè ſuffragari S. Anſelmus. Nam Dialog. de libero arbitrio cap. 5. ita ſcribit. *Ligari homo poteſt etiam inuitus, quia nolens: poteſt torqueri inuitus, quia nolens: poteſt occidi: velle autem non poteſt inuitus, quia non poteſt velle, nolens velle: nam omnis volens, ipſum ſuum velle vult.*

Quæ videantur eam quatere.

17. Verùm an non violentum quoque dicitur, quod ita eſt à principio interno, vt non eſſet ab eo ſi ſibi permitteretur? Sic enim ſuperius cum Euſtratio dicebamus Ariſtotelem nihil peccaſſe, cùm dixit violentum eſſe in quod nihil confert, qui agit aut patitur: vt ſi percutiã aliquem propulſus ab alio. Ea quippe actio qua tertius impetitur, quamuis ſit à me tanquam à principio phyſico, tamen quia non eſt à me, niſi quatenus externam violentiam paſſo, tribuitur principio externo, & cenſetur eſſe eius: mihi autem indicatur violenta. Quidni ergo ſimiliter voluntas dici poſſet ſubire violentiam, ſi ad operandum adigeretur: ita vt eliceret quidem ipſa actionem, ſed non niſi vi extrinſecæ præmotionis, vel abreptionis, ſi eam Deus voluntatis ſummus arbiter, poneret?

Vrgebitque fortiùs difficultas ſi voluntas eſſet ex ſe aliud factura, & actu elicito (vt facilè ſupponi poteſt) aliud iam nunc velle decerneret, ſi ſibi permitteretur: quamuis cùm nequeat aduerſus tam potentem ſtimulum recalcitrare, grauatè ſubiiciat ſeſe, feratúrque quo per præmotionem & pondus extrinſecum abripitur. Sicut is, qui violenter impulſus ab extrinſeco percutit tertium, abripitur quo non vult, & efficit quod nullo modo effecturus fuiſſe ſupponitur, ſi fuiſſet ſibi permiſſus, Hæc eſt ratio dubitandi qua impeti videtur communis illa doctrina quæ negat voluntatem poſſe pati violentiam.

Stabilitur.

Nihilominus perſtandum eſt in receptiſſima illa doctrina, quam latè præter cæteros ſtabilit Durandus in 4. d. 29. q. 1. à num. 8. & optimè etiam S. Thomas q. 22. de verit. art. 8. & Almainus ſuprà. Et ratio eſt, quia implicat in adiecto, voluntatem ferri in

aliquid,

aliquid, & non propendere ad illud: quandoquidem volitio nihil aliud eſt, quàm actualis tendentia innatæ nobis propenſionis in obiectum aliquod. Quò ſpectat illud S. Auguſtini 5. ciuit cap. 10. *Velle, ſi volumus, eſt: ſi nolumus, non eſt: non enim vellemus, ſi nollemus.* Et illud S. Bernardi ſub initium tractatus de grat. & lib. arb. *Nemo aut non vult quod vult, aut vult quod non vult.* Et denique illud S. Anſelmi lib. de liber. arbit. cap. 5. *Ligari homo poteſt, & inuitus quia nolens poteſt torqueri inuitus, quia nolens; poteſt occidi. Velle autem non poteſt inuitus, quia non poteſt velle, nolens velle: nam omnis volens, ipſum ſuum velle vult.*

Accedit argumentum, quod in hunc modum format Guliel. Pariſienſis lib. de virtutibus c.9. *Impoſſibile eſt voluntatem velle aliquid inuitam, hoc eſt, nolentem velle illud. Declaratio autem huiuſmodi facilis eſt. Sit A volitum & voluntas nolit ſe velle A. Dico igitur ſi nolit ſe velle A, non vult ipſum A, velle enim nec quæritur, nec fugitur, nec recuſatur, nec oditur, niſi propter volitum. Quare ſi velle A eſt recuſatum, vel odium, vel fugitum propter ipſum A; multo fortius ipſum A eſt recuſatum, vel oditum, vel fugitum. Quare ſi ipſum velle A eſt nolitum, multo fortius ipſum A erit nolitum. Manifeſtum igitur eſt quod apud quemcunque eſt nolitum ſe velle A, nolitum ipſum A. Declaratum igitur eſt impoſſibile eſſe aliquem velle aliquid inuitum, id eſt, nolentem ſe velle illud. Quare quicunque vult aliquid, aut vult ſe velle illud aut ſuſtinet.*

Itaque poteſt quidem diuinitus interuenire neceſſitatio, qua feramur voluntate in aliquid in quod non ferremur, ſi non fuiſſemus adacti: Tamen cùm ea neceſſitatio non aliter fiat, quàm efficiendo vt voluntas velit, impoſſibile eſt vt volitio ſit violenta; quandoquidem eſt actio à principio intrinſeco; ex natiua, ipſique ingenita propenſione prodiens etiamſi impediatur actus elicitus, qui ſupponitur ab ea non neceſſitata fuiſſe proditurus. Quæ ratio, cùm æquè vrgeat pro actu voluntatis elicito ſimul ac imperato, ac pro actu tantùm elicito; fatendum eſt contra nonnullos apud Bannem 1. par. quæſt. 82. art. 1. dub. 2. æquè non poſſe voluntatem cogi ad actus qui ſimul ſint eliciti & imperati, ac non poteſt cogi ad actus qui tantùm ſint eliciti; quamuis ad vtroſque, (vt dicebam,) poſſit voluntas pati adactionem ſiue neceſſitationem, qua ſemota, nollet, quod de facto vult, poſita neceſſitatione illa. Qui velut potentialis reniſus, non pugnat cum voluntario actuali, nec importat violentiam quæ reipſa & actu inferatur. Sicut is qui ex metu aliquid facit quod ſecluſo metu non faceret; voluntariè, imò liberè agit, quia poſſet non agere ſi abſolutè vellet; & tamen ſimul vult efficaciter, quod inefficaciter vult: vel potius quod non vellet, ſi ſibi relinqueretur, & abeſſet metus: Eo enim ſuppoſito non poteſt non velle quod vult, etiamſi adactus velit. Idem ergo eſt in euentu propoſito, proportione ſeruata.

Ad dubitationem in contrarium.

18. Et hinc habetur aperta diſparitas, inter actum, de quo agimus, & actum eius, qui violenter propellitur, & ſic propulſus, percutit tertium, vnde formabatur ratio dubitandi. Nam iſte, dato quòd ad eam propulſionem ſe habeat effectiuè; non vult tamen illam, imò ab illa abhorret, quantum eſt ex ſe, quia actus, quem ita cauſat, non eſt elicitus vel imperatus interuentu actus eliciti, ac proinde voluntarij, vt contingit in re præſenti; ſed eſt actus qui æquè à lapide alióve corpore in animo prodiiſſet, ſi contigiſſet lapidem eodem modo propelli, & trudi in illum qui percuſſus eſt, ab homine ſic in ipſum propulſo. Actus verò elicitus renitens actuali volitioni, quæ à Deo extorqueretur, vel nullus eſſet vel inefficax tantùm, vt expoſitum eſt: quamuis intellectus poſſet iudicare voluntatem non fuiſſe volituram ſi ſibi fuiſſet relicta. Vnde fit fucus minus attentè conſiderantibus, qui iudicium illud de volitione, non poſita ſed ponenda, quod plerumque in huiuſmodi velleitatibus abſque actuali volitione elicitur, confundunt cum actuali volitione, quam huiuſmodi iudicium exhibet. Porrò eo ipſo argumento quo diximus voluntatem non poſſe pati violentiam & coactionem, probatur quoque intellectum non poſſe eam ſubire, quod latè confirmat Durandus in 2. d.24. q.3. nu.13. & eadem ex cauſa idem de quacunque potentia actum proprium eliciente pronunciat Franciſcus Romanus tract. de libert. operum verit. 10.

Quid ſit naturale de quo hîc agendum.

19. Secundò dixi & ex dictis intuli, quid ſit naturale, de quo hoc loco ſermo eſt: Itémque quomodò principium motum debeat eſſe naturale. Igitur naturale de quo ſupra diximus tractandum hîc eſſe, illud eſt, quod eſt à principio intrinſeco non renitente ſed conferente; hoc eſt, natiuam in illud propenſionem habente. Quæ definitio per ſe perſpicua manet ex dictis de violento, cuius expoſitionem idcirco cum Ariſtotele præmiſimus. Non dixi, naturale eſſe tantùm quod eſt à principio intrinſeco, vt video definiri apud aliquos recentiores: quamuis enim id poſſet ſufficere pro principio actiuo (quia nullum datur principium actiuum profundens actum vllum vel formam niſi ſibi connaturalem) tamen non poteſt ſufficere pro principio paſſiuo: quandoquidem iuxta ſupradicta, præter potentiam naturalem paſſiuam datur etiam potentia paſſiua violenta & neutra. Vnde cùm in definitione naturalis nunc aſſignata, princípium eodem modo ſumendum ſit, quo in definitione violenti, ac proinde extendatur ad quoduis principium intrinſecum etiamſi duntaxat paſſiuum, perſpicuè ſequitur, definitionem naturalis non fore ſufficienter & adæquatè tradendam, per pauca illa verba; *quod eſt à principio intrinſeco.*

Non me latet Ariſtotelem 2. Phyſic. t.3. & 1. cœli t.5. ac ſæpè alibi, definire naturam præcisè per hoc quod eſt eſſe principium primum motus immanentis, ſiue eius in quo eſt. Quæ definitio reſtricta ad naturam creatam de qua ſola traditur à Philoſopho, eximitur reprehenſione Anaſtaſij Sinaitæ, qui cap. 8. *ὁδηγοῦ ſub finem* ex eo illam reiicit quod Deus ſit natura, nec tamen ſit principium motus immanentis. Ex ea igitur naturæ definitione, videtur concludi, naturam eſſe duntaxat principium effectiuum internum: hoc eſt, formam ſubſtantialem; Quandoquidem Ariſtoteles ipſe 2. Phyſ. c.3. definit cauſam efficientem illis ipſis verbis, quibus naturam ibidem definierat. Quod argumentum non parum pungit Spinam 5. Metaph. defenſ. 4. Item Ariſtoteles eod. cap. 1. probat artefacta non habere naturam, quia nihil ipſorum, effectionis in ſe principium habet; apertè omnino ſupponens, naturam eſſe internum principium effectiuum: & naturale idem eſſe quod prodiens ab huiuſmodi principio, in qua ſententia ſunt Valeſ. controu. 11. Zabar. lib. de nat. c.7. & Vaſq. 1.2. diſp. 25. num. 21.

Hæc inquam non me latent. Nihilominus Ariſtotelem ſecutus, qui alibi laxato illo vocis rigore, principium quoque paſſiuum habet pro natura, admitto naturale contrapoſitum violento, pertinere & ad id, quod eſt à principio actiuo, & ad id quod eſt à

paſſiuo

paſſiuo : quamuis abſolutè illud non dicatur naturale, quod eſt à principio ſolo paſſiuo, ſi forma ſubſtantialis renitatur, vt late vrget Zabarella lib. de natura cap. 8. & ſequentibus, eo quòd à potiori fiat denominatio.

Principium morum, quomodò naturale.

20. Hinc inſuper habetur, principium morum debere eſſe naturale, violento contrapoſitum; qui eſt totius de naturali & violento diſputationis hoc loco inſtituendæ ſcopus. Abeſſet enim laus & culpa ab actionibus hominis, niſi prodirent à principio intrinſeco non renitente, & ex ſe propendente in actum, vt rectè aduertit Ariſtoteles 3. Ethic. c. 1. & pleniſſimè confirmabimus infra, oſtendentes principium morum debere eſſe liberum. At rationi *liberi*, præſupponitur ratio *naturalis*, violento contrapoſiti, vt ſupra tractatum eſt.

Liquet igitur principium morum debere eſſe naturale in ſenſu prædicto : Quamuis in alio ſenſu rectè negetur, principium morum eſſe naturale, id eſt, libertate deſtitutum, quódque in opus feratur ex naturæ determinatione, ſicut lapis ad centrum, aut ignis vel bruta ad agendum. Hoc vnum ferunt illa Nazianzeni Orat. 31. *Bonum quod a natura proficiſcitur, laudem non meretur. Quod autem à libera voluntate animique inſtituto fluit, id demum laude dignum exiſtimandum eſt. Quæ igni gratia eſt quod vrit? Vrere enim à natura habet. Quæ aquæ quod deorſum fertur? Hoc enim à ſummo rerum omnium opifice habet. Quæ niui gratia habenda eſt, quod frigida ſit? aut ſoli quod luceat? lucebit enim etiam inuitus. Hoc mihi largire vt quæ recta ſunt velis.* Atque adeo vt liberè opereris cum dominio in operationem tuam, non autem naturaliter id eſt, ex naturæ determinatione aliunde facta, quàm à libera ipſa facultate etiamſi vt moraliter agas : neceſſe ſit naturaliter agas, id eſt, abſque vi. Similem planè locum habet S. Cyril. Hierol. catech. 4. §. de ſtatu hominis.

ARTICVLVS II.

De principio voluntario & inuoluntario.

PRouchimur ad principium operatiuum, minùs latè patens quàm illud de quo hactenus dictum eſt. Siquidem vt docet Ariſtoteles 2. Moral. Eudem. c. 9. & 1. Mag. Moral. c. 13. naturale & violentum ei oppoſitum, de quibus hactenus, ad inanimata extenduntur. Nam ignem, vi, coactúmque deorſum ferri dicimus : quamuis nemo dixerit eum inuoluntariè ferri deorſum, vel voluntariè ferri ſurſum; cùm non ſit in eo voluntas, ſiue vis appetens ex cognitione. Et idcirco Ariſtoteles 2. ad Eudemum c. 9. vult tractationem voluntarij & inuoluntarij, ſubſequi tractationem de violento & naturali, quandoquidem voluntarium aliquid plus dicit, quàm naturale; & inuoluntarium aliquid vltra violentum. Quod autem paſſim dicimus, *voluntarium & inuoluntarium*, vetus interpres, frequentiùs vocauit *ſpontaneum & non ſpontaneum*, vt conſtat ex 3. Ethic. cap. 1. & lib. 5. cap. 8. eſſéque has poſteriores voces, præferendas prioribus illis, quæ nunc increbuiſſe videntur, contendit Simon Portius lib. an homo, volens fiat bonus vel malus cap. 13. annuítque Molina 1. part. q. 41. art. 2. diſp. 1. Nobis tamen dum de re conſtet, parum referre videtur, hoc vel illo modo quis loquatur.

ASSERTIO.

INuoluntarium ſimpliciter, eſt quod vel ab extrinſeco principio, contra internum impetum; vel ex ignorantia voluntatem antecedente, operiſque cauſatiua, efficitur. Voluntarium autem ſimpliciter, eſt quod eſt ab intrinſeco principio, cognoſcente ſingula in quibus eſt actus. Vnde quod ex metu vel concupiſcentia efficitur, quamuis aliquid inuoluntarij aut minus voluntarij admiſtum habeat; ſimpliciter tamen & abſolutè, voluntarij rationem & appellationem ſortitur.

21. PRimò oppono voluntarium inuoluntario, ſecutus Ariſtotelem 3. Ethic. c. 1. qui ex inuoluntario definitionem voluntarij venatus eſt, priuſque de inuoluntario egit, quippe ſimpliciore, vt obſeruat ibi D. Thomas lect. 1. Nam inuoluntarium, iuxta Ariſtotelem hîc, quem imitatus videtur Clemens Alexandrinus 2. Stromat. cap. 6. ex ſola vi, vel ex ſola ignorantia poteſt exiſtere, cùm voluntarium ex pluribus exurgere oporteat; nempe & ex principio interno, & ex notitia prælucente facultati appetitiuæ internæ. Adde quòd inuoluntarium facilius incurrit in oculos, & minus operæ poſtulat, vt intelligatur, quàm voluntarium.

Inuoluntarium ex vi, ſiue inuitum.

Non eſt autem quòd de inuoluntario ex vi, multis agamus. Omnia enim quæ hactenus diximus de violento, in huiuſmodi inuoluntarium cadunt, dummodò intelligamus id quod violentiam ſubit, eſſe naturam cognitionis capacem : quia hoc primum inuoluntarij membrum, nihil aliud eſt, quàm violentum ad cognoſcentia reſtrictum, vt iam attigi, notauitque Durandus in 2. d. 25. q. 4. n. 4. In definitionem porrò violenti, ad hæc ſubiecta reſtrictam, recidit definitio quam tradit Iuriſconſultus l. 2. ff. *de eo quod metus cauſa* in hæc verba. *Vis eſt maioris rei impetus, qui repelli non poteſt.* Ad hoc inuoluntarium reducitur aliquo modo aliud inuoluntarium, quod ex metu cauſatur : importat enim vim aliquam operanti illatam. Quia tamen quod ex metu efficitur eſt ſimpliciter voluntarium, commodius infrà de huiuſmodi inuoluntario mixto diſſeram, poſt expoſitam rationem voluntarij, cum quo aliquatenus pugnat etiam poſitiuè.

22. Magis verò ab hoc primo inuoluntario ſimpliciter dicto abeſt illud inuoluntarium quod nullum reniſum continet. Aliqui illud ſolent appellare priuatiuum, vel inuoluntarium negatiuè, meliúſque diceretur non voluntarium. Idcirco enim tantùm, appellatur inuoluntarium, quia caret ratione voluntarij, etiamſi non habeat formam rationi voluntarij oppoſitam, qualis reperitur in inuoluntario per vim, ſeu contrariè accepto, quod hactenus expoſuimus. Neque verò huiuſmodi non voluntarium, confundendum eſt cum altero membro inuoluntarij mox explicando, quod ex ignorantia exurgit : Nam in tali inuoluntario, reperitur ignorantia vel error, qui non reperitur in huiuſmodi non voluntario, præciſè qua tali. Poteſt enim aliquid eſſe non voluntarium homini.

non

non ignoranti quid in ſe ab alio fiat, ſi non renitatur impreſſioni, nec eam virtualiter velit, ſed neutro modo ſe habeat.

Nec dici poteſt tunc interuenire voluntarium indirectum: quia huiuſmodi voluntarium, vt poſtea patebit, non cadit in formam poſitiuam, cuiuſmodi eſt illa impreſſio; ſed in ceſſationem ab actu qui elici poterat, & non eſt elicitus. Fundatur enim in potentia, & non in actu, vt infra explicabitur. Vnde in prædicto euentu, ceſſatio ab impedienda impreſſione, eſt voluntaria indirectè, ſi voluntas eam impreſſionem impedire poſſit, & non impediat. At ipſa impreſſio eſt ſimpliciter non voluntaria, ſiue inuoluntaria negatiuè, (etiamſi ſecludatur ignorantia,) nec niſi mediatè poteſt denominari indirectè voluntaria, denominatione petita ab omiſſione impediendi impreſſionem, quæ omiſſio indirectè voluntaria eſt, quia impedita non eſt impreſſio, quæ impediri potuiſſet.

Inuoluntarium ob ignorantiam.

Venio ad alterum principale membrum inuoluntarij ſimpliciter dicti. Ad cuius explicationem præmittenda ſunt verba Philoſophi 3. Ethic. c.1. [Quod ob ignorationem fit, non ſpontaneum quidem omne eſt: ſed inuitum id eſt, quod vel dolorem vel pœnitentiam affert. Qui enim cùm ex ignoratione quippiam egerit, factum minimè ægrè fert, is ſanè neque ſponte egit id quod ignorauit, neque inuitus cùm non doleat. Ex iis igitur qui ex ignoratione agunt, quem facti pœnitet, feciſſe inuitus videtur: quem non pœnitet, quia tamen diuerſus eſt, non ſponte egiſſe dicatur. Nam quia differt, melius eſt vt nomen quoque proprium habeat. Diuerſum quoque eſt, ex ignoratione, & ignorantem agere. Qui enim vel ebrius eſt, vel iratus, non videtur ex ignoratione agere, ſed ob aliud quippiam ex iis quæ dicta ſunt; quippe cùm non ſciens ſed ignorans agat. Vnuſquiſque igitur prauus, quid agendum, à quibuſque abſtinendum ſit, ignorat: obque huiuſmodi errorem, iniuſti & omnino mali homines efficiuntur. Inuitus igitur dici debet, non ſi quis ignorat id quod conducit: non enim ignoratio quæ in electione conſiſtit, inuiti eſt cauſa, ſed prauitatis. Neque ea quæ eſt vniuerſalis; quippe cùm ob eam homines vituperentur: ſed ea quæ circa particularia verſatur, in quibus & circa quæ actio exiſtit. In his enim & miſericordia & venia locum habet. Nam qui horum aliquid ignorat, is ſanè inuitus agit.] His verbis, Ariſtoteles, quæcunque de variis ignorantiæ membris & cauſato per eam inuoluntario, vel non voluntario, accommodatè ad vſum moralem tractari ſolent, luculenter complexus eſt.

Membra ignorantiæ, penes modum quo ſe habet qui ignorat.

23. In primis autem vt gradum ſibi faciat ad varias ignorantias, quantùm ad rem moralem neceſſe eſt, ſecernendas, penes modos quibus ignorans ſe habere poteſt; diſtinguit hic quoque non voluntarium ab inuoluntario, dicens, verum quidem eſſe quandocunque interuenit ignorantia, deeſſe rationem ſpontanei ſiue voluntarij, & haberi rationem non voluntarij: non tamen illico haberi inuoluntarium contrariè, ſiue inuitum; eo quòd non ſemper ignorantia illa adiunctum habeat reniſum virtualem & interpretatiuum voluntatis, ſed plerumque virtualem approbationem comitetur. Ad quod deprehendendum ſubminiſtrat indicium; nempe triſtitiam & dolorem circa factum, quæ ſentiri poſtea contingit, cùm deprehenditur quod geſtum eſt. Si enim qui operatus eſt, laborans ignorantia eius quod fecit; mox ſoluta ignorantia, & abacto errore, doleat ob factum, ſuppetit euidens indicium vt iudicemus actum eius non modò fuiſſe non voluntarium ratione ignorantiæ, quæ interuenit; ſed etiam fuiſſe inuoluntarium quaſi contrariè & poſitiuè, ratione reniſus quaſi habitualis, quo voluntas refugiſſet opus illud, niſi intellectus ignorantia laborans, celaſſet illam quid operis exerceretur. Si autem poſt patratum opus, & depulſam lumine ſcientiæ ignorantiam, homo aduertit ſe in ea diſpoſitione fuiſſe cùm operaretur, vt etiamſi abfuiſſet ignorantia, operatus tamen fuiſſet; nec doleat de facto, ſed potius ratum habeat quod cum ignorantia patrauit; euidens ſignum eſt, defuiſſe quidem rationem voluntarij, quia defuit cognitio operis; ipſum tamen opus non fuiſſe inuoluntarium inuitè, ſeu contrariè, ac proinde fuiſſe tantùm non voluntarium.

Ignorantia comitans, & non cauſa operis.

Paſſim hanc ignorantiam vocant *comitantem*. Durandus in 2. d.22. quæſt.4. num. 4. vocat *concomitatiuam*. Nider parte 2. conſolatorij cap. 4. appellat *circumſtantem*: nempe quia non eſt cauſa operis; quandoquidem opus æquè fieret tametſi ignorantia remoueretur per ſcientiam oppoſitam: vt patet in eo qui transfigit hoſtem, putans eſſe ceruum, æquè tamen, aut etiam alacriùs id ipſum facturus, ſi aduerteret eſſe inimicum: ſiue habitualiter tantùm ita ſit affectus, vt ex ſubſequenti gaudio re comperta innoteſcit: ſiue etiam actualiter; vt ſi diceret, transfigo hunc ceruum, quem video, (falsò putans eſſe ceruum;) quam volens autem idem præſtarem inimico, & quàm lubens, capulo tenus enſem hunc demitterem in eius viſcera! In quibus exemplis vides ignorantiam merè concomitanter ſe habere, nec in cauſa eſſe cur actio fiat, quandoquidem poſita ſcientia contraria, nihil remitteretur de feruore operandi.

At illa ignorantia, cuius abactionem ſubſequitur triſtitia & dolor de admiſſo per ignorantiam opere, eſt cauſa operis. Et ideo Durandus ſuprà num. 8. eam vocat ignorantiam cauſalem: Non enim fieret operatio niſi hæc ignorantia adeſſet, vt patet in eo qui patrem, quem vnicè reueretur & amat, incautus transfigit, ratus ſe feram transfigere. Tantum enim abeſt, vt eum fuiſſet transfixurus ſi ſciuiſſet ipſum eſſe quem transfigebat, vt potius re comperta & ſoluto errore ſummoperè angatur ob opus ex ignorantia patratum. Ex ignorantia inquam, nec tantùm ignoranter, iuxta modum loquendi à Philoſopho ſuprà vſurpatum. Ignoranter quippe agit, qui cum ignorantia agit, æquè facturus ſi ignorantia deeſſet: Ex ignorantia autem, qui agit, quia ignorat quid agat, non facturus ſi ſciret, & abeſſet ignorantia. Vnde liquet in iſto duntaxat, non item in priore, ignorantiam eſſe cauſam operis.

24. Eodem ſenſu accipiendum eſt, quod Iuriſperiti l. *Et eleganter* ff. *de dolo* ignorantiam prauæ diſpoſitionis ſiue errorem cum alicuius dolo interuenientem, vocant *dolum dantem cauſam contractui*; quatenus ſi dolus ille & error abfuiſſet, contractus nequaquam fuiſſet initus. Dolum autem, & ex eo conſecutum errorem, quo detecto, contractus nihilominus adhuc celebraretur, vocant *dolum incidentem in contractum* quia eius interuentus, non fuit cauſa cur contractus iniretur. Ita accipiendus eſt modus ille loquendi Iuriſperitorum, cùm agitur phyſicè & ex natura rei.

Quanquam

Quanquam ipſi quidem Iuriſperiti, quia ſpectant id de quo forum externum ſtatuere & pronunciare poteſt, accipiunt eum loquendi modum paulò aliter. Nam illum omnem errorem, qui eſt circa ſubſtantiam, dicunt dare cauſam contractui; omnem autem errorem, qui eſt circa accidentalia contractus, aiunt incidere in contractum: Quia quamuis plerumque error circa ſubſtantiam, ſit concomitans, & talis, vt eo depulſo nihilhominus adhuc celebraretur contractus: Tamen quia id pendet ex affectu cum quo contractus per errorem celebratus eſt, de quo affectu, (quippe occulto,) pronunciare non poteſt humanum tribunal: propterea in foro humano, error ille cùm ſubſtantiam contractus ſpectet, præſumitur cauſam contractui dediſſe, ita vt ſi ſcientia oppoſita affuiſſet, nequaquam celebrandus fuiſſet contractus. Ita enim expediuit decerni, vt lites præciderentur, & rectè proſpiceretur conuictui humano, atque commerciis. Et ob eandem cauſam in foro externo error circa accidentalia contractus, quamuis poſſit reipſa eſſe plerumque cauſa contractus, tamen iudicatur non fuiſſe cauſa. & qui eo errore laborauit, præſumitur æque fuiſſe contracturus ſi error abfuiſſet; etiamſi verbi gratia minori pretio, aliόve diuerſo modo contrahere voliturus ſupponatur, quàm reipſa contraxerit.

Poteſt ſimul eſſe antecedens & conſequens.

Nos, quia ex natura rei & philoſophicè rem hanc penſamus, eam duntaxat ignorantiam dicimus eſſe cauſam operis, ob quam poſitam contingit opus exerceri, ſiue ſit circa accidentalia, ſiue ſit circa ſubſtantialia. Non tamen, ex eo quòd ignorantia ſit cauſa operis, ſequitur eam vniuerſaliter loquendo confundendam eſſe cum ignorantia antecedente, quæ eſt alterum ignorantiæ membrum ab Ariſtotele poſtea inſinuatum verbis allegatis. Poteſt enim eſſe ignorantia aliqua concomitans, ac proinde non cauſa operis, quæ ſimul erit antecedens. Siquidem antecedens dicitur illa quæ anteceſſit voluntatem, nec potuit depelli. Vnde non eſt ignorantia ex electione, vt loquitur ſuprà Ariſtoteles; ſed ita præuenit voluntatem, vt non fuerit in poteſtate hominis eam excludere. Quod totum æquè poteſt cadere in ignorantiam comitantem, ac in eam, quæ eſt cauſa operis. Itaque manifeſtum eſt ignorantiam illam, quæ dicitur comitans, poſſe eſſe antecedentem: ſicut etiam poteſt eſſe conſequens: ſi nimirum præueniri potuerit à voluntate ac depelli. Nam penes illam duntaxat anteceſſionem aut conſecutionem, ignorantia dicitur antecedens aut conſequens. Cauſalis autem vel comitans appellatur, prout eſt vel non eſt cauſa operis.

2.. Et quamuis grammaticale incommodum videatur ignorantiam illam quæ ob defectum cauſalitatis in actionem quæ cum ea fit, vocatur comitans, vocare ſimul antecedentem, ſi voluntatem præuenerit, nec potuerit ab ea depelli; vel ſimul vocare conſequentem ſi potuerit ſuperari, & homo liberè delegerit ei ſubiacere: Tamen cùm hæ in ſpeciem pugnantes appellationes petantur ex variis reſpectibus eiuſdem ignorantiæ; ſiue ex eo quòd modò comparetur cum voluntate eam depellere aut non depellere valente modò cum effectu ex ea tanquam ex cauſa conſecuto, vel æquè abſque ea conſecuturo. non debet abſurdum cenſeri, quòd ignorantiam comitantem negemus eſſe membrum contradiſtinctum ignorantiæ antecedenti, & conſequenti, vt voces ipſæ ſonare videntur; & quod fateamur ignorantiam antecedentem poſſe non eſſe cauſam operis cum tali ignorantia facti, quandoquidem ignorantia, vt iam monui, non vocatur antecedens propter anteceſſionem reſpectu operis. (ea enim anteceſſio ſoli cauſæ competit, at hæc ignorantia non eſt ſemper cauſa operis:) ſed vocatur antecedens ob ſolam anteceſſionem voluntatis præuentæ per talem ignorantiam, eique abſque electione ſubiacentis.

Quæ antecedens ſiue inuincibilis ignorantia, quæ conſequens & vincibilis.

Antecedentem hanc ignorantiam aliter vocant inuincibilem, inculpabilem, probabilem, & iuſtam: at poſitam verò ei conſequentem, vocant vincibilem, culpabilem, improbabilem, & iniuſtam. Inuincibilis namque dicitur, quia non potuit hominis voluntate ſuperari; eo quod cogitatio non libera, quæ eſt totius noſtri liberi proceſſus initium, non præluxerit voluntati, vt aliquid faceret ad ſcientiam conſequendam, vtve aliquid omitteret ex quo ſecuta eſt ignorantia. Vnde contigit vt hæc ignorantia abſque culpa, & bona fide contraheretur; & idcirco inculpabilis, & probabilis, & iuſta dicitur. Probabile námque apud antiquos, nominatimque apud Saluianum & Caſſiodorum ſæpè dicitur, quod eſt approbabile, & dignum quod approbationem referat. Vnde quia hæc ignorantia, cùm contingit aliquid fieri, quod, ſi interueniſſet ſcientia, fuiſſet peccatum, habetur pro excuſatione legitima, excluditque culpam, meritò dicta eſt probabilis. Cur enim vitio vertatur, quod caueri non potuit, vt argumentatur D. Auguſtinus 3. de lib. arbit. cap. 18. & fuſius infra vrgebimus?

·Quod autem aliqui hanc ignorantiam tum demum iuſtam & probabilem eſſe dicunt, cùm homo non tenebatur eam vincere, quaſi ſi vincere eam tenebatur, ignorantia non ſit iuſta, quamuis ſit antecedens, & omnino non libera: hoc quidem parum aptè dicitur; non enim tenebatur homo vincere ignorantiam, quam nullo modo vincere potuit, quippe non liberam vt rectè Plotinus enneade 6. lib. 8. cap. 1. Itaque omnis ignorantia antecedens, meritò iuſta & probabilis dicitur.

26. E contra verò ignorantia cui homo liberè conſenſit ſubeſſe, ſiue ignorantia conſequens voluntatem, meritò dicitur vincibilis, quia vinci ab homine & depelli potuit. Non enim vincibilis diceretur, niſi aliqua obiecti notitia interueniſſet, ſufficiens ad abigendam ignorantiam, ſi homo eam notitiam ſequi, eique ſe conformare voluiſſet, vlterius inquirendo, & pleniorem ſibi lucem ex illis initiis conciliando; vt ſanè poterat, & tenuis illa notitia faciendum eſſe denunciabat. Ideóque culpabilis etiam dicitur, cùm contingit occaſione huiuſmodi ignorantiæ incurri crimen. Iniuſta præterea vocatur ex eadem cauſa; & improbabilis, hoc eſt, indigna quæ approbetur ad excuſationem culpæ, quæ in opere cum tali ignorantia patrato interceſſit.

Vincibilis multiplex.

Porro dupliciter cenſeri quis poteſt potuiſſe ignorantiam depellere, nempe phyſicè & moraliter. Phyſicè quidem, cùm aliqua circa factum non libera cogitatio animum pulſauit. Hoc ipſo enim habuit ſufficiens principium depellendi ignorantiam, & ſcientiam oppoſitam comparandi. Moraliter verò, cùm vti debuit ea non libera cogitatione mentem pulſante, & illud quaſi rudimentum notitiæ promouere. Si enim defuit obligatio vtendi ſubita illa &

improui

improuiſa luce, tunc ignorantia intellectum occupans, fuerit quid in vincibilis phyſicè, quandoquidem homo non fuit destitutus principiis phyſicis vincendi ac abigendi ignorantiam: Tamen moraliter cenſebitur inuincibilis.

Rurſus in vtroque hoc modo vincibilitatis, poteſt homo multipliciter ſe habere ad ignorantiam. Vel enim eligit non vincere ignorantiam, & non adhibere, quæ ad id neceſſaria ſunt; tantùm ne interueniente ſcientia, retrahatur ab executione operis, cuius executionem omnino fixam habet; Et tunc ignorantia illa, non modò vincibilis eſt, ſed etiam affectata. Vel ignorantia non eſt in ſe directè volita, ſed tantùm indirectè. Et tunc dicitur vincibilis non affectata. Argent. in 2. d. 21. quæſt. vnic. art. 3. vocat ignorantiam neglectam.

Hanc ignorantiam affectatam, rurſus ſecant in craſſam, ſiue ſupinam, & eam quæ talis non eſt: quamuis ſi opus, quod cum ea efficitur id ferat, adſitque obligatio vincendi ignorantiam, poſſit ea ignorantia ad culpam ſufficere, non leuem duntaxat, ſed etiam grauem. Vt enim ignorantia dicatur craſſa & ſupina, neceſſe eſt, nullam, aut ferè nullam diligentiam fuiſſe adhibitam, ad ignorantiæ depulſionem. Poteſt autem præterea dari ignorantia vincibilis, grauiter culpabilis, eo quòd attenta qualitate negotij, ad quod ſcientia acquirenda & ignorantia vincenda erat, defuerit conueniens ſtudium, etiamſi homo non pertigerit ad verticem illum negligentiæ aut affectus diſtrahentis, qui ad craſſitiem & ſupinitatem exigitur. Quod non ſatis viſus eſt animaduertiſſe Suares t. 5. 3. part. d. 4. ſ. 10. n. 10. & 12. negans huiuſmodi ignorantiam indirectè volitam grauiter culpabilem, à craſſa & ſupina diſtinctam. Confudi ignorantiam craſſam cum ſupina, quia reuera voces illæ, eandem ſcientiæ carentiam deſignant. Niſi ſi placeat cum nonnullis Doctoribus ita ſecerni, vt craſſa appelletur ea ignorantia indirectè voluntaria, quæ ex pura deſidia & negligentia oritur: ſupina autem dicatur, ea quæ derinatur ex nimia ſollicitudine & affectu ad rès alias, impedientes acquiſitionem ſcientiæ, rerum quas quis ſcire tenetur.

Membra ignorantiæ penes rem ignoratam. Siue ignorantia iuris aut facti.

27. Hæc varia ignorantiæ membra, quæ hactenus diſtinximus penes multiplicem modum, quo ſe habet, qui ignorat, alias denominationes ſubeunt ex parte obiecti aut rei ignoratæ, vt rectè aduertit S. Thomas 3. Ethic. lect. 3. vna ergo dicitur ignorantia iuris; alia verò ignorantia facti. Prior ignorantia, illa eſt, qua quis ignorat iuris præceptum, aut prohibitionem. Vnde huiuſmodi ignorantia, pro varietate iuris ignorati, multipliciter diuiditur. Aliquod autem ius eſt diuinum, aliquod humanum. Rurſuſque diuinum duplex eſt, nempe naturale, quod eſt cum natura congenitum, & poſitiuum, quod ita eſt à Deo pro tempore conditum, vt non ſit neceſſariò coniunctum cum natura. Humanum item aliud canonicum, aliud ciuile. Sicut ergo tot ſunt iuris membra; ita totidem dari poſſunt ignorantiæ materialiter diſtinctæ, penes materiam illam ignoratam.

Ignorantia verò facti tantùm; (nam plerumque adiungitur ignorantiæ iuris,) illa eſt, quà quis non ignorando prohibitionem, ignorat rem aliquam eſſe illam, quam ſcit eſſe prohibitam: ſiue opus ipſum quoad ſuam, vt ita dicam, ſubſtantiam ignoret, ſiue circunſtantiam eius aliquam. Quo pacto, ille qui non ignorat homicidium eſſe illicitum & vetari; poteſt tamen laborare ignorantia facti, neſciens opus quod exercet, eſſe homicidium; venabulo aut ſclopeto impetens hominem, quem pro fera habet. Similitérque Petrus, benè conſcius iuris quo miles in bello iuſto hoſtem aggreditur, per ignorantiam facti inuadit Paulum, quem pro hoſte habuit, cùm tamen frater ſit, vel ipſi Petro amiciſſimus. Ex quibus ſimilibúſque exemplis Caſtro 2. de lege pœnal. cap. 14. rectè colligit, tot modis multiplicari poſſe ignorantiam ſolius facti, quot ſunt in ipſo facto circunſtantiæ conueſtientes actum, & ad eius moralitatem ſpectantes.

Ariſtoteles hanc ignorantiæ partitionem loco allegato expreſſit aliis vocibus, vt notat Thomas de Argent. in 2. d. 21. quæſt. vnica art. 3. & Nider parte 3. conſolatorij conſcientiæ, cap. 31. poſt Vlricum de Argentina. Ignorantiam enim iuris vocat ignorantiam vniuerſalem, deſignans eam à potiori iure, quod vniuerſale eſt & in omnes cadit. Quamuis, vt bene S. Thomas 3. Ethic. lect. 3. animaduertit, dari poſſit etiam abſque culpa ignorantia iuris alicuius in facto aliquo particulari, vt patet (inquit) in illo, qui propter concupiſcentiam, exiſtimat fornicationem hîc & nunc ſibi eſſe licitam. Addo etiam vniuerſalem ignorantiam iuris inuincibilem poſſe in aliquo dari, non modò iuris humani, (quod nemo negat,) ſed etiam iuris diuini, cum politici, tum etiam naturalis alicuius. Ignorantiam verò facti, Ariſtoteles appellat particularem, ſeu quæ eſt in ſingularibus in quibus & circa quæ eſt operatio. Nomine quippe *facti* in hac materia intelligitur aliquod particulare determinatum, vel circunſtantia eius aliqua, quam ignorari etiam à ſapiente contingit. Et hanc ignorantiam meritò Philoſophus fatetur eſſe frequentem, præſertim ſi comparetur cum ignorantia iuris vniuerſalis, quod vt plurimum præſumitur non latuiſſe operantem. Imò ius aliquod vniuerſale nunquam ignoratur ab homine ſui compote; vt patet de primis præceptis moralibus; cùm tamen nullum ſit factum, nullàve facti circunſtantia, circa quam non poſſit homini irrepere ignorantia, &, quod idem hoc loco eſt, inaduertentia.

Breuiculus antedictorum, & multiplicitatis ignorantiæ, ſynopſis.

28. Vt ergo in breuem ſummam contraham, quæ hactenus paulò diffuſiùs tradita ſunt, quodque Chryſoſtomus ſcitè dixit homil. 3. de verbis Eſaiæ *in fine*, matrem imitati, quæ puerili togæ fructus varios immiſit, reducamus in anguſtum, diffluentem veſtem, ne immiſſa effluant: habemus ex Ariſtotele verbis allegatis, multiplices illas diuiſiones ignorantiæ, quæ apud morales Philoſophos circumferuntur, ad duo capita reuocatas. Aliqua enim ignorantiæ membra petuntur ex modo, quo ſe habet is qui ignorat, & cum ignorantia operatur: alia autem petuntur ex re ignorata. Hæc poſterior partitio continet ignorantiam iuris & facti. Prior autem trifariam inſtitui poteſt.

Siquidem penes eum modum ſe habendi, aliqua ignorantia primò vocatur prauæ diſpoſitionis, quæ idem eſt quod error, ſcientiæ contrarius. Errare enim eſt vnum pro alio putare, (vt habetur ex Diuo Auguſtino cap. 22. Enchiridij,) quod ſupra negationem ſcientiæ, importat iudicium intellectus poſitiuum peruerſum, vt S. Thomas in 4. d. 30. q. 1. art. 1. ad 3. & ibidem Soto quæſt. 1. artic. 1. *initio* corporis aduerterunt. Alia autem ignorantia, dicitur puræ priuationis, qua ſcilicet non importat errorem poſitiuum, ſcientiæ contrarium; ſed merum defectum ſcientiæ, quam homo alioqui habere debet. Paſſim hæc ignorantia, vocatur puræ negationis.

Verùm eo pacto accepta ignorantia non ſpectat ad actus morales, in quibus attendendum ſemper eſt debitum & habitudo ad legem obligantem. At ea ignorantia vel potius neſcientia eſt merus ſcientiæ defectus, ſecluſa obligatione quacunque comparandi ſcientiam. Quia tamen huius primæ partitionis membra non important aliam habitudinem ad voluntatem, quam illam quæ conſiſtit in obligatione comparandi ſcientiam, errori vel carentiæ cognitionis oppoſitam, vnde, vt infra oſtendam, niſi alius modus ſe habendi in voluntate accedat, reſpectu ignorantiæ non exurgeret inuoluntarium: propterea hactenus de iis ignorantiæ membris ferè ſiluimus. Supponentes tamen agi hoc loco, de ea duntaxat ignorantia, ſiue prauæ diſpoſitionis, ſiue puræ negationis, quæ comparandæ ſcientiæ oppoſitæ obligationem importet; quia talis duntaxat ignorantia, confert ad res morales.

Secundò penes eundem modum ſe habendi, ſeu penes quaſi habitualem teniſum operantis cum ignorantia vel interpretatiuum eius conſenſum in opus cum ignorantia factum, diſtingui poteſt ignorantia, quæ eſt cauſa operis, & comitans, quæ non eſt cauſa eius. Cum qua diuiſione recurrunt membra tertiæ diuiſionis quæ inſtitui poteſt penes anteceſſionem, aut non anteceſſionem voluntatis; nempe diuidendo ignorantiam in antecedentem ſiue inuincibilem, & conſequentem, ſiue vincibilem. Quę rurſus vel directè eſt volita, & dicitur affectata, vel indirectè & dicitur notabilis: vel ſi homo ad ſummum verticem negligentiæ & diſtractionis pertingat, ignorantia eius dicitur craſſa & ſupina. Ignorantia autem quæ eſt cauſa operis poteſt eſſe vincibilis & conſequens vel inuincibilis & antecedens. Similitérque ignorantia quæ non eſt cauſa operis ſed comitans, poteſt eſſe & inuincibilis, & antecedens voluntatem, quia ſuperari non potuit; vel conſequens & vincibilis, quia potuit depelli. Nam vt penes varias habitudines, è quibus hæ denominationes ignorantiæ petuntur, eadem ignorantia ſit comitans & antecedens, vel comitans & conſequens, nihil vetat, vt ſupra oſtenſum eſt.

Quæ ex ignorantiis enumeratis, cauſet inuoluntarium.

29. Iam verò, quænam ex his Ignorantiis cauſet inuoluntarium, quod eſt præcipuum huius de ignorantia tractationis intentum, optimè quoque attigit Ariſtoteles verbis allegatis. Supponendum autem in primis eſt hanc diſputationem pertinere tantùm ad ignorantiam inuincibilem, & ad conſequentem, ſiue ſit cauſa operis, ſiue comitans: nam cætera ignorantiæ membra paulò ante recenſita, nihil conferunt ad cauſandum inuoluntarium, niſi prout vnum aliquod aut plura ex his membris important. Cætera quippe membra, vel tantùm petuntur à materia ignorata, vel à tali modo ſe habendi, ex quo non ſequatur inuoluntarium, niſi prout iſtis membris aut eorum vni iunguntur. Peruè enim diſponi, ſiue errare circa obiectum aliquod, vel merè ignoranter ſe habere; aut, quod hoc loco idem eſt, non aduertere actu, nec vlla actuali ſcientiæ luce circa rem colluſtrari, non faciunt inuoluntarium, niſi prout modus ille errandi vel neſciendi, ordinem aliquem dicit ad voluntatem ignorantiæ illius formaliter aut virtualiter approbatricem, vel reprobatricem ex obligatione.

Ex autem ipſo quòd ignorantia ordinem dicit ad voluntatem, ſic ſe habentem ad ipſam ignorantiam, tranſit in vnum aliquod è membris propoſitis, quibus voluntatis renitentia tollitur, aut ſimul ponitur, declaratúrque eiuſdem præuentio & præoccupatio, libertate anterior, & per eam inſuperabilis: hic enim duntaxat eſt ordo ad voluntatem penes quem ratio inuoluntarij conſtitui poteſt; vniuerſúſque continetur membris prædictis. Nam ſi reniſus voluntatis tollitur, habetur ignorantia comitans: ſi admittitur, habetur ignorantia quæ eſt cauſa operis. Vtraque autem ſi præuenit voluntatem eſt antecedens, ſiue inuincibilis: ſi non præuenit, ſed ſuperari potuit, eſt conſequens ſiue vincibilis. Quare tota hæc diſputatio ad quatuor iſta membra reuoluitur, de quibus proinde ſigillatim videndum eſt, quomodo ad inuoluntarium cauſandum ſe habeant iuxta Philoſophum, qui breuiter & optimè id attigit loco allegato.

Cauſatur per inuincibilem, quæ ſimul ſit cauſa operis.

30. Statuit ergo in primis, omne quod fit ob ignorantiam, eſſe ſaltem non voluntarium. Quod ſi illa ignorantia ſit cauſa operis, (quod vult deprehendi ex triſtitia conſequente ſolutionem ignorantiæ,) ait ex ea ignorantia exiſtere non modò non voluntarium; ſed etiam inuoluntarium: hoc eſt, non modò inuoluntarium negatiuè; ſed etiam inuoluntarium contrariè. Si autem ignorantia non ſit cauſa operis, ait Ariſtoteles exiſtere ex ea inuoluntarium duntaxat negatiuè.

Circa quæ aduertendum in primis eſt, quod Ariſtoteles ait, quicquid ob ignorantiam fit, eſſe non voluntarium, non poſſe eò pertinere, vt ex quacunque ignorantia exurgat non voluntarium: Id enim falſum eſt, quia ex ignorantia conſequente, vt mox dicam, non ſequitur inuoluntarium etiam negatiuum. Non poteſt item verbis illis deſignari ſolum illud membrum ignorantiæ, quæ eſt cauſa operis: ita vt idem ſit facere ob ignorantiam, quòd, facere non modò cum ignorantia, ſed etiam ex ignorantia, vt paulò pòſt diſtinguitur. Hoc inquam non poteſt verbis illis deſignari. Nam ſic fruſtra operatio facta ob ignorantiam, iterum ſubdiuideretur in eam, quæ cum ſoluitur relinquit in animo mœrorem, quia fuit cauſa operis; & eam, quæ quia non fuit cauſa operis, nullam habet triſtitiam adiunctam.

Quare reſtat vt dicamus, in primis illis Ariſtotelis verbis, *facere ob ignorantiam*, idem eſſe, quòd facere cum ignorantia inuincibili: quod poteſt eſſe commune vtrique illi ignorantiæ membro, de quo Ariſtoteles ſtatim agit, nec competit ignorantiæ ex electione, ſiue vincibili, de qua paulò pòſt diſſeruit. Quanquam non nego, eaſdem in primis illis verbis vſurpari Græcas voces, *δι' ἄγνοιαν*, quæ paulò pòſt vſurpantur à Philoſopho, cùm deſcribit operationem ex ignorantia, quæ elicitur per laborantem ea ignorantia quæ eſt cauſa operis. Ferè item interpretes, Græcas illas voces vtrobique eodem modo vertunt; nempe Argyropilus, *ob ignorantiam*; Aretinus, *per ignorantiam*. Antiquior interpres *propter ignorantiam*; ſolus Felicianus, priore loco, *ob ignorantiam*; poſteriore, *ex ignorantia* vertit; neſcio an ſuboderatus quod hic obſeruamus, & ad Philoſophi mentem omnino eſt, vt vt voces eius ſonent.

Igitur ex ignorantia quacunque antecedenti & inuincibili vt Ariſtoteles initio tradit, gigni ſaltem non voluntarium, eſt per ſe euidens. Excluditur enim per eam ignorantiam cognitio, quæ ad voluntarium eſſentialiter præexigitur: ac proinde exiſtit ex ea ignoratione, ſaltem non voluntarium. Si verò ignorantia illa antecedens voluntatem, ſit cauſa operis, tunc opus ex ea factum, non modò eſt non voluntarium,

ctium, ſiue inuoluntarium negatiuè, ſed etiam contrariè, ob habitualem renisum voluntatis, qui erumperet in renisum formalem & actualem, ſi lux notitiæ, ſine qua voluntas obſtipa iacet, præluceret operanti, nec lateret ipſum, quid rei faciat.

Quid de inuincibili comitante.

31. Atſi ignorantia antecedens non ſit cauſa operis, ſed ita antecedat voluntatem, vt duntaxat comitetur actum, qui æquè fieret, etiamſi ignorantia per ſcientiam oppoſitam depelleretur; Tunc omnes quidem concedunt Ariſtoteli actum formaliter eſſe non voluntarium: (ita enim diſertè affirmat loco allegato, annuente Nemeſio lib. de hom. cap. 31. & idem euincit ratio ſæpe iam propoſita ex defectu notitiæ ad voluntarium neceſſariæ petita:) Sunt tamen qui addant actum virtualiter & interpretatiuè eſſe voluntarium, ac proinde etiam malum, ſi ſit circa obiectum vetitum: de qua re dicetur, cùm de moralitatis ſpeciebus.

Vincibilis, non cauſat inuoluntarium.

Tandem ignorantia conſequens, præſertim cùm fuit affectata, non tollit voluntarium. Neque enim ea ignorantia diceretur conſequens, niſi voluntatem liberam conſequeretur: ita vt homo ſciens ac volens ei ſubiaceat, cùm cogitatio aliqua non libera mentem pulſauerit, præbuerítque ſufficiens principium vlterioris inueſtigationis, qua depulſa fuiſſet ignorantia, & comparata ſcientia, ſi non ſtetiſſet per hominem. Hanc ignorantiam apertè agnoſcit Ariſtoteles 3. Ethic. cap. 5. agens de peccatis ab ebrio admiſſis, cùm ea vtcunque prænouiſſet nondum temulentus. Idcirco enim ait ea peccata vitio verti, & plecti. Vt proinde immeritò Vaſques 1. 2. diſput. 29. num. 3. neget Ariſtotelem meminiſſe ignorantiæ conſequentis. Eam etiam à Peripateticis admiſſam, notat Simon Portius lib. an bonus quis &c cap. 7.

Voluntarium propriè, non niſi cauſale.

32. Secundò, ſic expoſito inuoluntario, collegi definitionem voluntarij, imitatus Philoſophum qui 3 Ethic. capit. 1. poſt explicatum fuſe inuoluntarium ex vi & ignorantia profectum, concludit in hæc verba. *Cum igitur inuitum ſit, quod vel vi vel ignoratione agitur, ſpontaneum illud eſſe videbitur, cuius principium eſt in eo qui agit, particularia cognoſcente in quibus actio conſiſtit.* Aut, vt paſſim ea definitio refertur. *Voluntarium eſt, quod eſt à principio intrinſeco cognoſcente ſingula, in quibus eſt actus* Quam definitionem mox concidam in partes ſi priùs aduertero, eam ſoli voluntario propriè dicto ſiue cauſali adſcribendam eſſe, non autem aliis, quæ item dicuntur, aut aliàs quandoque dicta ſunt voluntaria. Sic enim Scotus quodl. 18. ad 1. principale *litera E* notat voluntarium tripliciter poſſe diſtingui: Nempe in illud, quod voluntati ineſt tanquam ſubiecto; & in illud, quod eſt voluntatum, (ſic enim ibi non ſine manium Tullianorum inquietatione nominat, quod alij voluntarium obiectiuè, hoc eſt, volitum appellant:) Et in illud quod eſt voluntarium cauſaliter. Hoc poſtremum membrum Gulielmus Vorrilongus in 2. diſtinct. 41. vocat voluntarium effectiuè. Secundum membrum reticuit Durandus in 2. diſt. 41. quæſt. 2, numero 3. Et poterat ſanè, etiam primum omittere: Nam quod eſt in voluntate ſubiectiuè tantùm, non habet rationē voluntarij, cū poſſit non eſſe effectiuè aut quaſi effectiuè à volūtate. Adhæc habitus eſt ſubiectiuè in voluntate; neq; tamē eſt voluntarius, cùm non ſit à principio interno, quatenus cognoſcente, ſed naturaliter inuratur. Addit Scotus illud quoque primum membrū inde reiici, quòd triſtitia ſit in voluntate ſubiectiuè. Quæ argumentatio ſupponit actum triſtitiæ non eſſe voluntarium: quod tamen falſum eſt, cùm tota voluntarij definitio apertè cadat in actum triſtitiæ, vt applicanti perſpicuum erit.

Cur autem ſecundum membrum à Scoto propoſitum, iure à Durando ſit prætermiſſum; ratio eſt, quia voluntarium non eſt idem quod volitum, ſi propriè loquendum ſit. Volitum enim eſſe poteſt, quod ſub actionem alicuius non cadit, cùm tamen voluntarium propriè importet proceſſionem ab eo, cui aliquid voluntarium dicitur. Præterea actiones ipſæ elicitæ ſunt voluntariæ, neque tamen ſunt volitæ, ſaltem formaliter & propriè. Falsò enim aliqui apud Vaſquem 1. 2. d. 23. capit. 1. contendunt, omnes actus elicitos; etiam eum qui in ſua ſerie primus eſt, dici poſſe volitos ratione termini interni per tales actus importati, quem dicunt, & ratione dependentiæ in eum tendentis volitum eſſe, & præterea etiam per ſeipſum: ſicut dependentia illa, non per aliud, ſed per ſeipſam eſt volita. Hoc inquam falsò contenditur. Nam primò illa dependentia non eſt volitio, ſed duntaxat eſt productio & fieri volitionis; quæ iuxta probabiliorem ſententiam, eſt actio grammaticalis: Ita vt volitio, non niſi voce tenus ſit actio reuera autem ſit qualitas cuius fieri non debet eundem cum ipſa qualitate facta effectum formalem habere: ſicut calefactio, non calefacit formaliter, quia non eſt calor. Secundò ipſa volitio non eſt formaliter volitio ſui, alioqui actus finitus reflecteretur in ſeipſum, eſſétque ſimul prior & poſterior. Cùm autem volitio non ſit formaliter ſui volitio, reſtat vt non poſſit dici formaliter volita ſaltem ſi in prima omnium volitione ſiſtamus. Hæc enim non poteſt dici volita per alium anteriorem actum, cùm ſit prima. Præterquam quòd de illo quoque anteriore actu, eſſet par ratio, aſſignandúſque etiam pro illo eſſet alius actus anterior, quo eſſet formaliter volitus, vnde ſequeretur progreſſus infinitus. Atqui illa ipſa prima volitio, quam liquet non eſſe formaliter volitam, eſt formaliter voluntaria, cùm cadat in eam tota voluntarij definitio. ergo longè aliud eſt eſſe volitum, quàm eſſe voluntarium: Quod Scotus etiam ſatis vidit, cùm dixit ſuum illud voluntatum ſiue volitum, dici voluntarium duntaxat participatiuè, quia acceptatio eius vt obiecti, eſt voluntaria.

Reſtat ergo tertium membrum, hoc eſt, voluntarium cauſaliter, quod ſcilicet à voluntate tanquam à cauſa & principio elicitur vel imperatur. Quanquam per prius, vt Scotus loquitur, hoc eſt, immediatiùs, actus elicitus habet rationem voluntarij, quàm imperatus, qui non niſi interuentu actus eliciti voluntarius eſt. Huic voluntario propriè dicto, adſcribenda eſt definitio voluntarij ſupra aſſignata ex Ariſtotele, quam per partes ſic expono.

Complectitur etiam omiſſiones liberas.

33. Locum generis in ea tenet actus, vel quaſi actus: ſic enim extendo vltimam particulam in Ariſtotelis definitione adhibitam, vt comprehendam omiſſiones puras, quas poſſe eſſe voluntarias, mihi certum eſt. Illud ſiquidem eſt voluntarium, quod eſt liberum, quandoquidem liberum, eſt minus

latè patens quàm voluntarium. Atqui omiſſio pura, poteſt eſſe libera, ergo & voluntaria. Minorem infra ſuo loco diligenter ſtabiliam, agens de moralitatis ſpeciebus. Nunc obiter aſtruitur, quia de ratione formæ actualis poſitiuæ aut negatiuæ, liberæ quoad exercitium, eſt tantùm vt prodeat à potentia; & ita prodeat ab ea vt poſſet non prodire: quod poſſe, reſpectu negationis actus, non importat aliquem actum ſecundum à voluntate diſtinctum, vt perperam dixerunt aliqui apud Durandum in 2. diſtinct. 35. quæſt. 2. numer. 4. & in 3. diſt. 33. quæſt. 2. numer. 7. ſecluſo enim quocunque tali actu per denegationem diuini ad eum concurſus, modò ſuperſit in voluntate expeditio & poteſtas erumpendi in actum, ſi voluntas in eum non erumpat, ceſſatio erit libera.

Eſt ergo nudum dominium, quod voluntas per ſeipſam, & ſecluſo quouis ſuo actu elicito, habet in ſuum actum poſitiuum, vt eum eliciat vel omittat. Malè autem, vt idem Durandus priore loco num. 7. affirmat, authores illi, puræ omiſſionis liberæ inficiatores, ſupponunt vt quis habeat dominium ſuper negationem actus, interuenire debere aliquem actum poſitiuum in volontate. Sicut enim ad hoc vt actus poſitiuus elicitus, ſit liber & ſubſit voluntatis dominio, non exigitur anterior aliquis actus, quo mediante actus poſitiuus ſit liber, ſed inde præcisè liberè elicitur & voluntatis dominio ſubeſt, quia voluntas cùm poſſet ceſſare, delegit agere: ita ad hoc vt ceſſatio ab actu cenſeatur ſubeſſe libertati & voluntatis dominio, nullus actus poſitiuus exigitur, cuius interuentu volũtas habeat poteſtatem in actum; ſed ſufficit voluntas ipſa expedita, & ita potens ad agendum, vt tamen non determinetur, neque neceſſitetur agere.

Poteſt igitur dari pura omiſſio voluntaria, & quod idem eſt, libera. Nam quamuis quoad actum poſitiuum, rationes voluntarij & liberi ſecernendæ ſint, vt infrà oſtendam: Tamen in actibus negatiuis, ſiue in omiſſionibus, voluntarium non eſt anterius libero. Quia voluntarium debet eſſe à voluntate: non poteſt autem intelligi, quòd ceſſatio & negatio actus, ſit à voluntate, aliter quàm per non influxum liberum in actum oppoſitum, quo ipſo omiſſio eſt libera. Ergo omiſſio libera & voluntaria ſunt omnino idem. In actu autem poſitiuo, res aliter ſe habet: nam actus poſitiuus poteſt eſſe à voluntate, quamuis neceſſariò agente, non item omiſſio.

Quæ cauſa eſt cur quoad voluntarium negatiuum approbari poſſit illa volontarij definitio, quam Scotus quodlibeto 18. ad primum principale *litera E* & Durand. in 2. d. 41. quæſt. 2. num. 3. tradunt de voluntario cauſaliter & propriè ſumpto; quòd ſcilicet ſit illud quod eſt in poteſtate voluntatis. Quoad voluntarium autem poſitiuum, ea definitio vel reiicienda eſt, vel ita accipienda vt nomine poteſtatis non intelligatur idem quod dominium; (alioqui notio voluntarij recurret cum notione liberi, & malè aſſignabitur;) ſed intelligatur idem quod poteſtas ſeu vis & facultas effectiua. Sic igitur conſtituta omiſſione voluntaria ac libera, perſpicuum eſt quod affirmabam nomen actus in definitione voluntarij vniuersè accepti, extendendum eſſe ad actum negatiuum, vt ea definitio ſit adæquata & ad quodcunque voluntarium porrigatur.

Quàm latè pateat, eſſe voluntarij à ſuo principio.

34. Pergo ad cæteras particulas definitionis voluntarij, quibus differentia eius continetur. Circa quas inprimis enucleandum eſſet quodnam ſit principium illud intrinſecum à quo ſingula cognoſcente prodit actio, niſi conſtaret, principium illud ſi agatur de totali eſſe animam, vel potius hominem, à quo per intellectum cognoſcente, actus prodit: voluntatem autem eſſe formale & proximum voluntarij principium, vt perſpicuum erit ex iis, quæ dicemus de principio libero. Quod autem actus voluntarius prodeat à voluntate, clarum eſt ex dictis circa genus voluntarij ſeu circa vocem *actus*. Vnde ſicut oſtendimus, actum in ea definitione, extendi ad ceſſationem ab actu, ſubſtantem poteſtati voluntatis; ita nunc addendum eſt, particulas illas, (*eſt ab*.) extendi debere ad dependentiam negatiuam; non modò in rei veritate, vt definitio ſit adæquata omnis voluntario; ſed etiam ex mente Philoſophi & S. Thomæ: Quod malè negat Val. 1. 2. d. 2. quæſt. 1. p. 1. Niſi enim Ariſtoteles & S. Thomas vellent illud (*eſſe ab*.) ita accipi, vt poſſit quoque dependentiam negatiuam complecti, nuſpiam definiuiſſent voluntarium vniuersè acceptum, ſeu prout ad omiſſiones quoque liberas, atque adeò etiam voluntarias fundi poteſt: cùm tamen Philoſophum, puras omiſſiones liberas & voluntarias admiſiſſe, meritò coniiciamus, ex iis quæ ſupra in hanc rem diſſeruimus quæ Philoſophum non latebant; & ex iis, quæ infra, circa voluntarij diuiſionem in directum & indirectum afferemus. Eaſdem verò Sancto Thomæ compertas fuiſſe, euidens eſt ex 1. 2. quæſt. 6. art. 3. & 2. 2. q. 79 art. 3.

Spectat item, ad actus cuiuſcunque voluntarij dependentiam ab interno illo principio, exactè intelligendam, diſcuſſio controuerſiæ, quæ inter aliquos agitatur, nempe an quod voluntarium dicitur, debeat à principio illo interno manare ex obligatione. Quamuis enim certum apud omnes ſit, actum poſſe eſſe voluntarium ſemota obligatione operandi: tamen aliqui contendunt deeſſe aliquibus euentibus, rationem voluntarij, ſi operandi obligatio non præceſſerit. Ita Vaſques 1. 2. d. 24. cap. 3. Cùm enim omiſſio, de ipſius ſententia, præſupponat actum poſitiuum, vel aliquid quod computetur quaſi actus poſitiuus, qui ſit omiſſionis cauſa vel occaſio; (quamuis poſſit non eſſe expreſſa volitio omittendi;) ruſúſque omiſſio conſequens ad eum actum vel quaſi actum, poſſit habere euentum aliquem poſitiuum conſequentem ad ipſam: Omiſſionem quidem ex actu illo poſitiuo profectam, author prædictus admittit eſſe voluntariam; effectum tamen ex ea omiſſione conſequentem, negat eſſe voluntarium niſi adſit impediendi obligatio, tametſi effectus ille ſupponatur præuiſus; & non ſit idcirco expreſsè ac formaliter impeditus, vt ſequeretur. Id quod etiam idem author extendit ad euentum poſitiuum, ex cauſa poſitiua oriundum non per ſe & phyſicè ex natura operis, ſed tantùm voluntate alterius, occaſionem ex eo ſumentis.

35. Difficile tamen videtur, oſtendere qua ratione euentus omiſſionem conſequens ſecluſa obligatione & præcepto in eum cadente, ſit minùs voluntarius, ſaltem remotè & in ſua iſta cauſa, quàm omiſſio. Nam vt ſe habet actus ille poſitiuus, qui ſupponitur fuiſſe cauſa omiſſionis, ad omiſſionem præuiſam, ita & omiſſio ad euentum poſitiuum ex ea oriundum: Vtrobique enim eſt connexio, ſiue cauſalitas negatiua; quatenus ſicut omiſſio conſequitur actum illum, ita euentus conſequitur omiſſionem. Atqui omiſſio, vt ex dictis habetur, & admittit Vaſques, in euentu propoſito eſt voluntaria: Ergo & euentus. Deinde interpoſitio præcepti non variat modum phyſicum, quo voluntas ſe habet ad actum vel omiſſionem, ſed præſupponit materiam

præceptam

præceptum eſſe voluntariam: cùm nihil præcipi poſſit niſi quod liberum ſit, ac proinde etiam voluntarium. Ergo ſi euentus interueniente præcepto eiuſque obligatione, eſt voluntarius non obſtante defectu influxus poſitiui, quo omiſſio euentum attingere non poteſt, neceſſe eſt vt ſit voluntarius antecedenter ad præceptum, vi modi quo voluntas ad eum ſe habet; qui modus præceptum non ſupponit ſed potius ad illud ſupponitur.

Itaque admitto cum Angeſto cap. 6. moral t. 4. euentum prædictum eſſe æquè voluntarium, ſiue interueniat præceptum, ſiue non interueniat. Æquè inquam phyſicè loquendo, ſiue impertinenter ad rem moralem. Ex ſe ſiquidem, & ſecluſo quouis extrinſeco per quod reducatur ad genus moris, euentus ille, neque bonus neque malus eſt, ſed indifferens, ſicut & ipſa omiſſio ex qua progerminat. Quod autem non æquè moraliter voluntarius ſit, cùm deeſt obligatio, ac cùm adeſt. (& idem de omiſſione ſtatuo proportione ſeruata;) perſpicuum ex eo eſt, quòd euentus, interueniente præcepto & obligatione, vitio vertitur ei, qui illum impedire tenebatur, non item cæteris in quos illa obligatio cadebat.

36. Ex quo efficitur, meritò Salam 1. 2. tract. 3. d. 1. numer. 43. & 178. non refugere locutionem illam: *peccata eſſe Deo phyſicè voluntaria* Id enim, ſi non de voluntario morali, ſed de phyſico accipiatur, veriſſimè dicitur, quicquid fingat aduerſarius: Deus enim præuidet peccata ſecutura ex denegatione gratiæ efficacis, quam ſciens & volens non confert: Itémque non impedit ea, quamuis ſuppetant ei innumeræ viæ, quibus (citra vllam tamen obligationem) poſſet ea impedire, ſi luberet, & congruum iudicaret. Quidni ergo fateamur peccata eſſe Deo phyſicè voluntaria? Poteſt quidem prima fronte ea locutio videri dura, quia horremus cum Caluino blaſphemare peccata eſſe à Deo volita; & propter nonnullam vocum affinitatem, confundimus volitum cum voluntario cauſaliter, de quo ſolo nunc agimus, non autem de voluntario obiectiuè, quod idem eſt cum volito. Tamen ſi ſenſus legitimus locutionis prædictæ percipiatur, nihil in ea ſuberit, vel apparebit, quod refugi à piis vel peritis debeat. Deus enim quamuis nullo modo velit peccata, ſed oderit impium & impietatem eius, nec niſi auſu & afflatu pluſquam tartareo contrarium à Caluino prolatum ſit; tamen peccata præuidet, & impedire poſſet, nec tamen impedit, ſicut neque impedire tenetur. Quod eſt dicere, peccata eſſe Deo phyſicè voluntaria; non autem moraliter vt admiſimus.

Quanta cognitionis neceßitas in eo principio.

36. Iam verò, quod principium illud internum à quo eſt voluntarium, debeat eſſe cognoſcens, vt poſtea in voluntarij definitione affirmatur, indubitatum omnino eſt. Nam voluntarium, vt vidimus, debet aliquo tandem modo eſſe ex voluntate: hæc autem eſt potentia cæca, & præexigens neceſſariò notitiam præuiam prælucentem. Ergo voluntarium quoque, aliquam principij cui voluntas implantatur notitiam requirit. Quod non modò de voluntario moraliter accepto, ſeu quod poſſit in decus vel probrum cedere, ſed etiam de voluntario merè phyſico valet. Ex quo ſequitur etiam ad hoc vt aliquis effectus ſit remotè & in cauſa ſua voluntarius, præexigi neceſſariò aliquam eius cognitionem expreſſam aut confuſam, ſine qua impoſſibile eſſet effectum eſſe voluntarium.

Neque id negat S. Thomas 1. 2. q. 6. art. 3. ad 3. vt ei affingit Angeſtus c. 6. Moral. t. 1. notab. 1. ad 16. & rectè reiicit; cum argumento ſupra ducto ex cæcitate voluntatis abſque lumine cognitionis conſideratæ; Tum ex eo quòd inde ſequeretur omiſſionem cuiuſcunque actus & obiecti à nobis remotè effectibilis, fore nobis voluntariam, quod abſurdiſſimè concederetur. Non ergo id diffitetur S. Thomas; ſed tantum vult, interdum actum poſitiuum aut negatiuum poſſe eſſe voluntarium in cauſa ſua, tametſi cùm executioni mandatur deſit omnis eius cognitio, tam expreſſa, quàm confuſa, quæ ſaltem interuenire deberet ſi ageretur de voluntario in ſeipſo. At agendo de voluntario in cauſa, verum eſt cùm actus vel euentus voluntarius executioni mandatur, poſſe abeſſe quancunque eius notitiam. Eam tamen omnino neceſſe eſt præceſſiſſe, ſaltem cùm cauſa fuit voluntaria. Nam ſi nullatenus præceſſerit notitia, impoſſibile eſt interuenire voluntarium, non modò directum, quod eſt manifeſtiſſimum, ſed ne interpretatiuum quidem, de quo malè id admittit Almainus tract. 1. moral. c. 1. *in fine*, falsò ſupponens tale voluntarium dari poſſe abſque notitia, eò quòd abſque ſcientia poſſit dari obligatio agendi plena & expedita.

Debet eſſe cognitio influens in voluntarium.

17. Nec præceſſiſſe tantùm notitiam neceſſe eſt, ſed aliquo etiam modo influxiſſe in euentum illum, quod vniuersè item ad quoduis voluntarium exigitur. Cognitio enim ad voluntarium interueniens, qualiſcunque tandem ſit, talis debet eſſe, vt quod voluntarium dicitur, proficiſcatur ab ea aliquo modo. Nam ſi principium voluntarij quatenus eſt cognoſcens, ſe haberet impertinenter ad voluntarium, fruſtrà deberet eſſe cognoſcens. Idcirco ergo præmittitur ea notitia, vt voluntas, à qua voluntarium aliqua tandem ratione eſt, tanquam à principio, poſſit per ſe interuenire ad actum vel euentum voluntarium, & in eum deriuare rationem voluntarij, quod abſque notitia prælucente fieri non poſſet: proindéque ea notitia habet etiam ſe aliqua ratione per modum principij, nempe remotè & mediante voluntate, quam dirigit.

Ex quo ſit vt actus intellectus, quatenus præcisè ſunt ab intellectu, etiamſi vnus ab alio quaſi dimanet, vt fit in ſyllogiſmo, non dicantur tamen eſſe à principio intrinſeco cognoſcente, quatenus vt ſic nullo modo ſunt à voluntate. Præterquàm quòd principium illud cognoſcens, à quo vt ſic, manare debet actus voluntarius, debet cognoſcere obiectum actus illius voluntarij: principiat enim actum voluntarium, quatenus cognoſcens obiectum eius, quippe quod eſt vnum ex illis ſingulis circa quæ verſatur actus. Atqui illud à quo manat concluſio, nempe intellectus cognoſcens præmiſſas, non cognoſcit obiectum ipſiuſmet concluſionis, ſed aliquid antecedens ſiue motiuum: cùm tamen cognitio influens in voluntarium debeat eſſe cognitio ipſiuſmet materialis obiecti, ad quod tendit actus voluntarius. Et hæc quidem perſpicua ſunt.

Non eſt opus eſſe intellectionem.

Magis dubium eſt apud nonnullos cuiuſmodi debeat eſſe cognitio, qua prælucente actus voluntarius eſt à principio cognoſcente. Sed certum eſſe debet quancunque notitiam ad id ſufficere: nec ſolam intellectionem ius ſibi ac prærogatiuam cauſandi voluntarij vendicare, vt perperam affirmant aliqui, liberum cum voluntario confundentes, infrà ſuo loco quoad

illam voluntarij & liberi confuſionem refellendi. Nunc autem directè, quod ad rem præſentem attinet, oſtendo, ad voluntarium ab Ariſtotele definitum non exigi notitiam intellectus: Quia voluntarium illud eſt brutis quoque commune, vt diſertè tradit Ariſtoteles 3. Ethic. c. 2. & lib. 2. moral. Eudem c.10. annuitque S. Aug. 15. Ciuit. c.9. Accedit ratio: nam à brutis quoque ſcientibus & vi non adactis multa fiunt, de quibus licet dicere, quod ſint à principio intrinſeco cognoſcente ſingula, quæ eſt voluntarij definitio.

Nec verò facienda eſt vis in voce *voluntarium*, quaſi voluntarij ratio non poſſit in bruta cadere, eo quòd ratione & voluntate deſtituantur. Quæ cauſa fuit cur D. Auguſtinus ſuprà, cùm dixiſſet, *cauſas voluntarias aut Dei eſſe, aut Angelorum, aut hominum, aut quorumcunque animalium*, quaſi dictum illud ſuum molliturus, ſubdiderit, *ſi tamen appellandæ ſunt voluntates animalium rationis expertium, motus illi, quibus aliqua faciunt ſecundum naturam ſuam, cùm quid boni malive vel appetunt, vel euitant.* Eadem ex cauſa Portius lib. an bonus quis vel malus ſponte fiat cap. 13. aliíque nonnulli, quorum iudicium approbat Molina 1. p. q.41. art. 2. d. 1. nomen *voluntarij* reſtringunt ad opus quod prodit à voluntate, cui prælucet intellectus, cæteros autem actus præuia ſenſatione interna elicitos, vocant ſpontaneos, vt eſt initio articuli animaduerſum. Non inquam facienda eſt vis in illo vocis rigore. Poteſt enim voluntas ſumi, (& reuera hoc loco ſumitur,) pro appetitu quocunque naturæ cognoſcentis, atque adeo tam pro ſenſitiuo quàm pro intellectiuo, ſeu pro voluntate, iuxta verbi corticem & communem vſum accepta.

Etiam ad voluntarium formaliter perfectum: quod item poteſt eſſe à notitia non indifferente.

38. Sunt tamen qui hoc voluntarium, quod eſt à voluntate ſeu appetitu rationali, appellent nomine voluntarij perfecti. Verùm ea maior perfectio, præcisè attendendo dimanationem à principio rationali prælucente intellectu, non videtur mihi formalis, ſed entitatiua duntaxat & materialis. Et qualiſcunque ſit, non debet cum Vaſque 1.2. d.23. cap.4. poſt Conradum ibid. q. 6. art. 2. reſtringi ad voluntarium liberum, quaſi cognitio intellectiua non indifferens, ex qua progerminat amor neceſſarius, cenſeri debeat cognitio inſufficiens ad voluntarium perfectione illa materialiter maiore nobilitatum, quia remouet à voluntate modum operandi ſine determinatione ad vnum, qui nobis peculiaris eſt, nec communis brutis.

Quamuis enim modus operandi abſque indifferentia, & cum determinatione, ſit minus perfectus, quàm modus aliter operandi, cùm determinatio non oritur ex meritis obiecti, ſed aliunde; vt nobis contingit in primis motibus, ideóque tunc cognitio prælucens non cauſet voluntarium tam perfectum, quàm eſt illud, quod importatur per actum liberum. Tamen quia cognitio principians actum planè neceſſarium, poteſt eſſe æquè perfecta, ac cognitio principians actum liberum; & modus operandi abſque indifferentia, quando obiectum eſt planè bonum, non cedit modo indifferenter operandi circa bonum diminutum. Quis enim notitiam claram diuino amori creato vel increato prælucentem, dicat minùs perfectam, ea Dei vel beatorum notitia, quæ prælucet actibus eorum liberis? (& idem de modo operandi voluntatis dictum eſto.) Propterea cenſeo, perfectum illud voluntarium, quod ex cognitionis prælucentis perfectione deſumitur, non eſſe reſtringendum ad voluntarium liberum; ſed poſſe quoque eſſe neceſſarium, vt cernitur in amore, quo Deus ſe amat; & quo Pater ac Filius producunt Spiritum Sanctum; & denique quo beati ex claro Dei contuitu, in eius amorem incenduntur. Eſt tamen hæc tota lis, de nomine tantùm.

Quæ ſint ſingula, *per notitiam à qua eſt voluntarium, attingenda.*

39. Reſtant *ſingula in quibus eſt actus*, quo nomine aliqui, vt Valentia 1. 2. d.2. q. 2. p.1. Salas 1. 2. tract.4. diſputat. vnica *ferè in fine* paſsímque alij, intelligunt circunſtantias actuum. Ita enim paſſim nominant, quæ Sepulueda 1. Polit. ad c.2. dedignatus (vt ait) vulgi Philoſophorum loquendi modum, appellat *res attributas*, malè refugiens vocem *circunſtantiarum*, & magis perſpicuam, & ſatis Latinam, quam proinde retinebimus, vſurpántque paſſim Doctores; quorum pleríque, vt dicebam, exprimunt circunſtantiarum nomine, ea ſingula, in quibus eſſe actum, cenſuit Ariſtoteles.

Et verum quidem eſt, inter ea ſingula ab Ariſtotele poſita, numerari ea quæ circunſtantiæ dicuntur; Tamen inter ſingula illa, comprehenduntur etiam ſubſtantialia actui, quæ propriè non circunſtant actum, atque adeò non ſunt circunſtantiæ, iuxta notationem circunſtantiæ, eiúſque rationem ex ea vocis notatione ductam à Durando in 4. d. 16. q.3. nu. 5. Propriè ſiquidem illa dicuntur circunſtare corpus aliquod, quæ ſunt quidem extra illud; attingunt tamen ipſum, vel appropinquant ei ſecundum locum. Analogiâ ergo inde ductâ, illud propriè dicetur habere rationem circunſtantiæ reſpectu actus humani, quod eſt quidem extra eius ſubſtantiam; attingit tamen eum aliquo modo.

Vt ergo actus ſit planè voluntarius, neceſſarium eſt, vt principium à quo actus voluntarius prodit, cognoſcat, & ſubſtantialia actui, & has eius circumſtantias. Hæc quippe duo ab Ariſtotele intelliguntur nomine *ſingulorum in quibus eſt actus*. Diſplicent autem qui vel ſola ſubſtantialia deſignari ea periphraſi volunt, vt Vaſq. 1.2. d.30. c.2. vel qui ſola accidentalia, ſiue circunſtantias.

Sed vt vtroſque meritò nobis reprobari perſpicuum ſit, operæpretium eſt Ariſtotelem 3. Ethic. c.1. hæc ſingula enumerantem audire, & expendere. Cùm enim dixiſſet, eum qui aliquid eorum ignorat, in quibus & circa quæ eſt actus, inuitum agere; id eſt, ſaltem non voluntariè, quoad illud quod ignorat ſubdit: *Melius autem fortaſſe eſt, vt hæc* ſingula, *quænam, & quot ſint, explicemus. Conſiderandum igitur eſt quis, & quid, & circa quid, aut in quo agat. Interdum etiam quo, vt inſtrumento & cuius cauſa, vt ſalutis & quomodo, ſenſim an vehementer. Hæc enim omnia, niſi inſanus ſit, nemo ignorat: ſed neque ipſum agentem. Quo pacto enim ſeipſum ignorauerit quiſpiam? Ignorare tamen id quod agit, aliquis poteſt. Exempli cauſa, cùm lapſos ſe dicendo eſſe inquiunt, aut ignoraſſe arcanum eſſe: vt Æſchylus myſteria: aut oſtendere volentes emiſiſſe, vt catapultam. Exiſtimare etiam aliquis filium eſſe hoſtem poſſet, vt Merope: Et mucronatam haſtam, retuſam eſſe: Et lapidem eſſe pumicem. Poſſet item quis ſalutis cauſa verberans ac feriens, interficere. Et demonſtrare volens, quemadmodum faciunt ij qui ſummis manibus certant, percutere. Cùm in omnibus igitur his, in quibus eſt actio, ignorantia contingat; fit vt qui aliquid ex his ignorauerit, inuitus egiſſe videatur. Atque id in præcipuis maximè. Præcipua autem eſſe ea videntur, in quibus ipſa actio eſt, & id cuius cauſa quippiam fit.*

Ariſtote

Ariſtoteles, omnia ſingula in quibus actus eſt, non recenſuit.

40. Non contendo Ariſtotelem his verbis omnia ſingula, in quibus eſt actus, enumerare. Omiſit enim tempus & locum, quæ perſpicuum eſt ſpectare ad actum, etiam quatenus moralem: plerumque quidem vt circunſtantias; interdum autem vt ſubſtantialia actui, vt patet ex loci ſacri & feſti violatione. Vt taceam quod alij non benè addunt, de omiſſo item numero, quem putant eſſe circunſtantiam: ſed perperam. Nam circunſtantia debet afficere illum ipſum actum, quem circonſtare dicitur. At numerus non circunſtat eundem actum, ſed eſt plurium ſimilium actuum multiplicatio, vt Caietanus 1.2.q.7.art.3. rectè aduertit; ac proinde numerus neque inter circunſtantias propriè dictas, neque inter ea ſingula, in quibus quoquo modo eſt vnus actus, recenſeri poteſt. Itaque doctrina Philoſophi de ſingulorum numero, non idcirco diminuta cenſeri debet, quòd numerum inter ea non numerauerit.

Non tamen vt dixi, contendo Philoſophum omnia illa ſingula recenſuiſſe hoc loco, ac multò minùs 5. Ethic. cap. 8. vbi hanc ipſam doctrinam recolit, & pauciora quam hoc loco profert. Tantùm quippe intendiſſe videtur exempla quædam proponere, quibus intelligeretur quænam eſſent ſingula illa, in quibus conſiſtit actio, & ad quæ cognita vel ignorata admetiendum eſſe voluntarium in actione. Hæc autem, vt dicebam, partim ac principaliter ſunt ea, quæ ſunt ſubſtantialia actui; partim ea, quæ illius ſubſtantiam moralem circunſtant, eiúſque bonitatem vel malitiam afficiunt augendo vel minuendo.

Mens Ariſtotelis de ſingulis, &c. illuſtratur expenſione ſubſtantialium, & circunſtantiarum digeſtione in tres claſſes.

41. Et ſubſtantialia quidem non ſunt agnitu difficilia, nec eſt magnus eorum numerus. Sunt enim quæ per definitionem explicantur, & ad rem penitùs pertinent. Circunſtantias verò, aliqui cum Tullio concludunt ſeptenario, quem etiam numerum propoſuit Claudius Saturninus l. *aut facta* ff. *de pœnis* Meliùs Philoſophus octonarium propoſuit. Cuius numeri ratio ex eo ducitur, quòd cùm circunſtantiæ ſint aliquid extra moralem actus ſubſtantiam, contingàtque aliquid ad actum aliquo modo pertinens, tripliciter eſſe extra eam: neceſſe quoque ſit circunſtantias morales ex triplici capite aſſignare.

Primum caput eſt eorum, quæ ipſummet actum attingunt, ſiue intrinſecè ad modum qualitatis, nempe modus agendi pertinens ad actus qualitatem, putà quod actus ſegniter aut impigrè exerceatur, quæ dicitur circunſtantia *quomodo*: ſiue extrinſecè per modum menſuræ externæ, vt *vbi* & *quando*: Nam quamuis tempus & locus ſi ſecundùm ſe ſpectentur, non habeant rationem moralium circunſtantiarum: eam tamen planè induunt ſecundùm aliquam ipſorum conditionem, putà quod tempus ſit nocturnum vel diurnum aut feſtum: quod locus ſit ſacer aut profanus, aliterve ſe habeant; vnde non parum variatur plerunque moralitas.

Secondum caput eſt eorum, quæ pertinent ad cauſam actus; ſiue finalem, vnde habetur circunſtantia *propter quid*, ſiue effectiuam: nam hæ ſolæ cauſæ, finalis inquam & effectiua, poſſunt actus ſubſtantiam circunſtare, ac ne omnes quidem; non enim quilibet finis, nec quodlibet efficiens eſt circunſtantia, vt poſtea dicam. Quod verò aliqui hîc adiungunt cauſam materialem & circunſtantiam ex ea ductam vocant *circa quid*, non eſt conuenienter factum, vt infrà patebit: quamuis conditio aliqua cauſæ materialis poſſit veram circunſtantiam conſtituere, vt quantitas vel qualitas. Non enim eſt ſemper eſſentiale actui in genere moris ſpectato, habere obiectum tantum vel tantum. Quaſdam tamen conditiones materiæ eſſe interdum id, ex quo dependet ſubſtantia actus, manifeſtum eſt ex conditione illa, quæ furtum conſtituit; nempe ex ea conditione, quâ res eſt aliena. Ex cauſa efficiente principali, hoc eſt ex eius conditione, cernitur circunſtantia *quis*: ex inſtrumentali circonſtantia *quibus auxiliis*.

Tertium caput continet effectum actionis. Vnde petitur circunſtantia illa quam plerique deſignant voce, *quid*, quæ apud Ariſtotelem eſt alicuius ſubſtantialis expreſſiua. Tullius eam reuocauit ad circunſtantiam *circa quid*, & idcirco non niſi ſeptem circunſtantias recenſuit. Meliùs tamen ſeiunguntur, propter diuerſum modum, quo effectus & conditio materiæ afficiunt actum. Nam effectus idcirco afficit extrinſecè actum, quia eſt aliquid ex actu conſecutum, quod poteſt augere vel minuere, atque adeò accidentario afficere eandem moralem actus ſubſtantiam. At circunſtantia *circa quid*, non adiacet actui per modum conſequentis ab eo, quo pacto adiacet effectus, ſed adiacet per modum conditionis adiunctæ obiecto, vt patet in circunſtantia *quantum*. ideóque eſt intimior, nec ita extrinſece afficit ac effectus.

Subſtantialium actui, exempla Ariſtotelica.

42. Ex his ergo vni alicui morali actui ſubſtantialibus & accidentalibus, Ariſtoteles 3. Ethic. cap. illo 1. quædam expreſſit verbis allegatis. Nam ad ſubſtantialia pertinet, quod Ariſtoteles dixit *circa quid*, aut, *in quo*, hoc eſt, obiectum & materia. Propterea enim addit illud *in quo*. eſſe vnum de principaliter ſpectantibus ad actum, ſeu in quibus principaliter eſt actio. Neque verò illud *in quo*, quatenus obiectum deſignat, idipſum eſt quod cùm generaliter de quibuſuis ſingulis dicitur eſſe illud *in quo, eſt actus*, ſed ſumitur ſtrictius & preſſius. Hunc autem eſſe germanum Philoſophi ſenſum, colligit Euſtratius ibi ex exemplis quibus Ariſtoteles expreſſit illud *circa quid* vel *in quo*. Sunt enim talia quæ ſubſtantiam & naturam materiæ & obiecti deſignent, quatenus confert ſubſtantialem ſpeciem actui: Sic enim Merope cùm occidit filium Crephontem, rata ſe hoſtem occidere, ignorauit circa quid ageret.

Et eodem cenſeo ſpectare ſignificatum particulæ *quid*, vt colligitur ex exemplis, quibus Ariſtoteles illud declarat; nempe Æſchyli myſteria euulgantis, & amici catapultam oſtendentis. Æſchylus enim adductus in iudicium, obiiciente aduerſariò, quod in tragœdia prodidiſſet Eleuſinia myſteria, ideóque appetitus à populo lapidibus ſub ipſam actionem, ægrè euaſiſſet periculum, nihil excuſauit præter ignorantiam, cauſatúſque duntaxat eſt, ſe neſciſſe quid diceret, ſiue ignoraſſe ſe, ea quæ vulgabat arcana eſſe. Vnde, Ariſtoteles infert poſſe aliquem ignorare quid agat. Quod declarat etiam exemplo eius qui amico catapultam oſtenſurus, emiſſo per imprudentiam iaculo, aliúdque agendo quàm vellet, & ignorando quod agebat, amico illi vitam eripuit. Euſtratiùs ſuprà & Michael Epheſius 5. Ethic. cap. 8. particula 2. exiſtimant, *τὸ quid*, denotare actionem ipſam. Sed niſi actionis nomine intelligant obiectum actionis, ſiue rem quæ fit per actionem, vt nos contendimus, apertè labuntur. Siquidem Ariſtoteles agnoſcit

quid eſſe inter ea ſingula, in quibus eſt actus; At actio non poteſt numerari inter ea ſingula, in quibus ipſa eſt: ac proinde *quid* apud Ariſtotelem deſignat rem quæ fit, ſpectátque ad ſubſtantiam actus, nec eſt circunſtantia propriè dicta. Alia apud Ariſtotelem exempla, quorũdam ſubſtantialium actui, manifeſta erunt, ex ſequentibus.

Exempla Ariſtotelica, circunſtantiarum primæ claſſis.

43. Iam verò quoad primum caput circunſtantiarum, *modus*, diſertè ab Ariſtotele eſt expreſſus verbis illis: *quomodo hoc eſt ſenſim an vehementer.* Vt proinde non malè, nec diſſentaneè ab Ariſtotele, aliqui velint ad hanc circunſtantiam pertinere omnes illos humani actus modos, qui ducuntur ex maiore vel minore niſu agentis, eiúſve maiore vel minore ſcientia, & libertate. Extenſio item duratiua, ſeu continuatio, commodè eodem reuocatur.

Cenſet etiam Euſtratius, ad modum operationis ſpectare verba illa Philoſophi. *Poſſet item quis monſtrare volens, quemadmodum faciunt ij, qui ſummis manibus certant, percutere*, Exiſtimat enim Euſtratius. his verbis Philoſophum expreſſiſſe, quid illi contingat, qui leuiter percutere volens, eum, cum quo exercitationis gratia pugillatur; vehementiorem ictum præter mentem ſuam eidem infligit. Fortaſſis tamen Ariſtoteles, verbis illis, non modum actionis, de quo iam egerat, ſed ipſam actionem caſu interdum operanti excidentem, intellexit.

Sed quidquid ſit de his verbis, de quibus nolim multùm cum Euſtratio altercari, tamen quod attinet ad particulam *quid*, certum eſſe debet Ariſtotelem per eam aliud non expreſſiſſe, quàm quod præmiſi, nempe illam circunſtantiam, quæ modi dicitur, éſtque accidens ipſiuſmet actionis: Idque malè negat Vaſques 1. 2. d. 30. num. 19. Ea ſiquidem vehementia aut remiſſio operandi, in qua Ariſtoteles ponit exemplum eius, quod per eam particulam *quomodò* exprimere intendebat, eſt modus accidentarius actionis, illam iam aliunde (etiam moraliter) conſtitutam frequentiſſimè conueſtiens.

De aliis primi illius capitis circunſtantiis, tempore ſcilicet ac loco, iam admiſi ſiluiſſe Ariſtotelem. Sanè non expreſſiſſe eas per illa verba *in quo*, vt perperam cenſuit Buridanus, & Paccius 3. Ethic. c. 1. apertum eſt ex eo quod Ariſtoteles fatetur verbis illis deſignari vnum ex iis, quæ ſunt actui præcipua, nempe vel *quid agatur*, vt poſt Nemeſium exiſtimauit D. Thomas 1. 2. q. 7. art. 4. ad 1. vel (quod melius cenſuit Euſtratius) *circa quid*, ſiue ſubiectum in quo aut circa quod actio verſatur. Huiuſmodi enim conditionem, itémque finem, Ariſtoteles dixit eſſe principaliſſima ex ſingulis in quibus eſt actus, quia, vt aduertit D. Thomas 3. Ethic. lect. 3. actus principaliter ſpectantur ſecundùm obiecta. Sicut autem materia eſt obiectum actus externi; ita finis eſt obiectum actus interni.

Item circunſtantiarum claſſis ſecunda.

44. Ad ſecundum caput circunſtantiarum, ſpectant illæ, quæ cauſales dici poſſunt, vt finis extrinſecus & cauſa efficiens, cum primaria, tum inſtrumentalis. Finem expreſſit Ariſtoteles verbis illis, *Cuius cauſa quippiam fit vt ſalutis*. Quia tamen paulo poſt ſubdit hæc verba; *poſſet quis ſalutis cauſa verberans ac feriens interficere*, exiſtimat Vaſques ſuprà n. 18. Ariſtotelem nomine *cuius gratia*. non intelligere cauſam finalem extrinſecam actui, illique accidentariam ſed medium ad finem; quandoquidem ait eum ignoraſſe cuius gratia, qui verberans vt ſanaret, incautè interfecit, putans eſſe idoneum conſequendæ ſanitatis medium, quod mortem conciliauit. Verùm non video, quàm commodè, tam expreſſa & perſpicua, ac etiam in eo quem diximus ſenſu, tam frequentia Philoſophi verba, aliò trahantur ob exemplum, quod fortaſſis aliò pertinet: Id eſt, fortè potius ad illud quod fit, quam ad medium vel ad finem. Quid quod Vaſques fateri debebit, finem prætermiſſum eſſe ab Ariſtotele, niſi vocibus illis, *cuius cauſa vt ſalutis*; expreſſus ſit? hoc autem incredibile videtur. Tandem fini, non item medio ad finem, competit quod ſubdit Ariſtoteles de eo, cuius cauſa fit aliquid, nempe quod ſit vnum ex iis in quibus principaliter eſt actio.

Quanquam vt finis inter circunſtantias numeretur, non debet accipi eo modo, quo eſt vnum ex iis in quibus principaliter eſt actus, nempe prout eſt finis intrinſecus, & immediatè mouens ad actum elicitum. Sic enim eſt de actus ſubſtantia, & quidem per modum formæ intrinſecæ conſtituentis: Ac proinde quamuis rectè numeretur inter ſingula in quibus eſt actus; non tamen inter circunſtantias propriè dictas, quæ actui iam ſubſtantialiter conſtituto adueniunt. Accipiendus ergo eſt, quatenus eſt finis operantis, extrinſecus operi: Quo pacto actus imperatus, quà talis eſt, habet pro accidentario & circunſtante fine intrinſecum finem actus imperantis. Finis porro ſic acceptus, pro voluntate agentis ſubinde mutatur, nec dat ſpeciem actui, ſed circunſtat illum.

45. Cauſa effectiua principalis, ſi purè in ſe ſpectetur quoad ſubſtantiam ſuam, non habebit rationem circunſtantiæ moralis, vt rectè notat Valentia 1. 2. d. 2. q. 2. p. 2. nec expreſſa fuerit ab Ariſtotele per vocem *quis*, vt malè ſuprà cenſuit Vaſques n. 12. poſt Euſtratium 3. Ethic. c. 1. & Michaëlem Epheſium 5. Ethic. cap. 8. partic. 2. Vt ergo habeat rationem circunſtantiæ moralis, ſumi debet pro conditione quadam & qualitate vel ſtatu perſonæ agentis: cuiuſmodi eſt in quibuſdam conditio coniugij, in aliis conditio ſtatus Eccleſiaſtici, aliæque huiuſmodi. Et hoc eſt quod expreſſit Ariſtoteles per particulam *quis*.

Opponi tamen poteſt, (& reuera à Vaſque opponitur,) quod Ariſtoteles ait, agentem non poſſe ignorare ſeipſum; & ideo non poſſe eum latere quis ſit qui agit: poſſet autem latere, ſi illud *quis*, deſignaret qualitatem vel ſtatum agentis, v. g. quod ſit coniugatus, vel voto adſtrictus; cùm iſta ſæpè vel non conſiderentur per inaduertentiam, vel etiam ignorentur, ob rerum humanarum varietatem & inſtabilitatem. Sic enim ſæpè aliquis neſcit ſe eſſe coniugatum ob falſum nuncium de morte coniugis. At ſi particula *quis* exprimat nudam perſonæ agentis ſubſtantiam, rectè omnino pronunciauerit Ariſtoteles, à nemine agente niſi qui inſanus ſit, poſſe ignorari quis ſit qui agit. Quis enim ſanus ſeipſum neſciat? Quod pulchrè docet Autor libri de caſtitate, falsò creditus Sixtus Papa, expendens illud Chriſti, *abneget ſemetipſum. Quomodo intelligendum eſt*, inquit, *abneget ſemetipſum ſibi, cùm ſeipſum homo ſibi negare non poſſit; eo quòd conſcientia eius non recipiat, vt ſe aut non eſſe putet, aut alterum poſſit æſtimare quàm fuerit? Puto enim hoc eſſe negare ſe. v. g. ſi cui dicatur, tu es Lucius, & cùm ipſe ſit, non ſeſe eſſe reſpondeat, hoc apud alterum ſi fortè valebit non tamen apud ſemetipſum.*

Nihilominus perſtandum eſt in eo quod aſſerui: Et confirmatur, ſiquidem Ariſtoteles per particulam *quis*, deſignare voluit aliquid in quo ſit actus, diſtinctum à *quid*, vt apertè patet ex verbis ſupra allegatis.

gatis. Et tamen, ſi *quis* deſignaret nudam ſubſtantiam agentis primarij, *quis*, & *quid*, apud Ariſtotelem, iuxta aduerſarium, ſumeretur pro eodem. Nam *quid*, vt Euſtratius notauit, annuitque Vaſques ſupra num. 15. apud Ariſtotelem ſignificat actionem ipſam quæ fit.

Non ago de actione ipſa elicita: Hæc enim non poſſet percipi à bruto, quod eſt incapax reflexionis in actum eiuſdem potentiæ, quæ reflecti dicitur, & tamen eſt capax voluntarij, debétque cognoſcere quid agat cùm voluntariè agit. Itaque ago tantùm de operatione imperata. Qui autem videt talem aliquam ſuam operationem, non videt aliud quàm ſe vt agentem. Quomodò enim perſona conſideraret quod facit, & non agnoſceret operationem illam à ſe prodire? Poteſt quidem ſpeculatiuè, & attendendo præciſos conceptus noſtros, verum eſſe quòd cognitio actionis abſtrahat à cognitione huius agentis: Tamen moraliter & practicè loquendo, ea præciſio nunquam contingere videtur, dicíque poteſt humano modo impoſſibilis; quia actio quæ eſt propria ipſiuſmet eam cognoſcentis, iuxta communem vſum & in praxi, ſemper agnoſcitur cum illa habitudine ad ſuum hoc agens.

Ac proinde cùm Ariſtoteles diſtinxit *quis* & *quid*, priore voce, non debuit nudam perſonæ ſubſtantiam deſignare, ſed qualitatem eius, quæ vt plurimùm & moraliter loquendo, ſecluſis euentibus quibuſdam per accidens, nec admodum frequentibus, non eſt operanti incognita: Vt propterea dicere potuerit Ariſtoteles, neminem operantem ignorare quis ipſe ſit, & ea in quibus eſt actus nunquam ſimul omnia latere operantem, cum ſaltem ſciat qualitatem ſui ipſius operantis.

Sequitur cauſa effectiua inſtrumentalis, quæ apud Ariſtotelem exprimitur voce *quo*; quam extendere oportet, vt & ſocios ad idem opus illectos, & inſtrumenta principali cauſæ coniuncta comprehendat. Ariſtoteles huiuſmodi inſtrumentorum, & inuoluntarij ex eis inuenientis, exemplum adhibet in pumice & haſta obtuſa. Qui enim iaciens lapidem putaret ſe pumicem iacere, & vibrans haſtam cuſpide præferratam, crederet ſe obtuſam vibrare, inuoluntariè occideret amicum quem ſic iocando petiiſſet: quæ exempla liquet pertinere ad ſubſtantiam moralem actus; non autem ad veras circumſtantias, quicquid Salas dicat 1.2. tract.4. d. vnica num.18. Quis enim non videt, vſurpationem inſtrumenti, quod putetur pumex, vel ferrum obtuſum, conſtituere actum in alia ſpecie actus moralis, quàm conſtitueretur ſi inſtrumentum agnoſceretur eſſe, quod reuera eſt, nempe ſilex aut haſta præferrata? Quia tamen ſæpè aliàs, ex inſtrumenti conditione & qualitate, creſcit vel diminuitur præconſtituta moralitas, propterea certum eſt, rectè inſtrumentalem cauſam annumerari poſſe propriè dictis circumſtantiis.

Circumſtantiæ tertij capitis, ab Ariſtotele prætermiſſæ ſunt (vt liquebit expendenti verba allegata, & quæ circa alias circumſtantias iam præmiſimus.

Concluditur, quæ apud Philoſophum ſint ſingula in quibus eſt actus.

47. Sic præmiſſa germana expoſitione ſingulorum illorum in quibus eſt actio iuxta Ariſtotelem, manifeſtè habetur quod dicebam: Nempe ſingula illa in quibus eſt actus, penes quæ Ariſtoteles attendi voluit rationem voluntarij, non eſſe vniuerſaliter loquendo idem quod circumſtantias propriè dictas; háſque omnes non fuiſſe ab Ariſtotele enumeratas ſigillatim. Vt autem non vltra vrgeam hoc ſecundum, quod ſupra euidenter oſtenſum eſt ex temporis ac loci & effectus accidentarij prætermiſſione: breuiter duntaxat hic circa illud addo, vt aliquis actus ſit voluntarius, nihil eſſe neceſſe vt cognoſcantur omnia illa ſingula in quibus dictum eſt actum eſſe poſſe: Nam bruta ſunt capacia voluntarij vt vidimus, & tamen nullum cognoſcunt finem, formaliter quà finem: nec circumſtantia perſonæ, vel inſtrumenti in ea cadit. Nos ipſi etiam plurumque non cognoſcimus omnia illa ſingula in quouis actu, quia non omnia ſemper interueniunt. Vnde plenum voluntarium cauſaſſe cenſemur, cùm cognoſcimus ea ſingula, in quibus actus ille, de quo agitur, reipſa conſiſtit. Reſpexit huc fortaſſis Ariſtoteles cùm aliqua ex illis ſingulis prætermiſit.

His obiter notatis circa ſecundum punctum propoſitum, confirmo primum illud, quod affirmabam, nempe ſingula illa in quibus eſt actus, vniuerſaliter loquendo, non eſſe idem quod circumſtantias. Ita enim apertè habetur ex ſcopo Ariſtotelis in cap. illo 1. libri tertij Ethic. & quoties agit de ſingulis illis in quibus eſt actus. Nihil enim eius intererat in illo capite, aliíque illis locis, recenſere circumſtantias actuum, ſed tantùm intendebat tradere ea ex quibus pendet quod actus ſit vel non ſit voluntarius. At hæc tametſi ex parte ſunt circumſtantiæ propriè dictæ, quia ſecundùm eas poteſt etiam pendi voluntarium; præcipuè tamen & primariò ſunt ea quæ ſpectant ad ſubſtantiam actus. Nam ſicut ſubſtantia actus eſt illi intimior quibuſuis extrinſecis accidentibus; ita voluntarium actus peti debet ex ſubſtantia prædicta.

48. Itaque inde liquidò conſtat ſingula illa in quibus eſt actus, non eſſe duntaxat circumſtantias accidentales. Et ita apertè ſentiunt, qui de illis *ſingulis* philoſophantur, ſiue Ariſtotelis loca allegata exponentes, præſertim Euſtratius & Epheſius; ſiue agentes de voluntario & fontibus moralitatis in humanis actibus, vt Nemeſius lib. de homine c.32. Damaſc. 2. fid. c.34. multique recentiores, & nominatim Vaſques 1.2.d.30. quem tamen iam deſerui, affirmantem omnia illa in quibus Ariſtoteles dixit eſſe actum, iuxta eundem Philoſophum, eſſe actui ſubſtantialia, quod in particularibus exemplis oſtendi eſſe falſum. Et ex eo confirmatur, quod poſſit quoque ratio aliqua voluntarij vel inuoluntarij, in actum deriuari ex circumſtantiis cognitis vel ignoratis, itémque ſpontè vel vi ſuſceptis.

Vnde habetur commoda interpretatio eius quod ait Ariſtoteles; nempe quòd vel vno ex ſingulis illis in quibus eſt actus, ignorato; eo ipſo actus reddatur inuoluntarius. Poteſt enim id exponi de inuoluntario quoad illud de quo agitur; puta modum aut qualitatem accidentalem, cuius ignoratio, vel violenta ſuſceptio, reddit actionem ea ex parte inuoluntariam, ſaluo voluntario circa ſubſtantiam & reliqua accidentia actus. Plerumque etiam, actus ob ignorantiam circumſtantiarum aliquarum accidentalium, ſuſcipitur ſponte, qui iis compertis non ſuſciperetur. Vnde ea ignoratio, reddit tantùm actum implicitè inuoluntarium, etiam quoad ea quæ actu & formaliter voluntaria ſunt, ſuppoſita ignoratione adiunctorum, v. g. qui eleemoſynam erogat, pauperi quidem ſed tamen hoſti, cui agnito eleemoſynam minimè contuliſſet, cenſetur ei inuoluntariè implicitè conferre; & tamen abſolutè loquendo, & de facto, confert voluntariè, quia ignoratio circumſtantiæ illius accidentariæ non excludit pauperem illum ab obiecto volito. Vnde interuenit quidem ibi habitualiter actus odij, quo ſi iſtum noſſet, liberalitatis ſuæ participatione eum excluderet: Quamdiu tamen actu eum non excludit, actio eſt formaliter & actu

voluntaria,

voluntaria, nec niſi implicitè inuoluntaria. Itaque hoc quoque inuoluntarium potuit verbis illis à Philoſopho exprimi: non autem quod vnumquodque ex illis ſingulis; in quibus eſt actio, ſit ſubſtantiale actui, vt Vaſques malè inferebat ex eo quod Ariſtoteles dicat inuoluntarium circa aliquod ex prædictis ſingulis, reddere actum inuoluntarium.

Voluntarij definitio conſummatur, & directo ac indirecto voluntario aptatur.

49. Habemus ergo integram ac plenam expoſitionem definitionis, voluntarij cauſaliter ac propriè dicti, quæ aſſignatur 3. Ethic. cap. 1. verbis illis. *Voluntarium eſt, quod eſt à principio intrinſeco, cognoſcente ſingula in quibus eſt actus* Ex eius porro definitionis expoſitione, vides & vim & ignorantiam, quod Philoſophus ſupra affirmabat, debere abeſſe à voluntario. Neque enim eſſet ab intrinſeco ſi vis adeſſet, neque à cognoſcente ſi laboraret ignorantia. Vtrumque præclare confirmat D. Auguſtinus lib. de Duabus animabus c. 10. oſtendens in eo qui cogitur, vel omnino neſcit, niſi volens in ea impedimenta operandi inciderit, peccatum non eſſe.

Conſtat etiam voluntarij definitionem cadere tam in illud voluntarium, quod directum vocant, quàm in indirectum. Vbi cauenda eſt vocis ambiguitas. Nam, apud aliquos poſt S. Thomam 1. 2. q. 6. art. 3. & qu. 77. art. 7. voluntarium directum, dicitur illud quod procedit à voluntate prout agente. Quod autem procedit ab aliquo ex eo ipſo quod non agit, cum poſſet & deberet agere, dicitur voluntarium indirectum: quod propterea Conradus art. illo 3. ait, non fundari in actu, ſed in poteſtate voluntatis; nec eſſe proprietatem vel conditionem realem, actui vel potentiæ aduenientem: ſed tantùm dici voluntarium quia eſt voluntatis poteſtate actum exercere vel omittere. Vnde huiuſmodi voluntarium non habet locum in brutis, & quibuſuis libertatis vſu deſtitutis, quia non eſt in eorum poteſtate actionem ſuam ſiſtere & feriari: ſed cùm primùm à iudicio ſuo practico determinantur, atque adeò cùm primùm poſſunt agere, illico erumpunt in actum; quamuis interdum priuſquam determinentur & poſſint agere, hæreant cunctabunda. Iuxta quam vocum notionem, omne voluntarium poſitiuum, ſiue ſit in ſe voluntarium, ſiue in cauſa, eſt voluntarium directum. Voluntarium autem negatiuum, eſt indirectum, etiamſi ſit in ſe voluntarium. At alij, voluntarium poſitiuum, quod eſt duntaxat voluntarium in cauſa ſua; vocant voluntarium indirectum. Quocunque tamen ex his modis vſurpentur voces illæ *voluntarij directi & indirecti*, cadit ſemper in earum ſignificatum definitio voluntarij aſſignata.

Non cadit tamen in quoduis voluntarium interpretatiuè.

50. Aliqui voluntarium indirectum, vtrolibet illo modo vſurpatum, vocant quoque *Voluntarium interpretatiuè, implicitè, & virtualiter, aut æquivalenter*, quatenus perinde propè eſt ad rem moralem, quòd aliquid ſit voluntarium poſitiuè in cauſa ſua aut in ſeipſo, vel merè negatiuè in ſeipſo. Sed in his vocibus multò magis cauenda eſt æquiuocatio. Nam plerique longè alio ſenſu vſurpant voces illas *voluntarium implicitè, interpretatiuè, & virtualiter aut æquivalenter*, nimirum pro eo quod eatenus tantùm dicitur alicui voluntarium, quatenus etiamſi de facto voluntarium non ſit, tamen eſſet ei de facto voluntarium, ſi illi proponeretur vt proſequendum vel auerſandū. Quod genus voluntarij tactum ſupra eſt cùm de ignorantia comitante; & ex ibi dictis patet huiuſmodi voluntarium non eſſe verè voluntarium, nec cadere in illud voluntarij definitionem nunc expoſitam: Ibi ſiquidem oſtendimus; quod fit per ignorantiam comitantem, nec minus fieret ſi ignorantia abfuiſſet, nihilominus eſſe non voluntarium.

Eſt porro huiuſmodi voluntarij frequens vſus circa ea quæ exercemus dependenter ab aliena voluntate. Sic enim, ſi quis re aliena vtatur exiſtimans id domino non diſplicere, & ratum apud eum fore cùm innotuerit, non violat iuſtitiam Quod valet etiamſi dominus puer ſit, nec vllam omnino illius vſus notitiam præhabuerit. Nulla ſiquidem notitia ad huiuſmodi voluntarium præexigitur, contra Vaſquem 1. 2. d. 24. num. 2. Tamen circa ea, quæ per nos ipſos exercemus, huiuſmodi voluntarium non eſt magni momenti. Cùm enim de noxa mea, vel actione laudabili ſermo eſt, non ſufficit quod eſſem voliturus ſi aduerterem, quæ eſt notio voluntarij huius impliciti. Quam etiam ob cauſam, cùm hoc voluntarium interpretatiuum deeſt circa accidentarias actionis circumſtantias, tametſi tales, vt eis cognitis, actio non fieret; actio non deſinit eſſe ſimpliciter voluntaria, nec minus exurgit obligatio actionem illam fortè conſequens, quàm ſi inuoluntarium hoc interpretatiuum & tacitum non interueniret. Ad hoc quoque voluntarium ſpectat illud quod aliqui appellant *voluntarium tacitum*, vel *ſecundùm fictionem iuris aut rationis interpretationem*; interueniréque cenſetur cùm quis aliquid facit, quo ipſo cenſetur aliud velle: vel cùm tacet, licèt videat. Qui enim ita ſe gerit, (dummodò res in eius fauorem cedat, non in damnum,) conſentire videtur: De quo veluti effato multa ex Iuriſperitis ad varios particulares euentus ſpectantia tradit Azor. tom. 1. l. 1. c. 4. & 5.

Mixtio voluntarij & inuoluntarij, ingeſtu ex metu, & concupiſcentia, & quod prædominetur.

51. Tertiò poſt expoſitum inuoluntarium ſimpliciter, ac voluntarium ſimpliciter, collegi quid ſentiendum eſſet de eo actu, qui fit ex metu vel ex concupiſcētia, quod voluntarium Durandus in 1. d. 39. q. 5. n. 6. vocat *voluntarium mixtum*, alij autem è contra vocant *inuoluntarium mixtum*. Et ſanè vtrobique cernitur aliquid voluntarij, & aliquid inuoluntarij. Nam vtrobique ſupponitur actum eſſe à principio intrinſeco cognoſcente ſingula, in quibus actus ipſe eſt, quæ eſt voluntarij ratio. Vtrobique autem ea voluntarij ratio cernitur oblæſa. Nam metus infert quandam vim agenti, atque ita principium actus non eſt merè internum, & actus accedit ad violentum. Ideóque ab Argentina in 4. d. 29. q. vnica art. 1. vocatur *violentum mixtum*. Concupiſcentia verò præterquam quòd videtur extrinſecam aliquam vim voluntati inferre, obſcurat quoque cognitionem. Atque ita voluntarium in huiuſmodi actibus non eſt purum, ſed cum mixtura inuoluntarij; & viceuerſa inuoluntarium admiſcetur voluntario. Quod attendentes Doctores aliqui, actum ex metu vel concupiſcentia geſtum, appellant voluntarium mixtum: alij autem inuoluntarium impurum nominant. Veri melius expendendum ſupereſt, vel potius colligendum ex rationibus voluntarij & inuoluntarij hactenus expoſitis. Nam ſi actus ſic elicitus magis accedat ad actum ſimpliciter inuoluntarium, denominandus erit inuoluntarius aliquali inuoluntario mixtus: aut è contrà ſi voluntarium præponderet, & actus magis accedat ad

eos actus, qui ſunt ſimpliciter voluntarij, quàm ad inuoluntarios.

Tradam primum, quæ ſpectant ad actum metu geſtum, quia reſpondet actui violento, quem ſuprà cùm Ariſtotele præmiſimus actui facto ex ignorantia: Tum dicam de actu elicito ex concupiſcentia. Breuiter autem reſolutio quoad vtrumque hoc punctum ex dictis deducenda, hæc eſt. Quod metu geritur eſſe quidem ſecundùm quid inuoluntarium; tamen ſimpliciter eſſe voluntarium. Id quod multò magis valet de eo quod fit ex concupiſcentia: Hæc enim licèt aliquatenus puritatem voluntarij vitiet, per obtenebrationem intellectus voluntati prælucentis; Tamen aliunde auget impetum potentiæ, atque adeò etiam intenſionem entitatiuam actus: Tantùm abeſt vt ſit cauſa inuoluntarij ſimpliciter. Excutiamus vtrumque.

Inuoluntarium in geſtis ex metu.

52. Inprimis in eo quod ex metu geritur cerni aliquid inuoluntarij, perſpicuum eſt ex eo quod ſi actio ſpectetur quoad obiectum materiale; vel prout Ariſtoteles 3. Ethic. c. 1. loquitur, ſi ſpectetur ſimpliciter, ſentitur dolor; nec exerceretur actio, niſi metus ingrueret. Eo tamen vrgente, & ad grauius malum imminens declinandum, ſuſcipitur actio: quæ proinde non eſt plenè voluntaria, ſed eſt inuoluntaria ſecundùm quid, ſiue ex obiecto materiali appetitionis, quod eſt medium perueniendi ad finem intentum, hoc eſt ad declinationem mali. Nam nolitio mali quod metuimus, eſt planè voluntaria: volitio autem medij ad malum illud declinandum vſurpandi, inuoluntaria eſt; quatenus voluntas quæ metu ingruente vult illud vſurpare, detrectaret id facere ſi metus abeſſet. Vnde nunc operatur adacta metu imminentis mali: non quidem adacta ſimpliciter, ſed *conditionaliter*, (iuxtà modum loquendi antiquorum Theologorum apud Argentinam ſuprà,) & vt aliqui loquuntur, *induſtiuè*: Sic enim Alenſis 4.p.q.8.memb. 7.art.2.§.1.& S.Bonauent.in 4.d.4.art.1.q.1.n.22.neceſſitatem conditionatam appellant, & contraponunt abſolutæ neceſſitati, quam vocant neceſſitatem *ſufficientem*

Hanc duntaxat, non aliam neceſſitatem, in Tyranni precibus, ex vulgari effato quod refert, agnoſcit Plato epiſtol. 7. quæ eſt ad Dionis propinquos; cùm ait, *Tyannorum precibus, vt eſt in prouerbio admiſceri neceſſitatem:* nempe ob metum inſtantis damni, ni volũtati petentis fiat ſatis. Similitérque Laberius apud Macrob. 2. Satur.c.7.à Cæſare rogatus in ſcenam prodire, homo ſenex, & equeſtris ordinis, iniectam ſibi ea ſupplicatione neceſſitatem, prodiens excuſat. Nimirum vt Publius Mimus ſcitè dixit,

Cogit rogando qui rogat potentior.

Eleganter item Auſonius præfat.ad Cento. *potentiſſimum imperandi genus* eſſe ait, cùm rogat qui iubere poteſt. Alibi item a Theodoſio ad edenda ſua carmina rogatus, ita præfatur.

Scribere me Auguſtus iubet & mea carmina poſcit,
Penè rogans, blando vis latet imperio.

Petrus Bleſenſis epiſt. 1. laudat illud Ioannis Sariſberienſis præceptoris quondam ſui;

Eſt errare Ducum, ſpecies violenta iubendi:
Et quaſi nudato ſupplicat enſe potens.

Ineſt igitur vis quædam atque neceſſitas, in eo quod per eas preces efficitur metu ingruentis mali, ſi qui rogatur, ad eas obſurdeſcat: ac proinde quod ex metu fit, non vacat inuoluntario, in quam rem plura ſubtiliter de more diſputat S.Anſelmus dialog. de lib.arbitr. c. 5.

Perſpicuum autem indicium, mixturæ inuoluntarij in huiuſmodi actu prodeunte ex metu, duci dicebam ex dolore. Quod patet in mercatore qui preſſus tempeſtate, & metu ingruentis interitus, merces in mare proiicit ad nauem exonerandam, vt eo pacto vitæ ac ſaluti conſulat. Actio enim proiectionis ſpectata materialiter, eſt contra inclinationem voluntatis, & idcirco ingenerat moleſtiam, nec abſque dolore exercetur. Qua etiam ratione obſeruatio præcepti in re aſpera, poteſt eſſe inuoluntaria, ſpectato illo materiali, ingeneratur enim voluntati diſplicentia ſimplex, ex materialis illius obiecti aſperitate proueniens. Similitérque obſeruatio præcepti difficilis, facta ex timore pœnarum, inuoluntaria eſt, & diſplicentiam ingenerat, ratione obiecti materialis: quamuis ea diſplicentia, & metus mali quia ſimplex duntaxat eſt, nec habet vim propoſiti efficacis, quo ſtatuatur præceptum fore violandum, niſi metus ingrueret, non inquinet actum ex tali metu geſtum; ſicut faceret metus importans illud propoſitum, qui dicitur *timor ſeruilis cum ſeruilitate*.

Alterum indicium eius inuoluntarij, quod admiſcetur actioni ex metu factæ, peti poteſt ex eo quòd plerumque leges alioqui iuſtæ, non obligant ingruente metu magno. Hinc enim colligere licet, inferri voluntati magnam vim: quandoquidem Legiſlator, qui rationabiliter ſe gerit, noluit interpoſito graui illo metu, damni non facile alia via declinandi, vel etiam inſuperabilis, ſubditum aſtringere ad legum prædictarum obſeruationem.

Dummodò metus ſit grauis.

53. Vt tamen actio ex metu facta, meritò cenſeatur habere admixtum inuoluntarium, neceſſe eſt factam eſſe ex metu graui, nec ſufficeret factam eſſe ex qualicunque metu. Cur me reſtrinxerim ad metum grauem, liquet ex eo quòd, vt dixit Ariſtoteles 2. ad Eudem. c.9. *Non ſi quis vi contactum vitaret, accidiſſet alterum, vi ſe id coactúmque feciſſe dicat. Maius enim acerbiúſque malum oportet non facienti propoſitum ſit: Sic enim coactus & vi faciet, ſcilicet quando malum boni gratia, vel ob maioris mali repulſionem agit; idque inuitus. Neque enim penes ipſum hæc ſunt,* Quod Philoſophus hoc malum, ex quo metus grauis, & inuoluntarium cauſans oritur; ait debere eſſe maioris mali, non eſt ſenſus, quoduis malum metui iſti obiectum, debere eſſe grauius malo quod incurretur, ſi homo metui ſuccumbat, dedátque ſeſe: Id enim neceſſarium non eſt ad metum alicuius inuoluntarij ingeneratiuum: Siquidem malum negandi fidem, in quod martyr incidet, ſi propter horrenda tormenta à fide reſiliat, longè grauius & maius eſt quibuſuis tormentis: Et nihilominus ipſa tormenta meritò cenſentur malum ſufficiens ad cauſandum metum inductiuum inuoluntarij, quicquid contra aſſerant Valentia tomo 4. d.10.q.3. p.2.& Comitol. 3.reſponſ.q. 2.aliique permulti.

Senſus ergo eſt malũ grauis metus cauſatiuum debere eſſe malum maius, ſaltem ſecundùm deprauatam exiſtimationem eius qui metu percellitur vt poſtea ex Simplicio attingam. Vel certè malum maius appellatur illud quod eſt longè maius, eo quòd ibi ab Ariſtotele propoſitum fuerat: nempe contactu leui ſimilibúſque aliis malis minimis, & abſolutè indignis nomine mali. Eſt itaque ea comparatio mali, quod timetur, attendenda non penes malum, cuius vitandi cauſa iſtud ſuſcipitur, ſed penes mala quæ paſſim euenientia, hominem non meticuloſum percellere apta ſunt; & idonea ad eum de propoſito dimouendum; ſiue minus iuxta leges rationis; at ſaltem attenta mali acerbitate & hominis conditione, quæ

non

non niſi magno niſu aſſurgere poteſt ad ſubeundum atrox illud malum, potius quàm deflectat à propoſito. Qui enim mali impendentis, quod cum huiuſmodi malis, quæ paſſim grauia mala cenſentur; collatum graue meritò cenſeatur metu adactus, aliquid fecerit, quod alioqui non eſſet facturus, non poteſt conſeri leuiter adductus, meritóque etiam iudicatur inuoluntariè egiſſe.

Siue cadens in conſtantem virum.

54. Paſſim metus, de quo hactenus, vocatur *metus cadens in conſtantem virum*, vel *metus iuſtus* aut *probabilis*, vel *non vani hominis*, vt videre eſt apud Vlpianum, Labeonem, Celſum, & Caium partim ff. *de eo quod metus cauſa*: partim ff. *de regulis iuris*: Eo quod ſcilicet ſit grauis mali, ac prudenter ſuſceptus. Quod tum demum cenſetur accidere, cùm notabile incommodum ingruens, veriſimillimè impendet à viro potente & ſolito minas excedere; eſtque reuera tale malum, vt non ſit facile excutiendum vel depellendum. Huiuſmodi ergo metus in ſe grauis eſt, & talis quo mirum non ſit conſtantem hominem concuti atque deiici. Hoc vocant *cadere in conſtantem virum*. Neque enim metum cadere in aliquem, eſt, quomodolibet eum tangere: nam ſic metus leues dicerentur cadere in conſtantem virum, quòd eſſet ridiculum.

Igitur metum cadere in conſtantem virum, eſt, metum illum, hominem ita mouere ac percellere, vt eum, tametſi alioqui conſtantem & fortem concutiat, & de propoſito dimoueat. Quo pacto vir fortis, propoſitum habens ſeruandi ſuas pecunias, mutat tamen hoc propoſitum, ſi in latrones incidat, & videat dimiſſionem marſupij neceſſariam eſſe ad vitæ conſeruationem, & indemnitatem à latronum violentia. Et quamuis grauitas mali metum iſtum excutientis, penſanda præſertim ſit ex natura rei, potius quàm ex conditione perſonæ timentis; Tamen neque hæc eſt prorſus dimittenda in tali æſtimatione. Aliquid enim cenſebitur idoneum ad percellendam mulierem vel puerum, quod circa virum militarem leuis momenti iudicaretur. Pleniſſimè in hanc rem diſputant Doctores, præſertim qui de matrimonio & contractibus diſputant. Plurimus adducit Sanches lib. 4. de matrimonio diſp. 1. & ſequentibus. Latè item Farinac. in praxi crimin. p. 1. quæſt. 35. Ad rem præſentem ſufficiunt, quæ adduxi; Ex eis enim liquidò perſpicitur quod oſtendendum propoſueram, nempe actioni ex metu factæ admiſceri inuoluntarium.

Geſta ex metu, ſunt voluntaria.

Quod tamen ea actio ſimpliciter ſit voluntaria, tradit apertè Paulus I. C. l. *Si mulier* ff. *de eo quod metus cauſa*; & ex eo patet, quòd cadat in eam definitio voluntarij. Et ita eleganter docet Epictetus apud Arria. lib. 1. cap. 17. ac optimè etiam Simplicius in cap. 1. Enchir. probans libertatem voluntatis. [Dicat aliquis, inquit, nónne ſæpè à Tyrannis aut noſtris affectibus, amore atque odio coacti, alia atque alia ſuſcipimus, aut admittimus, non volentes? quo pacto ergo tum, poteſtas noſtra & libertas cernetur? Reſpondeo, tum etiam, delectum ſui iuris eſſe. Quamuis enim principaliter id optabile non ſit, ad quod neceſſitate ferimur: Tamen deteriori collatum, optabile videtur: Itaque id amplectimur. Neque fieri poteſt, cuiquam vt agere, niſi priùs aliunde te factum eſſe. Nam qui non omninò aliquid facere videtur, vt qui nolens in ſeruum incidit impulſus ab alio, is inanimæ rei inſtar ſe facit, & pati quàm agere veriùs dicitur. Quare licet inuiti agamus, tamen ſic agere volumus. Proinde eadem neceſſitate propoſita, alij maioris mali metu, id ſuſcipiunt, quod imperatur; alij non ſuſcipiunt, quòd maius malum exiſtimant id facere quod iubentur, quàm pœnas contumacibus propoſitas ſubire. Sic in iis etiam qui inuiti aliquid agere videntur, poteſtas & libertas noſtra manet.] Atque adeo, manet etiam ratio voluntarij, quæ eſt ratione liberi anterior, & neceſſariò ad eam præſupponitur.

Nec repugnant quæ ſubdit continenter Simplicius, docens aliud eſſe quod opus ſit liberum, aliud autem quod ſit voluntarium, & duo illa ſeiungi poſſe. Vſurpat enim voluntarium, aliter quàm in hac tractatione vſurpemus. Nempe nón pro eo quod eſt à principio intrinſeco cognoſcente ſingula in quibus eſt actus, qua ratione vocem *voluntarij* vſurpamos: ſed pro eo dumtaxat, quod purè tale eſt, & abſque mixtura vlla inuoluntarij. Ita planè accipienda ſunt hæc quæ continenter ſubdit. *Nec enim idem eſt, voluntarium, & id quod in noſtra poteſtate eſt: ſed voluntarium id eſt, quod præcipuè expetitur. In noſtra verò poteſtate, quod amplecti poſſumus, ſiue propter ſeſe, ſiue ob mali grauioris fugam. Fit etiam interdum, vt voluntarium cum inuito miſceatur: cùm res expetenda non planè expetenda fuerit, ſed & eius particeps, quod auerſemur. Hanc quaſi miſturam voluntarij & inuiti, probè deſcripſit Homerus, cùm ait*, volens, inuito pectore quamuis. ἑκὼν ἀέκων. Hactenus Simplicius. Et addere poſſumus Chriſtiani, non minus concinnè deſcriptam fuiſſe à Sapiente eam mixturam, verbis illis de pigro. *Vult, & non vult piger.* Vult enim bonum propoſitum, quia expetibilitatem eius apprehendit. Sed ea volitio, quaſi retunditur & hebeſcit, ob animaduerſam difficultatem, qua bonum illud agnoſcitur obſeptum. Atque ita robuſta nolitio eius ac repudiatio, præualet languidæ & inefficaci volitioni ad bonitatem, malitiâ, ſiue difficultate dilutam, terminatæ. Similiter ergo in actione quæ ex metu ſuſcipitur, quamuis adiungatur inefficax nolitio conditionalis, tamen volitio ab vrgente metu extorta, præualet. Cùm autem volitio, non poſſit non eſſe voluntaria, perſpicuum eſt actionem illam ex metu ſuſceptam, debere agnoſci voluntariam; nec dici poſſe extortam, quaſi ſit à vi excludente voluntarium; ſed tantùm ob mixturam propoſitam.

55. Perſpicuè idem aſſeruit Ariſtoteles 3. Ethic. cap. 1. propoſita enim difficultate, an actio ex metu, & quidem graui, ſit voluntaria an non; concludit eſſe potius voluntariam. *Quæcunque*, inquit, *timore maiorum malorum, vel ob honeſtum aliquod aguntur; (vt ſi Tyrannus aliquibus, quorum parentes ac liberos in poteſtate haberet, turpe aliquid agere iuberet; quique id agerent, ſalui eſſent, qui non agerent, perirent:) vtrum ſpontanea ſint, an inuita, controuerſum eſt.* En difficultatem.

Mox eam enodat, adducto exemplo mercatoris nauem mercibus exonerantis: Voluntariè quidem; vt ſaluus ſit, & periculo ac funeri ſubducatur; ſed tamen non abſque dolore & moleſtia. [Tale quid, inquit, etiam in iacturis contingit quæ tempeſtatibus fieri conſueuerunt Nemo enim ſponte abſolutè ſua abiicit: ſed ob ſalutem: tum ſuam, tum aliorum, omnes, modò mentis compotes ſint, facere id videntur. Miſtæ igitur huiuſmodi actiones cum ſint, ſpontaneis tamen magis ſunt ſimiles, quippe cùm eligendæ ſint, tunc cùm aguntur: finis verò actionis in occaſione ſit. Et ſpontaneum igitur & inuitum quando id agit quiſque, dicendum eſt: Agit autem ſponte: principium enim mouendi inſtrumentarias partes in huiuſcemodi actionibus, in ipſo eſt. at quorum principium in ipſo eſt, ea agere vel non agere in ipſo quoque eſt ſitum. Spontanea igitur huiuſcemodi ſunt, ſimpliciter verò inuita:

quippe

quippe cùm tale quippiam per ſe eligat nemo.]

Vides iuxta Philoſophum proiectionem mercium, (& idem eſt de quouis alio , quod ex metu fiat ;) ſi formaliter ſpectetur , ſiue prout conducit ad ſalutem, quæ eſt forma & motiuum voluntatis proiiciendi , exerceri voluntariè. Vnde quia motiuum in actibus eminet,eſtque præcipuum , non debet mirum videri quòd voluntarium ex parte eius ſe tenens, præponderet aliquali violento,quod ex materiali obiecto oritur; ita vt actio illa denominetur voluntaria ſimpliciter aut vt D. Thomas 3. Ethic. lect. 1. *ſub finem* loquitur , *voluntaria in vniuerſale:* quamuis abſolutè , ſiue ſecluſo metu , non foret voluntaria , nec vſurparetur. Quod D. Thomas ibid. vocat *voluntarium ſecundum particulares circumſtantias , quæ occurrunt in tempore quo eſt operandum* ; quod accepit à Nemeſio lib. de homine cap. 30.

Et ita quidem , vt in eis prædominetur voluntarium.

56. Neque verò tantùm intendo,(quod hactenus duntaxat probaſſe videor,) actum ex metu profectum eſſe voluntarium ; ſed etiam intendo eſſe ſimpliciter voluntarium , nec eſſe inuoluntarium niſi ſecundùm quid : ita vt quamuis voluntarium & inuoluntarium miſceantur in huiuſmodi opere, prædominetur tamen voluntarium,vt rectè contra Decium id negantem affirmat Thomas Sanches l.4.de matrim.d.1.n.5.eſtque aperta ſententia Ariſtotelis locis allegatis,& S.Thom. 1.2.q.6.art.6. & 3.Ethic.lect.1. annuitque Durandus in 4.d.29.q.2.n.10 & Almainus tract.1.moral.cap.3. *initio*, & paſſim alij Scholaſtici ac Philoſophi.Idemque ferunt illa Auguſtini de ſpiritu & lit.cap.31. [Si ſubtiliùs aduertamus etiam quod quiſque inuitus facere cogitur, ſi facit , voluntate facit : ſed quia malit aliud , ideo inuitus , hoc eſt , nolens facere dicitur. Malo quippe aliquo facere compellitur ; quod volens euitare, vel à ſe remouere,facit quod cogitur. Nam ſi tanta voluntas ſit,vt malit hoc non facere,quàm illud non pati,cogenti proculdubio reſiſtit,nec facit.Ac per hoc ſi facit,non quidem plena & libera voluntate,ſed tamen non facit niſi voluntate:Quam volũtatem quia effectus conſequitur,non poſſumus dicere poteſtatem defuiſſe facienti.Si enim cogenti cedens,vellet facere, nec poſſet,ei voluntatem affuiſſe,licet extortã,ſed poteſtatem defuiſſe diceremus.] Agnoſcit itaque Aug.in iis quæ ex metu fiunt,prædominari voluntarium.

Optimè autem id euincit ratio quam adhibet D. Thomas , nempe quòd vnumquodque ſimpliciter & abſolutè ac principalius denominatur ex eo , quod ei actu competit:& non niſi ſecundùm quid,ex eo quod competeret illi,ſi aliqua conditio poneretur,quæ nunc non ponitur. Illud enim reipſa & actu competit rei ; hoc autem non niſi in apprehenſione noſtra : Atqui actus à metu cauſatus, eſt reipſa & de facto voluntarius : non eſt autem inuoluntarius niſi ſub conditione, nempe quia ſi ſecluderetur ſtatus præſens , & remouerentur hæ ſingulares circumſtantiæ,homo huiuſmodi medium non eligeret : dolétque ſe eo ſtatu eſſe, quo ſatius ducere debeat hoc medium eligere , quàm ſubiacere alteri malo. Ergo homo in huiuſmodi euentu denominandus eſt potius voluntariè agens , quàm inuoluntariè:Tametſi aliquale quoque inuoluntarium. illi voluntario prædominanti admiſceatur. Quod vnum volunt iura,quæ pro ſe allegat Decius.

Nimirum conſideranda eſt in homine operante ex metu, duplex voluntas:Vna abſoluta & efficax:& ratione huius,actus eſt ſimpliciter voluntarius : Altera conditionata, quæ ſcilicet haberetur ſi metus abeſſet, & ratione huius volitionis,quam conſtat non prædominari,actus dicitur aliquatenus inuoluntarius.Cauenda item eſt æquiuocatio,ex qua contingere poſſet, vt quis cenſeret Doctores affirmare inuoluntarium,prædominari in eo quod ex metu efficitur.Nimirum quia interdum dicunt huiuſmodi actum abſolutè eſſe inuoluntarium,quo pacto loquitur D.Thom.lect.illa 1. Non enim ſenſus eſt,actum de quo agimus,eſſe principaliùs inuoluntarium,vt interdum ſonat vox illa *abſolutè*:ſed tantùm ſenſus eſt;*abſolutè* id eſt,ſi remoueretur ſtatus præſens, actum fore inuoluntarium , ſeu potiùs omninò fore deuitandum.

57. Suppetit hìc quoque indicium euidens voluntarij in huiuſmodi actibus præponderantis,ductum ex eo quòd metus non eluit maculam actionis ex ſe turpis ac vetitæ , quod ex multis iuribus confirmat Couarruuias in Epitome 4.Decretal. p.2.c.1.§.4. à n. 3. & pulchrè traditur à D.Auguſtino 2. de peccat.mer. c.10.Tractans enim locum Iobi 14. quem ex alia interpretatione,paulò aliter refert quàm in vulgata editione habeatur,ita loquitur. *Illud quod ait,dinumeraſti omnes neceſſitudines meas,& nihil te latuit de peccatis meis, ſignaſti peccata mea in ſfolliculo , & annotaſti ſi quid inuitus commiſi : Nonne ſatis aperit , etiam illa peccata iuſtè imputari quæ non delectationis illecebra committuntur,ſed cauſa deuitandæ moleſtiæ alicuius aut doloris aut mortis ? Nam & hæc dicuntur quadam neceſſitate committi , cùm omnia ſuperanda ſint amore & delectatione iuſtitiæ.* Non negat D.Auguſtinus, quin metus interdum , legum aliquarum obligatione exſoluat : Id enim indubitatum eſt vt ſupra diximus. Tantùm itaque vult eſſe actus quoſdam malos , qui tametſi metu interpoſito efficiantur ; inquinantur nihilominus , eo quòd non obſtante metus interpoſitione lex vigeat , & fundamentum malitiæ integrum perſtet. Huiuſmodi namque actibus excuſandis fruſtra obtenditur metus,cùm præſtet grauiſſima quæque incommoda ſubire, quàm ſcelus admittere.

Mens Philoſophi circa rem propoſitam.

58. Inſinuauit hæc omnia non obſcurè Ariſtoteles loco citato his verbis.[Ob actiones huiuſcemodi, *mixtas factas*, interdum etiam laudantur homines , cùm pro magnis & honeſtis rebus,turpe aliquid aut moleſtum ſuſtinuerint. Si verò è cõtrario,vituperantur. Nam turpiſſima ſuſtinere , nullius honeſtæ aut mediocris rei cauſa,malum eſt. Ob nonnulla verò laus quidem minimè,ſed venia exhibetur:cùm ea,quæ non debet,agit quiſpiam ob eiuſmodi,quæ & humanam naturam excedunt, & à nullo ſuſtinerentur:Quædam autem fortaſsè ſunt ad quæ perpetranda,nemo cogi, compellive poteſt,ſed potius extrema quæque pati,ac mori conuenit. Etenim ridicula illa ſunt , quæ Euripideum Alcmæonem ad matrem interficiendam compulerunt. Sed difficile interdum eſt iudicare,quale pro quali eligendum,ac quid pro quo ſuſtinendum ſit:difficilius etiam in iis quæ decreuerimus,perſiſtere. Vt plurimum enim quæ expectant,moleſta:quæ verò cogunt,turpia ſunt. Vnde & laudes & vituperia iis contingere conſueuerunt, qui vel fuerunt vel non fuerunt coacti.]

Apertè his verbis Philoſophus agnoſcit, quoſdam actus turpes,hoc eſt,minus decentes hominis ſtatũ & conditionẽ,(tametſi moraliter non malos;)abſque culpa imò & cum laude exerceri. Quamuis aliud quoddã opus,v.g.miniſteriũ aliquod,vſque eò abiectum ſit,& abhorrens à conditione hominis,vt generoſus animus, cum laude,grauia quæque potiùs ſit delecturus, quàm vt miniſterio illi aut operi ſe addicat;nec conſentaneè ad dignitatem ſuam agere cenſendus ſit,ſi ad declinandum imminens malum,tantoperè demiſerit ſeſe.

Addit Ariſtoteles , pro aliis quibuſdam actibus

ex metu factis veniam & commiſerationem deberi, quod ſpectata imbecillitate humana, & mali imminentis acerbitate, & culpæ tenuitate, lapſus veniam mereatur: quamuis laudem reportaturus fuiſſet, ſi generosè delegiſſet malo potius & incommodo, quam probro & culpæ ſubiacere, & reuera malè ſe geſſerit ſic ſubiacendo. Quis enim non tangatur cõmiſeratione illius, qui intentato viuicomburio niſi iocoſum mendacium proferat timori ſuccubuit, quamuis magna cum laude mortis potius illius acerbitatem ſuſtinere, quàm ſe leui illo mendacio fœdare decreuiſſet, & ita planè factum oportuiſſet?

At aliæ quædam culpæ, vt mox ſubdat Ariſtoteles, tam graues ſunt, vt qui eas admiſerit, nullum metum poſſit obtendere, vel inde commiſerationem captare: cum mors potiùs obeunda omninò fuerit, quam tanto ſceleri ſuccumbendum. Quo pacto mors Eriphiles per Alcmæonem filium illata, non caruit graui ſcelere filij, fruſtra cauſantis præceptum paternum, & metum delinquendi in iuſſa patris Amphiarai: qui ab vxore proditus, proficiſci ad bellum coactus fuerat. Ad hoc tertium membrum reuocari omnino debet adulterium; de quo miror, Euſtratium, hominem & Chriſtianum, & Epiſcopum. 3. Ethic. c.1. pronunciare, carere turpitudine, imò laudandum eſſe, cùm à viro bono alicuius magni boni prætextu, v. g. liberandæ patriæ, & publicæ ſalutis cauſa, admittitur. Abſit autem, vt tam fœdum actum, culpa vacare Chriſtiani exiſtimemus: Tantùm abeſt, vt in animum inducamus, dignum laude fore: Etiam poſito, quòd ingens aliquod bonum inde exoriturum iudicetur. Proſtat enim apud Apoſtolum peremptoriũ edictum, *Non ſunt facienda mala, vt eueniant bona.*

Cur quædam ex metu graui geſta, etiamſi ſimpliciter voluntaria, irritentur.

59. Itaque actio ex metu graui facta, eſt ſimpliciter voluntaria, nec niſi ſecundùm quid eſt inuoluntaria: ita vt quamuis in ea voluntarium & inuoluntarium aliqualiter admiſceantur; tamen prædominetur voluntarium. Nec obeſt quòd pleráque metu iniuſtè incuſſo geſta, irrita reddantur iure humano, quaſi ſupponente defuiſſe in eis voluntarium, ideóque præſumente eſſe per vim facta. Reuera enim ius acta illa reſcindens, hoc non ſupponit; alioqui ſi facta fuiſſent incuſſo iuſtè metu, æquè debuiſſent cenſeri inuoluntaria, & irrita reddi, contrà quàm iure cautum eſt. Idcirco ergo interdum contingit caſſa reddi iure poſitiuo, quæ ex metu facta ſunt, & ſuapte natura valerent, quia actus per iniuriam exortus, non debet ei fauere qui vim intulit: Quod non parum iuuat, vt obuiam eatur infinitis malis, quibus aditus pararetur, ſi iniuriæ irrogatio commoda & vtilis eſſet irroganti.

Plerumque etiam interuenit defectus pugnans cum ratione actus, qui exercetur, quamuis conſenſus ſimpliciter liber interueniat: Et tunc actus, etiam ſecluſa lege humana irritante, eſt inualidus. Sed donatio graui metu facta, v. g. prædoni ne vitam eripiat, ſuaptè natura nihil valet, etiamſi voluntaria. De ratione enim donationis eſt vt fiat ex liberalitate ac plena libertate, quam impedit metus mortis à prædone alioqui imminentis. Quamuis idem non contingat in donatione alicui facta, vt ab inuadente prædone tueatur. Quod enim iſti datur, validè datur, etiamſi ex metu detur. Sed nimirum præterquam quòd iſte præmium ac mercedem operæ ſuæ accipere debet, metus ibi interueniens ex quo proximè perſoluitur huiuſmodi ſtipendium, non eſt metus extrinſecè illatus, qui ſolus actum irritat, eſtque patienti iniurius: ſed eſt metus intrinſecus, qui à cauſa externa libera non eſt incuſſus immediatè. Hic autem metus, cùm ipſe homo eum ſibi inferat, ac proinde iniuriam ac vim in eo non patiatur; neque actum irritare ſuapte natura poteſt, neq; eius lege humana irritandi, fundamentum ſufficiens præbet.

Quid de geſtis ex concupiſcentia antecedente.

60. Pergo ad actum ex concupiſcentia geſtum. Nomine autem *concupiſcentia* non aliud hic intelligimus, quàm actionem appetitus ſenſitiui ſenſibilia bona proſequentis, ac refugientis incommoda. Itaque non eum duntaxat motum, qui preſsè deſignatur nomine cupiditatis, ſed etiam iram, & dolorem, aliáſque huiuſmodi paſſiones nomine concupiſcentiæ intelligimus: Ab his enim potentiæ ſecum complãtatæ motibus, voluntas non parum ſtimulatur, aut pellicitur. Et Ariſtoteles eodem planè modo de ira aliiſque affectibus pronunciandum eſſe decernit 3. Eth. c.1. *in fine*, ac de cupiditate, in qua proinde ferè hærebimus, quandoquidem par de aliis eſt iudicium. Et quidem cùm concupiſcentiæ motus eſt conſequens, ſeu talis vt ab homine in ſeipſo deliberatè excitetur, nemini dubium eſt, quin indicium potius ſit maioris voluntarij, quàm imminuti: Quandoquidem hæc affectus ſenſitiui excitatio, non aliunde ortum habet quam ex plenitudine affectus inſtigantis voluntatem.

Tota ergo difficultas eſt de concupiſcentia antecedente & præueniente voluntatem. Quamuis enim extra controuerſiam ſit, quod actus per huiuſmodi concupiſcentiam non reddatur inuoluntarius, ſiue negatiuè, cùm prodeat à principio intrinſeco cognoſcente, ſiue contrariè, cùm deſit reniſus & diſplicentia voluntatis: Tamen videtur minui per eam voluntarium, cùm & notitia æſtu concupiſcentiæ obſcuretur, & actus ſic elicitus, abreptio potius ſit voluntatis in obiectum, quàm inclinatio & prolapſio natiuo voluntatis pondere ac nutu facta. Imò hanc ob cauſam Plotinus Ennead. 3.l.1.c.9 videtur aſſerere concupiſcentiam reddere actum violentum, atque adeo inuoluntarium. Ex altera verò parte videtur voluntariũ interuentu concupiſcentiæ auctius eſſe. Siquidem concupiſcentia voluntatem incendit, & ſuopte nutu in obiectum præcipitantem, violentiùs impellit. Vnde verior ſentẽtia fert, publicarum libidinum victimas, nõ teneri reſtituere, quod à procis excæcata blanditiis mente eorum, extorſerint: Nec vitiari teſtamentum, quod maius blanditiis vxoris ductus, in fauorem eius confecerit. Hæc ſunt, quæ vtrinque in hac re difficultatem faciunt. Ego breuiter ſic ſtatuo.

Sunt ſimpliciter, ac etiam intenſiùs voluntaria.

61. In primis quæcunque tandem ſit concupiſcentia ex qua aliquid geſtum eſt, actus eſt ſimpliciter voluntarius, & abſolutè denominari debet talis. Et ita diſertè Ariſtoteles 3. Eth. c.1. verbis illis. *Si quiſpiam & iucunda & moleſta eſſe violenta idcirco dixerit, quòd extrinſecùs ſint, & nos cogant; is efficiet, vt ea ratione omnia ſibi eſſe violenta vnuſquiſque putet: quippe cùm horum cauſâ, omnia omnes agant: alij violenter & inuiti ob moleſtum: alij ob iucundum cum voluptate. Sed ridiculum ſanè eſt, in externa potius cauſam referre quã in ſeipſum, quòd huiuſcemodi rebus facile capiatur: & honeſta ſibi, turpia iucundis ſcribere.* Eadem ac etiam fuſius habet cum eodem cap. *in ipſo fine*, tum lib. 2. ad Eudemum c.9.

Addo deinde concupiſcentiam cauſare voluntarium auctius quoad intenſionem entitatis actus: concitat enim acriorem motum facultatis appetentis,

vnde

vnde exiſtit illa intenſio. Nullam denique infert moleſtiam. Quin potius triſtitiam, ſi quæ eſſet ingeneranda per media, quæ vſurpantur, abſumit perfuſione ſuauitatis in bono concupito repertæ. Quod non habet amor rei ex metu, qui idcirco non reddit medium, quod ex eo eligitur, ſapidum: quia non tollit renſum voluntatis in ſubiectum materiale ſimpliciter ſpectatum.

Aliquatenus verò inuoluntaria.

Nihilominus tamen, concupiſcentia, ob impulſum & amicam vim, quam voluntati ex ſe fragili & infirmæ infert, minuit aliquo modo voluntarium; efficitque vt actio minus ſit in nobis ſita, ob infirmationem virium voluntatis, quæ, ſemota inflammatione huius ſibi inſiti fomitis, reſiſteret illicibus. Accedit obtenebratio, quam concupiſcentia infert: Oculo enim mentis per concupiſcentiam hebetato, & ex parte obducto, tollitur notitiæ claritas; vnáque cum ea voluntarij perfectio. Sicut ergo omnium conſenſu ex his capitibus concupiſcentia minuit liberum, ita eodem iure minuit voluntarium: quia quicquid libero officit, ſiue cognitionem, ſiue principiationem internam minuendo, officit item voluntario, ad quod illa quoque duo interueniunt. Et hinc etiam oritur (quòd Ariſtoteles 7.Ethic. c.4.notauit,) vt peccatum eò minus ſit ac leuius quò vehementior fuit cupiditas, quæ ad illud propulit. Nimirum vt rectè cenſuit Philo lib. de ſpecialibus legibus ſub medium. *Dimidiatum videtur facinus, cui non acceſſit longa deliberatio.* At hanc inhibet concupiſcentia, ſuauitatem obiecti importunè & acriter ingerens; turpitudinem verò obſcurans.

Ea etiam ex cauſa, quæ ob doloris vel iræ impetum, admittuntur, mitiùs plectuntur, ac ſæpè etiam inulta abeunt, miſerante Iudice conditionem animi dolore iuſto vel ira agitati. Vt propterea M. Pompilius Prætor neque damnare neque abſoluere voluerit mulierem, quæ matrem fuſte percuſſerat, dolore necatorum liberorum, quos auia filiæ infenſa peremerat, vt refert Valerius lib.8.c.1. In non diſſimili cauſa ſimile iudicium tulit Areopagus authore Agellio l.12. c.7. & conſtat ex Deuteronomij 19. Deum illam mitiorem pœnam eius, qui per animi impotentiam ex dolore conceptam deliquerit, ratam habuiſſe. Suffragantúrque leges ciuiles, vt lex *aut facta* §. *causa ff. de pœnis*, & aliæ pleræque. Par ergo ratio eſt proportione ſeruata de concupiſcentia & incenſo affectu cupiditatis. Idque reipſa agnouit Tyberius eo iudicio, quo damnauit Mundum, equeſtris militiæ ductorem, cùm Paulinam, quam deperibat conſtupraſſet in templo Iſidis, corruptis pecunia Sacerdotibus. Nam ipſum quidem Mundum, quod amoris œſtro correptus deliquiſſet, exilio tantum damnauit: Sacerdotes autem in crucem egit, templum diruit, Deæ ſimulachrum proiici iuſſit in profluentem non exigua imminuti per concupiſcentiam voluntarij ſignificatione.

Ex his itaque capitibus actus ex concupiſcentia geſtus, & eſt ſimpliciter voluntarius, & quadantenus inuoluntarius, quatenus non eſt tam voluntarius, quàm ſi abeſſet vehemens abſtractio & illectio per concupiſcentiam. Quo ſpectant, quæ ſæpèediſſerit Epictetus apud Arrianum, docens malos, qui concupiſcentiæ ſeruiunt, nunquam facere, quæ volunt. Ita nominatim tradit l.2.c.26. Et eodem ſpectat aurea diſſertatio S.Bernardi ſerm.81. in Cantica agentis de neceſſitate per concupiſcentiam inuecta.

Nec plura de voluntario & inuoluntario. Quæ doctrina quanti ſit fructus ac vſus nihil attinet hoc loco commemorare. Infra verò tractando moralitatem & varios actus humanos, præſertímque contractus & donationem, per ſe patebit ſumma eius cum vtilitas, tum neceſſitas ad magnam partem rerum moralium, vt proinde boni conſulenda ſit noſtra aliqua in huius doctrinæ diſcuſſione ac expenſione accuratio.

QVÆSTIO II.

De principio, ex natura rei, ſeu remotè libero; déque principio neceſſario et oppoſito.

63. PRINCIPIA operandi hactenus expoſita; hoc eſt, principium naturale & voluntarium, anteriora ſunt principio libero, & ad illud præſupponuntur: idcóque tractatio eorum iure præmiſſa eſt: Nunc veniendum eſt ad ipſum principium liberum, cuius gratia rationes illæ anteriores ſunt pertractatæ. Et interdum quidem apud Doctores nomina *voluntarij & liberi* confunduntur. Nam apud S.Bernardum l.de gratia & lib. arbit. nomen *liberi* ſumitur pro voluntario. Vſurpauitque etiam modum illum loquendi Scotus in 1. d.10. q. vnica, & ſæpè alibi, cùm dixit Patrem ac filium ſpirare liberè Spiritum ſanctum. Et S.Thomas q.10 de potentia art.2. cùm dixit Deum liberè ſe amare. Videndus Capreolus in 1. diſt. 10. q.1. art.1. concl.3. & qui pro ea Scoti locutione pugnant, Baſſolis ea diſt.10.q. vnica art.3. Mayronius ibid. q.1. Rubionius q.2. Apud Auguſtinum verò nomen *voluntarij* ſumitur pro libero, vt lib. de vera Relig. c.14. & in eiuſdem capitis retractatione, cùm docet, peccato, vſque adeò intimam eſſe rationem voluntarij, vt niſi ſit voluntarium, id eſt, liberum, non ſit peccatum. Quamuis autem hæc huiuſmodi vocum promiſcua vſurpatio reperiatur interdum apud authores; tamen certum eſt, propriè loquendo, diuerſam vtriuſque notionem ſubeſſe, vt perſpicuum fiet, cùm principium liberum comparauerimus cum voluntario: quod præſtari non poteſt, niſi ratio principij liberi perſpecta primùm habeatur. Tunc enim facile erit contentionem eius facere cum ratione principij voluntarij iam declarata.

ARTICVLVS I.

Ratio principij liberi propriè dicti, rationi neceſſarij contrapoſita.

PRopono agendum de principio libero propriè dicto; quia iuxta varias liberi acceptiones, variè poſſet accipi principium liberum. Generatim ſiquidem liberum dicitur, quod immune eſt à periculo vel vinculo, iuxta duplicem acceptionem verbi *libero* cuius meminit D. Aug[illegible] m.48. de verb. Dom. docens liberari homi[illegible] atque adeo eſſe liberum aut à periculo aut à [illegible]lo, quo is obſtringitur: Sed dimiſſa liberatio[illegible] illa à periculo, quia huius loci propria nullo mo[d]o eſt; quod exſolutum eſt alieno vinculo, multiplex eſt, pro multiplici vinculo quo contingit hominem alligari poſſe ac obſtringi. Inde enim eſt, quòd in ſcripturis (vt oſtendit Toletus Ioan. 3. ad illud, *Spiritus vbi vult ſpirat*, & ibid. cap 8. à n.12.) quadruplex libertas per Chriſtum collata commendatur. Nempe libertas à ſeruitute legis Moſaicæ. Libertas à ſeruitute legis moralis naturalis addito gratiæ robore, quo impleri poſſit. Libertas à ſeruitute peccati & Diaboli. Tandémque libertas à ſeruitute corruptionis & mortalitatis.

talitatis. Quæ partitio à Diuo Bernardo lib. de gratia & lib. arbit. concluſa eſt duplici membro ex tribus illis, in quæ libertatem eo loco ſecat, nempe *libertate conſilij*, quæ eſt libertas à ſeruitute legis & peccati, & *libertate complaciti*, quæ eſt libertas à miſeria & mortalitate. Agunt plenè de variis his Chriſtianæ libertatis acceptionibus, Driedo lib. 1. de libert. Chriſtiana c. 2. & 3. & Lenſæus in opere eiuſdem argumenti, ac Ferrarienſis opuſc. de libert. Euangel. c. 2. Verùm nos nunc illam tantùm exſolutionem à vinculo attendimus, quæ libertatem naturalem ac Philoſophicam conſtituit; dimiſſa libertate Chriſtiana, quæ ad altius ſubſellium pertinet. Et apud Nouatores quidem cum inſigni vocum abuſu & peruerſiſſima intelligentia, ea libertas Philoſophica, dicitur conſiſtere in immunitate à coactione; quo pacto voluntarium & liberum ſunt prorſus idem, & brutæ quoque animantes ſunt libertatis compotes. At iuxta propriam vſurpationem, libertas conſtituitur per exſolutionem à neceſſitate abſoluta: Et hæc eſt quam vocant libertatem indifferentiæ, vel dominij in actum, nec cadit niſi in naturam intellectualem. Durand. in 2. d. 24. q. 2. n. 12. poſt Sanctum Bernardum ſuprà, eam vocat libertatem arbitrij, contraponítque libertati abſolutè ſumptæ, quæ remouet tantùm coactionem, nec eſt niſi impropriè & abuſiuè libertas, vt paulo ante dixi, confirmátque plenè Bellarminus lib. 2. de gratia & lib. arbitrio c. 4. & 5. Agimus igitur hoc loco de propriè dicta libertate Philoſophica, quæ non modò coactionem, ſed etiam abſolutam quancunque neceſſitatem remouet.

ASSERTIO.

PRincipium propriè liberum neceſſario opponitur, quod cùm poteſt agere, quia omnibus ad agendum prærequiſitis inſtructum eſt, non poteſt non agere. E contrà enim principium liberum, poteſt actionem, vel non actionem, aut etiam actionem oppoſitam cum quibuſuis ad agendum præequiſitis ſimul ponere.

64. PRimò oppono neceſſarium libero, imitatus Ariſtotelem qui rationem violenti & inuoluntarij, oppoſuit naturali & voluntario; indéque venatus eſt definitionem principij naturalis & voluntarij, quorum ad rem moralem præmittenda neceſſariò erat intelligentia.

Cauſa neceſſaria quàm multiplex.

Poteſt autem cauſa multis modis dici neceſſaria, vt aduertit Gregorius in 1. d. 6. q. 1. art. 1. & Durand. in 3. d. 16. q. 1. n. 9. & Armandus de Bello viſu in explicatione terminorum c. 248. & omnium pleniſſimè Pennotus lib 1. propugnac. hum. libert. c. 2. num. 6. Quin etiam Ariſtoteles 5. Metaph. t. 6. varios neceſſarij modos enumerat. Nempe neceſſaria dicitur cauſa violenter adacta ad operandum, metu magni incommodi: Itémque cauſa ex indigentia operans, ſiue vt ſit, ſiue vt benè ſit: Et denique cauſa, ineuitabiliter, aut vt alij referente eodem Gregorio minus propriè loquuntur, *immutabiliter* operans.

Nos nunc duntaxat poſtremum hunc cauſæ efficientis neceſſariæ modum quærimus, quia is eſt qui pugnat cum cauſa liberè operante, non autem reliqui Nam qui dicitur neceſſitatem paſſus dandi pecuniam prædoni quia vitam ſaluam volebat, dedit nihilominus liberè. Et idem eſt de eo qui comedit, aliquídve aliud operatur; neceſſarium ad retinendum eſſe, vel certè neceſſarium vt bene illi ſit in ſuo eſſe. Quo pacto (quod eſt exemplum Gregorij,) mercatori neceſſarium eſt nauigare, & hac illácve diſcurrere, ſi velit rem familiarem augere: Conſtat autem hos actus liberè exerceri à mercatore. Durandus in 1. d. 7. q. 1. n. 4. hanc neceſſitatem vocat *neceſſitatem expedientiæ ex ſuppoſitione finis*. Gabriel in 3. d. 16. q. vnica *litera A.* vocat *neceſſitatem conditionatam*, vel *neceſſitatem finis*, & ex exemplis quæ adhibet, patet eam non excludere libertatem.

Cauillus circa cauſarũ creatarum neceſſitatẽ.

Quare ſiſtamus in ea operandi neceſſitate abſoluta, quæ excludit libertatem. reperitúrque in omnibus cauſis intellectu deſtitutis, etiamſi contingenter agant. Meritò enim huiuſmodi cauſis operandi neceſſitatem abſolutam tribuunt Doctores paſſim. Vt mirer quid in mentem venerit Iulio Sirenio l. 2. de fato c. 7. vbi cùm diſtinxiſſet duplicem neceſſitatem, nempe neceſſitatem relationis, quam paſſim vocant abſolutam, ſiue conſequentis; & neceſſitatem conditionis, quæ paſſim dicitur neceſſitas conſequentiæ, negat vllum reuera eſſe effectum neceſſarium neceſſitate illa relatiua, (ſic enim ipſe eam nominat,) eo quòd effectus ſic neceſſarius ita in ſuam naturalem cauſam referatur, vt poſitis præreqniſitis ad agendum non poſſit non manare à cauſa ſua. Cùm autem nullus ſit effectus eo modo neceſſarius, eo quòd nullus ſit, qui non ſit diuinitus impedibilis infert nullam quoque eſſe cauſam naturalem, abſolutè neceſſariam in operando, cùm nulla ſit, quæ tantum virtutis habeat, vt abſolutè & ſimpliciter impediri non poſſit. Ideóque ait ſe ſæpè cogitaſſè, quid Diuo Thomæ in mentem venerit, vt 2. contra gentes c. 30. ac ſæpè alibi, in quibuſdam cauſis & effectibus creatis, abſolutam neceſſitatem debilibus admodum rationibus aſſereret. Nihil enim magis neceſſarium inter effectus omnes iudicari poſſe, quàm ignem vrere, cœlum moueri ac lucere: quos tamen effectus, diuinitùs impeditos, ne à cauſis ſuis naturalibus effluerent, docent ſacræ hiſtoriæ, quas idem Sirenius in hanc rem profert, concludens nullam cauſam creatam dici poſſe abſolutè neceſſariam, vt ſtatuebat D. Thomas.

Retunditur.

65. Mihi verò multò magis mirandum videtur, authorem cæteroqui non indoctum, non vidiſſè modum loquendi Diui Thomæ, ac multò magis ſententiam, omni reprehenſione vacare. Neque enim D. Thomas vllam talem neceſſitatem abſolutam in creatis vllis effectibus vel cauſis ſomniauit, quæ conſtituantur diuinitus non impedibiles; cùm & cauſæ & effectus diuinæ diſpoſitioni plenè ſubiaceant: húncque falſum ſenſum neceſſitatis abſolutæ in rebus creatis, reiicit diſertè D. Thomas in prædicti capitis limine, & mox in cap. 31. Itaque agnoſcit tantùm D. Thomas, neceſſitatem abſolutam in rebus creatis, cum penes alia, quæ latèediſſerit cap. illo 30. tum nominatim penes effectus quoſdam ad cauſas comparatos: quatenus cauſæ illæ, ſic ſe habent ad effectus ſuos, vt debitè inſtructæ omnibus ad agendum requiſitis, non poſſint feriari, ſed neceſſitate abſoluta effectum profundant. Non cenſebuntur autem debitè inſtructæ, ſi impediantur diuinitùs; quod

declinare

declinare nulla creata cauſa poteſt, ſi Deo allubeat. Nam vnum ex præerequiſitis ad operandum eſt, vt Deus concurſum ſuum ſuppeditet, atque adeò creaturam non arceat ab operatione. Immeritò igitur D. Thomæ, imo communis omnium doctrina, & cauſarum diuiſio in abſolutè neceſſarias & contingentes, tanquam debilibus rationibus nixa, & veræ Theologiæ minus conſentanea, à Sirenio ſuprà reprehenditur.

Cauſa propriè neceſſaria, qua poſitis ad agendum præerequiſitis, non poteſt non agere.

Vt autem preſſiùs tradamus quid nomine cauſæ neceſſariæ in ſenſu propoſito intelligatur, aduertendum eſt inter cauſas efficientes, (ad has quippe, vt poſtea patebit, tota hæc diſputatio arctanda eſt;) aliquas eſſe, quæ ex intrinſeca vi & poteſtate ſua, non poſſunt ſimul vel actum ſuum exercere, vel ab eo ceſſare, aut etiam contrarium profundere. Ea quippe excellentia non ſunt prædiţæ, vt obtineant dominium actus ſui, & in illud tantùm ferantur, cum placet: ſed cùm primùm ſunt potentes ad operandum, illico agunt, ſecluſa omni indifferentia & indeterminatione, quæ potentiæ operanti coniungatur, vt rectè poſt Commentatorem 9. Metaphyſ. text. 10. aduertit Soncinas 9. Metaph. q. 9. Sic ignis, appoſito combuſtibili, illicò comburit, & graue remoto obice confeſtim deſcendit.

Quod ſi interdum huiuſmodi agentia feriari videntur, & ab actu ſuo ceſſare, non hoc habent vi poteſtatis quam in actum ſuum ſortiantur; ſed potius vi impotentiæ exercendi illum. Nam ſi potentia operandi integra ac plena interueniat, illicò huiuſmodi agentia promunt actionem, ſuntque ad id ſuapte natura ita determinata, vt nequeant aliter facere, quia hæc eſt eorum imperfectio & natura. Cenſetur autem interuenire plena operandi poteſtas, cùm principium operatiuum inſtruitur omnibus ad operationem eliciendam præerequiſitis; hoc eſt, omnibus ad operationem pertinentibus, & ſe tenentibus ex parte actus primi: Nam quæ ſe tenent ex parte ipſius actionis, & multò magis quæ ſe tenent ex parte effectus, non poſſunt dici inſtruere potentiam ad operationem, vel pertinere ad vim operationis profuſiuam.

Multiplicitas præerequiſitorum.

66. Huiuſmodi autem ad operandum præerequiſita, valdè multa à quibuſdam recenſentur, nempe vt cauſa habeat ſufficientem virtutem agendi; vt habeat paſſum capax (agimus enim de cauſa efficiente creata, quæ non poteſt operari abſque ſubiecto;) vt paſſum illud ſit ſufficienter approximatum; quò ſpectant omnes conditiones puræ, quæ ſcilicet non integrant virtutem operatiuam, ſed eam duntaxat applicant; vt medium, ſi quod interiacet inter paſſum & agens, ſit expeditum & capax actionis agentis; vt agens habeat proportionem maioris inæqualitatis, ſitque fortiore vi actiua præditum, quàm ſit vis reſtitiua eorum quæ actioni obſtare poſſent; vt paſſum non ſit ſimile agenti; Denique vt concurſus Dei ad manum ſit: Concurſus inquam non in actu ſecundo, qui eſt ipſa actio, ideóque non poteſt numerari inter præerequiſita ad actionem: ſed concurſus in actu primo; vis ſcilicet diuina tranſeunter operatiua, coniuncta cum cauſa ſecunda ad operandum, & parata vt cùm primùm aderunt reliqua aliunde neceſſaria ad agendum, coëfficiat cum cauſa ſecunda operationem eius. Nam hæc cauſa, ſicut eſt ex ſe eſſentialiter impotens habere vel retinere eſſe abſque diuina largitate; ita etiam eſt ex ſe eſſentialiter indiga diuinæ opis, vt actionem queat expromere.

Ex quo vides, poſtremum ex his præerequiſitis; hoc eſt, concurſum diuinum in actu primo; & penultimum, hoc eſt, vim actiuam reſtitiua maiorem; itemque conditiones puras, ſine quibus vis operatiua iacet obſtipa, contineri in primo, hoc eſt, in virtute agendi ſufficiente. Sicut etiam quartum, ſiue medij interiacentis expeditio, continetur in ſecundo, hoc eſt, in paſſi debita diſpoſitione. Nam medium cùm intercedit, habet rationem paſſi proximioris. Et eodem ſpectat diſſimilitudo agentis & paſſi: Nam ſi paſſum habeat illam ipſam formam, quæ agenti ineſt, eáque potiatur etiam in eodem gradu ac perfectione, fruſtrà externi agentis actionem exciperet. Vnde tale paſſum non eſt debitè diſpoſitum. Itaque copioſus ille numerus præerequiſitorum, vt cauſa ſecunda ſufficienter inſtructa ſit ad operandum, ad duo priora membra reuocari poteſt, nempe ad vim cauſæ actiuam integram, & ad paſſum conuenienter ſe habens.

Perperam eis annumeratur ablatio indifferentia pro cauſis non liberis.

67. Addunt aliqui ſi ſermo ſit de cauſis non liberis, debere item præcedere ſublationem indifferentiæ. Verùm hæc doctrina ſupponit in huiuſmodi cauſis etiamſi potentibus ad operationem profundendam, eſſe indifferentiam aliquam & indeterminationem, quæ tantùm abeſt vt admitti poſſit, vt potius niſi rectè explicetur, excindat rationem cauſæ neceſſariæ, quam inquirimus. Non enim cauſa illa neceſſaria diceretur, ſi habens plenam virtutem operatiuam, & paſſum idoneum, retineret indifferentiam aliquam. Et quamuis ſi ea indifferentia nihil aliud eſſe dicatur quàm vis cauſæ potentis reſpectu multorum effectuum, & exigentis determinationem ab extrinſeco, vt in hunc potius quàm illum effectum exeratur; non ſit pugnatura cum neceſſitate operandi in ea cauſa ſic indifferente, ideóque non ſit quod de indifferentiæ ſic explicatæ præerequiſita ablatione in cauſis neceſſariis, ſimus ſolliciti: Tamen nihil etiam eſt, quod nos ad huiuſmodi indifferentiam aliquando in cauſis neceſſariis admittendam cogat.

Exempla ad exigentiam ablationis illius innuendam.

Neque eſt quod moueamur vulgaribus exemplis, quæ proferri ſolent ad probandum, eam indifferentiæ ablationem in cauſis neceſſariò operantibus, ſpecialiter ad agendum præerequiri, eo quod agens non liberum propter ſuam indeterminationem & æqualem vim ad plures effectus, nequeat per ſeipſum ad aliquem eorum ſe determinare, ideoque niſi indifferentia illa tollatur, ceſſaturum ſit ab operando, quamuis ſit potens agere. Huiuſmodi eſt exemplum ignis orbicularis in centro terræ locati, de quo aliqui affirmant, quod in nullam partem poſſet tendere propter non ablatam indifferentiam ſuam per determinationem ab extrinſeco; quamuis ſit potens ad cauſandum motum ſurſum, eumque reipſa ex aliqua parte cauſaret, ſi accederet determinatio aliunde. Idem volunt cerni in vitro ſuperpoſito lapidi perfectè plano, ſi enim ſuper huiuſmodi vitrum, cadat aliud corpus graue, cenſent nullam ſecuturam fractionem vitri. Non enim frangi poteſt in omnem

partem; nec in aliquas duntaxat. Cur enim in has potius, quàm in illas? Itaque dicunt in nullas frangendum, niſi grauis cadentis indifferentia ad hanc vel illam fractionem cauſandam, priùs tollatur. Similiter pronunciant de capillo vndique ſimiliter extenſo, quem quantumuis validè tractum negant diſrumpendum, niſi ablatio indifferentiæ præcedat. Et denique idem eſſe volunt de bruto appoſita habente duo obiecta amabilia, v.g. pabulum & potum, ſi æquè fame & ſiti vrgeatur. Putant enim hæſurum brutum, nec accurſurum ad alterutrum, quouſque alicunde auferatur indifferentia. Memorat hæc duo poſtrema exempla Philoſophus 2. cœli t. 93.

Confutantur; ac primò, primum.

68. Verùm, vt dicebam, non eſt quod his exemplis moueamur ad numerandam inter prærequiſita ad agendum, ablationem indifferentiæ, ſuppoſita virtute integra cæteriſque omnibus ad operandum prærequiſitis reſpectu cauſæ neceſſariæ, quales ſunt omnes cauſæ in exemplis propoſitis memoratæ. Si enim rem benè expendamus manifeſtum fiet in omnibus illis exemplis deeſſe aliquid aliud prærequiſitum ad operandum, nec ſtare per ſolam indifferentiam quominus actio ſequatur à cauſa neceſſaria, alioqui plenè inſtructa ad agendum. Sanè in primo exemplo vt bene vidit Sotus 4. Phyſic. quæſt. 2. concl. 2. *in fine*, deeſſet proportio maioris inæqualitatis ad agendum prærequiſita: Omnes enim partes, haberent æqualem actiuitatem & reſiſtentiam, & idcirco ceſſaret actio, non autem defectu ablationis indifferentiæ per determinationem cœli immittentis influentiam, qua ignis ille ad motum potius verſus hanc partem, quàm verſus aliam determinetur, vt Venetus à Soto allegatus, aliíque nonnulli cenſuerunt.

Quæ apud aliquos ſecundi exempli depulſio.

Similiter iuxta pleroſque in ſecundo exemplo deeſſet fractio vitri, non ob indifferentiam plumbi, ſed ob impedimentum ex parte paſſi, nempe ob æqualem vndecunque reſiſtentiam, quæ impedit fractionem. Sicut ouum, ſi prematur qua parte in geminos vertices ſe porrigit, hoc eſt, in longum, ne à robuſtiſſimo quidem frangi poterit; quia ſub ea figura & pondere æqualiter reſiſtit vndecunque. Quò tandem reuoluitur Suares d. 19. Metaph. ſ. 1. num. 8. Cætera enim, quæ præmiſerat, minùs congruunt. Vt quòd ait, perfectum planum non poſſe naturaliter cadere æquè primò ſuper aliud planum item perfectum; alioqui ſecuturam penetrationem aëris intercepti, ſi delapſus ille plumbi ſuper vitrum fiat in plano. Verùm quamuis id rectè habeat quoad corpora omnino incapacia compreſſionis; ita vt aër interceptus & attritus, ſubire non poſſit in aliquas planorum illorum veluti lacunas, motu illo valido cauſatas; tamen quoad vitrum planum, maſſæ plumbeæ cadenti perfectè planæ ſubiectum, non videtur reſponſio ſatisfacere: quia motus ille vehemens plumbi, contereret materiam ſubiectam, & comminueret in minutiſſimas particulas, eo prope modo quo exoritur farina per molam frumentariam granis impactam. Inter eas autem particulas attritas & validè compreſſas, ideóque minorem locum iam occupantes, inſinuaret ſe aër interceptus vrgente valida compreſſione per plumbum delabens. Vnde ex ea applicatione plumbi perfectè plani, ad vitrum perfectè planum; itemque ex vitri confractione per plumbum, neque ſequeretur penetratio aëris intercepti, neque aliud incommodum, propter quod ea confractio neganda ſit, niſi allegetur æqualis illa reſiſtentia paſſi vndecunque æquè reſiſtentis; ad quam, vt dixi, tandem reuoluitur Suares: videturque ex ea reſponſione haberi quod hîc intendimus, nempe quod in eo exemplo actio non ceſſet ob non ablatam plumbi indifferentiam, ſed ob reſiſtentiam paſſi, quo æqualiter vndecunque reſiſtente, agens non habuit in quam potius partem ageret. Vnde defuit vnum ex aliis prærequiſitis, nempe expeditio & debita applicatio paſſi.

Excutitur.

69. Nihilominùs, ſi res bene conſideretur, hæc reſponſio recidit in illud, quod vitare intendit. Nam vniuerſa hæc reſponſio eò ſpectat, vt conſtet quòd actio confractionis excludatur, non ſtare per non ablatam indifferentiam agentis. At hoc validè inferri videtur ex prædicto exemplo. Nam paſſum non obſtante reſiſtentia vndecunque æquali, eſt impar actiuitati agentis: quamuis enim in exemplo illo ouorum, reſiſtentia poſſit dici par actiuitati; tamen in exemplo de quo agimus, quis non rideat eum qui æquet vim vitri exigui reſtiuuam, cum actiuitate immenſæ molis plumbeæ? Quod ergo vitri confractio impediatur, oriri videtur ex eo quòd agens, cùm nequeat in omnes illas partes agere, ne ſequatur vitri diuiſio in omnes partes: (quam ſuppono impoſſibilem eſſe contra Maiorem in 2. d. 2. quæſt. 5.) nec ob indifferentiam ſuam poſſit ſe determinare, vt in hanc potius, quàm in illam partem agat; ceſſare omnino cogitur ab operatione, donec eius indifferentia aliunde tollatur.

Videbitúrque ea reſponſio, eo magis probanda, quòd aliæ vulgatæ, ſunt planè improbabiles. Quis enim velit cum Veneto & Marſilio 4. Phyſ. tract. 2. dub. 1. ad 7. affirmare propter inæqualem cœli influxum in partes vitri, confractionem ſecuturam in partibus, in quas cœlum minus influet? Vel cum Soto 4. Phyſ. quæſt. 3. ad 2. contra quintam, dicere diuiſionem vitri propter hanc numero applicationem, & has numero circunſtantias, faciendam eſſe in has minimas partes numero quæ naturaliter eſſe queant? Vel denique cum Sala 1. 2. tract. 6. d. 1. num. 22. aſſerere cæteris paribus vitrum ſcindendum eſſe per medium? Harum reſponſionum duæ extremæ, ſunt omnino voluntariæ, & omni fundamento deſtitutæ. Media autem, quamuis iuxta quorundam ſententiam de determinatione ad indiuiduum, poſſit valere quoad entia ex diuiſione reſultantia; nullo tamen modo valere poteſt pro partibus paſſi diuidendis: quia circunſtantiæ quæcunque, & applicatio quæ eſt vniformis, nequeunt determinare agens, vt hanc potius quàm illam vitri ſubiecti partem confringat: etiamſi ſuppoſita determinatione ad hoc potius quàm ad illud paſſum partiale, conferre poſſent, vt multi (mea ſententia falsò,) cenſent, ad hoc vt iſtud potius quàm illud numero indiuiduum exoriatur ex variis, quæ æquè poſſent inde exiſtere.

Legitima eiuſdem ſecundi exempli depulſio.

70. Quamuis autem hæ reſponſiones non ſatisfaciant; non tamen idcirco adducor vt concedam, illam aliam reſponſionem, quæ his reiectis vna proponebatur approbanda, legitimam reuera eſſe: nimirum ſtare per ablationem indifferentiæ prærequiſitam ad actionem quo minus confractio vitri ſequatur in prædicto euentu. Admitto enim ſecuturam hanc vitri confractionem, vel potius contuſionem,

iuxta vim generis cadentis afficientem has potius quàm illas partes ea pluribus æque applicatis, prout ferret determinatio primæ cauſæ, vt ſignificat Fonſeca lib. 6. Metaph. cap. 2. quæſt. 2. ſ. 3. & Albertinus d. 3. de quantit. quæſt. 5. numer. 32. & quæſt. 4. de infin. num. 27. quamuis id rideat Medina 1. 2. quæſt. 13. art. 2.

Cæterùm, quia ea determinatio primæ cauſæ, fieret per concurſum Dei, prærequiſitum ad agendum; (prærequiritur enim diuinus concurſus, non generatim, ſed in indiuiduo & determinatè;) propterea non licet inferre, admitti hic à nobis inter prærequiſita ad agendum, ablationem indifferentiæ, vel determinationem agentis cæteroqui potentis ad fundendam operationem. Neque enim agens habet ad id vim ſufficientem, niſi diuinus concurſus ſit ad manum, & quidem determinatus. Hic autem non eſt vnum aliquod ad operationem prærequiſitum pro quibuſdam agentibus peculiare, ſed vniuerſaliter exigitur pro omnibus, ſpectatque ad integram cauſæ virtutem. Similiter enim nemo admittit determinationem ad indiuiduum in quouis agente prærequirere ablationem indifferentiæ, quamuis ea determinatio, iuxta veram ſententiam, fiat per concurſum Dei determinatum & ſingularem. Nec plura de ſecundo exemplo quod vrgebatur ad aſtruendam prærequiſitam ablationem indifferentiæ in quibuſdam agentibus neceſſariis, ſufficienter iam inſtructis ad operandum.

Reliqua exempla reiiciuntur.

Ad tertium verò exemplum, eodem modo quo ad hoc ſecundum reſponderi debet. Denique ad exemplum bruti æqualiter ſiti ac fame laborantis perſpicua eſt reſponſio, deeſſe tunc iudicium indicens alterius obiecti proſecutionem vel fugam. Cùm autem huiuſmodi iudicium ſit vnum de prærequiſitis vt brutum poſſit agere, liquet brutum, cùm in prædicto euentu hæret, & actione abſtinet, non eſſe ſufficienter inſtructum ad agendum: non defectu ablationis indifferentiæ ab ipſo potente agere, ſed defectu vnius alterius ad operationem prærequiſiti, & pertinentis ad plenam conſtitutionem integræ virtutis in tali agente, vt in calce huius puncti diligentiùs exponam. rurſuſque infrà tractans ſubiectum totale libertatis.

Quæ aduerſus poſitam cauſa neceſſaria deſcriptionem, opponantur.

71. Concludo igitur, illam cauſam dici debere neceſſariam in operando, quæ, cùm potens eſt ad agendum, non poteſt ſiſtere actum ſuum, nec eſt vltra indifferens ad operandum vel non operandum. Siue, quæ poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, non poteſt actionem ſuam non profundere. Hanc cauſæ neceſſariæ deſcriptionem, & oppoſitionem cum potentia libera, quam in hoc puncto præmiſimus, reiicit Victoria relect. de puero veniente ad vſum rationis n. 5. Contendit enim in pueris, amentibus, & ſomniantibus; itémque in adultorum ac ratione vtentium motibus ſubitis, interuenire potentiam agendi & non agendi abſque libertate: & hominem ita agere, ac proinde ita potentem eſſe ad agendum, vt tamen poſſit etiam ceſſare ab actione, quamuis deſit libertas & vſus rationis. Vnde reiicit ſententiam, quam fatetur eſſe communem Doctorum, nempe quòd poſſe agere & non agere poſitis requiſitis ad agendum, non poſſit cadere in cauſam libertate deſtitutam; & quod omnis actus, qui non producitur neceſſariò, procedat à libertate.

Argumentatur autem ex eo quòd in pueris, amentibus & ſomniantibus ſunt actus voluntatis, vt experimento, & variis ſancti Thomæ teſtimoniis probauerat n. 4. atqui actus illi in huiuſmodi ſubiectis, quamuis non ſint liberi, non ſunt tamen neceſſarij; nec dici poſſunt oriri à voluntate vt à cauſa neceſſaria; quia voluntas ex ſua natura eſt formaliter libera; & aliunde nihil eſt illis actibus coniunctum per quod potentia ad eos neceſſitetur. Non enim notitia intellectiua prælucens neceſſitat ad eos voluntatem; neque paſſio appetitus ſenſitiui neque ſenſatio vlla. Nam hæc omnia inſunt etiam adultis rationis vſu potientibus, in quibus tamen actus voluntatis non neceſſitatur. Ergo dantur actus non liberi qui tamen non ſunt neceſſarij, & ita prodeunt à cauſa omnibus ad agendum prærequiſitis inſtructa, vt tamen poſſent non prodire. Idem præterea confirmat Victoria ex motibus primò primis, qui neceſſitate vacant, & tamen liberi non ſunt. Confirmat etiam ex actibus eorum, qui circa aliquam particularem materiam delirant, ſalua mentis ſanitate circa alias materias. Id enim interdum contingere, certum eſt, & pulchrè confirmatur à Sanche lib. 1. de matrim. d. 8. num. 22. & 23. Qui ergo ita delirant, non neceſſitantur circa materiam illam, ſed tantùm errant; & tamen carent libertate. Ergo aliud eſt habere libertatem, & non agere neceſſariò. Tandem argumentatur Victoria, quia actus indeliberati vt fricare barbam, caput ſcalpere, aliique huiuſmodi, non ſunt actus neceſſarij, & tamen non ſunt à libertate. Ergo aliud eſt non eſſe liberum, & eſſe neceſſarium.

Æquè probarent bruta non agere neceſſariò.

72. Hæc Victoriæ argumenta præſertim ſecundum & tertium æquè vrgent in bruti, ſi quid vrgêt in quibuſdam hominibus, ex quorum actibus ea argumenta duxit Victoria. Nam etiam bruta interdum non plus neceſſitantur ad agendum, quàm pueri vel amentes, & tamen nunquam agunt liberè. Quod ſi huiuſmodi homines oblæſi, quamuis liberè non agant, poſſunt tamen; poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, non agere, vt Victoria contendit, (faſſus id eſſe contra torrentem Doctorum.) idem de brutis dici poterit, quæ plerunque multa poſſunt facere à quibus tamen faciendis ceſſant. Nam v. g. canis poteſt velociùs currere, quàm de facto currat; itémque plerumque quieſcit, cùm tamen poſſit currere. Itaque vel ex hoc vno capite perſpicuum eſſe poteſt, Victoriæ ſententiam; falſam eſſe: Nec fuiſſe cur victoria niteretur contra torrentem, præſertim cùm eius argumenta, parui omnino ſint momenti.

Euoluuntur directè.

Itaque concedimus quidem illi, pueros, itémque amentes & alios quoſuis homines non pollentes vſu rationis, vel ſaltem operantes abſque actuali rationis exercitio, vt fit in actibus indeliberatis, habere actus intellectus & voluntatis, in quibus violentiam non ſubeant, quod vnum probant omnia Victoriæ argumenta. Negamus tamen actus illos, cum liberi non ſint, (vt etiam Victoria fatetur,) neceſſitate carere. Longè enim differunt *fieri per violentiam*, quæ ab extrinſeco infertur, & actum etiam nolenti extorquet, & *fieri neceſſariò*. Nam effectio neceſſaria, poteſt eſſe voluntaria, atque adeò abſque vi, quamuis non ſit in poteſtate agentis ſiſtere ſeſe, & inhibere actionem ſuam poſita ſufficiente vi ad illam expromendam. Hoc autē non aliunde ortum habet, quàm ab imperfectione agentis ſuapte natura ad operandum determinari, cum primùm ſufficienter inſtruitur ad operandum.

Quare non eſt quòd Victoria anxiè ſcrutetur cauſas neceſſitationis operandi in prædictis ſobiectis; oſtendatque iudicium præuium, & quodlibet aliud adiunctum, non poſſe hæc agentia neceſſitare ad operandum. Nos quippe neque a iudicio prælucente, neque ab vllo adiuncto eam determinationem & neceſſitatem petimus: ſed ab ipſa agentis huius natura, quod quia in tali ſtatu libertate eiúſque radice deſtitui ſupponitur, idcirco cùm primùm potens eſt operari, determinatur ſuapte natura ad operandum, nec poteſt impetum ſuum (vt ſic dicam,) ſiſtere, ſed ita erumpit in actum, vt non poſſit non erumpere. Quod eſt eſſe cauſam non modò non liberam vt Victoria vltro dat, ſed etiam neceſſariam, quod malè negat.

73. Libertas verò voluntatis, quam idem Victoria præterea opponit, non video quorſum proferatur. Nam quod voluntas ſit formaliter libera, ſi quid efficeret, probaret potius omnes eius actus eſſe liberos, quàm actus illos, de quibus agimus non eſſe neceſſarios. Æquè item probaret ea ratio ſi valida eſſet, nullum poſſe eſſe actum voluntatis neceſſarium, quod dici nequit, vt infrà euincam. Itaque voluntas eſt quidem formaliter libera, ſi deliberatio præcedat, & ſemoueantur omnes obices libertatis voluntati connaturalis: Plerique tamen actus illius, ſunt neceſſarij, ob contrariam cauſam; & ita ab ea omnibus ad agendum prærequiſitis inſtructa prodeunt, vt non poſſint non prodire, quia in tali ſtatu non eſt formaliter libera, ſed tantùm quaſi remotè & aptitudine ſibi congenita, plenæ libertatis neceſſitatem excludentis nomine nequaquam donanda, niſi deliberatio & prædictorum obicum remotio acceſſerit, vt infrà exactiùs explicabitur.

Hinc autem ſufficienter intelligitur, per quid voluntas determinetur & neceſſitetur ad aliquos actus, quod Victoria præterea vrgebat, & quomodo motus primò primi, itémque actus delirantium in vna duntaxat materia, & actus indeliberati adultorum vigilantium, neceſſarij ſint, & poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis non poſſint non fieri.

Quod verò de brutis, in confirmationem argumentorum Victoriæ, poſtremo loco adducebatur, facilè ſoluitur. Bruta enim cùm omnibus ad agendum prærequiſitis inſtructa ſunt, non modò non liberè agunt, ſed etiam neceſſariò, nec poſſunt ſuſpendere actionem, quam poſſunt elicere. Itaque ſi interdum hærent, aut non operantur quantùm ferunt vires eorum, ratio ducenda eſt ex defectu iudicij prælucentis, quod illis neceſſarium eſt, vt dicantur potentia ad operandum. Eo quippe iudicio poſito, operantur neceſſariò. eo autem non poſito; non habent omnia ad operandum prærequiſita. Vnde malè affirmabatur, bruta interdum poſitis omnibus illis prærequiſitis, multa non facere, quæ facere poſſunt: id enim falſum eſt, agendo de poteſtate eorum, tanquam agentium cognitione prælucente operantium. Quod addo, quia perſpicuum eſt vim motiuam canis v.g. eſſe in ſuo gradu & ordine potentem ad cauſandum motum, qui de facto à cane non elicitur: cauſaretur autem ab ea nullatenus in ſe viribus aucta, ſi accederet dictamen ſenſus interni indicens motum illum.

Quia tamen hic agimus de poteſtate bruti, prout ſubordinata notitiæ, rectè negamus quandiu deeſt notitia dictans operationem eſſe eliciendam, brutum debere dici ſimpliciter potens ad operandum. At ea notitia adueniente, atque adeò bruto potentiam operandi adepto, actio eius neceſſario ponetur: Ita vt non ſit in bruti poteſtate, cum potentia illa exequente ritè in ſe inſtructa & hoc iudicio actum indicente, componere non operationem vel operationem oppoſitam, ideóque agit neceſſariò. Et ita optimè Angeſtus c. 1. mor. tex. 2. corol. 1. poſt S. Thomam quæſt. 24. de verit. art. 2. *in corpore*, & ad 3. Hæc infra, lucem pleniorem accipient. Nunc enim duntaxat intendimus, aſſignatam cauſæ neceſſariæ deſcriptionem, indemnem præſtare, & communem de ea doctrinam, malè impugnantium inſultibus ſubducere.

Varia principij liberi deſcriptiones inferuntur.

74. Secundò, hinc ex oppoſito declarari quid ſit principium liberum proprie dictum, & principio neceſſario oppoſitum. Sicut enim neceſſaria cauſa, formaliter conſtituitur, per hoc quod eſt non poſſe non agere cùm poteſt agere: ita cauſa libera conſtituitur per hoc quod eſt poteſtatem habere ſuæ voluntatis, vt dixit Apoſtolus: hoc eſt, per hoc quod eſt poſſe non agere, vel contrarium agere quamuis poſſit agere, v. g. homo liberè amat, ſi poteſt non amare, vel odiſſe, quamuis poſſit amare, nihilque ei deſit ad actionem amoris expromendam, ſi in eam actionem ferri velit. Porro hæc principij liberi ratio multis modis apud authores exponi ſolet, qui eodem reipſa recidunt, nec niſi oppoſitam principio neceſſario rationem important. Aliqui enim eam exponunt per poteſtatem agendi, poſitis omnibus prærequiſitis ad operationem: Alij per indifferentiam actiuam: Alij per determinationem ſui ipſius ad operandum: Alij per dominium in actum, & poteſtatem voluntatis ſuæ.

Omnium maximè apud aliquos celebratur ea liberi principij deſcriptio quæ traditur per facultatem voluntatis & rationis ad vtrumlibet agendum, & ad agendum vnum vel alterum. Hanc eſſe legitimam liberi arbitrij definitionem, ex Magiſtro in 2. d. 24. & ex S. Thoma quæſt. 24. de verit. art. 3. ad 1. obſeruat Aluarez 12. de auxiliis diſput. 115. num. 7. Et eam etiam inter varias libertatis definitiones quas adducit, omnium optimam cenſet Caluinus 2. Inſtit. cap. 2. §. 4. & ex Origene ac Auguſtino refert; ſed mendaciter, & ea fide qua in allegandis Patribus, ſolet vocare ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt. Præfert autem Caluinus huiuſmodi definitionem, quia in ea non niſi ſubobſcurè memoratur poteſtas illa & dominium in actum, quod ei tantopere inuiſum eſt. Rectè tamen intellecta hæc definitio, recidet in cæteras iam enumeratas, verbo tenus diuerſas principij liberi deſcriptiones, quas quia magnam lucem conciliare poſſunt toti huic tractationi, iuuat percurrere & ſigillatim excutere, quod ſequenti Articulo exſequar.

ARTICVLVS II.

Eadem principij liberi ratio, multipliciter expreſſa.

CONſultò dico *expreſſa*, quia ſicut vna eſt libertatis quidditas atque natura, ita vnica reipſa eſſe debet quidditatis illius definitio, conſtituta penes ea quæ ad libertatem intrinſecè pertinent. A nobis tamen multipliciter exprimitur: id eſt, adhibita verborum, penes varia connotata, non inani multiplicatione, in varias quaſi formas componitur, facie aliquatenus diuerſa, ſed vno reipſa veluti corpore. Id quod ex dicendis deprehendetur.

Prima

Prima principij liberi deſcriptio, penes agendi vel non agendi poteſtatem, poſitis prærequiſitis.

75. Prima igitur, eáque vulgatiſſima, cauſæ liberæ deſcriptio, verbis illis concipitur. Cauſa libera eſt, quæ poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis poteſt agere vel non agere, vel certè agere oppoſitum. Hæc duo, quamuis principio libero non competant reſpectu cuiuſuis obiecti, vt infrà conſtabit, tamen reſpectu eorum obiectorum, in quibus locum habent, computantur moraliter pro vno & eodem: ideóque non erit ſemper opus, vtriuſque diſertè meminiſſe; quod ſemel monuiſſe operæ pretium fuit. Definitionem ergo cauſæ liberæ verbis illis conceptam optimam omninò eſſe, (quicquid nuperi aliqui muſſitent,) ex eo patet, quod in ea aſſignetur & id in quo huiuſmodi cauſa cum reliquis conuenit, hoc eſt: ratio generica; & id per quod differt à cæteris, qui ſunt legitimæ definitionis characteres.

De ſola ratione differentiali, poteſt eſſe lis. Sed facilè probatur. Quia de ratione liberæ facultatis, prout à non liberis diſtinguitur, eſt, poſſe agere & non agere pro poteſtate & ad libitum: cum enim cauſa neceſſaria, vt proximè oſtendimus, ſi potens eſt ad agendum, & omnibus ad actionem prærequiſitis inſtruitur, non poſſi non operari: è contrà oportet vt potentia libera, quæ neceſſariæ è diametro opponitur, talis ſit, vt cum potentia operandi, iungere poſſit, non operationem, vel operationem prout voluerit: & hoc ipſo ſufficientiſſimè intelligitur remouere à ſe imperfectionem potentiæ neceſſariæ, quæ non poteſt componere, ſiue ſimul ponere non operationem cùm prærequiſitis ad operandum.

Quod exponere poſſumus diſtingnendo mentaliter in eadem realiter facultate libera, duplicem quaſi facultatem partialem, alteram volendi, alteram non volendi. Nam quamuis hæc poſterior facultas non ſit actiua, ſed potius reſpiciat non actionem: Tamen inſignis omnino perfectio eſt, reſpicere non actionem cum poteſtate & dominio in huiuſmodi omiſſionem: hoc eſt, ita non agere, vt tamen poſſis agere ſi lubeat. Non quòd ſimul vtrumque præſtare liceat; (operari enim, & non operari, ſunt incompoſſibilia, nec poſſunt ſimul eidem competere:) Sed quòd ſimul cohæreant poteſtas operandi, & poteſtas omittendi operationem: ita vt in priori naturæ, quàm actus ſecundus profundatur, vel omittatur, ſuppetat vis ac poteſtas, actum, vel eius omiſſionem pro libito ponendi. Et hæc quidem poſterior partialis poteſtas, quæ non actionem reſpicit, tanti refert ad hoc negotium, vt per eam vltimò conſtituatur potentia libera: quia per eam habetur poteſtas in actum, quæ eſt facultatis liberæ propria, nomine poteſtatis ad vim & dominium ambiguo, nunc ad dominium reſtricto. Poteſtas autem ſeu potius vis operandi, quæ eſt prior illa facultas partialis, ſi ſola ſpectetur, competit etiam agentibus non liberis, cùm inſtructa ſunt omnibus ad agendum prærequiſitis: quamuis ſint agentia neceſſaria, quia cùm prærequiſita ad agendum poſita ſunt, nequeunt actionem ſuam inhibere.

Eſt communis Doctorum.

76. Itaque cùm vtraque hæc poteſtas facultatem liberam integrans, definitione prædicta contineantur, perſpicuum eſt, eam definitionem omnino eſſe admittendam, maléque à Victoria relectam eſſe relect. de puero, parte 2. n. 5. qui meritò monet contrarium communiter aſſeri à Doctoribus: Ita enim diſertè Nemeſius c. 35. de hom. definiens cauſam liberam eam à qua ita prodit actio, vt iiſdem cauſis poſitis poſſet non prodire, ob ſolam cauſæ prædictæ poteſtatem in actum ſuum, quæ definitio in eam, quam tuemur, recidit, vt patet ex Gabriele in 2. d. 7. q. vnica *litera R*.

Sed diſertè & totidem verbis conceptam, libertatis definitionem quam defendimus, vſurpant paſſim Theologi in 2. d. 30. & 38. & ibid. d. 21. Et præterea Ruardus art. 7. initio, Picus in Apolog. q. 8. quæ eſt *de libertate*, Angeſtus c. 1. Moral. t. 2. Gerſonius lib. de notitiis tract. de voluntate q. 1. p. 2. Palac. in 2. d. 25. diſp. vnica. Marſil. in 2. q. 16. art. 4. Dionyſ. Ciſterc. in 1. d. 1. q. 2. art. 1. & optimè in 2. d. 23. q. 1. art. 1. Scotus in 4. d. 49. *litera* Z. in codicibus antiquioribus. Almain. tract. 1. Moral. c. 1. & Gabriel in 1. d. q. 6. *in fine*, & in 2. d. 25. q. vnica *litera A*. Thomas Bradardinus lib. 3. de cauſa Dei c. 4. in corollario, Olkot in 1. q. 3. art. 2. *initio corporis*. Maior 9. Metaph. q. 3. Sotus 1. de nat. & grat. cap. 16. Soncinas 9. Metaph. quæſt. item 9. Cumel t. 2. var. diſcurſ. 5. ſ. 4. Bannes 1. p. q. 83. art. 1. dub. 2. concl. 2. Medina 1. 2. q. 6, art. 2. in primæ concluſionis probatione; Nazarius 1. p. q. 14. art. 3. controuer. 2. §. *ad cuius euidentiam*, & q. 19. art. 10. controuerſia vnica §. *Sed iam communiter*. Cauellus diſp. 3. de Anima ſect. 14. num. 1. Pennotus lib. 1. propugnaculi c. 13, à n. 1.

Vt videas quanto iure Didacus Aluares 12. de auxil. diſp. 1. n. 1. quia vidit illam definitionem cauſæ ſuæ non commodare, obliquè illam eleuarit, dicens eſſe tantùm Nominalium. Quibus verbis, vt Sotum, Soncinatem, Bannem, ac cæteros diſſimulem, eam Zumeli gratiam, pro tanto in Aluaris cauſam ſtudio rependit, vt Nominalibus aggregatum, à ſe ſuiſque partibus diſſociet.

Eius quædam detorſio, vel clancularia impugnatio.

77. Mox tamen idem Aluares, ne receptiſſimam definitionem repudiare omnino videatur, duplicem eius ſenſum diſtinguit. Prior eſt, quem hactenus propoſuimus; iuxta quem, potentia libera illa eſt, quæ poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, poteſt cum illis componere, ſeu ſimul ponere actionem, vel certè non actionem, alterutram pro libito. Et in hoc ſenſu negat definitionem illam poſſe ſubſiſtere; Quia vt argumentatur num. 5. & 6. inter prærequiſita ad operandum, recenſetur abſolutum & efficax Dei decretum, quo in tempore præmouet voluntatem ad operandum. Sed cum prædicto decreto, non poteſt componi, ſiue ſimul poni, non actio. Ergo poſitis omnibus prærequiſitis ad producendum aliquem actum, non poteſt actus non poni, etiamſi liber ſit: Atque adeò propoſita à nobis definitio facultatis liberæ, quæ aſſerit id poſſe fieri, falſa eſt ac reiicienda. Similiter, vt ipſe Deus initio temporis mundum liberè conderet, prærequiſitum fuit decretum efficax diuinæ voluntatis, quo mundum creare ſtatuit: Et tamen eo decreto poſito, mundus, quamuis liberè conditus, non potuit non condi. Falſum igitur eſt iuxta Autorem prædictum, quòd poſitis omnibus antecedenter requiſitis ad actum liberum, & ad influxum actualem, quo voluntas influit in illum, libertas creata, etiam in ſenſu compoſito prærequiſitorum illorum, poſſit eùm actum operari vel ſuſpendere, prout libuerit; & in hoc ſenſu reiicit definitionem propoſitam.

Poſterior verò ſenſus eiuſdem definitionis eſt, facultatem liberam eam eſſe, quæ remouendo ſiue diuidendo ab ea aliquid ex prærequiſitis ad agendum, poteſt agere & non agere. Ita vt facultas, poſitis omnibus

nibus requiſitis, retineat in ſe entitatem, in qua vis operandi fundatur: Tametſi ad hoc vt cum prærequiſitis illis poſſit componi ſeu ſimul poni alterutrum, facienda ſit diuiſio, ſiue remotio alicuius ex illis prærequiſitis, interuenientis ex parte Dei: Nempe diuinæ voluntatis efficacis, & diuini concurſus præuij, ſiue motionis diuinæ antecedentis actionem voluntatis creatæ. Cum his quippe prærequiſitis, negat Author ille, componi ſiue iungi poſſe non actionem: ac proinde iuxta eum facultas libera importat tantùm ſimultatem potentiæ non autem potentiam ſimultatis, ſeu ſimul iungendi cum prærequiſitis illis alterutrum ex duobus, quæ ab ea eſſe poſſunt; agere ſcilicet & non agere; iuxta doctrinam Ariſtotelis, & D. Thomæ 9. Metaph. lect. 10. admittentis in cauſa libera eſſe ſimul potentiam ad vtrumque oppoſitorum, negantis tamen eſſe in ea potentiam ad oppoſita ſimul habenda. Sicut in homine eſt ſimul potentia ad ambulandum & ſedendum, quia potentia ad vnum actum non repugnat potentiæ ad actum contrarium, non tamen eſt potentia ad ambulandum ſimul & ſedendum, quia actus illi excludunt ſe ab eodem ſubiecto.

Itaque propoſita hac libertatis definitione. *Potentia libera eſt facultas, quæ poſitis omnibus prærequiſitis ad operandum poteſt operari & non operari*, admittit Aluares, prædictam definitionem eſſe legitimam, ſi ſenſus tantùm ſit, poſſe fieri *ſenſum compoſitum prærequiſitorum illorum, & potentia ad operandum & non operandum ſtantis in eodem ſubiecto ſimul cum illis antecedenter prærequiſitis*. Si autem ſenſus definitionis illius, ſit iſte, *libera facultas eſt, quæ poſitis omnibus prærequiſitis etiam ex parte Dei, poteſt ſimul habere actum & carentiam vel oppoſitum eius*, ſic ait, eam eſſe illegitimam, & reiiciendam.

Offucia diſpelluntur.

78. Verùm hæc doctrina, videtur hominis in eludendam potiùs, vel certè tenebris offundendam difficultatem intenti, quàm de ea elucidanda ſolliciti. Quid enim attinebat ad rem præſentem ingerere, quod potentia libera non poſſit ſimul ponere in ſeipſa, actum, & non actum, habeátque ſimultatem potentiæ, non potentiam ſimultatis, prout duplex illa ſimultas, ab Authore cum quo agimus, expoſita eſt? An non enim eſt per ſe euidens, duo contradictoria non poſſe ibidem ſimul eſſe? Vel quis vnquam ita ſiniſtrè intellexit definitionem vulgatam libertatis, quam expendimus, vt oportuerit hoc loco eam doctrinam obtrudere?

Præterea nemo vnquam definitionem propoſitam intellexerat aliter quàm eo modo, quem plana verborum notio exhibet: Nimirum vt eidem potentiæ, poſſit ſimul competere vis agendi, & non agendi pro libito: Agendi quidem, quia habet omnia ad agendum prærequiſita: Non agendi autem, quia habet poteſtatem ſuæ voluntatis, ſiue actionis; & ita poteſt in eam prodire, quandoquidem omnibus ad eam profundendam neceſſariis inſtructa eſt, vt tamen ſimul poſſit non prodire, ſi lubeat; non ſimul ponendo actum & non actum; vel habendo ad id poteſtatem, quod eſt impoſſibile. ſed, vt rectè notauit Scotus quodlib. 18. *litera M* habendo ſimul poteſtatem in actu primo, ad ponendum alterutrum in actu ſecundo prout libido tulerit. Et hanc eſſe mentem omnium Philoſophorum, qui definitionem, de qua agimus, vſurparunt, apertum fiet ex iis, quæ adducunt, vt diluant quæ aduerſarius contra eam definitionem ſic intellectam obiecit, vt mox dicam.

Cùm igitur in hoc duntaxat incumbendum eſſet; expendendo, an id verè vel falsò ab omnibus aſſeratur; parum certè appoſitè facit, nec niſi tenebrarum offuſionem videtur intendere, quiſquis diſtinctionum non neceſſariarum ambagibus lectori remoram iniicit; dubitationem ingerendo de eo, quod nemini vnquam in dubium venire potuit, & ſignificando definitionem quam expendimus, in eo ſenſu accipi ab aliquibus, vt facultas libera poſſit ſimul exeri & non exeri, iungendo in ſeipſa illum vtrumque actum contradictorium: Denique detorquendo verba plana ad extraneos ſenſus; vt ſcilicet ferant, ſimul tantùm manere potentiam, ad vtrumque illorum ſeorſim habendum, quantumuis ipſa potentia, ad vnicum eorum determinetur & reſtringatur per aliquid, antecedens ipſius voluntatis determinationem, quæ formaliter in ipſo eius actu elicito conſiſtit. Quæ omnia, conſtat eſſe alieniſſima ab auctoribus, qui definitionem quam expendimus approbarunt, & quibus conſentire videri vult aduerſarius, hoc diſtinctionum inutilium obtendiculo prætenſo.

79. Neque verò Ariſtoteles, vel D. Thomas, vſpiam eam diſtinctionem, ad explicandam rationem atque naturam facultatis liberæ, vſurparunt, vt comminiſcitur aduerſarius: ſed tantùm vniuersè & obiter tradunt, aliquid ſimul habere potentiam ad contraria diuerſis temporibus ſubiectanda, vel cauſanda, licet contraria non poſſint ſimul eſſe actu. Quod non eſſe ſpecialiter de principio libero prolatum docent exempla, quibus id exponit D. Thomas, nempe potentiæ conualeſcendi & laborandi; mouendique & quieſcendi, & aliorum huiuſmodi oppoſitorum, quæ frequenter ſunt non libera. Vnde definitio libertatis vulgata, ſi intelligatur de ſola ſimultate potentiæ, vt vult aduerſarius, non erit definitio libertatis; ſed aliis multis libertate deſtitutis æquè conueniet vt mox diſtinctius vrgebo.

Hæc ego non eo conſilio profero, quòd inficier diſtinctionem illam, potentiæ ſimultatis, vel ſimultatis potentiæ, tanquam falſam, ſi vniuersè ſumatur. Eſt enim prorſus perſpicua, & in potentiis receptiuis, & in potentiis actiuis. Nam intellectus ſimul habet vim actiuam aſſenſus & diſſenſus, quamuis non vt ſimul vtrumque eliciat, quia inter huiuſmodi actus eſt oppoſitio & repugnantia, quæ non cernitur in ipſa potentia. Quin potius vna & ſimplex entitas eius, vtriuſque illius formæ ſeorſim eliciendæ & recipiendæ eſt capax. Similiter lignum habet ſimul potentiam ad calorem & frigus, etiamſi non poſſit ſimul vtroque illo actu perfici. Et idem eſt de ſuperficie reſpectu diuerſorum colorum in ea ſubiectabilium. Ariſtoteles quoque, eam diſtinctionem obiter attigit 9. Metaph. cap. 5. *in fine*. Tantùm igitur intendo eam diſtinctionem hoc loco ſuperuacaneam eſſe, nec niſi ad offundendas minus experto lectori tenebras vtilem. Quandoquidem tantùm quærimus an definitio vulgata libertatis admittenda ſit in eo plano ſenſu, quem verba præ ſe ferunt, & quem disertè hactenus intenderunt omnes authores, quos in ſenſu ipſorum apertè deſerit ipſe aduerſarius. Tantúmque ne apertè videatur tot cornicum oculos configere, ſeceſſioni ſuæ à tam grauibus & multis autoribus, inutilis diſtinctionis ſiparium parum opportunè oppaſſum voluit.

Impugnatio deſcriptionis propoſitæ, ad Doctorum mentem intellectæ, conuellitur.

80. Atenim non illud duntaxat contendo, gloſſam propoſitam in re præſenti inutilem eſſe, ſed etiam addo, reiiciendam eſſe, tanquam deſtruentem textum cui apponitur; quod facillimum eſt euincere.

Nam

Nam ita neceſſe eſt intelligi definitionem facultatis liberæ, vt illud eius dominium in actum ſuum, penes quod facultas libera à non libera ſecernitur, ſaluum maneat. Atqui hoc dominium non manebit ſaluum, ſi prædicta definitio intelligatur de ſola ſimultate potentiæ. Nam facultates quædam non liberæ & dominio illo carentes, habent remotam poteſtatem, ad oppoſita diuiſim cauſanda.

Sic Intellectus, poteſt aſſenſum præbere & non præbere, vel etiam diſſentire: & diuiſis, ſiue ſeclusis quibuſdam ad agendum prærequiſitis, retinebit remotam illam potentiam ad vtrumque; quamuis tantùm ſit non operaturus: Non ex intrinſeca vi cohibendi operationem ſuam, ſed ex ſola agendi impotentia, eo quod deſit aliquod ex prærequiſitis ad agendum. Similiter voluntas, cùm neceſſitatur ad aliquem actum, v.g. ad amorem beatificum, ita in eum actum fertur: vt tamen ſimul cum eo actu habeat potentiam non amandi, nempe ſeipſam: nam ſi vnum ex prærequiſitis ad actum amoris, quem de facto cauſat, ſubducas, hoc eſt, viſionem, aberit amandi neceſſitas, & eadem voluntas entitatiuè immutata poterit non amare. Tandem bruta, poſſunt agere & non agere, ſimúlque habent potentiam quietis & potentiam motus eliciuam, itémque potentiam qua eliciant motum in hanc partem vel in oppoſitam, prout tulerit phantaſiæ iudicium à quo determinantur: Et tamen quia poſito eo iudicio ad agendum prærequiſito, non poſſunt ſe inflectere pro libito in alterutram partem, libera non ſunt: quamuis ſi fiat diuiſio ſeu remotio iudicij, quo nunc ad vnam partem vrgentur, & ſubſtituatur nouum dictamen indicens motum in alteram partem, eò planè ſint mouenda.

Ergo neceſſe eſt propoſitam libertatis definitionem intelligere, non de ſola potentiæ ſimultate, quæ nihil confert ad dominium in actionem, quo facultas libera conſtituitur, ſed de potentia ſimultatis, & componibilitate ſiue coniungibilitate alterius actus cum omnibus prærequiſitis ad agendum. Sic enim & non aliter, rectè intelligitur poteſtas illa in actum, propria facultatis liberæ, & neque aliis extra voluntatem facultatibus competens, neque ipſi etiam voluntati, cùm non eſt libera & actus ſui domina.

81. Sane poteſtas illa quæ in huiuſmodi definitione tribuitur liberæ facultati, non alia eſt quàm poteſtas proxima, qua facultas proximè expeditur in alterutrū ex iis, ad quæ libera dicitur. Nam ſi ageretur de poteſtate remota, nemo non videt omnia illa, quibus ſuprà oſtendi competere vim remotam ad actus oppoſitos, libera fore, quod perſpicuè eſt falſum. Atqui poteſtas proxima in actum & non actum, vel in actum & actum oppoſitum, non reperitur vbi tantùm eſt ſimultas potentiæ, ſed vbi eſt potentia ſimultatis: nam ea potentia non eſt proxima, inter quam & actū interiacet aliquid aliud, quod prius detrahendum vel addendum ſit, quàm actus à potentia prodire queat. Siquidem denominatio proximi, ducta eſt à duobus quantis, quæ tum demum proxima dicuntur, cùm inter vtrumque nihil mediat. Similiter ergo potentia tunc tantùm eſt proxima, cùm eſt expedita, & nihil vltra adiici vel detrahi debet, vt actus ab ea profundi queat. Conſtat autem ſi adſit ſola ſimultas potentiæ, neceſſarium fore interdum aliqua adiici, interdum aliqua detrahi, vt actus vel non actus iungi poſſit cum potentia. Nam ſi potentia deſtituatur cognitione prælucente, vel concurſu cauſæ ſuperioris, neceſſe erit addi notitiam & concurſum prædictum: Si autem adſit validum impedimētum neceſſitas ad vnā tantùm partē, cuiuſmodi eſt viſio clara reſpectu amoris beatifici, neceſſe erit viſionem detrahi, ſi amor futurus ſit liber.

Ergo vt habeamus poteſtatem proximam, quæ ſola ſufficit ad libertatem, liceátque dicere eam poteſtatem libertati tam intrinſecam, in ea definitione quam expendimus expreſſam eſſe, admittendum eſt eam definitionem accipi debere de potentia ſimultatis; non autem de ſola ſimultate potentiæ, vt aduerſarius malè affirmat, quem recolere oportuit per eam ſimultatem exurgere potentiam, quæ apud Capreolum in 2.d.28. quæſt.vnica *ad ſecundum & tertium primo loco contra quartam* ex mente D. Thomæ appellatur duntaxat remota, & negatur eſſe proxima, qualis duntaxat ſufficit ad libertatem, vt præmiſi, & ibidem tradit Capreolus; admittens hominem, qui ſit in potentia remota ad plus actus, neceſſitari ſimul poſſe ad aliquem eorum: quod luculenter etiam tradit idem Capreolus in 4.d. 49.quæſt.6.*littera H.& L.* agens de beato qui eſt in potentia remota ad Deum non amandum; neque tamen poteſt deſiſtere ab eius amore.

Nodus in contrarium, ex diuino concurſu.

Quæ aduerſarius obiecit contra ſenſum legitimum definitionis quam expendimus, iam olim propoſita ſunt ab iis, quos diximus hanc definitionem admittere, & ita ſoluta, vt ad eorum enodationem non detorſerint prædictam definitionem in eum ſenſum, quem aduerſarius commentus eſt. Quod liquet ex Angelo cap.1.Moral tex.2. qui cùm hanc definitionem propoſuiſſet, & contra eam obieciſſet, ignem poſſe calefacere & non calefacere; idque ex eo diluiſſet, quòd ignis, poſitis omnibus requiſitis, poſſit tantū agere, volūtas autem libera poſitis omnibus requiſitis, poſſit agere & non agere: Inſtat, voluntatem poſitis omnibus requiſitis, non poſſe non agere, quandoquidē poſito concurſu primæ cauſæ; non poteſt non agere. Poſt eam inſtantiam adductam, ſubdit: *In hac replica, Doctores contremiſcunt.* Scilicet, quia nō ſatis liquebat, quomodo hoc prærequiſitum, iungi poſſet cum non actione, quæ tamen cohærere rectè debet cum poteſtate libera, præciſè prout instructa omnibus prærequiſitis, & nondum in alterutrum determinata.

Quod ſi definitionem illam accepiſſent in commentitio illo ſenſu, quem aduerſarius ei tribuit, fruſtra contremuiſſent ad inſtantiam prædictam, trepidaſſentque vano & planè Panico timore, vbi non erat timor. Facile enim vidiſſent, cum eo prærequiſito, non poſſe iungi non actionem: Bene tamen cum eo cohærere potentiam ad non actionem; qua potentia ſalua, nihil eſſet libertati timendum. Atque ita agnouiſſent, definitionem, de huiuſmodi potentiæ ſimultate intellectam, optimè ſubſiſtere non obſtante ea inſtantia. Verùm, hic ſenſus ab aduerſario propoſitus, nemini Doctorum illorum in mentem venit: Ideóque admiſſo ſenſu à nobis propoſito conati ſunt difficultati ſatisfacere.

Quomodo à quibuſdam extricetur, ſalua definitione propoſita.

82. Et in primis Gerſonius lib. de notitiis tract. de appetitu ration. quæſt.1. p.2.excuſſis variis parum aptis dicendi modis, reſpondet, voluntatem quamuis poſito concurſu Dei ſecum, non poſſit non agere, idcirco tamen liberè agere, quia ſi Deus naturaliter & non liberè ageret, voluntas præſentato ſibi per intellectum obiecto, & amoto quouis agendi impedimento, poſſet nihilominus non agere: ſecus verò eſt de cauſa nō libera, v.g. de igne: hic enim applicato paſſo & amotis impedimētis, non poteſt non agere. Ex quo habetur, quòd voluntas ſerietur, cùm non agit, id non ex diuini concurſus denegatione, ſed ex dominio voluntatis in actum ſuum proficiſci. Verùm hæc reſpōſio,

quamuis

quamuis veram doctrinam contineat; non poteſt tamen ad difficultatem propoſitam aptari, niſi aliter proponatur: quærimus enim, idque ipſe Geruaſius contra voluntatis libertatem ſibi obiecerat: quærimus inquā, quomodo voluntas ſit libera, cùm poſito vno aliquo prærequiſito, non poſſit omittere actionem, ad cuius nodi expeditionem nihil videtur referre, quod ab iſto authore adducitur, prout adducitur.

Magis ad rem alij, vt Almainus tract. 1. Moral. c. 1. allegans Dionyſium Ciſtercienſem, varijs locis ſupra notatis, ac præterea in 2. d. 25. q. 3. *in fine*, hoc agitantem; dicunt concurſum Dei non eſſe de præuijs, ſed de concomitantibus. Quod eſt euidens, ſi agatur de concurſu in actu ſecundo, qui non ponitur vt voluntas conſtituatur potens, ſed vt ſit actu agens. At agendo de concurſu Dei in actu primo, ſiue de potentia diuina per diuinum decretum liberum applicata ad concurrendum nobiſcum, difficultas eſt quomodo ea potentia & decretum ſint de concomitantibus: liquet enim actionem non concomitari ſuam cauſam, ſed eſſe ea poſteriorem, ſaltem natura. Atqui potentia diuina & decretum voluntatis, ſunt cauſæ actus prodeuntis à voluntate creata, vt perſpicuum eſt. Ergo non ſunt de concomitantibus, ſed de prærequiſitis ad actionem. Ideóque Soto 1. de nat. & grat. cap. 16. huiuſmodi reſponſionem reiicit, conteſtatus ſe eam nunquam intellexiſſe, & nunquam eſſe illi adhibiturum fidem. Eſt tamen optima reſponſio, ſi bene intelligatur, ac reipſa recidit in eam, quam aliis verbis tradit ibidem Sotus, & Angelus ſuprà, & paſſim alij.

Vera eius expeditio.

83. Dicendum ergo eſt, voluntatem diuinam de cauſando nobiſcum, ſiue de ſuppeditando actuali concurſu, eſſe quidem de prærequiſitis reſpectu actionis, quam Deus nobiſcum elicit: nihilominus tamen eſſe etiam de concomitantibus voluntatem noſtram liberè elicientem huiuſmodi actionem. Quamuis enim, vt voluntas noſtra poſſit cenſeri potens ad agendum, neceſſe ſit ſupponi diuinam voluntatem concurrendi, & potentiam exequentem concurſus actualis eliciti-uam, eſſe homini ad manum, ſi ipſe in actum ſecundum velit erumpere: Tamen ea diuina voluntas, prout homini confert potentiam operandi integram, non eſt abſoluta, ſed conditionata: Ideóque nihil ex ſe facit, quandiu non tranſit in abſolutum, interuentu conditionis, quæ ad id exigitur ex parte hominis. Ac proinde voluntas illa diuina, prout hominem conſtituit potentem ad operandum, eſtque ad id prærequiſita, non obtrudit concurſum actualem, nec ad illum profundendum ſe applicat inconſulta voluntate creata, ſed tantùm illum offert.

Quare cum tali voluntate diuina, (& idem eſt de potentia exequente illi ſubiuncta,) voluntas creata poteſt componere, ſiue ſimul ponere actum, vel certè non actum; quia vi illius voluntatis, Deus nihil ponit ad extra, per quod alteruter excludatur. Cùm primùm verò homo ſe applicat ad operandum, eſtque in ea diſpoſitione, vt ſe ſolo actum cauſaret, ſi ſe ſolo id poſſet; (quam applicationem Deus per ſcientiam mediam prænoſcit, vt ſuo loco infra exponam:) Tunc Deus, actualem concurſum exhibet per diuinum decretum & potentiam, cum quibus vltra non poteſt componi non actus, quia ex ſuppoſitione quòd homo voluerit actum profundere, non poteſt ſimul non profundere illum. Deus autem idcirco tantùm actualem concurſum cum homine profundit, quia homo eum profundi voluit: ſicque diuina voluntas de concurſu exhibendo, eſt de concomitantibus voluntatem humanam influentem, ſi agatur de concomitantia reali & naturæ ſiue cauſalitatis: quamuis occaſionaliter & obiectiuè non concomitetur, ſed ſubſequatur, qua de re rurſus infra ſuo loco. Illa autem diuina voluntas, quæ eſt de prærequiſitis, nullo modo arctat indifferentiam voluntatis, atque in libertatem eius non temerat.

84. Vt autem inefficacitas argumenti in contrarium propoſiti apertior fiat, conſideremus totam eius vim æquè militare contra libertatem actionis ex parte voluntatis ipſius creatæ, ac ex parte diuinæ & decretorum eius efficacium. Nam voluntas creata prout actu influens in actionem, eſt aliquid præuium ſiue prærequiſitum ad eam, quo poſito, actio non poteſt non poni: Et tamen, quod poſito huiuſmodi præuio actio ponatur, nihil incommodat libertati actus, quia ea neceſſitas eſt tantùm ex ſuppoſitione liberæ applicationis ad operandum factæ per ipſum hominem, cum qua ſuppoſitione actum no[...]rum importante, non poteſt coniungi non actio. Atqui ſimiliter diuina voluntas efficax non datur niſi ex ſuppoſitione humanæ applicationis à Deo præcognitæ interuentu ſcientiæ mediæ. Ergo ſicut noſtræ voluntatis efficacitas non temerat libertatem, ſed cum ea rectè cohæret: Ita neque efficacitas diuinæ voluntatis, eiúſque decretum actu influens in actionem noſtræ voluntatis, quicquam illi incommodat, eiúſve libertatem vllatenus imminuit.

Illatum, cuiuſmodi ſint prærequiſita ad agendum, reſpectu cauſæ liberæ.

Poſſumus verò præterea ex duobus his exemplis eruere, prærequiſita illa, quorum fit mentio in vulgata definitione libertatis, non eſſe quæcunque ſunt natura priora quam actus liber, qui elicitur: ſed eſſe ea tantùm, quæ ſunt priora actu libero, non prout elicitur, ſed prout eliciendus eſt. Nam hæc tantùm ſunt, quæ exiguntur vt voluntas conſtituatur potens ad eliciendum, vel non eliciendum actum. Porro hæc tantùm eſſe illa præuia ſiue prærequiſita, quorum ſit mentio in definitione libertatis, ex eo perſpicuum eſt, quòd in ea definitione; prærequiſita illa talia eſſe dicuntur, vt illis poſitis actio queat elici vel non elici: Atqui cum illis quæ ſunt naturâ priora actione prout de facto elicitur, non poteſt reipſa componi ſiue ſimul poni actio: quia repugnat poni actionem cum non actione. Ergo ea prærequiſita quorum in definitione prædicta fit mentio, ſunt tantùm illa quæ ſunt naturâ priora actu, prout elicibili ſiue eliciendo, non autem quæ ſunt priora actu, prout de facto dependet à voluntate, & à Deo cooperante dimanat.

Et huc reſpexit Almainus tract. 1. Moral. c. 1. cùm poſt ſolutionem difficultatis in qua verſamur, ex eo ſuperius propoſitam, addit, poſſe quoque argumentum enodari, negando voluntatem Dei de concurrendo nobiſcum, computari inter ea prærequiſita quorum fit mentio in definitione libertatis. Agit enim de decreto prout concomitante, ſiue prout efficaci ob præcognitam conditionaliter determinationem voluntatis creatæ. Et in hoc diſſidemus ab Aluarez, qui contendit decretum efficax numerari inter prærequiſita ad agendum: & decretum illud tale eſſe ſtatuit; vt latum ſit inconſulta voluntate creata, ſitque omnino antecedens, quod cum libertate creata nullatenus cohærere, infrà ſuo loco clarè euincam.

Secunda principij liberi deſcriptio, penes indifferentiam

85. Pergo ad ſecundum modum, quo dicebam explicari

plicari apud authores rationem principij liberi; nempe quo dicitur eſſe cauſa operans cum indifferentia. Hunc quippe modum explicandi libertatem Palacius in 2. d. 25. di p. vnica, antefert omnibus aliis. Et eſt ſine dubio optimus, ſi rectè exponatur; quamuis nonnulli ob homonymiam vocis, *indifferentia*, in ſententias abſurdas circa libertatis naturam deflexerint. Poteſt enim triplex indifferentia diſtingui, nempe obiectiua, & actiua, & paſſiua. Omitto aliam indifferentiam, penes quam libertatem diuidit OlKot in 1. q. 3. art. 2. *litera C.* nempe libertatem indifferentiæ defectu habitus inclinantis in alterutram partem: Omitto inquam hanc indifferentiam; vix enim ab autoribus in hoc negotio attenditur: ſed duntaxat vna trium illarum, quas propoſui.

Obiectiuam indifferentiam appellant eam, quæ attenditur ex parte obiecti ſubſtantis iudicio pronuncianti non apparere clarè in eo omnem rationem boni, ideóque poſſe appeti propter aliquam boni participationem, & poſſe non appeti, vel etiam repudiari propter malum bono illi diminuto commixtum, vel propter ſolam non plenitudinem boni. Paſſiua autem indifferentia ea eſt, quæ cernitur in paſſo vt recipiat impreſſionem agentis. Sic materia prima, ſaltem priuſquam certæ diſpoſitiones adueniant, eſt indifferens, vt hac vel illa forma perficiatur: & baculus eſt indifferens, vt hunc vel illum motum ſubeat, vt in hanc vel in illam partem torqueatur. Denique indifferentia actiua eſt illa qua aliquod agens poteſt agere vel non agere, aut etiam agere oppoſitum, quantumuis omnia ad certum aliquem actum eliciendum prærequiſita præſupponantur.

Quidam ergo cenſuerunt, indifferentiam illam, in qua paſſim collocatur ratio principij liberi, non aliam eſſe, quàm obiectiuam: Ita vt dummodo obiectum proponatur tanquam indifferens; (quale eſt, cùm neque eſt ſummum bonum clarè perſpectum, neque neceſſariam cum eo connexionem habet) voluntas liberè operetur, quicquid tandem aliunde fiat. Alij in paſſiua indifferentia hæſerunt, cenſentes eam ad libertatem ſufficere. Vtrique falsò, quia reuera ſola tertia indifferentia, quæ actiua eſt, poteſt conſtituere libertatem; quæ ſigillatim exe[q]uenda & tractanda ſunt.

Qui eam indifferentiam ſtatuant eſſe obiectiuam.

86. Indifferentiam ergo obiectiuam, conſtituere libertatem, cenſuit Bannes 1. p. q. 19. art. 10. dub 1. *in 3. docum. ad nouitios*, cuius verba adſcripſi in Naturali Theologia d. 8. n. 76. Et idem cenſuit Cumel ad art. illum 10. quamuis ſolemni apud eum conſtantiæ laude, ſententiam poſtea mutarit. Laudandus quidem quòd falſam ſententiam deſeruerit; Nam vt D. Aug. lib. 3. contra Creſcon. cap. item 3. rectè ait, *ſententiam falſam nunquam tenere prima laus eſt; ſecunda, mutare.* Et iuxta Caſſianum l. 1. de Incarn. c. 4. *Primum eſt, errorem non incurrere; ſecundum, benè repudiare.* Culpandus tamen, quòd reuocationem falſæ ſententiæ, vt citato loco notaui, indecora inficiatione fœdauerit: nempe arguens calumniæ, eos, qui falſam illam ſententiam, ab aliquo vnquam Thomiſta aſſertam dicerent. Quaſi verò intercidiſſent loca ex Banne, pro ſententia, quam verſamus, allegata ab iis quos Cumel ſugillat: Aut non vltra extarent anteriores lucubrationes ipſius Cumelis, qui maximè Thomiſta audire geſtit, quibus falſam illam ſententiam diſertiſſimè & explicatiſſimè tradiderat.

Idem poſtea voluit Aluares lib. 12. de auxiliis d. 116. concl. 5. Quamuis enim primum dicat indifferentiam hanc obiectiuam ſiue iudicij, quo intellectus iudicat obiectum propoſitum non habere neceſſariam connexionem cum fine, & cum bono in communi, ad quod amandum voluntas eſt naturaliter determinata hanc inquam indifferentiam, radicem eſſe libertatis formaliter inſidentis voluntati: hoc tamen ita exponit, vt addat, impoſſibile eſſe, quod voluntas prælucente ſibi eo iudicio, feratur in obiectum, & tamen non feratur liberè: Contenditque, ne Deum quidem, ſtante illo iudicio, poſſe neceſſitare voluntatem, vt in obiectum non feratur liberè, ſed ſemper quotieſcunque intellectus proponit voluntati obiectum cum indifferentia, voluntatem, reſpectu eiuſdem obiecti, habere formalem libertatem, vt diſertè dixerat n. 3. Hoc autem nihil aliud eſt, quàm ſtatuere formalem libertatem voluntatis, in ea indifferentia obiecti iudicati; ita vt voluntas non aliter ſit libera formaliter, quàm prout fertur in obiectum ſubſtans tali iudicio indifferenti, quæ eſt ipſiſſima ſententia ex Banne & Cumele propoſita.

Placiti illius firmamenta.

87. Eam porro confirmat Aluares, in primis authoritate Sancti Thomæ 1. 2. quæſt. 17. art. 1. ad 2. vbi ait: *quod ex hoc voluntas poteſt ad diuerſa ferri quia ratio poteſt habere diuerſas conceptiones boni* Sed luculenter in ſpeciem 1. p. q. 83. art. 1. in corp. verbis illis: *Quia iudicium rationis ad diuerſa ſe habet, & non eſt determinatum ad vnum, pro tanto neceſſe eſt quòd homo ſit liberi arbitrij ex hoc ipſo quòd rationalis eſt* Accedit ratio ex eo ducta quod obiectum voluntatis eſt bonum apprehenſum per intellectum. Impoſſibile igitur eſt voluntatem ex neceſſitate abſoluta amare aliquod bonum, niſi intellectus illi proponat huiuſmodi bonum, vt ex neceſſitate abſoluta amandum. Ergo ſi illud proponat vt amandum cum indifferentia ad oppoſita, impoſſibile omnino erit, etiam ſpectata potentia Dei abſoluta, vt voluntas neceſſariò & non lib[erè] in huiuſmodi bonum feratur.

Nec alia apud reliquos, huius ſent[entiæ] fir[ma]menta lego, niſi quòd huiuſmodi inuentum [ma]gni faciunt, tanquam valdè commodum ad grauiſſimas & hactenus inexplicatas difficultates enodandas, perſpectámque ad elucidandam diuinæ libertatis caliginem, & noſtræ cum gratia prædeterminante cohæſionem. Nullo enim negotio oſtenditur, Deum liberum eſſe erga obiecta creata, quia ita voluntate fertur in quæuis bona extra ſe poſita, vt intellectus diuinus prælucens, iudicet, nullum ex illis eſſe bonum ſummum. Vnde non obſtante eſſentiali neceſſitate diuinæ illius entitatis, qua Deus formaliter tendit in obiectum creatum, ſalua manet Dei libertas. Similitérque voluntas creata, quantumuis potenter & ineluctabiliter vrgente motione diuina prædeterminante, perſeuerat libera & ſui iuris: quia intellectus pronunciat, obiectum ad quod voluntas per diuinam illuſtrationem & ſuauitatem ſollicitatur, non eſſe ſummum bonum, vel aliquid cum eo connexum.

Diſiicitur.

88. Hanc ſententiam non eſt difficile refellere, eámque fusè reiiciunt Suares 1. de auxil. c. 2. n. 5 & prolog. 1. de grat. c. 4. & d. 19. Metaph. ſ. 4. à n. 4. Hurtadius d. 15. de anima §. 33. & ſequentibus. Pennotus l. 1. propug. c. 8. Ægid. Coninc diſp. 2. de act. ſupernat. à n. 52. Leſſius tract. de grat. c. 5. Moncæus d. 9. ſelecta. c. 8. & alij. Breuiter autem refellitur, quia hæc ſententia non parum noſtratibus hæreticis commodat. Ipſi enim non negant, nec negare poſſunt, iudicium rationis prælucens actionibus humanis, eſſe indifferens. Nam quis eſt tam fungus vt non videat,

actionem quam exequitur, & bonum creatum, quod per eam proſequitur, non eſſe ſummum bonum, vel aliquid cum ſummo bono connexum neceſſariò? Non igitur hoc negant libertatis oſores, de Lutheri & Caluini caula: Et tamen tanquam libertatis inficiatores damnantur, quia exiſtimant voluntatem, tametſi ſalua iudicij indifferentia, non eſſe in ſeipſa proximè indifferentem actiuè; hoc eſt, quia cenſent voluntatem ita ſe habere ad actionem vt quamuis intellectus de obiecto cum indifferentia pronunciet, & illud exhibeat vt indifferens; tamen ipſa voluntas in illud feratur abſque indifferentia: quia iuxta ipſorum errorem, voluntas ita fertur in obiectum vt non poſſit non ferri ob adactionem extrinſecam, qua hominem ad operationem vrgeri comminiſcuntur.

Quod ſi vbicunque cernitur indifferentia iudicij & obiecti iudicati, reperitetur quoque indifferentia voluntatis & libertas, ſempérque iſta duo coniungerentur, vt aſſerunt ij quorum eſt ſententia quam impugnamus, perperam Catholica Eccleſia damnaret Nouatores, tanquam euerſores libertatis: quandoquidem iuxta ſententiam quam impugnamus, libertas maneret, etiam poſito Nouatorum errore, imò non poſſet non manere. Vnde ad ſummum, prædicti errores, laberentur in nomine, appellantes neceſſitatem, quod reuera eſt libertas. Nam iuxta Bannem ſuprà, (ipſa verba appendo,) *Quotieſcunque actus voluntatis oritur ex prædicta radice iudicij ſemper eſt liber. Vnde rurſus colligo* (inquit) *quicquid anteceſſerit vel comitabitur vel ſuperuenerit ad actum voluntatis, ſi non tollat iudicium illud circa medium reſpectu finis, non deſtruet libertatem operationis.* Non igitur vbicunque habetur indifferentia iudicij prælucentis, & obiecti per illud exhibiti, habetur confeſtim indifferentia voluntatis, & proſecutionis, ſi Nouatores iuſtè ab Eccleſia damnati ſunt, de quo nemo Catholicus dubitare poteſt. Ideóque, huic ſententiæ, affinitatem cum ſententia Nouatorum, obiecit Veſlonus libr. 3. de triplici hominis officio cap. 29.

89. Verùm dimiſſo argumento, quod ducimr ex neceſſitatione de facto vrgente voluntatem, quæ perperam à Nouatoribus aſſeritur, vt quos natura liberos & homines fecit, ipſi ſeruituti addicant, & pecudibus aggregent; facile eſt idem argumentum conficere, ex eo quod poſſibile eſt Deo, voluntatem potenter inflectere in vnam duntaxat partem, vel ab altera abducere, negato ei concurſu ad operandum neceſſario, & tamen iudicium poterit perſtare illibatum. Negant id aduerſarij, quia vident inde euerti ſententiam ſuam. Infra tamen perſpicuè euincam id iniuria negari Deo.

Nunc obiter tantùm, & molli brachio, rem conficio; ſupponens aliquem eſſe, cui inſit in intellectu iudicium indifferens, quale aduerſarij ad libertatem expoſcunt. Huiuſmodi ergo iudicium perſtare poſſe, licèt deſtructa libertate voluntatis, ex eo perſpicue euinco, quòd nihil ſit vnde Deus neceſſitetur ad continuandam concurſus ſui præparationem pro actu voluntatis, etiamſi pergat conſeruare in intellectu iudicium illud indifferens. Nam hoc iudicium eſt aliquid natura ſua prius actione voluntatis, eſtque à voluntate & eius operatione Independens eſſentialiter. Quis enim tam adamantinus nexus inter duo illa fingi poteſt, vt diſſociari nequeant ſaltem non mutuò? hoc eſt, vt iudicium non poſſit poni nequaquam ſubſequente volitione libera? Nihil ergo vetat iudicium illud poni, vel conſeruari independenter ab eo, quod eſt poſterius. Eo autem ſic poſito, vel conſeruato, & negato voluntati concurſu ad operationes ſuas, apertè habemus indifferentiam iudicij & obiecti iudicati, abſque indifferentia actiua voluntatis, quæ ſubſiſtere non poteſt Deo illi denegante concurſum ad operationem. Nam abſque præparatione diuini concurſus, homo non eſt ſufficienter potens ad alterutrum, ſed neceſſariò non agit, atque ita nullo modo liber eſt.

Idem argumentum confici poteſt de eo iudicio indifferenti coniuncto cum potenti motione diuina conſenſum voluntati extorquente, vel cum abreptione voluntatis per diuinam omnipotentiam ad formandum actum elicitum: qui certè non formaretur liberè, & tamen indifferentia iudicij illibata perſtaret. Poſſe autem diuinam illam adactionem, ſiue per immiſſionem actus primi ineluctabilis, ſiue per immediatam voluntatis abreptionem in actum, fieri in eo qui iudicaret actum & obiectum eius eſſe quid indifferens, infrà ſuo loco confirmabo.

90. Accedit in aduerſariorum placito illud incommodum, quòd indifferentiam illam ſuam obiectiuam, attendunt tantùm penes media non habentia neceſſariam connexionem cum fine vltimo. Atqui & circa ipſum finem vltimum, & circa media neceſſariò cum eo connexa, multóque magis circa alios fines & media ad illos, libertate potiri poſſumus. Nam cogitato Deo & ſummo bono poteſt voluntas ſiſtere actum ſuum, & vel poſitiuè nolle bonum illud proſequi, vel omittere actum volendi proſequi. Et idem experimur, de pleriſque cum eo fine eiúſque adeptione eſſentialiter connexis; cuiuſmodi ſunt, anima noſtra & intellectus, ac concurſus naturæ indebitus, & ſimilia. Vt taceam pleraque alia moraliter connexa cum finis adeptione, tam arctè, vt ſine eis, (quamuis non ex natura rei,) obtineri nequeat finis. Cuiuſmodi eſt obſeruatio præceptorum poſitiuorum, quæ à pleriſque negligitur, quamuis probè norint, ea prætermiſſa, excidendum ſibi in æternum fore aſſecutione beatitudinis. Ergo dantur actus voluntatis libertate præditi, quamuis non præcedat indifferentia obiectiua, qualem aduerſarij poſtulant hoc eſt, quòd medium non habeat neceſſariam connexionem cum fine. Deinde quod aduerſarij radicem libertatis ſtatuunt indifferentiam iudicij pronunciantis de vſu medij ad finem, minus plenè de ea radice ſtatuunt vt ex infra tractandis clarius perſpicietur.

Ad firmamenta num. 87. adducta.

Quæ pro contraria ſententia ſuperiùs propoſita ſunt, parum habent efficacitatis. Quia vero aduerſarij idcirco in hanc ſententiam inducti ſunt, quia ſæpè apud D. Thomam & alios legerunt libertatem voluntatis prodire ex indifferentia iudicij: Idcirco admoneo conſiderandum illis fuiſſe, aliud eſſe radicem, aliud quod ex ea progerminat; nec ſemper neceſſarium eſſe vt radix profundat quod ex ea aptum eſſet exoriri, ſi non intercederet impedimentum. Plerunque enim interuentu obicis inhibetur ea dimanatio. Sic ergo licet indifferentia & amplitudo iudicij proponentis amabilitatem vel repudiabilitatem obiecti, ſit idonea radix libertatis in voluntate, tamen poſſunt multa interuenire, quæ ſalua ea radice exortum libertatis impediant.

S. ergo Thomas locis quæ allegabantur nihil aliud intendit, quàm iudicium indifferens eſſe radicem libertatis: nulla tamen ratione aſſerit, vbicunque reperitur illud iudicium, debere etiam reperiri in voluntate libertatem ſpectata quacunque potentia. Id enim apertè falſum eſt, quamuis D. Thomas attento eo quod ex natura rei aſſectaretur indifferentiam iudicij, ſi remouerentur extrinſeca impedimenta,

pedimenta. rectè dixerit, cum indifferentia iudicij, indifferentiam voluntatis coniungi. Reuera autem D. Thomam admiſiſſe indifferentiam actiuam in ipſamet voluntate, ſiue vertibilitatem ad vtrumlibet propoſitum, apertè conſtabit expendenti quæ habet 1.p.q.19.art.10 *in corpore*,& art. 12.ad 3.& q.82.art. 1. ad 3. & toto artic. 2. & quæſt. 83. art. 1. & 4. & quæſt. 105. art. 4. aliiſque multis locis, quæ attingemus in ſequentibus.

Ratio quæ addebatur, eſt omnino imbellis Quamuis enim obiectum voluntatis ſit bonum apprehenſum, non eſt tamen neceſſe vt modus tendendi voluntatis in huiuſmodi bonum,ſit conformis apprehenſioni;ita ſcilicet vt ſi apprehenſio, vel tantum in actu exercito, vel etiam in actu ſignato exhibuerit obiectum illud vt indifferens, oporteat actum voluntatis eſſe indifferẽtem ac liberum. Ita quidem fieret, ſi voluntas ſuopte nutu ferri ſineretur; ſed poteſt voluntati, iudicium indifferens præluceens ſequenti, vis inferri;vnde libertas voluntatis excindetur, ſalua ea iudicij indifferẽtia.

91. Video, in eo euentu voluntatem non tam ſequi iudicium, quàm adigi ad operandũ: atque adeò dicere poſsẽt aduerſarij, facta hac ſuppoſitione nihil haberi contra ſuam ſententiam, cùm tantùm dicant eſſe ſemper in voluntate indifferentiam, quandocunque ea in intellectu fuerit, & voluntas ex eo iudicio indifferente fuerit operata, quod non contingit in re præſenti: ſiquidem vrgeri & potenter adigi ab extrinſeco non eſt operari ex iudicio prælucente, quod ſonat motum intrinſecum & inflexionem voluntatis à ſeipſa factam ſuppoſita indifferenti notitia.

Verùm quamuis poſſit eſſe lis de nomine an voluntas in eo euentu dici debeat ſequi iudicium: Tamen nos hoc loco, eam locutionem vſurpamus, tantùm vt deſignemus non defuiſſe voluntati iudicium prælucens, quod exiſtimamus eſſentialiter præexigi vt voluntas poſſit operari. Eo itaque iudicio præeunte,dicimus voluntatem adigi poſſe vt in vnicum membrum è duobus per illud iudicium exhibitis, feratur; nequeàtque ferri in alterutrum: vel certè vt nequeat ferri in alterutrum, quod eſt tollere libertatem, quam tamen aduerſarij inficiantur tolli poſſe præeunte eo indicio. Proindeque, admiſſa indifferencia illa obiectiua, coguntur fateri voluntatem ſequi indicium,& à ſe inflecti in vnam partem, quod apertè falſum eſt, facta ſuppoſitione prædicta.

Tandem quod inſinuabatur de ſumma opportunitate huius ſententiæ ad diſpellendam in grauiſſimis difficultatibus caliginem,ego quidem ſuſpectam ſemper habebo tantam in rebus tam abditis perſpicuitatem; præſertim tam ſubitam, & ad Bannis vſque tempora prorſus incompertam. Mirum enim eſſet, omnes, ante obortum nouæ huius explicationis Solem, ita cœcutiuiſſe in perſpicienda diuina libertate, & conciliauda libertate humana cum adamantinis Dei motionibus prorſus ineluctabilibus, quales Bannes comminiſcitur, & ab omni retrò æuo admiſſas contendit. Mirum item eſſet, per anteriora ſæcula, Theologos tot cruces humano ingenio fixas ingemuiſſe, cùm perfacile eſſet admiſſa illa libertatis expoſitione quam excutimus, lumen liquidiſſimum tenebris illis affundere, noctemque in diem vertere.

Itaque cùm antiqui Doctores, & Eccleſiæ Patres, humanam libertatem propugnantes contra fatuos fati aſſertores, aliòſque errores, nunquam eos inde reprehẽdant;quod non attendãt eſſe in homine iudicium indifferens,quo ſaluo nequeat homo eſſe liber ſed ſemper vrgeant,volũtati permiſſas eſſe ſui ipſius habenas, & nihil eſſe quod eam exturbet dominio illo in actũ ſuum, quod illi natura ſua & radicatio in anima intellectum indifferentem nacta confert: manifeſtum eſt huuc tam perſpicuum de libertate humana philoſophãdi modum, fuiſſe illis prorſus incognitum. Quod multo magis circa diuinam libertatem dicendum eſt, quæ tantò libertate noſtra eſt abſtruſior, quãtò eminentiora ſunt humanis diuina. Non poteſt igitur libertas formalis per indifferentiam obiectiuam ſiue per iudicij prælucentis indifferentiam, declarari.

Qui indifferentiam quam quærimus, dixerint eſſe purè paſſiuam.

92. Sequitur vt expendamus,an ea indifferentia per quam libertatem definiuimus, ſit indifferẽtia paſſiua. Hanc enim ad libertatem poſſe ſufficere, ſenſerunt Godofredus & alij quidam antiqui,qui referuntur ſenſiſſe,voluntatem cui ſoli libertatem adiudicabant,eſſe potentiam purè paſſiuam. Idem nuper ſenſerunt alij apud Suarem l.1.de auxil.cap 2.num.1.& cap.8.num. 4.qui quamuis admiſerint voluntatem eſſe potentiam actiuam: tamen libertatem eius conſtituerunt in paſſiua indifferentia, cenſentes voluntatem non poſſe à ſeipſa determinari, ſed expectare debere extrinſecam determinationem, quod non eſt eſſe indifferens niſi paſſiuè.

Hanc ſententiam, Zumel quo ſolet candore affingit Bellarmino l.3.de gratia & lib.arbit.cap.9.ad 7.eo quòd ibi dicat, *libertatem voluntatis in eo propriè ſitam eſſe videri, quod propoſitis variis rationibus non neceſſariis, ſinat ſe moueri ab vna,& non ab alia.* Atqui ſinere ſe moueri, dicit ordinem ad paſſionem: Videtur ergo Bellarminus, ſenſiſſe potentiam liberam quà talem, eſſe purè paſſiuam. Ita colligit Zumel tom.2. variarum diſp.diſcurſu 3. propoſ.4.

Sed quàm benè, eam falſitatem, homini de bonis literis & Eccleſia meritiſſimo, imponat, cõſtat ex c.10. libri illius tertij, quo toto capite Bellarminus ex inſtituto confirmat libertatem eſſe potentiã non purè paſſiuam, nec partim paſſiuam partim actiuam, ſed purè actiuam & ſui ipſius determinatiuã. Vt mirum ſit Zumelem, dimiſſo eo loco quo Bellarminus ex profeſſo agitauit quęſtionem, captaſſe occaſionem inuertendi & ſiniſtrè interpretandi Bellarmini ſententiam, ex paucis verbis inter ſatisfaciendum argumento prolatis, quæ tamen prorſus ineptè trahuntur in ſenſum propoſitum, Vt enim diſertè ipſemet Bellarminus tradit cap. illo 10 voluntas tunc ſinit ſe moueri,cum obiecto & intellectu præſtantibus quod ſuum eſt, ipſa actiuè ſe determinat. & motionem metaphoricam ſimplicem, hoc eſt, rudimentum illud amoris, quod actui libero præmittitur, promouet ad perfectionem ſuam, eliciendo conſenſum ad quem illa boni prægustatio illiciebat. Quare Bellarminus, nullo modo ſenſit quod ei affingit Zumel. Sed nõ nunc primùm, Scriptoris huius, ac Symmiſtarum fidem,& ſynceritatem, in allegandis noſtrorum ſententiis deſideramus.

Reiiciuntur.

Cuiuſcunque autem ſit ea ſententia, quæ libertatem conſtituit in indifferentia purè paſſiua; certum eſſe debet, falſam eſſe & reiiciendam. Imò Baſſolis in 3. d. 33. quæſt. 2. artic. 2. ait eſſe periculoſam, & excommunicatam, quippe tollentem rationem meriti ac demeriti, vt ait à ſe fuiſſe oſtenſum in 2. Nempe d.25. quæſt. 2. artic.2. vbi latiſſime id agitat. Idem latè oſtendit OKot quæſt. 3. determinationum. Et quidem ſi ſpectemus antiquam illam opinionem, quæ ſtatuit voluntatem nullatenus eſſe actiuam, dubitari non poteſt quin ſit contra ſanam doctrinam, quæ ſtatuit liberum arbitrium in præſtãdo conſenſu non ſe gerere vt quid inanime, nec

merè paſſiuè ſe habere, ſed cùm a Deo ſollicitatur ad bonum, poſſe diſſentire, ſi velit. Quæ omnia non modò apertè excindunt indifferentiam illam purè paſſiuam; ſed etiam multò magis probant libertatem, & voluntatem cui libertas implantatur, eſſe potentiam actiuam, non autem paſſiuam. Fusè hanc ſententiam exagitant Scotus in 2.d.25.q.1.& Fonſeca 9.Methap. cap.2.q.5.ſ.3.quæ, quandoquidem placitum iam antiquatum impetunt, prætermitto.

Nuperum commentum exploditur.

93. Obiter tamen moneo, non ſatis huius antiquati placiti vitium deprehendiſſe recentiores illos, quos Vaſques 1.p. d.43.c.4. & Suares l.de attributis Dei negatiu.c.10.n.9.memorant cenſuiſſe totam efficientiam actuum ſupernaturalium eſſe à principio extrinſeco infuſo; atque adeò conſenſum liberum ſupernaturalem non manare efficienter à voluntate noſtra, ſed à ſolo auxilio vel habitu diuinitus ſuperaddito, voluntate ad eum conſenſum merè paſſiue ſe habente. Quod ab iſtis autoribus inuectum eſt, ne quid Pelagiani fermenti, in eo voluntatis influxu ad ſupernaturalem actum lateret. Nam vt idem Vaſques refert 1. parte d.176. c.5. non defuerunt qui putarent, influxum potentiarum naturalium, hoc e , intellectus & voluntatis noſtræ in actus ſupernaturales, ad errorem Pelagij pertinere.

Hoc verò quàm ſit inſulſum, idem author paucis attigit & pleniſſimè Suares tom.1. 3.p.d.31.ſ.6. *ad ſextum quoddam argumentum pro primo falſò modo dicendi.* Actus enim ſupernaturales intellectionis & volitionis, cum ſint vitales, non poſſunt non eſſe à principio extrinſeco vitali, cuiuſmodi non eſt nudus habitus infuſus. Specialiter autem volitiones ſupernaturales, quibus Deo vocanti conſentimus, cùm ſint liberæ, non poſſunt non pendere effectiuè à principio interno libero, cuiuſmodi eſt voluntas tantùm, non autem habitus aduentitius. Itaque tantùm abeſt vt influxus ille effectiuus libertatis noſtræ in ſupernaturalem conſenſum, repudiari debeat tanquam minùs tutus, aut ſubolens Pelagianiſmum, vt illi nimiùm ſagaces recentiores ſubodorati ſunt. vt potius non videatur incolumi catholica veritate & abſque errore negari poſſe. Ab errore certè Pelagij, tantùm abeſt, quantum influxus in actus illos per nudam naturam, ab influxu per naturam diuinitus vegetatam & roboratam.

Alia principij liberi per indifferentiam paſſiuam expoſitio, reiicitur.

Venio ad alterum modum, quo libertas ſtatuebatur in indifferentia paſſiua: quamuis ex quo potentia ſic indifferens, determinata eſt ad agendum dicatur verè efficere actum, nec ſe habere ad illum merè paſſiuè. Nec tamen hanc eſſe indifferentiam illam qua conſtituitur libertas, rectè oſtendit Durandus in 2 d.24.q.2. nu.19. & ſequentibus, attigitque etiam Gregorius in 2.d. 25.q. vnica concluſ.1. *in confirmatione primæ probationis* & Vega 2.in Concil.c.16.Probatur autem, quia per libertatem intelligimus principium, per quod habemus dominium noſtorũ actuum, ita vt vi illius principij, ſit in poteſtate noſtra prodire in actum vel non prodire, aut etiam prodire in oppoſitum: Atqui potentia quæ non habet niſi indifferentiam paſſiuam, & non ſe determinat ad ſuum actum, ſed determinatur deforis, caret ea poteſtate prodeundi vel non prodeundi in actum, eóque dominio in actum ſuum, quod potentiam liberam conſtituit: Igitur non eſt libera.

94. Maior eſt indubitata: Eſt enim ipſa notio libertatis, quam in ſequentibus magis illuſtrabimus, & authoritate ac ratione muniemus. Minor autem declaratione tantùm indiget, quia potentia, quæ non ſe determinat ad agendum, ſed tantùm determinatur ab alio, qualis eſt ea, quæ tantùm habet indifferentiam paſſiuam, non poteſt prodire in actum niſi aliunde determinationem accipiat. Nam indifferens quandiu manet indifferens, non prodit in actum. Itaque quod ex ſe non eſt niſi paſſiuè indifferens, expectat determinationem ab extrinſeco: hac autem determinatione poſita, determinatur neceſſariò; quia repugnat poni determinationem, & id, cui ea aduenit, non determinari. Conſequenter etiam repugnat talem determinationem imprimi, & id ad quod ea determinatio eſſentialiter tendit non induci; hoc eſt, actionem, quæ eſt partus prædictæ determinationis. (ſi tamen partus eius eſt, & non potius ipſamet actio.) Tam enim repugnat aliquid determinari ad actionem, & actionem non ſequi, quàm repugnat, determinari ſimul & non determinari; cùm ipſum determinari ad actionem nihil aliud ſit, quàm tolli indifferentiam, quæ reſpectu actionis illhuc vſque præiacuerat in potentia, ipſámque potentiam de facto applicari ad actionem eliciendam, vbi omnino importatur actionis conſecutio. Impoſſibile ergo eſt, id quod ab alio determinatur, ſiue applicatur ad operationem, habere dominium ſui actus, eámque poteſtatem prodeundi vel non prodeundi in actum, quam fert ea libertatis notio, quam præmiſi. Nam ſi cauſa extrinſeca determinationem inferat, impoſſibile erit potentiæ ſic determinatæ non promere actionem.

Euaſio præcluditur.

Totus diſcurſus videtur perſpicuus, & vndecunque probè munitus. Niſi quis dicat impreſſionem determinationis fore in poteſtate potentiæ illius determinatæ Quo pacto poteſtas prodeundi in actum, vel non prodeundi, competet potentiæ determinatæ, reſpectu actus quem vi extrinſecæ determinationis eliciet. Facile tamen eſt euincere, impreſſionem determinationis non ſubeſſe dominio potentiæ, habentis tantùm indifferentiam paſſiuam. Nam paſſum, quatenus paſſum, non poteſt immutare ſtatum ſuum, ſed perſeuerat in eadem diſpoſitione, donec aliunde immutetur, vt ex ipſis terminis notum eſt, alioqui non eſſet purè paſſiuum; quia immutare ſe non eſt pati, ſed agere, Atqui impreſſio determinationis, non poteſt intelligi ſubeſſe dominio potentiæ indifferentis ad eam, niſi talem impreſſionem effectiuè principiet, & quidem ita vt poſſet non principiare: nullo enim alio modo poteſt intelligi tale dominium in impreſſionem.

Niſi ſi quis fingat, potentiam paſſiuè indifferentem, eatenus impreſſioni illi dominari, quatenus poteſt reſiſtere immittenti impreſſionis, vel ſinere vt agens eam immittat. Hoc tamen dici non poteſt; nam vel reſiſteret aut ſineret, ſuamet tantum entitate agenti obiecta, vel interpoſito actu aliquo ſecundo. Non primum, quia ſic ſemper reſiſteret & ſemper ſineret, cùm potentia eandem entitatem & eodem modo affectam ſemper retinere ſupponatur. Non item ſecundum, quia actus ille ſecundus non potuit prodire ab hac potentia purè paſſiua, niſi præceſſerit determinatio; quæ non potuit præceſſiſſe abſque detrimento libertatis in actione ſecutura, niſi anterior aliquis actus ſecundus eam acciuerit, & de hoc rurſus idem vrgebo. Atque ita in infinitum abſurdè progrediemur, vel tandem ſiſtemus in aliqua extrinſeca determinatione, quæ immiſſa fuerit abſque vllo actu ſecundo potentiæ determinatæ, eam determinationem aſciſcente. Quo

pacto

pacto quicquid ab ea determinatione oritur, id eſt, actus quilibet potentiæ determinatæ, vacabit libertate reſpectu huius potentiæ, quia non ſubeunt eius dominio. Perſpicuum ergo eſt potentiam, cui indifferentia tantùm paſſiua competit, non poſſe eſſe liberam in operatione quam mox elicit poſt ſuſceptam determinationem ab extrinſeca cauſa.

Breuiculus ratiocinationis propoſita.

95. Ne autem hic diſcurſus, per ſua principia paulò fuſius deductus, operoſior alicui videatur, & minus clarè penetretur, eum paulò aliter propono, & cogo in pauciora, hac ratione. Potentia paſſiua vt ſic, non eſt libera reſpectu paſſionis, niſi quatenus actio à qua talis paſſio ei infertur libera eſt: Actio enim ex ſubiecto (de qua nunc loquimur) neceſſariò infert paſſionem: Et è conuerſo, paſſio neque eſſe poteſt, niſi quatenus infertur per actionem, neque eſſe non poteſt, ſi actio ab agente dimanet. Ergo tota libertas eſt circa actionem a qua infertur paſſio; non autem circa paſſionem, niſi quatenus ex actione infertur. Ergo vt bene intulit Argentina in 2. d. 25. q. vnica art. 1. concl. 1. ratione 2. & Baſſolis in 2. d. 25. q. 1. art. 2. ratione 4. & 5. potentia libera vt ſic, eſt actiua non paſſiua: Nam potentiæ paſſiuæ, vt ſic, reſpondet ſolum paſſio; ſicut actiuæ reſpondet actio. Penes hanc autem tota libertas paſſionis ſpectatur, vt dictum eſt. Poteſt quidem in potentia paſſiua, quatenus paſſiua eſt intelligi ex ſe indifferentia ad recipiendos varios actus, etiam contrarios, vel ad habendum actum & eius priuationem diuiſim. Hoc tamen non poteſt ad libertatem ſufficere. Quia facultas, quæ non eſt niſi eo modo indifferens, ſemper, quantùm eſt ex ſe, eandem diſpoſitionem retinebit, & carentiam omnis actus. Nam paſſiuum vt ſic, non poteſt immutare ſtatum ſuum. Ergo perſeuerat in eadem diſpoſitione donec aliunde determinetur. Atque ita determinatio poterit quidem eſſe libera cauſæ efficienti, non tamen recipienti vt ſic.

Breuiùs etiam, ſic argumentari poſſumus, cum Durando n. illo 19. Indeterminatum non poteſt exire in actum, niſi determinetur. Sed nihil purè paſſiuum, poteſt determinari, niſi ab aliquo agente talem determinationem: quia nihil fit niſi ab aliquo agente, diſtincto à paſſo, quatenus paſſum eſt. Ergo per potentiam paſſiuè tantùm indifferentem, ac proinde nihil actiuè conferentem ad determinationem reſpectu actus, non poteſt quis habere dominium in actum ex determinatione illa manantem.

Quæ in contrarium à nonnullis proferuntur apud Gregor. in 2. d. 25. q. vnica in argumentis contra primam, æquè impetunt omnem actionem immanentem, nec tam probant deeſſe voluntati indifferentiam actiuam, quàm nullam prorſus eſſe actiuitatem eius in actum volendi, etiam poſt extrinſecus impreſſam determinationem ad illum; quod iam reiecimus tractantes priorem modum collocandi libertatem in indifferentia paſſiua.

Concluditur, indifferentiam principij liberi creati conſtitutiuam, eſſe actiuam.

96 Cùm igitur indifferentia, per quam libertatem conſtitui diximus, non ſit indifferentia obiectiua, neque paſſiua; ſupereſt vt ſit indifferentia actiua: Quæ ſcilicet, ſic eſt elicitiua actus, vt priùs naturâ quàm eum eliciat, potens ſit eum elicere, non expectata aliunde determinatione, quàm à ſeipſa, vt optimè tradidit Scotus quodlibeto 18. *littera M.* Et eodem ſpectant omnia illa Patrum & Philoſophorum teſtimonia, quibus libertas conſtituitur in facultate actiua, quæ Bellarminus lib. 3 de gratia & lib. arb. c. 10. annotauit. Et optimè ſanè in facultatem actiuè indifferentem cadit definitio illa libertatis, quam primo loco expoſuimus, & legitimam eſſe oſtendimus, qua nimirum libera facultas ea dicitur, quæ, *poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, poteſt agere* & non agere: hoc enim ipſum & nihil præterea ſonant hæc verba, *potentia actiuè indifferens.*

Quatenus diſpar ratio diuinæ libertatis.

Cæterùm ago tantùm de libertate creata. Nam quamuis libertas diuina per proportionem aliquam ad creatam concipiatur à nobis: Tamen reuera in diuina libertate ſpectata in actu Dei immanente, qui reuera liberrimus eſt, nullam actiuitatem conſiderare licet, ſed duntaxat indifferentem actus diuini terminationem ad opus externum, vel ad ceſſationem ab eo. Nam indifferentia actiua in ordine ad diuerſos actus voluntati diuinæ immanentes, importaret mutabilitatem & potentialitatem paſſiuam, cum puritate diuina pugnantem ideóque concedi Deo non poteſt, ſed tantùm indifferentia in ordine ad varia obiecta, ad quæ idemmet actus ſimpliciſſimus poteſt terminari & non terminari, quod ſufficit ad libertatem, vt bene notauit Scotus in 1. d. 39. q. vnica *littera E* & Durandus in 2. d. 24. q. 4. num. 14.

97. Addit Durandus n. 17. ſimilem libertatem in nobis quoque reperiri, ad quam non eſt attendenda vlla voluntatis actiuitas; nempe eam libertatem, quæ conſiſtit in eo quòd habentes actum electionis (quem prius natura quàm eliceretur, habere vel non habere poteramus,) non tendimus per eum neceſſariò in obiectum electioni illi reſpondens. Cùm enim ea electio ſit immunis à neceſſitate & coactione, dubitandum non eſt, quin ſit libera: Et tamen vt tendentia quam formaliter confert, libera dicatur, non habetur ratio actiuitatis; ſed tantùm attendendum eſt, an ea actio habeatur, & per eam liberè tendatur in obiectum. Sicut in Deo libertas agnoſcitur, quatenus per actum quem habet, nec poteſt entitatiuè non habere, tendit liberè in obiectum ita vt poſſet non tendere. Hoc tamen inter & nos & Deum intereſt iuxta Durandum, quòd Deus habet ſuam hanc tendentiam liberam, non modò abſque actione diſtincta à ſe, ſed etiam abſque receptione vlla. In nobis autem ob potentialitatem noſtram, interuenit vera receptio. Item in nobis cum hac libertate coniungitur alia libertas anterior, quæ conſiſtit in hoc quod poſſumus hos actus habere vel non habere, quæ eſt libertas & indifferentia actiua, vt idem author probat n. 19. In Deo autem ob puriſſimam actualitatem, hoc poſſe habere indifferenter, non habet locum.

Hactenus Durandi animaduerſio; quæ mihi certè non probatur. Nam quamuis verum ſit noſtram tendentiam in obiectum liberam eſſe, tamen hæc libertas non eſt diuerſa ab ea libertate priore, quam Durandus in nobis diſtinguit & fatetur eſſe indifferentiam actiuam. Nihil enim aliud eſt hæc libertas actionis noſtræ, quàm denominatio refuſa à facultate indifferenter actiua, vt infra demonſtrabo: quod non poteſt dici de libertate diuini actus ſecundi. Neque verò in nobis, ex quo actus ſecundus poſitus eſt entitatiuè, ita vlteriùs libera eſt tendentia in obiectum, vt poſſit non eſſe: Eſt enim neceſſaria ex ſuppoſitione: quod in Deo locum non habet: nam actus diuinus immanens, idemmet entitatiuè, poſſet non reſpicere obiectum, quod ex ſuppoſitione neceſſariò reſpicit; non quia eſt, ſed quia ad illud diuinitus liberè terminatus eſt. Itaque ſi quæ diuini

actus liberi cum noſtra libertate analogia quæritur quoad tendentiam vel terminationem, non eſt petendi ex hoc capite, ſed conſerendo libertatem actus diuini cum ea libertate, quæ in potentia noſtra cernitur per ordinem ad primum noſtrum actum elicitum in quauis ſerie. Conſule quæ in hanc rem protuli in Naturali Theologia diſt. 8. n. 85. & ſequentibus.

Tertia principij liberi deſcriptio, penes motionem ac determinationem ſui ipſius.

98. Affinis proximè expoſitæ deſcriptioni libertatis eſt alia tertia, quâ dicitur libertatem eſſe facultatem determinatiuam, ſiue motiuam ſui ipſius in vtramlibet partem. Huc enim ſpectat illa apud Nazianzenum libertatis definitio Iambico 15. *Quo volo moueri, liberum arbitrium voco.* Et hoc ipſum voluit Ariſtoteles primo Perihermen. c. vlt. cùm principium liberum circumloquitur per ea verba, *eſſe principium actionis ſuæ. Non eſſemus* inquit, *principia actionum futurarum, ſi propoſitiones de eis eſſent determinate vera.* Nimirum qui ab alio mouetur & determinatur, non tam eſt ſui operis principium, quàm is à quo determinatur. Ac proinde eſſe liberum, iuxta Ariſtotelem, idem eſt quòd ſe mouere & determinare. Et eodem modo ſumit voces illas, *eſſe actionis principium* 1. magn. Moral. c. 10. Ideóque concludit, ſolum hominem eſſe principium actionis. Et diſertiſſimè eodem modo id exponitur 2. Moral. Eudem. c. 7. & optimè à Simplicio ſub finem commentarij in c. 1. Enchir. Epicteti.

Quamuis autem in ea motione, qua aliquid tranſit à non eſſe ad eſſe, veriſſimum ſit vulgare effatum; *Omne quod mouetur, ab alio mouetur*, vt tractatum fusè eſt in Naturali Theologia d. 5. q. 1. art. 4. Tamen cauſæ liberæ, quæ iam præſupponuntur actuales, mouent & determinant ſeipſas ad nouum actum, vt rectè affirmat Driedo l. 2. de gratia & lib. arbit. c. 3. ad 3. & Maior 9. Metaph. q. 2. & latiſſimè Baſolis in 2. d. 25. q. 1. art. 2. non tantùm quia efficiunt in ſe actionem, qua mouentur & mutantur: qua ratione pleræque aliæ cauſæ æquiuocæ mouent ſeipſas efficienter, & abſque incommodo reducunt ſe ab actu virtuali ad actum formalem, vt intellectus & vis motrix faciunt cùm operantur. (vt fruſtrà proinde Aureolus in 2. d. 25. q. vnica art 1. & Petrus de Bruxellis 3. animæ. q. 4. art. 3. ad 12. multùm ſe hac in parte torqueant circa voluntatem) ſed etiam pro poteſtate, id eſt, ita vt prius naturâ quàm ſe determinent, poſſint non ſe determinare.

In quo, vt Origenes rectè obſeruat. 3. de Principiis c. 1. differunt à pleriſque agentibus, quæ immanenter operando mouent ac perficiunt ſeipſa; ſiue priuſquam in ſuo eſſe perfectè ſint conſtituta, vt omnes naturæ cùm ſuas proprietates profundunt; ſiue poſtquam ſic conſtituta ſunt, vt viuentia quæcumque quoad actus iuri voluntatis non obnoxios. Omnia enim hæc agentia ita ſe mouent ſic operando, vt non poſſint non ſe mouere: Atque ita non ſe mouent pro poteſtate, ſicut facit cauſa libera, quæ ita alterutrum vſurpat vt poſſet vſurpare oppoſitum; quod eſt mouere ſe pro poteſtate, ſiue ſe determinare.

Aliqui apud Bonetum 4. Theol. c. item 4. appellant hanc vim, *determinationem de poſſibili ad oppoſita contradictoria*, ſcilicet ad poſſe agere, & poſſe non agere, ſecernúntque eam à *determinatione de ineſſe*. In quibus tricis non immoror, contentus monuiſſe, hanc poteſtatem vnicam eſſe & ſimplicem: reſpicere autem actum, & per eum, ſi ita loqui lubeat, omiſſibilem, reſpicere quoque omiſſionem eius.

Quantum determinationis illius momentum, ad libertatem.

99. Et ita planè neceſſe eſt fieri, ſi operatio ſit libera. Nam determinatio cauſæ ad operationem, nequit ab alio præſtari ſalua contingentia operationis, vt rectè argumentatur Scotus in 2. d. 25. q. vnica *litera S.* Siquidem operatio libera & contingens, ſi non oriatur à cauſa ſeipſam determinante, neceſſe erit vt oriatur à cauſa determinata aliunde. Vel ergo determinatur neceſſariò; & ſic actus erit neceſſarius, perítque libertas eius. Vel determinatur contingenter; quo pacto videtur retineri libertas operationis. Sed nihilominus oſtendo ex duplici capite id dici non poſſe. Nam primò, vel hæc operatio à nulla cauſa ſeipſam determinante exoritur, ſed ab aliunde determinatis infinitis, & ſic dabitur progreſſus in infinitum in determinantibus, quem liquet abſurdè inuehendum. Vel ſiſtitur in determinante aliquo neceſſario, vnde operatio erit neceſſaria. Vel in aliquo determinante ſeipſum cùm poſſet ſe non determinare ad hanc partem. Et ſic quo iure iſti agenti conceditur determinatio ſui ipſius, quia liberum eſt, eodem concedenda erit vltimo agenti, quod item ſupponitur liberum. Nec verò tale erit, niſi potiatur eo priuilegio determinandi ſeipſum æquè ac alterum agens, in quo admittitur hæc prærogatiua, vt retineatur libertas actionis ab eo prodeuntis. Deinde, quod eſt alterum caput propoſitum; quamuis ea motio huius agentis quod ſupponitur aliunde determinari, poſſit eſſe libera ac contingens agenti determinanti; reſpectu tamen ipſius recipientis, erit neceſſaria: quia paſſum, qua paſſum non eſt liberum, ſed neceſſitatur excipere quod infertur ab agente. Itaque hoc pacto non eſſet libertas in huiuſmodi cauſa, ſed tantùm in cauſa à qua determinaretur.

Quomodo fiat, varia placita.

100. Quomodo autem hæc cauſæ liberæ à ſeipſa determinatio fiat, varij occurrunt dicendi modi. Nam Argentina in 2. d. 25. q. vnica art. 1. concl. 2. allegans Ægidium Romanum in 2. d. 25. q. 3. art. 2. contendit facultatem liberam mouere ſe determinatiuè, vt ille loquitur, ſiue determinare ſe ad operationem non actiuè, id eſt, agendo aliquid, ſed deſiſtendo ab actu. Cùm enim idem obiectum ſub multiplici ratione proponitur, nempe & quatenus appetibile, quia bonum, & quatenus dignum quod vitetur quia vetitum; facultas libera pro ſua libertate poteſt deſiſtere ab actu, prout mouetur ab vna iſtarum rationum; quo pacto altera in motu ſuo vigoratur. Illuſtrat hoc Argentina, exemplo illius, quem duo æquè fortiter traherent, vnus arrepto dextro brachio, alter ſiniſtro. Quandiu enim neutri reſiſteret, maneret immotus, ob illatam vtrinque æqualem vim: cùm primùm verò iuuaret partes vnius, & reſiſteret vni, tractio alterius fieret vegetior & præualeret; rectéque huiuſmodi homo diceretur mouere ſeipſum per ſuam determinationem quâ vni reſtitit, alterum autem vel iuuit, vel non impediuit cùm poſſet. Itaque iuxta hunc modum philoſophandi, facultas libera determinatur abſque actu per eam elicito, tantùm quia deſtitit ab eo actu, quo voluntas inſufficienter mota eſt ab vno ex obiectis exhibitis, inflexítque ſe in partes obiecti oppoſiti, non contradicendo motioni eius, vel voluntariè eam recipiendo, quod Argentina ait eſſe determinare ſeipſam: notátque non importare actum, ſed modum ſe habendi

circa

circa prædictos actus ab obiecto pendentes, ac proinde non eſſe nihil.

Occurrit præterea ſententia Durandi, qui in 2. d. 24. q. 2. n. 28. affirmat facultatem liberam determinari per actus aliquos anteriores actibus liberis. Putat enim poſſe agere & non agere, quod eſt conſtitutiuum libertatis, competere facultati liberæ per actus intellectus & voluntatis neceſſarios, quibus ſuſpendere potuit actus liberos mox conſecuturos. Idem videtur tradere S. Anſelmus lib. de caſu Diaboli c. 12. docens voluntatem in primo actu ſuo non poſſe peccare, eo quòd actus ille, is ſit, quo voluntas ſe applicat ad volendum aliquid, & ſine quo nihil velle, ac proinde nec peccare poteſt: nam nemo peccat niſi volens. Quia ergo per eum primum actum vult ſe velle, actus ille non eſt liber: eſt tamen determinatio voluntatis ad volendum, vt videtur velle S. Anſelmus, de quo propterea OlKot in 1. q. 5. *litera Ee* per iocum reſpondet, argumentum ex eo Anſelmi loco ductum, ſtare in pondere auctoritatis Anſelmi, & ideo facilè eſſe homini, qui pondere illo grauetur, ſeipſum deonerare abiiciendo Anſelmi authoritatem. Expreſſiùs determinationem voluntatis liberæ, actui anteriori ipſiuſmet voluntatis tribuunt aliqui apud Henricum Krosbein 3. Ethic. tract. 1. q. 1. dub. 1.

Alij verò paſſim docent, determinationem facultatis liberæ fieri ab ipſamet, per ſuum primum actum elicitum: nihil enim anterius videtur aſſignari poſſe, quo facultas ex ſe indifferens determinetur. Ita præter cæteros Scotus in 2. d. 1. q. 2. *litera E.* Henricus Krosbein, loco allegato, & Gilbert. 3. Ethic. q. 1.

Tandem Tartaretus 3. Ethic. q. 2. affirmat facultatem liberam ſe determinare ſeipſa, non autem per actum aliquem; quandoquidem quilibet actus prodit à tali facultate quatenus determinata potius ad hanc partem, quam ad oppoſitam. Vnde prius natura eſt determinatio, quàm quilibet actus eius: quandoquidem actus ex determinatione ortum habuit. Reſtat ergo vt facultatis liberæ determinatio, ſit ipſamet facultas; ſicut determinatio facultatis neceſſariæ non differt ab ipſamet facultate neceſſaria.

Primum, reiicitur.

101. Ex his dicendi modis, primus & ſecundus ſumpti vt ſonant, carent probabilitate. Nam inflexio illa voluntatis in partes alterius obiecti, & reſiſtentia quam Argentina vult fieri contra impreſſionem alterius, videntur omnino importare debere actum aliquem, vt patet in exemplo, quod adductum eſt. Nam qui reſiſtit vni trahenti, reſiſtit interuentu actionis qua firmat ſeſe ſibique fortem impetum imprimit, ne abduci queat & loco dimoueri. Vel certè reſiſtit interuentu actionis qua ſe inflectit verſus alteram partem, & recedit ab ea, in quam is cui reſiſtit pertrahere voluiſſet.

Deinde perperam Argentina addit ex huiuſmodi voluntatis propenſione in alteram partem, vigorari motum obiecti illius in quod voluntas propendet. Sic enim actio inde ſequens deberetur obiecto, non facultati liberæ: præſertim cùm hæc interim ſupponatur feriari, nec ſe habere actiuè, tantúmque admittatur voluntariè recipere motionem ſic vigoratam. Quod ſecluſa actiuitate in huiuſmodi motionem, intelligi non poteſt ſalua libertate; cùm potentia paſſiua vt ſic, nullo modo ſit libera vt ſupra demonſtratum eſt, conſentiente Argentina ibid. n. 2. Quare ea motus vigoratio, (quæ reuera nihil aliud eſt quàm conſenſus liber, conſequens motum illum non liberum, qui eſt obiecti ſimplex prægustatio, neceſſariò exoriens facta propoſitione boni,) non eſt tribuenda obiecto vt efficienti, & facultati liberæ, tantùm vt recipienti; ſed tribuenda eſt ipſi facultati determinanti ſeipſam, & immanenter aliquid producenti in ſeipſa, contrà quàm Argentina affirmabat.

Itémque ſecundum.

Secundus item modus dicendi, prout verba ſonant, eſt omnino reiiciendus. Quamuis enim ad propoſitionem obiecti exurgat in voluntate guſtus quidam ſimplex illius vel diſplicentia neceſſaria, per quos actus voluntas illicitur ad vnum, vel deterretur ab alio; ſitque hoc quoddam veluti pondus & impulſio voluntatis in eam partem, & quaſi ſementis determinationis in poſteriori naturæ, ſecuturæ; (qui vnus ſenſus verus, poteſt Durandi ſententiæ ſubeſſe quoad illud quod ait de actu voluntatis:) Tamen determinatio, de qua hîc agimus, eſt longè alia: Poſita enim omni illa ad conſenſum præuia actione voluntatis, & intellectus notitiâ, liberum adhuc eſt voluntati deſiſtere. Quod conſtat dicendum non eſſe de determinatione quàm hîc quærimus. Nam poſita determinatione ad actum, non poteſt actus non poni. Deinde voluntas ab huiuſmodi actibus neceſſariis, (notitia inquam & ſimplici actu circa obiectum,) non habuit quòd poſſet ſuſpendere actum, ad quem ſe determinauit, & quem reipſa elicuit, vt perperam affirmat Durandus: ſed id habuit à ſeipſa vt idemmet Durandus rectè videtur admiſiſſe in 2. d. 35. q. 2. n. 7. & in 3. d. 33. q. 2. n. 7. & conſtat de actu voluntatis. Nam ab actu intellectus tanquam à neceſſaria conditione præuia, fatendum eſt, voluntatem habuiſſe poteſtatem ſuam actiuè indifferentem quia ſine notitia non eſſet libertas etiam in actu primo.

102. Porro de prædicto neceſſario actu voluntatis, ad omnem conſenſum liberum præuio, intelligendus videtur S. Anſelmus loco in contrarium allegato: Quod enim vt voluntas volens velit, non præexigat S. Anſelmus actum liberum, conſtat ex eodem lib. c. 27. Præexigit ergo duntaxat volitionem neceſſariam. Sed ratiocinatio quâ eam aſtruit, non eſt firma. Nam ſuppoſita ſufficiente notitia in intellectu, voluntas abſque vllo tali actu poſſet ſe applicare ad volendum: Eſt enim ſufficienter inſtructa ad primum actum ſuum, abſque vllo anteriore ſuo actu ſecundo. Et fateor quidem voluntatem velle volentem: ſed ea volitio non eſt alia, quàm actus ipſe primus elicitus, qui ſeipſo eſt voluntarius, quatenus prodit à tali potentia. Actus enim volendi hanc volitionem, quamuis interdum interueniat, & poſſit eſſe primus actus; Tamen neceſſarius non eſt, vt iſte actus, de quo agimus ſit voluntarius.

Quod enim interdum interueniat, negari non poteſt. Vt cùm quis erumpit in actum ex volitione formali eliciendi talem actum. Tunc autem ea volitio volitionis, non eſt reflexa ſuper actum præiacentem, ſed ſuper actum tempore concomitantem, nec priorem niſi in ratione obiecti; cauſaliter autem reuera poſteriorem natura, quatenus ex imperio alterius volitionis reflexæ productus eſt.

Quod autem actus ille non ſit neceſſarius ab habendam liberam determinationem circa primum actum elicitum directum, rectè probatur à Scoto in 3. d. 18. q. vnica *litera L* quia hic actus reflexus ſupponitur eſſe liber, cùm ſit id quo voluntas eſt volens primum actum directum liberum. Vel ergo eſt liber abſque anteriore actu; & ſic idem potero dicere de primo actu directo: vel eſt liber interuentu actus anterioris eliciti; & ſic progrediemur in infinitum, quia rurſus de actu illo anteriore quæram an ſit liber per alium actum, ſempérque progre-

diar donec deueniamus ad actum, qui ſit liber abſque anteriore actu ſecundo: huius autem actus erit par ratio, ac primi directi, ac proinde vterque ſeipſo immediatè à potentia libera manare poterit. Nec plura circa priores duos dicendi modos propoſitos, quibus exponebatur determinatio cauſæ liberæ à ſeipſa.

Tertium placitum valet de determinatione formali.

103. Tertius & quartus dicendi modus, conciliari poſſe videntur, diſtinguendo duplicem determinationem facultatis liberæ. Vnam formalem, quæ eſt determinatio ad vlteriores actus, ſiue elicitos ſiue imperatos. Et de iſta, in tertio dicendi modo rectè affirmatur, quòd conſiſtat in primo actu elicito libero: Aliam anteriorem, quam poſſumus cauſalem vocare, quæ nihil aliud eſt, quam ipſa facultas, quæ iure & priuilegio cauſæ liberæ, poteſt primò in alterutrum actum primum liberum erumpere, poſita ſufficienti cognitione in intellectu. Et de hac rectè affirmatur in quarto modo dicendi, quod facultas libera ſeipſa determinetur ad actum primum elicitum liberum. Vtramque determinationem fusè expoſui & defendi in Naturali Theologia d. 8. à n. 85. vbi pro determinatione cauſali adduxi Valentiam, cui addendus, in quem poſtea incidi, Salazarus lib. de concept. c. 24. n. 59. Et omnino eam admiſiſſe Aureolum in 2. d. 4. q. vnica art. 3. & d. 25. q. vnica art. ;. oſtendam infrà exponens actum imperij.

Quartum de cauſali, quæ aſtruitur.

Dimiſſa autem in præſentia determinatione formali, quæ ex dictis per ſe patet, oſtendendum breuiter ſupereſt, anteriorem, quæ eſt determinatio ad primum actum elicitum liberum, negari non poſſe. Siquidem primus actus liber, habet rationem effectus liberi reſpectu potentiæ à qua liberè prodit. Vel, vt cauillationes præcludamus, habet rationem entitatis à potentia libera manantis, in genere cauſæ efficientis: Eſt enim aliquid per eam potentiam productum; ſiue agamus de termino interno expreſſo, de quo res eſt perſpicua; ſiue de actione, quæ ad terminum illum internum tendit. Nam hæc quoque efficitur à cauſa, quamuis non interuentu alterius fieri, ſed immediatè per ſe ipſam, vt ſiſtatur in primo quo. Quia ergo hæc entitas liberè efficitur, oportet loco eius potuiſſe poni aliam, vel certè ceſſationem eius. Ergo cùm hæc ipſa entitas ponitur, non autem alia vel eius ceſſatio; neceſſe eſt cauſam per quam hæc entitas ponitur, in priori naturæ quo antecedit hanc entitatem à ſe cauſatam, determinari ad eam. Nam ſi cauſa manſiſſet indeterminata, non profudiſſet hanc potiùs entitatem quàm oppoſitam, vel quàm huius ceſſationem.

Determinata igitur fuit prius naturâ quàm entitatem iſtam poneret: & ea determinatio, eſt de complemento cauſæ, quod proinde neceſſe eſt prius naturâ eſſe, quàm entitatem à cauſa manantem. Atqui ea cauſæ determinatio non poteſt eſſe quicquam diſtinctum ab entitate ipſa potentiæ liberæ. Quod probo, quia vel eſſet actio aliqua prodiens ab ipſa potentia, vel aliquis actus primus aut ſecundus aliúdve adueniens. Si primum, recurrent omnia, quæ ſuprà attulimus contra ſecundum modum dicendi. Nam ſi illa actio ſit neceſſaria & tamen ſit determinatio ad actum primum liberè elicitum, iſte actus non erit liber, quia manabit à ſuppoſitione antecedente & neceſſaria: ſi autem illa actio ſit libera, exiget vlteriorem actionem per quam potentia ad ipſam profundendam determinetur, & ita in infinitum progrediemur.

Hoc porro argumentum æquè impugnat ſecundum membrum, nempe quòd ea determinatio ad primum actum elicitum, ſit aliquid deforis adueniens. Ea ſiquidem impreſſio, ſi eſſet neceſſaria, excinderet libertatem actus eliciti, ex ea formaliter determinante profecti. Si autem eſſet libera, deberet talis eſſe interuentu actus alicuius ab ipſa potentia liberè recipiente prodeuntis: alioqui mera receptio non eſſet libera, atque ita recurrit argumentum, per quid potentia determinaretur, ad hunc actum impreſſionis exigitiuum: Et ne in infinitum fiat progreſſus, ſiſtendum erit in aliquo actu elicito, hoc eſt, in primo cuiuſuis ſeriei, qui immediatè prodeat à potentia libera, ad eum determinata per ſeipſam, vt nos affirmamus: ita vt eadem potentiæ liberæ entitas, phyſicè immutata, iure ac priuilegio cauſæ liberæ per ſemetipſam, de non applicata applicetur, ſiue determinetur ad hunc potiùs primum actum elicitum profundendum, quàm ad oppoſitum vel ad huius ceſſationem: quamuis in priori naturæ æquè in vtrumque potens ſit, nec niſi ſuopte nutu in iſtum inclinauerit.

Et quod mirabilius eſt, (ſed tamen verum & genio ac exigentiæ principij liberi conſentaneum ac debitum:) non aliter ſe in ſeipſa habuiſſet, ſi determinaſſet ſe ad profundendum actum oppoſitum, vel huius ceſſationem. Hæc enim ſunt principij liberi iura. Sicut ergo principium neceſſarium in his & illis circunſtantiis ſeipſo determinatur ad vnam partem; nec determinatur ad eam per actionem vel effectum à tali principio cauſante, atque adeò priùs naturâ determinato, manantem: Ita principium liberum è ipſo determinatur ad actum, quem primò elicit, ſed cum poteſtate determinandi ſe, ſi libuiſſet ad alterum actum.

Scrupuli in contrarium.

105. Sciſcitantur porro aliqui, quid ſit huiuſmodi determinatio anterior formali. Nam ſi eſt indiſtincta ab entitate potentiæ liberæ, quomodo poteſt adeſſe & abeſſe, ſuperſtite ea entitate, quam certum eſt æternam eſſe etiamſi determinatio illa, modò adſit, modò abſit? Si autem differt ab entitate potentiæ, quidnam dici poterit eſſe; cùm neque ſit actio, (eam enim præcedit,) neque forma deforis vel ab intrinſeco impreſſa, quæ cum actus libertate non cohæreret? Accedit quod communiter Doctores quærenti cur voluntas voluerit elicere actum, non dicunt idcirco voluiſſe, quia ſe determinauit, ſed ibi ſiſtentes dicunt, quia voluit. Et tamen ſi antecederet determinatio aliqua, recurrendum eſſet ad eam. Quod præſertim incommodum videri debet in actibus liberis ſupernaturalibus: Nam iuxta hanc ſententiam, ratio cur quis ſupernaturaliter conſentiat, erit, quia habuit principium aliquod conſenſus diſtinctum à gratia præueniente, nempe huiuſmodi determinationem cauſalem: quæ cùm ſit naturalis & homini innata, ſi quæratur cur homo ſupernaturaliter conſenſerit, reſpondendum erit, quia habuit huiuſmodi determinationem. Vnde homo conſentiens, ſeipſum diſcerneret ab eo qui non conſentiret, dareturque determinatio naturalis ad actum ſupernaturalem, quæ multò magis videtur repudianda, quam diſpoſitio naturalis ad gratiam & aliquale eius meritum naturale: quæ tamen omnia fides Catholica contra Pelagium eiúſque reliquias, ablegat.

Eximuntur.

Hæc ſunt quæ aliqui circa huiuſmodi determinationem cauſalem interrogant. Quibus tamen ſi præ-

cedentia

cedentia rectè inſpiciantur, non eſt difficilè ſatisfacere. Oſtendimus enim hanc determinationem eſſe indiſtinctam ab entitate potentiæ, nec tamen ſemper fungi munere determinationis, etiamſi ſemper maneat entitatiuè: quia cauſæ liberæ ratio hoc habet; vt manens eadem poſſit in diuerſa. Nam negare non poſſunt, quin cauſa libera eadem manens modò ſit cauſa vnius actus, modò oppoſiti. Quod ergo omnes de ratione cauſatiua principij liberi dicere coguntur, hoc nos de eiuſdem rationis complemento, hoc eſt, de cauſali hac determinatione affirmamus. Quia tamen hæc determinatio eſt indiſtincta ab entitate potentiæ liberæ, & determinatio formalis, ſiue actus primò elicitus, eſt partus determinationis cau alis, cùm ea neceſſariò connexus: (non enim poneretur hic actus ſecundus, niſi hæc determinatio præceſſiſſet, potiùs quàm oppoſita:) propterea paſſim authores, per effectum, circumloquuntur cauſam: & rogati cur voluntas voluerit, reſpondent; *quia voluit*, idipſum ſignificantes, quod ſi reſponderent, *quia ſe ad volendum determinauit.*

Vnde tamen fruſtrà timebatur Pelagiana aliqua labes. Nàm hæc determinatio non intelligitur in facultate libera, niſi poſt communicatá ei auxilia gratiæ, quibus fœta facultas in huiuſmodi determinationem erumpit; id eſt, ſe applicat ad operandum ſupernaturaliter. In quo nihil plus eſt incommodi, quàm ſi admiſſo duntaxat principio actiuè indifferente, dicam huiuſmodi principium ſe applicare ad operandum, ex quo veluti conſperſum eſt rore gratiæ. Inde enim fit vt homo non poſſit dici, ſe abſque gratia diſcernere à non conſentiente, vel ſola naturali efficacitate liberum conſenſum ſupernaturalem principiare.

Quarta principij liberi deſcriptio, penes dominium in actum ſuum.

106. Vlterior, & ordine quartus modus explicandi libertatem, is eſt, quo libertas dicitur eſſe facultas actus ſui domina. Quò refertur quod ait Didymus l. contra Manich. omnium qui rectè philoſophati ſunt ſententiam eſſe, quòd homo vitij & virtutis poteſtatem & electionem habeat. In hac porro poteſtate, atque dominio, ſitam eſſe rationem libertatis. Agnouit Ioan. 22. in Extrau. ad conditorem, monſtrans dominium illud in eo conſiſtere quod voluntas poſſit actum ſuum exercere vel non exercere. Sed & Iuratus humanæ libertatis expeditæ, hoſtis Caluinus hanc dixit eſſe primam nitionem cuiuis obuiam, cum liberi arbitrij nomen audit. Præfatus enim cauendas quidem eſſe logomachias, ſed tamen vbi periculosè erratur, fugiendas eſſe voces quæ poſſint in errorem inducere, addit l. 2. inſtit. c. 2. num. 4. talem eſſe vocem *liberi arbitrij*, quam idcirco cupit exterminatam. *Quotus enim quiſque eſt* inquit, *qui cum aſſignari homini liberum arbitrium audit, non ſtatim concipit illum eſſe & mentis ſuæ & voluntatis dominum, qui flectere ſe in vtramuis partem à ſeipſo poſſit?* Hoc autem eſt, quod Caluinus ibi, & aliis pleriſque capitibus eiuſdem libri, toto niſu, ac impetu quàm poteſt maximo, conatur oſtendere. homini lapſo deeſſe. Ac proinde notio libertatis per dominium in actum, tam certa eſt, quàm certum eſſe debet Caluinum verè appetiiſſe humanam libertatem, quod inter Catholicos ratum eſt ac exploratum. Eandem libertatis per dominium, notionem, D. Bonauentura in 2. d. 25. art. 1. q. 3, n. 20. ait, ex ipſo libertatis nomine perſpicuum eſſe: Et addit, dominium alicuius potentiæ, vel ſpectari poſſe reſpectu obiecti, vel reſpectu actus. Si tamen agatur de potentia libera, dominium in obiectum non aliter ſpectat ad rem præſentem, quàm per dominium, quod eidem potentiæ competit in actum. Appellat enim Sanctus hic Doctor dominium in obiectum, *quo potentia poteſt in illud, & in plus*; ſicut equus qui eſt ſatis validus ad portandos decem frumenti modios, habet dominium in tres, quandoquidem præualet eis, eſtque maioris virtutis ad portandum, quàm ipſi exigant vt portentur.

Vides ergo hoc dominium in facultate libera non eſſe attendendum niſi eo modo quo dixi, nec eſſe facultatis liberæ proprium, ſed competere etiam cuilibet virtuti & potentiæ, cum operatiuæ tum receptiuæ. Quare ſiſtamus in dominio potentiæ reſpectu actus, quod eſt dominium facultatis liberæ proprium. Nullum enim aliud dari poteſt reſpectu cuius voluntas libera dici poſſit dominari. Nam reſpectu quidem ſui ipſius, facultas libera non dicitur domina. Tantùm ergo domina dicitur reſpectu ſui actus, vt benè notauit Scotus quodlib. 18. *litera O.*

Dominij illius illuſtratio, & aſſertio.

Conſiſtit porro huiuſmodi dominium in hoc quod potentia pro libito poteſt actum elicere vel non elicere, aut etiam elicere oppoſitum eius, prout tulerit conditio obiecti, circa quod libertas voluntati competit. Ferunt apertè hoc dominium in actum internum elicitum, (nam de eo nunc agimus,) illa Apoſtoli verba 1. Cor. 7. *Qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſſitatem: poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis.* Vbi *voluntas*, vt frequenter aliàs, ſumitur pro actu voluntatis, vt etiam patet ex verbis prioribus, quibus fixum voluntatis decretum actuale exprimitur. In hunc ergo actum voluntatis, agnoſcit Apoſtolus, poteſtatem eſſe ac dominium, ſecluſa ad eum neceſſitate, quâ quis ſeruiliter ad actum adigeretur. Eo ipſo enim homo eſt actionis illius dominus, vt rectè notant Damaſcenus 2. fid. c. 7. *in ſynopſi rationum contra Genethliacos*, Conradus 1. 2. q. 1. art. 1. Victoria relect. de puero p. 1. n. 6. Ferrar. opuſculo de Euang. libert. c. 1. & Anton. Peres lect. 1. examinis parte 2. c. 2. qui id confirmat, ex eo quòd hominem eſſe dominum ſuarum actionum, non eſt præcisè habere illarum poſſeſſionem, tanquàm ſuarum: ſic enim eſſet quoque dominus actionum vegetatiuarum, quod conſtat abſurdè admittendum: Neque etiam eſt habere ius morale à dominio diſtinctum ad illas exercendas; ſic enim homo non eſſet dominus actionis vitioſæ: Nec denique eſt agere ſponte & ſine coactione, cùm etiam pueri & amentes ita agant abſque dominio in actum ſuum. Igitur eſſe dominum ſui actus, non poteſt aliud eſſe quàm poſſe elicere ſuam actionem, eámve omittere prout libuerit, & voluntas tulerit.

107. Sanè cùm dominium ſit facultas ſeu ius vtendi re, déque ea diſponendi pro libito, non videtur potuiſſe aptiùs exprimi, ius quod homo naturà habet in actum ſuum, quàm voce *dominij* quæ præter vim operandi actum, adiunctam habet prærogatiuam omittendi illum pro libito, ſiue ex eminentia facultatis operatiuæ. Nam ſi eum duntaxat omitteret, quia non poteſt elicere defectu alicuius ad operandum prærequiſiti; clarum eſt defore dominium in actum, ſicut deforet poteſtas vtendi ac non vtendi ſiue diſponendi de actu illo. In hoc ergo præcisè conſiſtit vis illa dominatiua in actum, quod facultas eum eliciens de eo diſponat prout libuerit, nempe dans vel negans ei eſſe, iuxta beneplacitum ſuum, ſiue vt loquitur ſupra Bonauentura, *exiſtens in actu, vel ceſſans ab eo, ſecundùm ſuum imperium & motum proprium.*

Quibus vocibus, non deſignatur actus aliquis ſecundus anterior actu illo elicito in quem facultas libera dominium habet, ſed intelligitur ille met actus, prout prodiens à potentia indifferente actiue; id eſt, quæ ita agit, vt poſſet non agere. Nec ad id neceſſaria vel etiam opportuna eſt vlla reflexio, vt ſignificat ibidem S. Bonauentura, cùm ſubdit; ad hoc vt potentia habeat dominium iſtud in actum, neceſſe eſſe quòd poſſit ſe ſuper ſuum actum & ſuper ſeipſam reflectere; eo quòd ſi id non poſſet, deeſſet illi facultas refrænandi actum. Sed quamuis verum ſit facultatem liberam ob immaterialitatem ſuam eſſe reflexiuam in ſeipſam; tamen formaliter & præciſè conſiderando quæ requiruntur ad vim liberè operatiuam, dominiumque eius in actum ſuum; ea vis reflexiua concomitanter omnino ſe habet, nec aliquid confert ad diſponendum de actu pro arbitrio. Neque enim neceſſarium ad id eſt, vt homo alio nouo actu velit ſuum actum elicere, aut ſuſpendere, vt ſupra dixi contra Durandum: ſed tantùm ſufficit, vt aduertens ſe poſſe agere aut non agere; vel actum ex ea poteſtate exerceat, vel prætermittat.

Hæc eſt germana notio dominij de quo agimus. Imo nullum aliud dominium in voluntate reſpectu ſuorum actuum excogitari poteſt. Inſulsè namque nonnulli recentiores, quos ſuppreſſo nomine refert Curiel 1.2. q.1. art. 1. dub. 1. §. 3. diſtinxerunt in voluntate humana, duplex in actus ſuos dominium. Nempe primò illud quod nunc expoſuimus. Secundò illud quod voluntas habet in actum qui ab ea procedit ex vi aduertentiæ rationis ad exigentiam obiecti. Cenſuerunt enim, voluntatem habere illius actus dominium, quia quamuis eum non eliciat liberè, tamen non concurrit ad eum modo ſeruili, ac velut ſubdita obiecto, & vt præciſè rapta ab eo, ſed applicando & determinando ſe ad operandum ex vi aduertentiæ ac ponderationis bonitatis obiecti. Quem modum operandi, ſtatuerunt hi authores eſſe longe diuerſum à modo operandi brutorum, quæ quamuis moueantur præſuppoſita cognitione obiecti, non tamen ponderant quid obiectum exigat; ſed ab eo propoſito rapiuntur ad modum mancipiorum, abſque propria directione & applicatione: Vnde prorſus deſtituuntur dominio in actum ſuum. Non item voluntas quoad actus pleróſque neceſſarios, ac nominatim quoad amorem beatificum, qui quia elicitur præuia cognitione ponderatiua & appretiatiua bonitatis & exigentiæ obiecti, ſubiacet voluntatis dominio quamuis non ſubſit libertati.

Hoc ſecundum dominium, aio inſulsè falsò induci. Nemo enim dominium aliter exponere poteſt, quàm per facultatem moralem diſponendi de obiecto dominij, pro arbitrio eius cui dominium ineſt. At ea moralis facultas diſponendi de actu, non reperitur extra facultatem liberam, prout liberam. Igitur commentitium planè eſt, tribuere voluntati dominium aliquod in actum quem non poteſt non profundere. Gratis item actus ille dicitur prodire ex ponderatione exigentiæ obiecti. Ea enim ponderatio, ac veluti æſtimatio meritorum obiecti, ſapit deliberationem, quæ ad actum neceſſarium nullo modo præmittitur. Falsò denique voluntas dicitur applicare & determinare ſe ad talem actum, v. g. ad amorem beatificum. Si enim voluntas ſe applicaret ad amandum, & ex eius determinatione prodiret quod actus eliciatur, non autem ex efficacitate obiecti per notitiam non indifferentem propoſiti abripientis voluntatem, poſſet ſibi ipſa frænos iniicere, & nolle in actum erumpere, vt cernimus in actibus ad quos vere ſe applicat & determinat. Itaque commentitium illud dominium à liberæ facultatis verſatili poteſtate diſtinctum, miſſum faciamus, & in communi ac vera dominij eandem facultatem conſtituentis, notione hæreamus.

Quomodo reſpiciat oppoſita.

108. Iam porro ſupra monui cùm dicitur facultatem liberam eſſe dominam ſui actus, & poſſe ſimul eum ponere vel non ponere, ſenſum non eſſe, quod libertas poſſit ſimul iungere actum & priuationem eius; vel vnum actum poſitiuum & eius oppoſitum: Id enim contradictionem implicat. Senſus ergo eſt, poteſtatem ad vnum eorum, concomitari potentiam ad alterum: Potentiam inquam, non modò remotam, ſed etiam proximam, & æquè ad vtrumque expeditam vt notauit Gabriel in 1. d. 25. q. vnica *litera B.* optimèque expoſuit Scotus in 1. d. 39. q. vnica *litera F* & in 3. d. 18. q. vnica *litera H.* aduertens, quod Gabriel videtur diffiteri, libertati noſtræ ad oppoſitos actus, adiungi potentiam, tam ad oppoſita ſucceſſiuè, quàm ad oppoſita pro eodem inſtanti: hoc eſt, vigere in libertate huiuſmodi poteſtatem; ſiue ob permanentiam diuturnam libertatis in eſſe, poſſint actus oppoſiti ſibi in ea ſuccedere ſiue non poſſint, ſed alteruter tantùm reipſa in ea ponatur. Quamuis enim voluntas non eſſet niſi per vnicum inſtans: tamen in eo vnico inſtanti, ita ſe determinaret ad alterutrum, vt, ſi luberet, poſſet ſe determinare ad alterum: quia prius naturâ quàm id ad quod ſe determinauit, prodiret ab ea, potuit ſe determinare ad oppoſitum.

Et ob eam cauſæ indeterminationem in priori naturæ, effectus cauſæ coæuus, non minus prodit à cauſa libera ex poteſtate & dominio, quàm ſi cauſa per vnum diem aut ſeculum anteceſſiſſet, vt benè Scotus poſteriore loco ait. Itaque rectè concludit priore loco allegato, *potentiam cauſæ liberæ ad oppoſitum eius quod ſine ſucceſſione cauſat, eſſe potentiam prioris naturaliter, vt actus primi; ad oppoſita, quæ ſunt poſteriora naturaliter vt actus ſecundi: Actus enim primus conſideratus in illo inſtanti in quo eſt prior naturaliter actu ſecundo, ita ponit illum in eſſe tanquam effectum ſuum contingentem, quod vt prior naturaliter, poſſet æquè ponere aliud oppoſitum in eſſe.*

Obſeruari igitur in cauſa libera poſſunt tres potentiæ, cum eodem Scoto, & cum Thoma Angelico in 1. dist. 39. quæſt. 5. art. 1. Prima ad ſucceſſionem oppoſitorum actuum. Voluntas enim ſi aliquandiu perſtet in eſſe, habebit potentiam ad velle poſt non velle, vel contra. Secunda eſt quæ pro eodem inſtanti temporis reſpicit oppoſita: quatenus potentia prout naturâ prior, æquè potuiſſet ponere in eſſe aliud oppoſitum; & vtráque hæc potentia eſt realis actiua. Tertia has concomitans eſt potentia logica, quæ eſt non repugnantia vt actus, qui non ponitur de facto in eſſe, reipſa ponatur. Nam cùm potentia actiua & receptiua, ſaltem prius naturâ, ſint ad iſtum actum prætermiſſum indifferentes, & ipſe abſolutè ſit poſſibilis, manifeſtum eſt nullam eſſe in eius poſitione repugnantiam. Reſtaret quarta potentia nempe ad oppoſitos actus ſimul habendos v. g. ad ſimul amare & non amare: ſed *hæc*, ait Scotus, *nihil eſt* Id eſt, apertè repugnat, nec poteſt fieri. Quare in deſcriptione libertatis quam expendimus, poteſtas ad oppoſita, ſiue dominium in actum vt ſit aut non ſit, non eſt hoc poſtremo ſenſu accipiendum.

Suffragium Doctorum pro deſcriptione libertatis propoſita.

109. Conſentiunt in libertatis deſcriptionem ſic intellectam, Chriſtiani iuxta ac Ethnici Philoſophi. Ita enim frequenter D. Thomas vt obſeruat Victoria relect. de puero veniente ad vſum rationis n. 6. Et præiuerant antiquiores. Audi Prudentium in Hamartigenia in impugnatione oſorum libertatis.

Neſcis ſtulte, tua vim libertatis, ab ipſo
Formatore datam? neſciſque ab origine, quanta
Sit conceſſa tibi famule ſuper orbe poteſtas?
Et ſuper ingenio proprio, laxóque ſoluto
Iure poteſtatis, liceat cui velle, ſequique
Quod placitum, nulliqu animum ſubiungere vinclo?
An cùm te dominum, cunctis quæcunque crearat
Præficeret, mundúmque tuis ſeruire iuberet
Imperiis; cúmque arua, polum, mare, flumina, ventos,
Dederet, arbitrum de te tibi credere, auarus
Nollet vt indigno, libertatémque negaret?
Quale erat, electus magni Rex orbis vt eſſet,
Non Rex ipſe ſui, curto fundatus honore?
Nam quis honos domini eſt, cuius mens libera non eſt,
Vna ſed impoſita ſeruit ſententia legi?
Quæ laus porro hominis, vel quod meritum, ſine certo
Inter vtramque viam diſcrimine viuere iuſto?
Non ſit ſponte bonus, cui non eſt prompta poteſtas
Velle aliud, flexóſque animi conuertere ſenſus.

Et mox.

Vade, ait ipſe parens, opifexque & conditor Ada,
Vade homo & afflatu noſtri prænobilis oris,
Inſubiecte, potens, rerum arbiter, arbiter idem,
Et iudex mentis propriæ, mihi ſubdere ſoli
Sponte tua, quo ſit ſubiectio, & ipſa ſoluto
Libera iudicio: Non cogo, nec exigo per vim,
Sed moneo iniuſtum fugias, iuſtúmque ſequaris.

Gregorius Nyſſenus orat. 5. de beatitud. *Is qui iuxta ſui imaginem, hominem fecit, omnium bonorum materias atque ſubſidia in natura ſui operis depoſuit, vt nulla res bona atque honeſta, extrinſecùs in nos ſe ingerat atque inſinuet; ſed in poteſtate noſtra ſit vt habeamus quod velimus, tanquam ex cella quadam penuaria ex natura bonum promentes. Per ſingularia enim & particularia de vniuerſalibus docemur, quod non alia ratione potiri quis poſſit eorum quæ cupit, niſi ipſe ſibi bonum largiatur. Quamobrem Dominus alicubi dicit ad auditores.* Regnum Dei, intra vos eſt. *Et* Quicunque petit, accipit; & qui quærit, inuenit, & pulſanti aperietur: *vt & accipiendi quod deſideretur, & inueniendi quod quæratur, & introeundi quo cupiamus, penes nos poteſtas ſit, & à noſtro pendeat arbitrio cùm velimus. Vnde per conſequens ſimul probatur etiam id quod ex contrario intelligitur; quod nimirum etiam inclinatio atque propenſio in malum, nulla neceſſitate extrinſecùs impellente innaſcitur, ſed ſimul atque ſumpſerimus, malum ſubſiſtit; tunc in rerum naturam proueniens, cùm ſumpſerimus. Extra verò deſtinatam animi voluntatem, ipſum per ſe malum, ſecundum propriam ſubſtantiam, nuſquam ſitum reperitur. Ex his autem, libera, plena, ſummáque poteſtas, quam in natura Dominus naturæ fabricatus eſt, apertè demonſtratur, propterea quod omnia, ſiue bona, ſiue mala ſint ex noſtra libera voluntate dependent*

110. Luculenter omnino S. Ambroſ. l. 2. de Iacob. cap. 3. *Qui voluntatis ſuæ arbiter eſt, iudex conſilij, interpres arbitrij, habens ſuorum actuum poteſtatem, is profectò liber eſt.* Idem ferunt illa D. Auguſtini l. 1. de l. arbit. cap. 12. *Quid tam in voluntate, quàm ipſa voluntas ſita eſt?* Et lib. 3. cap. 3. *Voluntas noſtra, nec voluntas eſſet, niſi eſſet in noſtra poteſtate* Quæ dicta ſua approbat 1. retract. c. 9. Nec abludunt quæ ſubtiliter diſputat l. de ſpiritu & lit. cap. 31. inquirens quid ſit poteſtas illa, penes quam aliquis actus in noſtra poteſtate eſſe dicitur; & quomodo ea poteſtas ad voluntatem ſe habeat ac denique concludens, tum demum eſſe in nobis poteſtatem ad actum, *cùm voluntati adiacet facultas faciendi. Vnde hoc quiſque in poteſtate habere dicitur, quod, ſi vult, facit, ſi non vult, non facit.* Denique l. 1. retract. cap. 22. *Cùm hoc,* inquit, *ſit in poteſtate, quod cùm volumus, facimus, nihil tam in poteſtate, quàm ipſa voluntas eſt.* Et mox, *in poteſtate noſtra non eſt, niſi quod noſtram ſequitur voluntatem.*

Inſigniter Tertullianus 2. contra Marcionem c. 6. verbis illis. *Oportebat imaginem Dei, liberi arbitrij & ſuæ poteſtatis inſtitui; in qua hoc ipſum imago & ſimilitudo Dei deputaretur, arbitrij ſcilicet libertas & poteſtas. In quam rem ea ſubſtantia homini accommodata eſt, quæ huius ſtatus eſſet; afflatus Dei, vtique liberi & ſuæ poteſtatis Sed & alias quale erat, vt totius mundi poſſidens homo, non in primis animi ſui poſſeſſione regnaret, alterum Dominus, ſui famulus?* En locum ad quem haud dubiè Prudentius ſuprà alluſit. Sed pergit Septimius. *Habes igitur & bonitatem Dei agnoſcere ex dignatione, & rationem ex diſpoſitione. Sola nunc bonitas depinetur, quæ tantum homini largita ſit, id eſt, arbitrij libertatem. Aliud ſibi ratio defendat in huiuſmodi inſtitutionem. Nam bonus naturâ, Deus ſolus. Qui enim quod eſt ſine initio habet, non inſtitutione habet illud, ſed natura. Homo autem qui totus ex inſtitutione eſt, habens initium, cum initio ſortitus eſt formam, qua eſſet: atque ita non naturâ in bonum diſpoſitus eſt, ſed inſtitutione, non ſuum habens bonus eſſe, quia non naturâ in bonum diſpoſitus eſt, ſed inſtitutione, ſecundùm inſtitutorem bonum, ſcilicet bonorum conditorem. Vt ergo bonum iam ſuum haberet homo emancipatum ſibi à Deo, & fieret proprietas iam boni in homine, & quodammodò natura de inſtitutione, adſcripta eſt illi, quaſi libripens emancipati à Deo boni, libertas & poteſtas arbitrij: quæ efficeret bonum vt proprium iam ſponte præſtari ab homine: quoniam & hoc ratio bonitatis exigeret voluntariè exercenda, ex libertate ſcilicet arbitrij non fauente, inſtitutionis non ſeruiente: vt ita demum bonus conſiſteret homo ſi ſecundum inſtitutionem quidem, ſed ex libertate iam bonus inueniretur, quaſi de proprietate naturæ Proinde vt & contra malum, (nam & illud vtique Deus prouidebat,) fortior homo prætenderet, liber ſcilicet & ſuæ poteſtatis, quia ſi careret hoc iure, vt bonum quoque non voluntate obiret, ſed neceſſitate, vſurpabilis etiam malo futurus eſſet ex infirmitate ſeruitij, proinde & malo ſicut bono famulus. Tota ergo libertas arbitrij in vtramque partem conceſſa eſt illi, vt ſui dominus conſtanter occurreret, & bono ſponte ſeruando, & malo ſponte vitando; quoniam & alias poſitum hominem ſub iudicio Dei, oportebat iuſtum illud efficere de arbitrii ſui meritis, liberi ſcilicet.* Pulchrè omnino emancipatum à Deo hominem, & res ſibi ſuas habere permiſſum, ſuique iuris factum cum plena in ſuos actus poteſtate aſſerit. Saluo tamen ſemper ſupremo Dei in nos & noſtra omnia iure, omnino inabdicabili. Id enim rectè cohæret cum poteſtate noſtra, quæ permittimur de facto nobis ipſis, & in manu noſtri conſilij ac regiminis ponimur.

Locus eximius Baſilij Seleuciæ ex orat. 3. *initio*, dignus eſt quem hîc adſcribam. Nam præter manifeſtiſſimam libertatis per dominium propoſitum expreſſionem, radicem quoque illius dominij & libertatis ex ea radice originem egregiè aperit. Sic habet.

Alias

Alias animantium gentes, & genera fabricans conditor, immobilibus naturæ legibus conſtrinxit, neque ipſis electio eſt quæ facultatem in vtrumque partiatur, neque ratiocinationis diſcretio, quæ velut in æquilibrio perpendat agendorum delectorum: ſed ſimul imperat natura, ad agendum impelluntur non excuſſo curſo ſe præcepto. Contra homo ratione inſignitus, electionis poteſtate ornatus, & arbitrij libertate refulgens, conſilij vim habet, quæ nulla tentatur voluntatis ſeruitute; intentionémque habet ſui dominam, & inuiolabili gloriatur agendorum electione. Hinc euenit, vt hoc diligat, illud quod ita viſum fuerit, repudiet: hoc auerſetur, ad illud animum adijciat, & liberrima enim poteſtate voluntatis regnans, abundat optionibus ſententiarum. Quare lege poſita, Deus agendi neceſſitatem non imponit, ſed quæ ſibi videntur, imperat, & voluntatis poteſtati permittit actionem: & ſi iuſſum mandatum prætereat, non ideò naturam dimutat, neque neceſſitatis legibus vincit inobſequentem, neque gratiam per vim aufert, neque intrà neceſſitatem donacontrahit, neque naturam peruertat; mentem adulterat: ſed ratione in dominatu ſuo relicta, pœnis delinquentem ad ſapientiam reuocat. Denique Ioannes 22. in extrau. *ad conditorem* appoſuit hanc libertatis notionem per dominium in eo ſitum, quod voluntas poſſit actum ſuum exercere, aut non exercere.

Conſenſus Philoſophorum.

111. Suffragantur præterea propoſitæ libertatis deſcriptioni, Philoſophi; ac inprimis Plato, quem his verbis refert Clem. Alex. 5. Strom. c. 7. *liberum arbitrium Plato per hæc oſtendit Virtus non paret alterius dominatui:* ἀδέσποτον. Ariſtoteles quoque, libertatis rationem ſtatuit in dominio ſupra actum, vt videre eſt l. 1. moral. Eudem. cap. 7. Eodémque ſpectat illud ex 3. Ethic. c. 5. in fine. *Actionum à principio vſque ad finem domini ſumus enim ſingula quæque cognoſcamus.* Et mox: *Quoniam in noſtra erat poteſtate, vel ita vel non ita vti, operationibus etiam habitus ipſi ſpectandi ſunt.* Et luculenter initio eiuſdem capitis, vt oſtendat noſtro dominio ineſſe, effici bonos vel malos, ipſámque etiam virtutem & vitium, id confirmat ex operationibus, quas in nobis eſſe ait, locutione ambigua, vt notat Alexander 2. natural. quæſtionum c. 4. ſed eo ſenſu hic vſurpata vt ſignificetur operationes eſſe in nobis, non ſubiectiuè ſed elicitiuè. Non enim operationes liberæ, ideò dicuntur eſſe in nobis, quia ſubiectantur in nobis. Nam operationes tranſeuntes, poſſunt libertate pollere. Elicitæ autem, non idcirco dicuntur eſſe in nobis, quòd in nobis ſubiectentur; ſed quod poſſimus eas profundere, vel omittere prout libuerit. Nam etiam prius naturâ quàm profundantur, in nobis eſſe dicuntur, imò tunc maximè.

Et illam eſſe Philoſophi mentem, docent hæc quæ ſtatim ſubiungit: *Efficitur, vt virtus in nobis, & ſimiliter vitium ſit. In quibus enim in noſtra poteſtate ſitum eſt agere, ſitum eſt etiam non agere, & in quibus non agere, ſimili modo etiam agere. Quapropter ſi agere cùm honeſtum ſit, in noſtra eſt poteſtate, non agere quoque cùm turpe ſit, in nobis erit collocatum. Si item non agere cùm honeſtum ſit, in nobis eſt, agere quoque, cùm turpe ſit, erit noſtræ facultatis. Quod ſi honeſta agere & turpia, & ſimili modo non agere in noſtra eſt poteſtate, id autem erat, vt boni & mali ſimus: in noſtra poteſtate quoque erit, vt & frugi ſimus & nequam.*

Hæc ibi, quæ ita in rem præſentem perſpicua ſunt, vt explicationis lucem exigant nullam. Ideóque iuratus humanæ libertatis oſor Caluinus 2. Inſtit. c. 2. §. 3. nominatim hunc Ariſtotelis locum impetit. Nec enim, ſeto huic ſingulari ſatis fuit, depaſci Theologiam, & quod ibidem mox audaciſſimè præſtat, omnibus Patribus (vno dempto Auguſtino, quem mendaciter iuxta ac nequiter ſuo errori patronum effingit) inſultare ob aſſertionem huius noſtri in nos ipſos, & actus noſtros dominij, niſi etiam eadem ex cauſa in Philoſophos baccharetur: vt omnibus Ethnicis iuxta ac Chriſtianis libertatem admittentibus, inſaniæ damnatis, ipſe ſolus ſapientiæ primatum teneat: Homo quod de iſtius in ſuperſtitione proauis ſcripſit S. Irenæus l. 2. c. 53. *cui vniuerſa terra helleborum non ſufficiat ad expurgandum, vt tantam ſuam ſtultitiam euomat.*

112. Denique libertatē in dominio actuum noſtrorum ſitam eſſe, traditur luculenter apud Plotinum Enneade 6. l. 8. c. 1. verbis illis. [Quærendum quid hoc ipſum eſſe dicēdum ſit, quod fertur eſſe in nobis aliquid, ideſt, in noſtro libero arbitrio conſtitutum. *Reſponſionem mox ſubiicit in hæc verba.* Contrariis; vt arbitror, agitati fortunis, & aduerſis compulſi neceſſitatibus, perturbationúmque vehementibus incurſibus raptati, animum obſidentibus. Nimirum hæc omnia imperiū in nos iam habere putanimus, eiſque ſeruientes, & quocumque trahunt, præcipitati, meritò ſi in controuerſiam hanc incidimus, verentes ne fortè nihil penes nos ipſi ſimus, nihilque in noſtra autoritate conſiſtat: quaſi hoc in noſtro arbitrio ſit futurum, quod aliquando neque fortunis, neque neceſſitatibus, neque perturbationibus vehementibus ſeruientes, & agamus voluntate, & nihil voluntati interim aduerſetur. Si autem hoc ita ſe habet, ratio eius quod in noſtro conſiſtit arbitrio erit eiuſmodi, quod videlicet voluntati ſeruit, ac eatenus vel fit, vel non fit, quatenus ipſi velimus. Iam verò voluntarium quidem eſt, quod & abſque violentia, & cum cognitione peragitur: in nobis autem, id eſt, in noſtro arbitrio eſt, ad quod agendum domini ipſi ſumus. Atqui ambo hæc inter ſe ſæpè concurrunt, quamuis ſit eorum ratio differens.]

Idem tradiderunt communiter Græci Philoſophi, teſte S. Cyrillo 5. in Iulian. ad tex. 2. vbi ait eos excluſiſſe à virtutis exercitio neceſſitatem: *eo quòd virtus, ſit res non ſeruilis & ſub domino*, hoc eſt, libera. Quod aliis verbis expreſſit idem Cyril. l. 8. eiuſdem operis ad tex. 3 cùm dixit *arripuiſſe hominem ſua voluntati habenas, & ſuorum iuſſuum momento in vtraque ferri.* Priore porrò loco, apertè alludit ad Platonis locum, paulo ante ex Clemente Alexandrino allegatum.

113. Verùm nihil luculentiùs aut expreſſiùs in hanc rem proferri poteſt, quàm quòd veteres Græci liberum arbitrium non aliter appellare ſolent quàm αὐτεξούσιον, ſiue in ſcipſum poteſtatem ac dominium, vt præclarè tradit Nemeſius l. de homine c. 39. & 40. & 41. & optime his verbis Nicetas 3. Theſauri c. 27. *Αὐτεξούσιον ſeu liberum arbitrium, eſt τὸ αὐτοδέσποτον, hoc eſt, quod in cuiuſque poteſtate ſitum eſt: quod enim domino ſubiectum eſt. liberi arbitrij non eſt. Αὐτεξούσιον ergo ſeu arbitrij libertas, propriè, eſt libera, nec vllius dominationi ſubdita ad rem concupitam dominatio.* Hæc ibi, quæ peruertit Scholiaſtes hæreticus, cùm gloſſat hæc verba tantùm ferre defectum coactionis & violentiæ; ita vt homo volens quidem agat & contingenter, ſed tamen neceſſariò. Quæ perinde cohærent, ac ſi dixiſſet, hominem libere agere, ſed tamen non liberè.

Synceriùs, tametſi arrogantiùs, Caluinus loco allegato, §. 4. Græcos vniuerſos damnans arrogantiæ, quòd voce illa αὐτεξουσίου non coactionis modò carentiam, ſed etiam ius ac dominium in actum ſuum homini conceſſiſſent. *Apud Latinos*, inquit, *liberi arbitrij nomen, ſemper extitit: Græci verò multò arrogantiùs, vſurparunt vocabulum αὐτεξούσιον, quod ſignificat ſui ipſius poteſtatem, ac ſi illa eſſet penes hominem.*

hominem. Quo vno impetu, & calcis impactione, petulcus iſte, non Ethnicos modò, ſed ipſos etiam Græcos Patres vniuerſos, quibus ea vox probata, & frequentiſſima eſt, (vt videre licet apud Pamelium in Tertulliani librum de anima num. 279. & in lib. 2. contra Marcion. n. 32.) procul abactos, iure ſuffragij depellit, de quo rectè Ruardus art. 7. expoſtulauit.

Idem liberi principij dominium, colligitur ex voce liberi arbitrij.

114. Tandem idem liberæ voluntatis dominium in actum ſuum ſatis importatur vulgata appellatione liberi arbitrij, à qua proinde abhorret Caluinus loco allegato §.7. hiſce verbis. *Cenſeo cauendas has voces, quæ abſurdum aliquid ſonant, præſertim vbi perniciosè erratur. Quotus enim quæſo quiſque eſt, qui dum aſſignari homini liberum arbitrium audit, non ſtatim concipit, illum eſſe & mentis ſuæ & voluntatis dominum, qui flectere ſe in vtramuis partem à ſeipſo poſſit, & ehebitur in exitialem confidentiam?* Extrema peſſimè & mendaciſſimè, intermedia veriſſimè. Nam *liberi arbitrij* vocem, abſurdi aliquid ſonare, & eius ſignificationi, perniciosum ſubeſſe errorem, qui hominem euchat in exitialem confidentiam, falſiſſimum eſt, & impietatis pleniſſimum. Quod autem vox *liberi arbitrij*, audita, ingeneret notionem dominij in actum ſuum, rectè omnino dictum eſt, & appoſitiſſimè ad ſenſum communem, quem proinde conuellit, qui vocem apud ſapientes omni retro ætate probatam, expungere, non temerè tantùm ſed impudentiſſimè & inſolentiſſimè nititur.

Confirmat communem illam vocis huius notionem, notatio tradita ab authore Hypognoſtici lib. 3. non multùm ab initio. *Arbitrium*, inquit, *ab arbitrando, rationali conſideratione, vel diſcernendo quod eligat, quidve recuſet puto quod nomen accepit. Vel ideo liberum arbitrium dictum, quod in ſua poſitum ſit poteſtate, habens agendi quod velit poſſibilitatem.* Iuxta priorem notationem, vox *arbitrij* circumloquitur actum voluntatis indifferentem per iudicium indifferens, cuius connaturaliter partus eſt ſecluſis extrinſecis obicibus. Quò reſpexit Gennadius lib. de Eccleſ. dogmat. c. 21. cùm *arbitrij libertatem* interpretatur rationalem voluntatem. At iuxta poſteriorem, quæ eſt ſine dubio melior, *arbitrium* idem eſt quod beneplacitum. Et in hoc ſenſu vſurpant paſſim eam vocem Patres ac Doctores, cùm voci *arbitrium* ſubiungunt *voluntatem*; dicendo, *liberum voluntatis arbitrium*, ſatis innuentes, arbitrium ſpectare ad voluntatem, & eſſe actum eius; vt tradit etiam S. Thomas 1. p. q. 83. art. 3. ad 2. & diſertiſſimè S. Auguſtinus lib. de grat. & lib. arbit. c. 3. arbitrium liberæ voluntatis, ait eſſe, velle & nolle. S. item Ambroſius lib. 1. de Iacob cap. 1. ait nos nulla conſtringi neceſſitate, ſed voluntate arbitrâ, inclinare ad alteram partem. Atque ita ea vox aptiſſimè exprimit quod hîc affirmamus.

Vt mirum non ſit eandem Nouatoribus tantoperè inuiſam eſſe, vt etiam, homo vita quàm nomine tetrior, & in conuiuio eorum pariter potantium, ſecundùm Lutherum facilè princeps, Melancton, inquam; vocem *liberi arbitrij*, per profanam & animalem rationis noſtræ ſapientiam, quamuis à diuinis literis, à ſenſu & iudicio ſpiritus alieniſſimam, ab Ethniciſmo hauſtam queſtus aliquando ſit. Nec aliud frequentiùs quandoque fuit noui Euangelij buccinatoribus quàm quod hac in parte; vt in nomine liberi arbitrij, ſic in dogmate ſentiamus cum Ethnicis, & Euangelij hoſtibus, à quibus nouelli iſti Chriſtiani, magis ſe recedere gloriantur. Quibus facile eſt illud Auguſtini reponere in ſimili, cum Manichæis eandem fatuam gloriationem gloriantibus, reſpondet l. 20. contra Fauſtum c. 10. *Si propterea vos putatis tenere veritatem, quia & errori Paganorum longè diſſimiles eſtis: nos autem propterea eſſe in errore, quia longius à vobis, quam à Paganis forte diſtamus: dicatur & mortuus ideo ſanus, quia iam nec ægrotus eſt, & ideo reprehendatur qui ſanus eſt, quia vicinior eſt ægroto quam mortuus. Aut ſi plerique Pagani, non velut ægri, ſed velut mortui deputandi ſunt, laudetur in ſepulchro cinis informis, quia iam nec formam cadaueris tenet: & membra viua culpentur, quia cadaueri ſunt ſimiliora, quàm cineri. Sic & nos ideo iſti culpandos putant, quia nos ſimiliores eſſe dicunt funeri Paganorum, quàm fauillæ Manichæorum.* Subſtituo *Caluinianorum*: Cætera enim bellè, & quàm appoſitè in rem noſtram. Porrò vſurpaui in his omnibus, appellationē *liberi arbitrij*, eo modo quo paſſim vſurpari ſolet; ſiue prout idem ſonat quod voluntas libera: quamuis non me latet, apud aliquos *liberi arbitrij* nomen, arctari ad libertatem potentialem. Audi enim Gerſonem 3. p. in centilogio de conceptibus partit. 7. cum agit de conceptionibus affectiuis. *Procedunt*, inquit, *à libertate voluntatis, non qualiſcunque, ſed arbitrij libertate, quæ poteſt agere & non agere, aut in ſuſpenſo ſe tenere poſt præſentationem obiecti: quamuis hæc conditio non ſit de libertate voluntatis ſimpliciter, ſed ex imperfectione conſurgit in actibus ſuis, qui poſſunt eſſe & non eſſe. Propterea libertas arbitrij non ponitur in Deo ad intra, ſed benè ad extra.* Hanc liberi arbitrij arctationem non omnibus fuiſſe probatam, monſtrant quæ ſæpè in ſuperioribus protulimus, & vſus ipſe contrarium ferre videtur. Neque enim reformidant autores, tribuere Deo liberum voluntatis arbitrium. Quod ſi inde argumentum ducas contra dominium in actum, quod dicimus ſignificari voce liberi arbitrij, contendáſque Deum libero arbitrio pollere, neque tamen actui ſuo, qui Deus ipſe eſt, dominari. Facilè reſpondebitur, agnoſci hic quoque poſſe dominium Dei in ſuum actum diuinum internum; non quoad eius poſitionem vel ſubactionem entitatiuam, ſed quoad terminationem ad obiectum, & dimanationem actus ab interno.

Expreſſum etiam quandoque, nomine tribunalis interni

115. Verùm priuſquàm hinc abeo, non poſſum circa duplicem arbitrij notationem paulò ante propoſitam, prætermittere nonnulla, quæ huc optime omnino cadunt. Illúdque in primis, quod arbitrium pro iudicio ſumitur, poſſe ad ſententiam iudiciariam pertinere, quæ in animæ quaſi tribunali interno fertur adiudicata alterutri diſſidentium partium lite. Id enim illam quoque poteſtatem iuris dicendi ac decreta ferendi, quam libertati vendicamus, non parum illuſtrat. Reſpexerúntque huc varij Patres, qui præiudicari à nobis in cauſa noſtra, & anticipatum à nobis de nobis ipſis ferri iudicium, liberè vnum alteri præeligendo, ſæpè monent.

Adſcribo breuiter Baſilij locum ex homil. 12. quæ eſt in principium Prouerbiorum. *Apud nos ipſos*, inquit, *iudicium quoddam naturale habemus per quod ab iniquis bona facile diſcernimus. Neceſſarium nobis in agendorum optione, recta facere rerum diſcrimina, & quaſi Iudicem quemcunque, qui iuſta ſit alioqui mente, res cogniturum contrarias, fauere vni oportebit, damnare autem vitium. V. g. inceſtus & pudicitia, apud te iudicantur, & alta mens tua, pro tribunali ſedet. Ex vna parte, voluptas inceſtui ſuffragatur; Dei timor pudicitiæ aſ-*

ſiſtit. Si igitur peccatum condemnans, virtutem ſuperare volueris, rectum rei iudicium conſtitues. Si verò ad voluptatem propenſus, hanc duxeris potiorem, obliquum miniméque rectum facies iudicium; reus ſanè factus vocis illius. Væh dicentibus amarum dulce, & dulce amarum: qui dicunt lucem tenebras, & tenebras lucem. *Quoniam igitur ex ipſius Salomonis ſcientia,* cogitationes iuſtorum, iudicia ſunt; *viro ſapienti, omnino ſatagendum erit, intra cordis arcana tribunal conſtituere, rectáque facere iudicia: Mentem quoque velut in trutina ſuſpendere, ad ea quæ conueniunt, & ad quodlibet agendum æqua lance librare. Quando ſingula Dei mandata, contra aduerſantem ſibi malitiam, coram te iudicium experiuntur, da legi diuinæ contra vitium victoriam. Iniquum & æquum apud te iudicantur? Reſponde contra concupiſcentiam alienorum bonorum Dei vt vincat virtus. Contumelia & patientia inuicem pugnant. Vitupera contumeliam, lauda patientiam. Odium item & charitas? Alterum procul reijce, alteram verò, videlicet charitatem, propriam, familiarémque tibi redde. Simulatio & ſimplicitas: fortitudo & timiditas, prudentia & imprudentia, iuſtitia & iniuſtitia; temperantia, & intemperantia iudicantur? Tunc denique in tuæ mentis receſſu iudiciorum rectitudinem oſtende; & veluti in tribunali, tibi ipſi aſſidere mandatum Dei faciens monſtra te vitium abhorrere, ac omninò ab eo eſſe auerſum, virtuti verò fauentem ſtudentémque.*

Altas nomine libra, ſiue ſtatera.

116. In collectaneis Simonis Magiſtri ex Baſilio, orat.7. huic quem adduximus Baſilij loco, aliqua præmittuntur in rem noſtram omnino inſignia, quæ ex alio Baſili loco, conflata in vnum ſunt à Simone Quia verò arbitrium, pro beneplacito & depreſſione voluntatis in hanc potiùs partem, quàm in oppoſitum, accipi poſſe dicebam; idque eo loco quem Simon truncauit, expoſuit egregiè D. Baſilius, ſtateræ, ſiue libræ, liberum arbitrium comparans, non faſtidiam hunc quoque locum ex commentario in Pſalmum 61. ſuperiori attexere. Miratur eo loco S. Baſilius quorſum Pſaltes, filios hominum vanos mendacéſque in ſtateris dixerit, cum non omnes ſint mercatores; & pleriſque timendum non ſit à ſtateræ abuſu, qui nullum ſtateræ vſum habeant. Hanc admirationem ita includit, & diſpellit S. P. [Quid igitur eſt quod dicit? Quoniam cuilibet noſtrum intus ſtatera quædam eſt, à conditore omnium apparata, per quam rerum naturam poſſis probè diſcernere. *Poſui*, inquit, *ante faciem tuam, vitam & mortem; bonum & malum*; duas inter ſe contrarias naturas. Has tu apud tuum tribunal & iudicium examina, ac diligenter expende, quid vtilius tibi ſit. An momentaneam parúmque duraturam eligere voluptatem, per quam mortem apprehendas æternam; an in virtutis exercitatione, afflictionem malle, qua perpetuas conſequaris delicias. Mendaces ergo homines, corrupta habentes animæ iudicia. Quos & Propheta miſeros prædicat, dicens *væh dicentibus tenebras lucem, & lucem tenebras amarum dulce, & dulce amarum.* Mihi, inquis, præſentia videntur: Quis nouit futura? Male libram expendis, mala pro bonis eligens; Vana, veris anteponens, momentanea, perpetuis potiora ducens; tranſitoriam denique voluptatem, pro lætitia nunquam deſitura ac perpeti, præeligens. Mendaces ergo homines in ſtateris iniquitatis. Iniuria afficiunt præcipuè quidem ſeipſos, deinde verò proximos. Nam cùm in propriis factis, malè ſibi conſulant, malo ſunt etiam proximis exemplo. Nec enim die illo iudicij ſibi licuerit dicere, quia neſciui quid eſſet bonum. Tibi nanque propria datur libra, quæ ſufficiens diſcrimen boni ac mali demonſtrat. Corporea namque pondera, in libræ lancibus probamus; quæ verò ad inſtituendam vitam eligenda veniunt, per liberum arbitrium diſcernimus, quod & ſtateram nominauit, quòd momentum æquale ad vtramlibet poſſit capere.]

Recolendus Tertulliani locus ex 2. contra Marcionem cap.6, ſupra adductus num. 110. Eo tamen loco quod ad hanc rem non parum facit, obſeruari velim non rectè cenſuiſſe Panelium, idem eſſe ſtateram, apud Tertullianum, & libripendem. Eſt enim libripens non libra aut ſtatera ſedis è cuius manu libra pendet ad appendenda rerum pondera. Qui olim apud Romanos cum venditiones celebrabantur, atque etiam cum teſtamenta per imaginariam venditionem fiebant, vt latè deponit Briſſonius l.7.formul. *ſub init.* aderat vt ex officio libram tereret, eoque præſente, qui empturus acceſſerat miſſo in alteram lancem ære exiguo qui ſtateram ab æquilibrio dimoueret rem vendicabat in ſuam poteſtatem. Idque ſimiliter in emancipationibus quia teſtamento reſpondent, quoad iuris tranſlationem, & imaginariam venditionem ex iuris diſpoſitione continebant, ſeruatum fuit. Quemadmodum ergo in venditione & emancipatione, res venalis vel emancipationi ſubiecta tranſibat in alterius poteſtatem: Ita bonum quod ſolius numinis proprium videri potuiſſet, interuentu libertatis tanquam libripendis quæ voluntatem ad inſtar libræ hac illhacve flexilem regit, efficitur hominis proprium. *Hoc* illa Tertulliani verba ferunt in citato loco. *Vt bonum iam ſuum haberet homo emancipatum ſibi à Deo, & fieret proprietas iam boni in homine & quodammodo natura. Dei inſtitutione adſcripta eſt illi quaſi libripens emancipati à Deo boni, libertas & poteſtas arbitrij, quæ efficeret bonum vt proprium iam ſponte præſtari ab homine.* Et hinc dominium liberæ voluntatis in actum ſuum, tanquam in rem propriam, elegantiſſimè exprimitur.

Quinta liberi principij deſcriptio, minus commoda, vtcunque tamen apta.

117. Poſtrema liberæ facultatis deſcriptio proferebatur, qua dicitur eſſe, facultas voluntatis & rationis, ad vtrumlibet, vel etiam ad oppoſita. Quæ tamen non tam eſt definitio formalis, quàm cauſalis ſimul & formalis. Ratio enim hîc non admiſcetur tanquam aliquid formaliter pertinens ad libertatem, ſed tanquam radix & fons libertatis, quæ voluntati ſoli formaliter inſidet vt poſtea dicam. Itaque poterat aut etiam debebat in præciſa libertatis definitione, omitti ratio, Rectéque Franciſcus Romanus tract. de libertate operum, verita. S. definitionem hanc excutiens, fatetur eam onerari non neceſſaria mentione rationis. Si autem velimus reſecando non neceſſaria, exactè libertatem definire, dicendum eſſe, liberum arbitrium non aliud eſſe eſſentialiter, quàm voluntatem expeditam ad eligendum, & conſequenter ad operandum. Hoc eſt Romæi iudicium de prædicta definitione: quæ certè vel hoc nomine minus probanda eſt, quod periculum ſit ne minus periti inducantur in errorem, cenſeantq; libertatē directè integrari ex ratione & voluntate: cùm eodē tenore & voluntatis & rationis mentio in ea fiat. Quamuis iuxta verum ſenſum prædictæ definitionis, particula illa *voluntatis*, ita ſit ſumenda, vt ſignificet id quod libertas eſt in recto. Vt cùm dicimus *perſona Regis*, id eſt, *perſona, quæ eſt Rex*: Particula autem illa *rationis*, ſumenda ſit in obliquo ſicut accipitur in definitione electionis particula *præconſiliati*, cùm electio dicitur eſſe *appetitio præconſiliati*. Hoc enim exemplo D. Thomas q. 24. de verit. art.4. *in corpore*, declarat quomodo ratio & voluntas ſe habeant ad libertatem.

Poteſt

Poteſt etiam aliud vitium in ea definitione notari: In ea quippe non exprimitur poteſtas & dominium in actum, quod eſt libertati maximè intimum, ſed tantùm obſcurè deſignatur per nomen *facultatis* vt docet D. Bonauent. in 2. d. 25.q.3. num. 20. *in fine.* aduertit enim nomine *facultatis*, hîc intelligendum eſſe principium potens exire in actum, & quidem cum dominio: Ita ſcilicet, vt per huiuſmodi principium ſtet, quòd exeat vel non exeat. Cùm ergo paſſim facultas aliter vſurpetur, ſumatúrque etiam pro principio non domino actus ſui (cuiuſmodi ſunt multa principia, quæ poſſunt multos, etiam oppoſitos effectus producere pro varietate diſpoſitionum materiæ,) Propterea ea libertatis definitio, quæ ſine inſinuata illa vocum vſurpatione non quadrat in ſolam facultatem liberam, minùs commoda cenſeri debet. Tantùm abeſt vt quod Aluarez contendebat, ſit omnibus anteponenda.

Si tamen in ſenſu quem protuli accipiatur, recidit planè in priores, & nominatim in primam rectè expoſitam. Idem enim eſt facultas ſiue dominium ad agendum & non agendum, ac facultas, quæ poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis poteſt agere & non agere. Illud enim dominium non interueniret, ſi non adeſſet potentia operatiua: hæc autem non poteſt dari niſi ſit inſtructa omnibus prærequiſitis. Atque ita duæ illæ definitiones, vt rectè notat Gabriel in 2. d. 25. q. vnica *litera B.* eundem ſenſum faciunt, quicquid idem Aluares ſecus aſſerat, niſi quòd prima illa, expreſſior eſt, & minus ambiguitatibus obnoxia, eóque nomine magis probanda.

ARTICVLVS III.

Principij liberi dignitas, multiplicitas, & comparatio cum principio voluntario, ex dictis eruitur.

118. EX ratione libertatis hactenus expoſita non eſt difficile colligere, quid, & quotuplex formaliter ſit principium liberum, ac quomodo ad voluntarium ſuperiori quæſtione expoſitum ſe habeat, quæ omnia conſectaria, breuiter excutere non erit inutile.

Conſectarium primum, libertatis nobilitas.

Infertur ergo primò, ſumma omnino libertatis dignitas ac nobilitas, qua natura noſtra, ingenua redditur & ſeruitute eripitur; vt pulcherrimè contra Chryſippum & alios libertatis inficiatores dixit Oenomaus Cynicus apud Theodoretum initio ſexti contra Græcos. Atenim neminem latet, quòd libertas illa, quæ in exemptione à ſeruitute conſiſtit non bene pro toto venditur auro. Eam ſanè tanti fecere plerique, vt vitæ prætulerint. Imo de ſubiectione ciuili, quæ ingenuitatem non eripit, is fuit multarum Prouinciarum ſenſus, vt mallent aduerſa omnia perpeti, quàm colla alieno iugo ſubdere. Quò ſpectant multa, quæ habet Philo lib. quod omnis probus liber, & Dio orat. 14. & 80. Optimè Epictetus l. 4. apud Arrianum c. 1. *Propter illam (quæ vulgo exiſtimatur) libertatem conſeruandam, quidam conſueuerunt ad extremum decertandum, dum voluntario ſuſpendio ſibi ipſis vim afferunt, aut ſemetipſos præcipites de ſaxo deiiciunt. Sæpenumero vniuerſa ciuitates vt libertatem ne amitterent perierunt.* Et tamen huiuſmodi bonum cùm poſſit eripi & iniuriæ pateat: itémque cùm plerique in malum ſuum eo abutantur (pleriſque enim, quod Ariſtoteles etiam notauit 1. Polit. c. 3. expedit ſeruire;) non poteſt tanti eſſe.

Sola quæ per naturalem libertatem confertur ingenuitas, perdi non poteſt. Sola tyrannorum violentiæ ſubducitur, nec vllis ſine tormentis, ſiue exquiſitæ crudelitatis machinamentis, ſubigi poteſt inuicta. Quod infinities exaggerat Epictetus, cæterique, maximè eiuſdem ſcholæ Philoſophi. *Errat*, inquit Seneca 3. de benef. cap. 20. *Si quis exiſtimat, ſeruitutem in totum hominem deſcendere. Pars melior eius, excepta eſt. Corpora obnoxia ſunt, & adſcripta dominis: mens quidem, ſui iuris; quæ adeò libera & vaga eſt, vt ne ab hoc quidem carcere cui incluſa eſt, teneri queat, quominus impetu ſuo vtatur, & ingentia agat, & in infinitum comes cæleſtibus exeat. Corpus itaque eſt, quod domino fortuna tradidit. Hoc emitur, hoc venditur. Interior illa pars mancipio dari non poteſt. Ab hac quicquid venit, liberum eſt. Non enim aut nos omnia iubere poſſumus, aut in omnia ſerui parere coguntur.* Itaque hunc præcipuum hominis honorem appellat Euſebius 6. præparat. cap. 5. quòd dominus ſibi ipſi ſit manus, & liber, ac ſui motus iudex.

Homo, per libertatem, imago Numinis.

119. Sed ex eo præſertim elucet libertatis nobilitas, quòd per eam maximè ad Deum creatorem accedimus, æmulati quantùm fas eſt, nobilitatem eius, qui nulli ſubeſſe poteſt, eſtque pleniſſimè iuris ſui. Id enim, (quod eſt ſanè eminentiſſimum,) ita Deo ſuapte natura competit independenter à quouis alio, vt creaturæ liberæ ſuapte quoque natura conueniat, tametſi dependenter à Deo, naturam illam de potentialitatis caligine, in lucem actualitatis educente. Vt non immeritò Patrum plerique Dei imaginem in creatura intellectuali ex hoc capite petant, quòd huiuſmodi creatura ſit libera, ideóque diuini dominij luculentam expreſſionem contineat. Quæ eſt Anaſtaſij renunciatio q. 21. in ſcript. poſt Theodoretum, quem adducit. Conſentit Iſidorus Peluſ. l. 3. epiſt. 95. huc aptans quod eſt apud Apoſtolum de viro Dei gloria & imagine, ob dominium, quo Dei maieſtatem exhibet; muliere autem gloria viri, quia ad virum conuerſio eius, & ipſe dominatur illius, iuxta diuinum oraculum. Et quanquam aliò id refert. Hilarius Diacon. q. 21. ex veteri Teſtamento apud Auguſtinum tom. 4, nempe ad hoc quod vnus vnum fecit, & ſicut ab vno Deo ſunt omnia, ita & ab vno homine vnum genus humanum; tamen ex ipſa in homine imagine diuina, poteſtatem viri in mulierem mox infert idem autor; quæ tamen poteſtas niſi ad eum modum fundetur quo eſt ab Iſidoro proximè fundata, nutabit aut etiam concidet. Eſt ergo homo ad imaginem Dei, ratione dominij plantati libertati. Imò ea ex cauſa ſanctus Damaſcenus orat. de duabus Chriſti volunt. *ſub medium*, contendit hominem eſſe magis ad imaginem Dei, quàm Angelum: Quia homo habet ſeruum naturalem, nempe corpus; quo Angelus deſtituitur.

Nec eſt quòd quis opponat, hoc dominium, quo in alia principamur, & ſimiles Deo efficimur, non eſſe dominium in actus noſtros, ſed in res externas iuxta illud quod prædicti Patres expendunt. *Faciamus hominem ad imaginem noſtram & præſit*, &c. Hoc ſiquidem dominium in res externas, eſt effectus libertatis vt rectè aduertit Victoria relect. 1. de Indiis n. 20. & ex eo præter cætera confirmat, quòd quæ non habent dominium effectuum ſuorum ſiue actuum, multò minus potiri debeant iuri dominij in res externas. Enim

verò quod Prudentius in Hamartigenia rectè aduertit vt ſupra retuli, quale eſſet vt Deus, quem aliis præficeret dominum, ſeruitute æterna deuinctum vellet? Itaque in huiuſmodi effectu reciproco, rectè cauſa eius ſubintelligitur; hoc eſt, dominium illud in actus ſuos, quo conſtituitur libertas.

120 Atque ita grauiſſimi Patres, diſertiſſimè aſſerunt, hominem ex hoc capite eſſe perfectiſſimam Dei imaginem. Paucos profero. Tertullianus 2. contra Marcion. cap. 5. *Liberum, & ſui arbitrij, & ſuæ poteſtatis inuenio hominem à Deo inſtitutum, nullam magis imaginem & ſimilitudinem Dei in illo animaduertens, quam eiuſmodi ſtatus formam. Neque enim facie & corporalibus lineis, tam variis in genere humano, ad uniformem Deum expreſſus eſt: ſed in ea ſubſtantia, quam ab ipſo Deo traxit, id eſt, animæ; ad formam Dei reſpondentis, & arbitrij ſui libertate, & poteſtate ſignatus eſt.*

Macarius hom. 15. hominem alloquens. *Creatura viſibilis natura quadam immutabili prædita ſunt. Cælum enim ſemel ornatum eſt, SOL, LVNA & TERRA, Nec tamen complacent in iis Domino, neque aliter ac creata ſunt, conuerti poſſunt, neque habent voluntatem. Tu vero propterea es ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus, quia quemadmodum Deus ſui iuris eſt, & quod vult facit, quando ei ita viſum eſt, pro poteſtate & iure ſuo mittit iuſtos in gehennam, ac peccatores in regnum: (quamuis hoc minimè velit, nec placeat ei; iuſtus enim eſt Dominus:) ſic quoque tu tui iuris es, & ſi velis perire, mutabilis natura. Si libeat blaſphemia afficere, venena conficere, aut interficere aliquem nemo tibi reluctatur aut prohibet te. Si velit quis, morem gerit Deo, & ingreditur viam iuſtitiæ, ac vincit concupiſcentias.*

Pulcherrimè, nec vno loco, idem docet Nyſſenus. vt l. de hom. opif. cap. 4. *Præſtantiſſimus ille rerum artifex, naturam noſtram condidit, velut inſtrumentum quoddam regno adminiſtrando idoneum. Vt eſſet ad hoc homo quàm aptiſſimus, cum præſtantiſſimus animi dotibus, tum eâ quam cernimus, corporis eum formâ exornauit. Et animus quidem, regiam excelſámque dignitatem ſuam, longè ab humilitate priuata ſeiunctam, in eo declarat, quod dominum neminem agnoſcit, & ſuo ex arbitrio agit omnia, meróque & ſummo imperio, vt ipſi libitum eſt, ſe ipſe gubernat. Nam cui tandem hoc conuenit, ſi non Regi? Præterea hominem naturæ diuinæ, cuius omnia parent imperio imaginem eſſe, nihil eſſe putandum eſt aliud, quam regiam et decus, ipſi in creatione, tributum eſſe. Quemadmodum enim iure humano qui Principum imagines faciunt, natiua formæ indicia effingunt, atque etiam purpura amictu regiam dignitatem exprimunt eáque deinde ſua imago numeris abſoluta, ex conſuetudine Rex appellatur: Ita & hominis natura ſic condita, vt reliquorum creatorum domina eſſet, propter eam qua Regem vniuerſitatis huius refert ſimilitudinem, imago quaſi viua erecta eſt: cum qua & dignitas & nomen exemplaris Principis communicaretur.*

Et in oratione magna Catechetica cap. 5. *Qui ad hoc vt ſuorum bonorum particeps fieret, adminiculum & acceſſionem eius naturæ indidit, vt per vnumquodque ad ſimile ferretur appetitio, non priuauerit hominem eo quod eſt bonorum pulcherrimum & præſtantiſſimum? illâ*, inquam, *gratiâ, quæ in eo conſiſtit, quòd non ſit aliquid, quod dominatum in eum obtineat, & quod ſit ſui iuris & liberi arbitrij. Si enim vita humana præeſſet neceſſitas, ex ea parte falſa fuiſſet imago, vt quæ per diſſimilitudinem aliena eſſet ab exemplari. Regnantis enim non regnans, quemadmodum nominaretur imago? Quod ergò per omnia Deo erat aſſimilatum, oportebat omnino habere in natura, quòd ſibi imperaret, & domino minimè eſſet ſubiunctum, vt virtutis eſſet præmium bonorum participatio.*

Et optimè oratione de mortuis. { Inconſideratiùs fortaſſe rem expendentibus, videretur vtile, vt à malo diſcederemus inuiti, coactíque ad bonum reuerteremur. At humanæ naturæ effectori inutile viſum eſt atque iniquum, vt ob eam diſpoſitionem, natura maximi boni iacturam faceret. Nam cùm Deo ſimilis, beatúſque ea re eſſet homo, quòd libera præditus erat voluntate: (iuris enim eſſe ſui, & nullius ſubiectum imperio, diuinæ eſt beatitudinis proprium;) ſi neceſſitate illum, & vi, ad aliquid impuliſſet, ea ſpoliaſſet iſum dignitate. Qui enim ſponte motúque voluntario, naturam ſuam, ad aliquid eorum quæ non conueniunt conuerterunt, per vim ab iis quæ ſibi delegerunt, deſiſtere cogantur, bonum illis adimitur, quod habebant priùs, eaque res eſt priuatio diuini honoris. Liberum enim voluntatis arbitrium eſt honor diuino æqualis.]

121. Æmulatus eſt (de more) Nyſſenus Baſilium, cuius eadem eſt ſententia de diuina in nobis imagine homil. 10 hexaem. Vtrumque autem expreſſit Damaſcenus lib. 2. de fide orthod. cap. 12. oſtendens, hominem eatenus ad imaginem Dei effectum eſſe, quatenus eſt liberæ poteſtatis, & in vtramque partem flexilis pro arbitrio, vnde factum eſt, vt rebus inferioribus præfici ac dominari poſſet. Idem habet, & quidem luculenter S. Bernardus, variis locis quorum nonnulla mox dabo. Plenè quoque in hanc rem diſputat Æneas Gazæus in Theophraſto. Decerpo plagulam, *Anima qua ratione ſit prædita, pulcherrima eſt hæc dignitas, quod ſui iuris ſit & planè libera. Atque hoc ipſum eſt eorum quæ ſunt in nos collata, præcipuum ac maximum conditoris munus, quod ego omnium maximè exoſculor, & de quo maximas dattori Deo gratias ago. Quid enim libertate eſt auguſtius? Hæc quem hominem accepit, ex homine Deum fecit.* Móxque errorem illum de feliciore hominis ſorte, ſi inuitus ad bonum fuiſſet pertractus, conuellit potentiſſimè. Sciſſimè de more Fauſtus l. 2. de grat. & lib. arbit. reiectis iis qui Dei in homine imaginem ſimilitudine cum Chriſto quandoque exituro definiebant, veram Dei in nobis expreſſionem, cùm aliis intellectualis vitæ dotibus, tum nominatim, & vltimò libertate contineri demonſtrat. Præclarè etiam Sanctus Hieronymus epiſt. 146. tractans illud, { Diuiſit illis ſubſtantiam. Significantiùs, *inquit*, in Græco legitur, καὶ διεῖλεν τὸν βίον, id eſt, dedit eis liberum arbitrium, dedit mentis propriæ libertatem; & vt vineret vnuſquiſque, non ex imperio Dei, ſed obſequio ſuo; id eſt, non ex neceſſitate, ſed ex voluntate; vt virtus haberet locum, vt à cæteris animantibus diſtaremus, dum AD EXEMPLVM DEI, permiſſum eſt nobis facere quod velimus: vnde & in peccatores equum iudicium, & in Sanctos & iuſtos, iuſtum præmium retribueretur. Alios præterea proferunt, qui de diuina in nobis imagine philoſophantur.

Hæc porrò non diſputo, quaſi aliis de ea imagine ſententiis præiudicium inferens; ſed id duntaxat accipiens, quoſt hi Patres de libertatis creatæ eminentia, & ad Deum per eam acceſſu tradunt. Præterquàm quod, quamcunque demum probabilem eiuſdem imaginis exponendæ rationem ineamus, quandoquidem libertas eſt facultas voluntatis & rationis, ſemper in libertatem recidemus.

Maximus hominis ad DEVM acceſſus, & à brutis receſſus per libertatem.

Verùm quia S. Bernardus ſerm. 81. in Cant. ex hac cum Deo ſimilitudine, & ex eo quod ſit totius meriti

ac

ac laudis fundamentum, libertatem creatam egregiè commendat, placuit eum ſeorſim adducere. Ita habet, poſt varias hominis cum Deo ſimilitudines fuse expoſitas. [Sed enim adhuc vnum occurrit quod minimè prætereibo nec enim minus inſignem ſimilémve minus verbo animam facit, & forte etiam plus. Arbitrij libertas hæc eſt, ſanè diuinum quiddam præfulgens in anima, tanquam gemma in auro. Ex hac nempe ineſt illi inter bonum & malum, nec non inter vitam & mortem, ſed & nihilominus inter lucem & tenebras; & cognitio iudici, & optio eligẽdi, & ſi qua ſunt alia, quæ ſimiliter circa animi habitũ, ſeſe è regione reſpicere videantur Nihilominus inter ipſa eminentius quidã arbiter, is animæ oculus diiudicat & diſcernit: ſicut arbiter in diſcernendo, ita in eligendo liber. Vnde & liberum nominatur arbitrium, quod liceat verſari in his pro arbitrio voluntatis. Inde homo ad promerendum potis. Omne enim quod fecerit bonũ malúmve, quod quidem non facere liberum ſit, meritò ad meritum reputatur. Et vt meritò laudatur, non is tantùm qui potuit facere mala, & non fecit, ſed & qui potuit non facere bona, & fecit Ita malo non caret merito, tã is qui potuit non facere mala & fecit, quàm qui potuit & facere bona, & non fecit. Vbi autem non eſt libertas, nec meritum. Propterea quæ ſunt carentia ratione animalia, nihil merentur, quia ſicut deliberatione, ita & libertate carent. Senſu aguntur, feruntur impetu, rapiuntur appetitu. Neq; enim iudicium habent, quo ſe diiudicent, ſiue regant: ſed ne inſtrumentum quidem iudicij, ideſt, rationem. Inde eſt quòd non iudicantur, quia non iudicant. Quanã quippe ratione ab his exigatur ratio, quam non acceperunt? Hanc vim à naturâ ſolus homo nõ patitur, & ideo ſolus inter animãtia liber]

122. Vides inſignia & homini præcipua libertatis decora. Nam alias quidem dotes aliquatenus, ſaltem per analogiam quandam, cum brutis communes habemus, etiam prudentiam & ſolertiam: ſolius libertatis, ne analogicè quidem compotes ſunt brutæ animantes, ob rationem infra exponendam, quam S. Bernardus breuiter paulò ante, ſed acutè attigit. Nonnulla ex iis, quæ à S. Bernardo hic tacta ſunt, propoſuit, aliáque inſuper addidit Sebundius, in ſcalis creaturarum tit. 62. & 81. & 92. concludens tit. 103. ex eo manifeſtè petere libertatis dignitatem, quòd cum eſſe, viuere, ac ſentire gradatim communicata ſint rebus inferioribus; nempe eſſe, omnibus, viuere, quia nobilius erat, plantis, ſentire, quia etiam altius erat, animalibus: libertas tamen, inter hæc inferiora, ſoli homini conceſſa eſt: Euidenti ſanè argumento, quòd nobilior ſit, quàm cætera enumerata quæ quamuis ſint valde pretioſa, ſunt tamen extra hominem plurimis inferioribus communicata, quæ erat poſtrema libertatis prærogatiua, ex S. Bernardo propoſita.

Quod autem in eiuſdem ſermonis calce, D. Bernardus, memoret ſe de hac Dei imagine in libero arbitrio ita diſſeruiſſe lib. de grat. & lib. arbitrio, vt aliqua his quæ nunc ex eo adducta ſunt, non aduerſa, ſed diuerſa protulerit, iuuat ea deflorare, quòd ad libertatis dignitatem illuſtrandum permagni referant. Triplicem libertatem eo libello latè exponit; nempe à neceſſitate, à peccato, à miſeria, quas ipſe aliis etiam nominibus inſignit, nempe arbitrij, conſilij, & complaciti. Poſt multa ergo de eis præmiſſa, ita ſubdit. *Puto autem in his tribus libertatibus, ipſam ad quam conditi ſumus conditoris imaginem atque ſimilitudinem contineri. Et imaginem quidem in libertate arbitrij; in reliquis autem duabus, bipartitam quandam conſignari ſimilitudinem Hinc eſt fortaſſis quod ſolum liberum arbitrium, ſui omnino defectum, ſeu diminutionem non patitur, quod in ipſo, æterna & incommutabilis diuinitatis ſubſtantiua quadam imago impreſſa eſſe videatur. Nam etſi habuerit initium, neſcit tamen occaſum, nec de iuſtitia vel gloria capit augmentum, nec de peccato ſiue miſeria detrimentum. Qui æternitati ſimilius, quod non ſit æternitas?* Nec ita multò poſt, diuinam hanc imaginem cum forma ſua & archetypo confert in eo, quòd ſicut Deus mundum vniuerſum regit, attingens à fine vſque ad finem fortiter, & diſponens omnia ſuauiter: ita & liberum arbitrium omnibus hominis facultatibus ac corpori præeſt, potenter operans & ſuauiter regens: idque nulla neceſſitate adigente, ſed ſolius voluntatis ſuæ nutu, quo maximè diuinam libertatem in orbe regendo æmulatur.

Tandem verò ita concludit. *Hac ſanè (vt dictum eſt) dignitatis prærogatiuâ rationalem ſingulariter creaturam conditor inſigniuit, quod quemadmodum ipſe ſui iuris erat, ſuaque ipſius voluntatis, non neceſſitatis erat, quod bonus erat: ita & illa quoque ſui quodammodo iuris in hac parte exiſteret: quatenus non niſi ſua voluntate, aut mala fieret, & iuſtè damnaretur; aut bona maneret, & meritè ſaluaretur. Non quod ei propria poſſet ſufficere ad ſalutem voluntas, ſed quod eam nullatenus ſine ſua voluntate conſequeretur. Nemo quippe ſaluatur inuitus* Quod Deum non neceſſitate, ſed voluntate bonum eſſe ait, de bonitate Dei erga nos, & res creatas ab ipſo conditas, accipiendum eſt: non autem de bonitate Deo interna, quam liquet eſſentialem eſſe Deo, & non liberam. Et ſanè ſola actuum bonitas eſt quâ ſaluamur; ac proinde quâ Dei bonitatem in operibus bonis ad extra liberè effuſam exprimimus.

Præcellentia libertatis, ex dominio in alias facultates.

123. Libertatis præcellentiam ſuper omnes hominis facultates, ex dominio in eas, à Diuo Bernardo paulò ante tactam, ita amplificat Epictetus apud Arrianum l. 3. cap. 23. verbis illis. *Vtrum ſatius ſit loqui an tacere; & vtrum hoc an alio modo, & vtrum deceat, an verè ſit indecorum; vſum præterea & occaſionem cuiuſque rei, quænam alia nobis facultas oſtendit, quàm ea, penes quam eſt delectus rerum? Vis ergo præſenti ei abrogare imperium; Quod ſi ita res ſit comparata, quid ait? Num poteſt quod inſeruit eo cui inſeruit præſtantius eſſe? equus equite? venatore canis? inſtrumentum citharœdo: aut ſeruus Rege? Quid eſt quod vtitur rebus? Arbitrium. Quid procurationem omnium rerum habet? Arbitrium. Quid totum hominem perimit, aliquando fame, interdum laqueo, ſæpenumero præcipitio? Certè voluntas & arbitrium. Quicquámne efficacius eſt in homine? At qui fieri poteſt, vt quod nequit prohiberi, ſit infirmius his quæ prohiberi poſſunt? Quid cernendi ſenſum impedire poteſt? Nonne ipſum arbitrium? Et vniuerſa hæc cadunt ſub arbitrium. Similiter audiendi & item eloquendi. At verò ipſum arbitrium quónam poteſt impediri? Non equidem eo quod ſub ipſius poteſtatem non cadat, aut ipſum non attingat dum non vult, ſed ipſa ſeipſam conuertit quocunque libuerit voluntas. Quare in ſola hac, omne vitium eſt, & malitia: at ipſa, ſe ſolâ, omnis virtutis efficitur compos.*

Et ex eius inſuperabilitate per vim creatam.

Hæc eſt in rebus creatis ſoli Deo inſuperabilis potentia, vnde libertatem extollit magnificentiſſimè Richardus de S. Victore lib. de ſtatu inter. hom. parte 1. cap. 3. vbi præfatus, inter dona creationis nihil in homine eſſe ſublimius, nihil dignius libero arbitrio, id probat in hunc modum, *Quid quaſe in homine ſu-*

bilius, quis dignius inueniri poteſt, quam illud in quo ad imaginem Dei creatus eſt? Habet ſanè libertas arbitrij imaginem non ſolùm æternitatis ſed etiam diuinæ maieſtatis. Quantum putamus in hoc incommutabili æternitati præ cæteris omnibus liberum arbitrium viciniùs accedit, eiúſque in ſe imaginem expreſſiùs gerit, quod nulla vnquam culpa, nulla demum miſeria non dicam deſtrui, ſed nec minui poterit? Vultis & maieſtatis ſimilitudinem in ipſo perſpicere, & quomodo eius imagine impreſſum ſit, euidenter agnoſceret? DEVS ſuperiorem non habet, nec habere poteſt, & liberum arbitrium, dominium non patitur, nec pati poteſt: quia violentiam inferre ei, nec creatorem decet, nec creatura poteſt. Totus infernus, totus mundus, totus denique militia cæleſtis exercitus, in vnum concurrat, in hoc vnum conueniat: vnus ex libero arbitrio conſenſus in qualecunque re, inuite extorqueri non valet. Egregiè quoque Hilarius Arelatenſis hom. de Machabæis. *Benè ergo à Domino & conditore noſtro circa ſtatum & conditionem hominis ordinatum eſt, vt cum caro, id eſt exterior noſter, etiam ſi nollet, periculis eſſet expoſitus; interior idest ſpiritus, periclitari non poſſit inuitus, vt cum corpus ingruentibus hinc inde caſibus lædi poſſit, animus noſter ſi traditas ſibi leges non deſeruerit, impenetrabilis permaneret: vt etiam ſi aliquoties viſibilis hic homo carnis noſtræ humiliationis incurrerit ſeruitutem, nemo tamen mentis poſſit attingere libertatem. Hinc intelligamus quanta ſit animi dignitas, in quo ſi proditionem non operetur voluntas, locum inuenire nequeat impietas.* Ad eandem mentem Clemens Alexandrinus 4. Strom. c. 7. *virtutem non in aliquibus aliis, ſed vel in nobis maximè ſitam eſſe dicimus. Itaque alia quidem poteſt quis arcere bellum gerens. Quod autem in noſtra ſitum eſt poteſtate, nequaquam; ne ſi maximè quidem inſtiteris. Eſt enim donum datum diuinitùs, & quod non alicui alij ſubijcitur.* En quàm ſuapte natura potens & munitum ſit liberum arbitrium. Arcem idcirco vocat Antoninus lib. 8. n. 41. *Memento,* inquit, *partem tui principem ſuperari non poſſe, cùm in ſe collecta, ſibi ipſa contenta eſt, neque quicquam præter voluntatem agit, etiamſi non inſtructa ratione pugnam conſectat. Quid ergo fiet, ſi etiam à ratione parata, circumſpectè de rebus iudicet? Itaque mens ab affectibus libera, arx eſt: nihil enim munitius homo habet, quò refugiens, ſuperari non poteſt. Id qui non vidit, indoctus eſt. Qui vidit, neque eò refugit, infortunatus.*

Arcem munitiſſimam iure dixit, quæ nulla creata vi, eſt expugnabilis: & niſi ipſa dedat ſeſe, hoſtémque vltro admittat, fruſtra extrinſecus appetitur. Dæmon certè, vt maximè velit, latrare, & ſuadere poteſt, cogere tamen arbitrium noſtrum non poteſt. *Nemo enim* vt idem Antoninus ex Epicteto ait l. 11. n. 40 *latro eſt voluntatis liberæ.* Alia de hac humanæ libertatis inſuperabilitate per vim quamcunque creatam, habentur apud Themiſtium orat. ad Valentem, *non multum ab initio*, & apud Simplicium in cap. 13. Enchirid. vbi hanc vim ingenuam & nulla vi creata domabilem, *præclaram & magnificam ac principalem* eſſe pronunciat, vultque ex ea Deum illius autorem, bonum & potentem agnoſci, qui viuum hoc potentiæ ſuæ ſimulachrum liberaliter contulerit.

Hoc debere eſſe in pleriſque ad virtutem obicibus ſummum & vnicum ſolatium grauiter monet idem Antoninus lib. 10. n. 34. *Cylindro quidem,* inquit, *non datur, vt quouis loco feratur, ſue proprio motu: vt neque aquæ, neque igni, neque aliis, quæ à natura aut anima rationis experte reguntur. Multa enim ſunt, quæ obſtent eis, & intercipiant. Mens autem ſiue ratio, per omnia quæ reſiſtunt, pergere poteſt ſecundùm ſuam naturam & voluntatem: Hanc facultatem ante oculos tuos ponens, quòd mens per omnia poſſit ferri, ſicut ignis ſurſum, lapis deorſum, cylindrus per decliue, nihil prætereà require. Reliqua impedimenta aut corporei ſunt cadaueris, aut præter opinionem, ipſiúſque mentis remiſſionem non lædunt, neque vllum afferunt malum: alioquin is qui impediretur, malus confeſtim fieret. Nam reliquæ res omnes ita ſunt comparatæ, vt ſi quid eis mali accidat, ſtatim deteriores fiant. At hic, ſi omnino dicendum eſt, melior etiam fit homo, maiorique dignus laude, ſi rectè vtatur iis quæ occurrunt.* Vt ſanè poteſt, exercendo rectè, & vt par eſt, in eis libertatem, nec ſequendo ductum mali affectus, & naturæ deprauatæ.

Ac ex hominis per eam manumiſſione, & aliquali independentia.

124. Vna ſupereſt expenſione digna libertatis præcellentia, quam apud Nyſſenum ſubolfacio in oratione magna catechet. c. 3. verbis illis: *Qui in vniuerſitatem, liberam habeat poteſtatem, propter ſummum in homines honorem, dimiſit etiam aliquid in noſtra poteſtate, cuius ſolus eſt dominus. Hoc autem eſt, liberi arbitrij libera electio, res quædam minimè redacta in ſeruitutem, & quæ eſt ſui iuris, ſita in libertate mentis & cogitationis.* Quibus verbis vnum nobis honorificentiſſimum indicari videtur; nempe quod cum omnes infinitis titulis alieni iuris ſimus, hoc eſt, diuini: (nemo enim quantumuis aliis emineat inficiari poteſt ſe obnoxium diuino dominio, tanta eſt eius amplitudo:) Tamen libertatis non impeditæ beneficio, hoc aſſequimur, vt quadantenus manumittamur, & iuris noſtri fiamus. Non quòd Deus, dominio quòd in nos & creata omnia obtinet, ſpolietur; (quod fieri nequit: cum Dei dominium, ab ipſa Dei natura & conditione noſtra ortum habeat, ſitque inabdicabile) ſed quòd Deus collata libertate perinde ſe gerat erga nos, ac ſi ipſe non eſſet dominus libertatis noſtræ, permittens eam ſibi ipſi, quod ſpectat ad determinationem, & cum magna reuerentia diſponens eam: Verba ſunt Sapientis; ſi tamen verba, & non potius mel aut ſeſamum.

Audiant qui dominantur in Cleris, & ſubditis, ſuper quorum, capita impoſiti ſunt, cum auſteritate & potentia imperant vt Deus ipſe apud Prophetam expoſtulat. Non ita ſupremus voluntatis arbiter, qui nos, quandiu hic viuimus, quantùm ad determinationem voluntatis attinet, ſua iuriſdictione quaſi exemptos voluit; & nonnullam quaſi independentiam, (quantum fas fuit, & creata conditio ferebat,) benignè contulit, vt ſalus noſtra, & beatio, non eſſet merum Dei beneficium, abſque vlla noſtra in eius adeptionem cooperatione. Quod vt ad Dei liberalitatem extollendam aptius; ita nobis minùs honorificum, & minùs opportunum commendandæ diuinæ artis ac ſapientiæ in nobilitate operis, tam inſignis, quod diuinitus præuentum aliquid quoque de ſuo ad ſuam fœlicitatem conferre poſſet, vt luculenter ratiocinatur Nazianzenus orat. 1. affirmans id eſſe ſummæ ac ſingularis diuinæ in nos bonitatis argumentum.

Cauenda pro tanto munere, ingratitudo.

124. Timendam verò ac cauendam hoc loco ingratitudinem libertis à Deo manumiſſis hoc eſt, nobis omnibus, optimè monet Philo lib. *quòd Deus immutabilis* cùm agit de mente, hoc eſt de animæ portione ſuperiori, in qua intellectus & voluntas, atque adeo libertas: *Videamus*, inquit, *quanam re homo antecellat cætera. Hic eximium munus ſortitus eſt, mentem, quæ cunctas naturas corporum & rerum ſolet comprehendere.* Mentem appellat, ſuperiorem animæ partem,

in

in qua intellectus & voluntas, atque adeo etiam libertas. Sic acceptam mentem, animæ oculum, imperatricem ac moderatricem totius hominis indigetat, & in eius laudes nonnihil exſpatiatus, ſubdit. *Solam hanc, pater iuſſit eſſe liberam, exemptam & dimiſſam è neceſſitatis vinculis, donatámque munere decentiſſimo voluntatis ſpontaneæ, quatenus eius capax erat. Nam bruta animantes, quarum animabus non ineſt mens donata libertatis priuilegio, ſubiugatæ frænatæque, traduntur ad miniſterium hominum, tanquam heris mancipia. Homo autem liberam facultatem, & ſui iuris ſententiam ſortitus, ex deſtinato pleraque faciens, meritò vituperium incurrit, ſi prudens ſciénſque peccat; ſicut è diuerſo laudem, quando ſua ſponte benè facit. Nam ſtirpium animaliúmque, nec vbertas laudatur, nec ſi malè proueniant, vituperantur; quòd vterque hic motus, & vtraque mutatio, non eſt voluntaria. Sed ſola hominis anima, quæ accepit à Deo motum voluntarium, hactenus illi ſimilis, à moleſtiſſima grauiſſimáque hera neceſſitate, quantum licuit, manumiſſa, iure accuſari poſſet ſi liberatorem ſuum non coleret, non euaſura pœnam quæ animaduertit in libertorum ingratitudinem.* Aſtipulatur author homiliæ in illud Eſaiæ *ſi volueritis*, &c. quæ extat inter Chryſoſtomi homilias in vetus Teſtam. *Non ideirco*, inquit, *ſeruus liber efficitur, vt ab eodem iuſſa Domini contemnantur; aut ideo filius poteſtate patria liberatur, vt beneficia patris, contumeliis ab eodem diſtinguantur. Vnde ſic inter homines mos iſte obſeruatur, vt libertus ingratus, grauiore ſeruitio addicatur; aut filius contumax, poteſtate patria non abdicetur, libertate enim eſt indignus, qui dominum liberalem offendit. Hæreditatem capere non poteſt, qui filij nomen, per contemptum patris amiſit: ſic & homo liberæ voluntatis effectus, datam libertatem amittit, ſi dominum contemnendo deſpexerit.*

Sed ſuauior fortaſſis videbitur, hauſtus hac in parte, ex arente Ethniciſmi ſolo, purus latex. Nam & hanc Dei opificis in nos magnificentiam ac bonitatem, egregiè omnino extollit Epictetus apud Arrian. lib. 2. c. 8. vrgens hominem ad curam ſui ipſius, permiſſámque ſibi, liberi arbitrij collatione, rerum ſuarum tutelam, ritè & ex mente eius, qui illam contulit, adminiſtrandam. Locus eſt pro Ethnico luculentus: *Si Phidiæ*, inquit, *eſſet effigies, Minerua ſcilicet aut Iupiter, meminiſſes vtique, & tui ipſius atque etiam ſculptoris. Ac ſi quem haberes ſenſum, conareris nihil omnino indignum facere tuo opifice; neque etiam teipſo, ac indecoro habitu, te inſpectorum oculis offerres. Iam nunc porrò Iupiter cùm te fecerit, quî fit vt cuius ſis eſſe non patiaris, qualem te oſtendas? Et hoc in pari quantùm intereſt inter opifices, itémque inter opera & effectus? An quodnam eſt opificium artificis, quod ſimul vt factum ſit, ſuas habeat facultates in ſemetipſo quas præſtare poſſit hac efformatione? Nónne lapis eſt, aut æs aut aurum, aut ebur? adeóque Minerua Phidiæ, porrecta manu ſemel conſiſtens, ac victoriam tenens, in perpetuum motu vacat? Sed opificia Dei mobilia ſunt, & ſpirantia, vti viſis poſſunt, nec carent facultate æſtimandi. Talis artificis cùm ſis opificium, quare teipſam dedecoras? Quid quòd non modò te condidit, ſed etiam te tibi ſoli credidit, & quid faceres in mandatis dedit? Nec illud meminiſti. Quinetiam commiſſam tibi tutelam, ſic ignominiâ afficis. Quod ſi pupillum tibi Deus commiſiſſet, num illum negligeres? Te verò cùm tibi ipſi commendarit, ita inquiens; Non habeo aliquem fideliorem, cui te committam, quàm teipſum: hunc volo ita mihi cuſtodias, quemadmodum ipſius natura poſtulat, pudicum, fidelem, altum, infractum, affectibus vacuum, abſque perturbatione. Ergo tuendum illum non ſuſcipies?* Pet‑otium quoque eodem libro cap. 23. ſummam liberi arbitrij præcellentiam, & obligationem ad agendas de eo gratias, exponit.

Itémque voluntaria ſeruitus, per traditæ libertatis corruptelam, & prauos mores.

126. Addit idem ſolo corpore ſeruus, animo reuera, (vt in tanta captiuitate,) liberrimus: Addit inquam, poſt Platonem epiſt. 8. dignum eſſe, vt qui diuino munere liberi ſumus, hanc tantam libertatis prærogatiuam, violari non patiamur; nec cuiquam mancipemur, ac præſertim deprauatis affectibus quod eſt turpiſſimam ſeruitutem ſeruire. *Liber eſt*, inquit idem Epictetus lib. 4. c. 1. *qui viuit vt vult; qui nec cogi, nec impediri, nec vim ſubire aut violentiam poteſt. Præterea cuius ſtudia & conatus non retardantur, appetitio non fruſtratur, declinationes non impediuntur caſibus fortuitis. Quis ergo eſt, qui velit obnoxius deceptioni & impoſturæ viuere? Quis peccando vitam tranſigere? Nullus certè. Quis falli vult, quis prolabi in vitia, iniuſtus eſſe, incontinens, moroſus, humilis, & abiectus? Nemo. Ergo improbus & flagitioſus nullus eſt qui pro eo vt vult viuit. Quare nec liber etiam eſt. Quis verò omnium eſt, qui triſtis, timidus, inuidens, miſerans, appetens fruſtra, fugiens ſine euaſione, velit eſſe? Nullus. Num quem porro habemus ex vitioſis illis, vacuum triſtitia, metu, caſibus non obnoxium, & qui appetitione ſua non fruſtretur? Nullum profectò. Quare nec liber etiam.*

Itaque quod à Clemente Alexandrino 3. Strom. c. item 3. grauiter aduerſus Gnoſticos, velamen habentes malitiæ libertatem, diſputatur; demonſtrando non eſſe regium, vt iidem falsò affirmabant, facere quæ velis, & exlegem ac effrænem viuere; hoc ipſum, idem Epictetus, frequenter admodum & ſapienter tradit, euincens facere quæ velis, eſſe vulgi libertatem, & veræ libertatis abuſum: At facere quæ decet eſſe veram & philoſophicam libertatem. Libertas enim, non eſt collata à natura in damnum noſtrum proindéque non eſt data vt malè agamus. Quod rectè expendit Sebundius tit. 82. & Gabriel in 2. d. 25. q. vnica *litera E.*

E re lectoris videtur, aliqua præterea, in hanc rem ſelectiora decerpere, ex lib. 3. Arriani c. 26. [Videtur libertas tibi eſſe bonum quoddam? Imò maximum. Potéſtne quiſpiam maximi compos boni, aduerſis rebus ſuccumbere, aut miſerè viuere? Non. Ergo quotcunque videris miſerè agentes, afflictos, lugentes; ſine dubitatione affirma, liberos ipſos non eſſe. Cenſeo equidem. Itaque diſceſſimus iam à conditione libertatis, hac quæ deſcribitur emptione & venditione, ſimilibúſque aliis conſtitutionibus, pertinentibus ad poſſeſſionem. Nam ſi ritè quod interrogauimus confeſſus es, ſiue magnus Rex miſer erit, liber eſſe negandus eſt: ſiue paruus fuerit, ſiue Conſul, & is miſer extiterit. Eſto; Miſeriam porrò non metitur, niſi modulo receſſus à virtute, & prolapſionis in vitium, per libertatis malum vſum. Itaque nullus improbus, aut libertate abutens, liber reuera eſt, quandoquidem eo ipſo quod libertatem malè prodigit, miſer eſt; quod tam diſertè conteſtatur cum libertate non cohærere. Perſpicua ergo eſt illatio quam confirmamus, excidere videlicet vera libertate omnem illum qui libertate abutitur, & aliò eam impendit quàm quò oportuerat ſpectata voluntate largitoris.

Pergit eandem concluſionem alia via illuſtrare: [Illud porrò etiam mihi reſponde: Magnum ne quiddam & eximium videtur eſſe libertas, & quàm maximi fieri par ſit? Quidni? Potéſtne fieri, vt qui tantam rem ſit adeptus, támque magnam & præſtantem,

diar donec deueniamus ad actum, qui ſit liber abſque anteriore actu ſecundo: huius autem actus erit par ratio, ac primi directi, ac proinde vterque ſeipſo immediatè à potentia libera manare poterit. Nec plura circa priores duos dicendi modos propoſitos, quibus exponebatur determinatio cauſæ liberæ à ſeipſa.

Tertium placitum valet de determinatione formali.

103. Tertius & quartus dicendi modus, conciliari poſſe videntur, diſtinguendo duplicem determinationem facultatis liberæ. Vnam formalem, quæ eſt determinatio ad vlteriores actus, ſiue elicitos ſiue imperatos. Et de iſta, in tertio dicendi modo rectè affirmatur, quòd conſiſtat in primo actu elicito libero: Aliam anteriorem, quam poſſumus cauſalem vocare, quæ nihil aliud eſt, quam ipſa facultas, quæ iure & priuilegio cauſæ liberæ, poteſt primò in alterutrum actum primum liberum erumpere, poſita ſufficienti cognitione in intellectu. Et de hac rectè affirmatur in quarto modo dicendi, quod facultas libera ſeipſa determinetur ad actum primum elicitum liberum. Vtramque determinationem fusè expoſui & defendi in Naturali Theologia d. 8. à n. 85. vbi pro determinatione cauſali adduxi Valentiam, cui addendus, in quem poſtea incidi, Salazarius lib. de concept. c. 24. n. 59. Et omnino eam admiſiſſe Aureolum in 2. d. 4. q. vnica art. 3. & d. 25. q. vnica art. . oſtendam infrà exponens actum imperij.

Quartum de cauſali, qua aſtruitur.

Dimiſſa autem in præſentia determinatione formali, quæ ex dictis per ſe patet, oſtendendum breuiter ſupereſt, anteriorem, quæ eſt determinatio ad primum actum elicitum liberum, negari non poſſe. Siquidem primus actus liber, habet rationem effectus liberi reſpectu potentiæ à qua liberè prodit. Vel, vt cauillationes præcludamus, habet rationem entitatis à potentia libera manantis, in genere cauſæ efficientis: Eſt enim aliquid per eam potentiam productum; ſiue agamus de termino interno expreſſo, de quo res eſt perſpicua; ſiue de actione, quæ ad terminum illum internum tendit. Nam hæc quoque efficitur à cauſa, quamuis non interuentu alterius fieri, ſed immediatè per ſeipſam, vt ſiſtatur in primo quo. Quia ergo hæc entitas liberè efficitur, oportet loco eius potuiſſe poni aliam, vel certè ceſſationem eius. Ergo cùm hæc ipſa entitas ponitur, non autem alia vel eius ceſſatio; neceſſe eſt cauſam per quam hæc entitas ponitur, in priori naturæ quo antecedit hanc entitatem à ſe cauſatam, determinari ad eam. Nam ſi cauſa manſiſſet indeterminata, non profudiſſet hanc potiùs entitatem quàm oppoſitam, vel quàm huius ceſſationem.

Determinata igitur fuit prius naturâ quàm entitatem iſtam poneret: & ea determinatio, eſt de complemento cauſæ, quod proinde neceſſe eſt prius naturâ eſſe, quàm entitatem à cauſa manantem. Atqui ea cauſæ determinatio non poteſt eſſe quicquam diſtinctum ab entitate ipſa potentiæ liberæ. Quod probo, quia vel eſſet actio aliqua prodiens ab ipſa potentia, vel aliquis actus primus aut ſecundus aliúdve adueniens. Si primum, recurrent omnia, quæ ſuprà attulimus contra ſecundum modum dicendi. Nam ſi illa actio ſit neceſſaria & tamen ſit determinatio ad actum primum liberè elicitum, iſte actus non erit liber, quia manabit à ſuppoſitione antecedente & neceſſaria: ſi autem illa actio ſit libera, exiget vlteriorem actionem per quam potentia ad ipſam profundendam determinetur, & ita in infinitum progrediemur.

Hoc porro argumentum æquè impugnat ſecundum membrum, nempe quòd ea determinatio ad primum actum elicitum, ſit aliquid deforis adueniens. Ea ſiquidem impreſſio, ſi eſſet neceſſaria, excinderet libertatem actus eliciti, ex ea formaliter determinante profecti. Si autem eſſet libera, deberet talis eſſe interuentu actus alicuius ab ipſa potentia liberè recipiente prodeuntis: alioqui mera receptio non eſſet libera, atque ita recurrit argumentum, per quid potentia determinaretur, ad hunc actum impreſſionis exigitiuum: Et ne in infinitum fiat progreſſus, ſiſtendum erit in aliquo actu elicito, hoc eſt, in primo cuiuſuis ſeriei, qui immediatè prodeat à potentia libera, ad eum determinata per ſeipſam, vt nos affirmamus: ita vt eadem potentiæ liberæ entitas, phyſicè immutata, iure ac priuilegio cauſæ liberæ per ſemetipſam, de non applicata applicetur, ſiue determinetur ad hunc potiùs primum actum elicitum profundendum, quàm ad oppoſitum vel ad huius ceſſationem: quamuis in priori naturæ æquè in vtrumque potens ſit, nec niſi ſuopte nutu in iſtum inclinauerit.

Et quod mirabilius eſt, (ſed tamen verum & genio ac exigentiæ principij liberi conſentaneum ac debitum:) non aliter ſe in ſeipſa habuiſſet, ſi determinaſſet ſe ad profundendum actum oppoſitum, vel huius ceſſationem. Hæc enim ſunt principij liberi iura. Sicut ergo principium neceſſarium in his & illis circunſtantiis ſeipſo determinatur ad vnam partem; nec determinatur ad eam per actionem vel effectum à tali principio cauſante, atque adeò priùs naturâ determinato, manantem: Ita principium liberum è ipſo determinatur ad actum, quem primò elicit, ſed cum poteſtate determinandi ſe, ſi libuiſſet ad alterum actum.

Scrupuli in contrarium.

105. Sciſcitantur porro aliqui, quid ſit huiuſmodi determinatio anterior formali. Nam ſi eſt indiſtincta ab entitate potentiæ liberæ, quomodo poteſt adeſſe & abeſſe, ſuperſtite ea entitate, quam certum eſt æternam eſſe etiamſi determinatio illa, modò adſit, modò abſit? Si autem differt ab entitate potentiæ, quidnam dici poterit eſſe; cùm neque ſit actio, (eam enim præcedit,) neque forma deforis vel ab intrinſeco impreſſa, quæ cum actus libertate non cohæreret? Accedit quod communiter Doctores quærenti cur voluntas voluerit elicere actum, non dicunt idcirco voluiſſe, quia ſe determinauit, ſed ibi ſiſtentes dicunt, quia voluit. Et tamen ſi antecederet determinatio aliqua, recurrendum eſſet ad eam. Quod præſertim incommodum videri debet in actibus liberis ſupernaturalibus: Nam iuxta hanc ſententiam, ratio cur quis ſupernaturaliter conſentiat, erit, quia habuit principium aliquod conſenſus diſtinctum à gratia præueniente, nempe huiuſmodi determinationem cauſalem: quæ cùm ſit naturalis & homini innata, ſi quæratur cur homo ſupernaturaliter conſenſerit, reſpondendum erit, quia habuit huiuſmodi determinationem. Vnde homo conſentiens, ſeipſum diſcerneret ab eo qui non conſentiret, dareturque determinatio naturalis ad actum ſupernaturalem, quæ multò magis videtur repudianda, quam diſpoſitio naturalis ad gratiam & aliquale eius meritum naturale: quæ tamen omnia fides Catholica contra Pelagium eiúſque reliquias, ablegat.

Eximuntur.

Hæc ſunt quæ aliqui circa huiuſmodi determinationem cauſalem interrogant. Quibus tamen ſi præcedentia

cedentia rectè inſpiciantur, non eſt difficilè ſatisfacere. Oſtendimus enim hanc determinationem eſſe indiſtinctam ab entitate potentiæ, nec tamen ſemper fungi munere determinationis, etiamſi ſemper maneat entitatiuè: quia cauſæ liberæ ratio hoc habet; vt manens eadem poſſit in diuerſa. Nam negare non poſſunt, quin cauſa libera eadem manens modò ſit cauſa vnius actus, modò oppoſiti. Quod ergo omnes de ratione cauſatiua principij liberi dicere coguntur, hoc nos de eiuſdem rationis complemento, hoc eſt, de cauſali hac determinatione affirmamus. Quia tamen hæc determinatio eſt indiſtincta ab entitate potentiæ liberæ, & determinatio formalis, ſiue actus primò elicitus, eſt partus determinationis cauſalis, cùm ea neceſſariò connexus: (non enim poneretur hic actus ſecundus, niſi hæc determinatio præceſſiſſet, potiùs quàm oppoſita:) propterea paſſim authores, per effectum, circumloquuntur cauſam: & rogati cur voluntas voluerit, reſpondent; *quia voluit*. idipſum ſignificantes, quod ſi reſponderent, *quia ſe ad volendum determinauit*.

Vnde tamen fruſtrà timebatur Pelagiana aliqua labes. Nàm hæc determinatio non intelligitur in facultate libera, niſi poſt communicatá ei auxilia gratiæ, quibus fœta facultas in huiuſmodi determinationem erumpit; id eſt, ſe applicat ad operandum ſupernaturaliter. In quo nihil plus eſt incommodi, quàm ſi admiſſo duntaxat principio actiuè indifferente, dicam huiuſmodi principium ſe applicare ad operandum, ex quo veluti conſperſum eſt rore gratiæ. Inde enim fit vt homo non poſſit dici, ſe abſque gratia diſcernere à non conſentiente, vel ſola naturali efficacitate liberum conſenſum ſupernaturalem principiare.

Quarta principij liberi deſcriptio, penes dominium in actum ſuum.

106. Vlterior, & ordine quartus modus explicandi libertatem, is eſt, quo libertas dicitur eſſe facultas actus ſui domina. Quò refertur quod ait Didymus l. contra Manich. omnium qui rectè philoſophati ſunt ſententiam eſſe, quòd homo vitij & virtutis poteſtatem & electionem habeat. In hac porro poteſtate, atque dominio, ſitam eſſe rationem libertatis. Agnouit Ioan. 22. in Extrau. ad conditorem, monſtrans dominium illud in eo conſiſtere quod voluntas poſſit actum ſuum exercere vel non exercere. Sed & Iuratus humanæ libertatis expeditæ, hoſtis Caluinus hanc dixit eſſe primam notionem cuiuis obuiam, cum liberi arbitrij nomen audit. Præfatus enim cauendas quidem eſſe logomachias, ſed tamen vbi periculosè erratur, fugiendas eſſe voces quæ poſſint in errorem inducere, addit l. 2. inſtit. c. 2. num. 4. talem eſſe vocem *liberi arbitrij*, quam idcirco cupit exterminatam. *Quotus enim quiſque eſt* inquit, *qui cum aſſignari homini liberum arbitrium audit, non ſtatim concipit illum eſſe & mentis ſuæ & voluntatis dominum, qui flectere ſe in vtramuis partem à ſeipſo poſſit?* Hoc autem eſt, quod Caluinus ibi, & aliis pleriſque capitibus eiuſdem libri, toto niſu, ac impetu quàm poteſt maximo, conatur oſtendere. homini lapſo deeſſe. Ac proinde notio libertatis per dominium in actum, tam certa eſt, quàm certum eſſe debet Caluinum verè appetiiſſe humanam libertatem, quod inter Catholicos ratum eſt ac exploratum. Eandem libertatis per dominium, notionem, D. Bonauentura in 2. d. 25. art. 1. q. 3. n. 20. ait, ex ipſo libertatis nomine perſpicuum eſſe: Et addit, dominium alicuius potentiæ, vel ſpectari poſſe reſpectu obiecti, vel reſpectu actus. Si tamen agatur de potentia libera, dominium in obiectum non aliter ſpectat ad rem præſentem, quàm per dominium, quod eidem potentiæ competit in actum. Appellat enim Sanctus hic Doctor dominium in obiectum, *quo potentia poteſt in illud, & in plus*; ſicut equus qui eſt ſatis validus ad portandos decem frumenti modios, habet dominium in tres, quandoquidem præualet eis, éſtque maioris virtutis ad portandum, quàm ipſi exigant vt portentur.

Vides ergo hoc dominium in facultate libera non eſſe attendendum niſi eo modo quo dixi, nec eſſe facultatis liberæ proprium, ſed competere etiam cuilibet virtuti & potentiæ, cum operatiuæ tum receptiuæ. Quare ſiſtamus in dominio potentiæ reſpectu actus, quod eſt dominium facultatis liberæ proprium. Nullum enim aliud dari poteſt reſpectu cuius voluntas libera dici poſſit dominari. Nam reſpectu quidem ſui ipſius, facultas libera non dicitur domina. Tantùm ergo domina dicitur reſpectu ſui actus, vt benè notauit Scotus quodlib. 18. *litera O.*

Dominij illius illuſtratio, & aſſertio.

Conſiſtit porro huiuſmodi dominium in hoc quod potentia pro libito poteſt actum elicere vel non elicere, aut etiam elicere oppoſitum eius, prout tulerit conditio obiecti, circa quod libertas voluntati competit. Ferunt apertè hoc dominium in actum internum elicitum, (nam de eo nunc agimus,) illa Apoſtoli verba 1. Cor. 7. *Qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſſitatem: poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis.* Vbi *voluntas*, vt frequenter aliàs, ſumitur pro actu voluntatis, vt etiam patet ex verbis prioribus, quibus fixum voluntatis decretum actuale exprimitur. In hunc ergo actum voluntatis, agnoſcit Apoſtolus, poteſtatem eſſe ac dominium, ſecluſa ad eum neceſſitate, quâ quis ſeruiliter ad actum adigeretur. Eo ipſo enim homo eſt actionis illius dominus, vt rectè notant Damaſcenus 2. fid. c. 7. *in ſynopſi rationum contra Genethliacos*, Conradus 1. 2. q. 1. art. 1. Victoria relect. de puero p. 1. n. 6. Ferrar. opuſculo de Euang. libert. c. 1. & Anton. Peres lect. 1. examinis parte 2. c. 2. qui id confirmat, ex eo quòd hominem eſſe dominum ſuarum actionum, non eſt præcisè habere illarum poſſeſſionem, tanquàm ſuarum: ſic enim eſſet quoque dominus actionum vegetatiuarum, quod conſtat abſurdè admittendum: Neque etiam eſt habere ius morale à dominio diſtinctum ad illas exercendas; ſic enim homo non eſſet dominus actionis vitioſæ: Nec denique eſt agere ſponte & ſine coactione, cùm etiam pueri & amentes ita agant abſque dominio in actum ſuum. Igitur eſſe dominum ſui actus, non poteſt aliud eſſe quàm poſſe elicere ſuam actionem, eámve omittere prout libuerit, & voluntas tulerit.

107. Sanè cùm dominium ſit facultas ſeu ius vtendi re, déque ea diſponendi pro libito, non videtur potuiſſe aptiùs exprimi, ius quod homo naturâ habet in actum ſuum, quàm voce *dominij* quæ præter vim operandi actum, adiunctam habet prærogatiuam omittendi illum pro libito, ſiue ex eminentia facultatis operatiuæ. Nam ſi eum duntaxat omitteret, quia non poteſt elicere defectu alicuius ad operandum prærequiſiti; clarum eſt defore dominium in actum, ſicut deforet poteſtas vtendi ac non vtendi ſiue diſponendi de actu illo. In hoc ergo præcisè conſiſtit vis illa dominatiua in actum, quod facultas eum eliciens de eo diſponat prout libuerit, nempe dans vel negans ei eſſe, iuxta beneplacitum ſuum, ſiue vt loquitur ſupra Bonauentura, *exiſtens in actu, vel ceſſans ab eo, ſecundùm ſuum imperium & motum proprium.*

Quibus

Quibus vocibus, non deſignatur actus aliquis ſecundus anterior actu illo elicito in quem facultas libera dominium habet, ſed intelligitur illemet actus, prout prodiens à potentia indifferente actiuè; id eſt, quæ ita agit, vt poſſet non agere. Nec ad id neceſſaria vel etiam opportuna eſt vlla reflexio, vt ſignificat ibidem S. Bonauentura, cùm ſubdit; ad hoc vt potentia habeat dominium iſtud in actum, neceſſe eſſe quòd poſſit ſe ſuper ſuum actum & ſuper ſeipſam reflectere; eo quòd ſi id non poſſet, deeſſet illi facultas refrænandi actum. Sed quamuis verum ſit facultatem liberam ob immaterialitatem ſuam eſſe reflexiuam in ſeipſam; tamen formaliter & præciſè conſiderando quæ requiruntur ad vim liberè operatiuam, dominiúmque eius in actum ſuum; ea vis reflexiua concomitanter omnino ſe habet, nec aliquid confert ad diſponendum de actu pro arbitrio. Neque enim neceſſarium ad id eſt, vt homo alio nouo actu velit ſuum actum elicere, aut ſuſpendere, vt ſupra dixi contra Durandum: ſed tantùm ſufficit, vt aduertens ſe poſſe agere aut non agere; vel actum ex ea poteſtate exerceat, vel prætermittat.

Hæc eſt germana notio dominij de quo agimus. Imo nullum aliud dominium in voluntate reſpectu ſuorum actuum excogitari poteſt. Inſulsè namque nonnulli recentiores, quos ſuppreſſo nomine refert Curiel 1. 2. q. 1. art. 1. dub. 1. §. 3. diſtinxerunt in voluntate humana, duplex in actus ſuos dominium. Nempe primò illud quod nunc expoſuimus. Secundò illud quod voluntas habet in actum qui ab ea procedit ex vi aduertentiæ rationis ad exigentiam obiecti. Cenſuerunt enim, voluntatem habere illius actus dominium, quia quamuis eum non eliciat libere, tamen non concurrit ad eum modo ſeruili, ac velut ſubdita obiecto, & vt præciſè rapta ab eo, ſed applicando & determinando ſe ad operandum ex vi aduertentiæ ac ponderationis bonitatis obiecti. Quem modum operandi, ſtatuerunt hi authores eſſe longe diuerſum à modo operandi brutorum, quæ quamuis moueantur præſuppoſita cognitione obiecti, non tamen ponderant quid obiectum exigat; ſed ab eo propoſito rapiuntur ad modum mancipiorum, abſque propria directione & applicatione: Vnde prorſus deſtituuntur dominio in actum ſuum. Non item voluntas quoad actus pleróſque neceſſarios, ac nominatim quoad amorem beatificum, qui quia elicitur præuia cognitione ponderatiua & appretiatiua bonitatis & exigentiæ obiecti, ſubiacet voluntatis dominio quamuis non ſubſit libertati.

Hoc ſecundum dominium, aio inſulsè falsò induchi. Nemo enim dominium aliter exponere poteſt, quàm per facultatem moralem diſponendi de obiecto dominij, pro arbitrio eius cui dominium ineſt. At ea moralis facultas diſponendi de actu, non reperitur extra facultatem liberam, prout liberam. Igitur commentitium planè eſt, tribuere voluntati dominium aliquod in actum quem non poteſt non profundere. Gratis item actus ille dicitur prodire ex ponderatione exigentiæ obiecti. Ea enim ponderatio, ac veluti æſtimatio meritorum obiecti, ſapit deliberationem, quæ ad actum neceſſarium nullo modo præmittitur. Falsò denique voluntas dicitur applicare & determinare ſe ad talem actum, v. g. ad amorem beatificum. Si enim voluntas ſe applicaret ad amandum, & ex eius determinatione prodiret quod actus eliciatur, non autem ex efficacitate obiecti per notitiam non indifferentem propoſiti abripientis voluntatem, poſſet ſibi ipſa frænos iniicere, & nolle in actum erumpere, vt cernimus in actibus ad quos vere ſe applicat & determinat. Itaque commentitium illud dominium à liberæ facultatis verſatili poteſtate diſtinctum, miſſum faciamus, & in communi ac vera dominij eandem facultatem conſtituentis, notione hæreamus.

Quomodo reſpiciat oppoſita.

108. Iam porro ſupra monui cùm dicitur facultatem liberam eſſe dominam ſui actus, & poſſe ſimul eum ponere vel non ponere, ſenſum non eſſe, quod libertas poſſit ſimul iungere actum & priuationem eius; vel vnum actum poſitiuum & eius oppoſitum: Id enim contradictionem implicat. Senſus ergo eſt, poteſtatem ad vnum eorum, concomitari potentiam ad alterum: Potentiam inquam, non modò remotam, ſed etiam proximam, & æquè ad vtrumque expeditam vt notauit Gabriel in 1. d. 25. q. vnica *litera B.* optiméque expoſuit Scotus in 1. d. 39. q. vnica *litera F* & in 3. d. 18. q. vnica *litera H.* aduertens, quod Gabriel videtur diffiteri, libertati noſtræ ad oppoſitos actus, adiungi potentiam, tam ad oppoſita ſucceſſiuè, quàm ad oppoſita pro eodem inſtanti: hoc eſt, vigere in libertate huiuſmodi poteſtatem; ſiue ob permanentiam diuturnam libertatis in eſſe, poſſint actus oppoſiti ſibi in ea ſuccedere ſiue non poſſint, ſed alteruter tantùm reipſa in ea ponatur. Quamuis enim voluntas non eſſet niſi per vnicum inſtans: tamen in eo vnico inſtanti, ita ſe determinaret ad alterutrum, vt, ſi liberet, poſſet ſe determinare ad alterum: quia prius naturâ quàm id ad quod ſe determinauit, prodiret ab ea, potuit ſe determinare ad oppoſitum.

Et ob eam cauſæ indeterminationem in priori naturæ, effectus cauſæ coæuus, non minus prodit à cauſa libera ex poteſtate & dominio, quàm ſi cauſa per vnum diem aut ſeculum anteceſſiſſet, vt benè Scotus poſteriore loco ait. Itaque rectè concludit priore loco allegato, *potentiam cauſæ liberæ ad oppoſitum eius quod ſine ſucceſſione cauſat, eſſe potentiam prioris naturaliter, vt actus primi; ad oppoſita, quæ ſunt poſteriora naturaliter vt actus ſecundi: Actus enim primus conſideratus in illo inſtanti in quo eſt prior naturaliter actu ſecundo, ita ponit illum in eſſe tanquam effectum ſuum contingentem, quod vt prior naturaliter, poſſet æquè ponere aliud oppoſitum in eſſe.*

Obſeruari igitur in cauſa libera poſſunt tres potentiæ, cum eodem Scoto, & cum Thoma Angelico in 1. diſt. 39. quæſt. 5. art. 1. Prima ad ſucceſſionem oppoſitorum actuum. Voluntas enim ſi aliquandiu perſtet in eſſe, habebit potentiam ad velle poſt non velle, vel contrà. Secunda eſt quæ pro eodem inſtanti temporis reſpicit oppoſita: quatenus potentia prout naturâ prior, æquè potuiſſet ponere in eſſe aliud oppoſitum; & vtráque hæc potentia eſt realis actiua. Tertia has concomitans eſt potentia logica, quæ eſt non repugnantia vt actus, qui non ponitur de facto in eſſe, reipſa ponatur. Nam cùm potentia actiua & receptiua, ſaltem prius naturâ, ſint ad iſtum actum prætermiſſum indifferentes, & ipſe abſolutè ſit poſſibilis, manifeſtum eſt nullam eſſe in eius poſitione repugnantiam. Reſtaret quarta potentia nempe ad oppoſitos actus ſimul habendos v. g. ad ſimul amare & non amare: ſed *hæc*, ait Scotus, *nihil eſt* Id eſt, apertè repugnat, nec poteſt fieri. Quare in deſcriptione libertatis quam expendimus, poteſtas ad oppoſita, ſiue dominium in actum vt ſit aut non ſit, non eſt hoc poſtremo ſenſu accipiendum.

Suffragium Doctorum pro deſcriptione libertatis propoſita.

109. Conſentiunt in libertatis deſcriptionem ſic intellectam, Chriſtiani iuxta ac Ethnici Philoſophi. Ita enim frequenter D. Thomas vt obſeruat Victoria relect. de puero veniente ad vſum rationis n.6. Et præiuerant antiquiores. Audi Prudentium in Hamartigenia in impugnatione aliorum libertatis.

Neſcis ſtulte, tua vim libertatis, ab ipſo
Formatore datam? neſciſque ab origine, quanta
Sit conceſſa tibi famulo ſuper orbe poteſtas?
Et ſuper ingenio proprio, laxéque ſoluto
Iure poteſtatis, liceat cui velle, ſequique
Quod placitum, nullique animum ſubiungere vinclo?
An cùm te dominum, cunctis quæcunque crearas
Præficeret, mundúmque tuis ſeruire iuberet
Imperiis; cúmque arua, polum, mare, flumina, ventos,
Dederet, arbitrum de te tibi credere, auarus
Nollet vt indigno, libertatémque negaret?
Quale erat, electus magni Rex orbis vt eſſet,
Non Rex ipſe ſui, certo fundatus honore?
Nam quis honos domini eſt, cuius mens libera non eſt,
Vna ſed impoſita ſeruit ſententia legi?
Quæ laus porro hominis, vel quod meritum, ſine certo
Inter vtramque viam diſcrimine viuere iuſto?
Non ſit ſponte bonus, cui non eſt prompta poteſtas
Velle aliud, flexóſque animi conuertere ſenſus.

Et mox.

Vade, ait ipſe parens, opifexque & conditor Adæ,
Vade homo & afflatu noſtri prænobilis oris,
Inſubiecte, potens, rerum arbiter, arbiter idem,
Et iudex mentis propriæ, mihi ſubdere ſoli
Sponte tua, quo ſit ſubiectio, & ipſa ſoluto
Libera iudicio: Non cogo, nec exigo per vim,
Sed moneo iniuſtum fugias, iuſtúmque ſequaris.

Gregorius Nyſſenus orat. 5. de beatitud. *Is qui iuxta ſui imaginem, hominem fecit, omnium bonorum materias atque ſubſidia in natura ſui operis depoſuit, vt nulla res bona atque honeſta, extrinſecùs in nos ſe ingerat atque inſinuet; ſed in poteſtate noſtra ſit vt habeamus quod velimus, tanquam ex cella quadam penuaria ex natura bonum ſumentes. Per ſingularia enim & particularia de vniuerſalibus docemur, quod non alia ratione potiri quis poſſit eorum quæ cupit, niſi ipſe ſibi bonum largiatur. Quamobrem Dominus alicubi dicit ad auditores.* Regnum Dei, intra vos eſt. *Et* Quicunque petit, accipit; & qui quærit, inuenit, & pulſanti aperietur: *vt & accipiendi quod deſideretur, & inueniendi quod quæratur, & introeundi quo cupiamus, penes nos poteſtas ſit, & à noſtro pendeat arbitrio cùm velimus. Vnde per conſequens ſimul probatur etiam id quod ex contrario intelligitur; quod nimirum etiam inclinatio atque propenſio in malum, nulla neceſſitate extrinſecùs impellente innaſcitur, ſed ſimul atque ſumpſerimus, malum ſubſiſtit; tunc in rerum naturam prouenions, cùm ſumpſerimus. Extra verò deſtinatam animi voluntatem, ipſum per ſe malum, ſecundum propriam ſubſtantiam, nuſquam ſitum reperitur. Ex his autem, libera, plena, ſummáque poteſtas, quam in natura Dominus naturæ fabricatus eſt, apertè demonſtratur, propterea quod omnia, ſiue bona, ſiue mala ſint ex noſtra libera voluntate dependent*

110. Luculenter omnino S. Ambroſ. l. 2. de Iacob. cap. 3. *Qui voluntatis ſuæ arbiter eſt, in ſea conſilij, interpres arbitrij, habens ſuorum actuum poteſtatem, is profectò liber eſt.* Idem ſerunt illa D. Auguſtini l. 1. de l. arbit. cap. 12. *Quid tam in voluntate, quàm ipſa voluntas ſita eſt?* Et lib. 3. cap. 3. *Voluntas noſtra, nec voluntas eſſet, niſi eſſet in noſtra poteſtate.* Quæ dicta ſua approbat 1. retract. c. 9. Nec abludunt quæ ſubtiliter diſputat l. de ſpiritu & lit. cap. 31. inquirens quid ſit poteſtas illa, penes quam aliquis actus in noſtra poteſtate eſſe dicitur, & quomodo ea poteſtas ad voluntatem ſe habeat ac denique concludens, tum demum eſſe in nobis poteſtatem ad actum, *cùm voluntati adiacet facultas faciendi. Vnde hoc quiſque in poteſtate habere dicitur, quod, ſi vult, facit, ſi non vult, non facit.* Denique l. 1. retract. cap. 22. *Cùm hoc,* inquit, *ſit in poteſtate, quod cùm volumus, facimus, nihil tam in poteſtate, quàm ipſa voluntas eſt.* Et mox, *in poteſtate noſtra non eſt, niſi quod noſtram ſequitur voluntatem.*

Inſigniter Tertullianus 2. contra Marcionem c. 6. verbis illis. *Oportebat imaginem Dei, liberi arbitrij & ſuæ poteſtatis inſtitui; in qua hoc ipſum imago & ſimilitudo Dei deputaretur, arbitrij ſcilicet libertas & poteſtas. In quam rem ea ſubſtantia homini accommodata eſt, quæ huius ſtatus eſſet; afflatus Dei, vtique liberi & ſuæ poteſtatis. Sed & aliàs quale erat, vt totius mundi poſſidens homo, non in primis animi ſui poſſeſſione regnaret, alterum Dominus, ſui famulus?* En locum ad quem haud dubiè Prudentius ſuprà alluſit. Sed pergit Septimius. *Habes igitur & bonitatem Dei agnoſcere ex dignatione, & rationem ex diſpoſitione. Sola nunc bonitas deputetur, quæ tantum homini largita ſit, id eſt, arbitrij libertatem. Aliud ſibi ratio defendat in huiuſmodi inſtitutionem. Nam bonus naturâ, Deus ſolus. Qui enim quod eſt ſine initio habet, non inſtitutione habet illud, ſed natura. Homo autem qui totus ex inſtitutione eſt, habens initium, cum initio ſortitus eſt formam, qua eſſet: atque ita non naturâ in bonum diſpoſitus eſt ſed inſtitutione, non ſuum habens bonus eſſe, quia non naturâ in bonum diſpoſitus eſt, ſed inſtitutione, ſecundùm inſtitutorem bonum, ſcilicet bonorum conditorem. Vt ergo bonum iam ſuum haberet homo emancipatum ſibi à Deo, & fieret proprietas iam boni in homine, & quodammodò natura de inſtitutione, adſcripta eſt illi, quaſi libripens emancipati à Deo boni, libertas & poteſtas arbitrij: quæ efficeret bonum vt proprium iam ſponte præſtari ab homine: quoniam & hoc ratio bonitatis exigeret voluntariè exercenda, ex libertate ſcilicet arbitrij non fauente, inſtitutionis non ſeruiente: vt ita demum bonus conſiſteret homo ſi ſecundùm inſtitutionem quidem, ſed ex libertate iam bonus inueniretur, quaſi de proprietate naturæ. Proinde vt & contra malum, (nam & illud vtique Deus prouidebat,) fortior homo prætenderet, liber ſcilicet & ſuæ poteſtatis. quia ſi careret hoc iure, vt bonum quoque non voluntate obiret, ſed neceſſitate, vſurpabilis etiam malo futurus eſſet ex infirmitate ſeruitij. proinde & malo ſicut bono famulus. Tota ergo libertas arbitrij in vtramque partem conceſſa eſt illi, vt ſui dominus conſtanter occurreret, & bono ſponte ſeruiendo, & malo ſponte vitando; quoniam & aliàs poſitum hominem ſub iuditio Dei, oportebat iuſtum illud efficere de arbitrii ſui meritis, liberi ſcilicet.* Pulchrè omnino emancipatum à Deo hominem, & res ſibi ſuas habere permiſſum, ſuique iuris factum cum plena in ſuos actus poteſtate aſſerit. Saluo tamen ſemper ſupremo Dei in nos & noſtra omnia iure, omnino inabdicabili. Id enim rectè cohæret cum poteſtate noſtra, qua permittimur de facto nobis ipſis, & in manu noſtri conſilij ac regiminis ponimur.

Locus eximius Baſilij Seleuciæ ex orat. 3. *initio*, dignus eſt quem hîc adſcribam. Nam præter manifeſtiſſimam libertatis per dominium propoſitum expreſſionem, radicem quoque illius dominij & libertatis ex ea radice originem egregiè aperit. Sic habet.

Alias

Alias animantium gentes, & genera fabricans conditor, immobilibus naturæ legibus conſtrinxit, neque ipſis electio eſt quæ facultatem in vtrumque partiatur, neque ratiocinationis diſcretio, quæ velut in æquilibrio perpendat agendorum delectum: ſed ſimul imperat natura, ad agendum impelluntur non excuſſo eius ſè præcepto. Contra homo ratione inſignitus, electionis poteſtate ornatus, & arbitrij libertate refulgens, conſilij vim habet, quæ nulla teneatur voluntatis ſeruitute, intentionémque habet ſui dominam, & inuiolabili gloriatur agendorum electione. Hinc euenit, vt hoc diligat, illud quod ita viſum fuerit, repudiet: hoc auerſetur, ad illud animum adiiciat, & liberrima cum poteſtate voluntatis regnans, abundat optionibus ſententiarum. Quare lege poſita, Deus agendi neceſſitatem non imponit, ſed quæ ſibi videntur, imperat, & voluntatis poteſtati permittit actionem: & ſi iuſſus mandatum prætereat, non ideò naturam demutat, neque neceſſitatis legibus vincit inobſequentem, neque gratiam per vim aufert, neque intrà neceſſitatem dona contrahit, neque naturam peruertens, mentem adulterat: ſed ratione in dominatu ſuo relicta, pœnis delinquentem ad ſapientiam reuocat. Denique Ioannes 22. in extrau. *ad conditorem* appoſuit hanc libertatis notionem per dominium in eo ſitum, quod voluntas poſſit actum ſuum exercere, aut non exercere.

Conſenſus Philoſophorum.

111 Suffragantur prætereà propoſitæ libertatis deſcriptioni, Philoſophi; ac inprimis Plato, quem his verbis refert Clem. Alex. 5. Strom. c. 7. *liberum arbitrium Plato per hæc oſtendit Virtus non paret alteri ullius dominio: ...* Ariſtoteles quoque, libertatis rationem ſtatuit in dominio ſupra actum, vt videre eſt l. 1. moral. Eudem. cap. 7. Eodémque ſpectat illud ex 3. Ethic. c. 5. in fine. *Actionum à principio vſque ad finem domini ſumus cùm ſingula quæque cognoſcamus.* Et mox: *Quoniam in noſtra erat poteſtate, vel ita vel non ita vti, operationibus etiam habitus ipſi ſpectandi ſunt.* Et luculenter initio eiuſdem capitis, vt oſtendat noſtro dominio ſubeſſe, effici bonos vel malos, ipſámque etiam virtutem & vitium, id confirmat ex operationibus, quas in nobis eſſe ait, locutione ambigua, vt notat Alexander 2. natural. quæſtionum c. 4. ſed eo ſenſu hic vſurpata vt ſignificentur operationes eſſe in nobis, non ſubiectiuè ſed elicitiuè. Non enim operationes liberæ, ideò dicuntur eſſe in nobis, quia ſubiectantur in nobis. Nam operationes tranſeuntes, poſſunt libertate pollere. Elicitæ autem, non idcirco dicuntur eſſe in nobis, quòd in nobis ſubiectentur; ſed quod poſſimus eas profundere, vel omittere prout libuerit. Nam etiam prius naturâ quàm profundantur, in nobis eſſe dicuntur, imò tunc maximè.

Et illam eſſe Philoſophi mentem, docent hæc quæ ſtatim ubiungit: *Efficitur, vt virtus in nobis, & ſimiliter vitium ſit. In quibus enim in noſtra poteſtate ſitum eſt agere, ſitum eſt etiam non agere, & in quibus non agere, ſimili modo etiam agere. Quapropter ſi agere cùm honeſtum ſit, in noſtra eſt poteſtate, non agere quoque cùm turpe ſit, in nobis erit collocatum. Si item non agere cùm honeſtum ſit in nobis eſt, agere quoque, cùm turpe ſit, erit noſtræ facultatis. Quod ſi honeſta agere & turpia, & ſimili modo non agere in noſtra eſt poteſtate, id autem erat, vt boni & mali ſimus: in noſtra poteſtate quoque erit, vt & frugi ſimus & nequam.*

Hæc ibi; quæ ita in rem præſentem perſpicua ſunt, vt explicationis lucem exigant nullam. Ideóque iratus humanæ libertatis oſor Caluinus 2. Inſtit. c. 1. §. 3. nominatim hunc Ariſtotelis locum impetit. Nec enim, ſcio huic ſingulari ſatis fuit, depaſci Theologiam, & quod ibidem mox audaciſſimè præſtat, omnibus Patribus (vno dempto Auguſtino, quem mendaciter iuxta ac nequiter ſui erroris patronum effingit) inſultare ob aſſertionem huius noſtri in nos ipſos, & actus noſtros dominij, niſi etiam eadem ex cauſa in Philoſophos baccharetur: vt omnibus Ethnicis iuxta ac Chriſtianis libertatem admittentibus, inſaniæ damnatis, ipſe ſolus ſapientiæ primatum teneat: Homo quod de iſtius in ſuperſtitione proauis ſcripſit S. Irenæus l. 2. c. 53. *cui vniuerſa terra helleborum non ſufficiat ad expurgandum, vt tantam ſuam ſtultitiam euomat.*

112. Denique libertatē in dominio actuum noſtrorum ſitam eſſe, traditur luculenter apud Plotinum Enneade 6. l. 8. c. 1. verbis illis. [Quærendum quid hoc ipſum eſſe dicēdum ſit, quod fertur eſſe in nobis aliquid, ideſt, in noſtro libero arbitrio conſtitutum. *Reſponſionem mox ſubiicit in hæc verba.* Contrariis; vt arbitror, agitati fortunis, & aduerſis compulſi neceſſitatibus, perturbationúmque vehementibus incurſibus raptati, animum obſidentibus. Nimirum hæc omnia imperiū in nos iam habere putauimus, eiſque ſeruientes, & quocumque trahunt, præcipitati, meritò ſi in controuerſiam hanc incidimus, verentes ne fortè nihil penes nos ipſi ſimus, nihilque in noſtra autoritate conſiſtat: quaſi hoc in noſtro arbitrio ſit futurum, quod aliquando neque fortunis, neque neceſſitatibus, neque perturbationibus vehementibus ſeruientes, & agamus voluntate, & nihil voluntati interim aduerſetur. Si autem hoc ita ſe habet, ratio eius quod in noſtro conſiſtit arbitrio erit eiuſmodi, quod videlicet voluntati ſeruit, ac eatenus vel fit, vel non fit, quatenus ipſi velimus. Iam verò voluntarium quidem eſt, quod & abſque violentia, & cum cognitione peragitur: in nobis autem, id eſt, in noſtro arbitrio eſt, ad quod agendum domini ipſi ſumus. Atqui ambo hæc inter ſe ſæpè concurrunt, quamuis ſit eorum ratio differens.]

Idem tradiderunt communiter Græci Philoſophi, teſte S. Cyrillo 5. in Iulian. ad tex. 2. vbi ait eos excluſiſſe à virtutis exercitio neceſſitatem: *eo quòd virtus, ſit res non ſeruilis & ſub domino* hoc eſt, libera. Quod aliis verbis expreſſit idem Cyril. l. 8. iuſdem operis ad tex. 3 cùm dixit *arripuiſſe hominem ſua voluntatis habenas, & ſuarum iuſſuum momento in vtraque ferri.* Priore porrò loco, apertè alludit ad Platonis locum, paulo ante ex Clemente Alexandrino allegatum.

113. Verùm nihil luculentiùs aut expreſſiùs in hanc rem proferri poteſt, quàm quòd veteres Græci liberum arbitrium non aliter appellare ſolent quàm *αὐτεξούσιον*, ſiue in ſeipſum poteſtatem ac dominium, vt præclare tradit Nemeſius l. de homine c. 39. & 40. & 41. & optime his verbis Nicetas 3. Theſauri c. 27. *Αὐτεξούσιον ſeu liberum arbitrium, eſt τὸ αὐτοδέσποτον, hoc eſt, quod in cuiuſque poteſtate ſitum eſt: quod enim domino ſubiectum eſt, liberi arbitrij non eſt. Αὐτεξούσιον ergo ſeu arbitrij libertas, propriè, eſt libera, nec vllius dominationi ſubdita ad rem concupitam dominatio.* Hæc ibi, quæ peruertit Scholiaſtes hæreticus, cùm gloſſat hæc verba tantùm ferre defectum coactionis & violentiæ; ita vt homo volens quidem agat & contingenter, ſed tamen neceſſariò. Quæ perinde cohærent, ac ſi dixiſſet, hominem libere agere, ſed tamen non liberè.

Synceriùs, tametſi arrogantiùs, Caluinus loco allegato, §. 4. Græcos vniuerſos damnans arrogantiæ, quòd voce illa *αὐτεξουσίου* non coactionis modò carentiam, ſed etiam ius ac dominium in actum ſuum homini conceſſiſſent. *Apud Latinos*, inquit, *liberi arbitrij nomen, ſemper extitit: Græci verò multò arrogantiùs, vſurparunt vocabulum αὐτεξούσιον, quod ſignificat ſui ipſius poteſtatem, ac ſi illa eſſet penes hominem.*

hominem. Quo vno impetu, & calcis impactione, petulcus iſte, non Ethnicos modò, ſed ipſos etiam Græcos Patres vniuerſos, quibus ea vox probata, & frequentiſſima eſt, (vt videre licet apud Pamelium in Tertulliani librum de anima num. 279. & in lib. 2. contra Marcion. n. 32.) procul abactus, iure ſuffragij depellit, de quo rectè Ruardus art. 7. expoſtulauit.

Idem liberi principij dominium, colligitur ex voce liberi arbitrij.

114. Tandem idem liberæ voluntatis dominium in actum ſuum ſatis importatur vulgata appellatione liberi arbitrij, à qua proinde abhorret Caluinus loco allegato §.7. hiſce verbis. *Cenſeo cauendas has voces, quæ abſurdum aliquid ſonant, præſertim vbi perniciosè erratur. Quotus enim quæſo quiſque eſt, qui dum aſſignari homini liberum arbitrium audit, non ſtatim concipit, illum eſſe & mentis ſuæ & voluntatis dominum, qui flectere ſe in vtramuis partem à ſeipſo poſſit, & ehebitur in exitialem confidentiam?* Extrema peſſimè & mendaciſſimè, intermedia veriſſimè. Nam *liberi arbitrij* vocem, abſurdi aliquid ſonare, & eius ſignificationi, perniciosum ſubeſſe errorem, qui hominem euehat in exitialem confidentiam, falſiſſimum eſt, & impietatis pleniſſimum. Quod autem vox *liberi arbitrij*, audita, ingeneret notionem dominij in actum ſuum, rectè omnino dictum eſt, & appoſitiſſimè ad ſenſum communem, quem proinde conuellit, qui vocem apud ſapientes omni retro ætate probatam, expungere, non temerè tantùm ſed impudentiſſimè & inſolentiſſimè nititur.

Confirmat communem illam vocis huius notionem, notatio tradita ab authore Hypognoſtici lib. 3. non multùm ab initio. *Arbitrium*, inquit, *ab arbitrando, rationali conſideratione, vel diſcernendo quod eligat, quidue recuſet puto quod nomen accepit Vel ideo liberum arbitrium dictum, quod in ſua poſitum ſit poteſtate, habens agendi quod velit poſſibilitatem.* iuxta priorem notationem, vox *arbitrij* circumloquitur actum voluntatis indifferentem per iudicium indifferens, cuius connaturaliter partus eſt ſecluſis extrinſecis obicibus. Quò reſpexit Gennadius lib. de Eccleſ. dogmat. c. 21. cùm *arbitrij libertatem* interpretatur rationalem voluntatem. At iuxta poſteriorem, quæ eſt ſine dubio melior, *arbitrium* idem eſt quod beneplacitum. Et in hoc ſenſu vſurpant paſſim eam vocem Patres ac Doctores, cùm voci *arbitrium* ſubiungunt *voluntatem*; dicendo, *liberum voluntatis arbitrium*, ſatis innuentes, arbitrium ſpectare ad voluntatem, & eſſe actum eius; vt tradit etiam S. Thomas 1. p. q. 83. art. 3. ad 2. & diſertiſſimè S. Auguſtinus lib. de grat. & lib. arbit. c. 3. arbitrium liberæ voluntatis, ait eſſe, velle & nolle. S. item Ambroſius lib. 1. de Iacob cap. 1. ait nos nulla conſtringi neceſſitate, ſed voluntate arbitrâ, inclinare ad alteram partem. Atque ita ea vox aptiſſimè exprimit quod hîc affirmamus.

Vt mirum non ſit eandem Nouatoribus tantoperè inuiſam eſſe, vt etiam, homo vita quàm nomine tetrior, & in conuiuio eorum pariter potantium, ſecundùm Lutherum facilè princeps, Melancton, inquam; vocem *liberi arbitrij*, per profanam & animalem rationis noſtræ ſapientiam, quamuis à diuinis literis, à ſenſu & iudicio ſpiritus alieniſſimam, ab Ethniciſmo hauſtam queſtus aliquando ſit. Nec aliud frequentiùs quandoque fuit noui Euangelij buccinatoribus quàm quod hac in parte; vt in nomine liberi arbitrij, ſic in dogmate ſentiamus cum Ethnicis, & Euangelij hoſtibus, à quibus nouelli iſti Chriſtiani, magis ſe recedere gloriantur. Quibus facile eſt illud Auguſtini reponere in ſimili, cum Manichæis eandem fatuam gloriationem gloriantibus, reſpondet l. 20. contra Fauſtum c. 10. *Si propterea vos putatis tenere veritatem, quia & errori Paganorum longè diſſimiles eſtis: nos autem propterea eſſe in errore, quia longius à vobis, quam à Paganis forte diſtamus: dicatur & mortuus ideo ſanus, quia iam nec ægrotus eſt, & ideo reprehendatur qui ſanus eſt, quia vicinior eſt ægroto quàm mortuus. Aut ſi plerique Pagani, non velut ægri, ſed velut mortui deputandi ſunt, laudetur in ſepulchro cinis informis, quia iam nec formam cadaueris tenet: & membra viua culpentur, quia cadaueri ſunt ſimiliora, quàm cineri. Sic & nos ideo iſti culpandos putant, quia nos ſimiliores eſſe dicunt funeri Paganorum, quàm fauillæ Manichæorum.* Subſtituo *Caluinianorum*: Cætera enim bellè, & quàm appoſitè in rem noſtram. Porrò vſurpaui in his omnibus, appellationẽ *liberi arbitrij*, eo modo quo paſſim vſurpari ſolet; ſiue prout idem ſonat quod voluntas libera: quamuis non me latet, apud aliquos *liberi arbitrij* nomen, arctari ad libertatem potentialem. Audi enim Gerſonem 3. p. in centilogio de conceptibus partit. 7. cum agit de conceptionibus affectiuis. *Procedunt*, inquit, *à libertate voluntatis, non qualicunque, ſed arbitrij libertate, quæ poteſt agere & non agere, aut in ſuſpenſo ſe tenere poſt præſentationem obiecti: quamuis hæc conditio non ſit de libertate voluntatis ſimpliciter, ſed ex imperfectione conſurgit in actibus ſuis, qui poſſunt eſſe & non eſſe. Propterea libertas arbitrij non ponitur in Deo ad intra, ſed benè ad extra.* Hanc liberi arbitrij arctationem non omnibus fuiſſe probatam, monſtrant quæ ſæpè in ſuperioribus protulimus, & vſus ipſe contrarium ferre videtur. Neque enim reformidant autores, tribuere Deo liberum voluntatis arbitrium. Quod ſi inde argumentum ducas contra dominium in actum, quod dicimus ſignificari voce liberi arbitrij, contendâſque Deum libero arbitrio pollere, neque tamen actui ſuo, qui Deus ipſe eſt, dominari. Facilè reſpondebitur, agnoſci hic quoque poſſe dominium Dei in ſuum actum diuinum internum; non quoad eius poſitionem vel ſubactionem entitatiuam, ſed quoad terminationem ad obiectum, & dimanationem actus ab interno.

Expreſſum etiam quandoque, nomine tribunalis interni

115. Verùm priuſquàm hinc abeo, non poſſum circa duplicem arbitrij notationem paulò ante propoſitam, prætermittere nonnulla, quæ huc optimè omnino cadunt. Illúdque in primis, quod arbitrium pro iudicio ſumitur, poſſe ad ſententiam iudiciariam pertinere, quæ in animæ quaſi tribunali interno fertur adiudicata alterutri diſſidentium partium lite. Id enim illam quoque poteſtatem iuris dicendi ac decreta ferendi, quam libertati vendicamus, non parum illuſtrat. Reſpexerúntque huc varij Patres, qui præiudicari à nobis in cauſa noſtra, & anticipatum à nobis de nobis ipſis ferri iudicium, liberè votum alteri præeligendo, ſæpè monent.

Adſcribo breuiter Baſilij locum ex homil. 12. quæ eſt in principium Prouerbiorum. *Apud nos ipſos*, inquit, *iudicium quoddam naturale habemus per quod ab iniquis bona facile diſcernimus. Neceſſarium nobis in agendorum optione, recta facere rerum diſcrimina, & quaſi iudicem quemcunque, qui iuſta ſit alioqui mente, res cogniturum contrarias, ſaneveri tuis oportebit, damnare autem vitium. V. g. inceſtus & pudicitia, apud te iudicantur, & altamens tua, pro tribunali ſedet. Ex vna parte, voluptas inceſtui ſuffragatur; Dei timor quod vitia aſ-*

ſiſtit. Si igitur peccatum condemnant, virtutem ſuperare volueris, rectum rei iudicium conſtituet. Si verò ad voluptatem propenſius, hanc duxeris potiorem, obliquum miniméque rectum facies iudicium; reus ſanè factus vocis illius. Væh dicentibus amarum dulce, & dulce amarum: qui dicunt lucem tenebras, & tenebras lucem. *Quoniam igitur ex ipſius Salomonis ſententia,* cogitationes iuſtorum, iudicia ſunt; *viro ſapienti, omnino ſatagendum erit, intra cordis arcana tribunal conſtituere, rectáque facere iudicia: Mentem quoque velut in trutina ſuſpendere, ad ea qua conueniunt, & ad quodlibet agendum aqua lance librare. Quando ſingula Dei mandata, contra aduerſantem ſibi malitiam, certum te iudicium experiuntur, da legi diuina contra vitium victoriam. Iniquum & æquum apud te iudicantur? Reſponde contra concupiſcentiam alienorum bonorum Dei vt vincat virtus. Contumelia & patientia inuicem pugnant: Vitupera contumeliam, lauda patientiam. Odium item & charitas? Alterum procul reiice alteram verò, videlicet charitatem, propriam, familiarémque tibi redde. Simulatio & ſimplicitas: fortitudo & timiditas, prudentia & imprudentia, iuſtitia & iniuſtitia; temperantia, & intemperantia iudicantur? Tunc denique in tua mentis receſſu iudiciorum rectitudinem oſtende; & veluti in tribunali, tibi ipſi aſſidere mandatum Dei faciens monſtra te vitium abhorrere, ac omninò ab eo eſſe auerſum, virtuti verò fauentem ſtudentémque.*

Altas nomine libra, ſiue ſtatera.

116. In collectaneis Simonis Magiſtri ex Baſilio, orat.7. huic quem adduximus Baſilij loco, aliqua præmittuntur in rem noſtram omnino inſignia, quæ ex alio Baſili loco, conflata in vnum ſunt à Simone. Quia verò arbitrium, pro beneplacito & depreſſione voluntatis in hanc potiùs partem, quàm in oppoſitum, accipi poſſe dicebam; idque eo loco quem Simon truncauit, expoſuit egregie D. Baſilius, ſtateræ, ſiue libræ, liberum arbitrium comparans, non faſtidiam hunc quoque locum ex commentario in Pſalmum 61. ſuperiori attexere. Miratur eo loco S. Baſilius quorſum Pſaltes, filios hominum vanos mendacéſque in ſtateris dixerit, cum non omnes ſint mercatores; & pleriſque timendum non ſit à ſtateræ abuſu, qui nullum ſtateræ vſum habeant. Hanc admirationem ita includit, & diſpellit S. P. [Quid igitur eſt quod dicit? Quoniam cuilibet noſtrum intus ſtatera quædam eſt, à conditore omnium apparata, per quam rerum naturam poſſis probè diſcernere. *Poſui*, inquit, *ante faciem tuam, vitam & mortem; bonum & malum*; duas inter ſe contrarias naturas. Has tu apud tuum tribunal & iudicium examina, ac diligenter expende, quid vtilius tibi ſit. An momentaneam parúmque duraturam eligere voluptatem, per quam mortem apprehendas æternam; an in virtutis exercitatione, afflictionem malle, qua perpetuas conſequaris delicias. Mendaces ergo homines, corrupta habentes animæ iudicia. Quos & Propheta miſeros prædicat, dicens *væ dicentibus tenebras lucem, & lucem tenebras amarum dulce, & dulce amarum.* Mihi, inquis, præſentia videntur: Quis nouit futura? Malè libram expendis, mala pro bonis eligens; Vana, veris anteponens, momentanea, perpetuis potiora ducens; tranſitoriam denique voluptatem, pro lætitia nunquam deſitura ac perpeti, præeligens. Mendaces ergo homines in ſtateris iniquitatis. Iniuria afficiunt præcipuè quidem ſeipſos, deinde verò proximos. Nam cùm in propriis factis, malè ſibi conſulant, malo ſunt etiam proximis exemplo. Nec enim die illo iudicij ſibi licuerit dicere, quia neſciui quid eſſet bonum. Tibi namque propria datur libra, quæ ſufficiens diſcrimen boni ac mali demonſtrat. Corporea namque pondera, in libræ lancibus probamus; quæ verò ad inſtituendam vitam eligenda veniunt, per liberum arbitrium diſcernimus, quod & ſtateram nominauit, quòd momentum æquale ad vtramlibet poſſit capere.]

Recolendus Tertulliani locus ex 2. contra Marcionem cap.6, ſupra adductus num. 110. Eo tamen loco quod ad hanc rem non parum facit, obſeruari velim non rectè cenſuiſſe Panelium, idem eſſe ſtateram, apud Tertullianum, & libripendem. Eſt enim libripens non libra aut ſtatera ſedis è cuius manu libra pēdet ad appendenda rerum pondera. Qui olim apud Romanos cum venditiones celebrabantur, atque etiam cum teſtamenta per imaginariam venditionem fiebant, vt latè deponit Briſſonius l.7. formul. *ſub init.* aderat vt ex officio libram teneret, eoque præſente, qui empturus acceſſerat miſſo in alteram lancem ære exiguo qui ſtateram ab æquilibrio dimoueret rem vendicabat in ſuam poteſtatem. Idque ſimiliter in emancipationibus quia teſtamento reſpondent, quoad iuris tranſlationem, & imaginariam venditionem ex iuris diſpoſitione continebant, ſeruatum fuit. Quemadmodum ergo in venditione & emancipatione, res venalis vel emancipationi ſubiecta tranſibat in alterius poteſtatem: Ita bonum quod ſolius numinis proprium videri potuiſſet, interuentu libertatis tanquam libripendis quæ voluntatem ad inſtar libræ hac illhacve flexilem regit, efficitur hominis proprium. *Hoc* illa Tertulliani verba ferunt in citato loco. *Vt bonum iam ſuum haberet homo emancipatum ſibi à Deo, & fieret proprietas iam boni in homine & quodammodo natura, Dei inſtitutione adſcripta eſt illi quaſi libripens emancipati à Deo boni, libertas & poteſtas arbitrij, qua efficeret bonum vt proprium iam ſponte praſtari ab homine.* Et hinc dominium liberæ voluntatis in actum ſuum, tanquam in rem propriam, elegantiſſime exprimitur.

Quinta liberi principij deſcriptio, minus commoda, vtcunque tamen apta.

117. Poſtrema liberæ facultatis deſcriptio proferebatur, qua dicitur eſſe, facultas voluntatis & rationis, ad vtrumlibet, vel etiam ad oppoſita. Quæ tamen non tam eſt definitio formalis, quam cauſalis ſimul & formalis. Ratio enim hîc non admiſcetur tanquam aliquid formaliter pertinens ad libertatem, ſed tanquam radix & fons libertatis, quæ voluntati ſoli formaliter inſidet vt poſtea dicam. Itaque poterat aut etiam debebat in præciſa libertatis definitione, omitti ratio, Rectéque Franciſcus Romanus tract. de libertate operum, verita. S. definitionem hanc excutiens, fatetur eam onerari non neceſſaria mentione rationis. Si autem velimus reſecando non neceſſaria, exactè libertatem definire, dicendum eſſe, liberum arbitrium non aliud eſſe eſſentialiter, quàm voluntatem expeditam ad eligendum, & conſequenter ad operandum. Hoc eſt Romani iudicium de prædicta definitione: quæ certè vel hoc nomine minus probanda eſt, quod periculum ſit ne minus periti inducantur in errorem, cenſeantq; libertatē directè integrari ex ratione & voluntate: cùm eodē tenore & voluntatis & rationis mentio in ea fiat. Quamuis iuxta verum ſenſum prædictæ definitionis, particula illa *voluntatis*, ita ſit ſumenda, vt ſignificet id quod libertas eſt in recto. Vt cùm dicimus *perſona Regis*, id eſt, *perſona, quæ eſt Rex*: Particula autem illa *rationis*, ſumenda ſit in obliquo ſicut accipitur in definitione electionis particula *præconſiliati*, cùm electio dicitur eſſe *appetitio præconſiliati.* Hoc enim exemplo D. Thomas q. 24. de verit. art. 4. *in corpore*, declarat quomodo ratio & voluntas ſe habeant ad libertatem.

Poteſt

Poteſt etiam aliud vitium in ea definitione notari: In ea quippe non exprimitur poteſtas & dominium in actum, quod eſt libertati maximè intimum, ſed tantùm obſcurè deſignatur per nomen *facultatis* vt docet D. Bonauent. in 2. d. 25. q. 3. num. 20. *in fine.* aduertit enim nomine *facultatis*, hîc intelligendum eſſe principium potens exire in actum, & quidem cum dominio: Ita ſcilicet, vt per huiuſmodi principium ſtet, quòd exeat vel non exeat. Cùm ergo paſſim facultas aliter vſurpetur, ſumatúrque etiam pro principio non domino actus ſui (cuiuſmodi ſunt multa principia, quæ poſſunt multos, etiam oppoſitos effectus producere pro varietate diſpoſitionum materiæ,) Propterea ea libertatis definitio, quæ ſine inuſitata illa vocum vſurpatione non quadrat in ſolam facultatem liberam, minùs commoda cenſeri debet. Tantùm abeſt vt quod Aluarez contendebat, ſit omnibus anteponenda.

Si tamen in ſenſu quem protuli accipiatur, recidit planè in priores, & nominatim in primam rectè expoſitam. Idem enim eſt facultas ſiue dominium ad agendum & non agendum, ac facultas, quæ poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis poteſt agere & non agere. Illud enim dominium non interueniret, ſi non adeſſet potentia operatiua: hæc autem non poteſt dari niſi ſit inſtructa omnibus prærequiſitis. Atque ita duæ illæ definitiones, vt rectè notat Gabriel in 2. d. 25. q. vnica *litera B.* eundem ſenſum faciunt, quicquid idem Aluarez ſecus aſſerat, niſi quòd prima illa, expreſſior eſt, & minus ambiguitatibus obnoxia, eóque nomine magis probanda.

ARTICVLVS III.

Principij liberi dignitas, multiplicitas, & comparatio cum principio voluntario, ex dictis eruitur.

118. EX ratione libertatis hactenus expoſita non eſt difficile colligere, quid, & quotuplex formaliter ſit principium liberum, ac quomodo ad voluntarium ſuperiori quæſtione expoſitum ſe habeat, quæ omnia conſectaria, breuiter excutere non erit inutile.

Conſectarium primum, libertatis nobilitas.

Infertur ergo primò, ſumma omnino libertatis dignitas ac nobilitas, qua natura noſtra, ingenua redditur & ſeruituti eripitur; vt pulcherrimè contra Chryſippum & alios libertatis inficiatores dixit Oenomaus Cynicus apud Theodoretum initio ſexti contra Græcos. Atenim neminem latet, quòd libertas illa, quæ in exemptione à ſeruitute conſiſtit non bene pro toto venditur auro. Eam ſanè tanti fecere plerique, vt vitæ prætulerint. Imo de ſubiectione ciuili, quæ ingenuitatem non eripit, is fuit multarum Prouinciarum ſenſus, vt mallent aduerſa omnia perpeti, quàm colla alieno iugo ſubdere. Quò ſpectant multa, quæ habet Philo lib. quod omnis probus liber, & Dio orat. 14. & 80. Optimè Epictetus l. 4. apud Arrianum c. 1. *Propter illam (quæ vulgo exiſtimatur) libertatem conſeruandam, quidam cenſuerunt ad extremum decertandum, dum voluntario ſuſpendio ſibi ipſis vim afferunt, aut ſemetipſos præcipites de ſaxo deiiciunt. Sæpenumero vniuerſæ ciuitates vt libertatem ne amitterent perierunt.* Et tamen huiuſmodi bonum cùm poſſit eripi & iniuriæ pateat: itémque cùm plerique in malum ſuum eo abutantur (pleriſque enim, quod Ariſtoteles etiam notauit 1. Polit. c. 3. expedit ſeruire;) non poteſt tanti eſſe.

Sola quæ per naturalem libertatem confertur ingenuitas, perdi non poteſt. Sola tyrannorum violentiæ ſubducitur, nec vllis ſiue tormentis, ſiue exquiſitæ crudelitatis machinamentis, ſubigi poteſt inuicta. Quod infinities exaggerat Epictetus, cæterique, maximè eiuſdem ſcholæ Philoſophi. *Erras*, inquit Seneca 3. de benef. cap. 20. *Si quis exiſtimat, ſeruitutem in totum hominem deſcendere. Pars melior eius, excepta eſt. Corpora obnoxia ſunt, & adſcripta dominis: mens quidem, ſui iuris; quæ adeò libera & vaga eſt, vt ne ab hoc quidem carcere cui incluſa eſt, teneri queat, quominus impetu ſuo vtatur, & ingentia agat, & in infinitum comes cæleſtibus exeat. Corpus itaque eſt, quod domino fortuna tradidit. Hoc emitur, hoc venditur. Interior illa pars mancipio dari non poteſt. Ab hac quicquid venit, liberum eſt. Non enim aut nos omnia iubere poſſumus, aut in omnia ſerui parere coguntur.* Itaque hunc præcipuum hominis honorem appellat Euſebius 6. præparat. cap. 5. quòd dominus ſibi ipſi ſit manus, & liber, ac ſui motus iudex.

Homo, per libertatem, imago Numinis.

119. Sed ex eo præſertim elucet libertatis nobilitas, quòd per eam maximè ad Deum creatorem accedimus, æmulati quantùm fas eſt, nobilitatem eius, qui nulli ſubeſſe poteſt, eſtque pleniſſimè iuris ſui. Id enim, (quod eſt ſanè eminentiſſimum,) ita Deo ſuapte natura competit independenter à quouis alio, vt creaturæ liberæ ſuapte quoque natura conueniat, tametſi dependenter à Deo, naturam illam de potentialitatis caligine, in lucem actualitatis educente. Vt non immeritò Patrum plerique Dei imaginem in creatura intellectuali ex hoc capite petant, quòd huiuſmodi creatura ſit libera, ideóque diuini dominij luculentam expreſſionem contineat. Quæ eſt Anaſtaſij tennuciatio q. 21. in ſcript. poſt Theodoretum, quem adducit. Conſentit Iſidorus Peluſ. l. 3. epiſt. 95. huc aptans quod eſt apud Apoſtolum de viro Dei gloria & imagine, ob dominium, quo Dei maieſtatem exhibet; muliere autem gloria viri, quia ad virum conuerſio eius, & ipſe dominatur illius, iuxta diuinum oraculum. Et quanquam aliò id refert. Hilarius Diacon. q. 21. ex veteri Teſtamento apud Auguſtinum tom. 4. nempe ad hoc quod vnus vnum fecit, & ſicut ab vno Deo ſunt omnia, ita & ab vno homine vnum genus humanum; tamen ex ipſa in homine imagine diuina, poteſtatem viri in mulierem mox infert idem autor; quæ tamen poteſtas niſi ad eum modum fundetur quo eſt ab Iſidoro proximè fundata, nutabit aut etiam concidet. Eſt ergo homo ad imaginem Dei, ratione dominij plantati libertati. Imò ea ex cauſa ſanctus Damaſcenus orat. de duabus Chriſti volunt. *ſub medium*, contendit hominem eſſe magis ad imaginem Dei, quàm Angelum: Quia homo habet ſeruum naturalem, nempe corpus; quo Angelus deſtituitur.

Nec eſt quòd quis opponat, hoc dominium, quo in alia principamur, & ſimiles Deo efficimur, non eſſe dominium in actus noſtros, ſed in res externas iuxta illud quod prædicti Patres expendunt. *Faciamus hominem ad imaginem noſtram & præſit*, &c. Hoc ſiquidem dominium in res externas, eſt effectus libertatis vt rectè aduertit Victoria relect. 1. de Indiis n. 20. & ex eo præter cætera confirmat, quòd quæ non habent dominium effectuum ſuorum ſiue actuum, multó minus potiri debeant iuri dominij in res externas. Enim

verò quod Prudentius in Hamartigenia rectè aduertit vt ſupra retuli, quale eſſet vt Deus, quem aliis præficeret dominum, ſeruitute æterna deuinctum vellet? Itaque in huiuſmodi effectu reciproco, rectè cauſa eius ſubintelligitur; hoc eſt, dominium illud in actus ſuos, quo conſtituitur libertas.

120 Atque ita grauiſſimi Patres, diſertiſſimè aſſerunt, hominem ex hoc capite eſſe perfectiſſimam Dei imaginem. Paucos profero. Tertullianus 2. contra Marcion. cap. 5. *Liberum, & ſui arbitrij, & ſuæ poteſtatis inuenio hominem à Deo inſtitutum, nullam magis imaginem & ſimilitudinem Dei in illo animaduertens, quam eiuſmodi ſtatus formam. Neque enim facie & corporalibus lineis, tam variis in genere humano, ad vniformem Deum expreſſus eſt: ſed in ea ſubſtantia, quam ab ipſo Deo traxit, id eſt, animæ; ad formam Dei reſpondentis, & arbitrij ſui libertate, & poteſtate ſignatus eſt.*

Macarius hom. 15. hominem alloquens. *Creaturæ viſibiles natura quadam immutabili prædita ſunt. Cælum etenim ſemel ornatum eſt, SOL, LVNA & TERRA, nec tamen complacuit in iis Domino, neque aliter ac creata ſunt, conuerti poſſunt, neque habent voluntatem. Tu vero propterea es ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus, quia quemadmodum Deus ſui iuris eſt, & quod vult facit, quando ei ita viſum eſt, pro poteſtate & iure ſuo mittit iuſtos in gehennam, ac peccatores in regnum: (quamuis hoc minimè velit, nec placeat ei; iuſtus enim eſt Dominus:) ſic quoque tu ſui iuris es, & ſi velis perire, mutabilis natura. Si libeat blaſphemia afficere, venena conficere, aut interficere aliquem nemo tibi reluctatur aut prohibet te. Si velit quis, morem gerit Deo, & ingreditur viam iuſtitiæ, ac vincit concupiſcentias.*

Pulcherrimè, nec vno loco, idem docet Nyſſenus. vt l. de hom. opif. cap. 4. *Præſtantiſſimus ille rerum artifex, naturam noſtram condidit, velut inſtrumentum quoddam regno adminiſtrando idoneum. Vt eſſet ad hoc homo quàm aptiſſimus, cum præſtantiſſimis animi dotibus, tum eâ quam cernimus corporis eum forma exornauit. Et animus quidem, regiam excelſámque dignitatem ſuam, longè ab humilitate priuata ſeiunctam, in eo declarat, quod dominum neminem agnoſcit, & ſuo ex arbitrio agit omnia, meróque & ſummo imperio, vt ipſi libet, ſeſe gubernat. Nam cui tandem hoc conuenit, ſi non Regi? Præterea hominem natura diuina, cuius omnia parent imperio imaginem eſſe, nihil eſſe putandum eſt aliud, quam regium ei decus, ipſa in creatione, tributum eſſe. Quemadmodum enim iure humano qui Principum imagines faciunt, natiuæ formæ indicia effingunt, atque etiam purpuræ amictu regiam dignitatem exprimunt eáque deinde ſua imago numeris abſoluta, ex conſuetudine Rex appellatur: Ita & hominis natura ſic condita, vt reliquarum creaturarum domina eſſet, propter eam qua Regem vniuerſitatis huius refert ſimilitudinem, tanquam quaſi viua erecta eſt: cum qua & dignitas & nomen exemplaris Principis communicaretur.*

Et in oratione magna Catechetica cap. 5. *Qui ad hoc vt ſummis bonorum particeps fieret, adminiculum & acceſſionem eius naturæ indidit, vt per vnumquodque ad ſimile ferretur appetitio, non priuauerit hominem eo quod eſt bonorum pulcherrimum & præſtantiſſimum? illâ*, inquam, *gratiâ, quæ in eo conſiſtit, quòd non ſit aliquid, quod dominatum in eum obtineat, & quod ſit ſui iuris & liberi arbitrij. Si enim vitæ humanæ præeſſet neceſſitas, ex ea parte falſa fuiſſet imago, vt quæ per diſſimilitudinem aliena eſſet ab exemplari. Regnantis enim non regnans, quemadmodum nominaretur imago? Quod ergo per omnia Deo erat aſſimilatum, oportebat omnino habere in natura, quòd ſibi imperaret, & domino minimè eſſet ſubiunctum, vt virtutis eſſet præmium bonorum participatio.*

Et optimè oratione de mortuis. [Inconſideratius fortaſſe rem expendentibus, videretur vtile, vt à malo diſcederemus inuiti, coactíque ad bonum reuerteremur. At humanæ naturæ effectori inutile viſum eſt atque iniquum, vt ob eam diſpoſitionem, natura maximi boni iacturam faceret. Nam cùm Deo ſimilis, beatúſque ea re eſſet homo, quòd libera præditus erat voluntate: (iuris enim eſſe ſui, & nullius ſubiectum imperio, diuinæ eſt beatitudinis proprium;) ſi neceſſitate illum, & vi, ad aliquid impuliſſet, ea ſpoliaſſet ipſum dignitate. Qui enim ſponte motúque voluntario, naturam ſuam, ad aliquid eorum quæ non conueniunt conuerterunt, per vim ab iis quæ ſibi delegerunt, deſiſtere cogantur, bonum illis adimitur, quod habebant priùs, eaque res eſt priuatio diuini honoris. Liberum enim voluntatis arbitrium eſt honor diuino æqualis.]

121. Æmulatus eſt (de more) Nyſſenus Baſilium, cuius eadem eſt ſententia de diuina in nobis imagine homil. 10 hexaem. Vtrumque autem expreſſit Damaſcenus lib. 2. de fide orthod. cap. 12. oſtendens, hominem eatenus ad imaginem Dei effectum eſſe, quatenus eſt liberæ poteſtatis, & in vtramque partem flexilis pro arbitrio, vnde factum eſt, vt rebus inferioribus præfici ac dominari poſſet. Idem habet, & quidem luculenter S. Bernardus, variis locis quorum nonnulla mox dabo. Plenè quoque in hanc rem diſputat Æneas Gazæus in Theophraſto. Decerpo plagulam, *Anima quæ ratione ſit prædita, pulcherrima eſt hæc dignitas, quod ſui iuris ſit & planè libera. Atque hoc ipſum eſt eorum quæ ſunt in nos collata, præcipuum ac maximum conditoris munus, quod ego omnium maximè exoſculor, & de quo maximas datori Deo gratias ago. Quid enim libertate eſt auguſtius? Hæc quem hominem accepit, ex homine Deum facit.* Móxque errorem illum de feliciore hominis ſorte, ſi inuitus ad bonum fuiſſet pertractus, conuellit potentiſſimè. Sciſſimè de more Fauſtus l. 2. de grat. & lib. arbit. reiectis iis qui Dei in homine imaginem ſimilitudine cum Chriſto quandoque exituro definiebant, veram Dei in nobis expreſſionem, cùm aliis intellectualis vitæ dotibus, tum nominatim, & vltimò libertate contineri demonſtrat. Præclarè etiam Sanctus Hieronymus epiſt. 146. tractans illud, [Diuiſit illis ſubſtantiam. Significantiùs, *inquit*, in Græco legitur, καὶ διεῖλεν τὸν βίον, id eſt, dedit eis liberum arbitrium, dedit mentis propriæ libertatem; & vt viueret vnuſquiſque, non ex imperio Dei, ſed obſequio ſuo; id eſt, non ex neceſſitate, ſed ex voluntate; vt virtus haberet locum, vt à cæteris animantibus diſtaremus, dum AD EXEMPLVM DEI, permiſſum eſt nobis facere quod velimus: vnde & in peccatores æquum iudicium, & in Sanctos & iuſtos, iuſtum præmium retribueretur. Alios præterea proferunt, qui de diuina in nobis imagine philoſophantur.

Hæc porrò non diſputo, quaſi aliis de ea imagine ſententiis præiudicium inferens; ſed id duntaxat accipiens, quod hi Patres de libertatis creatæ eminentia, & ad Deum per eam acceſſu tradunt. Præterquàm quod, quamcunque demum probabilem eiuſdem imaginis exponendæ rationem ineamus, quandoquidem libertas eſt facultas voluntatis & rationis, ſemper in libertatem recidemus.

Maximus hominis ad DEVM acceſſus, & à brutis receſſus per libertatem.

Verùm quia S. Bernardus ſerm. 81. in Cant. ex hac cum Deo ſimilitudine, & ex eo quod ſit totius meriti

ac

ac laudis fundamentum, libertatem creatam egregiè commendat, placuit eum ſeorſim adducere. Ita habet, poſt varias hominis cum Deo ſimilitudines fuse expoſitas. [Sed onim adhuc vnum occurrit quod minimè prætcribo nec enim minus inſignem ſimilémve minus verbo animam facit, & forte etiam plus. Arbitrij libertas hæc eſt, ſanè diuinum quiddam præfulgens in anima, tanquam gemma in auro. Ex hac nempe ineſt illi inter bonum & malum, nec non inter vitam & mortem, ſed & nihilominus inter lucem & tenebras; & cognitio iudici, & optio eligẽdi, & ſi qoa ſunt alia, qoæ ſimiliter circa animi habitũ, ſeſe è regione reſpicere videantur Nihilominus inter ipſa cenſorius quidã arbiter, is animæ oculus duudicat & diſcernit: ſicut arbiter in diſcernendo, ita in eligendo liber. Vnde & liberum nominatur arbitrium, quòd liceat verſari in his pro arbitrio voluntatis. Inde homo ad promerendum potis. Omne enim quod fecerit bonũ malúmve, quod quidem non facere liberum ſit, meritò ad meritum reputatur. Et vt meritò laudatur, non is tantum qui potuit facere mala, & non fecit, ſed & qui potuit non facere bona, & fecit Ita malo non caret merito, tã is qui potuit non facere mala & fecit, quam qui potuit & facere bona, & non fecit. Vbi autem non eſt libertas, nec meritum. Propterea quæ ſunt carentia ratione animalia, nihil merentur, quia ſicut deliberatione, ita & libertate carent. Senſu aguntur, feruntur impetu, rapiuntur appetitu. Neq; enim iudicium habent, quo ſe diiudicent, ſioe regant: ſed ne inſtrumentum quidem iudicij, ideſt, rationem. Inde eſt qoòd non iudicantur, quia non iudicant. Quanã qoippe ratione ab his exigatur ratio, qnam non acceperunt. Hanc vim à naturâ ſolus homo nõ patitur, & ideo ſolus inter animãtia liber]

122. Vides inſignia & homini præcipua libertatis decora. Nam alias quidem dotes aliquatenus, ſaltem per analogiam quandam, cum brutis communes habemus, etiam prudentiam & ſolertiam: ſolius libertatis, ne analogicè quidem compotes ſunt brutæ animantes, ob rationem infra exponendam, quam S. Bernardus breuiter paulò ante, ſed acutè attigit. Nonnulla ex iis, quæ à S. Bernardo hic tacta ſunt, propoſuit, aliáque inſuper addidit Sebundius, in ſcalis creaturarum tit. 62. & 82. & 92. concludens tit. 103. ex eo manifeſtè petere libertatis dignitatem, quòd cum eſſe, viuere, ac ſentire gradatim communicata ſint rebus inferioribus; nempe eſſe, omnibus, viuere, quia nobilius erat, plantis, ſentire, quia etiam altius erat, animalibus: libertas tamen, inter hæc inferiora, ſoli homini conceſſa eſt: Eoidenti ſanè argumento, quòd nobilior ſit, quàm cætera enumerata quæ quamuis ſint valde pretioſa, ſunt tamen extra hominem plurimis inferioribus communicata, quæ erat poſtrema libertatis prærogatiua, ex S. Bernardo propoſita.

Quod autem in eiuſdem ſermonis calce, D. Bernardus, memoret ſe de hac Dei imagine in libero arbitrio ita diſſeruiſſe lib. de grat. & lib. arbitrio, vt aliqua his quæ nunc ex eo adducta ſunt, non aduerſa, ſed diuerſa protulerit, iuuat ea deflorare, quòd ad libertatis dignitatem illuſtrandum permagni referant. Triplicem libertatem eo libello latè exponit: nempe à neceſſitate, à peccato, à miſeria, quas ipſe aliis etiam nominibus inſignit, nempe arbitrij conſilij, & complaciti. Poſt multa ergo de eis præmiſſa, ita ſubdit. *Puto autem in his tribus libertatibus, ipſam ad quam conditi ſumus conditoris imaginem atque ſimilitudinem contineri. Et imaginem quidem in libertate arbitrij; in reliquis autem duabus, bipartitam quandam conſignari ſimilitudinem Hinc eſt fortaſſis quod ſolum liberum arbitrium, ſui omnino defectum, ſeu diminutionem non patitur, quod in ipſo, æternæ & incommutabilis diuinitatis ſubſtantiua quædam imago impreſſa eſſe videatur. Nam etſi habuerit initium, neſcit tamen occaſum, nec de iuſtitia vel gloria capit augmentum, nec de peccato ſiue miſeria detrimentum. Qui æternitati ſimilius, quod non ſit æternitas?* Nec ita multò poſt, diuinam hanc imaginem cum forma ſua & archetypo confert in eo, quòd ſicut Deus mundum vniuerſum regit, attingens à fine vſque ad finem fortiter, & diſponens omnia ſuauiter: ita & liberum arbitrium omnibus hominis facultatibus ac corpori præeſt, potenter operans & ſuauiter regens: idque nulla neceſſitate adigente, ſed ſolius voluntatis ſuæ nutu, quo maximè diuinam libertatem in orbe regendo æmulatur.

Tandem verò ita concludit. *Hac ſanè (vt dictum eſt) dignitatis prærogatiuâ rationalem ſingulariter creaturam conditor inſigniuit, quod quemadmodum ipſe ſui iuris erat, ſuaque ipſius voluntatis, non neceſſitatis erat, quod bonus erat: ita & illa quoque ſui quodammodo iuris in hac parte exiſteret: quatenus non niſi ſua voluntate, aut mala fieret, & iuſtè damnaretur; aut bona maneret, & meritò ſaluaretur. Non quod ei propria poſſet ſufficere ad ſalutem voluntas, ſed quod eam nullatenus ſine ſua voluntate conſequeretur. Nemo quippe ſaluatur inuitus* Quod Deum non neceſſitate, ſed voluntate bonum eſſe ait, de bonitate Dei erga nos, & res creatas ab ipſo conditas, accipiendum eſt: non autem de bonitate Deo interna, quam liquet eſſentialem eſſe Deo, & non liberam. Et ſanè ſola actuum bonitas eſt quâ ſaluamur; ac proinde quâ Dei bonitatem in operibus bonis ad extra liberè effuſam exprimimus.

Præcellentia libertatis, ex dominio in alias facultates.

123. Libertatis præcellentiam ſuper omnes hominis facultates, ex dominio in eas, à Diuo Bernardo paulò ante tactam, ita amplificat Epictetus apud Arrianum l. 3. cap. 23. verbis illis. *Vtrum ſatius ſit loqui an tacere; & vtrum hoc an alio modo, & vtrum deceat, an verò ſit indecorum; vſum præterea & occaſionem cuiuſque rei, quænam alia nobis facultas oſtendit, quàm ea, penes quam eſt delectus rerum? Vis ergo præſenti ei abrogare imperium, Quod ſi ita res ſit comparata, quid ait? Num poteſt quod inſeruit eo cui inſeruit præſtantius eſſe? equus equite? venatore canis? inſtrumentum citharœdo? aut ſeruus Rege? Quid eſt quod vtitur rebus? Arbitrium. Quid procurationem omnium rerum habet? Arbitrium. Quid totum hominem perimit, aliquando fame, interdum laqueo, ſæpenumero præcipitio? Certè voluntas & arbitrium. Quicquámne efficacius eſt in homine? At qui fieri poteſt, vt quod nequit prohiberi, ſit infirmius his quæ prohiberi poſſunt? Quid cernendi ſenſum impedire poteſt? Nonne ipſum arbitrium? Et vniuerſa hæc cadunt ſub arbitrium. Similiter audiendi & item eloquendi. At verò ipſum arbitrium quónam poteſt impediri? Non equidem eo quod ſub ipſius poteſtatem non cadat, aut ipſum non attingat dum non vult, ſed ipſa ſeipſam conuertit quocunque libuerit voluntas. Quare in ſola hac, omne vitium eſt, & malitia: ac ipſa, ſe ſolâ, omnis virtutis efficitur compos.*

Et ex eius inſuperabilitate per vim creatam.

Hæc eſt in rebus creatis ſoli Deo inſuperabilis potentia, vnde libertatem extollit magnificentiſſimè Richardus de S. Victore lib. de ſtatu inter. hom. parte 1. cap. 3. vbi præfatus, inter dona creationis nihil in homine eſſe ſublimius, nihil dignius libero arbitrio, id probat in hunc modum, *Quid quaſi in homine ſu-*

in qua intellectus & voluntas, atque adeo etiam libertas. Sic acceptam mentem, animæ oculum, imperatricem ac moderatricem totius hominis indigetat, & in eius laudes nonnihil exſpatiatus, ſubdit. *Solam hanc, pater iuſſit eſſe liberam, exemptam & dimiſſam è neceſſitatis vinculis, donatámque munere decentiſſimo voluntatis ſpontaneæ, quatenus eius capax erat. Nam bruta animantes, quarum animabus non inest mens donata libertatis priuilegio, ſubiugata frænatáque, traduntur ad miniſterium hominum, tanquam heris mancipia. Homo autem liberam facultatem, & ſui iuris ſententiam ſortitus, ex deſtinato pleraque faciens, meritò vituperium incurrit, ſi prudens ſciénſque peccat; ſicut è diuerſo laudem, quando ſua ſponte benè facit. Nam ſtirpium animaliúmque, nec vbertas laudatur, nec ſi malè proueniant, vituperantur; quòd vterque hic motus, & vtraque mutatio, non eſt voluntaria. Sed ſola hominis anima, quæ accepit à Deo motum voluntarium, hactenus illi ſimilis, à moleſtiſſima grauiſſimáque hera neceſſitate, quantum licuit, manumiſſa, iure accuſari poſſet ſi liberatorem ſuum non coleret, non euaſura pœnam quâ animaduertit in libertorum ingratitudinem.* Aſtipulatur author homiliæ in illud Eſaiæ *ſi volueritis*, &c. quæ extat inter Chryſoſtomi homilias in vetus Teſtam. *Non idcirco*, inquit, *ſeruus liber efficitur, vt ab eodem iuſſa Domini contemnantur; aut ideo filius poteſtate patria liberatur, vt beneficia patris, contumelius ab eodem diſtinguantur. Vnde ſic inter homines mos iſte obſeruatur, vt libertus ingratus, grauiore ſeruitio addicatur; aut filius contumax, poteſtate patria non abdicetur, libertatis enim eſt indignus, qui dominum liberalem offendit. Hæreditatem capere non poteſt, qui filij nomen, per contemptum patris amittit: ſic & homo libera voluntatis effectus, datam libertatem amittit, ſi dominum contemnendo deſpexeris.*

Sed ſuauior fortaſſis videbitur, hauſtus hac in parte, ex arente Ethniciſmi ſolo, purus latex. Nam & hanc Dei opificis in nos magnificentiam ac bonitatem, egregiè omnino extollit Epictetus apud Arrian. lib. 2. c. 8. vrgens hominem ad curam ſui ipſius, permiſſámque ſibi, liberi arbitrij collatione, rerum ſuarum tutelam, ritè & ex mente eius, qui illam contulit, adminiſtrandam. Locus eſt pro Ethnico luculentus: *Si Phidiæ*, inquit, *eſſes effigies, Minerua ſcilicet aut Iupiter, meminiſſes vtique, & tui ipſius atque etiam ſculptoris. Ac ſi quem haberes ſenſum, conareris nihil omnino indignum facere tuo opifice; neque etiam teipſo, ac indecoro habitu, te inſpectorum oculis offerres. Iam nunc porrò Iupiter cùm te fecerit, quî fit vt curare haud eſſe non patiaris, qualem te oſtendas? Et hoc in par eſt quantùm intereſt inter opifices, itémque inter opera & effectus? Aut quodnam eſt opificum artificis, quod ſimul vt factum ſit, ſuas habeat facultates in ſemetipſo, quas præſtare poſſit hac efformatione? Nónne lapis eſt, aut æs aut aurum, aut ebur? adeóque Minerua Phidiæ, porrecta manu ſemel conſiſtens, ac victoriam tenens, in perpetuum motu vacat? Sed opificia Dei mobilia ſunt, & ſpirantia, vti viſis poſſunt, nec carent facultate æſtimandi. Talis artificis cùm ſis opificium, quare teipſum dedecoras? Quid quòd non modò te condidit, ſed etiam te tibi ſoli credidit, & quid faceres in mandatis dedit? Nec illud meminiſti. Quinetiam commiſſam tibi tutelam, ſic ignominiâ afficis. Quod ſi pupillum tibi Deus commiſiſſet, num illum negligeres? Te verò cùm tibi ipſi commendarit, ita inquiens; Non habeo aliquem fideliorem, cui te committam, quàm teipſum: hunc volo ita mihi cuſtodias, quemadmodum ipſius natura poſtulat, pudicum, fidelem, altum, infractum, affectibus vacuum, abſque perturbatione. Ergo tuendum illum non ſuſcipies?* Per otium quoque eodem libro cap. 23. ſummam liberi arbitrij præcellentiam, & obligationem ad agendas de eo gratias, exponit.

Itémque voluntaria ſeruitus, per tradita libertatis corruptelam, & prauos mores.

126. Addit idem ſolo corpore ſeruus, animo tamen, (vt in tanta captiuitate,) liberrimus: Addit inquam, poſt Platonem epiſt. 8. dignum eſſe, vt qui diuino munere liberi ſumus, hanc tantam libertatis prærogatiuam, violari non patiamur, nec cuiquam mancipemur, ac præſertim deprauatis affectibus quod eſt turpiſſimam ſeruitutem ſeruire. *Liber eſt*, inquit idem Epictetus lib. 4. c. 1. *qui viuit vt vult; qui nec cogi, nec impediri, nec vim ſubire aut violentiam poteſt. Præterea cuius ſtudia & conatus non retardantur, appetitio non fruſtratur, declinationes non impediuntur caſibus fortuitis. Quis ergo eſt, qui velit obnoxius deceptioni & impoſturæ viuere? Quis peccando vitam tranſigere? Nullus certè. Quis falli vult, quis prolabi in vitia, iniuſtus eſſe, incontinens, moroſus, humilis, & abiectus? Nemo. Ergo improbus & flagitioſus nullus eſt, qui pro eo vt vult viuit. Quare nec liber etiam eſt. Quis verò omnium eſt, qui triſtis, timidus, inuidens, miſerans, appetens fruſtra, fugiens ſine euaſione, velit eſſe? Nullus. Num quem porrò habemus ex vitioſis illis, vacuum triſtitia, metu, caſibus non obnoxium, & qui appetitione ſua non fruſtretur? Nullum profectò. Quare nec liberum.*

Itaque quod à Clemente Alexandrino 3. Strom. c. item 3. grauiter aduerſus Gnoſticos, velamen habentes malitiæ libertatem, diſputatur; demonſtrando non eſſe regium, vt iidem falsò affirmabant, facere quæ velis, & exlegem ac effrænem viuere; hoc ipſum, idem Epictetus, frequenter admodum & ſapienter tradit, euincens facere quæ velis, eſſe vulgi libertatem, & veræ libertatis abuſum: At facere quæ decet eſſe veram & philoſophicam libertatem. Libertas enim, non eſt collata à natura in damnum noſtrum proindéque non eſt data vt malè agamus. Quod rectè expendit Sebundius tit. 82. & Gabriel in 2. d. 25. q. vnica *li. e. a E.*

E re lectoris videtur, aliqua præterea, in hanc rem ſelectiora decerpere, ex lib. 3. Arriani c. 16. [Videtur libertas tibi eſſe bonum quoddam? Imò maximum. Potéſtne quiſpiam maximi compos boni, aduerſis rebus ſuccumbere, aut miſerè viuere? Non. Ergo quotcunque videris miſerè agentes, afflictos, lugentes; ſine dubitatione affirma, liberos ipſos non eſſe. Cenſeo equidem. Itaque diſceſſimus iam à conditione libertatis, hac quæ deſcribitur emptione & venditione, ſimilibúſque aliis conſtitutionibus, pertinentibus ad poſſeſſionem. Nam ſi ritè quod interrogauimus confeſſus es, ſiue magnus Rex miſer erit, liber eſſe negandus eſt: ſiue paruus fuerit, ſiue Conſul, & is miſer extiterit. Eſto; Miſeriam porrò non metitur, niſi modulo receſſus à virtute, & prolapſionis in vitium, per libertatis malum vſum. Itaque nullus improbus, aut libertate abutens, liber reuera eſt, quandoquidem eo ipſo quod libertatem malè prodigit, miſer eſt; quod tam diſertè conteſtatur cum libertate non cohærere. Perſpicua ergo eſt illatio quam confirmamus, excidere videlicet vera libertate omnem illum qui libertate abutitur, & aliò eam impendit quàm quò oportuerat ſpectata voluntate largitoris.

Pergit eandem concluſionem alia via illuſtrare: [Illud porrò etiam mihi reſponde: Magnum ne quiddam & eximium videtur eſſe libertas, & quàm maximi fieri par ſit? Quidni? Potéſtne fieri, vt qui tantam rem ſit adeptus, támque magnam & præſtantem,

ſit abiectus & humilis? Non poteſt. Quando ergo videris quempiam ſe ſubiicientem alij, aut adulantem non ex animi ſui ſententia, pronuncia non haſitans, illum non eſſe liberum. Ac non modò ſi id facias propter cenulam, ſed etiamſi gratia facias præfecturæ alicuius, ſi propter conſulatum. Verum illos quidem, paruos appellabis ſeruos, qui propter res nihili ſeruiunt, & nullius pretij; hos verò magnos ſeruos: Ita enim appellari merentur. Proinde hæc ita cùm ſe habeant, num libertas tibi videtur aliquid eſſe, qua ſit quiſpiam ſua poteſtatis, nec alienis iuſſis obtemperet? Quidni? Quando igitur cunque eſt in alterius poteſtate quiſpiam, qua vel cogatur, vel prohibeatur, illum ne dixeris liberum, nec inſpice auos aut proauos, nec an emptus vel venditus ſit, ſciſcitare. Quando audieris aliquem, ex intimo pectore atque affectu, prorumpentem in hoc verbum: O Domine, *pro ſeruo ipſum habeto. Sin audieris querentem quempiam:* Miſer ego quanta patior? *pronuncia illum eſſe ſeruum. Si tamum plorantem conſpexeris, indignantem, inquietum ſeruum dicito, quamuis prætexta veſtitum. Nec dixeris quemquam liberum, qui horum nihil de quibus dictum eſt, in ſe habeat. Sententias illius conſidera, num tales ſit qui poſſit cogi, aut qui poſſit prohiberi, qui obnoxius ſit rebus aduerſis. Quòd ſi talem reperreris, nomina ipſum ſeruum. Si quando licenter & liberè egerit in Saturnalibus, dicito dominum ipſius peregrè profectum: qui ſi fuerit reuerſus, cognoſces qualia patiatur.*

Verùm ne quis idcirco in dubium reuocet quæ propoſita ſunt, quòd non appareat cui ſubſint, cuiúſve ſerui ſint quos hactenus aſſeruit libertate excidiſſe, quorum plerique optimates, & capita populorum, nemini in ſpeciem ſubiacent, præcludit eam dubitationem in hunc modum. [Sed cuinam væniit? Omnes vtique pro dominis habet, quicunque ſua in poteſtate habuerint eas res, quas ipſe nanciſci cupit, aut quibus, ſi velit ille dominus, priuari poſſit. Ita nimirum multos habemus dominos, & his priores ſunt res, quæ animos noſtros afficiunt. Et illæ quidem ſunt plurimæ. Quocirca ſi cuius ſunt in poteſtate tales res, & ipſos nimirum dominari nobis eſt conſentaneum, quorum in manibus illæ res ſunt. Quapropter Cæſarem nemo eſt qui timeat, ſed mortem, exilium, direptionem bonorum, carcerem, ignominiam. Nec verò amat aliquis Cæſarem, niſi maximi ſit pretij, ſed opulentiam amamus, præturam, ducatum, conſulatum. Itaque ſi amemus iſta, aut proſequamur odio, vel pertimeſcamus, oportebit eos qui rebus his valebunt, dominos eſſe noſtros.] Luculenter id ipſum proſequitur Philo lib. *quòd omnis probus liber*, quem in multis de more expreſſit S. Ambroſius epiſt. 7. Copiosè etiam ex antiquis in eo argumento verſatus eſt Libanius t. 2. orat. 31. diſſertat. de ſeruitute, cuius ſcopus eſt, locus ex Euripidis Hecuba, quo mortalium nullus vnquam liber eſſe pronunciatur, ſed quemlibet fortunæ, opúmve, aliorúmve quibus ſubiaceat, ſeruum eſſe. Hoc Libanius ad omnem planè hominum ſtatum, per otium extendit, maximè verò ad eos qui vitiis aut turbidis affectibus irretiuntur: quos omnes damnat ſeruitutis, & libertate priuos pronunciat. Idem verſarunt ex recentioribus Socolouius tota orat. 7. Lenſæus de Chriſtiana libert. lib. 1 c. 2. & latiſſimè Lælias Biſciola tom. 2. ſubſec. lib. 25. cap. 18. & aliqua addam infrà, cùm de vitio.

Contra murmurantes pro conceſſo tanto munere, quaſi præſtitiſſet labi non poſſe.

177. Verùm vt in ſummo libertatis pretio ac dignitate, vnde occæperam, primo hunc puncto clauſulam imponam; vides ex tanta dignitate optimè omnino nobiſcum actum eſſe conceſſione libertatis, & quidem expeditæ ac nutu ſuo verſabilis; rectéque omnino Arnobium l. 2. affirmare, malè aliquos conducibilius nobis futurum cenſuiſſe, ſi ad virtutem volentes nolentes adigeremur. Partem longioris diſputationis, ad euellendas cogitationes, quæ etiamnum aliquorum animos pulſant, decerpo, & appono. [Quid, *inquit*, inuitans peccat, cuius ſolæ ſunt hæ partes, vt ſub tui iuris arbitrio fructum ſuæ benignitatis exponat? Sortem vitæ eligendi, nulli eſt (inquit Plato) Deus cauſa; neque alterius voluntas, aſcribi poteſt cuiquam rectè; cùm voluntatis libertas, in ipſius ſit poſita poteſtate, qui voluit. At numquid orandus es, vt beneficium ſalutis ab eo digneris accipere, & tibi aſpernanti fugientíque longiſſimè, infundenda in gremium eſt, diuinæ beneuolentiæ gratia? Vis ſumere quod offertur, atque in tuos vſus conuertere? Conſulueris tu tibi. Contemnis & deſpicis? Te muneris commoditate priuaueris. Nulli Deus infert neceſſitatem. Imperioſa formidine nullum terret. Neque enim neceſſaria noſtra illi ſalus eſt, vt compendij aliquid diſpendiíve patiatur, ſi aut Deos nos fecerit, aut ad nihilum redigi, corruptionis diſſolutione permiſerit.]

Hactenus expoſitio, pertinentis ad omnes diuinæ benignitatis, vnicuique ſuiipſius habenas committentis, & neminem per vim adigentis ad bonum. Sequitur murmur inconſultum aduerſus eam conceſſionem & murmuris depulſio. [Immò *inquit*. ſi Deus eſt potens, miſericors, conſeruator, conuertat nobis mentes, & inuitos faciat ſuis pollicitationibus credere. Vis ergo eſt iſta, non gratia, nec Dei liberalitas Principis, ſed ad vincendi ſtudium puerilis atque inanis contentio. Quid eſt enim tam iniuſtum, quàm repugnantibus. quàm inuitis extorquere in contrarium voluntates, inculcare quod nolint, & quod refugiant animis, priùs nocere quàm proſis, & priore detracto, in alienum habitum ſententiámque traducere? Tu qui te verti, & vim deſideras perpeti, vt id quod nolis efficias, atque arripias coactus, cur reſpuis aſſumere voluntate, id quod verſus deſideras, atque immutatus efficere? Nolo, inquit, & voluntatem non habeo. Quid ergo criminaris Deum, tanquam tibi deſit? Opem deſideras tibi ferre, cuius dona & munera non tantùm aſperneris & fugias, verùm in alia verba cognomines, & iocularibus facetiis proſequaris.]

In eandem ſententiam præclarè S. Baſilius homil. Quod Deus non ſit author malorum. [Sed cur, *inquam*, huic vaſi non inſitum eſt vt peccare non poſſit, vt etiam nobis volentibus facultas peccandi deſit? Quoniam inquam, & tu ſeruos non quando vinctos in cuſtodia retines, beneuolos eſſe tibi exiſtimas, ſed cùm ſponte omnia, quæ erga te oportet, videris agere. Sic item Deo cum puta fore amicum, non qui coactus, ſed qui ſponte ſua virtutéque illi obtemperat. Virtus verò ex voluntate perficitur, non ex neceſſitate. Voluntas autem ab illis pendet, quæ in nobis ſunt ſita. Quod verò in nobis ſitum eſt, voluntarium & ſpontaneum eſt. Qui ergo factorem reprehendit, quod non tales nos naturâ fecit, qui peccare nequeamus, nihil aliud opinari videtur, quàm naturam ratione carentem, ea quæ rationis eſt particeps eſſe potiorem; & illa quæ non mouentur nec mente ducuntur, iis quæ eligunt, iudicant, conferunt, omnino præſtare. Hæc etſi per tranſitum, attamen non abs re dicuntur ne in profundum inanium cogitationum ruens, præter quàm quòd quæ inquiris non aſſequeris, Deum etiam amittas. Deſinamus ergo eum qui ſapiens eſt velle corrigere. Deſinamus, inquam,

quam, meliora quàm Deus fecerit, indagare.] In hanc ſententiam alia dicam infra num. 170. & n. 246. & aliqua etiam præmiſi n. 120. Et fusè item in eandem diſputat. Titus boſtrenus lib. 2. contra Manichæos. Nec non Fauſtus Rhegienſis lib. 2. de grat. & lib arbit. cap. vltimo productis diuina ſapientia, potentia, bonitate, atque iuſtitia, quarum vnaquæque, eſſétne homo libertate plena & ad ſeruandum inſtructa & expedita donandus, rationibus ex functione ſua petitis verſat: & omnium diſcuſſis rationibus concludit, optimam omnino rationem creandi hominis fuiſſe, vt liber & ad vtrumque flexilis, dummodò ſola ſua voluntate uiturus, crearetur. Ex recentioribus fusè hoc punctum verſat Petrus Alloix ad Acta S. Aberai cap 11. q 2.

Conſectarium 2. libertatis diuiſio in eam quæ eſt quoad exercitium, & eam quæ eſt quoad ſpecificationem.

128. Infertur ſecundò, libertatem loquendo formaliter, eſſe duplicem, nempe contradictionis & contrarietatis, aut vt alij loquuntur, quoad exercitium & quoad ſpecificationem. Apud S. Thomam q. 22. de verit. art. 6. prima dicitur libertas reſpectu actus, ſecunda verò libertas reſpecto obiecti. Priorem ait eſſe reſpectu actus; quia per eam voluntas poteſt velle & non velle, ſiue omittere volitionem: quæ, quia contradictoriè opponuntur, ideo hæc libertas dicitur contradictionis, vel certè exercitij, quia per eam actus exercetur vel non exercetur ſed omittitur. Poſteriorem libertatem S. Thomas ait eſſe reſpectu obiecti; quia per eam voluntas poteſt velle hoc vel illud, ei contrariè oppoſitum. Non quidem per eundem actum (id enim eſt impoſſibile;) ſed per actum ſpecie diuerſum à priore, eique contrarium. Ex quo fit vt hæc libertas, & quoad ſpecificationem, & contrarietatis appelletur.

Porrò ex hac declaratione vtriuſque illius libertatis patet in vtraque cerni & obiectum, & actum, & facultatis liberæ indifferentiam circa vtrumque. Tamen quia in libertate contradictionis, non cernitur duplex obiectum poſitiuum, ſicut in libertate contrarietatis; propterea commodè ſecunda hæc libertas dicitur ſpectari penes obiecta, vtique prout apta ſubſtare actibus à potentia libera profectis. Prior verò dicitur attendi penes actum; & quidem in ſingulari, quia negatio actus, quæ eſt alterum quod ex hac libertate exurgere aptum eſt, non aliter exurgit, quàm per potentiæ indifferentiam erga actum, quem cùm poſſet elicere, vltrò amittit.

Eſt adæquata.

Vtramque ergo hanc libertatem eſſe admittendam & diuiſionem eſſe optimam, quicquid in contrarium ſignificet Bonetus 4. natur. Theol. cap. 4. *in fine* perſpicuum eſt ex ſupradictis. Oſtendimus enim libertatem conſiſtere in dominio in actum. Hoc autem dominium, poteſt dupliciter intelligi. Nam vel potentia libera poteſt diuiſim exercere & non exercere eundem actum; vel certè poteſt exercere & non exercere plures ac oppoſitos, ſaltem per comparationem ad aliud. Quo pacto, velle ire Romam nauigio, opponitur ei, quod eſt ire Romam equitando. Non datur medium inter actum vnum vel multiplicem; & inter modum ſe habendi reſpectu vnius actus, exercendo aut omittendo illum. Vnde neceſſe omnino eſt, vt facultas libera ad aliquod illorum libertatis membrorum pertineat.

129. Quod autem Tartaretus initio tertij Ethic. præter libertatem contrarietatis & contradictionis, agnoſcit tertiam quandam, quam vocat *diſparationis*, non eſt ad rem. Nam quòd homo qui poteſt velle, & non velle, aut etiam nolle cibum; poſſit etiam amare ſeipſum, vel non amare, quæ eſt libertas diſparata reſpectu prioris, quæ ad cibum ſpectabat, non poteſt inuehere nouum libertatis membrum; cùm non inuehat nouum dominium in actum. Imò, vt rectè aduertit Scotus quodl. 18. *litera M.* Poteſtas in multos actus diſparatos, ſi non ſit in quemlibet eorum, & alium contradictoriè vel contrariè ei oppoſitum, non eſt poteſtas propria facultatis liberæ, ſed competit etiam agentibus inanimatis.

Alia item quædam tertia libertas, quam à nonnullis inuectam, & complacentiæ appellatam, memorat Geruaſius in opere de notitiis, tract. de appetitu ration. q. 1. p. 2. admittenda non eſt. Aiebant enim authores prædicti, huiuſmodi libertatem poſſe ſtare cum neceſſitate, & talem eſſe in diuina voluntate reſpectu diuinæ eſſentiæ, quam conſtat neceſſariò diligi à diuina voluntate. Sed vt rectè addit Geruaſius, intelligi non poteſt, quòd actus aliquis ſit liber, & tamen nequeat non elici. Quod autem de amore increato Dei adducitur, inane eſt: Deus enim quamuis ſe amet voluntariè & abſque vi, & ideo interdum laxato vocis rigore dicatur ſe amare liberè: Tamen non ſe amat liberè, ſi ea vox ſumatur propriè, cùm amor ille ſit vndecunque neceſſarius.

Longè item aliena eſt à vera & propriè dicta libertate, ea libertas, quam S Bernardus adductus initio articuli primi; vocabat *libertatem complaciti*, hoc eſt, libertas à mortalitate eiúſque appendicibus. Quare retinenda eſt vulgata libertatis diuiſio, in duo membra prædicta.

Poſterius membrum, includit primum, non contrà.

130. Ex eorum porrò explicatione, vides, in libertate quoad ſpeciem actus, includi libertatem quoad exercitium, non contrà, vt habetur ex Scoto in 1. d. 1. q. 4. & ex Caiet 1. 2. q. 10. art. 2. Impoſſibile enim eſt aliquem eſſe liberum ad vtrumque actum oppoſitum exercendum, quin ſit etiam liber ad omittendum quemlibet illorum actuum, quod eſt eſſe liberum ad exercitium. Non tamen ſi liber ſim reſpecto vnius actus omittendi vel exercendi, ſequitur etiam me liberum eſſe, vt oppoſitum actum circa obiectum contrarium exerceam. Et quamuis quoties poteſt omitti actus, poſſit etiam amari ea omiſſio, vel etiam reiici exercitium actus, quæ reiectio eſt actus contrariè oppoſitus electioni exercendi actum: Tamen hæc non eſt propriè libertas quoad ſpeciem actus, quæ, vt ſupra ex D. Thoma obſeruauimus, attenditur penes obiecta multiplicia: Nempe, vt ex propoſitis eorum exemplis patet, directa & oppoſita: hic autem vnicum obiectum directum interuenit, nimirum obiectum actus poſitiui, ad quod exercendum ſuppetit poteſtas; & ipſe actus poſitiuus habet rationem obiecti reſpectu reiectionis. Itaque qui inficiantur omiſſionem puram dari poſſe, non coguntur negare libertatem quoad exercitium eſſe poſſe ſolitariam, & contradiuiſam libertati quoad ſpeciem actus. Quia, vt dixi, reiectio actus, vel amor omiſſionis, etiamſi ſint actus poſitiui, & oppoſiti actui per ſeipſum volito, non pertinent ad libertatem quoad ſpeciem, ſed ad libertatem quoad exercitium plenè & integrè ſpectatam; & poteſtas ad eos computatur pro eadem cum poteſtate ad actum exercendum.

Quòd verò Ariſtoteles 9. Metaph. c. 2. affirmat potentiam liberam verſari in contrariis, non eò ſpectat,

vt

vt facultas libera ſemper feratur in contrariè oppoſita; etiam nomen contrariorum latè ſumendo pro poſitiuis quibuſuis cum ceſſatione pugnantibus. Nihil enim eſt neceſſe, vel intellectum ſemper proponere duo aliqua poſitiua obiecta directa, vel voluntatem ferri in ea, quandoquidem pura negatio, v. g. carentia ambulationis, poteſt apparere commoda & eligibilis, etiamſi nullo modo cogitetur de ſeſſione poſitiua, quicquid in contrarium affirmet Fonſeca q. 1. ad caput citatum ſ. 2. Non igitur eò ſpectat quod Ariſtoteles dixit: ſed vel *contrarium*, pro quomodolibet ac etiam priuatiuè oppoſito, ſumpſit, vt ſæpè aliàs: Nam & in Phyſicis formam ac priuationem appellat prima contraria, & eo ipſo capite, quod opponitur, idem affirmat. Vel certè, quia libertas in toto ſuo ambitu conſiderata, extenditur ad contraria non ſucceſſiuè tantùm, ſed etiam ſimul, quamuis diuiſim habenda; quod potentiis non liberis minimè competit, meritò potentiam liberam dixit in contrariis verſari, etiamſi non ſemper, & reſpectu cuiuſuis obiecti poteſtas ad actus contrarios ſit admittenda.

Alia libertatis diuiſio, materialis tantùm, in ea quæ eſt ad bonum & malum.

131. Aliam libertatis diuiſionem item bimembrem, inſtituit ſuprà D. Thomas, per ordinem ad finem; ſtatuítque in eo quòd voluntas poſſit in bonum & malum ferri. Sed aduertendum eſt, etiamſi hæc diuiſio libertatis eſſet legitima & adæquata, tamen non fore formalem, ſed duntaxat materialem. Non enim ducitur ex poteſtate & dominio in actum, vnum aut multiplicem, ſed tenet ſe ex parte materiæ actus in quem habetur poteſtas. Addo verò, dubium etiam eſſe, an hæc libertatis diuiſio ſit adæquata, cuiuſmodi eſt ea quæ hactenus eſt expoſita, eſſéque valde probabile, non cuiuis principio libero creato naturaliter ſpectato competere, vt poſſit in bonum vel malum tendere. Nam iuxta ſententiam multorum, (quæ ſaltem eſt valdè probabilis,) poſſunt dari actus liberi, qui ſint ad bonum & malum morale indifferentes etiamſi homo aduertat. Et quamuis hoc, ſi per ſe ac ex natura rei conſideretur, ſit in controuerſia apud pleróſque: tamen multi fatentur interdum per accidens huiuſmodi actus indifferentes dari poſſe. Quibus ſententiis admiſſis, perſpicuum eſt, dari poſſe actum liberum, qui nec ſit bonus nec malus. Ac proinde neceſſe non eſt libertatem ſemper tendere in bonum vel malum.

Verùm huius puncti diſcuſſio ſpectat ad tractationem de moralitate, vbi inueſtigabimus an moralitas neceſſariò & reciprocè afficiatur actum liberum. Sunt item qui agnoſcant aliquam libertatem duntaxat phyſicam in paruulis. Iuxta quam etiam ſententiam hæc diuiſio libertatis non erit adæquata. Sed illud quoque fundamentum infra expendendum eſt cùm de libertatis ſubiecto. Vbi oſtendam, nemini, niſi ratione plena vtenti, & capaci moraliter agere, tribuendam eſſe veram vllam libertatem in dominio actus locatam.

Quod ſi principium liberum latiùs accipiamus, quàm hic fecerimus, illúdque extendamus ad quodlibet agens liberum, multò apertius erit & extra dubium, non cuiuis principio libero competere, vt poſſit in bonum vel malum ferri. Ita enim apertè habetur *ex beata illa neceſſitate, qua Deus iniuſtus eſſe non poteſt*, vt dixit S. Auguſtinus lib. 1. reſponſionis ſecundæ contra Iulianum cap. 100. Et tamen Deus eſt liberrimus.

Quinetiam, vt ſiſtamus in libertate creata, de qua hactenus egimus, beati liberi ſunt circa pleraque obiecta honeſta, non tamen peccare poſſunt. Eſt enim non perfectio, ſed defectus liberi arbitrij, quòd ſit ad malum flexile, vt D. Auguſtinus notauit 22. ciuit. c. vlt. & c. 104. Enchiridij. S. Anſelmus dial. de lib. arbit. c. 1. Et attigit etiam Plotinus Ennead. 6. lib. 8. c. 21. ac Simplicius in cap. 1. Enchiridij Epicteti.

Conſectarium 3. Quomodo principium liberum, ſe habeat ad principium voluntarium.

132. Infertur 3. quomodò ſe habeat principium liberum ad voluntarium. Nam voluntarium propriè dictum, de quo actum eſt quæſtione ſuperiori, importat tantùm dependentiam à principio cognoſcente ſingula, in quibus eſt actus. Itaque modò prælucеat notitia, & abſit coactio, interueniet voluntarium. Quod patet ex brutis, quæ voluntariè operantur ex cognitione ſenſus interni, dictante hoc quod percipiunt eſſe appetendum: Et tamen bruta non operantur liberè, ſed tantùm ſpontaneè; vel latè vſurpata voluntatis voce *voluntariè*. Beſtiis igitur ſe aggregant Sectarij, nullam in nobis aliam libertatem agnoſcentes, quàm eam, quæ conſiſtit in exſolutione à coactione. Hoc enim non eſt nobis tribuere rationem principiorum liberorum, ſed tantùm ſpontaneorum, ſiue voluntariorum, brutis quoque communem, vt rectè Boëtius contra Stoïcos fati aſſertores argumentatur in lib. de Interpret. lib. 3. editionis ſecundæ n. 31. Vt autem habeatur libertas, exigitur dimanatio à principio operante ex notitia, non modò non coacto, ſed etiam domino ſuæ operationis, & instructo poteſtate ſufficiente ad eam ponendam vel ſuſpendendam, aut etiam ad ponendam oppoſitam.

Non vt ſpecies ſubiecta ad genus ſuum.

Hinc porrò colligi poteſt principium liberum non ſe habere ad principium voluntarium vt ad ſuum genus, etiamſi principium voluntarium ſit principio libero latepatentius, iuxta illud Ariſtotelis 3. Eth. c. 1. *Electio ſpontaneum quoddam eſſe apparet, non tamen idem prorſus eſt. Spontaneum enim latiùs patet. Nam & ſpontaneum, cum pueris & reliquis animalibus commune eſt; electio minimè. Et quæ de improuiſo fiunt, ſpontanea ſunt, non autem ex electione.* Ex quo loco Vaſques 1. 2. d. 23. n. 24. infert, liberum eſſe ſpeciem voluntario tanquam generi ſubiectam. Sed ea illatio non eſt firma, cùm Ariſtoteles eo loco tantùm intendat aliquo modo ſecernere voluntarium à libero: ad quod ſufficit diſcrimen quod affert ex maiore voluntarij latepatentia. Quam non eſſe genericam amplitudinem reſpectu neceſſarij & liberi, tanquam differentiarum eſſentialiter eam reſtringentium, ex eo perſpicuum redditur quod eadem vis operatiua, conſiderata præciſè, vt principium influens in actum, cuius adiuncta cognoſcuntur abſque indifferentia, eſt principium voluntarium; conſiderata vero vt principium influens cum indifferentia ob prælucentem ſibi notitiam indifferentem, eſt principium liberum. Sicut autem eſt accidentarium quod notitia indifferens prælucеat huic facultati, vel notitia tantùm determinata. Ita quod inde reſultat in potentia varias illas denominationes ſubeunte, penes varias huiuſmodi notitias prælucentes, non debet cenſeri ei eſſentiale, ſed tantùm accidentarium. Nec aliter ſanè ſe habet illa potentia ad hos diuerſos modos principiandi, quàm ſubiectum ad varia accidentia, quibus contingenter ſubiacet.

Idem

Idem vrgetur in actu libero, ad voluntarium actum collato.

133. Clariùs id ipſum cernitur in actu libero, ad actum voluntarium comparato. Nam quamuis nonnulli repugnent & latiſſimè Hurtadius d. 15. de anima ſect.6. (quoad libertatem exercitij duntaxat, vt patet ex §. 54.) tamen mihi ſatis perſpicuum videtur libertatem in actu nihil eſſe niſi extrinſecam & metaphyſicè accidentariam denominationem, petitam à facultate, quæ ita hunc actum elicit, vt poſſet non elicere ſi luberet, quæ eſt multorum grauium recentiorum ſententia. Ita enim tradit Molina 1. p. q. 23. art. 4. & d. 1. concord. memb. 7. Vaſques 1. 2. d. 55. n. 13. & d. 34. n. 15. Suares diſp. 19. Metaph. ſect. 7. num. 6. Becan. 1. 2. tract. 1. c. 3. q. 3. Leſſius lib. 13. de diuinis perfectionibus n. 176. Salas 1. 2. tract. 7. d. 9. num. 49. Ægid. Coninc diſput. 2. de actibus ſupernat. dub. 8.

Et probatur, quia idemmet actus ſecundùm entitatem inuariatus, accedente aduertentia poteſt de non libero fieri liber, & ea ſemota fieri neceſſarius. Cognitio enim ſe habet valdè extrinſecè ad actum volitionis, nec eſt eius cauſa, ſed tantùm conditio præuia, ex cuius mutatione non eſt neceſſe numericam variationem in actu volendi exoriri. Similiter idemmet actus, qui nunc liberè oritur, quia vis operatiua potentiæ liberæ eſt expedita, & in vtramque partem indifferens, fiet neceſſarius, ſi ea indifferentia tollatur, ſicut reuera tolli poteſt, ſalua actus identitate numerica. Quod declaro; quia quamuis ad libertatem requiratur duplex quaſi facultas; altera volendi; altera nolendi negatiuè aut poſitiuè: Tamen perſpicuum eſt actum liberum non oriri niſi ab vna partialium illarum facultatum. Quia tametſi altera debeat adiungi vt libertas integretur & facultas ſit expedita in vtramque partem, tamen influxus in partem influxu egentem v. g. in actum volitionis, non eſt niſi ab vna ex duabus illis partialibus facultatibus quæ reſpicit actionem: quia illa ſola ſufficit ad dandum eſſe actui: altera autem facultas partialis, duntaxat connotatur vt in procinctu ad contrariam partem amplectendam ſi lubeat: quo ipſo hæc pars, in quam ſola prima facultas partialis influit, ſuſcipitur liberè & non neceſſariò.

Supponamus ergo quod poſſibile Deo eſt, nempe ſecundam facultatem connotatam, impediri ne poſſit exerceri. Tunc actio à prima facultate elicibilis, manebit prorſus eadem ob identitatem principij influentis; & tamen non erit libera, ob defectum duplicis illius facultatis: deficit enim ſecunda facultas in eo euentu. Non dico eam entitatiuè deficere, aut poſſe reipſa ſeiungi ab altera facultate partiali: Hoc enim falſum eſt, cùm in nobis ſit tantùm reipſa vna voluntas, quæ ſuppetentibus omnibus ad agendum requiſitis, dicitur libera: iiſdem autem non ſuppetentibus, exuitur alterâ illarum quaſi facultatum, & dicitur tantùm potens ad volendum. Eatenus ergo deficit ſecunda illa facultas, quatenus, licet entitatiuè intacta maneat; tamen ligatur; ita vt quod ei reſpondet tanquam actus ſecundus, non poſſit ab ea poni in rerum natura.

Effugium præcluditur.

134. Non video qua ex parte hæc ratiocinatio rimas agat, aut quàm ſolidè Hurtadius §. 48. prolixam ad hoc argumentum reſponſionem concludat, dicens, per mutationem potentiæ non faciendi, mutari etiam potentiam faciendi, & ex hac mutatione oriri nouam actionem diſtinctam ab ea, quæ prius oriebatur à potentia faciendi & non faciendi. Quod confirmat §. 47. quia potentia non faciendi non reſpicit alium actum poſitiuum, ad quem compleatur, ſed reſpicit puram actus liberi omiſſionem, per ordinem ad quam, actus poſitiuus liber dicitur; quia ita eſt vt poſſit non eſſe. Ex quo colligit, non poſſe variari concurſum ad non faciendum, ita vt actus fiat neceſſarius, quin varietur aliquid circa actum ipſum: quia ex parte Dei concurſus indifferens ad faciendum & concurſus indifferens ad non faciendum, ſunt prorſus idem.

Sed hinc non labefactari argumentum propoſitum, imò nec declinari eius impetum, inde perſpicuum eſt, quòd aduerſarius comminiſcitur per ſubtractionem diuini concurſus, alteram voluntatis potentiam partialem mutari intrinſecè: Quo ſuppoſito rectè ſequitur actionem mutari numero. Nos autem non aſſumimus quod partialis facultas voluntatis mutanda ſit intrinſecè, ſed tantùm quod ſit liganda & impedienda ab actu ſecundo ſibi indifferente. Vnde principium partiale reſpondens actioni, quæ de facto elicitur, & ad eam ſufficiens eſt, manet omnino idem. Nam v. g. ſi agatur de volitione cibi, voluntas negata poteſtate non volendi poterit à Deo abripi ad agendum, nullo immiſſo creato comprincipio, quod numericam actionis identitatem tolleret; ſed immediatè per ſeipſum influendo cum ea in volitionem, & dando eſſe illi actui, eo modo quo nunc cum libertate exeritur, tantúmque concurſum ad eum non offerendo & voluntatis poteſtati permittendo, vt nunc facit, ſed ingerendo, & inconſulta voluntate hominis obtrudendo. Cùm ergo principium effectiuum à quo manat actus, qui facta ſuppoſitione illa neceſſariò elicietur, maneat omnino idem poſt factam ſuppoſitionem, cæteræque eiuſdem actus cauſæ phyſicæ, quatenus eum cauſant, maneant eædem; non apparet, quo probabilitatis colore dici poſſit mutationem, quæ in adiunctis huius principij interceſſit, quicquam facere ad numericam variationem actionis, ab illis adiunctis non prodeuntis.

Bellè verò aduerſarius in confirmatione adducta aſſumit potentiam non faciendi egere concurſu, & concurſum ad non faciendum variari cùm potentia neceſſitatur. Hoc quis non videt falsò aſſumi? Nam ad non agendum non exigitur concurſus, ſed potiùs denegatio concurſus. Vnde impropriè mox ſubditur ab aduerſario, concurſum Dei indifferentem, eſſe eundem ad faciendum & non faciendum. Nam hoc de concurſu in actu ſecundo eſt apertè falſum; quia nullus datur concurſus ad non faciendum. De concurſu autem in actu primo, hoc eſt, de vi diuina vt parata ad concurrendum, eatenus dici poteſt eundem eſſe ad agendum & non agendum, quatenus eadem diuina voluntas, cui vis diuina tranſeunter operatiua ſubordinatur, poteſt indicere aut ſuſpendere cooperationem ſuam nobiſcum, quæ identitas nihil iuuat cauſam aduerſarij. Proindéque argumentum à nobis propoſitum perſtat inconcuſſum.

Roboratio noſtræ ſententiæ, quoad actus liberi comparationem ad actum voluntarium.

135. Poſſumus autem prætereà aduerſarium vrgere ex eo quod §. 54. admittit libertatem quoad ſpeciem in actu ſecundo ſpectatam, nihil eſſe præter extrinſecam denominationem, in duos actus oppoſitos refuſam à potentia valente tendere in vtrumque. Atqui libertas quoad exercitium eodem omnino modo ſe habet in actione vnica, quo ſe habet libertas quoad ſpeciem in duabus. Ideo enim vna illa actio, quæ

duntaxat

duntaxat elicitur ex duabus ſpecie diuerſis elicibilibus, libera eſt quoad ſpeciem, quia facultas eam eliciens poteſt in oppoſitam, & ea ipſa actione, quæ de facto elicitur ſuam entitatem retinente ob eadem ſemper eius principia, poſſet ligari facultas ad oppoſitam actionem, quæ tamen nunc manet expedita & apta ad eius profuſionem, vnde illa actio, quæ elicitur, denominatur libera quoad ſpeciem. Quidni ergo ſimiliter vna illa actio, quæ exercetur, libera dicatur per denominationem extrinſecam ductam à potentia, quia ita exercetur vt poſſet non exerceri? Principio enim exercenti accidentarium eſt, quod poſſit ligari & fieri inhabile ad exercendum; vel quod poſſit adigi ad operandum, careátque dominio illo in actum, quod adactionem omnem excludit.

Quòd verò tunc illud principium exercendi, ſit determinatum, cùm ligatur & ad vnam partem aſtringitur, ante autem eſſet indeterminatum, parum refert. Non enim actio variatur in ſe ex eo quòd prodeat à principio determinato vel indeterminato: quia determinatio in eo principio nihil eſt aliud, quàm partialis facultatis adiunctæ ligatio: Indeterminatio autem nihil aliud eſt, quàm duplicis facultatis partialis ex natura rei principium illud integrantis exſolutio. Quia igitur actio quæ exercetur, non prodit ab altera partiali facultate, ſed ab ea ſola, quæ intrinſecè immutata manet; propterea actio retinet eadem ſua principia, nec variatur in ſe.

Quod intelligo etiam de illa modali entitate, quæ in actione vitali inuoluitur. Cum enim actus elicitus, de cuius hic libertate agimus, coaleſcat ex qualitate, quæ eſt actio grammaticalis, & ex modo dependentiæ, qui eſt vera actio de genere actionis: Aduerſarius concedit quidem qualitatem illam, quæ eſt terminus internus & tendentia viua in obiectum, non eſſe eſſentialiter liberam, ſed per ſolam denominationem extrinſecam à potentia, vt conſtat ex §. 64. At de actione, quæ eſt immediata egreſſio à ſuo principio effectiuo, éſtque entitas modalis, non abſoluta & firma, aliter ſentit, contenditque eam differre eſſentialiter ab eiuſdem qualitatis internæ dimanatione non libera, ob diuerſi principij actiui exigentiam eſſentialem. At hanc ſufficienter hactenus reiecimus; ac proinde non tantùm qualitati internæ, ſed etiam dependentiæ eius accidentaria eſt libertas: nec niſi per denominationem externam à principio indifferente, in eas refunditur.

136. Itaque libertas actualis in actibus elicitis, ſiue quoad ſpeciem, ſiue quoad modalem entitatem, ſiue quoad qualitatem internam, ad quam dependentia in actibus illis incluſa terminatur, nihil aliud eſt quàm denominatio extrinſeca à principio indifferente actiuè. Eodem propè modo, quo actus intellectus dicitur verus aut falſus per denominationem extrinſecam ab obiecto reipſa poſito vel deficiente: Aut quo fluxus importatus in motu locali, denominabitur vitalis ſi fiat à potentia motiua viuentis. Denominabitur autem non vitalis, ſi fiat ab extrinſeco, v.g. à Deo ſolo. Sicut enim in actu vitali communiter dicto, diſtinguenda eſt qualitas vitaliter expreſſa. v. g. verbum mentis, & eius expreſſio ſiue fieri modale: Ita in latione communiter dictà, diſtinguenda ſunt duo, nempe qualitas modalis producta, quam Capreolus vocat *vbi fluens*, ego *fluxum* nomino; & fieri talis fluxus, quod licet ſit eſſentialiter addictum vni numero agenti; non tamen fluxus ab agente manans interuentu illius fieri tanquam viæ & egreſſionis. Proindéque huiuſmodi fluxus non denominabitur vitalis, ſi non prodeat à principio intrinſeco: Denominabitur autem vitalis, ſi à tali principio exoriatur.

Actus planè idem numero, exuit vel accipit libertatem.

Neque verò duntaxat affirmo libertatem eſſe meram denominationem extrinſecam in toto actu vitali variabilem, ſalua eadem eius ſpecie ac eſſentia, vt omnes authores ſupra pro nobis allegati admittunt: ſed etiam quoad dependentiam, poſſe variari libertatem; v. g. interueniente diuina neceſſitatione reſpectu illiúſmet actus, qui prius liberè fuerit elicitus. Quod aliqui ex iiſdem noſtræ ſententiæ autoribus malè diffitentur, vt Suares Proleg. 1. de grat. c. 5. n. 20. & 24. cuius fundamentum eſt, quia diuina virtus longè diuerſo modo & longè efficaciùs applicaretur, ſi præueniret voluntatem, quàm nunc applicetur, cùm ſaluam vult libertatem noſtram.

Verùm ea diuerſitas in diuinæ virtutis applicatione, non eſt talis, quæ aduerſarij cauſam promoueat: Siquidem eadem actio, vt oriunda à voluntate & Deo voluntatem præueniente, eſt neceſſaria: vt autem oriunda à voluntate, & Deo nutum voluntatis opperiente priuſquam concurſum in actu ſecundo exhibeat, eſt libera. Hic autem modus diuerſus exhibendi concurſum, non eſt diuerſus phyſicè ex parte principij actiui, ſed tantùm moraliter; quod non ſufficit ad phyſicam actionis variationem indiuidualem. Similiter applicatio virtutis diuinæ, non eſt efficacior per ordinem ad actionem productam, quam cùm nos liberè cooperamur. Nam quamuis virium, quæ ad actionem cauſandam exiguntur, quantitas, vt ita dixerim, non creſcat; Tamen æquè ſequetur actio. Appellatur tamen efficacior, quia extorquet creaturæ cooperationem, eámque abripit ad coefficiendum; quod ſufficienter intelligitur per moralem illum modum diuerſum ſe habendi eiuſdem virtutis operatiuæ: Ac proinde abſque variatione phyſica actionis ab eodem phyſico principio dimanantis. Quare rectè conſtitutum eſt libertatem in actu ſecundo nihil prorſus eſſe niſi extrinſecam denominationem à potentia in vtramque partem expedita: Ita vt eadem ſpecie ac numero entitas actionis, poſſit libera & neceſſaria denominari, pro vario ſtatu morali eiuſdem phyſicæ virtutis actionem illam principiantis.

Rationes pro eſſentiali incluſione libertatis in actu diluuntur.

137. Quæ Hurtadius in contrarium opponit, à § 67. ſunt parui momenti. Vrget in primis teſtimonium Sancti Thomæ, qui 1. 2. q. 19. art. 1. affirmat bonum & malum eſſe eſſentiales differentias actuum. Atqui libertas eſt aliquid formaliter pertinens ad rationem boni & mali, cùm ſit aliquid ſine quo actus non eſſet in genere moris. Addit deinde aduerſarius, actum liberum, quà talem, eſſe obiectum ſpecialis complacentiæ vel diſplicentiæ Dei, quod non habet actus neceſſarius. Ergo actus liber, prout liber, habet aliquam intrinſecam perfectionem. vel imperfectionem qua caret actus neceſſarius. Eam autem formam conſtat non poſſe eſſe quicquam aduentitium. Eſt ergo ipſemet actus. Quod argumentum, latiſſimè, & multis tractationi philoſophicæ ex Chriſtiana Theologia de more admixtis, ſtabilit à §. 73. ad 79. Alia prætereà quædam, authorum eiuſdem ſecum ſententiæ, argumenta, proponit à §. 68. & imbellia eſſe oſtendit.

Verùm neque duo illa, quibus ipſe nititur, firma ſatis ſunt. Nam D. Thomas cùm ait bonum & malum eſſe eſſentiales differentias actuum, agit tantùm

de

de actibus prout moralibus, quia genus moris eſſentialiter reſtringitur per bonitatem & malitiam, tanquam per differentias ſuas ſpecificas & eſſentiales. Tamen & hoc genus, & eius differentiæ eſſentiales ſunt accidentariæ ſubiecto cui metaphyſicè aduenіunt. id eſt, actui humano, vt infrà diſtinctiùs exponam, cùm agam de moralitate. Sicut differentiæ eſſentiales coloris ſunt illæ, quibus albedo & nigredo aliæque ſimiles coloris ſpecies conſtituuntur, & tamen color & albedo ſunt accidentaria parieti.

Iam verò quòd actus liber Deo diſpliceat aut placeat, non probat libertatem eſſe aliquid actui intrinſecum addititium, vel importans peculiarem eſſentiam; cùm poſſit ipſamet eius entitas, connotatâ potentiâ ad vtrumque expeditâ, ad hoc ſufficere. In eo enim quòd actus à potentia ſic ſe habente prodeat conformiter ad dictamen rectæ rationis, elucet bona affectio potentiæ & hominis operantis, qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit. Ideóque meritò placet Deo & hominibus actus ille, vel potius homo, qui eum elicuit.

138. Et fateor quidem, amabilitatem vel odibilitatem actus, nihil eſſe ad actus entitatem ſuperadditum, vt fuſiùs oſtendam loco allegato: Non tamen propterea aſſero huiuſmodi prædicatum, potentiæ ſic vel ſic affectæ, connotatiuum, eſſe adeo intimum iſti entitati; quin, ea phyſicè ſalua & immutata, poſſit mutari moralitas: æque ac veritas & falſitas, eidem phyſico actui immutato, accedunt, vel decedunt. Multò autem magis poteſt mutari libertas, quæ eſt conditio anterior bonitate & malitia: nec eſt actui, etiam prout morali, eſſentialis per modum generis vel differentiæ: quamuis ſit conditio eſſentialiter prærequiſita. Eſt enim entitas connotatiua, quam nouum non eſt amittere denominationem aliquam, intactis & ſaluis omnibus intrinſecis, vt conſtat ex relatione categorica. Quid quod aduerſarius fatetur eandem qualitatem vitaliter expreſſam v. g. per actum amoris, poſſe eſſe neceſſariam & liberam? Neque vt exiſtimo negabit qualitatem illam intrinſecè terminantem dependentiam actu vitali importatam, eſſe præmio dignam & laudabilem, ſi ſit libera, non item ſi ſit neceſſaria. Iuxta veram enim ſententiam, ea qualitas eſt id ſolum quod nos formaliter conſtituit tendentes in obiectum: Et tamen, vt aduerſarius etiam admittit, eſt eadem entitas quæ modò libera ac laudabilis eſt, modò non eſt laudabilis, quia eſt neceſſaria.

Regreſſus ab actibus ad principia

Vt igitur eò reueniam vnde huc diuerti, argumentum ductum ex libertate comparata cum actu, quem afficit, non incommodè confirmat quomodo libertas in actu primo, ſe habeat ad principium voluntarium, hoc eſt, vt ſupra affirmabam, tanquam accidens variabile, ad ſubiectum, cui non conuenit reciprocè aut neceſſariò. Nam eadem planè entitas actus eliciti, ita ſe habet ad voluntarium & liberum vt ratio quidem voluntarij ſit ei eſſentialis, iuxta probabiliorem ſententiam, quæ aſſerit actum voluntatis non poſſe eſſe niſi à principio immanente & cognoſcente, quibus perſtantibus actus manet voluntarius. Ratio autem liberi ac neceſſarij ſunt eius accidentia, non quidem phyſica & nominalia, (vt vocant) ſed metaphyſica ac verbalia, & reipſa indiſtincta ab actu, prout connotante hoc vel illud. Idem ergo iudicium eſt de principio libero & voluntario ad inuicem collatis proportione ſeruata.

ARTICVLVS IV.

Quodnam ſit liberum illud principium actui ſuo dominans; ſiue de libertatis ſubiecto, remoto, ac proximo.

139. VT naturam principij liberi in ſuperioribus expoſitam penitius peruadamus, eiúſque radicem, & naturas quibus competit, aut competere poteſt, explicemus; tractandum in primis eſt, id vnde reliqua pendent: hoc eſt, quæ ſit libera illa facultas actus ſui domina, ſuíque ipſius determinatiua, & habens rationem principij proximi liberi. Vbi ſupponenda eſt Ariſtotelica potentiarum viuentis diuiſio in rationales & irrationales, quæ traditur 9. Metaph. cap. 2. ac 1. Ethic. cap. vltim. & peti etiam poteſt ex illis, quæ de operationibus dicuntur 1. Ethic. cap. 7. Appellat Philoſophus potentiam rationalem, omnem illam quæ conſequitur gradum intellectualem vt ſic, vel quæ eius ductu regi idonea eſt: Omnem verò inferiorem potentiam vocat irrationalem. Rurſus potentia rationalis duplex ab eo diſtinguitur: Nempe vna quæ eſt in ſe rationalis ſiue formaliter ſiue conſequenter: alia quæ eſt rationalis tantum per participationem. Facultas formaliter rationalis, eſt intellectus, qui eſt ipſa ratio eſſentialiter. Hanc concomitatur vel certè conſequitur voluntas, in qua elucet quod Philoſophus cap. illo 2. ait potentiam rationalem verſari in contrariis. Facultas verò participatiuè rationalis *ea eſt*, inquit Ariſtoteles 1. Ethic. cap. 13. & vltimo, *quæ particeps rationis quodammodo eſt, quatenus ipſi obedit, imperióque eius obtemperat. Ita profecto, & patris & amicorum habere rationem dicimur. & non ſicut Mathematicorum.* Senſus eſt hanc facultatem eſſe rationis participem, non per ſeipſam, eo modo quo Mathematicus, qui ex propriis principiis concluſionem aliquam diſciplinæ ſuæ propriam callet, ratione propria ac ſua vtitur, eam concluſionem eruendo; ſed eſſe rationalem per aliud, eo modo quo filius, qui patris directione regitur, aut amicus qui amici rationem ſequitur, eſt prudens per patrem aut amicum. Et quanquam Ariſtoteles ibidem, ſolum appetitum ſenſitiuum proponat in exemplum huiuſmodi facultatum rationem participantium: Tamen omnem omnino facultatem aptam rationi obedire, reponit in eo ordine; v. g. vim motiuam, vt rectè cenſuit Suares in notis ad c. 2. libri noni Metaph. malè repugnante Fonſeca ibid. q. 1. ſ. x. qui cauſatur facultatem motricem non obedire rationi politicè, ſed deſpoticè: quod non refert ad rem præſentem. Imò multò maiorem facultatis illius obedientiam ad rationem; ac proinde etiam multò maiorem rationis participationem importat. Potentiam ergo illam, quæ libera eſt, ſuíque actus domina, neceſſe eſt aut rationis participem, (ſaltem alicubi,) aut formaliter rationalem eſſe. Nam facultates irrationales, Ariſtoteles disertè profitetur eſſe ad vnum determinatas, & à perfectione ac prærogatiua libertatis alienas. Quare de ſolis potentiis quoquo modo rationalibus diſputabimus.

ASSERTIO.

NVLLA cuiuſuis ordinis potentia, ac ne intellectus quidem, libertatem formalem, & veram indifferentiam actiuam, per ſe ac ſeorſim à voluntate obtinet, aut obtinere vlla vi poteſt: Sed id ſolius voluntatis, rationem indifferentem, tanquàm libertatis formalis radicem, præſupponentis, ac per eam directæ, proprium eſt. Ideóque inter hæc inferiora, ſolus homo, rationis vſu pollens, libertatis prærogatiuâ ſuapte naturâ potitur.

PRIMÒ expono ſubiectum proximum & immediatum libertatis, vel potiùs potentiam cum qua libertas identificatur; quam dico non differre à voluntate. Vbi duo inuoluo. Nempe primò quòd nulli alij facultati implantetur libertas. Secundò quòd implantetur voluntati. Vt autem primum illud aſſertum priore loco confirmem, agendum duntaxat eſt de appetitu ſenſitiuo & de intellectu. Nam quamuis admiſerim alias, præter appetitum facultates participatiuè rationales, puta ſenſum internum, & vim motricem: Tamen nemo vnquam quoad has potentias in dubium reuocauit an libertate pollerent: Et ex illis quæ circa appetitum ſenſitiuum & intellectum dicemus, multò magis conſtabit, vim motricem & ſenſum internum formali libertate deſtitui.

Qui libertatem, aliis à voluntate facultatibus implantauerint, & quibus argumentis.

140. Appetitui igitur ſenſitiuo libertatem aliquam conceſſit Caietanus 1.2.q.74.art.3. contendens idem eo loco à Diuo Thoma aſſeri, eo quòd dicat poſſe in appetitu ſenſitiuo eſſe peccatum veniale, licèt non poſſit eſſe mortale. Altiſſiodorenſem in eandem ſententiam refert & refellit Nau. c. *ſuper tribus* de pœn.d.1. Appetitui quoque ſenſitiuo (etiam in brutis,) libertatem non quidem moralem & ad meritum ſufficientem, ſed tamen naturalem fuiſſe à Molina conceſſum, grauiter expoſtulat Zumel tom. 2. var. diſc. 3. propoſ. 1. expoſcens contra Molinam *ſententiam ſedis Apoſtolicæ*, & addens diſcurſu 4. l. 6. *id à ſeculo non eſſe auditum. Neque Theologum aliquem eo nomine dignum aut Catholicum, id tradidiſſe vel docuiſſe. Neque à Sanctis Patribus vnquam fuiſſe inſinuatum.* Qui Thraſonici hominis ſemper grandicrepi, quanti eſſe debeant infrà patebit.

Intellectum verò eſſe libertate præditum, & quidem per prius (vt ait) ac principaliùs quàm voluntatem, ſenſit Durandus in 2.d.24. q.3. n.15. id tamen ad libertatem quoad exercitium reſtringens n.22. Et probat, quia per intellectum habemus priùs & principaliùs dominium actuum noſtrorum, quàm per voluntatem. Cùm enim ad libertatem actualem duo interueniant; nempe iudicium indifferens & motio voluntatis in obiectum propoſitum; conſtat iudicium antecedere, motum autem voluntatis ſubſequi. Nec motus voluntatis aliter ſubeſt libertati, quàm quia illi ſubeſt actus intellectus. Alij non pauci, ſolum intellectum liberum eſſe voluerunt, vt latè refert Piccolomineus grad. 2. c.40. Et ex mente Ariſtotelis ita aſſerit Mirandulanus l. 25. Monomach. ſ. 8. & latè Poſſeuinus dial. 2. de honore.

Denique Aureol. in 2.d.24.q. vnica affirmat vtramque potentiam ſuperiorem, ſiue intellectum & voluntatem, eſſe libertatis participem cum mutua ad inuicem connexione. Quæ videtur fuiſſe ſententia eorum quos Argentina in 2. d. 38. q. vnica art. 1. memorat affirmaſſe intellectum & voluntatem potiri ex æquo libertate, quod eodem Argentina referente probabant ex eo quòd facultates intellectus & voluntatis, ex æquo abſtrahant à materia: Ambæ item fluant ab eadem eſſentia radicaliter & fontaliter libera: Ambæ prætereà ſint reflexiuæ & pertineant ad conſtitutionem diuinæ imaginis in homine: Tandémque ambæ ſint rationales: quibus potentiis, Ariſtoteles, 9. Metaph. c.x. tribuit verſari circa oppoſita atque adeo liberas eſſe.

Fuit etiam qui ea argumenta cumulans, diceret intellectum & voluntatem eſſe vnam & eandem entitatem & inter ſe & cum anima, ac proinde concedendam eis ex æquo eſſe libertatem. Addi poſſunt illæ aliæ argumentationes ex Aureolo in 2.d.24.q. vnica conc. 1. Si enim non potiremur libertate quoad vtramque potentiam rationalem, arbitrari non eſſet in noſtra poteſtate: Atque adeo actus prudentiæ, qui eſt ſententiam dicere & vtile videre, non eſſet in poteſtate noſtra. Ex quo fieret, prudentiam non eſſe virtutem moralem, & habitum electiuum. Conſtat enim actum huiuſmodi habitus, debere eſſe in noſtra poteſtate. Itaque concludit Aureolus, vel prudentiam non eſſe virtutem moralem; quod eſt apertè contra Philoſophum: Vel eius actum, qui eſt intellectio quædam, eſſe in noſtra poteſtate: Confirmátque ex perſuaſione, qua plerumque imperitus doctum vt ait, perſuadet atque determinat.

Appetitus ſenſitiuus, nullibi liber.

141. Hæc tamen omnia placita ruinoſa ſunt. Ac primùm quod appetitus ſenſitiuus deſtituatur libertate, cùm in brutis, tum etiam in nobis, perſpicuum eſt ex eo quòd notitia phantaſtica, quæ appetitui ſenſitiuo prælucet, non eſt notitia indifferens, quâ ſcilicet exhibeatur obiecti ſenſibilis amabilitas ſimul & repudiabilitas. At hæc eſt tota radix libertatis in potentia appetente. Succiſa autem radice, neceſſe eſt propaginem exareſcere. Inde porro contingit vt appetitus non habeat dominium in actum ſuum, ſed cùm primùm notitia ſenſitiua prælucens propoſuit alteram partem, neceſſarium eſt appetitui, præcipitare in actum, determinationi cognoſcitiuæ conſentaneum, eo impetu, vt appetitus nequeat frœnare ſeipſum, ſicut poteſt facultas verè libera. Itaque duntaxat interdum contingit bruta ceſſare ab actione aliqua, quia ob interuentum alicuius circunſtantiæ non formatur iudicium indicens actum, & ad operandum determinans: quod non eſt ceſſare liberè, ſed neceſſariò; quia is tantùm liberè ceſſat, qui poſſet agere: Hoc autem brutis tunc deeſt, quia deſtituuntur iudicio determinante, quod eſt prærequiſitum ad virtutem appetitus operatiuam exerendam. Et quod de appetitu ſenſitiuo brutorum dictum eſt, æquè de appetitu ſenſitiuo humano, dictum intelligatur. Neque enim appetitus ſenſitiuus in homine, ob viciniam rationis, contrahit dignitatem aut vim maiorem, quàm ſit ea, quæ facultati appetenti intra gradum merè ſenſitiuum eſt conſentanea.

Certè ſi vel in nobis, vel in brutis appetitus ſenſitiuus libertate aliqua polleret, peccare poſſet. Nulla enim datur libertas purè naturalis, quæ non ſit

etiam

etiam idoneum principium actionis meritoriæ aut demeritoriæ, vt infra proſequar contra aliquos recentiores. Nam ſi ubiectiua moralitas non deſit, (vt hic certè ſæpè non deeſt;) adſitque libertas & dominium in actum; quid deſiderari vltra poteſt, ne exurgat formalis moralitas in actu? Atqui bruta peccare poſſe, nemo ita inſaniat, vt admittat. De nobis etiam, nullo modo affirmari poteſt quòd noſter appetitus ſenſitiuus, per ſe ſpectatus, ſit peccati capax. Sic enim, vt D. Auguſtinus 1. Ciuit. c.25. argumentatur, poſſemus inter dormiendum peccare. Sæpè enim per ſomnum appetitus operatur, & tamen ſi abfuerit voluntatis conſenſus anticipatus, nulla in huiuſmodi operatione cernitur malitia, vel bonitas moralis, vt tradit præclarè Ariſtoteles 1. Ethic. cap. 13. verbis illis. *Bonus & malus diſcerni in ſomno minimè poſſunt. Vnde inquiunt, felices in dimidia parte vitæ, à miſeris nihil diſtare. Atque hoc conuenienter euenit. Otium enim animæ, ſomnus eſt; (qua vel bona vel mala dicitur;) niſi quatenus paululum motiones aliquæ ad eam pertingunt. Eatenus enim modeſtorum meliora quàm quorumlibet viſa apparent.* Similiter in vigilia quilibet motus appetitus, quantumuis ſubitus & nobis voluntate reluctantibus extortus, peccatum eſſet, atque ita etiam nolentes peccaremus: quod meritò reiicit S.Auguſtinus ſerm. 9. de diuerſis c. 9. & aliis locis quæ diligenter collegit Ruardus art. 2.

Paſſim quoque idem reiiciunt Patres, quorum ea eſt communis vox, motus concupiſcentiæ per ſe ſpectatos, culpa vacare; nec vitio verti, eos ſentire ab appetitu prodeuntes, ſed conſentire voluntate. Vnus inſtar omnium erit. S. Anſelmus lib. de concept. Virg. & peccat. origin. cap. 4. *Nec ipſi* inquit, *appetitus quos Apoſtolus* carnem *vocat* quæ concupiſcit aduerſus ſpiritum, & legem peccati, quæ eſt in membris repugnantem legi mentis, *iuſti vel iniuſti ſunt, per ſe conſiderati. Non enim iuſtum faciunt, vel iniuſtum, ſentientem. Dicit enim Apoſtolus* Nihil damnationis eſſe his qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundùm carnem ambulant; *id eſt, non carni voluntate conſentiunt. Nam ſi ſentientem ſine conſenſu, iniuſtum facerent, ſequeretur damnatio. Quare non eos ſentire, ſed eis conſentire, peccatum eſt. Si enim iniuſti per ſe eſſent; quoties illis conſentiremur, iniuſtum facerent. Sed quando bruta animalia illis conſentiunt, non dicuntur iniuſta. Item ſi peccata eſſent, auferrentur in baptiſmo, cùm omne peccatum abſtergitur; quod nequaquam fieri palam eſt. Quare non eſt in eorum eſſentia, vlla iniuſtitia, ſed in voluntate rationali illas inordinate ſequente.* Conſule de his ex profeſſo diſputantes, Stapletonium toto lib. 3. de iuſtificat. & Bellarminum l.5. de amiſſ.grat. à cap.7. ad 14.

Denique ſi motus appetitus, per ſe ſpectati liberi eſſent, pueri quoque & amentes in quibus appetitiones iſtæ, perfectè vigent, eſſent peccati capaces, & reatum ſupplici contraherent, quod S.Auguſt. 10.Confeſſ. c.3. & S. Ambroſius 1. off. c.21. repudiant, & meritò, vt preſſius infra exponam.

Conuelluntur, quæ pro appetitus ſenſitiui libertate, adducta ſunt num. 140.

142. Neque S.Thomas, cui Caietanus ſuprà, tribuebat ſententiam admittentem leue peccatum in appetitu ſenſitiuo per ſe ac ſeorſim à voluntate ſpectato, fuit reuera in ea ſententia. Tantùm enim affirmat, motus illos appetitus, qui perfectam deliberationem, & moralis turpitudinis cognitionem antevertunt, ob aliquem voluntatis conſenſum, & eius in illis frænandis leuem negligentiam, eſſe leuia peccata. A voluntate itaque imperfectè & indeliberatè motus illos appetitus approbante, ſaltem indirectè & interpretatiue, contingit interdum refundi in actus illos malitiam, qua alioqui vacarent. Et inde etiam eſt, quòd extrinſecè, id eſt, per ordinem ad voluntatem & rationem, denominantur vel primò primi, cùm ſcilicet ante omnem conſiderationem ac vel leuiſſimam prænotionem moralis malitiæ, exurgunt in nobis nec opinantibus, ac proinde ad eos inhibendos prorſus impotentibus: Vel ſecundò primi, cùm ſcilicet adeſt tenuis aliqua & leuis conſideratio malitiæ aut exiſtentiæ ipſorum; Vel denique conſummati, cùm ſcilicet homo plenè aduertit, & tamen motus illos vel vult directè, vel indirectè contra rationis edictum. Ex ſe igitur omnes hi motus ſunt primò primi, & prorſus carent formali moralitate cùm libertate omnino careant.

Calumnia abſterſio.

Quod verò Zumel, & alij Molinæ parum æqui, ei impingant placitum quod refellimus, longa expurgatione non eget. Molina ſiquidem non conceſſit appetitui ſenſitiuo vllam veram poteſtatem frœnandi actum ſuum; aut poteſtatem ſiſtendi ſe ab operatione poſitis omnibus prærequiſitis; quæ eſt germana libertatis notio: Sed tantùm conceſſit appetitui ſenſitiuo, veſtigium quoddam libertatis, in eo poſitum, quod bruta cùm deeſt iudicium determinans, poſſint non agere; tametſi cùm illud præceſſit, nequeant ab operatione deſiſtere: Quam eſſe veræ libertatis imitationem aliquam, ſiue ſimilitudinem appetitui brutorum competentem, diſertè tradit S. Thomas q. 23. de verit. art. 1. *ſub finem corporis*, & q.24. art.2. *item in corpore*, Annuitque Fonſeca 6. Metaph.c.2.q.2.ſ.3. & Bellarminus 3. de grat. & lib. arbitr. c.15.

Hoc igitur eſt veſtigium illud libertatis, quod appetitui conceſſit Molina; libertatem autem veram, nuſquam conceſſit. Poſſe enim agere aliquid, ſi determinatio iudicij accedat, & non poſſe, ſi iſta deſit, non ſufficit ad veram libertatem, niſi ipſum iudicium ſubſit poteſtati eius cuius libertas quæritur. Atqui appetitus non poteſt in iudicium ſibi prælucens dominari. Igitur caret libertate verè & propriè dicta, de Molinæ etiam ſententia: Nec tantùm morali, quam idem author pueris & amentibus negat, ſalua naturali (quod probabile eſſe admittit Zumel, vt infra referam;) ſed etiam naturali. Nam hanc quoque minus perfectam libertatem ſed tamen libertatem aliqualem, Molina appetitui ſenſitiuo diſertè eripit 1. p. q. 14. artic. 13. d. 12. Itaque non feriunt Molinam, tumentes illi verborum fluctus, quos ſuprà exhibuimus, ſed irrito niſu illiſi abeunt in ſpumas.

Intellectus nullo modò, ex ſe liber.

143. Iam verò quod intellectus ex ſe ſumptus libertate deſtituatur, perſpicuum eſt: quia neque eſt liber quoad ſpecificationem, neque quoad exercitium. De priore membro annuit Durandus, vt iam notaui, & ex eo confirmatur quod intellectus ſuapte natura determinatur ad aſſentiendum vero clarè ſibi propoſito, & ad diſſentiendum falſo. Quod ſi interdum hæret ambiguus, non hoc habet per poteſtatem in actum ſuum, quaſi poſſit ad libitum ſiſtere eum vel profundere, ſed ob imperfe-

ctionem notitiæ, qua veritas vel falſitas obiecti non ſatis proditur. Itaque deeſt intellectui vertibilitas illa ad alterutrum diſtinctè propoſitum, quæ ad libertatem quoad ſpeciem requireretur. Et inde eſt quod intellectus, cum veritas obiecti non eſt liquida & omnino euidens, ſed vel tantùm probabilis, vel tantùm euidenter credibilis, non poteſt ſe ad agendum determinare, niſi interuentu voluntatis: Quod experimur in aſſenſu Chriſtianæ fidei, ad quem ob obiecti, licet veriſſimi, obtenebrationem, præexigitur motio pia voluntatis, captiuans intellectum in obſequium fidei.

De libertate quoad exercitium refragatur Durandus, ſed immeritò. Nam exercitium actus; quod non erumpit ſolo naturæ impetu, aſſumi nequit, niſi præferatur carentiæ actus. Quandoquidem enim actus non eſt neceſſarius, fatendum eſt eum idcirco elici, quia præeligitur ceſſationi. Atqui præeligere eſt velle, non autem intelligere. Ergo exercitium actus non eſt in poteſtate intellectus. Idque confirmant ordinariæ locutiones: Si enim rogetur quis, cur hoc potius quàm illud mente agitet, reſpondebit, *quia vult*, &, *ſit pro ratione voluntas*. Similiter in contractibus ineundis, qui contrahit, non rogatur vtrum intelligat, ſed vtrum velit: Nimirum quia firmitas contractus pendet à libertate contrahentis, quæ non intellectui ſed voluntati ineſt. Accedit quòd ſi intellectus ex ſe liber eſſet, ignorantia quantumuis inuincibilis & voluntate inſuperabilis, non excuſaret à culpa. Poſſet enim eſſe libera per ordinem ad ſolum intellectum. Item actus noſtri non eſſent laude aut ſupplicio digni ratione voluntatis, ſed ratione ſolius cognitionis. Imo æſtimandi eſſemus boni aut mali, penes ſolam cognitionem, non penes volitionem.

Quod argumentum luculenter verſat Iuſtinus quæſt. 8. ad Orthodoxos, quæ fuerat, [ſi Deus, cognitionem nobis boni & mali indidit, an non ipſe quoque cenſendus ſit boni & mali moralis cauſa? *Reſpondet autem Iuſtinus in hunc modum.* Non ſolùm vt ſimus, & vt bonum & malum ſciamus, ac faciamus, poteſtatem nobis dedit Deus, ſed etiam liberum arbitrium nobis largitus eſt, nóſque dominos facit, præferendi ac eligendi quod nobis videatur, ex iis quæ cognoſcuntur: atque vt boni & mali ſimus, id non poſuit in cognitione eorum quæ cognoſcuntur, ſed in electione eorum quæ eliguntur: Itaque non eſt cognitio, cauſa vt ſimus boni aut mali, ſed propoſitum. Quemadmodum enim qui videt meretricem, & ſcit eſſe meretricem, non eſt ſcortator propter hanc cognitionem: ac ſi cognitio excitauerit cupidinis affectum, ne ſic quidem ſcortator eſt; ſed ſi conſenſerit cum affectione propoſitum, tunc eſt ſcortator, aut actione, aut affectione: ſic & bonorum & malorum hominum cognitio, non eſt in cauſa vt boni ſint aut mali, ſed propoſitum, quod elegit id quod ei viſum eſt, id præferens alteri.]

144. Quare fatendum eſt, intellectui ex ſe nullo modo competere libertatem. Nec ſanè neceſſaria fuit potentiæ cognoſcenti libertas, quia verum falſo nunquam admiſcetur in eodem obiecto: Veritas enim eſt in indiuiſibili, & vel tota & ſola adeſt, vel prorſus exulat. Non potuit ergo obiectum intellectus eſſe indifferens reſpectu eius, ac proinde non eguit libertate, ſiue indifferentia actiua; manante ex obiecti indifferentia.

Ad argumenta Durandi, pro intellectu quoad exercitium libero, poſita numero 140.

Argumenta, quibus Durandus adducebatur, vt libertatem intellectui aſſignaret, infirma ſunt. Tantùm enim probant prærequiri ex parte intellectus iudicium indifferens de bonitate vel malitia aut repudiabilitate obiecti, quod nemo negat. Inde autem non ſequitur, intellectum eſſe *principalius*, aut, vt Durandus etiam addit *per prius* liberum, quàm voluntatem. Nam quamuis illud dominium, in quo libertas conſiſtit, exeri nequeat abſque ratione prælucente voluntati ex ſe orbatæ lumine ac cœcæ: Tamen quandiu tantum habetur regula illa ſiue dictamen prælucens, nondum habetur dominium in actum: Quamuis verum ſit, ex indifferentia prædicti dictaminis, tanquam ex radice, progerminare indifferentiam actiuam, quæ eſt libertas propriè accepta.

Quod aliter dicitur libertatem formalem eſſe tantùm in voluntate: radicalem autem eſſe in intellectu. Nimirum ratio propter quam facultas libera poteſt proſequi vel non proſequi, aut etiam refugere obiectum aliquod, eſt quia in eo obiecto inuenitur ratio motiua proſecutionis & fugæ vel ceſſationis à proſequendo: Niſi enim obiectum eo modo exhiberetur, abeſſet libertas: vt patet ex beatis, qui Deum, quem clarè ſub ratione puri boni conſpiciunt, nequeunt non diligere; multóque minus odiſſe poſſunt, quia in bono pleno clarè conſpecto non cernitur ratio motiua odij vel volitionis ceſſandi ab amore. Quamuis enim ea ceſſandi volitio, non ſit actualiter neceſſaria ad conſtituendam libertatem contradictionis, neceſſaria tamen eſt, ſaltem fundamentaliter. Id eſt, neceſſarium eſt, vt obiectum contradictorie liberum ſit tale, quod poſſit eam volitionem terminare, ſi lubeat facultati liberæ eam exercere.

Ad libertatem ergo requiritur obiecti indifferentia. Hæc autem exhibetur per iudicium intellectus; & idcirco intellectus proximè eſt radix libertatis formalis, quæ eſt in potentia proſequente per intellectum regulata. Radix autem vlterior, eſt obiectum indifferens. Sicut ergo nemo dixerit, obiectum eſſe liberum formaliter, quamuis præbeat originem indifferentiæ iudicij, ex qua proximè pullulat libertas facultatis proſequentis aut refugientis obiectum ex eo iudicio: Ita dicendum eſt intellectum non eſſe liberum, ſed tantùm libertatis originem, ſiue radicem, vt paſſim Doctores tradunt.

145. Nec diſſentiunt, qui dicunt originem libertatis, eſſe immaterialitatem, vel vim reflectendi ſe, ſupra ſuum actum: Hæc enim omnia, eodem recidunt. Nam niſi potentia poſſet ſe ſupra ſuum actum reflectere, & niſi à materiæ concretione remoueretur, non eſſet intelligens: Radix quippe intellectionis eſt immaterialitas, vt latè tractatum eſt in Naturali Theol. d. 2. q. 2. art. 3. Item cum immaterialitate ob vniuerſalitatem obiecti, & potentiæ, flexilem, vt ſic dicam, vigorem, excuſſa mole materiæ, coniungitur vis ſe reflectendi ſuper actum ſuum. Atque ita radices illæ libertatis, eodem reuoluuntur: niſi quod partus intellectualitatis; id eſt, cognitio indifferens, eſt proximior radix, quàm illæ aliæ vniuerſaliores perfectiones: Ideóque paſſim in ea meritò ſiſtitur, cùm radix libertatis formalis inueſtigatur. Adde quod immaterialitas, (& idem eſt de reflexiuitate;) non ſunt cauſæ reciprocæ dominij in actum ſiue liberta-

tis, vt rectè notat Argentina in 2.d.38.q.vnica art.1. *ad 1. & 5. ſecundo loco contra con luſionem.* nec libertatem neceſſariò comitantur, ſed tantùm ſi id ferat cognitio & intellectualitas, quam aſſectantur. Alioqui vis motrix inorganica, & ſpecies intelligibiles, ac habitus, pollerent libertate.

Omnia igitur argumenta, quibus Durandus contendebat intellectum priùs & principaliùs liberum eſſe, ad ſummum probant quod admiſimus: Nempe intellectum eſſe radicaliter liberum, vnde non habetur eum eſſe formaliter liberum. Malè autem aſſumit Durandus, hominis intellectum habere dominium actus ſui. Non enim homo habet hoc dominium formaliter per intellectum, ſed tantùm per voluntatem. Falsò item aſſumitur, (ſi formaliter loquamur, vt nunc facimus) per hoc hominem eſſe liberum, quod intellectio ſubſit eius poteſtati. Denique falsò etiam aſſumitur voluntatem non poſſe non ſequi dictamen prælucens: ſic enim ratio, vt pulchrè dixit D. Bernardus lib. de gratia & liber. arbitr. non inſtrueret ſed deſtrueret libertatem.

Ad argumenta aliorum, in eandem ſententiam ibidem propoſita.

146. Argumenta item, quæ alij quidam auctores eiuſdem cum Durando ſententiæ proferebant, ad probandum, libertatem formaliùs & principaliùs competere intellectui, quàm voluntati, ſunt omnino imbellia, eáque nullo negotio diſſoluit Argentina ſuprà *in argumentis primo loco propoſitis contra concluſionem:* Omnia enim eò reuoluuntur, quod intellectus iuxta Commentatorem, in regno animæ habeat ſe vt Rex ad plebem; aut vt Magiſter ad diſcipulum, dirigátque & regat vniuerſas potentias, & eis honorabilior ſit, ac minus ab aliis dependens in exercitio actus ſui, quàm voluntas: quandoquidem volitio ſemper præexigit intellectionem, non contra. Dicendum autem eſt, intellectum eſſe quidem facultatem principem, ſi ſpectetur eminentia entitatiua & nobilitas eius. Sicut enim ſcitè Philo lib. de Abraham ſub medium vocat viſum, *Regem ſenſuum*, annuente S. Chryſoſtomo hom. 55. in Ioan. & Iſidoro Peluſ. l.2.epiſt.112. Ita *anima oculus* quod eſt intellectus cognomen apud eundem Philonem lib. quòd Deus ſit immutabilis, ſuffragante Niceta 2. Theſau. c.45.) meritò regnum quoddam in anima ſortiri cenſetur, ratione notitiæ prælucentis, quia voluntatem ex ſe cæcam monſtrato itinere dirigit: ſalua tamen ſemper voluntati optione, exequatúrne quod monſtratum eſt, an non.

Itaque ſe habet intellectus ad facultatem liberam, eodem propè modo quo Conſiliarius ad Principem, qui ei auſcultare eiúſve conſilia abiicere poteſt, quia ſolus eſt Dominus ſui actus. Quo exemplo vtitur Mayro in 2.d.23. q.vnica. Vel vt Conſiliarium, ad vnicam partem determinatum, & inflexibilem, proferamus; eodem modo ſe habet intellectus, quo probatus aliquis author, qui de regimine populorum librum conſcripſerit. Huius enim abſentis, aut iam pridem mortui librum, ſi legat qui præeſt populo, bonum ex eo & ſanum conſilium hauriet, quod liberum ipſi erit ſequi vel detrectare, nullâ interim admiſſâ in eo libro eiúſve authore, prærogatiua libertatis vel dominij in Regem aut Principem conſilium eius captantem. Idem ergo dicimus de intellectu ad facultatem formaliter liberam comparato.

Eodem autem modo enodandum eſt quod addebatur de magiſterio intellectus reſpectu voluntatis. Non enim magiſter, vt ſic, poteſtatem habet in actiones diſcipuli, quamuis veritatem eum edoceat. Tandem quòd intellectus ſit phyſicè nobilior & honorabilior ac etiam independentior quàm voluntas, parum refert ad rem præſentem, in qua non ſpectamus præcellentiam entitatiuam, ſed poteſtatem in proprium actum: quæ perfectio poteſt ab ea præcellentia ſeiungi, & dependentiam prædictam annexam habere. An verò vt rectè Mayro ſuprà argumentatur phantaſiam intellectui præponemus, quod intellectus in hac vita alligatus ſit phantaſiæ, nec abſque ea operari queat, poſſit autem phantaſia abſque intellectu?

Diſſoluuntur, quæ pro æquali intellectus & voluntatis libertate, ſunt poſita num. illo 140.

148. Eadem facilitate, euentilantur argumenta, quæ poſtremo loco referebantur, ad probandum libertatem competere ex æquo intellectui & voluntati, petita ex vtrinſque potentiæ immaterialitate, & vi reflexiua, aliiſque huiuſmodi, quæ tamen nihil reuera efficiunt. Non enim quiduis immateriale, aut reflexiuum, vel manans ab anima rationali, aut integrans diuinam in homine imaginem, liberum eſt ex ſe & ſuapte natura. Quamuis vice verſa quod habet dominium in actum ſuum, ac proinde eſt liberum formaliter, debeat & immateriale eſſe, & reflexiuum, & manans à ſubſtantia intelligente, Dei in ſe imaginem exprimente.

Ariſtoteles autem qui poſtea opponebatur, dixit quidem potentias rationales verſari circa contraria & oppoſita: Hoc tamen non eſt apud eum vniuerſaliter idem, quod verſari cum libertate & indifferentia actiua cuilibet rationali potentiæ per ſe ſumptæ competente. Nam nomine potentiarum rationalium circa oppoſita verſantium, Ariſtoteles eo loco complectitur etiam artes & ſcientias practicas, quas nemo per ſe ſumptas dixerit eſſe liberas. Itaque ſatis Ariſtoteli eſt, quod quælibet potentiæ rationales, hoc eſt, eæ potentiæ, quas initio in hanc claſſem redegimus, & iis accedentia efficiendi comprincipia, à libertate vſurpari poſſint ad oppoſitos actus; etiamſi ipſæ per ſe non potiantur libertate: ſed tantùm quatenus duce ratione, ab electione, quæ voluntatis partus eſt, determinantur vt eod. lib. cap. 9. dicitur, hoc eſt, libertate perfunduntur.

Poſtremum argumentum eorundem authorum, eſt planè inane. Identitas enim realis inter animæ potentias, ſi datur, (de quo eſt Philoſophicum problema,) non tollit diſtinctionem virtualem harum facultatum: Ideóque ſemper reſtabit quærendum an ſimplex illa entitas, quæ eminenter eſt intellectus & voluntas, ſit libera quatenus eſt intellectus, an verò quatenus eſt facultas appetens. Negamus ergo facultatem intellectiuam ſiue ab appetente differat, ſiue non differat, liberam eſſe quatenus eſt intellectiua. Atque ita habemus primum quod propoſueramus probandum, nempe nullam potentiam extra voluntatem eſſe formaliter liberam.

148. Denique argumenta, quæ ex Aureolo in eandem ſententiam proponebantur; ſunt planè friuola, nec vllo modo probant actum intellectus eſſe liberum: Vltrò enim damus actum prudentiæ vltimum, non eſſe liberum præcisè per ordinem ad intellectum, ſiue per modum actus eliciti: Quod autem inde infertur, prudentiam non fore virtutem moralem, & habitum electiuum, rectè infertur: Sed nego id eſſe abſurdum. Quamuis enim interdum prudentia, dicatur virtus moralis, quia eſt auriga virtutum

moralium: Tamen intrinſecè non eſt virtus moralis, neque habitus electiuus, ſed intellectiuus.

Poſterior Aureoli ratio, eſt æquè inanis. Quod enim prædicationes, vt ipſe ait, & adhortationes idcirco fiant vt auditoribus perſuadeatur, veriſſimum eſt. Nec diffitemur, huiuſmodi adhortationes ac prædicationes, (vt etiam Aureolus contendit,) plerumque non adhiberi ad docendum auditorem, qui ſæpè doctior eſt & peritior prædicatore: ſed fatemur, adhiberi ad concitandum auditoris animum, monendámque voluntatem eius, ad formandum iudicium quo decernat adhærere ei parti in quam dicentis oratio impellit. Hoc tamen quid ad rem noſtram? Vel quomodo Aureolus, ex antecedenti illo colligit intellectum liberum eſſe? Idem iudicium tulerim de inanibus quibuſdam rationibus, pro intellectus ſolius libertate, quas proferunt Alexander, Portius, Buccaferreus, Mirandulanus. Refert eas & latè excutit Piccolomineus gra. 2. à c. 40.

Voluntas, formaliter libera.

149\. Reſtat vt oſtendamus prærogatiuam formalis libertatis, hactenus aliis omnibus potentiis ereptam, voluntati competere; quod eſt alterum ſupra item propoſitum. Vnde inferre licebit quod intendimus, nempe ſolam voluntatem eſſe ſubiectum proximum libertatis. Non quaſi voluntas ſit cauſa ſobiectiuè principians formam illam, quæ dicitur libertas, ſed quia in ipſamet entitate voluntatis reperitur ea perfectio, quam vocamus libertatem in actu primo; & ita phyſicè cum ea identificatur, quoad illud, quod ea perfectio directè importat; vt tamen poſitis vel detractis aliquibus voluntati extrinſecis, poſſit non vltra intelligi pollens ea perfectione; quod præbet fundamentum ad concipiendum eam voluntati quaſi immediato & proximo ſubiecto aduenire.

Igitur, voluntatem eſſe proximum libertatis ſobiectum, ſiue eſſe formaliter liberam, diſertè tradit S. Bernardus tract. de gratia & lib. arbitrio, *non longè ab initio*. Etiamſi enim ad liberum arbitrium, & rationem & voluntatem concurrere exiſtimat, tamen formalem libertatem diſertè aliquoties ſoli voluntati aſſignat. *Conſenſus*, inquit, *ob voluntatis inamiſſibilem libertatem, & rationis quod ſemper ſecum portat, & vbique, indeclinabile iudicium; non incongruè dicitur, vt arbitror, liberum arbitrium ipſe liber ſui, propter voluntatem; ipſe iudex ſui, propter rationem.* Et mox. *Vniuerſa quæ ſunt hominis præter ſolam voluntatem, ab vtroque* (merito, & iudicio, de quibus agebat) *libera ſunt, quia ſui libera non ſunt.* Ruſúſque paulò pòſt: *Sola voluntas pro ſui ingenita libertate, aut diſſentire ſibi, aut præter ſe in aliquod conſentire, nulla vi, nulla cogitur neceſſitate.* Et quamquam ſæpè eo libro, S. Bernardus, voluntarium cum libero confundit & liberum cum voluntario: Tamen non eſt quòd quis cauillari poſſit, cum, locis allegatis, de ſolo voluntario preſsè accepto agere: Nam ſi negat aliis facultatibus rationem voluntarij preſsè accepti, (quod vt minimum eo loco negat D. Bernardus,) multò magis negat illis rationem liberi, quæ arctior eſt, nec tam latè funditur. Planè ergo ſentit, ſolam voluntatem liberam eſſe formaliter.

Diſertè etiam Damaſcenus 3. fid. c. 14. *liberum*, inquit, *arbitrium nihil aliud eſt in homine, quàm voluntas.* Et paulò pòſt: *Patres liberum arbitrium voluntatem eſſe definierunt.* Optimè item Iuſtinus q. 8. ad Orthod. locum iam ſupra dedi. Tandem Diadochus de perfectione cap. 5. *Liberi arbitrij poteſtas*, inquit, *eſt voluntas animæ rationalis, quæ promptè mouetur quò velit.* Profert & laudat hunc S. Diadochi locum S. Maximus in diſputat. contra Pyrrhum; vt enim probet inextitiſſe Chriſto voluntatem creatam, aſſumit S. Maximus omne intellectiuum eſſe ſuapte natura liberum: Omne verò liberum habere voluntatem, probat ex S. Diadocho qui liberam poteſtatem definiuit eſſe voluntatem. Quam etiam paulò pòſt, idem S. Maximus, ait eſſe communem Patrum doctrinam. *Libera* inquit, *poteſtas, vt Patres ſentiunt, voluntas eſt.* Et mox. *Iam dictum eſt, definiiſſe Patres, τὸ αὐτεξούσιον*, ideſt liberam poteſtatem, *voluntatem.* Et denique inferiùs. *Demonſtratum prius eſt authoritate Patrum, voluntatem, eſſe poteſtatem naturâ liberam.*

Quia eſt ſui actus domina.

150\. Accedunt rationes, quas ex variis capitibus petit Mayro in 2. d. 23. q. vnica; ſed potiſſima eſt quæ ex eo ducitur, quòd voluntas ſit actus ſui domina. Hoc autem probare poſſumus, cum à priori tum à poſteriori. A priori quidem, quia ea facultas debuit inſigniri dominio in actum ſuum, in cuius obiectum concurrunt ſimul rationes oppoſitæ, propter quas dominio potentiæ ſubſtare poſſit, quod in obiectum feratur vel non feratur, aut etiam feratur in oppoſitum. Nam fruſtrà proponeretur ei duplex ratio obiectiua, ſi non poſſet alterutram reſpuere vel amplecti. Atqui ſoli voluntati duplex ratio obiectiua oppoſita ſimul proponitur. Nam appetitui ſenſitiuo, propter limitationem ſuam, & determinationem notitiæ prælucentis, vnica ſemper obuerſatur ratio obiectiua, quæ appetitum abripit, nec reluctari ſinit.

Intellectus autem, quamuis ſit potentia vniuerſalis; tamen in eius obiectum non poſſunt ſimul adunari rationes motiuæ oppoſitorum actuum, prout exigeretur ad libertatem. Neque enim veritas ſimul & falſitas concurrere poſſunt in idem obiectum, quia veritas conſiſtit in indiuiſibili, & inconcialibiliter diſſidet à falſitate. Vnde impoſſibile eſt vt intellectus eliciat ſimul circa idem obiectum actus oppoſitos, quod eſt carere libertate quoad ſpeciem actus. Item impoſſibile eſt vt eliciat actum, vel ab eo deſiſtat pro poteſtate. Nam ſi veritas ſit perſpicua, non poteſt non præbere aſſenſum niſi indirectè auocetur ſubducto obiecto per auerſionem animi ad alia, aut niſi voluntas pro poteſtate influxum eius ſuſpendat, vt poſſe fieri exiſtimant aliqui, & nunc non moramur: quia tantùm negamus intellectum poſſe ſe frænare ac ſiſtere. Si autem falſitas ſit euidens, intellectus non poteſt non diſſentire. Et denique non poteſt erga obiectum incurrens cohibere aſſenſum proportionatum lumini quo penetrat eius veritatem vel falſitatem: Quia cùm non occurrit ei niſi vna ratio obiectiua, caret vertibilitate ad oppoſita, quæ eâ obiecti multiplicitate nititur.

At voluntatis obiectum, hoc eſt, bonum, poteſt eſſe permixtum malo; & ſaltem poteſt ita aliqua boni aſpergine perfundi, vt tamen deficiat à ratione ſummi boni. Atque ita quâ bonum poteſt amari; quâ malum, vel quâ non plenum bonum, poteſt reſpui, aut non appeti. In quo eſt totum diſcrimen inter bonum mutilum, & verum creatum intellectui obuerſans. Nam quia omne verum eſt formaliter æquè verum & à falſo alienum; (etiamſi non radicaliter & fundamentaliter vt in Metaphyſica traditur;) propterea minimè ſequitur intellectum poſſe præbere diſſenſum vero creato, etiamſi non ſummo. Voluntas autem poteſt quoduis bonum non ſummum reſpuere: Quia quoduis bonum non æquè elongatur à malo: Imò quatenus habet defectum maioris bonitatis, malum eſt, eo modo quo ſumitur malum, cùm

de

de obiecto voluntatis agitur : Eſt enim idoneum vt repudietu .

Nexus eſſentialis, liberæ voluntatis & rationis

151. Hinc igitur manifeſtum à priori eſt, cur voluntas ſit actus ſui domina, & formaliter libera iuxta illud Damaſceni 3.fidei cap.14. *Quicquid ratione vtitur, id quoque volendi facultatem & arbitrij libertatem habet* Quod vniuerſaliter confirmat cap.28.aitque in quauis natura intellectuali valere. Quod notandum eſt, contra figmentum Gabriëlis in 2. d.23. q. vnic. *litera D.* cui fauet Maior ibid,quæſt.2.concluſ. 5.cùm negat id eſſe inopinabile. Cenſuit ergo Gabriel, poſſe diuinitus creari voluntatem, à noſtra ſpecie diuerſam; quæ eſſentialiter eſſet non libera . & eodem modo ſequeretur dictamen intellectus ad alteram duntaxat partem determinati, quo appetitus ſenſitiuus ſequitur dictamen Phantaſiæ.

Sed ea ſententia eſt planè abſurda, nec tantùm eſt contra Damaſcenum loco allegato , ſed etiam contra pleroſque alios Patres , agnoſcentes in quauis natura intellectuali libertatem iungi intellectualitati , & ita compleri eam Dei imaginem, ad quam homo, atque adeo quilibet intelligens conditus proditur. Ita luculenter Hieronymus epiſt. 146. & Gregorius Nyſſen. orat.4. in orat. Dominic. quo loco, cœlum & terram, in quibus diuinam voluntatem fieri petimus , interpretatur, duplex membrum in quo ſecta eſt diuinitùs natura intellectu prædita : Ita vt cœlum quidem ſit Angelus ; terra autem ſit homo ex terra compactus. Vtrique ergo huic naturæ , quia ratione prædita erat, agnoſcit Nyſſenus tributam *plenam ac ſummam in ſeſe poteſtatem & ab omni neceſſitate liberam voluntatem , vt animi libero quodam arbitrio atque propoſito regatur quicquid ratione pariter ac mente honoratum eſt*. Inſigniter etiam Boëtius 3. de conſol.proſa 2. *Nulla*, inquit, *fuerit rationalis natura, quin eidem libertas aſſit arbitrij. Nam quod ratione vti naturaliter poteſt , id habet iudicium, quo, quodque diſcernat per ſe: Igitur fugienda , optandáve dignoſcit. Quod verò quis optandum indicat eſſe, petit,refugit verò quod exiſtimat eſſe fugiendum. Quare quibus ineſt ratio , ipſis etiam ineſt volendi nolendique libertas.*

Præterea , illuſtriſſimè idem habet Nemeſius lib. de homine cap. 41. colligens ſummam diſputationis antea inſtitutæ , inter probandum, aliquid eſſe in hominis poteſtate.*Eius* , inquit *quod ratione vtitur,aliud in contemplando , aliud in agendo ponitur. In contemplando ponitur , quod rerum naturam , quemadmodum ſe habeat , perſpicit In agendo quod deliberat, quod rebus iis, quæ ſub actionem cadunt , rectam rationem ſtatuit. Atque illud quidem, mentem, hoc rationem, illud ſapientiam , hoc prudentiam appellant. Quicunque autem conſultat , quòd in ſe ſit optio rerum agendarum, conſultat vt eligat quod è conſultatione ſit antepoſitum, & vbi elegerit, agat. Omnino ergo neceſſe eſt , eum in quo ſit conſultatio , etiam dominum eſſe actionum. Si enim dominus non eſt actionum , fruſtra habet deliberandi vim. Quod ſi ita eſt , neceſſariò cum ratione libera voluntas exiſtit. Aut enim non erit rationis compos, aut ſi ſit rationis compos, erit dominus actionum. Si autem ſit dominus actionum,omnino liberam habebit agendi voluntatem.* Sic ille,explicatiſſimè vt vides, & vniuerſaliter confirmans , libertatem aſſectari rationem, & neceſſariò ex iſta dimanare.

Præter rationem autem à Nemeſio propoſitam, quæ habetur etiam apud Damaſcenum 2.fid. cap.27. & apud S. Maximum in diſput.contra Pyrrhum , *non multum ab initio*,nec non apud Alex. 3.natural.quæſt. cap. 13. poſſumus intentum euincere , ex proportione, quæ ſeruari debet inter intellectum præluccentem & voluntatem ei ſubiectam. Nam intellectus eſt potentia vniuerſalis , attingens omnes differentias & gradus entis ac boni. Neceſſe igitur eſt vt voluntas humana, quæ eſt appetitus potentiæ illi cognoſcitiuæ ſubordinatus in homine , ſit etiam potentia vniuerſalis ac proſecutiua boni; non honeſti tantùm, ſed etiam ſenſibilis. Hæc autem vniuerſalitas, & appetendi indifferentia,conſtituit libertatem. Ac proinde vbicunque eſt ratio, reperitur etiam voluntas libera. Sanè ſi intellectus ob vniuerſalitatem ſuam, exhibet pleraque bona qualia ſunt . id eſt , & habentia vnde amentur, ac etiam habentia vnde repudientur,quomodo voluntas, quæ eſt vis proſecutiua , non poterit vnumquodque bonum, pro meritis (vt ſic dicam;) ideſt, pro innata bonitate proſequi , vel pro plena bonitate aut etiam malitia reiicere , aut non diligere ? Hoc autem eſt, eſſe potentiam appetitiuam vniuerſalem, & indifferentem, ſeu liberam.

152. Huc tandem reuoluitur, præclara in hanc rem Diui Thomæ ratiocinatio 2. contra gentes c.48: & quæſt.24.de verit. art.1. ad 2. colligentis voluntatem non determinari ſuapte naturâ ad vnum , atque adeo ſuapte natura liberam eſſe ; quia mouens & motum debent eſſe proportionata : Intellectus autem , voluntatem mouet , per formam apprehenſam vniuerſalem. Neque enim apprehendit hoc duntaxat vel illud bonum , ſed quoduis bonum etiam communiſſimum : & in eodem obiecto pugnantes boni rationes ac etiam diſſidentes reſpectu voluntatis rationes obiectiuas agnoſcit ; nempe honoſtatem ſimul & inſuauitatem ſenſibilem ; vel è contra delectabilitatem & turpitudinem moralem , aut denique ſaltem bonitatem non plenam, quæ quia bona eſt,amari queat, repudiari autem poſſit,quia manca eſt.

Hoc igitur ſenſu , veriſſimum e[t] voluntatem liberam eſſe partum rationis ; ſiue vt paſſim dicitur libertatem formalem oriri a ratione tanquam à radice, vt latè proſequitur Bannes 1.p.quæſt.83,art.2. dub.2. & Pennotus lib.1.propugnac.hum. libert. cap.6. non enim qui ita loquuntur intendunt inuehere phyſicam dimanationem indifferentiæ voluntatis ab indifferentia intellectus (quod fruſtra refellit Becanus 1. 2. tract.1. cap.2. quæſt.4. num.4. & iam olim Henricus quodlib. 1. quæſt. 16.) ſed tantùm intendunt aſſerere , vim ratiocinandi & indifferenter iudicandi, eſſe cauſam virtualem ; ac proinde quadantenus radicem formalis libertatis, vt explicatum eſt. Quibus ita conſtitutis perſpicuè probatum relinquitur quod probandum à priori aſſumpſeram , nempe voluntatem quia rationem conſequitur, eſſe facultatem formaliter liberam.

Quod præterea confirmatur à poſteriori ex eo quòd ſolius voluntatis operationibus præmium aut pœna , laus aut opprobrium rependitur. At hi ſunt fructus actuum liberorum. Vt enim infra pleniùs vrgebo, eſtque naturali lumine compertiſſimum, pœna & præmium non reponuntur niſi actionibus liberis: In eo enim quod quis vitare non potuit aut præſtare, nec culpam contraxit , nec laudem promeruit : Et contrarium iudicium, *ſummæ iniquitatis & inſaniæ* damnat ſanctus Auguſtinus libr. de duabus animabus capit. 11. Hæc item eſt cauſa , cur bruta & pueri ac amentes nihil mereantur vel demereantur ; nempe quia libertate deſtituuntur, quæ eſt totius meriti ac demeriti fundamentum , vt benè tradit S. Bernard. ſerm.82. in Cant. cuius verba iam ſuprà adduxi num.121.

Nulla præter voluntatem potentia, formaliter libera.

143. Sola igitur voluntas eſt formaliter libera per ſe ſumpta & ſeorſim ab aliis potentiis. Ideóque illi ſoli rependitur laus pro bene factis, & pœna pro culpis, de quo pulchrè S. Anſelmus lib. de concept. Virg. c. 4. *Si de actionibus*, inquit, *voluntariis, quæ iniuſtè fiunt, arguuntur membra & ſenſus quibus fiunt, reſpondere poſſunt. Deus nos, & poteſtatem quæ in nobis eſt, ſubiecit voluntati, vt ad imperium eius nos poſſimus mouere nos & facere quod vult. Immò illa mouet nos, velut inſtrumenta ſua, & facit opera quæ videmur facere: nec nos poſſumus illi per nos reſiſtere: nec opera quæ facit, poſſunt non fieri. Dominæ quam Deus nobis dedit, nec poſſumus nec debemus, non obedire. Quando illi obedimus, Deo, qui hanc legem nobis dedit, obedimus. Ergo quid peccant membra, vel ſenſus, vel opera, quæ Deus ſic ſubiecit voluntati, ſi ſeruant quod Deus illi ordinauit? Quicquid igitur faciunt, totum imputandum eſt voluntati. Quod cùm ita ſit, miratur forſitan quis, cur pro culpa voluntatis, membra puniantur vel ſenſus. Verùm non ita eſt, non enim punitur niſi voluntas. Nam nihil eſt alicui pœna, niſi quod eſt contra voluntatem, & nulla res pœnam ſentit, niſi quæ habet voluntatē: membra autem & ſenſus per ſe nihil volunt. Sicut igitur voluntas in membris & ſenſibus operatur; ita in illis ipſa torquetur aut delectatur. Quod ſi quis non accipit, ſciat in ſenſibus & membris, non niſi animam, in qua eſt voluntas, ſentire & operari, & ideo in illis torqueri aut delectari. Habet tamen vſus, vt actiones, quas facit iniuſta voluntas, vocemus peccata: quia in voluntate quæ fiunt, eſt peccatum.*

Non eſt autem quod contra eam prærogatiuam, quam ſoli voluntati tribuo, obiiciantur nonnulli autores, quibus viſum eſt dari in homine quandam potentiam motiuam cæterarum, & ſuorum actuum dominam, ac proinde liberam. Quam ſententiam Suares diſp. 19. Methaphyſ. ſ. 5. num. 9. tribuit Alenſi, & poterat etiam eodem iure tribuere Gulielmo Pariſ. prima parte primæ partis de vniuerſo cap. 65. Hi inquam autores, non repugnant ſententiæ, vnicam in homine facultatem per ſe liberam agnoſcenti, id eſt, voluntatem. Nomine enim facultatis motiuæ, non aliud intelligunt, quàm facultatem, quæ eſt idonea mouere applicando ad opus, & decernendo exercitiū actionis ab alia potentia vel à ſeipſa elicibilis. Quo ſenſu ſuprà retulimus libertatem definiri à pleriſque, cauſam quæ mouet ſeipſam. Et hoc ſenſu huiuſmodi potentiam motiuam formaliter liberam aſſerit Capreolus in 2. d. 24. q. vnica conclus. 5. Et ita diſertè ſe explicat Gulielmus Pariſ. lib. de virt. cap. 3. Nec fuit cur Suares ſupra, operam luderet in refellendo abſono illo ſenſu eius ſententiæ, quo potentia localiter motiua, libera aſſeri videtur.

154. Alia verò quædam antiqua ſententia, quam D. Thomas quæſt. 24. de verit. art. 6. refert admiſiſſe liberum arbitrium eſſe tertiam facultatem à ratione & voluntate diſtinctam, antiquata iampridem eſt. Fuit in ea, Albertus in ſumma de homine tract. de lib. arbitr. quæſt. 1. & 2. & fortaſſis aliud noluit, quàm quòd homo non ſit liber, præcisè per nudam entitatem intellectus & voluntatis; ſed tantùm appoſitis quibuſdam adiunctis, ratione quorum voluntas denominatur libera. Quo ſenſu, ea ſententia; ad veritatem facilè accederet. Crudè tamen ſumpta, ac ſecundùm externam verborum faciem, explodenda eſt. Meritóque Cartuſianus in 2. d. 24. quæſt. 3. *in fine*, eam damnat, tanquam repugnantem Patribus, qui diuinam imaginem, intellectu tantum ac memoria, & voluntate metiuntur, quacunque alia potentia prorſus excluſa: Quod facere non potuiſſent, ſi præter intellectum ac voluntatem, alia quædam tertia potentia formaliter libera homini inexiſteret.

Accedit inanitas fundamenti, quo huius placiti autores nitebantur teferente D. Thoma ſuprà; nempe quòd electio mediorum peculiarem aliquam potentiam depoſcat diſtinctam à voluntate cui reſpondet proſecutio finis. At vel ex hoc quod voluntas in finem fertur, facilè eis fuerat colligere, eius quoque partum eſſe electionem: ac proinde illam aliam potentiam formaliter liberam fruſtrà fingi. Nam, vt D. Thomas ſupra argumentabatur, obiectum & id quod eſt ratio obiecti, ſpectant ad eandem potentiam: ſicut color & lumen pertinent ad viſum. Atqui tota ratio appetibilitatis mediorum, à fine ducitur. Ergo amor finis, & mediorum, eſt actus eiuſdem potentiæ. Quod autem finis abſolutè appetatur, non item media, quæ appetuntur in ordine ad finem, nihil iuuat aduerſarios: Non quia ea ordinatio facienda eſt per rationem, vt D. Thom. ibid. docet, (hoc enim non puto verum; ſiquidem voluntas quoque, prælucente intellectu, per ſe ordinat aliquid ad alterum;) Sed quia appetitio illa per ordinem ad aliud reſoluitur in eandem rationem formalem appetendi ſiue in idem motiuum, quod per appetitionem abſolutam intenditur. atque ita nihil ſuppetit, vnde illa potentiarum multiplicitas, ex actibus circa finem & media, duci queat.

Ac ne diuinitùs quidem.

Ita porro contendo voluntatem ſolam eſſe formaliter liberam, vt negem alias potentias poſſe vlla vi libetas fieri, vt recte pronunciat Salas 1. 2. tract. 3. d. 1. num. 138. & Suar. proleg. 1. de grat, c. 4. num. 21. Ratio eſt, quia potentia libera debet habere indifferentiam actiuam, de cuius ratione eſt vis intrinſeca agendi & non agendi poſitis omnibus prærequiſitis. Hoc autem non poteſt reliquis potentiis competere: Nam ad vim prædictam exigitur vt principium actiuum, cui ineſt, ducatur cognitione indifferenti, habeàtque obiectum fundans vertibilitatem potentiæ ad alterutrum, vt ſæpè ſuprà explicatum eſt. Atqui reliquæ potentiæ vel non ducuntur cognitione, vt facultates naturales & vegetatiuæ, vel ducuntur tantùm cognitione indeterminata, vt appetitus; vel carent obiecto quod ſimul ſit capax variorum eiuſdem potentiæ actuum, vt omnes facultates cognoſcitiuæ. Atque ita non ſunt capaces frænare impetum quo naturaliter ruunt in operationem cùm primum adſunt omnia ad agendum prærequiſita, ceſſàtque impedimentum quoduis extrinſecum.

Neque verò licet recurrere ad potentiam obedientialem, quaſi eius interuentu hæ facultates ex ſe non liberæ, poſſint fieri liberæ. Eſto enim inſit huiuſmodi facultatibus, vt & quibuſuis aliis entibus ea potentia, (quæ lis ſub indice eſt, nec vacat nunc eam excutere,) Tamen certum eſt eam potentiam ad ſummum porrigi ad agendum vel recipiendum quicquid repugnantiam non inualuit. Eſt autem aperta repugnantia vt facultates à voluntate diſtinctæ fiant liberæ. Non enim poſſunt liberæ fieri recipiendo, vt per ſe patet; quia libertas eſt facultas per ſe actiua, non autem receptiua. Vnde quamuis eis insereretur vis aliqua per ſe actiua indifferenter, (quæ nulla eſt præter voluntatem, quam liquet non poſſe aliis hiſce potentiis inſeri,) Tamen ipſæ potentiæ recipientes, liberæ non fierent, ſed eis in ſua determinatione perſtantibus, ſuperadderetur principium liberum. Non poſſunt etiam facultates prædictæ, fieri liberæ, accipiendo poteſtatem agendi & non agendi. Quia ad non agendum, nulla

exigitur

exigitur poteſtas vel eleuatio apta fieri interuentu ſuperioris cauſæ. Et quia voluntas ſolius naturæ intellectualis eſt propria, rectè intulit Angeſtus cap.1.Moral. text.1.dub.1. ſolam naturam intellectualem,poſſe à Deo libertate donari: hoc eſt, naturam Angelicam & humanam & alias ſpecies naturæ corporeæ intellectu prædita, quas eſſe poſſibiles admittit idem Angeſtus, & rectè, vt ſuo loco dictum eſt.

Totale libertatis ſubiectum, quodnam

155. Secundò egi de ſubiecto remoto ac mediato libertatis, hoc eſt, de naturis; quibus libertas in actu primo aſſignanda eſt. Dixi autem,inter hæc inferiora ſolum hominem ratione vtentem, frui prærogatiua libertatis. Quia enim vniuerſa hæc morum tractatio ad humanam inſtitutionem dirigitur; propterea conſultò omitto ſuperiores naturas, quamuis eas libertate potiri non ſit dubium. Et ita de intelligentiis oſtendi in Naturali Theologia d.4. num. 182. de Deo autem longè pleniùs ibid.d. 8. quæſt.2.art.3. & 4. Copiosè Plotinus Enneade 6. toto lib.8. itaque ſiſto in naturis inferioribus, hoc eſt, humana & reliquis ea depreſſioribus. inter quas inanimatæ vel tantùm vegetatiuæ prætermittendæ ſunt, quia cum careant cognitione, per ſe patet nullo modo eis competere libertatem.

Tota ergo difficultas reuocatur ad bruta. Nam eſſe in eis libertatem, videtur ſuaderi multis argumentis, quæ recenſet S. Thomas quæſt. 24. de veritat. art. 2. Potiora ſunt quòd bruta non ſemper ſint determinata ad vnum, ſed plerunque ſeipſa determinare videantur, faciendo quod poſſent omittere,cùm nulla vi externa aut interna ad id adigantur. Sic enim videmus, canem modò citatiore greſſu, modò lentiore, ferri interdum etiam quieſcere nemine vrgente, ſed ſuopte nutu. Videmus etiam bruta allici beneficiis, & moueri præceptis, aut minis terreri, & reuocari ab aliquo opere; qui modus agendi videtur ſupponere libertatem. Sed præcipuè vrgeri ſolet euentus metaphyſicus, bruti æquè fame ac ſiti vexati, & inter pabulum ac potum, æquo ſpatio diſtantia collocati. Tunc enim neceſſarium prorſus videtur concedere bruto facultatem ſe determinandi ad alterutrum; quia nullum proferri poteſt extrinſecum determinans. Vnde niſi ipſummet brutum ſeipſum determinet, dicendum eſſet illud in eo euentu hæſurum, & necandum fame ac ſiti, quamuis & pabulum & potus ſuppetant, quod videtur incredibile.

Non eſt brutum, ſed homo tantùm.

156. Nihilominus certum eſt, bruta tam abeſſe à libertate, quàm à ratione. Idque ex diſputatis de proximo ſubiecto libertatis eſt per ſe euidens. Oſtendimus enim libertatem inſidere ſoli voluntati directæ per rationem, cuius indifferentia eſt proxima radix libertatis formalis. Cùm ergo brutis non præluceat ratio,proindéque deſit voluntas quæ eſt appetitus rationi immediatè ſubordinatus, concludendum omnino eſt deeſſe brutis libertatem. Suppetitque luculentum huius rei iudicium ex vniformitate cupiditatum brutis conſonantearum: Cùm è contra, inter homines, velle ſuum cuique ſit, nec voto vno viuatur, propter libertatem qua pollent.

Propoſuit optimè hanc rationem Nemeſius cap. 3. de homine *ſub finem*, verbis illis: *Quæque ſpecies beſtiarum, natura inſtinctu mouetur, ad quem ab initio vſum, & ad quod ſungendum munus generata eſt; atque ad ea exequenda,appoſitè illorum corpus figuratum eſt. Neque ea tamen omni ope deſtituta, Deus reliquit ſed vnicuique, naturalem, non à ratione proficiſcentem prudentiam immiſit: quibuſdam etiam calliditatem, tanquam artis imaginem & rationis vmbram, inſeruit. Quod duabus de cauſis ab eo factum eſt; & vt inſtans malum effugerent,venienſque præcauerent: & vt omnia, quæ creata eſſent, inter ſe connecteret, atque coniungeret, vt ſupra eſt à nobis expoſitum.* En modum agendi brutorum, nempe ex inſtinctu naturæ, & impetu neceſſario, cui aliqualis prudentia prælucet, ſed ſemota à rationis vſu,atque adeo non profundens libertatem. Hoc autem eo quo dixi argumento, ſic iudicio ſic confirmat. *Verum illa, non ratione ad agendum adduci, hinc liceret exiſtimes, quòd omnia quæ ſub eandem ſpeciem ſubiecta ſunt animalia, ſimiliter eadem faciant; neque in tanta multitudine, opera eorum diſcrepent: (niſi quod vnum magis facit, alterum minùs;) ſed vno naturæ impetu, tota ſpecies moueatur. Omnis enim lepus, eodem modo dolo vtitur; & omnis lupus, eodem modo callidus; & omnis ſimia eodem modo imitatur. Quod in homine non ita eſt.Sexcenta enim rationes ſunt humanarum actionum. Liberum eſt enim,ſuique iuris,quod rationem habet, Proinde non vt cuique ſpeciei beſtiarum, ita omnibus hominibus vnum idemque opus eſt. Nam illa ſola natura mouentur: Quæ autem naturalia ſunt, eodem modo ſunt apud omnes. At actiones quæ à ratione manant, alia apud alios ſunt, neque apud omnes eadem neceſſariò.*

Pulchrè item Macarius homil. 15. *Animalium ratione deſtitutorum, natura vincta eſt. Velut natura ſerpentis eſt amara ac venenoſa. Vniuerſi igitur ſerpentes, ſunt eiuſmodi. Lupus rapax eſſe conſueuit: omnes ergò lupi, ſunt eiuſdem naturæ. Agnus qui ſimplex eſt, obnoxius eſt rapinæ, omnes ergo agni, ſunt eiuſdem naturæ. Columba ſimplex eſt, ac ſyncera: omnes ergo columbæ, ſunt eiuſdem naturæ. Homo verò non ita ſe habet. Quidam enim eſt lupus rapax, & quidam velut agnus rapinæ patet, & ex eodem genere humano vtrumque oritur. Eſt qui non contentus vxore ſua, adulterium committit. Eſt quoque alius, qui ne concupiſcentiam quidem in corde ſuo excitari permittit. Eſt, qui bona proximi diripit. Eſt quoque alius, qui pietatis cultu motus ſua bona diſtribuit. Vides quàm mutabilis ſit ipſa natura, tam ad vitia propendens, quàm è diuerſo ad honeſtum; & ſecundum vtramque proprietatem apta declinare ad quaſcunque libuerit actiones. Capax igitur eſt natura tùm boni tùm mali, ſiue diuina gratia, ſiue aduerſaria poteſtatis. Neceſſitati tamen ſubiici nequit.* Vtuntur eodem argumento, Iuſtinus martyr Apol. 2. Chryſoſtom. homil. 12. ad populum, Hugo Etheria, de regreſſu anim. cap. 2. & Cydonius, Græcus Theologus orat. de contemnenda morte. Imò etiam Ariſtoteles & Philoſophi, vt infrà referam, cùm de vſu expedito libertatis.

157. De veritate porrò propoſita, dubitare non licet, cùm ſcriptura disertè tradat *irrationalia pecora, naturaliter ferri* 1. Petri 2. Eandem præterea facit teſtatiſſimam, defectus meriti aut demeriti, quem ſupra vidimus coniungi cum carentia libertatis: Itémque defectus reflexionis ſuper actus ſuos, quod eſt ſignum materialitatis, & magnæ limitationis, ac determinationis, ac proinde carentiæ libertatis. Ita enim intelligo rationem hanc ex reflexione petitam:quamuis D. Thomas quæſt. 24. de verit. art.2. *in corpore*, aliter eam proponat: Nempe dicendo, facultatem appetitiuam non poſſe eſſe liberam, niſi iudicium præluceens ſit in eius poteſtate: Subducetur autem poteſtati eius, niſi poſſit de ſuo iudicio iudicare; quod eſt reflecti ſuper illud. Iuxta quam doctrinam, libertas ſemper importaret reflexionem intellectus ſuper actum ſuum, vt facultas appetens poſſit cum ſe-

qui

qui vel abiicere. Hoc autem non videtur neceſſarium: Nam facultas appetens ſufficienter intelligitur libera, ſi poſſit ſe ſiſtere ac frænare non obſtante iudicio prælucente: Nec eſt opus illud iudicium eſſe aliter in eius poteſtate. Vt autem poſſit ſe ſiſtere non obſtante iudicio, (loquor ex natura rei & ſemota externa compulſione vel neceſſitatione,) ſatis eſt quod iudicium ſit indifferens. Eo ipſo enim quamuis voluntas prorſus ferietur, ceſſetque omnis intellectus reflexio ſuper illud ſuum iudicium indifferens, vigebit libertas.

Tetigit omnes has rationes excludendæ à brutis libertatis S. Bernardus ſerm. 81. in Cant. verbis illis: *Propterea quæ ſunt carentia ratione, nihil merentur, quia ſicut deliberatione, ita & libertate carent. Senſu aguntur, feruntur impetu, rapiuntur appetitu. Neque enim iudicium habent quo ſe diiudicent ſiue regant: ſed ne inſtrumentum quidem iudicij, id eſt, rationem. Inde eſt quod non iudicantur quia non iudicant. Quonam quippe ratione ab his exigatur ratio quam non acceperunt? Hanc vim à natura ſolus homo non patitur, & ideo ſolus inter animantia liber.*

Diluuntur quæ contra ſunt.

158. Argumenta in contrarium adducta, nullius ſunt roboris. Et inprimis nego bruta vnquam determinare ſeipſa, aut poſſe aliquid omittere quod poſſint agere: nam cùm primùm ponuntur omnia ad agendum prærequiſita, illico abripiuntur ad operationem. Interdum autem videntur feriari cùm poſſint agere, aut videntur non agere quantum poſſint, quia deeſt iudicium iudicens operationem, aut modum operandi diuerſum ab eo, quem reipſa tenent. Quod D. Thom. ſuprà ad 3. ita exponit, vt diceret, eſſe quidem interdum in brutis indifferentiam ad agere & non agere, conſiderata actione ſecundum ſeipſam: Tamen conſiderato ordine actionis ad iudicium determinatum, à quo prouenit ea actio, deeſſe bruto libertatem. Idem tradit Maior 9. Metaph. quæſt. 1 ad 4. & Angeſtus cap. 1. moral. tex. 2. coroll. 1.

Ex ea porro indifferentia actionis ſpectatæ ſecundùm ſeipſam S. Thomas ſupra, *mox in ſolutione ad 7* ait contingere vt brutum flagellis territum, vel eſca propoſita, aut blanditiis illectum, excitetur ad aliquid faciendum aut omittendum, ſed abſque libertate; eo quòd interuentu obiectorum prædictorum, exoriatur in bruti phantaſia iudicium determinatum, neceſſitans brutum in vnam partem, v. g. oſtentatione flagellorum excitatur in bruto recordatio præteritorum verberum, quam aſſectatur iudicium phantaſticum determinans ad fugam, ne malum alias inflictum denuò ſubeatur. Et idem eſt de eſu & blanditiis proportione ſeruata. Conſentit Richardus in 2. d. 25. part. 1. quæſt. 2. Valeſ. cap. 44 ſacræ Philoſophiæ. Et planè idem voluit Alex. apud Euſebium 6. præpar. cap. 7. *Apertè*, inquit, *id præter animalia cætera, homo poſſidet, vt non ſimiliter illis phantaſiam ſequatur, ſed rationem habeat, quæ facienda iudicet: cuius quidem viſu, ea quæ in phantaſiam inciderunt, examinans: ſiquidem examinando probat, concedit phantaſia, & ad agendum mouetur. Sin verò improbat, euicit expellitque ipſa rationi obtemperans. Vnde ſolummodo de his quæ agere poſſumus, deliberare ſolemus. Et ſi aliquando nimia cupiditate, non maturo quicquam conſilio egerimus, temeritatis atque ſpreti conſilij crimine, poſtea nos ipſos accuſamus: omnes temerè aliquid agentes, vituperamus, hortamúrque conſilio vti. quaſi agendi poteſtas in nobis ſit.*

159. Quod ſpectat ad poſtremum argumentum rectè Medina 1. 2. quæſt. 23. art. 2. fatetur euentum, quo illud argumentum nititur, eſſe moraliter impoſſibilem: ſemper enim alterutra ex parte interueniret aliquid, propter quod vnum potiùs ex illis obiectis, quàm aliud eſſet bruto magis neceſſarium, aut gratum: Ideóque exurgeret iudicium, determinans potius ad vnum, quàm ad aliud. Addit tamen Medina, placuitque etiam Valentiæ tom. 2. d. 2. quæſt. 8. p. 4. dici etiam poſſe, brutum primò quidem appetiturum vtrumque illud obiectum, perinde ac ſi eſſet vnum: poſteà tamen applicaturum ſe ad alterum eorum duntaxat, non ex peculiari & nouo appetitu, quaſi abhorreat ab altero obiecto à quo recedit, ſed ex mero naturali inſtinctu. Quemadmodum cùm equo famelico ſimul apponitur aliqua auenæ quantitas; primò quidem naturaliter eam totam appetit: Tamen neceſſe eſt vt ab aliquibus granis ordiendo famem ſuam depellat. Non quod ſit in eo equo peculiaris appetitus, quo in hæc potius grana, quàm in illa feratur: ſed quod ex mero inſtinctu in hæc potius carpenda primùm ruat, deinde in alia. Verùm hæc reſponſio, quamuis foret idonea ſi ageretur de duobus obiectis indiſtantibus, tamen quoad obiecta diſſita & ex æquo ſemota à bruto, eſt manifeſtè inſufficiens.

Aliter ergo reſpondet Salas 1. 2. tract. 6. d. 1. numer. 22. dicens, in eo euentu brutum donec mutatio aliqua fieret, manſurum ſuſpenſum: & interim æqualiter appetiturum vtrumque obiectum, & æqualiter mouendum ad vtrumque per eandem viam. Sed quid ſit motus ille vt facile ſupponi poteſt, brutum elonget ab vtroque illo obiectu? Nam ſi pabulum locetur à ſiniſtris, & aqua à dextris in æqua diſtantia à bruto; brutum autem ſit in medio, conſtat brutum non poſſe moueri approximando æquè ad vtrumque obiectum. Si enim moueatur ſiniſtrorſum, recedet à potu: ſi verò dextrorſum moueatur, elongabitur à pabulo. Quod ſi incedat per medium ſpatium, ad neutrum obiectum mouebitur, ſed fiet ab vtroque remotius.

S. Thomas 2. cœli lect. 25. reſpondet, brutum potius mouendum eſſe ad aquam, quia ſitis magis vrget, quam fames. Sed quid ſi fames eſſet maior, & eam proportionem habens ad ſitim, vt ambæ æqualiter affligerent? Quod autem addit D. Thomas, nempe ſi duo huiuſmodi obiecta ſint bruto æquè appetibilia, fore vt brutum curreret ad alterum, quodcunque contingeret: hoc inquam multo minus ſatisfacit; Nam cùm brutum non poſſit ſe determinare, cur potius contingeret ferri ad vnum quàm ad aliud?

Dicendum igitur eſt, in eo Metaphyſico euentu, brutum hæſurum eſſe, vt rectè aliqui aſſeruerunt apud Medinam ſuprà, & idem habet Petrus de bruxellis 3. animæ quæſt. 4. art. 3. ad 7. fertúrque experientia probatum in aſino Buridani. Additque Medina ſuprà, ſe nouiſſe amentem, qui propoſitus duobus pomis in æquali diſtantia, non poterat ex ſe in alterutrum inuolare, & cruciabatur appetendo nec guſtando cibos illos, donec ab aliquo ad alterutrum eorum applicaretur. Idem ergo contingeret bruto in pari euentu, ac etiam in eo quo argumentum propoſitum nititur. Hæreret porro brutum, vt iam ſupra adnotaui circa anteriora argumenta, & art. 1. exponens prærequiſita ad liberè operandum: hæreret inquam, non ex dominio in actum ſuum, ſed ex impotentia operandi ob defectum iudicij prælucentis, quod ob pares vtrinque circumſtantias ex neutra parte bruto affulgeret. Itaque ea ſuſpenſio non eſt argumentum libertatis bruti, ſed virtutis agendi non plenæ & completæ.

An

An detur in homine aliquando, libertas physica abſque morali.

160. Habemus ergo libertatem non eſſe in his inferioribus quærendam extra humanam naturam : in quam rem multa argumenta paucis conſtipat Simplic. ad cap. 13. Enchir. Epict. concludens ſicut vmbræ corporum non mouentur arbitratu ſuo, ſed cauſarum ſuarum ſtatum ſequontur, ita naturas homine inferiores, quia in ſe non habent motionis ſuæ atqoe delectus principium, ſequi ſtatum cauſarum liberarum, cuiuſmodi immediatè ſupra eas eſt natura humana. Sed quia humanæ naturæ varij ſunt ſtatus accidentarij; (alius enim eſt ſtatus eius in infante ac paruulo. alius in adulto, itèm alius in ſicco ac ſano, alius io ebrio, & amente :) Propterea expendendum ſupereſt in qoo ex prædictis ſtatibus humana natura ſit ſubiectum libertatis.

Vbi occurrit ſententia nonullorum recentiorum diſtinguentium duplicem libertatem, nempe phyſicam & moralem. Apellant phyſicam libertatem, eam qua qois habet ſoffíciens dominiom in actionem ſuam, vt eam exequatur vel omittat, nullo habito reſpectu ad actionis honeſtatem vel malitiam : imò ſecluſa facultate habendi reſpectum illum. Moralem autem libertatem nominant, eam qua quis non tantùm poteſt agere vel omittere, ſed etiam agere aut omittere benè vel malè, atque adeò cum laude vel opprobrio, qui ſunt fructus plenæ libertatis, cuiuſmodi eſt iſta, quæ moralis dicitur. Nam & ſupponit phyſicam, & ei ſuperaddit perfectionem illam peculiarem, quæ ex eo deſomitur, quòd poſſit honeſtè vel inhoneſte operari, aut ceſſare ab operatione.

Pars affirmans

Quidam igitur recentiores, infantibos & amentibus concedunt poſſe competere libertatem phyſicam, quamuis morali deſtituantur. Ita Victoria relect. de puero parte 1. oum. 17. Mol. 1. p. qoæſt. 14. art. 13. diſp. 2. Vaſques 1. 2. d. 41. num. 15. Caocllus diſp. 3. de anima ſect. 14. num. 3. Ambiguus verò eſt, (tametſi potius affirmat, & ſe alias planè affirmaſſe fatetur,) Hurtadius d. 15. de ànima oum. 161. Et eſſe ſententiam probabilem fatetur Zumel tom. 2. variar. diſp. diſc. 4. f. 6. concluſ 5. Fundamenta ſunt, quia poteſt aliquis cognoſcere in vno obiecto rationem boni & mali ſenſibilis, nihil interim cogitans de bono & malo conformiter ad rectam rationem. Duæ enim illæ habitudines penes quas bonum naturæ & bonum rationis eiuſque oppoſita mala conſtituuntur; ſufficienter diſtinguuntur penes varios terminos quos connotant: & ita ſeiunguntur, vt vna ratio queat abſque alia cognoſci. Certè pueri & amentes deprehendunt conuenientiam eſculentorum vel poculentorum cum oatura ſenſibili, & in ea liberè feruntur, qoamuis eorum conſonantiam cum rationis præſcripto oequeant aduertere.

Eligitur negans.

161. Mihi veriſimilius eſt, nullam eſſe in infantibus & amentibus libertatem, eo quòd nulla detur libertas naturalis tantùm, qoæ non ſit etiam moralis. Et quamuis huiuſmodi libertas tantùm naturalis, dari poſſet, non eſſet quoad hoc diſpar ratio infantium & adultorum ratione vtentium. Nam poſſent hi quoque interdum regi ſola naturali libertate, & dirigi nuda ratione, nihil cogitando de ratione recta : cùm tamen nonnulli ex aduerſariis, libertatem illam tantum naturalem, reſtringant ad infantes & amentes.

Reuera autem huiuſmodi libertatem, neque vllis adultis, neque infantibus, aut amentibus competere ex eo probari poteſt, qood vt aliquis habeat dominiũ in actum ſuum ſiue libertatem plenam, ſecluſa tantùm luce rationis rectæ, neceſſe eſt admittere in eo plenum vſum rationis ſimpliciter dictæ. At quiſquis habet vſum rationis expeditum, non poteſt non irradiari lumine illo vultus Dei ſignato ſuper nos; Hoc eſt, intellectus non poteſt illi non dictare principia prima moralia, quibus ad ſingulares materias applicatis, ſi actio fiat illis conformis, exurgit honeſtas; ſin autem illis diſſonet, exurgit turpitudo moralis. Sunt enim ea principia tam altè impreſſa & inuſta animabus noſtris, vt nulla arte exuri vel obduci poſſint, ita vt non innoteſcant, & luce ſua mentem perfundant. *Apud conſcientiam*, inquit Victor Cartennenſis lib. de pœnit. cap. 5. *non moritur omne quod gerimus* Et mox. *Conſcientia hæc tecum ſemper eſt, & ſine te non eſt. Hæret pectori, nec vnquam te deſerit, & velut quædam pediſſequa, nullo abs te temporis internallo diſcedis : tenet te reum, & in ſua ſemper ditione captiuum.* Hæc ille, qui noo modò agit de conſcientia vltrice ſeu remordente, poſt admiſſum ſcelus, quam *comminatoriam recordationem* vocat Proſper 3. de vita contemplat cap. 11. ſed etiam de ea quæ ab Origene lib. 2. in Epiſt. ad Rom. vocatur *Pædagogus animæ*, nec vnquam nos deſerit ex quo ratione vtimur. *Hæ ſunt naturales tabulæ*, vt loquitur Tertullianus lib. de corona militis c. 6. in quibus anima naturaliter legit, quæ honeſta & facienda, quæ item inhoneſta, & vitanda ſunt. Idem apertè ferunt verba illa S. Chryſoſtomi de bono & malo morali agentis, homil. 6. additia in Geneſ. *Quid bonum ac malum ſit, illi, illi ſolùm ignorant, qui naturali mentis ac rationis iudicio ſunt priuati.* Pelagius epiſt. ad Demetriad. *ſub initium*, non pauca de hoc (vt vocat) domeſtico animi magiſterio diſputans, idem affirmat.

Sanè qui poteſt maius, poteſt & minus in eodem ordine, ſioe quando maius & minus ſunt eiuſdem generis, ant vnom in alio includitur, vt rectè Durandus in 3. d. 2. quæſt. 2. nom. 10. Principia autem naturalia & artificialia, circa quæ eorúmque materiam plenum rationis vſum, ac proinde libertatem infantibus & amentibus concedunt aduerſarij, difficiliora ſoot & operoſiora ad intelligendum, quàm principia moralia ſaltem communiora, quorum veritas illicò ſe prodit. Et ideo apud pleroſque notitiarum artificialium vel ſpeculatiuarum propè incapaces, vel ad eas admodum hebetes, abſqoe labore eluceſcunt. Igitur quicunque habet plenom rationis vſom & libertatem circa priora illa principia, eorúmque materiam, non carebit iiſdem circa poſteriora, quæ faciliora eſſe, concedit inter aduerſarios, Victoria parte illa 1. num. 18.

Vltima porro huius rei radix eſſe videtur, quòd natura noſtra, eſſentialiter & ſuapte natura, non eſt tantùm vtcunque rationalis ſeu dirigibilis per rationem, ſed etiam dirigibilis per rationem rectam. Ita enim poſtulat naturalis finis in qoem homo conditus eſt, quem liquet non niſi honeſtis & recta ratione regulatis operationibus poſſe obtineri. Oportuit igitur ita inſtitui naturam, vt non priùs rationis pleno vſu polleret, qoàm vſo rectæ rationis. Quandoquidem ad finem in quem homo tam nobile donum accepit, & in quem homo & omoia quæ hominis ſunt, ſuapte natura collimant, non confert ratio ſed recta ratio, morum honeſtorum principiatiua.

Ad rationes in contrarium.

162. Ex his eliſa manet difficultas pro aduerſariis propoſita.

propoſita. Negamus enim poſſe aliquem ex natura rei loquendo & ſeclusis miraculis, habere capacitatem liberè verſandi circa principia naturalia vel artificialia, eorúmque materias, quin ſimul habeat capacitatem ſimilem circa principia moralia & materias eorum. Non abs re ago de capacitate, quia contingere poſſet per accidens, vt quis tametſi capax moraliter operari, imò habitualiter id probè callens, non aduerteret actu quid recta ratio in materia aliqua præſcriberet, & in ſolam obiecti illius cum natura ſenſitiua conuenientiam obrutum mentis defigeret. In quo euentu, non eſſet liber moraliter, ſed phyſicè tantum. Nihilominus homo ille non eſſet incapax operari moraliter: quia ſi aliquo commonefaciente, eiuſque incogitantiam excutiente, ſubirent animum principia moralia, poſſet ex eorum præſcripto operationem ſuam formare, & honeſte agere vel inhoneſtè: quod aduerſarij pueris & amentibus negant, quandiu in eo ſtatu ſunt, conceſsâ interim illis capacitate libere operandi circa obiectum, prout duntaxat naturale vel artificiosum. Quod ſecondum denegandum illis eſſe affirmamus, quandiu carent primo, hoc eſt, quandiu non per accidens ob ſolam incogitantiam, ſed ſtabiliter & quaſi per ſe, attento tali ſtatu, & cum incapacitate aliter operandi, agunt duntaxat naturaliter.

Exclaſio libertatis, & phyſica & moralis, circa vnam materiam; poteſt ad alias non pertingere.

Illud tamen facilè admiſerim, poſſe aliquem circa vnam materiam moralem potiri pleno rationis vſu & libertate, qui non potietur libertate & ratione circa materiam aliam moralem. Quia non eſt nouum, vt quis in vna aliqua materia deliret, ac proinde libertate cum naturali tum morali deſtituatur, & tamen in alia ſapiat & cum pleno rationis vſu libertatem obtineat, & naturalem & moralem. In quo rurſus diſſentio à Victoria relect. de puero, parte illa 1. num. 19. vbi contendit non poſſe haberi vſum rationis circa vnam materiam moralem, quin habeatur circa omnes materias morales.

Fundamentum quo nititur eſt. quia principia moralia ſunt eadem circa omnes materias. Ergo ſi quis eſt ratione & libertate præditus ad ea principia in vna materia, idem circa omnes materias poterit: Sicut qui nouit conſequentiam in *Barbara* eſſe bonam in vna materia, eandem in omnibus agnoſcet bonam. Præterea eadem eſt via & ratio ad conſultandum de materia vnius virtutis, & ad conſultandum de reliquis. Nam ſi in materia v. g. iuſtitiæ, procedamus ſequendo conſilium peritorum, ſiue diuina oracula & Eccleſiæ doctrinam; eadem omnino vel ſimili via procedendum erit in materia Temperantiæ. Denique quiſquis habet vſum rationis, habet hoc principium, quod in actionibus ſuis poteſt benè aut malè agere; quo principio nixus poteſt deliberare de quouis agendo.

163. Hæc tamen non ſunt tanti. Nam in duobus anterioribus argumentis, ſupponitur hominem qui plenum rationis vſum habet circa vnam materiam, habere itidem illum circa omnes; quod falſum eſt. Nec enim ſufficit quod ipſa principia ex ſe ſint æquè applicabilia ad omnes materias morales, ſi is qui ea applicare debet, non ſit æquè diſpoſitus erga omnes materias: ſed per accidens in eo ratio & libertas quoad aliqua benè ſuſtineant partes ſuas; erga aliquã tamen materiam ſint oblæſæ, nec poſſint probe fungi ſuo munere. Neceſſe igitur eſt intellectum operantis eſſe ad omnes materias æquè diſpoſitum, quod per accidens deeſſe poſſe, & quidem ſtabiliter ac cum excluſione capacitatis, mox oſtendam. In poſtremo autem Victoriæ argumento aſſumitur iugis concomitantia libertatis moralis & naturalis, quas tamen ſe ſemper aſſectari debere, idem autor diffitetur. Deinde oſtendendum ſuperfuit quiſquis benè & malè ac deliberatè agere poteſt in vna materia morali, idem poſſe circa omnes; de hoc enim eſt controuerſia: Ac proinde non fuit gratis in eo argumento aſſumendum, vt à Victoria factum eſt.

Itaque concludo, ſicut aliquis in vna materia naturali, vel artis, poteſt ſui impos eſſe, ac rationis vſu & libertate naturali ac morali deſtitui, quamuis circa alias materias ſit ſui compos, & dominus actionis ſuæ: Ita poſſe aliquem in vna materia morali, libertate ac rationis vſu pollere, quamuis circa alias hallucinetur, & incapax ſit vſus rationis, ac libertatis cuiuſcunque, propter impedimentum vſui rationis interpoſitum, circa illas alias materias. Proportio & paritas eſt perſpicua.

Quod autem dari poſſit libertas in vna materia naturali, non in alia, à multis autoribus admittitur, quos allegat & ſequitur Sanches lib. de ſponſalibus d. 8. num. 23. quibus adde Vairum lib. 2. de faſcino cap. 3. & Gillium lib. 1. tract. 5. cap. 2. num. 6. Et ex eo ſuadetur, quod ſicut affectus & paſſio vehemens eripit interdum vſum rationis, ita contingere poteſt vt aliquis in certa materia ita afficiatur, quoties de ea cogitat, ſicut afficeretur ſi vehementi affectu occuparetur. Quemadmodum enim alteratio corporea oriunda ex turpi cogitatione, eámque conſequente motu appetitus, excitatur ad cogitationis prædictæ poſitionem & ea euaneſcente comprimitur: Ita fieri poteſt, vt in aliquo ad incurſum alicuius obiecti, & quamcunque de eo cogitationem, exoriatur mentis euerſio ac delirium, quod ad alia obiecta non porrigatur; eo quod non ſit ſimiliter diſpoſitus ad alia obiecta ſicut ad iſtud. Exempla ſuppeditat Sanches, quibus non ſatis diſpicio addendúmue ſit quod habetur apud S. Auguſtinum 1. de peccat. merit. cap. 22. de morione qui cætera fatuiſſimus, in ſolis Chriſti & Chriſtianorum iniuriis iniquo animo ferendis, ratione vti videbatur.

Homo, liber tantùm in ſtatu vſus rationis.

164. Eò itaque rem deduximus, vt in ſolo lumine adulto & prorſus mentis compote, (hoc eſt, in quo rationis vſus etiam quoad moralia vigeat;) libertatem eſſe dicendum ſit. Quod vt exactè declaretur & confirmetur, præmittendum neceſſariò eſt, quid ſit pleno vſu rationis pollere, vel eſſe in ſtatu vſus rationis, quod ad libertatem prærequiritur. Malè enim Victoria relectione cit. par. 1. num. 3. exiſtimat, idem eſſe vti ratione, & vti libero arbitrio. Verùm tametſi concomitanter illa duo ſemper coniungantur: tamen formaliter loquendo, aliud eſt habere liberum arbitrium, aliud verò habere vſum rationis: hoc enim nomine intelligitur duntaxat, illud quod ex parte intellectus exigitur ad libertatem formalem voluntati conciliandam. Et cùm primùm intellectus plenè vtitur ratione, eſt quoque plena libertas in voluntate, non identicè, ſed conſequenter. Diſplicétque Pererius lib. de obſeruat. ſomniorum q. 9. agnoſcens, liberum plerunque in ſomno rationis vſum, & ſolutam vim rationis, ligata tamen libertate, eo quòd (vt ait) ad libertatem ſupra vſum plenum ſiue liberum rationis, exigatur plena ac perfecta omnium ſenſuum ac potentiarum ſolutio, quæ in ſomno deeſt. Verùm quid intereſſet ad libertatem ſolui ſenſus ac potentias, niſi iis non ſolutis, ratio quoque vincta maneret ob connexionem? Itaque

fateamur

fateamur vſum rationis ſecum adueheꝛe vſum libertatis, ac proinde ita ſtatuendum eſſe diſcrimen inter illa duo, vt tamen admittatur connexio. Qua ſuppoſita, quærendum ſemper reſtat quid ſit illud primum, ſeu quid ſit vſus rationis, qui ex parte intellectus ad libertatem præexigitur.

Quid ſtatus ille, varia placita.

Erit qui cenſeat, vſum rationis, ſiue ſtatum illum, in quo homo rationis vſu pollere dicitur, in eo duntaxat poſitum eſſe, quod homo habeat actus aliquos intellectus, & conſequenter voluntatis: Ita Angeſtus lib. 1. de virtut. c. 9. docum. 10. Vel certè quod homo ratiocinetur & diſcurrat. Ita videtur ſentire Salas mox allegandus. Sed hoc dici non poteſt. Nam ratiocinari competit etiam ebriis, & amentibus, & ſomniantibus, quos tamen conſtat vſu rationis deſtitui, quandiu in eo ſtatu verſantur. Sanè qui eiuſmodi ſunt, multa ſæpe de Deo & Angelis ratiocinando colligunt, non tantùm ex memoria aut caſu aliquo ordinatè quædam apprehendendo, ac procedendo ab apprehenſione præmiſſarum, ad apprehenſionem concluſionis, vt perperam cenſet Salas 1. 2. tract. 1. d. 5. n. 13. ſed etiam præbendo aſſenſum concluſioni ex vi aſſenſus præmiſſarum, eodem planè modo quo in vigilia facerent, vt cum D. Thoma affirmant Victoria ſupra n. 4. Vaſques 1. 2. d. 35. n. 17. & d. 149. c. 1. Suares d. 23. Metaph. ſ. 1. n. 13. Conſtatque ex obfirmatione, quæ in eis interdum circa concluſionem ſic deductam deprehenditur, cum interuenit vigil, qui aduerſetur, & conſecutionem neget. Quod compertum habeo experimento periti Mathematici, qui per ſomnum, de ſua Matheſi multa, demonſtratiuè proponens, conſequentiam cum malè ab aſtantibus id nõ ſemel tentantibus negaretur, optime confirmabat, & ad ſua principia reuocabat concluſiones: quæ cum illa nuda terminorum recordatione, & mera apprehenſione, quam Salas inuehit, non cohærent.

165. Minus verò aptè idẽ autor tract. 7. d. 3. n. 173. affirmat, diſcurſum in ſobrietate & mentis ſanitate aut vigilia aliàs formatum, & habitualiter perſeuerantem, ſufficere poſteà poſſe ad aſſentiendum propoſitionibus illis, quæ prius collectæ fuerant per diſcurſum. Hoc dico parum aptè aſſeri. Nam ſi per diſcurſum habitualem intelligit qualitatem facilitantem ex diſcurſu præelicito relictam, perſpicuum eſt eum non poſſe afferri pro motiuo: Non enim diſcurſus qui præfuit, nec vllo modo vltra perſtat actualiter, ac non niſi in habitu per ipſum cùm eliceretur impreſſo poteſt mouere intellectum ad aſſenſum concluſionis: quandoquidem motiuum huius aſſenſus non eſt habitus, ſed præmiſſæ actu informantes intellectum, aut ſaltem ſubſtantes actuali recordationi. Quod ſi nomine diſcurſus habitualiter perſeuerantis intelligantur præmiſſæ recordationi prædictæ ſubſtantes; hoc quidem ſufficit ad verum diſcurſum, vt conſtat ex iis, qui concluſiones mathematicas valdè à ſuis vltimis principiis remotas demonſtrant: Coguntur enim aſſentiri propter multas præmiſſas principiis remotioribus fœtas, non eas actu eliciendo, quod excederet attentionem limitatam intellectus, ſed recolendo duntaxat & recordatione attingendo: Tamen hoc non iuuat aduerſarium, quia cùm in huiuſmodi aſſenſu interueniat verus diſcurſus; ſi aſſenſus ille admittatur, habebimus in hominibus rationis vſu & libertate deſtitutis, verum diſcurſum, quod ille diffitetur.

Quod ſi, vt hæc euincere videntur, eſt in amentibus & dormientibus aliiſque huiuſmodi rationis vſu carentibus, verus diſcurſus; multò magis admittendum eſt contra Henricum eſſe in eis alios actus intellectus; qui minus operoſi ſunt, vt rectè cenſent Victoria ſuprà, Medina 1. 2. quæſt. 10. art. 3. & Val. tomo. 2. d. 2. q. 5. p. 3. qui bene id confirmat ex vigente in pleriſque inſanis appetitu honoris ac laudis: quorum obiectorum ratio, ſuprà ſenſum eſt, nec niſi intellectu percipitur, & voluntate appetitur. Alia igitur explicatio ſtatus vſus rationis quærenda eſt, quam quæ ex exercitatione ſimplicium operationum intellectus, vel diſcurſus ducebatur.

Reſolutio.

166. Quare dicendum videtur ſtatum vſus rationis vel vſum plenum rationis quaſi potentialem tum demum dari, cùm aliquis ita affectus eſt, vt poſſit operationes illas intellectus elicere, quæ omnium ſunt operoſiſſimæ: hoc eſt, quæ multò maiorem lucem intellectualem & exſolutionem rationis depoſcunt. Certum quippe experimento eſt rationem humanam ob animæ cum corpore conſertionem præpediri poſſe, ac veluti ligari in ſuis operationibus, ita vt vel nullam earum exerceat, vt in profundo ſomno, vel non tam perfectè, quàm cùm ritè affecti ſunt interni & externi ſenſus, com quibus habet ſympathiam, vel ſaltem non poſſit exercere aliquas, quæ licet non ſint aliis entitatiuè perfectiores: (diſcurſus enim occupat verticem dignitatis, ſi phyſicè pendatur eius & cæterarum intellectus actionum nobilitas: & tamen, vt præmiſi, exerceri poteſt extra ſtatum vſum rationis:) Exigunt tamen mentis aciem liberiorem, & magis colluſtratam natiuo ſuo lumine, quod languidius micat ac veluti infuſcatur, ſepitis ſenſibus; hoc eſt, ſecundariis animæ lucibus quaſi reſtinctis per ſomnum. Siquidem pars animæ ſuperior nihil operari valet, quandiu corpori conſeritur, quin facultas ſenſitiua interior cooperetur. Hæc autem cùm corporea ſit, & corporeo organo inſideat, illi inquam organo, quod primum ſenſorium vocat Philoſophus, & in ſomno vinciri, affirmat lib. de ſomno & vigil. vnde iuſtitiam in omnibus externis ſenſibus: mirum non eſt, quòd illà eàdem vligine, qua externorum ſenſuum functiones intercluduntur, retardetur etiam ipſa: ita vt vel nullo modo, vel admodùm perturbatè ac confusè, intellectui ſubſeruire, & vt par eſt ſubiungi queat excitando per ordinatam formationem phantaſmatum, vt D. Thom. 1. p. quæſt. 84. art. 8. & quæſt. 12. de verit, artic. 3. notauit, oſtendens id voluiſſe Ariſtotelem, cùm dixit, ſenſus externos eſſe extremum. Opportuniſſimum verò eſt tale ordinatum miniſterium præſertim ad quaſdam actiones indigas luminis plenioris, Cuiuſmodi ſunt iudicium de indifferentia obiecti, & ordinabilitate eius ad finem vltimum; Iudicium de finis amabilitate propter ſeipſum, & de altorum amabilitate propter finem; Iudicium de honeſtate morali actus, & malitia oppoſiti. Cùm primùm enim licet alicui per ætatem, internoſcere moralem honeſtatem à turpitudine, cenſetur diluxiſſe in eius mente, & ratio ad libertatem ſufficiens ſe prodere.

167. Quæ nota non æquè valet pro adulto, per ſomnum aut ebrietatem ſopito; quia in hoc, antecius exercitium eorundem actuum, quibus de bono & malo morali pronunciatur, excitat ſæpe in ſomno ad eoſdem actus temerè ac fortuitò eliciendos, abſque rationis vſu & libertate. Quamquam ſæpè huiuſmodi actus, non eſt iudicium ſed ſimplex apprehenſio, quæ ex habitu frequantatis in vigilia operationibus comparato, recolitur per ſomnum. Plerunque etiamſi videtur iudicium, non eſt iudicium niſi externa ſpecie quia eiſdẽ conceptibus non vltimatè

apprehenditur, quibus iudicia vera: Aut eſt iudicium ſpeculatiuum impertinens ad libertatem in re de qua agitur. Alias eſt iudicium practicum de vnica parte, v. g. eſt iudicium de ſola turpitudine actus animo per ſomnum obſeruantis.

Contingere enim poſſe, vt in ſomnis, non ſoluta ratione, excidat alicui iudicium de morali turpitudine actus, qui animo tunc aduerſatur, experientia plerunque tettatur: & docet tenſus ille, qui per ſomnum in animabus diuina conſuetudine conſpicuis, & longo vſu in virtute formatis, ad occurſum fœdæ alicuius ſpeciei deprehenditur. *Sæpè etiam in ſomnis reſiſtimus*, ait S. Auguſtinus 10. Confeſſ. c. 30. *noſtrique propoſiti memores, atque in eo caſtiſſimè permanentes, nullum talibus illecebris adhibemus aſſenſum. Et tamen tantùm intereſt, vt cùm aliter accidit, euigilantes ad conſcientiæ requiem redeamus, ipsáque diſtantia reperiamus nos non ſe iſſe, quod tamen in nobis quoquo modo factum eſſe doleamus.* Vt tamen quis in ſomno, & hoc quod menti obuerſatur malum eſſe, & contrarium eſſe honeſtum ſimul iudicet, vel nunquam contingit, vel longè infrequentiùs ac ægriùs.

Denique, (quod ad omnes etiam prædictos actus extendendum ſimiliter eſt;) ſi iudicium de vtraque parte elicitur, tamen adeo languidè ac inſtabiliter apprehenditur honeſtas vnius obiecti & turpitudo alterius, ingerente ſeſe ex habitu priſtino cogitatione viriuſque; vt mens è torpore quo premitur, niſu inualido caput attollens, concidat illico, & in priorem ſtatum relabatur. Quod argumento eſt defuiſſe eam mentis firmitatem atque conſtantiam, quæ ad deliberatè procedendum, & penſanda congruè ſingula, foret neceſſaria Non quod libertas, atque adeò rationis vſus ei neceſſarius, non poſſit ab homine naturaliter haberi in momento, cùm præceſſit ſufficiens ſpatium ad deliberandum: ſed quod ſtatus ille, qui etiam in primo momento quo eſt, ſufficit ad eam mentis ſui compotis diſpoſitionem, humano modo ſpectatus debeat eſſe talis, qui poſſit conſiſtere ad aliquam moram; vt exigunt timidæ mortalium cogitationes, & ſegnes prouidentiæ ac intelligentiæ noſtræ. At illæ quaſi coruſcationes aut fulgetræ, quæ plerumque in ſomno excutiuntur, vix obortæ mox euaneſcunt cogitatione illico prorſus ſopita, aut abſurdè abrepta in obiecta diſparata, ac omnino extranea: Nec anteceſſit eas mentis ſolutio ſufficiens ad librandum vtrique obiectum, de quo pronunciatur.

Quantum bonum, vſus rationis.

168. Eſt itaque ſtatus vſus rationis, capacitas ferendi iudicium conſtans & fixum; id eſt, humano modo deliberatum, de obiecti indifferentia, aut de bonitate eius fundamentali, malitiáque obiecti oppoſiti, aut de amabilitate eius propter ſe, & mediorum propter illud. Hinc patet quàm inſigne bonum ſit vſus rationis, de quo latè Gregorius Nyſſenus orat. *in ægrè ferentes rep. ehenſiones*, Auguſtinus, Lactantius, & alij adducti *in Scalis à viſibili creatura ad Deum*, gradu 12. ſub initium. Quibus addendus Seneca epiſt. 76. qui hoc vno bono hominem reliquis animalibus præcellere egregie tradit. Optimè item Tyrius diſſert. 32. num. 188.

Nec omittendum eſt inſigne monitum ab homine Ethnico, grauiter conſtante, ne tanti beneficij obliuio nos vnquam capiat, ſed potiùs ſimus numini de eo, vt par eſt, grati. Epictetus eſt quem dico, apud Arrianum .2.c.23. [O homo, *inquit*, ne ſis ingratus nec immemor rerum potiorum, ſed pro conceſſo ſenſu videndi, audiendi, pro vita, próque omnibus his, quibus conſeruatur vita, pro frumentis, pro vino, oleóque, Deo age gratias. Attamen memento quod his omnibus præſtantius quiddã tibi impertiuerit: nempe id quod his omnibus vti, quod iudicare, quod cuiuſque pretiũ & dignitatem ratiocinando penſitare poteſt. *Et mox.* Atque hæc etiam (per intelligentiam) perſpicit, quòd res omnes, ſint in cæcis omnibus & ſurdis illis ſenſuum facultatibus, quibus apprehendi poſſit nihil, exceptis his operibus, quibus à natura famulatu ſuo præficiuntur, & quibus ſolis defungi poſſunt: ſe verò ſolã eſſe, quæ acutiſſimè videat, & cognoſcat etiam quanti momenti, quæque earum perceptionum eſſe debeat. Quid ergo reſtat aliud, quàm vt ipſa ſeipſam pronunciet eſſe præſtantiſſimam facultatem?

Quando primùm illuceſcat.

Erui præterea ex dictis poteſt, fruſtrà quæri vniuerſaliter, quandonam primùm vſus rationis illuceſcat. Nam pro varia humorum corporis diſpoſitione, præcocior eſt in aliquibus ſapientia, tardior in aliis. Communiter tamen exiſtimatur vſus rationis, & cũ ea vſus libertatis, incipere ſub completum ætatis ſeptennium. Quod ex D. Thoma aliiſque autoribus tradit Sanch. l. de Sponſal. d. 16. n. 2. Vnde minus probandi ſunt qui apud S. Auguſtinum 10. de Geneſi ad lit. c. 13. cenſuerunt, peccata non committi ante annum ætatis dicimum quartum, cùm homo pubeſcere incipit: quod ſupponit nõ prius exutgete rationis ac libertatis vſum. Sed meritò id repudiat D. Auguſt. ex eo quod longè ante illum ætatis articulum, ſit in paruulis diſcretio honeſtatis ac turpitudinis. Quod item dixerim cõtra Nicetam, qui ad orat. 40. Nazianzeni, ſignificat vſum rationis tantum incipere anno ætatis 12. cùm dicit rationem vitæ non eſſe niſi ab eo anno reddendã. Quod S. Chryſo omus lib. 3. aduerſus vituper. vitæ Monaſticæ de anno ætatis 10. dixerat. Sed verius eſt, ſnb illud quod dixi tempus id euenire, quamuis non poſſit pro omnibus vna vniuerſalis regula aſſignari.

Non ſimul conſummatur.

169. Illud tamen vniuersè dici poteſt contra Victoriam relect. de puero 2. parte dub. 4. & Vaſquem 1.2. d. 149. c. 1. non quiſquis eſt adeptus vſum rationis ſufficientem ad qualemcunque libertatem, qualis eſt quæ ad leue peccatum ſufficit, adeptum etiam eſſe vſum rationis neceſſarium ad libertatem vndecunque perfectam, qualis eſt quæ requiritur ad grauiter peccandum. Eſt enim latitudo in vſu rationis, quandoquidem in aliquo plenus & conſummatus, in aliquo dimidiatus & imperfectus vſus rationis eſſe dicitur. Ex quo fit vt in vno ſtatu hominis, v. g. in homine ſemiſopito, valdè imperfectam libertatẽ agnoſcamus: Non item in eo qui planè experrectus, ſoporem integrè excuſſit, nec ſubito æſtu abripitur, ſed ex certa ſcientia procedit ad opus. Sicut ergo in iis qui iam per ætatem idonei ſunt ad plenum rationis vſum, agnoſcimus diuerſitatem quoad rationis vſum penes maiorem vel minorem ſolutionem impedimenti accidẽtarij ac vinculi per ſomnum iniecti: Ita in iis qui non per huiuſmodi temporarium obicem, ſed quaſi per ſe & ob natiuam inhabilitatem organorum, ac humorum cerebro innatantium copiam, nondum ſunt habiles ad plenè vtendum ratione, poteſt primùm exiſtere imperfectior aliqua organorum habilitatio, & rudis ac inchoata humanorum digeſtio, per quam poſſint ad aliquod tẽpus vti imperfectè ratione, quantum ſufficit ad imperfectam libertatẽ, quamuis adultam illam ac liquidam lucem nondum excipiant, quæ vt quis grauiter impegiſſe cenſeatur, neceſſaria eſt.

Eſto tenuis illa lux qua mens illuſtratur, modicam

illam

illam labem, quam apti ſunt internoſcere, faciliùs videndam præbeat in materia ex ſe graui, quam in materia, ſuapte natura leui. Quod vnum concludit potiſſima aduerſariorum ratio; (ceteræ quippe leuiores ſunt, quàm vt in eis ſit hærendum:) nempe quòd materiæ graues ſint ex ſe notiores, & facilius in mentis oculos quantumuis hebetes incurrant. Id enim tametſi verum eſſe poteſt, non tamen probat graues illas materias debere obiici menti cum tota ſua grauitate: ſed ſufficit ſi feriant mentis oculum pro eius perſpicacia & acie. Sicut luſcioſus cui eminus obiiciuntur mons & collis in eadem diſtantia, faciliùs perſpiciet montem, tametſi non quantus videbitur ab eo, qui viſum acutum & vegetum ſortitus ſit, ſed quantùm oculorum eius hebetudo & imbecillitas tulerit.

Libertas hominis, in ſolo ſtatu vſus rationis, concluditur.

170. His ita conſtitutis, vt regrediar ad illud cuius occaſione huc diuerti; non eſt difficile oſtendere quod propoſueram probandum: Nempe in his inferioribus ſolum adultum ſui compotem, ſiue rationis vſu plené inſtructum, eſſe ſubiectum remotum libertatis formalis. Nam in eo ſolo cernitur dominium illud in actum, & facultas ſeipſum determinandi ac monendi, per quæ libertatem expoſuimus. Quod probatur à priori per radicem libertatis formalis, hoc eſt, per notitiam indifferentem, quæ ſi ex ſe ſtabilis ſit, nec ex cæco impetu phantaſiæ, fortuito ad id per ſomnum determinantis extendatur, illico dilapſura, non habet locum niſi in adulto ſui compote, vt per ſe euidens eſt. Atqui notitiam illam, eſſe formalis libertatis radicem, ſuprà eſt oſtenſum. Igitur germen eius, in ſolo adulto notitiæ illius capace, locum habet.

Vſus eſt hoc argumento ad hominis libertatem aſtruendam Nemeſius lib. de homine cap. 41. Cum enim multis oſtendiſſet radicem libertatis, & cauſam eius adæquatam eſſe rationem, concludit. *Quare qui Deum accuſant quod hominem non creârit eiuſmodi, vt in eum, vitium cadere nullum poſſet, ſed liberæ voluntatis effecerit, imprudentes Deum accuſant, quòd rationis compotem, ac non à ratione vacuum, hominem genuerit. Neceſſarium eſt enim alterum de duobus, aut rationis expertem eſſe factum, aut ſi rationis eſſet particeps, & in rebus agendis verſaretur, eſſe libera voluntate. Neceſſariò igitur omnis natura rationis particeps, libera voluntate eſt, & ſuâ naturâ immutabilis!*

Accedit argumentum à poſteriori: non enim quæ à paruulis, aut de ſtatu mentis deiectis, per ſomnum, ebrietatem, aut amentiam patrantur, iis vitio aut laudi vertuntur; niſi quatenus cauſæ, quibus in eum ſtatum deuenerunt, voluntati eorum ſubiacuere, v. g. quia conſcij conſecuturæ priuationis vſus rationis, cauſas illam priuationem inferentes, vltrò aſſumpſerunt. Hoc autem non alia de cauſa ſeruatur, quàm quia extra ſtatum vſus rationis, nulla eſt libertas, cuius appendices ſunt laus & opprobrium, præmium & ſupplicij repenſio. At è contrà, quoties ſimilia opera, quibus in paruulis vel amentibus nihil tale reponitur, ab adulto mentis compote admittuntur, decernitur illico iuſtum ſtipendium pœnæ aut præmij. Vtique quia in iſto, interuenit libertas ob vigentem in eo rationis vſum.

In hac humanæ libertatis, ad rationis vſum ſuapte natura conſequentis, aſſertione, nemo eſt qui refragetur. Nam etiam nouatores, quamuis parum conſtanter in hoc negotio multa effutiant; Tamen cum eis explicatiùs proponitur, an homo ſpectata natura ſua liber eſſe debeat, rem, vt dixi, tantum attendendo ex natura rei, ac ſecluſis extrinſecis impedimentis libertatem creatam arctantibus, ſiue ex diuino decreto antecedente; ſiue ex efficacia diuinæ in nobis operationis, ac prætenſæ compulſionis ad operandum vrgentis; ſiue ex præſcientia; non negant quin homo ratione vtens ſit liber. Nimirum ſatis ſupérque eis eſt ad perfidiam, eàmque iniquitatis eluuionem, qua orbem perdere ſatagunt, quod ex prædictis extrinſecis capitibus libertate hominem ſpolient, qua ſuapte natura potiri debuiſſet.

Itaque nunc quidem quia de hominis libertate ex natura rei duntaxat philoſophamur, nulla nobis cum eis rixa eſt: ſed inferiùs cùm ſtatuemus libertatem humanam expeditam, & nullis extrinſecis impedimentis preſſam, quo minus pro libito in vtramlibet partem feratur, excutiemus eorum placitum, & difficultates, quibus nituntur, enodabimus. His porrò difficultatibus aliò ablegatis, ſtatuamus veriſſimum eſſe quod hactenus ſtabilitum eſt; nempe hominem rationis compotem, ſuapte natura liberum eſſe, & abſque priuilegio naturæ indebito. De cuiuſmodi priuilegio accipiendum eſt quod ait S. Cyrillus 3. in Iulian. ad textum primum, gloſſans dictum quoddam Alexandri: Nempe quod ex priuilegio, aliqui homines, id eſt, omnes mentis compotes, potiuntur arbitrij vertibilitate & libertate.

Eliditur obiectio, ex Salomonis libertate intèr dormiendum.

171. Nec video quid hoc loco opponi poſſit contra huiuſmodi veritatem, quod homo rationis vſum habens liber ſit ſuapte natura, non item qui rationis vſu deſtituitur: Niſi ſi quis vrgere velit Salomonem, quem in ſomno, ac proinde rationis vſu ſpoliatum promeruiſſe à Deo ſapientiam, atque adeò liberum fuiſſe, grauium Doctorum ſententia eſt, quos ſequuntur, & latè referunt Suar. l. 2. de orat. cap. 19. n. 17. & Fernandius præludio 6. ad viſiones veteris Teſtamenti à n. 6,

Verùm euentus tam extraordinarius, nihil officit poſitæ à nobis veritati: Neque enim inficiati ſumus quin poſſit Deus in ſomnis perfectum vſum rationis conferre, roborando intellectum vt abſque ſenſu interno operetur: Aut vt cum eo tametſi impedimento, ordinatè tamen ſub ſeruiente ob diuinam directionem, functiones ſuas exerceat. Vel denique internum ſenſum perfectè ſoluendo, ac purum reddendo ab ea vligine, quæ externos ſenſus expreſſos diſtinet. Aliquo igitur ex prædictis modis facilè fuit Deo Salomonis dormientis animum vſu rationis ac libertate donare, ac proinde nihil mirum fuerit, eum dormientem meruiſſe ſapientiam, ſuppoſito miraculo, quo ei rationis vſus in tali ſtatu collatus eſt: quod ſufficit ad tuendam veritatem à nobis poſitam, quam alij & numero & grauitate prioribus non impares aliter tuentur. Nimirum negando Salomonem in ipſo ſomno meruiſſe, ac proinde libertatem habuiſſe. Ita Pererius opuſc. de ſomniis quæſt. 7. Pineda lib. 3. de Salomon. cap. 8. num. 6. Sanctius & Serar. 3. Reg. 3. & alij quos adducunt. Vt autem homo per ſomnum agat liberè, non poteſt naturaliter fieri, vt diſertè tradit S. Bernardus lib. de gratia & lib. arbitrio, & latè confirmat Ricardus quodlibeto 1. art. 4. q. 1.

ARTICVLVS V.

Sphera obiecti voluntatis, liberè quocunque modo operantis.

172. EX eo quòd voluntas intrinſecè & ſuaptè natura ſit potentia libera vt hactenus monſtratum eſt, non ſequitur eam habere par ius & dominium in quoſuis actus ſuos. Poteſt enim vni potentiæ ob vniuerſalitatem ipſius & amplitudinem obiectiuam, competere multiplex modus operandi. Nam intellectus poteſt aſſenſum præſtare vel diſſenſum: & ſimpliciter apprehendere, vel enunciare, aut diſcurrere. Similiter ergo voluntas, circa diuerſa obiecta poteſt neceſſario & liberè operari. Et quamuis feratur voluntariè in omnia obiecta, quæ proſequitur, eò quod bona ſint, tendátque in huiuſmodi obiecta ex natiuo impetu & prælucente cognitione, tamen non eſt opus vt feratur liberè in omnia, ſiue quoad exercitium actus; vt cùm neceſſitatur ab extrinſeco; ſiue quoad ſpeciem, vt cùm proponitur bonum purum. Nec diſſentit Scotus cui aliqui tribuunt quod ſenſerit voluntati non competere niſi modum operandi liberè. Nam vt conſtat ex quodlibeto 19. ſumit *liberum* pro *voluntario*; quod Scotiſtæ etiam ſimiliter locuti intenderunt, vt videre eſt apud Rubionium in 1. d. 10. quæſt. 2. & Mayr. ibid. quæſt. 1. Similitérque D. Thomam ſic aliquando locutum intellexit Capreolus eâd. diſt. 10. quæſt. 1. art. 1. concl. 3. Operæpretium igitur eſt inſpicere quem ex duobus illis operandi modis teneat voluntas circa diuerſa obiecta: Primum quidem in hoc articulo quoad illa obiecta ſua, quæ voluntas immediatè per ſeipſam proſequitur, ſiue ſint bona certi generis ac ſecundum quid; ſiue ſint bona ſimpliciter, &, vt loquuntur, perfectiones ſimpliciter ſimplices. Deinde verò, (hoc eſt, articulo ſequenti,) quoad illa obiecta, quæ voluntas proſequitur interuentu aliarum facultatũ; quæ quia deſtituuntur libertate vt oſtenſum eſt, ſubiiciuntur dominio Reginæ illius facultatis, quæ eſt ſui actus domina, id eſt, voluntatis. Agendum duntaxat propono de bono, quia voluntatem proſequentem non habere aliud obiectum, extra controuerſiam eſſe debet, idque in tractatione de voluntatis obiecto, confirmandum eſt. Nec rectè aliqui quos refert & refellit Braduardinus lib. 2. de cauſa Dei cap. 2 cenſuerunt, vt voluntas ſit verè libera debere ei concedi vim proſequendi malum etiam prout malum. Hoc abſurdè dicitur. Neque enim libertas fert, vt voluntas proſequens, extra ſuum obiectum tendat.

ASSERTIO.

CIRCA perfectiones certi generis, ſeu circa bonum malo permixtum, voluntas libera eſt; & quoad exercitium, & quoad ſpeciem actus: quamuis rationes obiectiuæ multiplices voluntati obuerſantes prorſus æquales aut inæquales ſint, & nullus in intellectu error præceſſerit. Quoad perfectiones verò ſimpliciter ſimplices, voluntas in hoc ſtatu libera eſt, cum quoad exercitium, tum quoad ſpeciem, præterquam erga Deum, etiam prout hic conceptũ, & erga fœlicitatem in communi, quam nõ plus odiſſe quis poteſt, quàm bonum ſub ratione boni.

173. PRimò ago de perfectionibus certi generis, ſeu quæ in ſua ratione imperfectionem aliquam includunt, ideóque non ſunt niſi perfectiones ſecundùm quid.

Plena hominis libertas quoad exercitium, circa perfectiones certi generis.

Quoad has igitur perfectiones, admitto in homine ex natura rei ſpectato, libertatem & quoad exercitium & quoad ſpeciem actus. De libertate exercitij res eſt clara, & ab omnibus propè recepta: docet enim experientia nullum ex obiectis, de quibus hîc agimus ita amari, vt non poſſit, ſi homini luberet non amari. Id enim fert obiecti ipſius indifferentia, quod & bonum & malum eſt ſub diuerſis rationibus, ſaltémque eſt bonum non plenum. Quatenus ergo eſt bonum, amari poteſt, quatenus verò eſt malum, vel ſaltem bonum mancum, poteſt non diligi. Idem viceverſa dici poteſt de actu odij, comparato ad rationem obiectiuam malam. Ea quippe ratio quatenus mala eſt, odio haberi poteſt; & è contra poteſt non haberi odio quatenus non eſt ſummum malum, aut quatenus ex aliquo alio capite eſt bona: nihil enim eſt in rerum natura tam tetrum támque à bono ſeiunctum, vt ſub nulla ratione ſit bonum: nam malum ſi ſolum ac purum eſſet, ſeipſum deſtrueret, vt Ariſtoteles rectè dixit, approbante D. Auguſtino lib. de natura boni cap. 16.

Non nego tamen, quin poſſint eſſe, ſintque reuera multi, in humana voluntate actus indeliberati, quoad exercitium neceſſarij. (Id enim nimis teſtatum redditur experimento quotidiano:) ſed tantùm aſſero, vi obiecti & ex eius, (vt ita dicam,) meritis, voluntatem non neceſſitari ad exercitium vllius actus, ſiue proſecutiui ſiue auerſatiui, quoad res de quibus nunc agimus. Eſtque id, vt dicebam, ratum apud omnes.

Qui exceperint primam finis intentionem.

Excipio Caietanum, qui 1. 2. q. 10. art. 2. & ibid. q. 9. art. 4. voluit, aut potius viſus eſt voluiſſe, primum actum voluntatis, in quo radicantur poſteriores, eſſe neceſſarium quoad exercitium. Conſtat autem obiectum huiuſmodi primi actus, vt plurimum ac fortè ſemper ex natura rei loquendo, eſſe aliquid ſenſibus propinquum, atque adeò finitum & limitatum pertinenſque ad hanc claſſem perfectionum certi generis, in qua verſamur: ac proinde ſi actus circa huiuſmodi bona non eſt liber quoad exercitium, non erit vniuersè verum quod præmiſimus.

Fundamentum Caietani fuiſſe videtur in primis autoritas Diui Thomæ qui quæſtione illa 9. art. 4. negat voluntatem mouere ſe ad amorem primum finis. Accedit quòd dandus eſt aliquis terminus, & excludendus proceſſus in infinitum in voluntariis, vt Caietanus loquitur. Ideóque deueniendum eſt ad vnum aliquem voluntatis actum qui non ſit voluntarius ſiue liber, ſed naturalis, in quo tanquam in fundamento immobili ritè figatur tota mutabilitas actuum liberorum. Vrgent præterea alij, cogitationem actui iſti prælucentem, naturalem eſſe ac neceſſariam, ac proinde neceſſariò eum voluntaris actum excudere. Imò Capreolus in 2. d. 24. q. vnica *ad 8. contra quintam*, tametſi non ſatis conſtanter, ac etiam Scotus, ſi audimus Caietanum quæſt. illa 9. art. 4. cenſuit eam volitionem

volitionem à ſolo Deo effectinè prodire. Fauétque vulgare effatum quo ea prima actio autori naturæ ſiue bonæ fortunæ adiudicatur.

Porro quamuis aliqui tribuerint Caietano quòd egerit tantùm de ſimpliciter prima actione voluntatis in homine iam rationis vſum adepto; Tamen neque ipſe ſe ad eam duntaxat volitionem reſtringit, neque ex eius diſcurſu id poteſt colligi. Quin potius quæ dicit, æque cadunt in quamuis volitionem finis quæ eſt prima actio in quauis ſerie actionum ad vnam deliberationem pertinentium. Quemadmodum ergo motus grauium & leuium ad loca propria, tribuitur generanti: Ita primus quilibet motus in finem, à quo pendet mediorum proſecutio, autori naturæ, ſin minus vt elicienti, at ſaltem vt determinanti quoad exercitium, tribuendus eſt, iuxta hanc ſententiam. Ac proinde motus ille non eſt liber voluntati quoad exercitium, quamuis finis ei propoſitus ſit plerunque perfectio certi generis, & duntaxat bonum ſecundum quid.

Reiiciuntur.

174. Verùm hæc ſententia ſic expoſita, non videtur probabilis; neque eam reuera tenuiſſe videtur Caietanus, etiamſi interdum, de more, loquatur ſube obſcurius. Multò minus in ea fuit Ferrarienſis qui item pro ea allegatur ex 1. contra gentes c. 23. & l. 3. c. 89. Hoc enim poſteriore loco, conceptis verbis docet contrarium. In priore autem nihil habet quod aſtipuletur ſententiæ, quam refellimus. Quid verò proferri poteſt, per quod voluntas ad finis limitati proſecutionem neceſſariò abripiatur, cum ne ipſe quidem finis ſimpliciter vltimus, quandiu non videtur clarè, neceſſitet voluntatem ad exercitium amoris erga ipſum? Certè inde manifeſtè liquet, obiectum de quo agimus, non eſſe tanta efficacitate præditum. Vel ergo ea neceſſitatio prodiret ex diſpoſitione naturæ voluntatis; vel ex intellectione prælucente; vel ex Deo abripiente. Nullum autem horum dici poteſt.

Nam naturalis diſpoſitio voluntatis, in homine ratione vtente, ac ſibi permiſſo, cuiuſmodi eſt is de quo agimus, non fert vt voluntas cœco impetu, & tam præcipiti vt ſiſti nequeat, feratur in obiectum limitatum. Intellectio autem, tametſi ſit neceſſaria, quia antecedit quamcunque volitionem liberam, ſaltem in ſerie de qua agimus; non extorquet tamen volũtatis actum, quia non poſſet id præſtare niſi ratione bonitatis obiecti quam exhibet, & qua eſt veluti fœta. At iam diximus obiecto deeſſe vim ad neceſſitandam voluntatem in re præſenti. Reſtat ergo vt recurratur ad Deum. At inferri ab eo neceſſitatem, voluntati cõſtitutæ in ſtatu libertatis, (qualem ſupponimus eſſe voluntatem, quoad actũ de quo agimus;) non eſt conſentaneum naturæ voluntatis liberæ, & ei modo cum magna reuerentia diſponendi, quem à Deo teneri docet ſcriptura. Deus enim diſponit omnia ſuauiter, & relinquit hominem in manu conſilij; ac proinde nũquam de facto illum neceſſitat quoad conſenſum voluntatis, reſpectu cuius ſpectatâ naturâ rei deberetur libertas. Quamuis certum ſit (nobis quidem) Deum id poſſe. De quibus omnibus infrà plenius. Quare omnino dicẽdum eſt, neceſſitatem illam quoad exercitium in primo actu voluntatis, elicito per hominem rationis vſu pollentem, eſſe commentitiam.

Enodantur quæ contra ſunt.

175. Nec quæ pro ea confirmanda adducebantur, vllius ſunt momenti. Nam D. Thomas, qui primum proferebatur, cùm ait, voluntatem mouere ſe ad electionem mediorum, non autem ad proſecutionem finis, non intendit voluntatis neceſſitationem quoad exercitium in aliquo eius actu inuehere, vt cortex verborum ferre videtur: ſed ſenſus eius eſt quem tradit Victoria relect. de puero parte 1. num. 21. Nempe quod huiuſmodi actus qui eſt veluti primus fœtus naturæ liberæ, dicatur eſſe à Deo, quia non eſt ab alio anteriore actu, ſicut eſt electio, quæ naſcitur ex intentione, ſed eſt ex naturali inclinatione voluntatis. Naturalia autem omnia attribuuntur Deo, eo quod natura & virtus ſic operandi, à Deo accepta fuerit.

Alius item D. Thomæ ſenſus, clarè colligitur ex 1. 2. q. 9. art. 2. iuxta doctrinam Philoſophi 7. Moral. Eudem. c. 18. nempe quod bona fortuna, hoc eſt, cauſa aliqua præter intentionem hominis operantis, quæ plerunque eſt ipſemet Deus, moueat ad primam illam actionem in quauis ſerie, excitando intellectum ad primam cogitationem toti illi actionum ſeriei præuiam, & ad ſimplicem boni prægustationem neceſſariam, quæ eſt intentionis quaſi rudimentum, & naturaliter exoritur ex natura boni. Conſequenter ergo intentio libera, quæ ad hos actus conſequitur, rectè poteſt in bonam fortunam ac Deum reduci: Sic autem expoſitus D. Thomas nihil iuuat ſententiam, quam refellimus.

Sed neque ratio quæ ſubdebatur, firma reuera eſt. Etiamſi enim declinandus eſt progreſſus in infinitum, æquè in liberis ac in aliis: Tamen progreſſus ille nullo modo ſequitur, ex eo quòd negetur primus voluntatis actus neceſſarius quoad exercitium: Siſtemus enim in primo actu elicito libero, qui per ſeipſum eſt voluntarius. Nec oportet vt ſit immobilis immobilitate neceſſitatis, vt rectè notauit Scotus in 1. d. 1. quæſt. 4. *in fine.* Quod verò cogitatio iſti actui prælucens, ſit neceſſaria, quandoquidem præcurrit primum actum liberum; hoc quidem non probat quod poſtea concludebatur; nempe per eam cogitationem extorqueri primum voluntatis actum inde oriundum; cum voluntas libera non teneatur ſequi regulam ſuam, & cõtra vnam notitiam ſibi prælucentem obniti queat. Tandem quod ille primus actus voluntatis liberæ Deo tribuatur, ſicut motus grauium & leuium tribuitur generanti, non video quanto iure fiat. Nam pro eo motu elementorum nomine tenus tribuendo generanti, ſuppetit non improbabilis ratio ex doctrina Ariſtotelis alibi expoſita, quæ in re præſenti nullum locum habet. Quare fixum eſto, in homine rationis vſum adepto, nullum eſſe voluntatis actum neceſſarium quoad exercitium circa bona de quibus agimus, præter actus primò primos, quos iam ſepoſuimus.

Plena libertas quoad ſpeciem, circa eadem obiecta.

176. Ex eodem porro fonte, id eſt, ex natura & conditione huiuſmodi obiectorum, duci poteſt quod addebam de libertate quoad ſpeciem in quibuſuis actibus circa ea obiecta elicitis per voluntatem hominis rationis vſum adepti. Hæc enim bona, non ſunt bona pura, ſed cum mali mixtura, ſaltémque ſunt bona manca & mutila. Sicut ergo ratione bonitatis amari poſſunt, ita ratione malitiæ admixtæ vel ſaltem ratione illius non plenitudinis propter quam inepta ſunt explere voluntatis capacitatem, poſſunt odio haberi: Atque ita ſalua manet voluntati quoad ea obiecta, libertas quoad ſpeciem.

Neque refert quod huiuſmodi obiecta habeant plerunque rationem finis, de quo vulgare apud multos placitum eſt, quòd non ſubſit libero arbitrio. Dicunt enim *liberum arbitrium non eſſe finis, ſed mediorum* Quod ſi verum eſt, excludit ſaltem libertatẽ quoad ſpeciem circa finem; quandoquidem non tollit

libertatem exercitij circa eum vt proximè oſtenſum eſt. Præterquam quòd ſublata libertate exercitij, peſſum iret libertas quoad ſpeciem actus, quamuis non vice verſa. Hoc inquam non refert. Tametſi enim vulgare illud quaſi effatum ab aliquibus in bonum ſenſum benignè trahitur; Expeditius tamen videtur illud negare; cùm neque graui vllo authoritatis firmamento, neque ratione idonea nitatur; ſitque perſpicuum fines quoſuis vltimos, qui inter huius ordinis bona numerantur, liberè quoad ſpeciem diligi, & poſſe item odio haberi.

Bina limitationes excutiuntur.

Probabiliùs & acriùs controuertitur, de duabus aliis limitationibus ſententiæ à nobis poſitæ. Sunt enim qui eam duntaxat admittunt, ſi obiecta ſint inæqualia, negant autem ſi obiecta ſint prorſus æqualia; ac multo magis ſi obiectum minus ac deterius proponatur ſimul cum potiore & meliore. Tunc enim neceſſitatem iniectam putant voluntati, vt feratur in obiectum melius, & auerſetur quod eſt deterius. Alij item refragantur eidem ſententiæ noſtræ, ſi agatur de obiectis, quorum vnum ſit moraliter bonum; alterum verò ſit moraliter malum. Tunc enim niſi error intellectum præceſſerit, negant voluntati liberum eſſe quocunque voluerit vertere ſeſe. Authores vtriuſque limitationis mox adducam. Sed neutra illarum limitationum probanda eſt quoad obiecta in certo genere bona, de quibus nunc diſputamus.

Prima, quoad fines inæquali efficacitate propoſitos, aut media planè æqualiter, vel inæqualiter idonea.

177. Et vt à prima ordiar, Vaſques 1. 2. diſt. 43. n. 10. in hac obiectorum quaſi contentione, diſtinguit de fine & de mediis. Nam quod ſpectat ad fines contendit finem illum ad ſe abducere voluntatem, qui efficaciùs proponitur. Quare ſi vterque finis æquè efficaciter proponatur, negat voluntati libertatem quoad ſpeciem, ſalua tamen libertate quoad exercitium. Hanc enim non vult tolli per eam æqualem propoſitionem finium: ſed ita concedit voluntatem ſemper trahi ab obiecto efficaciùs propoſito vt nunquam eius motioni obluctetur. Fatetur tamen, voluntatem ſi vellet, poſſe reſiſtere, atque adeo liberam eſſe quoad exercitium, non obſtante ea inæquali obiectorum propoſitione & bonitate.

Quod verò ſpectat ad media quæ aſſumuntur ex præſuppoſita efficaci intentione finis, negat idem author, ſi plura æqualia occurrant, vnum eorum poſſe præeligi: vel ſi inæqualia ſint, negat eligi poſſe quod exhibitum fuerit tanquam deterius & minus idoneum. Hoc ſecundum aſſerit etiam Pennotus lib. 1. propugnaculi cap. 27. ſi agatur de bonis inæqualibus eiuſdem generis. v. g. delectabilibus. Fundamentum petitur ex Ariſtotele 3. animæ t. 57. aſſerente voluntatem proſequi & eligere illud, quod ex obiectis quæ in conſultationem veniunt, iudicatum eſt maius. *Deliberatiua*, inquit, *his ineſt tantùm, in quibus ratio ineſt. Nam vtrum hoc agas an hoc, rationis iam opus atque officium eſt: atque neceſſe eſt vno quodam metiri. Maius enim perſequitur. Quare poteſt vnum ex pluribus phantaſmatibus facere.*

Poſteriorum verborum, quæ ſola lucem aliquam deſiderant, ſenſus eſt, in deliberatione ſtatuendum eſſe vnum aliquem finem tanquam menſuram, qua metiamur quid potius ſit agendum. In id enim quiſque fertur quod potius & melius cenſet: Hoc autem ex acceſſu ad finem propoſitum tanquam ad normam, diiudicat. Atque ita è pluribus quæ occurrebant vnum deligit, alterum reiicit. Et quia in huiuſmodi delectu mediorum, tria vt minimùm interueniunt; finis ſcilicet ad quem admetienda ſunt media, & duo media ad eum finem obtinendum occurrentia, quorum alterum quia opportunius eſt aſſumitur abiecto altero: Propterea ſubdit, tunc in voluntate tres motus effici. Nempe vnum à fine, duos à duobus mediis metaphoricè mouentibus; quamuis illius duntaxat motio præualeat, quod maius fuerit iudicatum. Alius apud Ariſtotelem locus pro hac ſententia habetur 3. Ethic. cap. 3. vbi illud dicitur eligibile, quod cæteris præmiſſa conſultatione prælatum eſt.

Ex his porro Philoſophi locis, poteſt duci hoc argumentum. Electio ſequitur iudicium conſultationis: Sed hoc iudicium non poteſt prælucere voluntati ad applicationem medij æqualis aut minoris: Quia intellectus per conſultationem colligit illud tantùm, quod eſt melius. Ergo voluntas non poteſt eligere niſi medium quod magis idoneum fuerit iudicatum, poſito quod velit eligere: quæ eſt neceſſitas tantùm quoad ſpeciem. Confirmatur ex Tartareto 3. Ethic. q. 3. quia medium minus vtile, quamuis ſecundùm ſe & abſolutè ſit bonum, tamen comparatum cum medio vtiliore, eſt formaliter malum quoddam: quia importat defectum maioris illius bonitatis, quæ alteri medio inſidet, & per conſultationem deprehenſa eſt. Cùm ergo conſultatio inſtituatur comparando media, & iudicium conſultationem claudens ita in alteram partem feratur, vt tamen comparatiuum ſit, & redolens anteriorem mediorum contentionem ex qua ortum habuit: Profectò ſi eligeretur medium quod minus eſt, fatendum eſſet tale medium eligi formaliter vt malum: quandoquidem non proponeretur eligendum, niſi quatenus eſt minus bonum, ſub qua ratione eſt aliquatenus malum.

Reiicitur quoad fines.

178. Hæc prima limitatio doctrinæ ſuprà conſtitutæ, non eſt probanda, faciléque reiicitur tum quoad fines, tum quoad media. Et vt initium ſumam à finibus, inter quos aduerſarius contendit eum amari neceſſariò quoad ſpeciem, qui efficaciùs proponitur, rectè interrogat Fonſeca 6. Metaph. cap. 2. q. 5. ſect. 15. quid ſit illud *efficaciùs proponi*. His enim verbis nihil aliud ſubeſſe poteſt, quàm vel intenſior cogitatio, vel expreſſior & clarior, vel denique congruitas prædictæ cogitationis cum voluntate ſic affecta, non item alterius qua alter finis exhibetur. Quem poſtremum ſenſum eligere videtur Vaſques 1. p. diſput. 98. num. 46. & d. 210. num. 10. At nullum horum poteſt admitti.

Nam maior intenſio aut claritas vnius cogitationis, eſt inepta ad voluntatem neceſſitandam quoad ſpeciem actus. Vt enim voluntas poſſit aliquid amplecti, ſatis eſt ſi intellectus illud percipiat vt bonum: quia tunc, & potentia idonea, & legitimum obiectum ſuppetit. Nam obiectum adæquatum voluntatis, eſt quodcunque bonum. Quidni ergo poſſit ſequi actio? Poſitis enim omnibus ad agendum prærequiſitis, fatendum eſt voluntatem poſſe operari. Quid verò afferri poteſt, per quod intenſior illa aut expreſſior vnius finis cogitatio, ita illaqueet voluntatem atque præpediat, vt non poſſit in actum contrarium, ad quem remiſſior aut minus clara cogitatio illi prælucet? Quin potiùs ea ſæpè amplectimur, in quæ voluntas minùs ardenter ac cupidè, proindéque etiam minus intensè & languidius incumbebat: quod quotidianum eſt in pleriſque, illi vitæ inſtituto ſe addicentibus,

tibus, quod iuxta priuatum ſuum affectum ac guſtum, minus illis ſapiebat. Perſæpe item ea approbamus, quæ ex iudicio expreſſiſſimo & liquidiſſimo videbantur reſpuenda iuxta illud: *video meliora proboque, deteriora ſequor.*

Nec aliter ferè argumentandum eſt contra congruitatem vnius cogitationis. Quamuis enim congruitate illa admiſſa, infallibile ſit voluntatem declinaturam in eam partem, pro qua ſtat congruitas: Tamen quia nihilominus pro oppoſita parte nihil deeſt voluntati quominus operari poſſit; certum eſſe debet eam poſſe ſe vertere in huiuſmodi partem oppoſitam, & odiſſe quod de facto amat: Eſto reipſa nunquam id ſit præſtitura, quia non lubebit. Satis tamen nobis eſt, quòd poſſet, ſi vellet: quia dummodo poſſit odiſſe quod amat, ſalua manebit libertas quoad ſpeciem, cui retinendæ nunc inſiſtimus. Et ſanè iuxta hoc placitum, quiſquis exequitur bonum aliquod opus, non poſſet exequi contrarium: quia hoc ipſo quòd ita operatur, habuit cogitationem congruam, inuitantem ad ſic operandum; ac proinde qui operantur liberè, carerent ſemper libertate quoad ſpeciem.

Itaque concludo, voluntatem, quamuis ſi ſpectaretur præciſè quatenus eſt appetitus naturalis proſecutiuus boni, proſecutura potiùs eſſet finem meliorem, qualis ſemper cenſeretur, qui magis ſapit palato voluntatis, quia congruentiùs proponitur: Tamen ſi ſpectetur vt eſt appetitus rationalis ac liber, iri omnem illum finem ferri poſſe, qui eſt voluntati proportionatus, eo quòd habeat rationem motiuam eius, hoc eſt, rationem boni, ſaltem ſenſibilis.

Reiicitur item quoad media, ſiue æqualia, ſiue inæqualia.

179. Iam verò quod attinet ad electionem mediorum, vitanda eſt æquiuocatio, quæ aduerſarium induxiſſe videtur in errorem. Dupliciter enim poteſt conſiderari electio: Nempe primò, ita vt ſit volitio medij, facta vi comparationis idcirco inſtitutæ vt vſurparetur quod appareret melius. Secundò, ita vt ſit volitio medij abſoluta, & ex mero beneplacito voluntatis, cui, ſuppoſita efficaci intentione finis, hæc media ad quæ antè nullo modo ſe aſtrinxerat, vſurpare placuit, potiùs quàm alia.

Priore modo factam electionem fateor debere ferri in medium quod peracta conſultatione appareret melius. Eſtque id planè neceſſarium ex ſuppoſitione quòd homo ſtatuerit eligere medium, quod concluſa conſultatione compererit eſſe magis idoneum. Nam cum ea voluntate, non poteſt cohærere delectus medij quod apparuerit deterius. Et hoc duntaxat euincunt omnia quæ Vaſques ex Ariſtotele adduxit, & ratio illis Philoſophi iocis ſuperſtructa.

Si autem de poſteriore eligendi modo agamus (de quo ſolo eſt reuera agendum,) ſic dico illud medium poſſe eligi quod eſt idoneum ad finem conſequendum, etiamſi ſit minus idoneum quàm aliud. Quod euincit apud me ratio ſuperius alia occaſione propoſita; nempe quod poſita potentia & obiecto idoneo, poteſt poni actio. Atqui hic habemus potentiam & obiectum ſufficiens: Non enim obiectum voluntatis eligentis clauditur finibus boni, melioris ad finis conſecutionem; neque id fert efficax intentio finis: cùm tantùm ferat vſurpationem medij ſufficientis. Ergo poteſt poni electio medij deterioris, quod tamen ſit ſufficiens ad finis aſſecutionem. Nec idcirco voluntas fertur in malum, ſed in bonum: Nam minus bonum, non deſinit eſſe bonum, vt rectè dixit Diuus Auguſtinus libro de natura boni capite 14. ex quo confirmatio ſententiæ aduerſarij eliſa manet.

180. Quod autem dixi de mediis inæqualibus, & de capacitate deterioris vt eligatur, multò magis dicendum eſt de mediis æqualibus: Nam tunc æquè vrget ratio propoſita. Et propterea cùm ex parte obiectorum omnia ſint paria, conuenientiſſimum eſt dari locum indifferentiæ actiuæ voluntatis liberæ vt feratur in vtrumlibet. Vt autem in neutrum è duobus mediis ferri dicatur, tantùm quia ambo æqualia ſunt, non videtur dici poſſe cum fundamento. Quis enim non rideat, hominem illum, qui vrgente fame propoſitiſque in eadem diſtantia duobus panis eiuſdem candoris & magnitudinis, ac denique vndecunque æqualibus, conqueratur ſe famis ſtimulis vrgeri, nec poſſe eam ſedare, eo quòd panes, quos propoſitos habet, ſint prorſus æquales. Ita argumentatur Simplicius 2. cœli t. 59. Nec aliter rideretur viator, qui rogatus cur non proficiſcatur quo intendebat, reſponderet ſe nullo modo poſſe pergere, eò quòd occurrant duæ viæ adeò commodæ vt omnibus conſideratis, neſciat diſcernere vtra ſit melior. Nemo ſanè eius commiſeratione tangeretur, qui niſi fugâ ſibi conſulat, opprimendus, vrgenti à tergo hoſti non cederet, tantùm quia duæ ſuppetebant ambæ æquè idoneæ ad declinandum irruentis hoſtis impetum. Simile denique eſt quod Chryſippus apud Plutarchum lib. de Stoicorum contradict. affert, eius ſcilicet cui proponerentur duo aurei nummi eiuſdem formæ & pulchritudinis, optione data alterutrius, relicto altero. Quis enim dicat liberum non eſſe homini, vnum ex illis nummis accipere, altero dimiſſo?

Exemplum diuinæ libertatis.

Sed ſuppetit pro confirmatione eligibilitatis mediorum prorſus æqualium vel etiam deteriorum, illuſtre exemplum ex diuina libertate, cui cùm omnia bona creata obuerſentur vt media, ob diuinam ſuam gloriam tanquam ob finem vltimum amabilia & ad eum finem occurrunt ei permulta æquè idonea, & permulta imparia, nec eiuſdem efficacitatis ad finis prædicti aſſecutionem; Tamen quia eſt ſui iuris, deligit ex pluribus æqualibus vnum; non aliam ob cauſam, quàm quia ita placet. Quæ enim potuit eſſe ratio cur ex pluribus mundis planè æqualibus, iſti, qui de facto conditus eſt, ſtatuerit Deus hunc potiùs, quàm alium quemlibet fabricare? Aut cur ex multiplici numero materia, hanc potius indiuiduam, quàm vllam aliam ex infinitis planè æqualibus, nec niſi numero diſtinctis, fieri voluit? Nulla certè afferri poteſt ratio, niſi quia ita placuit. Nam iudicium inæquale nullum interuenit, in quod prælectio illa referri potuerit, ſiue ex parte Dei, ſiue ex parte ipſarum rerum. Itaque non poteſt aliud addici, quàm vt ſit pro ratione voluntas. Neque video quodnam poſſit eſſe hac in parte diſſidium.

181. Sunt tamen qui reclament quoad obiecta moraliter inæqualia; contendentes, Deum phyſicè quidem non neceſſitari facere quod eſt optimum, ſiue phyſicè ſiue moraliter; Quia quocunque affectu intra quemuis ordinem producto, poſſet alium perfectiorem producere: cùm ea maior perfectio nullam repugnantiam inuoluat, ac proinde ſit idoneum obiectum diuinæ omnipotentiæ. Tamen moraliter neceſſitari Deum ad faciendum quod eſt moraliter optimum. Idque putant euidens eſſe ex eo ſummo amore, quo Deus ſeipſum & gloriam ſuam diligit; quia cùm res creatæ habeant rationem medij reſpectu Dei, quatenus opportunæ ad promouendam eius

 gloriam,

gloriam,& eatenus dicantur moraliter meliores,ſi præ cæteris rebus ad hoc ipſum vſurpabilibus,plus in eum finem conducant: Planè ſicut Deus ſummè & efficaciſſimè amat finem rerum omnium factibilium,id eſt, ſeipſum: ita videtur debere neceſſariò moraliter ferri in media fini illi accommodatiora, atque adeo moraliter meliora; ſalua libertate phyſica ad ea quoque media eligenda quæ minus ſunt fini prædicto commenſa & proportionata.

Verùm quia non eſt huius loci, inquirere an & quomodo Deus, in quo propter ſummam perfectionem poteſt eſſe peculiaris ratio, neceſſitetur eligere ſemper media magis idonea ad finem, quem vniuerſaliter habet pro rebus quas condit propoſitum, hoc eſt, ad ſuam gloriam; Propterea obiter tantùm dico, nobis quidem in præſentia ſatis eſſe,quòd Deus dicatur manere ſemper phyſicè liber ad obiecta moraliter inæqualia, quicquid ſit an reipſa & de facto ſemper eligat, quod eſt ad promotionem gloriæ ſuæ accommodatiſſimum. Quod vnum videtur confici rationibus eorum qui pugnant pro moraliter neceſſaria electione medij moraliter melioris.

Quòd autem non videatur dubitandum, quin poſſit Deus ex inæqualibus gloriæ ſuæ promouendæ mediis, illud eligere, quod erit ad eam promotionem minus idoneum, (id quod in præſentia nobis ſufficere diximus,) probatur manifeſtè: Quia alioqui cùm quouis idoneo medio dato, aliud magis idoneum ſemper dari poſſit, ſequeretur Deum ad ſolius optimi medij vſurpationem adactum, nihil prorſus poſſe facere. Eam in rem cum multa alibi adducantur, vnum duntaxat exemplum vrgeo, vel potius perſtringo, nimirum redemptionis generis humani per Incarnationem. Certiſſimum quippe eſt, aptiſſimum remedium ad leuandam miſeriam humanam, fuiſſe Incarnationem Diuini Verbi, eóque medio tanquam gloriæ ſuæ amplificandæ conuenientiſſimo, viſum eſt Deo vti. Et tamen Sancti Patres conſtanter docent fuiſſe Deo liberum eligere hoc medium: Et quantumuis poſitis rebus vt ſunt, (atque adeo quando hoc medium iudicatur moraliter optimum) potuiſſe illud non eligere, ſoláque benignitate & humanitate ſua in nos ita feciſſe: cùm potuiſſet ſolo nutu nos eripere à tantis malis; quod tamen fatentur fuiſſe minus conueniens ad gloriam Dei, & ſalutem noſtram. Ita Nazianzenus orat. 9. S. Leo ſerm. 14. de paſſ. Theodoretus optimè in fine ſexti contra Græcos, & S. Anſelmus 2. cur Deus homo c. 5. ac plurimi alij.

182. Et amat quidem Deus perfectè ſeipſum,omníſque eius volitio eſt ſummè ſancta & honeſta. Non eſt tamen idcirco neceſſe, vt ſemper velit quod eſt moraliter optimum. Nam productio creaturæ magis promouentis gloriam diuinam, non eſt aliquid neceſſariò connexum cum perfectiſſimo Dei amore erga ſeipſum: quia volitio huiuſmodi minutiarum boni Deo extrinſecarum, & nullam ad eum acceſſionem facientium, non eſt neceſſariò adiuncta ſummo amori Dei in ſe; quamuis ſimilis volitio commodorum creaturæ, adiungatur ſummo in eam amori. Item honeſtas & ſanctitas diuinæ volitionis non deriuatur à ſanctitate & bonitate obiecti, ſicut in nobis contingit. Et idcirco quamuis vt noſtra volitio ſit ſummè ſancta neceſſe ſit vt in obiectum ſummè honeſtum tendat, (éſtque ſemper eo honeſtior & ſanctior, quo fertur in obiectum ſanctius & honeſtius:) Tamen de diuina volitione aliter eſt ſentiendum. Quodcunque enim ſit eius obiectum creatum, eſt ſemper ſummè ſancta eſſentiali ſanctitate. Sed hæc obiter hoc loco, tantùm vt conſtet, argumentum ex diuina libertate pro noſtra ſententia ductum, vrgere validè aduerſarios, & medij æqualis aut etiam deterioris eligibilitatem euincere; quam meritò voluntati noſtræ concedunt Viguerius in inſtitut. cap. 3. §. 5. verſu 6. Henriq. de fine hominis cap. 4. num. 3. Suar. diſt. 19. Metaph. ſect. 6. num. 13. & lib. 7. de Angel. c. 5. Val. 1. 2. d. 2. q. 8. p. 3. Hurtadius d. 14. de anima §. 69. Fonſeca ſupra adductus, aliíque quamplurimi.

Altera limitatio plenæ libertatis, quoad perfectiones certi generis ſi error deſit, obiter reiecta.

183. Pergo ad ſecundam ſententiæ noſtræ limitationem ſupra propoſitam. Sunt enim qui contendunt, cùm contingit in proſecutione bonorum de quibus agimus, admitti culpam moralem, tunc voluntatem non eſſe liberam quoad ſpeciem, niſi præceſſerit error aliquis in intellectu. Et quanquam varij authores eum errorem diuerſimodè exponant: Tamen plurimorum ſententia eſt, aliquem tandem errorem, qui etiam inconſiderantiam, aut minorem expenſionem comprehendat, debere præmitti appetitioni culpabili obiectorum, de quibus agimus, vt ſit libera quoad ſpeciem. Ita diſertè Vaſques 1. 2. d. 128. num. 14. Non placet tamen longiorem huius placiti diſcuſſionem hîc inſtituere, quia multa inuoluit, quæ infrà diſputando de imprudentia & malitia formali, iuſtam tractationem habebunt; & quia reuera hæc difficultas non ſpectat peculiariter ad hæc obiecta, ſed vniuerſè ad omnia obiecta actuum moraliter turpium, quos conſtat etiam ad obiecta quæ ſunt perfectiones ſimpliciter ſimplices excurrere poſſe.

Nunc igitur breuiter tantùm dico, liberum eſſe voluntati, bona de quibus hîc agimus (quæ ſcilicet ſunt perfectiones certi generis;) amare vel odiſſe, etiamſi nullus planè error in intellectu præcedat. Nam quamuis fateor voluntatem nunquam peccaturam, quin error aliquis, ſaltem latè dictus, intellectum voluntati prælucentem præoccupauerit: Tamen hoc non obeſt, quominus etiamſi error ille deeſſet, poſſet voluntas æquè ſe habere ac ſe nunc habeat, vel aliter ſi ita iudicetur: pleraque enim ſunt, quæ certo quodam modo infallibiliter facimus, quamuis poſſemus ea aliter facere, & cæteroqui non obſtante defectu erroris cuiuſcunque ſupponimus nihil deeſſe voluntati quominus circa illa moraliter contraria obiecta pro libito verſetur, cùm & vtrumque habeat rationem boni, & voluntas ex nulla parte præpediatur. Nec plura de aſſerta ſuperius voluntatis libertate quoad exercitium & ſpeciem actus circa perfectiones in certo genere.

De hominis libertate circa perfectiones ſimpliciter ſimplices, varia placita.

184. Secundò egi de libertate voluntatis quoad obiecta, quæ ſunt perfectiones ſimpliciter ſimplices, ſi ſpectentur ex ſe, & ſecundùm rationem ſuam formalem præciſam. Quod addo, quia certum eſt nullam eſſe in his inferioribus perfectionem tam defæcatam, quin multis ſemper defectibus immergatur. Vna enim, & quidem maxima imperfectio, cui omnes perfectiones creaturis competentes tam altè infodiuntur, vt liberari ea concretione non poſſint, eſt potentialitas, quam aſſectatur compoſitio actiua, aut paſſiua, aut vtraque. Tamen certum etiam eſt, reperiri in nobis pleráſque perfectiones per conceptum præciſibiles ab imperfectione, quam in nobis ſortiuntur, & ex ſua ratione abſtracta puras ac meracas, nullatenúſque dilutas admixtione defectus, cuiuſmodi ſunt

omnes

omnes perfectiones creaturis communicabiles quæ de Deo formaliter prædicari poſſunt, vt eſſe, viuere, intelligere, aliæque huiuſmodi perfectiones, quæ dici ſolent *ſimpliciter ſimplices*.

De his ergo perfectionibus, multorum ſententia eſt eas neceſſariò appeti quoad ſpeciem, atque adeo non poſſe à quoquam repudiari, quamuis poſſint non amari; Quod in hoc ſtatu valet etiam circa ipſum Deum. Poſſumus enim eum non diligere, quia non attingitur clarè ſub ratione ſummi boni. At quoad ſpeciem actus, contendunt hi authores deeſſe homini libertatem, non modò quoad Deum, aut fœlicitatem in communi, ſed etiam quoad alia determinata bona, cuiuſmodi ſunt quæ paulò ante enumerabamus; itémque ſcientia, ſi extrahatur à difficultatibus, quibus obſepta eſt. Ita generatim Valentia 1.2. d.2.q.1. p.5. & Fonſeca 1. Metaph. c.1. q.1. ſ. 4. Et ſigillatim idem de ſcientia tradunt Vaſq. 1. 2. diſtinct. 22. cap. 5. & Suar. d. 1. Metaph. ſect. 6. numero 13 & d. 19. ſect. 8. numero 18. Imò Vaſques ibid. d. 39. num. 7. idem aſſerit de quocunque bono ſingulari, concepto ſub ratione boni. Sed de hoc non debet eſſe controuerſia, ſi ſupponamus obiectum adæquatum voluntatis proſequentis eſſe bonum, & quod malum eſt non poſſe diligi quatenus malum. Hoc enim ſuppoſito, quod apud omnes demptis paucis Nominalibus ratum eſt, nemo non videt eripi voluntati libertatem ad proſequendum odio quoduis obiectum quatenus bonum eſt. Et idem ſimiliter dico de amore mali quatenus malum eſt. Itaque controuerſia propoſita tantùm ſpectat ad determinata bona quæ recenſui, ſpectata ſecundum ſe ac reciſis pleriſque extrinſecis incommodis, quæ per accidens adiunguntur huiuſmodi bonis.

Salua hic vbiuis eſt, quoad exercitium.

185. Mea ſententia eſt, hæc bona ſpectando hominem in ſtatu præſenti non modò appeti liberè poſſe quoad exercitium; (quod vniuerſaliter admitto,) ſed etiam quoad ſpeciem actus, poſſe libere appeti, dempto duntaxat Deo ſecundum ſe ſpectato & fœlicitate in communi. Hæc enim fateor amari tantùm poſſe, non autem odio haberi. Quod affirmo de libertate quoad exercitium reſpectu huiuſmodi bonorum, vacat difficultate. Experientia enim docet nos poſſe ſuſpendere actionem circa huiuſmodi obiecta. Et in cœlo quidem videntibus Deum ſicuti eſt, non eſt vltra liberum feriari voluntate, ſed clara tanti boni propoſitio, voluntatem abripit ad dilectionem eius, ſublata poteſtate ceſſandi: ſiue ea ad operandum adactio, prodeat ab intrinſeco, & ex vi ipſius viſionis, vt fert valdè communis ſententia, ſiue oriatur tantùm ab extrinſeco, quatenus Deus voluntatem beati perpetuò abripit ad eliciendum tantæ bonitatis amorem; quod noſtra nunc non refert excutere. In hoc tamen ſtatu, nihil eſt quod nos ad iugem Dei amorem propellat. Atque ita liberi planè ſumus quoad exercitium, non tantùm quoad alia quæuis bona, ſed etiam circa Deum.

Ex quo iunctis iis quæ priori parte aſſertionis dicta ſunt quoad perfectiones in certo genere, ſtatuere poſſumus regulam generalem; Nempe quòd in hoc ſtatu, ſalua ſemper in nobis ſit libertas quoad exercitium, ſi eam ſpectemus penes merita obiectorum, vt ſuprà adnotabam. Nullum quippe eſt obiectum, quod, prout in hoc ſtatu proponitur, valeat hominem ratione vtentem ac ſui compotem neceſſitare ad exercendum amoris actum erga ipſum, & multò minùs ad exercendum actum odij. Imò quòd ad odium attinet, in nullo ſtatu datur pro eo neceſſitas quoad exercitium ex vi obiecti: quia nullum dari poteſt in rerum natura ſummum malum, quódque ſaltem non ſit delectabile, aut aliquo modo vtile. Quare nullum malum, quantumuis clarè cognitum, neceſſitare voluntatem poteſt, vt ipſum oderit, ita vt actum odij inhibere nequeat: dummodò tamen malum illud per ſe ſumatur, & ſeorſim ab amore boni alicuius cum cuius amore connexum neceſſariò ſit odium mali. Quo pacto in beatis neceſſaria planè eſt quoad exercitium fuga & deteſtatio cuiuſuis peccati, quod poſſet occurrere: Ita enim neceſſariò ſequitur ex ſummo amore Dei clarè viſi omnem omnino culpam excludente. Per ſe autem, & ex vi ſolius obiecti moraliter turpis, nulla incumbit voluntati neceſſitas ad illud odio proſequendum, ita vt nequeat impetum ſuum ac propenſionem circa exercitium huiuſmodi actus frænare. Fixum igitur eſto perfectiones quoque ſimpliciter ſimplices, & quæcunque obiecta tametſi puriſſima, liberè à nobis in hoc ſtatu amari quoad exercitium, & in hoc conſentimus cum autoribus ſupra memoratis.

Difficultas de libertate quoad ſpeciem.

186. Maior difficultas eſt de libertate quoad ſpeciem reſpectu obiectorum, de quibus agimus. Nam ſicut omnes paſſim ſupponunt, (& mox dicemus,) Deum non poſſe odio haberi, ſi præcisè ſpectetur ſecundum ſe & ſibi intrinſeca; etiamſi conſtet Deum poſſe haberi odio propter aliqua adiuncta extrinſeca: Ita videtur dicendum de *eſſe* eiúſque retentione. Nam ſi remoueas incommoda & ærumnas, quibuſcum aliqui conflictantes mortem ſuauiorem putant, & vitæ filum ſibi abrumpunt: Vno verbo ſi vitæ bonum, purum ac nudum ſpectetur, nemo eſſet qui mortem vitæ prædigeret. Damnati quoque, quibus optabilius foret numquam fuiſſe, non aliam ob cauſam iudicant, melius ſibi futurum fuiſſe, non naſci, quam quia eſſe quod habent cum æterna miſeria abſque ſpe remiſſionis vllius aut viciſſitudinis, implicatum eſſe certò ſciunt. Quamuis hac ex cauſa conceptum hoc eorum iudicium, peruerſum eſſe, eo quod quantiſuis infælicitatum aggeribus vitam noſtram cingentibus, nefas ſit cuiquam deſiderare non fuiſſe, nec ſit id reuera ei ſecundùm rectam æſtimationem optabilius, multis diſputat Pineda ad cap.4. Eccleſiaſtæ v. 3. An verè, nunc non moror. Refragatur certè Victoria relect. de homicid. n. 22. & Medina 1. 2. q. 29. ad art. vltimum, & ſub conditione quòd Deus vellit damnatum annihilare idem ait OlKot in 3. q.1. lit. O. Denique ſcientiam, ſi ſeponantur ſpinæ floris illius venuſtati adiunctæ, nemo ſanè auerſabitur. Sed dum experimento compertum habetur eam labore indefeſſo ac vigiliis venire; contingit & laborem & ſcientiam, quam labor tam iugis vallat, diſplicere.

In contrarium tamen eſt illud in hac materia decantatiſſimum: Nempe quod voluntas circa bonum non ſummum, libera ſit quoad ſpeciem, eo quod eſſe bonum non ſummum, ſit eſſe bonum cum defectu; proindéque habeat voluntas in tali obiecto, & quod amare, & quod odiſſe iure poſſit. Amare enim poterit bonitatem, quam in illo obiecto agnoſcit: Odiſſe verò defectum, ſeu non plenitudinem boni, quæ eſt malum quoddam. Vnde intellectus, in huiuſmodi obiecto, (in ipſo inquam, & non duntaxat in eius adiunctis,) deprehendit indifferentiam illam obiectiuam quæ eſt radix libertatis quoad ſpeciem. Cui rationi non video quomodo ab autoribus contrariæ partis ſatisfiat.

Et

Et hæc quoque ſalua eſt quoad omnia hæc obiecta, creata, & ſingularia.

187. Itaque ego quidem vltrò admitto, omnia huiuſmodi bona manca, quamuis eatenus videantur pura bona, quatenus nulli malo poſitiuo ſunt admixta, poſſe tamen amari vel odio haberi; atque adeo conſtare voluntati quoad ea libertatem quoad ſpeciem actus, quia ineſt illis ſufficiens odij fundamentum ob priuationem bonitatis illis inſitam. Nam ſicut carentia mali habet rationem boni, eſtque ratio ſufficienter motiua voluntatis, vt conſtat ex tam multis appetitionibus, ad ſolam indolentiam & mali remotionem terminatis; ac etiam ex eo quòd bene ſit ſuppoſito, cum ea mali remotio contingit, etiamſi præciſe attendatur mali remotio: Ita è conuerſo carentia boni, iure cenſetur malum quoddam. Neque ſanè competit ei carentiæ vt ſit bonum quoddam, ac proinde deſtituitur ratione motiua actuum proſecutiuorum. Reſtat ergo vt obiici duntaxat poſſit actibus auerſatiuis.

Non tamen quoad Deum, ſecundùm ſe.

Cur tamen Deum, etiam prout hìc à nobis perceptum, ab hac bonorum claſſe exemerim, & reſpectu eius negauerim voluntati libertatem quoad ſpeciem, non eſt obſcurum. Deus enim non eſt bonum mancum & mutilum, ſed ipſa bonitatis plenitudo, vt optimè tradit Alcinous c. 9. Ac proinde voluntas, non reperit in eo rationem motiuam ad actus auerſatiuos neceſſariam, ſi ſpectetur ſecundùm ſe, & non attendantur effectus ingrati ac inſuaues, quos immittit aliquibus ſubiectis. Quod addo, quia quamuis Deus ſecundùm ſe ſit purum bonum, & à nobis ſub ea ratione apprehendatur, ideóque vt ſic non poſſit odio haberi: Tamen vt admiſit D. Thomas 2. 2. q. 34. art. 1. & ibi Caietanus paſſimque interpretes, ac latè etiam Angeſtus c. 3. Moral. t. 1. dub. 4. contrarium tribuens Scoto, poteſt Deus odio haberi, quatenus cauſa effectuum quorundam inordinatæ voluntati diſplicentium ac nociuorum. Qua ratione damnati quia vident ſe à Deo tanta ſuppliciorum mole æternùm premendos, non modò illam ſuppliciorum acerbitatem exoſam habent, ſed etiam Deum ipſum quatenus eius authorem. Quod facere non poſſent, ſi Deum ab his ſuis effectibus ſecernerent, & præciſè ſpectarent quatenus Deus eſt. Nec repugnat Scotus, cui contrarium ſuprà tribuebat Angeſtus. Nam quamuis in 1. d. 6. q. 2. *litera L & M.* nonnihil circa hoc vacillare videatur, tamen diſertè eodem libro d. 34 q. 1. *litera D.* allegans ſeipſum alio in loco id plenius tradentem, affirmat, Deum non poſſe in ſe odio haberi.

188. Porrò non eſt quod quis opponat, Deum quidem ſi videatur vt in ſe eſt, non poſſe ſecundùm ſe odio haberi: hìc tamen quia ſubſtat conceptibus noſtris diuinæ intelligibilitati longè imparibus, atque adeo quia non obiicitur nobis, niſi per modum obiecti in ſua perfectione fines habentis, ac proinde boni manci & non pleni; poſſe odio haberi, æquè ac perfectiones illas ſimpliciter ſimplices, erga quas ob ſolam non plenitudinem bonitatis earum, admiſimus, ſaluam eſſe voluntati libertatem quoad ſpeciem.

Hoc inquam opponi nobis iure non poteſt. Nam quamuis diuina intelligibilitas quatenus conceptioni noſtræ ſubſtat, finita ſit quaſi negatiuè, tamen non concipitur à nobis poſitiuè finita. Senſus eſt, nos quidem perfectionem, quam de Deo apprehendimus, concipere, non qualis ipſa eſt, & abſque limitibus, ſed quaſi concluſam certis finibus, eo quòd potentialis noſter de ea conceptus, vlteriùs non porrigatur, licèt ſuperſit infinitum ex parte obiecti attingibile, in quod abſque termino, ſi vires cognoſcitiuæ ſuppeterent, poſſet excurrere. Quo etiam modo, beatis, qui in ipſammet Dei eſſentiam mentis aciem irretortam figunt, Deus obiicitur finitus, cùm eorum viſio ſit potentialis, & Deus, quippe actus purus, poſſit ſemper ac ſemper notitiæ intellectus creati veluti grandeſcere, & extenſior ſecundùm perfectionem apparere. Non tamen reipſa figimus palos terminales diuinæ perfectioni, nec iudicamus conceptionem noſtram & id quod ei obiicitur, eſſe aliquid diuinæ perfectioni adæquatum & commenſum; ſed tantum concipimus de Deo quantum poſſumus, & ibi ſiſtimus, non obiecto, ſed noſtræ virtuti cognoſcitiuæ modum ponentes. Siquidem agnoſcimus ſupereſſe adhuc infinita de Deo attingenda, & in hæc omnia confuſè ferimur. Ac proinde tantùm abeſt vt propter notitiæ noſtræ potentialitatem agnoſcamus in obiecto illam non plenitudinem boni, quæ eſt ſufficiens fundamentum odij; vt potius actu & formaliter, (tametſi non niſi implicitè & confuſè,) agnoſcamus in Deo perfectionem pleniſſimam, nullis finibus, ſi rectè concipiatur, concludendam.

Nec quoad fœlicitatem in communi.

Præterea ab ordine perfectionum ſimpliciter ſimplicium, circa quas non ſuppetit voluntati libertas quoad ſpeciem actus, exemi fœlicitatem in communi. Quæ eſt communiſſima ſententia, quam multis ſtabiliunt Soncinas 9. Metaph. q. 15. & Bannes 1. p. q. 82. art. 2. dub. 1. Nec eſt operoſa eius probatio. Omnes enim beati eſſe volunt, nec poſſunt velle contrarium. Et quamuis plerique, obliquas ad id, imò in contrarium ferentes vias incant: Tamen ipſorum mens ac voluntas, à ſcopo illo nunquam deuiat, vt benè ſibi ſit, quod eſt appetere fœlicitatem in communi. Itaque non plus poteſt quiſquam, fœlicitatem ſic acceptam odiſſe, quàm bonum prout bonum. Omne quippe bonum, quà tale, eſt portio quædam fœlicitatis ſumptæ in communi, coaleſcentis ex omnibus bonis. Dixi in hanc rem plura ſuperiùs d. 1. q. 1. art. 2.

189. Nunc diluenda ſupereſt difficultas, quæ ex dictis ſubnaſcitur. hic quippe bonorum omnium cumulus, quem nemo poteſt reiicere, non eſt congeries bonorum ſumptorum in abſtracto, ſed bonorum, quæ ipſi appetenti ſint bona. At hæc, cùm ſint bona finita & manca, videntur poſſe reſpui ac odio haberi, ſaltem ob non plenitudinem boni, quæ eſt ſufficiens ratio motiua odij, vt ſæpè ſuperiùs inculcatum eſt. Et verò quodnam maius appetentis bonum fingi poſſet, quàm eſſe? Huic enim tanquam fundamento primo, neceſſe eſt omnia bona aduenientia inædificari atque ſuperſtrui. Et tamen admiſimus, huiuſmodi perfectionem quia eſt bonum mancum, poſſe odio haberi, quod latè confirmat Medina 1. 2. q. 29. ad art. vltimum; Multò itaque facilius erit, odiſſe quæuis alia hominis bona.

Huic difficultati, occurrendum eſt ex proximè dictis, Nempe dicendo, hæc bona eſſe quidem bona ipſius appetentis, (nam de eo per illa beando agitur;) & maximam partem, id eſt, planè omnia, Deo excepto, eſſe bona finita & manca. Tamen quando ſpectantur quatenus apta beare appetentem, non ſumi prout habent adiunctam boni priuationem, ſed prout ſunt bona appetentis, & ab eo depellant

pellunt miſeriam aliquam, ſub qua ratione non ſunt niſi bona, & carent ratione motiua ad actum odij. Illæ autem perfectiones, quas admiſimus poſſe odio haberi, non ſubſunt odio, niſi quatenus priuatione boni pleni conueſtiuntur; valétque id etiam quoad eſſe proprium.

Quod ſi inſtes omne odium eſſe amorem alicuius alterius; in odio autem proprij eſſe, ſi quis ad ſe ſolum aduertat, non apparere reſpectu cuiuſnam illud odium poſſit habere rationem amoris. Reſpondendum erit, (quicquid ſit de prima propoſitione, quæ ſuo loco infrà excutietur:) poſteriorem, malè negare hominem in tali actu amare ſeipſum, eo generali modo, quo complacentia perſonæ propriæ importatur in exercitio actuum, quos in argumentum libertatis ſuæ quis exercet. Nec refert quod eo actu diruatur fundamentum amoris erga ſeipſum, cùm actus ille feratur in remotionem proprij eſſe. Similiter enim qui pertæſi malorum & ærumnarum, expetunt non eſſe, amant ſeipſos in eo actu: quamuis per eum ſubruant fundamentum boni, quod ſibi volunt: Nam nullum eis bonum ineſſe poterit, ſi nullo modo ſint. Sed nimirum ſufficit, quòd explicitè non aduertant, in eo actu materialem implicationem & repugnantiam inuolui; ſeque aliquid ſibi velle tanquàm bonum, quod reuera non eſſet ipſis bonum, ſi adueniret. Idem ergo dicendum in re præſenti. Imò hic eò faciliùs declinatur difficultas, quòd bonum illud, ratione cuius ſe amat quiſquis amat ſuum non eſſe: Tale inquam bonum non plenum, rectè cohæret cum exiſtentia ſubiecti, in cuius deſtructionem intendit. Eſt enim exercitium ipſum libertatis, in tali actu dum eſſe retinet, eliciendo.

ARTICVLVS VI.

Quod ius habeat in facultates non liberas, voluntas libera.

190. DOminium liberæ facultatis, non ſiſtit intra eius actum, ſed vlterius etiam ad aliarum multarum potentiarum actiones porrigitur, vt tactum eſt initio ſuperioris articuli. Itaque ad plenam huius dominij intelligentiam, ſupereſt vt quænam ſint illæ potentiæ, & quantum in eas voluntati iuris competat, explicemus. Et quo magis perſpicua & ordinata ſit tractatio, partiar has facultates in duos ordines. Primus erit inferiorum, quo nomine complectar cum facultates vegetatiuas, tum ſenſitiuas externas, & internas, appetitum ſenſitiuum, & huic ſubiunctam vim motricem. Secundus ordo erit facultatum ſuperiorum, in quo ordine eſt intellectus, ac ipſa etiam voluntas. Sed quia ipſa voluntas eſt facultas intrinſecè libera, & de eius iure ac pleno dominio in actum ſuum, hactenus latè diſputatum eſt, non erit quòd in ea hæreamus, ſed tantùm obiter recolemus, quæ hactenus de ea ſunt conſtituta.

ASSERTIO.

FAcultates inferiores, partim nullo modo ſubſunt libertati directè & immediatè; puta vegetatiuæ, ac ſenſitiuæ externæ, & ferè etiam ſenſus interni: Partim politicè tantùm, voluntati liberæ obediunt; Nempe appetitus ſenſitiuus: Partim denique deſpoticè; Nempe vis motrix progreſſiua, & ex parte etiam facultas reſpirationis adminiſtra. Quoad facultates verò ſuperiores, voluntas prælucente ſibi notitia indifferente plenum in actus ſuos dominium obtinet. At in actus intellectus, non niſi reſpectu exercitij, in concluſione ex præmiſſis iam formatis eruenda, vel poſt primum cogitationem ad vlteriorem rei veſtigationem indicti. Ex hoc dominio in actus intellectus & voluntatis, poteſtas libertatis in ſpecies impreſſas & habitus æſtimanda eſt.

PRimò expono dominium voluntatis liberæ in facultates inferiores, hoc eſt, vegetatiuas, & ſenſitiuas, initio facto à vegetatiuis, quod de eis reſolutio ſit facilior.

Facultates animæ vegetantis, liberæ voluntati non ſubſunt, per ſe ac directè.

Quod ergo ſpectat ad facultates vegetatiuas non eſt longa diſputatione opus: cùm conſtet eas directè ac per ſe & immediatè, nullo modo excipere voluntatis mandata, ſed prorſus ad ea ſurdas eſſe. Quæ cauſa eſt cur Ariſtoteles 1. Ethic. c. 13. dicat, has facultates nullo modo eſſe rationales. Sanè ſi quis cibum in ventriculum demiſerit, liberum ei vltra non eſt an materia illa priùs dentibus ſubacta & commolita; poſtmodum interuentu caloris ac virtutis ventriculo & hepati inſitæ, excoquatur in chylum ac chymum, tandémque per venas tanquam elices ac tubos, deriuata ad varias corporis partes, præmiſſo multiplici apparatu diſpoſitionum, viuentis formam induat, illúdque alat, & ſuæ quantitatis & ſubſtantiæ acceſſione, auctius faciat. In hæc quippe omnia, ſemel ingeſto, vt dicebam, cibo, nullum vltra ius eſt voluntati.

Quod addebam intelligendum eſſe directè ac immediatè & per ſe. Nam per ſubtractionem obiecti ſeu pabuli, facilè intercluditur huius potentiæ actio, ita vt marceſſere ac ſeipſam exedere neceſſe habeat. Similitérque voluntas per ſpeculationem intentam, qua ſpiritus & vires animæ exſugantur, non parum incommodare poteſt functionibus huiuſmodi facultatum, vt docet experientia in iis qui chartis impalleſcunt. Et ſapientiſſimè eam ob cauſam promiſſum eſſe homini à natura ſomnum, vt in eo quaſi portu naturæ, iuxta ſcitam Iſidori Peluſiotæ epiſt. 199. appellationem,) quieſcente vi ſenſitiua & cognoſcitiua, quæ ſubſtantiæ corporeæ prouentus diſſipant, & nihil ei aduehunt, vires vegetatiuæ ſpatium obtineant operandi, & proſpiciendi commodo corporis, aliàs ex Philoſopho expoſitum eſt.

Nec ſenſus externi, vel internus iam præmotus.

191. Idem iudicium de externis ſenſibus ferendum eſt. Nam ſi obiectum adſit, & potentiam immiſſa ſpecie obiecti ſemine perfundat, alitérve eam compleat ex parte obiecti, non erit voluntati liberum, ſtatuere an actus completioni illi conſentaneus exurgere debeat, an non. Et ideo ſi tunc velimus

ſenſationem externam impedire, cogimur ſenſorium obſtruere, vt notat D. Auguſtinus lib. de natura & gratia c. 47.

Nec aliter de interno ſenſu pronunciandum eſt, quod attinet ad actum eius circa obiectum de quo externus ſenſus aliquid renunciauerit. Illico enim per ſympathiam ab externo ſenſu determinatur internus, nec eſt in hominis poteſtate illum cohibere ne ad appetitum referat id de quo ab externo ſenſu tanquam apparitore, præmonitus eſt. In quam ſententiam multa luculenter diſputat Methodius in fragmento, quod ex eo exhibet Epiphanius hæreſi 64. docens hoc eſſe *malum in carne noſtra habitans* iuxta Apoſtolum, & velut fucum in fauo apis, circumuolantem ſæpe circum ipſum, & bombum edentem, qui tam importunè quantumlibet inuitis nobis ingeritur, vt cogamur in his (vt mox ait, muſcarum populis abigendis, fruſtrà laſſari. *Parum eſt* ait Caſſiodorus l. de anima c. 9. *quod ſopitis ſenſibus cotatica imaginatione deludimur, dum frequenter etiam vigilantes, à noſtra contemplatione traducimur Sæpè enim cum nos in oratione magna intentione dirigimus, ludo neſcio quo inſpiratis ſubitò cogitationibus amouemur. Et ita prouenit, vt menti neſcio quid aduerſum ſuggeratur, quod diſpoſitum non habemus.* Egregiè in eandem ſententiam S. Ambroſ. initio libri de fuga ſeculi. *Frequenter* inquit, *irrepit terrenarum illecebra cupiditatum, & vanitatum offuſio mentem occupat vt quod ſtudeas vitare, hoc cogites, animóque voluas. Quod cauere difficile eſt homini, exuere autem impoſſibile. Denique votis eam magis eſſe rem quàm effectus, teſtatur Propheta dicendo,* Declina cor meum in teſtimonia tua, & non in auaritiam; *Non enim in poteſtate noſtra eſt cor noſtrum & noſtræ cogitationes quæ improuisò offuſæ, mentem animúmque confundunt, atque aliò trahunt quàm tu propoſueris. Ad ſecularia reuocant, mundana inſerunt, voluptuaria ingerunt, illecebroſa intexunt, ipſóque in tempore quo eleuare mentem paramus, inſertis inanibus cogitationibus ad terrena plerumque deycimur* Poſſumus tamen & externo & interno ſenſui, obiectum ſubducere, aut ingerere; & eatenus ſiſtere actionem, vel ad eam iniicere neceſſitatem hiſce potentiis.

Quanquam pro ſenſu interno id non valet niſi quoad primam ſenſationem, qua homo liberè applicat obiectum ſpecierum impreſſiuum. Nam ex quo ſpecies ſunt inuſtæ, non eſt liberum voluntati vt obiectum obuerſetur vel non obuerſetur phantaſiæ, cùm fors tulerit eam determinari ad recolendum obiectum ſemel perceptum. Illud duntaxat in voluntatis arbitrio poſitum eſt, vt phantaſia ſiue imaginatio, recurrente cogitatione de eo obiecto, penitiùs illud conſideret, vlteriùs circa illud negotiando, magiſque inſiſtendo eidem; quod in ſimili mox latiùs exponam quoad intellectum. Et hoc eſt, quod traditum eſt ab Ariſtotele 3. animæ cap. 3. textu 153. cùm de imaginatione ait: *Hic effectus in poteſtate noſtra ſine controuerſia collocatur: licet namque cùm libet fingere quicquid volumus, atque ante oculos ponere, perinde atque ij faciunt, qui artificioſa memoria, comparatis atque diſpoſitis locis, imagines fingunt atque ſimulachra collocant.*

Appetitus ſenſitiuus, libera voluntati aliquatenus ſubeſt.

192. Sequitur appetitus ſenſitiuus: De quo ſcitè ab Ariſtotele ſcriptum eſt 1. Ethic. c. vltimo in hæc verba; *Nutriendi facultas (eſt enim humana virtutis expers) omittenda eſt. Videtur autem etiam altera quadam natura animæ irrationalis eſſe: quæ rationis tamen quadam ex parte capax ſit. Continentis enim & incontinentis rationem; animæ autem, id quod rationem habet laudamus: Quippe eum rectè, & ad optima incitet. Videtur tamen aliud quid etiam in ipſis ineſſe, quod pugnet, reſiſtátque rationi. Planè enim quemadmodum reſoluta corporis membra, ſi ad dextram mouere volueris, è contrario in ſiniſtram referuntur: Sic quoque in anima contingit; in contrarias enim partes incontinentium appetitiones feruntur. Sed in corporibus quidem, quod præter propoſitum fertur, videmus; in anima non videmus.* Senſus eſt: Quemadmodum cùm per morbum v. g. paralyſim, aut per ebrietatem, contingit diſſolui membra corporis, virtus corporis rectrix non poteſt plerumque membra torquere in quam vellet partem; Sed cùm directio inflecteret ea ad partem ſiniſtram, ipſa contrario impetu feruntur in dextram: Similiter appetitus non ita ſubiacet animæ, vt ſine remurmuratione vlla illico iuſſa capeſſat; ſed plerumque cùm ratio aliquid dictat, ipſe in contrarium obnititur. Quanquam hunc quidem reniſum in membris corporis perſpicuè videmus, inter partes animæ non item.

Pergit Philoſophus. *Fortaſſe autem nihilominus in anima quoque eſſe quippiam præter rationem exiſtimandum eſt. quod ei aduerſetur ac reſiſtat* Illud *fortaſsè*; monet Euſtratius, non eſſe notam dubitationis, ſed certam ſententiam enunciare: ſumique pro eo quod eſt, *omnino* & ita ſæpenumerò loqui Philoſophum. Qua fere ratione, eſſe eum loquendi modum ſcripturis ſacris familiarem cum de aſſertione agitur, rei certò ſed liberè futuræ, vt libertatis iura appareant, conſtétque eam prænotione non lædi, pulchrè notat S. Chryſoſt. hom. 78. in Matth. expendens illud Ezech. 2. *ſi fortè audierint.* Et illud Luc. 20. *forſitan cùm hunc viderint verebuntur.* Per otium S. Ambroſ. l. 2. de pœnit. cap. 5. & in ſcripturis, & apud Ethnicos ipſos, (quorum quædam loca profert,) particulam *fortè*, non eſſe ſemper dubitationis notam pulchrè demonſtrat. Ex variis Patribus idem confirmat Suares lib. 2. de ſcientia futurorum cap. 1 num. 7.

Sequitur apud Philoſophum. [Quomodò autem diuerſum ſit, nihil refert. Quod tamen etiam ipſum rationis eſſe particeps videtur, quemadmodum diximus. Continentis enim rationi obtemperat. Atque etiam magis fortaſſe in temperante ac forti obediens eſt. Omnia enim in his rationi conſonant. Eſſe igitur irrationalis quoque hæc duplex videtur. Nam vegetalis nullo modo cum ratione communicat: Concupiſcibilis autem & omnino appetibilis, particeps rationis quodammodo eſt; quatenus ipſi obedit, imperióque eius obtemperat. Ita profectò, & patris & amicorum habere rationem dicimus, & non ſicut Mathematicorum. Parere autem quodammodo rationi rationalem hanc partem, admonitio, & omnis increpatio, & cohortatio indicat. Quod ſi dicendum eſt, hanc quoque partem rationem habere, duplex erit ea quæ rationem habet, altera enim propriè, & in ſe eam habebit: altera, ita vt is qui dicto patris audiens eſt.] His verbis, vt ſuprà initio articuli tertij iam attigi, hæc ſubeſt ſententia. Appetitus non habet in ſe rationem, qua ſe dirigat & quam ſequatur: Eam tamen habet in ſuperiori ratione cui vtcunque obedire natus eſt. Et idcirco dicitur habere rationem non ſicut Mathematicorum, ſed ſicut patris. In Mathematicis enim nihil deſeruit ratio & ſcientia alterius, ſed cuique tantum inſeruit ratio, quam in ſe habet; Filius autem vitam ſuam ad Patris monita conformans, eique obediens prudentiam patris efficit ſuam; quamuis ſæpè deflectat à regula & bonis monitis non auſcultet: Ita ergo appetitus ſenſitiuus,

ratione quidem in ſeipſo caret : Attamen rationem habet in parte ſuperior. , per quam dirigitur, ſicut filius à Patre, & amicus ab amico : Ab huius tamen fidi monitoris conſiliis, ſæpe deſciſcit appetitus. Aliter, ſed minùs commodè, locum illum interpretatur D. Thomas ibi, lect. 20. & Donatus n. 114.

Obedit ei politicè, non deſpoticè.

193. Hoc ipſum aliter pulcherrimè tradidit Philoſophus 1. Polit. c. 3. docens appetitum rationi obedire, non deſpoticè ſed politicè, hoc eſt, vt latè eum locum exponit Scaynus in notis quas paraphraſi Politicorum ſubiunxit lib. 1. c. 8. non eo modo quo mancipium domino obedit, præcluſa facultate rationes & iura ſua proponendi ; ſed perinde ac ciuis Principi obedit, à quo non vt mancipium, (quale reuera non eſt) ſed vt homo liber alienæ iuriſdictioni obnoxius, tractatur. Locus eſt inſignis. *Animal* inquit, *conſtat primùm ex anima & corpore ; quorum alterum, imperat ſecundum naturam, alterum paret. Oportet autem conſiderare naturam, non in corruptis ; ſed in his quæ magis ſe habent ſecundùm naturam. Quocirca eam hominem, qui & animo & corpore optimè diſpoſitus ſit, inſpiciendum, in quo certè id manifeſtum eſt. Nam prauorum quidem, aut prauè diſpoſitorum, ſæpè inuenietur corpus imperare animo, ex eo quia peruersè ac præter naturam ſe habent. Eſt igitur (vt diximus.) primùm in animali perſpicere, imperium dominicum, & ciuile. Nam animus quidem in corpus, dominicum habet imperium : Mens verò in appetitum, ciuile & regium, in quibus clarum eſt ſecundùm naturam, & vtilitatem imperari ab animo corpori, & ab ea parte quæ habet rationem, ei parti quæ ſubiacet perturbationi.*

Subdit paulò poſt (quod ad illuſtrandum locum ex 1. Ethic. c. vltimo, paulò ante adductum, iuuare poteſt,) eum eſſe *naturâ ſeruum alterius, qui tantùm particeps eſt rationis vt ſentiat quidem, ſed non habeat.* Mens Philoſophi eſt, eum eſſe ſuapte natura comparatum, vt alteri ſubſit, qui ſentit quidem atque intelligit, quid ſibi faciendum ab alio ſolerti & prouidente viro mandetur. Non tamen tanta rationis luce colluſtratur, quanta exigeretur, vt ſuo arbitratu, & non mendicato aliunde conſilio vitam componat. Quod ſuperiùs dicebat habere rationem, vt filius habet rationem patris, non more Mathematicorum ; qui ſua tantùm ratione nituntur.

Tum prout concupiſcens, tum prout iraſcens.

194. Hæc autem ſic vniuerſaliter à Philoſopho prolata de appetitu, non ſunt vel ad iraſcibilem vel ad concupiſcibilem arctanda ; ſiue iis vocibus deſignetur duplex potentia, ſiue duplex duntaxat functio eiuſdem facultatis, quod nunc non intereſt excutere. Ait quidem Ariſtoteles 7. Ethic. cap. 6. Iram quodammodo ſequi rationem, cupiditatem non item, & ideò cupiditatem, eſſe ira turpiorem. His tamen verbis non intendit affirmare, appetitum concupiſcibilem nullatenus parere rationi : ſed tantùm vult oſtendere, concupiſcentiam eſſe irâ turpiorem eo quòd concupiſcentia ſemper exorbitet à via, quam recta ratio monſtrat ; ira autem plerumque concitetur edicto rationis, & in illud quod faciendum eſt efferueſcat, quamuis cum aliqua perturbatione ac defectu.

Hanc eſſe germanam Philoſophi mentem, non eam quam inficiati ſumus, locus ipſe Philoſophi perſpicuè fert, ſi quæ de cupiditate agit non ſpectentur ſolitariè, ſed conferantur cum iis quæ de ira docet. Verba Philoſophi ſunt. [Iam verò minùs turpem eſſe incontinentiam iræ, quàm cupiditatum conſideremus. Ira enim audire quidem rationem videtur, ſed non rectè tamen percipere, quemadmodum feſtini miniſtri faciunt, qui priuſquàm omnia quæ dicuntur audiuerint, excurrunt : deinde ab actione aberrant. Et canes quoque, antequàm inſpexerint an amicus ſit quiſpiam ; ſi ſtrepitum tantummodo fecerit latrant. Ita ira ob feruorem celeritatémque naturæ, audiens quidem, ſed non quid præcipiatur, attendens, ad vindictam incitatur. Nam ſtatim vbi ratio vel imaginatio, contumeliam aut contemptum eſſe oſtenderit, ipſa quaſi ratiocinando collegerit, bellum ei eſſe inferendum, indignatur. At cupiditas, ſi tantùm ratio aut ſenſus, ſuaue eſſe aliquid dixerit, ad fruitionem eius incitatur. Quare ira rationem quodammodo ſequitur : cupiditas non ſequitur. Turpior igitur cupiditas eſt. Iræ enim incontinens, à ratione quodammodò vincitur: hic verò à cupiditate, non à ratione ſuperatur.] Similia pereleganter tradit 2. Magnorum Mor. c. 7.

Itaque non eſt mens Philoſophi, quòd ira rationem ſequatur ; id eſt, ei politice obediat, non item concupiſcentia : Sed mens eius eſt, quòd ira ſæpè in idemmet opus cum recta ratione conſpiret, non item concupiſcentia. Adde quòd cupiditas non excitatur per rationem, ſicut ira, eo quòd cupiditas in nobis ab ipſa infantia inoleuerit, vt dicitur 2. Ethic. c. 3. vbi idcirco ex Platone præmittitur, permagni intereſſe rectè à pueritia inſtitui cupiditatem. Imò eodem libro c. 1. *in fine*, ait, multum imò totum, in illa inſtitutione conſtitutum eſſe. Igitur ira minus à recta ratione recedit, vniuerſalitar loquendo. Et hoc eſt quod Philoſophus contendit, quamuis & ira & concupiſcentia, natæ ſint ſubdi politicè imperio rationis. Et ſanè non minùs verè quàm concinnè S. Cyprianus ad calcem libri de bono pudicitiæ, eam voluntatis poteſtatem in concupiſcentiam docet verbis illis. [Coërceat animus ſtimulos carnis, refrænet impetum corporis. Accepit enim hanc poteſtatem, vt illi ad imperium eius membra ſeruirent, & quaſi legitimus ac perfectus auriga, vltra conceſſas corporis metas extollentes ſe carnis impetus cœleſtium præceptorum habenis reflectat: ne vltra terminos ſuos currus iſte corporis raptus, in periculum ſuum ſecum & ipſum rapiat aurigam.

Quid ea politica obedientia ſit, & quomodo fiat.

195. Politicè ſubdi dixi ; ſeu ita vt nec omnino imperium detrectare queant, nec omnino cogantur exequi iuſſa, ſed poſſint rebellare, quamuis præter naturalem ordinem id faciant. Quod enim poſſint contra edictum voluntatis, quamuis efficaciſſimum & abſolutiſſimum, obniti, pulchrè docuit Philoſophus 3. animæ t. 57. exemplo cœleſtium ſphærarum in quibus ſuperior rapit inferiorem ; non quod omnino motum eius proprium inhibeat, ſed quod proprij & aduentitij motus admixtione, nec ſimpliciter feratur quò abripitur, nec eò abſolutè quò proprio motu duceretur, ſi ſolus imprimeretur. Idémque ait Philoſophus hîc contingere, cùm appetitus edicente ratione remurmurat.

Idem conſtat ex querelis illis Apoſtoli Rom. 7. ſiue ipſius, ſiue communis naturæ gemitum prodentibus, iuxta varias interpretationes. [Non quod volo bonum hoc ago, ſed quod nolo malum, illud facio : *Et rurſus* : Non quod volo bonum, hoc facio, ſed quod nolo malum, hoc ago : ſi autem quod nolo illud facio, iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.] hoc eſt, appetitus ſenſitiuus ex lex & effrænis, qualis nunc eſt, cùm fræno quo diuinitus donandus fuerat deſtitutus, ob

peccatum, quod naturam vniuerſam ſauciauit, præceps fertur in vetita, abſtractus & illectus per propoſitionem boni ſenſibilis, tanquam eſcæ cuius eſt appetentiſſimus. Nam quòd Methodius apud Epiphan. hæreſ.64. eum locum, non de motibus appetitus, ſed de cogitationibus importunè ingeſtis, expoſuiſſe viſus eſt; eodem recidit, cùm hi motus ſint cogitationum partus, & ipſi quoque in ſacris literis *cogitationum* appellatione, frequenter veniant, de quo alibi.

Nunc accipimus quod ex prædicto experimento perſpicuum relinquitur; nempe appetitum non ita poſſe voluntatis arbitrio comprimi vt mutire contra nequeat. Contrarium enim, malo noſtro ſæpè docemur. Iuuátque eius ferociam, tenacitas ſenſationis appetitui prælucentis ad quam eſcæ propoſitionem appetitus rabida boni ſenſibilis fame ſemper correptus, non ſubſilit modò, ſed toto impetu fertur; præſertim priuſquàm fræno aſſueuerit, & longa per rationis lupatum circumactione in contrarium, fracta fuerit eius exultatio. Nec modicè etiam fouet eam appetitus laſciuiam, corporea diſpoſitio, cui ſe accommodat appetitio ſenſitiua. Ideo enim qui ſunt præferuida corporis conſtitutione, faciliùs iram, quaſi in fomite flammam concipiunt. Alij verò ad alios affectus pro humoris prædominio procliues ſunt, magnámque luctæ ac pugnæ materiam inteſtinam habent.

Itaque quia contrariis contraria curantur, intereſt voluntatis, appetitus flammas reſtinguere ſiue vt S. Chryſoſtomus loquitur hom.29. in Acta, artem longè vtiliſſimam manſuefaciendi beſtias quæ in nobis ſunt, exercere: Quod multipliciter præſtare poſſumus. Nempe ſiue immutatione humorum, quibus ignes affectuum accenduntur, per cauſas extrinſecas procuratâ; ſiue directione ac moderatione phantaſiæ, ſine qua appetitus operari nullo modo poteſt. Siue etiam valdè intenſo & efficaci actu voluntatis, qui præterquàm quod non relinquit appetitui tantas animæ vires, cùm bonam earum portionem exſugat; hoc præterea directè habet, vt nonnihil cohibeat leænæ illius rabiem. Hoc homo ni faciat, turbas ſemper & mi etiam internam, & plurimam infælicitatis imaginem experietur. Scitè enim Philoſophus 2. Magn. Mor. c.13. hinc eruit, malum nunquam ſibi amicum eſſe, ſed ſemper ſe oppugnare ac cruciare. Et 9. Ethic. c.4. ex eodem principio eruit, miſerrimum eſſe ſtatum hominis, qui appetitus ſuos regere non didicit. Locus eſt Chriſtianum potiùs quàm Ethnicum redolens: *Quærunt improbi*, inquit, *huiuſmodi, alios quibuſcum diem traducant; & ſeipſos fugiunt, propterea quòd quando ſecum ſunt, multorum & grauium ſcelerum recordantur, atque alia huiuſmodi ſperant; quorum quando cum aliis verſantur, obliuiſcuntur: Cúmque nihil in ſe amabile habeant, amicè erga ſeipſos nullo modo afficiuntur. Neque igitur collætantur, neque condolent huiuſmodi homines ſecum: ſeditione enim anima eorum agitatur: pars enim vna ob prauitatem dolet, cùm aliquibus abſtinet, altera lætatur; & quaſi diuellentes, illa huc, hæc illud trahit. Et licet fieri nequeat vt ſimul doleat & lætetur quiſpiam, ſed paulò poſt tamen dolet, quia lætatus eſt, nolléque iucunda ea ſibi extitiſſe. Pœnitentia enim praui pleni ſunt. Prauus ergo cum nihil in ſe habeat amabile, neque erga ſe ipſum amicè eſſe affectus videtur.* Subdit cedro dignam concluſionem; quam abſit vt omiſſam velim. *Quod ſi ita ſe habere valdè miſerum eſt enixè fugienda prauitas eſt, dandaque opera vnicuique, vt probus euadat, ſic enim fiet, vt & erga ſeipſum amicè eſſe affectus, & aliorum eſſe amicus poſſit.*

Vis motrix progreſſiua, deſpoticè obedit liberæ voluntati.

196. Appetitui ſenſitiuo, proximè ſubiungitur vis motrix progreſſiua, in quam voluntati liberæ, plenum ius ac dominium competit. Et hoc eſt illud dominium, ſiue deſpoticum imperium voluntatis in corpus, de quo Ariſtoteles 1. Polit. c.3. *Imperat animus vt moueatur manus*, ait D. Auguſtinus 8. Confeſſ. c.9. *Et tanta eſt facilitas vt vix à ſeruitio diſcernatur imperium.* Miratur autem quid ſit, quod cum ipſa ſibi voluntas aliquid imperat, tanta plerumque pugna interueniat, cùm longè pronius videatur vt ipſa ſecum voluntas conſentiat, quàm manus aliúdve corporis membrum voluntati. Et quia voluntas in eo inteſtino diſſidio, quatenus aduerſus rationem pugnat, partes agit appetitus ſenſitiui; propterea eadem admiratio ſubire poteſt quoad inobedientiam appetitus ad voluntatis iuſſa capeſſenda: cùm manus & pedes tam promptè exequantur voluntatis imperium, nec politicè vt appetitus, ſed ſeruiliter ac deſpoticè obediant.

D. Thomas 1. polit. lect. 3. rationem diſcriminis inde petit, quòd corpus non poteſt localiter progredi, niſi ab anima moueatur. Inde enim fit, vt corpus ſubiiciatur animæ totaliter. At appetitus non ſolùm à ratione, ſed etiam à ſenſu moueri poteſt; ideóque mirum eſſe negat D. Thomas, quod appetitus non ſubdatur totaliter rationi. Sed an non vis quoque motrix progreſſiua, poteſt & à ratione & à ſenſu moueri. Quidni ergo ipſa ſenſu prælucente, qui proximè indicit motum, poſſit voluntati contradicere?

Quare germana ratio cur appetitus poſſit voluntatis imperium detrectare, non item facultas motrix progreſſiua, ex eo petenda eſt, quòd appetitus ſenſitiuus verſetur circa obiectum, quod poteſt habere contrarietatem cum obiecto voluntatis liberæ rationem ducem ſequentis. Inde enim pugna inter ipſaſmet potentias ſubnaſcitur, dum voluntas pro poteſtate imperat quæ recta ſunt: appetitus autem pro naturali pronitate ad bonum ſenſibile, ad ſalubria iuſſa obſurdeſcit. Ea porro obiectorum, ac proinde etiam facultatum pugna, non interuenit inter voluntatem & vim motricem progreſſiuam; Ac proinde mirum non eſt, quòd hæc vis motrix, voluntati deſpoticè obediat, non item appetitus.

Executionis, eiuſdē obedientiæ, ſeries ac modus.

197. Interſerit hoc loco Angeſtus, alterius inſtituti dubitationem. Qua nimirum ratione, mandatum voluntatis ad facultatem motricem perferatur, & executioni mandetur, aitque motum progreſſiuum fieri hoc ordine. Voluntas mediante ſuo actu indicens motum, imprimit toti corpori impetum quendam, qui volitione ceſſante, remanet & mouet corpus. Imprimitur autem impetus ille ſeruato ordine quodam. Hoc eſt, primùm imprimitur cordi & ſpiritibus, deinde cerebro: tum nuchæ; deinde neruis muſculis & lacertis; quarum partium motu, fit quædam aliarum partium contractio atque laxatio, per quam totius animalis progreſſio efficitur. Ita Angeſtus c.1. mot. t.4. conc.6. dub. 1. cui quoad impetus impreſſionem, motus immediatè cauſatiuum, aſtipulantur Molina 1. part. q.14. art.13. d.7. ſub medium, & Leſſius l.3. de ſummo bono n.74 qui addit, impetum illum, primò imprimi ſpiritibus; per hos autem moueri muſculos; tandem à muſculis, moueri membrum, pedem v. g. aut manum.

Quoad

Quoad illam autem cauſationem motus ab impetu impreſſo, ſublata iam volitione, ſtare videtur pro Angeſto valida ratio. Nam qui progrediuntur aliquò, præſertim ſi ſæpius illò iuerint, non egent ad ſingulos paſſus repetitione volitionis initio elicitæ, eiuſve continuatione, ſed nihil vltra de meta cogitantes, imo plerumque abſorpti ac defixi in aliis cogitationibus, progrediuntur, donec perueniant quò primùm deſtinarunt. Cùm autem volitio non niſi prælucente notitia exeri poſſit, manifeſtum eſt, ſi ceſſauit notitia, volitionem quoque progrediendi ceſſaſſe, atque adeò non videtur ſupereſſe commodior cauſa in quam motum ordinatum referamus, quàm ea quæ ab Angeſto aſſignata eſt. Quid quod etiam S. Chryſoſtomus homil. 6. in Epiſt. ad Timoth. idem videtur agnoſcere in conſuetudine multorum. *Plerique*, inquit, *conſuetudinem fecerunt ſe ſignandi aſſiduè neque admoneri opus habent, ſed animo quoque alibi occupato, ipſa conſuetudine veluti animato quodam Magiſtro impellente manus, ſponte formant ſalutaris ſigni impreſſionem.* Si animo alibi occupato, & alioſum auerſa cogitatione; Igitur etiam abſque intentione & volitione, ſicut Angeſtus affirmabat.

Hanc rem explicatiùs tradere, alterius eſt inſtituti. Quandò tamen Angeſtus, illam huic tractationi admiſcuit, obiter dico; In primis falsò Angeſtum, alióſque adductos, admittere eam impreſſionem impetus quam retuli. Ratio eam impreſſionem tollendi, obſcura non eſt. Cùm enim anima, quæ motus progreſſiui primaria cauſa eſt, præſens adſit, habeátque vim motricem ſibi coniunctam, fruſtrà ſubſtitueret ſibi vicarium, ad progreſſionis executionem. Natura ſiquidem, non ſolet vicarium illum prouidere, niſi abſente motore principali, vt manifeſtum eſt in motu proiectorum. Eſto verò, in quodam motu, puta in ſaltu, verum eſſe poſſit, quod anima aſciſcat ſibi impetum in motus illius cooperatium: Inde namque eſſe videtur, quod recedant qui ſaltaturi ſunt, ſuccutiántque corpus præuia commotione, vt impetum ſibi immittant, quo corpus librent, & moueant alacriùs. Tamen in progreſſione, nullum tale iudicium habemus, impreſſi ad eam præuij impetus. Præuij inquam: nam quòd vi progreſſionis ab anima per vim motricem cauſatæ, generetur impetus quidam, non videtur negandum. Et ad eum impetum, referenda eſt motio ſi quæ remanet poſt animæ ceſſationem. Sed ille impetus admodum exiguus eſt, nec vim habet mouendi corpus progreſſiuè. Perperam ergo Angeſtus fingit eam quam dixi impetus impreſſionem progreſſioni præuiam. Eſtque id eo congruentiùs, quòd impetus non imprimatur à vi corporea niſi mediante motu, vt experimento perpetuo eſt teſtatiſſimum. Ergo ante motum, eſſet motus in animali. Quæ ratio, ordinem, quo impetus ille imprimi ſtatuebatur, planè euertit. Vt taceam, eſſe ordinem planè commentitium, & quem nullum experimentum, nulla ratio, nulla authoritas confirmet.

Ad extremum, nulla ratione admittendum eſt, quod ait Angeſtus progreſſionem facultati motrici à voluntate libera primùm indictam, executioni mandari ab impetu impreſſo, ſubducta iam luce notitiæ & volitione. Hoc verò incredibile eſt. Quomodo enim motus tam ordinatè continuaretur, pergerétque homo ad deſtinatam metam, nulla prælucente ſibi notitia? Hanc porro intercludit Angeſtus, æquè ac volitionem. Contrarium apertè traditur 3. animæ text. 44. Ex quo loco habetur, quandiu durat progreſſio, durare potentiæ cognoſcentis directionem, & edictum facultatis appetentis indicentis progreſſionem. Confirmatúrque ex eo quòd ſi imaginatio turbetur, & planè aliò trahatur, turbatur quoque aut ceſſat progreſſio. Itaque in illis, qui alia omnia quàm viam cogitant, non planè obſtruitur cogitatio de via; quamuis defectu reflexionis ad eam cogitationem, & quia facillimè elicitur, videatur intercludi cogitatio & volitio progrediendi. Habemus itaque legitimum modum, quo facultas motrix progreſſiua, exequitur motum ſibi à voluntate libera demandatum, veréque progreſſionem à iugi & actuali liberæ voluntatis edicto, deſpotice, vt dicebam, non politicè pendere.

Vis motrix cordis, cerebri, pulmonum, aliaque corpori inſerta, quomodò libera voluntati ſubiaceant.

198. Semper reſtringo obedientiam hanc deſpoticam, facultati motrici à Philoſopho aſſignatam, ad facultatem motricem progreſſiuam: quia ſunt aliæ quædam facultates motrices corporibus noſtris implantatæ, de quibus non eſt, quoad hoc par ratio ac progreſſiuæ. Nam motus cordis & arteriarum, qui, vt Plinius lib. 11. cap. 37. loquitur *in modulos certos legeſque metricas per ætates ſtabilis aut citatus, aut tardus, gubernacula vitæ temperat* oritur à vi peculiari pulſifica (iuxta S. Thomam opuſculo 35.) quæ non ſubeſt voluntatis arbitrio. Idem eſt de pulſu cerebri, ſiue ab innata cerebro motrice facultate oriatur, vt vult Fernelius 6. Phyſiol. c. 13. & Laurent. 10. anatom. q. 9. ſiue quòd verius exiſtimo, à vi motrice arteriarum plurimarum, quibus cerebrum intextum eſt. Nam effracto per vulnus cranio, idem cerebri & reliquarum corporis arteriarum motus apparet, quod non eſt mirum cerebro molli & facilè mobili contingere; cùm etiam pes, graue & durum membrum, ſi ſupra crus aduerſum ſuſpenſus pendeat, à ſuis arteriis ſubinde pulſet. Hi ergo motus, non ſunt arbitrarij.

Maior lis eſt de motu pulmonis, quem Ariſtoteles cap. 8. libelli de motu animalium, cæteris arbitrariis, & nullum in ſe voluntatis ius agnoſcentibus, annumerat. Non pauci tamen refragantur, contendentes reſpirationem eſſe motum voluptarium & liberum. Audi S. Auguſtinum 14. Ciuit. c. 23. *Non ea ſola membra mouemus ad nutum, quæ compactis articulata ſunt oſſibus, ſicut pedes, & manus, & digitos, verùm etiam illa quæ mollibus remiſſa ſunt neruis, cum volumus, mouemus agitando, & porrigendo producimus, & torquendo flectimus, & conſtringendo duramus, ſicut ea ſunt quæ in ore ac facie quantum poteſt, voluntas mouet. Pulmones denique ipſi, omnium (niſi medullarum) molliſſimi viſcerum, & ob hoc antro pectoris communiti, ad ſpiritum ducendum ac remittendum, vocémque emittendam ſeu modificandam ſicut, folles fabrorum vel organorum, flantis, reſpirantis, loquentis, clamantis, cantantis ſeruiunt voluntati.* Vides S. Auguſtinum, reſpirationem motibus voluntariis ac liberis annumerare. Sed quia non eſt hîc de reſpiratione diſputandi locus, breuiter dico idem ſtatuendum videri de iure facultatis liberæ in reſpirationem, quòd de poteſtate in motum palpebrarum, & expulſionem reliquiarum cibi. Laxantur enim plerumque ſphincteres naturali inſtinctu, nulla cognitione aut appetitione præeunte, ſolo excrementi pondere virtutem motiuam muſculorum illorum ſollicitante, aut mordacitate & acritudine eoſdem vellicante. Similiter palpebra mouetur iniuſſu appetitus. Et tamen hæ ipſæ actiones, quæ plerumque ſolo naturæ impetu fiunt, aliàs inhiberi aut modificari per

voluntatis arbitrium queunt: Quia muſculi, qui ad motus illos interueniunt, poſſunt in opus prodire vrgente naturali aliquo incommodo, etiam abſque prænio edicto: ſúntque etiam apti vt in motu ſuo à libera facultate regantur, perinde ac ſi cauſarent motum progreſſiuum animalis.

Similiter ergo reſpiratio, quatenus partialiter oritur à vi inſita pulmoni, quæ muſculo non inſidet, ac proinde regimini appetitus non ſubeſt, eſt motus naturalis & neceſſarius, non liber. Quia tamen pulmo nequit reſpirationem cauſare, niſi interueniat opera diaphragmatis, ſeu muſculoſi illius ſepti, quod ventrem medium ab infimo diſterminat; hoc autem tametſi perſæpè ex ſolo naturæ inſtinctu mouetur; tamen idoneum etiam eſt, vt ex voluntatis edicto motum edat, quandoquidem muſculi ſunt organa motus voluntarij: Idcirco reſpiratio poteſt partim cenſeri motus arbitrarius ac ſubiacens diſpoſitioni volontatis liberæ, partim naturalis & inooluntarius. Ad reſpiratioois libertatem confirmandam pertinet, quòd eam poſſumus rariorem aut frequentiorem, itémque tardiorem aut velociorem cauſare, ac etiam prorſus cohibere, vt ad ſanandum ſingultum edicit Plato in Sympoſio; & confirmauit exemplo ſuo ſeruus ille, qui reſpiratione vltrò inhibita, domini ſe iræ ſubduxit. Poſſe item reſpirationem, cenſeri motum naturalem, & inuoluntarium, conſtat, quia hic motus, non ſemper expectat appetitus edictum, & in dormientibus tenet curſum ſuum. Ita ex parte Carpent. digreſſ. 8. in Alcin. *in fine*, Fernel. 6. Phyſiolog. c. 17. Angeſtus e. 1. Moral. t. 4. concl. 6. & iam olim Nemeſius lib. de homine c. 27. & 28. Atque ita experientia conciliatur cum doctrina Ariſtotelis, reſpirationem motibus inuoluntariis annumerantis lib. de mot. animal. cap. 8.

Eo loco Philoſophus idem docet de alio quodam motu ſobſequente actionem appetitus concupiſcibilis; ac proinde quoad rem præſentem metiendo penes ea, quæ ſuperius de appetitu præmiſimus. Vide etiam de eo motu ſimiliter philoſophantem Auguſtinum lib. 2. de peccat. meritis c. 22. & 14. Ciuit. c. 16. & 18. Nec diſſentit S. Cyprianus ſerm. de ratione circuncisionis vbi graphicè deſcribens domeſticum malum, & quotidianum conflictum, quo ſpiritus & caro luctantur ea in parte, ſubdit: *Et in cæteris quidem, membra omnia imperio rationis obediunt, & arbitrij retinent libertatem: Hic verò vbi Babylonia fornax exarſerit, & quaſi pice & naphtha conſperſit libidinum ebullierint appetitus, inflammata caro, libertatis priuatur honore, in tantùm vt rebellia membra, velit nolit, in motus nefarios audacter exurgant.* Hæc ad deſpoticum duntaxat, voluntatis liberæ imperium in eas partes abrogandum pertinent, quale ſupra voluntati liberæ negauimus in appetitum, ad cuius efferueſcentiam, motus iſte concitatur.

De aliis quibuſdam motibus qui vt plurimum ad voluntatis nutum non exeruntur, aliquando tamen ſic exeruntur S. Aug. ita ſcribit 14. Ciuit. c. 23.] Animalibus quibuſdam, naturaliter inſitum eſt, vt tegmen quo corpus omne veſtitur ſi quid in quocunque loco eius ſenſerint abigendum, ibi tantùm moueant vbi ſentiunt, nec ſolum inſidentes muſcas, verùm etiam hærentes haſtas, cutis tremore diſcutiant. Nunquid quia id non poteſt homo, ideo creator quibus voluit animantibus donare non potuit.] Hæc de motu qui homini ad voluntatis nutum dari potuiſſet, & non eſt datus. Proximè verò in rem propoſitam, ſubdit. [Nam & hominum quorundam naturas nouimus, multum cæteris diſpares, & ipſa raritate mirabiles, nonnulla vt volunt de corpore ſuo facientium quæ alij nullo modo poſſunt & [illegible] credunt. Sunt enim qui & aures moueant vel ſingulas, vel ambas ſimul. Sunt qui totam cæſariem capite immoto quantum capilli occupant, deponunt ad frontem, reuocantque cum volunt. Sunt qui eorum quæ vorauerunt incredibiliter plurima & varia, paululum præcordiis contrectatis, tanquam de ſacculo, quod placuerit, integerrimum proferunt. Quidam voces auium pecorúmque & aliorum quorumlibet hominum ſic imitantur atque exprimunt vt niſi videantur diſcerni omnino non poſſint. Nonnulli ab imo ſine pudore vllo, ita numeroſos, pro arbitrio ſonitus edunt, vt ex illa etiam parte cantare videantur. Ipſe ſum, expertus ſudare hominem ſolere cum vellet. Notum eſt quoſdam flere cum volunt, atque vbertim lachrymas fundere.] Similia recentiora exempla, habet ibi Viues.

Ius voluntatis liberæ in facultates ſuperiores; ac primùm in ſeipſam.

199. Secundò expoſui dominium voluntatis liberæ in facultates ſuperiores; hoc eſt, in intellectum, ac ſeipſam: Nullæ enim præterea ſunt ſuperiores facultates, de quibus hoc loco ſit ſpecialiter agendum. Nam memoria, quam aliqui vt tertiam numerant, non differt reuera ab intellectu, vt rectè cenſuit Durandus in 1. d. 3. quæſt. 3. & Argent. in 2. d. 39. quæſt. vnica artic. 1. quia memorari nihil aliud eſt, quàm intelligere præterita. Quare licet ſit in hoc puncto difficultas aliqua, quomodo actus memoriæ ſubſit voluntati liberæ: Tamen ea difficultas, non eſt ſecernenda ab ea, quam mox attingemus, circa actus intellectus, quomodo ſubſint voluntatis edicto.

De ipſa verò voluntate, non eſt quòd pluribus agamus, ſed ſatis eſt ex ſuperioribus recolere, eam eſſe ſui actus dominam quoad actus deliberatos. Imo hæc eſt ratio actus liberi, vt conſtat ex deſcriptione quarta potentiæ liberæ ſuperius expoſita. *Si neceſſitas noſtra*, ait Auguſtinus 5. Ciuit. cap. 10. *illa dicenda eſt, quæ non eſt in poteſtate, ſed etiam ſi nolumus, efficit quod poteſt, ſicut eſt neceſſitas mortis; manifeſtum eſt voluntates noſtras, quibus rectè vel perperam viuimus, ſub tali neceſſitate non eſſe. Multa enim facimus, quæ ſi nollemus non vtique faceremus. Quò primitùs pertinet ipſum velle: Nam ſi volumus eſt, ſi nolumus, non eſt. Non enim vellemus, ſi nollemus.*

Sunt tamen in voluntate actus quidam non deliberati, quos vocant primò primos, qui quandoquidem non prodeunt à voluntate prout libera, & directa per cogitationem indifferentem, non ſubſunt diſpoſitioni voluntatis. Et de his actibus valet, quod ſæpè legimus, & præclarè ſuſpicit. S. Auguſtinus 8. Confeſſ. cap. 19. ipſam ſcilicet voluntatem, pleramque aſperum aduerſus ſeipſam bellum gerere, dum appetitus ineſcatus, illicit quoque, & quaſi vi iniectâ, pertrahit voluntatem ad conſenſum. Vnde fit vt voluntas, trahente in vnam partem naturali pondere, quo vergit ad honeſtatem; ex altera autem, appetitu, & ea etiam inclinatione, quâ ipſamet quatenus facultas conſequens animam ſpiritualem, formaliter quoque ſenſitiuam, propendet in bona ſenſibilia, miſerè diſtrahatur, & ipſa ſeipſam impetat.

Hæc tamen nullo modo labefactant ius illud atque dominium voluntatis liberæ in omnes actus ſuos prælucente cognitione indifferente profuſos, qui ſoli ei ſubiacere, & ad eius nutum poni, vel tolli debent, vt ſæpè ſuprà dictum eſt. Rectè autem aduertit OlKot in 1. q. 3. *ad 2. principale.* hoc voluntatis liberæ ius in actus ſuos eò vſque porrigi, vt

poſſi-

Poſſit voluntas creata ; omnes actus ſuos ſuſpendere, etiamſi poſitiuè non velit ſuſpendere , ſed tantùm negatiuè ſe habeat. Et annuit Angeſtus c. 1. Moral. t. 2. corol. 3. Cur id ad voluntatem creatam reſtrinxerim , liquet ex alibi dictis circa libertatem diuinæ voluntatis.

Intellectus non ſubditur voluntati liberæ, quoad ſpeciem actus.

200. Venio ad intellectum , cuius ſubiectio ad voluntatis liberæ domioium ſpectari poteſt, vel quoad ſpeciem intellectionis, quam elicit , vel quoad exercitium eius. Priore modo ſubiicitur intellectus voluntati , ſi ad imperium eius adigitur aſſenſum vel diſſenſum præbere alicui propoſitioni , etiamſi nullum ſuppetat talis aſſenſus vel diſſenſus motiuum. Qua in re partem affirmantem tenuit Ocham in 2. d. 25. Et viſus eſt idem velle Caiet. 1. 2. q. 65. articul. 4. Negat enim abſurdum eſſe, affirmare, poſſe hominem ex ſola voluntate credere aſtra eſſe paria. Ad quod declarandum & ſtabiliendum , inde primùm ratiocinatur , quod ſicut voluntas determinat potentiam rationalem ad alterum contrariorum ad quæ neutraliter ſe habet , vt dicitur 9. Metaph. Sic determinat intellectum ad præſtandum aſſenſum alteri parti contradictionis. Addit Caietanus , quod ſicut Medicus ex ſolo odio determinat artem ad occidendum infirmum ; ita intellectus ex ſolo affectu voluntatis, nulla licet ſuppetente ratione, determinari poteſt ad aſſenſum cuicunque planè effato præſtandum. Hæc tamen ſunt planè imbellia, & tela ſine ictu. Neque enim Ariſtoteles loco allegato , concedit voluntati, determinationem potentiæ rationalis ad alterutrum contrariorum pro libidine ipſius voluntatis ; ſed tantum agnoſcit potentias rationales eſſe ad oppoſita , ideſt poſſe vtrunque oppoſitorum reſpicere , conſentaneè tamen ad genium ſuum : atque adeò intellectus, quamuis aſſentiendo aut diſſentiendo , ferri poſſit in oppoſita , non tamen niſi pro meritis obiecti in quod tali aut tali modo fertur. Quid quod Ariſtoteles eo loco potius de artibus , quas plerunque potentias nominat, quàm de naturalibus potentiis agebat ? vt docet exemplum quod ſubiicit ; nempe medicinæ, quam idcirco ait eſſe ad oppoſita , quia docet & qua ratione ſanitas comparetur, & qua ratione perdatur. Alterum Caietani argumentum, facilè in eum retorqueri poteſt. Sicut enim medicus , non niſi diuerſis pharmacis adhibitis determinare poteſt artem medicinæ, ad ſalutem , aut necem infirmi, ita neque intellectus à voluntate applicari poteſt aut adigi ad aſſenſum alicuius obiecti , niſi conſentanea ratio affulgeat.

Quare placitum ſententiæ Ochami & Caietani contrarium eſt omninò verum, vt rectè cenſuit Scotus malè à Caietano ſupra reiectus , & Camerac. in 1. diſt. 1. q. 1. *litera I.* & *litera Bb.* & Picus Mirandul. in Apolog. q. 8. quæ eſt *de libertate credendi*. vbi teſtatur hanc eſſe planè omnium ſententiam , eámque imprimis authoritate Philoſophi confirmat. Nam Ariſtoteles 3. animæ tex. 153. diſertè ait , in noſtra eſſe poteſtate imaginari quod volumus, non autem opinari ; Quod eſt dicere , intellectum non eſſe liberum quoad ſpeciem actus. Sæpè enim deeſt motiuum idoneum ſic vel ſic iudicandi : nec voluntas poteſt motiui exigentiam ſupplere.

Hoc autem, in quo eſt totus nodus difficultatis , à Pico ibidem variis rationibus ſuadetur. Ego vna aut altera contentus ero , quas apud Arrianum ex Epicteto lego lib. 1. c. 28. *Quid cauſa eſt , quod aſſentior alicui ? quia videtur ſcilicet ipſum eſſe. Ei enim quod non eſſe videatur, haud aſſentietur quiſpiam. Quare? Quoniam natura hæc eſt intelligentiæ ; vt nimirum veris annuat, falſa autem reſpuat, in dubiis aſſenſum ſuſtineat. Vnde poteſt id nobis perſuaderi? Eſto animo tuo affectus, ſi potes, vt nunc eſſe noctem exiſtimes. Non poſſum. Rurſus diem eſſe, reſpue animo tuo. Nec illud ſane poſſum. Stellas pares eſſe cogitans , aſſenti, vel diſſenti : Sed nec illud poſſum. Ergo ſi quis aſtipulatur falſitati, pro certo habeas eum non voluiſſe falſo aſſentiri. Omnis enim anima, priuatur vero inuita, vt Plato inquit. At quod falſum eſt, id viſum alicui eſt verum.*

201. Vides germanam rationem exemptionis huius quam intellectui à voluntatis dominio tribuimus quoad ſpeciem intellectionis. Nempe quod hæc ſit intellectus natura, vt nec poſſit contrà verum cognitũ niti, nec falſo probè cognito præbere aſſenſum. Nec mirum: Quia motiuum aſſenſus, eſt connexio obiectiua extremorum , ſine quo motiuo tam repugnat intellectum elicere aſſenſum, quàm viſum intueri abſque colore aut lumine. Eam porrò connexionem voluntas ponere non poteſt, vt per ſe patet : cùm teneat ſe ex parte obiecti, non autem ex parte actus vllius ad hominem pertinentis. Ergo impoſſibile eſt hominem ſecluſo motiuo elicere huius vel illius ſpeciei actum, tantùm quia lubet voluntati. Idque à poſteriori optimè confirmat palpabile experimentum ab Epicteto minimè prætermiſſum, quódque OlKot in conferentiis art. 2. *litera H* putat eſſe in hanc rem argumentum fortiſſimum. apud eos qui nolint pertinaciter negare ſenſum. Poteſt enim vnuſquiſque experiri, impoſſibile ſibi eſſe, propoſita niue, extorquere voluntatem ab intellectu aſſenſum quod nix ſit nigra : ſed ad ſummum manente aſſenſu quod nix ſit alba, excitabitur apprehenſio nigredinis, abſque vllo tamen iudicio quod niui inexiſtat.

Quantum tamen poſſit affectus ; in cauſandis pleriſque iudiciis.

Fateor tamen in illis, quæ euidentia non ſunt, affectum voluntatis poſſe plurimùm conferre , vt motiuum tenue quod ſuppetit, habeatur pro ſufficiente. Sic enim in aſſenſu diuinæ fidei, motiuum diuinæ authoritatis obſcurè propoſitæ quod ob caliginem & tenebricoſitatem ſuam eſſet inidoneum ad aſſenſum rebus tam abditis præſtandum , accedente imperio voluntatis captiuum trahentis intellectum in obſequium fidei , eſt ſufficientiſſimum ad fundandum aſſenſum firmiſſimum diuinæ fidei. Non dico, quodcunque motiuum, poſſe ſupplente voluntate , ſufficere ad extorquendum intellectui quemcunque aſſenſum, vt perperam affirmat Camerac. in 1. q. 1. *litera I.* & *litera B B.* & Angeſtus l. 1. de virtut. c. 10. docum. 4 Quod enim poteſt adduci motiuum, ſufficiens vt intellectus, ſimul aliquid eſſe, & non eſſe, pronunciet? Non igitur aſſero, quoduis motiuum per voluntatis imperium , poſſe ad quemlibet aſſenſum ſufficere; ſed tantùm dico, voluntatis imperium ſæpè ſupplere quod motiuo deeſſet, vt oſtendi in aſſenſu fidei. Experientia item docet, in rebus humanis, ac etiam in opinionibus ſpeculatiuis, affectum voluntatis ac multò magis mandatum eius, plurimùm conducere ad aſſenſum intellectus formandum, qui ſemoto affectu non ſequeretur: Ita Demoſthenes. vt eſt apud Iſidorum Peluſ. l. 2. epiſt. 146. celebre illud ac verum (ita enim Iſidorus appellat, & confirmat ibid. epiſt. 197.) apophtegma protulit. Quod quiſque vult, hoc etiam putat. Cæſar item l. 3. de bello Gall. *ferè libenter homines id quod volunt credunt.* Ex Chryſoſtomo homil. 50. ad pop. idem diſertè habetur. Luculenter etiam eam intellectus à voluntate inflexionem tradit Symmachus l. 1. epiſt. 78. *Niſi fortè*

inquit alloquens Heſperium quem ſibi optarat cenſorem, *amor meus tuum coegit in gratiam. Fit enim ſæpè vt iudicis ſinceritatem frangat affectio, & amicorum facta dilīquæ ea indulgentia cenſeamus qua plerunque ſinguli, etiam vitia noſtra diligimus.* Pleniùs etiam Sext. Empyricus in opere aduerſus Mathemat. cap. *quid ſit bonum*, notans quia ſeſe omnes amant, & iuxta Æneſidemum, plerúmque voluntate potiùs, quàm mente, de rebus ferunt iudicium, idcirco Æthiopes pulchritudinem, naſi ſimitate & nigrore exquiſito æſtimare: Perſas è contrà, naſi aduncitate & albore: nec aliter facere Philoſophos. Idem notauit Cyrillus hom. 11. Paſcha. & Lactantius 7. Inſtit. c. 1. aduertens hanc eſſe cauſam cur plerique contra veritatem clauſis oculis latrent. Quod rectè expendit Tolet. in cap. 5. Ioannis ann 38.

202. Facit ad hunc locum doctrina Philoſophi ſæpè inculcantis, vnumquemque tale de rebus ferre iudicium, qualis ipſe in ſe eſt, eò quòd affectum voluntatis ſequatur vt plurimum ſententia. Conſule Philoſophum 3. Ethic. c. 4. & l. 6. c. 12. & 13. & lib. 7. cap. 8. Qui etiam ob hanc cauſam 2. Rhetor. cap. 1. ait agendum eſſe Rhetori de affectibus, vt pro affectu, quem concitauerit, hoc illúdve iudicium extorqueat ab eo apud quem cauſam dicet. Hinc etiam ortum habet peruerſum vniuſcuiuſque de ſeipſo & rebus ſuis iudicium. Nam quia impensè voluntas vniuſcuiuſque fertur per amorem, in ea quæ ſunt ſui ſuppoſiti; mirum non eſt obnubilari iudicium, & quod ſenſui, ſenſibile ſupra ſe poſitum habenti, videmus accidere, (vt ſcilicet ſenſationem non eliciat vel imperfectiùs eliciat;) idem quoque hic contingat ob nimiam obiecti per voluntatem ſtrictiſſimè apprehenſi viciniam ad intellectum. Et hanc corruptionem iudicii, in vnoquoque iudicante de ſeipſo, obſeruauit Ariſtoteles 3. Polit. c. 6. & Iuriſconſultus ſæpè, idcirco interdicens iudicio in cauſa propria. S. Bernardus egregiè planè id confirmat l. de grad. humil. verbis illis quibus expendit Chriſti mandatum de eximenda primum trabe ex oculo proprio. [Trabes in oculo grandis & groſſa ſuperbia in mente eſt, quæ quadam corpulentia ſui, vana non ſana, tumida non ſolida, oculum mentis obſcurat, veritatem obnubrat, ita vt ſi tuam occupauerit mentem, iam tu te videre iam, te talem qualis es, vel qualis eſſe potes, non poſſis ſentire; ſed qualem te amas, talem te vel putes eſſe vel ſperes fore. Quid enim aliud eſt ſuperbia, quàm vt quidam ſanctus definit, amor propriæ excellentiæ? &c. Amor verò ſicut nec odium, veritatis iudicium neſcit. Vis iudicium veritatis audire?] Sicut audio ſic iudico. *Non ſicut odio, non ſicut amo, non ſicut timeo. Eſt iudicium odij vt illud*, nos legem habemus & ſecundum legem noſtram debet mori. *Eſt & timoris vt illud*, ſi dimittimus eum ſic venient Romani & tollent noſtrum locum & gentē. [Iudicium verò amoris, vt Dauid de filio *parcite* inquit, *puero Abſalon*. Et legibus humanis ſtatutum, & in cauſis tam Eccleſiaſticis quàm ſecularibus ſeruatum ſcio ſpeciales amicos cauſantium, non debere admitti ad iudicium, ne vel fallant, vel fallantur amore ſuorum. Quod ſi culpam amici, tuo iudicio amor illius aut minuit aut prorſus abſcondit, quanto magis amor tui, tuum contra te iudicium fallit?]

Hanc etiam eſſe omnium intellectus diſſenſionum inter aliquos originem, grauiſſimè de more confirmat S. Hilarius initio libri decimi de Trinit. ſcribens in hunc modum. [Non eſt ambiguum, omnem humani eloquii ſermonem, contradictioni ſemper obnoxium fuiſſe, quia diſſentientibus voluntatum motibus, diſſentiens fit quoque ſenſus animorum: cum aduerſantium iudiciorum affectione compugnans, aſſertionibus his quibus offenditur, contradicit. Quamuis enim omne dictum, veri ratione perfectum ſit, tamen dum aliud aliis, aut videtur, aut complacet, patet veritatis ſermo aduerſantium reſponſioni: quia contra veritatem, aut non intellectam, aut offendentem, vel ſtultæ vel vitioſæ voluntatis error obnititur. Immoderata enim eſt omnis ſuſceptarum voluntatum pertinacia, & indeflexo motu, aduerſandi ſtudium perſiſtit, vbi non rationi voluntas ſubiicitur, nec ſtudium doctrinæ impenditur, ſed his quæ volumus, rationem conquirimus, & his quæ ſtudemus, doctrinam coaptamus. Iámque nominis potius, quam naturæ erit doctrina quæ fingitur; & non iam veri manebit ratio, ſed placiti, quam ſibi voluntas magis ad defenſionem placentium coaptauit, non quæ voluntatis inſtinctum per intelligentiam veri rationabilis incitauit. Per hæc igitur vitia ſtudioſarum voluntatum, omnes aduerſantium intentionum emergunt contradictiones: Et inter veri aſſertionem, & placiti defenſionem, pertinax pugna eſt, dum ſe & veritas tenet, & tuetur voluntas. Cæterùm ſi non præiret rationem voluntas, ſed per veri intelligentiam ad velle id quod verum eſt, moueretur; nunquam doctrina voluntate quæreretur, ſed voluntatem omnem doctrinæ ratio commoueret, eſſetque omnis ſine contradictione veritatis ſermo, cùm vnuſquiſque non quod vellet, id verum eſſe defenderet, ſed quod verum eſt, id velle cœpiſſet.]

203. Hac deniquè ex cauſa, vt doctrina fructum ſuum conſequatur, nec ſterilis omnino ſit ſatio eloquij, obſeruat Chryſoſtomus in Pſal. 4. ad v. 5 perpurgandam priùs eſſe mentem, & reſecandos vepres affectuum, vt liberior ſit intellectui functio ſua, rectiúſque de rebus iudicium ferat quàm cum per affectus non ſubactos aliò detorquetur. Iuuat hic commemorare prudentiſſimum Petri Fabri, dexterrimi animarum medici conſilium, in quadam epiſtola, quam exhibet Poſſeuinus 7. biblioth. c. 8. Monebat ille, Nouatores, qui ab auita religione ad Magiſtros prurientes auribus, & Sectariorum fabulas conuerſi ſunt, non tam rationibus ad deſtructionem errorum propoſitis, quàm affectuum, quibus ratio eorum obnubilatur, moderatione, & inductione ad bonos mores, ad ſanam fidem eſſe reuocandos. Idem habetur ex Auguſtino ſerm. 234. de temp.

Rationem optimè reddidit Philoſophus 6. Ethic. cap. 5. [Temperantiam, *inquit*, σωφροσύνην appellamus, vt pote prudentiam conſeruantem. Talem enim exiſtimationem conſeruat: quippe cum iucundum & moleſtum non omnem exiſtimationem corrumpat, & peruertat, verbi cauſa, triangulum tres angulos duobus rectis æquales habere, vel non habere, ſed eas tantùm quæ ad agendas res ſpectant. Principia enim agendarum rerum, ſunt id cuius cauſa res aguntur. Illi autem qui aut voluptate aut dolore corruptus eſt, principium ſtatim non apparebit, neque eius cauſa atque ob id, omnia eligi atque agi oportere. Vitium enim eiuſmodi eſt, vt principium corrumpat.] Itaque vehementia delectationis vel triſtitiæ facit, vt intellectus in rebus practicis & humanis aliter indicet, quàm iudicaret, ſi abeſſet ea immoderatio talium affectuum.

Ad minorem porrò prædictorum euidentiam, conſiderandus eſt triplex modus, quo intellectum ad aſſenſum determinari obſeruant Doctores. Primus eſt, quo intellectus determinatur ab intelligibili ſolo. Secundus, quo à ſola voluntate. Tertius, quo à duobus illis ſimul. In primo modo nihil iuris eſt voluntati in actum intellectus. Quia in eo modo ſpectatur tantum euidentia obiecti, per quam obtutus mentis ita afficitur, vt neceſſariò rem conſpiciat qualis in ſe eſt, ſi modò in eam velit intendere. Itaque ridiculè omnino aliqui apud Angeſtum c. 1. Moral. text. 4. concl. 5. cenſuerunt

ſuerunt tantum eſſe libertatis dominium in intellectum, vt etiam ad primi principij, licet euidentiſſimi, diſſenſum, poſſit eum adigere. At in ſecundo & tertio modo, voluntas plurimum confert.

Plurimum inquam, non totum. Quod enim in ſecundo dicitur, intellectum non determinari ex ſolo affectu voluntatis, non dicitur ad excludendum motiuum aſſenſus; ſed ad ſignificandum quod ſuperiùs obſeruabam. Nempe quod deficiente ratione motiua ſufficiente ex parte obiecti, intellectus, affectu voluntatis ita mandante, determinatur ex eo motiuo alioqui debili, ad aſſenſum vni potiùs quàm alteri parti præſtandum: Et plerumque tanta firmitate, quod Plato in Menone aduertit, & Ariſtoteles 2. Magn. Moral. c. 6. & 7. Ethic. c. 3. (vbi id confirmat exemplo Heracliti,) ac etiam Durandus in 3. d. 23. q. 7. num. 7. plerumque inquam, per voluntatis imperium, tanta eſt aſſenſus firmitas ex infirmo licet motiuo concepti, vt ſapientes, ex parte ſubiecti non ita firmiter ac tenaciter adhæreant veris placitis, ac iſti ſuis opinionibus, ac plerumque etiam erroribus.

Differt autem hic ſecundus modus à tertio, quo voluntas dicitur vnâ cum obiecto determinare intellectum; quia pro tertio hoc modo, ſuppetit motiuum quod reuera eſt ſufficiens fundamentum aſſenſus firmiſſimi: Tamen quia non penetratur euidenter, non iniicit intellectui neceſſitatem aſſentiendi, egétque voluntate ſupplente eius efficaciam, non exertam defectu euidentiæ: Supplente inquam, non in eodem genere, ſiue in ratione cauſæ formalis extrinſecæ, & formaliter mouentis; ſed in genere cauſæ mouentis quaſi effectiuè & per imperium quo intellectus ad vſurpationem motiui propoſiti adigatur. Ex quo vides hoc genus mouendi non terminari ad actum, vt fit per ea, quæ ſimpliciter dicuntur motiuà, ſiue per rationes formales aſſenſuum: ſed terminari ad potentiam ſubiunctam, hoc eſt, ad intellectum, qui ad operandum applicatur. Et ita contingit in actu diuinæ fidei; quam propterea ſupra dicebam niti motiuo ex ſe tenui, ac ſi voluntas ſupplens ſecludatur, non ſuffecturo ad eliciendum aſſenſum.

Intellectus, quoad exercitium plerumque exemptus à voluntatis liberæ iuribus.

204. Supereſt vt exponam quomodò intellectus quoad exercitium ſubſit voluntati liberæ. Circa quod indubitatum eſt, intellectum, quoad exercitium multorum actuum, omnino ſubduci poteſtati voluntatis. Quod in primis patet de intellectione prælucente: Nam voluntas non fertur in incognitum: Vt igitur poſſet cohibere intellectum à prædictæ intellectionis exercitio, oporteret, ipſam quoque intellectionem, præuiam actui voluntatis cohibentis, ſubiacere voluntati quoad primam productionem, in quo eſt aperta repugnantia. Nam quomodò quod poſteriùs ſecutum eſt, nec eſſet, niſi aliud anteceſſiſſet, poterit ſuam cauſam vel quaſi cauſam impedire, ne fuerit?

Præter cogitationem omnium primam, multi ſunt in intellectu ſubiti actus, quos voluntas cohibere non poteſt, eò quòd cauſa aliqua deliberationem anteuertens, determinet intellectum ad eorum exercitium. Nam v. g. quoties ſenſus externus fertur in aliquod obiectum antecedenter ad hominis conſilium & deliberationem, intellectus ob naturalem ſympathiam & connexionem potentiarum, determinatur ad cogitandum de eo obiecto quod ſenſum perculit; nec eſt in poteſtate voluntatis, durante immiſſione obiecti in ſenſum externum, id impedire; dummodo ea immiſſio, non ſiſtat in receptione ſpeciei impreſſæ externæ, vt contingit per accidens, cùm nimia deriuatio virium animæ ad alia opera, ſenſationem externam auertit. Quòd ſæpè in illis deprehenditur, qui alta aliqua cogitatione defixi hærent, non aduertentes, imò nec externis ſenſibus percipientes obiecta, quæ ſuas ſpecies in potentiam debitè diſpoſitam, nec pluſquàm par eſt diſtantem, neceſſariò profundunt. At ſi eam obiecti ſenſibilis actionem in ſenſum externum, ſequatur externa ſenſatio, vt ſemper fit per ſe loquendo, ob imperfectionem externi ſenſus, ſpecie qua conſignatur ſemper & neceſſariò vtentis; Tunc non eſt liberum voluntati intellectum ſiſtere, ac impedire, ne per radicationem potentiarum in eadem anima exurgat in eo intellectio correſpondens externæ ſenſationi.

Nominatim cogitationibus quæ ſunt à bona fortuna.

205. Inter has extrinſecas cauſas intellectum præuenientes, & inconſulta voluntate determinantes ad intelligendum, numeratur bona fortuna. Nam hanc Ariſtoteles 7. Ethic. ad Eudemum cap. 18. agnoſcit eſſe principium motus in anima: Illius inquam motus, quo quis ad fortunatam & felicem ſortem prouehitur. Quod ratum habens Diuus Thomas 1. part. quæſtione 82. artic. 4. & 1. 2. quæſtione 9. artic. 4. ac lib. 3. contra gent. capite 89. ſæpéque alibi, contendit Deum eſſe bonam fortunam, qua præuenimur ad cogitandum non liberè de eo quod liberè facturi ſumus; Non modò quoad ſupernaturalia, in quibus certiſſimum eſt præexigi diuinum illud ſeminium in nobis, ſed etiam vniuerſaliter quoad naturalia. Annuunt Caietanus ad quæſtionem 82. citatam art. 4. & Ferrar. cap. illo 89. ac Bernardus de Gannaco apud Capreolum in 2. d. 25. quæſt. vnica art. 3. *ad vltim. contra primam concluſion.* Rurſuſque idem Capreolus *ibi l. ad 1. Henrici contra* 2. & *ad 1. Henrici contra* 1. & ipſe Henricus latè quodl. 6. quæſt. 10. & quodlib. 9. quæſt. 5.

Et quanquam ſunt qui putent Ariſtotelem loco allegato repugnare ei doctrinæ, quam tradit 2. Magn. Moral cap. 8. vbi negat Deum eſſe bonam fortunam, ne cogatur dicere Deum amare & fortunatos efficere pleroſque improbos, qui fortunati deprehenduntur, quem locum latè reprehendit Flaminius Nobil. l. 3. de fœlicit. cap. 21. Tamen non malè Clyctouæus in caput illud 8. libri ſecundi Magnorum Moralium, ita interpretatur Ariſtotelem, vt tantùm voluerit, Deum, improbis, (de quibus ibi agebatur,) non prouidere in præmium bona fortunæ; nec ex beneuolentia in ipſos prout malos; & amore nequitiæ ita ſe gerere: Id enim, vt Ariſtoteles argumentatur, Deum iuſtum iudicem dedeceret: quamuis ex aliis finibus iuxta regulas ſuæ ſapientiæ, ea quoque bona probis & improbis diſpertiat. Itaque vnus illorum locorum Philoſophi non eſt cum altero collidendus.

Quanquam, cùm ea loca, ex operibus quæ germana eſſe Philoſophi non conſtat, deprompta ſint, minùs me anxium haberet ſi quid in eis occurreret ad conciliandum difficile, vel etiam à veritate abhorrens: Quale iuxta Vaſquem 1. 2. d. 38 cap. 4. illud eſt quod cap. illo 18. dicitur de duplici bonæ fortunæ principio; altero diuino, altero caſuali.

Quod agnoſco iure reprehendi, ſi illud caſuale bonæ fortunæ principium, ſubducatur diuinæ prouidentiæ, eiúſque diſpoſitioni atque conſiliis, prout ab Ariſtotele factum cenſet Vaſques. Si tamen tantùm affirmetur Deum non ſemper eſſe proximum & immediatum principium cogitationis, quam bona hominis fortuna conſecuta eſt; ſic ſubſcribo Ariſtoteli, & admitto non omnem bonam fortunam eſſe diuinam, nempe immediatè & proximè; quamuis vltimò omnia conſilia & cogitationes noſtræ; omnes item euentus quomodolibet contingant, diuinæ prouidentiæ ſubiaceant, & ab ea ordinentur ac dirigantur in finem Deo ipſi propoſitum. Et hac ratione poteſt Deus reſpectu cogitationum noſtrarum quarumcunque non liberarum, appellari bona fortuna ſimpliciter & abſolutè: eò quod licet non ſit ſemper immediata & proxima cauſa earum, vt tactum eſt in Natur. Theol. d. 4. n. 172. tamen tandem in eum reuoluatur omnis ſeries cogitationum noſtrarum, imò rerum omnium creatarum, & vel quia prouiſæ, vel quia permiſſæ, ad eum denique referantur.

Intellectus irrequieta mobilitas, ex ea exemptione.

206. Ex prædictarum cauſarum aliqua, oritur importunitas quarumdam cogitationum, quas excutere, vt maxime velimus, non poſſumus: Imo vt plurimum magis infiguntur, roboratâ, & magis radicatâ ſpecie, quæ eſt notitiæ principium, Indidem præterea ortum habet abreptio intellectus ab imaginatione, & volatica intellectus pernicitate, de qua tot ac tantæ piorum querelæ. *Frequenter*, ait S. Ambroſius l. de fuga ſeculi cap. 1. *irrepit terrenarum illecebra cupiditatum, & vanitatum offuſio mentem occupat, vt quod ſtudeas vitare, hoc cogites, animóque voluas, Quod cauere difficile eſt homini: exuere autem impoſſibile. Denique voti eam magis eſſe rem, quam effectus, teſtatur Propheta dicendo*, Declina cor meum in teſtimonia tua & non in auaritiam. *Non enim in poteſtate noſtra eſt cor noſtrum, & noſtræ cogitationes, quæ improuiſo offuſa mentem animúmque confundunt, atque aliò trahunt, quàm tu propoſueris. Ad ſecularia reuocant, mundana inſerunt; voluptuaria ingerunt, illecebroſa intexunt, ipſoque in tempore, quo eleuare mentem paramus, inanibus cogitationibus, ad terrena plerunque deiicimur, Quis autem tam beatus qui in corde ſuo ſemper aſcendat?*

Et Sanctus Auguſtinus 7. Confeſſ. cap 1. *Clamabat violenter cor meum, aduerſus omnia phantaſmata mea, & hoc vno ictu conabar abigere circumuolantem turbam immunditiæ ab acie mentis meæ, & vix dimota in ictu oculi; ecce conglobata rurſus aderat & irruebat in aſpectum meum, & obnubilabat eum.* Succinit Auguſtino Caſſiodorus lib. de anima cap. 9. *Animam naturalis mobilitas ſemper exagitat ad cogitationes ſuas commuuiter explicandas. Hinc eſt, quod per quietem remiſſi, dum materia nobis fuerit ſolita cogitationis abſtracta, nec intenti ad quotidianas fuerimus ſolemniter actiones, res variat nunc falſis, nunc veris inſpectionibus ſomniamus. Prium eſt quòd ſopitis ſenſibus velatis imaginatione deludimur, dum frequenter etiam vigilantes à noſtra contemplatione traducimur. Sæpè enim cùm nos in oratione, magna intentione dirigimus, ludo neſcio quo, inſpiratis ſubitò cogitationibus amouemur. Et ita prouenit, vt menti neſcio quid aduerſum ſuggeratur, quod diſpoſitum non habemus.*

Exercitium concluſionis, formatis licet præmiſſis, phyſicè liberum.

207. Prædictis porro intellectus actibus, quos per voluntatem impediri poſſe negauimus, accenſent aliqui concluſionem, ſi præmiſſæ antecesſerint. Exiſtimant enim, ex quo principia ſunt poſita, ſi aduertatur bonitas formæ & conſequentiæ, intellectum ita in lubrico ac decliui conſtitui, vt ſummo impetu præcipitet in concluſionem, nec poſſit voluntatis arbitrio inhiberi à formanda concluſione. Sed hoc falſum exiſtimo phyſicè loquendo, ſiue ſpectata abſolutè efficacitate voluntatis liberæ, eiuſque poteſtate in intellectum. Nam intellectus habet aliquam indeterminationem reſpectu exercitij cõcluſionis in eo euentu; quam indeterminationem coniectare licet ex capacitate habitus reſpectu huiuſmodi exercitij. Non ergo elicit eum actum ad modum cauſæ nullatenus frænabilis; ſed ita vt poſſit voluntatis imperio inhiberi ab operatione. Præterea veritas antecedentis, & concluſionis ex eo elicibilis, non eſt ſumma veritas, vt neceſſe ſit admittere intellectum ſic abripi per eam, vt ſiſti nequeat voluntatis autoritate & edicto.

Neque verò contendo, indirectè tantùm poſſe intellectum ab huiuſmodi exercitio cohiberi, nempe per vehementem applicationem ad aliam aliquam cogitationem, vt ſentiunt Conimbr. 1. Poſt. cap. 1. quæſt. 4. art. 4 & Fonſeca 6. Metaph. cap. 1. quæſt. 4. ſ. 4. qui addit idem præſtari poſſe per non aduertentiam bonæ formæ & conſequentiæ. Non inquam, eo duntaxat modo admitto; exercitium actus de quo agimus, eſſe homini liberum: ſed quamuis intellectus aliò non auocetur, & bonitas conſequentiæ penetretur, tamen actio illa particularis, quæ conſiſtit in formatione aſſenſus præſtiti huic veritati deducibili, qualis in eo puncto occurrit intellectui, concluſiue; (quandoquidem bonitas conſequentiæ aduertitur, quæ non poteſt à concluſione, quippe obiecto eius, præſcindere;) poteſt ceſſare, vel potius præcludi per ſuſpenſionem concurſus ipſiuſmet intellectus indictam à voluntate efficaciter. Tametſi enim voluntas non concurrit cum intellectu ad intellectionem, ideóque non poteſt ſuum cum eo concurſum ſuſpendendo inducere ceſſationem actus in intellectu, quod Deo reſpectu quorumuis actuum noſtrorum facillimum eſt: Tamen quia eſt Regina & domina exercitij actuũ, qui à potentiis non liberis, non exercentur merè per modum naturæ, & cum omnimoda ad eorum exercitium determinatione: Propterea poteſt ſuſpendere concurſum, quem intellectus ipſe exhiberet, ſicut ſuſpendit actum facultatis motricis, inhibendo influxum quem ipſa vis motrix exhiberet, per dominium quod habet in potentiam ſubiectam. Idem itaque præſtatur in re præſenti, eóque faciliùs, quòd hic non agimus de omni planè intellectus actu ſiſtendo: quod alibi efficacitati voluntatis intelligentiæ conceſſimus, ſed tantùm de hoc actu, quo concluſio abdita in præmiſſis, eruitur.

Et idem dicendum eſt de aſſenſu, per intellectum præſtando cuiuis veritati euidenter propoſitæ, quem non poſſe eſſe aſſenſum liberum, affirmat Gabriel in 3.d. 13. quæſt. 2. *litera* R. Sed quæ circa exemplum propoſitum in quo veritas, ſaltem ex ſuppoſitione antecedentis.) euidens eſt, hactenus adducta ſunt, contrarium euincunt.

Diluuntur quæ contrà ſunt.

208. Argumenta quæ in contrarium proferuntur, nullius reuera ſunt momenti, taliáque ſunt, vt in iis,

quæ

quæ præmiſimus virtute diſſoluta ſint, præter illud quod Conimbricenſes deſumunt ex proportione mediorum & finis ex vna parte, & concluſionis ac præmiſſarum ex altera. Nam qui vult efficaciter finem aliquem, qui obtineri non poteſt niſi per vnicum medium, adigitur quoque ad medium illud volendum. Similiter ergo qui aſſentitur præmiſſis, videtur quoque neceſſitari ad præſtandum concluſioni aſſenſum.

Verùm tametſi inter concluſionem & medium vnicum eſt aliqualis proportio, quatenus ſicut ratio formalis amandi medium, eſt bonitas finis; ita ratio formalis aſſenſus, qui concluſioni præſtatur, eſt veritas præmiſſarum: In eo tamen eſt diſparitas, quòd efficax volitio finis eſt tendentia in finem acquirendum per media idonea: Ideóque qui efficaciter intendit finem, inuoluit in ſuo illo amore finis, amorem mediorum: ac proinde ſi medium cognoſcatur eſſe vnicum, amor illius inuoluitur in illo efficaci amore finis. At concluſio non inuoluitur in aſſenſu præmiſſarum, quia non conducit ad aſſenſum earum: ſicut medium vnicum conducit, imò plenè neceſſarium eſt ad aſſecutionem finis efficaciter intenti. Itaque exercitium concluſionis, quantumuis formatis præmiſſis, liberum manet voluntati.

Penitior item obiecti inquiſitio, libera quoad exercitium.

Idem dico de penitiori inquiſitione obiecti vtcunque præcogniti. Ea quippe vlterior cognitio poteſt à voluntate indici, applicando intellectum ad eam comparandam, quamuis eam diſtinctè non prænoſcat, vt optimè notauit Molina 1. p. quæſt. 58. artic. 2. diſp. 2. *ad confirmationem tertij*, & Tartaretus 3. Ethic. quæſt. 4. Quamuis enim voluntas non feratur in incognitum, tamen non eſt opus notitiam illius ipſius rei, cuius cognitio deſideratur, antecedere, ſed ſufficit adeſſe lucem, quæ generatim & confusè præmonſtret aliquid ſupereſſe cognoſcendum, hoc ipſo enim intellectus poterit per voluntatem applicari ad ea veſtiganda: quia ſufficit, vt eo modo quo aliquid eſt volitum, ſit etiam præcognitum. Quia ergo in illo euentu; vlterior illa cognitio, & obiecta in quæ tendit, non ſunt volita niſi confusè. & vniuerſim, ſufficit vt eodem modo præintellecta ſint. Atque ita diſtinctior eorum perceptio, quæ eſt bonum quoddam, poterit per voluntatem appeti, & eius proſecutio mandari intellectui. Quod immeritò negat Bonetus lib. 4. Theol. cap. 5. Aſſeritur autem ab Olkot in 1. quæſt. 3. *ad 7. principale.*

209. Perſpicuum huius rei experimentum affert Molina, de eo, qui librum primo ſumens in manus, liberè applicat intellectum ad ea, quæ libro continentur, intelligenda; quamuis opus non fuerit, vt quænam ea ſint, diſtinctè præcognoſceret. Addere poſſumus exemplum intellectus ſubobſcurè interdum & vniuersè recordantis aliquorum, quorum diſtinctè meminiſſe non poteſt, niſi reptando ex iis, quæ connexionem habent, cum eo quod confusè recordamur, aut caſu contingat reminiſci. Quam rei memoria exturbatæ recordationem, luculenter ſuſpicit Auguſtinus 10. Confeſſ. cap. 18. & pulchrè cap. 19. verbis illis: [Quid cùm ipſa memoria perdit aliquid, ſicut fit cùm obliuiſcimur, & quærimus vt recordemur? Vbi tandem quærimus, niſi in ipſa memoria! Et ibi, ſi aliud pro alio fortè offeratur, reſpuimus, donec illud occurrat quod quærimus, & cùm occurrerit, dicimus, hoc eſt, quod non diceremus, niſi agnoſceremus: Nec agnoſceremus, niſi meminiſſemus. Certè ergo obliti fueramus. An non totum exciderat, ſed ex parte qua tenebatur, pars alia quærebatur: quia ſentiebat ſe memoria non ſimul voluere, quod ſimul ſolebat, & quaſi detruncata conſuetudine claudicans, reddi quod deerat flagitabat? Tanquam ſi homo notus, ſiue conſpiciatur oculis, ſiue cogitetur, & nomen eius obliti requiramus quicquid aliud occurrerit, non connectitur, quia non cum illo cogitari conſueuit. Ideòque reſpuitur, donec illud adſit, vbi ſimul aſſuefacta notitia non inæqualiter acquieſcat.

Dari poſſe exercitium liberum notitiæ, à nulla volitione indictum, ſententia Gregorij.

Hìc aduertendum eſt, nullam poſſe ab intellectu exerceri notitiam liberam, quam non præcedat volitio aliqua. Quod malè negat Gregorius in 2. d. 11. q. vnica *ad argumentum contra 2. concl.* putans pro ſe ſtare experientiam, qua conſtare ait, non quiſquis habet actualem notitiam de aliquo obiecto, habere ſimul notitiam de notitia illius obiecti, alioquin ſimul haberet infinitas notitias reflexas, quarum quælibet poſterior, in priorem, tanquam in obiectum eidem terminandæ idoneum tenderet, Hoc cùm ſit perſpicuum, vrget Gregorius in poteſtate hominis eſſe, vt concipiat, ſuæ primæ notitiæ notitiam. Concipiat ergo illam. Tunc, vel hanc notitiæ iſtius reflexæ ac liberæ formationem, præceſſit volitio aliqua indicens eam, vel nulla præceſſit. Si hoc ſecundum dicatur habetur quod quærimus. Si autem dicatur, aliquam volitionem de ea formanda præceſſiſſe, concedendum erit, vel ipſam notitiam reflexam prius fuiſſe volitam, quàm fuerit nota etiam incomplexè & notitia ſimplici, quod conſtat dici non poſſe, cùm voluntas non feratur in incognitum: Vel certè concedendum erit notitiam hanc reflexam præiuiſſe illi notitiæ directæ, à qua vt ab obiecto ſuo pendet, quod æquè impoſſibile eſt. Nam ſi notitia reflexa fuit prius volita, quàm haberetur, planè oportuit notitiam reflexæ illius notitiæ, volitæ atque adeo præcognitæ haberi ab homine priuſquàm ipſa notitia reflexa haberetur; ne voluntas, quæ cæca eſt, perperam ſupponatur in eam tetendiſſe abſque notitia prælucente. Et ſic quæuis notitia reflexa, quæ aſſignabitur, ſupponetur ante ſuam directam. Nam quo iure hæc notitia reflexa præmittitur ſuæ directæ, eodem cæteræ quoque omnes, præmittendæ erunt.

Infert igitur Gregorius, primam notitiam reflexam, tametſi liberam, nullo tamen modo fuiſſe à voluntate actu elicito volitam. Quo trahit dictum Auguſtini 2. de lib. arbitr. cap. 36. affirmantis, liberam voluntatem vti poſſe aliis potentiis. Hunc enim vſum ait aliud non eſſe, quàm applicationem cæterarum potentiarum, factam abſque vllo formali actu voluntatis: ſicut voluntas dicitur vti ſeipſa, cùm ſe applicat ad volendum. Applicat inquam, ſe ipsâ, abſque intermedio vllo actu volendi, quo feratur in volitionem, quam vult elicere: quia ſic nunquam poſſet peruenire ad volendum: Sic Gregorius, quem deſcripſit & ferè approbauit Capreolus in 2. diſt. 3. quæſtio. 2. *ad 5. contra 9. concl.*

Refellitur.

210. Verùm vniuerſa hæc Gregorij ratiocinatio, manifeſtum vitium continet. Aſſumit enim quod in primis probandum erat, Nempè quòd prima notitia reflexa, in euentu propoſito, libera eſſe queat: cùm tamen id ſit impoſſibile. Nam poſito quod quis cognitionem directam primùm formauerit; vt liberè erumpat in cognitionem primæ notitiæ, neceſſe eſt hoc ei venire mentem, quia tota radix libertatis formalis.

malis, eſt cognitio & deliberatio prævia. Impoſſibile autem eſt vt ea cognitio de cogitatione, homini occurrat ex voluntate ſua, quia voluntas non fertur in incognitum. Ergo neceſſe eſt hominem in eam cogitationem incidere, vel caſu, vel ad id determinatum aliunde, quàm a ſeipſo. Quodcunque autem horum eueniat, cogitatio homini nec opinanti aduenit, atque adeò non liberè. Vt igitur liberè inſtituatur ea reflexio, interuenire debet volitio formalis, quam præiuerit cogitatio non libera. Ac proindè falsò Gregorius, ex libertate notitiæ primæ reflexæ, inferebat poſſe dari notitiam liberam à nulla volitione indictam.

Neque verò poteſt hic habere locum ea libertas quæ cernitur in omiſſionibus abſque formali vlla volitione, cùm homo aduertens & valens operari, abſtinet tamen operatione, etiamſi hanc ab operatione ceſſationem nullo formali voluntatis actu approbet. Non poteſt inquam hîc ea libertas habere locum. Nam omiſſio cùm ſit mera carentia actus, ſufficienter pendet à libertate, hoc ipſo quod potentia expedita torpet. Vnde Conradus 1. 2. quæſt. 6. artic. 3. obſeruat huiuſmodi voluntarium indirectum (quod liberum etiam eſſe ſuprà oſtendimus,) non fundari in actu, ſed in poteſtate voluntatis, nec eſſe conditionem vel paſſionem aut accidens actus, ſed ſtatum voluntatis volentis operari, nec tamen operantis. At libertas, quam hic quærimus, cùm ſit notitiæ poſitiuæ, cadit immediatè in actum realem; & quidem potentiæ à voluntate diſtinctæ: Cuius actus dependentia à voluntate, intelligi nequit, abſque actu voluntatis applicante intellectum ad operandum.

Speciebus reſeruatis, & habitibus, vtimur cùm lubet, quantum eſt ex vi eorum.

211. Ex illis, quæ circa intellectum cæteráſque potentias habituum aut ſpecierum impreſſarum capaces, hactenus diximus, facile eſt ſtatuere quomodo habitus & ſpecies impreſſæ ſubſint arbitrio voluntatis liberæ. De his ſiquidem actuum vitalium comprincipiis, idem in re præſenti ſtatuendum eſt, quod de ipſis potentiis vitalibus, quibus ſubſeruiunt. Non enim ad rem præſentem ſpectat, quod Ariſtoteles 3. Ethic. cap. 5. differentiam ſtatuere videatur inter actus, atque adeò etiam potentias ex vna parte, & habitus ex altera, quòd actuum domini ſimus quandiu durant; habituum non item, ſed duntaxat ratione actuum per quos inuruntur: quia ſicut poſſumus ens non elicere; ita & habitus non imprimere, ſecluſo deinde quouis dominio in habitus ex quo ſemel inuſti ſunt. Hoc inquam diſcrimen, non ſpectat ad rem præſentem. Poſſumus enim, vt actus non exercere; ita & habitus, licèt iam impreſſos, non vſurpare ad operandum, ceſſando ab actione. Sed in hoc eſt diſcrimen, quòd actus prorſus abrumpere poſſumus cùm lubet, non item habitus, ſi ſemel poſiti ſint, vt rectè notat Valeſius cap. 44. ſacræ Philoſophiæ; quod vt vides aliò ſpectat.

Nec tamen idcirco vulgare effatum: *Speciebus & habitibus vtimur cùm volumus*, eſt ita accipiendum, quaſi omnis prorſus vſus huiuſmodi comprincipiorum, ſit voluntati liber. Plerunque enim, vt vidit etiam Camerac. in 1. quæſt. 4. *litera L.* inuſto iam habitu, eliciuntur actiones indeliberatæ, ad quas, habitus potentiæ inſidens, concurrit inconſulta libertate. Et idem eſt de ſpecie impreſſa intelligibili. Senſus ergo duntaxat eſt is qui habetur ex Gregorio in 2. d. 11. quæſt. vnica concl. 2. approbante Capreolo in 2. d. 3. quæſt. 2. *ad 7. ſecundo loco contra nonam*, vbi Diuum quoque Thomam in eam ſententiam allegat. Itémque ex OcKamo in 3. quæſt. 4. *litera F. & M.* & ex Gabriele ibid. d. 23. quæſt. 2. *litera Aa*; videlicet, ſpeciem & habitum, non ita ſollicitare vel laceſſere potentiam ad operandum, vt iis potentiæ immiſſis, illico ſequatur operatio, quaſi hæc principia ſint cauſæ neceſſariæ quarum actiuitatem voluntas remorari aut ſuſpendere non poſſit, vt de ſpeciebus argumentatur Durandus in 2. d. 3. quæſt. 6. num. 23. & de habitu Angeſtus cap. 5. moral. t. 1. concl. 6. ac Baconus in 2. d. 28. art. 3. Reuera enim ſecus accidit: quia ſpecies & habitus non præmouent, neque ſollicitant potentiam ad agendum, vt imaginatur argumentum; ſed tantùm eam inſtruunt, & armant, vt loquitur Ariſtoteles. Arma autem quamuis ſint ad manum, non ſemper exercentur, ſed cùm voluntas aut armati impetus tulerit. Sic autem inſtructa facultas, aliunde expectat determinationem quoad exercitium; Nempe vel à bona fortuna, vel ab externis aliquibus aut internis occaſionibus obiectorum affinium, hanc potius quàm illam ſpeciem cum pleriſque aliis ſopitam excitantium; vel à voluntate libera aliunde præmota, coaſſumente huiuſmodi comprincipium ſibi inſidens ad faciendam cum illo & per illud operationem: Vel, ſi agatur de ſpeciebus intellectus, eum applicante ad nouum vſum ſpecierum diſtinctum ab eo, quo ipſe intellectus voluntati applicanti prælucens, confuſè præconcipit quicquid ipſa tunc attingit.

212. Nec argumentum ex Durando tactum, eſt reuera ſolidum. Nam cauſa neceſſaria, & ex ſe operans naturaliter, poteſt egere conſortio alterius alicuius cauſæ non operantis abſque determinatione propria, vel aliunde profecta. Et ita res ſe habet in habitibus & ſpeciebus intelligibilibus, vt notauit Molina 1. p. q. 58. art. 2. d. 2. ad 3. eſtque perſpicuum. Nam ſpecies v. g. exigit influxum intellectus, qui extra præſentiam obiecti debitè applicari aliíſque actus ſuprà recenſitos pendet à voluntate indicente, & ab anima intellectui cooperante; quæ ſiue ſponte naturæ, ſiue ex arbitrio, poteſt aliò deriuare vires ſuas. Et idem eſt de habitu. De quo idcirco Gabriel in 3. d. 23. quæſt. 1. *litera P.* reſponſionem noſtram admiſit.

Et certè commodior eſt, quàm ea, quæ adhibetur à Rubio quæſt. 5. de intellectione dub. 1. ad 1. recurrente ad defectum phantaſiæ non ſemper operantis. Verùm aduerſarij, poſſent idem argumentum de ipſa phantaſia conficere, & probare, ſpeciem eius debere ſemper prodire in actum, cùm ſit cauſa neceſſaria. Quod ipſum opponi poteſt Mayronio in 1. d. 3. quæſt. 10. dub. 3. quærenti cur ex pluribus ſpeciebus intellectui impreſſis, vna potius potentiam moueat, quàm alia; & rationem ducenti ex phantaſia excitante intellectum ad vnum potius obiectum ſpeciei actu mouenti correſpondens, quàm ad alterum. Nam, vt dixi, de ipſamet phantaſia explicandum ſupererit, cur potius ad hunc actum & ad hanc ſpeciem determinet, vel hanc potius quàm aliam ſpeciem vſurpet æquè ſibi inſidentem.

Inexplicatam item quæſtionem relinquunt quæ adducit Scotus in 4. d. 45. quæſt. 1. *litera D.* & in 1. d. 3. quæſt. 2. *litera M* dicens, id ex eo prouenire, quod vnum obiectum fortius moueat, quàm alterùm. Vnde enim ea obiecti motio, abſente iam obiecto, vt ſupponimus? Quod ſi mouet per ſpeciem vicariam, hoc ipſum explicandum fuerat, quomodo vna ſpecies fortiùs moueat, quàm alia. Itaque neque intellectus, ſpecies quibus inſtructus eſt, neque

potentia

potentia, quemlibet habitum quo perficitur, neceſſariò vſurpat: ſed iis vtitur cùm vult, quantum eſt ex vi determinationis ad exercitium profectæ ab his principiis.

Vſus inadæquatus ſpecierum vniuerſalium quomodo liber.

Quæ doctrina extendenda etiam eſt ad ſpecies vniuerſales plurimum ſimul obiectorum exhibitiuas. Poſſunt enim vſurpari inadæquatè prout determinatio ad certam notitiam aliunde profecta tulerit, hanc potius rationem obiectiuam, ex pluribus ea vniuerſali ſpecie repræſentabilibus, quàm aliam percipi mentaliter. Hoc ipſo enim quòd intellectus per voluntatem, aut aliter, applicabitur ad hoc potius cognoſcendum, quàm reliqua; homo dicitur vti ea ſpecie ad hoc tantùm. Non quaſi ſeligendo quæ portio ſpeciei impreſſæ aſſumi debeat, vt certus intellectionis partus exiſtat. (Nam tota ſpecies eſt vniformis, eſtque ſignum formale ac proinde incognitum:) ſed exprimendo per hoc inſtrumentum, notitiam cui formandæ idoneum eſt; quamuis eſſet idoneum ad alias quoque notitias formandas, in quem vſum non fuit aſſumptum; quia id non tulit determinatio ad exercitium actus.

QVÆSTIO III.

De principio proximè libero, & neceſſitatis ab eo excluſione; ſiue de expedito vſu libertatis in humana voluntate.

213. QVæ hactenus de libertate diſputata ſunt, ſpectant ad voluntatem noſtram ex natura rei ſpectatam, & ſeclusis quibuſuis indifferentiam actiuam ipſi internam & natiuam arctantibus. Hoc enim ſenſu, humana voluntas nemine reclamante libera eſt, & vt minimum id voluit S. Auguſtinus cap. 105. Enchir. cùm ait, *voluntatem, aut voluntatem non eſſe, aut liberam dicendam eſſe.* Verùm nonnulli generis ſui ac naturæ iurati hoſtes, tantum decus diuinitùs ſibi inſertum, iniectis aliunde vinculis præpediri contendunt: qualia ſunt, quæ Sectarij, ignoranter æquè ac peruersè, de exciſa libertate, (hoc eſt natiuæ libertatis vſu expedito,) per primi parentis communem noxam, cauillantur. Et quæ einſdem furfuris alij, ex diuinis decretis, ac cooperatione, & præſcientia, contra libertatem creatam obtendunt: concedentes quidem homini libertatem remotam, & ex natura rei, ſiue intrinſecam; non tamen proximam & exſolutam. Quæ duo ſecernenda eſſe, iam ſuprà monui, & rectè tradidit Scotus in 4. d. 49. quæſt. 6. *litera G. & I.* & Capreolus in 2. d. 28. quæſt. 1. art. 3. *ad* 2. & 3 *contra* 4.

Itaque quia remota illa libertas quæ ex natura rei competit voluntati, non ſufficit ad eam conſtituendam principium effectiuum actuum moralium, (ſub qua conſideratione de voluntate libera hîc diſputamus; & homini Philoſopho, ac etiam Doctori Catholico, vt optimè monuit Valdenſis in doctrinali fidei antiquæ l. 1. capit. 23. & 28.) hæc libertatis expeditio omni ſtudio tuenda eſt; ſequitur vt ad eam conuertam diſputationem: quam perſpicuitatis & ordinis commodioris gratia ſic inſtituam, vt primùm generatim ſtabiliam, expeditum libertatis vſum voluntati noſtræ competere. Tum ad ea quæ in contrarium obtendi poſſunt diſſoluenda, inquiram quibuſnam modis generatim & ſigillatim, ille vſus expeditus libertatis eripi homini poſſit. Demum verò demonſtrem, eum per nullas ſiue homini externas, ſiue internas cauſas, vlla ex parte labefactari.

ARTICVLVS I.

Humanæ libertatis expeditio, generatim aſtruitur.

214. SVſtulerunt hunc, vt appellat Oenomaus Cynicus apud Theodoretum l. 6. contrà Græcos initio, *humanæ vitæ temonem*; & iam olim inter Ethnicos aliqui, & nonnulli in ipſis Eccleſiæ Chriſtianæ cunabulis, & in hac ſeculorum fœce non nemo. Horum erronum accuratum indicem texere, operæpretium non duco, præſertim cum authores quos dabo, hoc labore defuncti cum laude ſint. Quare aliquos duntaxat eminentiores ſignabo.

Hoſtes libertatis exſolutæ.

Verticem in hoc ſyllabo iure meritò occupabit pater mendacij, & boni omnis iuratus inimicus. Verè namque ſcriptum eſt à S. Chryſoſtomo in c. 2. Iſaiæ. *Ad hoc nullo non tempore ſtudium omne ſuum adhibuit Diabolus, vt expertes intelligentiæ ac parum cordatos, in hanc inducat ſententiam, quod opera ipſa virtutis & malitiæ ſita non ſunt in eorum poteſtate, & quod minimè ſunt ornati honore liberi arbitrij. Planè duo hæc pudenda admodùm & plena turpitudinis, magnoperè contendit ex ſententia ſe fieri: labores nimirum qui adhibentur parandæ virtuti frangere, & donum liberæ voluntatis aut arbitrij, quod præſtantiſſimum eſt, è medio auferre.* Vides cur primum locum Satanæ tribuendum cenſuerim in ſyllabo hoſtium libertatis exſolutæ. Quo recidit, quod Pythius Apollo, hoc eſt, Dæmon, eiúſque organa, Athei quidam, incuſatores prouidentiæ, *violentam quandam neceſſitatem ſingulis noſtrum præficientes, à qua, præter animi noſtri ſententiam, fieri nos latrones, mœchos, parricidas affirmabant.* Verba ſunt Theodoreti loco allegato, qui pro eodem errore poſt Oenomaum, allegat Ariſtotelem de quo poſtea, & *Democritum ac Chryſippum. quorum alter planè ſitam, alter ſemiſitam eſſe pulcherrimam hominis partem demonſtrare contenderunt.* Prætereà iiſdem accenſet Pythagoram, Parmenidem, Heraclitum, ac Zenonem. Hos omnes Oenomaus ille, libro quem de hoc argumento conſcripſit, & *veneficorum indaginem* appellauit, *veneficij reos* facit. Quo etiam nomine, alios, eundem adulta Euangelij luce profeſſos, accuſare poſſumus: In primis antiquiores, quos dabunt Caſtro verbo *libertas* hær. 1. ac verbo *fatum*, & paſſim Hæreſeologi, accenſentes aliis libertatis oſoribus Bardeſanem Syrum. Qui fuere in fraudem acti, authoritate Auguſtini, (ſi tamen reuera Auguſtini, quod negat Baronius anno Chriſti 175.) l. de hæreſibus in 35. Actos in fraudem dico, quia vt liquet ex fragmento, quod Euſebius lib. 6. de præparat. c. 8. ex Bardeſane recitat, Bardeſanes acriter pugnauit pro libertate, tantúmque ſubiecit fato, quæ noſtræ poteſtati non ſubſunt vt Phot. cod. 23. refert, eius ſententiam idcirco vocans *ſemi inſanam.*

Antiquos ergo prædictos, & cum iis quinti ac ſexti Euangelij nuperos buccinatores, Lutherum & Caluinum, tanquam veneficos, ex lege Cornelia, in crucem poſtulare fas eſt. Nam Caluinus à libertate humana expedita, vſque adeo abhorret, vt ne ipſum

quidem

quidem liberi arbitrij nomen ſuſtineat. Locum ſupra dedi. Lutherus impudentia & arrogantia eo vno fronte digna, nomen *liberi arbitrij* ab omni retro antiquitate receptiſſimum, mutare auſus eſt, nomine *ſerui* arbitrij, *humanæ mentis liberam ingenuamque naturam redigens in ſeruitutem.* verba ſunt Oenomai apud Theodoretum, carpentis brutum illud epitheton *voluntatis ſerua aut ſemiſerua*, à Democrito primùm, & Chryſippo innectum, tanto poſt tempore à Brutio iſto renouatum: Qui tamen poſteà, expergefacto qui prius indormierat Spiritu Sancto, ſententiam retexuit, & quam ante vniuerſaliter negauerat expeditam hominis libertatem, eò quòd certâ ſtent omnia lege, admiſit deinde quoad actiones ciuiles & externas, pectantes ad ſocietatem humanam, & communem conuictum, prorſus tamen excluſa libertate hominis quoad actiones ſpirituales, eáſque præſertim, quibus homo ad Dei gratiam & amicitiam prouehitur, Quod ex mera ignorantia ab eo factum eſt, quia neſciuit diſtinguere inter hoc quod eſt poſſe ſupernaturales actus elicere abſque gratia, quæ ſemper præſto eſt; & hoc quod eſt, interuentu gratiæ poſſe eos elicere, ac non elicere. primum eſt falſum, & Pelagianum. Secundum verò, certum & Catholicum: Atque ita diſtinxit Vega quæſt. 12. de iuſtif. & l. 2. in Concil. cap. 18.

Simili conſtantiæ laude Melanchthon mali huius corui malum ouum, cum in locis communibus primùm editis c. *de libero arbitrio*, acriter bacchatus eſſet contra liberum arbitrium, & hoc nomine in Philoſophiam, quam profanam & animalem rationis noſtræ ſapientiam nominabat, tanquam libertatis humanæ aſſertricem, multa vomuiſſet: Tamen deinde articulo 16. Apologiæ, libertatem humanam quoad res externas admiſit: Et multa etiam pro ea diſputauit in commentariis ad lib. 3. Ethic. in digreſſione, quam ſubiecit capiti tertio. Vt facile ſit ex huiuſmodi titubatione deprehendere, ſpiritum vertiginis propinatum & miſerè ab iis hauſtum eſſe, qui tam fœdè in re tanta circumagantur.

Denique Cardanus, (& ipſe de genere Melanchlænorum,) etiamſi apertè nequaquam ſectarius, librum de fato ſcripſit, quo contra Alexandrum demonſtraret verè illud vulgò iactari. *Ducunt volentem fata, nolentem trahunt:* Ipſemet bis iam ſcriptum, non eſſe editione dignum opus, veriſſimè pronunciauit, in opere *de libris propriis*, cum *de volumine decimo.* Duodecim primarios contra libertatis noſtræ exſolutionem errores, conſignat cum ſuis autoribus Pennotus lib. 2. propugnac. cap. 1. 2. 3. & 4.

Firmamenta veritatis; ac primùm ſacra, obiter tantùm.

215. In contraria veritate certiſſima, & ipſo naturæ lumine euidentiſſima, teſtimoniis ſapientum & rationibus confirmanda, delectum adhibere neceſſe eſt. Tanto enim ſtudio ac diligentia veteres iuxta ac noui ſcriptores, in confirmanda hac tam inſigni hominis ſupra beſtias prærogatiua allaborarunt, vt difficile ſit, lectoris faſtidium, crambes toties recoctæ ingeſtione declinare. Quare breuiter ſelectiora quæque delibaſſe contentus, in fontes è quibus pleniùs hauriri poſſit, digitum intendam. Et quia Philoſophum agu, philoſophica præſertim vrgebo, & ſcripturis ac ſacris oraculis abſtinebo. Tametſi quod Caſtro verbo *libertas*, hæreſi 1. notauit, & latiùs Armacanus lib. 15. de quæſtionibus Armenorum à cap. 2. in omnibus vtriuſque inſtrumenti libris, extant expreſſiſſima de noſtræ libertatis expeditione teſtimonia.

Illudque in primis, quo *apertiſſimè videmus expreſſum liberum humanæ voluntatis arbitrium*, vt dixit S. Auguſtinus lib. de grat. & lib. arb. cap. 2 petitum ex cap. 15. Eccleſiaſtici, *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui. Adiecit mandata & præcepta ſua; ſi volueris mandata ſeruare, conſeruabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Appoſuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.*

En humani arbitrij exſolutiſſimam libertatem ipſis Solis radiis ſcriptam. Vt propterea Sepulueda, in fine libri primi de fato, & libero arbitrio, dicat; Si quis noſtrum vellet pro hac veritate locum comminiſci, non poſſe fingere expreſſiorem. S. verò Chryſoſt. orat. 2 de prouid. fatetur eius loci expenſionem, lacrymas ſibi ac gemitus elicere, attendenti cæcitatem eorum, qui errore contrario diſtinentur. [Propterea, *inquit*, ingemiſco, propteria lacrymor ac lamentor. Digna enim lamentis ſunt, quando quis in errores venia non dignos, labitur. Quæ enim venia, dic mihi, eſſe poteſt, vbi cùm Deus affirmet, dæmones contradicant; fide digniora videntur, etiam apud ſeruos Dei, ea quæ ab illis, quàm quæ à Deo directa ſunt? Neque verò rationes conturbemus nunc, ſed paulìſper animum ad audiendum proiectum, eorum qui his obtemperant demonſtremus. Deus dicit appoſui tibi ignem & aquam, vitam & mortem, quò volueris extende manum. Dæmon dicit, non eſt in te ſitum porrigere manum; ſed neceſſitate quadam & vi hoc fit. Et fide digniora tamen hæc tibi videntur, neque quam longum interuallum ſit inter conſultores animaduertis, Dei, ac Dæmonis, neque conſilij differentiam exquiris alterius ſalutaris, & ad virtutem vocantis; alterius diabolici, ad nequitiam ac improbitatem impellentis.] Expendit item locum illum, & in hanc rem maximè commendat Armachanus libro illo 15. cap. 14.

Alium inſuper inſignem pro humanæ libertatis expeditione locum ex illis Chriſti verbis, *aut facite arborem bonam* &c. præclarè omnino vrget S. Auguſtinus lib. 1. de actis cum Felice cap. 4. vbi item cap. 5. & 6. Manem, & Manichæos *circumcluſos vidiſſe potentiam veritatis*, & volentes nolentes, libertatis noſtræ exſolutioni, ſuffragatos docet. Quod æquè ſtatui poteſt de aliis eiuſdem libertatis oſoribus, cùm vrgentur.

Scripturæ, nihil vſpiam contra libertatis exſolutionem, prodiderunt.

216. Non me tamen latet, hos, vt Tertullianus ſcitè dixit, *interfectores veritatis*. falſa contra Spiritum ſanctum, libertati humanæ eo loco aſtipulantem, teſtimonia corradere ex nonnullis ſcripturis. Quas quia noſtrum non eſt excutere; Obiter tantùm notetur ex Roffenſi ad articulum Lutheri 37. *circa initium*; Scripturam interdum quidem tribuere ſolis iuſtis libertatem; aliàs autem ſolis beatis. Sed cùm ſolis iuſtis libertatem tribuit, de ea ſupernaturali libertate agit, quæ eſt à peccato & diaboli dominatu, dicitúrque *libertas gratiæ*, qua Chriſtus nos liberauit, vt eſſemus verè liberi. Diſputat luculenter de ea libertate Lenſæus in opere de libertate Chriſtiana per ſeptem priores libros. Cùm autem ſcriptura ſolis beatis libertatem tribuit, intelligit plenam illam ab omni malo & incommodo exſolutionem, quam in cœlo ſperamus dicitúrque *libertas gloriæ*, & aliis etiam nominibus, quæ attigi initio huius tractationis. Plenè item de hac libertate diſſerit autor proximè laudatus lib. 15. & bene pro Ethnico Plotinus Enneade 6. lib. 8. cap. 14.

Omnibus tamen hominibus, expeditam & vndecunque exſolutam naturæ libertatem, etiam ad ſupernaturales actiones, diuino auxilio, quod ſemper ſubminiſtratur, voluntatem roborante pertinentem, concedit ſcriptura, cum alibi infinities, tum eo quem protuli loco explicatiſſimè & clariſſimè.

Vberiorem è ſacris Doctoribus ac Patribus teſtimoniorum ſegetem, colligere graue non eſſet, niſi id iam præſtitiſſent, qui ſpendidiſſimè in hoc argumento verſati ſunt, latè recenſiti à Bellarmino: vniuersè quidem lib. 3. de gratia & lib. arbitr. cap. 1. Sigillatim autem quoad opera naturalia & ciuilia, lib. 4. eiuſdem argumenti à cap. 5. Quoad moralia lib. 5. à cap. 4. Denique quoad opera pietatis ac pertinentia ad ſalutem lib. 6. à cap. 10. Illuſtria præterea ſunt quæ collegit Coccius tom. 2. lib. 1. art. 5. & Mol. 1. p. quæſt. 14. art. 13. d. 3. ac Pennotus lib. 2. propugnac. a cap. 5. Sed nos inſtituti memores, ea duntaxat Patrum loca infrà proferemus, quæ naturali aliqua ratione quaſi prægnantia occurrent, dimiſſis aliis: ſi priùs iuxta eum ordinem, quem S. Auguſtinus indicit 2. de ord. cap. 9. & lib. de moribus Eccl. cap. 2. aperuerit rationi autoritas ianuam; autoritas inquam Philoſophorum, qui ſolo naturæ lumine ducti, libertatem hominis expeditam agnouerunt.

Philoſophos Ethnicos, libertatem exſolutam docuiſſe, extra controuerſiam eſt.

217. Hunc laborem Sectarij lubentes nobis concedunt, & liberaliter remittunt. Vltrò enim dant Platonem, & Ariſtotelem, & paſſim Philoſophos antiquos, liberi arbitrij dogma inuexiſſe. Quod de duabus, (vt cum S. Ambroſio in ſimili loquar.) Patriciis ſectis errorum, eminentiſſimi tabulæ, & puſillorum gregum duorum, velut arietes, profitentur; Melancthon, & Caluinus. Ille in prima locorum communium editione cap. de lib. arbitr. [In hoc, *inquit*, loco cùm prorſus Chriſtiana à Philoſophia & humana ratione diſſentiat; tamen ſenſim irrepſit Philoſophia in Chriſtianiſmum: Quia receptum eſt impium de libero arbitrio dogma, & obſcurata Chriſti beneficentia per profanam illam, & animalem rationis noſtræ ſapientiam. Vſurpata eſt vox liberi arbitrij; à diuinis literis, à ſenſu, à iudicio ſpiritus, alieniſſima, qua videmus ſanctos viros non rarò offenſos eſſe. Additum eſt è Platonis Philoſophia vocabulum rationis, æquè pernicioſum, Nam perinde atque his poſterioribus Eccleſiæ temporibus Ariſtotelem pro Chriſto ſumus amplexi: ita ſtatim poſt Eccleſiæ auſpicia, per Platonicam Philoſophiam Chriſtiana doctrina labefactata eſt. Ita factum eſt, vt præter Canonicas ſcripturas, nullæ ſint in Eccleſia ſynceræ literæ. Redolet Philoſophiam, quicquid omnino commentariis proditum eſt.]

Caluinus autem 2. Inſtit. cap. 2. à §. 2. in Philoſophos omnes nullo excepto inuehitur, quòd magno conſenſu *voluntatem, inter rationem & ſenſum mediam locent, ſui iuris, & libertatis compotem; ſiue rationi obtemperare, ſiue ſenſui rapiendam ſe proſtituere libeat.* Sugillátque nominatim Ariſtotelis locum ex 3. Ethic. c. 5. quo libertas humana luculenter proponitur. Mox verò §. 4. ingeminat querelas in antiquos Patres, quòd in libertatis humanæ aſſertione, *multi eorum longè plus æquo Philoſophis acceſſerint* Hoc, vt impendens blatero diuinat, conſilio, quòd Philoſophorũ, quibuſcum tunc certamen erat, cachinnos & ſannas metuerent. Item ne quid communi hominum iudicio abſurdum traderent. Et vt torporem nobis ingenitum, propoſito falſiſſimo hoc dogmate expergefacerent; Ac demum concludit, *nimis Philoſophicè de hac re lo-*

cutos, qui ſe Chriſti iactabant eſſe diſcipulos. Intelligit autem, quos paulò ante commemorauerat, Chryſoſtomum, & Hieronymum, ac veteres omnes ſcriptores Eccleſiaſticos, vno excepto Auguſtino, quem mendaciter à reliquis ſeiungit, cùm extent apud eum tam luculenta huius veritatis teſtimonia, quæ Torrenſis diligenter notauit in Auguſtiniana Confeſſione libr. 2. c. 3. & Pennotus lib. 2. propugnac. c. 8 vt mirum ſit, quod in ſimili impudentia Auguſt. Iuliano exprobrat, quomodò tã perfricta fronte, in re cuiuis obuia, de tanto libertatis humanæ patrono, mendacia ſcribendo, atramentum eius, in miniũ non ſit verſum.

Ab iiſdem corruptos Patres, impudenter blaterat Caluinus.

218. Sed quia hoc nunc non agimus, vt Auguſtini mentem in hac controuerſia exponamus, obiter duntaxat addo, non eſſe quod ſuſpiciamus Caluinum Auguſtino tam nequiter iniurium fuiſſe falſa ei affingendo; qui aperte omnes alios, vt vidiſti, cum Philoſophis omnibus, antiquos Eccleſiæ Patres ac Doctores, per ſummum ſcelus criminetur cuſi falſi dogmatis, & Chriſtianæ veritatis adulteratæ admixtione Philoſophicæ ſcoriæ: ne ſe Philoſophis aut vulgo ridendos propinarent, & vt falſa poteſtatis noſtræ ad benè agendum commemoratione excitarent ad bonum, patentiórque eis campus eſſet, in quo huiuſmodi torporis redargutione excurrerẽt. Quæ mihi planè monſtroſa viros ſanctiſſimos calumniandi libido, euidentiſſimum facit, meritò ab Apoſtolo 2. Timoth. 2. inter cætera elogia hæreticis tribui, quòd ſint criminatores, aut vt Græcus textus habet διάβολοι.

Exſuſcitet in ſe mecum Chriſtianus lector, iuſtum affectum aduerſus huiuſmodi rabiem in Eccleſiæ lumina ac columina. Ergòne Sancti Patres, quibus pro fidei doctrina ſanguinem exhaurire vile fuit, in capitali hocce dogmate, gratis Chriſtiano populo mendacium obtruſerint, veriti ne ludibrium profanæ ſapientiæ deberent, aut ne aliquid communi hominum iudicio abſurdum traderent? Quid verò obſtat quominus eos longè imprudentiſſimos cenſeamus, qui cùm poſſent, Chriſtianæ fidei complanare viam, aliis pleriſque, à quibus mundanum & carnale iudicium abhorret, philoſophicæ aquæ admixtione dilutis, vt in caupona hæreticorum factitari ſolitum notat Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 169. maluerint tamen ſcandalo crucis, & iis à quibus carnis ſapientia tantoperè abhorret, apertè proponendis, tam multos è fide auertere, & in perpetuam ruinam præcipites agere.

Quàm porrò, etiam fatui Caluino Iudice Patres omnes, qui rem impoſſibilem tentarint aſſertione falſa perficere? Nempe noſtram ad virtutis opera ſegnitiem excutere prædicatione libertatis. At hanc illi vel ſciebant nullam eſſe ob robuſtam Dei manum neceſſitantem ad omnia, etiam ad ſcelera (vah ſcelus. Sed Caluinus eſt qui loquitur: nec potuit, de ſtrobe ingenij & oris tam lutulenti, aliquid purius hauriri:) vel ignorarunt homini ereptam fuiſſe, eo quem dixi, adamantino nexu ligata voluntate. Primum ſi dicat Caluinus, defugere non poteſt, quin nequitiæ & fatuitatis arguat Religionis magiſtros, qui rem quam nobis impoſſibilem ſcirent, tentarint per nos efficere, falſæ poteſtatis exaggeratione, & fucum interim credulis hominibus fecerint. Si ſecundum, quorſum quæſitos à Patribus hos prætextus ad obtendendam libertatem, comminiſcitur? Aut quorſum candidè ac ſincerè non profert quod ſentit, eſſe ſcilicet hallucinatos, (vno mendaciter excepto,) Patres omnes in re tanta ſibi vni poſt tam denſam caliginem illuxiſſe veritatis diem. *Vtrùm fraudulentus*

ipſe hac in re, *an cæcus ſit potius iudicandus, incertum eſt, ſed quodlibet illorum eligat, deteſtandus eſt*: vt in ſimili dixit Auguſtinus 1. contra aduerſ. legis & Proph. cap. 5. cuius longè alium de Sanctis Patribus ſenſum, ac in eos venerationem obſeruare licebit lib. 2. in Iulian. cap. 10. & lib. 1. eiuſdem operis cap. 4. & lib. 4. contra duas epiſt. Pelag ferè in fine. Alia pete ex Stapletonio 7. de princip. fidei à cap. 12. Agnoſcere certè in hoc Caluini faſtu ac Patrum deſpectu poſſumus, infrunitum illum ſpiritum, qui omnium ſemper ſectariorum ora in cœlum mouit, de quo alibi, & bene Campianus ratione 5. Coccius tom. 1. lib. 8. art. 12. Optimè Iurgeuitius cap. 5. libri cuius epigraphè eſt. *Antiqui teſtes noui Euangelij Nullus & Nemo.* Et ex antiquis luculenter Anaſtaſius c. 7. ὁδηγ. Sed hæc obiter, tantùm ad abigendam petulci eius effrænationem atque licentiam.

Plato, libertati exſoluta aſtipulatus.

219. Vt ergo ad rem redeam, quia Philoſophi de aduerſariorum ſententia conſpirarunt in hanc veritatem, breuiùs labore eos recenſendi defungemur. Plato, verſatilem humanæ voluntatis conditionem, perſpicue agnoſcit variis locis, quæ collegit Theodoretus lib. 5. contra Græcos quem adſcribo, quia locum eius, variis Platonis dictis fartum appendere, perinde eſt, ac ipſum platonem, cuius mentem venamur, adducere. [Alij, *inquit*, & neceſſitatis & fati, humanum animum ſeruum eſſe dixerunt, agique Parcarum filis protractum, ac pendere denique omnia quæ is agat, de ſuperno cœli rotatu, ſiderúmque congreſſu. Plato autem contraria prorſus aſſerit: liberam enim eſſe animam ſenſit, dominámque eorum quibus perturbetur affectuum: ſpontéque ipſam ſuâ, huc atque illuc agitari: ſuæ demum voluntati referre acceptum, quod vincat quódque ſuccumbat. Hoc verò ipſum Plato ſuis in legibus ita manifeſtè oſtendit. Hic quoque ô hoſpes, cùm quis ſeipſum vincit, prima hæc victoriarum, atque optima eſt victoria. Cùm autem quis à ſeipſo ſuperatur, hoc verò ipſum eſt peſſimum atque turpiſſimum. Hæc enim ita contingunt, tanquam contra nos ipſos bellum aliquod nobis inſit. Rurſúsque idem Plato paulò poſt. Scimus hoc autem, huiuſmodi affectus tanquam inſitos nobis neruos, quoſdámque funiculos, trahere nos prorſum, retrorſúmque reuocare. Sicútque ipſi contrarij ſibi ſunt: ita & nos trahere in contrarias functiones, quam vbi diſcreta iam ſit ſedes vitij ac virtutis. Dictat enim ratio, vnum eſſe tractionum eiuſdem principatum, quem ſi quis ita conſectetur, vt ab eo nunquam deficiat, planè perſentiet modicas omnino eſſe vires affectionum, quæ in contrarias partes ſe ſe trahere conentur: hunc verò ductum ac principatum rationis eſſe aſſeramus. His itaque verbis, Plato, oſtendit nequaquam nos ab initio malam naturam ſortitos eſſe, neque vlla neceſſitate aut violentia cogi homines ad peccandum. Non denique agi Parcarum filis; neque aſtrorum congreſſu ad ea, quæ ſunt agenda, compelli. Sed eſſe animæ cum ſeipſa certamẽ, adeſſéque illi victoriæ facultatem, ſi modò inclinare ad virtutem conſtituat.] Subdit mox in eandem ſententiam alia Platonis loca.

Vnum ego præterea addo, quod S. Iuſtino in Apolog. ad Anton. & Clementi 5. Stromatum cap. 7. *ſub libri finem*, admodum placuit. Nempe, quod inde inferat Plato, Deum non eſſe peccati autorem, quia homo in ſuis operationibus, eſt voluntatis ſuæ arbiter, & actuum Dominus. Locum ita retulit Clemens ex 10. de Republ. [Liberum arbitrium, Plato per hæc oſtendit. Virtus non paret alterius dominio, quam prout vnuſquiſque vel honorauerit, vel deſpexerit, erit eius particeps. Eius qui elegerit, culpæ non poteſt in Deum cauſa conferri Deus enim nunquam eſt cauſa malorum. O Troiani bellicoſi, inquit Lyricus, Iupiter regnator ſuperum, qui omnia aſpicit, non eſt mortalibus cauſa malorum. Sed omnibus hominibus in medio eſt propoſitum, & apprehendant iuſtitiam, caſtam & ſanctam Eunomiæ comitem, & prudentis Themidis.]

220. Non omitto illuſtria in hac re Alcinoi verba ex cap. 19. inſtit. quibus mens Platonis dilucide exponitur. *Omnia in fato eſſe, ait Plato. Non omnia tamen, fato eſſe definita. Fatum enim inſtar legis nequaquam dicit; hic illa faciet, ille vero hæc patietur: (Hoc enim in infinitum abiret, cùm infiniti ſint, qui naſcuntur, & infinita quæ his accidunt; Periret quoque quod in nobis ſitum eſſe dicitur, omnéſque laudes & vituperationes, quæque his proxima ſunt, tollerentur:) Sed quod ſi quis animus, vitam eiuſmodi delegerit, atque talia fecerit, hæc illum conſequentur. Liber ergo animus eſt, atque in eius poteſtate ſitum, illa agere, vel non agere, nec ad ea vlla neceſſitate cogitur. Quod autem in illo ordine ſequitur, id fato perficietur. Veluti ex eo quòd Paris Helenam rapiet, (quod quidem illi erat liberum.) conſequens erit, vt Græci pro Helena aduerſus Troianos bellum gerant. Sic quoque, & quod Apollo ipſi Laio prædixit. Si genueris filium, natus ipſe te perimet. In connexione continetur, & Laius, & filij procreatio. At quod ex iis eſt conſequens, id fato definitum. Eius autem quod fieri poſſe dicitur natura, inter verum & falſum media incidit, eáque ex ſe indefinita in qua tanquam vehiculo, fertur id quod in nobis ſitum eſt. Quod cùm nobis eligentibus factum fuerit, verum aut falſum erit.* Eodem modo Platonis ſententiam refert Nemeſius lib. de homine cap. 38. & fuiſſe etiam quorundam Græcorum doctiſſimorum, affirmat ibidem cap. 37.

Diſplicet tamen Nemeſio, quòd Plato, quæ ad actiones noſtras conſequuntur, fato ſubiiciat. Hoc verò quomodo cum libera hominis voluntate cohæreat, nec violatam idcirco à Platone fuiſſe contingentiam actionum noſtrarum, latè oſtendi in Naturali Theologia diſt 8. à num. 206. quæ nunc omitto, ne fruſtrà hic eadem iterem: Contentus addidiſſe, Minutium ſub finem libelli ſui aduerſus gentes, huiuſmodi fatum cum libertate iungere, & admittere, verbis illis, quæ ſubiicit, poſtquam Gentiles multorum ſcelerum arguit. *Nec de fato quiſquam aut ſolatiũ capiat, aut excuſet. Euentum, ſit fortis fortuna mens, tamen libera eſt. Et ideo actus hominis, non dignitas iudicatur. Quid enim aliud eſt fatum, quàm quod de vnoquoque noſtrum, Deus fatus eſt? Qui cùm poſſit praſcire materiam, pro meritis & qualitatibus ſingulorum, etiam fata determinat. Ita in nobis non genitura plectitur, ſed ingenij natura punitur.* Item S. Maximus, initio collationis cum Theodoſio Epiſcopo Cæſareæ, docet Deum omnia præſcire, non tamen omnia prædeſtinare, & mirante illam doctrinam Theodoſio rationem reddit S. Maximus quia *præſcientia eſt cogitationum & ſermonum & operum quæ ex nobis ſunt; prædeſtinatio verò eorum eſt, quæ ex nobis non accidunt*: Quærenti autem Theodoſio quæ ſint ea quæ ex nobis ſunt & quæ ex nobis non accidunt, reſpondet S. Maximus ex nobis eſſe liberos actus bonos & malos, non ex nobis autem accidere pœnas & incommoda, vel his contraria. Hæc enim Deus per ſeipſum inconſultis nobis decernit reſpectu habito ad opera per nos liberè poſita. Vides illam ipſam doctrinam quam ex Platone & Minutio retuli, approbari à S. Maximo.

Platonis

Platoni Hermes, Plato diſcipulus præiuit.

221. Videtur porrò Plato, ſententiam ſuam hauſiſſe ex Mercurio vt ſolet. Ita enim loquitur Mercurius apud Stobæum in Eclogis Ethic. c. vltim. [Cum opinio & ſenſus in eodem non maneant, eas mutantiam ac defectum ſentiunt, ac tum ab intellectu ſeparati peiores euadunt, tum cum eo coniuncti, meliores. Vt autem vel melius vel peius eligamus, in nobis eſt. Cùm quidem mala ſectamur, cum natura corporea coniungimur, ideoque fato ſumus obnoxij: Mentis autem ratio, ſemper in eodem manet, idcóque fatum non ſentit. Anima quidem cum naſcentibus coniuncta, fatis quoque ipſorum tenetur.]

Magiſtrum ſecuti ſunt Platonici, præſertim Plotinus Enneade 3 lib. 1. 2. & 3. & optime etiam Enneade 6. l. 8. c. 1. & ſequentibus. Ex quibus locis floſculum carpere non licet, ſine iniuria reliquorum, idcirco nihil ſingulatim ex Plotino apponam. Eodem conſilio nullum faciam ex eadem ſchola, hominem vt S. Auguſtinus 12. contra Fauſtum cap. 39 appellauit, *liberalis erudiciſſimum*, tantáque cum Platone ſenſuum & eloquij ſimilitudine iuxta Hieronymum, in Scriptorum ſyllabo, vt vulgo audiret Plato recorporatus: Philonem dico, cuius de noſtræ libertatis exſolutione illuſtriſſimum teſtimonium dedi hac ipſa diſtinctione num. 125. Et poſſent quàm plurima alia proferri, niſi inopiam copia faceret, eſſétque ambiguum quæ potiùs reticenda, quæ educenda in hanc rem eſſent. Præterquàm quod Philo, tametſi Platonicus Philoſophus, videri poteſt hoc dogma potius hauſiſſe è Scripturis veteris Teſtamenti, quibus libertatis noſtræ exſolutio explicatiſſimè traditur, cùm loco quem protuli num. 215. tum cap. Deuteron. 30. quo, ante nos, mors & vita dicitur propoſita, nobíſque alterutrius conceſſa optio. Ex eo enim oraculo, libertatis humanæ manumiſſionem, & exſolutionem à neceſſitate, eruit Ipſe Philo lib. quod Devs immutabilis. Itaque nunc quamdiu authoritate Philoſophica agimus, minus è re noſtra videri poteſt Philonis ſuffragium, quod proinde ſciens dimitto, progrediens ad alios Platonicos, libertatis exſolutæ vindices.

222. Eminet inter eos Maximus Tyrius, ex quo quam plurima ſuppetunt tota diſſert. 3. quæ eſt de cohæſione libertatis & præſcientiæ. Nec repugnat num. 20. cùm ait, vitam noſtram, eſſe neceſſitate ſimul & libertate mixtam, eámque libertatem talem eſſe, qualis eſt in homine vincto, qui ſponte lictorem ſequitur. Id enim referendum non eſt ad vllam neceſſitationem libertatis ex fatali prædeterminatione, quam mox diffitetur, oſtendens, ſi ea admitteretur, omnia noſtra ſcelera eſſe in Deum referenda; cùm tamen nos ſoli ſimus eorum cauſa, qui liberè in ea prorumpimus. Ad ſummum ergo ex verbis illis Maximi Tyrii, colligitur eum ſenſiſſe, Deum, ſi nos ipſi non eſſemus volituri, quod ipſe præſcimit, fore nos ad id determinaturum: quamuis quia vltro ad id inclinamus, intemeratam ſinat libertatem. Quæ doctrina eſt quidem reprobanda ex alio capite, nihil tamen continet libertati aduerſans eámve de facto temerans, vt probaui in Naturali Theologia lib. 8. numer. 192.

Optimè idem Tyrius diſſert. 15. num. 149. [Deus animam mortali corpori impoſuit, tanquam aurigam plauſtro, traditíſque aurigæ in manum habenis, curſu ſuo ferri permiſit. Vim illi præterea robúrque addidit, vt vel arte ſua vti poſſet ſi vellet, vel abuti ſi mallet. Ibi felix, & quam verè beatam dicas anima, memor illius à quo plauſtro impoſita eſt, frænóſque accepit, (nimirum Dei,) habenas manu arripit, currum regit, impetúmque caſtigat equorum. Illi contra in diuerſa ruunt, aliúſque aliò contendit. Alius enim ad intemperantiam, ingluuiem, ac libidinem; alius ad bilem temeritatémque & inſaniam propendet, alius tardus ac mollis, alius illiberalis ac deuicti humiliſque eſt animi. Ita currus in diuerſa diſtractus; aurigam turbat. Quod ſi equis auriga feratur, nec currus habenas audiat, ibi potentioris equi impetum, axis ſequitur.] Hæc ad Tyri, mentem, quoad rem præſentem, plus ſatis.

223. Sed & Proclus lib. de anima & dæmone [Animalia, *inquit*, ratione capta, impulſu gubernantur externo, & aliunde curantur: Ea videlicet conditione, qua mouet ipſe motor; orbata ſcilicet ea facultate, qua aliquid ſeipſum ducere valeat, atque ſeruare: Rationalis autem anima, propter ipſam per ſe mobilem & per ſe operantem proprietatem, ſuapte natura poteſt circa ſeipſam agere, ſéque mouere, bonúmque ſibi ipſi præbere.] Optimè item Iamblicus lib. de myſteriis §. 40. animarum à fato alligante exſolutionem, & dominium in actus ſuos grauiter inculcans.

Ex Porphyrio inſignem locum adducit S. Cyrillus libro 3. in Iulian. ad tex. 1. [Humana mens, *inquit Cyrillus*, poteſtatem ſortita eſt, quæ facienda vel non: & permiſſa eſt, voluntariis impetibus, vt dixi, ad quodlibet ire. Vnde optimo artifici, etiam hoc gloriam affert. Voluntaria enim operandi facultate, conueniebat rationalem creaturam inſigniri, & electionis liberæ declarari fructum, in bonis operibus dexteritatem. Videntur autem & illius magiſtris hæc digna quæ laudentur. Vnde Porphyrius in lib. ad Nemertium ſic dicit. Nam voluiſſe quidem Deum, & veritatis rerum ſocios eſſe homines, vnde & rationales fecit, eo quòd idonea illis ſit ratio ad inueſtigandum verum: Cùm autem dedit libertatem ac liberum arbitrium vnicuique, vt in ipſis ſit bonum voluntarij ornatum. Inde, plurimi declinant ad abſurdam & irrationabilem ignauiam, vt in pecuinam vitam excidant, & fallunt in operibus quorum veritas vix ſtudioſis & ſobriè laborantibus contigit. Et aliter quoque: Nam cùm anima liberum arbitrium ſortita ſit ad virtutem, libertatis poſſeſſionem vel vitij voluntariam electionem, vt propter illam in vnaquaque probaretur, & quod dignum laudibus, & quod vitium, haberéntque locum in hominibus reprobationes, & laudes, & honorum diſtributiones. & vituperia, & ignominiæ, & vindictæ, his qui mala opera perpetrant. Dicunt autem ſapientes, animas vitam eligere quam vnaquæque voluerit, eo quòd poteſtatem prouidentiæ acceperint. Num tibi videtur aberrare à veritate noſter ſermo, vel patrocinari tuis, ſicque hæc habere & ipſe dicis?]

Extremis his verbis compellat S. Cyrillus Iulianum, vt agnoſcat luculentum Porphyrij teſtimonium, circa libertatis noſtræ habenas nobis commiſſas, deſinátque queri, implanatum à Deo, & in foueam actum Adamum, dato ei adiutorio quod potius in illicium ruinæ, & in exitium fuit. Id quod Iulianus criminabatur: ſed omnino ab re dè, quandoquidem non mulier homini, ſed ipſe ſibi homo exitio fuit, cùm haberet plenam libertatis exſolutionem, vt Porphyrius loco allegato apertè agnouit. Plurima verò præterea ex Porphyrio & Iamblico, in hanc rem adducuntur apud Stobæum in Eclogis Ethicis *ferè in fine* quæ prudens omitto ob prolixitatem. Quid autem voluerint ſibi Plato & Platonici, cùm dixerunt nemi-

nem liberè & ſponte peccare, ſed duntaxat inuitum, exponam agens de malitia; vbi patebit eum modum loquendi nulla ex parte officere veritati quàm hic ſtabilimus. De Platonis in hac re ſatis. Sed quoniam Euripides, Iudice Clemente Alexandrino in proptrept. Socratica ſchola dignus eſt, age quanquam aliud ferente temporum ratione, Socraticis ſiue Platonicis Euripidem in hac cauſa acceuſeamus. Inſignem ex eo locum profert & librat ſanctus Cyrillus lib. 6. de adorat. qui ſic habet, verſis nonnullis.

Hoc anxiè quæſiui, quomodò, & quibus
Corrupta cauſis, vita ſit mortalium.
Ac mihi videntur non inopia conſili
In praua ferri: namque multis cor ſapit.
Sed hæc origo eſt, omnis, vt opinor, mali,
Vtilia cuncti ſcimus, & cognoſcimus,
Sed refugimus laborem: alius ignauia,
Alius honeſto dum voluptatem antefert,
Vel hanc vel illam: Nam vita multas habet.
Nugando teros illi conſumit dies,
Hunc nihil agendi, dulce delectat malum.

[Intelligis, (*ſubdit S. Cyrillus*) non fortunam, non ortum, non factum, priſcis illis viris culpandum videri, qui ſi per vim nos a recta ſententia, iiſque rebus depellat quas honeſtas eſſe didicerimus. Corrupta namque eſt vita mortalium (*inquit*) non è ſenſus natura, id eſt non eo quod prauum natura ſenſum habeant, ſed, quod ea quæ rectè ſenſerint, laborando perficere nolunt. Et quæ huius rei cauſa eſt? Aut enim ignauia (*inquit*) ita illos impediuit vt prorſus ceſſarent, aut voluptas aliqua vitæ ſubrepens, & aduerſus vtilitatis conſiderationé ſe opponens à neceſſariis rebus adiiciendis abduxit, &c. Innumerabilia his adiicere ex corú autoribus potuiſſemus, & quidé facillimè.]

Suffragium Ariſtotelis pro libertate exſoluta.

224. Ariſtoteli, violatæ libertatis humanæ dicam, impegit Tullius. l. de fato, & Oenomaus apud Theodoretum, initio ſexti contra Græcos, ipſéque Theodoretus ex ſua ſententia lib. 5. eiuſdem operis. Sed meritò calumniam repellunt Palacius in 1. d. 38. diſp. 2. *ferè initio*, & in 2. d. 23. diſp. vnica, Crippa in librum do motu animal. digreſſ. de hominis libertate. Portius lib. an bonus quis vel malus ſponte fiat c. 4. Boëtius lib. 3. in libr. de interpretatione editionis ſecundæ n. 37. & 38. & paſſim ad eum locum interpretes, Sepulueda lib. 2. de fato & lib. arbitr. initio, Ficinus in argumento libri primi Plotini de dubiis animæ, Carpentarius digreſſ. 11. in Alcinoum, Franc. Picus lib. de prouident. p. 2. c. 18. Armacanus latè lib. 25. de quæſtionibus Armenorum c. 20.

Cùm autem citati autores plurima ex Philoſopho proferant; luculentus tamen in hanc rem locus habetur 3. Ethic. cap. 5. quem ſupra num. 211. retuli à magno humanæ libertatis hoſte nominatim appetitum. Luculenter etiam ibid. c. 3. tractans obiectum conſultationis, reſtringit illud ad ea quæ ſunt in noſtra poteſtate, nec ſunt neceſſaria, ſed ita fiunt, vt ſi nollemus non fierent. Diſertè item 1. Perihermenias c. vltimo, ex eo contendit negandam eſſe veritatem ac falſitatem in altera propoſitione ex duabus contradictoriis ſingularibus de futuro contingenti, quod eâ admiſsâ, rueret libertas noſtra, & contingentia effectuum (quam negari nullo modo poſſe, ex eo probat, quòd alioqui ſtultè conſultaremus, &, vt ibi loquitur, nos ipſi non eſſemus principia futurarum actionum, ſed extrinſecum determinans. Vbi non expendo, an iſta pugnent cum veritate determinatæ alterius propoſitionis ex duabus propoſitionibus, eo modo oppoſitis, quo eas deſcripſi, qua de re alibi.

Nunc ergo tantùm attendo, haberi ab Ariſtotele pro abſurdiſſimo, quòd negetur libertas actuum noſtrorum, ac proinde etiam libertatis exſolutio.

Sed per otium, & planè luculenter 1. Magnorum Moralium c. 10. refellit placitum Socratis, affirmantis non eſſe in poteſtate noſtra poſitum, effici bonos vel malos, eò quòd nemo volens fieret malus, *Hæc ratio,* inquit, *nequaquam vera: Nam cur demum legiſlator mala facere non permittit, at honeſta & proba iubet? Et in malis quidem mulctam infligit delinquentibus; in rebus autem honeſtis, niſi honeſta peregerint. Alioqui iniquum fuerit, vbi in nobis non ſit, hoc legum conditores facere. Cæterùm vt videtur, in nobis eſt, probos & improbos eſſe. Item laudes & vituperationes, id quoque atteſtantur. Virtutem namque laus, vitium autem vituperatio conſequitur. Atqui laus & vituperatio, non inuitis attribuitur. Manifeſtum igitur hoc modo, in noſtro arbitrio eſſe, bona maláque facere.* Et paucis interpoſitis, vrget ad idem euincendum, rationem optimam ex eo ductam, quòd actiones redoleant naturam principij, ex quo prodeunt: Non enim legunt de tribulis ficus, neque de ſpinis vuas. Experimur autem in homine varij generis opera; inter quæ aliqua ſunt actiones preſsè ſumpto nomine: Id eſt, operationes ab ipſo homine, vt ſuimet ad operandum determinatiuo, prodeuntes; quas cùm vult variat: nunc vno modo, nunc alio, nunc benè, nunc turpiter, operando.

225. Hæc eſt efficaciſſima illa ratio, quam à variis Patribus fuiſſe adhibitam retuli ſupra num. 156 excludens à brutis libertatem. Et idem in hanc rem inter Philoſophos optimè vrget Bardeſanes apud Euſebium lib. 6. præparat. c. 8. verbis illis [Naturâ homo naſcitur, *inquit*, aliter, creſcit commedit, bibit, dormit, ſeneſcit, moritur, quæ omnia ſibi cum cæteris animalibus communia ſunt. Sed bruta quidem, cum animalia ſint coniunctione procreata, naturâ omnino feruntur: Leo carneus eſt, ſaluti ſuæ propugnat, ſi quis iniuriam infert. Oues fœnum edunt, carnes non tangunt, nec ab iniuria ſe defendunt. Scorpio aggeré comedit, & peſtifero non iniuriantes ſtimulo petit. Formica, naturâ duce hyemem ſuſpicatur, idcirco ſummis laboribus futura ſibi alimenta in æſtate recōdit. Apes mel operantur, & melle nutriuntur. Plura mirabilioráq; poſſem narrare, ſed hæc ſufficere arbitror ad intelligendum naturâ ferri expertia rationis animalia, & ſecundùm eam iucunde viuere. Soli autem homines, cùm naturâ ducantur, vt dictum eſt, mentem etiam & orationé, quæ a mēte profertur, quaſi præcipuū quoddam donum poſſident, quò non naturâ feruntur, Non enim vnus cibus omnibus eſt, ſed alij ſicut leones nutriuntur, alij ſicut oues. Non eſt vnus vniuerſis veſtitus, non mos, non lex, non vnus viuendi modus, non ſimplex rerum cupiditas. Singuli enim hominum propria voluntate vitam ſibi eligunt, nec vicinos, niſi quantum volunt, imitantur. Libertas enim hominis, ſeruituti ſubiecta non eſt. Nam etiamſi ſponte ſeruiat, libertatis ſuæ id quoque eſt, vt poſſit cùm velit ſeruire. Multi hominum, ac maximè Alaneorum gentis, quaſi atroces beſtiæ carnibus aluntur, panem non comedunt, non quia non habent, ſed quia nolunt. Nonnulli carnes omnino faſtidiunt; alij piſces ſolummodo edunt; nonnulli etiāſi fame morerentur. piſces non eſſent. Alij aquam, alij vinum, alij ceruiſiam bibunt. Adeo multiplex atque diuerſa, cibi & potus, in hominibus eſt differentia, vt in oleribus quoque comedēdis, conuenire non videantur. Sunt etiam, qui veluti ſcorpiones aut aſpides, non læſi iniuriantur: Et qui non iniuriantur quidem, ſed læſi propulſant iniuriam. Nonnulli tanquam lupi rapiunt, & ſicut catæ furantur. Alij tanquam oues ſic omnia ferunt, vt etiam iniuria vexati

xati

xati, perpetiantur. Vnde alios iuſtos, alios iniuſtos appellamus. His rebus apertum eſt, non natura in omnibus hominem fieri: (vna enim in omnibus natura eſt hæc verò diuerſa:) ſed in quibuſdam naturâ, in quibuſdam voluntate. Quare in his laudem vel vituperationem meretur, in illis autem iure inculpabilis eſt.] Idem habetur ex Seneca in conſol. ad Marc. c. 7.

Hoc ipſum eſt igitur argumentum, quod Philoſophus loco allegato proponit, vt hominem oſtendat eſſe liberum; nempe quod agens non liberum eundem ſemper operandi tenorem ſeruet. Ignis enim ſemper calefacit, aqua nunquam. Ex brutis, omnes lupi eandem vorandi oues inclinationem produnt, omnes agni eodem ſunt genio, & ita in ſimilibus. Quod cum ingenti admiratione ſuſpicit Philemon apud Stobæum ſerm. 2. *Cur*, inquit, *Prometheus, quem dicunt nos formaſſe, reliquáque omnia animalia, brutis quidem dedit ſingulis, pro ſuo genere vnam naturam? Omnes leones ſunt robuſti, timidi cõtra omnes ex ordine lepores. Non eſt vulpes alia quidem vafra, & diſſimulatrix ſuâ naturâ, aliâ verò ſui cuiuſdã & peculiaris ingenij. Verùm ſi triginta millia vulpium quis congreget, vnam naturam omnibus cernet ineſſe, modúmq; vitæ & tenorem parem. Noſtrũ autem quot corpor[illegible]umero, totidem eſt & vitæ rat onos cernere* Nimirũ, (quod iſte non expreſſit, aut non vidit;) homo duntaxat, quia verſatile arbitrium habet, nunc vno modo, nunc contrario operatur; nunc in iſtud, nunc in contrarium fertur.

Lucem ergo ex his accipit, ea quam dicebam, Philoſophi ratiocinatio, his verbis comprehenſa. *Omnis natura eius eſt eſſentiæ procreatrix, qualis ipſa eſt, veluti ſtirpes & animalia: nam vtraq; gignunt, ex principiiſque producunt, vt arbor ex ſemine: id namque principium eſt. Quod porrò principia conſequitur, ita habet. Vt enim habuerint principia, ita quæ ex principiis ortum ducunt. Perſpicuè autem licet hoc in geometria magis intueri: Vbi cùm aliqua ſumpta ſint principia, vt ea habuerint, ita etiam, quæ ipſa conſequuntur* Interſerit geometricum exemplum cuius nulla hic neceſſitas, tum pergit. *Idem igitur atque conſimiliter, de homine quoque intelligendum. Nam cùm ſit homo primogenitricis eſſentiæ ex principiis quibuſdam atque actionibus quibus efficit, homo progenerans eſt. Nam quid aliud? Neque enim inanimatum aliquod efficere dicimus, neque etiam animaternm circa hominem quicquam Manifeſtum igitur actionum hominem eſſe progeniterem. Proinde quoniam actiones commutari intuemur, nec eadem vnquam agimus, ſúntque actiones ex aliquibus progenitæ principiis: manifeſtum quandoquidem actiones immutantur, etiam actionum immutari principia, ex quibus ſunt, quemadmodum collatione oſtendimus geometrica. Atqui actionis tam bonæ quam malæ, principium, eſt propoſitum & voluntas, & quicquid ad rationem tendit. Non dubium igitur, quin hæc quoque commutentur. Sponte namque actiones immutamus, & perinde etiam principium atque propoſitum Nam hæc ſponte fit mutatio. Proinde non dubium, quin in nobis ſit & probos & malos eſſe.*

226. Perilluſtris denique eſt locus ex 2. Moral. Eudem c. 7. eóque etiam expreſſior, quòd in eo Philoſophus, hominem ſuarum actionum dominum eſſe, diſertè agnoſcit. [Si quædam, *inquit*, ſunt eiuſmodi, etiam contra habere poſſint, neceſſariò etiam principia ſunt eiuſmodi; nam ex neceſſariis nihil niſi neceſſarium concluditur: quæ verò à nobis oriuntur, etiam contrariè euenire poſſunt. Equidem quæ penes homines ſunt, pleráque eius generis comperiũtur, atque ipſi talium etiam comprincipia exiſtunt. Quarum igitur cunque actionum principium & dominus homo conſtituitur, ea patet fieri & non fieri poſſe, & in ſua etiam manu eſſe, qui fiunt. Vt puta quorum ipſe dominus eſt, vt vel ſint vel non ſint. Quæ verò in ipſo ſita ſunt, vt faciat vel non faciat, eorum vtique cauſa exiſtit. Quoniam autem virtus ac vitium, vtrorúmque effectus; hi quidem laudantur, illi verò vituperantur vituperantur autem laudantúrque non quæ à neceſſitate, vel naturâ, vel fortunâ inſunt ſed quorum ipſi cauſa ſumus; quorum verò alij, eorundem etiam laus vel nota erit; manifeſtum, virtutem ac vitium circa eiuſmodi verſari quorum cauſa quiſque eſt, & actionis principium.] Locus ex 9. Metaph. t. 10. vbi aſſerit potentias rationales eſſe ad oppoſita, ſatis iam ſupra expenſus eſt.

Calumnia in Philoſophum depulſa.

227. Ex his cùm adeò perſpicua ſit mens Philoſophi circa libertatem, maior quid in mentem venerit Lælio Peregrino in paraph. 7. Ethic. c. 5. ad numerum quartum, vt cenſeret Philoſophum eo loco conuulſiſſe arbitrij humani libertatem; cum ſcripſit, feritatem ſiue immanitatem, qui eſt ferinus peccandi habitus, quibuſdam naturâ accidere, proindéque vacare culpa, qui eiuſmodi ſunt, nec eſſe reprehenſioni obnoxios, quod quæ naturalia ſunt, notam non mereantur, *Hæc*, (objicit Lælius) *ſi vera ſunt, vbi humani arbitrij libertas? vbi rationis imperium in omnes cupiditates? vbi inuictum robur voluntatis?* Itaque non dubitat; quin hæc Ariſtotelis ſententia, longè diſcrepet ab ea quam poſuerat 3. Ethic. vbi Philoſophus apertè humanam voluntatem liberam & actionis ſuæ dominam ſtabiliuerat. Vel ergo errasse hoc poſteriore loco Philoſophum, vel ad vulgi ſenſum locutum, vel ad Platonicam Androgynorum fabulã alluiſſe. Namquin ipſa Philoſophi ſententia ſit omnino explodenda ambigendum non putat. Si enim immanitas, ideſt, ſceleris quaſi vertex, eſſet in aliquibus à natura, non poſſet ei iure vllo decerni pœna, quod nemo dixerit.

Verùm Philoſophi hoc loco defenſio, & liberi arbitrii indemnitas, difficilis expoſitu non eſt. Neque enim Ariſtoteles diffitetur, quin fœtus huius immanitatis ſint liberi ei qui à natura huiuſmodi habitum vel potius inclinationem & diſpoſitionem animi ex corporea diſpoſitione ſortitus ſit. Sicut etiam id non negat de iis, qui ex conſuetudine eundem habitum ſibi induxerunt; quos tamen ex quo conſuetudo obduruit tranſiitque in naturam, fatetur eſſe æquæ excuſabiles ac eos, qui à natura id vitij contraxerunt. Actiones igitur in vtriſque vitioſæ ſunt & liberæ, idque Ariſtoteles non negat: ait tamen ipſum habitum, ſeu quod quis à natura eam immanitatem ſit ſortitus, ex qua in terras illas actiones erumpit, non eſſe ex eo capite culpandum; cùm naturalia non poſſint vitio verti, quippe non libera habenti.

Quare non eſt opus ad voluntarias illas excuſationes Philoſophi, quæ ab accuſationibus non multum diſſident, recurrere. Et mirum ſanè eſſet, neminem hactenus interpretem, tam fœdum Philoſophi lapſum, imò tam pernicioſam hallucinationem, quæ bonorum morum fundamentum ſubrueret, vel leuiter indicaſſe: Non S. Thomam, non Aſpaſium, non recentiores innumeros, qui caput illud 5. penitiſſimè ſcrutati, nihil in eo à veritate fidei, & toties ſtabilita per Philoſophum humana libertate, peregrinum ſubolfecerunt.

Peripatetici, pro eadem libertatis exſolutione.

228. Magiſtrum ſecuti, Peripatetici omnes, libertatem & ipſi agnouerunt. Inſignia ſunt quæ ex Alexandro refert Porcius lib. an bonus quis vel malus ſponte fiat. cap. 14. & delibauit etiam Euſebius 6. præparat cap. 7. Affirmat enim Alexander, ridiculum

eſſe eum, qui nititur probare, eſſe in nobis libertatem, eò quòd id demonſtrare, ſit hominis non valentis notum ab ignoto diſcernere; quod in eum qui tentet probare dari naturam ſcriptum eſt à Philoſopho 2. Phyſic. Cùm enim naturam eſſe ex tam multis liqueat, næ ille operam ludit, qui id conetur planum facere, quòd ex ſe eſt apertiſſimum. At pollere hominem libertate nihilominus videtur perſpicuum, ſi ad ea attendamus, quæ quotidiana ſunt, & cuiuis non prorſus cæco illico incurrunt in oculos. Deliberamus enim, mutamus conſilia; ſuademus, diſſuademus laudamus, vituperamus, docemus, iubemus, præmiis proſequimur, afficimúſque ſuppliciis, aſſuetudine mores mutamus, & cùm peruerſi eſſemus, in viros bonos euadimus, quod de Socrate, naturâ flagitioſo proditum eſt, & de multis aliis neminem latet.

Iuuant ipſamet Alexandri verba, quæ Euſebius ſupra exhibet, ex parte apponere. [Sunt quædam quæ ad vtrumlibet contingentia dicuntur, quæ fato fieri omnino negamus: vt mouere pedem, leuare ſupercilia, tacere, loqui, cæteráque huiuſmodi innumerabilia, quæ fatis fieri nullo modo dici poſſunt. Non enim quod fatatum eſt, contrarium ſuſcipit. Præterea conſilium hominis, fruſtra non eſt: Eſſet autem fruſtra, ſi homo neceſſariò ageret quæ agit. Apertè autem id præter animalia cætera homo poſſidet, vt non ſimiliter illis, phantaſiam ſequatur, ſed rationem habeat, qua facienda iudicet: cuius quidem vſu, ea quæ in phantaſiam inciderunt, examinans, ſiquidem examinando probat, concedit phantaſiæ, & ad agendum mouetur. Sin verò improbat, eiicit, expellitque ipſa, rationi obtemperans. Vnde ſolummodò de his quæ agere poſſumus, deliberare ſolemus. Et ſi aliquando nimia cupiditate, non maturo quicquam conſilio egerimus; temeritatis, atque ſpreti conſilij crimine poſtea nos ipſos accuſamus: Omnes temerè aliquid agentes vituperamus, hortamúrque conſilio vti, quaſi agendi poteſtas in nobis ſit. Quòd autem opinio, quæ de fato habetur, falſa penitus eſt, inde patet, quia etiam eius opinionis authores, & docent, & hortantur, & diſcunt, & conſulunt. Increpant etiam, caſtigántque ſuos, quaſi propria voluntate peccantes. Plurima quoque conſcribunt, quibus ad rectos, iuuenes adhortantur mores; veniáque dignum putant, ſi quis inuitus peccat; ſponte autem delinquentes puniendos non negant. Quare vel ſecundùm ipſos hæc neceſſitas fati nulla penitus eſt. Libertas igitur noſtra, naturâ ineſt omnibus.]

Inſignia item ſunt, quæ ex eodem Alexandro delibauit S. Cyrillus lib 3. in Iulian. ad text. 1. adducto enim Porphyrij in hanc rem teſtimonio, ſic Iulianum aggreditur. [Si autem opus eſſe ſibi putat & aliorum teſtimonio, Alexandri afferam ſermones, viri apud eos acutiſſimi & diligentiſſimi. Dicit enim ſic in lib. de prouidentia: Viderit enim quis, & in illis ipſis, diuinæ erga nos naturæ benignitatem, quoniam non poſſibile erat in nobis exiſtere virtutes, natura dante facultatem, cuius ipſa ſit domina, poſſeſſionem eius non in aliis quibuſdam, ſed in nobis ipſis fecit: vt id quod ab illa nobis habere impoſſibile erat, hoc per ipſa accipere quaſi ab illa poſſimus. Nam ſiquidem natura virtutes habere poſſemus, nullus certè vitio locus relictus eſſet. Quoniam autem hoc impoſſibile, natura procedit vſque ad hoc, quòd virtutum capaces nos ſimus. Neceſſariò enim omne quod alicuius capax eſt cui eſt contrarium, id & contrarij capax eſt. In libro autem de fato iterum dicit: Non enim omnes neque plurimos, videmus habere virtutes; quòd eorum, quæ ſecundùm naturam fiunt, iudicium eſt; Sed certum eſt, quòd vnus ille accipiat, qui per exercitationem & doctrinam, oſtendit hominum ad alia animalia naturalem præſtantiam, per hunc qui addidit, quod neceſſariò in natura noſtra deſiderabatur. Propter hoc in nobis eſt virtutum poſſeſſio, & non inutiles neque vanæ laudes, vel vituperia, vel ad meliora inhortationes, vel legitimæ per meliores mores diſciplinæ. *Concludit autem inde S. Cyrillus.* Proinde minimè dubitauerit rectè volens ſapere, quod irreprehenſibilis ſit omnibus modis vniuerſorum Deus, quaſi malè conſuluerit hominis formationi: quamuis, vt dixi, fuerint quidam in priuilegium ſortiti virtutem vertendi ſe ad quodlibet, & poteſtatis acceperint gubernacula, voluntariò declinandi ad id quod contra legem, & quod conforme legi.]

229. Egregiè præterea Simplicius ac prolixiſſimè ad caput 1. Enchiridi Epicteti, & humanam libertatem, depulſis iis, quæ præ fato ac determinatione antecedente à quibuſdam proferebantur, confirmat; & directè etiam eam ſtabilit grauiſſimis rationibus ex natura animi, ex experimento palpabili vniuſcuiuſque, ex factis omnium quotidianis. Illud primùm conteſtatus, [eos qui id quod in noſtra poteſtate eſt, & animi libertatem tollunt, naturam animi, & ignorare, & tollere. Nam illius motum per ſeſe tollunt, in quo natura eius in primis conſiſtit. Siue enim per ſeſe mouetur, intrinſecus è ſemetipſo excitatur ad appetitiones & cupiditates; nec extrinſecus alicunde trahitur aut impellitur, vt corpora: ſiue extrinſecùs mouetur, per ſeſe non mouetur. Deinde vitalem animi vim, & aſſenſionem, & negationem, non conſiderant ij, qui voluntatis libertatem tollunt. Quis enim in ſeipſo non animaduertit, ſe velle & nolle? amplecti & declinare? aſſentiri & refragari? Quæ omnia interni ſunt ipſius animi motus. non externæ quædam impulſiones & tractiones, vt in rebus inanimis. Hoc enim, viua corpora differunt ab inanimis, quod intrinſecùs mouentur. Quod ſi verum eſt, id à quibus illa mouentur, per ſe & non aliunde mouentur. Nam ſi extrinſecùs illud moueretur, etiam corpus primum ab eo moueretur, quod extrinſecùs, vt ante dictum eſt, & non intrinſecùs moueret. At ſi extrinſecus moueretur, conſimili modo vt reliqua inanima, & ipſum eſſet animæ expers. Præterea qui libertatem tollunt, qui velle, & nolle; qui delectum, (αἵρεσιν) & conſilium, (προαίρεσιν;) qui appetitionem, & declinationem, ſimiléſque animorum motus tollunt; Simul diſcrimen etiam virtutis & vitij tollunt, nec laudationem aut vituperationem iuſtam relinquunt, atque bonas leges hiſce de rebus latas euertunt. His verò ſublatis, vita cuiuſmodi eſt futura? Quid ab immanitate belluarum diſtabit?]

Rurſus idem in cap. 24. eiuſdem libri, ad finem quæſtionis de cauſa mali. [Cùm animus qui eſt præſtantior, corpori deteriori implicatus, vltrà modum ſimilitudinem deterioris amplexus fuerit, eámque ſimilitudinem præſtantioris prætulerit, hoc eſt, cùm pecudi & beſtiæ, quàm genio aut Deo ſimilis eſſe maluerit: id verò facit non coactus ab vllo, ſed ipſe arbitratu ſuo, ob libertatem ſuæ voluntatis & poteſtatem. Optio enim in noſtra poteſtate eſt, cum noſter motus, ſit internus. Hic tu mihi attende animum, ne ipſe deceptus, te quoque in errorem lector inducam. Nam delectum & voluntatem, internam eſſe animi motionem, & à re nulla externa cogi, perſpicuum eſſe arbitror: Priùs certè quidem & explicatum id eſt & demonſtratum. Illud item, animum delectu & voluntate ſua, nunc præſtantius eligere, nunc deterius præferre præſtantiori; apertè opinor ex eo eſt oſtenſum, quòd & Deus, & bonæ leges,

&

& homines cordati, bonas & malas hominum actiones non factis & euentu metiuntur, ſed conſilio & voluntate: quòdque & honorem habent, & pœnas irrogant, & laudant, & vituperant, ſolùm conſilium & voluntatem intuentes, quæ noſtri iuris noſtríque arbitrij ſunt. Iis autem quæ à coactis fiunt, quamuis grauiſſima ſint, ignoſcunt; & peccatum non agenti, ſed cogenti tribuunt: quòd hic ſua voluntate nolentem coëgerit, ille autem contra ſuam voluntatem coactus egerit.] Multa præterea omnino inſigniter diſputat in cap. 13. eiuſdem Enchiridij; nominatímque vult ſuſpici diuinam bonitatem atque ſolertiam, quod hominem, inter entia purè intellectualia & purè corporea medium locans, vim illi dominam actus ſui planè exſolutam conceſſerit; qua pro libito poſſet, vel ad ſuperiora ſuſtolli, vel ad inferiora deiici, indéque præmio aut mulcta dignus euaderet.

Tandem Ammonius (vt reliquos Peripateticos miſſos faciam) in lib. de interpret. ſ. 2. n. 7. præclarè proſequitur quanti omnium diſciplinarum interſit, planè exſolutam libertatem humanæ voluntatis incolumem retinere. Locus eſt paulò prolixior, cuius proinde aſcriptione, conſultò abſtineo.

Conſenſus Stoïcorum.

230. Extra Academiam & Lycæum, Stoa quoque humanæ libertati aſtipulata eſt, vt videre licet apud S. Auguſtinum 5. ciuit. c. 10. qui ait, Stoïcos voluntatem liberam fato ſubduxiſſe ne libertas violaretur. Certè Epictetus apud Arrianum, cum alibi infinities, tum luculenter l. 2. c. 2. & pleniùs c. 23. arbitrij humani omnimodam exſolutionem aſtruit, & in eo poſitum eſſe affirmat, vt boni vel mali efficiamur. *Ipſa ſeipſam*, inquit, *conuertit quocunque voluntas. Quare ſola hac, omne vitium eſt & malitia, ac ipſa ſe ſolà omnis virtutis efficitur compos.* Mox verò agens contra Epicurum; cui illud tribuit: *Carnis maximum eſt imperium in rebus omnibus*; habet hæc ſanè aurea. *Quid iſt Epicure quo ſententiam hanc ipſam de poteſtate carnis enunciaris? Nempe quid eſt quo ſcripta commentaria tot reliquiſti de fine hominis, de natura, de canone, quo etiam barbam promiſſam habere inſtituiſti, quod ſcripſiſti etiam in te moribundo, quum te ſupremum diem, & illum beatiſſimum agere diceres? Iſtáne caro fuit, an voluntas qua iſtud es executus? An nihilominus aliquid arbitrio voluntatis præſtantius quiddam ac valentius habere dicis? Nónne inſanis qui ita es cæcus & abſurdus apprehendenda veritate? Quid ergo an is qui ſic ſentit; reliquis facultatibus ſuum detrahit honorem? Nequaquam. Num ſpolias vſu, & otioſam facis facultatem arbitrij? Sed ne illud quidem, quoniam eſt abſurdum, impium, & erga Deum ingratitudo.*

Pulcherrimè item lib. 4. cap. 12. iubet attendere, [quod arbitrij alieni dominus nemo ſit, in quo ſolo ſit collocatum bonum, itémque malum, *concluditque*: Nullius ergo in poteſtate aut dominio eſt, vt bonum mihi conferat, aut in malum coniiciat, ſed reſpectu horum, à meipſo poteſtatem habeo ſolo. Quæ ſi mihi fuerint integra, vtique nihil erit quo perturber in rebus externis. Qualis Tyrannus metuendus, qui morbus, aut quæ egeſtas, quive caſus violentus? At cuidam diſplicui. Num is meum eſt opus? Num meum iudicium? Non. Quid ergo ipſum curatem? Sed videtur eſſe alicuius pretij? Ipſe nimirum viderit, & hi quibus talis videtur eſſe. Ego habeo cui oporteat placere, cui obedire, cuius iuſſis obtemperare, Deo ſcilicet, & his quæ ſunt ſecundum ipſum. Is me commendauit mihimetipſi, meúmque arbitrium mihi ſoli obnoxium fecit, exhibens regulas vt eo vti ritè poſſem.

Apud alios item Stoïcos, quamuis fatum admitterent, tamen frequenter liberæ quoque voluntatis & arbitrij mentio eſt, vt patet ex iis, quæ de placito hoc Stoïcorum diſputat Porcius lib. an bonus quis & malus volens fiat c. 1. Itémque ex longa & pulchra Phauorini Stoïci contra fatum Mathematicum diſputatione pro humana libertate, quæ diſputatio habetur apud Agellium lib. 14. c. 1.

231. Rectè tamen aduertiſſe videtur Iuſtinus, Stoïcos hac in parte ſibi contradixiſſe. Locum adnecto, quia originem erroris Stoïcorum de fato humanas voluntates præpediente, rectè aperit, & redargutionem eius efficacem, ac validam libertatis exſolutæ propugnationem continet. Ita habet Apolog. ad Senat. Rom. [Neque fato agunt homines aut patiuntur quicquam vt apparet, quippe qui voluntariè bona maláque faciunt niſi, quòd interdum à malis geniis contra probos viros incitantur, vt Socratem ac ſimiles, quos perſequuntur & tradunt in carcerem, cùm interim Sardanapalus & Epicurus ſimiléſque in honoribus atque deliciis ſibi placeant. Quod non intelligentes Stoïci, ad fati neceſſitatem, retulerunt omnia. Cæterùm Angeli hominéſque, quoniam initio cùm crearentur, acceperunt à Deo liberum arbitrium, iuſtè pœnam peccatorum luent in æternis ignibus. Eſt autem genitarum rerum omnium hæc natura, vt virtutis ac vitij capaces ſint. Nulla enim laude quicquam eſſet dignum, ni eſſet ad vtrumlibet flexile. Atteſtantur mihi, quotquot rationem veram ſecuti ſunt, Legiſlatores vel Philoſophi, dum alia iubent, vetant alia. Quin & ipſi Stoïci, cùm de moribus diſſerunt, in eadem ſunt ſententia, vt appareat eos de principiis & rebus incorporeis non rectè ſapere. Si enim contendent fatis regi res hominum, aut negabunt Deum in tanta ſubuerſione, mutatione, reſolutionéque in ſuas origines, vt nihil præter corruptibilia percipiant, ac ne ipſum quidem Deum à corruptione prorſus immunem faciant: Aut tollent è rebus diſcrimen virtutis ac vitij, quo quid poteſt cogitari abſurdius, & ab omni ratione magis alienum? Quapropter ſcimus dogmata Stoïcorum, quamuis illi honeſtè de moribus diſputent, (ſicut & Poëtæ interdum, pro innatis ſibi rationis ſeminibus,) tamen paſſim exploſa eſſe.]

232. Pugnant ergo ſecum reipſa Stoïci, vt Iuſtinus rectè vidit, dum libertatem admittunt, & tamen fato voluntatem ſubiiciunt; hoc eſt, diuinæ voluntati, creatam voluntatem prædeterminanti. Nihil enim aliud fuiſſe fatum Stoïcum, latè demonſtraui in Naturali Theologia d. 8. à n. 196. Sic autem aſſerta libertas, vt Boëtius contra Stoïcos diſputat lib. 3. comment. edition. ſecundæ in librum de interpretat. num. 31. & plenè etiam Sepulueda lib. 2. de fato & lib. arbitrio, *per totum*, & Piccolom. gradu 2. cap. 33. non eſt reuera libertas, ſed tantùm importat rationem voluntarij, quæ in brutis quoque ſponte operantibus inuenitur.

Pulcherrimè id tradit idem Boëtius, ſuprà, n. 37. [Dicunt Stoïci omnia quæcunque fiunt, fati neceſſitate prouenire, & omnia quæ fatalis agit ratio, ſine dubio ex neceſſitate contingere. Sed illa eſſe ſola in nobis, & ex voluntate noſtra, quæcunque per voluntatem noſtram, & per nos ipſos, vis fati complet ac perficit. Neque enim, inquiunt, voluntas noſtra in nobis eſt: ſed idem volumus, idémque nolumus, quicquid fati neceſſitas imperauit, vt voluntas quoque noſtra, ex fato pendere videatur. Ita quoniam per voluntatem noſtram quædam ex nobis fiunt, & ea quæ fiunt, in nobis fiunt, quoniámque

voluntas noſtra ex neceſſitate fati eſt, & quæ nos noſtra facimus voluntate, quia neceſſitas imperauit, eâ ipſâ impulſi facimus neceſſitate. Quare hoc modo ſignificationem liberi arbitrij permutantes, neceſſitatem, & id quod in nobis eſt, coniungere impoſſibiliter & copulare contendunt. Illud enim in nobis eſt liberum arbitrium, quod ſit omni neceſſitate vacuum, & ingenuum, & ſuæ poteſtatis, quorum nos domini quodãmodo ſumus vel non faciendi. Quòd ſi voluntatibus quoque noſtris fati in nobis neceſſitas imperet, in nobis volũtas ipſa non erit, ſed in fato: Nec erit liberum arbitrium, ſed potius ſeruiens neceſſitati. Vnde fit, vt qui omnes actus euentuum neceſſitate conſtringunt, dicant poplitem quoque nos non flectere, niſi fatalis neceſſitas iuſſerit; caput quoque non ſcalpere, quare non lauare nec agere aliquid. His etiam adiiciam vel aliquid feliciter vel aliquid infeliciter facere vel pati: vnde fit vt neque caſum, neque liberum arbitrium, nec poſſibile in rebus vllum eſſe contendant. Quamuis liberum deſtruere metuentes arbitrium, aliam ei fingant ſignificationem per quam nihilominus libera hominis voluntas euertitur.]

Eſt tamen, quod ex hoc Stoïcorum placito, tametſi libertatem excindente, eruamus pro libertate. Nempe tantum fuiſſe totius Philoſophiæ conſenſum in agnoſcenda libertate, vt Stoïci impoſſibilia potiùs, vt Boëtius ſuprà loquitur, conari voluerint, antecedentem prædeterminationem diuinam, cum voluntatis exſolutione iungendo, quàm libertatem diffiteri, quæ expedita fuiſſet via, ad declinandas innumeras difficultates, ex conciliatione fati & libertatis enaſcentes. Quas cùm deuorari non poſſe viderent Sectarij, abiectâ verecundiâ, quæ Stoïcos auocauerat, maluerunt humanam libertatem profligare, quàm fatum abiicere.

Pythagorai, libertatis exſoluta, aſſertores.

233. Ante hos omnes, Pythagoræi, libertatem humanam luculenter agnouerunt. Inſignia loca collegit Eugubinus lib. 10. de perenni Philoſophia c. 17. Optimè Euriphamus Pythagoræus lib. de vita. *Nullum animal brutum virtutis aut felicitatis capax eſt. Cùm enim rationem non habeant, ſcientia actionum quoque expertia ſunt. At hominis natura, auxilio eget: quod partim ex propria voluntate, partim à numine ei accedit. Quatenus enim rationes imaginatur, honeſta & turpia cogitat, a terra erectus eſt, & in cœlum reſpicit, & ſummos Deos contemplatur, diuina ope fruitur. Quatenus autem voluntatem, & propoſitum, & tale principium intra ſe habet, per quod liberè poteſt ſtudere virtuti, & malitiam ſequi, & Deos colere, & ab iiſdem auerti, proprio motu vtitur. Quamobrem qui virtutem aut vitium ſecuti ſunt, vituperantur, vel laudantur, & honore vel ignominia afficiuntur, partim diuinam, partim humanam ob cauſam.*

Simplicius, qui Pythagoricum vbique agit, multus eſt in huius veritatis confirmatione, cum alibi, tum pulchrè ad cap. 34. Epicteti in q. de cauſa mali & in cap. 1. ac 23. eiuſdem Enchiridij. Eum iam inter Peripateticos recenſui ob varios in Ariſtotelem commentarios. Hierocles, & ipſe Pythagoræus, multus eſt in aſtruenda hac veritate, libro de prouidentia apud Photium cod. 251. & non ſemel in commentario, ad aurea, (vel vt Nazianzenus orat. 3. num. 78. vocanda decernit,) plumbea Pythagoræ carmina. Iamblicus denique lib. de ſecta Pythagoræa, hoc ſcholæ illius effatum refert. *Principia actionum ſunt homines, & vim habent ex eis propriam in delectum bonorum, & malorum fugam. Non vtens huiuſmodi vi, datis à natura ſibi muneribus, dignus non eſt.* In ſumma, Cœlius Calcagninus opuſc. de libero animi motu, *ſub finem*, confirmat; omnes planè alicuius nominis Ethnicos Philoſophos, in aſſerenda libertatis humanæ exſolutione, conſenſiſſe.

Satis de Philoſophorum, ac ſapientum, ex nudo naturæ lumine philoſophantium, conſenſu, in aſſertione liberi arbitrij planè exſoluti, & omnibus pedicis ac obicibus vertibilitatis ſuæ, expediti. Nam illos alios, quos diuini radij participatio colluſtrauit; Sanctos inquam Patres & Chriſtianos Doctores, iam ſuprà aduerti hîc eſſe prætermittendos, niſi quatenus eorum loca naturalem aliquam rationem in huius veritatis confirmationem ſuppeditare queunt; qualia ſuppetunt innumera, ex quibus dabo poſteà nonnulla. Sed quid authoritatem conquiro in huius veritatis præſidium, cum neminem lateat vulgatum illud ex Auguſtino lib. de vera relig. c. 14. affirmante, hoc ita manifeſtum eſſe, *vt nulla hinc Doctorum paucitas, nulla indoctorum turba diſſentiat.* Diſertius etiam lib. de duabus animabus c. 11. *Nónne iſta cantant & in montibus paſtores, & in theatris Poëta, & indocti in circulis & docti in bibliothecis, & magiſtri in ſcholis, & Antiſtites in ſacris locis, & in orbe terrarum genus humanum?*

Rationes, pro eadem libertatis noſtra exſolutione.

234. Iam verò rationes quæ ad hanc veritatem confirmandam proferri queunt, ferè continentur in recitatis ſupra teſtimoniis, & à Sepulueda diſerte & ornate, proponuntur lib. 1. de fato & lib. arbit. Itémque ab Oſorio toto lib. 8. de Iuſtitia. Aliquas tamen paulò explicatiùs proponere, ac premere, non erit inutile. Idque vt lectori gratius accidat, verbis ferè antiquorum præſtabo, ſiue noſtrorum ex nudo naturæ lumine philoſophantium, ſiue externorum. Ordiar autem à rationibus à poſteriori, aliiſque deducentibus ad incommodum, vt tandem ſiſtam in ratione à priori, quæ ex radice libertatis homini competente, ducenda erit.

Quanquam S. Chryſoſtomus orat. 3. de prouidentia *initio*, videtur, cuiuis in hanc rem probationi aditum præcludere, docens, [vel cœco perſpicuum eſſe, ad huius erroris depulſionem, neque doctrina, neque verbis opus eſſe. Errorum enim quidam, ratione ac diſciplina egent: Quidam ita manifeſti ac plani ſunt, vt timore ac ſupplicio ſolùm coërceri debeant. Huius generis ſunt occidere, adulterari, furari, quæ oratione non egent. Itaque & Legiſlator, non doctrinam aliquam his de rebus explicauit, qua aures noſtræ perſonarent, hæc mala eſſe; (hoc enim quaſi anticipatum animis noſtris eſt;) ſed ſolùm vetuit, *non adulterabeis, non occides.* Vbi verò de viduarum deſpicientia, ac depoſitorum fraude, nobiſcum diſputat, ibi etiam rationes adiungit.] Commiſerare, *ʀquit* viduam & aduenam; Etenim tu aduena fueras in terra Ægypti. Sabbatum requiete cole, *inquit. Deinde cauſam adfert. Atqui hoc, fatalem neceſſitatem aſpernari, non eius generis eſt quod ratione egeat ſed ex illis perſpicuis eſt. Quemadmodum enim clarè cernimus, ſatlum eſſe et sidera, & aurum nitere: ita per ſe lucet, fato ſe adiungere, malum eſſe ac vitium.* Nemeſius quoque c. 39. ait, omnes naturaliter hac opinione imbui. Item Gregor. in 2. d. 15. q. vnica. *ferè initio*, ait hanc veritatem adeo per experientiam patere, vt non poſſit per aliquid euidentius demonſtrari. Idem habet Gabriel eadem diſtinct. q. vnica a. 3. dub. 2. poſt Ochamum quodlib. 1. q. 16. Conabimur tamen, propter luſcioſ s ac cæcutientes, quæ ſplendorem illum obſcurare apud aliquos videntur,

videntur, diſpellere, & ipſi; ſi fas eſt, luci lucem dare.

Ex operum honeſtate ac turpitudine.

235. Inter libertatis humanæ effectus eminet, quòd per eam bene vel male operamur. Vnde ſublata libertate voluntatis nemo peccare, nemo bene agere dicendus erit. Vrget hoc argumentum Conſtantinus Magnus, oratione ad SS. Cœtum c. 6. & valde contra Ethnicos S. Iuſtinus orat. ad Antonin. [Si fato, *inquit*, regerentur omnia, nihil omnino relictum eſſet in noſtra poteſtate. Nam ſi fatali lege, alius bonus eſſet, alius malus; nec laudem ille, nec hic mereretur vituperium. Et niſi homines, arbitratu ſuo poſſint turpia fugere, honeſta ſectari, extra culpam erunt, quicquid agant. Cæterùm quòd libera voluntate, vel peccent vel officium faciant, ſic demonſtrabimus. Eundem hominem videmus occupatum contrariis ſtudiis. Quòd ſi fatale eſſet, hunc aut malum aut probum eſſe, non eſſet capax contrariorum, nec mutaretur ſæpiùs. Imò nec perpetuò malos, aut perpetuò probos ad fatum referimus, ceu cauſam probitatis aut malitiæ. Alioquin vera eſſet opinio, cuius ſupra mentionem fecimus; nihil eſſe virtutem & vitium, ſed exiſtimatione ſola pro bono malóve haberi. Quæ opinio, plena impietatis & iniquitatis conuincitur veris rationibus. Nos immutabilem fati legem, hanc cenſemus; malos pœnas, bonos præmia pro meritis recipere. Hominem enim, longè aliâ quàm arbores & quadrupedes diſcernendi eligendique facultate carentes, conditione creauit Deus. Alioqui nullam laudem mereri potuiſſet, ſi non ſponte virtutem prætuliſſet vitio, ſed vt virtuti natus. Neque ſi malus fuiſſet, pœnam merebatur, cùm non ſuapte natura talis eſſet, qua inuita nequit eſſe alius.]

Potenter quoque hanc argumentationem contra Manichæos premit D. Auguſtinus l. de duab. animab. c. 9. & 10. quæſtus de ſua, cùm Manichæiſmum profiteretur, cæcitate, quòd non videret abſque libertate, (quam de Manichæorum ſententia negabat,) neminem peccaturum. [Ne illud quidem, *inquit*, accipere poteram, quod in omnium hominum iudicio, ſummi Dei legibus, natura ipſa conſtituit. Quiois enim homines, quos modò à communi ſenſu generis humani, nulla dirupiſſet amentia; quæ vellent ad iudicandum ſtudia detuliſſent, quamlibet imperitiam; quantamcunque etiam tarditatem, Velim experiri, quid mihi reſponderent roganti, vtrum eis peccaſſe videretur, de cuius dormientis manu, ſcripſiſſet alius aliquid flagitioſum? Omnes, quis dubitet, ita fuiſſe negaturos illud eſſe peccatum, ita reclamaturos, vt etiam ſuccenſerent fortaſsè, quod tali eos rogatione dignos putarem? A quibus ego quoquo modo poteram, reconciliatis, & in conſilium reſtitutis, peterem, vt me aliud tam manifeſtom, & in omnium cognitione poſitum, interrogantem, non moleſtè ferrent: Tunc quærerem, ſi non dormientis ſed ſcientis manu (qui membris tamen cæteris vinctus atque conſtrictus eſſet,) quiſqoam valentior, aliquid ſimiliter feciſſet mali, vtrum quia id nocet, quamuis id omnino noluiſſet, vllo peccati nomine teneretur? Et hîc mihi omnes mirantes, qoòd talia ſciſcitarer, ſine cunctatione reſponderent, nihil etiam iſtum omnino peccaſſe? Quid ita? Quia de quo neſciente vel reſiſtere non valente, quiſquam quippiam mali fecerit, iuſtè damnari nullo modo poteſt.]

Móxque, poſt nonnullam eiuſdem argumenti dilatationem, ita concludit. [Quibus conceſſis, colligerem, nuſquam ſcilicet niſi in voluntate eſſe peccatum: Cùm mihi auxiliaretur etiam illud, quòd iuſtitia peccantes tenet ſula mala voluntate, quamuis quod voluerint, implere nequiuerint. Quiſquámne me iſta tractantem poſſet dicere, in rebus obſcuris abditíſque verſari, vbi propter intelligentiam, vel paucitatem, vel fraudis vel oſtentationis ſuſpicio naſci ſolet? *Hæc ibi Auguſtinus, mox ſubdens*, Hæc in omnibus hominibus, qoos interrogare non abſurdè poſſumus, à puero, vſque ad ſenem; à ludo literario, vſque ad ſolium ſapientis, natura ipſa proclamat, &c. Hoc nobis manifeſtum eſt, & non doctrinâ ſed naturâ omnibus promptum. *Et denique paulo poſt* Omnia iſta, luce clariora ſunt, neque meæ tantùm, ſed notitiæ generis humani, veritatis ipſius liberalitate donata.

Naturâ ergo duce patentiſſimum eſt, dari in nobis expeditam libertatem, cùm detur primarius ille eius effectus, qui eſt bene vel malè operari. Sanè iuxta aduerſarios, vt optimè aduertit Olorinus lib. 8. de iuſtit. homo in bonis & malis operibus, non ſe habet niſi vt inſtrumentum ab alio motum, cui non tribuitur operatio. Nec enim ſecuris benè nec malè agere dicitur.

Ex laudis ac præmij, probri item ac pœnæ, pro iiſdem operibus moralibus condignitate.

236. Huoc libertatis humanæ effectum conſequuntur velut germina, laudabilitas & vituperabilitas, præmiique ac ſupplicij condignitas. Nam ſi nequaquam liberè agimus, fruſtrà imò contra omnem rationem plectuntur qui aliquid fecerunt vel omiſerunt, quod exeqoi aut omittere liberum ipſis non fuit. Vrget optimè hoc argumentum, Athenagoras orat. pro Chriſtianis. [Liberi arbitrij, *inquit* Angelis quoque in vtramque partem, voluntatem Deus conſtituerat, ſicut & in hominibus, liberam, & virtutis, & prauitatis deligendæ, poteſtatem habentibus, videre eſt. Abſque eo enim ſi eſſent, neque præmiis & honore bonos, neque pœnis & ſuppliciis afficeretis prauos: niſi videlicet in illorum poteſtate eſſet & virtus & prauitas. Proinde in rebus quæ eis à nobis mandantur & creduntur, alij fideles & boni, alij infideles & mali eſſe comperiuntur] Nimirum quia vtrique libertate potiuntur, éſtque in eis ſitum verti quo voluerint.

Efficaciſſimè de more D. Auguſtinus lib. de vera Religione c. 14. *Defectus iſte, qui peccatum vocatur, ſi tanquam febris inuitum occuparet; rectè, iniuſta pœna videretur, quæ peccantem conſequitur, & quæ damnatio nuncupatur. Nunc verò vſque adeò peccatum, voluntarium eſt malum, vt nullo modo ſit peccatum ſi non ſit voluntarium.* Voluntarium vſurpat in alio ſenſu quàm fiat in ſcholis. Deſignat enim ea voce, non meram rationem ſpontanei, ſed rationem liberi. Id quod aliis quoque antiquis familiare eſt. Nimirum, quia actus liber, eſt a voluntate prout domina, & ſui iuris, (quod eſt propriè eſſe voluntatem;) meritò dicitur eſſe voluntarius, etiamſi notio huius vocis, aliud in ſcholis ferat. Iuxta illum ergo, minus receptum vocis vſum, ait D. Auguſtinus, peccatum eſſe voluntarium. Pergit verò. [Et hoc quidem manifeſtum eſt, vt nulla hinc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba diſſentiat. Quare aut negandum eſt, peccatum committi; aut fatendum eſt voluntate committi. Non autem rectè negat peccaſſe animam qui & pœnitendo eam corrigi fatetur, & veniam pœnitenti dari, & perſeuerantem in peccatis iuſta lege Dei damnari. Poſtremò ſi non voluntate

malè

malè facimus, nemo obiurgandus eſt omnino, aut monendus. Quibus ſublatis Chriſtiana lex, & diſciplina omnis religionis auferatur neceſſe eſt. Voluntate ergo peccatur. Et quoniam peccari non dubium eſt, nec hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium. Tales enim ſeruos ſuos meliores eſſe Deus iudicauit, ſi ei ſeruirent liberaliter. Quod nullo modo fieri poſſet, ſi non voluntate ſed neceſſitate ſeruirent.]

Munit hanc ipſam ratiocinationem alibi, authoritate Hieronymi, quam Pelagius pro ſe adduxerat. *Quod au*, inquit lib. de nat. & grat. c. 65. *à memorate dictum eſſe Presbytero; Libere arbitry nos condidit Deus, nec ad virtutem nec ad vitia neceſſitate trahimur. Alioqui vbi neceſſitas, nec corona eſt. Quis non agnoſcat? Quis non toto corde ſuſcipiat? Quis aliter conditam humanam neget eſſe naturam?* Hæc ille, Hieronymi locum in epiſt. ad Damaſum, & 2. in Iouinian. meritò approbans.

237. Grauiſſimè Chryſoſtomus orat. 5. de prouidentia fatarium, & exſolutæ libertatis hoſtem, alloquens. [Minitaris, perterrefacis, omnes rationes commoues. vt tibi bonus atque honeſtus ſeruus ſit, neque diei natalis notationi confidis. Cur verò malum verberas? Non eſt enim illius hoc peccatum, ſed pellentis diei natalis. Cuius cauſa bonum laudas? Non enim hoc illius rectè factum, ſed diei natalis eſt. Atque adeo neque bonus erit, neque malus quiſquam. Qui enim per ſe nihil horum facit, ſed aliũde neceſſitate obiecta pellitur, neque hoc ille, neque illud erit. Qua igitur de cauſa viros laudamus? Qua de cauſa vituperamus? Quamobrem alios execramur, aliis verò bene precamur? Vides ad quas peruerſiſſimas rationes nos prouexerit hæc de fato ſententia. Nullus modeſtus, nullus intemperans; nullus cupidus, nullus iuſtus. Tollitur omnis virtus atque improbitas, & temerè ac ſine cauſa in præſentem hanc vitam deducti ſumus. Imò verò non temerè, ſed ad malum.]

Subdit continenter alia, quæ permelim arietum puſilli gregis, auribus inſonare. Diceres tanto ante, in eos intorta, hæc non tam verba quàm fulmina, quòd iuxta eos, DEVS, quorum eſt author & adactor, eorundem ſit vltor. Audiat Caluini caula. [An non quæſo abſurdum eſt, propter diei natalis notationem, in improbitatem coniici; & hac iterum eadem vi, improbitatis extremas pœnas perſoluere, cùm commiſerandi, ac potiùs, lamentandi eſſemus? Et odio ac ſupplicio afficimur, vbi honore potius afficeremur? Cui enim iniuria fit, & vis infertur, non ſupplicio is, ſed honore proſequendus eſt. Nos verò ſimul & iniuria vexamur, & ſupplicio punimur. Quid hoc eſſe miſerius poteſt, quàm in quibus miſeri nos in improbitatem coniicimur, propter hæc ſupplicio coërceri? Parricidam te fatum fecit, & te morte mulctat, quia obtemperabas ei. Quæ hac opinio, perniciosior eſſe poteſt? Quemadmodum ſi quis in præcipitem locum aliquem impellat, ac poſtea eundem præcipitatum offendens, pœnam huiuſce facti expoſcat. Aut quemadmodum ſi quis effetatæ alicui dominæ plectendum aliquem, ac omni malorum genere coërcendum tradat, hunc tamen ipſum, propter hoc ſeruitium & captiuitatem, depoſcat iterum ad ſupplicium. An verò vel immanius vel miſerius, quæſo, genere hoc quicquam poteſt eſſe? Hæc quum ita ſint, & inimici atque hoſtes, ſuis ipſorum hoſtibus norint veniam dare, quando inuiti & præter illorum voluntatem, aliquid quod moleſtiam afferat, faciant: fatum ſubiectis ſuis ac penitus obedientibus, imò verò coactis, nullam dabit veniam, ſed de his ad quæ facienda illos compulit pœnas repetet? Qualis colluuies, qualis labyrinthus, quale ſalum, hanc imitari confuſionem, quæſo, poteſt? Non ſatis mihi eſt vnus iniuſtitiæ modus, quòd cum nihil peccauerim, in improbitatem tamen coniectus ſim, & quòd alius qui nullum habet rectè factum bonus eſt, & honoribus vtitur. Non ſatis hæc eſt vna iniuſtitia, quòd ſimpliciter, quòd temere fatum me malum fecit & illum bonum, ſed & aliam quoque adiungit, neque hominum iuſtam iuriſdictionem imitatur. Sed homines quidem ita humani benignique ſunt, vt voluntaria ab inuitis ſeparent: hæc verò humanarum rerum gubernatrix furia, & malus quaſi genius omnes res humanas confundit.] Hæc & alia, in rem noſtram grauiſſimè iterat idem Chryſoſt. homil. 60. in Matth. & ibid. homil. 27. vbi ferale hoc placitum ex ſatanæ fraude & malitia fabricatum, ait, *apertè repugnare ſecularium legum latoribus, Dei oraculis, rationi natura duce nobis inſita, omnium gentium viris, Barbaris, Scythis, Thracibus, ac cunctis ſimul cæteris hominibus.*

238. Concinnè item Prudentius in Hamartig. à v. 700.

Qua laus pertè hominis, vel quod meritum, ſine certo,
Inter vtranque viam diſcrimine, viuere iuſto?
Non ſit ſponte bonus, cui non eſt prompta poteſtas
Velle aliud, flexóſque animi conuertere ſenſus.
Atqui nec bonus eſt, nec collaudabilis ille
Qui non ſponte bonus. Quoniam probitate coacta
Gloria nulla venit, ſordetque in gloria virtus;
Nec tamen eſt virtus, ni deterior a refutans
Emicet, & meliore viam petat indole rectam.

Idem lib. 2. contra Symmachum carm. 4. impugnans fatales Genios, quos populis diuidi, æquè ac naſcentibus animas, dixerat Symmachus; poſt multa de Geniorum numeroſitate, & toties variata ſorte fati Romani, hoc telum intorquet aduerſus fatum pro libertate exſoluta.

Qua quia conſtituunt, dicant cur condita ſit lex
Bis ſex in tabulis; aut cur rubrica minetur
Quæ prohibet peccare reos, quos ferrea fata
Cogunt ad facinus, & ineuitabile mergunt.
Quin & velle adigunt prauum inſinuant a votum;
Ne liceat miſeris vetitum committere nolle.
Cedite ſi pudor eſt, gladiúsque retundite veſtrum.
Aſpera nil meritos pœnis plectentia iura
Antrum carcereum diſſoluite, corpora ſub quo
Agminis innocui fato peccante teneris.
Nemo nocens, ſi fata regunt. quod viuitur ac fit;
Imo nocens, quicunque volens, quod non licet, audet.
Alterutrum quia velle ſuum eſt, nec fata reatum
Impennunt homini. ſed fit reus ipſe ſuopte
Arbitrio placitóque: nefas & facta rependit
Impia ſuppliciis, meritò non ſorte peremptus.

Eadem ex Græcorum ſapientibus adducit S. Cyrillus 5. in Iulian. ad text. 2. *in fine*, & lib. 8. ad text. 3. Nec aliter ſanè, iuxta aduerſarios, ſe habent qui bonis aut malis operibus condignam repenſionem exhibent, quàm illi qui decus ac laudem confectæ arcæ, dolabræ aut ſerræ tribuerent, & pœnam homicidij gladio decernerent. Quod ſecundum ſtultè, imò per iocum ab Athenienſibus in ludis Diipoliis ſeruatum, & concluſo ob cædem iudicio, gladium in mare ſubmerſum, teſtatur Porphyrius lib. 2. de abſtinentia.

Eſt qui ſcribat Galenum l. quod animi mores corporis temperamentum ſequantur, nullius roboris cenſere

cenſere argumentum pro libertatis noſtræ expeditione, petitum ex improborum coërcitione; quaſi legibus caſtigentur, non quod potuerint maleficiis abſtinere, ſed quod cùm ſint ſuapte natura praui, interſit humanæ communitatis eos è medio tolli, perinde ac viperas & phalangia necamus, nec excuſamus, quamuis naturâ non electione prauitatem habeant, ſintque mortifera. Hoc placitum Peregrinus 3. Ethic. in ſchol. ad cap 5. n. 1. refellit ex eo quod ſi ita eſſet, qui lue laborant cum periculo deriuandi ad alios contagium non eſſent indemnes; nec ſufficeret eos arcere commercio integrorum, &, in loca remota amandare, ſed neci dandi eſſent, ſicut dantur qui flagitio aliquo ſe contaminarunt. Item legiſlatores, non plectunt eos qui per vim aut ignorantiam quæ depelli non potuerit, abducuntur à recto, ſed tantum eos qui lubentes ſcientéſque aberrarunt; euidenti ſanè argumento quod non in prauitatem naturalem, ſed in ſponte ſuſceptam animaduertatur.

Hæc rectè & efficaciter aduerſus placitum propoſitum diſputari, non eo inficias. Iniuria tamen Galeno adſcribi, perſpicuum videtur. Nam Galenus loco allegato ſub libelli finem nihil tale reue a docet, ſed totus eſt in elucidanda dubitatione qua quærebatur, vnde laus & opprobrium, honor & ſupplicium, operantibus debeantur; cùm quiſque ex temperamento quod confertur per generationem & cibationem aliáſque huiuſmodi cauſis, non autem aliunde, habere videatur quod bonus aut malus ſit: Eámque quæſtionem, primùm eludit; dicens, quædam nos auerſari vt ſcorpios, ac phalangia; quædam amare impenſiſſimè vt DEVM optimum maximum, vndecunque illis prauitas, his bonitas & amabilitas inſit: Ideóque dicit bonos omnino nobis amandos, improbos inſectandos eſſe; ſiue naturâ, ſiue ſponte ſua & exercitatione tales ſint. Non diffitetur tamen Galenus, quin reuera improbi vltra eam natiuam pronitatem quam ad hoc illúdve flagitium ex temperamento nanciſcuntur, aliud habeant proximum & formaliter vnicum nequitiæ principium, nempe voluntatem malam, cui à legiſlatoribus meritò rependatur condigni ſupplicij irrogatio, ſicut bonis, ob proportionalem cauſam, præmium ac decus reponitur.

Ex iuſta ſcelerum quorumcunque excuſatione, libertatis vinculationem conſecutura.

239. Itaque eo duntaxat pertinere videtur ferale dogma quod impugnamus, vt cuiuis benè operanti, laus ſua ac præmium denegetur, quod eſt virtutis neruos elidere, & affuſâ frigidâ reſtinguere æſtum illum, quo plerique ſpe honoris debiti incenduntur ad illuſtria opera. Itémque è contra, vt quibuſuis ſceleribus iuſtiſſima excuſatio obtendatur, liceátque improbis cauſari, nihil à ſe factum, cui ſupplicium vel iuſta reprehenſio ſit rependenda; quod non ſuo arbitrio, ac cum poteſtate in actum ſuum, ſed abrepti, & alio compellente, in opus eruperint. Et tamen vel ipſo naturæ lumine, vanum hoc effugium præcludente, nemo vnquam nefarius in ſcelere deprehenſus, auſus eſt apertè hoc cauſari; quod eſſet ſine dubio aptiſſimum, à pœna & caſtigatione munimen.

Præclarè in hanc rem Euſebius in inſigni diſputatione, quam ex Græcorum Philoſophorum teſtimoniis, & naturalibus rationibus contexit, lib. 6. de præparat. cap. 5. [Si hoc eſſet, *id eſt, ſi deeſſet nobis libertas & fatum vigeret*: iaceret omnis Philoſophia, iaceret pietas; nulla eſſet laus virtutis, nullus fructus laborum; nec puniendi eſſent improbi, nec admirandi ſtudioſi, ſi non libera voluntate & noſtra ſponte ſuſceptis laboribus, ſed neceſſitate fatorum hæc fierent. Ita vniuerſam hominum vitam hæc euertit opinio. Nam ſi euentura omnino ſunt proſpera vel aduerſa vnicuique hominum, éſtque neceſſe hæc me agere, & te illa, quid oportet cura laboréque confici? Nam ſi qui in militiam ire cupit, non ſponte, ſed fatis coactus ire cupit, & latrones ſimiliter, ac adulteri, cæteríque nequiſſimi homines, & è contra modeſti & iuſti fatis compelluntur; Quomodo igitur hoc dogmate imbutus quiſquam, monenti ac præcipienti mentem adhibebit? aut quomodo non exclamabit; Non ſunt poteſtatis hæc meæ ô doctor. Ac ideo quid oportet ſollicitum eſſe, niſi etiam fatis, hæc mihi ſollicitudo deſtinata ſit? Quod ſi docendi præcipiendíque tibi neceſſitas inſtat, fruſtrà tamen doces ac præcipis. Faciam enim ſi fata volunt, imò verò laborandum mihi non eſt. Aderit enim mihi neceſſariò, quod fatatum eſt.]

Monendi, & hortandi labor, caſſus erit, ſi libertatis exſolutio auferatur.

Vrget optimè ad hoc inſtitutum Euſebius, inanem ac ridiculum fore, laborem monendi ac cohortandi, quod tamen nemo adeo deſipiat, vt admittat. Vſurpat etiam hoc argumentum, vt efficaciſſimum, Nemeſ. l. de hom. c. 39. Sed quando cum Euſebio auſpicatus ſum, pergo ex eodem. [Et profectò qui hortatur & docet, qui peccantes caſtigat, & probos commendat, is reipſa liberum nobis arbitrium ineſſe oſtendens, ſolo fatorum vtitur nomine. Similitérque facit, vt ſi quis bonitatem naturæ, qua vniuerſa gubernantur, nequitiæ appellet vocabulo. Eodem enim certè pacto, cùm manifeſtè omnes, non aliunde, ſed à libera noſtra voluntate, admonendos filios, caſtigandóſque ſeruos iudicemus, & ſponte nos aliud velle, aliud nolle cognoſcamus, vehementer errat, qui hæc, neceſſitate fatorum fieri contendit, & ſtudia hominum retundit. Exhortatione namque atque doctrina, benè vitam agi humanam videmus. Quæ omnia vnà cum legibus, hæc opinio ſi ſibi conſtet, radicitus euellet. Non enim erit opus aut peccantes caſtigare, ſiquidem coacti fecerunt, aut honores probis viris retribuere: quæ vtraque profectò videmus magnam vim; alterum ad improbitatem reprehendendam, alterum ad probitatem amplexandam, retinere. Pietas enim in Deum, nonne funditùs euertitur, ſi nec ipſe Deus nobis, nec piæ orationes, & cultus eius, neceſſitate vinctis hominibus, poteſt prodeſſe? Quomodo autem cùm ſentiamus noſtra nos appetitione moueri, non omnino amentiſſimum erit ab exteriore quadam vi, quaſi animi expertes moueri nos credere? Sic enim libera voluntate, alia fugimus, alia ſequimur, vt quemadmodum dolere, gaudere, videre, audire, non ratiocinando, ſed reipſa comprehendimus; ita à noſtro ipſorum conſilio, aut fugiendum aut ſequendum moueri nos, profectò ſentiamus. Quas ob res, rationalis naturæ libertas, iure negari poteſt.]

Ne ipſi quidem libertatis hoſtes, deuinctam libertatem agnoſcunt in ſuis iniuriis.

240. Quid quod nemo eorum, quibus arridet error, quem refellimus, ſi contingat aliquid in eum iniuſtè admitti, ſatisfieri ſibi ea ratione putet ab eo, qui iniuriam intulit, ſi prætexat defectum libertatis, quum deliberatè, & ſeclu[illegible]a ignorantia, ac vi externa patente, ſupponitur operatus? Vrget inſigniter iſta Chryſoſtomus in orationibus de prouidentia, nominatim in 3. [Qui alicuius vxorem ſtuprauerit, & accuſatus in iudicium venerit & dixerit: non egi ego hæc, ſed ſtella natalitia: Ego enim temperans eſſe volui; illa

verò

verò me lebefactauit & deiecit. An non propterea a periores dabit pœnas, quaſi ridicule cauſam defenderit? An veniam impetrabit aliquam? Nihil minus. At illorum ſententiâ maxime id oportuit. Si enim ſtellâ natalitiâ, ac non arbitratu noſtro omnia gererentur, hac nulla melior eſſet defenſio. Si enim firmior valentiórque, quàm natalitia ſtella, noſtra eſſet electio, nulla eſſe deberet natalis diei notatio. Sin quamuis res mille excogitet, complere illius præſcripta neceſſe eſſet, ſine cauſa hic coërceretur, & iure veniam impetraret. Sed nemo illum, neque defendentem, neque veniam impetrantem audiet; ita res ab omnibus exploſa eſt, & commentitia quædam fabula videtur. Apud multos magiſtratus, ſi quis cui vim afferat, ad defenſionem ſatis eſt reo, dicere ſe hoc inuitum feciſſe, atque adeo nulla accuſatio reliqua eſſe videtur. Multi verò magiſtratus, propter ſceleratas cædes accuſati, ſupplicio afficiuntur. Carnifices verò adminiſtros cædis, qui morte homines mulctant, neque ad ſubſellia rapiunt, neque de illis omnino quærunt, neceſſitate pro illis cauſam dicente, & magiſtratus authoritate, & ſubiectionis timore. Quòd ſi homini prudenter ignoſcunt, abs tribuli ſuo, & cognatione quadam iuncto, aliquid agere coacto, an non multò magis condonare par eſt, ſi quis fato pellitur? Atqui aufugere oportet. Illius verò, ſicuti prædicant, ſic inexpugnabilis dominatus eſt, vt quamuis in ſolitudinem, quamuis in mare, quamuis in alias quaſcunque oras te conferas præſcripta eius minimè effugias. Quidni igitur abſurdum eſt, eum qui barbarorum vi ad aliquid rapitur, ita facilem veniam obtinere, vt ne omnino accuſetur quidem: hunc verò qui violentiore quadam vi compellitur, pœnas perſoluere, neque orationem eius ad cauſam dicendam admittere? Nemo enim cauſam maleficij fatum adferens, pœnas effugit, non in iudiciis maleficus, non in familia ſeruus, non in ludo puer, non in artificio diſcipulus. Qua ratione igitur, vel fatum probant, qui id ſic abiiciunt, vt ne neceſſitati quidem eius, veniam dent? Ita veritate & conſcientia ſua freti, vehementer perſuadent, ſibi vniuerſam hanc rem fabulam eſſe.]

Rurſuſque orat. 5. *Obtemperabimúſne fato hæc dicenti, & neque ſeruos delinquentes puniemus, neque laſcinia corruptos reuocabimus, neque iniurioſos in iudicium ducemus, neque legibus obediemus? Vellem quidem certè ad breue tempus hæc fieri, vt reuera pernicioſam iſtam & nocentem malorum magiſtram, perſpicere poſſitis.* Tum enumerata inſigni totius vitæ peruerſione, quæ conſequetur, ſi omnes velint fato fidere, & ſuam ſecus faciendi impotentiam cauſari. [Stent, *inquit*. artes, nulláque labefactetur, ſed omnes ſuo loco maneant, & ſinguli quique nihil ſuorum accurent, nullam partem familiæ adminiſtrent, ſed fato permittant res ſuas omnes gubernari. Tunc illius vtilitatem intelligent, quando quæſtionibus ac plagis acceptis, vectigal ab illis quæritur, quod cùm non habeant, ad fati quidem defenſionem confugiant. Illis tamen nemo attendit. Quandiu pueri animo erimus, non ceſſabimus delirare.

Et poſt multa. [Vis mihi perſuadere quòd ſuadere fatum neceſſe eſt, & aliquid valere hanc opinionem putas? Ne accuſa adulterantem mulierem, ne ira efferueſcas, ne pro tribunali iudicis adulterum adducas. Si murum ſuffoſſum videris, ne comprehendas eum qui ſuffoderit, ne pœnam expoſcas. Inuitus fecit, quemadmodum tu prædicas. Omnino enim ſua ſponte ad te fatum affluit. Proiice quantum habes anni, familiam, forum, mancipia negligas; tua hæc ſocordia, fati ignauia non læditur. Atqui nihil horum facis, quaſi reipſa perſuaſus, hanc vniuerſam de fato opinionem condemnari debere. Cuius igitur rei cauſa, eam quam vbique condemnas, in admiſſis facinoribus, ad excuſationem adhibes? Vides certe non aliunde hanc opinionem introductam, quam ignauia, contemptione, & animi languore ad laborem aliquem pro virtute capiendum. Si diei natalis notatio aliquid valeat, iudicium nullum eſt, fides nulla eſt, Deus nullus, virtus nulla, nulla nequitia eſt. Si diei natalis notatio aliquid valeat, omnia temerè, omnia nequicquam tum agimus, tum patimur. Nulla laus, nulla vituperatio, nullus pudor, nulla ignominia, nullæ leges, nulla iudicia ſunt.] Vides fati excuſationem ab his ipſis, qui fatum tuentur reiiciendam quoad hæc omnia, ac proinde libertatis hoſtes ad admittendam velint nolint libertatem adigi.

Non poſſunt iure de inflictis verberibus expoſtulare.

241. Eodem pertinet argumentatio, quam in aduerſarios conficit Scotus in 1. d 39. quæſt. vnica *litera C* & ex eo Gabriel ibid. d. 38. art. 1. notab. 9. ac Maior in 2. diſt. 25. quæſt. 2. eamque etiam ex Philoſopho in Topicis refert Vega 2. in Concil. c. 15. Nimirum inficiatores libertatis verberandos & torquendos eſſe, donec fateantur eos à quibus vim patiuntur, poſſe deſiſtere. Nam ſi neceſſariò eos torquent, nec eis fas eſt aliud facere, quid queruntur? Si enim fatale eis fuit, ſic vel ſic agere, agnoſcant fatale etiam eſſe, ſic cædi. Qua ratione Zeno Stoïcorum parens, referente Laërtio lib. 7. ſeruum in facto deprehenſum verberans; cùm is diceret, fatale mihi erat furari; & cædi, inquit.

Itaque ſicut Auicenna 1. Metaph. obſeruat eos, qui primum principium diffitentur, non aliter ad mentis ſanitatem poſſe reuocari, quàm ſi verberentur; aut comburantur, donec malo ſuo docti, concedant non eſſe idem verberari & non verberari, comburi & non comburi. Ita iudice Scoto nullum eſt facilius & potentius medium ad conuincendam fatuitatem erroris quem impugnamus, quàm ſi egregiè calcibus aut fuſte, contuſo inficiatore libertatis, non alia ei reponatur excuſatio à muneratore, quàm non potuiſſe à ſe aliud fieri: Ipſúmque proinde fruſtra ac immeritò expoſtulare de iniuria. Sicut nemo calce à mulo appetitus, in ius eum vocat, cùm conſtet in illis circunſtantiis non potuiſſe mulum aliud facere. Quod ſi nondum perſuadeatur liberè eum intuliſſe primò huiuſmodi damnum, opportunè fiat repetitio. Imò quouſque optata mentis ſanitas redeat, non videtur tam facilis pharmaci vſurpatione ac frequentatione abſtinendum. Certè non eſſe aliter coratu facilem hanc inſaniam, dixit Roffenſis ad Lutheri artic. 36. poſt medium.

Libertatis deuincta aſſertio, quanta hominis iniuria.

242. Ex illis quæ proximè diſputabam, quanta ex errore quem conuellimus humanæ vitæ ac morum peruerſio, quanta in veriſſimis bonis damna eueniant, ſatis dilucidè oſtenſum arbitror. Reſtat, vt ſepoſitis damnis, attingam quanta ex impio hoc dogmate contumelia in hominem exiſtat. Quod perſpicuum eſſe poterit, ſi attingamus ſummum decus libertate contentum, & pluribus ſuprà expenſum quæſt. præced. a. 3. quod decus, homini abrogat hoc ſententiæ monſtrum. Illud potiùs vrgeo, quod ſapienter à variis Patribus animaduerſum eſt, nimirum libertate id hominem conſequi, vt non prorſus gratis præmium accipiat,

tanquam

tanquam ex mera alterius liberalitate conceſſum: inertiæ ac nihil promerito; ſed vt hominis quoque aliqua ex parte ſit, quod ei rependitur, quippe qui vltrò ac volens aliquid contulerit, vnde eius aſſecutio deriuata eſt. Quod in quantum hominis decus cedat, æſtimari ſatis non poteſt, vt optimè notarunt Tertullianus 2. in Marcion. c. 6. Nyſſenus orat. 1. de hom. procreat. *ſub finem*

Breuiter autem & egregiè Nazianzenus orat. 38. dicens, *Deum donaſſe hominem arbitrij libertate, vt bonum, non minùs illius eſſet, qui elegiſſet.* hoc eſt hominis, *quàm eius qui ſemina præbuiſſet*, nempe voluntatem liberam & ſeminium actui libero fundendo proportionatum. Sed pulcherrimè orat. 1. hunc petit priorem è duabus cauſis, ob quas exiſtimat animam, ſpiritualem ſubſtantiam, corpori luteo fuiſſe conſertam; nempe vt homo ea quæ in ſpe ſunt poſita, non ſolùm vt Dei beneficium, ſed etiam vt virtutis præmium obtineat. Quod etiam ſummæ ac ſingularis Dei bonitatis argumentum eſt. Nimirum facere, vt virtus, noſtra quoque ſit aliqua ex parte; nec naturâ tantum nobis inſeratur, ſed etiam per voluntatem, liberique arbitrij in vtramque partem agitatione excolatur.

Luculenter etiam in hanc ſententiam diſputat S. Hilarius in Pſal. 2. [Deus, qui bonorum eorum quæ in ſe ſunt, æterna non inuidens, in ſenſum nos atque vſum beatæ ſuæ bonitatis aſſumit. Sed qui perfectus ac bonus eſt, bonitate in nos ac beatitudine ſua, non ſine ratione ac modo vſus eſt; Nam vnicuique noſtrum libertatem vitæ, ſenſúſque permiſit: non neceſſitate in alterutrum affigens, vt vnumquemque ex natura bonum malúmve eſſe, lex cogeret; ſed qui nos per beneuolentiam vtendæ beatitudinis ſuæ creaſſet, profectum nobis ad id, meritum vitæ innocentis honeſtæque conſtituit. Quid autem honoris ac præmij, bonitatis neceſſitas mereretur, cùm malos nos eſſe, vis quædam nobis conſerta non fineret? Voluntati ergo permiſſa bonitas eſt, vt præmium ſibi voluntas bonitatis acquireret: eſſétque nobis æternæ huius beatitudinis profectus atque vſus ex merito, non neceſſitas indiſcreta per legem. Et quanquam nos ad voluntatem bonitatis, id eſt, ad benè honeſtéque viuendum, per ſpem promerendæ & vtendæ ſuæ bonitatis illiceret; pœnam tamen deuitatæ & contemptæ bonitatis adiecit: vt cùm libertatem nobis voluntatis ad bonitatem promerendam reliquiſſet, quia meritum neceſſitas naturæ non haberet; libertatem ipſam, quotidie propoſitus è contrariò pœnæ terror argueret. Atque ita & per rationem æqui atque iuſti, ad meritum præmij, permiſſa libertas eſt, & per bonitatem Dei, vis libertatis, metu conſtitutionis arctata eſt: vt benè velle, meritis ſpes moueret, malum nolle, propoſitæ vltionis pœna perſuaderet.]

Quanta item legiſlatorum, ac Magiſtratuum.

243. Inſignem prætereà iniuriam in Magiſtratus & Legiſlatores, ac quotquot alios ad virtutem hortari & a vitiis auocare ſatagunt, inficiatione libertatis inferri, & ſæpe adducti iam authores aduerterunt, & optimè Nemeſius c. 39. de homine. [Si nihil in noſtra poteſtate eſt, ſuperuacaneæ ſunt leges, & tamen naturaliter omnes gentes legibus quibuſdam vtuntur, quòd ſciant habere ſe poteſtatem agendi quæ legibus ſanciunt. Et pleræque gentes leges ſuas ad Deos authores referunt vt Cretenſes ad Iouem, Lacedæmonij ad Apollinem. Quare naturaliter omnium hominum mentes hæc imbuit opinio, eſſe aliqua in noſtra poteſtate. Quod de hortatione & admonitione diximus, idem de vituperationibus & laudibus, cæteríſque quæ euertunt hanc ſententiam, Omnia fato fieri, intelligendum eſt.] Sane fatuitatis damnandus eſſet Legiſlator, qui ea præciperet, ad quæ exequenda non eſſet ſoluta hominis voluntas. Inſupérque crudelitatis iure argueretur, qui operi non libero mulctam irrogaret, plerunque acerbam & grauem. Quidni etiam beſtiis leges feremus, & cùm violari à brutis leges illis poſitas contingeret, pœnas repeteremus Nam ſi nulla in eo, cui lex fertur, libertas exigitur, nihil in bruto deſiderari poteſt, quominus legis ſit capax. Idem de cohortationibus & admonitionibus dictum eſto.

Itaque euaneſcit omnis ille fructus legum, quem Dio Chryſoſtomus orat 76. & Iulian. Auguſt. panegyri 5. & S. Cyrillus 3. in Iulianum ad textum tam accuratè exponunt. Et vt verbis S. Cyrilli concludam. *Oporteb it & Iudices publicis officiis defungi; & citra metum pœnæ delinquere, vtiliſſimum fuerit. Et fortaſſè ſi parentes quoque non dent pædagogos pueris, non fuerit abſurdum. Verùm neque equus benè curret abſque freno, & aliis qui illum in itinere manere cogunt. Neque naues ad ſuum ſcopum ibunt, ſi is qui ſcit dirigere, auferatur. Neque ciuitas gubernabitur optimis legibus, ſi non præſideant iudices. Neque vtiles pædagogi pueris quorum parentes defuncti ſunt. Vbique igitur lex præſit.* Ac proinde terra hæc, & in legum euerſionem conficta, de humanæ libertatis inanitate opinatio, explodatur.

244. Verùm, vt hæc omnia perſpectiora fiant, fáſque ſit vnicuique hanc veritatem, & inſignem omnino generis humani totiúſque honeſtatis peruerſionem, ex teterrimo hoc dogmate conſecuturam, quaſi palpare: ſtatuamus hominem de Caluini cauſa hac perſuaſione imbutum, deeſſe homini libertatem expeditam: Idéoque & bona, quæ non facit, fieri à ſe non poſſe, & mala quæ admittit, neceſſitate admitti, erepta ſibi ad bonum facultate volendi, iniecta autem ad malum volendi neceſſitate, quam declinare poſſibile non ſit, cùm iuxta ſectarios potenti manu Dei inferatur, cuius impetum effugere aut caſſum reddere, humanæ vires non poſſint.

Hunc igitur Caluini opinionem, ſic perſuaſum, & vt eſt iſtorum hominum genius, obfirmatiſſime peruerſæ illi opinationi affixum, ſtatuamus virtutem inter ac vitium, hinc trahente ad malum concupiſcentiâ incentore Satanâ, malâ aſſuetudine impellente; Inde inuitante ad bonum, naturaliter inſito rationis lumine, piis monitis & adhortationibus proborum; Deo ipſo per ſcripturas, ac præſertim per internum magiſterium in ſchola cordis, eodem nutantem animum pelliciente. Interim via ad bonum aſpera, ſalebroſa, & prærupta, ſentibus ac paliuris obſita proponitur: E contra verò delapſus in bonum ſenſibile lege diuina prohibitum, lenis, mollis, roſas inter ac violas, nullius laboris, nullius difficultatis amaritudine perlitus obuerſatur animo. Deus qui in ſpeciem ac labiorum tenus ad virtutem hortari videbatur, occurrit animo tanquam potenter adigens & impellens in hanc partem, eâque efficacitate, vt obſiſtere tantæ virtuti, humanam poteſtatem excedat. E contra autem via ad bonum, occluſa diuinitùs ac imperuia, quicquid tandem homo conetur.

Ecqui dubium eſſe poteſt, quámnam in partem his ita propoſitis, animóque infixis, miſera voluntas ſummo impetu præcipitatura ſit? Quid enim ſegetem ſibi triſtitiæ ac mœroris comparet per ſtultum laborem illud exequendi, quod præſtare nulla ratione poſſit ſublata ad id facultate? Quorſúmve miſerum conſilium ineat illud vitandi, quod, vt homo maximè velit; Deus, cui nemo reſiſtere poteſt, ab inuito extorquebit? Hortamenta aut leges proponas? Cauſabitur inanes eſſe voces. Sibi enim diuinitus

adiecto ad eam partem quam am; lectitur, fas non eſſe ad aliam verti. Intentabis ſupplicia præſertim æterna ſceleribus admiſſis diuinitus rependenda? Næ ille ſublato alte cachinno, fatua hæc Papiſtarum terriculamenta eſſe dicet: Quòd lumen naturæ perſpicue oſtendat, à diuina bonitate abhorrere, vt quæ per nos fieri iniecta neceſſitate voluit, tantorum ſuppliciorum immanitate æternùm plectere ſtatuat: cùm vel apud efferas quaſuis gentes, eorum, quæ inuitus admiſit, pœnam nemo ſuſtineat. Itaque faceſſere ſine dubio iubebit importunum hortatorem, & auribus ad quæuis monita occluſis, præceps ruet in ea bona, quæ ſenſum in præſentia feriunt, iis flocci factis, quæ plena fellis ac amaritudinis, inſenſibili aliqua & procul poſita, imo verò aſſecutu impoſſibili bonitate prædita oſtentantur. Vnde monitorum, conſiliorum, legum, naturalium ad virtutem adminiculorum, diuinæ erga nos & humanæ operæ fructus omnes, euerti nemo non videt.

Quanta etiam ipſiuſmet Dei.

245. Needum ſatis exagitaſſe videor placiti omnino abominandi immanitatem, niſi quanta quoque ſit eius in Deum non modò ingratitudo, neglectu tanti muneris, vt ſupra cum Epicteto dicebam; verùm etiam impietas, patefecero. Sanctus certè Chryſoſtomus orat. 5. de prouidentia, *initio* negat *vllam omnino eſſe tam deprauatam diſciplinam, aut tam inſanabilis tabi plenam; quippe quæ contumelioſam atque impiam & pernicioſam ſententiam animis inſerit eorum, qui ſe eâ decipiſinunt: Eòque adducit, vt de Deo talia loquantur, qualia ne de dæmonibus quidem quis diceret.* Quid enim feralius, quàm in Deum totius bonitatis fontem, ſcelerum noſtrorum originem referre; ita vt per ſummam crudelitatem, idem ſit facinoris ac impietatis author & vltor? At ſi homo liberi arbitrij expedito vſu deſtituitur, & fiunt ab homine aliqua nefaria, neceſſe omnino eſt, quod Nemeſius cap. 35. libri de homine, rectè aduertit, & latiùs vrget Poſſeuinus atheiſmo 9. eorum cauſam Deum eſſe dicere, qui vel per ſeipſum hominem impellat, & potenter adigat ad malum, vel talem fecerit, qui poſſit aliunde ineluctabiliter vrgeri. *Quod ne aures quidem noſtra, ferre debent.* ait Nemeſius ſupra, *cùm perſpicuè abſurdum ſit, & de Dei maieſtate detrahat;* Et *præſtare ſexcenties defodi, quàm Deum audire talia per nos,* dixit D. Chryſoſtom. hom. 23. in acta.

Idcircò non Patres tantùm, ſed Ethnici etiam Philoſophi communiter, teſte Theodoreto in Epito. diu. Decr. cap. de Antichriſto, & diſertiſſimè Plato apud eundem lib. 5. contra Græcos, ac Simplicius in c. 13. & 34. Enchiridij Epicteti, inculcant cauſam mali moralis non eſſe extra nos quærendam, nec ferendum eſſe, qui ſecus ſenſerit aut dixerit. Videbant enim ſi alia præter voluntatem noſtram humanorum ſcelerum cauſa aſſignaretur, neceſſarium fore refundi in Deum cauſam culparum. Qua impietate nihil tetrius aut abominabilius excogitari poſſe, non ignorabant. Eadémque ex cauſa pauci illi Ethnici, qui vim neceſſitatis in humanis actionibus admittebant, ne impia fraude obligari viderentur ſi Deo flagitia noſtra tribuerent, fati nomen amplexi, Dei nomen reticebant, vt rectè notauit Oſorius 8. de iuſtitia; docente nimirum eos naturali lumine, quàm horrendum ſit, humanam libertatem, peccatis exonerare quorum reus agatur Deus, ſimul mali moralis artifex & vltor. Exonerari autem voluntatem creatam, onerata Deo omnium criminum per eam admiſſorum infamia, adeo eſt perſpicuum, vt D. Auguſtinus rectè dixerit nullam hic doctorum nullam indoctorum turbam diſſentire. Itaque Deus de gradu deiicitur per eam blaſphemiam. Nec aliò reſpexit Clemens Alexand. 7 Stromat. cap. 1. cùm dixit humanæ libertatis inficiationem viam ſternere ad Atheiſmum.

Eluditur recriminatio, ob conceſſam malè agendi poteſtatem.

246. Neque eſt quòd torqueatur argumentum, quaſi non ſit etiam immunis Deus ab ea reprehenſione, quòd homini libero origo ſit culpæ, qui eum effecit ſuo arbitrio verſatilem, perinde ac ſi præſtitiſſet effici hominem ſolius boni potentem non item mali. Aliud enim eſt, conferre poteſtatem, qua poſſis bonum & malum agere; aliud, mali voluntatem tuam conſequentis, autorem eſſe. Retundit optimè eam Dei criminationem Dydimus lib. aduerſus Manich. in hæc verba. [Dicimus non eſſe autorem vitij qui eum fecit, qui poteſt ſua propenſione ac motu, ad vitium venire. Animal enim rationis particeps, fecit Deus quod volebat, vt voluntate ſua bonum eſſet, libera alioqui poteſtate præditum, qua poſſet in vtramque partem flecti. Volebat enim vt homo eſſet bonus, eligendo ſponte bonum. Nemo enim inuitus, poteſt eſſe bonus. Quin potius omnes boni, volentes ſunt boni. Quare oportebat vt qui voluntate ſua futurus eſſet bonus, poteſtatem haberet, qua idoneus & aptus eſſet, ad capiendum quod bonum & honeſtum eſſet. Conſentaneum verò erat, vt quod bonum capere poterat, poſſet item malum. Sic fabricato rationis participe vt ad capiendam virtutem & vitium, & vim inſitam haberet, datum eſt mandatum vt virtutem haberet actu; vitium verò non actu; ſed ſola aptitudine. Lex enim creatoris, hortatur & roborat, atque adiuuat ad virtutem, dehortans naturam à vitio. Quamuis igitur inſit poteſtas in compote rationis ad capiendum vitium, non propter poteſtatem eſt malus iſte. Vtrorumque enim virtutis ſcilicet & vitij ſunt poteſtates & electiones. Eligimus enim poteſtatem habere virtutis, vt eam actu capere poſſimus; eligimus etiam habere poteſtatem vitij. Tum enim habemus eam, cùm actu virtutem habemus. Neque noſtra ſolùm eſt hæc opinio, ſed omnium, qui rectè de animalibus ratione præditis philoſophati ſunt.]

Et paulò pòſt. *Quia non poteſt virtus cum vitio ſimul arripi; Eſt autem amica Deo virtus; vtriuſque poteſtatem immiſit vtenti ratione, vt poteſtatem quidem virtutis ad ſuſcipiendum actum eius participaremus: Poteſtatem verò vitij, ad abſtinendum à fine poteſtatis, qui eſt actus. Quare omnis particeps rationis, factus eſt, vt eſſet probus, & non prauus. Si quis igitur ratione vtentium, via autori & gubernatori ſuo contraria, ingreſſus eſt, non eſt culpa fabricatoris & legiſlatoris, ſed eorum, qui contra leges ſanctas & eorum prouidentiam vires intenderunt. Videmus hæc ſemper in nobis ipſis accidere. Quos enim filios docemus, cùm volumus eos ſecundùm diſciplinam inſtituere, vt diſciplina vtantur, non ſic tamen vtuntur, vt inſtituti à nobis ſunt. Immò contingit aliquando, vt multi filij à patribus in arte medicina eruditi, non vt oportet, ea arte vtantur, ſed potius pro ſalubribus, quæ morbos inducunt agrotis adhibent. Non eſt tunc accuſanda medicina, nec eſt in culpa, qui eam docuit. Non enim ſic is docuit, vt ſic iſte faceret; facit enim non vt didicit. Rurſus, leges quoſdam docemus, vt iuſtitiam defendant, & iniuſtitiam repellant. Sed tamen vitioſè aliqui ex iis, qui ad ſtudium legum acceſſerunt, contra atque didicerunt faciunt. Neque tamen continuò leges ac legiſlatorem criminamur. Si enim leges & legiſlatores, iniuſtitiæ rei eſſent, non punirent iniuſtos. Siquidem eſt legis & legiſlatoris voluntas ac ſententia puniendum eſſe iniuſtum.*

247. Imò

247. Imò verò, non potuiſſe aliter à Deo congruentiùs effici, quàmque inſigne diuinæ ſapientiæ argumentum in ea hominis in vtrumlibet per ſeipſum flexibilis conditione eluceat, benè omnino exponit Pelagius epiſt. ad Demetriadem, quem placet referre. Nam quamuis non me latet, quantum virus in ea epiſtola propinetur, & quale aconitum, in his ipſis, verbis quæ proponam, contineatur ex mente authoris: Tamen ipſe verborum cortex, bonum ſenſum fert, & in rem præſentem accommodatiſſimum. Vt propterea non videatur lector eius fructu fraudandus; quandoquidem fas eſt, etiam ex huiuſmodi comedentibus, colligere cibum; vt pulchrè in ſimili dixit Theodoretus lib. 3. aduerſus Græcos. Et veritatem ex mendacibus colligere, optimum argumentandi genus cenſet Nouatianus cap. 18. de Trinit.

[Prouidendum eſt, *inquit Pelagius*, ne fortè illud remordeat te, in quo temerè imperitum vulgus offendit; & ideò non verè bonum, factum hominem putes, quia is facere malum poteſt; nec ipſa naturæ violentia aſtringitur ad immutabilis boni neceſſitatem. Nam ſi diligenter retractes & ad ſubtili rem intellectum cogas animum, hinc tibi melior ſtatus hominis ac ſuperior apparebit, vnde putatur inferior. In hoc enim gemini itineris diſcrimine, in hac vtriuſque libertate partis, rationabilis animæ decus poſitum eſt. Hinc inquam totius naturæ noſtræ honor conſiſtit, hinc dignitas: hinc denique optimi quique laudem merentur, hinc præmium. Nec eſſet omnino virtus vlla in bono perſeuerantis, ſi is ad malum tranſire non potuiſſet. Volens nànque Deus rationabilem creaturam voluntarij boni munere, & liberi arbitrij poteſtate donare, vtriuſque partis poſſibilitatem homini inſerendo proprium eius fecit eſſe quod vellet: vt boni ac mali capax naturaliter vtrumque poſſet, & ad alterutrum voluntatem deflecteret. Neque enim aliter ſpontaneum habere poterat bonum, niſi æquè etiam malum habere potuiſſet. Vtrumque nos poſſe, voluit optimus creator: Sed vnum habere; bonum ſcilicet, quod & imperauit: Malique facultatem ad hoc tantùm dedit, vt voluntatem eius ex noſtra voluntate faceremus. Quod cum ita ſit, hoc quoque ipſum quòd etiam mala facere poſſumus, bonum eſt. Bonum inquam, quia boni partem meliorem facit. Facit enim ipſam voluntariam & ſui iuris; non neceſſitate deuinctam, ſed iudicio liberam. Licet quippe nobis eligere, refutare, probare, reſpuere. Nec eſt quò magis rationabilis creatura cæteris præferatur, niſi quòd cùm omnia alia conditionis tantùm ac neceſſitatis bonum habeant, hæc ſola habeat etiam voluntatis. Sed plerique impiè, non minùs quàm imperitè, cùm ſuper ſtatu hominis quæritur, (vereor dicere,) quaſi reprehendentes opus domini, talem illum aiunt debuiſſe fieri, qui omnino facere non poſſet malum. Dicit itaque figmentum ei qui ſe finxit: Quid me feciſti ſic? & improbiſſimi hominum, dum diſſimulant idipſum benè adminiſtrare quod facti ſunt, aliter ſe factos fuiſſe malunt: vt qui vitam ſuam emendare nolunt, videantur emendare velle naturam.]

Diſputat plenè de optimo Dei conſilio in conferenda homini ad vtrumlibet libertate, author eiuſdem cum Pelagio farinæ, poëmate de prouid. quod eſt inter Proſperi opera. Itemque Lactantius lib. 7. c. 5. & optimè Simplicius ad c. 34. Epicteti ſub finem diſputationis de cauſa mali. Chryſoſt. hom. 14. in 1. ad Corinth. & Æneas Gazæus in Theophraſto. Dedi & ipſe in hanc ſententiam aliqua ſuprà n. 127. & alia addam infra agens de mali moralis cauſatione.

Synopſis probationum hactenus pro libertate exſoluta prolatarum.

248. Satis itaque multis euiciſſe videmur; libertatem noſtram eſſe vndecunque expeditam. Ne tamen quæ paulò fuſiùs ex variis capitibus expoſita ſunt, facilè effluant, iuuat eorum perelegantem ſynopſim ex S. Iſidoro Peluſ. apponere lib. 3. epiſt. 191. his verbis. *Qui res omnes permiſcent ac leguminum, vt dici ſolet, mixturam faciunt, ſana mentis mihi minimè videntur. Nam ſi Deus eſt, fatum non eſt. Si autem fatum, non dicam quod cum eo pugnat. Vertatur enim hæc blaſphemia in eorum capita, qui vt hoc dicatur, procurant. Quod ſi nemo eſt, qui hoc dicere auſit, ſine controuerſia penes Eccleſiam eſt victoria. Ac ſufficiebat quidem, vt opinor, hæc palma, etiamſi ſola eſſet. Nunc autem aliis quoque permultis innitimur. Si fatum eſt, lex non eſt. Si autem lex, fatum non eſt. Si fatum eſt, admonitio non eſt. Si autem admonitio fatum non eſt. Si fatum eſt, iudicium non eſt. Si autem iudicium, fatum non eſt. Si fatum eſt, non eſt precatio. Si autem precatio, fatum non eſt. Si fatum eſt, meditationes non ſunt. Si autem meditationes, fatum non eſt. Si fatum eſt, Philoſophia non eſt. Si autem Philoſophia, fatum non eſt. Si fatum eſt, medicina non eſt. Si autem medicina eſt, fatum non eſt. Si fatum eſt, agricultura non eſt. Si autem agricultura eſt, fatum non eſt. Ac multa item alia cùm dicere habeam, nunc prætermitto, rurſum autem colligam. Si igitur vnius rei cum vna certamen eſſet, dubia fortaſsè victoria foret. Cùm autem vna res aduerſus multas & varias dimicet, extra controuerſiam, vt opinor, eſt victoria. Quamuis enim vnam viciſſe videatur, ab aliis tamen vincetur. Idcirco autem dixi,* Videbitur *quoniam non omnes hoc habent, vt ſyncerè de rebus iudicent. Id quod vel ob mentis exiguitatem contingit, vel ob ſegnitiem, vel ob morum improbitatem, vel ob mortis vicinam opinionem, qua primùm eorum animi imbuti ſunt. Nam alioqui iis qui mentis præditi ſunt, ac rerum iudicium opinionibus quibuſdam minimè prius occupatum habent, perſpicua eſt veritas.* Audi cauſas germanas negatæ per ſectarios libertatis exſolutæ? Similia habet ibid. Epiſt. 154. Aliam breuiculum omnium ferè rationum ſuperiùs pro libertate exſolutæ propoſitarum, ſubminiſtrabit. S. Damaſcenus 2. fid. c. 2.

Abſurdè libertas ex natura rei admittitur, ſi vincta de facto fingitur.

249. Rationes quibus hactenus libertatis noſtræ expeditionem & exſolutionem confirmaui, partim petuntur ab effectibus libertatis, partim deducunt inficiatorem eius, ad abſurdum & impoſſibile. Reſtat vt vno verbo attingam rationem à priori. Quod enim cauſa virtualis & radix libertatis, ſit vſus rationis indifferentis, expoſitum diligenter eſt quæſt. ſuperiori art. 4. tractando inſitne formalis libertas intellectui, ac oſtendendo non ei competere niſi radicalem: ſoli autem voluntati formalem: Id quod ibi, cum Nemeſio, ex vi conſultandi ac deliberandi, efficaciter concluſum eſt. Verùm quia ea diſputatio, tantùm ſpectabat ad aſſerendam voluntati humanæ libertatem ex natura rei, de qua nunc nobis non eſt quæſtio; quia cum ea libertate poſſet iungi neceſſitatio & adactio ad operandum, qualem reuera humanæ libertati ex natura ſua expeditæ, extrinſecùs autem præpeditæ, aduenisse fingunt libertatis hoſtes: Propterea addendum hoc loco eſt cum Simplicio in caput 34. Enchirid. Epict. non debuiſſe vim illam ſuapte natura ad vtrumque liberam, vinciri à Deo ad vnum tantùm. *Hoc*, inquit Simplicius, *apertè abſurdū eſt. fruſtra enim delectus qui*

noſtrum opus eſt, fuiſſet datus ſi illi nunquam licuiſſet in vtrumuis agere partem. Imo ne delectus quidem relinqueretur adiuncta neceſſitate. Pugnant enim inter ſeſe delectus & neceſſitas.

Itaque ab urde omninò ſectarij, & pauci illi Philoſophi qui voluntatem ſuapte natura liberam profeſſi; diuinitus tamen aut aliunde ab extrinſecus neceſſitate deuinctam dixerunt ad omnes actus, non aduerterunt ſe fruſtra indifferentiam illam actiuam nulli vnquam vſui futuram, nec vnquam ad actum reducendam admittere. Nec minus ab urde facere, quàm ſi vim ignis naturaliter calefactiuam, conceſſam à Deo dicerent ad vniuerſi bonum & hominis vſum, ſed ab initio ac immutabiliter præpeditam: ita vt in opus illud ſibi connaturale exire nequeat. Abſurdè præterea ac prorſus falsò, voluntatem ſic deuinctam libertatis nomine donare auſi ſunt: cum ex ipſis terminis liqueat, quod Thomas VValdenſis tom. 1. l. 1. art. 1. c 25. & 28. rectè annotauit, libertatem vinctam ac determinatam non eſſe libertatem, nec poſſe eſſe principium morale cauſans honeſtos aut prauos actus. Sane ignorantia inuincibilis culpam excuſat; ita vt carentia actus circa obiectum inuincibiliter ignoratum, non cenſeatur fuiſſe libera voluntati, de quo nemo ambigit. Et tamen interna voluntatis facultas ad vtrumlibet, agendo circa illud obiectum, ſublata non fuit per ignorantiam, ſed tantùm impedita fuit, ne exiret in opus.

Ergo vis ex ſe actiuè indifferens, ſed ſemper impedita, eſt libertas de ſolo titulo, vel titulus ſine re qualem non decuit à Deo naturæ authore conferri, cuius dona nunquam inania & caſſa ſunt, ſed ſemper ad finem, cui conceduntur, opportuna. Eum porro finem, in re præſenti, expeditionem liberæ facultatis exigere, conſtat ex omnibus proximè diſputatis. Non enim eſſet homo principium actuum moralium bonorum aut malorum, laudabilium aut vituperabilium, & præmio ac pœna dignorum, fruſtra item de illis operationibus deliberaret, ſi non modò ſuapte natura, ſed etiam de facto, liber ac ſui iuris, & omnibus vtrumlibet pro arbitrio operandi impedimentis exſolutus eſſet.

Celeuma in portu, poſt longam agitationem.

250. Eſt igitur *liberum arbitrium*, vt cum authore libri tertij hypognoſtici, *ſub medium*, concludam, *Eſt liberum arbitrium, quod quiſquis negauerit, Catholicus non eſt.* Eſt inquam homo de facto liber nec tantùm ex natura rei. Agit, non agitur, & hoc ipſo à pecudibus ſecernitur, quæ ad alteram partem aliunde quàm arbitrio ſuo determinantur. Bella verò libertas, qua nos donant aduerſarij; nempe vincta & ſemper compedita, nec niſi ex natura rei ſoluta. Quæ enim libertas in ea volitione deprehendi poteſt, cuius principiis omnibus poſitis non poteſt ipſa non poni? *Si appoſitio neceſſario conſequitur*, ait Nemeſius cap. 35. lib. de homine, *vbi relinquitur quod in noſtra poteſtate eſt?* Concipit Plotinus Enneade 3. libro 1. cap 7.

Hæc cùm ita ſint, non ſuppetunt verba, quibus commodius generalem hanc libertatis noſtræ exſolutæ confirmationem obſignem, quàm quæ Clemens Alex. 3. Stromatum cap. 4. ſuppeditat. *Quemadmodum is eſt laudandus, qui libertate vſus eſt ad viuendum ex virtute: ita multo magis, qui dedit nobis liberam & noſtri iuris poteſtatem, & conceſſit nobis viuere vt vellemus, eſt adorandus & venerandus, vt qui non permiſerit vt noſtra electio & euitatio ſeruiret neceſſitati.*

ARTICVLVS II.

Quidnam expedito libertatis vſui poſsit officere.

251. SIc generatim conſtituta expeditione libertatis humanæ, illiuſque dominij exſolutione, quod nobis in exercitium actionum noſtrarum ex natura rei competere, ne aduerſarij quidem diffitentur: priu quam ſigillatim oſtendamus nihil proferri ab aduerſariis, quod expeditionem illam tollat, expendendum principio eſt, an & per quid tolli ea exſolutio queat. Cuius rei gratia recolendum eſt, quod ſuprà ponebam; Eſſe ſcilicet in facultatis liberæ ſimplici entitate duas quaſi partes. Altera eſt poteſtas volendi & nolendi poſitiuè. Altera eſt poteſtas ſuſpendendi actionem: Quæ poſterior poteſtas, moraliter & ſpectando vſum libertatis, computatur tanquam eadem cum poteſtate nolendi poſitiuè. Quia quiſquis poteſt liberè actum omittere, debet poſſe velle omittere, ſeu nolle agere. Imò vt plurimùm qui omittit liberè actum, quem poſſet elicere, adiungit actum poſitiuum, quo omiſſionem illam approbat, vultque negare eſſe actui, quem omiſſio illa excludit.

ASSERTIO.

VOlendi facultas libertatem quaſi partialiter integrans, impediri poteſt, concurſus vel obiecti ſubtractione, aut eiuſdem propoſitione obiectiuè non indifferente. Facultatem verò quaſi partialem ad non volendum, quælibet ſuppoſitio antecedens, voluntati actum primum depreſſiuum immittens, vel extrinſecùs adigens, non item diuina præfinitio pure immanens, temeraret.

252. PRimò ago de priore poteſtate, quam dixi includi in libertate ex ſe integra; ſiue de voluntate libera inadæquatè ſumpta & per ordinem ad ſolam volitionis poſitiuæ productionem.

Libertas ad volendum, quomodo impedibilis.

Hanc igitur priorem poteſtatem impediri poſſe, eſt per ſe euidens. Nam ex parte potentiæ, tolletur expeditio prædictæ poteſtatis, ſi negetur concurſus diuinus, quem Deus nulla neceſſitate adigitur conferre. Et idem continget ex parte obiecti, ſi eius ignoratio, vel indebita cognitio interueniant. Neque enim voluntas poteſt agere, ſi deſit obiectum circa quod agat. Deeſt autem, quantùm ad voluntatem attinet, ſi ei non proponatur per intellectum. Imò etiamſi cognoſcatur obiectum; ſi tamen non cognoſcatur eo modo, qui neceſſarius eſt ad libertatem, æquè impeditur expeditus vſus libertatis natiuæ voluntati. Modus autem cognoſcendi ad libertatem prærequiſitus ex parte intellectus, non alius eſt, quàm is, quo obiectum proponitur cum indifferentia obiectiua. Hæc enim eſt ſola cauſa, cur motus ſubiti voluntatis qui ſcilicet erumpunt abſque electione, non ſint liberi; quamuis prodeant à voluntate ſuapte natura

libera,

libera, & ipſimet futuri ſint liberi, ſi aliquandiu perſtent in eſſe, accedátque ex parte intellectus aduertentia, & cognitio prædicta indifferens His ergo modis facilè poſſet profligari libertas volendi.

Et à quo.

Cæterùm priore modo propoſito, qui conſiſtit in concurſus ſubtractione, non poſſet libertas impediri niſi a Deo. Quia voluntas nullius alterius cauſæ efficientis concurſum requirit, vt poſſit agere. Concurſus enim habituum, qui ſunt voluntatis comprincipia effectiua ſecundùm probabiliorem ſententiam, non eſt ita requiſitus ad operandum, vt abſque eo nequeat elici actio. Præterquam quod cum ipſi habitus non ſint cauſæ liberæ, ac proinde nequeant concurſum ſuum negare voluntati, oporteret concurſum habituum, etiamſi ad operandum plane exigeretur, ab aliquo alio ſubtrahi, vt libertas voluntatis poſſet ea concurſus ſubtractione impediri. Nemo autem alius, habituum concurſum ſubtrahere poſſet, præter Deum; quia eius tantùm eſt concurſum ſubtrahere, à quo concurſus ille pendet. Atqui habituum concurſus, à nullo alio, quàm à Deo pendet. Ab eo igitur ſolo ſubtrahi poſſet. Niſi ſi quis, gratis comminiſcatur vim aliquam creatam quaſi ſtupefactiuam, & hebetatiuam virtutis effectiuæ habituum ſpiritualium, quales ſunt qui voluntatem liberam afficiunt. Quod figmentum, non vacat hoc loco vlteriùs inſequi. Similitérque omitto commentum aliquorum, fingentium habitum, quo confirmati in gratia prohibeantur quouis peccato, ita vt non poſſint ferri in malum. Quod reſpectu peccatorum commiſſionis, importat vim facultatis operandi in voluntate hebetatiuam, & impeditiuam primæ huius facultatis libertatem integrantis. Sed ea ſententia diligenter refellitur à Suare lib. 10. de gratia cap. 5. nec noſtrum eſt eam excutere.

Poſteriore autem illo modo, quo facultatem volendi irretiri ac ligari poſſe, diximus, (nempe per ignorantiam obiecti eiuſve propoſitionem indebitam, perſpicuum eſt aliter quàm à Deo poſſe vinciri libertatem: cum plerunque ignorantia etiam non acceſſita, mentem occupet: Sæpè item paſſio vehemens adeo obturbet iudicium, & lucem ad liberè operandum neceſſariam obnubilet, vt eripiatur voluntati poteſtatis ſibi natiuæ expeditio.

Libertatem ad non volendùm, ſaltem ſuperſtite iudicio indifferente, vinciri non poſſe qui dixerint.

253. Secundò quod ſpectat ad alteram voluntatis liberæ poteſtatem, quæ eſt ad non volendum, ſiue ad ſuſpendendum actum, fuerunt qui cenſerent eam vſu ſuo priuari non poſſe, ac ne diuinitùs quidem. Nam Origenes l. 6. contra Celſum cùm Celſus Chriſtianis obiecisſet, quod iuxta ipſos, Deus non poſſet monere & ſuadere hominibus vt boni eſſent: Reſpondet ipſe Celſo in hæc verba. *Reſpondendum, non eſſe impoſſibile Deo monere homines; quandoquidem per totam ſcripturam monet, & per eos, qui diuinitùs acceperunt docendi gratiam. Niſi monendi verbum accipiatur in alio ſignificatu præter vulgè receptum vt intelligatur admonitio in aud... animo efficax* Quæ poſtrema verba ſonare videntur, non poſſe Deum efficere, vt qui monitum diuinum excipit, non exequatur liberè id de quo monetur, ſed omnem qui à Deo monetur refragari poſſe, & omittere opus indictum; contrarium autem eſſe impoſſibile.

Clariùs Epictetus, frequenter inculcat, libertatem ne à Deo quidem ſuperari poſſe, & adigi vt faciat quod non libuerit. Sic apud Arrianum lib. 1. c. 1. *Vt crura, inquit, vinculis aſtringas, arbitrium tamen nihilominus meum erit, quod ne Iupiter quidem vincere poteſt.* Et cap. 17. expreſſiſſimè ex perſona haruſpicis. *Scito homo te habere arbitrium naturâ liberum, quod prohibere nemo poſſit, nemo violenter impellere. Id in his nimirum viſceribus eſt deſcriptum. Oſtendam id tibi primùm eo loco, quo præſertim mihi aſſentieris Num quis prohibere poteſt, quo minùs annuas vero? Nemo. Num cogere quis poteſt vt falſum animo tuo approbes? Nemo. Vides ergo, quemadmodum hoc loco, voluntas & arbitrium tuum appareat liberum, ac nulla deuinctum neceſſitate, atque prorſus expeditum? Age porro, num ſecus res eſt comparata in appetitu atque incitatione voluntatis? Ecquidnam appetitum vincere poteſt? Alius appetitus certè. Inclinationem & propenſionem quid impedit? Profectò inclinatio alia, & propenſio. At, inquit, ſi mihi mortis propoſueris metum, cogit me. Profectò non quæ proponitur mors in cauſa eſt, ſed quia videtur tibi melius eſſe, facere quiddam iſtorum quàm mortem oppetere. Quare tua opinio coëgit te, id eſt, voluntas vicit voluntatem. Proinde peculiaris hæc eſt noſtri pars, quam nobis contribuit Deus opifex; quam ſi euellens à nobis, hac naturâ efficeret, vt ab ipſo vel ab alio quopiam cogi poſſet aut impediri, profectò pro Deo non eſſet habendus; nec ſane eo quo æquum erat modo nos curaret.* Tandem libro 3. cap. 3. ſic loquitur. *Adimis opes tibi pater, ſed auferens nihil nocet, plus agri poſſidebit, atque cum tantum quantum volet Num propterea plus etiam poſſidet verecundiæ animi, fidelis, aut fraterno amore inceſſit? Ex hac poſſeſſione quis te potest eiicere? Ne Iupiter quidem. Sed ne Iupiter nunquam facere volet, idque omnino meum fecit; & mihi id conceſſit quale ipſe habebat bonum; quod prohiberi, quod cogi, quod impediri non poſſit.*

Itaque hi authores, omnem omnino voluntatis adactionem ad volendum, videntur Deo poſſibilem negare. Ad hanc enim duntaxat poſteriorem libertatis facultatem ſpectat, quod dicebat Origenes, & ad eandem maximè ſpectant, quæ Epictetus ait: Quamuis interdum vniuerſaliùs neget omnem libertatis deuinctionem, etiam vi diuina, poſſe contingere in homine rationis vſum retinente, vt nunc ſupponimus; alioqui enim voluntas eius non eſſet ſuapte natura actiuè indifferens. Ex quo etiam fundamento, videtur aſtipulari Richardus in 2. d. 25. art. 4. quæſt. 2. Aliqui item recentiores, apertè contendunt, Deum nullo modo poſſe neceſſitare voluntatem ad exercendum actum aliquem, ſi ſalua ſit in intellectu indifferentia iudicij. Ita Aluares d. 26. de auxil. concl. 5. & Bannes ac Zumel adducti quæſtione ſuperiori art. 2. qui nituntur definitione libertatis actualis in hunc modum cuſa per Bannem. Eſt actus voluntatis prodiens à iudicio indifferente.

Suppoſitione quacunque antecedenti, violari eam libertatem, ſalue licet quocumque iudicio, veriſsima ſententia.

254. Omnino tamen ſtatuendum eſt, voluntatem humanam, ſalua indifferentia iudicij, poſſe diuinitùs neceſſitari & adigi ad operandum. Quæ eſt communiſſima ſententia inter Doctores. Priuſquàm autem eam ſigillatim probem, quoad varios particulares modos, quibus ea neceſſitatio poteſt contingere. confirmo eam generatim propoſito vno principio, quod ſi rectè exponatur, & ſecludantur cauilli, certum & indubitatum arbitror. Nempe

omnem ſuppoſitionem antecedentem, ſiue omne id, quo inconſulta libertate poſito, ponitur actio voluntatis ita vt non poſſit non poni, deſtruere libertatis vſum expeditum. In hoc principio conſentiunt præter recentiores innumeros, grauiſſimi quique ex antiquis, & Patrum proceres; nominatimque Chryſoſtomus, Auguſtinus, & Anſelmus.

Chryſoſtomi pro ea ſuffragium.

Quanquam Chryſoſtomi authoritas, parcè hoc loco vrgenda eſt, & proferenda duntaxat potiùs, quam premenda: quia quamuis expreſſiſſimè ſuffragari videatur, tamen à nonnullis detorquetur in alium ſenſum, quem excutere, nec inſtituti ratio, nec huius loci fines ferunt. Ait ille hom. 42. ad pop. & hom. 12. in ad Hebr. omni cura & diligentia excutiendum eſſe torporem, & libertatis munus diuinitùs traditum, ſtudioſè ac nauiter exercendum eſſe. Nec quod inconſultè aliqui faciunt, obtendi poſſe diuinam in operibus noſtris interuentionem: Quaſi quia egeſtas noſtra, diuinam manum & opem ſemper expoſcit, fas ſit ſegnitiei noſtræ abblandiri, dicendo, Dei eſſe per nos agere: Hanc enim vanam omnino excuſationem eſſe. Noſtrum quippe eſſe eligere & velle; Deum autem, quod ſuum eſt, non omittere. Additque de Deo, homil. illa 12. *Non anteccdit noſtras voluntates, ne lædatur liberum arbitrium.* Quod aliis verbis, eodem ſenſu, expreſſum eſt, ab interprete alterius loci allegati. Sic enim vertit. *Noſtras non præuenit voluntates, ne noſtram lædat libertatem.* Senſus eſt: Quia rueret libertas, ſi cauſa volitionem actu excudens, voluntate inconſulta applicaretur, quæ hanc ad cooperandum adigeret; ita vt non ipſa voluntas, ſeipſam, ſed illa alia externa cauſa, eam ad volendum determinaret: Propterea Deus, voluntates noſtras ſibi ipſis permittit. Minimè verò antecedenter, & ex ſe, nec expectato earum nutu, vnam illis partem inluctabiliter indicit, ita vt ſic præuentæ & ad ſic operandum adactæ, aliorſum flecti nequeant. Id enim libertatem peſſundaret. Idcirco inquam Deus, qui magna cum reuerentia diſponit nos, & noſtrum quoque eſſe voluit quod coronamur, quatenus aſſenſum liberum ex cenſu noſtro conferimus, non ſe applicat ad cooperandum actu nobiſcum inconſulta voluntate, ſed tantùm præſuppoſita eius determinatione libera, per ipſammet poſita: Alioqui enim temeraretur libertatis noſtræ exſolutio, quæ cum extrinſecus facta determinatione & voluntatis ad agendum abreptione non cohæreret. Hæc eſt ſyncerè mens Chryſoſtomi locis allegatis, quem proinde vides, principio philoſophico quod ſtabilimus, manifeſtè aſtipulari.

Vellit hîc mihi aurem, aduerſariorum non nemo, & Chryſoſtomum ceſpitaſſe his locis admonet; quódque iam olim queſti ſunt Thomas Bradvvardinus libro 2. de cauſa Dei cap. 31. aliique nonnulli, Catholicam voluntatis præuentionem ſuſtuliſſe, vt libertatis incolumitati conſuleret, ſicque Pelagio per ea tempora exorto, viam ſtrauiſſe. Hæc cauſa fuit, cur præmiſerim, Chryſoſtomi pro principio propoſito ſuffragium, parcè hoc loco vrgendum eſſe. Ne videlicet per occaſionem excutiendæ accuratè mentis eius, vltra fines huius tractationis ſit euagandum. Poſſum quidem calumniam ſanctiſſimo Doctori impactam, non vna ſpongia abſtergere, & ſignatis benè multis ipſius teſtimoniis euincere, malè illum ſtrati Pelagio itineris inſimulari: nec quoad alios duntaxat errores, ſed etiam quoad Pelagianum, rectè à Proclo Conſtantinopolitano, in encomio, appellatum, *vehemens hæreticorum & errorum diluuium.* Poſſum grauiſſimos ſcriptores recentioris memoriæ proferre, quorum nonnulli *impietatis*, quidam *magna impudentia* damnant, Chryſoſtomi criminatores hac in parte. Sed vt præmiſi, non eſt huius loci, hanc ſenſus Chryſoſtomi detorſionem refellere, & calumniam diligentiùs amoliri. Quod alibi plenè, & ſtudioſè præſtitum, & breuiter nuper in diſquiſitione Theologica circa ſalutis initium in cauſa Valeriani Cemelienſis. Qua in lucubratione, offucias queis hæc Chryſoſtomi doctrina obducebatur; paucis, ſed ni fallor, validè diſcipuli, prolatis grauiſſimis Patribus benè multis, quibus, is loquendi modus qui & hîc apud Chryſoſtomum, & eo loco apud Valerianum, offenſionem mouerat, ſanus & Catholicus demonſtratur. Itaque ne actum agam, & hîc extra locum, in ea quæ altioris ſunt ſubſellij, improuidè excurram, nihil præterea addo; contentus monuiſſe, Chryſoſtomum ſyncerè intellectum, non aliud locis allegatis affirmare, quàm quod aſſeritur eo philoſophico principio cui ſtabiliendo hîc inſiſtimus: Nempe quod libertas temeretur & ruat, ſi voluntas antecedenter determinetur; ita vt non ſuopte nutu, ſed extrinſecus immiſſo pondere deprimatur; nec poſſit non ferri quo pondus illud, ipſa inconſulta poſitum degrauat.

255. Non me latent aliæ præterea reſponſiones, quibus facti in Chryſoſtomum reuerentiores aduerſarij nunc vtuntur. Nempe quòd Chryſoſtomus, vel tantùm loquatur contra Manichæos hoſtes libertatis, vel loquatur hyperbolicè; vel loca allegata ſint inſerta ab hæreticis. Hæc enim ſunt latibula, quibus abdunt ſeſe, ad declinandam in re præſenti authoritatem tanti Patris. Sed nullum illorum, eſt ſatis idoneum, vt perfugium tutum præbeat, & qui viis illis Chryſoſtomum tentat auertere, conſilium ſuum prodit, cum à quo malè habeatur quoquo modo excutiendi, non etiam reuera excutit. Nam quod Chryſoſtomus Manichæos tantùm impetat, noſtra parum refert: Nec enim aliunde eos oppugnat, quàm quod determinationem voluntatis referant in aliud principium, quàm in ipſam voluntatem; quod negat Chryſoſtomus cum libertate cohærere, & hoc vnum nos nunc contendimus. Quod autem dicitur locutus hyperbolice, ſimpliciùs & apertiùs diceretur prodegiſſe veritatem, & falſò ac erroneè locutus eſſe: Itaque prætenſa illa excuſatio, vera accuſatio eſt. Non quòd omnis hyperbole ſit mendacium. Id enim falſum eſſe liquet ex vſu hyperboles in Scripturis, vt notauit Iſid. Peluſ. l. 2. ep. 99. Sed quod nullus ſit in re præſenti, hyperbolæ locus. *In hoc omnis hyperbole extenditur* ait Seneca l. 7. de benef. c. 23. *vt ad verum, mendacio veniat.* Id eſt, exaggeratur aliquid vltra verum, vt erectus per eam auxeſim audientis animus, deprehendat quod reuera eſt. At hic Chryſoſtomus, nihil exaggerat, ſed ſimpliciter ſtatuit quod retulimus: Nec vlla proferri poteſt materialis falſitas, cuius enunciatione, ad aliquod verum, venire tentarit. Quare expeditius diceretur, Chryſoſtomum, à vero deflexiſſe & impegiſſe. Idque reuera intendunt qui hyperbolas hîc obtrudunt, tantùm vt muti prorſus non ſint, & quoquo modo frontem obducant. Tandem ſi ſemel liceat, quæ nobis in Patribus minus arrident, tanquam placitis noſtris incommodantia, cauſari ſuppoſita eſſe ab hæreticis, nihil planè habebimus apud Patres, quod non ſit cuiuis pro libito facilè repudiare: Hoc ipſum cum dixiſſet Ruffinus de libris Origenis, quæſtus inſarta in dos eſſe erronea quædã; reſpondet S. Hier. l. 2. aduerſus Ruff. quod in rem noſtrã cadit perbellè. *Si conceditur, vt quicquid in libris omniũ reperitur ab aliis corruptum ſit, nihil eorũ erit quorũ fertur nominibus, ſed iis deputabitur à quibus dicitur eſſe vitiatum: quanquã & illorum*

non

non erit, quorum incerta ſunt termina, atque ita fiet, vt dum omnium cuncta ſunt, nihil alicuius ſit. Videſis præterea quomodò Auguſtinus l. 11. contra Fauſt. c. 2. proportionale tenebrionis illius ſubterfugium præcludat. Itaque vel ex inſulſitate huiuſmodi reſponſorum, patet, in quantas anguſtias redigantur, qui lucem principij, quod hic proponimus, conſpicere apud Chryſoſtomum tenuunt.

Item Auguſtini, & Anſelmi.

Auguſtinus apertè eidem principio ſubſcripſit 1. Retract. c. 22. Exponens enim quod dixerat ſub finem libri contra Adimantum, *in noſtra poteſtate eſſe vt vel inſeri bonitati Dei, vel excidi eius ſeueritate mereamur:* ſubdit rationem dicti illius in hæc verba. *Quia in poteſtate noſtra non eſt, niſi quod noſtram ſequitur voluntatem.* Et Auguſtinus diſertè tradit, non ſubeſſe noſtræ poteſtati, hoc eſt, libertati, quod voluntatem noſtram antecedit, ſed tantùm, quod eam ſequitur. Non eſt autem eo loco, ſermo de anteceſſione temporali, ſed tantùm de cauſali. Itaque iudice Auguſtino, ſi quid conſenſum voluntatis inuehens, ita præit voluntati, vt eam voluntatem nullo modo ſequatur, hoc eſt, nullo modo ponatur, quia ipſa voluit illud poni; conſenſus per eam cauſam inuectus, non erit liber. Quod nos aliis verbis expreſſimus in principio quod tuemur, cùm diximus ſuppoſitionem antecedentem lædere libertatem. Eandem vim habent illa Auguſtini l. contra Secundinum cap. 19. *Natura ſi habet in poteſtate, vel conſentire vel non conſentire, non ergo victa conſenſit, &c. ſi autem cogitur conſentire, ita vt non ſit in eius poteſtate aliter facere, non ergo voluntate peccat, quando non voluntate conſentit.* Et hic quoque vides Auguſtinum manifeſtè ponere principium quod hic defendimus. Pro eodem namque accipit *cogi*, & *non eſſe in poteſtate voluntatis*, ita vt poſſit voluntas pro arbitratu aliud facere, quàm faciat. Luculenter lib. 3. de lib. arbit. c. 18. vt tradat, non agere liberè, atque adeo non peccare, qui ab externa cauſa ineluctabiliter propellitur; cum præmiſiſſet id à ſe tam multis tota anteriore diſputatione confirmatum, ſubdit. *Sed ſi laborioſum eſt omnia mandare memoria hoc breuiſſimum tene. Quæcunque iſta cauſa eſt voluntatis, ſi non ei poteſt reſiſti, ſine peccato ei ceditur.* Nimirum quia libertas nulla eſt, ſic adacti aliena impreſſione ad agendum. Alia quædam in hanc rem Auguſtini loca dabit Valdenſis tom. 1. l. 1. art. 1. c. 25.

256. Apertiſſimè verò S. Anſelmus in eo principio ponendo multus eſt lib. 2. cur Deus homo c. 18. & in concordia c. 1. & 2. quem idem Valdenſis allegat, & ex Auguſtino id hauſiſſe contendit. Probat Anſelmus priore loco, Chriſtum non fuiſſe mortuum ex neceſſitate, quæ libertatem eius peſſundaret. Et in eum finem diſtinguit duplicem neceſſitatem, quarum vna quam præcedentem vocat, libertatem tollit, non item alia. [Eſt neceſſitas præcedens, *inquit*, quæ cauſa eſt vt ſit res, & eſt neceſſitas ſequens, quam res facit. Præcedens & efficiens neceſſitas eſt, cùm dicitur cœlum volui, quia neceſſe eſt vt voluatur. Sequens verò & quæ nihil efficit, ſed ſic eſt, cùm dico te ex neceſſitate loqui, quia loqueris. Cùm enim hoc dico ſignifico nihil facere poſſe, vt dum loqueris, non loquaris. Non quòd aliquid te cogat ad loquendum: Nam violentia naturalis conditionis, cogit cœlum volui; te verò nulla neceſſitas facit loqui. Sed vbicunque eſt præcedens neceſſitas, eſt & ſequens: non autem vbi ſequens, ibi ſtatim & præcedens. Poſſumus nanque dicere, neceſſe eſt cœlum volui, quia voluitur: ſed non ſimiliter eſt verum, idcirco te loqui, quia neceſſe eſt vt loquaris. Iſta ſequens neceſſitas currit per omnia tempora, hoc modo. Quicquid fuit, neceſſe eſt fuiſſe. Quicquid eſt neceſſe eſt eſſe. Quicquid futurum eſt; neceſſe eſt futurum fuiſſe. Hæc eſt illa neceſſitas, quæ (vt tractat Ariſtoteles de propoſitionibus ſingularibus & futuris) videtur vtrumquelibet deſtruere, & omnia eſſe ex neceſſitate aſtruere. Hac ſequenti & nihil efficienti neceſſitate, quoniam vera fuit fides vel prophetia de Chriſto, quia ex voluntate non neceſſitate moriturus erat: neceſſe fuit vt ſic eſſet. Hac, homo factus eſt; hac, fecit & paſſus eſt, quicquid fecit & paſſus eſt, hac voluit quæcunque voluit Ideo enim neceſſitate fuerunt quia futura erant, & futura erant, quia fuerunt: & fuerunt quia fuerunt: Et ſi vis omnium quæ fecit, & quæ paſſus eſt veram ſcire neceſſitatem, ſcito omnia ex neceſſitate feciſſe, quia ipſe voluit. Voluntatem ergo eius nulla præceſſit neceſſitas.]

Vides Anſelmum agnoſcere, neceſſitatem præcedentem, ſiue antecedentem efficientem, excindere libertatem, quia eſt neceſſitas, quam non facit libertas voluntatis, vt loquitur altero loco allegato: Vbi ſtatuit vt certum, eam neceſſitatem quam ipſa voluntatis libertas cauſat, non eſſe neceſſitatem cum libertate pugnantem, quia pendet ab ipſa libertate. Ac proinde à contrario deſtrueret libertatem, ſi à voluntate non penderet, ſed eam antecederet influxu & cauſalitate, non autem tempore, vt aliquis ineptè id accepit, adducens in exemplum ſuppoſitionis antecedentis ſcripturam prædicentem quod euenturum eſt, quæ eſt temporaria duntaxat anteceſſio. Porrò locis prædictis S. Anſelmus, agit de actibus, qui à voluntate liberè aut non liberè eliciuntur, eò quòd ipſa ſibi voluntas agendi neceſſitatem iniiciat, vel aliunde eam ſubeat.

Manifeſtum ergo eſt, parum ſyncerè agere qui vt eludant tanti Patris authoritatem cauillantur eum agere de neceſſitate ſimpliciter, quâ cauſa ſecunda adigitur ad operandum abſque deliberatione rationis, & proprio conſenſu, ac naturaliter: vt colligunt ex exemplo motus cœleſtis, quo eam præcedentem neceſſitatem declarat. Quaſi velint Sanctum Anſelmum per neceſſitatem præcedentem non intelligere neceſſitatem cadentem in voluntatem, ſed tantùm neceſſitatem cadentem in res naturales, cuiuſmodi eſt cœlum. At hoc eſt omnino ineptum facere S. Anſelmum, qui ſemper contraponit neceſſitatem antecedentem conſequenti, eáſque proinde circa idem ſubiectum comparat, quod iuxta expoſitionem prædictam dici non poteſt. Neceſſitates enim illæ iuxta eam doctrinam, ſunt neceſſitates diſparatæ, non autem oppoſitæ. Deinde non declinatur authoritas Anſelmi, quia ſi neceſſitas præcedens excludit à ſubiecto, in quod cadit, (hoc eſt, vt iſti interpretantur, à cauſa naturali,) libertatem; idcirco illam excludit, quia ea neceſſitas non ſequitur voluntatem cauſæ. Ergo omne quod voluntatem non ſequitur, ſed ex ſuppoſitione aliqua voluntatis determinationem antecedente proficiſcitur, libertate deſtituitur, iuxta Anſelmum; quem proinde meritò dixi planè ſubſcribere principio à nobis poſito.

Et ita eum intellexit Linconienſis lib. 3. de lib. arbitrio, cuius verba refert, & approbat Bradnardinus lib. 3. de cauſa Dei cap. 28. latè declarans hanc fuiſſe mentem Anſelmi: Quem etiam ad eundem modum accepit & approbauit OlKot in 2. quæſt. 2. *litera FF.* Ita quoque Anſelmum intellexit Valdenſis ſuprà. Qui idcirco addit, periculosè à quibuſdam, ſuo tempore, inuectam eſſe præcedentem illam neceſſitatem. In quem etiam ſenſum cap. 28. adducit

S Thomam, cui queritur contrarium imponi. Aliud ineptum ab Anſelmi autoritate ſubterfugium, præcludam paulo poſt n. 258.

Paſſim quoque, Patrum cæterorum.

257. Tandem proferri etiam pro hoc principio poteſt ſuffragium omnium illorum Patrum & Doctorum, (hoc eſt, prope omnium,) quos infra videbimus, quoties occaſio ſe dat, magno ſententiarum & verborum pondere inuehi in fatum, ſiue cœleſte, ſiue diuinum, aut quomodolibet aliter expoſitum. Non enim aliter illud impugnant, quàm quia excinditur libertas noſtra, admiſſo extra nos principio ſeu cauſa actuum noſtrorum determinatiua. *Si appetitus*, id eſt, volitio, *neceſſariò conſequitur, vbi relinquitur quod in noſtra poteſtate eſt? Debet enim eſſe liberum, quod in noſtra poteſtate eſt. Eſſet autem liberum, ſi iiſdem poſitis cauſis, in nobis eſſet aliquando appetere, aliquando refugere. At ſi neceſſariò appetitus ſequitur, certè etiam fato fiunt quæ appetitum ſequuntur, etiamſi à nobis fiant, & natura noſtrâ, & appetitu, & iudicio.* Verba ſunt Nemeſij cap. 35. oſtendentis inſulſitatem (vt ait) ſententiæ Philophatri & quorundam Stoicorum, qui verbo tenus ſaluam volentes libertatem, admittebant fatum, non videntes, poſita antecedente illa cauſa, ex qua non poſſet non ſequi volitio, deſtrui omnino ius homini in actum ſuum, ac proinde etiam libertatem. Idem Chryſippo obiicitur apud Gellium l. 6. cap. 2.

Expendendum porro eſt, hos Stoicos, vt diſertè ex Nemeſio nunc audiſti, idcirco voluiſſe noſtrum actum eſſe liberum, non obſtante fato, quia voluntas influit in illum & prælucet ei iudicium, vtique indifferens; quale nobis etiam concedunt, nec negare poſſunt fatarij noſtrates de Lutheri & Caluini cauſa. Vt nihil magis geminum ei ſententiæ quam impugnamus, proferri potuiſſe videatur; cum diſertè eius autores non obſtante ſuppoſitione antecedenti, ſaluam velint libertatem eaſdem ob cauſas: Nempe quia adeſt iudicium rationis indifferentis, & voluntas præluccentè eo iudicio, promit appetitionem. Quod meritò Nemeſius negat ad libertatem ſufficere niſi poteſtas agendi & non agendi iiſdem interuenientibus cauſis, atque adeo eadem ſuppoſitione antecedente præmiſſa, penes voluntatem perſeueret. Eadem apud Nyſſenum, Chryſoſtomum, Euſebium, aliósque fati impugnatores legere licet. Itaque omnes æquè ſubſcribunt principio quod ſtabilimus, cum omnis ea ratiocinatio, hoc principio nitatur tanquam fundamento.

258. Aduertendum verò præterea eſt, in huiuſmodi Patrum & Doctorum diſputatione contra fatum nunquam haberi ab eis rationem, quòd fatum ſit Deo liberum. Nec item attendi ab eis quòd huiuſmodi fatum reſpectu Dei aut actionis externæ, prout à Deo prodeuntis, non habeat rationem ſuppoſitionis antecedentis: Sed tantùm comparari ab eis fatum cum humana voluntate, de cuius libertate tuenda agitur. Quid enim ad noſtræ libertatis incolumitatem attinet, quòd diuina libertas non violetur neceſſitando noſtram? Aut quòd actio noſtra, prout à Deo manans cum indifferentia, ſit libera reſpectu Dei, ſi à nobis prodeat cum neceſſitate, quia ad eam antecedenter determinamur, ſiue prædeterminamur?

Itaque valde ineptè quidam ex aduerſariis, vt autoritatem S Anſelmi ſupra propoſitam declinaret, præter reſponſum ſupra propoſitum & impugnatum addit alterum, quod ait fortè clarius fore: Nempe quod neceſſitas proueniens ex ſuppoſitione antecedenti diuinæ voluntatis ac potentiæ humanam libertatem prædeterminantis, non excindit libertatem, quia diuina voluntas pro ſumma ſua in humanam poteſtate, (quam idem autor ex D. Auguſtino lib. de Corrept. & gratia c. 14. exaggerat,) intimiùs ac vehementiùs in actionem noſtram influit quàm voluntas humana: Ideóque ea ſuppoſitio eſt conſequens cauſam actus, ac proinde rectè cohæret cum libertate actus noſtri: ſicut enim optimè cum ea cohæreret ſuppoſitio ab ipſa creata voluntate ortum habens; ita (& quidem multò magis) ſuppoſitio cauſæ ſuperioris æquè, aut etiam plus influentis in effectum non deſtruit libertatem actionis, ſed etiam potius efficit.

Hoc reſponſum, dico, & eſſe inidoneum ad Anſelmi autoritatem declinandam, & tuendam libertatem noſtram, ac cum Patribus fatum impugnantibus apertè pugnare. Nam S. Anſelmus diſertè agit de neceſſitate antecedente per reſpectum ad voluntatem creatam, reſpectu cuius actus de quo agebat, libertatem aut neceſſitatem ſubire debebat: docétque ei voluntati actum non eſſe liberum, ſi ex ſuppoſitione antecedente & nũ ex ſua determinatione eum eliciat, quamuis ſuperiori cauſæ prædeterminanti liber ſit, quia ipſa ad eum non determinatur ab alio: Quod quid refert ad libertatem cauſæ ſubordinatæ, actæ à ſuperiori cauſa?

Et reuera ſi voluntas creata occluſo intellectus lumine indifferente neceſſitaretur (quod aduerſarij non negant fieri poſſe, nec negare poſſunt ſaluo ſupremo Dei dominio in voluntatem;) actio ſic neceſſitata, eſſet Deo libera, non voluntati: nec referret quod cauſa prima intimiùs & vehementiùs influens in huiuſmodi actum, indifferens eſſet; & actus reſpectu eius haberet libertatem: Sed ſufficeret quod per comparationem ad cauſam ſecundam, actus eſſet neceſſarius, quippe profuſus à cauſa ſecunda aliunde quàm à ſeipſa ad eius formationem determinata. Quid igitur nunc admiſſa prædeterminatione diuina, contendunt ad libertatis incolumitatem facere, quòd ſuppoſitio illa antecedens ſit diuina; Cum tamen inde potiùs, arctius & firmiùs ſtringenda ſit humana libertas, vt benè dixit Oenomaus Cynicus diſputans contra Stoicos fati diuini aſſertores, apud Theodoretum initio ſexti contra Græcos. Quò enim diuina voluntas immobilior eſt, & diuina manus robuſtior, eò indeclinabilior nobis eſſet vis eius ac impetus. Denique Patres fatum diuinum impugnãtes, non attendunt quòd ſit diuinum, ideóque libertatem creatam lædere non poſſit: ſed ex eo quòd voluntati determinationem ad ſuum actum præripiat, inferunt exſcindi per illud libertatem. Non diſſimiliter igitur argumentari poſſumus, contra quamcunque ſuppoſitionem antecedentem, etiamſi diuinam. Quia quotieſcunque aliquid ſupponitur ad actionem voluntatis, quo poſito voluntas non poteſt non agere, ruit libertas.

Item Scholaſticorum.

259. Accedit autoritas Scholaſticorum, apud quos (ſi paucos nuperos excipias,) ratum ſemper ac fixum fuit ſuppoſitionem quamcunque antecedentem excindere libertatem: Ideòque quotieſcunque tractant quomodo humana libertas cum diuinis decretis & cooperatione conſiſtat, illud ſemper omni ſtudio aperire contendunt, voluntati plenum ius relinqui in actum ſuum; Et diuinum concurſum eſſe quod dicitur, hoc eſt *concurſum*. non *præcurſum*: & *cooperationem* non *præparationem*. Loca multorum Scholaſticorum ad id annotaui in Naturali Theol. d. 8. n. 350. Et multos etiam proferunt Leſſius tract. de grat. c. 5. n. 7. ad 11. Pennotus lib. 1. propugnaculi c. 19. Suares lib. 1. de Auxil. c. 14. quos inter, videndi præſertim Gregorius,

gorius, Scotus, Ochamus, Gabriel & Maior à me ſupra allegati, quibus adde Dionyſium Ciſterc. in 2. d. 25. q. 2. art. 2. & q. 3. art. 1. & 3. S. Bonauenturam in 2. d. 37. a. 12. Et S. Thomam, cui cum Valdenſi ſuprà, queri meritò poſſumus impingi, quòd antecedentem aliquam ſuppoſitionem & prædeterminationem voluntatis humanæ in actibus liberis inuexerit, cum diſertè q. 3. de potentia art. 7. ad 13. conformiter ad omnes alios Scholaſticos, vt ſalua ſit libertas, velit determinationem ad actum tribui voluntati, non Deo. Quod illuſtriſſimè etiam tradit in 2. d. 25. q. 1. art. 1. ad 3. & quodl. 1. art. 7. ad 2. Hæc autem omnia fruſtra à Scholaſticis tanta diligentia inculcarentur, niſi ſupponerent veriſſimum eſſe principium, quod hic ſtabilimus; nempe quòd ſuppoſitio, quæcunque antecedens eripit libertatem.

Ac denique Hæreoſologorum.

Claudo hoc agmen autoritate recentiorum Hæreſeologorum, quæ apud quemque Catholicum & cordatum, non poterit non eſſe magni ponderis. His ergo Catholicæ veritatis propugnatoribus, ad libertatis expeditionem tuendam, receptiſſimum eſt hoc principium. Nam hæreticis humanæ libertati infeſtis, & diuinam voluntatem antecedenter cauſantem vrgentibus, conſtanter negant talem in Deo voluntatem reſpectu conſenſus noſtri liberi eſſe admittendam. Sed quamuis Deus, quod ſpectat ad opera conducentia ad ſalutem, ſollicitet & blandè pelliciat voluntatem, vt ipſa dedat ſeſe, docent tamen eum nihil voluntati immittere, ſiue adiungere, ex quo actio voluntatis non poſſit non ſequi, donec ipſa voluntas diuinam aſſiſtentiam ad cooperandum depoſcat. Quod plane eſt negare ſuppoſitionem antecedentem cohærere non libertate.

Ita luculenter quem ex argumento quod pertractat variis opuſculis, Hæreſeologum iure dicam, Oth. Cameracenſis l. 3. de peccato orig. *non initium*, vbi cum dixiſſet & præmia & ſupplicia manſura nos prout voluerimus, ſubdit: *Vtrumlibet ergo conſequamur, eſt in noſtra poteſtate quia eſt in noſtra voluntate. Nihil enim tam eſt in noſtra poteſtate quàm voluntas noſtra: Nam quæ in noſtra poteſtatis ſunt, tanto magis in noſtra poteſtate ſunt, quanto magis in voluntate. Et quia voluntas noſtra, propinquior ſibi adeſt, & magis eſt in ſe quàm cætera, ideo maximè eſt in poteſtate noſtra. Non enim mea poteſtas habet, quod ex mea voluntate non pendet: Nam magis vrget neceſſitate, quam delectet poteſtate, quod non eſt in voluntate.* Egregiè item in rem noſtram diſputat Valdenſis tom. 1. lib. 1. doctrin. à c. 21. impugnans neceſſitationem voluntatis à Vvicleffo inuectam cui cap. 25. & 28. adiungit ſententiam quorundam ſui temporis Catholicorum, qui cum diuina voluntate antecedente, qua poſita non poſſit actus noſter non ſequi, tentabant conciliare libertatem noſtram. Quod Vvaldenſis exagitat tanquam omnibus orthodoxis Doctoribus contrarium, atque autorem prætenſæ illius conciliationis, preſſum difficultate ducta ex antecesſione diuinæ cauſæ; ad quam actus noſter nequeat non ſequi, ac proinde non liberè ſequatur, *illudit eum huiuſmodi argumento, ſicut Iacob cum Angelo quouſque emarcuerit neruus in femore, & ſua ipſius reſponſione ſue umbat.* Et propoſitis variis D. Auguſtini & aliorum Patrum locis quibus affirmatur euerti libertatem, niſi quis in plena poteſtate habuerit ſe cohibere ſi velit, concludit; cauillandum non eſſe quòd ſufficiat actum eſſe in noſtra poteſtate, quatenus pendet à nobis, etiamſi quoad ea penes quæ à Deo pendet, non ſit nobis liber. *Vndecunque*, inquit Vvaldenſis c. illo 28. n. 7. *ab extra immu-* *leris neceſſitatem, quæ derogat poteſtati, ſtatim præiudicas libertati.* Certè non aliam ob cauſam, quàm quia ſuppoſitio antecedens (& vt cap. 25. loquitur) *neceſſitas efficiens*, euertit libertatem.

Eandem doctrinam contra nuperos ſectarios, placitorum Vvicleffi mangones, ſæpè adhibent, qui eos impugnant circa libertatis expeditionem. Vt Turrianus 4. pro Epiſt. Pontif. contra Magdeburgenſes c. 2. Veſtonus lib. 3. de triplici hominis officio c. 29. Lancelotus in opere cui titulus, *Hæreticum quære, ſolutum per Catholicum, quia* c. 79. & 80. Stapletonius 4. de Iuſtificat. c. 8. & longè antequàm lites poſtea inter quoſdam Catholicos circa prædeterminationē exortæ, efferbuiſſent, Bellarminus 1. de grat. & lib. arbitrio c. 12. paſſimque alij Catholici tractatores.

Teſtimonia inimicorum.

260. Eſtque id tam clarum, vt cæci etiam hoc videant. Nam hæretici, eo ipſo principio nixi, & videntes ſuppoſitionem antecedentem etiamſi ſit diuina, non cohærere cum libertate, abrogant libertatem, quia ponunt diuinam ſuppoſitionem antecedentem, nempe vim diuinam efficaciter decernentem & prædeterminantem actus noſtros, vt quilibet ex eorum libris poteſt perſpectum habere, & nos ex quotidiana cum eis conuerſatione ac vſu, quem fæx hæc temporum inducit, perſpectiſſimum habemus. Aut ergo hæretici, quos tanquam libertatis oſores damnat Eccleſia, labuntur tantùm in vocibus, benè admittentes totum quod admittunt, nempe voluntatis creatæ prædeterminationem & ſuppoſitionem antecedentem, & tantùm malè negantes dicere licere quod hoc poſito ſuperſit libertas. Vel ſi etiam quoad ipſam rem labuntur, (de quo nemo Catholicus videtur poſſe dubitare,) noſtrū principium, omni veritate ſubnixum perſtat. Quia libertatem excindere iudicantur, tantùm quia ſuppoſitionem illam antecedentem aſtruunt.

Et hinc eſt, quòd ſectarij nigro theta ſuffigunt Molinam, & vniuerſos Societatis Scriptores, quòd antecedentes huiuſmodi ſuppoſitiones & prædeterminationes reiiciant. Vſque adeo vt Ferrius, Metenſis Reformati Euangelij Miniſter, ſcripto virulentiſſimo annis ſuperioribus edito, effutiuerit, Ieſuitas, hāc ob cauſam eſſe *ter hæreticos*, laudaritque Bannem, & eius aſſeclas contrà ſentientes, tanquam aſſecutos ſinceritatem Catholicæ veritatis, quæ cuiuſmodi apud Sectarium ſit, non eſt obſcurum. Quid quod ſynodus Batauica, in conuiuio eorum pariter potantium, Dordraci, ſtrinxit anathema in ſententiam Molinæ? De quo bruto fulmine aliàs. Paſſim etiam noſtrates hæretici, eandem molam verſant non exigua, apud cordatos æſtimatores, ſententiæ quàm exagitant commendatione.

Sciens prætereo, quanta veritate, non ita pridèm poppa Geneuenſis, Scholæ tricarum non planè rudis, tentare potuerit Caluinum ſuum, indemnem præſtare, circa humanam libertatem prolata, & cum Caluini locis ſtudiosè collata, multitudine locorum, ex Scriptoris Catholici inter aduerſarios eminentiſſimi, commentariis in 1. p. & in 2. 2. contendens antiſtropha eſſe, & planè gemina iis quæ apud Caluinum, circa libertatis humanæ exſolutionem, à Catholicis ſuffigunur: eo quod Caluinus non aliis pedicis quàm antecedentibus, & voluntati ineluctabilibus ſuppoſitionibus, Theologo illi probatis, libertatem creatam impediuerit. Hoc, vt dixi, ſciens prætereo, quòd Lemanici nebulonis malignitate, & collatione cum ſpurciſſimo Sycophanta, contaminari Scriptorem Catholicum non ſuſtineam, nec poſſit eſſe dubitatio, quin

longè

longè alia ſit Catholico Theologo mens, ſenſúſque longè alius, quam iurato hoſti exſolutæ libertatis, quantumuis verba, vtcumque illi ſint ſymphona.

Ratio pro eadem ſententia,

261. Tantæ moli autoritatis, accedit pondus rationis, quæ ſæpe iam indicata eſt, nec minus videtur ineluctabilis, quam ſuppoſitio ipſa antecedens, cui depellendæ operam ponimus. Illa enim potentia non poteſt dici libera, quæ non eſt ſui actus domina: Id eſt quæ non habet poteſtatem agendi & non agendi poſitis omnibus prærequiſitis ad agendum. Nam per hoc potentia libera differt a non libera, vt late ſuprà explicatum eſt circa definitionem libertatis, éſtque communis animi conceptio. Omnes enim libertatem exponunt per illam poteſtatem propriæ voluntatis; ita vt ſi cùm voluntas habet agendi poteſtatem, habeat etiam poteſtatem frænandi ſeſe & cohibendi actum ſuum, adſit libertas; ſin minus, deſit. Atqui ſuppoſitio antecedens, ſiue ſit diuina ſiue creata, & denique vndecunque proueniat, dummodò ſit verè antecedẽs, hoc eſt, dummodò nulla alia mutatione facta, & perſiſtendo qualis eſt, non poſſit non inuehere vi ſua actum ſecundum volitionis noſtræ; tolit poteſtatem illam non agendi; Vt patet ex hac ipſa notione ſuppoſitionis antecedentis, de qua agimus; & ex eo quòd huiuſmodi ſuppoſitio prædeterminat; & priuſquàm voluntas iure ſe determinandi, quo pollet, vtatur, determinationem ei immittit ad alteram partem. Ergo huiuſmodi ſuppoſitio tollit libertatem. Tota ratiocinatio, rite ſupra firmatis omnibus eius principiis, optime conſtituta videtur, & omnino conuincens, vt Scotus rectè vidit in 4.d.49.q.6. *litera H. I & L.*

Vana eius declinatio, ex eo quod aliqua ſuppoſitio antecedens, tantùm liniat, ſitque libera,

262. Tantùm excutiendæ reſtant nonnullæ reſponſiones, quas aliqui adhibent, contendentes non omnem ſuppoſitionem antecedentem tollere libertatem, Et nonnulli quidem concedunt principium à nobis poſitum, valere, ſi id quod ſupponitur ſupponatur per modum neceſſari; & deſtruentis libertatem; non tamen ſi ſupponatur per modum linientis, & confortantis, ac dulciter prædeterminantis. Ita quidam ſcriptor (cuius operi Iuno Lucina parùm facit, ideoque de vtero tranſlatum eſt ad tumulum,) lib. 2. de auxiliis concl. 2.

Sed hoc linimentum non lenit difficultatem. Implicat enim in adiecto: vt principium actionis volendi, ita eam antecedat, vt eo poſito non poſſit actio non ſequi; (quidem aduerſarius nobiſcum fatetur eſſe ſuam illam ſuppoſitionem antecedentem: & tamen libertatem duntaxat linire, ac non etiam prorſus tollere. Certe forma neceſſitans non determinaret dulciter voluntatem, ſed omnino eam abriperet ad operandum, idóque repugnaret libertati: Et tamen non aliter ad libertatem ſe haberet, quàm vnguentum illud ac oleum ex Riſpolana Seplaſia voluntati illitum. Acrimonia enim ſuppoſitionis antecedentis, tanquam aceti affuſi, perdit ſuauitatem vnguenti.

Par momentum habet, reſponſio quam idem autor ex Medina adhibet, dicens ſuppoſitionem antecedentem tollere libertatem, ſi illud quod ſupponitur, ſit neceſſarium, non tamen ſi adhuc maneat liberum. Quid enim boni ſentius, & ad rem præſentem idonei, verbis iſtis ſubeſſe poteſt? Nam non quæritur hic, an principium actionis voluntatem antecedens & actionem eius extorquens, liberum ſit an neceſſarium; ſed an præuentio ac anteceſſio eius relinquat voluntatem liberam. Oſtendendum ergo erat non obſtante ea præuentione, ſiue antecedente ſuppoſitione talis principij voluntatem præuenientis, manere actionem ſub dominio voluntatis; ita vt ad nutum eius ſit exercenda vel cohibenda, ſicut ad libertatem exigitur. Nam cauſa iam determinata non poteſt non eſſe determinata. Atqui voluntas per antecedentem illam ſuppoſitionem determinatur ad partem illam, cui ea antecedens ſuppoſitiò reſpondet, ita vt non poſſit actio non ſequi ex ea parte. Ergo nullum ſupereſt voluntati dominium in actionem ſuam, nulláque poteſtas vt pro arbitrio agat vel non agat. Quia id ad quod aliquid determinatur, non poteſt eſſe in determinati poteſtate: agit enim ſicut motum à determinante, & tanquam inſtrumentum eius non liberum. Sed hæc nimis ludicra ſunt, ac ferè indigna, in quibus refellendis tempus fruſtrà teratur.

Alia vana rationis propoſita declinatio, ex eo quod ſuppoſitio aliqua antecedens, non tollat modum ſe determinandi creaturæ proprium.

263. Nec aliter pronunciandum videtur de reſponſione Vvallæi ſectarij, qui in ſuo Ethicæ reformatæ compendio, parte 2. §. *de conſenſu libertatis humanæ & prouidentiæ.* obiicienti ſibi rationem, quam adhibuimus aduerſus ſuppoſitiones antecedentes, vt probaremus eas libertatem temerare: Reſpondet, eſſe quidem libertatis abſolutæ non determinari ab alio, taléinque libertatem ſuppoſitiones antecedentes excludere, quod eius proprium ſit à ſe determinari: hanc tamen abſolutam libertatem ſoli Deo competere: Ad creaturæ autem libertatem ſufficere; ſi ipſa ſe determinet vt proximum ſuarum actionum principiũ, Deo interim tanquam cauſa ſuprema eam determinante tali determinatione, qua proprius motus creaturæ relinquatur, iuxta modum loquendi D. Auguſtini 7. Ciuit c.39. Ex quo concludit ſectarius, ſuppoſitionem antecedentem, ſi ſit diuina, benè cohærere cum libertate creaturæ.

Verùm cùm ſtatim ingenuè fateatur, nullo modo poſſe intelligi, quomodo duo illa cohæreant, determinari ab alio antecedenter, & ſibi permitti, haberéque in poteſtate ſua motus proprios, clauum clauo trudendum exiſtimat; ſubiicitque ineluctabilem vt putat difficultatem, quam diſſolui ab iis oporteat, qui eam cohæſionem antecedentis ſuppoſitionis & actionis liberæ inficiabantur. [Omnes enim agnoſcunt Deum præſciuiſſe ab æterno determinationem voluntatis creatæ in omnibus actionibus ſuis. Quis verò hominum intelligere queat quomodo Deus certum euentum in cauſis indeterminatis præuiderit; *Roborat ſectarius hoc telum iſta præterea ſubiiciens.* Imò verò explicet mihi quis, quomodo Deus infinito ſcientiæ ſuæ lumine, ſine violatione libertatis humanæ hoc præuiderit. Ego ei eadem opera explicabo quomodo Deus decreto ſapientiſſimo ſuo, id ab æterno decreuerit, & ſine violatione libertatis eius, in tempore exequatur.] Ita ſectarius difficultate elidens difficultatem.

Reuera tamen operam ludit: nec tam argumentum à nobis contra ſuppoſitiones quaſcunque antecedentes propoſitum eneruat, quàm ignorantiam ſuã prodit, qui putet paritatem eſſe inter diuinam prænotionem futurorum liberorum, & eorundem prædeterminationem: cùm tamen vel lippus perſpicere poſſit, prænotionem ſupponere obiectum ſuum pro ea

temporis

temporis differentia poſitam, ad quam præuotio peruadit: prædeterminationem autem non ſupponere obiectum per cauſam creatam ſui iuris ſuique actus dominam poſitum, ſed efficere vt ab ea volente nolente ponatur: ac proinde non relinquere tali cauſæ proprium motum & dominium in actionem ſuam, ſed illam potenter adigere ad operandum. Quod ſectarius rectè faſſus eſt intelligi non poſſe, quomodo cum creata libertate conſentiat.

Falsò item arbitratur, Deum præſcire actionem liberam in cauſis indeterminatis. Non enim futurum contingens in cauſa indeterminata præſcitur, ſed in ipſa ſua futura exiſtentia, vt expoſitum eſt in Naturali Theologia d. 8. n. 37. Per eam autem futuram exiſtentiam reip à poſitam, & diuino intuitui omnia ſcibilia peruadenti obiectam, cauſa actiue indifferens & indeterminata, conſtituitur determinata formaliter & in acto ſecundo, cui determinationi præiuit determinatio virtualis in acto primo, de qua ſuprà. Atque ita certus euentus non præſcitur in cauſa indeterminata, vt aduerſarius ad offendendam rationi propoſitæ caliginem cauillatur. Quare reſponſio à ſectario àd rationem noſtram adhibita, eſt omnino inanis.

Tertia vana eiuſdem rationis declinatio, ſuperiori affinis.

264 Eiuſdem furfuris videtur reſponſio Chryſippi apud Agellium l. 6. c. 2. Iuxta Chryſippum namque, fatum eſt ſempiterna quædam & indeclinabilis catena: hanc autem libertati humanæ officere cæteri Philoſophi obſtrepebant in hæc verba, quæ Agellius ſupra memorat. *Si Chryſippus, fato putat omnia moueri & regi, nec declinari tranſcendique poſſe agmina fati & volumina; peccata quoque hominum non ſuſcenſenda, neque condicenda ſunt ipſis, voluntatibúſque eorum; ſed neceſſitati cuidam & inſtantiæ, quæ oritur ex fato, omnium quæ ſit rerum Domina & arbitra, per quam neceſſe ſit fieri quidquid futurum eſt. Et propterea nocentium pœnas legibus iniquè conſtitutas ſi homines ad maleficia non ſponte veniunt, ſed fato trahuntur.*

Hoc argumentum reuera potens, ita diſſoluere tentabat Chryſippus ibidem adductus. [Quanquam ita ſit, vt ratione quadam principali, neceſſariò coacta atque connexa ſint fato omnia; ingenia tamen ipſa mentium noſtrarum, proinde ſunt fato obnoxia, vt proprietas eorum eſt ipſa & qualitas. Nam ſi ſunt per naturam primitùs ſalubriter vtilitérque ficta; omnem illam vim, quæ de fato, extrinſecus ingruit, inoffenſiùs tractabiliúſque tranſmittunt. Sin verò ſunt aſpera, & inſcita, & rudia, nulliſque artium bonarum adminiculis fulta; etiamſi paruo ſiue nullo fatalis incommodi conflictu vrgeantur, ſua tamen ſcæuitate & voluntario impetu, in aſſidua delicta & in errores ruunt. Idque ipſum vt ea ratione fiat, naturalis illa & neceſſaria rerum conſequentia efficit, quæ fatum vocatur. Eſt enim genere ipſo quaſi fatale & conſequens, vt mala ingenita, peccatis & erroribus non vacent. *Illuſtrabat hoc exemplo non illepido.* Sicut, *inquit*, lapidem cylindrum ſi per ſpatia terræ prona atque diruta iacias, cauſam quidem ei & initium præcipitantiæ feceris: Mox tamen ille præceps voluitur, non quia tu id iam facis, ſed quoniam ita ſeſe modus eius, & formæ volubilitas habet. Sic ordo, & ratio, & neceſſitas fati, genera ipſa & principia cauſarum mouet, impetus verò conſiliorum mentiúmque noſtrarum, actionéſque ipſas, voluntas cuiuſque propria, & animorum ingenia moderantur. *Hinc arbitrabatur enodatam abundè difficultatem. Itaque inferebat.* Propterea non oportet ferri audirique homines, aut nequam, aut ignauos, & nocentes & audaces, qui cùm in culpa & in maleficio reuicti ſunt, perfugiunt ad fati neceſſitatem, tanquam in aliquod fati aſylum, & quæ peſſimè fecerunt, ea non ſuæ temeritati, ſed fato eſſe attribuenda dicunt.]

Hactenus Chryſippi reſponſio, qua ſuppoſitionem antecedentem cum libertate conciliare perperam moliebatur, ſed planè infelici niſu. Vt propterea iure Tullius in opere de fato, approbante ſupra Gellio, dixerit; *Chryſippus æſtuans laboranſque quonam pacto explicet, & fato omnia fieri, & eſſe aliquid in nobis, intricatur hoc modo.* Quomodò enim ſalua manet poteſtas voluntatis cùm actus independenter à voluntate præſtitutus eſt, & quidem indeclinabiliter; ita vt voluntas omnino non poſſit in eam partem non ferri, in quam ſuppoſitio vi ſua atque impetu abripit creatam facultatem? Obiter porrò aduertat lector, hanc ipſam ad illud argumentum eludendum reſponſionem, adhiberi a recentioribus ſententiæ Chryſippi inſtauratoribus, cum ſimili difficultate preſſi, dependentem influxum antecedenter immiſſum attemperare ſe cauſis ſecundis, & pro earum natura variè agere: Nempe cum cauſis liberis liberè, cum neceſſariis neceſſariò.

Poſtrema vana declinatio rationis propoſitæ, per ſenſum compoſitum ac diuiſum.

265. Alij recurrunt alij poſt Bannem 1. p. q. 23. art. 3. concl. vlt. & q. 19. art. 8. dub. 1. concl. 2. eratque olim aſylum ordinarium aduerſariorum. Dicunt igitur ſuppoſitionem antecedentem non tollere libertatem, eò quod ea neceſſitas ſit tantùm neceſſitas in ſenſu compoſito, quæ libertati nihil officit. Nam ex ſuppoſitione quòd ſedeam, ſedeo neceſſariò: non enim poſſum ſimul ſedere & non ſedere. Vnde ſi ſedeo, ſequitur neceſſariò verum eſſe me ſedere; & tamen ſeſſio eſt mihi ſimpliciter libera; quatenus diuidendo ſeu remouendo ſeſſionem, in poteſtate mea eſt ſedere, aut aliter me habere. Similiter ergo ſuppoſitio de qua agimus etiamſi talis eſt, vt ea poſita actio voluntatis non poſſit non ſequi: Tamen iuxta hos autores libera eſt: quia non habet niſi neceſſitatem ex ſuppoſitione, ſiue in ſenſu compoſito, quam omnes fatentur non repugnare libertati, etiamſi quod eſt, neceſſe ſit eſſe.

Vnde non defuit inter aduerſarios, qui expoſtularet, huiuſmodi diſtinctionem, quam pueri Dialecticorum perſpectam habent, ab autoribus noſtræ ſententiæ reiici: cum tamen apud Doctores, etiam antiquos, nihil ſit receptius quamuis non iiſdem apud omnes terminis exprimatur. Nam Petrus Damiani opuſc. 36. quod eſt de Dei omnipotentia c. 5. neceſſitatem quam nunc vocamus in ſenſu compoſito appellat *neceſſitatem ſecundum ordinem differendi, & iuxta conſequentiam dictionum.* Abailardus 3. Introduct. ad Theolog. vocat *neceſſitatem determinatam* qua voce fuiſſe nominatam ab Ariſtotele ait Gulielmus Pariſ. tract. de vitiis c. 10. addens vocari etiam poſſe *neceſſitatem extraneam & forinſecam*, ſiue *per accidens*, & 3. primæ de vniuerſo c. 15. eam vocat *neceſſitatem conſecutionis vel conditionis vel conſequendi*, contrapoſitam neceſſitati conſequentis præcisè. S. Bonauentura in 1. d. 38. vocat *neceſſitatem reſpectiuam*; (aliter vſurpato eo nomine, quàm fecerit Valdenſis tomo 1. l. 1. c. 28. qui per neceſſitatem reſpectiuam intelligit antecedentem ortam ex cauſa extrinſeca libertatem exſcindente.) Argentina in 1. d. 40. art. 3. ad 8. contra 3. vocat *neceſſitatem, quæ ex vi ſermonis innaſcitur*, eámque opponit neceſſitati antecedenti, quam item vocat neceſſitatem conſequentis & abſolutam ac ex natura rei. Thomas Braduardinus l. 3. de cauſa Dei

cap. 28.

cap. 28. & ſæpè alibi vocat *neceſſitatem dicti non rei; coniunctim non diuiſim, non, eq. ennes conditionalem non abſolutam.* Vvaldenſis tom. 1. l. 1. c. 21. poſt Boetium 5. de conſol. proſa vlt. & Alenſem 1. p. q. 24 membr. 4. ac Gregorium in 1. d. 38. q. 2. vocat *neceſſitatem ſequelæ & conditionalem.* Quo item poſtremo nomine vocatur à Diuo Auguſtino, vt refertur capite *vaſis ira* 23. q. 4. Autor Elocidatij ex Anſelmo contexti, & falsò tributi Anſelmo, vocat *neceſſitatem voluntariam,* eámque opponit neceſſitati naturali, quæ non inbeſt voluntati. S. Thomas interdum vocat *neceſſitatem conditionatam*, contraponitque eam neceſſitati abſolutæ, vt 1. par. q. 19. art. 8. ad 1. & ad 3. & in 1. d. 47. art. 1. ad 2. Interdum verò eam vocat *neceſſitatem conſequentiæ* eámque contraponit neceſſitati conſequentis, vt 1. contra gent. c. 67. & q. 24. de verit. art. 1. ad 13. Rationem huius modi loquendi affert Gabriel in 4. q. 2. *littera A.* quia ſi aliquid ſupponitur eſſe, neceſſariò infertur ipſum eſſe, quamuis abſolutè ipſum illatum, non ſit neceſſarium, ſed contingens. Denique aliqui recentiores inter quos Albertinus coroll. 1 ex 4 princip. compl. n. 10. vocant *neceſſitatem facti, non cauſæ.* Quomodocunque autem appelletur hæc neceſſitas, certum apud omnes eſt, eam rectè cohærere cum libertate. Ac proinde ſi ſuppoſitio de qua agimus, hanc tantum neceſſitatem infert, perperam diximus eam libertati officere.

Quis ſenſus compoſitus cum libertate cohæreat.

266. Perſtandum tamen eſt in doctrina propoſita. Nam quamuis veriſſimum ſit, neceſſitatem aliquam ex ſuppoſitione, cohærere cum libertate, quod vnum volunt autores, quos proximè adduximus: Tamen vniuersè dici non poteſt omnem omnino neceſſitatem ex ſuppoſitione, ſaluam relinquere libertatem. Duplex igitur poteſt eſſe ſuppoſitio, qua facta, actio voluntatis non poſſit non poni. Vna eſt à voluntate dependens. Quo pacto qui vult ſedere, ex ſuppoſitione quòd ita velit, non poteſt velle contrarium, & nihilominus liberè ita vult: quia ſuppoſitio illa non ab alio facta eſt, quam ab ipſa voluntate, quæ vltrò inflexit ſe in eam partem, ac proinde non derogauit libertati ſuæ, ſed eam exercuit ſic faciendo. Et de hac ſuppoſitione agunt autores prædicti, cum docent, neceſſitatem in ſenſu compoſito, aut quomodolibet aliter nominatam, non deſtruere libertatem.

Sed eſt alia ſuppoſitio, quæ à voluntate non pendet; ponitur autem aliunde, & quidem inconſulta voluntate, & antecedenter ad determinationem eius. Et hæc eſt quam hactenus vocauimus neceſſitatem antecedentem, vel ſuppoſitionem antecedentem. Hanc igitur neceſſitatem ex tali ſuppoſitione contendimus eſſe libertati contrariam; quia ea ſuppoſitione facta, tollitur voluntati poteſtas ac dominium in actionem ſuam. Non enim poteſt non agere id quod antecedens illa ſuppoſitio fert. Vbi igitur poteſtas non agendi, quæ ad libertatem exigitur? At ea poteſtas ſolùm erat voluntati in priore neceſſitate. Imò ea tota neceſſitas inhærebat à voluntate decernente vt ſic fieret, cum quo efficaci decreto executionem ſortito, iungi non potuit vt aliter fieret.

Iuuat verò in hunc modum confirmare & illuſtrare quod propoſui. Iuxta aduerſarios, ſuppoſitio hæc antecedens, libertatem non tollit, quia eſt tantùm neceſſitas ex ſuppoſitione, ſiue in ſenſu compoſito, poteritque voluntas eâ ſuppoſitione amota & diuiſa, aliud agere, aut ceſſare ab agendo; quamuis nunc vrgente ſuppoſitione illa antecedenti & aliunde immiſſa, non poſſit aliter facere. Si ergo idcirco hæc ſuppoſitio libertatem non lædit, licebit etiam aſſerere, eum qui adamantinis nexibus ad columnam affixus hærere cogitur, liberè hærere & increpari poſſe quod non abſcedat: quandoquidem in ſenſu diuiſo vinculorum, poſſet abire, nec nunc neceſſitatem ſubit hærendi, niſi in ſenſu compoſito vinculorum. Simili ſubtilitate philoſophandi aſſerere liceret cæcum liberè non videre, eò quòd tantùm in ſenſu compoſito cæcitatis nequeat videre, viſurus haud dubiè ſi diuideretur & ab eo remoueretur cæcitas.

Quod ſi hæc ludicra aut etiam fatua ſunt, admittendum eſt, cùm ſuppoſitio antecedit vſum libertatis, & tamen infert actionem, ſublata voluntati poteſtate frænandi ſeſe, excludi libertatem, eò quòd neceſſitas illa ita ſit ex ſuppoſitione, vt ſimul ſit abſoluta, quandoquidem eſt ex ſuppoſitione, quam voluntas ipſa non poſuit. Vnde cùm ad huiuſmodi ſuppoſitionem ſequatur actio, nec poſſit non ſequi, adimitur voluntati poteſtas in actum ſuum, atque adeò etiam libertas.

Noua ſenſus compoſiti ac diuiſi interpretatio, & rationis propoſitæ, per eam declinatio.

267. Viderunt tandem aduerſarij huius diſtinctionis latibulum, quo primùm ſatis ſe eſſe ſecuros rebantur, inutum tenera perfugium præbere. Quare alium eius ſenſum excogitarunt. Hunc nimirum, voluntatem in ſenſu compoſito non poſſe aliud agere, quam ferat ſuppoſitio antecedens: poſſe tamen in ſenſu diuiſo, & idcirco liberam manere, quia potentia ad actum oppoſitum, vel ad non actum cum ſuppoſitione illa conſiſtit, etiamſi actio nequeat componi & coniungi cum ſuppoſitione illa antecedente. Impoſſibile enim eſt hæc duo ſimul eſſe vera: *ponitur ſuppoſitio antecedens.* Et, *voluntas non ponit actionem ſuppoſitioni illi reſpondentem.* Et nihilominus ipſa potentia, qua ſeclusa hac oppoſitione poſſet actionem contrariam profundere, aut ab omni actione ceſſare, perſtat illibata, ac proinde manet libera. Nimirum duo actus voluntatis contrarij vel contradictorij, ſunt ita incompoſſibiles in eodem ſubiecto, vt nequeant ſimul poni, falſæque neceſſario ſint propoſitiones, quæ illos coniungi aſſerunt: potentia tamen ad vnum actum, non opponitur potentiæ ad alium actum, vel ad ceſſationem ab eo actu, quem prior potentia ſpectabat. Quod aliis terminis exprimitur, eſſe quidem poſſe in voluntate ſimultatem potentiæ ad oppoſita; non tamen potentiam ſimultatis, id eſt, potentiam ad oppoſita ſimul habenda.

Hanc porrò eſſe communem Doctorum intelligentiam ac ſententiam in ſenſus compoſiti ac diuiſi expoſitione, tuendáque per eam diſtinctionem libertate, confirmant aduerſarij prædicti: quia ſenſus compoſitus non eſt ille, quo forma per vnum extremum importata ponitur in ſubiecto; ſed quo duæ formæ per vtrumque extremum importatæ, ſimul ponuntur in eodem ſubiecto. Sicut cùm dicimus, album poteſt eſſe nigrum in ſenſu compoſito; ſenſus eſt, albedinem & nigredinem poſſe ſimul eſſe in eodem ſubiecto. Vnde ea propoſitio, in ſenſu compoſito eſt falſa; quæ tamen vera erit in ſenſu diuiſo: quia ſubiectum quod habet albedinem, retinet ſimul cum ea potentiam ad nigredinem; etiamſi vtramque qualitatem ſimul habere nequeat.

Non eſt ad Doctorum mentem.

268. Hic ſenſus prædictæ diſtinctionis, neque eſt ad

ad mentem antiquorum Doctorum qui indictione illa vſi ſunt, neque confert ad enodandam difficultatem in qua verſamur, & ad libertatis incolumitatem, poſita ſuppoſitione antecedente, explicandam. Quamuis enim ea formarum oppoſitarum copulatio in eodem ſubiecto, enuncietur per ſenſum aliquem compoſitum; omnes tamen ad hanc diem autores, per eam neceſſitatem in ſenſu compoſito, quam dixerunt libertati non officere, intellexerunt eam neceſſitatem, quæ fundatur in principio illo; Impoſſibile eſt idem eſſe & non eſſe: Ita vt idem ſit ea neceſſitas in ſenſu compoſito, atque neceſſitas ex ſuppoſitione quod poſita fuerit res illa, quæ neceſſaria dicitur.

Ac nominatim ita cenſuit, & communem ſenſum retulit, Durandus in 1. d. 39. q. num. 11. & Argentina in 1. d. 40. q. vnica art. 3. *ad 2. contra 1.* Qui ita etiam intellexit ſanctum Anſelmum, quem cum obiceiſſet cap. 2. concordiæ dicere, neceſſe eſſe vt quæ à Deo præſciuntur eueniant, reſpondet in hæc verba. *Dicendum quòd Anſelmus dat intellectum illius ſui dicti, dicens, quòd verùm eſt neceſſe eſſe euenire quæ Deus præſcit, neceſſitate conſequente; non autem neceſſitate antecedente. Et appellat neceſſitatem antecedentem illam quæ ex natura rei prouenit, quam Boetius 5. de Conſol. proſa 6. vocat neceſſitatem abſolutam. Neceſſitatem verò conſequentem appellat illam, quæ ex vi ſermonis infertur, quam Boetius vocat neceſſitatem conditionalem, & hanc Doctores moderni vocant neceſſitatem conſequentiæ, & non conſequentis.* Hactenus Argentina, quem vides ignoraſſe aliam neceſſitatem ex ſuppoſitione cum libertate cohærentem, quàm eam quæ eſt ex ſuppoſitione ipſius rei, quæ neceſſaria dicitur. Et idem diſertè docet Ferrar. 1. contra Gentes cap. 85. poſt ſanctum Thomam q. 23. de verit. art. 4. ad 1. & diſertiſſimè ibid. q. 6. artic. 3. argum. 7. iuncta reſponſione ad idem argumentum, in cuius calce approbatur doctrina in eo ſeptimo argumento poſita, quæ eſt hæc ipſa, quam nunc tradimus ſeu quod neceſſitas illa in ſenſu compoſito, ad quam autores recurrunt cùm exponunt libertatem cohærere cum tali neceſſitate, ſit neceſſitas ex ſuppoſitione illius formæ, quæ libera dicitur. Ex ea enim ſuppoſitione habetur aliqua neceſſitas. Nam ſi res ipſa eſt poſita, neceſſe eſt eam eſſe cùm nequeat ſimul eſſe & non eſſe. Rectè tamen docent autores neceſſitatem ex tali ſuppoſitione volitionis à voluntate ipſa liberæ poſitæ, non repugnare libertati, cùm potius ea neceſſitas libertatis exercitium contineat. Nemo autem fuit, qui expreſſerit ſe per neceſſitatem in ſenſu compoſito intelligere neceſſitatem, qua voluntas nequeat ſimul & ſemel ſuſcipere actum & nó actum; vel actum & oppoſitum actum cum altero impoſſibilem.

Itaque planè voluntariè, & tantùm ad remoram aliquam argumentationibus contrariis iniiciendam, tractum eſt ad hanc diſtinctionem, quod aliquando apud veteres legitur de potentia ſimultatis & ſimultate potentiæ. Mirabile ſanè eſſet, quamuis cùm de libertate tuenda agitur, ſæpiſſimè ab antiquis adhibeatur ea diſtinctio de neceſſitate ex ſuppoſitione, vel in ſenſu compoſito, nunquam tamen eis excidiſſe illis verba (iudicibus aduerſariis) ſynonyma; nempe neceſſarium quoad ſimultatem potentiæ, non quoad potentiam ſimultatis.

Et verò, vt planiùs detegamus, quàm parum boni ſenſui ſubſit ſenſui illi compoſito ab aduerſariis excogitato; ſumamus vulgare argumentum de Petro ſedente, quem contendat quis abſque libertate ſedere, eo quòd non poſſit non ſedere, quandoquidem ſedet. Reſponſio iuxta omnes veteres erat, Petrum quidem cùm ſedet, ex ſuppoſitione ſeſſionis, & compoſita cum ipſo tali forma, non poſſe non ſedere: Tamen liberè ſedere, eámque neceſſitatem quam ſubit, non eſſe niſi in ſenſu compoſito ipſiuſmet ſeſſionis copulatæ cum Petro, per ipſiuſmet Petri voluntatem; cum qua compoſitione ſiue coniunctione, non poteſt cohærere vt non ſedeat: Quia ſic deberet à ſe diſiunctam habere formam quam voluntate ſua habet ſecum coniunctam. Atque ita inuenitur ibi neceſſitas abſque tamen vlla oblæſione libertatis; im[mo] cum eius exercitio. Quæ eſt plana diſſolutio difficultatis contra libertatem ſeſſionis Petri, omnibus antiquis, etiam Summuliſtis, crebra & familiaris. Si verò velimus diſſoluere idem argumentum per potentiam ſimultatis & ſimultatem potentiæ, nihil ad rem dicemus, nulloque modo appoſitè loquemur ad reſponſum quod veteres ei argumento adhibere ſolent. Vnde habetur quod circa huiuſmodi doctrinam aduerſariorum, primo loco oſtendendum ſuſceperam.

Nec rationem propoſitam infirmat.

269. Quod verò prætereà addebam, de huiuſmodi doctrinæ ineptitudine, ad ſoluendam difficultatem in qua verſamur, abundè iam ſupra tractatum eſt circa primam libertatis definitionem. Summa eſt, non retineri libertatem expeditam, quantumcunque inſit homini ſimultas potentiæ, niſi ſimul habeat potentiam ſimultatis. Sic enim voluntas Beati quamuis retineat potentiam, qua in ſtatu vitæ aut ſemoto neceſſario amore poſſet odiſſe Deum; tamen non eſt libera reſpectu illius amoris, quia non habet poteſtatem amandi vel deſiſtendi ab amore aut etiam odio habendi: ſicut habere deberet ſi libera eſſet. Non quòd deberet poſſe iungere amorem & non amorem; hoc enim quis ſentiat exigi ad libertatem cùm ſit planè impoſſibile? Sed quòd qui liberè amorem elicit, debeat poſſe in priori naturæ non ponere illum, vel etiam ponere actum oppoſitum: ita vt ſi iam eum actum non poteſt non ponere, hoc aliunde non proueniat, quàm quia eum ponere voluit, & quod poſitum eſt non poteſt non eſſe poſitum, vt ſæpè ſupra cum Scoto dixi. Hoc autem non poteſt aſſeri de Beato Deum amante ex neceſſitate & ad ſuum actum cohibendum impotente. Par omnino argumentum confici poteſt adhibito exemplo cuiuſuis actus, ad quem voluntas ob quamcunque ſibi externam cauſam habeat potentiam tantùm remotam.

Quia igitur ſuppoſitio antecedens, quam excutimus, eſt antecedens voluntatem, & ea inconſulta ponitur, anteceditque etiam actionem, quam ita infert, vt non ſubſit poteſtati voluntatis, quòd actio ponatur vel non ponatur: clarum eſt non relinqui ab ea libertati potentiam ſimultatis, ſed ſolam ſimultatem potentiæ: ita vt priuſquàm voluntas ſuam ſibi indeterminationem abſtulerit per delectum vnius partis, præripiatur ei hæc poteſtas determinandi ſeſe, & vi ſuppoſitionis antecedentis inflectatur ad id quod fert ea ſuppoſitio, non expectata determinatione voluntatis. Propterea ergo neceſſitas, quæ per huiuſmodi antecedentem ſuppoſitionem, infertur, eſt inconciliabilis cum libertate voluntatis, eámque planè peſſundat.

Concluditur veriſsimè poſitum eſſe num. 254. ſuppoſitione quacunque antecedenti, impediri non volendi libertatem.

270. Sic vniuerſe confirmato generali illo principio quod propoſueram, facilè eſt inferre id cuius gratia hæc omnia diſputata ſunt; nempe facultatem non volendi, quæ partialiter integrat libertatem, poſſe diuinitus largiri & impediri quoad vſum, interuentu ſuppoſitionis alicuius antecedentis. Quod totum intelligo etiam de voluntate, cui præluceat iudicium rationis indifferens.

Et in primis videtur per ſe perſpicuum, ſententiam quam refellimus, de diuini dominij plenitudine non parum detrahere; quandoquidem affirmat non eſſe in poteſtate Dei, voluntatem vel rebellantem cōpellere ad volendum. Robuſtam ſanè Dei manum, etiam in voluntatem noſtram ſi luberet, exaggerat S. Auguſtinus à c. 95. Enchir. Quis verò humanam voluntatem, eius efficacitati ac potentiæ ſubduxiſſet; niſi ea reuerentia, qua Deus diſponit nos, interueniſſet; quæ facit vt Deus de potentia ordinaria, ius voluntatis noſtræ illibatum eſſe velit; quamuis de potentia abſoluta loquendo & voluntas & eius actio plenè ſubeſſe debeant Dei dominio: Non enim haberet Deus ſupremam poteſtatem in res omnes, niſi poſſet quomodocunque voluerit, voluntatem noſtram etiam renitentem inflectere.

Deinde nihil omnino proferri poteſt, ſiue ex parte Dei, ſiue ex parte voluntatis, quod obſtet quo minus Deus poſſit voluntatem adigere ad agendum, atque adeo ſpoliare eam partiali facultate libertatem integrante, nempè facultate ad non volendum. Nam ex parte Dei, nec per potentiam, nec per ſapientiam ſtare poteſt: Quandoquidem & vires eius nullo modulo clauduntur & ſapientia facilè poſſet pro fine adactionis huius, voluntati inferendæ, proponere voluntati diuinæ manifeſtationem diuinæ in voluntatem poteſtatis, & ſubiectionis, qua omnia Deo ſubduntur pleno iure, etiam voluntas, quæ omni alia ſubiectione eximitur.

Ex parte autem voluntatis, proferri tantùm poſſet quòd dicebam à recentioribus initio citatis adduci. Nempe quòd libertas actualis nihil aliud ſit, quam egreſſio actus à voluntate directa per iudicium indifferens; hanc enim volunt eſſe definitionem libertatis. Sed hanc eſſe mendoſiſſimam definitionem & à Banne primùm cuſam, ſine vllo vel autoritatis vel rationis præſidio demonſtratum abunde eſt circa ſecundam libertatis deſcriptionem. Quamuis enim voluntas ſuaptè naturà ſit libera, ſi iudicium illud indifferens ei præluceat; Tamen per accidens & ab extrinſeco, poteſt ſuperuenire impedimentum, quod expeditum libertatis vſum tollat; quale eſt, quod ſectarij dicunt voluntati iniici, ſuperſtite iudicio indifferenti. Eorum verò peruerſam ſententiam reprobat Eccleſia, non quaſi duntaxat errantem in vocibus, (ſiue appellantem nomine neceſſitationis, quod iuxta eos, cum quibus agimus, non eſt neceſſitatio, cùm iudicium indifferens ſaluum maneat;) ſed vere vt reipſa falſiſſimam, eò quòd ſuppoſitionem illam antecedentem admittat, cum qua vſus libertatis cohærere non poteſt.

Nunquam porro Catholicus quiſpiam ſcriptor, ea ex parte ſectarios adortus eſt, quod non viderent quicquid ſaluo iudicio indifferenti circa voluntatem fieret, libertatis vſui non officere, quæ fuiſſet expeditiſſima via eos impugnandi; ſed omnes ad miſſa poſſibilitate neceſſitationis prædictæ, etiam mentis oculo non cœcato, & indifferentiam ſuam retinente, impetunt ſuppoſitionem illam antecedentem, quam ſectarij commenti ſunt, probántque eſſe contra Scripturas & contra rationes propoſitas art. 1. quamuis diuinitus ſit poſſibilis. Itaque non videtur dubitandum quin poſſit diuinitus; (non enim alia vlla vi, vt liquebit ex infrà dicendis,) poni ſuppoſitio aliqua antecedens, officiens facultati partiali ad non volendum, libertatem integranti, & adigens voluntatem ad exercendum actum abſque dominio in illum. Erit fortaſſis qui Origeni contrariam ſententiam tribuat ob quædam eius verba ſub finem libri ſexti contra Celſum. Vrgebat enim Celſus Chriſtianos, quomodo admittantur peccata, & quomodo Deus ſuadere & hortari mortales vt malis abſtineant, non poſſit. Reſpondet Origenes, Dio. Primum eſt, idem argumentum obiici poſſe omnibus prouidentiæ aſſertoribus, & æquè ab eis in extricando illo nodo eſſe laborandum. Alterum his eius verbis repræſento. *Reſpondendum non eſſe impoſſibile Deo monere homines, quandoquidem per totam Scripturam monet, & per eos qui diuinitùs acceperunt docendi gratiam, niſi monendi verbum accipiatur in alio ſignificato præter vulgo receptum, vt intelligatur admonitio in audientis animo efficax.* Ea hoc ſecundo Origenis reſponſo haberi videtur, iuxta ipſum, non poſſe Deum monere monitione efficaci, id eſt quæ admonitum neceſſitet. De ea quippe efficaci monitione agit ibi Origenes, non autem de ea quæ efficax duntaxat ſit per ſuauem audientis pellectionem quam conſtat a Deo adhiberi in omnibus quos ad agendum actus liberos ſupernaturales inducit. Agit igitur de monitione efficaci neceſſitante eámque negare Deo videtur. Quamuis initio libri quarti, dubius duntaxat de hoc fuiſſet. Verùm mens Origenis nequaquam fert, non poſſe Deum efficaciter adigere atque adeo neceſſitare voluntatem humanam ad aliquid volendum. Sed eius ſcopus duntaxat fuit oſtendere, non decere Deum ita ſe gerere: eo quod decorum illud quod effloreſcit Deo ſinente nos nobiſmetipſis, excluderetur ſi Deus nos adigeret Vniuerſa item virtus noſtra tolleretur. Nam *virtus* vt eo libri quarti initio dicitur, *niſi ſpontanea ſit, ne virtus quidem erit.* Itaque Deus etiam cum ad nos perſuadendos manum admouet, vult actum ſecundum conſenſum à nobis diuinitùs adiutis pendere: ita vt ſi reluctaremur, (quod ne reipſa præſtemus, ſuauitate ſuæ perſuaſionis efficit, quamuis præſtandi poteſtatem non tollat:) ſi inquam reluctaremur, Deus cōſenſum vi non extorqueret, quia talis perſuaſio Deum decet. Quod Origenes eo loco libri ſexti quem referre cœperam poſt alia in eam rem præmiſſa, & præfatus hanc de perſuaſione diuina non neceſſitante quæſtionem apud omnes prouidentiæ aſſertores iactaſi, concludit in hunc modum. *Quod etiamſi perſuaſoru ſermones à Deo proficiſcantur, credulitas tamen non venit à Deo, manifeſtè Paulus docet his verbis.* Obedientia verò non ex eo qui nos vocat. *Tale eſt & illud* ſi volueritis & obedieritis mihi, bona terræ comedetis. Si nolueritis, & non obedieritis, gladius vos deuorabit. *Vt enim aliquis velit quæ ducit monitor, & obediens dignus fiat Dei promiſſionibus, opus eſt auditoris aſſenſu & propoſito.* Cæterum ſi Deo placeret nos adigere, & congruitatem in permiſſa nobis noſtræ libertatis expeditione elucentem contemnere, nihil eſſet quod eum poſſet remorari, nec deeſſent multa ſic agendi capita decori; & nominatim manifeſtatio diuinæ potentiæ in domanda libertate creata per quamcunque vim creatam inſuperabili.

Dummodò antecedens ſiue cauſatiua ſit, non autem duntaxat propriè comitans.

271. Quotuplex autem poſſit eſſe ea ſuppoſitio; non eſt in particulari prorſus euidens. Generatim quidem certum eſt, debere eſſe ſuppoſitionem antecedentem; cum reſpectu voluntatis, tum reſpectu volitionis. Debet enim voluntatem præcedere, quia debet poni ea inconſultâ, & independenter ab illa. Imò vi ſuppoſitionis voluntas adigitur cauſare actionem, non contra. In quo hæc ſuppoſitio differt ab habitu naturali ac ſpeciebus, quæ quamuis ſint principia libertate deſtituta; tamen ſubſunt libertati quoad vſum, vt ſupra tractatum eſt. Igitur certum eſt hanc ſuppoſitionem debere eſſe antecedentem & talem quæ voluntati præripiat determinationem ſui ad operandum.

Quod autem aliqui dicunt, ſufficere ad id poſſe ſuppoſitionem comitantem, falſum eſt, niſi eo nomine intelligatur ſuppoſitio ex qua nihil internum voluntati accedat. Si enim Deus nihil voluntati immittendo, tantúmque ei extrinſecùs aſſiſtendo, fortiter eam adigeret ad operandum, videretur ſe habere concomitanter reſpectu potentiæ; quam abriperet ad coefficiendam ſecum actionem. Reuera tamen non ſe haberet concomitanter reſpectu actionis, ſed cauſaliter & antecedenter. Id quod etiam aliquo modo locum haberet reſpectu ipſius potentiæ, quæ præueniretur, (tametſi extrinſece tantum;) & ad agendum adigeretur, quod non eſt eam concomitari in operando, ſed antecedere. Nam concomitantia ſonat ſimultaneam determinationem & applicationem vtriuſque cauſæ ad agendum in eodem inſtanti naturæ: quæ ſimultas ibi deeſſet; quia cauſa cur voluntas ageret non eſſet determinatio, qua ipſa ſe ad operandum inflexiſſet, ſed extrinſeca neceſſitatio & abreptio.

Ea antecedens ſuppoſitio, quotuplex.

272. Cùm igitur generatim certum ſit, ſuppoſitionem partiali hic libertati officientem, debere eſſe antecedentem, non inuenio niſi duplicem anteceſſionem cauſalem, quæ præſenti inſtituto deſeruire poſſit. Prior eſt qua Deus ſeipſo, nihil voluntati præimmittendo, abripiat eam ad cooperandum. Poſterior qua Deus indat voluntati, creatum volitionis comprincipium, tam potenter ac valide vrgens voluntatem ad operandum, vt voluntas ei nequeat obluctari. Nihil enim præterea excogitari poteſt; quod vim habeat voluntatem adigendi: quia inter principium coeffectiuum internum & non internum, non datur medium.

Addunt tamen aliqui tertiam ſuppoſitionem antecedentem, quam dicunt conſiſtere in præfinitione pure immanente, quæ per hoc differt a præfinitione, importata in prima ſuppoſitione iam propoſita; quod præfinitio pure immanens, habeat ſe ad modum puræ intentionis, quæ quandiu eſt tantùm intentio, nec progreditur ad fundendam electionem, non applicat vim executricem: ac proinde nihil efficit ad extra. At præfinitio importata per primam ſuppoſitionem antecedentem quam propoſuimus, eſt motiua, nec ſiſtit intra ordinem intentionis, ſed progreditur ad executionem, & vi ſua facit aliquid in voluntate, quod aliàs quin in ea non fieret. Pronunciemus de ſingulis hiſce ſuppoſitionibus antecedentibus.

Prima per abreptionem voluntatis à Deo ad operandum adigente, nullo immiſſo.

273. In prima nō videtur poſſe eſſe difficultas, eámque admittere videtur Angeſtus c. 2. Moralium. t. 6. in modo 8. quem profert voluntatem neceſſitandi. Ratio autem eſt; quia ſi Deus poteſt cùm aliqua cauſa ſecunda voluntati immiſſa facere hunc effectum, poterit etiam ſe ſolo, cū nulla ſit eſſentialis dependentia actionis à principio illo creato præindito, propter quam neceſſe ſit reſtringere in hac parte vniuerſale illud principium. *Quicquid Deus poteſt cum cauſa ſecunda facere, poteſt facere ſe ſolo* Atqui iuxta ſupradicta, neceſſe eſt vt Deus ob ſupremū ſuum dominium in voluntatem, poſſit eam neceſſitare cum tali aliquo principio creato. Ergo ſeipſo etiam id præſtare poterit.

Neque ad id neceſſaria erit exhibitio ſpecialis concurſus phyſice diuerſi ab eo qui exhibetur cùm liberè operamur. Nam ſi idemmet concurſus, qui nunc nobis nos ad agendum determinantibus, atque adeo libere cooperantibus confertur, exhiberetur non expectata determinatione noſtra, & antecedenter ad illam, actio eſſet neceſſaria, & tamen eſſet eadem numero. Nec eſſet opus variari concurſum; quia quamuis poſſit pro libito Dei mutari numero; tamen nihil eſt quod depoſcat eius numericam mutationem, ſi omnes phyſicæ cauſæ ſint eædem. Hic autem eſſent prorſus eædem nempe voluntas humana, & voluntas ac potentia diuina. Quod enim potentia diuina applicetur per voluntatem Dei poſterius ratione, aut prius natura applicatam ad volendum, quàm applicetur voluntas noſtra, non variat principium phyſicum actionis externæ Dei, ſiue concurſus ab eo nobis exhibiti, vt iam notaui quæſt. ſup. art. 3. *ſub finem.* Sufficit ergo moralis variatio ex parte ſuperioris principij, & diuerſus moralis modus ſe habendi, ad actionem voluntatis creatæ: Nempe expectata, vel non expectata determinatione eius; (eo modo quo infrà exponemus eam expectari ad primum actum formalem voluntatis) vt intelligamus eundem numero concurſum ſic exhibitum, neceſſitare voluntatem quam non neceſſitaret nec abriperet aliter exhibitus.

Hinc tamen non ſequitur, quamlibet Dei præfinitionem, etiam purè immanentem, quandiu talis eſt, ſufficere ad inferendam voluntati humanæ neceſſitatem: quia prædefinitio illa non determinat extrinſecè volitionem creatam, eodem modo quo decretum concurrendi & extorquendi cooperationem, priuſquam voluntas agnoſcatur ſe determinare. Infra enim declarabo talem prædefinitionem purè immanentem, non ſe habere antecedenter ad actionem, nec eſſe principium eius, quandiu eſt purè immanens. Decretum autem à quo admittimus voluntatem fore abripiendam, ſe haberet antecedenter, eſſétque mouens & tranſiens: idcóque & mutaret ſufficienter poteſtatem agendi & non agendi voluntati ſuaptè natura competentem, tolleretque expeditum eius vſum, qui poſtulat nullum tale principium antecedens ſuppoſitioni ad voluntatis determinationem: Et præterea optimè firmaret diuinum cum voluntate concurſum, eúmque prorſus immutabilem & à voluntate inimpedibilem redderet. Quia diuinæ voluntati antecedenter aliquid decernenti, & potentiam ſuam ad executionem applicanti, quis reſiſtet?

Alteram, per immiſſionem principij accidentarij neceſſitantis, negant nonnulli.

274. Secundus modus ſuppoſitionis antecedentis, neceſſitantis creatam voluntatem, non eſt tam certus, quàm prior: Quia nulla ſuppetit ratio euidenter demonſtrans

monſtrans nullam ſubeſſe repugnantiam in principio creato, quod cum concurſu Dei generali, & Deo habente tantùm rationem cauſæ vniuerſalis, poſſit per modum cauſæ particularis prædeterminare voluntatem ad operandum. Imò Scotus apertè docet non poſſe voluntati talem aliquam formam prædeterminantem immitti, vt videre eſt in 4.d.49. q.6. *Litera L.* Et apertiùs in aſſumento ibidem præmiſſo, quod protenditur a verbis illis. *Nota quod potentia operatiua*, vſque ad illa verba, excluſiuè: *Reſpondeo quod voluntas.* Hoc voco aſſumentum quia ita appäret ex textura diſcurſus, & ex antiquioribus Scoti codicibus. Quiſquis tamen ille eſt qui commiſſuram illam Scoto adiunxit, apertiùs expoſuit quod paulò poſt Scotus ubiter tradit. Nempe voluntatem creatam non poſſe ab aliquo principio ſibi inhærente (quod ille vniuersè appellat habitum vel naturam voluntate inferiorem,) determinari ad agendum, & amittere actus ſui plenum dominium quo eſſentialiter libera, & creati cuiuſuis principii poteſtati ſubducta cõſtituitur. Quò videntur etiam trahi poſſe quædam Patrum loca, quibus dicitur, voluntatem aut non eſſe voluntatem, aut liberam eſſe. Ita enim loquuntur S. Auguſtin. l.3. de lib.arbitr. c.3. & S. Bernardus initio libri de gratia & lib.arbitr. Quãquam enim hæc loca in ſpeciem æquè impugnant omnem omnino voluntatis neceſſitationem, etiam eam quam Deus immediatè efficeret: Tamen multò magis impetunt prædeterminationem voluntatis oriundam ab inferiore principio, derogante ei iuri, quod Deus naturæ autor voluntati liberæ implantauit, & connaturale eſſe fecit.

Probabiliùs admittitur.

275. Nihilominus veriùs videtur tale creatum principium non repugnare. Nam nullo modo repugnat, Deum abripientem voluntatem creatam, aſſumere ſecum ad id coëfficiendum cauſam aliquam ſecundam: v.g. habitum aliquem ordinarium, eóque tanquam inſtrumento mouere voluntatem independenter ab eius conſenſu, ac proinde tollendo ab ea expeditum vſum libertatis. Si enim poteſt ſe ſolo, vt oſtenſum eſt, quare non poterit, (quamuis gratis, & nulla neceſſitate ad id vrgente) vſurpare etiam inſtrumentum, quo principali ſuæ cauſalitati ſubiuncto, actionem perficiat? Et tamen in eo euentu, argumentatio ex Scoto propoſita, appareret prorſus irrita. Voluntas enim ſubderetur principio creato, ipſa inferiori. Quod ſi dicat Scotus tunc dominium in voluntatem creatam, tribuendum non fore principio creato, ſed Deo illud principaliter aſſumenti: facile occurram dominium principij huius creati in voluntatem, tribuendum fore Deo tale principium immittenti: Quia quamuis huiuſmodi cauſa eſſet in ſuo ordine principalis, vt ſupponimus, tamen non eſſet voluntati connaturalis. Et idcirco à ſolo Deo præter naturæ debitum agente, ex mera ſua voluntate poſſet infundi: In quem proinde referenda eſſet tota principij illius creati actiuitas, ac voluntatis per illud ſubactio. Cùm ergo repugnantia contra huiuſmodi qualitatem, ex Scoto adducta, non ſit ſolida nec alia melior proferatur, non difficilè adducimur, vt concedamus diuinæ potentiæ, quod impoſſibile non oſtenditur.

Sanè habitus facilitatiuus habet hanc vim vt potentiæ ſegnitiem excutiat, eique ad operandum quaſi vigorem & promptitudinem immittat. Sicut ergo experientia nos docet dari poſſe vim facilitatiuam: ita manducimur vt aſſentiamus poſſe dari qualitatem alterius naturæ à vulgatis habitibus, quæ voluntatem prorſus deprimat & ad operandum adigat, ſi adſint cætera ad fundendam operationem requiſita. Iis enim non interuenientibus, v.g. Deo generalem concurſum denegante, nihil vetaret quo minus talis qualitas ſuapte natura inferens volitionem, ſepararetur ab ea: ſicut impetus, qui ſuapte natura infert motum impeditur plerumque ab eo cauſando, quia defuit proportio maioris inæqualitatis cum grauitate ſuperanda per impetum: Vt cùm quis forti niſu fertur in rupem, aut ſolum vehementi pedis illiſu quatit. Idem ergo eueniret huic qualitati, ſi Deus eidem immiſſæ cooperationem ſuam ſubduceret.

Appellaui hoc principium qualitatem, quia percurrendo omnia prædicta, perſpicuè apparet, illud nõ poſſe ſub alio ſummo genere categorico locum habere. Quod enim aliqui motionem aliquam in actu ſecundo dicunt prædeterminare voluntatem, intelligibile eſt, niſi ſi actionem ad actionem tendere concedant, tanquam ad terminum immediatum: quod nullo modo admitti poteſt, cum actio ſit eſſentialiter egreſſio immediata à ſuo principio, ac proinde non poſſit dari egreſſio egreſſionis, ſed ſiſtendum ſit in primo quo. Poſſet quidem Deus actionem tendentem ad aliquem terminum & effectum, aſſumere ad coëfficiendam dependentiam alterius effectus à ſuo principio, ſi vera eſt ſententia admittens potentiam obedientialem actiuam cuilibet rei inſitam, reſpectu cuiuſlibet alterius. Et tunc ea actio non haberet rationem actus ſecundi, ſed primi partialis & inſtrumentalis. Vt tamen actio immediatè & tanquam via tendat ad aliam actionem, nullatenus fieri poteſt: Quia ſic actio, quæ haberet rationem termini & effectus, non haberet rationem viæ & egreſſionis ab agente, quæ eſt eſſentialis eius ratio. Itaque entitas voluntatem prædeterminans, eique expeditum libertatis vſum tollens, (hæc enim duo diſtinguere neſcimus, & iuxta prædicta diſtingui non poſſunt;) non alia eſſe poteſt quàm qualitas aliqua: ſiue fluxa & labilis, ſicut impetus, & iuxta veram ſententiam, habitus, quamuis hic tardiùs langueſcat; ſiue permanens ſuapte natura.

Diſſoluuntur quæ contrà ſunt.

276. Argumentum contra huiuſmodi actum primum, ſuprà ex Scoto adductum, nullius eſt momenti. Negandum quippe eſt, plus repugnare naturæ libertatis prædeterminari à cauſa ſecunda, quam à Deo; quandoquidem Deus non minus voluntatis indifferentiæ actiuæ officit prædeterminando, quàm officeret creatura ad id diuinitus producta. Imò eò magis timendum eſſet libertati, à robuſta Dei manu prædeterminante, quò Deus in infinitum potentior eſt, cuiuſque impetum nihil poteſt declinare. Addo autem nullam reuera eſſe repugnantiam inſuperabilem inter voluntatem ex ſe liberam, & prædeterminationem vndelibet profectam.

Eſt quidem contra expeditum libertatis vſum, prædeterminari vndecunque. Et quia voluntas, cùm affulget iudicium indifferens, depoſcit ſuapte natura expeditionem illam; propterea eſt contrà naturam libertatis remotæ ſiue voluntatis rationalis, eã priuari ſiue à Deo ſiue à creatura. Tamen poteſt Deus neglecta naturali inclinatione, vim inferre libertati remotæ, tam per ſeipſum, quàm per creaturam interpoſitam, quia naturalis illa propenſio, non eſt ita arctè coniuncta cum natura, quin hac ſaluâ poſſit aliquid extrinſecùs contra eam propenſionem immitti, vnde ſequatur actio naturali propenſioni contraria: ſic enim aqua eſſentialiter abhorret à calore, quem tamen ſæpe excipere deforis cogitur, ſaluâ illa ſibi eſſentiali propenſione contrariâ.

Itaque repugnantia libertatis proximæ & prædeterminationis,

terminationis, non minor intercedit vndecunque ſit prædeterminatio: Eſt enim impoſſibile illas coniungi. Repugnantia item libertatis remotæ; hoc eſt volunta- tis ex ſe poſtulantis exſolutionem & indifferentiam actiuam; ac prædeterminationis, eadem eſt; ſiue prædeterminatio proficiſcatur à Deo, ſiue a cauſa creata diuini us indita. Vtroque tamen modo, hæc poſterior repugnantia ſeparari poteſt vi diuina abripiente voluntatem, eique formam abreptiuam inmittente. Patres autem qui allegabantur, non contendunt hinc deſtrui naturam voluntatis liberæ: ſed tantum minuunt voluntatem ſibi ac connaturali ſuæ exigentiæ relictam, poſtulare exſolutionem & indifferentiam actiuam, poſitâ indifferentia obiectiuâ.

Præfinitionem diuinam purè immanentem, prædictis ſuppoſitionibus antecedentibus annumerandam, qui cenſuerint.

277. Poſtrema ſuppoſitio antecedens, quam dicebam à quibuſdam agnoſci, apud me non eſt reuera antecedens, eo modo quo hic intercedionem vſurpamus: Neque pro cauſali prioritate, inferente actionem independenter a voluntate libera. Qua in re diſſentio à Vaſquez 1. p. d. 99. cap. 3. Leſſio diſput. de prædeſt. hom. & Angel. à num. 17. Val. 1. p. d. 1. q. 23. p. 3. Valentino Herice 1. p. tract. 3. diſput. 23. cap. 9. & aliis, contendentibus per huiuſmodi præfinitionem lædi libertatem voluntatis quoad actum præfinitum. Et videtur ſuadere ratio, quam ſic formare licet ex ſupra conſtitutis. Poſito aliquo antecedente, quo poſito impliceat actum non poni, actus non ponitur liberè, ruitque partialis facultas libertatis, quæ eſt ad non volendum. Atqui præfinitio quæcunque, tametſi tantùm immanens, eſt aliquid antecedens, quo poſito implicat actum non poni. Ergo actus ſic exercetur neceſſariò.

Maiorem latè confirmauimus in hoc ipſo articulo, ſtabilientes vniuerſale principium circa ea quæ poſſunt libertatis expeditioni officere. Minor æque certa eſt: Poſita enim præfinitione quacunque, æque repugnat actum omitti à voluntate, ac diuinum actū efficacem reddi a creatura irritum, quod conſtat eſſe apertè impoſſibile. Itaque inferri perſpicue videtur, libertatem ad non volendum temerari per huiuſmodi præfinitionem.

In quam etiam rem adducuntur quidam Patres, qui vt libertas ſit ſalua, negant actiones noſtras à Deo præfiniri, quamuis præſciantur. Quod luculenter tradit Damaſcenus 2. fid. cap. 30. & lib. 1. cap. 18. & Dialo. contra Manich. *ſub finem*. Quin etiam orat. 1. de Imaginibus ait S. Dionyſium nomine præfinitionum diuinarum intellexiſſe ideas. Eadem præfinitionum excluſio peti poteſt ex Origene hom. 3. in Gen. ac etiam ex Plotino Ennead. 3, lib. 3. cap. 5. cùm negat actus noſtros eſſe ex prouidentia; nempe prædefiniente: licet addat eos eſſe ſecundum prouidentiam. Similiter S. Auguſtinus 3. de lib. arb. cap. 18. affirmat omnem volitionis noſtræ cauſam, cui reſiſtere non poſſimus, reddere volitionem illam neceſſariam, & peccato vacuam, ſi ea actio ſit ex obiecto mala. Atqui prædefinitio immanens talis eſt, vt ei voluntas humana reſiſtere nequeat. Voluntati enim Dei, efficaci & abſolutæ quis reſiſtet? Eſtque ea voluntas cauſa actus prædefiniti, ſaltem remota & radicalis. Ergo ligat libertatem ne poſſit actum omittere, æquè ac prædeterminatio phyſica, vel extrinſeca voluntatis abreptio.

Reiiciuntur.

278. Contrarium cenſui verum in Naturali Theologia d. 8. à n. 191. cum Fonſeca 6. Met. c. 2. q. 5. ſ. 7. Henriqez lib. de fine hominis cap. 5. & 6. Ægidio Coninc. diſp. 2. de act. ſupern. dub. 7. Suare 1. de Prædeſt. c. 13. num. 10. & c. 8. à num. 18. & lib. 3. cap. 10. imò lib. 1. de auxil. c. 16. num. 5. ait contrariam ſententiam eſſe Deo indignam & incredibilem. Et lib. 1. de grat. cap. 14. num. 3. ait eam non ſolùm non poſſe probari, verum etiam nec tolerari. Quæ temperato illi ingenio, ad pronunciandum de aliorum placitis nunquam præcipiti, non excidiſſent, niſi quod aſſerimus, habuiſſet perſuaſiſſimum. Quanquam non intendo cum prædictis autoribus aſſerere, de facto tales aliquas præfinitiones actuum liberorum eſſe admittendas, vt poſtea eam attingam: ſed tantùm intendo, ſi præfinitiones diuinæ purè immanentes admittantur, non fore lædendam libertatem, quoad partialem illam facultatem ſuam, quæ ſpectat ad non volendum. De huius enim poteſtatis impedibilitate non agimus.

Sed vt probatio veritatis hîc intentæ meliùs percipiatur, concipiamus potentiam aliquam liberam, omnibus ad agendum neceſſariis inſtructam eſſe, poſſeque actum ſuum cohibere ſi velit. Item ſuperuenire ei diuinam præfinitionem purè immanentem. Quamuis enim hic diuinus actus ſit æternus; tamen quia agimus de præfinitione actus liberi, certum eſt, concipiendam primùm eſſe in actu libertatem, quantum eſſet ex vi potentiæ: poſteà verò concipiendam eſſe præfinitionem, quæ circa illum actum verſatur tanquam circa obiectum, quod ſaltem ex ſe, ac ſibi relictum; id eſt, præfinitione non ſuperinducta, liberum eſſet. Imò quamuis refingeret quis ſupponere, actum liberum eſſe præfinitione anteriorem, adhuc idem argumentum vrgeri liceret, ſpectando potentiam, quam nemo negare poteſt eſſe ex ſe liberam, priùs naturâ quàm ſuperueniat præfinitio.

Sic igitur argumentor. Potentia quæ ſupponebatur potens ad agendum & non agendum, taliſque reuera ex ſe erat, ſi maneat qualis ante erat; ita ſcilicet vt nihil ei addatur, nihilque detrahatur, perſeuerat cum eadem poteſtate in actum ſuum. Atqui voluntati creatæ, quam ſuppoſui præconcipi liberam, eſtque reuera in ſe talis, nihil acceſſit, vel deceſſit per ſuperuenientem præfinitionem purè immanentem. Ergo poſita tali præfinitione, voluntas æquè libera manet ac prius fuerat, vel quàm eſſet abſque ea.

Non video quà pateat effugium. Nam vt poſita præfinitione, voluntas fieret impotens, cum ex ſe ad id potens ſit, & vt talis præconcipiatur, oporteret eam non manere qualis ante erat, propter interuentum alicuius formaliter aut effectiuè incompoſſibilis cum libertate præconcepta in voluntate. Præfinitio autem purè immanens nihil ponit in rerum natura quod ſit quomodolibet incompoſſibile cum libertate ad non volendum. Nam nihil prorſus ponit ad extra. Ipſa autem præfinitio, non poteſt dici eſſe incompoſſibilis cum libertate: Quandoquidem neque eſt incompoſſibilis effectiuè, cùm nihil extra Deum producat; neque formaliter, cùm non ſit in eodem ſubiecto. Ergo relinquit voluntatem, liberam ad non volendum, qualis præconcipitur, eſtque ex ſua natura.

279. Illuſtrantur hæc omnia familiari exemplo, quod loco citato adhibui. Nempe pueri, quem pater, potens etiam renitentem vi compellere quò vellet,

ſtatueret apud ſe aliquò ducere : Ita tamen vt decerneret ſuaſionibus primùm rem aggredi, nec niſi illis effectum non ſortitis, ad minas & vim externam deuenire. Quandiu igitur pater, tametſi fixum habens vt filius exequatur quod ſtatuit, blandiendo tantùm procedit, & compulſione externa temperat, illæſa perſtat libertas filij. Nec erit, opinor, qui neget eum liberè obedire, ſi non adhibita vi capeſſat iuſſa patris: quia vt paterni propoſiti purè immanentis, nulla ſecuta eſt mutatio, quæ libertatem pueri excindere potuerit.

Pari ergo ratione, tametſi Deus voluntates noſtras quo volet poſſit compellere, & reuera eſſet compulſurus, niſi vltrò ac liberè ſeſe Deo dederent ad exequendum quod ipſe præfinierit : Tamen quandiu blandè tantùm ſuadebit, & abſtinebit robuſta adactione, liberè operabuntur non obſtante interno illo propoſito, vi cuius eſſemus compellendi, & ſpoliandi expedito vſu libertatis, niſi liberè inflexiſſemus nos ipſos in partem in quam præfinitio vi illata nos erat abreptura. Sicut enim voluntas patris erat filium renitentem compulſura, immiſſa vi externa : ita præfinitio Dei immanens, poſito quod homo non eſſet ex ſe voliturus idipſum quod fert præfinitio, tranſire deberet in mouentem & compellentem. Ac proinde præfinitio immanens, quandiu eſt immanens tantùm, ſiue ſpectata formaliter & immediatè ac præcisè, libertatem humanam nullo modo temerat. Illud tamen quod ex ea neceſſariò ſequeretur ſi homo ſupponeretur vltrò non operaturus, læderet libertatem: Nempe præfinitio mouens, ad quam neceſſariè deueniendum eſſet, ne homine reluctante, præfinitio immanens caſſa redderetur.

Ad argumenta in contrarium.

280. Ex his diſſoluta manent quæ in contrarium propoſita ſunt. Conſtat enim præfinitionem purè immanentem non importare ſuppoſitionem antecedentem, de qua hîc agimus: hoc eſt, cauſalem, quæ ſola libertati humanæ poteſt officere. Siquidem, præfinitio purè immanens ſiſtit intra Deum, nihilque ad extra producit. Atque ita talem relinquit libertatem humanam, qualis ex ſe eſt. Quòd autem tempore antecedat determinationem noſtram, parum refert. Ex ea enim anteceſſione, nullum imminet humanæ libertati periculum, vt omnes fatentur; & conſtat ex præſcientiæ anteceſſione.

Ad argumentum igitur propoſitum, nego minorem; qua affirmabatur præfinitionem purè immanentem ſe habere antecedenter ad actum. Nullo quippe modo eum cauſat, quandiu purè immanens eſt. Quod ſi dicas eam præfinitionem eſſe antecedentem ſaltem mediatè ac remotè, quatenus licet ipſa non inuehat actum, inueheret tamen eum, per aliquid ad eam conſecuturum, ſi non poneretur libera hominis ad eum exercendum applicatio : ſic concedo præfinitionem illam eſſe antecedentem; ſed nego, ex tali remota vel potius conditionata anteceſſione, lædi libertatem, Atque ita, maior argumenti, intellecta de huiuſmodi ſuppoſitione antecedente, erit falſa. Nam quod non eſt niſi mediatè actiuum ad extra, atque adeo non niſi mediatè læſiuum libertatis, non lædit eam, quandiu illud quo mediante læderet non ponitur, eò quòd adhibeatur conditio illa, in cuius duntaxat defectum ponendus erat obex libertatis, qui in re præſenti eſt præfinitio mouens. Ad eam autem non deuenitur, quia ſupponimus hominem vltrò ſe dedere.

Quare implicat quidem actionem præfinitam non poni : ſicut implicat ex præfinitione immanente, non tranſiri ad mouentem, ſi homo renuat liberè agere. Implicatio tamen illa, non eſt immediatè & præcisè vi præfinitionis immanentis : (nam ſiſtendo in ea non ſequeretur actio præfinita,) ſed vi præfinitionis mouentis neceſſariò ex immanente conſecuturæ. Ita vt ne Deus quidem ipſe poſſet eam conſecutionem impedire, cùm non poſſit decretum ſuum efficax, tametſi tantum immanens irritum velle. Mutaret itaque modum procedendi & concurrendi, quem tenet erga voluntatem, vi cuius præcisè ſumpti, poterat actio præfinita non ſequi, exereretque manum robuſtam, voluntati creatæ ineluctabilem.

E binis Patrum autoritatibus in contrarium prolatis, poſterior quæ erat S. Auguſtini negantis cauſam actus, quam voluntas impedire nequeat, relinquere illæſam libertatem, diſſoluta manet ex proximè dictis. Negauimus enim præfinitionem purè immanentem, quandiu talis eſt, eſſe cauſam actus voluntatis creatæ, quam etiam admiſimus poſſe facere aliud quam ferat diuina illa præfinitio purè immanens, & eatenus poſſe ei reſiſtere licet ſit efficax, quia eſt tantùm efficax in ratione intentionis, cui quandiu talis intelligetur, nihil vetat obſiſti per hominem.

Prior verò autoritas adducta, quæ erat Damaſceni, exponi in primis poteſt, ac etiam debet, de præfinitione mouente, quæ infert phyſicam prædeterminationem. Huiuſmodi enim præfinitionem meritò repudiat S. Damaſcenus, & negat cum libertate cohærere : Quia actio quæ non elicitur vi dominij quod voluntas in eam habet, ſed vi extrinſeci principij antecedenter & inconſulta voluntate determinantis ad talem actionem, immiſſo vel adiuncto voluntati comprincipio, cui voluntas nequeat obſiſtere, non exercetur liberè ſed neceſſariò. Talis autem eſt actio, quæ ex præfinitione mouente oritur, ac proinde libera non eſt.

Cum qua libertate pugnet præfinitio, etiam immanens, cùrque abroganda.

281. Addo præterea S. Damaſcenum intelligi quoque poſſe de præfinitione purè immanente. Nã hæc etiam lædit libertatem. Non quidem exercitij, (de qua ſola nunc agimus, cum diſputemus de impedimentis partialis facultatis ad non volendum,) ſed libertatem quoad ſpeciem. Non enim poteſt voluntas noſtra ferri liberè in actum contrarium, niſi habeat ad id paratum concurſum diuinum. At Deus non potuit concurſum ad id neceſſarium præparare : quia volitio, quæ præparationem illam conſtitueret, excluditur per efficacem volitionem impediendi actum oppoſitum & ponendi iſtum, qui præfinitus ſupponitur. Neque enim potuit Deus ſimul velle, vt poſſet fieri actio oppoſita, & vt non poſſet fieri. Aut velle vt ea actio poſſet elici, ſimulque velle impedire ne eliciatur. Vtrumque autem ſimul voluiſſet, ſi concurſum præparaſſet ad oppoſitum actum, quem tamen omnimò decerneret impedire.

Ob hanc igitur cauſam, præfinitiones purè immanentes, quamuis cum libertate ad exercitium rectè cohæreant, vt hactenus euici; non ſunt tamen de facto admittendæ. Præſertim cùm ad eas conſequatur indefectibilitas quædam rei præfinitæ, quæ non ſatis accommodata eſt ac contingentiam eius. Quomodocunque enim voluntas hominis deligat ſe habere, implicat actum præfinitum non poni. Nam ſi voluntas eum nolit liberè ponere, adigetur ad eum ponendum; ne diuina volitio efficax, reddatur caſſa. At quorſum huiuſmodi indefectabilitatem & ineuitabilitatem actuum noſtrorum comminiſcemur; cum de ipſo fine, in quem collimant noſtri actus boni, nihil

tale

tale aſſerendum ſit? Ab eo enim priuſquàm eius conſecutio ſupponatur, excidere quempiam poſſe, apertè ſonat illud: *Tene quod habes*

Quòd verò aliquorum de firmandis actibus noſtris, corúmque certitudine potentiſſimè ſtabilienda, tanta ſollicitudo fuerit, vt etiam actus moraliter malos, voluerint à Deo quoad ſuum materiale præfinitos, nec immanenter tantùm, ſed etiam tranſeunter: Ego quidem tantam valentiſſimorum ingeniorum vim, ſemper demiratus ſum; quæ dogma tam crudum ex quo Dei in peccatum cauſalitas apertè ſequi videtur, concoquere valuerint. Non eſt tamen hic de ea re diſputandi locus, ſed infrà in tractatione de malitia, explicando modum diuini ad eam concurſus feram de ea ſententia iudicium. Nunc obiter tantùm ex ibi confirmandis aſſero, Deum poſſe ordinare in finem actus non præfinitos, & ex certa intentione caſum & fortunam excludente, eos nobiſcum coefficere. Ita enim reuera ordinat, & materialiter coefficit noſtros actus prauos, perfectámque de eis habet prouidentiam; quamuis nullo modo intendat aut procuret vt fiant. Itaque non eſt quod præfinitionibus quibuſcunque firmamentum quæratur ex diuinæ prouidentiæ perfectione.

ARTICVLVS III.

Quomodò de facto impediatur, aut impediri ab aliquibus cenſeatur, prima libertatis quaſi facultas, quæ eſt ad volendum.

282. Habemus varios modos, quibus poſſet libertas temerari quoad vtramque partialem facultatem in ea incluſam. Nunc videndum eſt, an aliquis eorum de facto vſurpetur; ſicque tollatur ea libertatis expeditio, cui confirmandæ hac quæſtione incumbimus. Et fuiſſe iam olim Satanæ ſtudium, vt fidem infigeret interuenire plurimos huiuſmodi obices, teſtatur S. Chryſoſtomus in cap. 2. Eſaiæ ad illud, *impleta eſt terra eorum augariis*, vbi hæc præter cætera. *Ad hoc, nullo non tempore, ſtudium omne ſuum contulit Diabolus, vt imperitis intelligentia, ac parum cordatos, in hanc inducat ſententiam, quia opera ipſa virtutis & malitiæ, ſita non ſunt in eorum poteſtate, & quia minimè ſunt ornati honore liberi arbitrij. Planè duo hæc pudenda admodum & plena turpitudinis, magnopere contendit eaſ ſententias perficere; labores namque qui adhibentur paranda virtuti, frangere; & donum liberæ voluntatis, aut arbitrij, quod præſtantiſſimum eſt, è medio auferre. Facit hoc per vaticinia & augurìa; Hoc per ſigna procurat; per obſeruationem dierum; per improbatum dogma quod eſt de fato, ſiue fortibus; per alia item permulta, morbum hunc in vitam inſtruit, malorum ipſe incentor innexit, ſurſum deorſum euertens omnia, ac permiſcens.* Hæc Chryſoſtomus de Diaboli ſtudio in perſuadendis expeditæ libertatis obicibus de facto alicunde appoſitis. Nam ipſam quidem libertatem radicalem nobis deeſſe, ſuadere non curat, quod id operoſius ſit, & ad eius cauſam, ac excidium noſtrum non magni referat. Itaque adigimur, diligenter inquirere in obices prædictos, vt ſaluum ſit virtutis ſtudium: & quia libertatem bifidam fecimus, vtraque partialis facultas ſeorſim erit expendenda, vtríuſque expeditio demonſtranda.

Obices ordinarij libertatis ad volendum, obiecti ſubtractio, vel indebita propoſitio.

De priore tamen, quæ eſt ad volendum, vix eſt lis. Nam quod ſpectat ad eius impeditionem per ſubtractionem obiecti, vel per indebitam eius propoſitionem, omnes fatentur talem impeditionem ſæpè dari. Idcirco enim, quæ fiunt ex ignorantia inuincibili, ſúntque ſæpè materialiter deterrima, non vertuntur vitio. Nimirum quia ignorantia, quæ interceſſit, ſubtraxit libertati obiectum, atque ita eam impediuit. Similiter in primis motibus, idcirco deeſt libertas, quia non prælucet eis notitia indifferens, quæ ad formandam formalem voluntatis libertatem prærequiritur. Quod aliter dicitur, indeliberationem eſſe obicem libertatis expeditæ. & hominem eſſe ſui actus dominum, quia de eo deliberauit, & ex eo quod ratio deliberans ſe habuerit ad oppoſita, competere voluntati libertatem circa materiam quæ deliberationi obiecta fuit. Quæ eſt expreſſa D. Thom. ſententia perperã reprehenſa à Corruptore apud Ægidium in corruptorio, corruptorij 1. 2. art. & 10. Argumenta Corruptoris erant; ſecundum ex ea ſententia, quod homo non facit libere, ea quæ abſque deliberatione efficit quod in ea ſententiæ Diui Thomæ cenſura, dicitur eſſe falſiſſimum tam in bonis & perfectis hominibus quàm in peſſimis. Liquet enim pios viros omni cunctatione abiecta, ac proinde citra deliberationem omnem, ferri plerunque in bonum, cum primum illud perceperunt, & in auditu auris obedire, delatam ad ſe maiorum vocem, excipi mores indiſcuſſam. E contra verò impij quique præcipites ruunt in crimina ſine deliberatione & diſcuſſione, quamuis conſtet eos libere ruere, alioqui enim non peccarent. Præterea ſi homo ratione deliberationis agit liberè, igitur reſpectu finis de quo non eſt deliberatio, deſtituitur libertate, cum tamen exploratum ſit, appetitionem finis eſſe homini liberam. Tandem ineſt homini poteſtas refrænandi actus quos naturaliter ſentit erumpere, poteſtque ea frænatio interponi ab homine ante omnem deliberationem; ſi nimirum inhibeat actum ſuum, quouſque deliberet, an debeat, vel liceat, aut expediat ſic operari. Hæc ſunt quæ contra D. Thomæ doctrinam à cenſore prædicto adducebantur; & æque vrgeri poſſunt contra id quod diximus, indeliberationem eſſe obicem libertatis expeditæ, ob præcluſam eo modo indifferentiam obiecti. Ex quo patet, reſponſiones Ægidij ad propoſita Corruptoris argumenta, inanes eſſe. Ait enim Ægidius, hallucinatum eſſe Corruptorem, quia non vidit, S. Thomam ſumere deliberationem pro libera agendi facultate, exiſtimauit autem ſumi à S. Doctore deliberationem pro conſultatione vel præmeditatione de aliquo, ſitne faciendum an omittendum; amandum, an odio habendum: Qua ratione fatetur Ægidius deliberationem non prærequiri ad libertatis expeditionem. Sed hallucinatur quia abſque tali præcogitatione & præſenſione obſtruitur fons libertatis qui eſt indifferentia obiecti repræſentata intellectui. Itaque abſque tali aliqua deliberatione, quæ perbreuis, imo momentanea eſſe poteſt, ruit libertatis expeditio Non igitur commode repellit Corruptorem Ægidius. Imo iuxta eum S. Thomas abſurdè admodùm philoſophatus eſſet, dicens, hominem idcirco eſſe liberum quia habet deliberationem de ſuis actibus. Senſus enim eſſet, hominem idcirco eſſe liberum, quia eſt liber, quod dicere eſt planè ridiculum. Dicendum igitur eſt, neque optimos, benè; neque peſſimos, malè operari

ſecluſa deliberatione quacunque, obiecti indifferentiam repræſentante, quamuis non ſemper interueniat illa populariter dicta deliberatio, quæ longum examen cum rationum vtrinque occurrentium agitatione requirit. Hæc enim neceſſaria non eſt; at deliberatio ideſt agnitio appetibilitatis ac repudiabilitatis obiecti, omnino præreguiritur ad expeditum libertatis vſum, ſemperque ei præmittitur, etiam reſpectu finis prout liberam appetitionem terminat: itemque reſpectu frænationis appoſitæ, quouſque longa & cunctabunda deliberatione liberentur quæ ſpectant ad negotium circa quod homo motum naturalem ſenſit exurgere. Quare ſupponendum eſt vt certum, libertatem partialem ad volendum, intercludi ac impediri defectu deliberationis, quia eo poſito, obiecti indifferentia occulitur, nec percellit voluntatem. Quòd verò ſpectat ad eiuſdem partialis facultatis impeditionem per ſubtractionem concurſus, non poteſt eſſe controuerſia. Deus enim non deficit in neceſſariis. & cum ſit author naturæ & cauſa prima, ſemper offert cauſis ſecundis concurſum neceſſarium ad operandum: nec illum vnquam ex ſe ſubtrahit, ſi excipiantur pauci euentus miraculoſi, quos nemo oſtenderit locum vnquam habuiſſe in voluntatibus purarum creaturarum.

Appono hanc limitationem, quia in Chriſto propter omnimodam impeccabilitatem aliter dicendum eſt quoad actiones ſub præceptum negatiuum cadentes. Nam non habuit paratum ad eas concurſum, quia cùm Deus haberet voluntatem poſitiuam non cooperandi cum humana Chriſti voluntate ad peccatum commiſſionis, eò quòd eam (quippe ſui ſuppoſiti naturam,) regere, & à peccato arcere obligaretur: non potuit ſimul habere voluntatem præparandi concurſum, atque adeo cooperandi, quantùm eſt ex ſe, ad actus poſitiuos, qui malitia commiſſionis inquinarentur. Nec licet dicere Deum paraſſe quidem concurſum ad eos actus, vt voluntas Chriſti libera ad eos maneret, fuiſſe tamen ſubtracturum Chriſto concurſum illum, ſi prænouiſſet voluntatem eius ſibi relictam, concurſu illo ſibi præparato, vſuram. Hoc inquam fingere non licet, quia illa concurſus præparatio, otioſa ac deluſoria eſſet. Quorſum enim concurſum præparare, quo quis vtatur ſi volet, quem tamen ſi prænoſcas vti velle, prohibeas vſu, nec patiaris deluſorio illo beneficio frui? Præterquàm quòd Deus, vt dicebam, tenetur nolle concurrere ad huiuſmodi operationes. Non igitur poteſt velle, quantùm eſt ex ſe, ad eas concurrere, quod fert præparatio concurſus. Fatendum itaque eſt Chriſtum quoad huiuſmodi operationes non habuiſſe concurſum paratum: ac proinde non fuiſſe liberum in earum omiſſione, quia eas exercere non potuit, neque illis omittendis meruiſſe. Nos autem & quæuis puræ creaturæ non ſic. Nemini enim, quandiu viæ huius ſcamma decurrit, negatur diuina cooperatio ad vtrumlibet, loquendo de lege ordinaria, quam ſolam nunc attendimus.

Error Nouatorum de ea libertate per noxam parentalem euerſa.

283. Controuerſia ergo tantùm eſſe poteſt quoad hanc primam quaſi partialem libertatis facultatem, an non tam impedita, quàm contrita & exciſa ſit per peccatum, vt comminiſcuntur ſectarij: vſque eò amplificantes grauitatem culpæ per primum parentem admiſſæ, vt dicant vniuerſam noſtram naturam per huiuſmodi ſcelus fuiſſe peſſundatam, ac nominatim libero arbitrio, quo in ſtatu innocentiæ beatitate fruebatur, excidiſſe. Quò referunt, quæ interdum apud quoſdam Patres de amiſſa per nos libertate leguntur. Sic enim D. Auguſt. lib. de natura & grat. c. 65. expendens locum beati Hieronymi, dicentis Deum condidiſſe hominem liberi arbitrij compotem, vt neque ad vitia, neque ad virtutem neceſſitate trahatur; ait hæc à D. Hieronymo dicta eſſe de libero arbitrio, quale fuit in ſtatu innocentiæ, non quale in homine per peccatum quaſſato relictum eſt. Similia paſſim alij, apud quos corruptionis, vulnerum, & debilitationis naturæ, crebra mentio.

Hinc illa Caluini in Philoſophos exultatio 1. Inſt. c. 15. *ferè in fine.* Ait enim eos principiis illis nixos, non fore hominem animal rationale, niſi liberam boni & mali optionem haberet in poteſtate ſua; virtutemque virtutem ſublatu eius à vitiis diſcrimine, niſi proprio conſilio vitam homo inſtitueret: his inquam principiis nixos Philoſophos Caluinus in eam ait veniſſe caliginem, vt in ruina ædificium, & in diſſipatione aptas iuncturas quærerent cœlùmque terræ miſcerent, obliti vel potius ignari, noſtram omnem, primi parentis crimine concidiſſe naturam: Et pro ſolita modeſtia concludit, qui ſe Chriſti diſcipulos profeſſi, in homine perdito adhuc quærunt liberum arbitrium; Philoſophorum placitis adhærendo, deſipere. Nec alia paſſim apud Caluini gregales legere licet; nominatímque apud Danæum lib. 1 Ethicæ Chriſtianæ à cap. 10. ad 13.

Quanquam autem pinguis hic error, externa ſpecie non tam peculiariter primam hanc quaſi partialem libertatis facultatem impetit, quam vniuerſè libertatem: Eámque non tam impediri, quàm prorſus tolli comminiſcitur, quod non videtur ſpectare ad hanc tractationem, quæ de ſolis impedimentis libertatis inſtituta eſt: Tamen quando reuera ſectarij, cùm eorum doctrina introſpicitur, hanc duntaxat primam facultatem exſcindi ſentiunt, alterâ incolumi, ſed vt aiunt, iniectione multorum compedum impedita; Imò priorem illam manere entitatiue non negant, ſed ita ſtupefactam, vt præ nimio corpore, mouere ſe ad bonum nequeat, quod ſi daretur, eſſet reuera aliquod eius impedimentum, non autem excidium, vt verbo tenus effutiunt hi blaterones; propterea operæ pretium eſt breuiter hîc oſtendere quantopere à naturali lumine abhorreat hæc eorum matæologia, demonſtrando nullum tale impedimentum primæ huic libertatis facultati iniici.

Euertitur.

284. Non poſſumus autem commodiùs id exequi, quàm recolendo quæ ſuperiùs conſtituta ſunt de radice libertatis formalis. Oſtendimus enim libertatem aſſectari rationem. Quod Caluinus quoque, vt paulò ante retuli, à Philoſophis animaduerſum eſſe non negat: Tametſi de more, inani linguæ tectorio id totum obduxiſſe contentus, argumentationem inde ductam tacitam prætereat. Cùm igitur hæc ſit radix libertatis, præſertim quoad primam illam facultatem, de qua agimus, quæ ſpectat operationum profuſionem, planè neceſſe eſt hanc facultatem, ſi ratio in nobis poſt primi parentis culpam ſuperſtes eſt, non deſiderari. Rationem autem quiſquis abeſſe ab Adæ poſteris dixerit, næ ille dignus eſt, qui inter pecudes, quibus ſe ratione abiecta accenſet, non autem inter animalia ratione prædita, hoc eſt, inter homines numeretur.

Et hoc quidem ita perſpicuum eſt, vt ipſimet errones, cùm euoluitur & premitur eorum ſententia, non refragentur. Nec ſanè refragari poſſunt, cùm certum ſit nos aliquid expetere ac proinde retinere voluntatem. Hæc autem eſt illa ipſa facultas, quæ denomi

denominatur liberum arbitrium, cùm prælucet ei ratio indifferens, & abſunt impedimenta vſum eius expeditum tollentia: manet ergo in nobis etiam iuxta aduerſarios, entitas liberi arbitrij. Propereáque dixi paulò ante, eos parum conſtanter libertatem, quam vniuersè dicunt exciſam per peccatum primi parentis, poſtmodum agnoſcere perſeuerantem entitatiuè, ſed quaſi obſtupefactam & rigentem ad bonum.

At quis eſt hic ſtupor, aut per quid confertur formaliter? Nam ſi prælucet appetitui ratio proportionata, & vis appetitus entitatiua, qua, cùm conditus eſt, poterat obiectum proſequi, perſeuerat integra, vt hic contingit, aduerſariis non refragantibus, & euincente id ratione, quæ docet voluntatem aliqua ex parte manere, ac proinde manere integram, cùm ſit incapax intenſionis; ſi inquam hæc ita ſe habent, neceſſarium profectò eſt, vim illam poſſe proſequi id omne, quod proſequi poterat, vi conditionis ſuæ naturalis, hoc eſt, bonum, etiam morale, ſaltem aliquod. Quod addo, ne hic extra locum excurram in difficultates Chriſtianorum Theologorum proprias de neceſſitate gratiæ ad quædam moralia opera. Ad inſtitutum enim ſatis ſupérque eſt, quod voluntas poſſit vi ſibi natiua, bonum aliquod etiam morale proſequi, etiam poſt primi parentis peccatum: ſi autem id poteſt, vbi rigor ille ac ſtupor huius potentiæ ad operandum quoduis morale bonum ordinis naturæ? Torpet quidem interdum natura & ſegnitie voluntaria diſtineri ſe ſinit, cum ob fugam difficultatis inter operandum ſuſtinendæ, tum ob propenſionem natiuam appetitus ſenſitiui, effræni impetu ruentis in bona ſenſibilia, & auocantis voluntatem ſuperiorem à proſecutione boni moralis: præſertim quia depulſo per hanc, vt S. Gregorius aliique Patres ſæpè nominant, *hyemalem tempeſtatem* ſupernaturali calore, primum naturæ noſtræ conſerto ſupra natiuum ac naturæ debitum, languidius mouemur: Tamen non eſt ſuprà vires voluntatis, torporem illum ſaltem aliquatenus excutere & ſuſcitare natiuum vigorem conſequendi bonum ordinis naturæ. Idque disertè tradunt plerique Patres, quos iunctis in hanc rem multis rationibus, adducit, qui hoc Nouatorum commentum fuse reiicit Stapletonius toto lib. 2. de Iuſt. præſertim c. 9. & Lenſæus lib. 1. de libertate Chriſtiana, præſertim à cap. 6.

Diruuntur eiuſdem erroris firmamenta.

285. Quæ in contrarium proferebantur, ſunt prorſus inania. Neque enim Patres, qui affirmant in communi illa generis noſtri clade, amiſſam eſſe libertatem, agunt de libertate Philoſophica, ſed de libertate gratiæ, quam in beato illo ſtatu habuit Adam, eóque non peccante, omnes vi generationis accepiſſemus; cùm nunc è contra naſcamur omnes ſerui peccati, & captiui ſub lege repugnante legi Dei: Serui inquam & captiui, citra diſpendium libertatis natiuæ, vt optimè expoſuit S. Bernardus lib. de grat. & lib. arb. *non multum à principio*, & ſerm. 81. in Cantica. Quibus locis rectè exponit, quomodò manente arbitrij libertate naturali, contraxerimus quandam peccandi neceſſitatem, niſi gratia naturam firmans præſto ſit, & opituletur labanti naturæ. Non quod inuiti abripiamur ad peccandum, (ſic enim non peccaremus;) ſed quòd ob tantam naturæ ſupernaturalibus præſidiis exutæ infirmitatem, & propenſionem ad bona ſenſibilia rectæ rationi aduerſantia, ſæpè infallibiliter labamur. Quam ſerm. 82. eiuſdem operis idem Bernardus, eleganter ait, eſſe ſeruitutem, libertati creaturæ ſuapte natura liberæ incubantem, eamque dum per propriam voluntatem allicit, ſeruituti ſubiicientem, non vt libertate propria nudaretur, ſed vt ſuperinduceretur ſicut diploide confuſione ſua. *An non enim duplois, inquit, vbi non innata ſed affixa, & quaſi quadam acu peccati aſſuta neceſſitas libertati? Neque enim arbitrij libertati, praſcribit neceſſitas voluntaria ſeruitutis. Itaque bonis natura mala aduentitia, dum non ſuccedunt, ſed accedunt: eu pani vtique ea, non exterminant, conturbant, non deturbant.* Ad eum itaque modum exponendi ſunt, quotquot dixerunt ereptam eſſe homini lapſo libertatem, vt optimè quoque tradidit B. Proſper lib. 1. de vocat. gent. c. 3.

286. Nec aliter exponenda eſt illa naturæ corruptio, ſauciatio, debilitatio, ac vulneratio, quæ poſteà opponebatur. Quamuis enim nonnulli Doctores ac nominatim Stapletonius 2. de Iuſtif. c. 7. & Aluares d. 45. & 47. de Auxil. contendant idcirco naturam peccato primi parentis dici ſauciatam, vulneratam, & corruptam, quia deterior eſt nunc ſtatus hominis quoad bonum merè naturale, quàm fuiſſet in pura natura: Tamen omninò verum exiſtimamus, id quod plenè confirmant grauiſſimi recentiores, nominatimque Soto 1. de nat. & gr. c. 13. Bellarm. lib. de grat. primi hominis c. 5. & lib. 6. de ſtatu pec. c. 14. & 15. Vaſq. 1. 2. d. 138. c. . Val. 1. 2. d. 6. q. 15. p. . & d. 8. q. 5. p. 1. Suares proleg. 4. de grat. c. 8. Omnes poſt Diuum Thomam 1. 2. q. 85 art. 3. & 6. vbi Medina ait, vniuerſos Theologos conſentire; Nempe, vulnera naturæ noſtræ per peccatum Adami inflicta, & ad nos cum natura & peccato per generationem tranſmiſſa, debere attendi per comparationem ad naturam, ſanam ſupernaturali ſanitate, ſiue ſupernaturali cultu veſtitam: non autem per comparationem ad puram & nudam naturam, quæ eadem prorſus fuiſſet, ac iiſdem affectionibus & defectibus ſubiacuiſſet, ſi fuiſſet ſibi relicta. Tamen ille ipſe ſtatus qui ſemoto peccato eſſet naturæ humanæ connaturalis, habet nunc rationem vulneris ac infirmitatis, ob ablata propter peccatum extraordinaria dona naturæ aduentitia, quibus generalia hæc incommoda exulaſſent. Vt proinde rectè Sotus 1. de nat. & grat. c. 13. perinde ſe habere dicat ſtatum naturæ lapſæ ad ſtatum puræ naturæ, ſicut ſe habet homo ſpoliatus ad hominem nudum. Sed hæc obiter hoc loco dicta ſunto, tantùm vt appareat quàm immeritò ex naturæ vulneratione, eius arbitrio & libertatis euerſio, à ſectariis inferatur.

ARTICVLVS IV.

An de facto, alteri quaſi facultati libertatem integranti, quæ eſt ad non volendum, impedimentum aliquod per res creatas homini intrinſecas, vel extrinſecas, aliquando iniiciatur.

287. QVoad alteram quaſi partialem facultatem quam in libertate diſtinximus, varia impedimenta expeditum eius vſum tollentia, à variis propoſita ſunt, quæ perſpicuitatis gratia ad aliquot capita reuocabimus. Nempe ad ea quæ dicuntur iniici à cauſis ſecundis, quæ quia minutiora ſunt, (quippe à cauſis debilioribus profecta,) faciliùs depelli poterunt: Et ea quæ iniici dicuntur à Deo. Priora de quibus hic primùm dicam, vel dici poſſunt proficiſci ab aliquo quod ſit homini internum, cuiuſmodi eſt appetitus & concupiſcentia; itémque habitus, & iuxta multos iudicium practicum vltimum: Vel ab

aliquo

aliquo quod ſit externum homini, cuiuſmodi præſertim videri poſſent cœlum, & intelligentiæ. Expendemus hoc loco recténe impedimentum ab his creaturis, poſteriori libertatis facultati de facto immitti dicatur. Quamuis autem iudicium practicum, apud eos qui contendunt voluntatem non poſſe contra illud niti, non ſit libertatis impedimentum, eo quod ab ea pendeat, nihilque minus cogitent hi authores, quam vt voluntatis indifferentiæ quàm minimùm officiant: Tamen ſi verum eſſet iudicium illud practicum omninò determinare voluntatem, iniicerentur haud dubiè vincula libertati. Falsò quippe ſupponitur, tale iudicium liberæ voluntati ſubiacere, ac proinde libertatem non lædere.

ASSERTIO.

NIHIL creatum homini internum, ſuperſtite iudicio indifferente, voluntati eripit expeditam poteſtatem non volendi. Non appetitus rebellans; non habitus quantouis vſu confirmatus: non denique iudicium practicum volitioni immediatè præuium. Nihil item creatum homini extrinſecum, ne cœlo quidem ac intelligentiis excluſis, eandem voluntatis poteſtatem mancipare ſeruituti poteſt, expeditione eius adempta.

PRIMÒ nego partialem hanc facultatem, ſuperſtite iudicio indifferente, impediri de facto per aliquid creatum homini internum. Volo autem iudicium indifferens eſſe ſuperſtes: quia certum eſt libertatem de facto plerunque impediri obturbatione iudicij, vt fit in ebriis & dormientibus, quem ſtatum quiſque ſibi & alteri conciliare poteſt applicatione actuorum naturalium. Non igitur hoc eſt, de quo nunc controuertitur: ſed an ſana mente, ac imperturbato iudicio indifferente; poſſit libertatis vſus impediri per cauſam aliquam creatam homini inſitam; quam, ſi detur, conſtat non poſſe eſſe aliam, quàm facultatem aliquam à voluntate diſtinctam, vel habitum aduentitium, vel actum. Nihil enim aliud homini internum proferri poteſt, à quo ea impeditio ortum habeat. Et reuera totidem inuenio placita, quibus huius facultatis expeditio impetitur.

Primus prætenſus obex internus libertatis ad non volendum, appetitus ſenſitiuus.

288. Aliqui ergo quærentes excuſationes in peccatis, aiunt facultatem liberam vinciri ex hac parte per appetitum, de cuius in rato in partem rationalem odio, & ſumma plerunque efficacitate ad abripiendam & pertrahendam in facinoris conſortium voluntatem, vnuſquiſque poteſt ſibi ipſe teſtimonium locuples ferre: Quandoquidem ipſe etiam Apoſtolus Romanorum 7 ſub tam dura captiuitate gemens, profiteri non erubuit, ſentire ſe legem in membris ſuis, à qua captiuaretur in lege peccati. Et mox; *non quod volo bonum hoc ago, ſed quod nolo malum, illud facio.* Quid clarius? Sed & Plotinus Enneade 6. l. 8. c. 2. affirmat, quod ira vel concupiſcentia fieri ſolet; id eſt, actiones quaſcunque, ad quas appetitus iraſcibilis vel concupiſcibilis interuenit, non fieri liberè, ſed appetitu quodam præcipiti, ac cæco impetu; alioqui admittendum etiam fore, pueros, & bruta, ac furioſos quoſque & mente abalienatos, potiri libertate. Et quamuis videri poſſet eo loco Plotinus, vrgere duntaxat difficultatem, nec niſi inquirendo procedere: Tamen reuera ex propria ſententia loquitur. Id quod etiam non obſcurè colligitur ex cap. 4.

Eodem reſpexiſſe videntur, qui hominem appetitui obſecundantem, vitij, hoc eſt, vitioſi appetitus mancipium nominant, quaſi in ſeruitutem mancipetur voluntas eius, & ſua libertate ac ingenuitate exuatur. Quod eleganter proſequitur S. Ambroſius ſerm. 12. in Pſal. 118. ad illud: *Tuus ſum ego.* Vbi per proſopopœiam, inductis vitiis omnibus, ius ſibi ac dominium vindicantibus, eorum quibus inſident, tandem concludit. *Veniunt omnia vitia, & ſingula dicunt meus es: quem tanti competunt, quàm vile mancipium eſt.* Nyſſenus etiam orat. 1. de hominis procreat. ita loquitur. *Cùm ab aliqua perturbatione victus eſt homo, non iam ipſe imperat, ſed in eius animo perturbatio dominatur.* Similia multa proferam infra, agens de vitij damnis, & de neceſſaria affectuum compreſſione. Eripit itaque homini perturbatio dominium in ſeipſum, quo libertas conſtituitur.

Et hæc ſunt vincula illa, quibus ſe D. Auguſtinus 8. Confeſſ. cap. 5. ſuſpirat ligatum, non ferro alieno, ſed ſua ferrea voluntate vetere & carnali, contra ſpiritum pugnante: hoc eſt, appetitu ſenſitiuo, vel renitentem voluntatem quo luberet trahente. *Velle meum* inquit, *tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me. Quippe ex voluntate peruerſa facta eſt libido; & dum ſeruitur libidini facta eſt conſuetudo; & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas. Quibus quaſi anſulis quibuſdam ſibimet innexis, vnde catenam appellaui, tenebat me obſtrictum dura ſeruitus.*

Præterea eodem ſpectat quod S. Ambroſius lib. 4. in Lucam *ſub finem*, de appetitu animam quaſi clauis ſuffigente ac vinculis adamantinis ſtringente iuxta modum loquendi Senecæ lib. de vita beata cap. 16. pie diſſerit, propoſito etiam illuſtri exemplo Theotimi cuiuſdam, qui rapiente voluntatem appetitu, & libertatem trahente captiuam, tametſi compertum habebat, conſecuturam, ſi appetitum expleret, oculorum amiſſionem, videbatur tamen non poſſe quantumuis volens, frænare ſeſe & proprio appetitui reluctari. Itaque illud profatus, *Vale charum lumen*, exſatiabat appetitum, de ſecutura elucificatione, per mentis æſtum & impotentiam, non ſollicitus.

Denique Seneca l. 1. de ira cap. 7. & 8. affectuum libertatem eripientium ſi adoleuerint, efficacitatem agnoſcere videtur: Sic enim loquitur. *Facilius eſt excludere pernicioſa, quàm regere; & non admittere, quàm admiſſa moderari. Nam cùm ſe in poſſeſſione poſuerunt, potentiora rectore ſunt, nec recidi ſe minuiue patiuntur. Deinde ratio ipſa, cui freni traduntur, tandiu potens eſt, quandiu diducta eſt ab affectibus. Si miſcuit ſe illis & inquinauit, non poteſt continere, quos ſubmouere potuiſſet. Commota enim ſemel & concuſſa mens, ei ſeruit, à quo expellitur. Quarundam rerum initia, in noſtra poteſtate ſunt. Vlteriora nos ſua vi rapiunt, nec regreſſum relinquunt. Vt in præceps datis corporibus, nullum ſui arbitrium eſt, nec reſiſtere morariue deiecta potuerunt, ſed conſilium omne & pœnitentiam, irreuocabilis præcipitatio abſcidit; & non licet eò non peruenire, quò non ire licuiſſet:*

licuiſſet : ita animus ſi in iram , amorem , alióſque ſe proiecit affectus , non permittitur reprimere impetum. Rapiat illum oportet , & ad imum agat ſuum pondus , & iam vitiorum natura procliuis. Optimum eſt primùm irritamenta iræ protinus ſpernere , ipſiſque repugnare ſeminibus, & dare operam ne incidamus in iram. Nam ſi cœperit ferre tranſuerſos , difficilis ad ſalutem recurſus eſt. Quoniam nihil rationis eſt , vbi ſemel affectus inductus eſt , iúſque illi aliquod voluntate noſtra datum eſt. Faciet de cætero quantum volet, non quantum permiſeris. In primis , inquam finibus hoſtis arcendus eſt. Nam cùm intrauit & portu ſe intulit , modum à captiuis non accipit. Neque enim ſepoſitus eſt animus , & extrinſecùs ſpeculatur affectus , vt illos non patiatur vltra quam oportet procedere : ſed in affectum ipſe incitatur. Ideóque non poteſt vtilem illam vim & ſalutarem , proditam iam infi matámque reuocare.

289. Ex his , aliíſque paſſim obuiis teſtimoniis , de appetitus vi in raptanda voluntate ; violari ab eo, facultatem hanc non volendi , de cuius expeditione agimus , intulit Caluinus 2. Inſtit. cap. 3. n.5. contendens relinqui tantùm voluntati vt ſpontaneè , & non coactè , non tamen vt cum poteſtate frænandi ſeſe operationem eliciat. Quam ſententiam Auguſtino quoque & Bernardo affingit , damnátque oſcitantiæ Magiſtrum ſententiarum , quòd cum neceſſitatem a coactione diſtinguere neſciret, pernicioſo errori, quo voluntatis libertas ad peccandum vel bene operandum, aſſeritur, materiam dederit.

Idem de voluntatis per appetitum ſubactione , aſſeruerunt Ethnici quidam , quorum argumenta refert Simplicius in cap. 1. Enchir. Epicteti. Cauſabantur autem in primis , quòd operatio quæ deforis extorquetur, neceſſaria eſt, non libera. *Id enim quod aliunde planè mouetur , quo pacto adhuc in noſtra poteſtate eſſe queat ?* vt ait , eorum argumenta texens Simplicius. Atqui obiectum quod voluntati eſt extrinſecum , eam volentem nolentem ad ſe attrahit. Quod confirmabant ex eo quòd nemo rationis compos & arithmeticis vel modiciſſime tinctus , extorquere à ſe hoc iudicium queat , *bis duo non eſſe quatuor.* Nimirum rei naturâ , voluntatem præueniente , nec legem arbitrij ſubeunte. Eodémque etiam referebant , quod iuxta Philoſophos obiectum appetibile , habet primam vim mouendi. Quod autem aliunde mouetur , quàm à ſeipſo , liberum eſſe nequit, ac ſui iuris. Addi denique poteſt ratio à poſteriori, ducta ex frequenti experimento multorum, qui quantumcunque renitantur, eò quòd videant, quàm dedeceat vel noceat aliter agere ; ſeruitutem tamen ſuam, & neceſſitatem qua arctantur, perſpicuè produnt, cùm ſeſe vel cum gemitu , dedunt trahenti appetitui iuxta illud :

Odi nec poſſum cupiens, non eſſe quod odi.

Et mox :

Auferor vt rapidâ concita puppis aquâ.

Hoc argumento adacti aliqui apud S. Anſelmum, initio tertiæ partis concordiæ , herbam porrexerunt.

Eum obicem fruſtra prætendi , authoritate & ratione probatur.

Nihilominus certum eſt , nullam libertati, ab appetitu quantumuis ferociente , timendam eſſe violentiam. Proſtat enim peremptorium , ſummi principis ac naturæ authoris , edictum , ad hominem nequam , & in quo ſi vſpiam aliàs , appetitus effrænatio viguit ; *Sub te erit appetitus tuus . & tu dominaberis illius.* Aduerſus quem arietem , quàm tutis ſe munimentis obtegant, ſectarij , non vacat referre & refellere. Diligenter autem id præſtitit Delrius Gen. 4. Nos Philoſophi potius authoritatem vrgeamus , qui 3. Ethic. cap. 1. contrarium ait eſſe ridiculum , negátque eſſe excuſationem , quæ iure obtendi poſſit ſceleri ex cupiditate admiſſo. Item 2. ad Eudem. cap. 9. negat vim quam infert appetitus , eſſe veram vim , & inferre neceſſitatem : cùm in nobis ſit appetitui obſiſtere, & laſciuientem coërcere. Nihil item apud Platonem frequentius, vt docent quæ de animæ aurigatione ex eo retulimus , cùm de præmio ac fœlicitate bonorum. Multóque etiam teſtatius eſt, idem ſenſiſſe Stoicos , qui appetitum à voluntate libera vſque eò domari poſſe cenſuerunt , vt ne moueret quidem. Quanquam hæc , quàm ſymphona ſint iis, quæ de neceſſitate per fatum inuecta iidem tradiderunt, nunc non moror. Sed importunè fortaſſis conquirimus ſuffragia Philoſophorum , quos omnes ita ſenſiſſe & idcirco impegiſſe , vltrò admittit libertatis oſor Caluinus.

290. Quare rationem breuiter vrgeo , ex eò ductam , quòd vt Ariſtoteles philoſophatur 1. Polit. cap. 3. appetitus naturaliter habet ſe ad partem rationalem , tanquam ſeruus ad dominum. Id quod ait in illis ſpectari debere , quorum non ſit natura vitioſis moribus deprauata. Nam in aliis peruerſè ac præter naturam ſe habentibus , ait plerunque è contrario accidere. Cum ergo appetitus naturaliter ſubſit voluntati tanquam aliquid imperfectius & vilius, perfectiori ac nobiliori , ac omnia ad dominandum conuenientia ſortitæ ; liquet non poſſe appetitui reſpectu voluntatis concedi illum modum ſuppoſitionis antecedentis , quem diximus conſiſtere in abreptione voluntatis ad operandum. Neque enim ſerui eſt abripere , ſed abripi & ſubiacere : Sicut renera poſſe appetitum à voluntate applicari , ſuprà dictum eſt , cùm de dominio voluntatis liberæ in reliquas facultates diſputaremus. Alius autem modus ſuppoſitionis antecedentis nempe per immiſſionem qualitatis, voluntatem (vt ſic dicam) degrauantis, non poteſt hìc habere locum. Nam appetitus eſt potentia materialis & corporea , quæ non poteſt quicquam producere in voluntate , ſpiritualium duntaxat accidentium capaci.

Cùm ergo hi omnino ſint modi , quibus partialis hæc facultas libertatis, de qua agimus , impediri poteſt , & neuter in voluntate ad appetitum comparata locum habeat , fatendum eſt appetitum non poſſe captiuam & verè renitentem voluntatem trahere , ſed tantum per ſympathiam harum duarum facultatum in eadem anima radicatarum , contingere; vt appetitu in aliquod obiectum inflammato , vicinus voluntati paries ardeat , & flammam de incenſo fomite adiuncto concipiat. Appetitus enim non fertur , in obiectum niſi prælucente phantaſia. Intellectus autem per phantaſiationem excitatur ad proponendum voluntati bonum ſenſibile. Vnde exiſtit flamma illa, quæ ab appetitu gliſcit in voluntatem, cui tamen facile fuerat incendium præcludere non conſentiendo ſuggeſtioni , nec præcipitando in obiectum intellectione illa repræſentatum , ſed appetitum potius frænando, qua pollet in illum , non quidem herili , ſed regia & ciuili poteſtate , de qua Ariſtoteles 1. Politicorum cap. 3.

291. Hinc crebræ illæ & Philoſophorum & Sanctorum voces, vt appetitui obſiſtamus pro poteſtate, ac perturbationes ab eo prodeuntes comprimamus ; & motibus , qui ab eo in nobis inſurgunt , dominemur. Nihil apud Senecam, Epictetum, & alios, frequentius. Vnicum profero Nyſſeni locum ex orat. 1. de hom. procreat. vbi exponens imperium homini à Deo in beſtias tributum verbis illis : *Et præſit beſtiis*

ſtiæ . ita ratiocinatur. *Impera beſtiis , quæ ſunt in te. Quid, inquies , ergo ne , in me ipſo beſtias habeo ? Tu vero beſtias habes , & eas quidem innumerabiles. Plurima in te eſt beſtiarum multitudo. Ac ne me contumelioſum exiſtimes, dic, amabo parúmne beſtia eſt iracundia , quando latrat in corde tuo ? Nónne ea eſt quouis cane crudelior ? Quid in callido animo tuo dolus latitans , nónne quouis vulpe fraudulento, ſauior eſt ? Quid nónne fera eſt hypocriſis, vel immaniſſima ? Qui autem impetu rapitur ad contumeliam, nónne ſcorpius eſt? Qui præceps ad vindictam vltionémque fertur , nónne eſt vipera grauiſſima ? Quid auarus ipſe ? Nónne lupus eſt rapaciſſimus ? Nulla in nobis fera non inuenitur. Qui fœminarum amoribus inſaniunt,nónne furioſi ſunt equi? Equi amatores, inquit , & emiſſarij facti ſunt , vnuſquiſque ad vxorem proximi ſui hinniebat. Sic in alicuius feræ naturam quiſque conuertitur , vt aliquando animi vitio perturbationéque vincitur. Ex quo fit , vt innumerabiles in nobis ſint feræ. Credis igitur te ferarum eſſe dominum ac principem , ſi illis quæ foris ſunt, imperes , eas autem quæ intus verſantur , non coerces ac regas ? Quorſum tibi ratio, quia leones vincis , eorúmque fremitum non reformidas , cùm ipſe dentibus frendeas vt leo , & præ iracundia vocem confuſam , & perturbatum clamorem emittas ? Quid enim grauius aut acerbius eſt , quàm cùm iracundia ſic ore tuo is erumpere nititur , nec intus vllo modo contineri poteſt ? Cum ab aliqua perturbatione victus eſt homo , non tam ipſe imperat , ſed in eius animo perturbatio dominatur. Quamobrem cum ita creatus ſis , vt beſtiis imperes & ſerpentibus & volatilibus, perturbationibus impera.*

Ad teſtimonia quæ in contrarium ſunt propoſita.

Quæ pro voluntatis liberæ impeditione per appetitum , ſuperiùs propoſita ſunt , vix egent reſponſione. Conſtat enim Apoſtolum,qui in primis opponebatur , non agnoſcere voluntatis ſuperioris neceſſitationem per appetitum , cùm ratio vigilat ; ſed duntaxat deplorare infelicem ſortem noſtram, qui & appetitu plerunque ad voluntatis edicta ſurdo in multa ferimur , quæ deuitata oporteret , & voluntate malè illecta & abſtracta , voluntariæ violentiæ illatione impellimur in deuia : Quia voluntas improuida & inconſulta , appetitum blandientem vltrò ac lubens ſequitur , non ſecutura ſi vellet. Verùm quia ſi reniti vellet , experiretur difficultatem , idcirco pertæſa laboris ac difficultatis , dedit ſeſe ac eatenus abripi dicitur , & agere , non quod vult bonum , ſed quod odit malum , vt Apoſtolus loquitur. Quem nulla ratione ſuffragatum voluntatis ſubactioni per appetitum , nec eam experimento ſuo firmaſſe, rectè tradit ad eum locum Chryſoſtomus : præmittens, Apoſtolum , cum ibidem profeſſus eſt , ſe non intelligere quod agebat , non fuiſſe inficiatum ſuam notitiam qua verè perſpiceret quid ageret , ſed tantùm ſignificare voluiſſe circumuentionem & impoſturam , qua faſcinatus , & propè neſcius ſimúlque conſcius , abducebatur ad malum. Hinc eruit enodationem alterius difficilis dicti quo videbatur Apoſtolus , ſuam ab appetitu abreptionem profeſſus. Sic enim ſubdit. *Vnde liquet illum hoc verbum* non volo , *vſurpaſſe , non tollendo liberum arbitrium , neque neceſſitatem quandam coactam inducendo. Nam ſi non voluntarij ſed coacti peccamus , rurſus illa ſupplicia ſuperioribus ſeculis illata , ratione non niterentur . Sed quemadmodum cum dixit , non cognoſco , non ignorantiam indicauit, ſicut diximus : Sic & cum id verbi addit* , non volo , *neceſſitatem non denotauit , ſed quòd rem non laudaret. Quandoquidem niſi hoc ita eſſe declaraſſet per hæc verba* , quod non volo facio , *quomodo non addidit* , ſed quod cogor & compellor hoc facio ? *Hoc enim ipſum , voluntati & libertati opponitur. Nunc autem non hoc, dixit , ſed loco huius verbum hoc* , odi , *poſuit : vt intelligeres illum vſurpando verbum hoc* , non volo , *non ſuſtuliſſe libertatem. Quid igitur eſt illud*, quo non volo? *Nempe quod non laudo, quod non admitto, quod non amo,ad cuius oppoſitam diſtinctionem, & quæ ſequuntur addidit , dicens.* Sed quod odi,hoc ago : ſi autem quod non volo, hoc facio , conſentio legi quòd bona ſit. *Vides interim mentem non corruptam ſed in ipſa actione propriam ſeruantem nobilitatem? Etſi enim vitioſitatem perpetrat , tamen illam odio habens pertractat.*

Quæ dicatur peccati ſeruitus ac vincula.

292. Ad eundem modum accipi & intelligi debent , ſeruitus , ac vincula , & dominatus , de quibus agitur in reliquis authoritatibus , quæ adducebantur , & malè ad neceſſitationem ac naturalis libertatis excidium trahebantur. In quam rem cum multa luculenter diſputet S. Anſelmus dialog. de lib. arbitr. c. 5. 6. 7. Lenæus lib. 1. de libert. Chriſtiana cap. 4. & 12. & Veſtonus l. 2. de triplici hominis officio c. 24. Non videtur neceſſarium multa congerere. Punctum attigit Proſper aut potius Iulianus Pomerius (is enim verè eius operis author ex Iſido. c. 12. de ſcriptor.) l. 2. de vita contempl. c. 15. vbi primum neceſſitatis à cupiditate ſeu appetitu inuectæ vim ac imperium ſic deſcribit. [ſuaui iugo Chriſti contempto , ferreum cupiditatis imperium voluntaria mentium inclinatione ſuſcipimus , & domini noſtri leui onere quod ſubiectos non onerat ſed ſubleuat , poſthabito , plumbeum fondus noſtris ceruicibus aggrauamus quod citius poteſt deponi quàm ferri : quia & ipſa cupiditas quæ nobis ſubiici vltrò volentibus hoc pondus imponit , contemni poteſt faciliùs quàm expleri , & ideo qui ſe illi volentes dediderint oppugnanti , voluntatem reſiſtendi vlterius non habebunt tyrannice dominanti. Et hoc fit iuſto Dei iudicio , vt qui cupiditati reſiſtere volumus ingreſſuræ , iam reſiſtere nequeamus ingreſſæ. ò plangendum miſerabiliter mentis expugnatæ ſeruitium.] Hactenus neceſſitas per appetitum inuecta. Nunc cuiuſmodi ſit , & quæ eius ratio accipe ex iis quæ paulo poſt ibidem ſubduntur de eodem appetitu. *Tenet nos libeorum pœnaliter multitudo catenis adactos & in ſua ditione captiuos , nec trahit inuitos ſed quod eſt deterius , quocumque voluerit , volentes ducit.* Vides quam neceſſitatem libertati profectò non aduerſantem) à præualente appetitu inuehi dixiſſet. Non diſſimilia paſſim legas apud Patres ac DD. Ego appoſito perilluſtri loco S. Bernardi, quo difficultatem hanc vniuerſam inſigniter enodat, & quo pacto interdum dicatur ab appetitu abripi , dilucidè monſtrat , ſatisfactum abundè exiſtimabo , propoſitis in contrarium teſtimoniis. Ita habet Serm. 81. in Cant. [Vim à natura , ſolus homo non patitur , & ideo ſolus inter animantia liber. Et tamen interueniente peccato, patitur quandam vim & ipſe , ſed à voluntate , non à natura , vt ne ſic quidem , ingenita libertate priuetur. Quod enim voluntarium , & liberum. Et quidem peccato factum eſt , *vt corpus quod corrumpitur , aggrauet animam* , ſed amore , non mole. Nam quòd ſurgere anima per ſe iam non poteſt , quæ per ſe cadere potuit , voluntas in cauſa eſt , quæ corrupti corporis, vitiato ac vitioſo amore langueſcens , & iacens , amorem pariter iuſtitiæ non admittit. Ita neſcio quo prauo & miro modo ipſa ſibi voluntas,

peccato

peccato quidem in deterios mutata, neceſſitatem facit; vt nec neceſſitas, cùm voluntaria ſit, excuſare valeat volontatem, nec voluntas cùm ſit illecta, excludere neceſſitatem. Eſt enim neceſſitas hæc, quodammodu voluntaria. Eſt fauorabilis vis quædam, premendo blandiens, & blandiendo premens. Vnde ſeſe rea voluntas, vbi ſemel peccator conſenſerit, nec excutere iam per ſe, nec excuſare tamen vllatenus de ratione queat. Inde querula illa vox, veluti gementis ſob opere neceſſitatis huios; *Domine*, inqoit, *vim patior, reſponde pro me* Sed rurſus ſciens quòd non ioſtè cauſaretur aduerſus Dominum, cùm volontas ſua ipſius in cauſa foret, attende quid ſecutus intulerit; *Quid dicam, aut quid reſpondebit mihi, cum ipſe fecerim?* Premebatur iugo, non alio tamen qoàm voluntariæ cuiuſdam ſeruitutis; & erat pro ſeruitute quidem miſerabilis, ſed pro voluntate inexcuſabilis. Voluntas enim eſt, quæ ſe, cùm eſſet libera, ſeruam fecit peccati, peccato aſſentiendo. Voluntas nihilominus eſt, quæ ſe ſub peccato tenet, voluntariè ſeruiendo.]

Voluntarium, (quod iam aliquoties monui,) vſurpat S. Bernardus, eodem ſenſo, quo à D. Auguſtino, vſurpari vidimus. Nempe pro libero. Vt proinde perinde ſit aſtruere voluntariam ſeruitutem, atque agnoſcere liberam ſeruitutem: Quæ eſſet implicatio in adiecto, niſi ſenſus eſſet libertatem ita abduci, vt velit abduci, nec detrectet ſeruitutem. Hunc germanum Bernardi ſenſum, magis aperient qoæ continenter addit, opponens ſibi ipſi circa prædicta, & ſoloens in hunc modum. [Vide quid dicas, ait aliquis mihi. Tone voluntarium dicis, quod iam neceſſarium conſtat eſſe! Verum quidem eſt, quòd voluntas ſeipſam addixerit, ſed non ipſa ſe retinet, magis retinetur & nolens. Benè hoc ſaltem das, quia retinetur. Sed vigilanter retine: voluntatem eſſe, quam retineri fateris. Itaque volontatem nolentem dicis? Non vtique voluntas, retinetur non volens. Voluntas enim volentis eſt, non nolentis. Quod ſi vulens retinetur, ipſa ſe retioet. Qoid ergo dicet, aut quid reſpondebit ei, cum ipſa fecerit? Quid fecit? ſeruam ſe fecit; vnde dicitur. *Qui facit peccatum ſeruus eſt peccati.* Propterea cùm peccaoit, (peccauit autem eùm peccatu obedire decreuit,) ſeruam ſe fecit: Sed fit libera, ſi non adhuc facit. Facit autem in eadem ſeruitute ſe retinens. Neque enim non volens voluntas tenetur: voluntas enim eſt. Ergo quia volens, ſeruam ſeipſam fecit; non modò fecit, ſed facit. Merito proinde, (qood ſæpè memorandum eſt,) quis reſpondebit illi, cùm ipſa fecerit, ipſa & faciat.]

Pergit, inducens inſtantem, & veluti obfirmatum aduerſarium, nitentem proprio cuiuſque experimento, qoo adactionem aliquam, & ſeruitutem, ab appetito voluntatem captiuam trahente, deprehendere videmor. Hoc ita retundit, vt apertiùs patefaciat, ſaluam nihilominus eſſe, naturalem liberæ voluntatis exſolutionem. [Sed non me inquis, decredere facies, neceſſitatē quam patior, quam in memetipſo experior, contra quam & aſſiduè luctor. Vbinam, quæſo, hanc neceſſitatem ſentis? Nonne in vnlontate? Non ergo parum firmiter vis, quod & neceſſariò vis. Multùm vis quod nolle nequeas, nec multùm obluctans. Porro vbi voluntas, & libertas. Quod tamen dico de naturali oon de ſpiritnali, *qua libertate* (vt dicit Apoſtolus) *Chriſtus nos liberauit*. Nam de illa idem ipſe dicit, *vbi ſpiritus Domini, ibi libertas*. Ita anima, miro quodam & malo modo ſub hac voloorari quadam, ac malè libera neceſſitate, & ancilla tenetur, & libera: ancilla propter neceſſitatem, libera propter voluntatem. Et quod magis mirum, magiſque miſerum eſt, eo rea quo libera, eóque ancilla qno rea; ac per hoc eo ancilla quo libera.] Miſer ego homo, quis me liberabit à calumnia huius ſeruitutis? *miſer ſed liber Liber, quia homo; miſer, quia ſeruus. Liber, quia ſimilis Deo; miſer, quia contrarius Deo.*] Inſigniter verò idem mellitus & melliſluus Pater, ſermone einſdem operis 81. allegans locum ounc prolatū quatenus abripiatur in hoc ſtatu per appetitū libertas, qoatenus iuris ſui maneat, his verbis exprimit. *Voluntaria illa neceſſitas & contraria lex inflicta in membris, de qua proxime ſermone diſſerui, eidem incubat libertati, & liberam naturâ creaturam, per propriam ipſius voluntatem dum allicit, ſubiicit ſeruituti, implens faciem eius ignominia, ita vt vel carne ſeruiat legi peccati, & nō volens. Quia ergo natura ingenuitatem, motum probitate defenſare neglexit, iuſte authoris iudicio factum eſt, non quidē vt libertate propria nudaretur, ſed tamen ſuperinducere ſicut diploide cōfuſione ſua. Et benè* ſicut diploide, *vbi veſte veluti duplicata manēte libertate propter voluntatē, ſeruilis nihilominus conuerſatio neceſſitatē probat.*

Caſtigata Caluini malignitas in Bernardum, Auguſtinum, ac Magiſtrum.

293. Nihil potuit dilucidius & fortius adduci ad obſtruendum os loquentis iniqua Caluini: cuius *frontem*, quod de hæreticis dixit Auguſtinus, *frontem non eſſe*, apertè docet, quòd nihilominus auſus eſt, Bernardo tam tetrum errorem affingere; vt & Auguſtino, quem tamen infinities contrarium aſſerere, facilè perſpexiſſet Caluinus, niſi eum neqnitia exocaecaſſet. Nam vt taceam plurima loca, quæ Torrenſis in Confeſſ. Auguſtiniana lib. 2 c. 2, §. 5. & c. 3. ſuppeditat: Illuſtriſſimè id tradit 12. de Trinit. c. item 12. Vbi rationale coniugium in vnoquoqoe noſtrûm agnoſcens, & conſiderans io duobus primis hominibus, portatam perſonam vniuſcuiuſqoe hominis; Euam, quæ maritum, penes quem ſumma poteſtas erat, illexit tantùm non coegit, interpretatur appetitum: Adamum autem qui turpiter ſuccubuit cùm dominari & præeſſe deberet, nec victus fuiſſet niſi voluiſſet, ait eſſe rationē ſuperiorem ſioe libertatem.

Minus autem mirum, à Caluino, Magiſtrum oſcitantiæ damnari, qoòd neceſſarium à coacto non ſecreuerit. Nam homo omnes deſpuere natus, nec niſi ſannas & conuitia ructans, non aduertit, aut aduertere noluit, diſertè Magiſtrum in 2. d. 25. *litera E.* ad libertatem expeditam, non modò exſolutionem à coactione, ſed etiam à neceſſitate reqoirere. Neque enim ignorabat Magiſter, quod Ariſtoteles 3. Eth. c. 1. tam explicatè tradit; nempe bruta plerumqoe abſque coactione & ſpontaneè operari; neque tamen liberè agere. Itaquè oſcitantiæ potiùs, & ſtoliditatis non vulgaris, damnari debet ſuperciliosus hic cenſor, quòd liberum oppoſitum neceſſario, à ſpontaneo non ſeiunxerit, crediderítque voluntatem noſtram, quoties ſpontaneè & non coactè operatur, liberè agere, nec aliam competere homini libertatem quàm vt ſpontaneè operetur; quæ eſt libertas pecudum, cùm in aliquid feruntur non tracta per apertam vim extrinſecùs illatam, fune v. g. aut impacto baculo.

Ad rationes Ethnicorum, num. 289. propoſitas.

294. Rationes, quæ ex Ethnicis illis, quos Simplicius memorat, propoſitæ ſunt, vacant difficultate. Nam fatemur quidem operationem, quæ ab extrinſeco principio voluntatem prædeterminante proficiſcitur, liberam non eſſe. Negamus tamen operationem voluntatis ita cauſari ab obiecto, quod non niſi vim ineſcandi voluntatem, & blandiendi eidem habet. Eatenus ergo, & non aliter, obiecta excitant ad volitionem formandam. Quod luculenter expreſſit Simplicius, loco citato. [Appetitiones, *inquit*, animum ad appetendum non ita mouent, quaſi is aliunde cieatur cum ſuggerunt ſuſceptionē ſui idoneam ad prouocandum id quòd eas amplecti natura ſolet. Vt

enim res ſubiecta ſenſui, ſentienti ſenſum non inſerit, neque id, quaſi aliunde moueatur ad ſe attrahere ſolet, ſed ſeſe offert idoneam, quæ cum eo coniungatur, cuius natura coniunctionem illam admittit: ſic & res appetenda, ſuam conuenientiam proponens, prouocat animi ad ſeſe deſiderium, qui ad illud aptus eſt. Quamobrem rebus appetendis propoſitis, alij eas appetunt, alij non. At ſi res appetenda eam naturam haberet, vt appetentem cogeret, & motus ab ea inderetur, neceſſe omnino eſſet eam appeti ab iis, quæ appetendi vim haberent: quamuis alia magis, alia minùs. Ac ne appetitio quidem illa eſſet, ſed impulſio aut attractio violenta, qualem in corporibus cernimus.] Obiecti igitur pellectio eſt duntaxat motio ſiue tractio metaphorica, cui voluntas poteſt obſiſtere, ſi ſimplicem illam boni ſuauiationem, quæ ad eius primam propoſitionem neceſſariò excitatur, excipias.

Immeritò autem iidem Ethnici huc transferunt exemplum neceſſitationis, quam intellectus ſubit quoad ſpeciem actus, cùm obiectum eſt euidens: v.g. quòd bis duo, ſint quatuor. Neque enim par eſt ratio voluntatis, quæ eſt facultas ſui actus domina, & intellectus, qui deſtituitur libertate. Denique experientia, quæ poſtremo loco obtendebatur, accuſat potiùs, quam excuſat eos qui appetitui rationem fœdè ſubiiciunt. Nemo enim eſt, qui, ſi velit, appetitum ſuum non frænet, ſaltem ne voluntatem abducat. Idque experiuntur qui laborem aliquem in ea lucta & reniſu deuorandum, non faſtidiunt.

Alter internus eiuſdem libertatis obex, iuxta aliquos, habitus intenſus.

295. Pergo ad ſecundum internum obicem huius partialis facultatis libertatem integrantis, hoc eſt, ad habitum. Hunc enim poſſe ita intendi vt voluntatem neceſſitet, aſſerit OlKot in 1.q.3. art. 3. & probat ex eo quòd ex habitu multa per modum naturæ facimus & abſque deliberatione; quale eſſe ait ponere caputium, vel alia indumenta. Et poterat experientiam quoque benè & malè ex habitu agendi, vrgere. Idem probat Geruaſius lib. de notitiis tract. de appetitu ration. quæſt. de neceſſitatione, ex eo quod homo ebrius, vi habitus intenſi plerúmque neceſſitetur perpetrare facinora, quæ, ſanitate mentis vigente, non admitteret, extorquente habitu actionem.

Nonnulli certè, (verba ſunt quorundam Ethnicorum, libertatis hoſtium, apud Simplicium in cap. 1. Enchir. Epict.) *quamuis appetitiones ſuas moleſtè ferant, eáſque cieri nollent, tamen ab habitu & conſuetudine impelluntur ad res à ſe deliberatas, ab iiſque alieno motu pertrahuntur, planè quaſi in ipſis ſitum non ſit, facere aliter.* Nihil præterea decantatius, quàm illud: *Conſuetudo eſt altera natura.* Quod ab antiquis vſurpatum, refert, & approbat S. Chryſoſtomus hom. 7. in 1. ad Corinth. & ipſe Ariſtoteles lib. de memoria c. 3. & 7. Ethic. c. 10. ex Eueno quem laudat. Sed optimè 1. Rhet. c. 11. verbis illis: *Conſuetum quaſi natura inſitum iam ſit. Similis enim eſt conſuetudo naturæ. Nam viciniſtatem habet quod ſæpè fit, cum eo quod ſemper. Eſt autem natura quidem eius quod ſemper fit; conſuetudo verò eius, quod ſæpè.*

Idcóque cauendum ſummoperè cuique eſſe, ne habitus vitioſi inualeſcant, & conſuetudine ita obdureſcat voluntas, vt flecti nequeat, non ſemel monent Ethici. Eo eodem ſpectat illud Clementis Alexandrini in protrep. de conſuetudine quidem idola colendi ab eo ſcriptum, ſed tamen ad omnes æquè materias pertinens: *Fugiamus conſuetudinem, fugiamus tanquam ſcopulum difficilem, aut Charybdis minas aut fabuloſas ſyrenes. Suffocat hominem, à veritate auertit, abducit à vita, eſt laqueus, eſt barathrum, eſt malum ventilabrum, conſuetudo.* Et illud Eucherij hom. 3. ad Monachos n. 9. *Mali cuiuſlibet aut obtrectationis paſſio impugnare me cœpit. Si non ſtatim me pœnitudo huius vitæ momordit, cras tanta mihi huius vitij facilitas veniet, & quædam (vt ſic dixerim.) ſuauitas, vt reuocare me ab illo, & continere non poſſim. Ita enim euenit, vt qui primo tempore emendare noluerit, incipiat in ſequenti, nec velle nec poſſe. v.g. ſuperbia acquieſcere cœpi, regulam violaui, ſeniorem læſi, iuniorem deſtruxi. Si non ſtatim me pœnituit tam grauiter fuiſſe præuentum, ita de die in diem libentiſſime me rapiet ipſa violentia conſuetudinis, & impetus paſſionis, vt iam nec delinquere me intelligam, nec peccare me ſentiam. Obſcurat enim atque obſtruit intellectum onus delicti, aſſiduitas delinquendi.* S. Iſidor. Peluſ. l. 1. epiſt. 38. vt ex fide Græci codicis, rectè aduertit nouus interpres, conſuetudinem nominat *Tyrannum voluntatis.* Conformiter ad S. Chryſoſt. lib. 3. aduerſus vitupet. vitæ monaſt. *ante medium*, vbi conſuetudinem ait, duram & planè diram, ac penitus acutam, & violentam rem eſſe, ad capiendam & vincendam voluntatem.

296. Quid quod diſertè Ariſt. 3. Ethic. c. 5. abſurditatis damnat eos, qui contracto ſemel habitu, putant fas ſibi eſſe, aliud eſſe quàm quod fert habitus? De eo quippe agens, qui iniuſta multa fecit, & habitum ſibi iniuſtitiæ iuuſſit: [Non ſi voluerit, *inquit*, iniuſtus eſſe deſinet, & iuſtus erit. Nam neque qui ægrotat ſanus efficitur: licet, ſi ita contingit, ſponte ægrotet, tum intemperanter viuendo, tum medicorum præceptis non obtemperando. Verùm tunc quidem licebat ei non ægrotare. Vbi tamen ſemel neglexit, non amplius licet. Quemadmodum neque qui lapidem proiecit, reſumere eum amplius poteſt: quamuis in eo emittendi ac proiiciendi facultas fuerit: Principium enim in ipſo erat. Eodem modo quoque, & iniuſto, & intemperanti, à principio licebat non eſſe eiuſmodi: vnde ſponte eiuſmodi ſunt. Vbi verò ſemel tales euaſerunt, non ampliùs non eſſe tales eis licet.]

Et in fine capitis, profert diſparitatem magnam, quæ eſt inter actum & habitum; quòd actus, quandiu eſt, noſtro ſubſit dominio: poteſt enim ſemper abrumpi, non item habitus, qui tantùm ſubeſt domino noſtro quoad ſuum fieri: cùm primùm autem impreſſus eſt, ab eo dominio eximitur. Hic eſt ſenſus illorum Philoſophi verborum. *Non ſimili modo, actiones ſpontaneæ ſunt atque habitus. Actionum enim, à principio vſque ad finem domini ſumus, cum ſingula quæque cognoſcamus. At habituum, principij tantùm facultas in nobis eſt: ſingulorum autem additio, non nota quemadmodum in ægrotationibus. Quoniã tamen in noſtra erat poteſtate, vel ita vel non ita vti: etiam habitus ipſi ſpontanei ſunt.* Quibus locis *ſpontaneum* pro libero ſumitur; vt rectè expoſuit Euſtratius, & liquet ex contextu.

Eandem ex habitu neceſſitationem ad volendum admiſiſſe videri poteſt Epictetus apud Arrianum l. 4. c. 12. verbis illis. *Non ſentis animi intentionem, ſi ſemel relaxaris, eam vt reuoces, non ampliùs in tua eſſe poteſtate? Non enim inſtituitur decorum, non pudor, non libidinũ refrenatio recuperatur ſed quicquid inciderit, id facie cupiditatibúſque tuis obſequeris.* Idem plerũque ſignificat Antoninus. Nam cum l. 7. de vita ſua n. 46. & l. 11. n. 16. excuſari velit peccantes, quòd inuiti peccarint; tandem illatæ violentiæ cauſam, in habitũ refert l. 12. n. 14. etiamſi aliter ſentire videatur lib. 11. n. 16. Idem videtur ſenſiſſe Celſus apud Origenem l. 3. & Galen. l. de cognoſcendis & curandis animi affectibus.

Præterea nonnulli Theologi admittunt quorundam voluntatem prædeterminari moraliter, & indito diuinitus quodam habitu ita affici, vt non poſſit ad malum vergere, ſed adigatur ad bonum; quod eſt concedere

concedere habituſ vim neceſſitandi voluntatem. Tandem id videtur probare rano ducta ex eo quòd poſſit reſiſtentia habitus contrarij & iniectio remoræ in operando excedere vim actiuam libertatis, quæ finita eſt. At actio non eſt niſi a proportione maioris inæqualitatis. Quæ difficultas, vt perſpicua ſit ad eam reſponſio, coniunctim infra diſtinctius proponetur. Videtur ergo argumentis propoſitis euinci, poſſe per habitum, ſaltem paolò intenſiorem, ligari partialem illam libertatis facultatem, quæ eſt ad non volendum.

Non eſſe obicem, vera ſententia.

297. Contrarium eſt omnino certum. Vnde enim ea vis habitui, vt voluntatem vi ſuæ libertatis in æquilibrio poſitam, quaſi deprimere poſſit, & obſtare ne actione abſtineat pro poteſtate? In primis enim habitus voluntatis, de quo ſolo agimus, non inducit intellectui neceſſitatem cogitandi actu de obiecto, in quod inclinat. Vnde ex eo capite, poſſet interuenire iuſtitium in voluntate, non obſtante habitu Et quamuis intellectio idonea affulgeret, & quidem neceſſariò, tamen nulla inde in voluntate neceſſitatio ſequeretur. Quia efficacia habitus aduenientis voluntati, hoc non fert, cùm non conſumat nec minuat vim innatam libertatis; ſed tantùm conferat illi facilitatem eliciendi actum, poſito quod ipſa ad operandum ſe determinet. Et ita rectè Baſſolis in 3.d.33.q.1.art.1.*in fine* contra quendam, qui idcirco negabat habitus poſſe admitti in voluntate libera, quòd alioqui rueret libertas.

Aliud argumentum paſſim in hanc rem adhiberi video; nempe quòd ſimus cauſæ liberæ habituum, proindéque neceſſe ſit actionem quoque ab habitu profectam, gaudere libertate. Ita Simplicius ſuprà, & Porcius lib. an bonus quis vel malus volens fiat. c. 4. & 11. Verùm hinc ad ſummum haberetur libertas radicalis, & in cauſa; non autem libertas formaliter cadens in actum cum dominio profuſum, qualis exigeretur vt actus ſimpliciter denominaretur liber. Si enim actus præuiſi ante ebrietatem liberè contractam, ſunt liberi in radice: Et tamen quia cùm ex ebrietate exercentur non ſubſtant actualiter dominio voluntatis, ob ſopitam tunc rationem, non dicuntur liberi formaliter, iuxta ſententiam probabiliorem. Idem ergo dicendum eſſet de operatione facta ex habitu, cuius ſola impreſſio eſſet libera.

Similiter non placet quod Porcius ſupra c.4. negat eſſe in poteſtate noſtra habitum ſemel obfirmatum abiicere, aut aliter aſſueſcere. An non enim quotidianum eſt, vt habitus iniuſti, inducto contrariis actibus habitu contrario, obliterentur? Illud item diſplicet quod addit c. 11. nempe facultatem agendi genito iam habitu, non eſſe in nobis integram, propter ſocium, quem ſibi aſciuit; ipſum ſcilicet habitum, cum quo ad agendum progreditur: antea tamen integram fuiſſe, nec niſi ex parte ſublatam. Nulla enim ratione ſublatam exiſtimare debemus, agendi & non agendi facultatem, eò quòd acceſſerit habitus: quamuis longè decliuior ſit via in actum, ob adiunctum extrinſecum illud operationis comprincipium; quod roborando vim innatam facultati, & augendo cau ſam actionis, facilitatem quoque ad eius exercitium auget.

Parit tamen contra agendi difficultatem, ex Philoſopho, & experientia.

298. Nec plus euincunt omnia argumenta initio in contrarium adducta. Ariſtoteles autem, quomodò dixerit non eſſe nos habituum dominos, iam expoſitum eſt quæſt. ſuper. art. vlt. *ſub finem*. Et breuiter ſenſus eſt, non eſſe noſtrum, quandiu habitus perſtant, & inductis contrariis habitibus non abolentur, non ſentire eam operandi facilitatem, quam habitus ſuapte natura confert, poſito quod quis operationem exercere velit. Imò feriantibus licet habitibus, nec in opus prodeuntibus, quiſquis eos per frequentatos actus impreſſit, denominabitur ab eis v.g. incontinens, aut iniuſtus; nec eſt homini liberum impedire ne ſic meritò denominetur, donec longo vſu eraſis habitibus reſtituatur priſtinæ integritati philoſophicæ, & iuſti vel continentis denominationem recuperet.

Hunc eſſe germanum Philoſophi ſenſum perſpicuè patere videtur ex verbis eius ſuprà recitatis, & expenſione ſcopi, qui eo loco Ariſtoteli propoſitus eſt. Tametſi Euſtratius ibi, & S. Thom. lect. 13. velint ſenſum Philoſophi duntaxat eſſe, quòd iniuſtiò habitus ſit libera, & idcirco liberum etiam cenſeri debeat opus ex eo elicitum. Quod præſertim ferre videntur poſtrema illa verba: *quia in noſtra erat poteſtate, vel ita, vel non ita vti, etiam habitus ipſi ſpontanei ſunt*. Verùm ſi hæc verba, non ad vſum actuum quibus habitus primò inuruntur, ſed ad vſum habitus iam parti, referantur; vt ſanè referenda videntur, conſtabit rectè aſſeruiſſe Ariſtotelem, idcirco penes nos quoque eſſe dominium habituum, & actionis ex eis profectæ. Dominium inquam, non radicale tantùm & in cauſa, [illegible] duntaxat agnoſcere debet illa alia, quam dixi Ariſtotelis expoſitio, ſed formale, & cui illi met actus in ſeipſis ſubiaceant.

Iam verò ſententia illorum Theologorum, qui prædeterminationem moralem habitibus valde intenſis tribuunt, repudianda eſt, ſi de vera prædeterminatione, aut etiam infallibili actus exercitio, per huiuſmodi cauſam extorquendo, intelligatur. Neque eo ſenſu prædeterminationem illam moralem admittunt probatiores Theologi quibus illa arriſit. Videſis Suarem 3. de Auxil. ca. 10. n. 7.

Nodus, ex victoria habitus intenſi ſuprà potentiæ actiuitatem.

299. Poſtrema probatio moleſtiorem difficultatem ingerit, quam idcirco ſeorſim recoquere & verſare neceſſarium eſt. Eſt autem difficultas illa in eo ſita, quòd perſpicuum videatur, habitum præpedire aliquatenus actionem cui aduerſatur. v.g. habitus intemperantiæ difficilem reddit operationem temperantiæ; & quò intenſior fiet habitus vitioſus, eò difficilior & operoſior erit honeſtatis oppoſitæ proſecutio. Cùm autem ſit neceſſarium, voluntatem, cùm bonum proſequitur & actionem ſuam immittit ſibi ipſi, expugnare difficultatem à contrario illo habitu præiacente prouenientem, æquè ac neceſſe eſt calorem expugnare reſiſtentiam frigoris, ſi ſupponatur effectum ſuum & actionem ſubiecto immittere: Conſequi videtur, poſſe eam difficultatem tantoperè augeri, vt nullatenus per voluntatem ſuperari & decuti queat. Nam vis operatiua voluntatis, reſpectu actionis habitui præiacenti aduerſantis, finita eſt, continetúrque certis veluti gradibus, commenſis entitati voluntatis, quæ vtique finita eſt.

Sit igitur eius actiuitas, vt quatuor, aut in quacunque alia menſura finita. Nihil profectò vetat reſiſtentiam paſſi prouenientem ex habitu contrario, creſcere ad menſuram vſque altiorem actiuitate potentiæ. Sunt enim in reſiſtentia, æquè ac in actiuitate, concipiendi quidam veluti gradus, qui pro intenſione habitus reſiſtentis, creſcunt; & pro eiuſdem remiſſione, minuuntur. Itaque ſi habitus ſit intenſus vt vnum, reſiſtentia qua excludet habitum contrarium, & actionem ei

inurendo idoneam, reddet difficilem, erit in menſura determinata, correſpondente intenſiori habitus. Si vero habitus auctior fiat, reſiſtentia erit maior, & difficultas operandi actum huic habitui repugnantem, augeſcet: Quia cùm actio debeat eſſe à proportione maioris inæqualitatis, perſpicuè efficitur actionem voluntatis non poſſe poni, niſi actiuitas voluntatis ſuperet reſiſtentiam habitus oppoſiti. Hæc autem propter ingentem habitus intenſionem, poterit eò vſque augeri, vt iam ei omnino impar ſit vis actiua voluntatis: ac proinde actiu habitui præiacenti correſpondens, prorſus impedietur, ruetque libertas.

Quomodò ab aliis extricetur.

Præſenſit hanc difficultatem Angeſtus c. 10. Moral, t. 4. qui idcirco negat, libertatem pati poſſe à cauſis creatis reſiſtentiam actus eliciti impeditiuam. Hoc tamen videtur gratis negari. Nam habitus contrarius, (etiamſi male refragetur Salas 1.2. tract. 10. d. 6. ſ. 5.) planè reſiſtit inductioni habitus oppoſiti, & conſequenter etiam actui, in quo conſiſtit vis contrarij inductiua. Sicut calor reſiſtit frigori, & cauſæ illud inducere tentanti, ac vi ad id accommodatà inſtructæ. Vnde ſicut ob reſiſtentiam à calore frigori obiectam retunditur impetus frigoris, operoſiorque & tenuior eſt eius impreſſio: Ita ob præexiſtentem contrarium habitum, creſcit difficultas operationis inimicæ; quod eſt euidentiſſimum ſignum reſiſtentiæ innectæ per habitum illum aduerſantem. Et quamuis productio habitus ſit aliquid poſterius actu, ideóque poſſet aliquis cauſari habitum non reſiſtere immediatè actui, ſed tantum habitui, & inductioni eius per actum his duobus anteriorem: Tamen apertè inde habetur mediata habitus ad actum contrarium reſiſtentia, quæ ſufficit ad iniiciendam difficultatem & remotam; imo impeditionem exercitij libertatis in actum, ſi ea reſiſtentia mediata actui iniecta ab habitu oppoſito, nimium creſcat.

300. Video dici poſſe, difficultatem illam operandi non prouenire ex reſiſtentia habitus oppoſiti, ſed ex potentiæ exarmatione. Potentia enim habitu deſtituta, difficulter operatur. Cùm itaque nulla inſit potentiæ habilitas ad operationem cauſaliter aduerſantem habitui illi admodum intenſo, qui aliorſum flecti & inclinari ſupponitur; mirum non eſt, quòd operetur cum difficultate, non quam habitus contrarius ingeneret, ſed quæ potentiæ competat ſuaptè natura, eo ipſo quòd deſtituitur comprincipio facilitatiuo, operationi exercendæ conſentaneo.

Verùm quamuis liqueat, potentiam habitu carentem, eſſe minus expeditam ad agendum, ac veluti torpere: Tamen ea difficultas, eſt longè diuerſæ rationis ab ea quæ dimanat ab habitu oppoſito. Nam cùm ex carentia habilitatis exiſtat tantùm potentiæ veluti ruditas & ſtupor; ex potentiæ præoccupatione per contrarium habitum, enaſcitur difficultas cum propenſione ad oppoſitum, quæ eſt longè diuerſa difficultas. Et ſanè alioqui non plus laboraret qui habitum oppoſitum intenſiſſimum habet, quàm qui tantùm caret habitu inclinante ad actum quem exercet. Itaque videtur omnino concedendum, inueh ab habitu oppoſito, reſiſtentiam aliquam, reſpectu actionis inimicæ: eámque reſiſtentiam, debere inferiorem eſſe actiuitate voluntatis, vt ea actio inimica elici queat. Atque ita nodus propoſitus manet inextricatus.

Quamuis autem vix fuit, eritve vnquam, cuius habitus in tantam creſcat intenſionem, vt libertas ad actum habitui illi oppoſitum periclitetur, cùm tam ſegnis ac lenta ſit habituum intenſio per actus, tamque exilis eorum duratio, & infrequens repetitio: Tamen ſi admittamus habitum alicui tantoperè excreſcere, vt vis eius reſtitiua ſuperet vim voluntatis actus oppoſiti profuſiuam, ligabitur libertas reſpectu actus illius oppoſiti, vt argumento propoſito concludebatur.

Vera eius expeditio.

301. Quare ſuppoſitis in præſentia quibuſdam principiis, quæ infra proferam tractans virtutis intenſionem & corruptionem, dico reſiſtentiam quæ obiecta fuit, non poſſe naturaliter eſſe niſi finitam. Sequitur enim latitudinem habitus impreſſi, quæ naturaliter finita eſſe debet: cum vis paſſiua ſubiecti naturalis, in quo habitus recipitur, non ſit niſi finita. Non dico tantam eſſe reſiſtentiam propriè dictam, quanta eſt latitudo formæ reſiſtentis: Id enim alio loco reiectum eſt tanquam apertè falſum in primis qualitatibus, quæ inæqualiter reſtitiuæ ſunt, etiamſi ponantur æqualiter intenſæ.

Reſiſtentia igitur, quam hîc dico ſeruare proportionem cùm latitudine eſt difficultas eliciendi oppoſitum actum. Quæ difficultas, augetur proportione cum habitu oppoſito: ſiu minus proportione æquali, at ſaltem diminuta; ita ſcilicet, vt creſcente habitu, creſcat etiam aliquo tandem modo difficultas. Cùm igitur naturaliter loquendo, reſiſtentia habitus ſemper ſit finita, & vis item actiua voluntatis, qua poteſt profundere actum illi habitui oppoſitum finita ſit; Dico, vires illas naturaliter ſpectatas ita comparari, vt proportio maioris inæqualitatis ſemper ſe teneat ex parte voluntatis & virtutis actiuæ. Debemus enim in vtraque illa vi, hoc eſt in vi actiua voluntatis & in vi reſtitiua habitus, imaginari quaſi gradus. Quia etiamſi voluntas ſit ſimplex entitas, & incapax intenſionis; reſiſtentia autem ſit negatio nullis propriè gradibus ſtructilis: Tamen virtualiter vtrobique ſunt quaſi gradus, quos dico ſpectata vtrinque illa vi, in apice ſuæ perfectionis inæquales ſemper fore; ita vt auctior ſemper futura ſit vis æquiuoca voluntatis, quàm reſiſtentia habitus, etiamſi eius intenſio ſumma ſit naturaliter. Nam prætercquam quod voluntatis vis actiua, cùm ſit æquiuoca, poteſt æquiualere quàm plurimis gradibus formalibus habitus reſiſtentis; certum eſt etiam cùm ambæ formæ, quibus vires illæ implantantur, ſunt intenſibiles & pares quoad gradus, vnam poſſe eſſe magis actiuam, alteram verò magis reſtitiuam, v. g. calor vt quatuor, eſt magis actiuus, quàm reſtitiuum ſit frigus vt quatuor, de quo exemplo alibi.

Itaque quantacunque naturaliter eſſe queat intenſio habitus; voluntas, ſi velit conniti, & exprimere efficaciam ſuam, apparebit ſemper potentior; quia ſemper erit plus actiua, quàm habitus ſit reſtitiuus vel impeditiuus, ac ſi fas eſt dicere, difficultatiuus. Imò de vi actiua actus, reſpectu habitus quem imprimit, comparata ad vim reſtitiuam habitus præiacentis; idem cenſeo dicendum ob proportionalem rationem, etiamſi actus ſit languidus & remiſſus. Semper enim ſeruabit proportionē maioris inæqualitatis cum portione aliqua reſiſtentiæ habitus, in quam inſurget. Quantò magis idem de voluntate libera dici poteſt, cuius vis eſt actu quolibet ſuo longè perfectior: Comparatis ergo duabus illis formis voluntate inquam & habitu; binîſque illis earum viribus actiua & reſtitiua in ſumma ſua naturali perfectione ſpectatis, maior vigor debet aſſignari voluntati liberæ ad agendum, quam habitui reſiſtenti ad impediendum & iniiciendam difficultatem. Ex hac enim parte habitus non ſe habet actiuè, ſicut voluntas ſe habet circa actum ſuum.

ſuum. At quæ ſuapte natura ſunt actiua, debent cæteris paribus ſtatui vegetiora & alacriora in ſuo genere & ordine, quam ſunt paſſiua in ſuo, vt prolatum caloris & frigoris exemplum aliáque phyſica exempla docent. Quid verò ex habitu ſupra naturalem vim potentiæ aucto, ſequeretur contra libertatis exercitium, non ſum ſollicitus. Nec plura de prima reſponſione ad primam difficultatem, cui lux vberior accedet ex tractatione intenſionis, ac deſtructionis virtutum.

Alia eiuſdem nodi expeditio legitima.

302. Reſponderi ſecundò poteſt iuxta doctrinam proximè tactam de actu: vt ſequatur ex vi actiua actio, nihil eſſe neceſſe reſiſtentiam habitus impeti totam, ſed illam duntaxat eius portionem, quæ eſt proportionata actiuitati agentis: cùm tamen vis tota voluntatis poſſit expromi & inſurgere in illam, aperte inferiorem vi actiua, & idcirco ab ea expugnabilem. Quare etiamſi daremus vim reſtitiuam vniuerſam æquare vniuerſam actiuam, quod quod in priore reſponſione negauimus: tamen adhuc poſſet infringi argumentum propoſitum, dicendo; vt voluntas non obſtante quantacunque oppoſiti habitus intenſione poſſit agere, ſufficere vt non ſe applicet ad ſuperandam totam habitus reſiſtentiam, quam certe primo impetu expugnare non poſſet: ſed vt ſe applicet ad certam eius partem vi ſua actiua minorem, vt facit calor impetens frigus intenſum. Quia enim potentior erit parte illa reſiſtentiæ, ſequetur actio, ſuperſtite tamen difficultate agendi ex aliis reſiſtentiæ quaſi gradibus non expugnatis oriunda. In qualitatibus enim ſicut vnus gradus poteſt poni & tolli abſque alio; ita & reſiſtentia poteſt ſeparabiliter expugnari: nec eſt opus vt tota ſimul tollatur, vt neceſſe eſt fieri in reſiſtentia grauium ad motum violentum v.g. in tranſlocatione rupis violenter facta; quia vna pars grauitatis non poteſt ab actione ſua inhiberi abſque alia.

In hac meta, aduerto, confudiſſe me in his reſponſionibus, vim reſtitiuam propriè dictam, quæ eſt in habitu reſpectu habitus ſibi oppoſiti, cum vi impeditiua, ſiue cum iniectione difficultatis ad actum, qui eſt habitus illius oppoſiti partus. Tametſi enim hæc poſterior non eſt propriè vis reſtitiua: tamen quia manat a priore, quæ eſt propriè vis reſtitiua, ſeruántque eandem ſemper proportionem, non male vſurpantur indiſtinctè, vna pro altera.

Concluditur, habitum nunquam neceſſitare ad non volendum.

303. Rectè itaque Origenes l. 3. contra Celſum affirmantem quoſdam addito ad natiuam propenſionem habitu diuturno euadere incorrigibiles; reſpondet id eſſe falſum, probátque exemplo Phœdonis & Polæmonis anteà impuriſſimorum, & habitibus vitioſis refertiſſimorum, *in quos tamen tantum valuit orationis vis, vt mutatus in melius moribus, adeo profecerint, vt alterum Plato, honoris gratia fecerit narrantem Socrati eas rationes de immortalitate animæ, eiúſque perpetuam conſtantiam, in carcere, contemptâ cicutâ, magna cum tranquillitate diſſerentis tam multa præclara & eximia, quorum maieſtatem vix poſſunt aſſequi, etiam attentiſſimi, & nullis diſtracti perturbationibus. Polemo verò è luxurioſo factus temperantiſſimus, Xenocrati laudatiſſimi ſucceſſor ſcholæ præfuerit. Non eſt igitur verum quod Celſus affirmat, innata & conſuetudine adulta vitia, ne pœnis quidem corrigi.* Et infrà. *Maximum momentum eſt in voluntate in quantumuis arduo negotio atque etiam impoſſibili, vt loquitur hyperbolicè, præſertim ſi accedat exercitatio. Incedere per extenſum funem ſublimem in medio theatro non ſine grauibus geſtaminibus poteſt, quòd vſu ſtudióque improbo hanc facultatem ſibi parauit: Et virtutis ſtudium erit irritum? Aut impoſſibile videri debet, homini, vtcunque deprauato ingenio? Vide qui hæc dicis, nè creatorem rationalis animalis incuſes magis quàm creaturam. Niſi fortè ad efficienda iſta operoſa quidem, ſed nulli vtilia, vim natura humana indidit, & negamus quantùm ſatis ſit ad quærendam beatitudinem.*

Poſtremus internus obex libertatis ad non volendum, iuxta quoſdam, iudicium practicum.

Tertius internus obex, illius partialis facultatis libertatem integrantis, de qua agimus, eſt iudicium practicum, quod iuxta nonnullos circa illa obiecta erga quæ voluntas habet indifferentiam actiuam, determinat illam, & quidem ita arctè, vt ſi Medinam audimus 1. 2. q. 9. artic. 1. dub. 2. *nulla ei reſtet libertas ad contradicendum.* Non me latet, (quod etiam ſuprà aduerti,) authores, qui huiuſmodi iudicium, voluntatem prorſus determinans, admittendum eſſe contendunt, rectè ſentire de libertate noſtra, neque hunc actum inuehere exiſtimantes eſſe obicem eius. Idcirco tamen hunc actum ſic expoſitum, tanquam tertium huius partialis facultatis obicem numero, quia re vera, quicquid hi authores dicant, ſi talis actus daretur, ea ratione qua illum deſcribunt, impediretur hæc facultas, vt mox euincam, ſi prius de quo actu hic agatur præmonuero.

Poteſt enim in hoc negotio, multiplex iudicium diſtingui. Et in primis cum certum ſit, ante determinationem voluntatis præexigi iudicium aliquod intellectus prælucentis voluntati, quippe ex ſe cæcæ & indigenti aliena directione ac oſtenſione obiecti, contingit interdum vt hoc iudicium ſit de medio meliori, poſita conſultatione ad hunc finem inſtituta, vt aſſumeretur medium illud quod præmiſſa inquiſitione intellectus, iudicaretur melius per comparationem ad finem efficaciter præintentum. Aliàs autem abſolutè fertur iudicium de idoneitate plurium mediorum quæ propoſita ſunt ad aſſequendum finem amatum.

304. Nos nunc non agimus de priore illo iudicio, claudente conſultationem ad id inſtitutam. Quia certum eſt, vi talis iudicij, vel potius vi voluntatis, quæ huiuſmodi iudicium ſequendum indixit, determinari voluntatem ad operandum iuxta illud iudicium. In quo non eſt timendum libertati voluntatis; cùm ipſa ſit, quæ ad hoc iudicium ſequendum ſe aſtrinxit in eo euentu. Similiter non agimus de iudicio ſubſequente voluntatis determinationem: Quale eſt quod plerique ponunt ad denunciandum potentiis exequentibus quid voluntas decreuerit, & volunt exprimi verbis illis, *fac hoc.* Siue enim tale iudicium detur, ſiue non detur, de quo ſuo loco, certum eſt, illud eſſe poſterius determinatione voluntatis, ac proinde non poſſe impedire libertatem.

Agimus ergo duntaxat de iudicio, voluntatis determinationem antecedente, abſolutè prolato; hoc eſt, nulla præeunte determinatione voluntatis arctantis ſeipſam ad non deflectendum ab aliquo iudicio. Et quærimus an huiuſmodi iudicium, ita determinet voluntatem ad vnam partem, nempe ad eam quam pronunciat eſſe eligendam, vt non ſuperſit voluntati poteſtas deſiſtendi ab actu indicto per huiuſmodi iudicium.

Affirmat Aureolus latè in 2. d. 25. q. vnica art. 2. Medina ſuprà. Bellar. l. 3. de grat. & lib. arbit. c. 8. propoſ. 6. Ianellus 9. Metap. c. 4. aliíque multi Thomiſtæ, quos adducit & ſequitur Zumel tom. 2. varia. diſput. diſcur. 4. ſ. 1. concl. 4. Qui contendunt idem cenſuiſſe Ariſtotelem 3. animæ tex. 46. ac 7. Ethic. c. 3. & S. Tho. 1. 2. q. 9. art. 1. & in 2. d. 24. q. 1. art. 1. Ariſtotelis verba cap. illo 3. ſunt. [Altera vniuerſalis opinio eſt. Altera de particularibus rebus, quibus præſidet ſenſus. Quanto autem ex ipſis vna euaſerit, alibi quidem enunciet anima, in effectiuis verò agat ſtatim, neceſſe eſt: vt ſi omne dulce guſtandum eſt, hoc autem eſt dulce, vt pote vnum quoddam ex particularibus: neceſſe eſt vt qui poteſt, & non prohibetur, ſimul hoc quoque agat.] En diſertè Ariſtoteles, agnoſcit præmiſſa maiori propoſitione vniuerſali & ſubiuncta minori, illico colligi iudicium, quo poſito neceſſe ſit ſequi actionem.

Additur ratio ex eo ducta, quòd voluntas eſt potentia cœca, nec poteſt ferri in incognitum. Ac proinde ſi iudicium dirigens voluntatem ſit determinatum, ipſa quoque voluntas determinabitur per illud. Sicut enim indifferentia ac indeterminatio voluntatis, naſcitur ex indifferentia iudicij: ita ex determinatione iudicij tollitur voluntatis indeterminatio. Atqui iudicium practicum planè vltimum, eſt determinatum ad vnum, & pro eo tempore repræſentat rem tantùm ſub ratione boni, nec ſecum compatitur aliud iudicium ſimile: alioqui darentur ſimul in intellectu duo iudicia repugnantia: nimirum *omnibus conſideratis hoc eſt melius*, & *omnibus conſideratis hoc non eſt melius*. Ergo neceſſe eſt, vt voluntas iudicium illud vltimum ſequatur, ſicut facit in primis motibus. Adde quod niſi per huiuſmodi iudicium voluntas determinetur, nulla poterit reddi ratio, cur voluntas aliud non iudicatum elegerit, repudiato hoc obiecto, de quo determinatum iudicium latum fuerit.

Placitum contrarium, probatur authoritate.

305. Contraria ſententia, mihi omnino placet, quam tradit S. Thom. . de interpret. lect. 14. *ſub finem*. Henricus latè quodl. 1. q. 16. & 17. Maior in 2. d. 38. q. 1. Leſſ. c. 5. de grat. n. 15. Ve[?]onus lib. 2. de tripl. hom. off. cap. 24. Salas 1. 2. tract. 6. d. 2. ſect. 5. Henriq. lib. de fine hom. c. 4. n. 5. Suar. d. 19. Met. ſ. 6. n. 7. Becan. 1. 2. tract. 1. c. 2. q. 5. Pennotus l. 1. propug. c. 22. & ſequent Fonſeca 9. Met. c. 2. q. 3. ſ. 3. Ægidius Conine. diſp. 2. de act. ſupernat. d. 5. Hurtad. d. 14. de anima ſ. 8. & vt videtur S. Bernardus tract. de grat. & lib. arb. *ferè initio*, verbis illis: [Voluntas eſt motus rationalis, & ſenſui præſidens & appetitui. Habet ſanè quocunque ſe voluerit, ſemper rationem comitem, & quodammodò pediſſequam. Non quòd ſemper ex ratione, ſed quod nunquam abſque ratione moueatur, ita vt multa faciat per ipſam contra ipſam; hoc eſt, quaſi per eius miniſterium, contra eius conſilium ſiue iudicium. Vnde eſt illud.] Prudentiores ſunt filij huius ſæculi, filiis lucis in generatione ſua. [Et rurſum. *Sapientes ſunt vt faciant mala*. Neque enim prudentia ſeu ſapientia, ineſſe creaturæ poteſt vel in malo, niſi vtique per rationem. Eſt verò ratio data voluntati, vt inſtruat illam, non deſtruat. Deſtrueret autem, ſi neceſſitatem ei vllam imponeret, quo minus liberè pro arbitrio ſeſe volueret; Siue in malum, conſentiens appetitui aut nequam ſpiritui, vt ſit animalis non percipiens, vel certè & perſequens ea, quæ ſunt ſpiritus Dei; Siue ab bonum, gratiam ſequens. & fiat ſpiritualis, quæ omnia diiudicans, ipſa minimè iudicetur. Si, inquam, horum quodlibet prohibente ratione voluntas non poſſet, voluntas iam non eſſet.

Vides S. Bernardum diſertè agnoſcere voluntatem poſſe ſe contra iudicium ſibi prælucens flectere; & munus iudicij aſſignare inſtructionem; non adactionem vel arctationem voluntatis, quam tamen aduerſarij tribuunt iudicio. Tametſi ego quidem non video vnde illa tanta iudicij efficacitas, in abducenda voluntate. Eſto enim non poſſet voluntas, eò quòd cœca ſit, aliud facere, quàm huiuſmodi iudicium præſcribat: vnde tamen habetur, quòd adigatur ſequi illud iudicium, nec poſſit ſe cohibere ne agat quod iudicio illo indicitur, vt aduerſarij comminiſcuntur?

Accedit Ariſtotelis authoritas, qui planè videtur fuiſſe in hac ſententia, vt propterea Henricus ſuprà q. 17. dicat mirari ſe quomodo allegetur pro contraria. Certè 3. animæ t. 47. & 48. diſertè ait intellectum practicum nonnunquam iubere, & tamen voluntatem non obtemperare: Quod perſpicuum eſſe dicit in incontinente, qui videns meliora probánſque; deteriora ſequitur. Medicus item & ſtatuarius, vt ibid. ait, non ſemper ex arte aut notitia practica, qua præditi ſunt, operantur. *Propterea quod* inquit, *non ars ipſa, neque ſcientia, ſed aliquid aliud hanc habet vim & potentiam, vt per ipſam artem aliquid ſcientiéque agatur*. Ex quibus verbis Henricus rectè infert dominium in actum ſuum, tribui ab Ariſtotele, non intellectui etiamſi practico, ſed ſoli voluntati, quæ ſe notitiæ prælucenti conformare deligit: quia placet, éſtque iuris ſui in operando.

Et ratione.

306. Authoritati Philoſophi, ſuffragari videtur duplex ratio, ducta ex origine libertatis, & ex ipſa formali libertate. Prior ſic formanda eſt. Indifferentia iudicij eſt radix libertatis. Atqui iuxta ſententiam quam impugnamus, tollitur indifferentia iudicij; cùm tota voluntatis determinatio reducatur ad iudicium vnum determinatum, quod reſtrictum eſt ad vnicam partem, nec exhibet niſi eam rationem obiectiuam in quam voluntas fertur. Ergo per huiuſmodi iudicium tollitur radix libertatis, atque adeo etiam ipſa formalis libertas, quam ſiccata radice exareſcere neceſſe eſt.

Poſterior ratio eſt huiuſmodi. Illa potentia non eſt formaliter libera, quæ poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis non habet actus ſui dominium. Per hoc enim differt potentia libera à potentia neceſſariò operante. Atqui iudicium prælucens eſt aliquid de prærequiſitis ad operationem voluntatis. Ergo ſi eo poſito voluntas determinatur, ita vt agere nequeat, ruit libertas: quia præripitur voluntati ius determinandi ſeipſam, in quo conſiſtit ratio libertatis.

Euaſio.

Vnica poteſt ſuppetere via declinandis his rationibus, ſi nimirum oſtendatur, iudicium illud prælucens & voluntatem determinans, poni dependenter à voluntate. Sicut enim quæuis alia hypotheſis, pendens à voluntate & importans actum eius liberum, rectè cohæret cum libertate: quamuis ex ea neceſſariò ſequatur poſitio alicuius actus: Ita ſi oſtendi poſſit hoc iudicium poni dependenter à voluntate libertas perſtabit illibata, quamuis poſito eo iudicio, non

poſſit

poſſit non poni voluntatis actio. Dependentiam autem illam iudicij practici à voluntate, aduerſarij variè exponunt. Aliqui enim recurrunt ad hoc quod intellectus poſſit à voluntate auerti, & iubente voluntate adigi queat ad ferendum aliud iudicium affectui ſuo conſentaneum. Vnde eatenus iudicium illud eſt liberum, quia voluntas ſinit ſe moueri per illud, cùm poſſet illud reprimere. Zumel autem ſuprà, admittit prioritatem quandam mutuam inter primum iudicium intellectus & determinationem voluntatis, atque eos actus eſſe ſibi inuicem cauſas in diuerſo genere: Intellectionem quidem in genere cauſæ formalis, quia eſt regula volitionis: volitionem autem in genere cauſæ efficientis & finalis motiu r. Ob hanc igitur iudicij practici dependentiam a voluntate, efficitur, voluntatis adactionem per huiuſmodi iudicium, rectè cohærere cum libertate.

Præcluditur.

107. Sed neutra harum reſponſionum idonea eſt. Non prima: nam voluntas, vt aduerſarij fatentur, non poteſt diuertere intellectum, & tollere iudicium practicum, de quo agimus, niſi ei aliud aliquod iudicium præluceat, quo iſtud iudicium poſſit tollere. Vel enim iudicium iſtud tollit per aliquem ſuum actum, vel ceſſando ab omni actu. Et vtrouis modo fiat, neceſſe erit prælucere ei iudicium, ſine quo, cùm cæca ſit, nullo prorſus modo ſe mouet ad operandum, aut liberè deſiſtendum ab operatione. De huiuſmodi autem iudicio interrogabo, an ſit voluntati liberum an neceſſarium. Si ſit neceſſarium & à voluntate independens, non poterit reperiri libertas in actu, qui non poteſt non ſequi ad illud iudicium iuxta aduerſarios. Si autem ſit liberum, rurſus interrogabo, an hoc iudicium pendeat ab alio vlteriore iudicio: Atque ita vel progrediemur in infinitum, vel ſiſtemus in aliquo iudicio independente à voluntate, ac proinde excindente libertatem totius ſeriei conſequentis. Neque enim ſiſti poterit in iudicio quod à libertate pendeat: quia non poteſt à libertate pendere, niſi interuentu alterius iudicij prælucentis libertati, quæ cùm cæca ſit, eget directione.

Poſterior etiam euaſio facilè præcluditur. Nam ſufficiens obiecti applicatio præcedit omnino actum voluntatis; ita vt impoſſibile ſit, applicationem obiecti prodire ab actu in tale obiectum tendente, vt manifeſtum eſt in omnibus actibus vitalibus, ac etiam in naturalibus. Semper enim & vbiuis applicatio præſupponitur agenti. Nec aliter poteſt accidere, quandoquidem obiectum habet rationem cauſæ formalis extrinſecæ ſpecificantis & conſtituentis actum. Atqui iudicium intellectus eſt applicatio obiecti in quod voluntas ferri debet. Ergo impoſſibile eſt, vt tale iudicium pendeat ab actu voluntatis in aliquo genere. Quonam porro bono ſenſu poſſet intellectio dici poſterior volitione in genere cauſæ efficientis & finalis, cùm conſtet cauſam finalem tenere ſe potius ex parte intellectus in cuius actu relucet bonitas, & intellectionem ipſe Zumel ibid concl. 2. velit eſſe cauſam phyſicè efficientem volitionis?

Eſt igitur iudicium illud de quo agimus planè prænium volitioni liberæ, ac proinde independens ab ea, ſicque argumenta propoſita non poſſunt per eam dependentiam infringi. Tametſi Zumel ſuprà, qua pollet ingenij acie, tarditatis notet eos qui dependentiam illam percipere ſe poſſe negant, quam ipſe ſibi teſtimonium perhibens, optimè à ſe percipi profitetur, addito illo erga repugnantes modeſtiæ ſuæ ſpecimine, nempe *Iudicij illius libertatem ab intellectu & ab indifferentia eius, neminem eſſe qui neget, niſi ſtultus ſit.* Quare Zumele iudice periclitamur ſtultitiæ damnari, qui & libertatem illam iudicij non agnoſcimus, & prætereà addimus nullam poſſe in eo eſſe libertatem ab indifferentia intellectus: cùm omnis illa indifferentia quæ intellectui tribuitur ad fundandam libertatem formalem, cernatur tantùm in iudicio proximè dirigente voluntatem, non autem in ipſa potentia, quæ non eſt capax indifferentiæ, nec ſeipſa exhibet indifferentiam obiectiuam formalis libertatis radicem.

Itaque cùm huiuſmodi iudicium non pendeat ab alio anteriore iudicio indifferente, non ſubeſt anteriori vlli libertatis radici. Quòd ſi alij quidam actus intellectus interiiciuntur inter potentiam intellectiuam & voluntatis actum, perinde ſe habent ac ſi non interuenirent, quod attinet ad hanc libertatis originem in actu intellectus: quia ſunt tantùm viæ & inquiſitiones, quibus ad iudicium indifferens voluntati proximè prælucens, reſtringatur. Atque ita non poſſunt illi iudicio formalem vllam libertatem conciliare; præſertim cum libertas quæuis formalis, primò & formaliter in actu voluntatis cerni debeat, nec niſi per extrinſecam denominationem, deriuetur ad actus aliarum potentiarum. Quare non abs re liceat, granatis illo de Zumelis cortyna iudicio, æquiorem iudicem appellare.

Philoſophus, aduerſariis non fauet.

108. Ariſtoteles qui opponebatur in contrarium, reuera non repugnat. Loco enim primùm allegato, tantùm affirmat, intellectum ſpeculatiuum non mouere ad opus, ſed id ſpectare ad intellectum practicum. Quod quid ad rem? verè enim quoties ad opus progredimur, præceſſit in intellectu dictamen practicum. At hoc non controuertitur: ſed an huiuſmodi dictamen tale ſit cui voluntas obſiſtere nequeat, ex quo ſe prodidit & voluntati præluxit. Id enim eſt in quo ab aduerſariis diſſentimus.

Poſteriore autem loco duo habet Philoſophus, quæ videntur poſſe aduerſariis commodare. Vnum eſt; ſi ex vniuerſali & particulari, ſeu ex maiore & minore aliquid concluſum fuerit in ratione practica, illico oportere ſequi actionem. Alterum eſt, eam vltimam propoſitionem eſſe actionis dominam. Verùm facilè eſt exponere Philoſophum de iudicio concludente conſultationem, in eum finem inſtitutam, vt eligeretur medium quod commodius iudicaretur. Tunc enim intellectus mouet ac determinat voluntatem, non vi ſua, ſeu quatenus præcisè exhibet obiectum, quæ eſt tota intellectus efficacia, ſed in virtute actus per voluntatem præeliciti, quem anteceſſit aliquod iudicium practicum, quod ad huiuſmodi volitionem non determinauit aliter, quàm proponendo bonitatem indifferentem obiecti. Addi prætereà poteſt, Ariſtotelis mentem non eſſe, quòd voluntas neceſſariò & indeclinabiliter aſtringatur ſequi iudicium vltimum, ſed exponere quid in homine concupiſcentiæ cedente, contingat. Agit enim de incontinente, oſtenditque eum partim ſcientem, partim ignorantia laborantem peccare. Scientem quidem vniuerſalem propoſitionem, quæ malum, cui ſe addicit, euitandum præſcribit: Ignorantem autem iudicium ſingulare, quo proximè dirigi debuiſſet in fugiendo crimine. Quamuis enim iudicium illud, quaſi ſpeculatiuè ſe ingerat homini incontinenti, ſaltemque per modum obiecti apprehendatur; Tamen caret efficacitate, quia non expenduntur eius momenta, iuxta ea quæ alibi de cuiuſuis peccantis ignorantia tractabuntur.

Incontinens igitur pellectus blanda illa ſenſibilis obiecti propoſitione, quam concupiſcentia expreſ-

ſiorem & illuſtriorem apparere facit, cùm primùm vniuersè ſtatuit omne iucundum eſſe proſequendum, & mox in particulari agnouit aliquod obiectum eſſe iucundum, fertur præceps in concluſionem dictantem hoc obiectum eſſe proſequendum; quia illico perſuadetur & in opus abripitur, non vi, niſi amica, & cui obſiſtere poterat, adactus, ſed abſtractus & illectus à concupiſcentia ſua, cuius idcirco iudicium Ariſtoteles vocat *dominans:* Eo ſenſu quo qui in aliis perſuadendis potentes ſunt, & eorum voluntates inflectunt, quò volunt, dicuntur eis dominari, etiamſi non ita illos prædeterminent quin poſſint ipſi aliò verti, & ſuaſionem non ſequi. Nihil igitur ex Ariſtotele profertur, quod commodam expoſitionem non ſuſcipiat. Nec video quare Iandunus 3. animæ q. 41. ſententiæ noſtræ adhærens, deſertum a ſe hac in parte Ariſtotelem fateatur.

Eorundem rationes, eliſa.

309. Ratio quæ præterea opponebatur, mihi videtur infirmiſſima, quamuis nonnullos ſatis torqueat. Quòd igitur voluntas non poſſit ferri in incognitum, vltrò concedo, & admitto etiam quod adiungitur; nempe ſi iudicium prælucens ſit determinatum, voluntatem quoque fore determinandam. Id enim verum eſſe patet in primis motibus: & ex eo, quòd indifferentia iudicij eſt radix libertatis afficiens actum voluntatis. Nego tamen iudicium de quo hic agimus, eſſe determinatum, ſiue ita aſtrictum ad vnam partem, vt non ſit obiectiuè indifferens. Ad ſummum enim dicere licet, huiuſmodi iudicium eſſe determinatum aliquo modo, quatenus determinatè exhibet diligibilitatem obiecti propoſiti; non tamen ita vt non ſimul obiiciatur voluntati diligibilitas partis oppoſitæ per aliud iudicium concomitans, quod non eſt incompoſſibile cum priore; quia non deſtruit rationem formalem motiuam prioris, nec niſi quoad materiale diſſentiunt. Nempe vnum dictat hoc obiectum eſſe bonum ſenſibiliter, & eatenus eſſe diligibile: alterum verò dictat hoc obiectum eſſe inhoneſtum, vel imperfectum bonum, & eatenus repudiabile; quæ iudicia non ſunt incompoſſibilia.

Itaque hinc liquet iudicium illud vltimum, quod immediatè dirigit actionem, & his verbis ſolet proferri, *hoc eſt amandum.* vel, *hoc eſt faciendum,* non facere hunc ſenſum, *Omnibus conſideratis neceſſarium eſt hoc appetere*; aut, *omnibus perpenſis neceſſarium eſt hoc fugere.* ſed longè alium ſenſum reddere. Nam ſi intellectus iudicaret, neceſſarium eſſe appetere quod voluntati proponit proſequendum; ſequeretur neminem quoquam modo peccare, quin priùs fieret hæreticus. Nam iudicium practicum voluntati peccanti prælucens, eſſet iſtud, *neceſſarium eſt peccare:* quod conſtat eſſe hæreticum. Quid quod iudicium practicum æquè ad Dei voluntatem liberam mouendam ſuo modo prærequiritur, atque ad noſtram? At in Deo iudicium noſtro modo intelligendi præiens diuinæ determinationi, non poteſt eſſe iſtud: *neceſſarium eſt hoc amare*, quia nullum obiectum diuinæ libertatis, eſt Deo vlla ratione neceſſarium. Quare intellectus diuinus non dictat Deo hoc eſſe neceſſarium: ſed tantùm dictat hoc eſſe amabile aut eligibile.

Similiter ergo iudicium quod humanæ voluntati prælucet, eſt iſtud duntaxat. *Hoc obiectum appetere bonum eſt* Bonum inquam, ſiue honeſtum, ſiue iucundum, ſiue vtile. Vel certè omiſſa reflexione illa, qua pronunciatur actum volitionis eſſe bonum, rectà fertur intellectus in obiectum, dictátque obiecto illi ſufficientem bonitatem ineſſe, vt appetatur. Neque alia obiecti propoſitio ad mouendam voluntatem neceſſaria eſt, vt perſpicuè apparet ex voluntate beatorum, cui ad Dei amorem prælucet ſufficienter viſio Dei, quæ eſt mera propoſitio obiecti ſummè diligibilis. Quanquam etiamſi daremus, iudicij illius vltimi, verbis illis concepti; *hoc faciendum eſt*, ſenſum eſſe, *neceſſarium eſt hoc agere*, non ſequeretur voluntatem iudicio illi addici, & per illud abripi ad operandum & volendum: cùm multa ſint neceſſaria, à quibus amplectendis poteſt voluntas recedere, dummodò proponantur cum indifferentia. Sed de aliis, iudicij verbis illis concepti, ſenſibus, dicendum fuſiùs eſt, cùm de errore peccantium, atque imperio, & fusè Adrianus quodl. 4. ac Suares 7. de Angel. c. 16. n. 18. & ſequentibus.

Tandem eneruè eſt quod poſtremo loco obiiciebatur; nempe ſi poſſit voluntas recedere à dictamine iudicij practici, pronunciantis aliquid eſſe melius, nullam fore rationem, quæ reddi poſſit, quærenti cur voluntas hoc potiùs quàm illud amplexa ſit. Hoc inquam nullius eſt efficacitatis. In primis enim iudicium practicum non ſemper pronunciat vnam partem eſſe meliorem, ſed ſufficit ſi pronunciet bonam eſſe & diligibilem. Deinde quamuis vna pars iudicetur melior, tamen ſi voluntas in alteram partem, quæ bona iudicatur, ſe vertat, *ſit pro ratione voluntas*, cuius non eſt quærenda vlterior ratio, cùm ſit vltima cauſa actus liberi, vt benè notauit Scotus in 2. d. 1 q. 2. *litera F.* & optime S. Auguſtinus 3. de lib. arbitr. c. 17. Qui rectè notat, ſi quis huius radicis vlteriorem radicem, & huius vltimæ cauſæ vlteriorem cauſam quærat, nuſquam inuenturum vbi pedem figat, ſed progreſſurum eſſe in infinitum, ac proinde ſiſtendum eſſe in voluntatis beneplacito. *Quoniam voluntas*, inquit, *eſt cauſa peccati, tu autem cauſam ipſius voluntatis inquiris, ſi hanc inuenire potuero, nonne cauſam etiam eius cauſæ, quæ inuenta fuerit quæſiturus es? Et quis erit quærendi modus, quis finis percunctandi ac diſſerendi, cùm te vltra radicem, quærere nihil oporteat?*

Nulla inferior cauſa, præpedit libertatem ad non volendum,

310. Secundò negaui partialem libertatis facultatem, de qua agimus, impediri de facto per aliquid creatum homini externũ. Qua in parte de duobus dũtaxat, aliqua dubitatio eſſe poteſt, nempe de cœlo, & de Intelligentiis creatis. Nam de reliquis inferioribus cauſis, quilibet in ſeipſo experiri poteſt, nullam eſſe vim tantam, à qua nolens adigatur ad volendum: ita vt ſi renuat, non poſſit ab interno actu deſiſtere Hinc exhauſtum toties carnificum ingenium in tormentis, dum virtutis ac fidei hoſtes in caſſum extorquere nituntur conſenſum ab inuictis animis conſtanter negatum. Quod luculenter tradidit Eucherius homilia 4. de Epiph. vel potius homilia de Machabæis. Confusè enim, vt hoc obiter moneam, pars aſceticæ diſſertationis ad Monachos, iuncta eſt fragmento homiliæ de Machabæis ad ſeculares habitæ, vt ex fine homiliæ eſt perſpicuum; perperamque etiam appicta eſt epigraphe de Epiphania, in quam ne apex quidem vtriuſque fragmenti cadit.

Non poteſt, inquit eo loco Eucherius, *homini præualere delictum, niſi acceſſerit conſentiens arbitrium. Et ideò ordinatio Dei noſtri, cùm cætera animantia ad periculum propulſandum foris ſufficienter inſtruxerit atque munierit, vel velocitate pedum. vel armis dentium, vel violentia vnguium. vel mole membrorum; Hominem interiorem contra hoſtem magis intus armauit; intelligentia ſcilicet vigore, conſilio ſapientia, virtute iuſtitia. Vt pretioſior noſtri portio, velut de excelſa turre, ita de ſecreta fidei ſua arce, tutiùs repugnaret,*

repugnares, & quamlibet forti aduerſario, contra reluctantem animam nil liceret. Et mox poſt tormentorum horribilium vim, qua in Sanctos ſeptem pueros ſæuitum eſt, paucis deſcriptam ſubdit. *Multiplicentur licèt per aris & ferri illa ferme tia, incendiorum vires, perſtat lignum viride contra violentiam vaſti ignis inuictum; & ſi exuri videtur in cortice, illæſum permanet in radice: & ſi circa ſuperficiem ſolidi roboris, temporaria mors deſæuit, intra conſcientiæ medullas, vita ſe recipit. Ac ſic auidiſſimus prædo, poteſt domum perfringere ad theſaurum non poteſt peruenire.*

Infinities quoque id inculcat Epictetus, & tanquam Stoicæ imperturbabilitatis fundamentum vbique iacit. Sed præſertim in Enchir. c. 1. & 2. & apud Arrianum l. 1. c. 1. Hic annotabo tantùm inſignem locum quo indomabilem humanæ ceruicis poteſtati, libertatis vim exaggerat apud eundem Arrianum l. 1. c. 29. [Quem poſthac timebo, inquit, aut quemnam exiſtimabo dominum eſſe earum rerum, quæ mea ſunt in poteſtate? Vtique nullus eſt. Num eum qui vtique dominatur his quæ in poteſtate mea non ſunt? At cur mihi curæ eſſent iſta? Ergo vos Philoſophi, docetis contemnere Reges? Nequaquam. Etenim quis noſtrum docet, pro his conſequendis aduerſus illos moliri aliquid: quæ non in noſtra, ſed in illorum poteſtate? Arripe corpuſculum, fortunas, famam, amicos; ſi cui iſtorum ſuaſor fui, vt contra aliquid molirentur, non recuſo obnoxius eſſe. Eſto. Sed volo ſuperior etiam eſſe opinionibus tuis. At poteſtatem hanc quis tibi dedit, qua poſſis nimirum vincere alienam opinionem? Admonens, inquit, terrorem viocam. An neſcis ipſum à ſeipſo vinci animum, nec expugnari ipſum alterius violentia? Voluntatem enim & arbitrium, nihil eſt quod vincere poſſit, niſi ipſum à ſeipſo ſuperetur. Quocirca lex Dei efficaciſſima & iuſtiſſima, qua deterius vinci à meliore conſtitutum eſt.]

Quod ſi nullis humanis poteſtatibus, obnoxia eſt hæc partialis facultas libertatis, multò minùs rei vllius inferioris purè materialis iugo, inuita premi poterit, & ad vnam aliquam partem arctari. Vt neſciam viſum potius an bilem ciere debeant, qui gemmas quaſdam aut herbas comminiſcuntur, quarum vel attactu extorqueri conſenſus ab inuitis queat. Quæ pueris à nutricibus inter ſomni difficultates cantillanda, apud homines autem mentis compotes, ne refutatione quidem dignanda ſunt. Et gaudeo, digna Marbodæo nugamenta, à nuperis gemmariis, & nominatim ab Anſelmo Boëtio, exploſa eſſe.

Sed neque cælum, contra fatuos fatarios.

311. Inferioribus ergo cauſis naturalibus dimiſſis, nonnulli humanæ libertati quoad facultatem non agendi timent à cœleſtibus influxibus, quos Iudiciarij quidam Aſtrologi, liberi arbitrij arbitros fecerunt; & eorum vim ita amplificarunt teſte Simplicio in cap. 1. Enchir. Epicteti, vt libertatem frænandi appetitiones, in quas à cœlo & ſyderibus geneſeos vniuſcuiuſque auſpicibus, vrgetur, homini eriperent. Quod Ægyptiorum ſapientibus placuiſſe, teſtatur Nemeſius lib. de hom. cap. 36. excepta tantùm precatione, quam aiebant, noſtro arbitrio ſubeſſe, & per eam poſſe procurari neceſſitatem ab aſtris imminentem, mitigatis ſuperioribus quibuſdam viribus, quæ poſſunt aſtra flectere.

Sed has nugas inde inprimis refellit S. Auguſtinus, quòd ipſi Aſtrologi ab aliquo læſi, frigidam hanc peccati excuſationem non admittant. Sic enim loquitur in Pſal. 140. ad illud: *Et non communicabo cum electis eorum*, refellens ſacrilegam illam peccati apud aliquos, fatum aut ſtellas cauſantes, defenſionem. [Et iſta, fratres mei, defenſio, qualium eſt? Non ſolùm indoctorum, ſed etiam doctorum. Sedent & computant ſydera, interualla, curſus, volubilitates, ſtatus, motus. Intendunt, deſcribunt, coniiciunt. Docti magni videntur. Totum hoc doctum & magnum, defenſio peccati eſt. Eris adulter, quia ſic habes Venerem: Eris homicida, quia ſic habes Martem. Mars ergo homicida, non tu: Et Venus adultera, non tu. Vide ne pro Marte & Venere, tu damneris. Deus enim qui damnaturus eſt, nouit quia tu es qui dicis, non ego, iudici ſcienti. Porrò ipſe Mathematicus, qui tibi fabulas laqueorum tuorum, etiam vendit, vt non vel gratuitam compares mortem: (Emis enim mortem à Mathematico, pretio, qui contempſiſti vitam à Chriſto, gratis.) Ipſe Mathematicus ſi vxorem ſuam paulò petulantiùs viderit conuerſari, aut aliquos alienos improbè attendere, aut feneſtram crebrò repetere, nonne arripit, verberat, & dat diſciplinam in domo ſua? Reſpondeat illi vxor, ſi poteſt, Venerem cæde. Nónne & ille reſpondet: fatua, aliud eſt quod competit Rectori, aliud quod profertur emptori.]

Pergit aperire radicem huius inanis planè peccatorum defenſionis, innectæ ab illis, quos occaſione verſiculi quem expendebat, & alludens ad electos Manichæorum, quorum tunc apud Afros vigebat infamia, appellat electos iniquorũ. [Ergo, electi eorum, qui ſunt? Electi malorum, electi impiorum, cum quibus non eſt combinandum, id eſt, cum quibus non eſt habenda ſocietas. Qui ſunt autem? Arbitrantes ſe iuſtos, & contemnentes cæteros quaſi peccatores, ſicut erant illi Phariſæi, aut quia ipſa peccata manifeſtè vel comprehenduntur vel publicè fiunt, defendẽtes & ardentes, ne aliquid culpæ eorum tribuatur: & vt ipſi nihil mali feciſſe videantur & iudicentur, ſed totum Deus, qui vel ſic creauit hominem, dicunt, vel ſtellas compoſuit, vel res humanas negligit. Defenſiones ſunt electorum ſæculi. Sed dicat membrum Chriſti, dicat Chriſtus ex perſona corporis ſui: Non declines cor meum in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis, cum hominibus operantibus iniquitatem, & nòn combinabo cum electis eorum.]

Optimè præterea, contra huiuſmodi fatum Mathematicum, argumentatur ſuprà Simplicius, ex eo quòd animus noſter, ſit immaterialis. Ac proinde non poſſit à cauſis materialibus, cuiuſmodi ſunt cœli & aſtra, affici directè. Quamuis corpus animæ coniunctum, poſſit ab huiuſmodi cauſis alterari, & variè affici: indéque fiat, vt anima quoque, indirectè, aliquatenus afficiatur per cœleſtem influxum, intra eos fines qui corpori ad blandè pertrahendam ſociam animam permittuntur. Animi namque mores corporis temperamento plerumque reſpondent, non iniecta per corpus neceſſitate, ſed dedente ſeſe, & natiuam propenſionem vltrò ſequente voluntate. Vnde proborum voluntas ſæpè obſiſtit pronitatibus corporeis. Quod Socratem exemplo ſuo confirmaſſe, & Zopyrum coniectorem ſannis exemiſſe, decantatiſſimum eſt apud Philoſophos.

Quare faceſſant Aſtrologorum fabulæ, qui ex ſyderum propoſitura, præſertim in hominis natiuitate, temerarí libertatem mentiuntur, legitque à ſe in aſtris garriunt, quid quiſque facturus, & cui re ſtudio ac operi ſit addicturus vrgentibus aſtris. Quin etiam fertur non exhorruiſſe Cardanus, ex ſiniſtro aſtrorum in Chriſtum natum aſpectu, dignum mala cruce vaticinium fundere. Nempe fuiſſe Chriſto fatale de cruce pendere, ibique emori, quem diſertiſſimè diuina oracula oblatum teſtantur, quia ipſe voluit. Vt meritò ſanè, hoc nomine in Cardanum excandeſcerint recentiores plerique, ac nominatim Carpentarius di-

greſſ. 11.

greſſ. 11. in Alcinorum. Alia quoque, quæ premere quam referre aut refellere præſtat, ab aliis Aſtrologis in libertatis damnum iactata, legere licet apud Cepperium l. 5. contra Aſtrologos.

312. Longiore tamen huius erroris confutatione temperandum eſt. quòd moneat S. Baſilius homil. 6. hexaëmeri, minimè congruere vt prolixa in hanc rem feratur diſputatio. Itaque breui S. Methodij diſſertatione in opere de caſtitate, cuius ſumma extat apud Photium cod. 237. Lectori ſatisfactum abundè putabo. Argumentatur S. Methodius, cum ex aliis capitibus, tum maximè ex eo quòd plerique Legiſlatores contra huiuſmodi cœleſte fatum, & eius aſſertores, ſeueriſſimas leges tulerint. Ex quo infert, huiuſmodi fatum, ſi daretur, ſibi ipſi hoſtem futurum. [Quod geneſis, *inquit*, quædam operetur, hoc lex prohibet, impoſtores punit, miniſque Genethliacorum doctrinam proſcribit. Ergo lex contraria eſt Geneſi. Quæcunque enim lex prohibet, geneſis definit. Quæcunque autem cogit geneſis facere, ea lex interdicit. Ergo lex inimica geneſi eſt. Si autem inimica, ergo legiſlatores, non ſunt legiſlatores ſecundùm geneſim. (Hoc eſt, non ſunt geneſi, per fatum neceſſariò ſubiecti.) Nam dum contraria geneſi decernunt, geneſim deſtruunt. Ergo aut geneſis eſt, & tolluntur leges: Aut leges ſont, & non ſunt quæ geneſi reſpondent. Sed non eſt poſſibile, inquiunt, quiſquam vt naſcatur, vt quicquam à quoquam fiat ſine geneſi, neque digitum, ſine fato poſſe moueri aiunt. An ergo ſecundum geneſin? Nam Minos, Rhadamanthus, Dracon, Lycurgus, Solon, Zaleucus legiſlatores, leges condiderunt, quæ damnarunt furta, cædes, & hoc genus alia, quæ fato fieri, ſeu geneſi contendunt; quòd fieri non poteſt: Nam geneſis à ſeipſa euerteretur, dum ipſa ſeipſam exauctorat. Hinc enim ponat geneſis leges, quæ adulteria, & alia crimina damnant. Illinc verò, eadem geneſis, cædes, & adulteria operetur. Nihil enim idem, à ſeipſo diuerſum, ſecum pugnat, idémque ad ſui ipſius exitium vergit. Ergo geneſis nulla eſt.]

Foſiſſimè quoque & potentiſſimè, libris octo eundem errorem debellat Diodorus Tharſenſis, apud eundem Photium Cod. 223. lepidè lib. 7. excuſans, quòd fatum huiuſmodi cœleſte incuſet & damnet, non eſſe ſibi vitio vertendum; quippe aſtricto per huiuſmodi fatum, (vt quidem Aſtrologi blaterant,) ad fati refutationem. Quod expreſſit Iſidorus Peluſiota lib. 3. epiſt. 155.

Origo Aſtrologicæ fatuitatis.

313. Non poſſum autem prætermittere, quam idem Diodorus l. 5. optimè aperit, huius impietatis in orbem inuectæ veram originem. *Cæterorum*, inquit, *omnium animantium potentiſſimus homo. Etenim fortioribus intellectu præſtat, & ſuper terram gradiens, volatilium tamen dominus eſt, & in mari natantia captat, & vt ſimul dicam omnibus animantibus ratione atque intelligendi facultate antecellit. Quomodo igitur geneſis in eum habet imperium, qui cæteris imperat omnibus? cui verò imperare nequit, quæ huius imperio continentur? Verùm, vt apparet, hæc aduerſus homines à malo dæmone inſtructa machina eſt, vt & piè viuere, iuſtéque agere neceſſitatis eſſe effectum rati, alieni à Deo efficerentur; & quæ his contraria committerentur, ab eadem profiteri cauſa perſuaſi, nullum omnino peccatum prætermitterent. Nulla eſt igitur prorſus geneſis, ſed à veritatis hoſtibus, contra veritatem fingitur, quemadmodum ab huius amicis, demonſtratur.*

Itaque cauſa inuecti per orbem huius erroris, Dæmonis præſertim ſtudium fuit. Acceſſit multorum ſtoliditas, quæ figmenti inanis efficacitatem, apud plebeculam amplificauit, prætenſa euentuum voluntati ſubiectorum deprehenſione per Aſtrologos, quam cenſent nullam fuiſſe futuram, niſi actiones illæ à voluntate pendentes, cœlorum & aſtrorum conuerſioni ſubiacerent, & ab eis neceſſariò extorquerentur. Alioqui enim fallax, & plerunque falſa, futura fuiſſet prænuntiatio, quod experimento, (ſcilicet,) conſtanti ac certo, contrarium aſſerunt. Sed mendaciſſimè. Rectè nanque pronunciauit Picus l. 2. contra Aſtrolo. c. 10. accidere in hac re, quod olim circa Apollinis oracula: Nimirum vt quæ caſu contingit comprobari, euentu celebrentur, reliqua omnium mentibus excidant. Itaque multa haud dubiè conficta & commentitia, iactantur in hoc genere ab Aſtrologis. Plurima, non niſi naturali perſpicacitate coniectata, proferuntur vt certa. Non pauca, tantis ambagibus inuoluuntur, ne fraus pateat, vt nec ea ipſi qui proferunt, intelligant. Vt rectè proinde quoad ea quæ voluntatem liberam inuoluunt, reprobetur aſtrologica rei inquiſitio, & optimè de ea prononciarit S. Cyrillus lib. 10. in Iulianum ferè in fine. *Aſtrologica obſeruatio, crimen eſt Græcorum ſtupiditatis, ludiſque puerilis & vana dementia, nihilque aliud.*

Qui in eam diligentiùs ac fortiùs.

314. Alia infinita in hanc rem dabunt, qui huic ſcientiarum & ingeniorum loligini euellendæ, diligentiùs incubuerunt. Cuiuſmodi ſunt ex Philoſophis Plotinus Enneade 3. l. 1. c. 5. Oenomaus, Diogenianos, Alexander Aphrodiſæus, & Bardeſanes apud Euſebium 6. præpar. c. 6 7. & 8. Ex Patribus præter Euſebium 6. illo lib. de præpar. Cæſarius Dialo. 2. S. Cyrillus homil. 14. Paſch. Theodoretus q. 15. in Geneſim S. Ambroſ. 4, exaëm. c. 4. Auguſt. 5. ciuit. à c. 1. ad 11. & l. 2. de doctr. Chriſt. à c. 21. & l. 7. confeſſ. c. 6. aliiſque pluribus locis, quæ collegit Carbo . introduct. ad Theol. c. 14. Ex antiquioribus Scholaſticis, multa ſæpè & prolixe in hanc rem diſputat Guliel. Pariſ. & nominatim lib. de vitiis c. 6. & 3. 1. de vniuerſo c. 21. & 24. Thomas Braduardinus l. 2, de cauſa Dei c. 3. & lib. 3. à c. 12. laudans in hanc rem Ioannem Salisberienſem, cuius eſt in hanc rem longa & pulchra diſputatio l. 2. Polycrat. c. 23 Inter recentiores autem Scriptores palmam omnibus præripuit Ioannes Picus Mirandula libris 12. aduerſus Aſtrologos, opere luculento & eo ingenio ac nobilitate digno: allatrauerit licet illud Iouianus Pontanus l 3 de fortuna ab initio, & toto ferè tomo 3. & Bellantius, in quem ſæpè pro Pico bellant Cipperius libris ſex contra Aſtrologos, & Alexander de Angelis libris quinque de eodem argumento. Quibus addendi Franciſcus Picus Ioannis nepos, in opere de prænot. toto lib. 5. Pererius l. 3. in artes illicitas, & lib. 2. in Gen. longa diſputatione de hac re. Valeſ. c. 31. ſacræ Philoſoph. Poſſeuinus lib. 15. Biblioth. à cap. 10. Mirandulanus Epiſcopus Caſertanus à l. 21. Monom. Bulengerius l. 2. de diuinat. Suar. tract. 3. de Relig. l. 2. c. 11. Sanch. 2. in decal. c. 38. à n. 27. Petrus à Nauarra 2. de reſtit. c. 2. à num. 25. Delrio 4. Magic. c. 3. q. 1. Medina 2. parænеſ. c. 1. Caſtro l. 1. de vaticin. Petr. Grego. l. 34. ſyntag. Salas 1. 2. tract. 5. d 2. & Sirenius ſparſim in opere de fato. Qui tamen imprudens videtur impegiſſe l. 9. c. 36. & 37. cùm ſcripſit, aſtra non eſſe quidem cauſas, eſſe tamen ſigna certa futurorum omnium. Quod S. Auguſtino, (ſi Deo placet,) affingit. Quem

tamen

tamen conſtat, his nugarum nugis, ſemper fuiſſe Infeſtiſſimum, vt loca ex eo ſuperiùs notata apertè docent. At quod in eundem S. Auguſtinum, argumentantem in hanc rem ex conceptu geminorum, qui ſimul concepti, vno tamen non viuunt ſtudio, conclamat Baptiſta Pius in prioribus Annotationibus pag. 362. quaſi negaſſet ſuperfœtationem; alio loco eſt diſcutiendum. Quanquam adeò petulanter in tantum Doctorem ex falſa ſuppoſitione negatæ ab eo ſuperfœtationis, bacchatus eſt hic Magiſtellus, vt ſtrigili veriùs quàm ſtylo dignus ſit excipi.

Intelligentiæ quoque, eandem non volendi libertatem, minimè violant.

315. Reſtat quærendum, an quando reliquas externas cauſas creatas, partialem hanc facultatem liberam de facto impedientes, ſuſtulimus, intelligentias quoque excludere poſſimus. De his enim (quippe ſpiritualibus & homine ſuperioribus ac potioribus,) videtur eſſe poſſe maior dubitandi occaſio. Nihilominus rectè ſcripſit Pelagius epiſt. ad Demetriad. *ſub finem* approbante Auguſtino l. de natur. & gr. c. 58. *Intelligentias malas*, (idem de quibuſuis eſto iudicium ſi naturaliter conſiderentur, vt nunc facimus,) *ſolis preualere non reſiſtentibus poſſe* Addidi in hanc rem alia, in Naturali Theolog. d. 4. num. 331. & alia ſubdam, agens de cauſa efficiente formalis malitiæ.

Nunc ſatis erit rem confirmaſſe inſigni teſtimonio S. Auguſtini, qui homil. 12. ex 50. luculenter demonſtrat perperam aliquos ſceleribus ſuis obtendere vim à Dæmone illatam, & increpitos excuſare, non ipſos eſſe qui peccarint, ſed Dæmonem qui ad ſcelus vrſerit. [Multi, *inquit*, ſic confeſſionem peccati faciunt, vt ipſum Satanam accuſent, ſe autem nihil mali feciſſe dicant. Et cùm caſtigantur aliqui, & dicitur eis; Quare hoc feciſtis? Reſpondent, quia Diabolus hoc fecit. Non eſt enim vnde plus gaudeat Diabolus, niſi quando homo dicit, quòd ipſe fecerit vt peccaret. Quando enim dicit: Diabolus hoc fecit, non ſe accuſat. Et dum peccata ſua diſſimulat confiteri, indulgentiam non meretur accipere. Reſpondet ergo & dicit; Diabolus hoc fecit, quaſi reuera traxerit eum Diabolus, aut violentiam fecerit. Suadere enim & ſollicitare poteſt, cogere omnino non poteſt. Et ideò, cùm per Dei adiutorium, in poteſtate tua ſit, vtrum conſentias Diabolo, quare non magis Deo, quàm ipſi obtemperare deliberas? Si enim ſolus Diabolus daret conſilium, & Deus taceret, haberes quo excuſari poſſes. Cum verò Chriſtus tibi, & conſcientia tua contradicat, & per Scripturas diuinas audias in Eccleſia quòd non debeas facere malum, quare eligis mortem, & deſeris vitam, & magis vis ſequi Diabolum ad luxuriam, quàm obtemperare Chriſto, qui te inuitat ad vitam æternam? Rogo ergo vos fratres chariſſimi, quare Satanas ſeducit ad peccandum, cùm Deus poſuerit homini in poteſtate, non conſentire Satanæ? Eſt enim à dextris quodammodo præcipiens Deus, à ſiniſtris ſeducens Satanas, homo in medio conſtitutus. Cor quod inclinatur ad Diabolum, quare non potiùs erigitur ad Deum? Non enim Diabolus cogendo, ſed ſuadendo nocet, nec extorquet à nobis conſenſum, ſed petit. Nos Diabolum non adiuuemus, & vincimus. Dat quidem ille conſilium, ſed Deo auxiliante noſtrum eſt vel eligere, vel repudiare quod ſuggerit.]

Itaque *dum maledicit impius Diabolum*, excuſans vim per eum illatam, *maledicit ipſe animam ſuam*. vt rectè aſſeruit Sapiens. Non enim vis infertur, ſed blanda ſuaſio adhibetur, cui homo vltrò conſentit. Atque ita malum, hortatore quidem dæmone, ſed homine authore patratur. Quod planè luculenter expreſſit S. Gregorius 15. moral. cap. 13. tractans illud Iobi: *Eductus & egrediens de vagina ſua*, quod ille de mala volitione interpretatus, ſubdit. *Notandum quòd ait*, eductus & egrediens de vagina ſua *Eductus ſcilicet per seductorem, egrediens verò per propriam voluntatem. Nam is qui ducitur, ducenti procul dubio ſequitur qui autem egreditur, ſecundùm ſuam pergere voluntatem videtur. Qui ergo ad mala quæque opera, & ab antiquo hoſte trahitur, & tamen ſuo libero arbitrio in eorum deſideriis obligatur, de vagina ſua eductus, & egrediens dicitur. Quoniam hoc quòd ex praua cogitatione exit ad peſſimam operationem, & illius eſt ſpiritus qui ſuggeſſit, & eius nequitia, qui ex propria voluntate conſenſit.* Pulchrè item l. 15. cap. 9. ad illud. *Conuulnerauit lumbos meos*, obſeruat, Satanam dici *conuulnerare lumbos noſtros*, quia nos ad culpam ſine noſtra voluntate non poteſt rapere, ſed nos cum ipſo pariter nos vulneramus, quia ad perpetrandum malum, libero ſimul arbitrio ducimur.

ARTICVLVS V.

An eidem partiali libertatis facultati ad non volendum, impedimentum aliquod de facto accedat ex diuinis decretis & cooperatione nobiſcum.

316. HAbemus humanæ libertatis, quoad partialem illam facultatem, de qua agimus, vſum vbique expeditum, & impedimentis omnibus exſolutum, quod ſpectat ad cauſas creatas ſiue internas, ſiue externas. Nunc ad aliam cauſam extrinſecam veniendum eſt; hoc eſt ad Deum, à quo ferè, quotquot in hac parte errarunt, deriuari cenſuerunt libertatis noſtræ impedimenta ad non volendum. Cùm autem poſſint in Deo per ordinem ad actus voluntatis noſtræ, tria diſtingui, Nempe actus intellectus, & voluntatis, & potentiæ exequentis: Quidam argumenta ad facultatem hanc non volendi impediendam, duxerunt ex diuina ſcientia ſpeculatiua verſante circa obiectum prout futurum, quæ dicitur ſcientia viſionis, ſiue preſciẽtia. Alij ex diuina ſcientia practica, quæ eſt ſcientia rei poſſibilis, & adiuncta decreto voluntatis diuinæ, eſt cauſa rei futuræ. Denique alij ex ipſa diuina cooperatione, quæ eſt actus potentiæ diuinæ exequentis. Quæ omnia expendenda ſunt, vt potentiſſimam machinam, quæ in libertatis noſtræ expeditionem intendi poteſt, deiiciamus. Nam ſi Deus, cuius fortitudini nemo obſiſtere poteſt, in libertatem noſtram armaretur, fruſtrà nobis de poteſtate in noſtros actus, déque libertatis prærogatiua blandiremur. Ordiendum autem eſt à diuina ſcientia practica; &, quod eodem recidit, à diuinis decretis & potentia nobiſcum cooperante: quia hæ ſunt cauſæ actionis noſtræ vniuerſales; ac proinde illam antecedunt, éſtque multò plus ab eis timendum libertati. Scientia autem viſionis non eſt earum cauſa ſed potius eas ſubſequitur, vt infrà dicam. Præterquàm quòd præſcientia vtramque libertatis facultatem impetere videtur: Prædicti autem actus diuini, ſoli facultati non volendi, de qua nunc agimus, infeſti eſſent ſi libertati officerent.

ASSERTIO.

DIVINVM decretum, eique præluceos iudicium practicum, & per vtrumque applicata omnipotentia, voluntatis noſtræ libertatem ad non volendum expeditam relinquunt; quia non antecedunt ſimpliciter & cauſaliter determinationem noſtram: Nec Deus ex ſe, ac nobis inconſultis abſolutè decernit aliquid à voluntate libera pendens, executioni mandari. Itaque ſalua perſtaret libertas noſtra, ſi diuinus intellectus voluntas, ac potentia, excluſâ à Deo libertate, eundem quem nunc ſe habendi modum ſeruarent cum voluntate noſtra. Quæ proinde contingentiæ actuum noſtrorum liberorum proxima radix eſt, & ipſa ſibi ſola eſt fatum quouis alio diuino fato actu vigente, prorſus excluſo.

317. PRIMÒ aſſero neque iudicium practicum diuinum, neque ei ſubſtans decretum, neque vtrique illi actui ſubſequam diuinæ potentiæ applicationem, temerare libertatem noſtram: ita vt non poſſit ceſſare ab operatione, eámve nunquam ponere. Quod fusè proſecutus ſum in Naturali Theologia d. 8. à n. 190. ad 209. tractans quomodo diuina prouidentia, quæ ex actu diuini intellectus & voluntatis integratur, cohæreat cum creata libertate. Additis iis quæ à n. 340. habentur de modo quo diuinus concurſus adiungitur noſtro concurſui in actus quos elicimus. Ne tamen hic, propoſito præcipuo ariete, qui aduerſus liberam non volendi facultatem intentatur, nihil aduerſus eius impetum obiecisse videamur, quæ ibi fuſiùs expoſita ſunt, tanquam in propria ſede, hic paucis attingam, quantùm ad difficultatis plenam diſſolutionem, neceſſarium videbitur, non ſine nouæ alicuius lucis affuſione, quæ hanc eiuſdem difficultatis iterationem, ſatis ſupérque excuſare poſſit.

Tametſi facile quoque foret, ſi res ferret, illud cum Auguſtino l. 2. de baptiſmo contra Donat. c. 1. conteſtari. [Si qua me reſpondendi neceſſitas ea quæ iam in libris aliis poſui, rurſus commemorare coëgerit, quanquam id modicè faciam, his qui iam illa legerunt & tenent, onetoſum eſſe non debet, quia & ea quæ inſtructioni ſunt neceſſaria, ſæpiùs oportet inſinuare tardioribus: & cùm eadem multipliciter variéque verſantur atque tractantur, ipſos quoque capaciore intelligentia præditos adiuuant, & ad facilitatem, ſciendi & ad copiam diſſerendi. Noui etiam quemadmodum ſoleat contriſtare lectorem, cùm ab libro quem gerit in manibus, quando in aliquem nodum quæſtionis inciderit, in alium mittitur, vbi eius ſolutionem requirat, quem fortè non habet. Quapropter quæcunque in aliis libris iam diximus ſi neceſſitas præſentium quæſtionum breuiter iterare compulerit, ignoſcant ſcientes, ne offendantur neſcientes: Satius eſt enim offerre habenti, quàm differre non habentem.] Porrò quia noſtri actus liberi in duplici ſunt differentia: quidam enim ſunt naturales, alij autem ſunt ſupernaturales, ad quos diuinæ gratiæ interuentus requiritur; Hic de prioribus duntaxat agendum eſt. De poſterioribus autem, quia ad altius ſubſellium pertinent, obiter tantùm proponemus veritatem dimiſſo eius examine ad Chriſtianos Theologos, quorum eſt ea tractatio.

Diuinum decretum cauſaliter antecedere, ac prædeterminare actus liberos, qui cenſuerint.

318. Nonnulli itaque Doctores contendunt diuinam volitionem liberam abſolutam & efficacem (ad hanc enim reuocanda eſt tota hæc diſputatio, quia voluntas inefficax & conditionata, vt ſic, & quandiu talis eſt, nihil ponit ad extra;) antecedere cauſaliter voluntates noſtras, quatenus per huiuſmodi diuinam volitionem, voluntatibus noſtris inconſultis, & non prius attenta exigentia ipſarum, decernitur certus conuerſus, & determinantur ad agendum. Volunt enim ex vi ſubordinationis eſſentialis quam creatura vt operetur ad Deum habet; itémque vi indigentiæ qua creatura ad aliquid cauſandum prærequirit concurſum diuinum, præmitti in Deo non tantùm duratione æterna, ſed etiam anteceſſione cauſali, decretum quoddam, ſanciens vt talis actio prodeat à creatura interuentu diuinæ potentiæ cum ea cooperantis. Hanc autem diuinam volitionem abſolutam & efficacem, fortiter, vt aiunt, mouentem, non poteſt non ſequi voluntatis creatæ actio. Quod plerique ex huius ſententiæ Doctoribus ac nominatim Bannes 1. p. q. 19. a 10. dub. 1. *poſt tertium documentum*, ad actus quoque malos extendunt.

Alij autem, cautiùs quidem ſed tamen minus conſequenter ad actiones tantùm moraliter bonas, vel indifferentes, & purè naturales hoc pertinere dicunt. Qui proinde neceſſe eſt alibi, quàm in eſſentiali ſubordinatione cauſæ ſecundæ ad primam, & exigentia concurſus generalis diuini per creaturam operantem, fundamentum, huius ſuæ ſententiæ iaciant: Cùm materiale peccati, ſi eliciendum ſit, æquæ ſubordinationem illam eſſentialem, & exigentiam concurſus generalis in creatura illud operante ſupponat, & tamen pro eo nullam antecedentis diuini decreti neceſſitatem, meritò agnoſcant: ſed tantum pro actionibus, cum quibus malitia moralis non complicatur.

Quæ difficultate premantur, eámque quomodò declinent.

319. Quòd ſi cum hac tanta fortitudine diuinæ motionis antecedentis, & actionem creatam neceſſariò inuehentis, inferas lædi libertatem non volendi, dicáſque cum Molina 1 p. q. 14. art. 13. d. 18. memb. 2. & 3. non poſſe intelligi quomodo inde non inducatur fatum pluſquàm adamantinum; quandoquidem voluntas poſitis prærequiſitis ad agendum, (inter quæ eſt ea volitio diuina efficax,) non poteſt actionem omittere, ſed tantùm poteſt id ad quod per volitionem illam diuinam, eique adiunctam motionem vrgetur. Reſpondent, dignum ea cortyna reſponſum: *Si non intelligunt, credant.* Eò enim tandem ferrearum ſuarum præfinitionum mouentium improbatores relegat Bannes, cùm alibi, tum diſertè 1. p. q. 23. art 5. & 2. 2. q. 10. art. 1. dub. 2. documento 1. Quò ſpectant etiam quæ Aluares d. 118. de auxiliis, accumulat, vt perſuadeat concordiam efficacitatis diuinorum decretorum antecedentium, qualia ipſe cum Banne inuehit, ſola fide perſpici poſſe, nec eſſe vlteriùs veſtigandam, ſeu credendam, captiuando intellectum in obſequium fidei. Reſpondendi modus planè idem cum eo quem à Monophyſitis initum refert S. Athanaſius vel potius apud eum Theodoretus, vt habetur

habetur ex Cod. 46. Photij Cum igitur Morophyſitæ premerentur argumentis Catholicorũ, nec poſſent oſtendere quomodo Deitas commiſſa & paſſa eſſet in Chriſto; idque intelligi poſſe, negarent (& verè.) Catholici, reſpondebant Morophyſitæ, *ſi non intelligunt, credant.* Videſis id refellentem loco citato Theodoretum libello 2. & 9. ac præſertim 16. ex 17. quod eſt aduerſus eos, qui volunt, ſimpliciter iis quæ dicta ſunt, credendum eſſe. At Caiet. 1. p. q. 22. art. 4. ex tanta diuini decreti efficacitate adactus eſt aſſerere actum liberum voluntatis humanæ prout ſubſtantem diuino decreto efficaci, neque eſſe euitabilem, neque incuitabilem.

In hac ipſa difficultate, ante hos autores, Seneca epiſt. 16. commendato ſtudio Moralis Philoſophiæ, qua libertas dirigitur, & ad honeſtatem informatur, ita ſibi ipſe obiicit, & reſpondet. [Dicet aliquis: Quid mihi prodeſt Philoſophia ſi fatum eſt? Quid prodeſt, ſi Deus rector eſt? Quid prodeſt, ſi caſus imperat? Nam & mutari certa non poſſunt: & nihil præparari poteſt aduerſus incerta. Si aut conſilium meum Deus occupauit, decreuitque quid facerem, aut conſilio meo nihil fortuna permittit. *Et difficultatem Sequitur diſſolutio, ſi tamen diſſolutio, & non potius implicatio & inuolutio maior.* Quicquid eſt ex his, Lucili, vel ſi omnia hæc ſunt, philoſophandum eſt: ſiue nos inexorabili lege fata conſtringunt; ſiue arbiter Deus, vniuerſi cuncta diſponit; ſiue caſus res humanas ſine ordine impellit & iactat, Philoſophia nos tueri debet. Hæc adhortabitur, vt Deo libenter pareamus, vt fortunæ contumaciter reſiſtamus: hæc docebit, vt Deum ſequaris, feras caſum. Sed non eſt nunc in hanc diſputationem tranſeundum, quid ſit iuris noſtri ſi prouidentia in imperio eſt; aut ſi fatorum ſeries illigatos trahit; aut ſi repentina aut ſubita dominantur.

Vides hominem difficultate propoſita illaqueatum primùm, dein diuerticula quærentem. Quod ſi ab iis qui difficultati alicui ſuccumbunt præſtari ſolemne eſt; & in hoc negotio facile eſt deprehendere à pleriſque præſtari ſi excutiantur. Alij autem ad alias reſponſiones confugiunt, vt videre eſt apud Molinam membro illo 2. *circa medium*, & apud Suarem 3. de prædeſt. cap. 10. num. 4. & verè mirum eſt, vt cum Auguſtino loquar epiſt. 105. *cùm his coarctantur anguſtiis, in quanta ſe abrupta præcipitent, metuentes retia veritatis.*

Aliqui enim dicunt diuinam voluntatem antecedenter efficacem, & motionem externam vi eius innectam, (ſemper ago de motionibus ad actus naturales, intactis in præſentia gratiæ auxiliis:) eſſe ſimul fortiſſimam & ſuauiſſimam: Ita vt quamuis vi ſua prædeterminet voluntatem ad vnum, tamen faciat eam liberè operari. Quo eodem reſponſo Stoici, (quorum hanc fuiſſe de diuini decreti antecedentis fortitudine, ſub nomine fati ſententiam, ex profeſſo oſtendi loco allegato Naturalis Theol. à num. 196. habetúrque ex D. Auguſtino 5. ciuit. cap. 8.) diuinam efficacitatem cum humana libertate conciliare nitebantur. Alij dicunt, ad libertatem actus noſtri ſatis eſſe, quòd ex vi obiecti ſic propoſiti ſit liber, etiamſi voluntas ab agente extrinſeco ad vnam tantùm partem determinetur, nec poſſit non agere. Tandem alij recurrunt ad ſenſum compoſitum & diuiſum, contendúntque neceſſitatem ex huiuſmodi ſuppoſitione diuini decreti efficacis, & motionis externæ ab eo voluntati hominis immiſſæ, non eſſe neceſſitatem niſi ex ſuppoſitione, quæ libertatem non temerat, quia in ſenſu diuiſo illius ſuppoſitionis, in poteſtate hominis eſt non operari.

Nullum tale diuinum decretum, cum libertate non volendi cohærere, vera ſententia.

320. Hæc tamen ſententia mihi non probatur, quia abſque neceſſitate difficultatem iam per ſe valde implexam magis intricat, Cùm enim ex tam multis aliis capitibus expeditio libertatis noſtræ implicata ſit, non videtur prudentis ſiue Theologi, ſiue Philoſophi, eam, noua hac & quidem cæteris longò operoſiore difficultate onerare, niſi grauia omninò & ineluctabilia rationis vel autoritatis pondera, ad id vrgeant. Tunc enim iure à Chriſtiano Philoſopho poſtularetur, vt quod in aliis inenodabilibus myſteriis vſu venit, colla fidei iugo humiliter ſupponat, & iudicium proprium regulæ viuæ, quam in Eccleſia à Chriſto habemus, dirigendum permittat, iuxta illud Vincentij Lyrenenſis in aureo opuſculo aduerſus profanas nouit. c. 25. *Ex toto Eccleſiæ dogmate, quod intellectu capi poteſt capiant; quod non poteſt, credant.* At in præſenti negotio, cùm nihil ſuppetat validum, ex quo anteceſſionem cauſalem diuini decreti inconſulta voluntate noſtra poſitam inferre liceat; & aliunde premat potentiſſimum argumentum, quo admiſſa huiuſmodi anteceſſione, libertas noſtra ad non volendum quod ſic à Deo decretum eſt, ruere videtur; non poſſumus non approbare optimam Soti regulam c. de quantitate q. 2. art. 2. concl. 2. ſtatuentis, *nihil credendum eſſe Philoſopho, niſi prius illud intelligat, eò quòd de ſolis diuina fide traditis ſcriptum ſit; niſi credideritis non intelligetis.*

Quare omnino reiicimus fortem illam diuinam volitionem antecedenter efficacem, eíque adiunctam motionem externam humanæ libertatis ſubactricem, & tamen illa inconſulta poſitam: Quia non poſſumus, tantam & tam ineluctabilem fortitudinem cum expedita voluntatis humanæ vertibilitate conciliare. Id quod etiam poſt aliquam tergiuerſationem agnoſcit Euſtachius parte 2. Ethic. tract. 2. d. 1. q. 3. Et alioqui, ſatis tuemur omnia, quæ de diuina erga voluntates noſtras prouidentia, naturalis ratio ac fides docent; omnibus huiuſmodi decretis antecedentibus & motionibus ſeclutis. Quod breuiter oſtendendum eſt, vt veritas poſita recte ſtabilita habeatur.

Prior probatio, ex parte humanæ libertatis.

321. Sic igitur in primis argumentor ex parte humanæ libertatis. Illa facultas non eſt libera, quæ non eſt domina actus ſui; ſeu quæ aliunde quàm à ſeipſa determinatur ad agendum; vel quæ poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, poteſt agere & non agere. His quippe omnibus modis ſub vario verborum cortice eandem veram & legitimam libertatis definitionẽ exponi, traditum latè eſt quæſt. 1. atqui voluntas humana poſita huiuſmodi decreto antecedente, non purè imminente, & per modum puræ intentionis ſe habẽte, ſed tranſeunter mouente, non poteſt dici ſui actus domina Nec poteſt dici determinare ſe ad agendum; & denique dici nequit poſſe agere & non agere poſitis omnibus prærequiſitis. Nam voluntas non eſt domina actus ſui niſi poſſit eum cohibere & frænare ſe ne eum eliciat. Quod impoſſibile eſt voluntati, ſuppoſito diuino decreto antecedente efficaciter mouente ad actum. Item voluntas non ſe determinat, ſi prius natura quàm ipſa actum ſibi indicat, potenter & ineluctabiliter inflectatur à ſuperiore cauſa ad profundendum actum. Et denique voluntas, poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis non poteſt agere & non agere: quia poſito huiuſmodi forti decreto & motione, quæ juxta aduerſarios, numerantur inter

præerequiſita ad agendum, non poteſt non agere. Ergo iuxta hanc aduerſariorum ſententiam, videtur exſcindi facultas non volendi.

Hæc ipſa eſt, Diogeniani aduerſus Chryſippum fato voluntates noſtras ſubiicientem, argumentatio apud Euſebium 6. præpar c.7. fatum autem, vt ibidem præmittitur, aiebat Chryſippus eſſe *quoddam diuinitus dictum & determinatum*. Argumentatur ergo Diogenianus contra Chryſippum, qui alibi aliqua à nobis liberè fieri tametſi diuinitus antecedenter determinata, & vt Diogenianus loquitur *fatata* affirmaret. *Miranda profectè eſt huius ſermonis inconſtantia: Nam quemadmodum dulce amare, & nigrum albo, & calidum frigido contrarium eſt; ſic & fatum libertati noſtra contrarium. Nam quæ fatata ſunt, ſiue nolis, ſiue velis, omnino fiunt. Quæ verè in noſtra poteſtate ſunt, ea ſicut volumus diligentia noſtra diſponuntur.* Quod ſubiectis exemplis nonnullis acriter vrget, contendens quod in noſtra poteſtate eſt, à nulla ſuperiore cauſa contineri, alioqui non fore in poteſtate noſtra facere & non facere.

Sed illoſtriſſimè idem argumentum adhibet Plotinus Enneade 3. l 2.c.7. refellens eos, qui motum, & actum omnem noſtrum, in animam vniuerſi reuocabant tanquam in cauſam antecedentem. [Cùm talia ſint, *inquit*, vt ab vno principio profluant, nihil iam nobis aliud reſtat, niſi vt feratur, quocunque nos illa impulerint. Nam & imaginationes cauſas ſequentur antecedentes, & impetus imaginationes comitabuntur, arbitriíque libertas nomen erit inane. Non enim ex eo quòd ipſi nos aliquid impetu quodam aggredimur, arbitrij plus habebimus: Quippe cùm impetus omnis, ab antecedentibus incitetur, iúſque noſtrum erit tale quale animalium reliquorum, infantiúmque atque furentium cæcis quibuſdam ſtimulis diſcurrentium. Nam & in his ſunt impetus, & per Iouem ſimilis fermè impetus eſt in igne, atque in omnibus quotcunque conditioni propriæ ſeruientia, ipſius inſtinctu præcipitátur. Id autem omnes perſpicuè contuentes, non ambigunt.] Ruere igitur videtur libertas noſtra, ſi anteceſſionem illam cauſalem, & verè fatalem admittamus. Atque ita S. Anſelmus parte 1. concordiæ, diſertè monet, neceſſitatem ex diuino decreto deriuatam, ſubſequi voluntatem noſtram, & eam intactam ſinere, ſibique relinquere.

Argumenti propoſiti declinationes, num. 319. adducta, euertuntur.

321. Nec quæ ſuprà ad hoc telum declinandum ab aduerſariis proponebantur, ſolida ſunt. Et in primis reſponſio Caietani, cuius humilitatem commendat Bannes ad eundem articulum, videtur hominis apertè oppreſſi difficultate, quomodo enim idem effectus poteſt ſimul eſſe, nec euitabilis nec ineuitabilis, niſi admittamus neutrum è duobus contradictoriis poſſe de eo affirmari? Nam ineuitabile idem eſt quod non euitabile; & contradictoriè opponitur euitabili. Si igitur effectus nec eſt euitabilis, nec ineuitabilis, verum erit neutrum contradictorium de eo poſſe affirmari! Quod admittere eſſet euertere primum principium, *Quodlibet eſt vel non ſit.*

Fruſtra autem Caietanus, autor eſt, vt in hac tam addita & inexplicabili doctrina quieſcamus, *Non euidentia veritatis inſpecta, ſed altitudine inacceſſibili veritatis occulta.* Nam quamuis omnino ita faciendum ſit, cùm id fert rubrica veritatis Chriſtianæ, hoc eſt, propoſitio Eccleſiæ: Tamen fingere gratis myſteria inexplicabilia, vbi poteſt veritas perſpicua affulgere, commodum Eccleſiæ non eſt. Alioqui fas eſſet cuiuis myſteria fidei nouis ambagibus impedire dummodò vel præfaretur, vel ſubiungeret, quieſcendum eſſe in altitudine inacceſſibili veritatis occultæ. Præterquam quòd myſteria, in quorum aſſenſu intellectum captiuare debet pia voluntas, non ſunt talia quæ euertant principia lumine naturæ euidentia, quale eſſet hoc Caietani commentum. Quod proinde paſſim à poſterioribus omnibus Theologis improbatum eſt, vt à Banne ſuprà, Suare 2. de auxil. cap.7.n.16. Val.1.p.d.1.q.22.p.3. Fonſeca 6. Met. c. 2.q. . ſect.16.

Et ſanè in re noſtra, reſponſum illud Caietani nullo modo admitti poteſt. Vt enim effectus ſit liber, debet eſſe talis, vt poſitis omnibus aliis eius cauſis in poteſtate ſit voluntatis eum non ponere. Ergo debet eſſe voluntati euitabilis. Quod tamen male Caietanus diffitetur, tum quia non ſatis ſeiunxit ineuitabile ab infallibiliter euenturo, cùm tamen diſcrepent toto cœlo: tum quia admiſſo ferreo illo & antecedente decreto, quod Deus ex ſe concipit, non potuit euitare ineuitabilitatem actus, ſi decretum illud ſit mouens, quale eſt quod contendimus non cohærere cum libertate voluntatis.

Reliquæ quoque reſponſiones, in ſuperioribus ſufficienter iam ſunt eliſæ. Et reuera quod de Stoicis, fatum prædeterminans, cum libertate concillare tentantibus dixit Boëtius lib. 3. Comment. edit. 2. in lib. de Interpret. num. 37. qui ita reſpondent, *tentant iungere, quæ impoſſibile eſt coniungi.* Oſtendimus enim, ex ſuppoſitione antecedente mouente, exſcindi libertatem ad non volendum, & fruſtra formam illam prædeterminantem, vocari ſuauem, cùm ſit voluntati ineluctabilis. Ex quo ruit reſponſio quæ poſteà ſubiiciebatur. Item oſtendimus indifferentiam obiectiuam non ſufficere ad expeditionem libertatis, niſi ſemoueatur intrinſeca determinatio. Vnde euertitur reſponſio eorum, qui poſteà recurrebant ad indifferentiam obiecti Tandem oſtendimus ſenſum compoſitum, cùm forma ſenſum illum compoſitum efficiens ponitur inconſulta voluntate, non cauſare neceſſitatem ex ſuppoſitione cohærentem cum libertate: ſed tantùm cùm ſuppoſitio pendet à nobis, Quod hîc non contingere clarum eſt: cùm Deus dicatur ex ſe concipere tale decretum mouens. Ac proinde huiuſmodi reſponſiones non infringunt vim argumenti contra huiuſmodi decretum ducti ex noſtra libertate.

Altera probatio, ex parte Dei, ſiue vt prima cauſa,

323. Quod autem ax parte Dei nihil ſit, quod nos compellat ad huiuſmodi antecedens & mouens decretum admittendum, quæ erat ſecunda ratio propoſita facilè probatur. Nam vel in Deo tribuendum eſt; quia eſt prima cauſa, à qua omnes cauſæ ſecundæ pendent eſſentialiter in operando, & omnes effectus in eſſendo, & quidem tanquam à primo principio: Vel quia eſt ſummus prouiſor naturæ, regens ac dirigens omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ quod aliter præſtari non poſſet: Aut quia diuinæ prænotioni tolleretur fundamentum certitudinis illius, quæ diuinum actum donari oportet; vnde non tam prænotio eſſet ac præſcientia, quàm præconiectatio. Nihil præterea proferri poteſt ex parte Dei, ex quo neceſſitas decreti antecedentis quoad actus liberos naturales, (de quibus ſolis agimus,) colligatur. Atqui nullum horum euincit intentum. Igitur non eſt quod affirmemus, huiuſmodi antecedentia decreta à quibus non immeritò libertatis exſolutioni timeri videtur, eſſe in Deo. Et aliunde ad eorum repudiationem,

nem, inuitat, aut etiam vrget, quod legimus nos à Deo cum magna reuerentia diſponi; & à Deo conſtitutos in manu conſilij noſtri; ipſúmque Deum poſt conceſſam nobis agendi facultatem, peregrè profectum: non loci mutatione, ſed vt D. Hieron. Matth. 21. optimè tradit, ad innuendam libertatis humanæ exſolutiſſimam expeditionem; Deo nequaquam ſe ingerente ad operationes noſtras liberas, ſed tantùm ad voluntatis exigentiam, atque adeò non antecedenter, ſed conſequenter interueniente. Sed probemus ſingula capita propoſita.

Ac primùm videtur perſpicuum, ex eo quod Deus ſit prima cauſa, non ſequi ponenda in eo eſſe decreta antecedentia de quibus agimus. Nam ad rationem, ac prærogatiuam primæ cauſæ, ſufficit vt actio cauſæ ſecundæ, fieri nequeat, niſi Deo eſſentialiter coëfficiente. Poſſumus autem optimè intelligere diuinam nobiſcum coefficctionem & cooperationem, per influxum tempore & natura ſimultaneum, ratione autem poſteriorem: Atque adeo in voluntate diuina ſufficiet decretum tali influxus exhibirioni proportionatum, & non antecedens. Nam poſita cauſa ſecunda in ſuo genere perfectè conſtituta, nullus diuinus in ipſam influxus, operatione eius anterior, eámque prædeterminans, deſiderari meritò poteſt: quandoquidem cauſa ſecunda Deo ſubiuncta, & ab eo eſſentialiter dependens rectè ponetur abſque tali prænio influxu prædeterminante, dummodò non poſſit abſque Deo in eius actum immediatè ad eius exigentiam influente, quicquam facere; vt ſanè non poteſt. Non eſt autem de ratione primæ cauſæ vel primi principij, vt determinatio cauſæ cuiuſcunque, ab ea prodeat, quaſi ſcilicet non tantùm cooperari debeat ad poſitiuam cuiuſque actionis entitatem; ſed etiam primum, vt ita dicam agendi impetum conferre, & abripere concauſas ad operationem. Id enim nullo modo exigitur ad rationem primi principij operationum, vt mox perſpicuè declarabo in actibus malis.

Siue vt rectoris prouidentiſſimi.

324. Iam verò perfectam prouidentiam huius primæ cauſæ, non poſtulare decretum antecedens, ac voluntati creaturæ ineluctabile, inde euincitur, quod perfecta prouidentia tantùm poſtulet vt Deus res creatas in finem ordinet, & per congruentia media dirigat. Hoc autem totum ſufficienter intelligimus præſtari à Deo poſſe abſque decreto antecedente reſpectu actuum noſtrorum liberorum: Deus enim ante omne decretum ſuæ voluntatis, perfectiſſimè intelligit omnia poſſibilia, & futura ex hypotheſi: per quas notitias ſufficienter dirigitur, vt velit per potentiam ſuam cooperari cauſis ſecundis, cùm ipſæ prænoſcentur diuinam cooperationem depoſcere. Prænoſcentur autem depoſcere, non quia operationem aliquam eliciant ex ſeipſis & abſque Deo, quod eſt impoſſibile: ſed quia in his & his circumſtantiis, penetrato genio ipſarum perſpicaciſſima diuini intellectus acies peruidet actionem ab eis manaturam eſſe, ſi ſe ſolis agere poſſent. Tunc igitur diuinum decretum, quo vniuerſaliter ſtatuit cum cauſis ſecundis cooperari, quando id ipſarum conditio & natura exiget, poſita conditione ex parte voluntatis, ad extra operatur, Deo in finem ſibi præfixum intendente, eóque dirigente concurſus ſui exhibitionem & rei creatæ effectionem. In quo perfecta prouidentia conſummatur.

Porro rem, quando eſt, impoſſibile eſt non eſſe, omninóque futurum eſt, vt actus voluntatis creatæ ſit futurus. Nam quamuis poſſet non eſſe quia eſt contingens, tamen quia voluntas, vt ſupponimus, volet eum poni, omninò & infallibiliter ponetur, ídque ex ſe cognoſcibile eſt, quia aliquando erit: atque adeo ab æterno, verum eſt fore: vnde ſi non deſit vis facultatis cognoſcentis, quæ certè Deo non deeſt, prænoſci ab æterno poterit, Quia igitur futurum eſt, vt actus voluntatis creatæ, ponatur in rerum natura, ipſa voluntate creata ſic decernente, & impoſſibile eſt notitiam quæ fertur in actum ſic futurum, prout ſupponitur futurus, falſitati ſubiacere, (attingit enim obiectum quale erit;) propterea non tollitur fundamentū, diuinæ ſcientiæ certiſſimæ & firmiſſimæ, etiamſi tollatur decretum antecedens; dummodò admittatur illud, vi cuius creatura intelligitur idonea ad ponēdum fundamentum illud diuinæ præmotionis futuri actus liberi; nempe exiſtentia ipſius, quæ ſufficienter intelligitur poni poſſe interuentu decreti concomitantis, quale admiſimus. Atque ita decretum huiuſmodi antecedens quod excutimus, non modò tollendum eſt, quia libertati incommodat, vt in prima ratione diximus: ſed etiam quia ex nulla diuina perfectione colligi poteſt, quod hæc ſecunda ratio confecit.

Lux maior eidem probationi, ex malis actibus.

325. Iuuat vtrunque premere in ſpeciali materia, vt exquiſitiùs penetretur. Actus liberi moraliter mali, quos elicimus, non videntur vlla ratione dici poſſe decreti à Deo, antecedenter ad determinationem noſtram, etiam quoad materiale. Sic enim peccator poſſet obtendere ſe fuiſſe à Deo implanatum, & in foueam deiectum. Nec ſanè noſtrates Sectarij, ex alio lacu tam cœnoſam de peccati cauſa doctrinam hauſerunt, quàm ex eo quòd cenſeant voluntatem humanam, ferreo & antecedente Dei decreto, prædeterminari ad materiale peccati. Hæc cùm ita ſe habeant, nihilominus mali actus, quoad ſuum materiale, non minus exigunt diuinam cooperationem nobiſcum, quàm boni. Et tamen non videtur poſſe dubitari, quin Deus longè abhorreat à decreto antecedenter efficaci, de huiuſmodi materiali per creaturam cauſando. In his quippe circunſtantiis in quibus actus ſupponitur eſſe contra regulam, non minus connexa eſt malitia, cum eo materiali actu, quàm cum homine riſibilitas, vel cum triangulo habere tres angulos duobus rectis æquales. Ergo ſicut qui ponit hominem, non poteſt conſequenter non ponere riſibilitatem: & qui cauſat triangulum, non poteſt tres illos angulos duobus rectis æquales excludere ob intrinſecam connexionem: Ita Deus antecedenter ponens illud materiale, cui in his circunſtantiis non poteſt non adnecti malitia, omnino eſſet author malitiæ cum eo materiali connexæ, tanquam cum fundamento. Vt liceat proinde contra huiuſmodi placitum exclamare cum Fauſto Rheg. l. 1. de grat. & lib. arb. c. 3. *Itáne quarum rerum vltor eſt, earum & author eſſe credendus eſt, & inter hæc ad malum perurgere iudicandus eſt captiua voluntatis aſſenſum, qui nec diabolo compellere permiſit inuitum?* Nos quia dicimus, Deum ex ſe non decernere materiale peccati, ſed indifferenter ſe habere vt ea entitas ponatur vel non ponatur; homine autem concurſum ad huiuſmodi actum rapiente, vt dixit S. Anſelmus lib. de caſu diaboli, c. vlt. admittimus Deum veluti per nos adactum cooperationem ſuam, noſtræ operationi adiungere; meritò addimus, Deum permittere tantùm, non etiam cauſare peccatum. Non poſſet autem dici tantùm permittere ſi haberet voluntatem efficacem prædeterminantem; & actum creatæ voluntatis ſic inuehentem, vt non poſſet ab ea non poni. Sicut is qui aquam igni admoueret, & calorem in eam immitteret, ridiculè diceretur permittere tantùm frigoris expulſionem, quæ naturaliter loquendo eſt per ſe connexa cum caloris immiſſione.

Similiter etiam ratiocinandum eſt ex diuina de malis actibus prouidentia ac præſcientia, Habet enim Deus perfectiſſimam prouidentiam eorum quoad materiale ſuum. Non quòd Deus intendat illos eſſe, vel autor cuiquam aut impulſor ſit, vt eos efficiat; ſed quod illos per humanæ voluntatis nequitiam ponendos, velit permittere, præparato concurſu, ad humanæ voluntatis exigentiam exerendo. Permiſſos autem, ac per creaturæ determinationem ponendos, ordinet ad finem ſuæ diuinæ bonitati conſentaneum eiſque condignum ſupplicium rependere ſtatuat. Igitur perfectiu diuinæ prouidentiæ non aſtruit decreta diuina antecedentia circa rem prouidentiæ ſubiacentem Æquè item diuina præſcientia malorum actuum, poſtulat fundamentum certum & infallibile, & ſaltem ex ſuppoſitione neceſſarium, quàm prænotio actuum moraliter bonorum, vel indifferentium Et tamen fundamentum prænotionis diuinæ malorum actuum, videtur duntaxat deſumendum penes futuram ipſorum exiſtentiam ex determinatione voluntatis creatæ. Alioqui enim Deus ex ſe decerneret actionem, cui indiſſociabiliter adiungitur malitia: quod dici non poteſt, niſi huius quoque cauſatio in Deum refundatur, vt ſæpè dictum eſt. Itaque ſicut ex nullo prædictorum capitum, confirmari poteſt decretum Dei antecedens, quoad actus liberos vitioſos; ita neque quoad actus bonos merè naturales & indifferentes: cùm ſit omnium par ratio; nec aliter Deus ad hos quàm ad illos phyſice coëfficiendos; & determinandos ſe habeat,

An ſententia admittens determinationem Dei ad indiuiduum ſalua libertate, ſuffragetur diuinis decretis, & prædeterminationibus iam reiectis.

326. Video, poſſe has rationes alicui non ita firmas exiſtamari, ſuppoſita ſententia ſatis recepta, Nempe quòd Deus determinet cauſas ſecundas ad indiuiduum. Si enim Deus id poteſt ſalua libertate actuum liberorum, ad quorum indiuiduationem determinat cauſas liberas, nec idcirco ſequitur eum cauſare actus illos indiuiduos, quibus malitia inſidet, quamuis Deus ipſe ad totam phyſicam illorum entitatem, atque adeo ad eos quoque quatenus ſingulares, voluntatem creatam determinet; quomodo affirmamus ex decreto diuino antecedente ac determinante ex ſe voluntatem creatam, ſequi excluſionem libertatis ab actu ad quem ſic determinatur voluntas? Quomodo item ex eo decreto inferimus cauſalitatem Dei in peccatum, ſi actus ille ſit malus?

Aliqui quidem ex autoribus, qui nobiſcum diuinas præfinitiones mouentes abrogant, concedunt ſententiam, quæ determinationem ad indiuiduam actionem Deo tribuit, non voluntati creatæ; repugnare libertati, & Deum peccati autorem facere. Ita Vaſq. 3. p. d. 74. c. 7. & Moncæus d. 19. ſelecta. c. 12. Quorum ille inde probat lædi ex ea ſententia libertatem, quia etiam actus intenſio debet eſſe libera, quæ tamen ſpectat ad indiuiduationem illius actus: Præterea ſi poſſet libertas ſaluari admiſſa hac Dei determinatione, non aliter id poſſet fieri, quàm quia Deus decernit tantùm indiuiduationem poſt præuiſam operationem creaturæ, quod repugnat: quia ſic actum primò videret inadæquatè tantùm.

Alij tamen plerique antecedentium motionum abrogatores, negant per diuinam determinationem ad indiuiduum, violari libertatẽ actus. Nec id ſanè euincunt, quæ ad hoc probandum adducta ſunt vt poſteà planum fiet. Quod ſi poſita ea ſententia de diuina determinatione ad indiuiduum, quæ nobis videtur veriſſima, non ſequitur lædi libertatem ad actum indiuiduum, vt videmur cogi dicere, cùm totus actus ſit liber adæquatè: Eodem modo aſſertores diuinorum decretorum antecedentium & ex ſe efficacium dicere poterunt non lædi libertatem noſtram per illud efficax decretum, quod Deus ex ſe concepit. Similiter ſi poſita ea ſententia, non propterea Deo tribuitur quod cauſet peccatum, etiam quatenus indiuiduum, (vt ſanè non eſt tribuendum;) negari etiam poterit, poſitu decreto, antecedente quoad anteriores rationes metaphyſicas actus mali, ſequi Deum eſſe nihilominus cauſam actus mali. Iuxta hanc igitur ſententiam paratum videtur aduerſariis idoneum perfugium, quo à ſe depellant quæ contra diuina decreta ex ſe efficacia & abſoluta ac mouentia obiecimus, ex ſecutura humanæ libertatis violatione, & cauſalitate Dei in actum malum.

Diſparitas ſententiarum illarum aperitur.

327. Nihilominus ſumma eſt diſparitas inter vtramque ſententiam, quoad illud de quo in præſenti eſt controuerſia. Et quanquam ſi alterutrum admittẽdum neceſſariò eſſet; nempe vel Deum non determinare ex ſe ad indiuiduũ, vel determinare ex ſe ad ſpeciem & exercitium actus, præſtaret primum illud admittere, & cum aliquibus non omnino improbabiliter alios determinationis ad indiuiduum fontes aſſignare, quam illud aliud concedere, ex quo periculum aliquod ſummæ Dei ſanctitati & libertati noſtræ creari videatur. Tamen duæ illæ ſententiæ, ſunt reuera valdè ſeiunctæ, nec ex vna ſequitur alia.

Admitto itaque determinationem quoad indiuiduum, ſiue quaſi delectum huius potiùs numericæ actionis, ex pluribus, quas cauſa efficiens poſſet hic & nunc æquè profundere, tribuendum eſſe Deo. Cauſa enim creata ſaltem humana, non prænoſcit indiuiduationem actionis. Vnde non poteſt ſe ad eam determinare, Quare Deus eſt qui facit vt cauſa creata hanc potius numericam quàm aliam actionem exprumat; non per inclinationem vllam aut inflexionem volũtatis creatæ in hanc potius quàm in illam partem, ſed per determinationẽ diuini concurſus ad hunc potius quàm ad illum actum ex pluribus omnino ſimilibus tunc elicibilibus: Vel ſi præciſè ac exactè loquendum eſt, per denegationem concurſus ad alios numericos actus & permiſſionem rapiendi (vt cum D. Anſelmo loquar) concurſum illum ſingularem, qui offertur: qui quia eſt idem phyſicè cum actione creaturæ, ſequitur vt actio creaturæ, ſit hæc numero potius quàm alia non ex determinatione Dei inflectentis voluntatem, aut ex ſe eam prædeterminantis ad hunc actum malum indiuiduum; ſed ex libera determinatione creaturæ, quæ determinauit concurſum illum vnicum ſibi oblatum vſurpare atque adeò hunc numero indiuiduum actum profundere Quanquam enim non eſt conſcia, quem vnicum concurſum numericum ſibi Deus permiſerit; tamen hoc ipſo quòd determinat ſe ad exercitium. quod Deus permittit tantùm fieri in hoc ſingulari actu, cenſenda etiam eſt ſe determinare ad actum illum indiuiduum & quatenus liberum, & quatenus malum. Deus autem latè ſumpta voce dicitur determinaſſe voluntatem creatam ad hoc indiuiduum, quia è pluribus concurſibus numericis, hunc duntaxat permiſit voluntati creatæ, vt ſi peccare vellet, non alio numericè actu id exequeretur, quàm iſto diuinitus deſignato ac delecto. Qua in re nulla eſt imperfectio Deum dedecens.

Itaque iuxta ſententiam inhæẽtem decreta diuina antecedenter efficacia; quandoquidem Deus ex ſe, &

non

non ad exigentiam determinationis voluntatis creatæ, efficaciter vult t lem actum malum effici,& ad id voluntatem noſtram prædeterminat, neceſſarium planè videtur, velit nolit voluntas, actum illum poni,& poni authore Deo. Neutrum autem horum ſequitur ex ſententia illa, quæ determinationem ad indiuiduum tribuit Deo. Quandoquidem Deus ex ſe non determinat ad indiuiduationem, ſed tantùm præcedente creaturæ determinatione ad ſpeciem ac exercitium actus, permittit creaturæ vnius ſui concurſus vſurpationem, vultque illum ei non deeſſe, quod ſaluo munere cauſæ primæ negare non potuit de potentia ordinaria. Et hoc aperte ſ ru t quæ Gregorius in 2. d. 34. q. 1. art. 3. ad 8. & Dionyſius Ciſterc. in 2. d. 1. q. 1. art. 1. & q. 2. princip. art. 2. & d. 23. q. 1. art. 1. optimè tradunt de anterioritate naturæ competente influxui creaturæ voluntatis in peccatum, præ influxu diuino, quem aiunt ſimul quidem tempore, poſteriùs tamen natura aduenire.

Argumenta probantia ex diuina determinatione ad indiuiduum lædi libertatem, enodantur.

328. Quæ verò ex iis cum quibus conſentimus in reiectione decretorum huiuſmodi abſolutorum antecedenter efficacium, contra ſententiam illam de Deo determinante ad indiuiduum propoſita ſunt, vt probarent ex ea ſequi læſionem libertatis noſtræ & cauſalitatem Dei in peccatum, exigui ſunt momenti & ferè ſufficienter diluta paulo ante Iuuat tamen paulò preſſiùs & explicatiùs idipſum tradere. In primis ergo ex ea ſententia nullo modo ſequitur violatio libertatis: Siquidem in poteſtate libertatis eſt, vt exerceat vel non exerceat actum, quem exercet: quia poteſt omnino feriari Atque ita ne ad actum quidem quatenus indiuiduum adigitur; quamuis poſito quod voluntas exercere velit actum talis ſpeciei, ſeque ad id quaſi generaliter & vagè inflectat; poſſit Deus illi vnicum indiuiduum concurſum vſurpandum permittere: quod eſt eam determinare ad actionem prout indiuiduam. Eſtque ea determinatio longè alia à determinatione quoad exercitium, vt oſtendi in Naturali Theologia diſt. 4. n. 179. Ad plenam autem voluntatis libertatem, perinde eſt à quocunque habeat eam determinationem, vt rectè cenſuit Rubionius in 1. d. 38. q. 1. concluſ. 3. Quid enim intereſt ad libertatem, ſiue hoc ſiue illo indiuiduo amore ames, dummodo ita ames, vt poſſis non amare? Imo ob perplexitatem ſecuturam & tenebras quoad hoc voluntati obtenſas; ne voluntas prorſus onerretur, neceſſe fuit ita fieri.

Quare admitto libertatem in voluntate, non modò quoad ſpeciem, ſed etiam quoad exercitium actus: quamuis quòd iſte potiùs actus numericus, quam alius per me exerceatur, ad libertatem non referat, mihique liberum non ſit hunc vel illum numericum actum præligere, cùm ſit mihi omnino incognita actus ſingularitas. Vnde illi ipſi qui ſententiæ cui patrocinamur, negotium faceſſunt, non dicunt, nec poſſunt dicere, ſingularitatem deligi à voluntate noſtra, ſed quod nos tribuimus Deo, tribuunt ipſi circumſtantiis, à quibus dicunt cauſam determinari ad indiuiduum. Sicut ergo ea determinatio per circumſtantias, non eſt vllo modo impeditiua libertatis; ita neque determinatio omnino eadem, nec alio modo facta à Deo per exhibitionem diuini concurſus ſingularis, abſque vlla cauſali voluntatis ſe determinantis anteceſſione.

Specialiter autem argumentum, quod in hanc rem vrgebatur de actus intentione, quæ debet eſſe libera voluntati, cum tamen ſpectet ad eius indiuiduationem, procedit ex aperta æquiuocatione. Neque enim ſententia quam nunc approbamus, tuetur indiuiduationem illam, quæ eſt intenſio, determinari à Deo: ſed id tantùm aſſerit, de ea indiuiduatione, quam aduerſarij dicunt determinari à circumſtantiis. Itaque eſt æquiuocatio in nomine indiuiduationis. Et aliqua hoc eſt ea quæ opponitur, non determinatur à Deo, ſed à voluntate; nec tamen, phyſicè loquendo, eſt indiuiduatio. Quamuis enim intenſio tanta vel tanta, in moralibus dicatur pertinere ad indiuiduationem actus, quia non variat eius ſpeciem, quo item ſenſu controuertitur, vtrum animæ indiuidualiter ſint inæquales: Tamen in præſenti negotio, intenſio pertinet ad ſpeciem actus, ideoque ab eodem phyſicè determinanda eſt, à quo determinatur ſpecies & exercitium eius hoc eſt, à voluntate, non à Deo.

Neque verò, (quod poſteà ab iiſdem huius ſententiæ impugnatoribus ſubiungebatur,) admittimus Deū primò cognoſcere actum voluntatis tantùm inadæquatè, id eſt, tantùm quoad rationem ſpecificam, cùm determinat ad ſingularitatem eius, poſt voluntatis determinationem; Id enim pugnat cum claritate & perfectione diuinæ notitiæ. Dicimus ergo Deum in primo quodam ſigno, intellectu penetrantem omnes operationes à cauſa creata libera elicibiles, ſi habuerit paratum concurſum ad id requiſitum; concepiſſe etiam concurſus ſuos ſingulares illis actionibus identificatos, & illico per voluntatem decreuiſſe, vt parati eſſent, ſi creata voluntas eos depoſceret, in his quidem circumſtantiis ille numero, in aliis autem alius numerice diuerſus. Ex quo fit vt deinde voluntate noſtra ſe determinante ad exercendum actum talis ſpeciei, ponatur conditio, vi cuius diuinum decretum conditionatum tranſit in abſolutum, applicans potentiam Dei exequentem ad exerendum ſingularem illum concurſum eius conditionaliter præcognitum, & in talibus circumſtantiis delectum à Deo. Atque ita qui affirmat Deum determinare tantùm ad indiuiduationem actus præuiſa determinatione voluntatis, non inuehit in diuina notitia vllam confuſionem vel inadæquationem cum obiecto.

329. Affirmabam inſuper, ſecundo loco malè opponi huic ſententiæ, quòd cogatur admittere cauſalitatem Dei in peccatum. Id verò perſpicuum eſt ex ſupra dictis. Quorſum enim tribuetur Deo actus, cuius exercitium & ſpecies, à ſola voluntatis creatæ determinatione ortum habuit? Fateor quidem Deum, poſita voluntatis determinatione ad duo prædicta, eſſe cauſam cur hæc actio numero prodeat à voluntate creata, potius quàm alia, numero tantùm diuerſa, quæ æquè elici per voluntatem creatam potuiſſet. Tamen hoc non eſt Deum eſſe cauſam actus indiuidui quatenus mali; ſed tantùm eſt eſſe cauſam actus, quatenus eſt ſingularis actus phyſicus; cui ex modo quo ad illud coefficiendum ſe habuit concauſa Deo cooperans, acceſſit malitia, quam ex diuino ad illum ſe habendi modo non habuiſſet.

Facile verò eſt hoc ipſum, quod de indiuiduatione actus mali in Deum non refundenda, affirmamus, exponere per ea, quæ de ſpecie eiuſdem ab omnibus neceſſariò ſunt aſſerenda Sicut ergo applicatio creaturæ ad peccandum, vt conditionaliter præuiſa, eſt ratione prior applicatione diuina quaſi exercita, & idcirco libertas creata non violatur, per diuinam illam applicationem, quæ duntaxat ad creaturæ nutum exercitur: prius autem eſt tantùm quaſi in procinctu, & præſtolans creaturæ determinationem conditionaliter præuiſam; ob quam etiam cauſam peccatum non tribuitur diuinæ applicationi, ſed determinationi voluntatis creatæ: Ita determinatio quoad indiuiduum actus, cùm ſit poſterior generali determinatione concurſus,

curſus, nec ſit aliud quàm reſtrictio quædam volun-tatis illius vniuerſalis, qua Deus honeſtiſſimè & abſque vllo influxu in peccatum, quatenus cauſa prima ſtatuit per concurſum ex ſe indifferentem, cooperari peccatori hic & nunc agere volenti: multò minus po-tuit præbere fundamentum, tribuendi Deo cauſalita-tem in peccatum, quatenus indiuiduum.

Neque verò ad cauſalitatem in peccatum ſufficit vt entitas Phyſica ab aliqua cauſa prodeat; ſed neceſſe eſt, vt ratio malitiæ conſequatur modum cauſandi, illius cauſæ cui tribuitur ea cauſalitas in peccatum formaliter ſpectatum. Ex modo autem, quo cauſa prima ſe habet ad hanc actionem, non conſequitur eius inquinatio, vt ſuo loco tractandum eſt: Nunc enim id noſtra non refert; quia autores ſententiæ, quam impugnamus, non poſſunt nos vrgere ex hoc capite, quin æquè ipſis incumbat ſoluere difficultatem quoad malitiæ ſpeciem.

Exſolutio libertatis non volendi, hactenus pro actibus naturalibus ſtabilita, extenditur obiter ad ſupernaturales.

330. Et hactenus de plena, noſtræ illius partialis libertatis, quæ eſt ad non volendum, exſolutione quoad actus naturales, ſiue moraliter tantùm bonos, ſiue malos, ſiue indifferentes. Nunc quoad actus ſupernaturales liberos, cuiuſmodi ſunt credere, ſperare, diligere ex motiuo ſupernaturali, ac ſimiles; addendum eſt in noſtra quoque eſſe poteſtate eos non exercere, nec libertatem noſtram ad non volendum, vllatenus impediri, ex diuina ſcientia practica, vel decreto, vel aliqua motione Dei antecedente noſtrum conſenſum.

Ex quo poſtremo capite multos ſuo tempore, libertatis incolumitatem deſperaſſe, teſtatur S. Anſelmus 3. p. concord. *initio* Idémque olim Pelagiani reiectioni gratiæ obtendebant, vt ſæpè memorat D. Auguſt. nominatim de grat. & lib. arb. Sed omninò abſurdè, collidebantur ab illis gratia & libertas. Nam quãuis ſit de fide, nos ad actus ſupernaturales blandè à Deo præueniri, & in intellectu, & in voluntate; ita vt per has benedictiones dulcedinis præmoueamur & ſollicitemur ad conſenſum; Tamen vniuerſa hæc inductio & inuitatio, qualiſcunque tandem ſit, (de quo non ago, & magna animorum contentione inter Doctores Catholicos ſalua fide agitatur;) qualiſcunque inquam ſit ea inductio, libertatem creatam non temerat; Et in hoc, (quod vnum hîc affirmo,) omnes Catholici conſentimus.

Libertatem porro non temerat ea inductio & inuitatio, quia inductio & inuitatio eſt, totáque perficitur abſque vi & adactione. Poſſumus enim Dei mouentis & excitantis inſpirationem & afflatum abiicere, vt ſanxit Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 5. & can. 4. contra Caluinum, cuius eſt ea vox pleniſſima contemptus in vniuerſam antiquitatẽ l. 2. inſtit. c. 3. §. 10. *Voluntatem mouet* Deus per gratiam, *non qualiter multis ſeculis traditum eſt, & creditum, vt noſtra poſtea ſit electionis motioni aut obtemperare aut refragari, ſed illam efficaciter afficiendo. Illud ergo toties à Chryſoſtomo repetitum repudiari neceſſe eſt, Quem trahit volentem trahit: quo inſinuat Dominum porrecta tantùm manu expectare an ſuo auxilio iuuari nobis allubeſcat.* Quod Antichriſti huius pronunciatum, cum inſigni anteriorum ſeculorum, hoc eſt, Sanctorum Patrum deſpicientia coniunctum, æmulata non ita pridem Pſeudoſynodus Batauica Dordracena, in conuiuio eorum pariter potantium, ſententiam qua diuinæ vocationis efficacis repudiabilitas admittitur bruto fulmine perculit art. 12. & art. 8. *inter reiectos*. Nempe quia ea ſententia, ſartam tectam retinet libertatem hominis vocatione præuenti, quam illi Caluini gregales exoſam habent, & *ab irreſiſtibili* (vt barbari barbarè loquuntur) *vocatione Dei, excindi* volunt.

At è contrariò Proſper contra Collatorem cap. 3. catholiciſſimã eſſe definitionem dixit, quam Caſſianus poſuerat, nimirum, poſſe hominem ſe auertere ab auxilio Dei, vel attrahentem eius gratiam humiliter ſubſequi. Et S. Chryſoſtom. hom. de laud. Pauli *ſub initium*, præmiſſa mentione, vocationis Pauli ſubdit: *Tu verò hoc audiens, nolo vocationem iſtam neceſſitatem putes. Non enim Deus cogit homines vocando, ſed poſt vocationem quoque, permittit eos propriarum eſſe dominos voluntatum.* An Chryſoſtomi aures perculerat grunnitus ille Pelagij, quo vocationem gratuitam vocabat *neceſſitatem*. vt S. Auguſtinus memorat lib. 1. reſponſ. 2. contra Iulia. c. 95.: Et idem luculenter tradit Gennadius lib. de Eccleſ. dogmat. cap. 21. Macar. homil. 27. & rurſus 37. Fulgent. l. de prædeſt. & grat. cap. 9. ad quod caput alios adduxi.

Ergo, vt cum Ennodio concludam, *debemus gratiæ quòd vocamur; debemus gratiæ, quod occultis itineribus, niſi reſiſtamus, ſapor nobis vitalis infunditur: Noſtræ tamen electionis eſt, quòd beneficia demonſtrata ſectamur.* Sic ille l. 2. epiſt. 21. impugnans quendam externa ſpecie pium, qui affirmabat homini in vna tantùm parte, quæ deterior eſt, ſiue ad peccandum, datam fuiſſe eligendi licentiam. Ad bonum autem, hoc eſt, ad ſupernaturales actus, de quibus agimus, attrahi hominem inuitum volebat, cauſatus voluntatis noſtræ à diuina gratia præuentionem. Quam Ennodius ait eſſe ſchiſmaticam propoſitionem, & iuxta Apocalypſim, ſcriptas habentem in fronte blaſphemias: negátque poſſe electionem nominari, quæ tantùm vnam partem conceſſam ſpectet; non autem ad vtrumlibet verti poſſit. Et loquebatur quidem ille conſequenter. Nam admiſſa tam forti attractione diuina, quam homo non poſſet abiicere, rectè indicabat eripi homini libertatem ad ſupernaturalia opera. Tamen meritò Ennodius Eccleſiam ſecutus, reprobauit tales diuinas ſuppetias, libertati inimicas. Quod à Caluino, vt vidimus, recuſum dogma, acriter inſectati ſunt, qui pro arbitrij liberi incolumitate, ſaluis gratiæ iuribus, ſtrenuè contra Caluinum pugnarunt, Ruardus art. 7. Lenſæus libro 1. de libert. Chriſtian. cap. 8. Stapleto. in antidoto ad cap. 9. Actorum; Et in promptuario Catholic feria 6. hebdomadis primæ quadrageſ. Veſtonus lib. 1. de triplici hom. off. cap. 12. aliíque paſſim

331. Itaque dimiſſis iis de quibus inter Doctores ſalua fide diſceptatur, quod noſtrum non ſit ad ea diuertere; ſtatuamus hoc loco illud duntaxat, de quo nulla poteſt eſſe dubitatio; nempe gratiam quancunque actualem, cum libertate noſtra probè cohærere. In quo omnes Catholici contra Caluinum conuenimus, ſufficítque ad præſens inſtitutum, & luculenter à Sanctis Patribus ſæpè confirmatum eſt, in tractatibus de grat. & lib. arb. vt à S. Auguſtino, Bernardo, Proſpero ad Ruffinum, Anſelmo 3. p. concord. Honorio Auguſtod. in dialogo qui inſcribitur *ineuitabile*. Nam alia in hanc rem penitiora diſcutere, vel de varijs ſententiis iudicium ferre, nec huius negotij eſt, nec per maiores & tempora licet.

Quanquam poſſumus obiter, profuſis ſuper ea re diſputationibus ſuo loco non omiſſis, breuem earum ſummam ab elegantiſſimo ac verè mellifico Doctore D. Bernardo ſub finem libri de grat. & lib. arb. concinnatam hîc apponere. *Valet*, inquit, *intentio ad meritum, actio ad exemplum, vtramque præueniens cogitatio tantummodò ad excitandum. Cauendum ergo*

ne

ne cùm hæc inuiſibiliter intra nos ac nobiſcum factitari ſentimus, aut noſtræ voluntati attribuamus, quæ infirma eſt, aut Dei neceſſitati, quæ nulla eſt ſed ſoli gratiæ, quæ plena eſt. Ipſa liberum excitat arbitrium, cùm ſeminat cogitatum; ſanat, cùm immutat affectum; roborat, vt perducat ad actum; ſeruat, ne ſentiat defectum. Sic autem iſta cum libero arbitrio operatur, vt tantùm illud in primo præueniat, in cæteris comitetur. Ad hoc vtique præueniens, vt iam ſibi deinceps cooperetur. Ita tamen quod à Diuina gratia cœptum eſt, pariter ab vtroque perficitur; vt mixtim non ſigillatim ſimul non viciſſim per ſingulos profectus operentur. Non partim gratia partim liberum arbitrium, ſed totum ſingula opere indiuiduo peragunt. Totum quidem hoc, & totam illa ſed vt totam in illo, ſic totum ex illa: Dicunt hoc ipſum Scholaſtici fuſiùs & inelegantiùs, nemo plura meliùs paucioribus.

Illata ex decretorum antecedentium reiectione: ac primùm an Deo non libero, liberi eſſemus.

Secundò ex dictis hactenus in priore parte aſſertionis aliqua obſeruatu digna collegi. Illúdque in primis, de quo vetus rixa eſt, inter Sancti Thomæ ac Scoti ſcholam, nimirum an poſito quòd Deus iuxta Philoſophorum quorundam errorem, non ageret liberè, & ex neceſſitate naturæ cooperaretur nobiſcum, ſalua maneret libertas noſtra, quoad partialem facultatem non agendi, cuius nunc tuemur expeditionem.

Negat Scotus in 1. d. 2. q. 4. & d. 8. q. 4. & 5. & in 2. d. 1 q. 3. ac ſæpè alibi: ſequuntúrque Scotiſtæ omnes, & annuit Bannes 1. p. q. 19. art. 8 concl. 9. Tametſi enim concedit contra Scotum, admiſſa ea ſuppoſitione, futuros pleroſque effectus contingentes, ob cauſarum impedibilitatem: negat tamen homines futuros eſſe liberos. Annuit item Scoto Henriques lib. de fine hom. c. 6. n. 3. Et ratio eſſe videtur, quia ſi Deus ageret ex neceſſitate naturæ, faceret neceſſariò omnia, quæ poteſt. Inter ea autem, quæ facere poteſt, numeranda eſt efficax & prædeterminans voluntatis motio, cum qua non poteſt iungi libertas. Itaque Deo ex neceſſitate naturæ agente, omnes nos neceſſitaremur ad operandum. Vnde vlterius infert Scotus, Philoſophos illos, qui erepta Deo libertate eam homini ſaluam voluerunt, pugnantia dixiſſe.

E contra verò Thomiſtæ & alij plerique, paſſim contendunt, etiamſi Deus operaretur ex neceſſitate naturæ; tamen adhuc fore ſaluam libertatem noſtram ad non agendum. Ita Ferrar. 1. contra Gent. cap. 67. Caiet. 1. p. q. 19. art. 8. & 16. & ibi Valent. p. vlt. Vaſq. 1. part. d. 100. c. 3. Trigoſ. 1. p. S. Bonauent. q. 10. art. 4. dub 5. Mol. 1. p. q. 14. art. 13. diſp. 11. Fonſeca 6. Met. c. 2. q. 3. ſ. 3. Suar. d. 19. Met. ſ. 3. n. 16. Siren. 3. de fato cap. 58. & alij.

Diſſidentes ſententiæ componuntur.

332. Verùm non diſſidere vtrinſque ſententiæ authores quoad rem ipſam rectè aduertit Syluester 1. p. conflati q. 14. art. 16. ad 2. Si enim ſupponamus Deum neceſſariò quidem operari & libertate deſtitui, non plus tamen facere, nec aliter concurſum præbere, quàm nunc præbeat, cùm reuera liber eſt: rectè affirmant authores poſteriore loco adducti, non defore homini libertatem. Quod enim Deus ſit in ſe vel non ſit liber, parum refert ad hoc vt actio ſit vel non ſit mihi libera. Ad id ſiquidem tantùm exigitur, vt operer cum indifferentia actiua, ac dominio in actum meum. At hæc omnia ſalua perſtarent, ſi Deus libertate deſtitutus, non aliter ſe haberet cooperando nobiſcum, quàm nunc ſe habeat: alioqui ne nunc quidem liberè operaremur. Nec coniunctio vnius cauſæ neceſſariò operantis, violat libertatem alterius, à qua ſimul cooperante prodit eadem actio. Nunc enim actio, qua Deus cum igne & aliis cauſis non liberis cooperatur, eſt ipſi Deo libera; non obſtante huiuſmodi cauſarum neceſſitate.

Hoc ergo ſenſu rectè habet, quòd authores poſteriore loco adducti affirmant. Nec reuera diſſentit Scotus, qui procedit aliter ſuppoſito ſtatu quæſtionis; nempe poſito quòd Deus libertate deſtitutus faceret omnia quæ poſſet, atque adeo prædeterminaret voluntates noſtras, eáſve ad operandum abriperet, quod nunc non facit, quia liber eſt, & nos libertatis ſuæ ac indifferentiæ actiuæ participes eſſe ſapientiſſimè ſanxit. Atque ita ex prima aſſertionis parte, qua concluſum eſt, Deum nullatenus antecedenter voluntates noſtras prædeterminare, aut efficaci decreto ex ſe concepto vrgere ad opus, concludere hîc quoque poſſumus, quamuis Deus liber non eſſet, ſi tamen eundem nobiſcum cooperandi tenorem ſeruaret, non defore nobis libertatem.

Illatum alterum, quæ ſit radix contingentiæ.

Illud præterea ex dictis intuli, voluntatem creatam eſſe radicem proximam contingentiæ ſuæ in operando. Circa quod etiam eſt varietas ſententiarum, ſed quæ plerunque de vocibus potius, quàm de re ipſa diſſideant. Contingentiam itaque hoc loco intelligo, conditionem effectus mediam inter neceſſarium & impoſſibile. Nam quamuis interdum contingentia deſignet rationem effectus caſualis, & producti præter agentis intentionem: tamen in præſenti ſumitur pro ea conditione inter neceſſitatem & impoſſibilitatem media. Sic autem acceptæ contingentiæ radicem omnino primam ac vltimam, non eſt dubium eſſe à diuina voluntate repetendam. Per Deum enim ſtat, quòd aliqua eo modo efficiantur. Nam ſi vellet quibuſuis effectibus negare influxum aut concurſum ſuum, non eſſent poſſibiles proximè & poſſibilitate ad actum reducenda; quia in tali poſſibilitate intimè includitur ordo ad Deum cooperantem, vel ſe ſolo producentem. Si autem vellet, omnia quæ fiunt, effici neceſſariò, nihil eſſet quod eis conferret libertatem: quia adigeret cauſas omnes ſecundas ad operandum, cum qua adactione non conſiſteret libertas operationis & productionis effectus. Quia tamen Deus ſinit cauſas ſecundas operari iuxta ſuam naturam, habétque paratum ad earum operationes concurſum, quem iuxta leges à ſe ſtatutas ſemper præbet, demptis miraculoſis quibuſdam exceptionibus, quas humana Philoſophia non attendit: Idcirco radix contingentiæ, rationabiliùs attenditur penes cauſam proximam effectus.

333. Quo ſenſu radix contingentiæ in effectibus cauſarum naturalium neceſſariò operantium, eſt virtus earum debilis & diminuta, ob quam ſunt impedibiles ab aliis cauſis interuenientibus. Vnde oritur vt effectus earum ſit extrinſecè tantùm contingens. Spectat autem ad litem de nomine, an ſi nulla ex omnibus cauſis quoquomodo ad huiuſmodi effectum interuenientibus libera ſit, ſaltem vt applicans alias cauſas, vel remouens impedimenta, dicendus ſit effectus contingentia carere, vt affirmat Suares d. 19. ſ. 10. n. 5. An verò quia ex ſuis principiis intrinſecis, & ex ſua natura talis eſſet, vt non repugnaret ei, eſſe vel non eſſe, dicendus eſſet contingens cum Vaſ-

que 1. p.d.100. cap.4.non obſtante extrinſeca determinatione, vndecunque impendente ob cauſarum quarumcunque determinationem,& excluſionem cuiuſuis cauſæ liberæ. Hoc inquam ſpectat ad litem de nomine, ideóque iuxta diſtinctionem proximè inſinuatam vtroque modo reſpondere licet. In effectibus autem liberis creaturarum, radix contingentiæ quam habent non eſt alia, quàm vis intrinſeca & dominium cauſæ actiuè indifferentis ac expeditæ;ideóque pro poteſtate dantis vel negantis eſſe ſuo effectui. Quod rectè ſequitur ex priore aſſertionis parte. Nam vnicum, quod afferri potuit impedimentum contingentiæ actuum noſtrorum liberorum, fuit diuinum decretum abſolutum, voluntates noſtras antecedens. Nullum autem tale decretum admittendum eſſe oſtendimus. Idcirco igitur actus noſtri poſſunt non poni, ſuntque contingentiæ participes, quia voluntati liberæ prorſus exſolutæ, & nullo modo ad operandum adactæ, placere poteſt, vt non ponantur;eſtque in eius poteſtate, vt eliciantur vel non eliciantur.

Illatum tertium, fati exploſio.

Tandem illud quoque ex dictis in prima illa aſſertionis parte rectè colligitur, non aliud fatum eſſe admittendum, quàm voluntatis noſtræ arbitrium. Fatum enim aſtronomicum ſiue mathematicum, non eſt niſi fatuorum, vt ſcitè luſit Auguſtinus tract.17. in Ioan. Quare ſi aliud ſupereſſet fatum extrinſecum, non aliud eſſet quàm quod ex diuino decreto abſoluto & antecedente duci poſſet, quale fuiſſe fatum Stoicum latè demonſtraui in Naturali Theolog agens de diuina prouidentia, & notat etiam Thomas Bradnardinus l.1. de cauſa Dei c.28. At hoc fatum proximè à nobis excluſum eſt; reiectis quibuſuis diuinis decretis antecedentibus, quoad liberos noſtros actus, à Deo ex ſeipſo conceptis. Supereſt ergo vt quod dixit Nyſſenus lib. de fato ſub finem. *Sors cuiuſque ac fatum, ſit propria voluntas, quidlibet pro arbitrio complectens.* Quam fuiſſe quoque ſententiam doctiſſimorum quorumcunque inter Græcos, teſtatur Nemeſius lib. de hom. cap. 37.

Valeat igitur Himarmene,& Pepromene, ac Adraſtæa, quam nihil fugit,& Parcæ. His enim nominibus, Stoici, vt eſt apud Theodoret. initio ſexti contra Græcos, appellabant fatalem neceſſitatem ex diuina voluntate iniectam. Quod confirmatur etiam cap.14. Aſclepij, & in fine libri de mundo ad Alexandrum, vbi Apuleius mentem authoris ita expreſſit. *Fatum quod Græci εἱμαρμένην à tractu quodam inuicem cauſarum ſe continentium, volunt dici decretum, Idem πεπρωμένην dicunt quod omnia in hoc ſtatu rerum definita ſint, nec ſit in hoc mundo aliquid indeterminatum Idem fatum μοῖραν vocant. quòd ex partibus conſtet. Hinc ἀνέμησιν quod vnicuique attributio ſua ſit adſcripta. Adraſtaa eadem quaſi ineffugibilis neceſſitas vltionis. Sed tria fata ſunt, numerus cum ratione temporis faciens, ſi poteſtatem earum ad eiuſdem ſimilitudinem temporis referas Nam quod in fuſo perfectum eſt, præteriti temporis habet ſpeciem: Et quod torquetur in digitis, momenti præſentis indicat ſpatia. Et quod nondum ex colo tractum eſt, ſubactúmque cura digitorum, id futuri & conſequentis ſeculi poſtera videtur oſtendere Has illis conditio ex nominum eorundem proprietate contingit Vt ſit Atropos, præteriti temporis fatum: Lacheſis à fine cognominata, quod etiam illis quæ futura ſunt, finem ſuum Deus dederit: Clotho præſentis temporis habet curam, vt ipſis actionibus ſuadeat, ne cura ſolers rebus omnibus deſit.*

ARTICVLVS VI.

De communi impedimento vtriuſque quaſi partialis facultatis libertatem integrantis, ducto ex diuina præſcientia.

334. IMpedimenta libertatis noſtræ, quæ hactenus depulimus & de facto non habere locum ſufficienter euicimus, ſpectant vel ad priorem duntaxat facultatem quaſi partialem in libertate incluſam, quæ eſt ad volendum; vel ſeorſim ad poſteriorem, quæ eſt ad non volendum.

Libertatem noſtram prænotione euerti, aut prænotionem libertate, qui dixerint.

Supereſt vnum ex diuina præſcientia ductum, quod vtramque partialem libertatis facultatem, atque adeo libertatem vniuerſam æquè peſſundare cenſuit Mahumetes apud Cuſanum l. 3. cribrationis Alcorani c.7. & VVicleffus ac alij quidam, vt VValdenſis loquitur tom.1. l.5. cap.22. & 2.. *non tam Philoſophi quam ſtrmothil*. Sed & iam olim nonnulli, hoc de libertate noſtra & Dei præſcientia ambiguum, non niſi alterutrius inficiatione tolli poſſe arbitrati ſunt; Ideóque Tullius, cui humana libertas viſa eſt exploratiſſima, vt rebus humanis commodaret, diuinam præſcientiam, *diſputatione deteſtabili labefactare viſus eſt*, vt loquitur S. Auguſtinus 5. Ciuit. c.9.

Nec aliter Aphrod. l. de fato, cuius ea eſt oratio. [Si hoc rerum natura patiatur, & fieri poſſe permittat, vtique futura à Diis potiſſimum præcognoſci dictu fas eſt, & maximè rationi conſentaneum. Sin autem huiuſmodi præcognitio, vt impoſſibilis à natura renuitur, profectò ne Diis quidem futura præſcire datum eſſe, putare conuenit. Nam quæ ſua natura fieri nequeunt, ea nihilo ſecus apud Deos ſuam naturam retinent. Cùm diameter lateri fieri commenſurabilis, ne à Diis quidem immortalibus poſſit, nec vt bis duo ſint quinque, aut præteritorum quicquam non ſit elapſum. Sed ne velle quidem Deos, quæ naturâ fieri nequeunt, efficere liquet. Itaque res, quarum eſt ea natura, vt fieri perinde, atque non fieri poſſint, Deos omnino futuras aut viciſſim non futuras, præſcire non poſſe, conſtat: quoniam talis facultas, huiuſmodi præcognitione tolleretur. Quare qui velit, eam poteſtatem retinere is Deorum certam præcognitionem negabit.] Eandem diuinam futurorum liberorum prænotionem, fallibilitatis notare auſos eſt Biturigibus, quidam Abelardi æqualis, quòd non videret, poſita omnimoda diuinæ prænotionis certitudine, quomodo libertas humana, quæ illi pretioſior & perſpectior diuina certitudine erat, retineri ſarta poſſet, vt idem Abelardus refert 2. Introd. ad Theol. cap. 9.

Veritas Catholica.

335. *Religioſus autem animus*, ait ſupra D Auguſtinus, *vtrumque confirmat*. Et mox propoſitis argumentis, quibus euinci videtur, alterutrum è duobus illis tollendum eſſe. *Nos aduerſus iſtos ſacrilegos auſus, atque impios; & Deum dicimus omnia ſcire antequam fiant. & voluntate nos facere quicquid à nobis non niſi volentibus fieri ſentimus & nouimus.* Itaque operæ pretium eſt ad plenam declarationem expeditionis

tionis libertatis noſtræ, vt quando abſque ſacrilegio, cuius Tullium meritò ibidem inſimulat Auguſtinus, de diuina præſcientia dubitare non licet, cohæſionem diuinæ præſcientiæ & libertatis humanæ, tam ad volendum, quàm ad non volendum, aperiamus. Ita vt etiamſi Deus prænouerit, quid non ſim voliturus, maneat tamen verum, me poſſe illud velle; ex quo habebitur prioris facultatis partialis expeditio, non obſtante præſcientia. Itémque etiamſi Deus prænouerit, quid ſim voliturus; maneat tamen verum me hoc ipſum liberè agere, & priuſquàm velim poſſe non velle; quod ſpectat ad expeditionem poſterioris facultatis.

Cæterùm quia de hoc punctó multa iam dicta ſunt in Naturali Theol. d. 8. à n. 20 poterimus hic eſſe parciores: quamuis ne hæc tractatio hiaret, & ob frequens puſillorum hac in parte ſcandalum, non paucis etiam hodie contra inuictæ veritatis ſplendidiſſimam lucem non ſobriè dicentibus; (vt de ſuo tempore ſcripſit Proſper 2. de vocat. gent. c. 34.) non poſſumus de hoc prætenſo libertatis humanæ impedimento prorſus ſilere. Quod Ethnicis quoque facceſſiuiſſe negotium, & ab eis diligenter fuiſſe excuſſum teſtatur Petrus Damiani opuſc. 36. cap. 5. & liquet ex Maximo Tyrio diſſert. 3. & ex Proclo, qui id ex Iamblico & aliis tractat l. de anima & dæmone à pag. 213.

Difficultas in contrarium.

Vt autem clarior ſit difficultatis diſſolutio, proponenda in primis eſt ipſa difficultas, quam ſuppoſita libertatis noſtræ expeditione ſic vrget Tullius apud D. Auguſt. 5. Ciuit. c. 9. *Si eſt voluntatis arbitrium, non omnia fato fiunt. Si omnia fato fiunt, non eſt omnium certus ordo cauſarum. Si certus cauſarum ordo non eſt, nec rerum certus eſt ordo præſcienti Deo, quæ fieri non poſſunt, niſi præcedentibus & efficientibus cauſis. Si rerum ordo præſcienti Deo certus non eſt, non omnia ſic eueniunt, vt ea ventura præſciuit. Porro ſi non omnia ſic eueniunt, ab illo præſcita ſunt, non eſt in Deo præſcientia omnium futurorum.* Clariùs eundem nodum ex quibuſdam Ethnicis proponit Origenes apud Euſebium 6. præpar. c. 9. *Aggrediamur*, inquit, *quod Gentilium ſapientes in magnos intruſit errores. Cùm enim præſcire Deum vniuerſa minimè negarent, neceſſariò nos agere quicquid agimus crediderunt. Nam ſi ab æterno, inquiunt, iniuſtum aliquem futurum Deus præuidit, nec ſcientia diuina falli poteſt, erit omnino ille iniuſtus. Nec poſſibile eſt iniuſtum eum non fore, cùm non poſſit aliter agere quam Deus præſciat. Ex qua adſequentia etiam nonnulli defendentes, fruſtra culpari iniuſtos contendunt. Similitérque de cæteris delictis & de virtutibus opinantur. Vnde ſequitur liberam non eſſe hominis voluntatem, ſi Deus futura præſciat.*

Porro in antecedente illo, *Deus hoc præſcit*, volebat VVicleffus expendi neceſſitatem ſummam. Nam niſi Deum fallibilem admittere velimus, (quod ſine ſcelere cogitari non poteſt;) fatendum videtur, aſſertionem & prænotionem eius, eſſe neceſſariò veram. Ex antecedente autem neceſſario, non poteſt colligi veritas contingens, & falſitati obnoxia. Itaque ſequi omnino videtur conſequens illud ex tali antecedente, *Deus id præſcit, aut decreuit*, deductum hoc modo, *Ergo hoc ita erit*, verum eſſe neceſſariò: ac proinde non poſſe hominem aliter facere, quàm reipſa præuiſus ſit facturus aut non facturus.

Primum ſuppoſitum ad eius eliſionem; obiectum eſſe anterius prænotione.

536. Ad huius difficultatis euolutionem, aſſumenda ſunt aliqua, illudque in primis obiectum debere aliquo modo præire notitiæ ſpeculatiuæ. Quod Caietanus 3. p. quæſt. 1. artic. 5. eruit ex Ariſtotele 1. Poſter. cap. 2. dicente, *quod non eſt, non ſciri* S. quoque Thomas 1. Periherm. lect. 14. *ſub finem* id eruit ex Ariſt. 9. Metaph. tex. 21. dicente *nihil eſſe cognoſcibile, niſi ſecundùm quòd eſt in actu.* Sed diſertè omnino S. Auguſtinus 4. de Geneſi ad lit. cap. 32. tradit obiectum debere præire aliquo modo notitiæ ſpeculatiuæ, qua percipitur; atque adeo prænotionem eſſe aliquatenus poſteriorem re, quæ futura prænoſcitur. Vbi non eſt ſermo de prioritate temporis aut naturæ. Manifeſtum enim eſt, viſionem Dei æternam, non poſſe vlla reali duratione ſubſequi futuritionem rerum, vel ab ea pendere tanquam à cauſa, quamuis res illas ſupponat, tanquàm terminum, ſiue obiectum. Quod propriè non eſt dependere, nec imperfectionem importat aut dependentiam, ſed meram terminationem ad aliud. Itaque ſermo tantùm hic eſt de prioritate rationis, quam obiecto, cum ſpeculatiua eius prænotione comparato, concedendam eſſe, inde liquet, quòd inimaginabile videatur puram notitiam terminari ad aliquid ipſi nullo modo præſuppoſitum. Nam obiectum eſt notitiæ illius quaſi menſura, & fundamentum totius veritatis repertæ in notitia: ac proinde eſt prius quàm illa aliquo modo.

Ago de pura notitia, ſiue de cognitione ſpeculatiua, cuiuſmodi eſt præſcientia: quia notitiam practicam certum eſt eſſe priorem re in quam cadit; Eſt enim cauſa eius. At pura notitia, cùm ſit merus rei intuitus, aliter ſe habet, & rem ſupponit talem. Alioqui enim eam non perciperet talem: quia cum ſit notitia vera & conformis obiecto, nec faciat illud, (eſt enim ſpeculatiua, non practica,) neceſſe planè eſt vt ſupponat obiectum; antecedenter ad ipſam, tale eſſe. Vnde habetur prioritas rationis inter notitiam ſpeculatiuam & obiectum: quæ prioritas habet locum non modo in notitia ſpeculatiua præſenti, ſed etiam in notitia ſpeculatiua, quæ tempore, vel etiam æternitate antecedat obiectum actu exiſtens. Quò ſpectat illud Hugonis Victorini lib. 1. de Sacram. fid. p. 2. capit. 14. *In Deo præſcientia non eſſet, niſi futurum eſſet aliquid, de quo eſſet.* Et ibid. part. 1. cap. 17. *Quod ab æterno præſcitum eſt, ab æterno futurum eſt, &c. Et non prius præſcitum fuit, quàm futurum fuit. ſed prius præſcitum fuit. & prius futurum fuit, quàm fuit.* Id eſt, prius quidem eſt rem præſciri & eſſe futuram, quàm eſſe de facto. Nam res eſt primùm de facto in aliqua differentia temporis: cum tamen ab æterno, & præſcita fuerit, & futura fuerit. Non tamen prius eſt, rem ab æterno præſciri, quàm ab æterno eſſe futuram. Quin potius futuritio eſt anterior, quàm præſcientia etiam æterna. Anterior inquam non duratione vel cauſalitate propriè dicta, ſed prioritate rationis & præſuppoſitionis, ac in ratione puri termini.

Res præſcitur quia futura, non contrà.

537. Sed nullo ex capite melius innoteſcere poteſt, obiectum eſſe ratione prius notitia ſpeculatiua in illud tendente, quàm ſi ſpectemus locutiones cauſales, anteceſſionem obiecti importantes. Falſum enim eſt rem eſſe futuram, quia præſcitur: veriſſimum autem eſt eam præſciri, quia futura eſt. Quibus modis loquendi deſignatur vt minimum anteceſſio

ceſſio

ceſſio rationis, quia obiectum, per modum termini neceſſariò præſuppoſiti, anteit præſcientiæ. Verùm quia modi illi loquendi apud aliquos recentiores improbari cœperunt, vt illegitimi, operæ pretium eſt breuiter oſtendere eos eſſe legitimos, auditis grauiſſimis Patribus apud quos crebrò vſurpantur. Innumeros allegant doctiſſimi recentiores, qui ſententiæ noſtræ aſtipulantur, ac nominatim Seyſſellus tract. 1. de prouid. artic 4. Roffenſis artic. 36. Angeſtus 1. p. operis de libero arbit. contra Lutherum pag. 19. Siren. 8. de fato capit. 12. Bellarm. l. 4. de gratia & lib. arbit. cap. 13. Suares libr. 1. de auxil. cap. 13. num. 15. Leſſ. cap 3. de gratia. Imo Francil. Romæus l. de operum libert. veritate 8. *ſub finem*, diſertè tradit, ferè omnes antiquos Eccleſiæ Doctores in hanc vnam conueniſſe ſententiam. Ego paucos ſeligam, additis nonnullis, qui prædictorum recentiorum diligentiam effugerunt.

Origenes libr. 7. in ad Roman. ad illa verba ex capit. 8. *quos præſciuit*. & refertur etiam in Philocalia à D. Baſilio ex Origene contexta capit. 25. [Et ſi communi intellectu, *inquit*, de præſcientia ſentiamus, non propterea erit aliquid, quia id ſcit Deus futurum: ſed quia futurum eſt, ſcitur à Deo, antequam fiat. Nam etſi v.g. fingimus Deum non prænoſcere aliquid, futurum ſine dubio erat, quòd ita vt puta Iudas proditor factus eſt, & hoc ita futurum Prophetæ prædixerunt. Non ergo quia Prophetæ prædixerunt, idcirco prodidit Iudas: ſed quia futurus eſſet proditor, ea quæ ille ex propoſiti ſui nequitia geſturus erat, prædixerunt Prophetæ: cum vtique Iudas in poteſtate habuiſſet, vt eſſet ſimilis Petro & Ioanni ſi voluiſſet, ſed elegit pecuniæ cupiditatem magis, quàm Apoſtolici conſortij gloriam: & hanc eius voluntatem futuram præuidentes Prophetæ, librorum tradiderunt monumentis.] Similia ex eodem Origene in Geneſin referuntur capit. 23. Philocaliæ, & deſcribuntur etiam ab Euſebio 6. præpar. capit. 9.

Nec omittenda quæ libr. 2. contra Celſum *ante medium*, habet in hanc rem [Celſus, *inquit*, putat quod aliquis præſcios prædixit, ideo fieri quia prædictum eſt. Nos verò hoc non concedentes dicimus, non prædictorem cauſam eſſe futuri, ſed futurum illud, quod omnino euenturum erat, etiam nemine prædicente, præcognitori cauſam prædicendi præbuiſſe. Totum enim hoc in præcognitione vatis eſt, cum alterutrum fieri poſſit, fore hoc alterum. Non dicimus præcognitorem adimere poſſibilitatem, vt vel fiat vel non; ac ſi diceret ita: hoc omnino erit, & impoſſibile eſt ſecus fieri. Id quod in vniuerſum intelligitur de omnibus, quæcunque de nobis præſciri poſſunt.]

338. Concinit S. Athanaſius ſerm. de paſſ. & cruce Domini. *Multi*, inquit, *qui incidunt in Euangelia audiúntque illam vocem*, vt implerentur ſcripturæ, *arbitrati ſunt, nulla alia de cauſa illa facta quàm vt ſcriptura adimpleretur, atque iſtinc opinionem collegerunt, eos qui iſta egerunt extra culpam eſſe, atque adeo laude dignos, quòd non vt delinquentes, ſed vt obſequentes ſcripturis, iſta facerent: alioqui prophetarum ſermones non veros fuiſſe futuros, niſi acta iſta ſubſecuta fuiſſent. Præcipuè autem iſta excerpſerunt ex verbis Ioannis in enarratione incredulitatis Iudæorum, vbi inquit, ſecundum prophetiam Eſaiæ, quum tot ſigna coram eis feciſſet, non crediderunt, vt ſermo Eſaiæ, quem dixit, impleretur*; Domine quis credidit auditioni noſtræ, & brachium Domini, cui reuelatum eſt? *Si enim ideo vt ſermo Eſaiæ, quem dixit adimpleretur, non crediderunt Iudæi, non ipſi ſibi eius incredulitatis authores ſunt, ſed is qui ea dixit futura, vnde euenit vt & opere adimplerentur. Aufer enim*, inquiunt, *ſermonem Prophetæ, & omnino futurum eſt, vt illi credant.*

En virus è floribus ſuaueolentibus pro melle lectum. Audi nunc ipſum Athanaſium puros veritatis fauos proponentem. [Cæterùm hæc atque huiuſmodi opinatio multum à veritate deſtituitur. Non enim Propheta iſtis author eſt, neque Iudæi extra culpam iſtius incredulitatis conſiſtunt: Sed Propheta, ea quæ ipſi facturi eſſent, proſpiciens; futura eſſe denunciauit, aliique poſtea idipſum opere exequuti, verum eſſe ſermonem Prophetæ, declarauerunt. Neque vt inſeruientes Propheticis verbis, iſta contra Chriſtum auſi ſunt, ſed ſuo ipſimet ſtudio, ſponte volentéſque illa perpetrauerunt, vt non Propheta iſtarum rerum author ſit aut cauſa, ſed ipſorum voluntas. Quin potiùs, ipſi in cauſa fuerunt, vt talia de ipſis Prophetæ prædiuinarent. Siquidem Prophetæ proprium eſt futura proſpicere, & in eo non hallucinari: hominum autem proprium eſt, agere quod velint. Et ſicuti oculis contuentes, in contuendo non fallimur, neque aliter videmus, & aliter res agitur, ſed vt agitur videmus, & vt videmus agitur: ita quoque Prophetæ, futura & præſentia cernebant: verùm quæ cernebant, oportebat fieri, & ea quæ fiebant, non poterant non videre. Rurſum vt ea quæ nos noſtris oculis conſpicimus, neceſſe eſt omnino eſſe, quum ea quæ ſint, ſub conſpectum veniant: Neque fieri poteſt, vt aliter ſint, quam à nobis videntur: ita quoque quæ à Prophetis proſpiciebantur, neceſſarium erat ea eſſe, neque fieri poterat vt aliter eſſent, quàm ipſi præuiderant. Nam ſi ea quæ fiunt non proſpicerent, iam Prophetæ non eſſent. In ſumma id pro certo haberi debet, Prophetas non ſolum legum eſſe Magiſtros, vt quæ præcipiunt, fieri debeant, ſed rerum quoque futurarum indices eſſe. Siquidem non eò quòd dicunt, ideo quid fit: ſed quia id futurum eſt, ideo ab illis prædicitur; nec fieri poteſt vt Prophetæ mentiantur, quum verè videant. Si enim res ſolâ conditione & in dubio hæſiſſent, non pronunciaſſent Prophetæ. Iudæi ergo ſua voluntate inducti ſunt, vt ea facerent: neque ſancti per ſua verba neceſſitatem addunt negotiis vt cogantur ita fieri, ſed quum præuideant ſtudia eorum, voluntatéſque, qui talia acturi ſunt, rem, vt eſt futura, denunciant. Neque, vt iſti aiunt, qui refragantur, Tolle Prophetæ verba, & futurum eſt, vt omnes Iudæi ei credant: ita quoque & ego dixero: ſed in contrarium, aufer acta Iudæorum, & prorſus nihil de iis prædicet Eſaias.]

Et poſt pauca; [Quòd ſi rurſus dicant: Impoſſibile erat Iudæos credere, quia hoc de illis ſcriptum erat, ne impoſſibilitatem iſtam voluntati delectuíque agentium tribuas, qui ſe mutare poterant, ſed illam ſtatuas in verbis Prophetæ, quatenus ille mentiri non poterat. Nimirum, quem cum verè videret, impoſſibile erat hallucinari, alioqui vidiſſet, aut non verè, aut non ita vt res ſe habebat falsúſque deprehenſus fuiſſet. Eadem ratione illud de virgine miraculum adimpletum eſt, & illud quod Ioannes dixit, euentum ſuum hodie ſortitum eſt, & omnia quæ prius ſcripta erant, adimpleta ſunt. Non enim eò quod ſcripta erant, ideò euenerunt, ſed quia erant futura omnino, ideo certò prædicta ſunt.]

Author quæſtionum ad orthod. in 58. eodem modo reſpondet ad eandem dubitationem ductam ex illis verbis in ſcriptura frequentibus, *vt ſcriptura impleretur.* Et cauſam ſubdit in hunc modum. *Non eſt præſcientia cauſa eius, quod futurum erat, ſed quod futurum erat, cauſa eſt prænotionis. Non enim prænotionem ſequitur res futura, ſed rem futuram prænotio:*

Neo

Nec vllo pacto qui prænoſcit, cauſa eſt rei futuræ. Itaque non Chriſtus cauſa eſt proditionis, ſed proditio cauſa eſt prænoſcentis Domini. Ac de Diabolo & de primo homine eadem ratio eſt.

Epiphanius hæreſ. 38. ſub finem. [Etiamſi dicat diuina ſcriptura Chriſtum voluiſſe cruci tradi : aut etiam dicat diuina ſcriptura, abſurditates in extremis diebus per nos perficiendas ; non tamen omnino aliquis ex nobis, qui iniqua facimus, excuſationem inuenerit, ſcripturæ teſtimonium producens, vaticinantis hæc futura eſſe. Non enim quia dixit ſcriptura, facimus ; ſed quia facturi eramus, ſcriptura prædixit, propter Dei prænotionem.]

S. Chryſoſtomus homil. de virt. & vitiis. [Neceſſe quidem exoriri ſcandala, inquit ſalutare verbum Dei. Veruntamen væ homini illi, per quem ſcandala naſcentur. Quid igitur ? Præfatúmne eſſe, id forſitan ſcandalum inducit ? Non quòd præfatum fuerit ; apage inquam ; nec quia prædixerit, ob id ſcandala naſcuntur : ſed quia omnino futura erant, idcirco prædixit. Ita qui ſcandala tulerunt, ſiquidem mali eſſe noluiſſent, exorta nunquam ſcandala fuiſſent, quòd ſi futura non erant, nunquam prædiceret : ſed quia illi perperam fecerunt, & tam corrupti pertinaciter erant, idcirco ſcandala venerunt, & quod futurum erat, prædixit. Quod ſi illi emendari paterentur, inquit, vt qui ſcandala ſereret, penitus non fuiſſet : nonne verbum illud mendax deprehenſum iri oportebat ? Minimè inquam, neque enim dixiſſet. Nam ſi omnes emendari poſſe cerneret, id profectò nunquam prædiceret. Neceſſe quidem ſcandala exoriri : ſed quia præuiderat eos ſuopte ingenio haud emendabiles fore, idcirco ita præfatur. Exorientur.] Similia iterat hom. 64. in Ioan. ad illud *cum tanta ſigna*, &c. Et optimè hom. 60. & 18. in Matth. Sed illuſtriſſimè hom. 27. in 1. ad Cor. ad illud, *Oportet hæreſes eſſe*. Et præclarè homil. de prophetiarum obſcurit. tom. 3. Græcol. pag. 930.

339. Ex S. Auguſtino l. 3. de lib. arb. c. 17. hunc locum allegat Vualdenſis l. 1. doct. art. 1. c. 26. num. 5. *Non propterea eriт aliquid, quia id ſcit Deus futurum : ſed quia futurum eſt, ſcitur à Deo, antequam fiat. Nam etſi fingeremus Deum non præcognoſcere aliquid, futurum ſine dubio erat quod eſt, ita vt eſt.* Sed quia hæc verba apud Auguſtinum ibi non inueniuntur, ſupplere eam lacunam poſſumus ex 5. ciuit. c. 10. verbis illis. *Non ideo peccat homo quia Deus illum peccaturum præſciuit : Imò ideo non dubitatur ipſum peccare, cùm peccat, quia ille cuius præſcientia falli non poteſt ; non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, ſed ipſum peccaturum eſſe præſciuit. Qui ſi nolit omnino non peccat, ſed ſi peccare noluerit etiam hoc ille præſciuit.*

Gaudentius Brixienſis tract. 5. de lect. Exodi. *Synagoga Iudæorum quod erat crudeliter factura prædictum eſt, non vt fieret iuſſum eſt. Nec ideo factum eſt quia prædictum erat, ſed ideò prædictum eſt, quia erat futurum.* Inſiſtit horum Patrum veſtigiis Gulielmus Abbas S. Theodorici, æqualis Sancti Bernardi, cuius inſignem locum ex libello meditationum præterire non poſſum. Ita habet pag. 9. editionis Plantinianæ. *Præſcientia tua*, inquit Deum alloquens, *non vi qua cogis eos eſſe quod futuri ſunt, tanquam neceſſario ſic ſint futuri, quia ſic eos futuros eſſe præſciſti: quin potius, quia ſic futuri erant; ideo tu ſciens omnia, antequam fiant, etiam hoc tu præſciſti, & omnino non poteſt falli præſcientia tua.* Alia ſubdit mox in eam ſententiam. Illúdque præſertim, quòd futurum temporaliter, ſit cauſa cur præſciatur, & ſit in Deo ab æterno ; tantum abeſt vt è contra præſcientia ſit cauſa futuritionis.

Verùm nimius mihi iam videor eſſe in re perſpicua. Qui plura cupiet teſtimonia, adeat alios totidem propè verbis idem inculcantes, quos capitatim duntaxat recenſeo. Nempe Hieronymum in cap. 26. Ierem. *initio* Procopium ad c. 1. Gen. Fauſtum Rheg. l. 2. de grat. & lib. arb. c. 2. & 3 Fulgent. l. de prædeſt. & grat. c. 14. aliàs 15. Anthorem libri de prædeſt. Dei tom. 7. Auguſt. c. 3. Cyrillum 9. in Ioan. c. 10. *in fine*, Eucherium in explicatione qq. difficilium ex Iſaia, in quarta. Bedam q. 13. ex variis. Damaſc. dial. contra Manich. Anſelm. lib. 2. cur Deus homo c. 18. Iſid. Peluſ. lib. 1. epiſt. 55. & optimè lib. 4. epiſt. 58. *in fine*, & Hugonem Victorin. in ſumma ſentent. tract. 1. c. 12. Ex ſcholaſticis diſertè idem habet Dionyſius Ciſterc. in 1. diſt. 38. q. vnica art. 1. Petrus de Alliaco in 1. q. 11. artic. 3. *Litera y & z.* Gregor. in 1. d. 38. q. 2. artic. 3. ad tertium principale Richardus Armacanus l. 16. c. 11. aliique abſque numero. Rabbini conſentiunt apud Menaſſez Beniſrael lib. 3. de vitæ termino ſectione 11.

Quæ in contrarium obtendant aliqui.

340. Quia tamen nulla eſt tam liquida veritas, cui non poſſint obtendi offuciæ, non defuerunt, qui tam conferta & expreſſa teſtimonia, quibus anteceſſio rationis in re præſcita reſpectu prænotionis, apertè aſſeritur, obtenebrare niterentur propoſitis è contra aliis Patrum locis, quibus dicitur res idcirco eſſe quia Deus ſcit illas, nec Deum noſſe illas, quia ſunt. Ita enim loquitur D. Auguſtinus 6. Trinit. c. 10. & lib. 5. c. 13. & lib. 11. Ciuit. c. 10. & S. Gregor. 20. Moral. c. 24. Imò Boëtius 5. de Conſol. proſa 3 & 6. diſertè reiicit eos qui dicunt Deum præuidere futura, quia ſunt futura.

Aluares tamen d. 16. de Auxil. n. 8. ne tam multos ſupra adductos Patres, & ipſum prope robur Eccleſiæ, vno hoc ictu præcidat, mauult eos benignè exponere, vt per verba illa, quæ toties ingeminant: *quia futurum eſt idcirco præſcitur*, voluerint tantùm deſignare cauſam inferendi, non eſſendi. Sequitur enim ſi aliqua ſunt futura, quòd Deus ea præſcierit. Non tamen res futuræ cauſa ſunt, cur Deus eas præſciat, iuxta illud Boëtij proſa illa 3. [Quàm præpoſterum eſt vt æternæ præſcientiæ, temporalium rerum euentus, cauſa dicatur. Quid eſt autem aliud arbitrari, ideo Deum futura, quoniam ſunt euentura, prouidere, quàm putare quæ olim acciderunt cauſam ſummæ illius eſſe prouidentiæ ? *Quæ confirmat proſa 6. verbis illis.* Omne futurum diuinus præcurrit intuitus, & ad præſentiam propriæ cognitionis retorquet, ac reuocat, nec alternat, vt tu exiſtimas, nunc hoc, nunc illud prænoſcendi vices: ſed vno ictu mutationes tuas manens præuenit, atque complectitur. Quam comprehendendi omnia, viſendíque præſentiam, non ex futurarum prouentu rerum, ſed ex propria Deus ſimplicitate ſortitus eſt. Ex quo illud quoque reſoluitur, quod paulò ante poſuiſti, indignum eſſe, ſi ſcientiæ Dei cauſam futura noſtra præſtare dicantur. Hæc enim ſcientiæ vis præſentaria notione cuncta complectens, rebus omnibus modum ipſa conſtituit, nihil verò poſterioribus debet.] Annuit D. Thomas 1. p. q. 14. art. 8. ad 1. & quæſt. 2. de verit. art. 14. ad 1. & latè nuper rediuiuus Thomas Braduardinus lib. 1. de cauſa Dei cap. 15. & ſequentibus.

Diſpelluntur.

Verùm hæc omnia nihil detrahunt de luce tam multorum, tamque expreſſorum teſtimoniorum,

quæ

quæ propoſuimus. Quamuis enim certum ſit obiecta futura, non eſſe cauſam phyſicam, ſiue cauſam veram eſſendi, reſpectu actus diuini quo præſciuntur, nec vllus vnquam fuerit tam fungus, qui id aſſeruerit, (vt propterea diſpliceant Abulenſis in cap. 11. Ioſue q.14 & Palac. in 1.d.38. d.2. id nonnullis Doctoribus tribuentes, inter quos Palacius numerat Catharinum:) Tamen hîc non quæritur de cauſa eſſendi, nec eam Patres inuehere voluerunt. Sed vt optimè diſtinxit Valdenſis tom.1. doct.l.1. art.1. cap. 26. num.5. voluerunt Patres rationem infallibilitatis diuinæ præſcientiæ, duci ex futuritione ipſa rerum. Duci inquam obiectiuè tantùm, non autem cauſaliter propriè & per verum influxum in actum diuinum, qui eſſet error omnino puerilis, imò craſſa & omnibus explodenda blaſphemia, vt eam ſupra nominat Palacius.

Itaque Patres obiecto futuro reſpectu præſcientiæ illam duntaxat prioritatem concedunt, quæ neceſſariò agnoſcenda eſt in obiecto purè terminatiuo, & nullatenus motiuo reſpectu actus in ipſum tendentis. Ideóque prioritatem, quam interdum Patres inuehunt, cùm dicunt res futuras eſſe cauſam præſcientiæ, malim appellare quaſi cauſalem, qualis ſcilicet eſt à termino in actum, in quem nullo modo influit. Et hic ſenſus Patrum omnino idoneus eſt ad illud confirmandum, quod hîc intendimus, nempe ad oſtendendam anteceſſionem rationis obiectorum futurorum, reſpectu præſcientiæ.

341. Quòd autem hic ſenſus dictis Patrum aſſignandus ſit, nec recurri poſſit ad ſenſum illum illatiuum, qui propoſitus eſt ab aduerſario, videtur per ſe euidens. Nam nota cauſalis *quia* importat pluſquàm illationem meram. Idque ex eo confirmatur, quòd particula illa eundem ſenſum facit in duabus illis propoſitionibus: *quia res præſcitur, ideò futura eſt.* Et, *quia res futura eſt ideo præſcitur.* Planus enim verborum ſenſus, non patitur vt ea particula æquiuocè accipiatur in duabus illis propoſitionibus. Et tamen Patres negant priorem propoſitionem; poſteriorem autem concedunt. Deberent autem vtramque concedere, ſi ea particula non faceret ſenſum quaſi cauſalem, ſed duntaxat importaret meram illationem, vt aduerſarij contendunt. Siquidem tam valet ea conſequentia. *Si Deus ſcit res erit*, quàm illa: *Erit ergo Deus ſcit.* Quare manifeſtè Patres intendunt ſenſum à nobis propoſitum.

Nec repugnant alij Patres, qui in contrarium adducebantur. Nam Boëtius diſertè expoſuit, ſe tantùm excludere craſſum illum ſenſum, quo diuina notitia ſtatuebatur dependens ab obiecto tanquam vera ſua cauſa: cùm tamen diuinus actus ſit prorſus independens, ideóque obiectum non habeat ad eum rationem motiui, ſed purè terminatiui. Præſuppoſitionem autem obiecti tanquam termini, quam vnam aſtruimus, non excluſit Boëtius. In eundem ſenſum loca ex D. Auguſtino adducta expoſuit S. Thomas tract. de præſcientia & prædeſt. c. 3.

Penſandum verò prætereà eſt, Sanctos Auguſtinum & Gregorium, locis allegatis non dicere, res eſſe futuras, quia Deus nouit eas eſſe futuras, quod negarunt Patres prius adducti: ſed dicere, Deum non nouiſſe creaturas, quia illas fecit: Eas autem feciſſe ſuo tempore, quia illas cognouit ab æterno. Quibus verbis ſatis declarant ſe non agere de præſcientia, de qua nos nunc agimus. (hæc enim, quia eſt ſimplex rerum intuitio, non eſt earum cauſa, vt rectè dixit S. Thomas opuſc. illo de prædeſt. cap. 4. & q.6. de verit. artic. 3.) ſed agere tantùm de ſcientia Dei, prout eſt practica, & cauſa rerum. Quas virtualiter diſtinctas Dei ſcientias malè in hoc negotio miſcent aduerſarij, ac nominatim Palacius in 1. d. 38. diſp. 2. *in fine.*

Secundum ſuppoſitum; futuritionem eſſe prænotioni coæternam.

342. Ex adductis itaque teſtimoniis perſpicuè habetur, rem futuram eſſe priorem prænotione, per quam attingitur. Nunc ſtabilita ea prioritate rationis in obiecto ad notitiam eius ſpeculatiuam comparato, exponendum ſupereſt an ea prioritas ſit tantùm rationis, an verò etiam aliquo modo realis: Aut certè, quod aliqui contendunt, futuritio dicenda potiùs ſit poſterior duratione reali, quàm notitia æterna à parte ante, etiamſi ratione ſit prior. Sed ſtatuendum omnino eſt, & ſecundo loco ad difficultatis propoſitæ enodationem aſſumendum, futuritionem rei, quæ aliquando habet eſſe, æquè æternam eſſe, ac ipſam præſcientiam. Quod Abulenſis in c. 18. Matth. q. 56. fundari vult in natura æternitatis, quæ eſt duratio diuinæ notitiæ. Æternitas enim eſt ſimul tota. Ideóque vt ille ait, neque eſt ante, neque poſt actionem noſtram in tempore futuram. Hæc tamen argumentatio eſt omnino imbellis. Si enim rectè procederet, ſequeretur Deum non poſſe dici nos præceſſiſſe? Fundandum igitur potius fuit in ratione futuri rectè conſtituta. Verùm quia ſunt de ea diſſidentes ſententiæ, operæpretium eſt illas attingere, vt ſolidè ſtabiliamus quod intendimus.

Quid ſit futuritio varia ſententia.

In primis ergo Syluester 1.p.q.2.art.1. circa ad 11. & explicatiùs Diotalleuius in pereruditio opuſculo de cognitione futurorum conditionatorum c. 6. contendunt rationem futuri contradiſtinctam rationi præſentis & præteriti, non ineſſe rei, niſi quatenus eſt in cauſa: eò quòd iuxta communem apud omnes futuri notionem, illud dicatur eſſe futurum, quod nondum productum eſt, ſed habet cauſam, quæ ipſum ſit productura, quæque illud intra ſe, ac in ſua virtute ita contineat, vt illud poſtea extra ſe ſit profuſura. Quod addo, quia futurum eſſe, non eſt idipſum, quod eſſe in cauſa: quandoquidem poſſibilia ſunt in cauſis ſuis, & per eas dicuntur contineri, nec tamen appellantur futura. non item futurum eſſe, in eo duntaxat eſſe conſtituendum eſt, quod connotatur proditurum à cauſa in tempore poſteriori: quia illud eſſe eſt formaliter eſſe extra cauſas, atque adeo præſens, non futurum. Quare futuritio ſupra continentiam in cauſa addit, ſecuturam quandoque ex ea dimanationem effectus contenti intra illam, importátque vtrumque rei eſſe. Nempe eſſe, quod res habet in cauſa; & præterea aliud eſſe quod ab eo eſſe in cauſa, reſpicitur tanquam terminus. Ita vt idcirco formaliſſimè res denominetur futura, quia ita de facto eſt in ſua cauſa, vt illud eſſe quod in cauſa præiacet, tale ſit, quale requiritur, vt res in tempore poſteriori habeat eſſe actuale extra illam. Quod ſi huiuſmodi ratio futuri, competat effectui ex perfecta determinatione cauſæ, dicitur futuritio neceſſaria; Sin minus, dicitur futuritio libera & contingens.

Alij verò, inter quos Alexander Peſantius 1. p. q. 14. art. 13. d. 5. rationem futuri prout contradiſtinctam rationi poſſibilis eíque aliquid ſuperaddentem, conſtituunt in denominatione extrinſeca à diuino decreto libero, quo res decernitur accepturam eſſe actualiter, cùm ex ſe non haberet eſſe niſi poſſibile.

Denique

Denique alij imaginantur futuritionem importare aliquod eſſe, quod nunc antequam res producatur, ſit, & ab æterno aliquid fuerit. Conſtat enim nunc eſſe futuritionem rei, qua nunc eſt futura. Ergo modò res futura habet aliquod eſſe, quo conſtituatur in ratione futuræ cras, & ſecernatur à re purè poſſibili, quæ nunquam erit, & ideo non dicitur futura.

Reiiciuntur, prout ſonant.

343. Sed quamuis hi modi explicandi rationem futuri fortaſſis reipſa eodem recidant: tamen ſpectando nudum verborum corticem, mihi non probantur. Ac primùm ſententia, quæ rationem futuri collocat in exiſtentia intra cauſam, iuncta exiſtentia extra illam, inde meritò diſplicet, quod vt habetur apud Abulenſem in cap. 11. Ioſue q. 14. *non eſſe ante eſſe, & eſſe futurum*, conuertuntur. Et idemmet eſſe comparatum ad tempus ſubſequens, dicitur eſſe præteritum: comparatum autem ad tempus antecedens, dicitur eſſe futurum: denique comparatum ad tempus, cui coëxiſtit, dicitur eſſe præſens.

Cùm igitur futuritio cadat in illudmet eſſe, quod aliquando denominabitur præſens, fieri non poteſt, loquendo in rigore, vt eſſe, quod effectus habet in cauſa, priuſquàm ſit extra eam, pertineat ad rationem futuri. Nam tale eſſe, ſumptum tanquam contradiſtinctum illi eſſe effectus, quod aliquando actualitate potietur, non eſt aliquid futurum, ſed præſens & actuale. Sumptum autem vt coniunctum cum eo eſſe effectus, quòd aliquando erit, non pertinet ad rationem futuri: quia effectus præcisè denominatur formaliter futurus, per illud eſſe, quod tunc non eſt, & poſtea erit. At tale eſſe, in cauſa abditum, non eſt tale: nam nunc eſt actualiter; quia eſt ipſamet virtus cauſæ, quæ eſt actualis ac præſens, non futura. Itaque tota ratio futuri, quæ dicebatur exurgere ex duplici illo eſſe, optimè ſaluabitur in illo eſſe prodituro è cauſa, quod nundum eſt, ac proinde perperam, in primo illo dicendi modo, appellabatur præſens. Præſentia enim importat coëxiſtentiam ad illud, cui res præſens dicitur. Coëxiſtentia autem ſupponit exiſtentiam, quæ deeſt rei, quæ nondum eſt.

Alia item ſententia, quæ futuritionem collocat in ordine ad diuinum decretum, quo vult aliquid effici aut accipere eſſe, reiicienda eſt. Aliud quippe eſt denominare rem volitam & decretam: aliud verò denominare rem futuram. Et quamuis ſpectando cauſas rei futuræ per Deum ſimul ac nos, fas ſit eam denominare efficienter futuram per decretum diuinum efficax, tanquam per cauſam partialem eius: non tamen poteſt ſimpliciter & abſolutè denominari efficienter futura, per ſolum diuinum decretum; cùm non ſit abſolutè & ſimpliciter futura per illud ſolum; ſed iuncta determinatione voluntatis. Et idem eſt de alia quauis re futura interuentu cauſæ ſecundæ.

Tandem, contra tertiam ſententiam multa diſputat Hurtadius diſp. 9. de anim. à §. 85 queſtus *de profundis illorum meditationibus, qui etiam in verbo inani quærunt ingenij nucleum.* Ferè enim autores, quos in ea ſententia fuiſſe refert, nituntur vulgatis illis loquandi modis, quibus dicimus, rem quæ nunc non eſt, nunc eſſe futuram. Nam quando reipſa erit, non erit futura, ſed præſens. Illud tamen fundamentum eſt prorſus inane. Diſertè enim Auguſtinus 11. Confeſſ. c. 18 & 20. negat quæ dicuntur futura, idcirco dici eſſe futura quòd habeant actuale aliquod eſſe, priuſquam producantur, deſinántque eſſe futura. Nec eſt reuera opus tale vllum eſſe inuehere, diſtinctum ab illomet eſſe, quod poſtea erit actuale; cùm per illud vnicum eſſe, addita connotatione aliqua mox explicanda, ſufficienter intellecturi ſimus rationem futuri competentem rebus nondum productis, ac per hoc locandis extra ordinem merè poſſibilium. Profundiùs in eam rem grammaticatur Autor prædictus, n. 90.

Quatenus admitti poſſint, & quid verè ſit futuritio.

344. Hæc dixerim de prædictis ſententiis, ſpectatis quoad nudum corticem verborum. Nam fateor duas priores, fortaſſis per ea, quæ pertinent cauſaliter ad futuritionem, hoc eſt, quæ ſunt cauſatura rem futuram, exponere ſtatum rei futuræ, quatenus diſtinctæ à ſtatu rei poſſibilis: quamuis ſecunda non niſi inadæquatè & diminutè id præſtat, vt dictum eſt. Et ambæ commodiùs ſiſterent in eo quod formaliter pertinet ad rem futuram, reſectis quibuſuis eius adiunctis; cum ea quidem connexis, ad eam tamen non ſpectantibus formaliter & directè. Tertia autem ſententia vix docet reipſa quod externa ſpecie præfert: ſed forte eius autores volunt tantùm, rem futuram, iam nunc connotari habituram quandoque illud eſſe, quod erit reipſa & actu habens, cùm præſens erit: quod eſt iam nunc futuram eſſe per tale eſſe ſuo tempore præſens.

Germana itaque futuritionis ratio eſt, quam dicebam: Id eſt non eſſe ante eſſe, Ita vt illudmet eſſe, quod comparatum ad tempus ſubſequens, dicitur præteritum, vocetur futurum, ſi comparetur cum tempore præcedenti. Vocetur inquam, non cùm eſt actu, ſed in eo tempore præcedenti. Idcirco enim res, in eo tempore actualitatem eius antecedente, dicitur futura quia in tali tempore non eſt, & poſtea erit. Per quod adiunctum ſecernitur res futura à re merè poſſibili, quæ ſemper deliteſcet intra abyſſum nihili, nec vnquam in puram exiſtentiæ lucem educetur.

Futuritionis & prænotionis coæternitas infertur.

Ex hoc porro fundamento, nullo negotio infertur quod aſſumpſeram probandum; nempe quod rei futuritio ſit æterna, nec ſubſequatur reali duratione præſcientiam. Ita latè Thomas Braduardinus lib. 3. de cauſa Dei c. 18. Approbauit etiam prædictam illationem, ex eáque inſuper rem futuram eſſe aliquid incauſatum intulit Dionyſius Ciſtercienſis in 1. d. 38. q. vnica, art. 2. eò quòd futuritio ſit æterna, nihil autem æternum ſit cauſatum. Sed eſt infirma illatio. Inde enim non probatur futurum vacare cauſa; ſed tantùm probatur eam nondum habuiſſe pro ea differentia temporis, in qua profertur propoſitio, vel pro duratione quacunque antecedenti. Poteſt tamen eam habere, & reuera habet, pro tempore pro quo futurum dicitur. Id eſt, cauſandum aliquando eſt, licet nondum ſit cauſatum.

345. Sed ea illatione vlteriore dimiſſa, hæreamus in prima, hoc eſt, in æternitate, quæ ex fundamento iacto videtur perſpicua. Nam, vt dicebam, res non eſt futura cum actu eſt, quia tunc eſt præſens; ſed eſt futura antequam actu ſit. Nullus autem poteſt aſſignari terminus durationis, ſiue realis ſiue imaginariæ in quo res incipiat eſſe futura, ita vt anteriùs non fuerit verum illam eſſe futuram. Ante quemcunque enim terminum datum, res quæ poſteà habebit eſſe actuale, non habet eſſe actuale, quod eſt

illam ante quemcunque terminum eſſe futuram. Et verò cur hoc potius momento incipiat futuritio rei, quàm alio longè anteriore? Aut quomodo futuritio non fuiſſet æterna, cùm ab æterno res non habuerit eſſe, & poſtea illud habeat? Sanè intellectus, ab æterno, de aliquo euenturo, v.g. de Antichriſto, pronuncians quòd ſit futurus, verum diceret: Ac proinde ratio obiectiua illius pronunciati, nempe futuritio tunc exercita, deberet eſſe ex tunc in rerum natura.

Ex tunc inquam, id eſt, ex tota æternitate, in qua, à parte ante, nullus terminus præceſſit: ac proinde ante vllum terminum, res illa fuit verè futura, nec vllum prius datum eſt, darive potuit, in quo nondum eſſet futura. In ſigno quidem rationis, prius fuit rem eſſe poſſibilem, quàm eſſe futuram. Nam priuſquàm Deus intelligatur ſe determinaſſe ad cauſandam rem, (quæ determinatio, quoad actus noſtros liberos, ſubſequitur aliquo modo determinationem noſtram;) verum eſt rem eſſe poſſibilem, quæ tamen nondum intelligitur futura, quia futuritio ſupponit diuinum decretum, tanquam ſuam cauſam ſaltem partialem & inadæquatam: quamuis etiam pro tunc non ſit non futura. Erit enim reuera aliquando, & nihil vetat in aliquo ſigno rationis, rem neutri contradictorio ſubiacere. Neque verò in eo inſtanti rationis præcedente diuinam determinationem, licet affirmare rem eſſe futuram pro poſteriore inſtanti rationis, in quo Deus ſe determinauerit. Hæc enim non eſſet ſimpliciter rei futuritio, ſed futuritio futuritionis rei. Quamuis ergo quoad anteceſſionem rationis, poſſibilitas rei præcedat eius futuritionem: tamen agendo de reali duratione, tam æterna eſt rei futuritio, quàm poſſibilitas.

Trica circa loquendi modum.

346. Hoc immeritò negat Hurtadius ſuprà, contendens ex mero vocum abuſu factum, vt res futura conſtituatur in ratione futuræ per aliquod eſſe diſtinctum ab eſſe rei prout poſſibilis, cùm rem ad viuum reſecando, aliud non ſit dicere de re, *eſt futura*, quàm dicere *eſt erit*. Vnde apertè ſequitur futuritionem non præire actualitati rei, ac proinde non eſſe æternam. Hunc inquam philoſophandi modum, non approbo. Nam quamuis falſum ſit, rem quæ nondum eſt, ſed poſtea erit, habere nunc aliquod eſſe diſtinctum ab eſſe, quod habebit cùm dicetur præſens; falſúmque ſit rem per illud eſſe diſtinctum nunc habitum conſtitui futuram, vt hactenus cum eodem authore admiſimus: Tamen negari non poteſt, quin res per illudmet eſſe, quod denominabitur præſens, denominetur nunc futura, quod eſt additum diminuens & remouens eſſe anterius exiſtentia, Si enim id negaremus, falſa ſemper eſſet ea denominatio. Nam quando licebit de re dicere, res eſt, vel fuit, non poterit verè denominari futura. At incommodum omnino videtur, omnium oculos configere, & damnare receptiſſimum loquendi modum ſine ratione. Imò contra rationem. Nam illud eſſe, eſt verè nunc futurum, quod cùm nunc ſit nihil, erit poſteà aliquid actuale. Hoc autem de quo agimus eſt tale. Ergo iam nunc, ac proinde etiam ab æterno, eſt futurum.

Quid quòd idem author, hoc ipſum quod nos contendimus, admittit n.94. quamuis tricetur in verbis, & parum aptè ad communes loquendi modos à ſapientibus vſurpatos philoſophetur, negans in aliquo inſtanti antecedenti dici poſſe, *rem eſſe futuram*: volens autem dici, rem in inſtanti, in quo eſt præſens, fuiſſe futuram comparatione inſtantium præcedentium? At primum, ſecluſo falſo illo ſenſu, quem cum D. Auguſtino & hoc ipſo authore reiecimus, eſt omnino verum, quia verè in eo inſtanti antecedenti res non habet actu illud eſſe, quod poſteà actu habebit; & hoc eſt tunc eſſe futurum. Secundum autem videtur valdè abſonum. Non enim res cùm eſt præſens; denominatur ampliùs futura, ſed quæ prius futura fuit, & eo nomine donabatur, nunc denominatur præſens. Imò in eo ſecundo dicto implicatur contrarietas & repugnantia cum priore dicto. Nam ſi eo inſtanti, quo res eſt præſens, denominatur fuiſſe futura in inſtantibus præcedentibus, ergo in illis inſtantibus præcedentibus verum erat illam eſſe futuram, tametſi non niſi per illudmet eſſe, quod tunc non erat actu, ſed tantùm eſt actu, cùm denominatur præſens. Quòd ſi in aliquo inſtanti præcedenti verum fuit, illam tunc eſſe futuram, verum etiam fuerit per totam æternitatem à parte ante, vt affirmabam. Ac proinde quoad realem durationem non priùs eſt præſcientia æterna, quàm futuritio rei aliquando habentis eſſe in aliqua temporis differentia.

Difficultas num 335. propoſita, ex dictis eliditur.

347. Sic conſtitutis duobus illis fundamentis, quæ hactenus reieci & confirmaui, nempe anteceſſione rationis ac præſuppoſitione obiectiua futurorum ad præſcientiam; Itémque æquali futurorum, quà talium, & præſcientiæ duratione, nullo negotio inferre licet reſolutionem difficultatis initio propoſitæ contra libertatis & præſcientiæ æternæ cohæſionem. Vidimus enim obiectum futurum, eſſe prius ratione & præſuppoſitione, quàm præſcientiam, & non idcirco futuritionem competere illi obiecto, quia eſt à Deo ſpeculatiuè cognitum, ſed potiùs idcirco Deum præſcire rem futuram, quia ipſa præſupponitur futura, nec poteſt diuini intellectus perſpicaciam effugere. Atque ita quod pulchrè Boëtius 5. de conſol. proſa 6. Athanaſius ſerm. de paſſione & cruce, Theodoret. in c. 8. ad Rom. & denique Cuſanus lib 3. cribrationis Alcorani c.7. tradunt, perinde ſe habet diuina præſenſio ad rem futuram, atque intuitio mea ad obiectum præſens, v. g. mea viſio ad Petri ſeſſionem

Sicut ergo mea viſio eſt ratione poſterior ſeſſione Petri, nec eſt cauſa eius, quia præſupponit illam (quomodo enim alioqui eam perciperet actualem, cùm non cenſet eam?) ex quo efficitur vt quamuis ex alioqui enim non verè intuerer ſuppoſitione quod verè intuear Petrum ſedentem, neceſſe ſit eum ſedere; tamen neceſſitas, quæ eſt in ſeſſione Petri, non ſit niſi ex ſuppoſitione rei iam poſitæ, ac proinde conſequens, & nullatenus officiens libertati, quam ſeſſio ex influxu cauſæ ſuæ ex ſe liberæ & expeditæ habere ſupponitur. Ita actio mea ex eo quòd à Deo præuideatur, & ab æterno cognoſcatur ac ſi eſſet præſens, nullam contrahit neceſſitatem ex præſcientia. Sed cum ſit priùs ratione quàm ſciatur, tantúmque ſciatur futura, quia præſupponitur futura, ex ſe quidem & abſolute vacat neceſſitate, tamen quia ſupponitur eſſe, habet neceſſitatem ex ſuppoſitione. Quam poſſe cum libertate cohærere, conſtat, quia eſt tantùm ex ſuppoſitione ipſiuſmet rei futuræ, quæ eo ipſo quòd eſt, non poteſt ſimul non eſſe. Præcedit enim in re contingentia & libertas, eò quòd res ponatur vi cauſæ actiuè indifferentis. Ipſam autem rei poſitionem ſequitur neceſſitas illa conſequentiæ, quæ proinde non deſtruit contingentiam in quam fertur.

Itaque præſcientia, ne illam quidem primam ne-

ceſſitatem

ceſſitatem conſequentiæ, quam in obiecto præſcito conſiderare poſſumus, illi confert; ſed potius ſubſequitur eam rei neceſſitatem, & ideò eſt firmiſſima & planè infallibilis, quia res quæ ſupponitur futura, ſi cognoſcatur prout ſubiacens illi ſuppoſitioni, eſt capax terminare notitiam certam & infallibilem, quandoquidem, prout ſubſtans prædictæ ſuppoſitioni, induit neceſſitatem quandam & immutabilitatem ex eo detinatam, quòd nihil poſſit ſimul eſſe & non eſſe. Ac proinde notitia, quæ attingit rem, quæ ſupponitur eſſe, & eam talem percipit, non poteſt eſſe falſa, vt optimè argumentatur S. Anſelmus in Concord. parte 1. c. 1. quamuis abſolutè & præciſa ſuppoſitione, ex qua illud obiectum terminat notitiam, nihil vetet talo obiectum aliter ſe habere vi ſuæ cauſæ, & idcirco liberum & contingens dicatur.

Indicauit hoc optimè Athanaſius homil. de paſſ. & cruce Domini verbis illis. *Si dicant impoſſibile erat, Iudæos credere, quia hoc de illis ſcriptum erat, ne impoſſibilitatem iſtam voluntati delectuíque agentium tribuas, qui ſe mutare non poſſent: ſed illam ſtatuas in verbis Propheta quatenus ille mentiri non poterat, nimirum quem cum verè videret impoſſibile erat hallucinari: aliaqui vidiſſet, aut non verè aut non ita vt res ſe habebat.* Tantùm ergo abeſt vt diuina prænotio, neceſſitatem abſolutam actionibus præuiſis iniiciat, vt ne illam quidem primam neceſſitatem conſequentem, quæ poteſt cum libertate cohærere, illis inferat, ſed eâ præſuppoſitâ, tendat in actiones illas futuras, quæ ex creatæ voluntatis determinatione ſunt futuræ.

Eadem difficultas diſtinctiùs ac ſyllogiſticè expreſſa.

348 Sed operæ pretium eſt doctrinam hactenus traditam ad formam argumenti initio propoſiti accommodare, auditis primùm aliorum reſponſionibus. Argumentum erat huiuſmodi. Quod Deus præſcit, neceſſariò eſt euenturum. Deus præſcit actus noſtros v.g peccatum Iudæ, aut Petri; nec enim ea prædixiſſet, niſi prænouiſſet. Ergo actus illi ſunt neceſſariò euenturi. Fruſtra ſudaſſe in hoc argumento diſſoluendo Richardum Armacanum per annos viginti, id quod etiam apud ipſum Armacanum legitur l. 16. de qq. Armeno. c. 4. aut vt apud Vvidefordum art. 17. legitur, per annos duos, iactabat Vvicleffus apud Vvaldenſem tom. 1. l. 1. c. 19. n. 1. & c. 22. *in fine*. Pleroſque etiam Ethnicos ei ſuccubuiſſe iam notauit ex Origene. Catholici verò ſcriptores variè illud diſſoluunt, omnes quidem reipſa eodem ſenſu; aliqui tamen quoad verba & modum explicandi rem eandem, minùs commodè elidunt difficultatem in argumento illo contentam.

Qui Maiorem negent.

Reſpondent ergo aliqui negando Maiorem. Nam quod à Deo præuidetur, non eſt neceſſariò euenturum, id eſt, propoſitio rem illam fore enuncians, non eſt ex ſe & ex ſuis terminis neceſſaria, contra Vvicleffum apud Vvaldenſem ſupra c. 21. n. 1. Concedit quidem S. Thom. 1. parte q. 14. art. 13. ad 2. propoſitionem illam, *Deus ſciuit Petrum peccaturum*, eſſe abſolutè neceſſariam. Tamen nomine neceſſitatis eo loco intelligit immutabilem veritatem cum contingentia compoſſibilem, qualis cernitur in quibuſuis aliis propoſitionibus de præterito. Vel certè cum propoſitionem illam vocauit *abſolutè neceſſariam*, intellexit propoſitionem cui neceſſitas abſque alia explicatione competere intelligitur. Suppoſitio enim ex qua propoſitio de præterito contingenti, cuiuſmodi eſt illa: *Deus ſciuit Petrum peccaturum*, neceſſitate afficitur, ſemper in ea propoſitione ſubintelligitur, non item in propoſitione de futuro. Atque ita doctrina Diui Thomæ non pugnat cum reſponſione prædictorum authorum negantium Maiorem propoſitam, quæ non eſt de præterito, (qualis erat ea propoſitio: *Deus ſciuit Petrum peccaturum*; vbi iudicium cadit in ſcientiam Dei præteritam;) ſed eſt de futuro.

Non placent.

349. Hæc reſponſio continet quidem veram doctrinam: tamen niſi aliquid addatur, ſemper manet obſcurum quomodò neceſſitas diuinæ prænotionis, quæ eſt ipſemet Deus, non refundatur in rem præſcitam. Quomodò enim actus diuinus, quo res illa prænoſcitur eſt omnino neceſſarius, & tamen obiectum dicitur poſſe aliter ſe habere? Mutato enim obiecto, vel deberet mutari actus diuinus, quod eſt impoſſibile; vel ſi diuinus actus mutari nequit, (vt certè nequit,) neceſſe videtur, vt obiectum omnimodæ neceſſitati ſubiaceat. Denique quòd Maior illa ex ſe & ex terminis non ſit neceſſaria, parum refert ad incolumitatem libertatis, niſi etiam oſtendatur, non eſſe neceſſariam ex ſuppoſitione extrinſeca antecedente. Plerumque enim, vt ſæpè ſuprà adnotatum eſt, voluntas ex ſe libera, neceſſitatur, quia tollitur eius expeditio, & abrogatur poteſtas eius proxima in actum, ſaluâ ſolâ remotâ, quæ non ſufficit ad verum vſum libertatis. Oſtendendum ergo erat, ex præſcientia nullam neceſſitatem antecedentem inferri rei præuiſæ; & ideo manere liberam, nec contrahere ex præſcientia neceſſitatem cum libertate pugnantem, vt affirmatur in illa Maiori.

Qui minorem aut negent, aut limitent.

Alij limitant minorem. Dicunt enim Deum non præuidere neceſſariò res futuras; ideóque addunt propoſitionem illam. *Deus vidit neceſſariò rem futuram v. g. Antichriſtum peccaturum.* falſam eſſe, eò quòd præuiſio non ſit neceſſaria. Entitas quidem diuinæ ſcientiæ quæ ad res futuras terminatur, eſt omnino neceſſaria in ratione entis, nec poteſt non eſſe. Tamen in ratione ſcientiæ terminatæ ad obiectum, poteſt non eſſe. Obiectum enim poterat non eſſe futurum; quo poſito ſcientia Dei non fuiſſet exhibitio eius tanquam futuri: licet quia nunc eſt reipſa futurum, contingat quoque vt ſcientia Dei, quam nihil latere poteſt, ſit eius tanquam futuri repræſentatio; quod manens prorſus eadem & immutata, non haberet, ſi obiectum non eſſet futurum Iuxta illud ab Hugone Victorino acutè dictum lib. 1. de Sacram. p. 2. c. 16. *Si futura non eſſent, in Deo præſcientia non eſſet. Sed ex hoc nihilominus in Deo fuiſſet, quia ipſa quæ præſcientia eſt, in Deo fuiſſet.* Hæc ille docere intendens ſecluſa obiecti futuritione, præſcientiam quidem Deo inextituram, quoad entitatem ſuam: non tamen quoad habitudinem & terminationem, quam nunc habet ad obiectum reipſa futurum.

350. Iuxta hanc ergo doctrinam, aliqui negant Minorem ſyllogiſmi propoſiti eſſe vllo modo neceſſariam ſiue ſimpliciter, ſiue ex ſuppoſitione; &, ſiue in ſenſu diuiſo ſiue in ſenſu compoſito: quod tamen exigeretur, vt neceſſitas in actum præuiſum redundaret à præſcientia, quia actus præuiſus, v.g. peccatum Antichriſti, eſt contingens: eò quòd Deus ita prænoſcat Antichriſti peccatum, vt potuerit non ſciuiſſe, nec neceſſariò illud ſciat, cùm poſſit facere, vt neque nunc ſciat, neque ſciuerit Antichriſtum peccaturum. Imò ipſe Antichriſtus, vt diſertè affirmat quidam apud Dionyſium Ciſter. in 1. d. 18. q. vnica corol 9. poterit

terit facere, vt nunquam Deus illud ſuum peccatum, quod omittere poteſt, ſciuerit tanquam futurum. Iuxta illud Bedæ q. 13. ex variis. *Non coegit nos Deus vt mali ſivi videremur ab æterno, nam potius nos coegimus eum, vt malos non videret.* Hanc reſponſionem ad argumentum propoſitam inſinuat Pſeudo Anſelmus in elucidario, & diſertè tradunt alij apud Henriquem l. de fin hom. c 6. n. 6. *litera K.*

Reprobantur.

Non eſt tamen idonea reſponſio, ſaltémque non vacat confuſione, aſſumitque aliqua implexa & intellectu difficilia. Sopponit enim cognitionem iam habitam, poſſe non fuiſſe habitam: quod tamen impoſſibile eſt. Sicut in creatis impoſſibile eſt, vt ad præteritum ſit potentia, eò quòd poſtquam res ſemel fuit, habuerit omnino determinationem ſuam ad vnam partem, ideóque exempta omnino ſit à cauſæ poteſtate, quod attinet ad hoc quod eſt fuiſſe. Neque enim cauſa poteſt facere contradictoria. Ac proinde ſi iam poſuit effectum, vel actum, non poteſt non poſuiſſe illum. Sicut ergo de actu creato, qui ſemel fuiſſe ſupponitur, non poteſt aſſeri, quòd poſſit non fuiſſe, licet antequàm ſupponeretur fuiſſe, potuerit non fuiſſe: Ita cognitio futurorum ſi ſemel ſupponatur fuiſſe in Deo, non poteſt in eo non fuiſſe. Quòd ſi fuit, non poteſt non perſeuerare, & carere quacunque neceſſitate eſſendi: quia Deus non eſt obnoxius mutabilitati ac viciſſitudini. Vnde difficultas propoſita non eliditur per hanc reſponſionem: quia ex neceſſitate ſcientiæ diuinæ, quæ ſupponitur præceſſiſſe rei præſentiam, (quandoquidem eſt præuiſio,) videtur inferri neceſſitas rei contingentis præuiſæ, & quidem neceſſitas antecedens. Ideóque reſponſio, quam excutimus, quamuis aliqua vera contineat, tamen non implet animum, nec perſpicuè enodat difficultatem.

Germana ſolutio ex dictis.

351. Vera ergo & legitima argumenti propoſiti diſſolutio, habetur ex doctrina, quam præmiſimus. Dicendum quippe eſt maiorem illam; *Actus humanus, quem Deus præſcit, eueniet neceſſariò*, non eſſe veram, niſi de neceſſitatè conſequentiæ, ſiue de neceſſitate ex ſuppoſitione voluntatem noſtram conſequente, quæ neceſſitas libertatis vſum non temerat. Si autem illa maior intelligatur de neceſſitate antecedente & tollente libertatem, neganda eſt. Atque ita in eo actu contingente, quem Deus præuidet euenturum, manet contingentia, non obſtante præſcientia, quæ acceſſit poſt actus futuritionem ratione præſuppoſitam, & non fuiſſet ponenda de facto, niſi actus ille fuiſſet reipſa proditurus à ſua cauſa actiuè indifferente. Quia autem præſuppoſitus eſt proditurus, & eo ipſo fuit aliquid verè cognoſcibile, non potuit latere perſpicacem Dei oculum, omnia verè cognoſcibilia continentem, eo modo quo ſunt.

Spectat ad confirmandam hanc ipſam reſponſionem, quod ſæpè tradit S. Auguſtinus nominatimque 5. Ciuit. c. 9. & 10. & lib. 3. de lib. arb. c. 3. & lib de tripl. habitac. c. 5. Idémque habet S. Anſelmus 1. concord. part. 1. quæ tota eſt in præſentis difficultatis enodatione. Nempe quòd ſcientia Dei præſciens v. g. Antichriſtum liberè peccaturum, ſemetipſam falſam redderet, ſi præuidendo peccatum liberè cauſandum, redderet illud neceſſarium cadendo in illud ſeu percipiendo illud. Item dicendum ſimiliter eſſet nihil liberum eſſe cognoſcibile, quin hoc ipſo fieret neceſſarium. Ex quo ſequeretur, aliquod verum non poſſe ſciri niſi falsò. Quod, vt D. Augoſtinus 26. contra Fauſtum c. 4. rectè vidit, eſt omnino abſurdum. Quomodo enim eo aliquid falſum eſt, quo verum eſt? Atqui aduerſarij fatentur præſcientiam eſſe de obiecto ex ſe libero, fatentúrque illud videri tale à præſcientia, ergo præſcientia deſtruit ſeipſam, ſi obiectum ſuum efficiat neceſſarium.

Quare dicendum eſt, præſcientiam eſſe merum contuitum actus futuri, eique non eripere libertatem, quam habet vi principij à quo manat cum indifferentia actiua: ſed tantùm tendere in illum, quia ſupponitur manare à tali principio, & eatenus eſt neceſſarius ex ſuppoſitione profecta ab ipſa voluntate libera, quod optimè cohæret cum libertate. Exemplo ſpeculi prægrandis in quò omnia exiſtentia apparerent & ſublata deſinerent apparere, id eleganter exponit Armacanus l. 16. de quæſtionibus Armenorum c. 3. Tradit luculenter hanc ipſam reſponſionem Origenes l. 2. contra Celſum. S Anſelmus in concordia *ora prima parte*, & optimè etiam Vvaldenſis tom. 1. l. 1. c. 26. aliiſque adiunctis Guliel. Pariſ. tertia primæ de vniuerſ. c. 15. & ſeqq Ex quibus profecerunt, qui hæc poſteà pleniſſimè tradiderunt Ferrarienſis lib. 3. 3. contra gent. cap. 67. Sepulueda lib. 3. de fato *ſub finem.* Vaſq. 1. part. d. 68. Suarez lib. 5. de ſcientia futurorum c. 9. Albert. corol. 1. ex 4. principio complexo à n. 7 Val. 1. p. diſp. 1. q. 14. p. 5. §. 3. Moncæus diſp. 3. ſelecta. c. 18. & ſequentibus, & alij abſque numero.

Aliæ ſolutiones ad hanc reuocatæ.

352. Recidunt verò in eam ſuperiores ſolutiones, tametſi quia aut minùs explicatè proponebantur, aut aliqua falſa admittebant, reiectæ ſunt. Recidere autem reuera in ſolutionem propoſitam, manifeſtum erit attendenti. In primis enim qui negarunt quod à Deo præſcitur, euenire neceſſariò, non aliud voluerunt, quàm rem præſcitam non eſſe neceſſariam niſi ex ſuppoſitione futuritionis per liberam hominis voluntatem poſitæ, in quam tendit præſcientia. Ac proinde tota illa neceſſitas eſt ſaluo libertatis vſu, qui non tollitur per ſuppoſitionem à libera voluntate pendentem. Similitérque qui dixerunt præuiſionem actus liberi, quatenus præuiſio eſt, non eſſe neceſſariam, & potuiſſet non poni, non aliud voluerunt, quàm quòd actioni liberæ à Deo præuiſæ contingens fuerit poni, defueritque neceſſitas antecedens, ac præueniens determinationem voluntatis creatæ.

Nec alia etiam fuit mens Boneto, tametſi duriùs & omnino improbabiliter locuto, l. 3 Theol. c. 3. propoſit. 5. cùm admiſit Dei præſcientiam de futuris liberis non eſſe omnino & ſimpliciter infallibilem. Senſus enim eius eſt, non eſſe omnino neceſſariam, eo modo quo actus ſcientificus, (quo exemplo ipſe hanc rem exponit,) eſt omnino neceſſarius, quia eſt de obiecto, quod non poteſt aliter ſe habere ex ſe, & antecedenter ad voluntatem liberam. E contra enim præuiſio, eſt de obiecto, hoc eſt de actu libero, qui ex ſe, & ante ſuppoſitionem futuritionis ſuæ, poterat non eſſe; & nunc quoque, ſi præſcindatur ſuppoſitio exiſtentiæ & dimanationis à cauſa ſua, talis eſt, vt de eo enunciare liceat, ipſum poſſe non eſſe: quamuis poſito quod ſit non poſſit non eſſe. Nam vt ratiocinatur Cameracenſis in 1. q 11 *litera F*, cùm contingens definitur, *quod poteſt eſſe & non eſſe* non eſt ſenſus quod res contingens poſſit ſimul duos illos ſtatus ſortiri, qui ſe mutuo excludunt, & contradictoriè pugnant: ſed ſenſus eſt, ita vnum ex illis ſtatibus competere rei

contin.

contingenti, vt non repugnauerit oppoſitum ei competere, ſpectata natura cauſæ, quæ æquè alterum ponere poterat, ac iſtud poſuit. Itaque in ſenſu propoſito, ſententia illa Bonoti habet ſenſum Catholicum, quæ alioqui errorem intolerabilem contineret. Tametſi verba, quibus ſenſus ille Catholicus ab eo exponitur, placere non poſſint; immeritóque in illis etiam aliquoties reliquo illo capite, *infallibile*, & *neceſſarium abſolutè* confundantur. Quorum duorum terminorum confuſionem, & *in illis non diſtinguendis modicam truſſam, fuiſſe magnis viris cauſam diſtu bi*, veriùs quàm elegantiùs dixit Vvaldenſis tom. 1. l. 1. c. 26. n. 3. Rectè autem ea ſecreuit Dionyſius Ciſterc. in 1. d. 38. q. vnica art. 2.

ARTICVLVS VII.

Quandonam expeditus ſit libertatis vſus, in humana voluntate.

353. HOc vnum ſupereſt circa expeditionem libertatis tractandum. Hactenus enim eam expoſuimus & confirmauimus, depulſis omnibus, quæ eam exſcindere poſſe videbantur, in alterutra partiali facultate libertatis attendatur. Reſtat igitur vt conſideremus, quandonam exerceatur. Et vniuersè quidem conſtat ex dictis quæſt. ſuperiori, tempus expeditæ libertatis eſſe illud quo rationis vſus ſuppetit. Quia cùm radix libertatis formalis in voluntate, ſit ratio obiectiuè indifferens; certum eſt cùm non prælucet voluntati ratio indifferens, (quod additum ſemper intelligitur, cùm abſolutè dicimus aliquem vſu rationis pollere,) deeſſe vſum libertatis. Itaque hîc tantùm quærimus, an quoties rationis vſus ſuppetit, libertas maneat expedita. Quod habet præſertim difficultatem pro tempore, quo elicitur operatio. Nam ſi tunc actio non eſt libera, nunquam erit libera; & tamen videtur tunc neceſſariò elici; & quidem neceſſitate pluſquam conſequente, cùm operatio illa, non ſit libera ratione alterius actus eam indicentis, (ſic enim daretur proceſſus in infinitum,) neque per ſeipſam immediatè: cùm voluntas liberè cauſans, nihil aliud habeat per quod ea operatio pendeat tunc ab ea liberè, potiùs quàm neceſſariò, ſicut ab ea pendere poſſet. Quod ſi dicatur eſſe libera, quia pendet à cauſa libera, viciſſim quæremus per quid ea ſit libera, vbi cõmittetur circulus recurrẽdo ad actum, & dicendo eſſe liberam, quia habet actum liberum. Eſt etiam difficultas aliqua quoad operationem quæ elicitur in primo inſtanti quo agens eſt, poſsítne eſſe libera. Itemque quoad continuationem operationis, quam aliqui volunt eſſe neceſſariam ad aliquod tempus etiamſi liberè fuerit inchoata. Atque ita & vniuersè de tempore, quo operatio elicitur, & ſingillatim de eius inchoatione ac continuatione controuertitur, an voluntas libertate expedita potiatur. Reſolutionem ſic ſubiicio.

ASSERTIO.

VSv rationis vigente, viget quoque libertatis expeditio; non quoad futuras duntaxat actiones, ſed etiam quoad præſentes, ac etiam quoad coæuam voluntati, operationis inchoationem; & omnem prorſus continuationem.

PRimò vniuersè dico, voluntatem liberam eſſe & expeditam, eo tempore quo operatur, v. g. aſſero hominem, quo tempore exercet volitionem ambulandi ex iudicio indifferente patefaciente ambulationis amabilitatem & repudiabilitatem, elicere liberè eam volitionem, & ita in omnibus ſimilibus.

Qui libertatem voluntati, cùm agit, negauerint.

354. Hæc eſt communiſſima ſententia, extra ſcholam Nominalium. Imò nec ipſos Nominales diſſentire, rectè aduertit Vaſques 1. p. d. 68. n. 54. & Leſſ. c. 5. de grat. n. 8. & qui ſe *puerum .. amorem, hiſce*, (vt ait) *infeliciſsimis Suſannis literandis* præſtat, Hurtadius d. 5. de anima n. 21. Affirmat quidem Ocham in 1. d. 38. q. 1. & Gabriel ibid. q. vnica *litera H.* voluntatem, pro inſtanti quo elicit actum, non hoc habere, vt eum ſimul & elicere, & non elicere poſſit iungendo in ſe actum, & non actum. Hoc enim manifeſtè repugnat, vt ſupra etiam ex Scoto aduerti, declarans definitionem libertatis. Non tamen propterea negant Ochamus & Gabriel, actum non eſſe liberum illomet inſtanti quo exercetur; imò diſertè contrarium affirmant. Nominatímque id illuſtrat exemplum, quod Ocham ſupra adhibet *litera C.* nempe voluntatis, quæ tantum duret per inſtans; admittit enim eam poſſe liberè agere, eò quòd cùm voluntas ſit actus primus, ſpectari poſſit in vno inſtanti naturæ ante ſuam volitionem, & in eo ita det eſſe actui quem elicit, vt ſi luberet, poſſet non dare: quæ eſt ipſiſſima communis doctrina, quam ab his Nominalibus conuulſam, malè aſſerunt Suarez d. 19. Met. ſectione 9. numero 2. & Aluares d. 116. de auxilio numero 15. ac Fonſeca 6. Met. cap. 2. quæſt. 4. ſectione 1.

Aptiùs tribui poſſet ea ſententia nonnullis apud Gulielmum Pariſ. tract. de vitiis cap. 10. affirmantibus, eum qui peccatum admittit, non tunc peccare, cùm admittit actum malum, eò quòd tunc non poſſit non facere quod facit, careátque libertate; ſed peccaſſe priùs, cùm liberè ſe coniecit in neceſſitatem, exuitque ſe libertate. Videntúrque in eadem fuiſſe ſententia nonnulli quos Rupertus lib. de voluntate Dei cap. 19. refert affirmaſſe, Deum quidem prohibere homini actum malum priuſquàm homo eum admittat, in momento tamen quo actus malus admittitur, eum non prohibere, quia nimirum actus cum fit non poteſt non fieri, Dei autem lex non fertur in ea quæ fieri non poſſunt.

Contraria & vera ſententia.

355. Verùm quod aſſerui eſt omnino certum, probatúrque in primis argumento Ochami: Nimirum quia ſi voluntas in inſtanti quo operatur, non eſſet libera reſpectu actus quem elicit, careret prorſus libertate in ordine ad illum. Nam in tempore quod præceſſit illud inſtans, voluntas non dicebatur libera ad illum actum, niſi pro eo inſtanti quo erat eliciendus. Tempore autem ſubſequente operationem, voluntas non eſt amplius libera reſpectu illius, quia eſt iam elicitus, ſed libera fuit. Ergo ſi pro inſtanti aut tempore quo elicit actum, non eſt libera ad illum, nunquam potietur libertate erga talem actum.

Deinde actio peccati, tunc eſt peccatum cùm elicitur; & contrarium, non niſi per ſummam imperitiam aſſeri potuit ab iis, quos poſtremo loco retuli, quorum errorem latiſſimè ibidem impugnat Gulielmus

mus Pariſ. multiplicatis de more rationibus & illuſtrationibus veritatis oppoſitæ eidem errori. Sed ſufficit dicere, quòd iuxta eos, nullum omnino admitti poſſet peccatum. Nam ſicut ipſi negant peccatum admitti cùm actio praua elicitur, eò quòd cùm elicitur, non poſſit non elici; proindéque non eſt libera; atque adeò neque mala: Ita de ipſa quoque negligentia, vel iniectione neceſſitatis, quam dicunt præcedere, idem argumentum faciam. Non enim erit peccatum, quia quando ipſa eſt, non poteſt non eſſe, proindéque non eſt libera, atque adeo neque mala. Vel ergo progrediemur in infinitum, admittendo hanc neceſſitatis iniectionem non liberam, eſſe peccatum per anteriorem actum; de quo tamen ſemper idem argumentum faciam quouſque concedatur actus, qui etiam cùm elicitur, malus ac liber ſit: Vel concedendum erit, impoſſibile eſſe malè facere, & in peccatum prolabi, quod nemo non videt, eſſe & ridiculum & perniciosiſſimum. Nec poteſt ſtabiliri illo vulgari effato, quo iſti vtebantur referente Gulielmo ſupra; nempe, *neceſſitas non habet legem*. Quamuis enim neceſſitas antecedens, & à voluntate independens, exſoluat voluntatem obligatione legis cum neceſſitate illa pugnantis; quandoquidem nemo iuſtè poteſt teneri ad impoſſibile, quale ſupponitur eſſe id, ad quod antecedens neceſſitas aſtringit. Tamen neceſſitas quam quiſque ſibi iniicit operando, non eſt antecedens, ſed manat à voluntate. Conſiſtit enim in eo tantùm, quòd dum quis agit, non poteſt ſimul non agere: ſeu non poteſt ſimul iungere actionem. Vbi neceſſitas ponendi actum, non alia eſt quàm quia ponitur, nec poteſt non poni, ſi ponitur. Quia ergo ponitur per voluntatem, quæ dum eum ponit, poſſet eo non poſito feriari, manifeſtum eſt totam illam neceſſitatem eſſe conſequentem, & à voluntate ipſa ſibi iniectam. Proindéque mirum non eſt, quòd non excuſet à peccato, tunc cùm actus ponitur contrahendo, nec eripiat libertatem.

Tandem optimum argumentum duci poteſt, ex eo quòd qui peccat, non incurrit peccati appendices, (hoc eſt, pœnæ condignitatem, priuationem gratiæ ſanctificantis præiacentis, vituperabilitatem, & huiuſmodi alia,) niſi cùm peccat, & præciſè per id, quod tunc facit, non autem propter aliquid anterius vel poſterius. Illæ autem proprietates non conſequuntur actus non liberos, ſed duntaxat eos actus qui tum cùm proprietates illæ ex eis progerminant, liberi ſunt. Ergo neceſſe eſt eos eſſe liberos, cùm eliciuntur; quandoquidem proprietates illæ tunc eis iunguntur, & non aliàs.

Quatenus momento quo fit actio, ſubſit duplex inſtans naturæ, in quorum priore actio poſſit non poni.

356. Sed vt radicitùs euellatur difficultas, conſtétque quomodo actus qui elicitur, liber ſit cùm elicitur, aduertendum eſt ex Scoto in 2. d. 1. q. 2. *litera E.* & in 3. d. 18. *litera H* ac etiam ex Ochamo ſupra & OlKot in 1. q. 3. *litera V.* & Soncinate 9. Metaph. q. 17. actionem præſentem, & actu à voluntate manantem, quamuis non poſſit non eſſe præſens, poſito quod ſit præſens; quia non poteſt ſimul eſſe & non eſſe: Tamen idcirco liberam eſſe, *liberum eſt vnum ſemper ex duobus agere, cum ſemper vtrumque poſſimus:* vt optimè dixit Pelagius epiſto. ad Demetriadem: hoc eſt, quia voluntas quo inſtanti operationem elicit, ita illam ponit, vt ſemota ſuppoſitione ipſius operationis, id eſt, non ſupponendo, quòd operationem eliciat, indeterminata & indifferens ſit, ad eam non ponendam vel ponendam, poſſitque alterutrum diuiſim non coniunctim præſtare. Poſſumus enim in vno & eodem inſtanti temporis, duo inſtantia naturæ diſtinguere. Vnum, quo voluntas antecedit ſuam formalem determinationem, id eſt, ſuum actum, tanquam cauſa effectum. Alterum, quo actus ponitur, & à voluntate dimanat. In illo ergo primo inſtanti naturæ, ſeu priuſquàm ea determinatio formalis intelligatur poſita, nihil adhuc fuit, quod voluntati libertatem eriperet. Quare adhuc eam retinet. Quòd autem in eodem inſtanti temporis, & in ſecundo inſtanti naturæ, quod intra illud inſtans temporis diſtinguitur, non per modum inſtantis in quo, ſed per modum inſtantis à quo, ponatur operatio dependenter à voluntate illuc vſque libera, non poteſt libertatem hactenus incolumem tollere. Quia ſuppoſitio conſequens & pendens à voluntate libera, non temerat libertatem, ſed eam potiùs perficit, cùm illius exercitium contineat. Itaque voluntas in illo ipſo inſtanti temporis, quo operatio exercetur, libertatem participat.

Non video autem vbinam Aluares ſupra n. 17. legerit, aliquos authores ſententiæ quam tuemur, docere actionem in eo inſtanti temporis quo fit, non elici liberè; ſed tantùm in inſtanti naturæ. Nemo enim tale quicquam vnquam ſomniauit. Nec ſanè niſi admodum inſulsè id fingere licet, cùm inſtantia naturæ non ſint inſtantia durationis; ſed tantùm vſurpentur ad deſignandam cauſalitatem ac dependentiam: Ita vt quod cauſat aliud, dicatur eſſe in priori inſtanti naturæ; quod verò cauſatur dicatur eſſe in poſteriori. Eſt quidem rudibus ac tyronibus familiare, cùm audiunt in eodem inſtanti temporis diſtinguenda eſſe duo inſtantia naturæ, imaginari inſtans naturæ eſſe aliquid minutius ac breuius momento temporis; quandoquidem vni temporis inſtanti, plura naturæ inſtantia ſubeſſe dicuntur. Et iuxta eum modum philoſophandi, nulli quod ſciam authori probatum, dicere quis potuiſſet actionem eo momento temporis quo elicitur neceſſariam, potiri libertate in inſtanti naturæ. Ea tamen ruditas & puerilis hallucinatio, nulli eorum in mentem venit qui noſtræ ſententiæ ſubſcripſerunt. Itaque vt præmittebam, optiméque tradunt Durandus in 2. d. 1 q. 2 num. 24. Rubio. in 2. d. 1. q. 6. *ferè in fine*, Gregor. in 1. d. 9. q. 1. art. 1. & ad argumenta, Capr. in 3. d. 2. q. vnica, Manzolus c. 7. formalitatum D. Thomæ, aliíque ſuo loco adducti, inſtans naturæ non eſt attendendum penes durationem extrinſecam, vel aliquid illius quantumcunque minutum; ſed penes dependentiam vel independentiam: Ita vt illa dicantur eſſe in eodem inſtanti naturæ, quorum neutrum pendet ab alio. Ex illis verò quorum vnum eſt cauſa, alterum effectus; cauſa dicatur eſſe prior natura, effectus verò dicatur eſſe poſterior; quamuis & cauſa & effectus ſint ſemper reipſa ſimul, ac ne temporis quidem momento, cauſa antecedat effectum. Et idcirco plerique DD. negant inſtans naturæ eſſe inſtans *in quo*, aiúntque eſſe inſtans *à quo*. ſiue vt loquitur Thomas de Argent. in 4. d. 18. q. vnica art. 4. prioritas naturæ eſt duntaxat anteceſſio naturalis præſuppoſitionis, non autem exiſtentiæ quomodolibet duratinæ, ac ne per momentum quidem. Scotiſtæ apud Sirectum in formalit. artic. 2. princip. & 4. partiali, eodem ſenſu aliis duntaxat verbis aiunt prioritatem naturæ, vel eſſe prius natura, non eſſe in aliquo priori ſimpliciter loquendo in quo non ſit poſterius, ſed eſſe præſuppoſitionem *huius ab hoc* vt colligitur ex Maytonio qui in his tricis multus eſt cum in 1. d. 6. q 2. art. 2. tum d. 12 q 2. art. 2. in 2. parte articuli, aſtipulante Rada quæſt. de ordine naturæ in diuinis, *ad finem*. Vt videas non benè Manzolim ſupra, Scotiſtis ſimpliciter impingere, ineptam illam

illam inſtantium naturæ interpretationem, cui inædificatur ea inſulſa opinatio quam ab autoribus noſtræ ſententiæ amolimur.

Cum quibus tamen non incommodè ad præſentis difficultatis enodationem vſurpamus inſtantia naturæ. Quia enim actus in inſtanti temporis, quo elicitur, pendet à voluntate ſuam indifferentiam actiuam retinente quouſque ſeipſam determinet, vt monſtratum eſt; nec eam perdit, cùm ſe determinat, vt etiam eſt oſtenſum: Propterea per inſtantia illa naturæ explicamus libertatem, qua actus in inſtanti temporis potitur, per dimanationem à cauſa libera, nec niſi à ſe determinata, ac neceſſitatem ſubeunte à ſe ſola, & ex ſuppoſitione actus per ipſam liberè poſiti, cum prius naturâ quàm poneretur, poſſet non poni. Sanè Deus vt optimè in hanc rem aduertit Molina 1. p. q. 14. art. 13. d. 4. liberrimus eſt reſpectu operationum ſuarum externarum, neque tamen antequàm eas profundere vellet, libertatem habuit, vt non vellet; cùm ab æterno ita voluerit: Neque poſtquam voluit, cùm ſit immutabilis. Ergo eatenus tantùm voluit liberè, quatenus in ſeipſo ex æternitate prius quaſi naturâ quàm alterum eorum ſtatuat, liber eſt ad terminandum ſuum actum diuinum, ad volendas operationes illas, vel ad non volendas.

Difficultas in contrarium enodatur.

357. Hic vrgere videtur difficultas initio propoſita. Nempe quòd videatur committi circulus, cùm dicitur actum qui elicitur liberum eſſe, quia pendet à cauſa libera. Viciſſim autem cauſæ libertas in eo conſiſtere dicitur, quòd poſſit actum elicere vel non elicere. Sic enim libertas actus explicatur per libertatem cauſæ; & viciſſim, libertas cauſæ, per libertatem actus, qui videtur circulus vitioſus.

Sed dicendum eſt, nullum hac in parte circulum committi. Nam actus liber, ſicut ſeipſo pendere ſupponitur à cauſa ſua libera; (eò enim tandem deueniendum eſſet, ſi ageremus de actu dependente à voluntate libera interuentu alterius actus anterioris:) Ita ſeipſo recipit ab ea libertatem, hoc ipſo quòd ita per eam ponitur, vt niſi de facto poneretur, poſſet non poni, etiamſi ipſa potentia nullo modo in ſe mutaretur; ſed omnino eodem modo ſe haberet: quod eſt cauſæ liberæ priuilegium, vt optimè obſeruat OlKot in 1. q. 1 *litera I* Per hanc autem denominationem à potentia, conſtitui libertatem in actu ſecundo, expoſitum ſuperius eſt quæſt. 1.

Actus ergo, habet à potentia expedita, libertatem qua potitur. Viciſſim autem potentia, non habet libertatem in actu primo, ab actu quem elicit, quamuis quatenus libera eſt illum indirectè & in obliquo, importet. Quod non eſt nouum. Nam etiam cauſa quatenus cauſa, connotat effectum & actionem, à quibus tamen non pendet, vt per ſe patet. Similiter præmiſſæ quatenus præmiſſæ, connotant concluſionem cuius ſunt veluti cauſæ, neque tamen ab ea pendent. Nimirum cùm voluntas libera importet in recto ac directè entitatem voluntatis prorſus expeditam, & quouis impedimento exſolutam; connotet autem & indirectè tantùm importet actionem ab ea entitate expedita profuſibilem, actio non manat à connotato, quia ſic maneret à ſeipſa, quod eſt impoſſibile; ſed manat tantùm ab entitate connotante, non inuoluendo in vi principiatiua actionem ipſam, ſed eam duntaxat obliquè adiunctam, habendo, ad deſignandam vim principiatiuam, eámque reſtringendam per habitudinem ad talem actum.

Huius argumenti dilutio operoſior eſſet iis, qui ſicut diuinum velle liberum integrant ex diuino actu immanente & effectu, tanquam ex aliquo directè & partialiter ad eius prout liberi conſtitutionem pertinente: ita de libertate noſtra in actu primo ad primum elicitum actum comparata, philoſophari coguntur eodem modo. iis enim impoſſibile eſt vitare vitioſum circulum, & dependentiam eiuſdem à ſeipſo. Nos autem ſicut illam ſententiam in libertate Dei explicanda non admittimus; ita neque hîc in explicanda humana libertate, eam probamus; ac proinde non poſſumus vrgeri argumento eam ſententiam ſupponente.

Rem, ex quo eſt, non poſſe liberè agere, quorundam ſententia.

358. Secundò ſpeciatim aſſerui, voluntatem liberam eſſe, & in actus inchoatione coæua operanti, & in continuatione. Disertè memini inchoationis omnino primæ, id eſt, coæuæ operanti, & ad eam me reſtrinxi: quia de inchoatione actus abſolutè, non poteſt eſſe difficultas, ſuppoſitis iis, quæ hactenus diximus de libertate actus, dum exercetur. De inchoatione tamen omnino prima, hoc eſt, operanti coæuâ, diſſenſerunt aliqui, rati eam non poſſe eſſe operanti liberam. Et fundamentum eſſe videtur; quia ad libertatem in voluntate præexigitur deliberatio in intellectu. Hæc autem poſtulat cognitionem finis, & mediorum cum eo ac inter ſeipſa collationem. Quæ omnia non videntur poſſe perfici in inſtanti, ſed poſtulare tempus. Ac proinde in primo inſtanti quo res eſt, falſum videtur eam poſſe liberè operari.

Sunt qui hanc ipſam ſententiam tribuant iis quoque autoribus, quibus viſum eſt, Angelum in primo inſtanti quo fuit, non potuiſſe malè operari. Reuera tamen ij autores, non expreſsè ita ſenſerunt; quamuis faueant, quia exiſtimant operationem malam, ſi tunc eliceretur non fore tribuendam voluntati creaturæ, ſed Dei producentis: Eo modo quo omnis operatio, quæ incipit cum re, cuius eſt operatio, conuenit ei à generante, ſeu à producente. Qua ratione motus ſurſum conuenit igni à generante iuxta Philoſophum & hos autores. Quòd ſi exiſtimarent operationem liberè elici in primo inſtanti, quo voluntas eſt, non negarent eam tribui poſſe ipſi creaturæ operanti; nec inferrent tanquam incommodum, quòd ſi actio illa prima eſſet mala moraliter, tribueretur Deo, oporterétque fateri eum eſſe peccati autorem. In promptu enim eſſet cauſa ſecunda libera, cui ea operatio tribui poſſet.

Reprobatur.

359. Sed quicunque tandem ſint, quibus ea ſententia arriſerit, contraria mihi probatur, quam latè præter cæteros confirmat Moncæus d 6. ſelecta c. 3. In primíſque probatur ex ipſo Deo, qui ab æterno liberè voluit pleraque, atque adeo ex quo fuit habuit indifferentiam, non quidem anteriorem reali aliqua duratione, actu diuinè interno: ſed tamen ſufficientem ad conciliandam actui diuino veram libertatem, Accedit quòd actus qui nunc liberè elicitur, non accipit eſſe à voluntate, quatenus ipſa exiſtit ante hoc inſtans, ſed prout ipſa nunc illum ita elicit, vt ſecluſa ſuppoſitione exiſtentiæ, poſſet eum non elicere ſi luberet. Perinde ergo eſt actui qui nunc elicitur, ac ſi voluntas in eum influens, haberet eſſe nunc primùm: quia eſſe præuium, quod habuit, nullo modo ſe habet pertinenter ad libertatem actus in hoc inſtanti. Ergo nihil vetat, voluntatem in primo inſtanti quo eſt, liberè operari.

Confirmatur exemplis paſſim receptis: In primis Angelorum, quos in primo inſtanti ſui eſſe, meruiſſe apud Deum, ac proinde liberè egiſſe, communis ſententia fert. Quòd ſi mereri benè agendo potuerunt, demereri etiam potuerunt. Nam non plus libertatis deſiderari in eis potuit ad demerendum, & peccandum, quàm ad merendum rectè operando.. Nec argumentum, quòd ſuperiùs attingebatur, eſt alicuius momenti. Non enim omnia, quæ conueniunt affectui in primo momento, ſunt tribuenda Deo generanti ſiue producenti, ſed ea tantùm quæ exiguntur ad rem in proprio & connaturali ſtatu plenè conſtituendam, cuioſmodi ſunt potentiæ & tendentia ad locum naturalem, & ſi quæ ſunt alia. At operatio immanens agentis liberi, ad nullum eorum capitum ſpectat. Ac proinde etiamſi Angelus in primo momento ſui eſſe, peccaret; ea operatio non eſſet tribuenda Deo autori, ſed peruerſæ voluntati ipſius Angeli. Plenè hoc confirmant Molina 1. p. q. 63. art. 5. Vaſq. diſp. 237. c 2. & Hurtadius d. 19. Metaph. §. 6. Sed non hæreo: quia ad rem præſentem ſatis eſt, quòd operatio poſſit eſſe libera in primo inſtanti, quo creatura habet eſſe: etiamſi fortè eſſet ſpecialis difficultas obſtans ne in primo momento poſſet elici mala operatio.

Alterum exemplum in rem propoſitam, eſt voluntatis creatæ Chriſti Domini, quæ in primo inſtanti Conceptionis ipſius Chriſti, atque adeo in primo veluti diluculo exiſtentiæ ſuæ, liberè egit; quandoquidem Apoſtolus Hebr. 10. teſtatur Chriſtum ingredientem mundum, (id eſt, in primo inſtanti quo fuit,) acceptaſſe decretum Patris de ſubeunda per ipſum morte, *in qua voluntate ſanctificati ſumus*. Ergo voluntas illa libera fuit, alioqui non meruiſſet nobis, contra quam Apoſtolus diſertè affirmat.

360. Ratio autem à priori eſt, quia voluntas in primo inſtanti quo producitur, poteſt intelligi abſque vlla determinatione extrinſeca: & alioqui ex parte intellectus poteſt affulgere ſufficiens notitia, exhibens indifferentiam obiectioam. Neque enim ad eam notitiam exigitur longa deliberatio, ſed poteſt in inſtanti formari; præſertim per intellectum ſuperiorem, maioris intellectualis luminis compotem: aut per inferiorem, vi ſuperiore indebita corroboratum. Ex quo infringitur argumentum in contrarium ſupra propoſitum. Quo inde confirmabatur voluntatem in primo inſtanti non poſſe liberè agere quod ad libertatem præexigatur in intellectu deliberatio, eáque finis & mediorum contentio, quæ moram aliquam atque capedinem temporis videtur depoſcere. Hoc argumentum vides conteri ex proximè dictis. Quamuis enim vt plurimum deliberatio non perficiatur in momento; tamen nec naturaliter impoſſibile eſſe voluntatem quo primùm momento producitur, liberè operari Facilè quippe intelligimus, vim naturalem voluntatis ſuperiori vigore roboratam, aſſurgere poſſe ad modum operandi nobiliorem quàm ferret naturalis in agendo tarditas, potentiæ finitatem aut aggrauationem ex concomitante facultatis corporeæ opera deriuatam conſequens. Et ſupponimus quidem, operationem in primo inſtanti temporis coniungi cum potentia; tamen ad libertatem illius ſufficit quòd in priori naturæ voluntas ſit indifferens, nec niſi à ſe ad talem operationem determinetur. Sicut in omni inſtanti ac tempore quo operatio continuatur, operatio non aliter eſt libera pro quolibet inſtanti, in quo elicitur, quam quia potentia in priori naturæ eſt indifferens ad talem operationem, nec niſi à ſe determinatur ad eam profundendam; quod æquè contingere poteſt in primo momento, quo voluntas accipit eſſe.

Continuationem actus, per aliquod tempus poſt primum inſtans, non eſſe liberam, placitum Nominalium.

Deducit nos hoc exemplum in alterius dubij ſupra propoſiti diſcuſſionem. Nempe an continuatio actus ſit libera. Circa quod non eſt dubitatio quoad tempus ſenſibile. Conſtat enim decurſo quouis certo tempore poſt inchoatam actionem, fas ſemper eſſe voluntati abrumpere curſum eius, nec vlteriùs progredi operando. Difficultas tamen eſt quoad tempus aliquod inſenſibile, conſequens primum inſtans. In huiuſmodi ergo tempore, fuerunt qui contenderent actionem neceſſariò & abſque libertate continuari: ideóque actioni pro eo tempore nec bonitatem moralem nec malitiam competere. Ita docet Gregorius in 2. d. 3. q. 1. art. 2. ad 4. Hibernici. Allegat item pro ea ſententia Bannes 1. p. q 82. artic. 1. dub. 2. eundem Gregorium in 1. d. 28. q. 1. quem ait, ſententiam hanc ſuam confirmaſſe, ex eo quod actus ille reſiſtat ſuæ corruptioni cùm appetat ſe conſeruare. Apud ipſum tamen Gregorium, ea ratio nuſpiam comparet Sed neque ſententia, extat eo loco quem Bannes allegat. Qui etiam perperam Gregorio tribuit, quod intendat ex ratione propoſita concludere, implicare contradictionem, quod aliqua creatura poſſit actum corrumpere, in eodem inſtanti quo producitur. Hoc perperam Gregorio affingi. eſſéque planè alienum à Gregorij inſtituto, eſt per ſe euidens. neque enim Gregorius intendit concludere, actum vi creata non poſſe ſimul eſſe ac diſtrui, quod ne vi quidem diuina fieri poteſt: ſed intendit concludere, actum liberè poſitum, durare neceſſariò ad aliquod breue tempus, quantum ex ſe, & ex natura rei, ſeclusáque diuina potentia abſoluta.

Alius ſenſus placiti Nominalium.

361. Non me latet Vaſquem 1. 2. d. 54. negare veniſſe vnquam in mentem Nominalibus, quòd actus in tempore illo imperceptibili, quo poſt inceptionem continuatur, non ſit liber: affirmare autem, eos tantùm aſſeruiſſe, actionem non poſſe immediatè poſt inchoationem abrumpi. Quæ doctrina ei probatur: quia, vt ipſe exiſtimat, nulla res deſinere poteſt per vltimum ſui eſſe: ſed debet deſinere per primum ſui non eſſe. Inter primum autem eſſe, quo res incipit, & primum non eſſe quo deſinit, debet neceſſariò intercedere tempus; in cuius tamen quouis inſtanti ſignato poterit actio abrumpi, & ideò per illud totum eſt libera: Quamuis quaſi ex neceſſitate naturæ, hoc ipſo quod agens voluit illam inchoare, non poſſit illam finire. niſi eo modo quem poſtulat natura huius formæ, hoc eſt, per primum non eſſe. Hunc enim eſſe modum deſinendi actionibus noſtris conſentaneum, imò nullam omnino rem poſſe aliter deſinere, confirmat latè idem autor 1. p. d. 219. cap. 10. Breuiter autem ratio eſt; quia non eſſe rei, eſt totum ſimul abſque ſucceſſione. At quiduis carens ſucceſſione, incipit neceſſariò in primo inſtanti. Ergo datur primum non eſſe cuiuſuis rei deſinentis. Cùm ergo duo inſtantia nequeant eſſe immediata; ſi res incipit in inſtanti, non poteſt in alio inſtanti immediato deſinere, multóque minus in eodem, ne ſimul ſit & non ſit. Hæc Vaſques de ſua & Nominalium mente. Et idem ſenſerat Victoria, referente Banne ſupra.

Quanquam

Quanquam non profert fundamentum quo Victoria nitebatur.

Placitum Nominalium reiicitur.

Vt autem iudicium meum breuiter interponam; In primis quod ad mentem Nominalium attinet, longè verius eſt quòd retuli. Diſertè enim Nominales pro breui illo tempore (quod admittunt eſſe in ſe determinatum, & certæ quantitatis, quamuis imperceptibilis obtutibus noſtris;) pro eo inquam breui tempore, contendunt actum carere libertate: cùm inde colligant illum eſſe expertem bonitatis & meriti pro breui illa ac imperceptibili duratione. Dicam rurſus in hanc rem nonnulla in tractatione de moralitate. Sic autem intellecta Nominalium ſententia, mihi non probatur: ſed omnino verum exiſtimo actionem liberè inchoatam, niſi ſuperueniat nouus alicuis obex libertatis, tollatúrve de nouo aliquid ad libertatem conferens, v. g. cognitio indifferens, liberè omnino continuari, & ideo abrumpi ab agente poſſe cùm libuerit. Quod multorum grauium teſtium autoritate munit Salas 1. 2. tract. 5. d. 4. n. 35.

Mihi autem ratione illa perſuadetur, quòd ſi ita eſſet, fateri oportet hominem non poſſe non peccare per aliquod tempus imperceptibile, ac proinde per talem continuationem actus, nihil demereri, cùm non poſſit, eam declinare, ſuppoſita inchoatione; quod ego quidem arbitror omnino falſum. Accedit quod toto illo tempore ſemouentur impedimenta libertatis formalis, & radix eius, hoc eſt, cognitio indifferens prælucet voluntati. Quid verò proferri poteſt, per quod expeditio voluntatis vrgens in primo inſtanti, tollatur in aliquo tempore quantumuis modico & nobis imperceptibili? Nulla certè cauſa ſublatæ illius expeditionis & indifferentiæ actiuæ adduci poteſt, ſiue extrinſeca ſiue intrinſeca, quæ æquè non vrgeat pro inſtanti inchoationis; in quo tamen actionem liberè elici, & dominio voluntatis ſubiacere, omnes conſentimus. Intrinſecam enim nullam video poſſe proferri, præter cognitionem, quam tamen ſuppono eſſe eandem in primo inſtanti, & in toto illo tempore. Extrinſeca autem non poſſet eſſe alia quàm Deus. At ſupponimus ipſum non aliter influere in toto illo tempore, quàm influxit in primo momento. Ac proinde ſicut in primo momento reliquit libertatem expeditam: ita & in reliquo tempore nihil incommodat. Itaque omnino repudio ſententiam Nominalium, qualem reuera eſſe monſtraui.

Senſus iiſdem affictus, conuellitur.

362. Sed neque interpretatio, qua adhibita, Nominalibus ſubſcripſit Vaſques, eſt reuera probanda. Non parum enim minuit poteſtatem hominis in actum ſuum, qui quis negat eum actum poſſe abrumpi ab homine, cùm primùm libet. Quod verò addebatur, hoc oriri ex natura ipſius actus; non autem ex defectu poteſtatis ac dominij competentis voluntati, facilè refellitur. In primis quia malè affirmatur non deeſſe nihilominus poteſtatem ac libertatem ad oppoſitum: Id enim pugnat cum eo quod additur, interruptionem nòn eſſe homini poſſibilem ante elapſum tempus illud, quo neceſſe eſt actum durare. Impoſſibile autem eſt libertatem cohærere cum impoſſibilitate faciendi oppoſitum, niſi illa impoſſibilitas ſit ex ſuppoſitione ipſiuſmet actus iniecta ex voluntatis determinatione. Quæ ſuppoſitio pro tempore conſequente primum inſtans, non habet locum; ſed tantum conſequitur neceſſariò, & quaſi extorquetur vi præcedentis inchoationis. Vnde ſicut is, qui mentis ſanitatem, ſciens ac volens, vino obruit, non eſt liber, cum iam ebrius aliquid facit, nec tunc peccat, ſed peccauit, cùm præſcius operationis in ebrietate patrandæ, largius vinum hauſit: ita qui continuaret actum malum, non peccaret continuando, ſed tantùm peccaſſet, cùm occæpiſſet agere, quod ſine dubio eſt incommodum. Deinde falſum eſt ex natura actus oriri, vt abrumpi nequeat ad aliquod tempus, etiamſi imperceptibile vel indeterminatum. Quid enim vetat, actum hoc inſtanti incœptum, finire in hoc ipſo inſtanti; ita vt & dicatur intrinſecè incipere, quia nunc eſt, & immediatè ante non erat. Et dicatur etiam deſinere intrinſecè, quia ita nunc eſt, vt immediatè poſt non ſit futurus? Ex tali quippe inceptione & deſitione, in idem inſtans concurrentibus, non ſequitur rem ſimul eſſe & non eſſe, vt rectè notat Capreolus in 2. d. 1. q. 2. ad 1. Gregorij contra 2. & Scotus quodlib. 12. *littera M.* Sed tantum ſequitur, quòd res ita ſit, vt nec immediatè ante fuerit, nec immediatè poſt futura ſit. Vbi non inuoluitur eſſe & non eſſe ſimul, ſed tantùm eſſe vtrinque obſeptum per non eſſe.

Ad rationem in contrarium.

363. Argumentum autem, quo Vaſques probabat omnia debere deſinere per vltimum eſſe, quod ſit primum non eſſe deſitionis rei facilè diluitur. Quamuis enim verum ſit, idem inſtans non poſſe ſimul eſſe primum non eſſe & primum eſſe; verúmque etiam ſit inſtanti illi, quod fuit primum eſſe rei, non ſuccedere immediatè alterum inſtans, quod ſit primum non eſſe, iuxta veram & Ariſtotelicam Philoſophiam non compingentem continuum ex indiuiſibilibus: Tamen falsò aſſumitur deſitionem fieri ſemper per primum non eſſe; ita vt de re deſinente affirmare ſemper oporteat; nunc non eſt, & immediatè antea erat; eo quòd non eſſe rei ſit totum ſimul, ideoque incipere debeat per primum non eſſe. Hoc inquam, falsò aſſumitur, vt pleniùs in phyſicis dictum, eſt per Scotum quodlib. 11. *littera G. & ſequentibus.* latéque etiam proſequitur Suares 11. de grat. cap. 21. n. 8. & ſequentibus. Falſitas enim illius aſſumpti manifeſta eſt ex mutatis eſſe, & ex inſtantibus, & ex generatione ſubſtantiali, aliiſque inſtantaneis, in quibus apertè patet, *non eſſe*, poſſe ſuccedere *eſſe* inſtantaneo præiacenti immediatè, & quidem abſque interna ſucceſſione.

Nec eneruant hoc argumentum quoad inſtantia & mutata eſſe, quæ proponit Areſius 1. de gener. in corol. ad q. 13. obiect. 7. Ait enim nos hoc ipſo quod dicimus inſtans incipere per primum ſui eſſe & deſinere per vltimum, ponere in inſtanti primum & vltimum, atque adeo ſtatuere partes in re inſectili, ſiue vt ipſe loquitur duas facies, per quarum vnam inſtans reſpiciat ſuum non eſſe præcedens & per alteram non eſſe ſubſequens. Verùm nos nihil hic egemus Iano bifronte; ſed dicimus vnum & idem inſtans planè inſectile, per eandem vnam faciem ſeu indiuiſibilem entitatem ſuam, reſpicere duo illa non eſſe, inter quæ ipſum inſtans mediat, abiungens ea non temporali aliquo vel extenſiuo interiectu, ſed ſuæ indiuiſibilis & momentaneæ exiſtentiæ interpoſitione. Veriſſimè igitur admittitur, *non eſſe*, poſſe immediatè antecedere & immediatè ſubſequi, *eſſe imp reibi e*; Atque adeò falsum eſt vniuerſaliter loquendo, quod

ſemper deſitio fiat per primum non eſſe, ſitque de quouis deſinente affirmandum; Nunc non eſt, & immediate antea erat. Poteſt enim res deſinens ita ſe habere vt immediatè ante fuerit indiuiſibiliter, primúmque non ſit in tempore conſequente tale inſtans.

Quare hoc ipſum inſtans, quod fuit primum & vltimum eſſe rei, denominari poterit primum extrinſecum reſpectu ipſius non eſſe ſecuturi immediatè poſt eſſe. In eo quippe inſtanti ſibi extrinſeco, *non eſſe* dici poterit incipere intrinſecè, ſiue per vltimum non eſſe: quia poſt huiuſmodi inſtans non eſſe rei intrinſecè deſinentis, incipit habere ſuum eſſe negatiuum. Sequor modum philoſophandi ab aduerſario initum. Nam iuxta receptam philoſophandi rationẽ, inceptio, & deſitio attenduntur tantùm in forma poſitiua incipiente aut deſinente; non autem in negatione conſequenter ad formam illam poſita vel amota. Quia ſicut negatio non habet propriè eſſe, ita neque propriè habet inceptionem vel deſitionem. eo tamen qualicunque modo quo negatio habet eſſe independenter à negotiatione intellectus, conſiderari etiam poteſt quomodo incipiat & deſinat: Et eatenus dico, *non eſſe* rei inſtantaneæ incipere intrinſecè, proptereáque ſatis eſſe vt incipiat in inſtanti ſibi extrinſeco: nempe in eo ipſo in quo res primùm eſt & intrinſecè incipit ac deſinit. Quod inſtans reſpectu ipſius *non eſſe* incipientis, non eſt primum non eſſe, ſed vltimum non eſſe: Nam poſt hoc inſtans, *non eſſe* rei intrinſecè deſinentis, habebit ſuum eſſe negatiuum; proindéque metiendo inceptionem per aliquod inſtans, vt fert vſus communis de inceptione ſentiendi & loquendi, rectè dicitur tale *non eſſe*, incipere extrinſece & per vltimum non eſſe.

Nec refert quòd illud *non eſſe* debeat incipere, & ſuo modo eſſe totum ſimul, cùm ſit non eſſe rei impartibilis. Poſſe enim rem impartibilem, verbi gratia, Angelum prius non exiſtentem, produci à Deo immediatè poſt inſtans aliquod ſignatum, atque adeò in tempore, mihi videtur perſpicuum ex conſeruatione earundem rerum. Nam pro eo tempore inſtans ſubſequente, quo res impartibilis conſeruatur, res æquè tranſit à non eſſe excluſo, ac ſi prius nullo modo habuiſſet eſſe. Si ergo ea productio in tempore indiuiſibili facta, nihil derogat impartibilitati eius, quare derogaret, etiamſi res illa, priùs non habuiſſet eſſe, illúdque acciperet incipiendo intrinſecè in inſtanti antecedente hoc totum tempus, quo res producitur indiuiſibiliter? Ac proinde meritò id fieri poſſe conceſſerunt Sotus 4. Summul. cap. 5. lect. 1. Gregorius in 1. d. 17. q. 2. art. 2. concl. 2. *in ſecundo ſenſu quæſtionis.* Scotus ſupra, & in 3. d. 3. q. 1. *litera A.* & *B.* Quod ergo de rei impartibilis poſitiua inchoatione ab iſtis dicitur, æquè de negationis impartibilis inchoatione affirmari poteſt. Nempe quòd ipſa quoque poſſit in inſtanti ſibi extrinſeco primùm incipere, cùm per inſtans abfuiſſet à rerum natura, & tempori immediatè ſequenti coëxiſtere, abſque diſpendio ſimultatis & impartibilitatis ſuæ.

DISTINCTIO

DISTINCTIO TERTIA.

De cauſa morum materiali.

1. NOMINE cauſæ materialis morum, intelligo ſubiectum, cui moralitas ſiue honeſtas ac turpitudo proximè aduenit, tanquam receptiuo immediato: proindéque ea materialis morum cauſa, alia non eſt, quàm actio humana. Siue enim moralitas reipſa differat ab actione quam afficit? ſiue non differat, quod poſteà excutiemus; tamen rectè intelligimus, moralitatem ſuperuenire actioni humanæ, ſpectatæ in eſſe naturæ, haberéque ad eam, rationem accidentis: non minus quàm relatio categorica, quæ iuxta probabiliorem ſententiam, à fundamento abſolutè ſumpto non diſtinguitur reipſa, comparatur tamen ad illud, vt accidens Metaphyſicum ſiue, vt loquuntur, *verbale*. Actio humana, cui moralitas aduenire eo modo poteſt, nequit ſtatui alia, quàm actio voluntatis liberæ, quæ reuera eſt homini propria, & ſola eſt idoneum moralitatis fundamentum, Subtracta enim libertate, impoſſibile eſt honeſtatem formalem aut turpitudinem ſuperſtruere. Actio autem humana, ſiue libera, vel eſt illa, cuius ratio communis eſt appetitui ſenſitiuo & rationali ſiue bonum proſequatur ſiue malum reſugiat: vel eſt illa, quæ includit modum proprium appetitus rationalis.

Ad priorem ordinem ſpectant actus amandi, deſiderandi, gaudendi, & omnes quos æquè in brutis vigere cernimus, quamuis in illis careant libertate, & idcirco non ſint actus humani. In homine autem, ſpectari poſſunt vel in voluntate, ſeu in appetitu ſenſitiuo, qui nobis eſt cum brutis communis. Si ſpectentur in voluntate, ſunt actus propriè & immediatè humani: Si autem ſpectentur in appetitu ſenſitiuo humano: tunc non immediatè & ex ſe, ſed propter ſubordinationem ad voluntatem liberam, ex cuius imperio exercentur, vel comprimuntur, numerantur inter actus humanos, non quidem elicitos, quales ſunt qui ipſi voluntati innaſcuntur: ſed imperatos: & à commotione corporea, quam excitant, appellantur propriè paſſiones. Quanquam hoc nomen, ad proportionales quoque actus, In voluntate elicitos, non malè accommodatur, ob ſimilem vtrorumque vim & rationem.

Poſteriore principali actuum humanorum ordine continentur, intentio, electio, vſus, & ſi qui ſunt alij tales actus, ſpectantes ad modum operandi, ſolius hominis proprium ac deliberatum. Nam hi quoque actus ſunt honeſtatis ac turpitudinis capaces; & quidem proxime & immediate, ac vt poſtea patebit, tanquam primus fons totius moralitatis. Quare de vtriſque his actibus agendum hoc loco eſt, tanquam de moralitatis ſubiecto, quod plurimùm intereſt noſſe, vt eius curatio rectiùs obeatur.

2. Neminem quidem latere arbitror, hanc tractationem, quoad naturam & effectus, phyſicos horum actuum, eſſe iuris phyſici: eo quod eiuſdem ſit, de anima & eius operationibus diſputare. Itaque rem ad viuum reſecando, & ſummo iure agendo, non plus ſpectat ad hunc locum tractatio naturæ, & cauſarum, ac effectuum, huiuſmodi actuum voluntatis, quàm ſpectet ad Logicum tractatio naturæ, & cauſarum, ac effectuum, operationum intellectus, quas Logicus rectitudine artificioſa informat, æquè ac moralis actiones voluntatis rectitudine morali conueſtire ſatagit. Hæc igitur ita ſe habent: & idcirco pro iure ſuo, non pauci Phyſici, de affectibus animi diſputarunt, quos inter ſatis diligenter Dandinus 3 Animæ digreſſione 41. longiſſima, & Viues ſuo 3. de anima; cuius labores Medina in ſuos ad primam ſecundæ de paſſionibus commentarios, prope verbatim tranſtulit illaudato ſemper ipſo Viue: quem ſcribendi modum non nemo, dum ingenij gloriam captat, æmulari deprehenditur improbante Plinio in præfatione libri primi, qui planè pronunciat; *Obnoxij profectò animi, & infelicis ingenij eſſe, deprehendi in furto malle, quàm mutuum reddere: cùm præſertim ſors fiat ex vſura.* Quamuis autem veriſſimum ſit, vt præmiſi, naturam paſſionum, eſſe iuris phyſici: tamen rectè Ariſtoteles, aliquoties tradit, Morali ac Phyſico eſſe hac in parte neceſſitudinem, & coniunctionem: eóque iure fas eſſe morali, intra fines ſuos, cognatæ diſciplinæ partem aliquam ſumere. Idque potiori iure circa operationes voluntatis præſtat Moralis, quàm Logicus circa operationes intellectus, quod harum Phyſica conſideratio nullius ſit vſus ad rectam & artificioſam earum informationem, quam Logicus propoſitam habet. At curatio actuum humanorum, eorúmque

ad virtutis præſcriptum elaboratio, quam moralis intendit, multùm omnino pendet ex eorum naturæ & cauſarum ac effectuum inſpectione. Vt proinde neceſſarium ſit de tribus illis capitibus hoc loco non ſilere, vt poſtremum caput, quod eſt huius diſciplinæ proprium, & facilè ex ſupra tractatis erui poterit, nempe remedium & curatio, exactiùs & ſolidiùs tradi poſſit.

3. Ordiemur autem à priori ordine actuum, quos affectus & paſſiones appellant: ſunt enim ſimpliciores, & aliquatenus priores actibus poſterioris principalis ordinis ſupra conſtituti, cùm aſſectentur etiam appetitum ſenſitiuum, qui eſt gradus animæ anterior ac imperfectior rationali, è quo ſolo alij illi actus progerminant. De diſtincto autem, longéque alio ſcopo cæterorum, qui quoquo modo in actuum aliquorum humanorum tractationem incumbunt, nihil attinet dicere. Nam per ſe euidens eſt, quàm longè aliud conſectentur in conſideratione affectuum Medici & Rhetores, apud quos locum etiam habet ea tractatio. Midici ſanè, in vnam ſanitatis recuperationem vel cuſtodiam intenti, affectus tantùm ſpectant, quatenus morborum radices & cauſas. Quòd enim affectibus incitatis concitentur, mitigatis leniantur morbi, experimento quotidiano compertum eſt, & ſe vno hoc remedio, plurimis attuliſſe ſanitatem, gloriatur Galenus l. de ludo paruæ ſphæræ: qui item de cognoſcendis & curandis animi paſſionibus commentarium peculiarem conſcripſit. Rhetores verò, auditoris perſuaſionem, quæ certi affectus excitatione ferè continetur, propoſitam habent, eóque conſilio agunt de affectibus. Splendidè inter eos id executi ſunt, Cardi Valerius lib. 2. Rhetor. Eccleſ, Nicolaus Cauſſinus lib, 8. parallel. ſacræ & profanæ eloq. Carolus Regius l. 7. orat. Chriſt. Ludou. Carbo lib. 2. de inuent. à c. 15. præter interpretes Rhetoricæ Ariſtotelis, qui lib. 2. inſigniter hoc negotium exequutus eſt. Morales Philoſophi, curationem animi, & aureæ mediocritatis regulam, propoſitam habent: ſiue priuatam, ſiue publicam perſonam informent, eíque de frænandis paſſionibus præcepta tradant. Nam quamuis id proprium potiùs videatur Ethici, quàm Politici: tamen à non paucis quoque Politicæ tractatoribus, actum eſt de paſſionibus, vt ab Ægidio l. 1. de Regim. Princip. parte 3. & à Patricio l. 4. & 5. de regno. Ad modum igitur prædictum agemus de paſſionibus.

Eò porro diligentiùs in hanc tractationem incumbendum eſt, quò maioris eſt momenti ad rem moralem, vt Gerſo tract, de paſſionibus initio rectè notauit. Lactantius certè l. 6. Inſtitut. c. 5. omnem propè virtutum proximè expoſitatum vſum ac fructum, atque adeo omnem fere moralis diſciplinæ vtilitatem, in hac parte poſitam pronunciat. *Nam ferè omnia quæ fiant iniuſtè atque improbè, ab his oriuntur affectibus, Si enim commotionis huius, quæ ira dicitur, impetus retundatur, omnes hominum contentiones malæ ſopientur, nemo inſidiabitur, nemo proſiliet ad nocendum. Item ſi cupidias temperatur, nemo terra marique graſſabitur, nemo exercitum ducet, vt rapiat & vaſtet aliena. Item ſi ardor libidinum comprimatur, omnis ætas & ſexus, retinebit ſuam ſanctitatem; nemo quicquam pudendum aut patietur aut faciet. Ergo vniuerſa ſcelera & flagitia, his commotionibus virtute ſedatis, ex hominum vita moribúſque tollentur. Quæ ſedatio commotionum & affectuum hanc habet rationem, vt omnia recta faciamus.* S. item Auguſt. epiſt. 52. latè demonſtrat, omnes virtutes, ad affectum amoris generaliſſime ſumpti, (quo pacto omnes in eo paſſiones radicantur,) bene compoſitum, ritéque ſubactum reuocari: Et vt concludit; *Non faciunt bonos vel malos mores, niſi boni vel mali amores.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO I.

De paſsionibus vniuersè.

4. ANIMI *motus, quos Græci* πάθη, *noſtri autem quidam, ſicut Cicero, perturbationes, quidam affectiones vel affectus, quidam verò de Græco, expreſſiùs paſſiones vocant.* Verba ſunt S. Auguſtini 9. ciuit. c. 4. Qui etiam l. 2. de nuptiis & concup. c. 35. *paſſionis* vocem, in lingua Latina, maximè vſu loquendi Eccleſiaſtico, non niſi ad vituperationem conſueuiſſe intelligi, & à pleriſque Græcam vocem πάθος, paſſionem verti ſolere, animaduertit. Quanquam nomen paſſionis dicitur de affectibus, niſi cauſaliter, & ob conſequentem ex eis corpoream paſſionem, vt late verſat Aureolus in 1. d. 15. q. vnica art. 1. Ex quo prætereà infert Ferrarienſis 1. contra Gentes c. 89. poſt D. Thomam, cuius varia loca allegat, nomen *paſſionis* propriè cadere tantùm in actum appetitus ſenſitiui, cui corporea tranſmutatio immediatè adiungitur. Tamen quia nomen paſſionis ductum eſt ab effectu notiſſimo, ſolet eſſe frequentiſſimum, in ſenſu quem effectus ille prodit, cùm alioqui ſit nomen valdè homonymum, vt notat Nemeſius c. 16. latéque Septalius in ſect. 2. probl. q. 11. Illud præterea non incommodè à Viue notatum eſt, ſuo 3. de anima, *ferè initio*; quemadmodum in maris motibus, eſt alius auræ tenuis, alius concitatior, alius vehemens, quique horrida tempeſtate, pontum omnem à fundo, cum arena & piſcibus verrat: ſic in his animorum agitationibus, quaſdam eſſe leues, velut initia quædam ſurgentis motus, propriè autem affectiones dicerentur: Quaſdam eſſe validiores, quibus concitationis aut commotionis, & paſſionis nomen rectè aptatur: Denique quaſdam animum vniuerſum concutere, déque rationis ſede, ac ſtatu iudicij depellere: háſque verè eſſe ac dici perturbationes & impotentias. Sed hic vocum rigor ferè negligitur.

Quòd autem D. Auguſtinus, hos affectus, animi quoque motus nominabat, pulchrè explicat tract. 46. in Ioannem, in hæc verba. *Affectiones noſtræ, motus animorum ſunt, lætitia, animi diffuſio; triſtitia, animi contractio, cupiditas, animi progreſſio; timor, animi fuga eſt. Diffunderis enim animo, cùm delectaris: contraheris animo cùm moleſtaris: progrederis animo, cùm appetis: fugis animo, cùm metuis.* Affectibus, nomen *animæ volatuum* dabat Zeno apud Stob. in Eclogis Eth. c. 1. ob eorum celeritatem & promptitudinem. Et è contra Iamblicus lib. de myſteriis poſt Platonem apud Clement. 2. Strom. c. 9. & Porphyrium l. de abſtinent. vocat *clauos, quibus anima corpori ceu paxillo affigitur*; quia aggrauant mentem & affigunt, vt infra ex Plotino, Seneca, & S. Ambroſio ſimiliter loquentibus dicam. Alia de vulgatis affectuum appellationibus dabit Scaliger exercit. 307. n. 4. Vt ergo hos animi motus, affectúſque, aut quomodolibet aliter nominentur, ordine congruo explicem, præmittam ante omnia, vniuerſalem tractationem, quæ eorum naturam, ſubiectum, & multiplicitatem complectar. Tum de iiſdem in particulari, & ſigillatim diſſeram. Sic enim commodiùs enauigabimus mare illud difficultatum, omni Siculo freto Ægyptióque intricatius, quod Maximus Tyrius diſſert. 31. n. 182. eſſe cenſet, in natura, cauſis, & remediis humanarum paſſionum exponendis, quam ait *non eſſe rem paruam, neque ſimplicem, non directam, neque expeditam.* vt propterea mirum eſſe neget, quòd Philoſophi tam pugnantia circa eam dixerint.

ARTICVLVS I.

Quidditas paſsionum.

ASSERTIO.

PAſſiones non ſunt iudicia & opiniones, ſed veræ vtriuſque appetitus actiones vitales: in rationali quidem ſpirituales, nec ſemper liberæ, in ſenſitiuo autem corporeæ & materiales.

PRimò dico, paſſiones, ſiue affectus, non eſſe iudicia ſiue notitias. Quod plerique cenſuerunt, eſſe contra Stoicos, qui vt eſt apud Tullium 4 Tuſcul. & Plutarch. l. 1. de virtute morali num. 6, ſaltémque Chryſippus, authore Galeno lib. 4. de placitis Hippocratis & Platonis c. 2. affectus noſtros cenſerunt eſſe iudicia quædam. Vnde aiebant, dolorem, eſſe opinionem mali præſentis; timorem, opinionem mali futuri; cupiditatem, opinionem boni abſentis; lætitiam, opinionem boni præſentis, atque ita de cæteris. Eadem ſententia, vniuerſaliùs tradita eſt ab Adamo in 1. d. 1. q. 3. vbi docet, licet non omnis cognitio ſit volitio vel nolitio, (experimur enim, nos aliquando intelligere quædam, quæ nec volumus, nec nolumus;) omnem tamen volitionem & nolitionem, eſſe cognitionem quandam, & inter volitiones ac nolitiones, reperiri aliquas complexas, alias autem incomplexas. Rurſus ex complexis, aliquas continere aſſenſum vel diſſenſum, vt gaudium vel triſtitiam; aliquas neutrum, vt deſiderium. Argumenta Adami latè excutit Gregor. in 1. d. 1. q. 1. art. 1.

Paſsiones, non ſunt iudicia, etiam apud Stoicos.

Sed non puto operæpretium in his diu hærere; quia per ſe euidens eſt, actus cognoſcendi & volendi, eſſe diuerſiſſimos; & quidditate, vt ex formalibus vtrorúmque obiectis patet, & realitate ac entitate, vt liquet ex ſeparabilitate volitionis à cognitione: plerunque enim cognoſcimus tantùm nec volumus. Et quamuis quoties volumus, antecedat notitia præluceens tamen ſalua eſt diſtinctio realis cognitionem inter & volitionem, vt ex eo patet, quòd variata in-

tenſione volitionis, non variatur neceſſariò intenſio cognitionis, nec res liquidiùs dilucidiúſque perſpicitur. Quis verò non rideat, cùm audit, veritatem & falſitatem, aſſenſum & diſſenſum, affirmationem & negationem, tribui voluntati, & disertè eidem tribui cognitionem, confuſis ac malè permiſtis intellectus & voluntatis functionibus? Quare hanc Adami ſententiam, dimittamus vt manifeſtè abſurdam. Et quoad paſſiones, eſt apertè contra Ariſtotelem 10. Ethic. c.6. affirmantem, delectationes, quæ ſunt paſſiones quædam, neque eſſe mentem, neque ſenſum: Id eſt, neque ad intellectum, neque ad phantaſiam pertinere, ſed ad appetitum. Alia ad idem, Philoſophi loca congerit Piccolomineus gra.1.c.7.

Nec diſſenſerunt Stoïci, cùm affectus appellarunt opiniones & iudicia. Locutio enim erat cauſalis, non formalis. Id eſt, non affirmabant, paſſiones eſſe formaliter cognitiones, & ad facultatem cognoſcentem pertinere, (quod vnum diffitemur, & malè ab Adamo conceditur:) ſed aiebant, paſſiones pullulare ex iudicio talem obiecti conditionem commonſtrante. Et ita Zenonem, cæteróſque Stoïcos, dempto Chryſippo, interpretatus eſt Galenus ſupra, nec obſcurè Lactantius 6. Inſtit. c 14. Abſolutè autem eam ſententiam, vt verba ſonant intellectam, impugnat Alcinous c.24. & Plutarchus loco allegato.

Sintne actus appetitus, contraria placita, Geruaſij, Gregorij, atque Ochami.

6. Secundò, reiectâ eâ ſententiâ, quæ paſſiones in album opinionum & cognitionum referebat, & conſtituto, quòd ad appetitum pertineant; addidi, paſſiones, eſſe veros actus appetitus, ſiue ſenſitiui, ſiue rationalis, debita accommodatione & diſtributione ſeruata. Aliquæ enim paſſiones pertinent ad appetitum ſenſitiuum, quibus proportionales, diuerſæ tamen ſpeciei, cernuntur in appetitu rationali. Circa quod rixa eſt quoad rationem actus, quam concedo paſſionibus. Nam Geruaſius tract. de notitiis, câpite de appetitu rationali q.vlt. poſt Ochamum in 3.q.4.& in 1.d.1.q.3 & quodl.5.q.17. affirmat, paſſiones aliquas, nempe gaudium & triſtitiam, non eſſe actus voluntatis, ſed aliquid conſequens actum eius, & tranſiens tranſeunte actu, à quo etiam ſecernit paſſionem, quia actus imprimit aliquod ſui veſtigium, nempe habitum, non item paſſio: hæc enim nihil inurit, & prætériens, nullum relinquit ſui veſtigium, aut vibicem, vt Epictetus alicubi loquitur. Adhæc, actus voluntatis liberè efficitur: paſſiones autem merè naturaliter. Imò ſubdit Geruaſius, voluntatem concurrere quidem efficienter ad omnem actum ſuum; ad paſſionem autem, ſe habere merè paſſiuè: ſed in actum quidem efficienter influere, poſtmodum verò ex actus ſolius efficientia, voluntate omnino feriante, progerminare paſſionem. Fauet Sanctus Chryſoſt. hom. 15. in acta. disertè tradens, & ex voce ipſa confirmans, eum qui paſſioni in ſe dat locum, v.g. iræ aut inuidiæ, non agere ſed pati.

Contraria ſententia eſt Gregorij in 1.d.1. q.1.art. 2. contendentis paſſiones, eſſe actus quoſdam voluntatis, v.g. delectationem eſſe quendam amorem, triſtitiam eſſe quoddam odium. Annuitque Ochamus quodl. 2. q. 15. quoad paſſiones appetitus ſenſitiui: has enim exiſtimat eſſe planè idem cum actibus: probátque ex Ariſtotele 2. Eth. c.5. affirmante nihil eſſe in anima, niſi potentiam, habitus, & paſſiones: quæ diuiſio eſſet inepta & falſa, niſi nomine paſſionum comprehenderentur actus. Accedit quòd paſſiones ſunt materia fortitudinis & Temperantiæ, quarum munus eſt his affectibus modum ponere. Atqui modum ponunt actibus appetitus ſenſitiui. Igitur hi actus non differunt à paſſionibus iuxta Ochamum. Sed quod attinet ad paſſiones aliquas voluntatis, nempe delectationem & triſtitiam, eſt omnino Ochamus in ſententia priùs ex eo relata, qua ſcilicet ait, paſſiones illas differre ab actibus, & ad eos conſequi: Tametſi de aliis voluntatis paſſionibus, nempe de ſpe & amore, fateatur eas non diſtingui ab actibus.

Quid in Geruaſio placeat, quid diſpliceat.

7. In his ſententiis, eſt quod meritò reiici, & quod etiam admitti debeat. Quod enim ait Geruaſius, paſſiones eſſe aliquid diſtinctum ab actibus, falſum eſt, ſumendo nomen *actus* vniuerſaliter, ſiue pro attingentia vitali, qua potentia appetitiua fertur in obiectum aliquo ſuo motu. Nulla ſiquidem eſt paſſio, ſiue in appetitu rationali, ſiue in ſenſitiuo, quæ non habeat rationem talis attingentiæ, ac proinde quæ non ſit actus vitalis. Nam amare, deſiderare, gaudere, triſtari, & quomodolibet aliter voluntate aut appetitu ſenſitiuo affici, eſt viuere actualiter. Prædictis item motibus, propoſitum eſt idem materiale & formale obiectum, quod omnes agnoſcunt actibus voluntatis aut appetitus præfigi, nempe bonum aut malum. Sunt igitur verè actus voluntatis, vel appetitus ſenſitiui, ſumendo nomen actus, in ea, quam dixi amplitudine.

Si autem nomen *actus*, ſumatur paulò ſtrictiùs, nempe pro eo actu, ad quem alius conſequitur, tanquam ad cauſam; ſic verum eſt, paſſiones aliquas diſtingui ab actibus, à quibus progerminant. Quod rectè ſtatuit Angeſtus c.1. moral. tex.1. concl. 1. & confirmatur illis Ochami argumentis, quibus eam diſtinctionem inter actus & paſſiones voluntatis aſtruit; nempe beatorum, qui oderunt peccatum, nec tamen de eo triſtantur: Et damnatorum, qui de bonis, quæ malè concupiſcunt, non delectantur; eo quod infoſſâ intra miſeriarum gurgitem voluntate, prorſúſque felle doloris præoccupata, vitalis ſapor gaudij, guſtari nequeat. Hoc tamen conſtat non habere locum circa omnes paſſiones. Nam amor v. g. non eſt aliquid vitale, conſequens ad alium voluntatis vel appetitus actum, ſed ipſa prima boni per appetitum ſuauiatio, appellatur amor. Et idem proportione ſeruata eſt de odio ad malum comparato.

Malè verò negabat Geruaſius, paſſiones illas, quas actibus anterioribus, à quibus dimanant, contradiſtinximus, inurere habitum aliquem. Illud ipſum nanque experimentum facilitatis repetitionem actuũ conſequentis, ex quo vrgemur ad habitus aſſignandos actibus illis anterioribus, vrget quoque vt eos admittamus pro paſſionibus: quandoquidem ex earum repetitione, promptitudo ad eas, & facilitas operandi æquè augetur. Illud prætereà reiiciendum eſt in Geruaſij ſententia, quòd paſſiones velit eſſe neceſſarias: cùm tamen omnes paſſiones, (extra motus primò primos, qui deliberationem præueniunt,) ſubiiciantur voluntatis imperio, poſsíntque ab ea intendi vel remitti, aut etiam poni vel tolli. Tandem quod Geruaſius paſſiones negat ex voluntatis efficientia immediatè prodire, cenſetque eas à ſolo actu phyſicè effici, & voluntatem purè paſſiuè ſe habere ad eas, eſt omnino falſum, quippe pugnans cum vitalitate & libertate paſſionum.

8. Nec reuera patrocinatur, hac in parte, Geruaſio S. Chryſoſtomus loco adducto: ſed tantùm contendit ex affectu impotentiore, & è rationis regulis non compoſito, exurgere perpeſſionem, & animæ inferri tormentum, ac inuri ſtigmata, quæ tormentorum tempore perſecutionis irrogatorum loco eſſe

queant

queant in alta nunc pace Chriſtianitatis. Itaque cùm hortatus eſſet ad ferenda Chriſti ſtigmata, & obiecisset ſibi ſubmurmurantem auditorem. *Non eſt perſecutio*, vrget è contra Chryſoſtomus. *Sta contra tyrannidem ſuperbiæ, ſta contra iræ pugnam ſta contra concupiſcentiæ tormentum. Et hæc ſtigmata ſunt ac tormenta. Quid mitius illis tormentis? Nunquid ſi anima dolet ac vritur? Nam illic quidem, eſt & corpus particeps, hîc autem totum illius eſt. Circa illam dolor quando iraſcitur, vel inuidet, vel aliud quiddam facit, imò patitur. Non enim eſt facere, ſed pati, iraſci vel inuidere. Vnde & paſſiones animæ dicuntur, & vulnera, & cicatrices. Reuera paſſio eſt, & paſſione difficilius. Cogitate qui iraſcimini quod patiendo hoc facitis. Itaque non patitur qui non iraſcitur. Vides quòd qui contumelia efficitur, non patitur; ſed is qui contumelia afficit, id quod & iam dixi. Quod enim patitur, manifeſtum eſt ex eo, quòd à paſſione ſic vocatur. Paſſiones enim ab ira naſcuntur, hebetatio viſus, ſtupor & innumera alia.* Hæc poſtrema verba, apertè ſerunt ſenſum cauſalem, in quo contendimus locutum toto hoc loco Chryſoſtomum; qui proinde nec aduerſario fauet, nec noſtræ ſententiæ incommodat.

De Gregorij placito, iudicium.

9. Iam verò in Gregorij ſententia, quod aſſeritur paſſiones idem eſſe cum actibus, veritatem continet, in eo quem ſupra propoſui ſenſu: ſi nimirum nomen *actus* ſumatur pro quacunque vitali attingentia appetitus obiectum proſequentis. Specialiter quoque verum eſt, amorem (de quo præſertim diſſerit Gregorius,) ſecundùm aliquam conſiderationem, identificari cum omni affectu proſecutiuo, & vice verſa odium, cum omni affectu auerſatiuo. Si enim affectus amoris ſpectetur præciſè ſecundùm rationem communem, quæ eſt, *velle bonum alicui*, conſtat affectum amoris eſſe communem omni affectui circa bonum. Nam qui bonum futurum deſiderat, aut de eo adepto delectatur, nihil aliud vult, quàm bonum ſibi vel alteri; ac proinde in huiuſmodi actibus, imbibitur communis illa notio & ratio amoris, quam diximus eſſe, *velle alicui bonum*. Et hoc tantum euincunt argumenta Gregorij, & aliorum, quæ late refert & diſſoluit Capreolus in 1.d 1.q.1. *ad argumenta ſecundo loco contra tertiam.*

Aliàs tamen amor eſt affectus peculiaris, & diſtinctus à quibuſuis aliis, etiam proſecutiuis: nimirum amor ſpectatus prout eſt ſimplex quædam tendentia in bonum, quatenus ſecundùm ſe bonum eſt, non conſiderando ſitne præſens vel abſens, adipiſcendúmque aut adeptum. Nec hoc videtur diffiteri Gregorius. Nam poſt quartam probationem ſecundæ concluſionis, ait, apud omnes authores quos ipſe viderit, deſiderium eſſe amorem. At planè falsò, & admodum oſcitanter, id protuliſſet in alio ſenſu, quàm in eo quem propoſui, quandoquidem S. Thomas, & alij plerique ante Gregorium, perſpicuè tradiderant deſiderij diſtinctionem realem ab amore ſimplici, nec agnouerant identitatem amoris cum deſiderio, niſi quatenus deſiderium eſt quædam boni volitio, quæ eſt prior illa amoris conſideratio, iuxta quam Gregorij placitum propoſuimus. Et idem proportione ſeruata dicendum eſt de odio ad fugam & triſtitiam comparato. Attigit duplicem hanc amoris & odij conſiderationem Durandus in 3 d.27.q.1.n.7.& 8.

Ochamus excutitur.

10 Et iuxta eam pronunciandum etiam eſt de placito Ochami, qui paſſiones voluntatis aliquas, puta gaudium & triſtitiam, diſtinguebat ab actibus: quaſdam verò non diſtinguebat, nempe amorem & odiū. Nam aliquæ quidem paſſiones voluntatis diſtinguuntur ab aliquibus actibus, iis nimirum, à quibus progerminant, aut ad quos diſparatè ſe habent. Cum aliis autem actibus, quos ſecundùm generalem rationem ſpectatos intra ſe includunt, identitatem omnimodam habent à parte rei. Quam diſtinctionem attigit Gabriel in 3.d.23.q.1. *litera D.*

Abſurdè autem Ocham, aliter hac in parte, de paſſionibus & actibus appetitus rationalis, aliter de actibus & paſſionibus appetitus ſenſitiui, philoſophatus eſt. Nam etiamſi exempla beatorum & damnatorum, ſuperiùs ex eo propoſita ad aſtruendam delectationis & triſtitiæ diſtinctionem realem ab amore & odio, vrgent tantùm in actibus & paſſionibus appetitus rationalis: Tamen cùm ſit omnino par ratio actuum appetitus ſenſitiui ad paſſiones eiuſdem, & actuum voluntatis ad paſſiones voluntatis non eſt quòd aliter de identitate vel diſtinctione paſſionum & actuum, in alterutro appetitu ratiocinemur. Quinetiam illi quos Ocham rectè ſtatuit voluntate ſuperiori odiſſe, nec triſtari; & amore non delectari, ſimiliter omnino ſe habent quoad appetitum ſenſitiuum. v. g. Beatus ſicut non poteſt voluntate triſtari de peccato, quod tamen auerſatur: ita neque per appetitum ſenſitiuum poterit de eo triſtari, ex quo, reſumptis corporis exuuiis, illam quoque facultatem materialem recuperauerit: Et tamen per appetitum ſenſitiuum voluntati ſubſeruientem, poterit etiam actum auerſatiuum peccati profundere, illúdque odiſſe. Et vice verſa damnatus neque voluntate, neque appetitu ſenſitiuo delectari poterit de bono moraliter inhoneſto, quod & voluntate & appetitu fuerit proſecutus.

Reſolutio. Paſſiones eſſe veras appetitiones. Notata Stoicorum, & Baſilidianorum inſulſitas.

11. Sic igitur expenſis, partimque admiſſis, partim reprobatis variis illis ſententiis, quas circa paſſionum realitatem & naturam retulimus, perſpicua manet veritas placiti, quod in aſſertione propoſui; nempe quòd paſſiones ſint actus vtriuſque appetitus; ab aliis quidem actibus appetitus, quos conſequuntur, diſtincti, nempe gaudium ab amore, triſtitia ab odio: Sed tamen importantes rationem veræ vitalis attingentiæ obiecti per appetitum: Ita ſcilicet, vt quæ dicuntur paſſiones propter effectum quem in corpore concitant, ſint tamen formaliter & in recto, propriè dicti actus, veræque actiones vitales; in voluntate quidem ſuperiori, ſpirituales; in appetitu autem ſenſitiuo, corporeæ & materiales.

Corporeæ inquam, non corpora. Ridiculè enim Stoïci, vt eſt apud Senecam ep.106. & 113. affectus noſtros, corpora quædā & animalia eſſe, fabulati ſunt. Quódque de ipſis quoque affectibus corporeis eſt omnino delirum, ad affectus item voluntatis, & actus intellectus, ac harum facultatum habitus, tranſtulerunt. Nam etiam virtutes, ac ſcientias, in animalium & corporum claſſem retulerunt. Quod adeò fatuum eſt, vt meritò eius placiti puduerit Senecam, epiſt. illa 113. profeſſúſque ingenuè ſit, illud ſibi non probari. Nec tamen quantum exiſtimo, eum latebant quæ in Stoïcorum excuſationem hac in parte diſputat Lipſ.l.2.phyſiol.Stoïcæ diſſert.4.& 5. Argumenta verò, quibus in illius delirij confirmationem vtitur priore illa epiſtola, ſunt prorſus inania Argumentatur enim ibi iuxta Stoïcorum ſententiam probátque

affectus eſſe corpora, quia vultum nobis mutant, frontem aſtringunt, faciem diffundunt, ruborem euocant, fugant ſanguinem: Tam manifeſtè autem notæ, corpori, niſi a corpore non videntur imprimi poſſe. Præterquam quòd affectus non poſſent cauſare in corpore mutationes illas, niſi corpus tangerent: quicquid autem tangit aut tangitur, corpus eſt, iuxta illud Lucretij:

Tangere, vel tangi niſi corpus, nulla poteſt res.

Sunt igitur affectus, corpora quædam. Ita Seneca de Stoicorum mente in rem propoſitam argumentatur.

Sed quàm inaniter, vix eſt quod moueatur. Illa certè mutatio, quæ in corpore ex affectu interno proditur, non oritur ex eo quòd affectus ſint corpora, vel ex corporeo eorum contactu, ſed ex ſympathia inferiùs exponenda. Itaque non eſt quòd vlteriùs cum delirantibus, & humanum animum in ſtabulum transformantibus, hæream. Cæterùm quia ea ſympathiæ ſequela, proximè exercetur in corpore per appetitum ſenſitiuum, qui immediatè procreat mutationem corpoream, à qua nomen paſſionis tractum eſt; inde fit, vt affectus ſolius appetitus ſenſitiui, in rigore appellentur paſſiones, à paſſione & commotione, quam non formaliter, ſed conſecutiuè & cauſaliter important, vt ait Aureolus in 3. d. 15. q. vnica, art. 2.

12. In hac meta, obiter memoro, (reiectione enim indignus eſt,) fatuum alium Baſilidis ſectatorum errorem, quem his verbis refert Clemens Alex. 2. Strom. c. 9. [Baſilidis ſectatores, vitia, & animi perturbationes conſueuerunt vocare *προσαρτήματα* id eſt, appendices, & ea eſſe quoſdam in eſſentia ſpiritus, appenſos animæ ratione præditæ, per quandam conturbationem, & confuſionem principalem: & alias rurſus ſpirituum adulterinas & diuerſi generis naturas iis adnaſci, vt potè lupi, ſimiæ, leonis, vrſi, quorum proprietates, quæ viſione in anima apprehenduntur; animæ cupiditates, animantibus dicunt aſſimilare. Quarum enim ferunt proprietates, earum opera, factáque imitantur. Et non ſolùm cum rationis expertium animantium appetitionibus, & viſionibus, coniunctionem ineunt & familiaritatem; ſed etiam plantarum æmulantur motus, & pulchritudines; propterea quod plantarum quoque ferant appenſas proprietates: habere autem etiam habitus proprietates, vt potè duritiem animantis.]

Huius inſulſitatis confutationem in alium locum amandat Clemens, illud duntaxat obiter ſubdens: *Quòd Dourij equi, vt eſt in Poeticis fabulis, imaginem ſeruat homo, ex ſententia Baſilidis, vt qui in vno corpore tot diuerſorum ſpirituum exercitum habeat inſinuatum.* Apage monſtroſam fabuloſitatem. Sed hæreticis, vniuerſæ terræ elleborum non ſufficere ad expurgandum, vt euomant tantam ſuam ſtultitiam, dixit iam olim S. Irenæus l. 1. c. 53.

ARTICVLVS II.

De ſubiecto paſſionum.

13. SVbiectum paſſionum, triplex diſtingui poteſt; nempe mediatum duplex, ac immediatum: ſiue duplex ſubiectum denominationis, & vnum inhæſionis. De ſingulis agendum eſt, nam circa ſingula eſt difficultas aliqua.

ASSERTIO.

SVbiectum, cui immediatè inhæret paſſio, eſt vterque appetitus, nempe rationalis & ſenſitiuus. Mediatum & remotum partiale ſubiectum, eſt illud cui appetitus paſſionem proximè excipiens, implantatur: Nempe pro ſpiritualibus paſſionibus, anima: pro corporeis, cor, non cerebrum. Denique totale ſubiectum remotum, (quod etiam ſimpliciter ſubiectum denominationis appellatur;) eſt homo, etiamſi ſapiens, ac virtute expolitus.

PRimò, quod dixi de ſubiecto proximo & immediato, eſt extra controuerſiam. Nam & in voluntate, & in appetitu ſenſitiuo, huiuſmodi affectus locum habent, vt ex iam dictis patere poteſt; meliúſque eluceſcet ex diuiſione, & ſingulari explicatione paſſionum poſteà tradenda

Appetitus ſenſitiuus, ſedes paſſionum corporearum.

Et de appetitu quidem ſenſitiuo, non eſt qui nunc refragetur: quia per actum eius, proximè excitatur commotio illa corporea, à qua nomen paſſionis deductum eſt. Nec diſſentit author libri de operibus Chriſti Cardinalibus, apud S. Cyprianum *in fine prolog.*, qui etiam paſſiones & affectus carnis, tribuere videtur voluntati. Sic enim loquitur, poſt multa de carnis affectibus, rationem ſuperiorem abripientibus, præmiſſa. [Hoc ipſum quod dico, carnis affectus, impropriè dico; quia hæc vitia propriæ animæ ſunt, quæ ſentit, & mouet & viuit: Cui imputatur peccatum, quia ipſi datum eſt arbitrium, & iudicium, & ſcientia, & potentia, per quæ poſſit improbare malum, & eligere bonum. Corpore autem ſic vtitur anima, ſicut faber malleo, vel incude, in qua format omnium turpitudinum idola, & fabricantur quælibet quarumcunque voluptatum ſimulachra. Non eſt caro dictatrix peccati, nec inuentrix malitiæ, nec cogitatus format. nec diſponit agenda: ſed officina eſt ſpiritus, qui in ea, & per eam, quæcunque affectauerit, peragit & conſummat. Quod autem ipſa inſenſibilis ſit, ſpiritu recedente dignoſcitur: poſt cuius diſceſſum, nulli apta vſui ſupereſt; putredinis maſſa, & paludis aceruus. Quicquid enim ſentit, à natura corporis alienum probatur. Quòd verò caro aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem contendere dicitur, & repugnare, impropriè arbitror dictum, quia ſolius animæ lis iſta eſt, quæ ſecum rixatur, & cum proprio arbitrio litigat.] His inquam verbis, author prædictus, non diffitetur quod ab omnibus admitti diximus: ſed tantùm contendit, affectus corporeos, de quibus agimus, non exorituros à corpore, & potentia ei implantata, niſi anima tanquam agens primarium, potentiæ corporeæ aſſiſteret, & cooperaretur; non mediatè ſiue interuentu voluntatis rationalis, ſed immediatè per ſeipſam quia quamuis ſit ſpiritualis; tamen cùm ſit forma corporis, poteſt ac debet, potentiæ corporeæ cooperari per ſeipſam.

Voluntas,

Voluntas, ſedes paſſionum ſpiritualium.

14. De appetitu etiam rationali, ſtatuendum omnino eſt, eſſe ſedem immediatam affectuum. Quæ cauſa fuit Platonis in Axiocho, hominem affirmandi miſerabiliorem omnibus animantibus, quòd in eo efferatio & importunitas motuum iſtorum, & affectuum, maximè ſe prodat. Vtique in voluntate ſuperiori: nam appetitus inferior, homini cum brutis communis eſt, nec aliter in homine, quàm in aliis animantibus afficitur. Eadem apertè eſt S. Aug. ſentent. 14. ciuit. c. 6. verbis illis. *Intereſt autem qualis ſit voluntas hominis, quia ſi peruerſa eſt, peruerſos habebit eos motus: ſi autem recta eſt, non ſolum inculpabiles, verum etiam laudabiles erunt. Voluntas eſt quippe in omnibus. Imo omnes, nihil aliud quàm voluntates ſunt. Nam quid eſt cupiditas, & lætitia, niſi voluntas in eorum conſenſionem, quæ volumus? Et quid eſt metus, atque triſtitia, niſi voluntas in diſſenſionem ab his quæ nolumus? Sed cùm conſentimus appetendo ea quæ volumus, cupiditas: cùm autem conſentimus fruendo his quæ volumus, lætitia vocatur. Itémque cùm diſſentimus ab eo quod accidere nolumus, talis voluntas metus eſt; cùm autem diſſentimus ab eo quod nolentibus accidit, talis voluntas triſtitia eſt. Et omnino pro varietate rerum, quæ appetuntur atque fugiuntur, ſicut allicitur vel offenditur voluntas hominis, ita in hos vel illos affectus mutatur & vertitur.* Non occurrit autem, quod validè in contrarium opponatur, ſiue rationem conſulamus, ſiue authoritatem. S. quidem Gregorius Nyſſenus l. de hominis opif. c. 18. negat paſſiones competere homini, quatenus homini, & diuinæ imagini; additque ad illud referendas eſſe, quod eſt in nobis commune brutis, id eſt, inde oriri earum efferationem. Cæteróqui enim, apertè agnoſcit, partem ipſam rationalem quaſi obruteſcere per paſſiones, eáſque in nobis idcirco eſſe peiores, quòd ratione quaſi acuantur.

Placitum contrarium conuellitur.

15. Diſplicet ergo Piccolomineus gra 1. c. 9. qui agitata latè hac controuerſia de ſubiecto paſſionum, à cap. 7 eiuſdem gradus; Tandem c. 9. ſtatuit, paſſiones non eſſe in voluntate ſuperiori, tanquam in ſubiecto, ſed tantùm tanquam in cauſa, & tanquam in dirigente, ac denique tanquam in facultate, ad quam pertinet obiectum perturbationis. Hoc inquam diſplicet, & facilè confutari poteſt, quia voluntas ſuperior, immediatè & per ſeipſam, afficitur erga bonum & malum, amando, gaudendo, odio habendo, triſtitiam & iram concipiendo, & ita de cæteris affectibus. Non igitur voluntas, eſt duntaxat origo, & cauſa affectuum in appetitu ſenſitiuo enaſcentium: ſed etiam ipſa immediatè, proportionalibus motibus afficitur. Eſto commotio corporea, quam vox *perturbationis & paſſionis* connotat, non dimanet proximè & immediatè ab appetitione rationali; ſed à ſola ſenſitiua. Id enim parum refert; nec obſtat immediatæ illi inexiſtentiæ in voluntate, reſpectu actuum proportionalium & eiuſdem denominationis, cum iis qui appetitui ſenſitiuo inſident. Quomodo verò poſſet obiectum paſſionis ad voluntatem ſuperiorem ſpectare, quod Piccolomineus diſertè admittit, niſi etiam ipſa paſſio ad eandem pertineret? Nam actum & obiectum, eiuſdem potentiæ eſſe oportere, inde liquet, quòd actus nihil aliud ſit quàm tendentia potentiæ in obiectum. Tam igitur neceſſe eſt, actum ipſum paſſionis ad voluntatem ſpectare, quàm verum eſt, obiectum eius ſpectare ad voluntatem. Alioqui attingentia obiecti, aſſignanda erit vni facultati, ipſum verò obiectum alteri tribuetur, à qua tamen attingi non poterit, quæ eſſet præpoſtera obiecti conſtitutio.

Malè Ariſtoteli impingitur.

Sunt itaque omnino etiam in ſuperiori voluntatè paſſiones. Quod Ariſtoteles non negauit, quicquid dicat Gerſo. 3. parte, tract. ſuper Cant. initio primi ſympſalmatis. Tantùm namque Ariſtoteles, frequentiùs memorat paſſiones appetitus ſenſitiui, quia ſunt notiores: altiores tamen nuſquam negat; quas ratione ſubiecti neceſſe eſt eſſe ſpirituales, & ſpecie à paſſionibus appetitus ſenſitiui diſcrepantes: tametſi eis proportionales, & eiuſdē cum illis denominationis. Quod nulla ratione, debet mirum videri. Nàm etiam intellectio alicuius obiecti, differt ſpecie à cognitione ſenſitiua eiuſdem, quia communitas tantùm ibi eſt, obiecti materialis, non etiam formalis ſiue motiui. Idem ergo eſt in re præſenti, vt rectè aduertit Ferrar. 1. contra Gentes c. 90. Sed ea ſpecifica, vtrarumque eiuſdem nominis paſſionum, diſtinctione dimiſſa, nunc ſatis eſt agnoſcere, paſſiones locum habere in vtroque illo ſubiecto immediato; nempe & in voluntate ſuperiori, & in appetitu ſenſitiuo: & ita S. Thomas q. 25. de verit. art. 3. *in corp.* Ocham quodl. 2. q. 17. Ferrar. ſuprà, & paſſim alij.

Etiam paſſiones non liberæ, voluntati adueniunt, contra Ochamum.

16. Obiter porro addendum, circa hoc immediatum ſubiectum, ſupereſt, contra Ochamum q illa 17. *in fine*, ineſſe voluntati non tantùm paſſiones illas, quæ ex plena vel ſemiplena libertate excitantur, ſed etiam eas, quæ quòd naturaliter ac præuenta libertate exurgant, motus ſenſitiui, aut primò primi nominantur: quales paſſiones voluntati ſuperiori negat Ochamus, eo argumento nixus, quòd omnis actus voluntatis ſuperioris, liber ſit, & in voluntatis poteſtate. At hæc eſt manifeſta petitio principij. Hoc ipſum enim eſt quod quæritur, cùm in controuerſiam vocatur, poſſintne in voluntate eſſe motus ſubreptitij. Deinde quòd omnis actio voluntatis debeat eſſe libera, eſt perſpicuè falſum in multis euentibus, ob ademptam iudicij prælucentis indifferentiam. Quæ eſt ratio, cur amor beatificus ſit neceſſarius, quamuis ſit actus voluntatis, libertatem ſortitæ erga obiecta indifferentia, & ſecluſis extrinſecis impedimentis.

Igitur poſſunt omnino eſſe in voluntate, paſſiones non liberæ ex voluntatis præoccupatione. Plerumque enim non ſatis aduertentibus nobis; intellectus, occurſu alicuius ſenſibilis, vel à bona fortuna determinatus ad agendum, obiicit voluntati bonum aliquod, ad quod illa pro inſita ſibi ad bonum propenſione confeſtim abripitur, donec euigilante ratione, & interpoſita motus concitati aduertentia, vel omnino abiiciatur motus ille, vel ad eam mediocritatem reducatur, quam honeſti leges poſtulant. Quod ſi gratis comminiſcamur, primum illum ſenſum boni, ad appetitum ſenſitiuum pertinere: negare tamen non licebit, quin per ſympathiam, & per ſenſitiui appetitus operationem, voluntas æquè determinetur ad agendum neceſſariò, ac intellectus per operationem ſenſus. Atque ita Philoſophi ac Theologi communiter, actus voluntatis tripartito diuidunt; collocantes in primo ordine, motus primò primos, qui ita ſubiti ſunt, vt quia hominis poteſtati nullo modo ſubſunt, laudis & culpæ ſint expertes. In ſecundo, motus ſecundò primos, qui imperfectè liberi ſunt, tenui aliqua luce ad eos prælucente. Ac deníque plenè liberos. Vide Almainum tr. 1 moral. c. 24. Angeſtum c. 6. Moral. t. 5. & Petrum Soto lect. 8. de

diſcrim. peccat. à quibus tripartita illa diuiſio, cuius primum membrum hîc ſtabilimus pleniùs exponitur. Perſpicuè verò eandem bipartitam diuiſionem propoſuit Pelagius, ſub finem epiſtolæ ad Demetriadem.

Quodnam paſſionum ſubiectum partiale. mediatum.

17. Secundò egi de partiali ſubiecto mediato ac remoto, quod pro paſſionibus voluntatis, non eſt aliud quàm anima: pro paſſionibus autem materialibus, appetitui ſenſitiuo immediatè aduenientibus eſt aliqua pars corporis. Nam cùm appetitus ille, ſit potentia materialis & certæ corporis parti implantata, eadem pars corporis, quæ appetitum excipit; (quem nunc ſuppono realiter vnicam potentiam eſſe, & ab anima diſtinctam;) paſſiones quoque appetitus, quippe ei immanentes, recipiet tanquam ſubiectum partiale remotum. Quod non ita intelligo, quaſi ſubiectum iſtud non ſit integrum ſubiectum appetitus. ſed quòd comparatione facta, huius remoti ſubiecti paſſionum, cum altero remotiore; hoc ſecundum, non ſit niſi eius pars. Præter hoc enim remotum ſubiectum paſſionum appetitus ſenſitiui, aliud aſſignari poteſt, quod eſt commune paſſionibus voluntatis: nempe totum ipſum ſuppoſitum, quod non eſt ſubiectum inhæſionis, ſed denominationis: reſpectu cuius. & anima, & cor. ſe habent vt partes; illa, vt pars eſſentialis; hæc, vt pars integralis.

Varia placita quoad materiales.

De hoc ergo ſubiecto remotiore nunc agendum eſt. Quanquam de eo, quoad paſſiones voluntatis, nulla eſt difficultas; ſed tantùm de eo, quod aſſignauimus paſſionibus corporeis. Et quamuis de iſto, non poſſit hic agi plenè, eo quod ea diſquiſitio multa inuoluere deberet, quæ fines iſtos tranſilirent: tamen opportunum eſt, & ad pleráſque poſteà tradendas reſolutiones neceſſarium, exponere quæ ſit vera de eo paſſionum corporearum ſubiecto ſententia, inter varias quæ circunferuntur: Totidem nimirum, quot de ſubiecto ipſius appetitus ſenſitiui, quem aliqui, vt Conimbricenſes d. 6. Eth q. 2. art. 2. in corde collocant, cum Ariſtotele. Alij, vt Fernel. 5. Phyſiol. c. 19. declarans quæ ſecus dixerat ibid. c. 6. partim in corde; partim in iecore: quia cenſent, appetitum ſenſitiuum concupiſcibilem re diſtingui ab iraſcibili, & horum primum iecori, poſteriorem cordi adiudicant. Subſcribit huic placito, Claudianus de 4. conſulatu Honorij verſibus illis.

—— Cum conderet artus
Noſtros, æthereis miſcens terrena Prometheus,
Syncerampatri mentem furatus Olympo,
Continuis clauſtris, indignantémque reuinxit,
Et, cùm non aliter poſſent mortalia fingi,
Adiunxit geminas. Illa, cum corpore, lapſa
Intereunt: hæc ſola manet, buſtóque ſuperſtes
Euolat. Hanc alta capitis fundauit in arce
Mandatricem operum, proſpecturámque laborí.
Illas inferiùs collo, præceptáque ſumma
Paſſuras dominæ. digna ſtatione locauit.
Quippe opifex. veritus confundere ſacra profanis,
Diſtribuit partes animæ, ſedéſque remouit.
Iram, ſanguineo regio ſub pectore cordis,
Protegit imbutam flammis, auidámque nocendi,
Præcipitémque ſui: Rabie ſuccenſa tumeſcit;
Contrahitur tepefacta metu; cúmque omnia ſecum
Duceret. & requiem membris veſana negaret,
Inuenit pulmonis opem, madidúmque fluenti
Præbuit, vt tumida, ruerent in mollia fibra.
At ſibi cuncta petens, nil collatura cupido,
In iecur, & tractus imos compulſa receſſit.
Quæ, velut immanes reſerat dum bellua rictus,
Expleri paſtique nequit; nunc verbere curas
Torquet auaritiæ ſtimulis, nunc flagrat amorum,
Nunc gaudet. nunc mæſta manet. ſatiatáque rurſus
Exoritur, caſáque redit pollentiùs hydra.

18. Nemeſius lib 6. de homine c. 20. metum in corde eſſe negat, ſtatuítque eſſe in ore ventriculi, quod confirmat in hunc modum ex Galeno. *Metus inſtrumentum, eſt, os ventriculi. Hoc enim eſt, quod in ægritudine morſum ſentit, vt Galenus in 3. de demonſtrat. ait ad hunc fere modum. His qui in ægritudine aliqua verſantur, multùm flaua bilis defluit in ventrem, quod morſum ipſis præbet neque priùs ægri eſſe, & mordere deſinunt, quam bilem euomuerint. Nam morſus, iis accidit infra cartilaginem quæ eſt in medio pectore; quod quia ſpeciem enſis præbet, ξιφοειδὴς nominatur. Cor autem, multò ſuperiùs locatum eſt. Nam ſepto tranſuerſo, venter inferior eſt, cor ſuperius.* Antiquos autem hunc affectum in corde ſtatuentes eludit potius quàm interpretatur nixus aliqua Græcæ vocis cor deſignantis ambiguitate, vt videre eſt apud ipſum. Sic igitur ille de ſubiecto prædictæ paſſionis philoſophatur, exiſtimans eſſe os ventriculi.

Alij omnes paſſiones ſtatuunt in cerebro tantùm: Denique alij, vt Salas t. 1. tract. 9. d. 1. num. 20. per totum corpus animalis diffunduut paſſiones, argumento ducto ex inſectis, quæ quauis parte decìſa; ſentiunt, appetunt, & ſuo modo iraſcuntur pungentibus.

Approbatus Ariſtoteles, eas locans in corde tantùm.

Sed non placet ab Ariſtotele recedere, quem in corde rectè ſtatuiſſe appetitum ſenſitiuum, vnáque paſſiones ſenſitiuas, confirmant quæ ibidem ſentiuntur. Nam cum primùm paſſio aliqua concitatur, nemo non experitur ſe aliter corde affici. Hoc timentes, hoc hilares, hoc triſtes agnoſcimus, eóque argumento Galenus, Ariſtotelis alioqui in pleriſque inſectator, eidem hac in parte ſubſcripſit l. 2. de placitis Hippocr. & Platonis c. 7. Nec alio indicio, Eraſiſtratus, turpem amorem, quo priuignus erga Stratonicem nouercam flagrabat, tacitúmque habebat, deprehendit, quàm ex variatione pulſus, ac motus cordis accedente Stratonica.

Hoc eſt primarium pro Philoſophi ſententia argumentum, quod roborari poteſt ex admodum receptis loquendi modis & communi ſenſu. Nihil enim frequentius, quàm vt cor dicatur officina, & ſedes affectuum hominis. Ipſe Chriſtus malas cogitationes, (id eſt affectus, nam hæc eo loco vocis illius notio;) ſcaturire è corde pronunciauit. Alibi item, expetitum legimus cor hominis, id eſt, affectum. Quod tametſi de affectu præſertim rationali, ſiue voluntatis ſuperioris accipiendum eſt, tamen quod facultas inorganica & immaterialis, per cor potiùs quàm per aliam vllam corporis partem expreſſa ſit, ideo factum videtur; quia cor cum ſit ſedes paſſionum materialium, & facultatis voluntati velut antiſtrophæ. hoc eſt appetitus ſenſitiui, rectè ſignat affectus quoſcunque, etiam ſpirituales, quos maximè ſibi depoſcebat, qui aiebat, *Præbe mihi cor tuum.* Quo etiam retulerim ſitim illam humani cordis in Satana, quem Eubulus Comicus apud Clem. Alexandrinum 7. Strom. c. 1. expoſtulantem inducit, quod homines in tam multis ſacrificiis, ne ſuperficie quidem cordis ſui litarent. Quam parcitatem cõpenſari curauit apud Mexicanos,

In

in quorum ciuitate Temiſthitam;per annos ſingulos, ſupra viginti millia, puellorum, vel puellarum corda, in Satanæ ſacrificia ceſſiſſe, ſcribit Ioannes Zummarraga, primus Mexicanorum Archiepiſcopus ſub annum Chriſti 1500. in Epiſtola ad Capitulum Generale Minorum, quæ refertur in Hiſtoria Seraph. Sedulij pag 106. Apud Hebræos tamen vt Philo aduertit extremo libro de ſacrif. Abelis & Caïmi,cor & cerebrum ad ſacrificia veri Dei, non adhibebantur; quod cerebrum origo prima, cor autem ſedes immediata ſit, prauorum æquè ac bonorum affectuum: apud Deum autem ea inſtabilitas, & veluti indifferentia ad bonos & turpes affectus imputetur;& tanquam immunda, à ſacris arceatur. Eandem è corde ſcaturiginem affectuum materialium, ac per ſimpathiam ſpiritualium ſignat illud Apollodori ſomnium apud Plutarchum lib. de ſera numinis vindicta n. 8. quo cutem ſibi à Scyhis detrahi, tum elixari ſe perſpexit, ſucclamante ſibi corde ex ipſo lebete; Ego tibi horum ſum cauſa malorum. Quaſi moneretur, infrenes affectus, eò miſerum deducturos. Pertinet etiam eodem, quod de infinita cordis profunditate, tricliniiſque in eo, & cubiculis, ac officiis quàm plurimis, (pro numero videlicet propè innumero affectum) à S. Macario proditum eſt, hom. 15. qui etiam hom. 17. cor impij, tanquam lupanar immundorum ſpirituum ſcitè exhibet, contra qoàm de pio corde ſcripſerat homil. illa 15. eſſe Chriſti palatium, quod de Pauli corde, verbis vno ſe dignis tradit Chryſoſt. hom. 32. in ad Rom. *in mor.* Non prætereo eum qui apud Smetium, vt proderet quo fuiſſet affectu, ſepulchro ſuo inſcribi voluit ὁλοκάρδιος. Quod æmulatus videtur, qui capſulæ qua Regis Franciſci primi cor conditum, adſcripſit epigraphen; Totum illhic conditum Franciſcum, quod fuiſſet ὁλοκάρδιος.

Nouella Philoſophi impugnatio.

Verum, his aliiſque einſdem farinæ dimiſſis, præcipuum robur ſententiæ noſtræ, in primario illo argumento quod ex iis ducitur quæ in corde ſentiuntur, ſtatui debet. Eſt tamen cui hoc argumentum perfrigidum videatur;& probat quia erubeſcentia eſt in extima cute maxillarum, & plerumque in cerebro ſentitur magnus dolor, interdum in tibiis. Miror quomodo dentes in hac argumentatione omiſſi ſint, cùm ſoleat dolor, quem corrupti humores, dentibus affuſi ingenerant, eſſe acerrimus & vehementiſſimus. Addit præterea autor, cuius eſt hæc Ariſtotelis impugnatio, argumentum illud quod propoſuimus,non eſſe validum: quia licet nos doleamus de obiectu, at non ſentimus dolorem reflexè, Ergo non poſſumus ſenſu dignoſcere appetitum, ſed diſcurſu. Itaque directè, ad argumentum illud noſtrum, & Ariſtotelicum, reſpondet, in ſingulis partibus ſentientibus eſſe ſimiliter appetitum, atque adeò etiam paſſiones ſenſitiuas. Et ſic contriſtari tactu humoris melancholici. Secundo obiectum mœſtitiæ, & anxietatis, eſſe in corde, ſicut in cerebro & tibiis obiectum doloris: ac proinde cor dici dolere & angi, licet ratio formalis dolendi, hoc eſt, cauſa formaliter conſtituens hominem dolentem,quæ eſt ipſe actus doloris, ſit in cerebro. Nam hoc autor ille cenſet eſſe ſubiectum appetitus ſenſitiui, atque adeò etiam paſſionum materialium.

Hanc idem autor ait eſſe ſententiam omnium illorum, qui idem cognitionis ſenſitiuæ & affectus principium ſtatuunt. Eandémque ſententiam confirmat, quia appetitus mouetur à ſenſatione; quod fieri non poſſet, ſi appetitio eſſet alibi, quàm ſenſus internus, atque adeò niſi vterque in corde eſſet. Nam appetitus non mouetur a ſenſatione per efficientiam aliquam, ſed per repræſentationem in genere cauſæ formalis Cum ergo ridiculum videatur, affirmare appetitum è corde ferri in obiectum in cerebro repræſentatum; concluditur, vtramque illam facultatem, eidem ſubiecto corporeo inexiſtere, hoc eſt, cerebro. Confirmatur, quia cor in ſuis operationibus à cerebro non pendet: pulſat namque & palpitat, itémque dolet: licet nerui comprimantur, & omnis ad cor cerebri influxus intercludatur. Atqui appetitus pendet à ſenſu. Ergo appetitus non eſt in corde, & ſenſus in cerebro:quia iam cor penderet à cerebro. Quid quod aliquando viſi ſunt aliqui, motu animali per appetitum indicto moueri, extracto iam corde? Ex his igitur omnibus, concludit autor prædictus, rectè Ariſtotelem ſenſum internum & appetitum, vnàque paſſiones ſenſitiuas, eadem ſede locare:malè tamen eam ſedem, aſſerere eſſe cor, non cerebrum. Rectè è contra Galenum, cerebro addicere ſenſum internum; ſed malè ab eo disiungere appetitum, quem in corde locat, cum ſenſitiuis paſſionibus. Itaque ſuam ſententiam, inter Ariſtotelem & Galenum mediam ſtatuit.

Argumentum Philoſophi, malè impugnatum.

10. Ego vt dixi, Philoſopho ſubſcribo, cuius argumentum paulò antè propoſitum, perſtat inconcuſſum. Eius autem impugnatio nunc adducta, eſt omnino imbellis. Ac primum indirecta impugnatio argumenti à Philoſopho adhibiti, eſt omnino caſſa. Nemo quidem diffitetur, quin erubeſcentia alibi prodatur dolorìſque obiectum alibi ſentiatur, quàm in corde:Quamuis vt hoc obiter aduertam,perperam in cerebro ſentiri quandoque dicatur; cum conſtet cerebrum eſſe ſenſus expers, ex 2. de part. cap. 17. & 10. ſuffragatúrque experientia, quæ docet cerebrum vulneratum, durove & acuto ferro compreſſum,aut etiam diuiſum, non ſentire, propter abundans frigus innatum, & humorem. Quare dolores capitis, non ſunt ſubſtantiæ cerebri, ſed membranarum. Hoc obiter.

Alibi igitur quam in corde ſentiri doloris obiectũ, non inficiamur. Ipſum tamen dolorem, cordi ineſſe contendimus: ſicut & principium formale erubeſcentiæ, ſiue metum dedecoris, per quem concitato corde, ea ſanguinis ad extimam faciem laborantem diffuſio efficitur. vt infra exponetur. cùm de generali omnium paſſionum conſectario. Verè enim ipſum cor in omnibus illis euentibus malè afficitur: quod deprehendi poteſt ex irregularitate, quæ in eius motum infertur, non modò in erubeſcentia, ſed etiam in dolore, præſertim cùm eſt paulò vehementior. Hoc non video, quomodò argumentatione aduersùs Philoſophum intorta quatiatur. Sed neque video quò pertineat quod addebatur de dolore non percepto reflexè per ſenſum, atque adeo non ſuppeditante idoneum argumentum, ad ferendum. quòd ibi ſit appetitus vbi eſt dolor. Non video inquam quò iſtud pertineat. Nam nos non argumentamur ſenſu, ſed intellectu. Argumentum tamen intellectu fabricatum, rectè nititur ſenſu doloris: Illa inquam ſenſitiua operatione, quæ eſt ipſe dolor; quam operationem ſenſitiuam experimur, & facta reflexione per intellectum, (vel etiam in hoc euentu per ſenſum internum, aptum reflecti ſuprà operationem, non ſuam, ſed inferiorum potentiarum:) deprehendimus eſſe hic potius quàm alibi. Quare omnis illa indirecta argu-

menti propoſiti impugnatio , irrita cadit.

Eiuſdem ſolutio , caſſa

Solutio verò, quæ directè ad illud datur , eſt nullius momenti , & eius autori aduerſatur. Nam cùm dicat , appetitum eſſe in cerebro , idque longa poſtmodum argumentorum textura confirmet ; primò tamen reſpondet directè ad argumentum illud noſtrum , fatendo, appetitum atque adeò etiam ſenſum internum appetitui prælucentem eſſe in corde; quæ certè non cohærent. Deinde ſecundò reſpondet , in corde eſſe tantum obiectum doloris non dolorem. Quæ ſecunda reſponſio , & euertit primam, & falſa eſt. Euertit quidem primam ; quia ſi tantùm eſt in corde obiectum doloris, non igitur ibi eſt etiam dolor ipſe , & appetitus : vt in prima reſponſione præmiſſum fuerat. Deinde falſum eſt, quòd in corde ſit duntaxat obiectum doloris. Imò verò obiectum doloris , eſt vt plurimum à corde remotiſſimum , & tamen in corde deprehenditur dolor illud item falſum & abſonum eſt , quòd doloris obiectum in corde eſſe poſſit , & obiectum mœſtitiæ in cerebro. Quid enim eſt mœſtitia niſi dolor? Quare fixum maneat , rectè ab Ariſtotele conſtitutum eſſe; ſedem appetitus , & paſſionum materialium , eſſe cor ; idque legitimè & validè confirmari argumento propoſito , cuius impugnationem hactenus depulimus.

Munimenta ſententiæ aduerſarij diſiecta.

Quæ verò prætereà proferebantur ad directè confirmandam inexiſtentiam appetitus ſenſitiui, (atque adeò etiam paſſionum ,) in cerebro . facilè diſſolui poſſunt. Quamuis enim ſenſatio interior , moueat appetitum formaliter , vt obiiciebatur ; tamen inde non ſequitur ſenſationem internam debere eſſe ibidem , vbi eſt appetitus. Poteſt namque ſenſatio alibi exiſtens dirigere per ſympathiam appetitionem alibi elicitam : alioqui fatendum eſſet , volitionem, & intellectionem à qua formaliter dirigitur , debere eſſe in eodem ſubiecto immediato : quod in ſententia, voluntatem & intellectum diſtinguente , eſt planè falſum. Intellectio enim non poteſt eſſe in voluntate , in qua effectu ſuo formali deſtitueretur. Fatendum ſimiliter eſſet , viſionem vel ſenſationem internam , quibus vis motrix dirigitur formaliter, debere ineſſe eidem ſubiecto , cui ineſt vis motrix progreſſiua.

Sicut ergo, iuxta aduerſarium, appetitus & ſenſus internus cerebro inexiſtunt, & tamen formaliter , ſuiſq; ſolis operationibus immanentibus , nulla facta traiectione , dirigunt vim motricem ; ita appetitus cordi implantatus, poteſt facilè intelligi , dirigi formaliter à ſenſu interno , inexiſtente cerebro ; eo quòd per ſympathiam potentiarum vitalium , earúmque radicationem in eadem anima , omnibus principaliter cooperante , poſſit vna potentia ad operandum excitari, operante alia , nullo ad ipſam tranſmiſſo effectu aut influxu phyſico. Qua de re diligentiùs actum, agendo de neceſſitate contactus, & actione in diſtans, & benè Angeſtus c. 1. Moral. t. 1. notab. 5. impugnans traiectitiam illam formam , à potentia cognoſcente deriuatam ad appetentem , & è contra , iuxta quorundam placitum , quod ibi memorat, & meritò explodit. Itaque confirmatio , quæ ſubdebatur , & ea tranſmiſſione, ac independentia cordis à cerebri influxibus phyſicis nitebatur , planè euaneſcit.

21. Miror verò quorſum huc transferatur plena miraculi locutio, & progreſſio quorundam. poſt exemptum illis cor: Illuſtri exemplo id illuſtrat Ioſephus à Coſtà lib. 5. hiſtor. Ind. cap. 22. Hoc mihi, naturam ſuperare videtur. Quamuis enim palpitationes quaſdem , & ſubſultus non animales, qui paſſim cernuntur in pecudibus recens cæſis , & corde earum auulſo , poſſint facilè referri ad reliquias ſpirituum, inconditum illum motum cauſantium; quo planè referendum eſt quod Scalig. exerc. 246. teſtatur de viſo abs ſe corde verucis , quod exemptum , totam amplius horam fluctuauerit : Tamen progreſſio & locutio, ſi miraculum deſit , non plus poteſt ſuperſtes eſſe corde exempto , quàm vita. Quamuis non me latet ſcriptum à Galeno eſſe , victimam quandoque auulſo corde ambulaſſe; idque ſe in cane ſæpiùs eſſe, expertũ ſcribat Laurent. lib. 1. contro Anato. q. 2. Et de Cameleonte ac teſtudine, diutiùs ſuperſtitibus exẽpto iam corde , teſtatur Alexander 1. animæ *in fine*; quod inſuper de capris & anguillis , ab Aſclepiade proditum , refert & ridet Tertullianus lib. de anima c. 15. De his plura, in proprio loco.

Lux illata Ariſtoteli , quibuſdam locis.

Veriſſimè igitur Philoſophus, appetitum , eiúſque paſſiones in corde collocauit ſenſum autem internum in cerebro. Non enim in corde quoque ſenſum internũ repoſuit , vt aduerſarius ei imponit, deceptus quibuſdam philoſophi locis , quæ reuera tantùm ferunt, quòd ſenſus internus ſit in corde , vt in primatia radice omnium ſenſationum , propter ſpiritus, quorum cor eſt officina , vt 3. de partibus c 10. traditur. Aptiùs vrgeri poſſet textus 46. libri tertij de anima, quo affirmatur , ad ſpeculariuam intellectionem, commoueri cor : ad ſpeculationem verò delectabilium , commoueri aliam quandam partem. Ex quo aliquis putabit colligendum , iuxta Ariſtotelem appetitum concupiſcibilem , eiuſque paſſiones , in illa alia parte eſſe, non autem in corde.

Toletus ibi , putat Philoſophum loqui ex mente Platonis , duplicem appetitum admittentis , alterumque in corde, alterum in hepate locantis Ego etiamſi admitterem , Ariſtotelem iuxta Platonem ibi loqui, illam aliam partem, non dicerem eſſe hepar , ſed eam quam exprimunt hæc verba Apuleij libro de Platonis dogmate *Cum tres partes* animæ *dicat eſſe; Rationabilem. id eſt, mentis optimam portionem; hanc ait capitis arcem tenere; iraſcentiam verò procul à ratione, ad domicilium cordis deductam eſſe, obſequique, eam, & reſpondere in loco ſapientiæ. Cupidinem atque appetitus poſtremam (mentis) portionem, infernas abdominis ſedes tenere, vt popinas quaſdam; & latrinarum latebras, diuerſoria nequitiæ atque luxuriæ. Relegatam verò idcirco longius à ſapientia hanc partem videri ne importuna vicinitas , rationem conſtitutam deſuper cunctorum ſaluti, in ipſa cogitationum vtilitate turbaret.* Vides vbi Plato ſtabulari velit appetitum concupiſcibilem, eiúſque paſſiones. Neque tamen exiſtimo, Ariſtotelem eo loco , vel eam opinionem ratam habere , vel ad eam alludere ; ſed ſimpliciter exiſtimo , ſignificaſſe Ariſtotelem, quos motus corporeos cauſent variæ affectiones etiam ſi appetitus, in partibus corporis ita commotis, non reſideat. Nihil enim vetat, ex paſſione appetitus exiſtentis in corde , aliam aliquam partem corporis per ſympathiam commoueri. quamuis ibi non ſit appetitus.

Ab hac porro Philoſophi ſententia , nequaquam receſſerunt , qui idem ſenſus & appetitionis principium eſſe aſſeruerunt ; maléque idcirco , ab aduerſario pro ſe allegantur. Nam qui in ea fuerunt ſententia, non diſtinxerunt realiter potentias ab anima , vel

inter

inter ſeipſas: Et in eundem ſenſum, Ariſtotelem acceperunt. Itaque egerunt de principio radicali & ſubſtantiali, influente in ſenſationem & appetitionem; non autem de principio proximo corporeo, quod cum aduerſario admittimus, & in corde vnà cum paſſionibus locandum vidimus; non autem in cerebro, vbi ipſe illud conſtituit.

Sententia num. 18 recitatæ, improbantur.

22. Reliquæ initio tactæ ſententiæ, de ſubiecto appetitus ſenſitiui, eiúſque paſſionum, non eſt quod nos remorentur. Sublata enim reali appetitus ſenſitiui multiplicitate, (vt ego quidem eam tollo;) vnà tollitur ea ſententia, quæ pro bifido appetitu, geminam eius ac paſſionum ei inexiſtentium ſedem comminiſcebatur. Sententia quæ metum locabat in ore ventriculi videtur omnino improbabilis. Nec eius argumentum aliquid reuera probat: Nam falſum eſt, metum cieri ex appulſu flauæ bilis ad os ventriculi. Illa verò alia ſententia, quæ diffuſum corpore toto, appetitum ſenſitiuum comminiſcebatur, malè nitebatur exemplo inſectorum; alioqui ſenſus quoque internus perfectorum animalium diſſeminandus eſſet per totum corpus: quod nemo dixerit, cùm ſit contra patentem experientiam, quæ teſtatur, ſomnia, & reliqua interni ſenſus opificia, perfici in capite: aſtipulatúrque etiam defatigàtio capitis, ex longa contentione animi, ob adiunctam intellectioni phantaſiationem, quæ in capite exercetur. Cùm igitur inſecta, quæcunque pars ſecetur, & ſuperſtes ſit, moueantur motu animali, cui phantaſiationem prælucere oportet, fatendum eſt, in illis ob imperfectionem illarum potentiarum, totum corpus habere rationem organi reſpectu earum, & ibidem cerni paſſiones huiuſmodi inſectorum: Diuerſam tamen eſſe rationem perfectorum animalium, quorum facultates ſunt longè perfectiores, & certum organum, eiúſque conſentaneam aptationem & ſtructuram poſtulant: Nec plura de ſubiecto remoto paſſionum corporearum, ex appetitu ſenſitino prodeuntium.

Subiectum totale paſſionum, an Deus & Intelligentiæ, alibi tractandum.

23. Tertiò egi de earundem materialium, & quarumuis omnino paſſionum, etiam voluntati aduenientium, ſubiecto mediato & totali. Quæ diſputatio, quoad paſſiones voluntatis, arctanda eſt hoc loco ad hominem. Nam competant ne Deo ac Intelligentiis paſſiones, & quatenus defæcandæ ſint ab intermiſtis apud nos imperfectionibus, tractatum ſufficienter eſt in Naturali Theologia, diſt. 8. num. 59. nominatímque quoad iram, de qua ſpecialis eſt dubitatio, eo quod videatur impræſcilibiliter iuncta defectibus, Deum & Intelligentias dedecentibus. Quæ cauſa fuit, cur Lactantius, integro ea de re opuſculo, aduerſus Philoſophos, iram Deum non dedecere, & omnino illi concedendam eſſe, probare tentauerit. Quod item de aliis affectibus nonnullis, v. g. amore & miſeratione paſſim eodem libro confirmat, nominatímque cap. 15. & 16. vbi alios pleroſque effectus, qui ſunt imbecillitatis humanæ, ſintque à defectu inexpurgabiles, v. g. inuidiam, metum, triſtitiam, à Deo ablegat. Sed hanc difficultatem, (quæ quoad iram eſt planè de nomine,) ſufficienter diſcuſſi loco allegato, nec eſt cur hic extra locum, agendo de hominis paſſionibus, denuo in illam excurram.

Bruta paſſionibus obnoxia, contra Senecam.

24. Quoad paſſiones verò appetitus ſenſitiui, etiamſi nihil ſpecialiter dicendum occurrat de brutorum paſſionibus, quòd eiuſdem ſint rationis cum noſtris, & in nobis etiam ſint ex perfectiore & expreſſiore notitia, ob concomitantiam intellectus, quæ in pleriſque non parum commodat phantaſiæ: Tamen nolim arbitreris, deeſſe beſtiis paſſiones, quod malè cenſuit Seneca l. 1. de ira cap. 3. & 4. verbis illis. *Dicendum eſt, feras ira carere, & omnia præter hominem. Nam cùm ſit inimica rationi, nuſquam tamen naſcitur, niſi vbi rationi locus eſt Impetum habent feræ, rabiem, feritatem, incurſum. Iram quidem, non magis quàm luxuriam. Et in quaſdam voluptates, intemperantiores homine ſunt. Non eſt quòd credas illi qui dicit:*

Non aper iraſci meminit, non fidere curſu
Ceruæ, nec armentis incurrere fortibus vrſi.

[Iraſci dicit, incitari, impingi. Iraſci quidem non magis ſciunt, quam ignoſcere. Muta animalia humanis affectibus carent: habent autem ſimiles illis quoſdam impulſus. Alioqui ſi amor in illis eſſet, & odium eſſet: ſi amicitia, & ſimultas: ſi diſſenſio, & concordia, quorum aliqua in illis quoque extant veſtigia. Cæterùm humanorum pectorum propria bona maláque ſunt. Nulli niſi homini, conceſſa prudentia eſt, prouidentia, diligentia, cogitatio, nec tantùm virtutibus humanis animalia, ſed etiam vitiis prohibita ſunt. Tota illorum, vt extra, ita intra, forma, humanæ diſſimilis eſt. Regium illud & principale, parum ſubtile, parum exactum; Vt vox eſt quidem, ſed non explanabilis, perturbata, & inefficax. Vt lingua, ſed deuincta, nec in motus varios ſoluta. Capit ergo viſus ſpeciéſque rerum, quibus ad impetus euocetur, ſed turpidas & confuſas. Ex eo procurſus illarum, tumultúſque vehementes ſint; metus autem ſollicitudinéſque, & triſtitia, & ira non ſunt, ſed eis quædam ſimilia. Ideò citò cadunt, mutantur in contrarium, & cum acerrimè ſæuierunt, expauerúntque, paſcuntur: & ex fremitu, diſcurſúque veſano, ſtatim quies ſopórque ſequitur.]

Hæc à Seneca gratis dici, conſtabit ex ſingulorum affectuum explicatione: vnde patebit, rationem quidditatiuam vniuſcuiuſque, eſſe hominis & brutorum affectibus communem. Quanquam Piccolomineus gradu 1. cap. 31. ita interpretatur Stoicos, quos aſſectatus eſt Seneca, vt ſenſus eorum duntaxat ſit, non eſſe in brutis paſſiones rationi aduerſantes, quandoquidem bruta ratione deſtituuntur: Eſſe tamen in brutis eoſdem phyſicè affectus, cum illis quibus nos quoque vrgemur, (quod vnum contendo,) indubitatum eſſe debet.

Quæ paſſiones, à brutis alienæ.

25. Hoc autem intelligo generatim & vniuerſè. Nam pleriſque affectuum generibus ſubſunt quædam ſpecies, quæ quòd ſupponant rationis vſum, & aliquid in obiecto ſuo inuoluant non niſi per intellectum perceptibile, non cadunt in bruta. Sic infrà de inuidia philoſophabimur. Sic item de pudore latè philoſophatur Antonius Ludouicus l. de pudore, impugnans Ariſtotelem, quòd anſerem verecundum eſſe ſcripſerit, quia à coitu aquis mergitur, quod pudoris notam eſſe negat author prædictus. Verùm ſicut ipſe, pudorem metaphoricè dictum, & humani pudoris aliquam delineationem

&

& imaginem, agnoſcit in pleriſque animantibus ratione deſtituis: ita Ariſtotelem in eum ſenſum interpretari facilè poterat; qui certè id vnum voluit, cùm in anſere aliquam verecundiæ formam agnouit: cùm tamen veram & ſimpliciter dictam verecundiam, quæ eſt timor infamiæ vel ignominiæ, brutis nunquam conceſſerit, quæ bonum famæ, eique oppoſitam ignominiam, cùm non ſit ſenſibile bonum, nequaquam attingunt.

Late tamen vſurpata, & nonnihil extenſa voce, verecundia in anſere ab Ariſtotele agnoſcitur & ab anthore allegato, in pauo, elephanto, & tauro. Pauus enim, qui antea ſemetipſum oſtentans, tanquam ſpecioſum theatrum, aut picturam, cœlum ſyderibus diſtinctum imitantem, quaſi in pompa quadam circumagebat, (vt eſt apud Dionem Chryſoſtomum orat. 12. *initio*,) mox cauda amiſſa per annuam viciſſitudinem, pudibundus quærit latebram, tandemque arborum foliis opertus deliteſcit, donec decor priſtinus redeat, quaſi non ſuſtineat nuditatis ignominiam. Elephantum, ob pudorem, nunquam niſi in abdito, perpetuandæ ſpeciei operam dare, & victum, vocem victoris fugere, vulgatiſſimum eſt. Taurum denique, Poëta, in ſyluas abire, & multa gementem ignominia, ignotis oris exulare, plagáſque ſuperbi victoris commeminiſſe, deſcribit Si igitur quoſdam huiuſmodi affectus demas, qui ſecundum ſpeciem in bruta non cadunt, quòd præexigant intellectualem notitiam, cuius bruta ſunt expertia; cæteri, atque adeò ſub quouis affectus genere aliqui competunt brutis, ſuntque illis cum homine communes.

Vtra plures ac vehementiores paſſiones, noſtræ, an brutorum.

26. Poteſt verò hoc loco non immeritò dubitari plúſne in brutis quàm in homine vigeat affectuum ferocia. Plures & vehementiores eſſe affectus in homine, quàm in brutis, aſſeruiſſe videtur Ariſtoteles 1. Polit. c. 6 agnoſcens, nullum eſſe in homine voluptatis terminum. Item Plato in Axiocho, & Plutarchus lib. de diuitiarum cupiditate, omnes poſt Homerum. Profert hos authores, qui in hac ſententia eſt, Peregrinus tract. de affectibus in communi cap. 2. additque rationem, quia intellectus, vt magnarum exiſtit virium atque præpotentiæ, plura proponit, quæ appetitus humanus eidem commenſus proſequatur, aut refugiat, quàm poſſint à limitata brutorum virtute cognoſcitiua exhiberi. Præterquàm quòd intellectus, multa ſibi fingit affectuum obiecta aliena à vero, quæ comminiſci non poteſt bruti phantaſia. Et denique ratio, conquiſitiſſimas quaſdam & ſuauiſſimas voluptates obiicit, quas voluntas eò vehementius ſtringit, quo eſt ipſa ſublimior atque potentior facultas. Nec diſſimiliter argumentatur Piccolomineus gradu 1. cap 33.

Noſtræ plures, brutorum ferociores.

Verùm ex hac ipſa voluntatis ſublimitate, ac vi ad varias eáque ſublimiſſimas operationes colligi poſſe videtur, quamuis ſit in homine longè numeroſior varietas ſpecifica affectuum, præſertimque cupiditatum, propter vaſtitatem humanæ voluntatis, & longè latiorem obiecti ſphæram ei reſpondentem, quàm reſpondeat appetitui brutorum: Tamen eas affectiones, quibus bruta tentari ſolent, acriores eſſe in brutis, quæ nullo rationis fræno coërcita, toto impetu feruntur in obiectum propoſitum. In homine enim, non parum de æſtu & feruore affectus remittitur, ob efficaciam rationis, ad affectuum immoderationem naturaliter reclamantis: ita vt ſicut ad moderatam & honeſtam actionem obſtrepit natiua appetitui inferiori ferocia; ſimiliter, iſtam quoque reprimat ac retundat vigor rationis, nunquam prorſus dedoctæ quid hominem deceat. Proptereáque Ariſtoteles, vtrúmque appetitum hominis, confert orbibus cœleſtibus, qui feruntur contrario motu: ita vt quamuis vnus alterum abripiat, retardetur nihilominus, & remoram aliquam ab eo ſubeat; Nec adeò vehementer ac expeditè cieatur, quàm ſi reniſus orbis ſubiecti, non interueniret.

Eam tamen, quam dicebam, numeroſiorem paſſionum in homine ſeriem, ob appetitum inſœliciter fertilem, ac multipliciùs in nobis, ratione acuente fruticantem, inficiari non poſſum, & rectè à Nyſſeno, his verbis obſeruata eſt, lib. de homin. opif. cap. 18. [Nonnunquam ipſa ratio ſic obbruteſcit, vt ab affectione erga brutam partem victa, quod eſt in homine præſtantiſſimum, vi deterioris obruat. Nam ſi quis eò mentis facultatem pertrahit, vt rationem ſeruire morbis animi cogat, ne tum vniuerſâ naturâ, in aliam quaſi figuram redactâ, eximiæ formæ in imaginem brutam fit commutatio, ratione morbos illos ipſos excolente, ac breui de paucis magnam eorum copiam efficiente. Omnem enim operam ſuam eis locans, facit, vt ampla quædam rerum abſurdarum, ac denſa materies exoriatur. Sic cum voluptatis ſtudium ex ſimilitudine qua bruta referimus, profectum in nobis ſit, adeò tamen hominum delictis creuit, vt in animalibus ratione carentibus, tot voluptatum formæ nullo modo deprehendantur, quot voluptariorum hominum ſceleſta libido excogitauit. Sic & animi ad iram commotio, habet illa quidem nonnihil affine cupiditati brutorum: verùm multò maximè à rationis ope augetur. Ab hac enim proficiſcitur diuturna irati animi acerbitas, inuidia, mendacium, inſidiæ, ſimulatio. Hæc omnia, prauæ mentis quaſi agricolationi, accepta ferenda ſunt. Nam ſi hæc animi perturbatio, quam iram dicimus, à rationis ope ſocietatéque deſtitueretur, haud dubiè momentaneum quiddam & languidum foret, quòd inſtar bullæ ſimul & oriretur & interiret. Sic ad imitationem ingluuiei porcorum, homines auaritiæ ſtudio teneri cœperunt. Sic in equis elata ferocia, ſuperbiæ occaſionem præbuit. Denique perturbationes animi, vniuerſæ & ſingulæ à brutis ortæ, praua mentis vſurpatione, vitiorum origo extiterunt.]

27. Authores, quos Peregrinus allegabat, reuera non diſſident. Ariſtoteles enim tantùm tradit, humanam cupiditatem infinitè patere, quod verum eſt: non tamen affirmat, iis cupiditatibus, quæ homini & bruto ſunt communes, hominem impotentiùs & vehementiùs agitari, quàm bruta. Plato & Plutarchus nihil habent, quod ad hoc negotium referat. Præterquàm quòd obiici poterat, Axiochum dialogum, inter nothos referendum eſſe, ſi recentiores audimus.

Nullæ in plantis paſſiones, aduerſus Eraſmi inſulſitatem.

Nollem tamen, etiam infra bruta, paſſiones diffundendas exiſtimes quod feciſſe Manichæos, prodit & latè reiicit D. Auguſtinus l. de mor. Manich. c. 17. Idem ſuperiore ſeculo, de lignatorum ſententia, admodum ridiculè fecit Eraſmus, (referente Scaligero in 1. de plantis;) truncus ipſe, & dignus, qui inter ligna, quibus ſenſum & affectum conceſſit promoueatur. Argumentum autem, quo ductus eſt, ad eam fatuitatem,

tuitatem, non minùs ligneum eſt, vt in ſimili aduerſus Manichæos dixit Auguſtinus, quàm ſint ipſæ arbores. Ex eo enim qoòd primus ſecuris ictus mollius excipiatur, qoàm qui ſecundo loco impingitur, colligit Eraſmus plantam initio incautam, nec præcauentem damnum; mox ad ſecundam ſecuris impactionem, malo ſuo iam edoctam, refugere ſecurim, & contrahere ſeſe, indéque difficiliùs intrò adigi ſecurim ſecundo loco, quàm primo. Hoc quis non videt eſſe delirium, cum tota ratio cur primus ictus mollior fuerit, & ſecuris tunc adactu facilior, petenda ſit ex mollitie albuminis & externarum partium conueſtientium truncum longè duriorem, ad quem ſecunda impactione peruaditur, & idcirco ægriùs ſecurim admittit?

Quid de arbore pudica, aliiſque huiuſmodi.

Sed dimiſſo Eraſmo, qui non hac vna vice, aut loco deſipuit; erit, qui affectus eſſe in plantis probet, ex eo quòd plantæ quædam dicantur & ſint pudicæ; aliæ autem ad contactum vel aduentum alicuius ſenſibiliter contrahantur, præ metu incommodi. Scribit enim Diodorus apud Photium cod. 225. arborem eſſe aglaophitim, noctilucam, quæ prehendere conantem refugit, verita contactum. Eadem aut ſimilis eſt, quam memorat Scaliger exercit. 181. n. 28. quæ appropinquante homino, aut animali, ramos conſtringit; recedentibus pandit, dicta idcirco *pudica*. Areſcentem in ſpeciem, & langueſcentem cum contingitur, arborem ad Memphim; mox retracta manu reuireſcentem, memoram Theophr. l. 4. hiſtor. plant. cap. 3. quem Plinius exſcripſit lib. 13. cap. 10. Æſchynomenes verò herba, non aduentantem, ſed admotam manum refugit, foliorum contractione, vt Plinius author eſt lib. 24. cap. 17. ex Apollodoro. Et annuunt recentiores. Proindéque æſchynomenes diſcrepat ab illa alia herba quæ *impatiens* dicta eſt, quia appropinquantibus digitis contrahit ſiliquas. Nec eſt tentandum cum Dodonæo pemptadis 5. lib. 1. cap. 35. mutare ſiliquas in folia, vt æſchynomenes mutetur in herbam impatientem: periculum enim eſt, ne ipſa tangi impatiens, eam mutationem non admittat. Eſſe autem æſchynomenem eam ipſam herbam, quam nunc vocant herbam viuam, notauit Dalechampius in cit. Plinij caput. Et idem notat Cluſius; in notis ad lib. 3. Chriſtophori à Coſta de aromat. exot. cap. 55. De herba autem viua, in generali hiſtor. plantarum lib. 18. cap. 143. ſcribitur, cùm maximè viret, ſi quis eam apprehendere tentet. illico folia contrahere, & ſub tenues ramuſculos condere. Si verò apprehendatur, ſubitò adeo marcidam apperere, vt ſiccata videatur: at ſemota manu, illico reuiuiſcere totiéſque marceſcere & reuiteſcere, quoties admouetur, vel amouetur manus tangentis. Idem ſequenti capite eioſdem operis, traditur de herba mimoſa. Quibus aliiſque huiuſmodi, de quibus latè Claud. Duretus in Hiſtor. plant. c. 23. 24. 25. manifeſtum videtur, eſſe quoque plantis ſuos affectus.

Quid quod amores & odia in plantis celebrantur? Palmas ſanè fœminas, marium amore veluti depereuntes, in illos nutare pronas, referunt. Quercum è contra & oleam, ex Plinio lib. 24. cap. 1. odiſſe ſeſe, & nullo interiecto ſpatio ſatas, in contraria flecti: Item vitem, ſi braſſicam habeat propinquam, retorqueri; & eius tanquam inimicæ viciniam refugere: Cucumerem denique ad oleæ viciniam atque contactum, contrahere ſeſe, atque curuari teſtantur qui iſta ſcrutati ſunt. Contra ſi aqua propè ſit, in eam totum ſe, velut eius deſiderio flagrantem demittere. Agnoſcit hos plantarum affectus, & ex eis quandam ſenſus imaginem plantis vendicat Carda. lib. 8. de ſubtil. init. Exempla eorum proferunt quàm plurima Matthiolus præfat. in Dioſcor. *ſub finem*, & Mizaldus catalogo ſeptemplici de ſympat. & antiq.

Reſpondendum eſt, cerni ſanè in plantis priore loco propoſitis, affectus recenſitos; ſed eas non eſſe plantas ſola anima vegetante inſtructas, ſed plantanimalia, & vt vocauit Nemeſius l. de homine. cap. 1. *arbores ſentientes*; hoc eſt, vera animalia, plantis quibuſuis nobiliora. Quamuis quia imperfecto admodum motu, & obſcuriore ſenſu pollent, dicantur interdum mediæ naturæ, cenſeantúrque ad plantas accedere, vt habetur 4. de part. cap. 5. & 2. animæ text. 16. & latè tractatum eſt cùm de Zoophytis. Ita planè de iis quas priore loco memoraui exoticis plantis philoſophandum eſt. Quod enim Coſtæus lib. 1. de vniuerſ. ſtirp. natu. capit. 4. quæ de his plantis circumferuntur, fabulis accenſet, impròbabile omnino eſt, cùm præter antiquos, quibus eas plantas fuiſſe incompertas malè ſcripſit Garcias l. 2. hiſtor. Arom. cap. 27. (Theophraſtum enim, ac Plinium, & Diodorum, veteres vtique ſcriptores, meminiſſe earum vidimus;) innumeri quoque recentiores, quorum plerique oculati teſtes, ea prodiderunt: nec ſit prudentis, tot cornicum oculos, velle configere.

De amoribus autem & odiis, vulgarium quarundam plantarum, rectè ſtatuit idem Coſtæus, non eſſe affectus illos niſi metaphoricos, & amoris ac odij nomine, donatos tantùm fuiſſe, quia plantæ illæ, ob ſympathiam naturalem vel antipathiam, inuicem amare, aut odiſſe videntur: dum vna effluxu halituum vel propagatione qualitatis ab altera ad ipſam vſque diffuſæ, pellecta: aut certè congenitam vim ſugendi atque trahendi exſertura, verſus alteram obuertitur, eámve auerſatur. Eſſe autem hos amoris & odij affectus, in plantis, tantùm metaphoricos, non inutiliter inde confirmat Scalig. exercit. 138. quod verus affectus præuio ſenſu elicitus, poteſt aſſuefactione miteſcere, aut prorſus deponi. Cùm enim ſenſus internus, & appetitus ei ſubinnectus, non ſint facultates vſquequaque determinatæ, poſſunt acceſſu habitus inflecti. Vndè animalia alioqui ferociſſima, cicurantur. Ipſéque Scaliger ibid. teſtatur ſe lupum vidiſſe inter oues cicurem, ac leporem aluiſſe inter canes venaticos. At plantæ nunquam deponunt ſua illa odia, aut in ſuis illis amoribus ſrigent. Nulli ſunt igitur in plantis affectus.

Sapiens, ἀπαθὴς, iuxta nonnullos Ethnicos & Hæreticos.

28. Quare in homine ſiſtendum, quem eſſe paſſionibus obnoxium fruſtrà monerem, cum nihil apertiùs in homine prodatur. Difficultas itaque tantùm eſt de homine ſapiente, & ad virtutis normam compoſito. Nam in eo non eſſe admittendas paſſiones; putatur ſententia Stoicorum, eóque nomine multa in eos diſputant Lactantius 6. Inſtit. cap. 15. & Proſper lib. 3. de vita contempl. cap. 31. & alij mox proferendi. Idem profeſſos pleroſque Ethnicorum ſapientes extra Stoam, docet his verbis Plinius 7. hiſt. cap 19. *Ferunt Socratem clarum ſapientia, eodem ſemper viſum vultu, nec aut hilari magis aut turbato. Exit hic animi tenor aliquando in rigorem quendam, toruitatémque naturæ, duram & inflexibilem, affectúſque humanos adimit, quales apathes Græci vocant, multos eius generis expertos: quodque mirum*

ſit

ſit, authores maximæ ſapientiæ. Diogenem Cynicum, Pyrrhonem, Heraclitum, Timonem.

Adhæſit eidem placito, & indolentiam in Eccleſiam inuehere conatus eſt, Euagrius Ponticus quem edidiſſe librum ac ſententias περὶ ἀπαθείας, author eſt S. Hieronymus epiſt. ad Cteſiphontem, & qui eum etiam ea ex cauſa ſugillat Ioannes Climacus. Vt mirum ſit, Dionyſium Carthuſianum, annotationibus ad Climacum, perperam intellectæ Euagrij ſententiæ, inſimulaſſe Climacum, & Euagrio ſubſcripſiſſe. Tuetur latè Climacum Radetus in obſeruatione ad caput eius 4. libri ad Paſtorem. Addit S. Hieronymus, initio epiſt. citatæ, eandem Zenonis & Pythagoræ de hac affectuum omnimoda eradicatione ſententiam fuiſſe: & ab eis Pelagium, in Eccleſiam hoc fermentum inducere tentaſſe, vt per ſimulatam humilitatem ſuperbiam diſceret, Dei ſibi non iam ſimilitudinem cum Lucifero, ſed æqualitatem, aſſerenda imperturbatione vindicando. Idem S. D. in cap. 2. Ierem. Grunnium, id eſt, Ruffinum, ſugillat, quod Sixti Pythagoræi ſententias in fauorem ἀπαθείας, latinè vertiſſet, & Sixto Romano Pontifici inſcripſiſſet. In illis certè ſententiis, 200. ſic habet. *Tunc te putato fidelem, cum paſſionibus animæ carueris.* Quæ eſt aperta impatibilitatis aſſertio. Aliorum præterea Euagrio & Pelagio affinium, fuiſſe eam ſententiam de Stoica indolentia, legere licet apud Baronium anno Chriſti 388. *in fine.* Quibus alios inſuper addit S. Hieronymus, in procemio dialogorum aduerſus Pelagianos.

Contrarium placet, ac primùm quoad paſſiones ſubitas.

29. Statuendum verò eſt tanquam indubitatum, nec cum Philoſophia tantùm, (quam vnam nunc attendimus,) ſed etiam cum fidei placitis cohærens, vt notauit S. Hieron. dial. 2. aduerſus Pelag. & S. Auguſt. 14. ciuit. cap. 8. & 9. virum ſapientem, ſiue eminentiſſima virtute excultum, ſine virtutis diſpendio, & abſque culpæ labe, poſſe non modò paſſione aliqua præoccupari, ſed etiam vltrò eam admittere vel aſciſcere.

Quòd homo, tametſi ſapiens, id eſt, perfectæ virtutis, poſſit iis affectibus naturaliter tangi, & eos primos motus, qui ad obiecti occurſum naturaliter excitantur, ſine vitio ſentire; ex eo liquet, quòd non videretur Deus naturæ author extra culpam eſſe, (quod abſit, vt vel in cogitationem quis admittat;) ſi naturam nobis vitioſam indidiſſet. Vitioſa autem foret, ſi affectus naturaliter ex ea exurgentes ante libertatis edictum, non poſſent in hominem virtute præditum cadere, quin eum morali turpitudine oblinerent. Itaque in hunc ſenſum Stoicam ἀπάθειαν interpretati plerique Patres, queruntur per huiuſmodi indolentiam, ad virtutem, à Stoicis requiſitam, damnari humanam naturam, cuius ager has vrticas naturaliter ac ſponte profert; ita vt impoſſibile nobis ſit exortum earum impedire, multúmque ſit, ſi aſſenſum liberum negemus.

Aptè planè id tradit author ſermonis de ratione circuncisionis apud S. Cyprianum. *Erubeſcimus in pudendis, & detecto ſectóque confuſionis operculo, quamuis conſcientia teſtis nobis ſemper exponat ſcaturientes intus peccati inſidias, nec internum vitare poſſimus iudicium: viriliter tamen ſtandum eſt, & rationis authoritate increpandi ſunt titillatorij ſenſus; & ſummoperè vigilandum eſt, ne ſequatur aſſenſus. Intra nos pudor iſte aboleri omnino non poteſt, quia nec totum hoc membrum, ſed anterior eius portio iuſſa eſt circuncidi. Res ſanè maxima eſt, ſi non egrediatur foras huius contagio corruptelæ; & inſaniens beſtia corrupti anhelitus, catenis ferreis in vltimis animæ receſſibus alligetur, intúſque fractis dentibus ſeipſam concupiſcentia captiua maſticet & corrodat. Manet itaque erubeſcentia propter ſenſum, vt qui in agone contendit, ſciens circuncisionis myſterium, ab omnibus ſe abſtineat, quæ poſſunt huic flammæ miniſtrare fomentum. Nec tamen peremptoria eſt contendentibus, ſed probatoria huius ſenſualitatis colluctatio tam veterna. Sed inſtitutum eſt certamen inter ſpiritum & carnem, vt victor homo peccati & pœnæ, poſt triumphos ſolemnes coronetur in gloria.* S. Antiochus hom. 79. cum admiſiſſet hominem affectibus ſuis poſſe dominari ne quis hoc dominium plenam compreſſionem paſſionum interpretaretur, ſubiungit. *Sed enim pia ac prudens cogitatio, domina aſtruitur eſſe affectionum. Per frugalitatem enim vitæ, ſiue temperantiam, aduerſus ventris ingluuiem præualet & concupiſcentiam: Iuſtitia autem comite, malitiam omnem ſubigit: vincit verò fortitudine iracundiam: at prudenti conſideratione, ſuppeditat timorem & excludit. Idque non quod aſſerat, eas animi affectiones vi illarum virtutum prorſus exinaniri: quin potiùs miſtione quadam eſſe inuicem coniunctas. Neque enim conſideratio ſiue ratiocinatio quantalibet, poſſit ab radice vellere omnem paſſionum intenſionem, ſed in hoc indulta homini eſt, vt ipſi obluctetur & repugnet. Ob hoc ait quidam. Concupiſcentiam nemo veſtrum prorſus extirpare poteſt.*

Placet Pelagij quoque ſententiam adiungere ex epiſtol. ad Demetriad. Quid enim vetat, vel ex ſtercore aurum legere? [Diſtinguendum eſt inter iſtas cogitationes quibus voluntas fauet, quas cum dilectione amplectitur, & inter eas cogitationes quæ tenuis vmbræ modo, præteruolare mentem ſolent: ſeſéque tantummodò vel tranſeundo monſtrare, quas Græci ἰδέας vocant: Vel certè inter illas quæ repugnanti ac inuito animo ſuggeruntur; quibus mens cum horrore quodam renititur ac reſiſtit; quibus vt contriſtatur admiſſis ita gaudet expulſis: in illis quidem quæ ſe leuiter menti oſtendunt, & quaſi fugiendo demonſtrant ſe, nec peccatum omnino, nec pugna eſt. In his autem cum quibus aliquandiu anima luctatur, quibus reſiſtit voluntas, æquale certamen eſt. Aut enim conſentimus, & vincimur: aut reſpuimus, & vincimus, & acquirimus de pugna victoriam. In illa ergo tantummodò cogitatione peccatum eſt, quæ ſuggeſtioni conſenſum mentis dedit, quæ malum ſuum blandè fouet, quæ in factum geſtit erumpere. Huiuſmodi cogitatio, etiam ſi ex aliquo impedita caſu, non impleat voluntatem, nihilominus actione criminis condemnatur.]

Addo etiam impoſſibile fore homini, in hoc ſtatu declinare culpam; ipſóſque Stoicos eam impatibilitatem verbo tenus inuehentes, damnare manifeſtè ſeipſos indolentiæ, & non adeptæ perfectæ virtutis, cùm certum ſit neminem hic degere, huiuſmodi motuum inuoluntariorum expertem: vt liceat ſanè cum Epicteto apud Arrianum lib. 2. cap. 19. in hunc modum Stoicos compellare. [Quis hoc modo eſt Stoicus, quo dicimus ſtatuam eſſe Phidiacam, quia videlicet ſit expreſſa effigies, & exculpta artificio Phidiæ? Ita verè ad conſimilem modum oſtendite mihi aliquem qui dogmata quæ loquitur, ſimulacro ſuæ vitæ exprimat. Oſtendite ægrotum aliquem, qui nihilominus beatus ſit; morientem, & felicem; periclitantem, & tamen non miſerum; exulantem, & bonis tamen abundantem omnibus; contemptum & ignominia notatum, cui tamen nihil deſit. Oſtendite mihi, inquam, cupio per Deos talem videre Stoicum. Non habetis hac effigie expreſſum Stoi-

com

cam aliquem: at artificem & ſculptorem oſtendite, in hoc opus incumbentem. Hoc beneficio, quæſo vos, me afficite, tale ſpectaculum, quale adhuc non vidi, ſeni homini, ne quo minus ſpectet, inuideatis. *Subdit longam deſcriptionem hominis omnibus affectibus liberi, tum concludit.* Oſtendite talem. At non habetis. Quid ergo alios luditis, & dum laruam alienam vobis imponitis, obambulatis tanquam fures veſtimentorum, ſurreptores horum nihil ad vos pertinentium titulorum, & earum quæ vocabulis ſignificantur rerum.]

Stoici non refragati, hac in parte.

30. Neque verò hanc Stoicis mentem fuiſſe, quam ferunt eorum verba, apertè intelligitur ex Seneca lib. 2. de ira cap. 2. [Omnes motus, *inquit*, qui non voluntate noſtra fiunt, inuicti & ineuitabiles ſunt: vt horror frigidâ aſperſis, ad quoſdam tactus aſperatio, ad peiores nuntios ſubriguntur pili, & rubor ad improba verba ſuffunditur, ſequitúrque vertigo prærupta cernentes: quorum quia nihil in noſtra poteſtate eſt, nulla, quo minus fiant, ratio perſuadet. Ira præceptis fugatur: Eſt enim voluntarium animi vitium, non ex his quæ conditione quadam humanæ ſortis eueniunt, ideóque etiam ſapientiſſimis accidunt. Inter quæ & primus ille ictus animi ponendus eſt, qui nos poſt opinionem iniuriæ mouet. Hic ſubit etiam inter ludicra ſcœnæ ſpectacula, & lectiones rerum vetuſtarum. Sæpè Clodio Ciceronem expellenti, & Antonio occidenti, videmur iraſci. Quis non contra Marij arma, & contra Syllæ proſcriptionem concitatur? Quis non Theodoreto, & Achillæ, & ipſi puero non puerile auſo facinus, infeſtus eſt? Cantus nos nonnunquam & concitata modulatio inſtigat. Martius quoque ille tubarum ſonus, mouet mentes, & atrox pictura, & iuſtiſſimorum ſuppliciorum triſtis aſpectus. Inde eſt quod arridemus arridentibus, & contriſtat nos turba mœrentium, & efferueſcimus ad aliena certamina. Quæ non ſunt iræ: non magis quàm triſtitia eſt, quæ ad conſpectum inimici naufragi contrahit frontem: non magis quàm timor, qui Hannibale poſt Cannas mœnia circumſedente, lectoris percutit animum: ſed omnia iſta motus ſunt animorum moueri volentium; nec affectus, ſed principia præludentia affectibus.]

E m x cap. 3. [Nihil ex his quæ animum fortuitò impellunt, affectus vocari debet. Iſta, vt ita dicam, patitur magis animus, quàm facit. Ergo affectus eſt, non ad oblatas rerum ſpecies moueri, ſed permittere ſe illis, & hunc fortuitum motum perſequi. Nam ſi quis pallorem & lachrymas procidentes, & irritationem humoris obſcœni, altúmve ſuſpirium, & oculos ſubito acriores, aut quid his ſimile, indicium affectus, animique ſignum putat, fallitur; nec intelligit, hos corporis eſſe pulſus. Itaque & fortiſſimus plerunque vir, dum armatur, expalluit, & ſigno pugnæ dato, ferociſſimo militi paulùlum genua tremuerunt; & magno Imperatori, antequam inter ſe acies arietarent, cor exiluit: & Oratori eloquentiſſimo, dum ad dicendum componitur, ſumma riguerunt.]

Rnrſus optimè cap. 4. [Vt ſcias quemadmodum incipiant affectus, aut creſcant, aut efferantur, eſt primus motus non voluntarius, quaſi præparatio affectus, & quædam comminatio. Alter cum voluntate non contumaci, tanquam oporteat me vindicari, cùm læſus ſim: aut oporteat hunc pœnas dare, cùm ſcelus fecerit. Tertius motus eſt iam impotens, qui non, ſi oportet, vlciſci vult, ſed vtique qui rationem euincit. Primum illum animi ictum, effugere ratione non poſſumus, ſicut ne illa quidem, quæ diximus accidere corporibus, ne nos oſcitatio aliena ſollicitet, ne oculi ad intentationem ſubitam digitorum comprimantur. Iſta non poteſt ratio vincere: conſuetudo fortaſsè, & aſſidua obſeruatio extenuat.]

Tandem luculenter epiſt. 57. [Senſi quendam ictum animi, & ſine metu mutationem, quem inſolitæ rei nouitas ſimul ac fœditas fecerat. Non de me nunc tecum loquor, qui multum ab homine tolerabili, nedum à perfecto abſum, ſed de eo in quem ius fortuna perdidit. Huius quoque ferietur animus, mutabitur color. Quædam enim ſunt, mi Lucili, quæ nulla virtus effugere poteſt: admonet illum natura mortalitatis ſuæ. Itaque & vultum adducet ad triſtitiam, & inhorreſcet ad ſubita, & caligabit, ſi vaſtam altitudinem in crepidine eius conſtitutus deſpexerit. Non eſt hic timor, ſed naturalis affectio inexpugnabilis rationi. Itaque fortes quidam & paratiſſimi fundere ſuum ſanguinem, alienum videre non poſſunt. Quidam ad vulneris noui, quidam ad veteris & purulenti tractationem inſpectionémque concidunt, & linquuntur animo. Alij gladium faciliùs recipiunt, quàm vident. Senſi ergo, vt dicebam, quandam non quidem perturbationem ſed mutationem.] Et tam cõſtanti, hominis Stoicorum placitorum peritiſſimi, aſſertione, conſtat, motus primos naturaliter exurgentes, quicunque tandem illi ſint, non inquinare ſapientem, & in eum ſalua ſapientia, ſiue virtutis perfectione cadere, etiam de Stoicorum ſententia.

Paſsiones quoque, vltrò aduocatas, cadere in ſapientem. Exemplum Chriſti.

31. At ſi ſermo ſit de motibus animæ, ſiue affectibus liberis, & vel vltrò quæſitis, concitata ad id per liberam voluntatem natura; vel ex quo per naturam exurrexerint, liberè retentis; cenſentur Stoici diſſenſiſſe, & negaſſe vllos tales affectus in ſapientem cadere ſine noxa & labe, atque adeò quin ſapientiæ decore, & incontaminatæ virtutis gradu excidat. Sed quicquid ſit de Stoicorum mente quam poſtea inueſtigabo, certum omnino eſſe debet, placitum eis tributum, reiiciendum eſſe, & dogma contrarium eſſe indubitatum.

Idque in primis confirmat exemplum Chriſti ſeruatoris noſtri, quem paſſiones admiſiſſe, S. Thomas quæſt. 26. de verit. art. 8. *in fine corporis*, allegato D. Auguſtino 14. ciuit. cap. 9. perſpicuè docet. Sed pulchrè inſuper Auguſtinus tract. 60. in Ioan. ad illud, *turbauit ſemetipſum*, non ſine ſannis in contrariam philoſophiam. *Quando*, inquit, *turbatur, qui non turbaretur niſi volens, eum conſoletur qui turbatur & nolens. Pereant argumenta Philoſophorum, qui negant in ſapientem cadere perturbationes animorum.* Stultam fecit Deus ſapientiam huius mundi: *Et dominus nouit* cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt. *Turbetur planè animus Chriſtianus, non miſeria, ſed miſericordia; timeat ne pereant homines Chriſto; contriſtetur cùm perit aliquis Chriſto concupiſcat acquirere homines Chriſto, lætetur cum acquiruntur homines Chriſto; timeat ne ſibi pereat & Chriſto; contriſtetur peregrinari ſe à Chriſto: concupiſcat regnare cum Chriſto, lætetur dum ſperat ſe regnaturum eſſe cum Chriſto. Illa ſunt certè quatuor, quas perturbationes vocant, timor & triſtitia, amor & lætitia: Habeant eas iuſtis de cauſis animi Chriſtiani, nec Philoſophorum Stoicorum vel quorumcunque ſimilium conſentiatur errori, qui profectò quemadmodum vanitatem exiſtimant veritatem, ſic ſtuporem deputant ſanitatem, ignorantes ſic hominis animum, quemadmodum corporis membrum deſperatiùs ægrotare, quando &*

doloris amiſerit ſenſum. Idem docet indiuiduus Augustini aſſecla Proſper ſuprà; qui profert etiam Apoſtoli, & Pſaltis, aliorúmque Sanctorum exemplum.

Quanquam quod ad Chriſtum attinet, non pauci hanc ei reuerentiam deferunt, vt nolint affectus, quos admittebat Chriſtus, nominari ſimpliciter paſſiones, ſed propaſſiones, quòd rationem non præuenirent vnquam, neque ad peccatum inclinarent. Vocem propaſſionis vſurpauit S. Hieronymus, ad illud Matth. 26. *Triſtis eſt anima mea*, & ad illud Matth. 5. *Qui viderit mulierem*. D. tamen Hieronymus, videre poterit aliter ſūpſiſſe propaſſionē, quam fecerint qui propaſſiones in Chriſto admittunt. Vſurpaſſe enim videtur propaſſiones, pro primo motu inuoluntario, & prorſus naturaliter præueniente rationem ac libertatem, quæ eſt notio propaſſionis è diametro pugnans cum ea quam eidem voci ſubiiciebant prædicti autores, paſſionum Chriſti inficiatores, propaſſionum aſſertores. Et apud eum in hanc rem locus illuſtris epiſt. 9. ſic enim ad Saluinam ſcribit. [Difficilè eſt, qui potius impoſſibile, perturbationum initiis carere quempiam quas ſignificantius Græci *προπαθείας* vocant: nos vt verbum vertamus è verbo, antepaſſiones poſſumus dicere, eo quòd incentiua vitiorum, omnium titillent animos, & quaſi in meditullio, noſtrum iudicium ſit, vel abiicere cogita vel recipere.] Et vt multis in eam rem prolatis partim ſacris, partim profanis teſtimoniis: ſubdit: *ſicut iraſci hominis eſt, & iram non perficere Chriſtiani; omnis caro concupiſcit quidem ea quæ carnis ſunt, & quibuſdam illecebris ad mortiferas animam voluptates trahit: ſed noſtrum eſt voluptatis ardorem maiori Chriſti amore reſtinguere, & laſciuiens iumentum frænis inediæ ſubiugare, vt non libidinem ſed cibos quærat ardeſideret, & ſeſſorem Spiritum ſanctum, moderato atque compoſito portet inceſſu. Quorſum iſta: vt hominem eſſe te noueris, & paſſionibus humanis niſi caueris ſubiacere.* Homines ſumus iuxta Hieronimum, ſentiendo incentiua vitiorum, ſiue primos pulſus cogitationum quos in c. 18 EZech. vocat, *primos & ſecundos ſtimulos cogitationum*; primos quidem quatenus ſuboriuntur in ſenſu, ſecundos verò quatenus in parte ſuperiori: & vtroſque negat vitio verti, quod ſubiti ſunt, & voluntatem anteoccupent; vnde niſi tranſeant in affectum cordis, & de propaſſionibus euadant in paſſiones, vt loquitur in c. 5. Matth hoc eſt niſi efficiantur voluntarij ac liberi vacāt labe. Hinc haberi videtur S. Hieronimum propaſſionum nomine intelligere motus inuoluntarios quales non ſunt qui in Chriſtum cadunt: Nihilominus agnoſcenda quoque eſt alia propaſſionis notio apud S. Hieronimum. Nam in c. 26. citatum ait, Chriſtum Dominum, iuxta Euangeliſtam, cœpiſſe contriſtari quia propaſſionem duntaxat excepit, nec in eius animo, paſſio dominata eſt; quod, quantum ad affectum triſtitiæ attinet, eſt incipere contriſtari, non autem ſimpliciter & abſolutè contriſtari. Non vult autem S. Hieronimus has antepaſſiones fuiſſe Chriſto non liberas, nec potuiſſe ab eo præcaueri aut præcludi priuſquam exurgerent, vt nobis contingit. Hoc enim dicere eſſet contra Chriſti dignitatem peccare. Ergo aliter in nobis, aliter autem in Chriſto vſurpat propaſſiones: ita vt cum in nobis duo habeant paſſiones, nempe & quod rationem præueniāt, & quod voluntati poſtquam eis per conſenſum ſe ſubdidit, dominentur ex hoc duntaxat ſecundo capite propaſſiones dicantur in Chriſto, c. 1. quatenus nunquam in eo pertigerunt ad eam vim quam in nobis habent primi motus non compreſſi; vt ſcilicet rationem obnubilēt, & in voluntatem exerceant dominium. Hoc quia non habuere Chriſti affectus vlli, idcircò dicti ſunt à Hieronimo *propaſſiones* vel *antepaſſiones*, quāuis in Chriſto eſſent omnes liberrimi, nec rationes vel poſitiuè aduocantis, vel exurgere ſinentis, arbitrium anteuerterent, quæ eſt *propaſſionis* notio iuxta quàm vulgò tribuuntur Chriſto propaſſiones ex Hieronimo. Eodem autem ſenſu quo paſſim Chriſti paſſiones vocantur propaſſiones, Euſebius Theſſal. apud Phot. cod. 16. vult affectus in Chriſto vocari *opera naturæ*. Eò quippe duntaxat ſpectaſſe videtur, vt doceret, paſſiones in Chriſto, vitio vacaſſe, Sed de eo exemplo non plura hoc loco,

Vſus paſſionum, etiam in ſapiente, ex Ethnicis.

32. Accedit in rem noſtram manifeſta ratio; nam paſſiones etiam cùm deliberatè vigent, ex ſe non ſunt peccata, formaliter & propriè; quin potius, vt ex Ariſtotele loquitur Seneca lib. 1. de ira c. 16. ſi quis illis benè vtatur, pro armis ſunt. Expono hoc inſigni oratione Themiſtij lib. de amore liberorum cuius fragmentum exhibet Stobæus ſerm. 1. *Sic autem & hominem imbutum eſſe neceſſe eſt, gaudio, & dolore, & reliquis omnibus affectibus, vehementiore tamen, & magis durabili de re. Atque hoc ipſum etiā Æſopus affirmat. Lutum enim Prometheus ex quo hominem effinxit, non macerauit aqua ſed lachrymis. Non igitur qui extirpemus eos, tentandum eſt: impoſſibile enim. Sed ſi quo modo detur, extenuanda eorum vires, & mitigandi ſedandique ſunt, ferendique quantum queas, & ratione regendi: curari enim colique, non admodum ſe difficiles præbent. Atque iſto pacto ſi eos moderere, apparebunt vtiles & commodi ex inutilibus & noxiis facti. Neque enim Deus eos inſeuit homini in hoc, vt noxam & probrum ei conciliens, ſed eos quoque ad durationem & ſalutem generis, animæ attexuit & coniunxit Iram quidem, vt nocitura propulſemus: appetitum verò cibi & potus ad inſitum & neceſſarium corporis noſtri per diuerſos meatus effluxum. Et ſic ſanè aliud ad aliam certam deſtinatum eſt corporis ſortē, conditionèmve, manere autem quemque oportet intra ſuos fines Iſque præſcriptus modus cuiuſque, ſit virtutis; partis quidem iraſcibilis, fortitudo: concupiſcibilis verò, Temperantia; amoris pecuniæ & lucri, Liberalitas & Magnificentia, facultatis verò quæ ſtuet & admiratur honores, & potentiam, & primas dignitates, eius eſt mediocritas ipſa Magnanimitas, Si autem relinquantur incompoſiti, nec ratio adhibeat cultum, perinde vt plantæ ſatiuæ, & bonæ, negligente agricola, ſtatim efferantur & petulantes fiunt, & ſupullulant vitia, ſeu ſpina horrida, noxia, & venenata; cum aliis, tum illi potiſſimùm qui poſſidet.*

Conſenſus Patrum, cùm vniuersè.

33. Eadem frequenter Doctores Chriſtiani Lactantius lib. 6. cap. 15. *Affectus, quaſi vbertas eſt naturalis animorum. Nam ſicut in ſentes ager, qui eſt naturâ fœcundus exuberat, ſic animus incultus vitiis ſua ſponte inualeſcentibus, velut ſpinis obducitur. Sed cùm verus cultor acceſſerit, ſtatim cedentibus vitiis fruges virtutis oriuntur. Deus itaque cùm hominem primum fingeret mirabili prouidentia, ingenerauit ei priùs iſtas animi commotiones, vt poſſet capere virtutem ſicut terra culturam, poſuitque materiam vitiorum in affectibus; virtutis, in vitiis: quæ profectò aut nulla erit, aut in vſu eſſe non poterit, ſi deſint ea, per quæ vis eius aut appareret, aut conſtat.*

Conſonant vno ore, Græci PP. *Paſſiones*, ait Damaſcenus orat. de duabus Chriſti voluntatibus, *datæ ſunt homini, conceſſu Dei ad munera exequenda, cupiditas, vt Deo eiuſque præceptis pareamus ira autem, vt diabolo & peccato reſiſtamus, confirmemuſque cupiditatem* Expreſſit planè Chryſoſtomum homil. 2 in ad

Ephel. *in fini.* Pulcherrimè prætetea oſtendit Damaſcenus,hoc eſſe hominis regnum,&hac ſui ipſius repreſſione, & (vt ad idem inſtitutum loquitur Chryſoſt. homil. 25. ad popul.) belluarum, quæ in nobis ſunt frænatione, vigere legis diuinitus impoſitæ poteſtatem, hominique magnam gloriam parari, quòd rebellante licet inteſtino hoſte, diuinis nihilominus mandatis contrariom ferentibus inhæſerit. Similiter, de bellois paſſionum intra hominem ſtabulantibus, & hominis in eas dominio, philoſophantur. Philo l. de Agricult *ſub initium*, Syneſ. orat. de regno, Nyſſ. orat 1. de hom. creat. Iſid. Peluſ. 4 epiſt, 195. & latè Dio Chryſoſtom. orat. 5.

Sed explicatiſſimè hunc paſſionum fructum, & optimum vſum, his verbis aperit Maximus centur. 1. ex variis cap. 66. *Etiam proſunt affectiones apud ſtudioſos.quando ſapienter illas à rebus corporeis auocantes,ad cœleſtium adeptionem conuertimus veluti quando ex cupiditatis affectu,efficimus motum animi diuina expetētis Ex voluptate,lætitiām incolumē efficacia viroſcētis propter diuina chariſmata animi: E metu,ſollicitudinē proul obſeruantē ſupplicium ob delicta inferendum: Et triſtitia præſentis mali correctiuam pœnitentiam. Atque vt paucis dicam, more ſapientum medicorum, qui depellere volentes præſentem aut imminentem gibberem, vtuntur venoſo vipera corpere: Sic vtamur affectionibus huiuſmodi, ad expellendum præſens aut impendens vitium, & ad comparandam aut conſeruandam virtutem & cognitionem,*

Nyſſenus optimè orat. 2.de beatitudinibus, agens de affectuum moderatione, ſub nomine lenitatis. [Deus,non penitus vacuitatem affectouim & impaſſibilitatem, humanæ naturæ præſcribit. (Non enim æqui lægiſlatoris eſt ea iubere, quæ natuta non capit, nec admittit. Nam id perinde eſt, ac ſi quis aquatilia traducat ad aëream vitam aut;contra ad aquā deducat ea, quæ in aëre viuunt, ſed conuenit ad proprias & naturales vires aptam & accommodatam eſſe legem) Idcirco vt moderati pariter & lenes ſimus, non vt affectuum prorſus expertes, & à perturbationibus omnino vacui, beatificatio nos hortatur. Nam hoc quidem excedit naturam, illud verò virtute conſicitur. Si igitur immobilitatem ad cupiditatem beatificatio inſtitueret, nullus vſus eſſet, nihilque adiumenti ad vitam benedictio afferret. (Quis enim carni & ſanguini coniunctus, id aſſequi poſſet) Nunc autem, non eum qoi aliquo caſu concupierit, ſed qui conſultò vitium ſibi aſciuerit & contraxerit, condemnandum eſſe ait. Nam vt innaſcitur aliqoando talis appetitus, ſæpè infirmitas inſita naturæ. etiam præter animi ſententiam efficit. Verùm non In modum torrentis, impetu perturbationis tranſuerſum rapi, ſed viriliter aduerſus eiuſmodi diſpoſitionem, & affectum conſiſtere, & rationibus pertorbationem diſcutere, atque ſummouere, hoc virtutis eſt opus. Beati igitut illi qui ad perturbatos & vitioſos animi motus, non procliues, præcipites atque propenſi, ſed ratione ſedati ſont: In qoibus ratiocinatio, veluti frænum quoddam, impetus reprimens, non ſinit animum ad immodeſtiam, inſolentiam, ac perturbationem, rapi atque efferri. Pulcherrimè de his, vt vocat animæ *verrucis*, earúmque vſu idem Nyſſenus Dialogo cum Macrina.]

Tum ſigillatim, quoad ſpeciales pleraſque paſſiones.

34. Porrò quod hactenus vniuerſè de omnibus affectibus, pulcherrimè in ſpecie de ira tradidit Diadochus cap. 62 & Nemeſius cap 21.vocans iram *ſatellitium rationis*, quem modum loquendi ab Ariſtotele vſurpatum,ſupra ex Seneca notaui, n. 32. Et vſurpauit etiam Philo l.de Sacerd. honor. deſcribens pectus tanquam arcem munitiſſimam, officiium validiſſimorum compage firmatam,& neruis adſtrictam, in qua vis iraſcibilis locata ſit,ceu miles in præſidio. Plenè in eandem ſententiam S Baſilius hom. 10. variorum argumentorum locum planè luculentum & huic loco conuenientiſſimum, non patior deſiderari. [Si fortè ira in cogitationem veniat,aut cadat,eam ita retineamus,vt equum iugalem,nobis ratione, vt fræno quodam obtemperantem, ac ordinem proprium nequaquam excedentem;& via ingredientem, qua à mentis recto conſilio dirigitur. Eſt enim pars animi iraſcibilis, nobis ad multa virtutum opera neceſſaria. Quando veluti miles quidam apud ducem arma ſumens,paratus eſt eius iuſſu auxilium præbere;ſic iracundia rationi adiutrix contra peccatū fuerit.Neruus eſt animæ quidam indignatio;Fortitudinem conſtantiámque ac robur,ad res benè & ordine agendas præbens,quæ animam fortè voluptate delinitam,ac laſciuientem veluti ferro quodam cohibens, auſteriorem fortiorémque ex molli ac remiſſa reddit. Nec enim ſi contra iniquitatem deſit indignatio & ira, ſatis eam odio quo decet perſequi poteris.Quamobrem ſic exiſtimo, æquè circa diligendam virtutem ſtudium habere;atque aduerſus vitium,odium retinere oportere. Ad quod maximè vtilis indignatio: Quoniam veluti canis paſtori,ſic ira rationi obediens, mitis quidem ac manſueta iuuantibus eam,& à ratione reuocabilis erit. Nam canis ad vocem & aſpectum alienum,toruus & agreſtis,etiamſi palpari ſe videat:notos verò & amicè alloquentes timere admodum,ac vereri videtur. Ira ſimiliter optima eſt,& commenſurata iracundiæ,opitulatúrque animæ prudenti.Inſuper cum inſidioſis non facilè conciliatur,aut conſuetudinem habet. Nullam denique beneuolentiam erga ea quæ nocent,retinet, ſed aduerſus voluptatem inſidiantem, veluti lupum quendam,allatrare continuè videtur.Sic itaque ex ira viris prudentibus vtilitas capitur.]Similiter ait,in alis quoque paſſionibus philoſophandum.

Egregiè etiam Chryſoſtomus in Pſal.4. ad v.5.expendens verbum illud Pſaltis.*iraſcimini & nolite peccare*. demonſtrat,idcirco conceſſum iræ vſum, quòd multæ ſint eius vtilitates.Duntaxat cauendum eſſe ne efferueſcat ſuprà quàm par eſt, & ratio præſcribit; hanc enim eſſe peruerſionem inſtrumenti alioqui vtilis.Efferueſcere autem dicetur,ſupra debitam menſuram,ſi Sol occidat ſuper iracundiam noſtram:id eſt, ſi per iram ratio perturbetur,ait Caſſianus coll.7.cap.4. Sic autem poſt multa concludit Chryſoſtomus. [Ne ergo temerè iraſcamur. Ira enim in nobis ideò inſita eſt,non vt peccemus,ſed vt alios peccātes prohibeamus: non vt fiat animi perturbatio & ægritudo, ſed vt ſit ægritudinum & perturbationum remedium. Cogita apud te quàm ſit inſigne vitium,quando medicamentum, venenum efficitur: quando per quod aliorum vulneribus medendum eſt,per id vulnera infligimus. Quemadmodum ſi quis accepto ferro, vt quæ in aliis putrefacta ſunt excindat,ſeipſum vbique concidat,ſe per totum corpus ſaucians. Vel gubernator per clauum cymbam ſubmergat, per quem,ventorum impetentium impetus oportebat cohibere. Huiuſmodi eſt etiam ira. Vtile inſtrumentum,vt noſtram excitet ſomnolentiam; vt animum noſtrum incendat,viréſque & robur addat; vt nos acriores efficiat; vt pro his indignemur,qui ſunt affecti iniuria; vt ad pœnas de inſidiatoribus ſumendas nos moueat. Ea de cauſa dicit, Iraſcimini, & nolite peccare.Quòd ſi hoc fieri non poſſet, minimè præcepiſſet. Quæ enim fieri non poſſunt,nemo præcipit.

35.Sed perpulchrè in eandem ſententiam,hom.30.

ad pop. *Canis eſt impudens ira, ſed legem audire diſcat. Si fuerit canis in grege tam ferus, vt non obediat iubenti paſtori, nec eius vocem agnoſcat, omnia perdita ſunt & corrupta. Cum ouibus paſcitur, ſed ſi oues guſtauerit, inutilis eſt, & iugulatur. Sed ſi te diſcat audire, ale canem. Vtilis erit contra lupos, & contra piratas, contra latronum principem, non aduerſus oues, non aduerſus domeſticos: Si non audiat, omnia corrumpit: Si contemnere didicerit, omnia perdit. In te manſuetudo non abſumatur, ſed ei cuſtodiatur ira, & pinguis reddatur, & in tuto paſci curabit, ſi ſceleſtas cogitationes & improbas abſumat, ſi diabolum vndique pellat.* Et mox, *Propterea talis eſt canis multum latrans, eſt funda nobis & lapis, noſtis quod dicitur: eſt & haſta nobis, & mandra, & ſtabulum. Cogitationes innoxias cuſtodiamus. Si canis ouibus quidem aduletur, aduerſus autem externos ſauiat & vigilet, hac eſt canis virtus: Et licet eſuriat, ex ouibus non guſtare, & licet in ſaturitate ſit, lupis non parcere. Talis eſt & ira. Sine quis mordeat, ab humanitate non recedere: ſine quieſcat, aduerſus malas inſurgere cogitationes. Et proprium quidem & proximum non derelinquere, ſed agnoſcere. alienum autem & adulando lædere.* Similia homil. 17. in acta.

Magiſtrum expreſſit Iſidorus Peluſ. libr. 1. epiſt. 280. tametſi ſub alia metaphora. *multi te*, inquit, alloquens Chryſanthum, *vt iniuriarum memorem traducunt, malis armis, hoc eſt iracundia vtentem, quam Creator, an ma opulatricem adhibuit, vt corporis ignauiam ac mollitiem corroboret. Quamobrem, ſi vera loquuntur, conſtat, te Creatoris ſcopum ignorare: vt qui ferro ad cædem, & pulchritudine ad fraudem, & lingua ad conuitium abutaris, & honorum datorem, malorum autorem facias: Fac igitur, frænum iracundiæ quàm ocyſſimè iniicias, ne te in exitum, præcipitem agat.* Similiter lib. 3 epiſt. 14. de honoris cupiditate diſputans, præclarè tradit effectum illum naturæ noſtræ inſertum fuiſſe, ad ſeruile turpium ac ſordidorum morum iugum repellendum; nec gloriæ ſtudium in nobis naturaliter germinans, malum ex ſe eſſe, ac reſecandum, ſed vitioſos duntaxat motus, ex ſeminibus illis, quæ naturæ autor indidit, enaſcentes, eſſe amputandos, hoc eſt, eam gloriæ appetentiam, quam naturaliter congenitam habemus, ad gloriam nobis coram Deo comparandam, transferri oportere. Ipſas quoque fœdas cupiditates, quæ de carnis noſtræ vligine, innato nobis æſtu ſubuehuntur, mirum in modum commodare animæ, & eius vtilitati inſeruire, demonſtrat eiuſdem Iſidori quandoque condiſcipulus; Caſſianus coll. 4. capit. 17. & coll. 12, cap. 5.

Idem de aliis omnibus paſſionibus iudicium.

36. Quod hi Doctores ſigillatim de hoc aut illo affectu tradunt, æquè de aliis quibuſuis dictum cenſeo. Nam eſt quarumcunque, quoad hoc par ratio. Et idcirco idem Caſſian. lib. 7. de inſt. cap. 3. & 4. vniuersè ſtatuit, affectus omnes vtiliter nobis inſertos eſſe, idque latè demonſtrat Iouianus Pontanus lib. 1. de Fortitud. cap. 2. Vniuersè item & optimè S. Baſil. in conſtit. mon. cap. 3. illorum errorem refellens, qui corpus culpabant, quòd ſit origo & ſedes paſſionum, ita philoſophatur. [Vt luculenta quædam res, ac per ſe bona, equus eſt, & quo is natura ferocior eſt, ac vehementior, eò præſtantior haberi ſolet: ſeſſore tamen perito eget, moderatoréque nempe qui ipſe rationis ſit expers. Enimuerò in eum vbi moderator aſcenderit, ille quidem conabitur vti ingenio ſuo: hic ſi naturales, rector iumenti motus rectè ac ratione inſidens gubernet, præterquam quòd ipſo vtiliter vſus eſt, etiam ad finem, quem ſibi propoſuit, peruenit: nempe qui & ipſe, incolumis ſeruatus ſit, & iumentum ad vſum ſibi commodiſſimum eſſe intellexerit. Contra verò vbi pullum, qui in frænando præeſt, vitioſè inſtituerit, & pullus ſæpenumerò ab recta via aberrat & per confragoſa ruens, ſe & ſeſſorem ipſum plerumque in eandem ruinam dat, & vtriuſque caſus, non aliunde, quàm ex rectoris ignauia proficiſcitur: Similem etiam in animo quoque & corpore eſſe exiſtimare rationem debes. Neque enim temerè tributi corpori appetitus ſunt, ſed vt ad res aliquas, prorſus vtiles eſſent & commodi.]

Paſſionum reſectio, hominis exſectio.

37. Itaque qui hominem, naturalibus his ad virtutem & magna quæque opera, inſtrumentis exarmant; ἀπάθειαν autem viro probo ac virtute exornato, ſiue (vt loquuntur,) ſapienti indicunt: hominem, quod dixit Lactantius l. 6. cap. 15. quodammodo caſtrant, & malè omnino cum eo actum volunt. Vel vt S. Hieronymus epiſt. ad Creſiphontem, *initio*. rectè dixit, *hominem ex homine tollunt, & in corpore conſtitutos, volunt eſſe ſine corpore*. Homo enim imperturbabilis, aut ſaxum aut Deus eſt, vt ibid. ait. Conſonátque Auguſtinus 14. ciuit. cap. 8. Pelagij ἀπάθειαν tacitè ſugillans his verbis. [Ciuitas, hoc eſt, ſocietas impiorum, non ſecundùm Deum, ſed ſecundùm hominem viuentium, & in ipſo cultu falſæ, contemptúque veræ diuinitatis, doctrinas hominum dæmonúmve ſpectantium, his affectibus prauis tanquam morbis, & perturbationibus quatitur. Et ſi quos ciues habet, qui moderari talibus motibus, & eos quaſi temperare videantur; ſic impietate ſuperbi & elati ſunt, vt hoc ipſo in eis ſint maiores tumores, quo minores dolores. Et ſi nonnulli tantò immaniore quantò rariore vanitate, hoc in ſeipſis animaduerterint, vt nullo prorſus erigantur & excitentur, nullo flectantur atque inclinentur affectu; humanitatem totam potius amittunt, quam veram aſſequantur tranquillitatem. Non enim quia durum aliquid, ideo rectum; aut quia ſtupidum eſt, ideò ſanum.]

Accedit etiam Lactantius lib. 6. cap 17. [Nihil aliud, *inquit*, dixerim quàm inſanos, qui hominem, mite ac ſociale animal, orbant ſuo nomine: Qui euulſis affectibus, quibus omnis conſtat humanitas, ad immobilem ſtuporem mentis perducere volunt, dum ſtudent animum à perturbationibus liberare, & (vt ipſi dicunt) quietum, tranquillúmque reddere. Quod fieri tamen non poteſt, quia vis & ratio eius in motu eſt. Sed ne oportet quidem: quia ſicut aqua ſemper iacens & quieta, inſalubris & magis turbida eſt: ſic animus immotus ac torpens, inutilis eſt etiam ſibi nec vitam ipſam tueri poterit: quia nec faciet quicquam, nec cogitabit, cùm cogitatio ipſa nihil aliud ſit, quam mentis agitatio. Denique qui hanc immobilitatem animi aſſerunt, priuare animum vita volunt; quia vita, actuoſa eſt; mors, quieta.

38. Laudat Flaccum, grauiſſimum, (vt vocat.) Poëtam S. Hieronymus epiſt. ad Creſiphontem. quod iuxta eum, *vitiis nemo naſcitur: Optimus ille eſt, qui minimis vrgetur*. Huc denique illud Tertulliani aptè cadere ait, Patriarchas hæreticorum eſſe Philoſophos, quandoquidem error hic Euagrij, Pelagij cæterorùmque ementitæ virtutis, & prætenſæ imperturbationis autorum, de Pythagoræ, & Zenonis, Principis Stoicorum, fontibus hauſtus eſt, eodem autore D. Hieronymo vt iam notaui num. 28. Præſertim tamen Stoicis id vitio verſum, ibidem retuli,

&

& nemo neſcit. Sanè idcirco Herodes Atticus apud Gellium lib. 19. cap. 12. iocatur, Stoicos, dum hominem eneruant, non multum abſimiles eſſe ruſtico illi Thraci, colendi ruris inſolenti, qui cùm vidiſſet vicinum fraxinos deputantem, ſtolones vitium atque olearum proceros abſcindentem, ratus ſe iam nactum rei ruſticæ diſciplinam, ad agrum quem in vicino mercatus fuerat, properans, oleam ſibi atque vitem omnem miſer detruncat, comas arborum lætiſſimas, vitiúmque vberrimos palmites decidit, atque cum luxuriantibus & caprientibus arborum ramis, cum ſentibus & rubis, fruteta quoque & virgulta frugibus pomiſque gignendis fœlicia, purificandi agri gratia conuellit. Ita planè Stoicos, dum omnibus animi affectibus amputatis, hominem abſque materia ſtatuunt, vigoribus illis animorum & alacritatibus, quæ cum motibus illis naturæ luxuriantis iunguntur, eum ſpoliantes, hominem ipſum de homine tollere, atque euertere, erepta nobis ſenſus noſtri parte optima, vt Iuuenalis ſatyra 15. rectè appellauit. Idem illis latè exprobrat Plutarchus, ſub finem libri de virt. morali.

Pythagoras an ἀπάθειαν, inuexerit.

39. Verùm quòd ad Pythagoram attinet, placuiſſe illi ἀπάθειαν, non memini alibi legere. Imò Archytas Pythagoræus, apertè eam reprobat l. de doctrina morali, his præter cætera. [Non morbi & doloris expertem, audeant bonum pronunciare: nec vacuum omni mœrore, temerè & confidenter dicant. Sicut enim corpori dolorem ferentia quædam relinquimus; ſic & animis quæ mœrorem pariant. Sed inſipientum quidem dolores, carent ratione: ſapientum verò non vltra progrediuntur, quàm ratio rebus componendis ſollicita permittit. Sed & iactantia illorum de indolentia, amittit virtutis generoſitatem, ſi ardois & non paruis malis; morti nempe, & cruciatui, & paupertati contra eat. Facilè enim ſuperantur, quæ mala parua ſunt. Exercendi igitur ſumus, vt mediocritatem affectuum attingamus, quo & doloris immunitatem æquè ac exceſſum vitemus, nec quàm pro noſtra natura, maiora iactemus.] At hoc ipſum eſt quod S. Hieronymus epiſt. cit. imperturbationi Pelagij opponit.

Theages item Pythagoræus l. de virtute, poſt plurima in eandem ſententiam, concludit in hunc modum. [Oportet virtutem, quæ eſt habitus decori, & mediocritas affectuum, nec ſine motibus, neque nimis affectibus obnoxiam eſſe. Nam affectuum vacatio, immobilem, & carentem alacritate reddit animam, vel ad honeſta: Eorundem verò vehementior motus, conturbatam & ſtupidam efficit. Oportet igitur affectum non aliter oſtendi, in virtute quaſi latentem, quàm vmbram & lineam in pictura. Ipſum enim ſpirans & amœnum, & quod exprimit rem ipſam, adiutum bonitate colorum, potiſſimum per illa effingitur. Animati enim ex cogitatione, & inſtinctu diuino virtutis naturalis, affectus animæ fiunt. Naſcitur enim ex affectibus virtus: & eadem nata, rurſus cum ipſis coagmentatur. Perinde vt concinna modulatio, ex acuto & graui; & temperatum, ex calido & frigido; & ipſum æquilibrium, è graui & leui. Non ergo tollere oportet paſſiones animæ, hoc enim inutile: ſed aptare ad id, quod rationem decori & mediocritatis habet.]

Alibi etiam eodem opere. *Quoniam moralis virtus circa affectus verſatur; inter affectus verò excellunt voluptas & dolor; patet quòd non in hoc vt eximantur affectus ex anima voluptas & dolor, virtus conſiſtit & vertitur: ſed in hoc, vt illi congrui aptique reddantur. Nec enim ſanitas, quæ temperies quædam eſt corporis virium, auferendo frigidum, & calidum, & humidum, & ſiccum, contingit: ſed ex eo quòd iſta omnia temperata inſint. Eſt enim ſanitas, quædam quaſi illorum conueniens menſura, proportióque. Nec in muſica ſi adimas acutum & graue, conſonantia efficitur: ſed ſi hæc quodam modo iuncta, concinnam modulationem acuti & grauis tonis fecerint, ibi & concentus percipitur, & diſſonantia expellitur. Quòd ſi conueniant inter ſe calidum & frigidum, itémque humidum & ſiccum, ſanitas conſtat, morbus autem abit. Apte item ſi quadrent ira & concupiſcentia, vitia quidem & affectus euelluntur, virtutes verò & mores inſtruuntur.* Similia extant apud Metopum Pythagoræum l. de virtute, & paſſim apud alios Pythagoræos, quorum fragmenta ſuperſunt. Imo Platonem & Ariſtotelem, a Pythagoræis hauſiſſe ſententiam quam tradimus, ſuſpicatur Max. Tyrius, referendus num. 45. Nec refert quod Teles item Pythagoræus, librum de imperturbatione ſcripſerit, è quo extant apud Stobæum ſerm. 108. quam plurima. Nam ille Stilponis auditor, à Pythagoræis deflexiſſe videtur hac in parte.

Stoicos, ſolis vocibus, à reliquis in hoc puncto diſcrepaſſe.

40. Quòd item ad Zenonem ac Stoicos attinet, tametſi certum eſt, eos nomine tenus, excluſiſſe à ſapiente ſuo, paſſiones: Tamen reipſa eas admiſiſſe, dummodo moderationem interuentu virtutum ſuſciperent, multa demonſtrant; ex quibus conſtabit, Peripateticos, quos Stoicis fortiſſimè obluctatos, docet ſupra S. Hieronymus; nouos item Academicos, queis Tullium adhæſiſſe ait, & coniunctis viribus Stoicam impaſſibilitatem oppugnaſſe, reipſa conſenſiſſe cum Stoicis, nec vllum inter vtramque illam Philoſophorum factionem, niſi verborum fuiſſe diſſidium. Id vt euincam, profero in primis Epicteti ac Senecæ, (inſignium vtique Stoicorum,) nonnulla loca in hanc ſententiam: Tum vniuersè, idem aliis quoque Stoicis viſum, teſtibus locupletibus productis docebo.

Epictetus ergo apud Arrianum lib. 2. cap. 20. ita loquitur: *Enimuero qui poteſt olea non moueri prout fert natura ipſius? aut vitis quodnam aliud eſt opus quàm quale ei natura definiuit? Neque enim vel olea vitis, vel vitis oleæ poteſt opus præſtare: tantum enim abeſt, vt id fieri poſſit, vt ne coniectura quidem aliquo fingere iſtud liceat. Quocirca nec homo omnino affectionum humanarum expers eſſe poterit.* Alium inſignem Epicteti locum ex lib. 5. diſſertationum Arriani profert Agellius lib. 19. noctium Attic. cap. 1 quem, quod à D. Auguſtino 9. Ciuit. cap. 4. & l. quæſtionum in Geneſ. cap. 30. palmaris habeatur, pronuncietúrque apertè prodere quod quærimus, iuuat adſcribere ex Gellio, qui ſe eum in Arriani libro legiſſe profitetur prolatum à Philoſopho Stoico, cui quòd in tempeſtate expalluiſſet, nebulo, ea diſcuſſa; inſultabat, tanquàm Stoicæ imperturbationis oblito. Eum verò ille imprimis auertit dato acerbo reſponſo, ei gemino, quo Ariſtippus ſimiles ſannas, depulit: Philoſopho ſcilicet, metuendum fuiſſe pro anima, quam habet pretioſiſſimam, non nebuloni pro viliſſima anima: Præterea adducto eo quod dixi Epicteti Stoici teſtimonio, Zenonis & Chryſippi decretis conſentaneo, docuit Stoicos non omnino eradicatos velle affectus, ſed moderatos & compreſſos intra rationis orbitam.

41. Locus ille Epicteti ſic habet. [Viſa animi quas

φαντασίας Philoſophi appellant, quibus mens hominis, prima ſtatim ſpecie, accidentis animum rei pellitur, non voluntatis ſunt, neque arbitraria, ſed vi quadam ſua inferunt ſeſe hominibus noſcitandæ. Probationes autem quas συγκαταθέσεις vocant, quibus eadem viſa noſcuntur, ac diiudicantur, voluntariæ ſunt, fiúntque hominis arbitratu. Propterea cùm ſonus aliquis formidabilis aut cœlo, aut ex ruina, aut repentinus neſcius periculi nuncius, vel quid aliud eiuſmodi factum, ſapientis quoque animum paulisper moueri & contrahi, & palleſcere, neceſſum eſt, non opinione alicuius mali præcepta; ſed quibuſdam motibus rapidis, & inconſultis officium mentis atque rationis præuertentibus. *Subdit conuenienter Gellius.* Mox tamen ille ſapiens ibidem τὰς τοιαύτας φαντασίας. viſa iſthæc animi ſui terrifica, non approbat; hoc eſt οὐ συγκατατίθεται, οὐδὲ προσεπιδοξάζει, ſed abiicit reſpuitque; nec ei metuendum eſſe in his quicquam videtur. Atque hoc inter inſipientis ſapientiſque animum differre dicunt, quod inſipiens, qualia ſibi ipſe primo animi ſui pul[ſu] viſa ſunt, ſæua & aſpera, talia eſſe vero putat; & eadem incepta, quæ quaſi iure metuenda ſint, ſua quoque aſſenſione approbat, καὶ προσεπιδοξάζει, hoc enim verbo Stoici, cùm ſuper iſta re diſſerunt, vtuntur. Sapiens autem, cùm breuiter & ſtrictim colore atque vultu motus eſt. οὐ συγκατατίθεται, ſed ſtatum vigorémque ſententiæ ſuæ retinet, quam de huiuſcemodi viſis ſemper habuit, vt de minimè metuendis, ſed fronte falſa & formidine inani territantibus.] Quanquam hic locus, in ſpeciem, de ſolis primò primis motibus, ſiue de ſubitis & indeliberatis paſſionum ictibus agere videatur, eóſque duntaxat, concedere Sapienti, tamen ſi penitius introſpiciatur, & vniuerſa quæ in eo traduntur aptè librentur; conſtabit, eum in paſſiones quoque deliberatè admiſſas cadere, de quibus nunc eſt nobis ſermo. Idem Gellius lib. 12. cap. 5. ex Tauri Philoſophi diſſertatione, adducta Panætij grauiſſimi Stoici authoritate, eum fuiſſe quem dixi Stoicorum in hoc puncto ſenſum latè explicat atque confirmat.

42. Ex Seneca, qui Stoicam ſapientiam conſectari ſolet, plurima ſuppetunt. Seligam nonnulla. In conſolatione ad Heluiam cap. 16 [Cum his te numerari fœminis volo, quarum vitam ſemper imitata es: earum, in coërcenda comprimendáque ægritudine, optimè ſequeris exemplum. Scio rem non eſſe in noſtra poteſtate, nec vllum affectum, ſeruire: Minimè verò eum, qui ex dolore naſcitur. Ferox enim, & aduerſus omne remedium contumax eſt. Volumus enim interim obruere, & deuorare gemitus: per ipſum tamen compoſitum fictúmque vultum, lacrymæ profunduntur. Ludis interim aut gladiatoribus animum occupamus: At illum inter ipſa quibus auocatur ſpectacula, leuis aliqua deſiderij nota ſubibit]

Idem epiſt. 71. [Non educo ſapientem ex hominum numero, nec dolores ab illo ſicut ab aliqua rupe nullum ſenſum admittente, ſubmoueo. Memini ex duabus partibus illum eſſe compoſitum. Altera eſt irrationalis: hæc mordetur, vritur, dolet. Altera rationalis, hæc inconcuſſas opiniones habet, intrepida eſt, & indomita. In hac poſitum eſt ſummum illud hominis bonum, quod antequam impleatur, incerta mentis volutatio eſt: cùm verò perfectum eſt, immota illi ſtabilitas eſt. *Et mox.* Ne extra rerum naturam vagari virtus noſtra videatur; & tremet ſapiens, & dolebit, & expalleſcet; hi enim omnes corporis ſenſus ſunt. Vbi ergo eſt origo calamitatis, vbi illud malum verum eſt? Illic ſcilicet; ſi iſta animum diſtrahunt. ſi ad confeſſionem ſeruitutis adducunt, ſi illi pœnitentiam ſui faciunt. Sapiens quidem vincit virtute fortunam.]

Similiter epiſtola 9. Stilponis ſapientem, cum ſapiente Stoico componens; [Hoc, *inquit*, inter nos & illos intereſt. Noſter ſapiens vincit quidem incommodum omne, ſed ſentit: illorum, ne ſentit quidem. *Explicatiſſimè lib. 1. de ira cap. 9.* Ira inquit Ariſtoteles neceſſaria eſt, nec quicquam ſine illa expugnari poteſt, niſi illa impleat animum, & ſpiritum accendat. Vtendum illa eſt, non vt duce, ſed vt milite, quod eſt falſum. Nam ſi exaudit rationem, & ſequitur quà ducitur, iam non eſt ira, cuius proprium eſt contumacia. Si verò repugnat, & non vbi iuſſa eſt quieſcit, ſed libidine ferociáque prouehitur, tam inutilis animi miniſter eſt, quàm miles, qui ſignum receptui datum negligit. Itaque ſi modum adhiberi ſibi patitur, alio nomine appellanda eſt. Deſinit ira eſſe, quam effrænatam indomitámque intelligo.]

Tandem in conſol. ad Polyb. cap. 37. agens de dolore, quem omnium maximè à ſapiente amolitos Stoicos, conſtat ex locis ſancti Auguſtini, & Proſperi, ac Lactantij poſtea allegandis. [Aliquid, *inquit*, à nobis natura exigit. Plus vanitate contrahitur. Nunquam autem ego à te, ne ex toto mœreas, exigam. Et ſcio inueniri quoſdam duræ magis, quàm fortis prudentiæ viros, qui negent doliturum eſſe ſapientem. Hi verò videntur nunquam in huiuſmodi caſum incidiſſe. Alioquin excuſſiſſet illis fortuna, ſuperbam ſapientiam: & ad confeſſionem eos veri, etiam inuitos compuliſſet. Satis præſtiterit ratio, ſi id id vnum ex dolore, quod & ſupereſt & abundat, exciderit. Nam vt quidem, nullum omnino eſſe non patiatur, nec ſperandum vlli, nec concupiſcendum eſt. Hunc potius modum ſeruet, qui nec impietatem imitetur, nec inſaniam; & nos in eo teneat habitu, qui & piæ mentis eſt, nec emotæ. Fluant lacrymæ, ſed eædem deſiliant. Trahantur ex imo pectore gemitus, ſed iidem & finiantur. Sic rege animum tuum, vt & ſapientibus te approbare poſſis, & fratribus.

Seneca, & Stoicorum locutio expoſita; eorúmque cum cæteris conciliatio.

43. Vides quid Stoici cæteri, ſimiliter locuti, voluerint. Quid item ipſe Seneca alibi, cùm aduerſus Peripateticos moderatis affectibus in ſapiente locum dantes, tanta rationum & verborum profuſione inſurgit. Nimirum affectum vſurpant Stoici, non ſicut Peripatetici, pro motu animæ non ſuperante mediocritatem, ſed pro motu fines mediocritatis prætergreſſo, quem rectè aiunt exſcindi ac tolli oportere, nec eſſe temperandum: cùm eo ipſo quod excedere ſupponitur, incapax ſit moderationis: nec ſit futurus qui reuera eſt, ſi adhibita reciſione temperetur. Ita diſertiſſimè ex Zenone Stobæus in Eclogis Eth. cap. 2. *initio.* Hoc igitur ſenſu Seneca negat moderandas eſſe perturbationes, ſed vult omnino tollendas, impugnátque Peripateticos, perturbationibus modum ponere contentos, vt videre eſt epiſt. 85. *ſub initium*, & epiſt. 116. & lib. 1. de ira à cap. 7.

Hic item cæterorum Stoicorum ſenſus fuit, ac proinde omnis eorum à Peripateticis diſſenſio in hac parte vocum duntaxat fuit, vt rectè notauit S. Tho. 1. 2 quæſt. 24. artic. 2. ac 3. p. q. 15. art. 4. ad . & iam olim D Auguſt. 9. Ciuit cap. 4. *Videtur mihi*, inquit, *in hoc vbi quæritur vtrum accidant ſapienti paſſiones animi, an ab eis ſit prorſus alienus,*

alienus, de verbis eos potius, quàm de rebus facere controuerſiam. Nam & ipſos nihil hinc aliud, quàm Platonicos & Peripateticos ſentire exiſtimo, quantum ad vim rerum attinet, non ad vocabulorum ſonum. Et prolato Epicteti teſtimonio, quod ſupra adduximus, ſubdit, [Quæ ſi ita ſunt, aut nihil, aut planè nihil diſtat inter Stoicorum, aliórumque Philoſophorum opinionem, de paſſionibus & perturbationibus animorum. Vtrique enim mentem rationémque ſapientis, ab earum dominatione defendunt. Et ideo fortaſſe dicunt eas in ſapientem non cadere Stoici, quia nequaquam eius ſapientiam, qua vtique ſapiens eſt, vllo errore obnubilant, aut labe ſubuertunt. Accidunt autem animo ſapientis, ſalua ſerenitate ſapientiæ.] Habet & alia prætereà præclara, in eandem ſententiam, ibidem, & ſeq. cap. 5. quæ confirmat 14. Ciuit. cap. 9.

Memorat porro ibidem cap. 8. rationem loquendi Stoicorum, de qua etiam tract. 60. in Ioann. Cùm enim negarent Stoici ſapientem cupere, aiebant tamen velle. Item cùm negarent, eum lætari vel metuere; fatebantur tamen gaudere & cauere. Tantùm de triſtitia, nihil tale aiebant, quod Auguſtinus locis allegatis, nominatímque cap. illo 8. reiicit. Exſcripſit propè, locum illum Auguſtini aduerſus Stoicos, S. Proſper l. 3. de vita contempl. cap. 31. latè reprobans eam nominum commutationem: Quam item reprehendit Stoicóſque eodem cum Peripateticis reuolui, demonſtrat ex ea, Lactantius l. 6. c. 5. Et annuunt inter recentiores Carbo l. 2. de inuent. Rhet. c. 15. & Carpentar. in cap. 22. Alcinoi num. 5. ac Piccolom. grad. 1. cap. 25. & Tuldenus diſſert. 2. Ethica. Poteſt igitur ſapiens ac virtute præditus, affectus moderatos ſentire, iuxta ſententiam Ariſtotelis & Peripateticorum, à qua in re ipſa non diſſidere Stoicos, ſed incommodè tantùm loqui, demonſtratum eſt.

Peripateticorum quoque locutio, vel etiam ſententia, à Lactantio reprehenſa.

Quòd autem in Peripateticis quoque, locutionem vel etiam ſententiam, ex parte reprehendit Lactantius lib. 6. Inſtit. cap. 16. & 17. non eſt audiendus. Ait enim, Peripateticos cenſere, affectus, eſſe vitia, & tamen velle tantùm, ea temperari, non funditùs tolli; cùm tamen optimum ſit exterminare prorſus vitia. Præterquàm quòd, iuxta Lactantium, non ipſi affectus, ſed eorum cauſæ moderandæ ſunt. Addit inſuper, erga quædam obiecta vel minimum affectum deliberatum, vitio dari. Nam vel modicè gaudere de alterius malo, reprehenſione non vacat: Erga alia autem, ne incenſiſſimum quidem affectum, eſſe vitioſum, vt ſi de communi ſalute omnibus lætitiis incedas, extra culpam planè ſis. Ac proinde concludit, non ipſis affectibus frænos eſſe imponendos, ſed conſiderandas eorum cauſas, ex quibus affectuum bonitas vel inhoneſtas penſatur.

Purgantur.

Hæc contra Peripateticos Lactantius. Nec diſſimilia Paſchal. l. de virt. & vitiis cap. 19. quæ tamen eos nullo modo feriunt. Neque enim Peripatetici volunt, affectus aliter honeſtos aut turpes eſſe, quàm prout eorum obiecta & circunſtantiæ tulerint: Ita vt qui attentis prudentiæ regulis, deliberatè afficiuntur erga obiectum his illiſve circunſtantiis ſeruatis, quæ cum honeſtate conſentiant, approbentur, tanquam præditi affectibus homine dignis, tametſi ſapiente atque perfecto: Qui verò affectus, modum ea ratione non ſeruant, reiiciantur vt noxij. Vnde quia nonnulli affectus, nequeunt deliberatè ſuſcipi conformiter ad rationem; nulla mediocritate condiri poſſunt, ſempérque inhoneſti ſunt, vt tradit Ariſtoteles 2. Ethic. cap 6. ex ſe tamen, affectus, ſiue moderationis capaces ſint, ſiue non ſint, nequaquam, iuxta Peripateticos, vitia ſunt formaliter & conſummatè, ſed duntaxat ſi non coërceantur & refrænentur, cùm poſſunt reprimi: hoc eſt, ſi cauſa eorum, ab inchoatione vel continuatione huiuſmodi motuum non reuocetur, cùm poteſt per voluntatis arbitrium reuocari: (quam eſſe vnicam rationem, qua paſſiones dici poſſunt refrænari, bene attigit Lactantius, & agens de fortitudine declaro cum Guliel Pariſ.) alioqui enim affectus non ſunt vitia, nec peccati nomine donari debent, niſi metonymicè, quatenus ſcilicet eorum licentia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat. Nam etiam idcirco apud Chriſtianos Doctores, appetitus prout affectuum fons, peccati fomes, nec rarò per tropum ac metonymiam, peccatum nominatur. Pulchrè de ea fomitis appellatione & notione, Durandus in 3. d. 3. quæſt. 3. numer. 6. & 7. Tantùm declinandus, cùm ait, actum fomitis, id eſt, paſſionem actualem aduerſantem rationi, ſemper culpam continere, ſaltem leuem, quod falſum eſt.

Itaque vniuerſa Lactantij diſputatio, inanis eſt, nec Peripateticos, in quos intorquetur, ſed aërem verberat. Omnino verò in culpa eſt Lactantius eiuſd. libri cap. 19. cùm Peripateticis, temperationem affectuum defendentibus, vitio vertit, quod iram dicant fomitem ac cotem eſſe virtutis bellicæ: quem Lactantius, negat legitimum iræ vſum eſſe poſſe; contendens iram duntaxat aduerſus minores licitè exeri, vt arctiore diſciplina, minor ætas, ad probitatem iuſtitiámque formetur. Aduerſus pares autem, iræ expromptionem damnat immanitatis, ac pernicioſæ impietatis, quòd eo pacto & violetur humanitas, & repugnantibus iis, in quos ira concitat, aut eos perdere neceſſe ſit, aut ipſoſmet inuadentes, perdi ab eis atque perire. Hæc ego nunc pleniùs non refello, quòd ſpectent ad Lactantij errorem alibi reprobatum, quo cenſuit nefas eſſe militare, & omne bellum, eſſe declinandum Chriſtiano. Obſtrepunt item Ariſtoteli & Peripateticis in hoc negotio Foxius lib. 3. compend. Eth. cap. 5. & Anton. Ludouicus ſub finem libri de pudore. Sed nihil proferunt, quod ex dictis non euaneſcat.

Academiæ, & Lycæi, fœderatio in hoc negotio.

45. Peripateticis conſenſiſſe Platonicos, liquet ex Alcinoo cap 24. Inſtitut. & ex Plutarco ad finem libri de virtute morali, ac etiam ex ipſomet Platone in Philæbo, & 2. de Rep. & Timæo, eam iram approbante, quæ fines illi à ratione præſcriptos non tranſgrediatur. Nam quod de eo affectu, qui apertiſſimè indecorus videtur, pronunciatum locis illis à Platone eſt, iure ad alios circa obiecta illa ſpectatos, circa quæ capaces ſunt temperamenti, accommodari poteſt, ac debet. In primo item de leg. Plato, pudorem moderatum valdè commendat; & ibidem vniuerſè idem ait de aliis affectibus. Rurſúſque in Phœdro confert paſſiones, equis; libertatem autem ratione directam, habenis.

Manifeſtè autem Crantor, veteris Academiæ alumnus, in hæc verba ſententiam ſuam aperit 1. Tuſc. num. 12. *Minimè aſſentior iis, qui iſtam neſcio quam indolentiam magnoperè laudant, quæ nec poteſt vlla*

 eſſe,

eſſe, nec debet. Ne ægrotus ſim, inquit, *ſed ſi fuerim, ſenſus adſit. ſiue ſecetur quid, ſiue auellatur à corpore. Nam iſtud nihil dolere, non ſine magna mercede contingit immanitatis in animo, ſtuporis in corpore.* quæ verba refert & approbat S. Auguſtinus 14. Ciuit. cap. 9. Itaque quod Hieronymus in proœmio dialogorum aduerſus Pelagianos, affirmat, hanc περὶ ἀπαθείας contentionem Stoicorum & Peripateticórum, *hoc eſt*, inquit, *veteris Academiæ fuiſſe*, facilè poteſt in eum ſenſum accipi; vt quia diſſentiebant hac in parte à Stoicis, Peripatetici communiter, ac Platonis ſectatores Academici; & vtrique coniunctis armis & animis, Stoicos impetebant, eadem dicta ſit, veteris Academiæ & Peripateticorum ſententia, in hoc negotio. Niſi ſi etiam S. Hieronymus reſpexit ad ortum huius dogmatis, paſſiones ſapienti concedentis, quod Max. Tyrius diſſert. 17. num. 101. ex veteri Academia prodiiſſe dicit: ſuſpicatus tamen deueniſſe ad eam à Pythagoricis, qui eam Italiæ oram, quæ magna Græcia dicta eſt, incolebant.

ARTICVLVS III.

De naturalibus, & aduentitiis paſſionum irritamentis, vniuersè: ſeu vndenam pronitas maior quorundam ad paſſiones aliquas ortum habeat.

HÆc conſideratio, ſptè cadit in hunc locum. Spectat enim ad complementum cauſæ ſubiectiuæ totalis paſſionum. Nec refert quod videatur etiam pertinere ad cauſam eorum efficientem. Nam efficiens cauſa in paſſionibus, non differt à ſubiecto; cum paſſiones, vt ſupra conſtitutum eſt, ſint actus vitales, atque adeo principio ſuo effectiuo immanentes.

Proclinitas quorundam, ad certas paſſiones, ſupponitur.

46. Eſt igitur exploratum, & euidenti experimento teſtatiſſimum, aliquos ad certam paſſionem, aliquos ad aliam, eſſe, etiam naturaliter proniores. Perſpicua ſanè eſt ea paſſionum & morum, in iuuenibus ac ſenibus, & vegeta ætate hominibus diſcrepantia, quam exactè admodum deſcribit Ariſtoteles 2. Rhetor. c. 12. 13. 14. Ex variis item hominibus etiam eiuſdem ætatis, hic ad iram promptiſſimus eſt, adeo vt vel minima oblata occaſione illico efferueſcat? alius ad iram tardus ac propè rigens, nullo tamen negotio concutitur timore, & quodlibet arboris folio verſabilior eſt, omnia habens ſuſpecta, nihil ducens ſecurum, ſemper anceps ac dubius. Eſt qui neque ira, neque timore facilè abducatur; gaudij tamen & lætitiæ ſit auidiſſimus, eámque paſſionem, & captet, & capiat vndecunque. Alius è contra, perpetuus eſt in mœrore & angore, quo etiam difficillime ſe extricat tanta in tetrum illum affectum naturæ propenſione fertur Denique nemo hanc ad varios affectus inclinationem, in ſe & aliis non deprehendit: vt operam planè ſim luſurus, ſi id confirmare quaſi ambiguum, vel explicare quaſi dubium, in animum inducam. Et ita diſertè affirmabat Ariſtoteles 2. de part. cap 4. & 1. animæ text. 14. Pulcherrimè autem & latè Iſid. Peluſ. lib. 4. epiſt. 114. tractans illod ex Prouerb. 27. v. 19. iuxta Græcum textum: *Sicut non ſunt ſimiles facies faciebus; ita neque corda hominum*; quod & ad bonos, & ad malos affectus, ſeu & ad virtutes & ad vitia, pertinere oſtendit.

Quæ eius germana cauſa.

Huius varietatis cauſas, perſpicuum eſt non poſſe peti ex parte animæ, quæ in omnibus hominibus eſt eiuſdem planè ſpeciei. Et quamuis iuxta aliquos, agnoſcenda ſit inter animas varietas indiuidualis perfectionis: tamen ea varietas nihil ad rem præſentem refert, cùm tantùm ſpectet ad melius & perfectius exercitium vnius alicuius operationis, ab vtráque anima elicibilis, ſed per vnam perfectiùs, quàm per alteram. Itaque reiectis Stoicis qui animam à corpore nihil affici commenti ſunt, vt rectè ſanè dixerit Clem. Alexand. 4. Strom. c. 2. æquum eſſe eos in hoc puncto admirari, omnino ſiſtendum eſt in corpore, quicquid Galenus, initio libri de morum ad temperamentum conſecutione, aut ſentire videatur, aut ſentiat. Nam ſi animam idcirco diuerſam in diuerſis hominibus admitteremus, diuerſam quoque animam in eodem homine, variis ætatibus & temporibus admittere oporteret: cùm idem homo, nunc his, nunc illis affectibus ſit aptior.

Angeſtus ergo capit. 11. moral. text. 2. concl. 4. & pleniùs cap. 4. text. 2. notab. 2. reiecta ea ex animabus varietate, alias huius rei cauſas profert. Nempe qualitatem, quandoque occultam, è cœlo aut aliunde contractam; quandoque manifeſtam, cuiuſmodi eſſe ait complexionem. Item quantitatem, figuram, ac ſitum cordis. Vnde obſeruat, cordis paruitatem, aut magnitudinem, figurámque & ſitum, ad varias paſſiones valdè conducere. His addit, cibos quibus homo veſcitur, habitationis locum, tempeſtatem anni in qua viuitur, & aſtra; Nam pro horum omnium varietate, conſtat varias pronitates exoriri.

Præcipua, Temperamentum.

47. Et poſſunt quidem rectè numerari, variæ hæ cauſæ, diuerſæ aptitudinis ad paſſiones in diuerſis hominibus, vel etiam in eodem diuerſis temporibus. Tamen commodius videtur, vno verbo, cum Ariſtotele capitibus allegatis ex 2. Rhet. aliiſque locis ſignatis, ſtatuere huius varietatis cauſam, maxima ex parte, eſſe temperamenti diuerſitatem, cui variæ illæ cauſæ nunc recenſitæ, ferè omnes deſeruiunt. Seneca certè 2. de ira capit. 18. & de iracundia de qua diſputat, & de aliis quoque affectibus aliam huius diuerſitatis cauſam non prodidit, ſcribens in hunc modum. *Opportuniſſima ad iracundiam feruidi animi natura eſt. Nam cùm elementa ſint quatuor, ignis, aqua, aer, & terra, poteſtates pares his ſunt; frigida, feruida, arida, atque humida. Et locorum itaque, & animalium, & corporum, & morum varietates mixtura elementorum facit: & proinde in aliquos magis incumbunt ingenia, prout alicuius elementi maior vis abundauit. Inde quaſdam humidas vocamus, aridáſque regiones, & calidas & frigidas. Eadem animalium & hominum diſcrimina ſunt. Refert quantum quiſque humidi in ſe calidíque contineat. Cuius in illo elementi portio præualebit, inde mores erunt. Iracundos feruidi miſtura faciet. Eſt enim actuoſus & pertinax ignis. Frigida miſtura frigidos facit, pigrum eſt enim contractúmque frigus.* Ratio Item ſuffragatur. Quia enim homo, hanc vel illam corporis temperiem, ſiue à primo ortu, ſiue ex victus ratione, aut ex aëre, aſtrorum influxu, aliiſque externis cauſis participat: idcirco variam quoque

pronitatem

pronitatem ad hos aut illos affectus nanciſcitur. Ita vt quemadmodum affectus iam concitatus, variam corporis temperationem excitat, vt explicabimus ad calcem huius tractationis: ita etiam varia corporis temperies antecedens, varie coaptet hominem ad paſſiones.

Hanc duplicem, corporearum qualitatum ad paſſiones comparationem, obiter rectè diſtinxit S. Thomas 1. 2. quæſt. 17. artic. 7. ad 2. & apertè Ariſtoteles initio Phyſiognominiæ verbis illis. [Quòd animæ ſequuntur corpora, & ipſæ ſecundùm ſeipſas non ſunt impaſſibiles à motibus corporis, id manifeſtum fit valdè in ebrietatibus & ægritudinibus. Multum nanque animæ mutatæ videntur à paſſionibus corporis. E contrario quod corpus compatitur paſſionibus animæ, manifeſtum circa amores, & timores, & triſtitias, & delectationes. Ampliùs autem & in iis quæ natura fiunt, magis vtique aliquis conſpiciet, quod corpus & anima ita ſe habent connaturalia, vt fiant cauſæ plurimarum paſſionum ad inuicem. *Rurſus optimè cap.* 4. Videntur mihi anima & corpus compati ab inuicem, & animæ habitus alteratus, ſimul alterat corporis formam; & iterum forma corporis alterata, ſimul alterat animæ habitum. Quando enim animæ eſt triſtari & lætari, manifeſtum eſt quod triſtes, obſcuræ faciei ſunt; gaudentes autem hilaris. Siquidem igitur anima diſſoluta, formam quæ eſt in corpore, adhuc exiſtere contigerit, ſanè & ita anima & corpus compatibilia forent, quamuis conferentes ad inuicem non forent. Nunc autem manifeſtum, quod vtrumque ſeſe conſequitur. Maximè id ex hoc manifeſtum fiat: mania videtur eſſe circa animam, & medici medicinis purgantes corpus, & diætis vtentes in ipſis, permutant animam à mania. Curationibus autem corporis, ſimul & corporis forma ſoluitur, & anima à mania permutatur. Quoniam igitur vtraque ſoluuntur, palam fit quoniam conferunt ad inuicem. Manifeſtum inſuper eſt, quod virtutibus animæ, ſimiles corporis formæ fiunt.]

Sunt quidem aliæ nonnullæ minutiores eiuſdem procliuitatis cauſæ poſtea attingendæ. Hæc tamen quæ ex temperamenti varietate ducitur, præcipua eſt, & idcirco præ cæteris expendenda. Quod ſigillatim præſtabo in ſingulorum affectuum expoſitione: nunc generatim & vniuersè aliquid tradendum eſt. Quod quia ſatis exactè præſtitit Gerſo tract. de paſſionibus conſid. 18. (habetur Alphabeto 73. lit. I. fine, ſecunda parte operum opuſc. cit.) excerpam ex eo hic nonnulla, aliis additis, quibuſdam reciſis.

Animi mores, corporis Temperamentum ſequuntur, ratione humorum, ſeu ſanguinis.

48. Supponit autem in primis ex Platone, animas inſequi corpora, id eſt, animarum motus correſpondere diſpoſitioni corporeæ. Locum Platonis non adducit. Habetur autem in Timæo, & in Menexeno, & l. 8 de Repub. ac 5. de leg. aliiſque pleriſque in locis vt notauit etiam Gal. l. de ſubſtantia virtutum animalium cap. 6. & l. 3. de locis affectis, vbi Galenus omnibus & Medicis & Philoſophis in confeſſo eſſe ait, quòd animæ corpora inſequantur, & pro eorum varia diſpoſitione, variè etiam ipſæ afficiantur. Idque etiam Galenus iuſto opuſculo proſecutus eſt, quod inſcripſit. *Quod animi mores, corporis temperamentum ſequantur:* Sequantur, inquam, id eſt, accommodari ſoleant temperamento, & pro inclinatione per illud collata elici, ſaluo per omnia iure libertatis: non autem quaſi ſenſus ſit, extorqueri animi mores à temperamento, & excludi libertatem, vt contra Galenum declamat Piccolomineus gr. 1. c. 29. Quanquam non abſque ſuſpicionis fundamento, vt infra dicam. Illuſtrat hoc Platonis cæterorúmque doctorum pronunciatum, idem Gerſo, exemplo inſtrumentorum artis. Videmus enim pro inſtrumenti perfectione maiore, perfectiorem eſſe operationem artificioſam, & pro inſtrumenti varietate variam. Atqui corpus eſt inſtrumentum animæ, & maximè quoad actiones, de quibus agimus, ſiue quoad paſſiones. Eas ſiquidem anima, per facultatem corpoream inſertam materiæ, exercet.

Igitur pro varia corporis diſpoſitione, exiſtet varietas in paſſionibus, quas anima per corpus exercet: Idque in Cardano, malè, vt pleraque alia reprobat Scaliger exercit. 274. niſi ſi fortaſſis tantùm contendit de exemplis ſingularium paſſionum, quas Cardanus certis temperamentis addicit, ex parte perperam. Vniuersè tamen rectè cenſuit Cardanus ex corporea diſpoſitione, ſequi variam in moribus pronitatem. Quia verò diſpoſitio corporis, vel ſolùm, vel maximè pendet ex humoribus, quos vno ſanguinis nomine comprehendere licet non exclusis aliis humoribus ſanguini preſsè accepto contradiſtinctis, neque ſpiritibus ſanguinem fouentibus, & adminiſtris omnium vitæ operationum: propterea in toto hoc negotio, maximè attendendum eſt, ad qualitates ſanguinis & ſpirituum, & pro maſſæ illius humorum qualitate, de qualitate paſſionum ſtatuendum. Medici iuxta Gerſonem ſupra ſic pronunciant.

Cuiuſmodi mores ex ſanguine ſubtili, variè temperato.

49. Sanguis ſubtilis & clarus in ſubſtantia, temperatus verò in qualitatibus, eſt materia ſpirituum ſplendidorum & temperatorum, ex quo ingeneratur procliuitas ad gaudium maius vel minus, pro qualitate vel temperatione talis ſanguinis. Nomine ſplendoris in ſpiritibus intra arterias abditis, vel ſanguini immiſſis, non puto intelligendum aliud, quàm puritatem ſanguinis, & ſpirituum ex eo procreatorum, ſemota omni fæculentia & terreſtreitate, ſanguinem inficiente, & immundum reddente.

Talis igitur ſanguis, accedente temperie proportionata; hoc eſt, neque præferuida, neque frigidiore, dicitur ingenerare propenſionem ad gaudium, adde & ad coniunctos gaudio affectus, vt amorem, eiúſque adiuncta. Idque perſpicuè docet experientia. Nam ſanguinei, quorum eſt ea quam dixi complexio, ſunt naturaliter læti, amatiui, pij, benigni, liberales, faciles ad riſum, proni ad Venerem. Disertè ita tradit Hippocrates l. de hominis ſtructura, *initio*.

Sanguis verò ſubtilis & clarus, ſed intemperatus ob prædominantem calorem, diſponit ad iram facilè mobilem. Facilè enim igneſcit ea materia, & ob tenuitatem facilè reſtinguitur ardor. Item diſponit ad audaciam, honorum appetentiam, arrogantiam, temeritatem, garrulitatem, igneam celeritatem, & vigilantiam, impetúmque in rebus agendis. Et idcirco iuuenes, quia in eis viget huiuſmodi ſanguis, ſolent audaces eſſe, & omnia temerè ac ex impetu agere. Hæc dicitur complexio cholerica, cernitúrque in iis, qui vultu rubent, vt notat Gerſo. Quanquam non eſt id accipiendum de rubedine illa, quæ in florida facie apparet, eſtque indicium ſanguineæ & optimæ complexionis, vt ſcribit Gal. 2. de temper. & optimè Auic. 2. 1. Doct. 3. cap. 3. ſed accipiendum

eſt

eſt de rubedine fuſca, quali tingi ſolent qui potationi, præſertim vini generoſioris, ſunt addicti. Frequenter autem ob aliam materiæ diſpoſitionem, nulla vultus rubedo huic temperamenti complexioni adiungitur, vt notum eſt. Contingit autem iſtis ob ætatis feruorem, quod ebriis, ob vini calorem; & iratis, ob ſpiritus vi iræ fuſos per corpus, vt ſignificatur 3. Eth. cap. 8. Animoſitas enim eſt cum calore, vt dicitur ſect. 10 problemat. quæſt. 59.

Sanguis denique ſubtilis & clarus, ſed intemperatus, ob prædominans frigus, qualis eſt in phlegmaticis, in quibus aquoſitas naturalis, phlegmatis dominatur, inclinat ad puſillanimitatem, timorem, ſomnolentiam, honoris contemptum, torporem, iræque tarditatem, & ineptitudinem ac gaudium & audaciam. Quæ omnia proficiſcuntur ex defectu caloris, & exiguitate ſpirituum, caloris parcitatem conſequente.

Itémque ex craſſo ſanguine, variè temperato.

Ex ſanguinis craſſitie variè temperata exiſtunt pronitates diuerſæ à prædictis. Si ergo ſanguis fuerit craſſus & calidus, inſupérque (vt vocant) turbidus, ob tenebricoſitatem ſiue nigredinem; cuiuſmodi notat Gerſo, eſſe ſanguinem corporum in quibus dominatur calor appropinquatus fini aduſtionis: ſi inquam, ſanguis fuerit huiuſmodi, ingeneratur propenſio ad triſtitiam, propter ſpirituum fœculentiam, & tenebricoſitatem: Et ad iram, ob eorundem caliditatem: Et quidem, ex 4. Ethic. cap. 5. ad iram non facilè mobilem, ſed fixam, itémque ad pertinaciam & obfirmationem in propoſito, propter ſanguinis ſpiſſitudinem, ſiue craſſitiem & immixtam choleræ, melancholiam terream.

At ſi ſanguis ſpiſſus, & calidus, non fuerit turbidus, ingeneratur inclinatio ad conſtantem audaciam, & ad iram mediocrem, eo quòd per lætitiam frangatur. Taléſque eſſe feruntur, quibus cor eſt benè temperatum, & hepar notabiliter calidum, ac ſiccum, ſicciúſque quàm calidius. Itémque quibus ſanguis, valida agitatione corporis calefactus eſt, nec dum tamen cœpit aduri & nigreſcere, ſi alioqui temperato ſint corpore.

Iam verò ſi ſanguis craſſus ſit & frigidus, nec tamen turbidus. ingeneratur quidam vniformis tenor quoad omnes propè paſſiones, & mediocris ad omnes propenſio. Hoc iis ferunt accidere, quibus cor eſt temperatum, & hepar ſiccius ac frigidius temperato; ſiccius tamen quàm frigidius.

Denique ſi ſanguis & craſſus, & frigidus, & turbidus ſit, exiſtit inde tarditas ad iram, & prompta ac diuturna triſtitia. Item ſi in huiuſmodi ſubiecto, ex vehementi aliqua cauſa, concitetur ira, diu perdat, ob materiæ tenacitatem: faciléque illa ira, in odium vel rancorem degenerat, iuxta illud ex Auguſtino infra referendum, *ira inueterata*, (qualis eſt in iſtis,) *vertitur in odium*.

Complexionum prædictarum, atque adeo etiam morum, notæ; ex colore præſertim.

50 Hæc itaque eſt diſpoſitio corporea, antecedens paſſiones, earúmque cauſa vel occaſio, ob propenſionem, quam confert ad illarum exercitationem & vſum. Eius indicem eſſe præſertim colorem, paulò ante aliquoties monui ſecutus Ariſtotelem, qui cap 10. Phyſiognomiæ, latè tradit, poſſe ex fixo & connaturali colore coniectari, qualiſnam ſit connaturalis diſpoſitio corporea; vbi id latè expendit Fontanus; cuius labore, diſperſas Ariſtotelis de hoc propenſionum primario indicio, ſententias ſub vnum conſpectum iuuat ſubiicere, ſeruatis verbis Ariſtotelicis, ſed hinc inde in vnum veluti faſcem adunatis.

Ita habent. [Vt ad colores nos conuertamus, viridi quidem caliditatem, ſanguiniſque exuberantiam: qui verò ex albo ſimul & rubro conflantur, (λευκέρυθροι Græcis dicuntur,) ſi modò corpori leni inſint, indolem bonam ſignificant. Qui admodum nigri, ſunt timidi, quod attribuitur Ægyptiis, potiſſimum qui incolunt Æthiopiam. Albi verò plus quàm rationi conueniat, etiam timidi; quod ad mulieres refertur Qui ad fortitudinem ducit color, medius inter hos ſit, oportet. Qui flauo ſuffunduntur colore, magnanimi; vertitur autem leonibus. Qui verò fuluo plus quam rationi conueniat, execrandi atque exitioſi; quod quidem vertitur vulpibus. Qui pallidi ac perturbati, ipſo colore videntur, timidi; referuntur ad ipſam perturbationem, quæ naſcitur ex timore. Qui ſubuirides ipſo colore ſunt, iidem ſunt perfrigerati, refrigerata autem omnia ineptiſſima ad motùm ſunt; quo fit, vt cum ſubuirides ſint refrigerati, corporis actionibus ſint admodum pigri. Quibus color rubeus eſt, celeres ſunt ad actiones, quandoquidem omnes corporis partes ob vehementem motum rubeſcunt; quibus color inflammatus atque igneus eſt, inſani, omnes ſiquidem corporis partes, ſi impendio calidiores reddantur, flammeum colorem acquirunt. Qui verò ad extremum calefactionis perueniunt, meritò furioſi dicuntur.]

Reliqua propenſionum ſigna, quæ ex variarum partium corporis colore, apud Ariſtotelem ſuppeditantur, apud eundem legi poterunt. Non piget autem annotare, etiam in ſacris literis, ſigna hæc propenſionum rata haberi, vt prolatis exemplis teſtamentum facit Montanus in ſuo Hieremia, c. de facie & vultu.

Quomodo ex varia complexione, varia pronitas ad certas paſſiones enaſcatur.

51. Sed vt hæc ad varias paſſiones pronitas & aptitudo, radicitus perſpiciatur, duo exponenda ſuperſunt. Primum eſt, quomodò temperamenti diuerſitas eam ad diuerſas paſſiones pronitatem poſſit ingenerare. Secundum, quomodo variæ illæ cauſæ extrinſecæ ex Angeſto propoſitæ, quæ ſunt veluti remotæ cauſæ huius diuerſitatis pronitatum, influant in hanc proximiorem cauſam, ſintque eatenus cauſæ remotæ huius diuerſitatis, quoad inclinationes ad paſſiones. In quo ſecundo puncto, non eſt magna difficultas; potiúſque illuſtratione aliqua rei alioqui notiſſimæ, quàm longa confirmatione indiget. In priore autem puncto eſt non modica difficultas, ſiue quoad paſſiones appetitus ſenſitiui, ſiue quoad paſſiones voluntatis. Nam paſſiones appetitus ſenſitiui, quamuis ſint materiales; tamen habent pro adæquata cauſa effectiua, facultatem ipſam appetitiuam, præluceente phantaſiæ notitia, directam. Non igitur apparet, cuiuſmodi influxu, temperamenti diuerſitas, ad pronitatum illarum, de quibus agimus varietatem, concurrat. Eſtque id multò obſcurius in paſſionibus appetitus rationalis, quæ ſpirituales ſunt. Quid enim temperamento cum affectibus ſpiritualibus, prorſus à materia auulſis? Vidit hanc difficultatem Gregor. Nazianzenus orat. 26. n 47 Itaque inconſulto ſcrutatori naturæ diuinæ indicens veſtigationem noſtri ipſorum & multorum quæ cum nobis quotidiana ſint, ſunt tamen abſtruſiora quàm vt per nos peruadi queant; inter alia hoc ei proponit diſcutiendum,

&

& exponendum; *Quomodò anima per corpus affectuum particeps ſit; quomodo timor eam conſtringit, præſidentia ſoluit, mœror contrahit, lætitia diffundit, liuor tabe afficit, ſuperbia effert, ſpes erigit, quomodò iracundia eam in furorem agit, pudor rubore ſuffundit, partim ebulliente ſanguine, partim recedente.* Hos ac ſimiles paſſionum in anima exortus è corporis affectione, luſcioſos oculos noſtros hic ſubterfugere, ſupponit eo loco Theologus.

Semina reſponſionis; cur anima conſerta corpori.

Hæc difficultas non aliter diſſolui poteſt, quàm ſpectata natura animæ, etiam rationalis. Ad eam enim reuocanda eſt hæc difficultas, quòd & de hominis paſſionibus agamus, & in ea maximè appareat nodi huius implexitas. Anima ergo rationalis, etiamſi immaterialis eſt quoad entitatem ſuam, & independens in eſſe ſuo à corpore: Tamen eſt forma corporis, & ad illud eſſentialem habitudinem importat. Viſum autem eſt ſapientiſſimo artifici, producere animam rationalem, tanquam vinculum naturæ omnino ſpiritualis, & naturæ omnino corporeæ, & veluti fibulam materialium & immaterialium. Nam quemadmodum ab actu puro, & ſpiritu increato, noluit delapſum illico fieri ad ſubſtantias corporeas, ſed interpoſuit ſpiritus creatos diuina puritate inferiores, præ corporeis autem ſubſtantiis exquiſitè defœcatos: Ita à ſpiritibus puris, ad pura corpora, progreſſum immediatè fieri, incongruum duxit, eique vnitati, quæ inter vniuerſi partes tantoperè commendatur, accommodatius fore vidit, ſubſtantiam potiore parte ſpiritualem, deteriore corpoream, inter vtrúmque illum ordinem immittere. Quod vt fieret, limus cœlo, (quod S. Gregorius Nazianz. apol. 1. & orat. 2. de Paſch. & Paulin. Aquil. in ſacro ſyllabo, *ſub finem*, pulcherrimè ſuſpiciunt,) caro inquam, ſpiritui conſerenda fuit.

Vnde illa corpori exiſtit vtilitas, quam his verbis aperit Iſid. Peluſ. lib. 4. epiſt. 125. [Illud dixerim, diuinum eſſe vinculum, quod colliget ea, quæ plurimum inter ſe diſtant, & communionem ac ſocietatem quandam ineffabilem eſſe animæ incorporeæ cùm corpore, & indicibilem eſſe, conſenſionem atque affectionem mutuam, inter immortalem ſubſtantiam, & mortale inſtrumentum, vt ipſi quoque Platoni videtur. Galenus autem, hoc à ſe. ne intelligi quidem poſſe ſimulat. Ideo autem hoc factum eſt, vt anima magno ſibi ſtudio habeat curam corporis, non quidem vt carnoſitate quadam ſaginetur, atque intumeſcat; ſed tantùm, vt rectè valeat, cum anima, ſi eam valetudinis curam negligat, luitura ſit eam corporis intemperiem, & inde incommodum perceptura, quamuis non propria & principali noxa, attamen per conſenſum. Intemperies enim corporis & ebrietas, animæ quoque illam affectionem tranſmittit. Ipſa verò perinde vt gubernator in magna tempeſtate deprehenſus, iactatúſque, perturbatur, & ſuam ſcientiam non declarat ſubmerſa. Tum verò quaſi vuida facta, ſæpè agitur ac fertur quocùnque humor aut fluctus eam impulerit comprehenſam. Neque enim ea res hoc declarat, non eſſe immortalem animam, ſed actiones ipſius impediri indicat. Nam neque muſicus, quamlibet optimus, ineptam habens lyram, aut in pelagus delapſus, concinnum carmen vnquam ediderit.]

51. Ea item, ex corporis & animæ conſertione, extitit opportunitas ad artificis ſapientiam prodendam, quòd, vt contra ſui temporis Epicuræos philoſophatur Euſtratius 6. Eth. capit. 5. *in fine*, anima corpus eiúſque potentias, ne in deuexum abripiantur, regendo, per eam propenſionem, qua corpus ad ima ſemper vergit, vt à recto deficiat interpellata; firmiter nihilominus, quanquam non ſine labore, diuinis mandatis adhæreſcens, magnam ſibi perfectionem, ex tenaci illa ad Deum, luctæ huius & pugnæ arbitrium, conuerſione, comparat: & quod optimè ſupra conſiderat Nazianzenus, felicitatem, ad quam opificis benignitate deſtinatur, præmium ſuum ac mercedem efficit, conferens aliquid ad eius aſſecutionem, per eam cum carne cui conſeritur, colluctationem, eiúſque cupiditatum ſubactionem.

Præclare idem Nazianzenus orat. 16. quæ eſt de pauperum amore, miratus tam diſſentanearum rerum, luti ac ſpiritus conſertionem, ad compactionem vnius hominis. & cauſam huius coniunctionis diuinitùs factæ veſtigans, ita ſcribit. *Quanam ſapientia, quonam mag... & arcano conſilio, mihi hoc accidere dicam? An hoc Deus agit, vt cùm ipſius pars ſimus, atque supernè fluxerimus, (ne ob dignitatem noſtram nos ipſos efferentes, atque attollentes, creatorem contemnamus;) in ea, quæ nobis aduerſus corpus eſt, lucta & dimicatione, ab eo nunquam oculos deiiciamus: atque ita imbecillitas ea, quæ nobis copulata eſt, dignitatem frenet, atque coerceat, vt intelligamus, nos maximos ſimul atque abiectiſſimos eſſe, terrenos & cœleſtes, caducos & immortales, lucis & ignis ſiue tenebrarum heredes, prout in hoc vel illud, nobis propendere contigerit. Hæc noſtra temperatio eſt. atque ob has cauſas, quantum quidem ipſe proſpicere poſſum; vt cùm imaginis dignitas nobis animos extulerit, puluis eoſdem deprimat, contrahátque.*

Et conſtituta ex variis gradibus, iiſque connexis.

53. Ob huiuſmodi itaque cauſas, neceſſarium fuit, animam rationalem talis eſſe naturæ, vt quamuis entitatiuè ſimplex, virtualiter tamen & æquiualenter multiplex eſſet, & formaliter non modò rationalis, ſed & ſenſitiua, & vegetatiua. Nam ſi purè rationalis fuiſſet, hoc eſt, ſi ea duntaxat perfectione prædita, quæ apex eſt graduum eius, non potuiſſet iungi corpori, excluſique fuiſſent fines illi, ob quos proximè diximus animam corpori fuiſſe vinculandam. Quod vnum voluit Caietanus, cùm negauit, animam rationalem vt ſic, eſſe formam corporis, cui malè dica impingitur, negatæ informationis adæquatæ per animam rationalem: cum tamen Caietanus admittens animam rationalem ſecundùm ſe totam eſſe realiter formam, negare tantùm voluerit, fore vt anima rationalis, quoad ſupremum gradum non eſſet forma corporis, ſi gradus ille ſolitarius eſſet, & à cæteris, quibuſcum reipſa idem eſt, auelleretur. Adiunctis autem, rationali gradui illis aliis gradibus, qui per corpus & implantatas corpori facultates exercentur; vegetatiuo quidem, vt foueatur, ac ſuo modo perpetuetur compoſitum; ſenſitiuo autem, vt notitiæ materiali, & conſequentibus eam appetitionibus, locus eſſet, intercessit ea quam dixi copulatio corporeorum & incorporeorum, omniáque & concinnè, & ad prodendam opificis ſapientiam accommodatè, & ad vſum noſtrum ac perfectionem appoſitiſſimè proceſſerunt.

Ne verò trium illorum graduum mera concomitantia in eadem entitate daretur, quod confuſionem potiùs, & tumultuariam aggregationem, quàm ordinatum Dei opus ſaperet, nec eſſet ad eos, quos propoſui

ſui

ſui regendi & merendi fines accommodatum, inducta eſt coniunctio illa gradus incorporei ad corporeos, cum ſubordinatione horum, quippe inferiorum & deteriorum, ad illum vt pote potiorem & regere idoneum: Ita tamen, vt ſicut gradus rationalis, regere & politicè ordinare poteſt inferiorem partem; ita cùm ea connexionem habeat, & volens nolens abripiatur ad operandum, mox actionem abrupturus, ſi cùm primùm per rationis euigilationem, & plenum vſum licuerit, auerſetur id agere, ad quod inferior facultas, internoſcendi ſynceri boni impos, ſollicitauerit.

Vniuerſa hæc ratiocinatio, ferè ex Euſtratio deprompta eſt 6. Ethic.cap.1. vbi diligenter impugnat quoſdam ſui temporis Epicuræos, quos refert ſceleribus ſuis prætendiſſe, vnamquamque facultatem in habitum progredi oportere. & vnumquemque habitum in operationem ei conuenientem, vt ad eum modum quodlibet perfectionem ſuam conſequatur. Vnde inſuper colligebant, qui intemperanter, aut iniuſtè, vel nequiter, & quomodolibet aliter aduerſus rationis ſcita agerent, à calumnia & reprehenſione liberos eſſe, quòd eorum vnuſquiſque, conueniente ſibi facultate vtatur, ex ipsáque operetur & ex habitu in quem deuenit, eliciat operationem: atque ita pro facultate perfectionem conſequatur, ne fruſtra alioqui eam facultatem ſortitus videatur. Hunc ille porcorum grunnitum, veriùs quàm hominum ſermonem, ex doctrina propoſita euertit, monſtrátque perfectionem inferiorum facultatum corpori implantatarum in eo poſitam, non vt ad fœces vſque exinaniantur, & ſecundùm totam vim actiuam expromantur, (quod porcinæ illæ voces ferebant;) ſed vt parti rationali, cum qua in eodem ſuppoſito conſeruntur, & cui natura ſua ſubordinantur, dicto audientes ſint, nec niſi ad eius præſcriptum, in actum prodeant.

Refuſio conditionum ſubiecti, in operationes ſuperiores explicatur.

54. Anima igitur ad eum modum corpori immiſſa, & interuentu aureæ vittæ, prout ſapiens nominat, multis ab Alexandro l. 1. problem q.68. veſtigatæ, cum luto colligata, ac veluti centaurus Theſſalicus, iuxta perpulchram Clementis Alex. comparationem 4. ſtromat. c.1. coagmentata ex ſuperiori portione, quæ ſimpliciter anima dicitur, & ex inferiori, quæ corpus nominatur, ob habitudinem ad illud, tanquam ad ſubiectum inhæſionis, partem operationum ſuarum, (eas nimirum, quæ duobus gradibus inferioribus reſpondent,) per facultates corpori inhærentes exercens, mirum non eſt, quod corporis cui alligatur, conditionem, in operationes ſuas aliquatenus refundi ſentiat. Pro inſtrumenti namque aptitudine, melior vel deterior operatio elicitur. Corpus autem habet ad animam rationem inſtrumenti, quoad gradus quidem inferiores directè & immediatè: quoad ſupremum autem mediatè & indirectè, quatenus ob connexionem propoſitam, operatio ſuperioris gradus, ab operationibus gradus inferioris aliquatenus pendet, nec niſi earum interuentu & miniſterio exercetur.

Hoc in facultatibus cognoſcitiuis apertè deprehendimus. Notum enim illud Heracliti, *Splendor ſiccus anima ſapientiſſima.* Et Plato in Timæo, humiditatem dementiæ, ariditatem intelligentiæ, in anima, cauſam eſſe pronunciauit; *Nam quemadmodum fidibus,* inquit Alexander 2. problem. q.64. *in cythara, & foraminibus in tibia rectè conſtitutis, artifex optimè modulabitur: malè autem diſpoſitis, peram agat neceſſe eſt, cùm ipſe in re nulla ſit imminutus, ſed poteſtate tantùm, non etiam actu artem habeat incolumem: ita omnis facultas, pro inſtrumenti agit conſtitutione. Siquidem cerebro, v. g. per intemperiem deprauato, vis animæ rationalis nequit ſuo perfungi officio: cùm tamen ipſa interitus expers, poteſtate permaneat immutabilis: contrà autem reſtituto organi temperamento idoneo, vim & poteſtatem ſuam exerit, & confert ad actionem.* Hoc ſemper accipiendum eſt ad modum paulo ante expoſitum, hoc eſt, ratione connexionis, quæ inter phantaſiam & intellectum intercedit. Idcirco item vt dixit D. Auguſtinus epiſt.28. *Ingeniorum diuerſitas in paruulis latet, ſed ab ipſis exordiis naturalibus ductu, apparet in grandibus, quorum nonnulli tam tardi & obliuioſi ſunt, vt ne prima quidem diſcere literarum elementa potuerint. Quidam verò tanta ſunt fatuitatis, vt non multum à pecoribus differant, quos moriones vulgò vocant.*

Idcirco etiam, vt eſt apud Caſſiodorum lib. 2 de anima c.12. [Animæ paruulorum, imbecillitate corporis, nec officia ſenſuum, nec miniſteria poſſunt explicare membrorum. Sic & ſtultis iuuenibus obuiat, quod aut imparitate partium, aut craſſitudine humorum, materni vteri vitio ſuſcepto, anima, inepta nimis habitatione deprimitur, & vim ſuam exercere non præualet, inconuenientis domicilij ſede præpedita: quod ſtultis accidere hodiéque conſpicimus. quos Græci moriones vocant. Nam vt de vſuali quoque dicamus euentu. quàm multi morbis accidentibus, aut onerato cerebro aut præcordiorum ſtupore confuſi, acumen ſolitæ ſapientiæ perdiderunt? Quanti etiam momentanea læſione mutati ſunt? Nam & ipſe qui celeberrimus ſapiens habetur, copioſo prandio refertus, quàm facilè in crapulam dilapſus obtunditur? vt virum olim prudentiſſimè differentem, difficilè vel viuum credas, quem ſe nec mouere poſſe conſpicias.] Idcirco denique, qui pinguiore cœlo editi ſunt, vt plurimùm craſſiores ſunt ad intelligendum, minúſque acuti, iis quibus aëris ac cœli clementioris benignitate potiri ab exortu conceſſum eſt, vt latè proſequitur Lælius tomo 1. lib.7. cap. 3. & lib. 12. cap. 8. ſubiectis in eam rem exemplis.

Difficultas propoſita eliditur.

55. Pati ergo ratione, quoad operationes appetitiuas, inordinatio & confuſio operationum partis inferioris, ex craſſitie & indebita affectione corporis, cui pars illa immergitur. procreata; refunditur in cognatam facultatem partis ſuperioris, hoc eſt in voluntatem, ob ſympathiam & connexionem facultatum ſubordinatarum, cuiuſmodi ſunt, voluntas & appetitus inferior. Idque Ariſtoteles ſ. 30. problem. q. 1. & in facultate cognoſcente & in appetente, quoad humorem melancholicum variè permiſtum, latè declarat. Vnde euaneſcit difficultas, quæ circa primum è duobus punctis propoſitis excitata fuerat. Nam quamuis diſpoſitio corporea non influat efficienter in notitiam & appetitionem ſenſitiuam, quæ ab anima per facultatem corpori innatam exercetur; tamen adeo appoſita eſt corporeæ illi facultati, cuius ſubiectum afficit, vt ipſam quoque facultatem aliquatenus contingat, & ſua concretione obnubilet. Et quo iure, à diſpoſitione ſubiecti, ad formam ei inſitam & inhærentem pertingit certa affectio, eodem propter connexionem ſubordinatarum facultatum, diſpoſitio & qualitas appetitus inferioris ſecundùm corpoream diſpoſitionem variè affecti, communicatur cum appetitu ſuperiore, in eadem anima radicato.

Galeni

Galeni nequitia, ex dictis caſtigata.

Hinc verò inſuper liquet, nequiter,& in naturam noſtram admodum contumelioſè, Galenum lib. quòd animi mores corporis temperamentum ſequantur, ſuſpicionem, (vt ait,) ingentem concepiſſe, quod anima rationalis ſit omnino corporea, argumento duntaxat ducto, ex ea quam retuli, diuerſa animæ ad intelligendum & appetendum aptitudine pro varia corporis affectione. Fatetur enim ſe longa indagatione fatigatum, necdum reperiſſe, cur flaua bilis in cerebro copioſior collecta, delirium inuehat: cur pituitæ vbertate, lethargus inducatur, cum intelligentiæ memoriæque iactura; cur ſtultitiam cicuta propinata conciliet; omnem autem mœrorem & anxietatem diſcutiat epotum vinum, atque etiam œnopia radix. Hæc & alia ſibi eo loco, ardua & explicatu impoſſibilia eſſe, fatetur Galenus, ſi anima non ſit vſquequaque corporea. Apage verò monſtroſam ſententiam, cuius mantiſſa eſt animorum noſtrorum mortalitas, & religionis euerſio, ac Atheiſmus; quem Galeno Chriſtianorum doctrinæ infenſiſſimo, apertéque, cùm ſe dat occaſio, & Chriſtum, & Moſem, & vtriuſque doctrinam mordenti, inſediſſe animo; non modicam ſuſpicionem pleriſque præbuit, quòd eo ipſo loco, quem retuli, ait, ex Platonis Timæo peruersè detorto, animam ex vitioſo corporis habitu languere, & neminem ſponte eſſe malum, ſed ob prauam habitudinem corporis, & rudem educationem, ac proinde non debere turpia vituperari. Quod crudè acceptum, quàm patens oſtium ſit ad atheiſmum, non eſt quòd exquiſitiùs demonſtrem. Itaque Galenum, in hac morum ad temperamentum conſecutione, & animæ noſtræ mortalitate, acriter damnat Iſid. Peluſ. lib. 4. epiſt. 115.

56. Itaque ea, de animæ noſtræ corporeitate, ſuſpicione procul abacta, dicendum eſt; aggrauationem animæ per corpus quod corrumpitur, aptè & commodè exponi, per eam facultatum corporearum, cum incorporeis quibus ſubordinantur, connexionem & ſympathiam, de qua paulò ante; ídque omnino conſequens eſſe ad rationem formæ corporis, tres illos quos recenſui gradus comprehendentis. Minùs autem mirum eſt, hæc non ſatis perſpexiſſe Galenum, cum paulò ante quàm ingentem illam ſuſpicionem aperiret, faſſus ingenuè fuerit, fixam intellectui ſuo crucem eſſe, in peruadenda cauſa, cur refrigerato nimiùm corpore, aut nimiùm concalefacto, abſcedat anima. Quod tamen miror cur difficilius duxerit, quàm cur forma ligni, immiſſo alienæ formæ præſidio, id eſt, diſpoſitione vltima ad ignem, ſicque conſentaneo ſibi, diſpoſitionum quibus fouenda eſſet, apparatu deſtituta, cedat hoſpitio, quod hactenus incoluerat, détque in materia aliter diſpoſita, locum formæ ignis, quæ per ſimile materiæ maleficium, mox igni inimicis diſpoſitionibus aduentantibus, ſimili modo extrudetur. Similiter enim anima rationalis, quia eſt forma corporis, certum diſpoſitionum apparatum in corpore exigit, non vt ipſa ſimpliciter ſit, ſed vt in corpore ſit, & per illud operetur. Quia igitur ex communi & generali lege omnibus formis ſtatuta, ad prædictam viciſſitudinem & vniuerſi bonum, certus apparatus diſpoſitionum neceſſariarum fomentu animæ rationalis, diſpellitur; ipſáque anima exuitur ſubiecti ſui aptatione per diſpoſitiones alterius formæ, domicilium illud inuadentis: idcirco anima, à corpore indiſpoſito abſcedere cogitur. Quod qui explicatu arduum exiſtimat, non miror ſi operoſum quoque cenſeat intelligere, quomodo corporis temperiem variæ animi affectiones ſequantur, eíque ſe accommodent.

Applicatio doctrinæ propoſitæ, ad animam ſentientem.

Nec plura de priore puncto propoſito, ſeu quomodo anima, cùm ſit ſpiritualis & incorporea, pro varia tamen corporis temperatione, variè agitetur paſſionibus. Quod proportione ſeruata, locum habet in appetitu brutorum, ſi quæratur quomodo eorum anima, cùm ſit nobilior corporeis diſpoſitionibus, & quoad gradum ſenſitiuum ab eis vt coëfficientibus non pendeat, immutetur nihilominus per eas, & pro illarum varietate, variam pronitatem ad hos illóſve affectus induat. Videmus enim bruta aliquando ita æſtuare vt rabiant; aliàs ſedata eſſe & pacata; nunc alacriora eſſe, nunc languidiora. Quorum omnium ratio ducenda eſt, ex ea quam dixi, animæ ſentientis facultatum mixtura cum corpore, & hauſta per formam accidentariam, quæ eſt proximum agendi inſtrumentum, ſubiecti cui inſidet certa affectione. Nihil enim procliuius eſt, quàm vt accidens ſubiecti diſpoſitionem redoleat; & liquor, vaſis veluti odore imbuatur. Hanc verò ſenſitiuæ facultatis, ex materiæ aptatione, ad ſic vel ſic agendum inclinationem, in facultates rationales ex ſe à corporea concretione liberas, deriuari in homine propter facultatum colligationem; non eſt intellectu operoſum, rectéque exponitur à Gerſone 3. parte tract. de paſſionibus conſider. 19. & ex dictis ſatis liquet.

Variandæ temperiei, & hominis ad varias paſsiones aptandi, cauſæ complures; Ac primùm intrinſeca.

57. Pergo ad poſterius punctum ſupra propoſitum, quo declarandum eſt quomodo temperies ex variis actiuis aut paſſiuis varietur, & homo ad varias paſſiones aptetur. Poſſunt verò illa actiua, reduci ad ea, quæ intrinſeca ſunt, & ad ea quæ extrinſeca. Intrinſeca ſunt principia naturalia materialia, communicata in generatione, pro varia generantium habitudine diuerſam ſortita temperiem. Item vaſorum quantitas & figura, amplitudo & arctitudo. Denique aſſuefactio, & habenarum laxatio in paſſionis alicuius vſum. Ad hæc accedunt quæ tametſi reuera ſunt extrinſeca, tamen corpus ſubeunt, vt eſculenta, poculenta, pharmaca, aër, & huiuſmodi alia: quibus addendi cœleſtes influxus, quatenus aliquid poſſunt in hoc genere. Prorſus extrinſeca cenſeri debent, incitamenta ex conuictu aliorum qui paſſioni alicui ſint obnoxij; & vel exemplo ac factis, vel etiam impulſu morali, paſſionem alienam prouitent. Nihil enim facilius, quàm vt paſſionum fuligo, ab vno alteri affricetur. Huc item retulerim muſicam, & concentum; cuius eſſe ad concitandas vel auertendas paſſiones magnam vim crebra experimenta teſtantur. Delibemus de ſingulis vtriuſque capitis membris, ſelectiora quædam.

Sanguis parentum.

Parentum cum ſemine, mores influere, vt Poëta 4. Metamorph. prodidit; hoc eſt, vt plurimùm iiſdē paſſionibus & moribus obnoxiam eſſe prolem, quibus obnoxij ſunt parentes, Alphonſus de Caſtro lib. 2. de iuſta hæret. punitione c. 9. notauit ex Ariſtotele 3. Polit. c. 8. idcirco docente, conſentaneum eſſe, vt meliores ſint qui ex melioribus oriuntur. Et libro 1.

eiuſdem operis c.4. ex quorundam, quos refert, ſententia, tradit; ſicut ex hominibus homo, & ex beſtiis beſtia generatur; ſic ex bonis parentibus, bonam prolem edi. Eleganter Theognis: *Non è ſquillâ, roſa naſcitur, aut hyacinthus; ſed neque ex ancilla filius ingenuus.* Atque adeò neque ex malè moratis parentibus, proles benè morata. Nimirum quodlib. 4. oda item 4. cecinit Lyricus:

Fortes creantur fortibus, & bonis.
Eſt in iuuencis, eſt in equis, patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Eodem ſpectat antiquum prouerbium: *mali corui, malum ouum.* Videndum monitum, quod in hanc rem tradit, & ex Diogene confirmat Plutarchus, initio libelli de puerorum inſtitutione. Et inſigniter omnino Ocellus Lucanus in fine libri de vniuerſo, hinc colligens, parentibus inculçans, quanta circumſpectione & cura, ſit eis coniugio vtendum. Nam parentum intemperantiam & laſciuiam, luit proles malè morata. Idem ſapienter intulit Cardin Viguerius in Decachordo, chorda prima c.28. Vt plurimum ergo proles à parentibus vt ſubſtantiam, ita & pronitates certas haurit. *Nepotes* ait Iulianus Apoſtata in Miſopog. *auum, generis vel certè nominis autorem imitantur. Nam quemadmodum in plantis veriſimile eſt, diffundi qualitates quàm latiſſimè ac fortaſsè etiam in totum ſimilia naſci ea quæ gignunt iis vnde orta ſunt; ſic etiam in hominibus, credibile eſt, nepotum mores auitis affines eſſe.* Id verò perſpicientes iuriſperiti, quos magno in hanc rem numero adducit Tiraquellus l. 7. connub. gloſſ.1. part.7. n.3. & 8. & Sanchez 2. in Decal. c.27. n.10. facilè præſumi tradunt, parentum paſſiones in liberis repræſentari, iuxta illud apud eos vulgatum.

Sæpè ſolet ſimilis filius eſſe patri.

58. Sæpè inquam. Nam quòd in raro aliquo euentu contrarium cernatur, negari non poteſt, iuxta illud Iuliani Auguſti orat.3. panegyr. in fine. *Qui Deum imitatur, non ignorat, apum examina etiam è ſaxis euolare, atque ex amariſſimo ligno, longè ſuauiſſimum exoriri fructum ficus inquam ſuaues ac iucundas, atque è ſpinis Punicum malum, ac ſi quæ alia ex aliis prodeunt, eorum à quibus propagantur ac gignuntur, diſſimilia.* Lepidè Plato lib. 3. de Rep. referente etiam Ariſtotele 2. polit. c.3. ait formationi vniuſcuiuſque, immixtum à Deo aurum iis qui præſtantiſſimi ſunt futuri: argentum verò mediocribus; ferrum denique & æs, iis qui ſunt infimæ notæ. Interdum tamen ex aureo parente, naſci argenteum fœtum, & ex ferreo aureum: hoc eſt, mutato temperamento, alias in prole idoneitates & aptitudines ad certos mores exiſtere, quàm in parentibus viguerint. Rectiùs S. Chryſoſtomus homil. de nomine Abram, laudato Abrahamo quod ex amara radice dulcis fructus extiterit, ex parentibus inquam impiis, pia proles; aliis item ſimilibus exemplis ex ſcripturarum prato prolatis, ſubdit. *Ex hoc diſcimus, quod non naturæ, ſed voluntatis eſt vitium & virtus. Enimuero ſi natura eſſet omnino mali malos parerent, & boni bonos. Sed quia electionis & voluntatis eſt probum vel improbum eſſe, ideirco ſæpè malis parentibus boni filij & ignauis filiis ſtudioſi parentes ſunt, vt non naturæ ſed voluntati ſemper illa imputemus.* S. item Hieronymus epiſt. ad Lætam de filiæ inſtitutione ei gratulatur, quod in ipſa, *radicis amaritudinem, dulcedo fructuum compenſarit, & viles virgulæ balſama pretioſa ſudarint.*

Vt plurimùm tamen conformiter ad Eſdram l. 4. c.9. *qualis ager, talia & ſemina & quales flores, tales & colores, qualis operator talis & creatio, & qualis agricola talis & cultura.* Idem tradit Fauorinus apud Gellium l.12. c.1. Ratio perſpicua eſt, ex communicatione temperamenti filio facta à parentibus. At temperamento, conſentiunt pronitates ad certas paſſiones. Hoc voluit Plato in Theæteto, cùm rationem docilitatis vel indocilitatis, lenitatis aut aſperitatis morum, omniúmque hominis affectionum, peti ait ex læuitate & mollitie, vel è contra duritie & hiſpiditate ceræ ex qua ſunt coagmentati: Ceram enim eſſe vniuſcuiuſque noſtrum naturam, in aliis puriorem & molliorem, in aliis ſordidiorem & duriorem; itaque inde varias exiſtere pronitates ad certas affectiones. Approbat eandem ſimilitudinem Antoninus l.7. n.20. adhibétque ad facilem hominis tranſmutabilitatem & efformabilitatem in quaſuis formas, perinde ac in cera cernimus, declarandam.

Quanquam verò vtriuſque parentis paſſiones & mores, vigeant vt plurimum in ſobole, quia ambo ad eius temperiem concurrunt, & de ſuo conferunt, vt Iſidorus Pel l.3. epiſt.411. rectè aduertit: Tamen paternam in liberos actiuitatem, multò efficaciorem eſſe vt patri reſpondeant, tradit diſertè S. Chryſoſtomus hom.45. in c.24. Matth. operis imperfecti, & conſentiunt Iuriſperiti ad l. *quiſquis* §. *filij C. ad l. Iuliam Maieſt* docentes, iura filium punientia ob crimen parentum, & ſupplicium protrahentia ad certum gradum, niſi materni generis expreſsè meminerint, intelligi de ſola linea paterna. Sola autem matre rea læſæ maieſtatis, nullum in filios, ad pœnam criminis, contagium deriuatur. Præſumitur enim, longè faciliùs imbui prolem paternis moribus & paſſionibus, eo quod multò ſit efficacior paterni ſeminis vis, præſertim ſi, quod Ariſtoteles voluit, mater ad generationem prolis ſuppeditet duntaxat materiam nullatenus actiuam: ſolius autem patris ſemen actiuè ſe habeat, de quo aliàs.

Certa membrorum conformatio, & configuratio.

59. Eſt præterea quod ad rem noſtram conſideretur in prolis generatione, nempe membrorum & vaſorum conformatio, & configuratio, in tali quantitate & capacitate. Vnde non modica certarum paſſionum cauſa. Sic enim, quæ animalia, grande & admodum capax cor ſortiuntur, vt lepores, cerui, aliáque huiuſmodi, timidiſſima ſunt ob cordis amplitudinem, in qua ſpirituum calor liberè exſpatians, remittit vim ſuam. E contra verò quibus cor puſillum eſt, audentiora ſunt, ob ſpirituum conſtipationem. Expoſuit hoc egregiè Ariſtoteles 3. de part. cap. 4. verbis illis: [Diſcrimina cordis quæ amplitudine, exiguitate, duritia, mollitia, exiſtunt, ad mores pertinent aliquatenus. Quæ enim ſenſu hebeti ſunt, cor habent durum & ſpiſſum: quæ autem ſenſu valent, mollius. Pauida etiam ſunt, quibus cor grandius: audentiora fidentioráque, quibus minus, aut mediocre. Affectus enim, qui accidit ex metu, iam iis præeſt: quoniam calorem proportione cordis non habent, ſed paruum caloris in magno conceptabulo exoleſcit, itaque ſanguis frigidior fit. Cor magnum proportione, lepori, ceruo, muri, hyænæ, aſino, pantheræ, muſtelæ, & reliquis ferè omnibus, quæ apertè timida ſunt, aut propter metum malefica. Simile in venis atque in ventriculis cordis euenit: ſunt enim frigidiores, & venæ ampliores, & ventriculi ampliores: Nam vt in paruo & in magno domicilio tantundem ignis non æquè calefacit, ſed minus in magno; ſic in his calor non pariter agit. Vas enim tam vena, quàm ventriculus eſt. Item motus alieni, calidum quodque refrigerant, plus autem ſpiritus in amplioribus eſt magiſque valet.

Inde fundamenta Phyſiognomiæ: Einſdem vſus.

Ad hoc ipſum caput reducitur, quicquid Phyſiognomia de hominum moribus & affectibus ex partiũ cõformatione aut colore coniectat. Nam conformatio prima in conceptione facta eſt, eámque color ferè aſſectatur per reliquam vitam. Quamuis autem ea notitia eſt admodum incerta; ac ſi agatur de ſingularibus actibus liberis; omnino ſit fallax, ob intemeratam ſemper liberi arbitrij vertibilitatem: tamen negandum non eſt, quin ex tali partium corporis conformatione, earúmve colore & habitudine, petere liceat coniecturas aliquas de pronitatibus ad certas paſſiones. Quod nemo neſcit in Socrate factum à Zopyro Phyſiognomo; & quidem, vt faſſus eſt Socrates, ad veritatem *Non fruſtra doctiſſimi viri*, vt eſt in Conſtantini filij panegyr. *dicunt naturam ipſam, magnis mentibus, domicilia corporum digna metari, & ex vultu hominis ac decore membrorum, colligi poſſe, quantus illos cœleſtis ſpiritus intrauit habitator*. Sic etiam Sextus Philoſophus dixit corpus eſſe quandam animi imaginem. Ariſtoteles quoque in libello de phyſiognomia latè perſequitur indicia & ſigna morum ex colore vel conformatione partium corporis. Et quamuis author Dæmonomaniæ l.1 c.5. eum libellum Ariſtoteli abroget, cauſatus ſtyli diuerſitatem, ab aliis tamen non minus ſagacibus ſtyli Ariſtotelici exploratoribus habetur pro fœtu germano Philoſophi, nec præteritur in Laërtij indice lib.5. Eo libello, Metopoſcopiam præſertim, perſequitur Philoſophus Sigillatim idem perſequitur Hipp.l.2.de morbis popul. ſ.5.& 6.

De vſu eiuſdem Phyſiognomicæ notitiæ apud aliquos, audi imprimis Proclum in Alcibiadem primum Platonis. *Mos Pythagoræus erat, per ſigna in corpore conſtituta, venientes ad eos iudicare, vtrum ad meliorem vitam apti forent, néene. Natura enim ipſa, quæ animis confingit corpora, inſtrumenta eis congrua ſubminiſtrat, imaginéſque animarum in corporibus indicat, per quas & animarum ingenia in hac arte periti, deprehendere poſſunt.* De Indis pulchrè Nicoſtratus lib. de nuptiis. *Quoniam qui vxores ducunt, initio neſciunt quales eædem futuræ ſint moribus; Indi, & ipſorum ſapientes, hoc modo vxores ducunt, & nunquam ſe falſos aiunt. Nempe non propter opes & gloriam, viri Indi ac diuitis filiam ducunt; ſed ipſam puellam eiúſque faciem & pulchritudinem ſtudioſè conſiderant, idque non ita vt nos, nec intemperanter, ſed arte quadam ſapienter faciunt. Benigni enim oculi, ſummam animi pulchritudinem comitantur; & fieri ſolet, vt qui non exſcandeſcit, nec facilè iraſcitur, aut bile mouetur, faciem ſplendidam ſerenámque habeat. Qui verò malignus & doloſus fuerit, is ſtatim & oculis tranſuersè implacidéque intuetur. Qui ſtolidus ac ſimplex eſt, pupillas & oculos patentes gerit, vt aſini & oues. Cui ſupercilia coniunguntur, improbus eſt. Cuius ſuperficies in vultu non rubet, ſed obſcura caliginoſáque eſt, huius anima nunquam vllo modo exhilaratur. Cæterum eiuſmodi notæ non modò virginibus & mulieribus ſed etiam viris inſunt.* In hanc rem plurima legi poſſunt apud Phyſiognomos, (adhibito tamen neceſſario delectu,) vt apud Melampum & Palæmonem (qui apud Orig.l.1.contra Celſum Polæmon vocatur & Zopyro, ac Loxo, Phyſiognomorum principibus, adiungitur:) Baptiſtam Portam in cœleſti phyſiognomia itémque Pomponium Gauricum in opere de ſculptura, & alios his inaniores.

Origo vltima, & momentum Phyſiognomicæ coniectationis.

60. Obſeruat porrò rectè Valeſ. in Hierophyſ. cap.32. hæc paſſionum & morum indicia, ad temperamentum reduci, quòd tali conformationi partium, tale temperamentum conſentiat. Voluiſſe id videtur Caſſius Medicus probl. 52. vbi propoſita quæſtione cur homines formæ prodigioſæ, non rarò mentis ſint emotæ; reſpondet, quia corpori conſentit anima, vt animæ corpus. Sed diſertè annuit Fontanus in Ariſtotelis Phyſiognomiam c.5 & Menochius in Hieropol. l.2. c.30. n.8. confirmans ex variis ſcripturis, aliquem phyſiognomiæ vſum eſſe poſſe, ad dignoſcendos hominis affectus; Addénſque etiam rationem. Si enim equiſones ex conformatione corporis, de equi generoſitate pronunciant; & venatores de canum venaticorum idoneitate non improbabiliter plerumque ſtatuunt, ex iiſdem ſignis; rimantes ex ea externa compoſitione, temperamenti præſtantiam, hinc verò affectuum & propenſionum qualitatem; quidni proportione ſeruata idem in homine ſtatuere liceat, vt coniecturam aliquam de eius propenſionibus habeamus / non ita quidem certam, vt in brutis, quæ naturam nunquam non ſequuntur, ſi extrinſeci obices ſecludantur; probabilem tamen, vel potius aliqualem, quæ iis hominibus, quibus ſigna illa inextiterint, inſertas eſſe has vel illas ad certos affectus propenſiones, vtcumque prodat.

Cenſuerim autem exilitatem coniecturæ, quam fateor peti ex his ſignis poſſe, tranſcenſam fuiſſe à Iuriſperitis, quos ſolam vultus & oris conformationem conſiderantes, in duobus de crimine aliquo ſuſpectis, diuerſam; habere pro criminoſiore, & priùs torquendo, illum qui facie ſit minus liberali, refert Valeſ. ſupra. Mihi indicium hinc petitum, non foret tanti; qui meminerim inter adagia iactatum, *fronti nulla fides*, approbante Iuuenale Satyr. 2 nec ignorem, fruntem, quod ille alius dixit, oculos, vultum, perſæpè mentiri. Itaque illud Iuriſconſultorum iudicium reiicio, & reiecit etiam Farinac in praxi crimin. part. 1. q.52. n. 166. etiamſi cum probatioribus Iuriſconſultis quos profert, fateatur, inde in genere aliquam maleficij præſumptionem ingenerari. Et ſic accipiendi ſunt bene multi Doctores, quos protulerat n.165.

Poſtremum paſſionum irritamentum intrinſecum, aſſuefactio.

61. Aſſuefactio, quam poſtremo loco numerabam, inter intrinſeca paſſionum incentiua, idcirco in primis ingenerat pronitatem ad paſſiones, quia inurit habitum facilitatiuum ex parte appetitus, quo potentia, exercito aliquoties actu, promptior redditur ad ſimiliter operandum; ita vt ægrè homo ſiſtere poſſit impetum, quo ſentit ſe præcipitare in actionem. Quæ cauſa fuit, cur priſci quidam, hoſtibus ſuis nihil tetrius aut infeſtius imprecari ſe poſſe arbitrarentur, quàm malam conſuetudinem. Ita refert de Cretenſibus Valer.l.7.c.2. Eandem S. Chryſoſtomus hom. 59. in Geneſ. *ferè in fine*. ait eſſe longè deterrimùm malum, & veluti neceſſitate ad exequendum quod conſuetudine firmatum fuerit. Hæc ſunt vincula quæ ſibi volens homo iniicit, vt infra dicam, & piè admodum deplorat S. Ephrem ſerm. de paſſionibus. Itaque prouidè Magiſtri morum, quos infra art. vltimo referam, ſtatuunt cauendum cuique maximè eſſe, exercitio actionum, quarum abſtinens eſſe velit ſine difficultate.

Et Ariſtoteles ob hanc cauſam ſpecialiter monet 2. Eth. c.1. permagni omnino referre, quibus quiſque actionibus à pueritia aſſueuerit, quod inoliti per aſſuetudinem habitus, paſſiones prope effrænes, & ad rationis ductum indociles reddant, donec longa fre-

quentatione actuum contrariorum, expungatur habitus proximmiſſus, abſtergatúrque rubigo, quam actuum anteriorum vis, potentiæ affricuit.

Non piget aliquid in hanc rem ex Pelagij epiſt. ad Demetr. libare, & ex tribulis ficus legere. [Quicquid *inquit*, in te primùm inſtitueris, hoc manebit & ad initiorum tuorum regulam, reliqua vita decurret. Finis in ipſo exordio cogitandus eſt. Qualis ad illum vltimum diem peruenire cupis, talis iam nunc eſſe conare. Conſuetudo eſt, quæ aut vitia, aut virtutes alit, quæque in his plurimùm valet, cum quibus ab ineunte ætate ſimul creuerit. Optimi ſunt ad inſtitutionem morum, primi quippe anni. Habent enim in ſe lentum quiddam & molle, quod facile formari queat, atque ad arbitrium volentis trahi, & in cunctis ferè rebus, citiùs aſſueſcitur omne quod tenerum eſt. Nouellas adhuc & vix firmæ radicis arbuſculas, dum ad omnem ductum ſequaces ſunt; in quamlibet partem flecti facile eſt, quæ natura plerumque curuatæ, citò ad arbitrium colentis corriguntur. Tenera adhuc & primæ ætatis animalia, ſine labore domari ſolent, quantóque citiùs à vagandi libertate, diſſueta ſunt, tantu faciliùs vel colla iugo, vel frenis ora inſueſcunt. Ipſa quoque literarum ſtudia, teneris melius inſeruntur ingeniis, idque penitus inhærere ſenſibus ſolet quod primitùs ſederit in mente Hoc idem plurimùm etiam in bene viuendi ratione valet: dum nobilis eſt ætas, & animus duci facilis exercenda boni conſuetudo, & iugi meditatione confirmanda eſt. Occupandum eſt optimis rebus ingenium, & ſanctæ conuerſationis vſus, altiùs inſerendus eſt. Tunc verò ad perfectionis faſtigium animus aſcendit, & longæ conſuetudinis beneficio vtitur ad bene viuendi facultatem, & virtutes ſuas ipſe etiam miratus ſecum, quodammodo in ſe putabit natum eſſe, quod didicit.] Id eſt, tanta homini propenſio ad bonum, & paſſiones moderatas conciliatur, vt videatur innata, & quod partum fuerit diuturna exercitatione ac aſſuefactione, (quæ cum de virtute paranda agitur, doctrina dicitur, vt oſtendo cum de virtute vniuersè;) videatur internum atque natiuum.

62. Altera cauſa cur aſſuefactio conferat ad pronitatem nouam comparandam, profertur à S. Greg. Nyſſeno l. de Virgin. c. 9. quod ex frequentatione mali operis quo paſſioni ſuccumbitur, obſoleſcat virtutis nitor. Variatur enim iudicium, quod de obiecto formabamus: ita vt aſſuetudine erga illud operandi, minùs tetra appareat eius facies: Vnde remoto fræno paſſionis impetum retardante creſcit eius ferocia. Et hinc etiam egregiè Eucherius, ſiue Euſebius Gallicanus hom. ad plebem obtrectatricem, cauſam petit, cur periculoſiſſimum ſit, conſuetudinem contrahere peccandi. Sic enim ait. *Vt non intelligamus mala noſtra, vſus agit malorum Habet hoc infelix conſuetudo peccandi, vt quanto amplius quiſque deliquerit tanto minùs delicta ipſa cognoſcat. Suffundunt enim mentis intuitum, tenebræ delictorum. Ac ſic, peccantem plus peccare delectat; quia de negligentia ſubtrahitur verecundia, & pudoris caſta reuerentia, & de luxuria creſcit illecebra Et ſicut miniſtratis & ingeſtis lignorum pabulis, non extinguitur, ſed magis magiſque nutritur ignis: ita ipſa inhoneſtatis aſſiduitate eſca eſt voluptatis.* Audi etiam S. Bernard. l. 1. de conſid. c. 2: *Nihil tam fixum animo quod neglectu & tempore non obſoleſcat Vulneri vetuſto & neglecto callus obducitur & eo inſanabile quo inſenſibile fit. Denique dolor continuus & acerbus, diuinus eſſe non patitur. Nam ſi non aliunde extunditur, ne eſſe eſt cedat vel ſibi. Enimuerò ci ò aut de remedio conſolationem recipiet, aut de aſſiduitate ſtuporem Quid non inuertat conſuetudo? Quid non aſſiduitate duretur? quid non vſui cedat? quantis quod præ amaritudine prius exhorrebant, e ſu ipſo malè in dulce conuerſum eſt? Audi iuſtum quid lamentetur ſuper huiuſcemodi:* Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ anguſtia cibi mei ſunt. *Primùm tibi importabile videbitur aliquid: proceſſu temporis ſi aſſueſcas, iudicabis non adeò graue, paulo poſt & leue ſenties, paulo poſt nec ſenties, paulo poſt, etiam delectabit. Ita paulatim in cordis duritiam itur.*

Poſtrema cauſa eiuſdem pronitatis, aſſuetudinem operandi conſequentis, ducenda eſt ex immutatione temperamenti, anteriores actus conſequente. Nam vt in calce huius tractationis demonſtrabo, & iam tetigi ex Ariſtotele & D. Thoma, paſſiones excitant in nobis, varias humorum corporeorum & temperamenti alterationes Itaque qui ſæpè iraſcuntur euadunt iracundi, ita vt igneſcentibus per iram humoribus, difficiliùs iram coërceant, ſintque ad eam proniores, quàm eſſent ante laxatas primùm iræ habenas Tractauit hunc locum excellenter Galenus lib de cu: ãdis animi morbis, itémque Plutarchus lib. de educandis liberis, vbi poſt longam multiſque rationibus fertam de hoc argumento diſputationem, ſubdit exemplum Lycurgi; qui vt doceret, quantum ad ingenerandas diuerſas propenſiones ad varios affectus, eſſet in conſuetudine momenti; duos catulos eiſdem editos parentibus ſed diuerſimodè aſſuetos protulit; quorum alter ad ollam & offam, cui aſſueuerat; alter venationi aſſuetus, ſimul propoſito lepore, in prædam inuolauit. Ex quo experimento intulit Lycurgus, quanta ſit vis conſuetudinis & aſſuefactionis ad certam complexionem, & has illaſve propenſiones ingenerandas. Sed & Apollo vt eſt apud Dionem Chryſoſtomum orat. 32. *initio*, eò reſpexit, cùm Athenienſes docuit, ſi vellent bonos viros in ciuitate prouenire, vt optimũ quod eſſet, puerorum auribus inſererent: bonam inquã inſtitutionẽ, quam hæc illáve complexio, & pronitas, facilè conſequitur. Quanquam mentẽ oraculi. Athenienſes perperam interpretati, aurum auribus appẽderunt, malè vſi puerorum auribus, vt Dio loquitur.

Extrinſeca paſſionum incentiua; Ac primùm eſculenta & poculenta.

63. Venio ad extrinſeca & remota paſſionum irritamenta Inter quæ primùm recenſui, quæ per ingeſtionẽ fiunt intrinſeca, vt eſculẽta, poculenta, & pharmaca: quorum omnium magna vis eſt, ad paſſionum varietatem. Et quidem quod ad eſculẽta & poculenta attinet cùm tranſeant in viuentis ſubſtantiam, illique ſuummum temperamentum communicẽt, perſpicua eſt ratio, cur poſtquam concoctio facta eſt, & alimentum in aliti ſubſtantiam tranſiit, oporteat affectiones illorum corporum, communicari corpori alito, indéque concipi in eo, pronitatem maiorem ad hos illóſve affectus, quibus temperies per alimentum aduecta, magis conſentit. Hinc illæ apud S. Bernardum ſerm. 30. in Cant. voces Monachorum, quos Hippocratis regulam ſectatos expoſtulat. *Caules nutriunt melancholiam; cholitam porri accendunt, piſces de ſtagno, aut de lutoſa aqua meæ penitus complexioni non congruunt.*

Similiter Ariſtoteles 2. de part. c. 4. ex ſanguinis tenuitate, & frigiditate, vel ex eiuſdem craſſitie & calore, (quæ affectiones connaturalis pabuli conditiones, ferè conſectantur;) infert cur quædam animalia quibuſdam paſſionibus, alia aliis ſubiaceant; quædam temeraria & impetus plena; quædam e contra ſedatiora, & vt Ariſtoteles loquitur, ſapientiora appareant. [Habent, *inquit*, ſenſum mobiliorem, quorum humor tenuior & ſyncerior eſt: hinc etiam nonnulla ex iis, quæ ſanguine vacant, animalibus, prudentiora nonnullis ſanguinem habentibus ſunt, vt dictum iam eſt, v.g. apes, formicæ, & ſi quid aliud tale eſt, timidiora, quibus ſanguis dilutus nimium eſt; metus enim refrigerat.

refrigerat. Itaque ea, quibus huiuſmodi temperamentum in corde habetur, metuendi affectioni ſunt opportuniora, atqua enim frigore congelaſcit. Quam ob rem, cætera quæ exanguia, timidiora ſanguineis ſunt animalibus, (quod ſimpliciter dixerim:) ac mora ceſſant præ nimio metu, & excrementa emittunt: nonnulla etiam, ſuos colores immutant. Quorum autem ſanguis fibris admodum multis craſſiſque refertus eſt, hæc terrena amplius conſtant natura; & animoſa, iracunda; proindéque furibunda ſunt: ira enim calorifica eſt. Solida autem firmioráque omnia concalefacta, vehementiùs quàm humida concalefaciunt. Fibræ verò, ſolidæ terrenæque ſunt: Itaque quaſi fomenta in ſanguine efficiuntur, feruorémque per iram accendunt. Ex quo fit, vt tauri, & apri, animoſi, iracundi, furibundique ſint: ſanguis enim eorum, fibris refertior eſt.]

Huius varietatis rationem à me tactam, reddit paulò poſt eodem loco Philoſophus verbis illis. *Profecto naturam ſanguinis cauſam eſſe, cur permulta animalibus veniant, tum per mores, tum etiam per ſenſum, ratio eſt. Materia enim totius corporis eſt. Quippe cùm alimentum materia ſit, ſanguis autem vltimum alimentum habeatur. Facit igitur, vt plurimum differentia exiſtat, ſi calidus aut frigidus ſit, ſi tenuis aut craſſus, ſi turbulentus aut nitidus.* At exiſtit tenuis aut craſſus, turbulentus aut nitidus, calidus aut frigidus, pro tatione eſculentorum & poculentorum, ex quibus conficitur. Igitur varietas alimentorum, permagnam vim habet ad paſſionum varietatem, poſtquam per calorem natiuum & facultates nutritioni deſeruientes ſubacta ſunt, tranſieruntque in viuentis ſubſtantiam.

Lac præſertim, infanti datum.

64. Hoc verò præcipuè ſpectandum eſt in alimento proximo paruulorum; hoc eſt in lacte, ex quo paſſionum varietatem in brutis quoque cerni, notauit Dio Chryſoſtomus orat. 21. & confirmat Cardanus l. 2. de ſapientia *ſub finem* confirmans, viſum ab ſe felem à cane lactatum, minus agreſtem & infidum euaſiſſe. Ex lacte porrò, vt in homine ſiſtam, maximè contrahi à paruulis procliuitates ad has illáſve paſſiones notauit Fabius lib. 1. Inſtit. c. 1. ex Chryſippo, quem idcirco ait, optaſſe nutrices prouideri pueris, quantum res pateretur, optimas. Idem Lætæ, circa filiæ educationem, præſcribit S. Hieronymus ep 7. & commendatur plurimùm à S. Ambroſio l. 1. de Abrah. c. 7. & pulchrè à Meſſala apud Tacitum Dialog. de orat. Obſeruatúmque diligenter eſt à Phauorino Philoſopho apud Gell. l. 12. c. 1. in inſigni diſputatione aduerſus imperfectum illud atque dimidiatum matrum genus, quæ cum aluerint in vtero neſcio quid quod non viderent, non alunt poſteà ſuo lacte, fœtum quem vident iam viuentem, iam hominem, iam matris officia implorantem: Incontinentiæ inuentum eſſe ait S. Gregor. ad 10. Auguſtini interrog. vt mater non lactet quem genuit. Dimidiatam, & imperfectam vocat matrem, quæ infantem abs ſe editum non alit, quia vt ſcitè dixit S. Chryſoſt. hom. de natiuit. ſeptem Machab. *Non partus qui natura eſt, ſed educatio matres facit quæ eſt voluntatis*: Idque confirmat Chryſoſtomus eo Apoſtoli loco quo viduam eo nomine inter Chriſtianos dignam celebrans, inter eius characteres profert ſi filios ipſa enutriuit. Expendit S. Chryſoſtomus, non dictũ ab Apoſtolo *ſi peperit*, ſed, *ſi enutriuit*. Hæc ſiquidem eſt vt ait loco proximè notato S. Ambroſius, *matrum gratia, hic honos*. Lactare ac fouere quam ediderint prolem, non autem editam abiicere, aut extraneis permittere de quo meritò expoſtulabat Phauorinus, quo in genere prodigioſas eſſe ait illas mulieres, quæ fontem illum ſanctiſſimum corporis, generis humani educatorem, areſacere & extinguere cum periculo quoque, auerſi corruptique lactis laborant, tanquam pulchritudinis ſibi inſignia deuenuſtet. Quod eadem ab eis vecordia fieri expoſtulat, qua ab aliis, ne æquor ventris irrugetur, per ſcelus publica deteſtatione & communi odio lignũ; homo in ipſis primordiis, dum fingitur, dũ animatur, inter ipſas artificis naturæ manus, interficitur.

Cùm autem opponeretur, nihil intereſſe, cuius lacte alatur & viuat puer, dummodo alatur; hoc ita retundit Phauorinus. [Cur igitur iſte qui hoc dicit, ſi in capeſſendis naturæ ſenſibus tam obſurduit, non id quoque nihil intereſſe putat, cuius in corpore, cuiúſque ex ſanguine, concretus homo & coalitus ſit? An quia ſpiritu multo, & calore exalbuit, non idem ſanguis eſt nunc in vberibus, qui in vtero fuit? Nonne hac quoque in re, ſolertia naturæ euidens eſt, quod poſtquam ſanguis ille opifex, in penetralibus ſuis omne corpus hominis finxit, aduentante iam partus tempore, in ſupernas ſe partes profert; ad fouenda vitæ atque lucis rudimenta præſto eſt; & recens natis notum & familiarem victum offert? Quamobrem non fruſtra creditum eſt, ſicuti valet ad fingendas corporis atque animi ſimilitudines, vis & natura ſeminis; non ſecus ad eandem rem, lactis quoque ingenia & proprietates valere. Neque in hominibus id ſolùm ſed in pecudibus quoque animaduerſum. Nam ſi ouium lacte hædi aut caprarum agni alantur, conſtat fermè in his lanam duriorem, in illis capillum gigni teuniorem. In arboribus etiam & frugibus, maior plerumque vis & poteſtas eſt, ad earum indolem vel detrectandam vel augendam, aquarum atque terrarum quæ alunt, quàm ipſius quod iacitur ſeminis. Ac ſæpè videas arborem lætam, & nitentem, in locum alium tranſpoſitam, deterioris terræ ſucco deperiiſſe. Quæ, malum igitur ratio eſt, nobilitaté iſtam nati modò hominis, corpúſque & animum, benè ingeniatis primordiis inchoatum, inſitiuo degenerique alimento lactis alieni corrumpere? *Et mox*, Id Hercle ipſum eſt, quod ſæpenumero mirantur, quoſdam pudicarum mulierum liberos, parentum ſuorum neque corporibus, neque animis, ſimiles exiſtere. Scitè igitur & peritè noſter Maro, cum verſus illos Homeri conſectaretur,

——— οὐκ ἄρα σοί γε πατὴρ ἦν ἱππότα Πηλεύς
Οὐδὲ Θέτις μήτηρ, γλαυκὴ δέ σ' ἔτικτε θάλασσα
Πέτραι τ' ἠλίβατοι, ὅτι τοι νόος ἐστὶν ἀπηνής.

Non partionem ſolam, tanquam ille quem
Sequebatur ſed altricem quoque feram &
Sauam criminatus eſt: Addidit enim hoc de ſuo,
——— *Hyrcanaque admorunt vbera tigres,*

quoniam videlicet in moribus inoleſcendis, magnam ferè partem, ingenium altricis, & natura lactis tenet: quæ iam à principio imbuta paterni ſeminis concretione, ex matris etiam corpore & animo, recentem indolẽ configurat.] Exſcripſit verbatim hunc Gellij locum Macr. 5. Satur c. 11. Gellio, quod miror, illaudato.

Legendus in eandem ſententiam Plutarchus opuſc. de puerorum educatione, & Eraſmus Dialogo cui titulus *Puerpera*. Scalig. exerc. 212. Conradus Ritterſhuſius ad l. 1. Cyneget. oppiani v. 435. Maphæus Vegius eiuſdẽ argumenti l. 1. c. 4. & Donatus ad verſum paulò ante allegatum ex 4. Æneid. qui poſt Gellium, approbante Scaligero 5. Poët. c. 3 aduertit acutè doctum Poëtam inſinuaſſe; mores, ſeu potius inclinationem & pronitatem ad hos vel illos mores, infundi pueris cum lacte. Alia præterea multa ex aliis Poëtis conſtipat in hanc rem Tiraquell. l. de nobilitate cap. 20. num. 78. & ſequentibus, & Ludouicus Viues in Chriſtianæ mulieris inſtit. c. 10. Addo ex Martino

Vratiſlatienſi, commentario de monſtris c. 15. puerum caprino lacte nutritum, cùm adoleuiſſet ſaltitare ſemper ſolitum more caprarum: Itémque eſitandis plantarum germinibus, vt capræ ſolent, nutricationis caprinæ ſpecimen ediditſſe. Aliom addit ſuillo ſanguine, vel vt alibi refertur, ſuillo lacte paſtum, cœno ſemper & volutabris delectatom. Quanquam hoc ſecundum, Ludou. Viues ingenioſè con fictum cenſet l. de inſtit. puellæ Chriſt. c. 1. De hac ferinorum morum ex hauſtu feſtino ſanguine contracta à nonnullis pronitate, diligenter diſſerit Antonius Mazindolus Exercit. 5. Medica, occaſione puellæ Breſſatianæ qoæ ab ingenti paoore in Epilepſiam prolapſa, cum ex præſcripto cuiuſdam qui eam ab Epilepſia ſanandam receperat, felis recens occiſi tepidum ſanguinem bibiſſet, ita liberata eſt à morbo ſacro, vt deinceps per periodos, felium voces mutaretur, & felium more murilega euaderet.

Etiam alimentum remotum, paſſiones ciet.

65. Neque verò alimenta, tum dontaxat cùm in ſobſtantiam viuentis tranſeunt per nutritionem, ingenerant pronitates ad certos affectus, qualitatibus ipſorum alimentorum conſentaneos; ſed etiam priuſquàm conuertantur in ſubſtantiam aliti, idem plerúmque præſtant. immotato per qualitates ſuas formales aut virtuales temperamento viuentis, vnde illa ad paſſiones inclinatio deriuatur. Tradit hoc perſpicuè de vino Ariſtoteles ſ. 30 probl. q. . verbis illis. *Vinum immodicum, tales maximè homines reddere videtur, quales melancholicos eſſe affirmamus, moréſque varios id condit, cùm bibitur, vt iracundos, humanos. miſericordes, audaces, quorum nihil mel, aut aqua, aut lac, aut eiuſmodi aliquid efficere poteſt. Intelligi planè quàm varios reddat homines licet, ſi quis potantes ipſum, animaduertat, vt gradatim euariat. Vbi enim vinum hominem frigentem, taciturnúmque à ſobrietate accepit, paulò liberaliori poculo refouet, excitatque ad verba: Tum largiori potu, verborum vberem, eloquentem, fidentémque reddit. Poſthac proceſſu potandi ampliori, audacem propenſúmque facit ad agendum. Deinde plenius amplificato, in contumeliam & petulantiam vertit, mox ad inſaniam propemodum accendit: poſtremò nimio ex potu reſoluit, ſtultúmque agit, in modum eorum, qui à prima morte laborant comitiali: aut etiam eorum qui vitio atra bile, maiorem in modum conflictantur. Igitur vt homo idem, inter bibendum moribus immutatur variis, vinique menſura quadam, idem crebro à ſe diſcrepat; ita ſunt qui ſingulis morum generibus adeo inualuerint, vt alterſum nequeant commutari.*

Intellexit hoc etiam Plato, qui ideirco 2. de leg. pueris citra duodecimum annum prorſus interdicit vſu vini, quod veluti quidam, (vt aiebat,) animæ Tyrannus efficiatur: concitétque paſſiones prouectis tantùm & ſenibus ad diſcutiendum mœrorem ex temperici ipſorum frigiditate, vſum vini conceſſit. Refert & approbat Platonem, Galenus lib. quòd animi mores, &c. Nec noſtri abludunt, qui frequenter illud infigunt, eſſe in vino luxuriam. Cuiuſuis item alimenti remoti vbertatem, eadem ex cauſa ſæpè damnant quod incentiuum ſit ferocientium affectuum. Parcitatem è contra, in victu cibiſque & potu commendant, tanquam accommodatiſſimam affectibus mitigandis. Diſputat multa in hanc ſententiam S. Hieronymus lib. 2. contra Iouin. & optimè epiſt. ad Furiam. Breuiùs ſed pulcherrimè S. Ambroſius. l. 3. de virg. *ferè initio*, Multos præterea in eam rem profero tractans virtutem abſtinentiæ, & ſobrietatis. Sunt enim in eo argumento vberes, quotquot mores tractarunt. Et meritò. Nam quis vnquam ſatis infixerit imminutionem huius incentiui paſſionum? Ac vt ſcitè dixit Nazianzenus orat. 44. initio, *Sufficit corpori malitia ſua. Quid flamma ampliore materia opus eſt, aut bellua copioſiore alimento, vt effrenatior reddatur, ac rationi, violentior?*

Pharmaca.

66. Ad alimenta accedunt medicamenta, quæ item ingeruntur extrinſecùs, plurimúmque conferunt ad functiones cognoſcitiuas expeditè ac ſubtiliter exercendas, liberato phantaſiæ ſenſorio, homorum illud grauantium, impuritate. qua ratione Carneades apud Gellium lib. 17. cap. 15. & Plin lib. 25. cap 5. caput elleboro purgauit diſputaturus; ne quid ex corruptis in ſtomacho humoribus, ad domicilia vſqoe animi redundaret, & inſtantiam vigorémque mentis labefactaret. Eodem igitur modo, medicamenta conferunt ad paſſiones incendendas aut frænandas, prout humor, qui per medicamentum prolicitur, vel variè afficitur, opportunus eſt ad hanc illámve paſſionem. Hoc infra in affectu amoris & odij, demonſtrabo. Nam huc pertinent qoæ amatoria vocantur, philtráqoe, ad quorum vim, etiamſi ars dæmoniaca adhibeatur tanquam cauſa applicans naturalia actiua, vel remouens quæ obſtare poſſent; Tamen proxima cauſa actionis diſtinctæ à mera latione, eſt medicamentum, vel aliquid ad modum medicamenti operans. Idqoe nominatim Theophraſtus lib. 9. hiſt. plant. c. 21. effici à quibuſdam plantis admittit, etiamſi ibidem, fabuloſos pleróſque earum effectus, rectè reiicit. Quem delectum plerunque non adhibuit Plinius, vana aut apertè magica in hoc genere opera. quæ vbilibet legiſſet, pharmacis adſcribens. Videſis nominatim lib. 32. c. 5. E contrario autem eſſe interdum magnum vſum medicamentorum, ad frænandas paſſiones ex humorum intemperie concitatas, auchor eſt Nemeſius lib. de homine cap. 17.

Aër & ſoli qualitates.

67. Sequitur qualitas aëris, quem quis aſſiduè haurit. Inde enim certas procliuitates, ad paſſiones exoriri, immutato per aërem corpus ſubeuntem, aut corpori appoſitum, temperamento; extra controuerſiam eſt. Idque Cyrus apud Herodotum in Calliope rectè vidit, qui volentibus Perſis aërem Perſicum ob regionis incommodæ difficultates, commutare amœniore, negauit tranſmigrationis facultatem: dicens, & plantarum, & hominom mores, pro regionum varietate, effici varios. Latè idem tradit Hippocrates lib. de aëre, locis, & aquis, affirmans ideirco eos, qoi plagam ſeptentrionalem incolunt, aut etiam montana loca, eſſe moribus agreſtibos præditos. Aſiam autem quod cæteris regionibus clementior ſit, homines procreare temperatiſſimis moribus; imbelliores tamen quàm ſint Europæi ob accommodatiorem affectibus bellanti conſentaneis, Europæi cæli temperiem.

Approbat id Ariſtoteles 7. Polit. cap. item 7. & ſect. 14 problem. quæſt. 1. inquirens, cur vt plurimom efferis ſint moribus qui regiones æſtnoſas admodum, vel admodùm frigidas incolunt. Et quæſt 8. exponens, cur timidi ſint, qui loca feruida incolunt, fortes qoi gelida, de quo rurſus ead. ſect. quæſt. vltim. Lucanus lib. 8. id ita expreſſit.

Omnis

Omnis in Arctois populus quicunque pruinis
Naſcitur, indomitus bellis & mortis amator:
Quicquid ad Eoos tractus, mundique teporem
Labitur, emollit gentes clementia cœli.

Approbat & Seneca 2. de ira c. 16. *In frigora, ſeptentrionémque vergentibus, immanſueta ingenia ſunt; vt ait Poeta,*

——— Suóque ſimillima cœlo.

Approbant & innumeri alij quos latè refert Tiraquellus lib. 7. n 14. & 15. Sed omnium maximè id confirmat experimentum. Exempla in hanc rem innumera, coaceruat Alexander Neapol. lib. 4. Genial. cap. 13. & ante eum Ptolom. lib. 2. de Iudiciis c. 1. 2. & 3. Ego paucis exemplis quæ Iulius Firmicus Maternus l. 1. aſtronom. c item . notauit, contentus ero: ita tamen, vt nudè referens Firmici verba, veréne an ſecus enunciata ſint, nolim meum eſſe iudicium.

Quædam gentes. (inquit) *ita à cœlo.* (imò potiùs aëre, & cœlo hoc elementari, non à cœlo in quo ſydera, quæ huius Genethliaci nugacitas;) *formata ſunt, vt propria ſint morum vnitate conſpicua. Scythæ immani feritatis crudelitate graſſantur: Itali fiunt regali ſemper nobilitate præfulgidi: Galli ſtolidi: leues Græci: auari Syri: Afri ſubdoli, acuti Siculi: luxurioſi ſemper Aſiatici, & occupati voluptatibus Hiſpani elata iactantia animoſitate præpoſteri.* Hoc tamen ipſe Firmicus eodem l. 4. mollit, & pleriſque, in illis regionibus, alios eſſe mores, aliud ingenium, demonſtrat. [Nam & Aſiaticos, *inquit* plurimos videmus, imò penè omnes, ſobrietatis inſignia præferentes; & Græcorum leuitas ſæpè modeſtæ grauitatis pondus accipit; & effrenata Scytharum rabies, quandoque humanitatis clementia mitigatur, & in finibus Galliarum populus ſapientiæ temperamento prudenter conualeſcit; Afrorum quoque ſubdolas manus honeſtæ fidei ornamenta condecorant; & à plurimis Hiſpanis iactantiæ vitia deſeruntur. & Syrorum auaritiem mutauit repentina profuſio. Nec eſt inter illos acutos Siculos, ſtultos inuenire difficile. Ab Italis quoque frequenter, dominationis imperia tranſlata ſunt.]

In hanc rem, vberrima diſputatio extat apud Federicum Bonauenturam lib. 4. de octimeſtri partu, & apud Septalium ſect. 14. probl. q. 1. & 15. Nec pauca hinc inde collegit Petrus Gregorius l. 4. de republ. c. 4. Sed quod ad ingenia attinet, reclamat Cardanus lib. 2. de conſol. contendens cœli ſolíque diuerſitatem, nihil ad inæqualitatem ingeniorum; tantùm ad affectus magis minúſque agreſtes, conferre. Quod etiamſi noſtra non refert; tamen experimento falſum reuincitur vt notauit etiam Hippocrates lib. de aëre, aquis & locis. vbi & ingenia & mores, locis quæ quis incolit, reſpondere docet. Ita vt ſint quidam ingenio & natura, montanis, ſyluoſis, & aſperis locis ſimiles: Aliorum verò natura & ingenium, prata & paludes, quorundam campos referat.

Cæleſtes influxus.

68. Inferioris cœli qualitatibus adiungendi ſunt ſyderum & cœlorum influxus, quibus aliquid eſſe iuris in has procliuitates inducendas, negari non poteſt, quatenus per cœli actionem immutatur humanum temperamentum cuius immutatione inducuntur procliuitates. Fateor ex hoc cœlorum influxu, nihil vſquequaque certum quoad has pronitates ſtatui poſſe. Tam multi enim interueniunt obices cœleſtis actiuitatis, vt mirum non ſit eam obtundi. Præterquam quòd perobſcurum eſt, quæ ſit vis cuiuſque ſyderis ac cœli. Itaque magnam partem Aſtrologicarum obſeruationum, eo numero & loco habeo, quo S. Cyrillus ferè in fine libri 10. contra Iulianum, qui ita loquitur: *Aſtrologica obſeruatio, crimen eſt Græcorum ſtupiditatis, ludúſque puerilis, & vana dementia, nihilque aliud.* Fuſiſſimi ſunt in depellenda Aſtrologica vanitate, cum vniuersè tum nominatim quoad negotium, de quo agimus, Picus Mirand. in opere aduerſus Aſtrolog. Cyperius & Alex. de Angelis in refutatione Aſtrologorum coniectorum, aliique fusè recenſiti diſt. 2. n. 314. & quos illi adducunt.

Nihilominus aliquid, (vt dixi) iuris eſſe aſtris & cœlis circa negotium de quo agimus, facilè admiſerim. Variè enim affecto per cœleſtes influxus temperamento hominis, varias enaſci contingit procliuitates & propenſiones: & per diuturnam obſeruationem, aliquid in hac parte coniici poteſt, quantum eſt ex parte ſyderum ac cœlorum, dummodò materia non interuertat vim cœleſtis influxus, quod facilè eſt, ob tam varia adiuncta agentium inferiorum. Sic igitur pronuncio de illis vulgaribus apud Aſtronomos effatis, quòd ex Saturni influxu efficiantur homines pigri, triſtes, ſolitarij, timidi, auari, ſuſpicaces, pertinaces. Quod Ioue dominante homines euadant læti, honeſti, liberales. Quòd Marte prædominante efficiantur audaces, vigiles, mobiles; & ita de cæteris quæ Angeſtus cap. 4. Mor. *ſub fiæm*, ex Aſtologorum (vt ait,) obſeruatione recenſet.

Prorſus extrinſeca, nec niſi moralia, certarum paſsionum irritamenta.

69. Reliqua eſt poſtrema cauſa propenſionum ad paſſiones, quam aiebam eſſe prorſus extrinſecam, nec niſi moraliter influere: per adhortationem ſcilicet, aut exemplum, quod eſt frequentiſſimum & potentiſſimum genus inferendi propenſiones. Vt enim dixit Poeta Ethnicus, verſu illo, quem Apoſtolus, iuxta Tertullianum ſanctificauit; *corrumpunt bonos mores, colloquia mala.* Audi S. Baſilium homil. quod Deus non ſit author malorum, ſub finem. *Noxiæ ſunt amicitiæ, quæ cum malitia contrahuntur. Nam ea amicitiæ huius lex & vis, vt per ſimilitudinem, malitiam coniunctis indat. Quamobrem rectè Apoſtolus dicit:* Corrumpunt bonos mores colloquia praua. *Quemadmodum enim in peſtilentibus locis, ſenſim attractus aer, latentem corporibus morbum iniicit: ſic item ex praua conſuetudine ac conuerſatione, maxima nobis mala hauriuntur, etiamſi ſtatim incommodum non ſentiatur.* Nimium vſu alieno faciliùs adducimur, vt affectum, quem alioqui indecorum aut minùs ſtatui noſtro conuenientem rati eſſemus, minùs tetrum ducamus, eóque irretiri minùs abhorreamus. Veteris ſententiæ allegatione id confirmat Plutarchus l. de liberorum educat. quam etiam ex Ariſtarcho retulit interpres Pindari. Sic autem habet. ἂν χωλῷ παροικήσῃς, ὑποσκάζειν μαθήσῃ. *Si iuxta claudum habitaueris, diſces & tu ſubclaudicare.* Menandri item carmen eſt, diuerſum ab eo quòd Apoſtolus ex Menandro retulit. κακοῖς ὁμιλῶν καὐτὸς ἐκβήσῃ κακός. *Cum malis conuerſans, & ipſe malus euades.* Serpit nimirum lues ab vno ad alterum, & vt Latinus Satyricus, gypſatos Scauros Satyra 2. inſectans de vno ſpeciali crimine dixit quod æquè de omnibus valet.

——— Dedit hanc contagio labem,
Et dabit in plures. Sicut grex totus in agris,
Vnius ſcabie cadit, & porrigine porci;
Vuáque, conſpecta liuorem ducit ab vua.

procinctu prælij, vbi referuntur, interpretatur clamorem ſiue celeuma, quo ad pugnam animabantur, iam iam manus cum hoſtibus conſerturi: Itemque in ipſo certamine, in quo vt ſcribit Ammianus; exoriens, paulatimque adoleſcens clamor terriſonus, ritu extollitur fluctuum cautibus illiſorum. Sed hæc non excludunt verum Muſicum concentum maſculum, & idoneum ad prælia animare concitatione audaciæ, & conſentanearum prælio paſſionum. Nam hodiéque & tubarum modulatio, & clamor militum iunguntur: Et vtrumque iunxit ac diſtinxit Poëta in 2. cum dixit.

Exoritur clamórque virùm, clangórque tubarum.

Bellicum item eſt, tametſi innoxium & Incruentum, quod Alexandro ad Muſicam modulationem accidiſſe proditur. Timotheum enim tibicinem, ferunt, cùm cantionem coram Alexandro cecinisſet, non mollem atque remiſſam, ſed ipſum rectum, qui Mineruæ appellabatur Nomum; Alexandrum ſubitò ita commouiſſe, vt ad arma exiliret. Et quamuis Dio Chryſoſtomus orat. 1. de regno, neget id ad vim mudam muſices fuiſſe referendum: Tamen non negat, nec negare potuit, quin ſuppoſita illa Alexandri temperie, & talis concentus ſympathia cum ea, concitatæ fuerint vi concentus, affectiones illæ, vnde ea correptio armorum, & Alexandri incitatio. Et ita S. Baſil. lib. de legend. cum fructu lib. Gentil. qui addit, Timotheum ſuno mutato, Alexandrum quietum conuiuiis ac menſæ reſtituiſſe. Simili artificio Flauianus, Antiochenus Antiſtes, Theodoſium Imperatorem in Antiochenos ob deiectam Imperatricis ſtatuam exacerbatum, inflexit; vt eſt apud Sozomenum l 7 c 23. Cantilenas enim quaſdam lugubres excogitauit, quas ad Theodoſium placandum cum adiiſſet, eodem cibum ſumente, cani curauit: quibus efferatus in omnem vltionem Imperator, adeò emollitus eſt, vt ipſum quoque poculum, inter bibendum, fuſis lachrymis reſpergeret. Affinis eſt narratio, quam ex hiſtoria Danica refert Lilius Gyraldus dialog. 9. hiſtor. Poët. Nempe Muſici, qui gloriatus, ſe audientes abalienare mente poſſe, & quibus vellet affectibus imbuere, iuſſus à Rege ſpecimen artis ſuæ exhibere; primùm inuſitatæ ſeueritatis concentu edito, quodam veluti ſtupore ac mœſtitia, omnes compleuit: deinde mutata modulorum ratione, in lætitiam deflexit, ita vt etiam corpore geſtirent: Tandem acrioribus modis, ita aſtantes concitauit, vt propè agerentur in furorem. Addit Gyraldus, ſe propè paria ſpectaſſe, nec ſemel, apud Leonem decimum, qui Muſico concentu admundum capiebatur. In illa tamen Danica hiſtoria, ſunt inſignia adiuncta quæ vide apud Krantzium l. 5. Danub. c 3.

Hanc ipſam ob cauſam, & iam olim Sancti Patres, & recentiores morum Magiſtri, grauiſſimè inculcant, cauendum eſſe Chriſtiano, ne per aures, animarum corruptricem melodiam hauriat. [Hoc enim, *inquit ſuprà S. Baſilius*, Muſicæ genus, ſeruitutis & ignobilitatis fructus parere, prætereà libidinum ſtimulos acuere ſolet Alia nobis muſica longè melior exiſtit, & ad meliora nos excitans ſequenda. Dauid ſacrorum canticorum Poëta, cithara, ex inſania Saulem Regem liberauit. Dicitur etiam Pythagoras, in ebrios olim incidens, iuſſiſſe tibicinem conuiuio luxurioſo præſidentem, mutare harmoniam, ac Dorion ipſis canere. Atque hoc modo melodiæ, illos ad ſobrietatem reduxiſſe, qui eiectis de capite coronis, ſanè omnes erubuere.] Iulianus Celanenſis apud S. Auguſtinum lib. 5. aduerſus eum c. 4. tradit eos vinolentos, cum mulieris pudicæ fores frangerent, admonito tibicine vt ſpondæum caneret, reuocatos à Pythagora ad ſanitatem mentis. Sed concludit Baſilius. *Cæteri verò ad tibiam, Corybantum modo ac debacchantum verſantur. Tanta ſanè melodia recta differentia à turpi atque obſcœna eſt, vt eam quæ nunc in vſu eſt, non minùs fugere debeatis, quàm rem aliquam turpiſſimam.* Nimirum quia magna omnino eius vis eſt, in concitatione affectionum, commoto per ſympathiam corporeo temperamento; vnde variæ ebulliunt affectiones.

71. Alia quæ in hanc rem diſputat Scaliger exercit. 302. n. 2. non ſatisfaciunt. Ait enim, hanc affectuum à concentu pronitationem effici, [propterea quod ſpiritus, qui in corde agitant, tremulum ac ſubſultantem recipiunt in pectus aërem, atque cum affini ſuo, vnum fiunt. Ita ſequuntur ſpiritus reliqui, cæteris in corporis poſiti partibus, mouéntque muſculos aut cohibent, prout numerorum lex vel crebreſcit incitationibus, vel tenore compoſito quieſcit, aut lentitudine quietem imitatur. Ita quemadmodum in fidibus tacta chorda quapiam, æquè tenſa altera chorda contremiſcit; qui in corde inſunt ſpiritus, citantur ad exterioris ſoni motum, tanto facilius quàm chorda, quanto maior vnio eſt. Quocirca etiam depreſſus ac marcidus animus attollitur, facta extimi aëris ſubeuntis acceſſione; elatus verò cohibetur, aut etiam detrahitur de ſuggeſtu illo, contraria ratione. *Indidem quoque cauſam petis. cur* plerique aliud agentes, canentibus occinant. Si quis ſummiſſiſſimè loquatur, cum illo & nos. Si quis clamet, clamandi libido inceſſat maiorem hominum partem, quæ pudore aut rationis vi non continetur. Ideóque in concione ac prælio, ſi vnus clamorem tollat; illico fecerit idem tota concio, aut acies.] Similia; aliis etiam inſultatibus additis, lego apud Scaynum in notis ad lib. 5. Polit. ſuo c. 5. quibus gloſſat quæ de hac affectuum per muſicam concitatione habet Ariſtoteles 8. Polit c. 5.

Hæc nego ſatisfacere. Illa enim ſpirituum in corde ſtabulantium commotio, à ſubſultante ac tremulo aëre, fictitia eſt. Quid ſi enim pone aut procul audiatur concentus, ita vt aëris ſuccuſſio per cantum, aut concentum facta, non pertingat ad audientem? Quid ſi occluſo ore, nec patulis naribus, excipiatur concentus? Vel per tenue corpus, quod aëris tremuli penetraſionem ad ſpiritus, intercludat? Deinde multò magis tremit aër per alias occaſiones, excipitúrque ſubſultans: nec tamen ſequitur ea in ſpiritibus citatio, & affectuum concitatio. Tandem ſpiritus non poſſunt, per aëris tremorem, eo vario modo agitari qui neceſſarius eſſet ad variorum affectuum exortum; ſi concitatio iſta variarum paſſionum, ex concentu cauſata, in illos referrentur. Quare ſiſtendum eſt in ea cauſa quam propoſui Illas verò alias huius rei cauſas quas ex pluriſque antiquis profert Lilius Gyraldus dialog. 1. hiſtor. Poët. *ſub medium*, ne referre quidem operæpretium eſt, cùm ſint manifeſtè fabuloſæ. Nec ipſe Lilius qui eas cauſas tantùm retulit, aliquid reuera ſubiicit idoneum: Tametſi non modica exemplorum varietate, vt erat multæ lectionis & peritiæ ſcriptor, hunc locum illuſtrauit. Idem prope de Petro Loyerio dixerim, qui in tradenda concentus efficacitate ad concitandos affectus, multus planè eſt lib. 8. de ſpectris c. 3.

ARTI

ARTICVLVS IV.

Paßionum duo generales ordines numerus, & contrarietas.

72. TAmetſi ex dictis ſupra, circa naturam paſſionum hîc explicandarum, ſatis conſtet de quibus paſſionibus diſtribuendis hîc agatur: tamen vt nulla paſſionis diuiſio intacta abeat, præmittenda in primis eſt, generalis diuiſio paſſionis, in naturalem & animalem, tradita à Diuo Thoma q 26. de verit. art. 3. *in corp.* & à Dur. in 3. d. 15. q 1. n. 5. Naturalis ſiue corporalis paſſio aliquando dicitur, quæcunque inuectio formæ in ſubiectum: Aliàs autem eodem nomine donatur, inductio nouæ cuiuſcunque formæ, coniuncta abiectioni formæ, anteriùs verſatæ in ſubiecto. Tandem ſtrictè & propriè idem nomen ſortitur ea mutatio, qua conueniens forma abiicitur, & alia ſubiecto diſſentanea inducitur, non contra. Neque enim propriè pati dicitur, qui ſanatur, ſed qui morbi corripitur. De huiuſmodi paſſione nunc non agimus, ſed duntaxat de animali, quam Durandus ſupra, definit; motionem animæ ſecundùm appetitum, ex apprehenſione paſſionis naturalis & corporalis procreatam. Additque Durandus, id valere maximè, cùm illa apprehenſio eſt paſſionis naturalis diſconuenientis ſubiecto. Sicut enim inter alterationes naturales & corporales, illa dicitur magis propriè paſſio, qua forma diſconueniens acquiritur: ea autem qua inducitur forma conueniens, minùs propriè appellatur paſſio: Ita inter paſſiones animæ, ſpectato vocis rigore, illæ potiùs rationem paſſionis merentur quæ auerſantur formam diſconuenientem. Vnde dolor & triſtitia, potiùs paſſionis nomen ſibi vendicat, quàm delectatio & gaudium. Hunc tamen vocis rigorem, molliuit vſus; paſſimque authores, paſſionum animalium nomine, omnem planè motum appetitus, apprehenſioni boni vel mali coniunctum; inſigniunt. Imo neque ad eum duntaxat animæ motum, arctant vocem paſſionis, qui ex apprehenſione paſſionis naturalis ſiue corporeæ excitatur; ſed ad omnem planè motum animæ, ex boni vel mali apprehenſione exurgentem, extendunt nomen paſſionis. De huiuſmodi itaque paſſionum multiplicitate agendum eſt, ſimúlque earum contrarietatem, cum multiplicitate connexam, exponemus.

ASSERTIO.

PAſſionum quædam ad appetitum concupiſcibilem; aliæ ad iraſcibilem pertinent. Illæ important ordinem ad bonum abſolutè, vel ad eius contrarium. Hæ in bonum vel malum, interueniente quadam animi erectione, & concitatione feruntur. Vnde ſex paſſiones partis concupiſcibilis; quinque autem iraſcibilis enaſcuntur. Quarum quæ intra alterutrum ordinem contrarietatem habent; (habent autem omnes præter iram;) deſumunt illam, partim ex formali obiectorum contrarietate, partim ex eorundem exceſſu, aut non exceſſu ſupra appetentis facultatem.

PRimò propono vniuerſalem paſſionum animalium diſtributionem, in paſſiones appetitui concupiſcenti & iraſcenti reſpondentes. Quæ eſt inter Philoſophos & Doctores communiſſima, ſi vnum excipias Piccolomineum, cui gradu 1. moral. c. 11. ea paſſionum partitio diſplicuit.

Duo generales paßionum ordines.

73. Vt autem immeritò diſplicuiſſe conſtet, & quæ aduerſus eam oppoſuit, diſſoluantur; iuuat rationem illius diuiſionis, & membrorum ſpecialium ſub vtroque illo generali membro aſſignandorum, exhibere vniuersè: dimiſſa tamen tanquam ab hoc inſtituto prorſus aliena, phyſica diſputatione de diſtinctione potentiæ appetiuiuæ corporeæ, in concupiſcentem & iraſcentem. Siue enim illis vocibus vnica realiter facultas deſignetur, vt ego quidem exiſtimo cum Dandino 3. animæ diſgreſſ. 39. Suar. t. 4 3. part. d. 7. ſ. 1. n. 4. & aliis; ſiue ſit reipſa multiplex, vt volunt plerique alij, vt Bannes 1. part. quæſt. 81. articul. 2. dub. 1. Mol. 1. p. q. 59. artic. 4. Salas 1. 2. tract. 9. diſt. 1. num. 1. perinde omnino eſt ad rem præſentem. Imò etiamſi non vnicus tantùm appetitus ſenſui interno ſubiunctus, admittendus eſſet vt vera & hactenus recepta ſententia tulit, cuius rationem optimam aſſignat Suares 2. de orat. cap. 14. n. 1. ſed alius præterea appetitus cuique externo ſenſui ſubſeruiens, & pro illorum ſenſuum numero multiplex, admittendus eſſet, vt recentiores commenti ſunt non eſſet id in hoc negotio attendendum: quandoquidem paſſiones tantùm & actus, non autem potentiam à qua prodeunt, hîc expendimus.

Vſus eorum ac finis.

Ad ſolidam ergo partitionis propoſitæ rationem reddendam, iuuat præmittere inſignem Theodoreti doctrinam, in cap. 7. ad Rom. ad illud. *Iam non ego operor illud*, vbi duplicis huius paſſionum ordinis, vſum ac neceſſitatem aſſignat. [Corpus mortale effectum, poſt præcepti tranſgreſſionem, affectiones & animi perturbationes ſuſcepit. Per eas enim ea conſiſtunt, quæ ad præſentem vitam pertinent. Egent enim appetitione, non ſolùm nutrimenti, ſed & liberorum procreationis, & agriculturæ, & aliarum artium gratia. Si ea enim non eſſet, nihil horum conſiſteret. Ea nobis etiam ad vitam ex virtute inſtituendam conducit. Qui enim eam non deſiderat, qui pro ea ſuſcipiendi ſunt, labores, non tolerat. Ipſa quoque nobis diuinum deſiderium inſerit. Cupiditatis itaque commoderatio, eſt ad res bonas & honeſtas adiutrix: modum autem excedens exuperatio, intemperantiam inducit. Ea enim, vt & alienis cubilibus inſidiæ parentur, & quæ non par eſt deſiderentur, latrociniáque ſuſcipiantur, ſepulchra effodiantur, cædéſque perpetrentur, & eiuſmodi alia fiant, efficit. Et ideo vniuerſorum Deus, illi iram adiunxit, vt illius immodicam exuperationem reprimeret. Habet tamen ipſa quoque opus aliquo, qui eius inſatiabilitatem prohibeat. Sicut ergo ei, quod eſt nimium frigidum, calidum admiſcemus, & rurſus nimium calidum frigido temperamus ac caſtigamus; ita creator Deus; his duabus animi perturbationibus, quæ ſint inter ſe ex diametro contrariæ, nobis inſitis, docuit alterius per alteram, nimium exceſſum corrigere. Eis enim mentem, tanquam equis

equis aurigam præfecit, & ſeruitutis illis iugum impoſuit; vt æqualiter ferrent, eis lege impoſita. Si autem quandoque eueniret vt cupiditas vltrà modum procederet, iuſſit iram pungere, vt ea ſic concitata, currum rurſus æqualem ſtatueret. Quòd ſi ea rurſus nimirum progrederetur, iubet rurſus cupiditatem moueri, & nimiam iræ exuperationem caſtigare. Mens itaque ſobria, ſéque moderatè & ſapienter gerens, hoc modo regit. Quod ſi ipſa negligens euaſerit, & habenas reliquerit, vt equi quidem exiliant, efficit, ipſa autem trahitur, & vna cum ipſis in lacunas & voragines incidit.]

Quomodò à D. Thoma aſtruantur.

74. His itaque præmiſſis circa vſum & finem propoſitæ generalis paſſionum partitionis, vt vera ratio eius ineatur, adeundus in primis eſt Diuus Thomas. 1. 2. quæſt. 23. artic. 1. & 4. & q. 26. de verit. art. 4. *in corpore* vbi paſſiones generaliter diuidens in eas, quæ ad appetitum concupiſcibilem, & eas quæ ad iraſcibilem pertinent; huius partitionis rationem, eſſe ait. quòd paſſiones vel feruntur in bonum ſenſui delectabile abſolutè, eiúſve contrarium, vel certè feruntur in bonum, quod ſit aſſecutu difficilè: quódve eodem refertur, in malum, cuius item repulſio, ardua ſit & operoſa. Priores ſpectant ad appetitum concupiſcibilem; poſteriores ad iraſcibilem. Iam verò vtrumque hoc generale membrum ſic ſubdiſtinguitur.

Concupiſcibiles paſſiones, diſtingui & multiplicari poſſunt, vel penes obiecta in quæ feruntur, proſequendo aut auerſando; hoc eſt, penes delectabile & eius oppoſitum; vel certè penes varios gradus, qui cernuntur in proceſſu motus appetitiui. Et quia in hoc ſecundo ordine facilè comprehenditur prior, præſtat illum dimittere, ne multiplicatio non neceſſaria membrorum diuidentium, caliginem offundat, vt ſæpe accidit. Penes varios itaque ſtatus appetitus in obiectum ſuum tendentis, variæ paſſiones diſtinguuntur. Bonum enim, vel appetenti proponitur abſolutè tantúm, quia obiicitur præciſè vt conueniens, & ſic exurgit affectus amoris ſimplicis, qui eſt duntaxat quidam veluti guſtus & ſuauiatio obiecti per appetitum: vel proponitur vt quærendum: & ſic exurgit paſſio deſiderij: vel proponitur vt bonum iam adeptum & præſens appetitui, & ſic enaſcitur delectatio ſeu gaudium. Quòd enim Argent. in 3. diſt. 16. q. vnica artic. 2. *in corpore*, opponit gaudium poſſe eſſe de re futura; itémque de re præterita ſi recolatur, leue eſt: nam per cognitionem ſiſtitur vt præſens quamuis reipſa præterierit. Ex oppoſito autem penes malum bono oppoſitum, aliæ paſſiones deſumi poſſunt. Nempe odium, ſi malum obiiciatur præciſè vt malum; fuga, ſi obiiciatur vt malum, abſens quidem, ſed imminens; denique triſtitia & dolor, ſi malum ſit præſens. Itaque amori odium, fuga deſiderio, triſtitia gaudio reſpondet.

Hinc iuxta D. Thomam habetur numerus paſſionum ſpectantium ad appetitum concupiſcibilem. Quam philoſophandi rationem iniit ferè Philo lib. de Decal. verbis illis. *Quoties ſe offert rei cuiuſpiam expetendæ imaginatio, expergefacit, excitátque quieſcentem animam, arrectam velut oculis praſtrictis fulgure. Is eius affectus, voluptas dicitur. E diuerſo quod malum & fugiendum eſt, quando ſauciat animam, confeſtim eam replet mæſtitia: qui affectus dolor nominatur. At quando nondum præſens premit, imminet tamen, pauorem præmittit, abominandum nuntium, quo territet, qui & timor dicitur. Quoties autem aliquis de abſente bono cogitans, habere id cupit, in longum animam porrigit, extendens eam, vt poſſit rem adamatam attingere, tanquam in orbiculari machina ſemper ſequendo, nunquam aſſequendo: Quod ſpectamus in curſoribus, quando præcurrentem tardior pernicaciter aſſequitur.* Vides quoad affectus, quos Philo recenſet, eodem modo philoſophatum ſanctum Thomam, quamuis diminuta & manca ſit Philonis enumeratio.

75. Earum verò paſſionum quæ ſpectant ad appetitum iraſcibilem, S. Thomas numerum init penes exceſſum obiecti ſupra appetentis facultatem: vel eiuſdem obiecti, tametſi ardui, attingibilitatem per facultatem appetentis. Obiectum enim appetitus iraſcibilis iuxta D. Thomam, eſt ſemper aliquid arduum & difficile. Vnde quia circa bonum præſens, nulla eſt difficultas vel arduitas, eò quòd tale bonum iam habeatur, nulla paſſio in appetitu iraſcibili aſſignatur circa huiuſmodi bonum, ſed duntaxat circa illud ſeu bonum ſeu malum, quod arduum eſt & difficile, ſiue boni aſſecutio aut mali euitatio ſuperet appetentis facultatem, ſiue non ſuperet. Circa tale igitur bonum, ſi excedat apppetentis facultatem enaſcitur deſperatio: ſi autem cenſeatur non excedere facultatem appetentis, exurgit ſpes. Item circa malum, quod poteſt aut præſens aut abſens eſſe, quia vtrique adiungi poteſt arduitas; ſi adſit, & non ſuperet appetentis facultatem, exiſtit paſſio iræ. Si autem malum quod adeſt, ſuperet facultatem appetentis, appareàtque indeclinabile, vel inabiicibile, non terminat paſſionem vllam appetitus iraſcibilis; ſed tantum in appetitu cõcupiſcibili manet triſtitia. Si verò malum appetitiui iraſcibili obiectum, ſit abſens & vitatu ita difficile, vt euitatio ſuperet appetentis facultatem, exurgit in appetitu iraſcibili paſſio timoris. At ſi exiſtimetur non ſuperare facultatem appetentis, exurgit paſſio audaciæ.

Quomodo ab Ægidio Romano.

Deflexit tantiſper ab hac præceptoris ſui doctrina, Ægidius Romanus l. 1. de regim. Princ. p. 3. c. 1. Nam quamuis quoad paſſiones appetitus concupiſcibilis, eodem modo ſubducat illarum numerum: Tamen circa paſſiones appetitus iraſcibilis, paulò aliter philoſophatur quoad aliqua. Supponit igitur, has paſſiones reſpicere obiectum arduum ſiue bonum ſiue malum, & per hoc ſecerni à paſſionibus appetitus concupiſcibilis, quæ feruntur in obiectum abſolutè ſumptum. Bonum igitur arduum, vel conſideratur prout tendimus in ipſum, & inde habetur paſſio ſpei, vel conſideratur prout ab eo deficimus: & ſic habetur deſperatio, quæ ſunt duæ paſſiones appetitus iraſcibilis reſpectu boni. Reſpectu autem mali, in eodem appetitu plures exiſtunt paſſiones. Nam vel malum arduum eſt præſens, vel abſens. Si primum; aut ob mali præſentiam concitamur ad vindictam, & ſic eſt ira; aut torpemus & à debita vindicta deficimus; & ſic exiſtit paſſio manſuetudinis ſumpto hoc nomine pro extremo affectu, virtuti manſuetudinis per defectum oppoſito. Sumpſit enim ex eo extremo nomen hæc virtus, quia magis ad illud accedit, quam ad iram ex aduerſo ſitam. Si autem malum arduum ſit, abſens, ſiue futurum; vel ſpectatur prout ipſum aggredimur connitentes illud vitare; & ſic habetur paſſio audaciæ: Vel ſpectatur prout ab eo refugimus; & ſic habetur paſſio timoris. Itaque Ægidius à doctrina ſancti Thomæ in præſenti negotio deſciuit, tum quoad remiſſionem illam iræ, quàm numerat inter paſſiones; tum quòd in diſtribuendis his affectibus, non ſpectauit exceſſum obiecti ſupra facultatem appetentis, aut commenſurationem cum ea ſed ſimpliciter ſpectauit tendentiam ad bonum arduum,

duum, vel receſſum à malo ægrè ac cum difficultate ſuperabili.

Picolominei argumenta contra communem doctrinam proximè propoſitam.

76. Aduerſus hanc paſſionum diſtributionem, ſiue prout à D. Thoma, ſiue prout ab Ægidio inſtituta eſt, nonnulla opponit Picolomineus loco allegato, quæ facilè repelli poſſunt; quibus ſubdam nonnulla, quæ plus negotij faceſſunt, euincùntque paulò aliter ineundam eſſe rationem paſſionum, ſub duobus illis generalibus & principalibus membris aſſignatarum.

Opponit ergo in primis Piccolomineus; paſſiones, ipſóſque etiam appetitus à quibus profluunt, penes obiecta & fines, non autem penes facile ac difficile, eſſe conſtituendas & diſtinguendas. Ad hæc obiectum appetitus concupiſcibilis, iuxta Platonem & Galenum, eſt bonum iucundum ad ſenſus ac corpus pertinens: Aliud verò quoduis bonum; etiamſi non arduum, ab iiſdem appetitui iraſcibili adſcribitur. Sic enim Galenus lib. quod animi mores corporis temperamentum ſequantur, appetitionem gloriæ honoris, potentiæ, tribuit parti iraſcibili quod tradit etiam Plato l. 9. de Repub. & Simplic 2. animæ t. 28. Non igitur penes obiectorum arduitatem, ſecerni poſſunt vtriuſque appetitus paſſiones; præſertim cùm ratio ardui, non ſit optabilis, quippe deſtituta ratione boni; ac proinde nequeat conſtituere obiectum appetitus proſequentis, cuiuſmodi eſt appetitus, pleraſque paſſiones ſupra parti iraſcibili tributas exprimens. Sanè ſicut intellectus & ſenſus; non multiplicantur penes obiecti intelligibilis vel cognoſcibilis arduitatem: ita neque appetitus. Præterea Philoſophus 7. Polit. c. 7. tribuit amorem parti iraſcibili; & tamen amoris obiectum non importat rationem ardui. Ibidem quoque l. 5. c. 10. odium, quod item ab arduitate abſtrahit, tribuit parti iraſcibili. Et vice verſa, continentia pertinet ad appetitum concupiſcibilem, cùm habeat bonum corpori iocundum pro obiecto; & tamen 2. Eth. c. 3. fusè traditur difficilius eſſe voluptati, quàm iræ obluctari. Tandem Ariſtoteles ſtatuit voluptatem & dolorem in vtroque appetitu. Nam & 2. Rhetor, *initio*, & 2 Eth. c. 5 affirmat, voluptatem & dolorem conſequi ad omnes perturbationes, ac proinde ſicut omnes perturbationes non pertinent ad appetitum concupiſcibilem, ita neque voluptas omnis ac dolor; quamuis hi duo affectus in ſolo concupiſcibili locati ſint, in propoſita diſtributione paſſionum.

Hæc aduerſus propoſitam paſſionum diſtributionem Piccolomineus. Cætera enim quæ aduerſus eam vrget, partim per ſe concidunt, & ſatis in ſuperioribus præcluſa ſunt: vt quod expoſtulat, nullas in illa diſtributione aſſignari paſſiones partis iraſcibilis circa bonum adeptum: itémque nullam cupiditatem circa bonum arduum futurum: ac denique nullam iræ aduerſantem & oppoſitam. Partim etiam ad cauſam præſentem non faciunt, vt quod ait ab autoribus diſtributionis propoſitæ, paſſiones appetitus concupiſcibilis, præmitti ſemper paſſionibus partis iraſcibilis, tanquam fundamentum & originem; & vtraſque ſemper eſſe connexas; & iraſcibilem ſemper pro concupiſcibili inſurgere. Hæc enim tametſi rectè ab autoribus communis ſententiæ tradita ſint, & languidè admodum ab aduerſario impetuntur. Tamen quòd non ſpectent ad diſtributionem paſſionum, in qua verſamur, omittenda duco.

Enodantur

77. Quæ verò huius loci eſſe dicebam, nullo negotio depelluntur. Nam cùm paſſiones multiplicantur penes arduum & non arduum, non eſt ſenſus, quòd ſpecificatio huiuſmodi actuum, petatur ex negatione, quam vox *arduitatis* ſonat. Petitur ergo à fundamento illius, & ab entitate negationi illi ſubſtrata, pérque eam negationem circumſcripta. Atque ita conſtitutio paſſionum penes facile & difficile, reuoluitur in obiectum, vt contendebat aduerſarius, primàque eius impugnatio euaneſcit.

Sed & ſecunda irrita cadet, ſi obſeruetur, quo ſenſu potentia, honor, victoria, aliàque huiuſmodi obiecta, à Platone & Galeno, parti iraſcibili tribuantur. Vt enim his quoque, in Lycæo deferendum indicemus, ſpectarunt haud dubiè difficultatem, quæ vt plurimùm obiecta illa circunſepit, atque conueſtit: non autem abſolutè cupiditatem honoris & gloriæ, aliorúmque huiuſmodi obiectorum, vt aduerſarius malè contendit: Qui item malè negat rationem ardui, prout hic à nobis conſideratur, hoc eſt, fundamentaliter acceptam, eſſe aliquid optabile. Eſt enim idem quod bonum arduitate circumuallatum ac paratu difficile. At bonum tametſi arduitate obſeptum, ſicut eſt bonum, Ita etiam eſt optabile. Et indidem eruenda eſt ratio, cur facultates cognoſcentes non multiplicentur penes facile & difficile, ſiue arduum & non arduum; appetitus tamen & paſſiones eius, inde multiplicentur. Nam quia arduum & non arduum, hoc loco ſumitur fundamentaliter, ſeu pro bonitate ſubſtrata; mirum eſſe non debet, quòd aliæ facultates, quæ circa bonum non occupantur, & actus earum non multiplicentur penes arduitatem vel non arduitatem, ſicut appetitus in bonitatem intendens eiuſque actiones.

Locus Philoſophi, qui poſtea adducitur, tantùm fert, amorem cùm læditur impellere ad iram, ita vt non ſit acerbior ira, quàm quæ incenditur violato amore, ſimilitérque odium poteſt iram acuere. Habent etiam ira & odium affinitatem aliquam, vt alio loco qui allegabatur, traditum eſt à Philoſopho: vbi tamen non ait, vtrumque actum eſſe eiuſdem rationis, & ad eundem appetitum pertinere, quod aduerſarius malè aſſumit. Qui item non video quorſum huc trahat quod Philoſophus tradit de difficiliore cupiditatis, quàm iræ frænatione. Nam quamuis verum ſit, cupiditatem difficiliùs coërceri quàm iram: tamen cùm ſecundo quaſi flumine in voluptatis actus ferimur, (quod vnum hîc attendimus;) conſtat in obiecto voluptatis non cerni eam arduitatem, quæ ſaltem quandoque cernitur in obiecto iræ. Aduerſarius autem diſputationem auertit ad difficultatem, quæ maior eſt in coërcitione voluptatis, quàm in repreſſione iræ.

Ad extremum quod omnibus affectibus aliis, adiungantur voluptas & dolor, tanquam corollaria, aut per ſequelam naturalem; non probat, voluptatem & dolorem ad eum ipſum appetitum pertinere, cuius eſt ille affectus, vnde voluptas & dolor progerminant. Nam huic germini, ob diuerſitatem obiecti formalis, & diuerſam rationem conſtitutiuam, alius paſſionum ordo debetur. Nec neceſſe eſt cum Gabriele in 3. d. 26. q. vnica, *litera L.* ea germina intra eundem ordinem cum radice retinere, aſſignata tamen eorum ſpecifica diuerſitate cum paſſionibus eiuſdem denominationis ad alium ordinem pertinentibus. Ea enim diuerſitas ſpecifica, non poteſt ſatis ſtabiliri. Itaque omnis illa impugnatio communis ſententiæ, vel ab inſtituto aliena eſt, vel adeo imbellis, vt illi quatiendæ impar ſit.

Quid in ea communi doctrina, acriùs pungat.

78. Eſt tamen aliud quod in communi ſententia iure improbari poſſe videtur. Nempe quòd appetitum iraſcibilem, eiúſque paſſiones, ſola obiecti arduitate conſtituat. Id enim meritò reiectum videtur à Scoto in 1. d. 34. q. vnica *litera F & G* & d. 26. q. vnica *litera C* & à Gabriele ead diſt. 26. q. vnica, *litera I.* Itémque ab Almaino ead. diſt. *in fine dubij primi*. Iuxta quos, appetitus concupiſcibilis ille eſt, cuius obiectum eſt primò conuenìens vel diſconueniens: ille autem eſt iraſcibilis: cuius obiectum eſt id quo impedimur ab aſſecutione rei primò conuenientis, vel fuga rei primò diſconuenientis; qui obex aſſecutionis aut fugæ, ab iiſdem Doctoribus vocatur *offendens* Quam doctrinam inſinuat Ariſtoteles 2. Rhet. cap. 2. cùm ait, iram eſſe appetitum vindictæ propter apparentem paruipenſionem. Vindicatio autem reſpicit id quod offendit; id eſt, quod obſtat aſſecutioni boni. vel fugæ mali; & idcirco vindicandum intenditur. Fauet item Damaſcenus 2. fid. cap. 16. dicens, iram, eſſe ſatellitem cogitationis, concupiſcentiæ vindicem: eo quòd iraſcamur, cùm quippiam concupiſcentes, ab aliquo prohibemur. Quia enim indignum iudicamus ſic prohiberi, exurgit ira vindex obſtaculi, illud non modo remotura, ſed etiam vltura incommodum appoſitum. Illuſtrare hue poſſumus accommodatiſſimo Ægidij exemplo l. 1. de regim. Princ. p. 2. cap. 2. obſeruantis non minùs proſpexiſſe naturam commodis animalium, quàm inanimatorum. At inanimatis prouidit non modò vim acquiſitiuam loci proprij, videlicet grauitatem aut leuitatem, ſed etiam qualitatem actiuam quà ſe à contrariis tueantur, eorúmque inſultum repellant. Similiter itaque animalibus quæ cognitione reguntur, ſequunturque formam apprehenſam, duplicem prouidit facultatem, vel potiùs in eadem facultate duplicem vim: Vnam qua ſuam perfectionem nanciſci poſſent, & veluti in quietem propriam tenderent; Alteram qua agerent in contraria, & ab offendentium aſſultibus indemnitatem pararent.

Ex hoc igitur fundamento, videtur perſpicuè haberi, falſam eſſe communem ſententiam ſupra memoratam, qua obiectum appetitus concupiſcibilis, penes arduitatem conſtituitur. Nam ea vindicatio offendentis, quam iræ, atque adeo appetitui iraſcibili propoſitam diximus, poteſt plerunque carere arduitate; vt cùm quis iraſcitur, quòd ſe ei opponat alius viribus planè impar. aut cùm quis forit in calamum, aliáſve ob cauſas ab Ariſtotele ſupra recenſitas, plerúnque repulſu faciles. Tales enim actus ſpectare ad appetitum iraſcibilem, ipſa vox iræ apertè euincit. Vt proinde improbabiliter omnino Azor tom. 1. lib 4. cap. 18. quæſt. 6. & cap 19. *in fine*, hos actus velit ad appetitum concupiſcibilem pertinere.

Incommoda quorundam reſponſiones, retunduntur.

79. Quod autem ait Gabriel ſupra *litera K.* poſſe pro communi ſententia reſponderi; nempe obiectum quidem iræ non eſſe ſemper difficile; actum tamen, qui circa illud exercetur, difficultatem continere, & eatenus dici poſſe, iram ſemper eſſe circa arduum, id eſt, circa difficile, non ſatis conſideratè dictum eſt. Nam omnis difficultas actionis refunditur ab obiecto eiúſve adiunctis, prout comparatis cum tali agente. Non ſatisfacit etiam Ægidius lib. 1. de regim. Princip. p. 2. cap. 2. dicens, obiectum appetitus iraſcibilis, eſſe quidem offendens, vt probatum eſt; idem tamen eſſe arduum: quia arduitas obiecti, maximè ſolet offendere, ſiue ab aſſecutione boni retardare, malive declinationem præpedire. Hoc inquam, non elidit difficultatem propoſitam, qua probatum eſt, obiectum iræ non ſemper eſſe arduum. Quod multo magis iuxta pleroſqoe dicendum eſt de actu ſpei, qui in communi ſententia ad paſſiones iraſcibilis partis aggregatus eſt. Contendunt enim, ſpem non eſſe niſi de rebus facilibus. Et è contra, deſiderium, quod in eadem communi ſententia in album paſſionum appetitus concupiſcibilis relatum eſt, aiunt eſſe de obiecto conſecutione difficili & arduo, eóque magis incendi deſiderium, quo difficilior ſit rei aſſecutio. Inde tamen deſiderium à ſpe ſecerni fatentur, quod ſpes connotet credulitatem de aſſecutionis poſſibilitate, vel etiam futuritione. quam æſtimationem, deſiderium non connotat, cùm poſſint ea quoque deſiderari, quæ impoſſibilia & nunquam euentura agnoſcimus. Ita Vaſq. 1. p. d. 84 c. 1. & Bec. tract. 1. c. 12 n. 15. & ex Camerac. Gabriel in 3. d. 26. q. vnica *litera E* Denique paſſionem timoris non eſſe tantùm de obiecto arduo, & non minùs in appetitu concupiſcibili quàm iraſcibili locum habere, contendit Gabriel in 3. d. 35. q. vnica *in ipſo fine*, eo quòd timor ſit in eadem appetitus parte, in qua eſt deſiderium oppoſiti eius quod timetur; contingátque non rarò etiam pro leui malo, concipi magnum timorem, dum meritò veremur, ne per ſcintillam magnum incendium excitetur, & ex modicis initiis augeſcat damnum.

Concludi ergo ex his videtur, vulgarem paſſionum diſtributionem, deſerendam eſſe: Et omnem quidem paſſionem, quæ feratur in obiectum per ſe primò appetibile, id eſt, omnes paſſiones, præter iram, ad appetitum concupiſcibilem referendas eſſe: Iram autem ſolam & vnicam, pertinere ad appetitum iraſcibilem: quia ſola eſt affectus, qui non fertur niſi in offendens, ſiue in id quod eſt tantùm appetibile ratione alterius primò appetendi aut fugiendi, & vt arceantur quæ illi appetitioni vel fugæ obſtant Nam quod Gabriel ſupra d. 26. *litera L.* ad hunc ipſum appetitum refert paſſiones illas, quæ vindictæ appetitioné conſequi videntur, delectationem ſcilicet ac dolorem: deſiderium ac metum, prout incluſas in appetitione vindictæ, eíve ſubordinatas; Et idcirco ſtatuit, eas differre ſpecie ab affectibus eiuſdem denominationis, ad appetitũ concupiſcibilem pertinentibus, iam exploſum eſt: cum eiuſdem rationis ſit delectatio de bono adepto; ſiue ſit de bono primò appetibili, ſiue de bono appetito tantùm ratione prioris boni, cuius aſſecutione obſtabatur. Illud enim diſcrimen, reſpectu gaudij eſt materiale. Et idem eſt de cæteris paſſionibus.

Communis doctrina ſtabilitur.

80. Quia verò incommodum videtur, omnes paſſiones, præter vnam, cogere in vnum ordinem; & vulgaris paſſionum in duos principales ordines diſtributio, longè concinnior eſt, & commodior: placet communem ſententiam initio propoſitam non abiicere: Sed paulò aliter expoſita ratione ardui, quæ eſt fundamentum ſecundi principalis membri in communi paſſionum diſtributione, eam à propoſitis ſupra difficultatibus præſtare indemnem. Aio igitur, omnes illas paſiones, quæ in bonum vel malum, quaſi ſecundo flumine & abſolutè feruntur, vt amorem, deſiderium, odium, eíſque oppoſitas affectiones, rectè primò ordini, qui appetitui concupiſci-

bili tribuitur, adſcriptas eſſe à communi ſententia. Eas autem paſſiones, quæ feruntur in obiectum arduum, id eſt, in cuius captatione vel fuga; erectio & concitatio appetitus, aut exigitur, aut importatur, cuiuſmodi manifeſtè ſunt ira, ſpes, audacia, quibus opponuntur deſperatio & timor; eas rectè ad appetitum iraſcibilem relatas eſſe, ſiue ardua ſit ea aſſecutio vel fuga, ſiue non ſit: eámque erectionis connotationem, non malè arduitatis voce ſignificatam, eo quod nuſpiam ea erectio meliùs pandatur, quàm cùm obiectum eſt arduum, & difficultatibus obſeptum. Tunc enim ſiue bonum quod appetitur, & malum, cuius declinatio quæritur, ſit per ſe primò conueniens & diſconueniens, ſiue tantùm ſit conueniens aut diſconueniens ratione anterioris boni aut mali, quorum aſſecutioni vel fugæ obſiſtit is qui offendit: Tunc inquam animis magnis locus eſt; & opportuniſſimè expromitur illa generoſitas, cuius cos eſt ira.

Addere prætereà poſſumus pro communi ſententia, idcirco iræ adiunctas fuiſſe reliquas illas paſſiones, quas ei communis ſententia adiungit; quia vt plurimùm ingenia ſedata, quæ ægrè concitantur ad iracundiam, languent ad omnia opera, ad quæ erecto animo opus eſt, & pectore firmo: & in eis ob animum demiſſum & humilem, frigent illæ affectiones, quas concitationem quandam & erectionem, vel exigere vel importare diximus. Non malè ergo omnes, ad eundem ordinem cum ira per quam acuuntur, reuocatæ ſunt. Denique non incommodè dici poſſet, idcirco paſſiones partis iraſcibilis deſcriptas & conſtitutas fuiſſe per obiecti arduitatem, quia vt plurimùm, obiectum iræ & cæterorum affectuum appetitui iraſcibili adſcriptorum, eſt aſſecutu vel declinatu arduum: ſaltem ſecundùm apprehenſionem operantis, ex qua aliquando fit, vt pro malo reipſa leui, & declinatu vel perpeſſu facili, magnus concipiatur metus: quod non fieret, ſi erronea illa exiſtimatio non interueniſſet. Id verò Gabriel non videtur ſatis animaduertiſſe, cùm timorem magnum pro malo leui in ſe & euentis inde exorituris, dixit ad appetitum concupiſcibilem pertinere, nec importare vllo modo arduitatem.

81. Secundò ſic ſtabilita communi diſtributione paſſionum intuli quid de earum numero & contrarietate cenſendum ſit. Quæ duo coniungo, quòd ad exactè ineundum paſſionum numerum, ſit ita neceſſarium. Contrarietas porro ſiue pugna magnæ partis paſſionum, perſpicua eſt. Nam in quodlibet ordine, ſunt aliquæ paſſiones apertè pugnantes; vt amor cum odio, deſiderium cum fuga, gaudium cum triſtitia, ſpes cum deſperatione, audacia cum timore. De ſola ira, eſt controuerſia, habeátne paſſionem oppoſitam: cui difficultati breuiter ſatisfaciendum eſt, priuſquàm exponatur vnde paſſionum oppoſitarum contrarietas deſumenda ſit. Et hinc habebimus quot ſint in vtroque appetitu paſſiones, earúmque numerum vniuerſim inibimus, quod conſequenter ad proximè expoſita, ſtatuendum ſequitur.

An ira habeat oppoſitam paſſionem; detúrque paſſionum duodenarius; varia placita.

S. ergo Thomas locis ſupra allegatis nullum affectum iræ oppoſuit, eo quod neque ſecundùm contrarietatem obiectorum, neque ſecundùm eorundem comparationem ad facultatem appetentis, neque alia vlla ratione, poſſit ſtatui paſſio oppoſita affectui iræ. Nam neque ira eſt circa bonum præſens, nec circa malum excedens facultatem appetentis, vt ſupra, referendo communem ſententiam, oſtenſum eſt ex doctrina Sancti Doctoris, apertiúſque conſtabit ex dicendis circa ſingulos affectus.

Alij tamen, vt paſſionum duodenarium complerent; & ſex paſſiones appetitus concupiſcibilis, ſex item appetitus iraſcibilis numerarent; præter vndecim paulò ante numeratas, addiderunt manſuetudinem, ſiue remiſſionem iræ, quam oppoſuerunt iræ. Quod traditum putant à Philoſopho 2. Ethic. cap. 7. verbis illis. *Circa iram, exceſſus & defectus & mediocritas quoque eſt: ſed cùm nominibus ferè careant, medium manſuetum, mediocritatem manſuetudinem vocabimus. Ex extremis verò, ille qui excedit, iracundus ſit, & vitium iracundia: qui deficit, ira vacuus, & defectus iræ, vacuitas appelletur* Similia repetit 4 Ethic. c. 5. vbi addit nomen extremi oppoſiti iræ, tributum eſſe virtuti inter vtrumque mediæ, nomine alioqui deſtitutæ; quòd ea virtus magis accedat ad extremum ſibi oppoſitum per defectum, quam ad iram oppoſitam per exceſſum. Hinc igitur Ægidius lib. 1. de regim. Princip. p. 3. c. 1. colligit nomen manſuetudinis eſſe æquiuocum ad virtutem, & ad paſſionem oppoſitam iræ: eáque ratione, complet duodenarium paſſionum, qui in communi earum enumeratione mancus eſt.

Pars negans, in vtroque puncto placet.

Perſtandum tamen eſt in communi ſententia tradita à D. Thoma, negandúmque, vllam eſſe paſſionem iræ aduerſantem: ex quo ſequitur, vndecim tantùm eſſe paſſiones; ſex in concupiſcibili, amorem, deſiderium, gaudium; iiſque oppoſitas, odium, fugam, triſtitiam: Et quinque in iraſcibili. ſpem, audaciam, iram, & ſpei oppoſitam deſperationem, itémque oppoſitum audaciæ timorem. Cuius numeri ratio facillima eſt, ex dictis circa generalem partitionem, in eas quæ ad appetitum concupiſcibilem, & eas quæ ad iraſcibilem pertinent ſiue ſequamur eam rationem explicandi prædictam partitionem quam ſupra ex D. Thoma retulimus; ſiue eam quam ſobiecimus ex Scoto, ſiue denique eam, quam ipſi approbauimus. Quæcunque enim illarum explicandi rationum admittatur, perſpicuum erit, membra diuidentia contradictoriè opponi, atque adeò diuiſionem eſſe adæquatam & exhaurire diuiſum.

Probatur, paſſiones non plures eſſe quàm vndecim.

82. Inſiſtendo autem ei rationi explicandi, quam tradidimus, ſic colligenda eſt huius numeri paſſionum ſufficientia. Obiectum in quod appetitus paſſione concitatur ac tendit; vel eſt bonum, vel malum. Vtrumlibet porrò ſit, vel appetitus fertur in illud abſque erectione vlla, vel cum ea. Sub primo membro, eſt amor boni, præſcindens ab eius præſentia vel abſentia: itémque deſiderium boni abſentis, & gaudium de eodem præſente. Nec poteſt bonum aliter comparari ad appetitum. Non poſſunt igitur affectus abſque animi erectione tendentes in bonum, aſſignari plures. Sed neque in malum ob eandem rationem. Itaque habentur ſub illo priore membro, ſex affectus ad partem concupiſcibilem pertinentes: Tres circa bonum, amor, deſiderium, gaudium: Totidem circa malum, odium, fuga, triſtitia ſeu dolor. Qui autem affectus erectionem aliquam animi exigunt vel inuehunt, iiſque oppoſiti, quod erat poſterius membrum paulo ante propoſitum, aut feruntur alacriter in bonum, vnde habetur ſpes,

cuius

cuius oppoſitum eſt deliquium animi, ſiue deſperatio: aut calcant difficultates ſe interponentes, perque eas ſtrenuè peruadunt ad bonum concupitum, vnde exiſtit audacia, cui opponitur timor mali euenturi: aut repellunt offendens, vnde exurgit ira; cui nullum eſſe ſtatuendum oppoſitum affectum, mox confirmabo. Non poteſt alia ratio excogitari, qua affectus, in bonum, vel aduerſus malum erigatur, aut ab ea erectione, ob improportionem obiecti, vel difficultatis ſuperandæ, deficiat. Quare non poſſunt alij, quàm hi vndecim affectus numerari.

Sed neque pauciores: contra expungentes amorem ſimplicem.

Hos autem vndecim, eſſe admittendos tanquam verè diſtinctos, communiſſima eſt ſententia: tametſi non defuerunt qui repugnarent, quoad amorem ſimplicem. Hunc enim aliquis apud Aureolum in 3. d. 15. quæſt. vnica art. 3. negauit eſſe actum elicitum: ſed dixit eſſe ipſum actum primum, nixus duntaxat analogia amoris ad grauitatem corporum, quæ eſt actus primus: item cauſatione aliarum affectionum per amorem, quod videtur ad actum primum ſpectare, non ad ſecundum. Quæ ſunt omnino inania argumenta. Nam quamuis amor itémque odium, de quo idem Doctor hoc affirmabat, ſint actus primi reſpectu paſſionum ex illis progerminantium: Tamen reſpectu potentiæ ex qua prodeunt, ſunt actus ſecundi. Analogia autem cum grauitate, eſt omnino inanis, nec ratione vlla nititur. Quare miſſum prorſus facio commentum illud de amore & odio, indiſtinctis ab appetitu.

82. Eidem amori ſimplici, bellum acre indixit Aureolus in 1. d. 1. quæſt. 2. art. 1. in explicatione propriæ ſententiæ. Et in 3. d. 15. quæſt. vnica art. 3. contendens nullum eſſe amorem à delectatione aut deſiderio diſtinctum, qui feratur abſolutè circa bonum. Argumentatur autem in primis ex analogia ad appetitum naturalem, cuius quatuor duntaxat ſunt actus; nimirum moueri in finem, & quieſcere in eo: vel è contrà, refugere ab oppoſito, & inquietè degere in eo, vt patet ex corpore graui. Similiter ergo appetitus animalis vel intellectualis, quatuor tantùm actus, prædictis proportionales habet: Deſiderium quaſi motum, & delectationem quaſi quietem in bono Itémque fugam mali, & triſtitiam de eo, ſi non fuerit auerſum. Nullus itaque eſt præterea amor. Nam quem alij ponunt anteriorem deſiderio, & cauſam eius, Aureolus arbitratur eſſe ipſam delectationem in obiecto apprehenſo, & complacentiam in eo; quod ait ex terminis patere, cùm idem ſit dicere, *amo*, vel, *diligo*, ac dicere, *hoc complacet mihi*: vel, *me delectat*. Ergo omnis amor vel eſt complacentiæ in re habita in conſpectu, vel conceptu; vel habita realiter: vel certè eſt deſiderij, quo amore, (inquit Aureolus,) gluto diligit porcellum, & caupo vinum, cuius dilectio nihil aliud eſt, quàm deſiderium & concupiſcentia illorum obiectorum. Argumentatur præterea, quia omnis amor, vel eſt concupiſcentiæ vel amicitiæ; Vterque autem reſpectu boni abſentis eſt deſiderium. Reſpectu verò boni præſentis, quod ſit tantummodò in conſpectu, eſt delectatio præueniens deſiderium. Tandem argumentatur ex eo quòd D. Auguſt. 4. Ciuit. cap. 7. duplicem duntaxat agnoſcat affectum proſecutiuum, nempe amorem inhiantem, qui etiam deſiderium appellatur & amorem fruentem, qui idem eſt quod delectatio: quibus duobus actibus, contendit Aureolus tribui poſſe quæcunque dicuntur de amore; vt quòd amantem vniat obiecto, transformétque in illud; quod per amorem, amans ſe donet amato, & in eo placidè conquieſcat: quæ omnia Aureolus ait in delectationem cadere. In deſiderium autem cadunt reliqua quæ amori tribuuntur, vt conquiſitio obiecti, profuſio ſollicitudinis, aliáque huiuſmodi.

Ad Aureoli argumenta, contra amorem ſimplicem.

In his Aureoli rationibus elidendis, multus eſt Capreolus in 1. d. 1. quæſt. 1. ad argumentum ſecundo loco contra 3. & Ocham in 1. d. 1. quæſt. . *litera D*. Sunt autem reuera faciles: Ipſáque Aureoli ſententia, talis eſt, vt recidat planè in ſententiam, quam his argumentis impugnat, vt mox patebit. Nego igitur, ſicut ſunt tantùm duo actûs ſecundi, reſpondentes appetitui naturali, ita duos tantùm eſſe, reſpondentes appetitui animali vel intellectuali. Nam in hoc poteſt præterea agnoſci tertius actus anterior, nempe amor ſimplex, vt patet ex dilectione, qua dæmon ſeipſum diligit: Ea enim, neque eſt deſiderium, cùm ſit rei habitæ; neque delectatio, cùm dæmon ſit omnino eius incapax. Admittendus ergo eſt actus amoris, anterior deſiderio, cuiuſmodi eſt amor ille dæmonis in ſeipſum. Nam quamuis ſit rei habitæ; tamen non eſt quies in ea: Vnde poſſet à præſentia abſtrahere. Ac proinde differt à delectatione, & multò clariùs à deſiderio. Niſi ſi placeat, iſtum actum tanquam cæterorum præludium & rudimentum, reducere ad illos, eo modo quo ſucceſſio, motui pleno & completo præuia, reducitur ad motum completum. Eſt enim amor, quaſi voluntatis prima tentatio & ſubagitatio Quòd autem Aureolus hunc amorem deſiderio præuium, quem admittit, ait eſſe delectationem, parum appoſitè dicit. Nam delectatio eſt rei adeptæ poſt motum, qui tunc temporis nondum eſt adhibitus. Erimus autem extra præſentem controuerſiam ſi fingamus eum qui delectatur, deludere ſeſe, apprehenſo bono futuro, tanquam præſenti. Quo pacto accipio illud Nazarij initio panegyr. Conſt. *Fruimur quidem nos, præſentium maxima voluptate, ſed lenocinatur his iam futuri ratio, & quæ temporibus diſſeparata ſunt, animorum præſumptione iungimur.* Nos cum Aureolo, agimus de bono quod obiiciatur vt futurum. Tunc ergo tantùm habetur complacentia ſimplex. Nec eſt verum, quod idem ſit, complacere, & delectari in aliquo. Placet enim plerunque bonum abſens; nec tamen delectat, quandiu abſens eſt. Imò plurima ſunt quæ admodum placent, & tamen cruciant, quia deſunt, vt Capreolus ſuprà, ad 3. rectè notauit.

Eàdem operâ euertitur argumentum ſecundum. Negatur enim, omnem amorem eſſe deſiderium, vel gaudium. Abutitur autem Aureolus nomine gaudij, hancque totam diſputationem reuocat ad litem de nomine, cùm ait duplicem eſſe delectationem: nempe vnam, quæ conſequatur deſiderium, ſitque ipſa rei adeptæ fruitio, quam nos veram delectationem agnoſcimus: Alteram quæ deſiderio præeat, ſitque idem quod complacentia. Hoc enim actu complacentiæ conceſſo, tanquam diſtincto ab actu deſiderij & illum præcedente, vt patet ex obiectis, & munere vtriuſque, (diſertéque concedit Aureolus in calce articuli primi quæſtionis illius ſecundæ recenſens Scoti ſententiam quarto loco memoratam:) tota altercatio Aureoli eſt de vocabulis. Nihil enim aliud volunt qui contendunt admittendum eſſe amorem ſimplicem, quàm dandum eſſe actum illum, quem etiam Aureolus admittit, ſed vult vocari delectationem præuenientem deſiderium, quæ eſt lis

inutilis. Quamuis negari non poſſit, quin probatior ſit communis locutio, quæ complacentiam illam vel guſtum ſimplicem boni, negat vocandam delectationem, cùm non omnia quæ placent, delectent: ſed tantùm ſi habeantur reipſa, aut per mentis operationem, haberi reipſa videantur.

Alia Aureoli argumenta, eodem modo concidunt. Diuus enim Auguſtinus idcirco meminit tantùm amoris inhiantis, & fruentis, quia amorem ſimplicem, quo illi inhiationi proluditur, complexus eſt in ea inhiatione, tanquam rudimentum in opere perfecto. Quòd autem vnio & transformatio & donatio amantis, quæ tribuuntur amori, competant delectationi; ſi ſermo ſit de delectatione ſequente deſiderium, eſt omnino falſum; cùm talis delectatio ſit tantum quies. Si autem ſermo ſit de complacentia, cui etiam Aureolus commune eſſe vult nomen delectationis, ſic verum eſt: Sed vt patet, nihil Aureoli cauſam iuuat.

84. Quare indubitatum maneat, rectè amorem ſimplicem deſiderio & delectationi præuium, recenſitum à D Thoma eſſe, inter paſſiones Viues. ſuo tertio de anima, cap. de enumerat. affectuum, & cap. de amore, hunc amorem, qui eſt prima veluti ſurgentis motus aurula, nominat allubeſcentiam, quæ confirmata ſit amor, nempe ſimpliciter dictus. Hoc eleganter & verè. Sed malè addit. hunc motum voluntatis eſſe quandam illius exhilarationem, & tanquam frontis exporrectionem, atque arriſum, quo placet voluntati, bonum ipſi congruens. Nam tam homo quàm bellua, ad primum boni conſpectum deponit feritatem, ſi quam habet, & incipit illi admanſueſcere. Iſta nego pertinere formaliter ad amorem ſimplicem. Exhilaratio enim illa voluntatis ad primum boni occurſum, eſt delectatio quædam, realiter diſtincta ab amore ſimplici, quamuis ad eum conſequatur, tanquam ad cauſam ſuam.

Conſtitutus paſſionum numerus, firmatur.

Itaque rectè conſtitutum eſt, amorem ſimplicem eſſe peculiarem affectum, ac proinde numerum paſſionum ex D. Thoma conſtitutum, non poſſe ea ex parte imminui. Et cùm de nulla alia paſſione controuertatur, ſitne vera entitas diſtincta ab aliis reipſa, ratum omnino eſto, numerum illum paſſionum reipſa diſtinctarum, haberi debere vndecunque fixum & firmum. Non me latet quantoperè authores hac in parte variarint. Ariſtoteles enim 2. Rhet. tredecim recenſere videtur: paulò pauciores 2. Ethic. c. 7. Sed aliud eſt didacticè paſſionum numerum venari quod hic præſtare conamur: aliud, per occaſionem aliqua exempla earum proferre prout res tulerit, quod factum locis illis eſt ab Ariſtotele. Aliud de iis ſentiendum, qui ex inſtituto paſſionum numerum tradentes, multò plùres vel pauciores, aut magnam partem longè alias, quàm quas propoſuimus, enumerarunt. Cardanus 14. de ſubtil. ad viginti numerauit. Ad quem numerum acceſſit Viues 2. animæ. Nemeſius l. de homine cap. 17. quinque tantùm proponit; videlicet cupiditatem quadrimembrem, & iram. Decem Fracaſtorius libr. de ſympathia à cap 17. ſed diuerſas plerunque ab iis, quas protulimus. Plato in Theæteto innumeras eſſe affirmauit, ſed hoc per auxeſim, nec ex inſtituto paſſionum numerum exquirens dixit, Numerus ergo quem propoſui, & ſtabiliui ratione, ratus eſto.

Cur nulla aſſignetur paſſio, iræ contraria.

85. Tantùm ſupereſt exponendum, cur nullam recenſuerim paſſionem iræ contrariam. Ratio ergo eſt; quia vacuitas iræ ſiue manſuetudo, de qua ſupra, vel ſumitur negatiuè; hoc eſt, pro carentia omnimoda affectus iræ, vel poſitiuè; hoc eſt, pro actu iræ remiſſo & languido. D. Thomas 1. 2. quæſt. 23. art. 3. horum primum eligit & confirmat ex Ariſtotele 2. Rhetor. cap. 3. Vbi manſuetudo iræ oppoſita, vocatur quies & ceſſatio ab ira. Et hoc pacto perſpicuum eſt, nullum eſſe affectum iræ oppoſitum. Ea ſiquidem ceſſatio ab affectu iræ, non eſt affectus poſitiuus, qui poſſit iræ contrarius ſtatui: ſed eſt tantùm negatio affectus poſitiui. Si autem eligamus ſecundum, & manſuetudinis nomine intelligamus iram, quæ non pertingat ad debitam menſuram; ſic paſſio illa non poterit ſtatui differens ab ira, neque erit verè ei oppoſita, ſed tantùm ſecernetur ab ea penes intenſionem & remiſſionem: quod diſcrimen non continet oppoſitionem. Sic enim furor & ira non opponuntur, quamuis furor ſit aliquid inflammatius & turbidius. Zelus item & amor non opponuntur, quamuis deſit amori ſimpliciter dicto, ea perfectio accidentaria, & incenſio maior, quàm zeli nomine exprimimus. Itaque nulla ratione aſſignari poteſt contraria iræ paſſio.

Nec Ariſtoteles vllam talem agnouit, ſed tantùm admiſit vitium aliquod circa remiſſionem nimiam aut vacuitatem iræ, oppoſitum mediocritati manſuetudinis, & aduerſans iracundiæ per exceſſum cum manſuetudine pugnanti. Nam etiamſi nullus ponatur in voluntate actus poſitiuus circa remiſſionem aut omiſſionem iræ; tamen mera eius carentia interpretatiuè volita, vitio vertitur cùm certos denique fines tranſgreditur. Non dico, eam carentiam impreſſuram habitum vitij poſitiuum, quod conſtat non poſſe per negationem fieri. Tantùm itaque dico, eam carentiam, cùm ira exigeretur, eſſe culpabilem & malam; idque vnum voluiſſe Ariſtotelem. Præterquàm quòd ea iræ vacuitas, ſolet habere adiunctam volitionem non iraſcendi, per quam poſitiuus habitus vitioſus inuritur: quamuis ea volitio non ſit paſſio, ac proinde nequeat paſſionum duodenarium explere. Non habet itaque ira paſſionem oppoſitam: cæteræ verò habent. Amor quidem, odium; deſiderium, fugam; delectatio, triſtitiam, ſpes, deſperationem; audacia, metum.

Vnde deſumenda contrarietas paſſionum.

86. Supereſt autem quærendum, vndenam deſumatur hæc paſſionum pugnantium contrarietas. Quanquam quoad paſſiones appetitus concupiſcibilis, perſpicuum eſt, eam deriuari ex contrarietate obiectorum. Cùm enim paſſiones quæ in appetitu concupiſcibili opponuntur, ſint de obiectis contrariis; (quia idem obiectum non poſſet ſimul concupiſci & refugi, ſicut non poteſt ſimul eſſe bonum & malum;) perſpicua eſt radix contrarietatis inter paſſiones illas vigentis: nempe ipſa obiectorum contrarietas, quoad bonitatem & malitiam; ſeu quoad conuenientiam & diſconuenientiam cum appetente.

Quoad paſſiones autem appetitus iraſcibilis, quæ habent oppoſitam; hoc eſt, omnes præter iram, S. Thomas 1. 2. quæſt. 23. art. 1. & quæſt. 26. de verit. art. 4. ait, contrarietatem earum deſumi poſſe, & ex contrarietate obiectorum, ſicut in paſſionibus appetitus concupiſcibilis, & penes exceſſum obiecti ſupra facultatem appetentis. Quæ poſterior origo oppoſitionis paſſionum deeſt in appetitu concupiſcibili; quia non fertur circa bonum vel malum arduum, ſed abſolutè tantùm circa bonum & malum. Quod dixit, paſſiones partis iraſcibilis opponi penes con-

contrarietatem

trarietatem obiectorum, accipiendum eſt indefinitè. Neque enim omnes paſſiones appetitus iraſcibilis habent eam oppoſitionis ſuæ radicem : vt patet de ſpe & deſperatione, quarum vtraque eſt circa bonum. Satis ergo eſt, quod in aliquibus, res ita ſe habeat, vt in ſpe & timore. Spes enim fert ur circa bonum futurum : timor autem circa malum futurum. Vbi elucet eadem contrarietas, quæ inter amorem & odium cernitur. Vnde ſicut repugnat, duas illas rationes obiectiuas, bonitatem inquam, & malitiam, ſiue conuenientiam & diſconuenientiam, ſimul eidem rei ineſſe : ita repugnat duas illas paſſiones in idem ſimul obiectum cadere. ita vt idem timeatur & ſperetur; ſicut repugnat, vt idem ſimul ametur, & odio habeatur, vel vt idem placeat & diſpliceat ſub eadem ratione formali.

Paſsiones aliàs contrariæ, poſſunt ſimul ad idem obiectum materiale referri, ſub diuerſo motiuo.

Quod addo, quia ſi in eandem rem materialiter acceptam, plures ſimul rationes formales concurrant, quarum vna idonea ſit mouere ad amorem, altera ad odium : vel vna ad ſpem, altera ad timorem; nihil vetabit, vtrumque affectum, aliàs oppoſitum, terminari ad idem materiale obiectum. Qua ratione voluptates carnis, & ſenſibilia peccatorum irritamenta, placent appetitui, quatenus bona ſenſibilia verè iucunda: & idcirco voluntas, per ſympathiam, in primo earum obiectu ſubſilit quodammodo, eáque indeliberatè & ſimpliciter amat. Diſplicent autem ei quatenus fœda & rationi aduerſantia. Quæ cauſa eſt cur voluntas, cùm primùm per aduertentiam fit domina actus ſui, appetitionem illam naturalem, quantum poteſt, coërceat, eáque fucata bona, generosè repudiet, ſi ſapiat, & à rationis præſcriptio nolit deflectere. Itaque amor ille, & ei oppoſitum odium, non feruntur in eandem rationem formalem: ſed eadem res, diuerſas bonitates implantatas habens, ſub diuerſis motiuis terminat vtrumque actum, quandiu vnus eſt ab altero independens, nec alio ex capite alterum excludit; quàm quia vnus eſt odium, alter autem eſt amor. Nam ſi ſpectentur cum ea efficacitate quam debet habere odium liberum mali inhoneſti, excludetur planè actus amoris liberi circa ea bona illicita, & non niſi turpiter appetibilia : non quòd duo illi actus; diuerſis illis rationibus formalibus ac motiuis nixi, cohærere abſolutè non poſſent: ſed quod cum odio libero efficaci turpitudinis, repugnet amor liber delectabilitatis, qui neceſſariò amori turpitudinis, ſaltem interpretatiuo, coniungitur.

Interdum non pugnant, quia etiam materiali obiecto diſsident.

87. Aliàs verò deeſt contrarietas inter oppoſitos alioqui affectus : quia in obiecta non formaliter tantùm, ſed etiam materialiter diſtincta feruntur. Quod Alexander 1. natur. quæſtionum c. 12. contingere obſeruat quoad delectationem & triſtitiam, in iis qui ſitientes bibunt, & eſurientes cibum ſumunt. Donec enim expleatur fames epulis, & ariditas faucium ac corporis, rigatione potus ſufficienti tollatur, voluptatem triſtitiæ mixtam ſentiunt. idémque in iis cernitur, qui ſcabiem fricant. Eandem obiecti diuerſitatem in iis qui de ſuo peccatorum dolore gaudent, obſeruat S. Bonauent. in 4. d. 6 art. 2. q. 2. n. 32. & Gabriel ibid. d. 15. q. vnica *litera P*. Eodem modo ex triſtitia, quidam voluptatem aucupantur ipſum mœrorem titillantes, iuxta Metrodori doctrinam apud Senecam epiſt. 99. Affectus enim triſtitiæ, lachrymas, vt ibidem dicitur, deſpumans, exonerat corpus, euaporátque dolor per eos quaſi tubos, vnde leuamentum aliquod ſentitur, quod dolor compreſſus excluderet. Moleſtia ergo in his euentibus, eſt de incommodo quod perſeuerat ex parte nondum adhibito pleno remedio. Voluptas autem percipitur de curatione partiali, & leuamine ex parte appoſito. Itaque non ſolidè (vt hoc obiter addam) Nemeſius c. 18. de homine, ex ea voluptatis & doloris coniunctione in iis qui fricantur, probat voluptatem & dolorem non ſe habere vt priuationem & habitum, quia ſi ita eſſet non coniungerentur in iis qui fricantur. Hoc nego ſolidè dici, quia quamuis voluptas & dolor de eodem ſe haberent vt priuatio & habitus, ideóque non poſſent coniungi : Tamen dolor & voluptas de diuerſis, (qualia ſunt in eo exemplo,) coniungi poſſent.

Incompoſsibilitas affectuum, à contrarietate ſecernitur.

Cæterùm aliud eſt affectuum iſtorum incompoſſibilitas, aliud contrarietas. Nam vt Ariſtoteles 7. Eth. c. vlt. aduertit, vehemens triſtitia omnem lætitiam exterminat; & vehemens gaudium omnem mœrorem, etiamſi de obiectis & formaliter & materialiter diuerſis concipiantur. Nimirum potentia præoccupata excellentiſſimo obiecto, abſumit in eius perceptione vires ſuas, quas vtique finitas habet. Vnde mirum non eſt, quod ad alia ſua obiecta, tametſi æquè applicata, non diſtrahatur, diſtenta in forte illud obiectum, quod eam ſibi validè affigit.

Hac ratione, vt rectè philoſophatur Gulielmus Pariſ. . & ſecundæ de vniuerſo c. 4. is qui in mediis flammis torreretur, eíque doloris abyſſo, quæ exiſtit ex viui combuſtione immergeretur; nullam planè delectationem perciperet ex ſolatiolis, quæ aliquis ei ſubminiſtrare tentaret, cantando v. g. aut ſaltando, ad eum exhilarandum vel oblectandum. Quam ille rectè cenſet eſſe cauſam defœcatiſſimi, nulláque gaudij mixtura imminuti doloris dæmonum, in adeptione rerum de quibus alioqui gauderent. v. g. in noſtra pertractione ad peccatum. Vt non fuerit ſanè neceſſe, cauſam dæmonum triſtitiæ, nullo vnquam gaudio intermiſtæ, referre in violentam ſubtractionem diuini concurſus ad eliciendum actum gaudij. Quo pacto philoſophantur Gabriel in 2. d. 7. quæſt. vnic. *litera O*. & Mol. 1. part. q. 64. art. 3. diſp. 3. Sed non video quorſum ſuperfluum miraculum inuehendum ſit, cùm ratio ducta ex præoccupatione potentiæ, habentis finitam capacitatem, ſufficiat ad explicandam, eam quam dico, cuiuſuis lætitiæ in tanto mœrore excluſionem : ſicut guttula mellis, in mare immenſum fellis demiſſa, exuet ipſa potius dulcedinem ſuam, & amarorem contrahet, quàm aliquid ſaporis ſui impertiat. Aut ſicut lux excellentiſſima oculis obiecta perſtringit illos, & vt colores fortè obiectos cernere diſtinctè liceat, non ſinit. Quia verò perfacile eſt Deo, finitam illam potentiæ capacitatem ſupplere, habent Theologi qua ratione conciliare poſſint in Chriſto per tempus paſſionis, ſummam voluntatis delectationem ex Deo clarè percepto, cum ſumma triſtitia ex præſentia tot malorum, quam potentior ille gaudij motus alioqui abſorpturus fuiſſet, ſi diuina manus ibi non interueniſſet.

ARTICVLVS V.

Ordo generationis ac dignitatis inter paſsiones.

88. EXplicatione huius vtriuſque ordinis inter paſsiones, comprehendam aliam præter hactenus traditas, paſſionum diſtributionem in principales & minus principales. Operæ pretium enim eſt intelligere, quo ſenſu paſſim ſpes & timor, gaudium & triſtitia, paſſiones principales, & cæterarum veluti cardines appellentur: iuxta D. Thomam 1. 2. quæſt. 25. artic. 4. poſt Boët. 5. de conſol metro vlt. reliquæ autem minus principales dicantur: præſertim cùm graues Doctores aliter pronuncient; & alij quidem, amori, primatum & omnimodam inter paſſiones principalitatem deferant; alij voluptatem ac metum primas eſſe paſſiones velint, & cæterarum omnium quaſi elementa, vt ex Platone loquitur Alcinous c 14. breuiarij. De quibus omnibus commodè ſtatui poterit, expoſito eo duplici, quem dixi, ordine inter paſſiones: altero ſcilicet generationis, altero perfectionis.

ASSERTIO.

ORdine generationis quaſi naturali, paſſiones appetitus concupiſcibilis, antecedunt eas, quæ ad iraſcibilem pertinent. Intra vnumquemque verò appetitum, priores generatione ſunt, quæ continent motum appetitus ad obiectum per ſe primò conueniens vel diſconueniens. Succedunt quæ important appetitus quietem, gaudium ſcilicet & dolor: vltima eſt ira. Perfectio entitatiua, maior eſt in paſſionibus vlterioribus, quàm in ſimplicioribus, quas includunt. Complexæ paſſiones, ſunt ſpes & timor, gaudium & triſtitia, quæ idcirco etiam paſſiones principales appellantur.

PRimò ago de ordine generationis paſſionum, cum vniuersè, comparando paſſiones vtriuſque appetitus inter ſe; tum ſigillatim, paſſiones vnius inter ſeipſas conferendo, quoad generationis ordinem.

Paſsiones concupiſcibilis partis, generatione priores paſsionibus partis iraſcibilis.

In primis autem dico, ordine generationis, paſſiones partis concupiſcibilis, præire paſſionibus partis iraſcibilis. Loquor indefinitè; quia certum eſt, aliquas paſſiones partis iraſcibilis, anteire aliquibus paſſionibus partis concupiſcibilis. Nam cum paſſiones iraſcibilis connitantur ad boni adeptionem, vel ad mali declinationem, aut repulſam eius quod obſtat alterutri, omnino neceſſe eſt, vt præeant paſſionibus illis quas boni adeptio, vel mali declinatio fruſtratentata, ingenerat. Itaque cùm gaudium ſit de bono adepto; triſtitia autem de malo non euitato; fatendum eſt, triſtitiam & gaudium ſubſequi ſpem & timorem. Verùm ante has paſſiones ad partem iraſcibilem pertinentes, præcedunt aliæ pertinentes ad appetitum concupiſcibilem: illæ nimirum, quæ in hoc appetitu ſpectant ad captationem boni, vel mali declinationem. Quamuis enim in appetitu iraſcibili, qui totus eſt in conniſu & pugna, non diſtinguantur paſſiones penes motum & quietem appetitus per eas, ſed omnes ad motum ſpectent: Tamen in appetitu concupiſcibili, quia non ita fertur in obiectum ſuum, diſtingui poſſunt duo illi paſſionum modi? Quarundam nimirum, quæ in motu ſint, & quarundam quæ ſint in quiete. & pacifica boni quæſiti, vel mali non euitati, poſſeſſione. Iſtas iam dixi, poſteriores eſſe ordine generationis & executionis, paſſionibus illis appetitus iraſcibilis, quas paulò ante enumeraui: iis ſcilicet, quæ feruntur in bonum aut malum primò conueniens aut diſconueniens; hoc eſt omnibus præter iram, de qua poſtea. Illas verò nunc dico, anteire ordine naturæ iiſdem paſſionibus iraſcibilis, tendentibus in obiectum per ſe primò conueniens aut diſconueniens.

Limitationes quadam.

89. Ordine inquam, naturæ. Neque enim contendo, ſemper amorem ac deſiderium, vel paſſiones illis oppoſitas, præmitti ſpei, audaciæ, vel deſperationi, ac timori, cum ſæpè propoſitio prima obiecti, exhibeat illud vt arduum, & captatu vel declinatu operoſum; qua cognitione, obſtruitur amoris ſimplicis ac deſiderij & fugæ principium. Similitérque ex libera hominis voluntate ſæpè nunc hæc nunc illa paſſio concitatur, prout arbitrij impetus tulerit. Tantùm itaque volo, ordine naturæ, id eſt, ſpectata conditione naturali obiectorum, in quæ feruntur paſſiones aliquæ partis concupiſcibilis; eáque comparata ad conditionem obiectorum prædictas iraſcibilis paſſiones terminantium; aliquas paſſiones appetitus concupiſcibilis, (eas ſcilicet. quæ in motu conſiſtunt,) eſſe priores prædictis paſſionibus iraſcibilis. Ratio eſt ex Richardo in 3. d. 16. art. 1. q. 3. quia paſſiones iſtæ concupiſcibilis, quæ mouentur ad boni adeptionem vel mali declinationem, ſunt circa obiectum ſimplicius atque adeò prius, quàm ſit obiectum prædictarum paſſionum iraſcibilis. Hæ enim feruntur in obiectum arduum; illæ verò in bonum vel malum abſolutè & ſimpliciter. Atqui prius eſt, eſſe abſolutè & præcisè bonum, quàm eſſe bonum arduum, & idem eſt de malo.

Idcirco porrò paulo ante, ſubiungens paſsiones aliquas appetitus concupiſcibilis, nonnullis paſsionibus appetitus iraſcibilis, ſepoſui iram, eámque etiam illa paſsione concupiſcibilis, quæ ad malum poſſeſſum pertinet, poſteriorem generatione conſtitui: quia quamuis ira quoque ſit circa arduum; & arduum ſimpliciter, præſupponat bonum & malum ſimpliciter, tamen ira, cùm fertur in arduum, non fertur in illud, niſi ſupponendo offendens. Hoc autem, eo ipſo quòd iam offendit, ingenerauit triſtitiam, intulitque malum aliquod, nempe vel remouendo vel retardando boni adeptionem, aut mali declinationem. Itaque ira, neceſſariò præſupponit dolorem, pro quo illato, quærit recruciationem reponere; ac proinde ira, quamuis ſit motus quidam, tamen eſt poſterior aliqua paſsione conſiſtente in quiete. In quo debet eſſe eius ratio peculiaris in hac diſquiſitione ordinis, quo generantur paſsiones; eo quod, vt dixi non ſit obiecti per ſe primò conuenientis vel diſconuenientis, ſicut cæteræ; ſed feratur in obiectum,

ctum, quod conueniat tantùm vel diſconueniat, ratione alterius, cuius conſecutioni vel declinationi obſtaculum apponitur. Non nego tamen, quia rurſus ex ipſa ira pullulent delectatio & triſtitia, quæ ſunt connaturalia omnium affectuum germina. Sed hoc non pugnat cum ea neceſſaria doloris ad iram præſuppoſitione, de qua hîc egi. Illa enim dimanatio vlterioris doloris vel voluptatis ex ira, eſt planè per accidens: cùm tamen præſuppoſitio doloris ad iram, ſit per ſe, vt ipſa iræ definitio docet, quam infra ab Ariſtotele videbimus definiri, *appetitum recruciationis*.

Quomodo voluptas & dolor, cæterarum paſſionum elementa ſtatuantur.

90. Aduerſus ita conſtitutum ordinem generationis, inter paſſiones ad vtrumque appetitum pertinentes, video opponi poſſe quod ex Platone tradit Alcinous cap. 24. nempe voluptatem & dolorem eſſe principia cæterarum omnium paſſionum, eaúmque veluti elementa. Et quod Porphyrius tradit lib. . de abſtineut. nempe has eſſe duas propagines vinculorum, quibus anima in hac vita irretitur, ac velut mortiferis inebriata poculis, in obliuione ſibi inſitæ contemplandi facultatis, marceſcit; hoc eſt, paſſionum omnium. S. Ambroſius lib. 1 de Iacob. c. 2. vocat dolorem & voluptatem, duces cæterarum paſſionum, quas ait ad illas ſequi. Sunt igitur voluptas & dolor generatione priores.

Reſponderi poteſt ex D. Thoma q. 26. de verit. artic. 5. *in corp.* idcirco voluptatem & dolorem; vocari elementa cæterarum paſſionum, quia in genere cauſæ finalis, & ſecundùm ordinem intentionis, duæ illæ affectiones, ſunt cæteris priores, eáſque principiant: quamuis in ordine executionis, & ſpectata dimanatione effectiua vel quaſi effectiua, quæ ad generationis ordinem anteà explicatum pertinet, res ſe habeat ſicut diximus

Inſtari tamen è contra poteſt; amorem ſimplicem; itémque odium ſimplex, non captare voluptatem, nec refugere dolorem. Sunt enim ſimplices guſtus boni & mali, præciſè & naturaliter exurgentes, abſque intentione conciliandæ delectationis, vel moleſtiæ declinandæ. Quinetiam aliquando, poſſunt eodem modo exeri deliberatè, vt cùm homo inefficaciter amat, vel odit aliquid, & in eo ſibi ſimpliciter complacet aut diſplicet, nihil prætereà quærens. Item omnes reliqui motus, poſſunt exurgere naturaliter, quo pacto nullum habent anteriorem ipſis affectum, in ordine intentionis, & in genere cauſæ finalis.

Hæc argumenta euincunt, voluptatem & triſtitiam, non dici primas affectiones in genere cauſæ finalis: quaſi neceſſe ſit, omnem, qui afficitur paſſione aliqua, priùs intendere conſecutionem voluptatis, vel doloris depulſionem, eúmque finem habere propoſitum. Nihilominus cùm etiam ad paſſiones indeliberatas, & quomodolibet exurgentes, vel admiſſas, conſequantur voluptas & dolor proportionalis: Et eſca voluptatis, vel doloris depulſio, eſſe poſſint appetitui, illex ac finis quorumuis affectuum; non malè tribuitur duobus illis affectibus, quòd ſint cæterorum principia, ac veluti elementa, in eo cauſandi & principiandi genere.

Ordo generationis naturalis, inter paſsiones partis concupiſcibilis.

91. Iam verò quis ſit ordo generationis inter paſſiones ad vnum appetitum pertinentes, non eſt difficile aduertere, ſpectato ſolo ordine naturæ, & quaſi congruitatis, quamuis libera voluntas poſſit aliter concitare pleráſque paſſiones; & occurſus etiam improuiſus obiecti aliud ferre poſſit, vt dictum ſuprà eſt, comparando inter ſe paſſiones vtriuſque appetitus.

Spectato ergo eo generationis ordine, quem obiectorum proportio ad fundandas varias appetitiones congruè fundat: primus omnium affectuum appetitus concupiſcibilis, eſt amor ſimplex. Eſt enim veluti primus guſtus & ſuauiatio boni, & tanquam præludium vlteriorum motuum appetitiuorum. Atque adeò meritò præmittitur, & aliis eiuſdem appetitus paſſionibus circa bonum, & omnibus quæ in eodem, malum oppoſitum auerſantur. Priores ſunt deſiderium, & gaudium: poſteriores, odium, fuga, triſtitia. Quòd deſiderium & gaudium conſequantur amorem, eſt per ſe euidens; quia priùs eſt complacere ſibi ſimpliciter in bono, præciſè quatenus bonum eſt & abſtrahendo ab eo, quod eſt illud haberi, vel non haberi, quam venari illud nondum habitum, interuentu deſiderij, aut, quod adhuc vlterius eſt, quieſcere in eo cùm adeptum fuerit, quod fit per delectationem ſeu gaudium. Et ita rectè Durand. in 2. d. 27. q. 1. n. 8. ſuppoſito quod amor ſit actus diſtinctus à delectatione & deſiderio: quod admittendum omnino eſſe de amore ſimplici, ſupra monſtrauimus.

Quod autem paſſiones partis concupiſcibilis circa malum, ſint ordine generationis poſteriores amore ſimplici, videtur negare Lactantius lib. de ira Dei c. 5. vbi videtur aſſtruere & odium ex amore, & viciſſim amorem ex odio generari. Reuera tamen mens illius tantùm eſt, quòd hi duo affectus ſint connexi, ita vt qui amat bonum, oderit oppoſitum. Quod veriſſimè dicitur, nec pugnat cum amoris prioritate. Quam probat ſupra Durandus num. 6. quia vt ſe habet intellectus ad formam & priuationem, aſſenſúmque & diſſenſum: ita appetitus ad proſecutionem boni, ſiue ad amorem, & ad reiectionem mali. Atqui affirmatio eſt prior negatione, & cognitio formæ prior cognitione priuationis. Igitur proſecutio boni, prior eſt repudiatione mali. Deinde in illud prius mouetur appetitus, cuius ratio formalis per ſe includitur in ratione finis. Nam finis eſt prior in intentione, quæ eſt princeps appetitio. Præterquam quòd, vt benè vidit D. Thomas 1. 2. quæſt. 25. artic. 2. & Scotus in .. diſt. 6. q. 2. *litera A.* tota ratio auerſandi malum, eſt, quia remouet & excludit bonum oppoſitum, in quem omnia appetitus ſtudia collimant. Atqui ratio formalis boni, includitur per ſe in ratione finis, vt per ſe patet, non item ratio mali. Igitur amor eſt prior generatione quàm odium.

92. Imo vniuerſaliter ſtatuendum videtur, non modò ſpectato ordine naturæ, quem propoſuimus, ſed ne per libertatem quidem voluntatis, poſſe excitari odium, & eo vlteriores actus, quin amor præceſſerit, ſaltem natura. Quæ videtur eſſe ſententia D. Thomæ 1. 2. quæſt. 43. art. 1. & Scoti in 2. diſt. 6. q. 2. *litera A.* quam pluribus confirmat Ægidius Conink d. 10. de act. ſupernat. à num. 3. & eſſe communem, fatetur qui repugnat Angeſtus c. 5. mor. c. 1. conc. 1. Et breuiter ex eo id claratur, quia malum præciſe ſumptum ſine vllo reſpectu contrarietatis ad bonum, non eſt idoneum obiectum odij. Cur enim non odi interitum muſcæ, quamuis malum, niſi quia nullo me priuat bono, quod amauerim? Nec me mouent quæ nonnulli in contrarium obiiciunt. Opponunt enim, malum ſecundum ſe & præciſè a bono oppoſito, eſſe idoneum odij obiectum.

Quid enim deeſt voluntati quominus monſtratam ab intellectu malitiam deteſtari queat, etiamſi omnem boni oppoſiti cogitationem intercluſam ſupponamus? Hæc nego firma eſſe. Gratis enim aſſumitur quod probandum fuerat; Nempe nulla boni oppoſiti notitia animum pulſante, obiectum aliquod poſſe apparere vt malum & diſconueniens. Cùm tamen malitia & diſconuenientia abſque ordine ad bonum oppoſitum, non ſit idoneum odij obiectum, nec reuera ſit malitia. Liquet enim malitiam reſpectiuam ſiue diſconuenientiam, quamuis in recto ac formaliter poſitiuam, nec boni oppoſiti priuatione directè conſtitutam, tamen in obliquo connotare priuationem boni oppoſiti quæ per diſconuenientiam inducitur: nec abſque ea boni oppoſiti, priuatione obiici poſſe auerſandam. Conſequenter verò ad iſta addendum eſt, eos qui deteſtantur perfidiam admiſſam erga hoſtem, quem exoſum habent, non de inimici malo vt ſic, ſed de violatione fidelitatis quam diligunt, deteſtationem concipere. Atque adeò vniuerſaliter, odium vnius, fundatur in amore alterius. Et conſequenter etiam addendum eſt, amorem & odium eſſe ab eodem habitu virtutis, vt rectè aſſeruerunt nonnulli, quos refert & malè reiicit Guliel. Pariſienſis lib. de virtut. cap. 16. Videtur autem annuere ibidem cap. 18. *in fi e.*

Admitto igitur; amorem eſſe natura priorem generatione quàm odium: & multo magis quàm fugam & triſtitiam, quæ ſunt odio vlteriores. Nam fuga comparatur ad odium, ſicut deſiderium ad amorem. Triſtitia autem ad fugam, ſicut delectatio ad deſiderium. Ex qua ratiocinatione, ad deſiderium & delectationem applicata, perſpicuè præterea infertur, deſiderium eſſe prius generatione, quàm delectationem: poſtremam autem eſſe delectationem, contra Fracaſtorium lib. de ſympath. c. 17. Nam prius eſt non habere bonum, illúdque captare & quærere, quàm de bono habito & adepto oblectari, qui eſt totius motionis appetitiuæ veluti terminus.

De eodem ordine inter paſſiones appetitus iraſcibilis,

95. Pergo ad paſſiones appetitus iraſcibilis; inter quas prima ordine generationis eſt ſpes, cui deſperationem ex æquo componit S. Thomas 1. 2. q. 25. art. 3. Nam vtraque fertur circa bonum arduum; & quamuis bonum deſperationi obiectum, ſit magis arduum, proptereáque ſuccidat neruos voluntatis, & defectionem in ea procreet: tamen inter bonum magis & minus arduum non cernitur ordo ille naturalis prioritatis, quem ſupra aſſignabamus inter bonum ſimpliciter & bonum arduum. Quare ſpes & deſperatio, ex æquo progrediuntur ab appetitu, prout obiecti propoſitio tulerit. Ambæ verò ſunt natura priores reliquis motibus appetitus iraſcibilis: quia ratio cur timor mali, & audacia, ad mali illius cauſas perrumpendas ac diſſipandas concipiatur; itémque cur ira, aduerſus offendentem ingeneretur in appetitu, tota ducitur ex affectu in bonum arduum Nam de huiuſmodi bono hic agitur. Ac proinde ſpes & deſperatio, quibus appetitus in huiuſmodi bonum fertur, generatione priores ſunt reliquis illis affectibus.

Quis porrò inter eos generationis ordo ſit, perſpicuum eſſe poteſt ex natura vniuſcuiuſque eorum. Nam audacia præconceptam ſuperandi difficultatem, bonúmque aſſequendi, ſpem conſequitur. Timor verò deſperationem euitandi mali, & boni oppoſiti adipiſcendi. Extrema eſt ira, quæ deſperatis iam rebus, imò ipſo malo, quod timeri poterat, iam immiſſo, recruciationem molitur. Quæ omnia, ex poſtea dicendis circa ſingulos affectus, magis illuſtrabuntur, & rectè aſſerta ſunt à Richardo in 3. d. 26. art. 2. q. 1.

Summa omnium quæ circa ordinem generationis inter paſſiones, conſtituta ſunt.

Itaque vt concludam hanc diſquiſitionem de ordine generationis inter paſſiones, & vno obtutu percipiendam dem, ſeriem earum quoad connaturalem progerminationem ex appetitu; primæ omnium ſunt aliquæ paſſiones appetitus concupiſcibilis; nempe illæ quæ in motu conſiſtunt, quibus adiungendæ conſequenter ſunt paſſiones mali auerſatiuæ ad eundem appetitum pertinentes, ſingulis ſingulæ oppoſitæ: nempe amori odium, & deſiderio fuga. Succedunt paſſiones appetitus iraſcibilis; inter quas primæ ſunt quæ ſunt circa bonum, ſpes ſcilicet & deſperatio. His ſubnectuntur audacia & timor, tandémque gaudium & triſtitia. Quibus quod S. Thomas 1. 2 q. 25. art. 3. præmittit iram, non eò pertinet, quaſi ira non enaſcatur ex immiſſo antea dolore; (id enim apertè ſupra euicimus:) Pertinet igitur tantùm, ad vlteriorem procreationem doloris aut voluptatis ex ira. Nam vt dicitur 2. Rhet. cap. 2. ira eſt veluti mel. Suauiſſimum enim homini exacerbato eſt, recruciationem velle, aut reipſa inferre. Id autem ſi minus aſſequatur, triſtitiam concipit. Atque ita triſtitia aliqua ſupponitur ad iram, & aliqua ad eam naturaliter conſequitur. Poteſt igitur ira, ſtatui omnium poſtrema. Satiúſque id videtur, quia ſequela voluptatis & doloris ad iram, eſt planè per accidens: Præſuppoſitio autem doloris ad iram eſt omnino per ſe, cùm dolor ille inuoluatur in obiecto iræ. Deinde ira ſpectat obiectum quod non eſt per ſe primò conueniens aut diſconueniens; ſicut poteſt ſpectare dolor & gaudium. Quare naturalis ordo paſſionum, hic eſto. Amor & odium, deſiderium & fuga, ſpes & deſperatio, audacia & timor, delectatio & triſtitia, ira.

Ordo perfectionis entitatiuæ, inter paſſiones.

94. Secundò egi de ordine perfectionis inter paſſiones. Perfectio autem hæc, vel eſt quoad entitatem, vel quoad completionem, quæ iuxta Durandum in 3. d. 27. q. 1. n 9. iis paſſionibus ineſſe cenſetur, quæ ſunt perfectæ quantum poſſibile eſt, ſecundùm genus ſuum. De perfectione entitatiua, illud ſtatui generatim debet, actus qui ſunt circa bonum, perfectiores eſſe actibus circa malum, cæteris paribus: quod obiecti perfectio, apertè confirmat. Ex actibus verò circa bonum, itémque proportione ſeruata, ex actibus circa malum, ij videntur entitatiuè perfectiores, qui ſunt vlteriores: Sunt enim magis vniti obiecto, quod babet rationem vltimi termini in vniuerſo illo progreſſu. Præterquam quòd, ſicut in deſiderio includitur amor; ita & in fuga includitur odium ſimplex. Vnde non videtur dubitandum, quin & fuga & deſiderium, ſint actus entitatiuè perfectiores amore ſimplici & odio. Includuntur enim in deſiderio & fuga, quæcunque tandem ſit ea incluſio; id eſt, ſiue deſiderium & fuga ſint actus realiter ſimplices, nec niſi virtualiter compacti ex affectibus ſimplicibus anterioribus, eóque quod deſiderio & fugæ peculiare eſt: ſiue ſint actus realiter compoſiti ex duobus illis, qua de re poſtea. Nunc enim ſatis nobis eſt, quod ſimplices affectus amoris & odij, includantur in deſiderio & fuga, quod ſufficit ad euincendam præcellentiam deſiderij & fugæ, quoad perfectionem entitatiuam ſupra

amorem

amorem ſimplicem, & odium ei oppoſitum. Cùm igitur manifeſtum præterea videatur, fugam & deſiderium cedere triſtitiæ & delectationi, (perfectior enim eſt fruitio, & poſſeſſio obiecti, quieſque in eo quàm veſtigatio & motus ad illud:) ſequitur apertè delectationem ac triſtitiam, quibus obiectum ipſum poſſidetur, & quæ non in motu, ſed in quiete conſiſtunt, præſtare entitatiuè aliis affectibus, quos ſubſequuntur ordine executionis. Itaque non placet Ocham qui in 1. d. 1. q. 3. *litera V.* præfert amorem delectationi. Sed quamuis varias ad id rationes proferat, nulla tamen eſt, quæ vel apparenter poſſit negotium faceſſere, ſuppoſita vera natura delectationis poſteà exponenda, & idcirco eas miſſas fac o.

Quis inter eas perfectionis ordo quoad completionem.

95. Iam verò quoad completionem, ea paſſio cenſeri debet perfectior in vnoquoque appetitu, quæ intra illum eſt vltima Nam hæc comparatio, debet ſiſtere intra paſſiones eiuſdem appetitus, vt liquet ex notione completionis ſuperiùs propoſita. Igitur inter paſſiones appetitus concupiſcibilis, verſantes circa bonum, completiſſima eſt delectatio, quæ eſt veluti quies excipiens motum appetitus. Et ob proportionalem rationem, inter eas quæ feruntur in malum, completiſſima eſt triſtitia. In his quippe paſſionibus, vt Durandus ſuprà num. 9. rectè obſeruat, completur finaliter & terminatur omnis motus concupiſcibilis, reſpectu obiecti conuenientis & diſconuenientis. Nec eſt quærenda vlla completio maior in delectatione, quàm in triſtitia: quia vtraque æquè primò complet ſeriem actuum quam obſignat: ita vt licet paſſiones auerſatiuæ, aliquo modo, ſaltémque virtualiter, pendeant à proſecutiuis, quod ſpectat ad maiorem iſtarum efficacitatem: Tamen quod attinet ad completionem ſeriei conflatæ ex actibus auerſatiuis, æquè primò eam exequitur triſtitia, ac exequatur delectatio completionem ſeriei actuum proſecutiuorum.

In appetitu iraſcibili, non poteſt eſſe omnimoda completio. Quanta tamen haberi poteſt intra illud genus, cernitur in ſpe & timore. Quod ità exponit D. Thomas 1.2.q.25.art.4. vt idcirco hi duo motus dicantur completi, quia in eis terminatur omnis progreſſio appetitus ad aliquid tanquam futurum. Nam initio progreſſionis ducto ab amore, per deſiderium deuenitur ad ſpem; & è contra, ab odio per fugam deuenitur ad timorem. Sed non apparet cur ſpes, deſiderio, & timor, fugæ ſubiungi debeat. Itaque malim, eam completionem ſpei & timoris, exponere hoc modo cum Durando eod. n. 9. Motus iraſcibilis quatenus huiuſmodi, non terminatur ad obiectum præſens, quia obiectum præſens, vacat difficultate & arduitate: Obiectum autem appetitus iraſcibilis, eſt obiectum arduum. Itaque non eſt expectandum, vt appetitus iraſcibilis compleatur fruitione & poſſeſſione ſui obiecti, vt facit appetitus concupiſcibilis, ſed perficitur certitudine inclinationis in obiectum ſuum; qualem certitudinem habet ſpes reſpectu boni, & timor reſpectu mali ardui & difficile declinabilis.

Atque adeo etiam quoad principalitatem.

96. Ex hac completione, vt Durandus ſupra numer. 8. & 9. tradit, notátque etiam S. Thomas artic. illo 4. & Ferrar. 1. contra gentes cap. 91. hauſta eſt diſtributio paſſionum in quatuor principales, & reliquas minùs principales. Appellantur principales, quatuor illæ, quas modò dixi eſſe completas: reliquæ ſunt minùs principales, nempe in ratione completionis. Nam aliis quibuſdam modis, nihil vetat aliquam paſſionem dici principalem; præſertim amorem, cui tamen negatur ſimpliciter principalitas; quia ex ſe, vt Durandus ſupra num. 9. aduertit, non dicit completionem & terminationem in ſuo genere, ſicut faciunt quatuor illæ, quas propoſui. Quæ itidem eandem ob cauſam, omnes paſſiones complecti cenſentur, iuxta illud Diui Hieronymi lib 2 aduerſus Pelagianos. *Quatuor ſunt perturbationes, quibus genus vexatur humanum, duæ præſentis, & duæ futuri, duæ bonorum & duæ malorum. Ægritudo, quæ Græcè dicitur λύπη, & gaudium, quod illi χαρὰν vel ἡδονὴν vocant. Quanquam ἡδονὴ, voluptas à pleriſque dicatur: alterum mali, alterum boni.* Subdit de boni cupiditate, & metu mali. Atque ita habentur quatuor illi affectus cardinales. Ab Ariſtone, vt memorat Clemens Alexandr. 2. Stròmatum c. 9. vocantur *tetrachordon animæ*.

ARTICVLVS VI.

Generalia aduerſus quarumcunque paſſionum immoderationem Alexipharmaca, Eclogæ Ethicæ ex Philoſophis & Patribus.

PRiuſquàm in particulari de ſingulis paſſionibus tractationem ſubiciam, præmittenda videntur generalia aduerſus hos animorum morbos alexipharmaca. Cùm enim hæc omnis paſſionum expoſitio ſpectet bonos mores, & earum per virtutes temperationem, certum eſt, præcipuam moralis Philoſophi curam eſſe debere, vt remedia ſuppeditet, quibus ad plenam animæ ſanitatem perueniatur, retuſa immoderatione, quæ ſymmetriam illi neceſſariam peſſundat. Et quamquam circa ſingulas paſſiones, accommodata remedia ſuggerenda erunt, vel ex alibi traditis recolenda; ac etiam quod ſapienter monet Iſidorus Peluſiota lib. 4. epiſt. 145. in variis perſonis, eædem paſſiones, diuerſa poſcant malagmata: Tamen ſunt quædam generalia & omnibus communia, quæ hîc in vniuerſali paſſionum tractatione attingere, opportunum videtur.

Vniuerſalium ad moderandas paſſiones ſubſidiorum, ordines duo.

Quod autem generalia hæc remedia optimè complexus videatur magnus morum magiſter Epictetus apud Arrianum cùm paſſim alibi, exaggerans & inculcans eminentiſſimam dignitatem repreſſionis affectuum, eiuſdemque omnigenos & ſummos fructus; (quam ego conſiderationem, magnum & efficaciſſimum huius repreſſionis remedium indico:) Tum nominatim lib 2. c. 18. quod eſt de modo aduerſus phantaſias depugnandi; hoc eſt, iuxta phraſim Stoicam, aduerſus paſſiones ex corruptis iudiciis oriundas: Aſſectabor Epicteti eo præſertim loco veſtigia, eiúſque exemplo, interna primùm, tum externa paſſionum remedia generalia proferam, Eodem enim ferè ordine ea ille digeſſit. Cætera quæ huic loco deerunt, partim ex tractatione de generalibus

vitij

vitij alexipharmacis; partim ex dictis circa virtutes, & iis quæ ad ſingulas paſſiones adiiciam, ſuppleri poterunt.

Prior, internorum. Cuiuſmodi primùm, expenſio pulchritudinis repreſſarum paſſionum,

97. Numerari verò in primis poteſt inter remedia interna, ab Epicteto variis in locis ſubminiſtrata, copia incentiuorum, quibus vrgemur ad frænandas paſſiones. Nempe ſumma pulchritudo & dignitas hominis paſſiones repreſſas habentis, alioqui in feram degeneraturi; libertas inde parta à totidem tyrannis, quot ſunt paſſiones; voluptas; omnis denique improbitatis obſtructio, ſiccatis his omnis in nobis nequitiæ, internis fontibus. Attingo breuiter ſingula.

Decus ac pulchritudinem repreſſionis paſſionum, exponit inſigniter Plotinus enneade 2. lib. 6. c. 5. vbi venuſtatem animæ virtutibus ſplendentis, ex oppoſita deformitate, animæ vitiis inquinatæ, & paſſionum labe ſordentis, ita declarat [Eſto itaque turpis anima, quæ intemperans eſt atque iniuſta, cupiditatibus multis abundans, atque perturbatione quamplurima: ob timiditatem vexata timoribus, ob animi ipſius anguſtiam, auaritiámque laborans inuidia, nihil vnquam niſi mortale, abiectúmque cogitans, obliqua ſemper animo verſans, impuris voluptatibus mancipata, vitam agens ei propriam, quodcunque id ſit, quod ipſa per corpus patitur, turpitudinem per ipſum ſubiens, quaſi iucundam. Atqui hanc ipſam turpitudinem nonne animæ ſub aduentitiæ pulchritudinis prætextu, tanquam aduentitium malum dicemus accidere? Quæ quidem graui cum detrimento eam reddit impuram, multæque prauitati permixtam, neque ſenſus puritate præditam: ſed permiſtione mali, vita exigua iam vtentem, plurima confectam morte, haud amplius quæ ſunt videnda videntem: neque permiſſam amplius habitare ſecum, propterea quòd ad externa ſemper, & infima, obſcuraque rapiatur. Impura profectò ſic euadens, paſſimque ab iis raptata, quæ ſenſibus incidunt, plena videlicet corporis labe: nempe cum materiæ plurimum ſe dediderit, materialémque naturam in ſe contraxerit nimirum ob eiuſmodi commiſtionem in deteriùs prolabentem. iam fermè ſpeciem ſuam in ſpeciem alteram commutauit. Perinde ac ſi quis limo cœnóque peruolutus haud vlteriùs priorem præferat pulchritudinem.]

Subdit mox, vnicum modum recoperandi nitorùm priſtinum, & ſordes animæ immiſſas eluendi, interuentu cohibitionis paſſionum. Sic enim ait de anima cœno moralis turpitudinis oblita, eo quod paſſionibus ſuccubuerit. *Quod ſi priorem recipere cupiat pulchritudinem, operaprètium erit infecta diluere, ipsáque purgatione rurſum eſſe quod erat. Quamobrem ſi animam miſtione, commercio cum corpore atque materia, turpem dicemus euadere rectè (vt arbitror,) aſſeremus. Eſt enim hæc animæ turpitudo, ſcilicet, non eſſe puram atque ſynceram. Quemadmodum & auro accidit turpitudo, ſi glebis terreis offundatur: quas ſi quis excuſſerit, purum ſubitò reſtat aurum: idque iam pulchrum, cum ab alienis fuerit ſegregatum, ſua videlicet ad pulchritudinem puritate contentum. Eadem ratione, animus ab his cupiditatibus ſegregatus, quas nimio corporis commercio in ſe conceperat, à cæteriſque perturbationibus liberatus, deletis iam maculis, quas corporea familiaritas priùs inuſſerat; atque ita ſolus ſibi relictus, procul dubio turpitudinem omnem ab aliena natura prorſus imbibitam expurgabit.*

Itémque, conciliatæ indidem dignitatis.

98. Dignitatem, homini ex compreſſis paſſionibus aduenientem, aperit inſigniter illa Philonis oratio, propè initio libri de agricult. qua ſtatum hominis, caulæ ſimul ac paſtori conferens, perturbatum ac miſerum ſtatum eius qui paſſionibus agatur; felicem verò ac honeſtiſſimum illius, qui rationis virga, domeſticas haſce pecudes coerceat, ita exponit, [Natura vnicuique noſtrum cognatas addidit pecudes, ex vna radice animæ duabus velut ſtirpibus pullulantibus: quarum altera integra indiuiſáque, intellectus appellatur: altera ab imo in ſeptem ramos diuiditur: in quinque ſenſus, & duo inſtrumenta; vocis, geniturǽque: quæ multitudo tota bruta, comparatur pecori. Et quia numeroſa eſt, iuxta naturæ legem operam ductoris neceſſariam poſtulat. Quoties igitur imperitus regendi, ſed diues ſeipſum præficit, plurimorum malorum cauſa fit pecori. Nam ipſe neceſſaria copiosè ſuggerit. At illud in tanta copia ciborum, nimia ſaturitate, petulans redditur. Saturitatis enim germana proles, eſt petulantia. Per eam petulantiam ſaltitant, & contempto rectore vagantur, ſoluúntque ſtipatum antea gregis ordinem. Atque ita ductor deſertus, ex præfecto priuatus fit, diſcurſans, ſatagénſque ſi fortè poſſit denuò in vnum compellere. Et cùm videt ſe operam perdere, gemit ac flet, damnans ſuam facilitatem, & culpam in ſeipſum referens. Ad eundem pecus ſenſuum, quandò intellectus ſupinè ſe gerit & ignauiter, auidè ſaturatum copia rerum ſenſibilium, ceruicem iactat, & ſubſultat impingens in omnia viſui patentia; vel quæ videre nefas eſt: auribus quoque voces recipiens inſatiabiliter, ſitiendo ſemper ob curioſitatem, interdum delectans ſe obtrectationibus parum liberalibus.] Contrarium ſtatum ac decus eius qui paſſionibus ſuis frænos iniicit, exponit magna eiuſdem libri parte.

Affinia & illa Syneſij orat. de regno. *Ita habes non vniforme quippiam, aut ſimplex eſſe hominem, ſed in vnius animalis coagmentationem, promiſcuam ac multiplicem facultatum turbam, vnà à Deo eſſe introductam, nóſque monſtrum eſſe hydra, vt opinor, prodigioſius, pluribúſque capitibus præditum.* Centaurum quendam, iuxta priſcum figmentum eſſe hominem, ſuperiori parte humana forma præditum; equina autem ab vmbilico & lumbis, ſcitè ad eundem ſenſum, ait S. Baſil. lib. de vera virginit. *ſub initium.* Sed pergit Syneſius. *Non enim eadem parte intelligimus, aut appetimus, aut triſtamur, aut iraſcimur, neque qua voluptate afficimur, eadem & timemus, Sed vides, vt in iis maris inſit fœminæque diuerſitas; aliud quod audax: aliud quod formidoloſum ſit. Inſunt præterea quæ omnimodè ſibi inuicem contraria ſunt; ineſt & media quædam natura, quæ omnia hæc permeat, quam mentem appellamus, quamque ego, profligato turbæ, atque inconditæ multitudinis imperio, dignam indico, quæ in anima Regis dominatum obtineat. Is enim conſentaneum regnandi initium ceperit, qui ab eo, quod ſecundum naturam eſt, imperandi auſpicium fecerit, Quoniam quicunque rationis expertes animæ partes, cicuratas, & tractabiles reddens, rationi obſequentes efficit, & ad vnius principatus ſapiens moderamen multitudinem componit, hic verè diuinus, ſiue Rex, ſiue priuatus homo eſt.* Hoc de regno homini conciliato frænatione paſſionum, infra pluribus illuſtrabo. Nunc eam duntaxat præfecturam brutæ partis noſtræ per rationem, & cumulatam illius regiminis dignitatem, quam Syneſius anterioribus verbis laudauit, notatam volo.

99. Longè ampliorem conciliari dignitatem ex hoc

regimine,

regimine, quod non pacatum eſt aut imbelle, ſed multo & longo eget certamine, quàm ex priſcis certaminibus compararetur, docet Diogenes apud Dionem Chryſoſtomum orat. 8. & 9. Philo item pulcherrimè, eodem de agricultura libro, hoc eſſe ait certamen ſacrum in quo meritiſſimò corona poſcitur & præbetur. Quæ autem olim circunferebantur certamina tanquam ſacra, negat ſacri quicquam habuiſſe. [Caue, *inquit*, ſacra putes certamina, quæ inſtaurantur poſt triennium à quibuſdam ciuitatibus, multa millia hominum, in theatra ad hoc ipſum facta, recipientibus. In his enim, aut luctator concertatorem pronum ſupinúmve ſternens, aut pancratiaſta validus, à nulla vi ſibi temperans, primam laudem occupat. Nec deſunt qui poſtquam vtroque pugno, in ferri morem occalluerunt, in caput faciémque inuadunt; & his probè contuſis, in cætera quoque membra ſæuiunt: aut vice verſa plagas recipiendo, mulctantur naſo vel auriculis. Et poſt hæc tam immania, coronas præmiáque petunt. Nam reliqua certamina curſorum, quinquertionúmque, nemo ſapiens non rideat; hoc agentium, vt ſaltus ſit quàm longiſſimus, & ſpatia dimetientium, contendentiúmque de pernicitate: quos non ſolum grandes animantes ceruus, aut caprea, ſed vel minimus catellus vel lepuſculus, non admodum properans, ipſos abſque reſpiratione currentes, ſummo conatu, à tergo tamen relinquet. Ex his certaminibus nullum prorſus ſacrum eſt, etiamſi contra teſtentur omnes homines, mox deprehendendi in falſo teſtimonio, &c. Ergo ſolum Olympiacum certamen, iuſtè dicitur ſacrum; non iſtud quod ad Elim celebratur, ſed quod eſt propoſitum de parandis diuinis veréque Olympiis virtutibus. In hoc quibus infirmiſſima ſunt corpora, ſed animæ validiſſimæ, nomen dant. Deinde exuti vnctique, agunt quicquid poſſunt, vel arte vel viribus, nihil ſibi ad ſummum conatum facientes reliquum, modò aſſequantur victoriam.]

Denique Nyſſenus l. de homin. opif. c. 18. hominem per paſſiones non repreſſas, obbruteſcere; iiſdem verò in gyrum reductis, verè hominem ſe prodere, ſummáque ſe dignitate illuſtrem monſtrare, præclarè demonſtrat. Tum concludit. [Liceat mihi hoc loco, de ſculptorum præſtantium more, hominis imaginem, vi orationis exprimere. Quemadmodum enim videre eſt quaſdam effigies, in quibus duplex eſt expreſſa forma; fingentibus has artificibus magno ſtudio, atque vni capiti geminas vultuum formas inſculpentibus, vt eas ſpectatores, quodam cum ſtupore intueantur: ſic mihi & in homine duplex eſſe ſimilitudo videtur: quarum altera, longè ab altera diſſideat. Diuinum enim mentis donum, quod attinet, pulchritudinem hæc eam quæ in Deo eſt, refert. Cæterum, quæ cupiditates ei quædam inſunt, ortæ ex animi morbis, etiam naturæ brutæ cognatione tenetur.] Perpulchrè idem Nyſſenus tract. priore in titulos Pſalmorum c. 8. expendens illud ex Pſal. 106. *Iumenta eorum non minorauit*, iumentorum nomine accipit paſſiones quæ dorſo quodammodo ferunt, & baiulant animam & in altum euehunt quando ad ſuperna habenis mentis diriguntur: Sicut è contrario cum aduerſus rationem efferari & inſoleſcere ſinuntur, hominem de ſtatu ſuo deiiciunt. Ad hunc locum pertinent quæ infra numero 108. ex S. Chryſoſtomo dabo, & quæ ex eodem & aliis proferam, cùm de morali turpitudine eiúſque damnis.

Ac etiam, perfectæ libertatis.

100. Rationem ſequitur libertas, vt ſupra ſuo loco demonſtrauimus. Sic rationem perfectè dominantem, compreſſis paſſionibus, & in humanam dignitatem plenè reuocatam, aſſectatur perfecta libertas. Nec enim vna quiritem vertigo facit, ſed hæc affectuum coërcitio, longè perfectiùs; vt optimè tradit Perſius ſatyra 5. & annuit Epictetus apud Arrianum l. 2. c. 1. ſub finem. *Credendum*, inquit, *Philoſophis, qui ſolos eruditos ſtatuunt eſſe liberos. At quo pacto iſtud? Num verò aliud quiddam eſt libertas, quam ita vt velis poteſtatem habere viuendi? Nihil aliud. At reſpondete mihi, ô mortales: Vultiſne viuere peccatis obnoxij? Non volumus. Ergo nullus qui peccat, liber eſt. Animo ita eſtis affecti, vt libeat metu pauidis vitam agere, aut triſtitia anxiis, aut perturbatione inquietis? Nequaquam. Ergo nullus aut timidus, aut mœrore affectus, aut alio perturbatus modo, pro libero eſt habendus. Qui ergo liberatus eſt mæſtitia, metu, perturbatione, eum eadem via ex ſeruitute in libertatem vindicari, etiam certum eſt.*

Veriſſima concluſio, quam continenter confirmat communi Philoſophorum ſuffragio, quos ita ſtatuiſſe refert, iiſdem ipſe quoque ſubſcribens. [Non concedimus cuiquam libertatem, niſi rectè inſtitutis. Atque id eſt quod Deus non permittit etiam. Quando quis ſeruum ſuum apud Prætorem vertetit, num iſta vertigine nihil effecit? Enimverò fecit aliquid. Quidnam? Nempe ſeruum ſuum vertit apud Prætorem. Nunquid aliud? Nihil aliud, ac præterea etiam vigeſima ex peculio perſoluenda erit. An eum qui ſuſtinuit iſta, in libertatem aſſertum non cenſes? Nihilo magis quàm antea, niſi metu vacat. Proinde tu quoque qui multos paſcis, nullúmne habes dominum? Non argentum, non puellam non puſionem, non tyrannum, aut amicum quendam tyranni? Quid ergo perhorreſcis adeundo quoddam diſcrimen huiuſmodi?] Quaſi diceret; Satis prodis qua tandem libertate potiaris, qui pro occaſione, à non ſubactis paſſionibus raptaris, & tam multis ſubiaces dominis, quot ſunt obiecta erga quæ immodicè afficeris. Dominis verò? Imo Tyrannis & quidem ſæuiſsimis ac plerunque indomabilibus; vt propterea S. Iſido. Peluſ. l. 1. epiſt 148. qui paſsiones ſubegerit, velit tanquam tyrannicidam celebrari. Suffragatur Nyſſenus orat. 3. de beatitud. deplorans noſtram à primæua libertate prolapſionem, flebilibus hiſcemodis præter cæteros. *Quod nullius dominio ſubiectum, quod ſui iuris, ſuæ poteſtatis, ſui arbitrij erat, nunc à tot ac talibus malis tenetur obnoxium, & tyrannos noſtros difficile ſit enumerare. Quiuis enim eorum qui in nobis ſunt, affectus cum praualuerit, dominus ſubacti & in ſeruitutem redacti exiſtit: ac veluti tyrannus quiſpiam arce animi occupata, per ipſos ſubditos vexat ac affligit obedientes, miniſtris ad id quod ei placitum fuerit, noſtris cogitationibus abutens. Sic ira, ſic metus, ſic timiditas, ſic audacia, ægritudinis pariter ac voluptatis affectus, odium, contentio, immiſericordia, ſæuitia, feritas, inhumanitáſque, inuidia, aſſentatio, iniuriarum tenax memoria, pariter & indolentia, & omnes qui per contrarium in nobis intelliguntur affectus, & perturbationes, tyrannorum quorundam ac dominorum, pro ſuo imperio animam veluti captiuam quandam ſubigentium, enumeratio eſt.*

ſte,& voluptatem virtuti miſcuerit,id quod mentis eſt, diſciplina ac virtute inſtructa. Diſciplinam & virtutem nominat,paſſionum ſub ratione Magiſtra condocefactionem,de qua egerat paulo ante.

Sed quantus,quamque ſynceerus,ex hac paſſionum repreſſione & interno regno, voluptatis fructus exiſtat; cum alij morum Magiſtri paſſim tradunt, tum illuſtriſſimè his verbis Seneca l. 7. de Benef. c. 2. [Sciat nec malum eſſe vllum,niſi turpe, nec bonum, niſi honeſtum. Hac regula,vitæ opera diſtribuat:ad hanc legem & agat cuncta,& exigat,miſerrimóſque mortalium iudicet,in quantiſcunque opibus refulgebunt,ventri ac libidini deditos quorum animus inerti otio torpet. Dicat ipſe ſibi. Voluptas,fragilis eſt,& breuis;faſtidit obiecta; quo auidius hauſta eſt, citiùs in contrarium recidens, cuius ſubinde neceſſe eſt aut pœniteat, aut pudeat. In qua nihil eſt aut magnificum,aut quod naturam hominis,diis proximi,deceat. Res humilis,membrorum turpium ac vilium miniſterio veniens, exitu fœda.Iſta eſt voluptas & homine & viro digna,non implere corpus, nec ſaginare, nec cupiditates irritare, quarum tutiſſima eſt quies: ſed perturbatione carere,& ea quæ hominum inter ſe rixantium ambitus concutit,& ea quæ intolerabilis ex alto venit,vbi de diis famæ creditum eſt,vitiíſque illos noſtris æſtimauimus. Hanc voluptatem æqualem, intrepidam,nunquam ſenſuram ſui tædium, percipit hic quem deformamus,cùm maximè:qui vt ita dicam, diuini iuris atque humani peritus, præſentibus gaudet,ex futuro non pendet.Nihil enim firmi habet,qui in incerta propenſus eſt. Magnis itaque curis exemptus,& diſtorquentibus mentem,nihil ſperat,aut cupit,nec ſe mittit in dubium,ſuo contentus.]

Omnémque planè complexa iucunditatem,qua nulla, abſque hoc interno regno.

104. Quis verò locus eſſe voluptati queat,in tanto diſpendio & laceratione animi,quantum inuehunt paſſiones non repreſſæ? Eleganter Franc Petrarcha in fine prooœmij,ſecundi libri de remed. [Animus quàm diuerſis, quámque aduerſis ſecum pugnet affectibus, vnuſquiſque non alium quàm ſeſe interroget,ſibique reſpondeat, quàm vario, quámque reciproco mentis impulſu,modò huc rapitur, modò illuc, nuſquam totus,nuſquam *vnus*. ſecum ipſe diſſentiens, ſe diſcerpens.Nam vt ſileam reliquos motus;velle,nolle,amare, odiſſe, blandiri, minari, irridere, fallere, fingere, iocari,flere, miſereri,parcere,iraſci, placari,labi, deiici,attolli, titubare,ſubſiſtere,progredi,retrouerti, inchoare,deſinere,dubitare,errare,falli neſcire,diſcere, obliuiſci,meminiſſe, inuidere,contemnere,mirari,faſtidire, deſpicere,ſimúlque ſuſpicere,& quæ ſunt huiuſmodi, quibus vtique nihil incertius fingi poteſt, quibúſve ſine vlla requie ab ingreſſu vſque ad exitum fluctuat vita mortalis: Quænam tandem illa paſſionum quatuor, tempeſtas ac rabies, ſperare, ſeu cupere, & gaudere, metuere, & dolere, quæ rerum inter ſcopulos procul à portu miſerum alternis flatibus animum exagitant?] Perelegariter idem argumentum verſat Richardus Victorinus l. 5. de contemplat. c. 22. & tract. 1. de ſtatu interioris hom. c. 9. & ſe. tametſi aliò collimat, quàm quo nos nunc ſpectamus.

Præclarè item Iſid. Peluſiota l. 3. epiſt. 151. negans, qui paſſionibus ſuccubuit, tantíſque inuoluitur amaritudinibus,dici poſſe viuere; Tantum abeſt,vt cenſeri poſſit ſynceris voluptatibus colliqueſcere. [Eum equidem, *inquit*, ipſe propriè viuere ſtatuerim, qui corporis paſſionibus, præſtantiorem ac ſublimiorem ſe præbet.Nam qui ſeipſum illis ſubiecit,atque ab iis ſumma vi exagitatur, non modò in extremam exitij voraginem deſinit; ſed ne hîc quidem viuere poteſt, ob eas,quæ ab illis manant,moleſtias,& metus,& pericula, & infinitum eorum examen. Nam ſiue mors expectetur,metu etiam ante mortem examinatur: Siue morbus ſiue contumelia,ſiue paupertas, ſiue aliud quiddam inopinati, etiam ex ſola ſuſpicione periit, & extinctus eſt.At non in eadem cauſa eſt,qui turbulentis animi permotionibus dominatur:verùm & timoribus,& periculis, ac denique omni mutatione ſuperior eſt. Non quòd nihil patiatur;(hoc enim fortaſsè fieri nequit;) ſed quòd multò maius atque admirabilius trophæum efficit, quia ea impetum facientia, & volitantia tela,mitti contemnat.] Liberatur planè qui eiuſmodi eſt,ab illis,vt appellat Auguſtinus ſerm. 42. de verb. dom. internis teſtibus, qui non repreſſi omnem vitæ voluptatis ſenſum exterminant: Eripitur vera illi natiuitatis vt Apoſtolus nominauit, quæ iis ea diſtentos, crudeliter fœdequè diſtrahit & lacerat.

Abſunt ab eo grauamina regnorum reliquorũ.

105. Satis de iucunditate,tantæ dignitati ac regno interno coniuncta: quam iure dixerim, vniuerſitatem voluptatis, cùm ea ſecluſa, nullus ſit voluptati locus. Abeſſe autem ab hoc imperio & regno,quæ alia imperia & regna grauant, tradit optime Dio Chryſoſt. orat. 62. Eſtque id. iucunditatis nulla mœroris admiſtione dilutæ,certum argumentum. *Alterum*, inquit, *multorum Imperatorum,nunc quidem quàm plurimis opus eſt ſumptibus, nunc verò exercitibus pedeſtribus atque equeſtribus,& muris,& nauibus,& machinis, ſi retenturus eſt ſubditos,hoſtéſque reuulſurus,& ſi quis deſciſcat à principatu,ad obedientiam compulſurus. Imperium verò ſui ipſius,nullis indiget ſumptibus,minimique eſt negotij periculique expers. Neque enim ſumptuoſa, neque laborioſa,neque periculoſa eſt,hominis continentis vita.*

Quàm difficile adeptu.

Difficultatem tamen huius imperij non diſſimulat orat. 49. Poteſtque id,eſſe aliud,rectè æſtimanti,non imbelle,dignitatis ſimul & iucunditatis, quas hactenus huic imperio conſertas oſtendimus, argumentum. Nam pulchra & eximia quæque, difficilia. In rebus item honeſtis, diuina prouidentia difficultatem & dolorem ei adiunctum, connexuit cum voluptate, vt Plato in Phædone obſeruauit, miratus nullius id fabulæ inuolucro, expreſſiſſe Æſopum: id item latè verſans in Philebo Huius ergo interni imperij difficultatem ſic deſcribit eo loco Dio. *Philoſophus ſemper ſibi imperat: quod longè difficilius, quàm omnium Græcorum, vniuerſorúmque Barbarorum, regnum obtinere, Quod enim tam immane hominum genus eſt, vt ſunt ira, & inuidia. & contentiones, quas illum ſibi ſubiugare oportet? Quod etiam tam aſtutum, & inſidioſum; proditoriúmque,vt voluptates atque concupiſcentia, à quibus eum nunquam vinci oportet? Quid denique tam violentum ac formidoloſum,animóſque humilians,vt timores & triſtitia,quibus nunquam eum cedere decet?* Subdit de munimentis & armis aduerſus huiuſmodi impetum hoſtilem Quis item ſit cui præſidium animæ committi tutò queat. Quod munus arduum eſſe,& difficultatis ac laboris pleniſſimum, illa conſequentia docent, quibus demonſtrat, cõmittendum eſſe *illi qui ſemper dies noctéſque ſollicitus eſt, vigilátque eam vigiliam, ne quando ipſe videatur aut permotus à voluptatibus, aut perterritus à timore, aut ſeductus à concupiſcentia, aut abiectus ab ægritudine, deſiſtere ab optimis & iuſtiſſimis factis, ſui factus ipſius proditor? Hunc autem, qui hoc imperium fortiter & moderatè regit. non difficile iam eſt,*

omnium hominum fieri ſupremum. Vides arduitatem negotij, quam qui peruicerit, ad ipſum verticem inter homines pertigiſſe, pronunciat Dio, idoneúmque cenſet, qui ſupra omnes emineat. Quod eſt non exiguum generoſo pectori ad deuorandas difficultates illas incentiuum.

Eius aſſecutio mali cuiuſuis obſtructio.

106. Alterum ſubdo longè potentiſſimum, quod hac vna falce, liceat omnem planè prauitatem excaudicare: Séque omnis labis purum præſtare. Quod quantum ſit, vix cogitatione aſſequi poſſumus, nedum oratione plenè exprimere. Hinc enim obſtrui vitiorum omnium fontes, doceo ex Maximo Tyrio ſerm. 17. verbis illis. [Improbitatis fontes, primáque mali huius cauſa, ex illuuie quaſi & exundatione exiſtit; quotieſcunque ille affectuum feruor animum accendit, quoties pullulantem quaſi, & efflorentem rationis vim confundit. Non aliter quàm hyberni torrentes ſolent, qui ſi legitimum ſuum alueum ſemel excedant ſatáque ac plantas agricolarum inuadant, penitus eas inundant ac deſtruunt. Eodem modo, immodicis turbata affectibus anima, rationis præſcriptum excedit, falſæque in ea improbæque opiniones, & quæ cum natura eius pugnant, efferre ſe incipiunt. Planè hoc ipſum quod ebriis euenire ſolet. Nimia enim illa crapula, morbos qui intus latent, educit; non ſecus quàm è latibulis ſuis proſerpentes educuntur beſtiæ, atque ita mentem confundit; eámque voces non ſuas, ſed eiuſmodi belluarum cogit proferre.]

Analogia eiuſdem, cum tumultuantis populi compreſſione.

Subdit periuſignem analogiam, popularis ſeditionis, & licentiæ affectuum: vt ſicut ex illa omnis in Repub. exiſtit origo malijs, ita & ex hac affectuum non ſubactorum effrænatione, omne damnum homini inferatur in negotio virtutum & cultus animi. Eſt enim in homine quædam veluti Reſpublica, vt Ariſtoteles quoque tradit apud Stob. ſerm. 1. Et quia ea comparatio. ex Maximo locum ſuum infrà habebit n. 113. nunc breuiter eam trado ex Themiſtio orat. 10. *Illud,* inquit, *Platonis dictum vehementiùs probo, quo dicit, belli atque pacis ſemina primùm vniuſcuiuſque animo inſita eſſe: ac qui ſecum ipſe pacem colere poſſit, eum, & quod ad externa bella pertinet, idem poſſe præſtare. Quiſquis verò nullas ſecum inducias paciſci queat, ægrè vnquam illum mutuum cum aliis fœdus amplexurum. Etenim ineſſe in vnoquoque hominum, barbarum genus, rebelle admodum, & contumax: Iram dico, & inſatiabiles cupiditates, quæ rationi, velut extera quædam nationes repugnent, non ſecus ac Romanis, Scythæ atque Germani.*

Imo alio loco, ad noſtrorum animorum quaſi exemplar, fabrefactam eam Rerumpublicarum varietatem quæ variis locis vſui eſt, ſcitè tradit. Sic enim habet orat. 14 [Sic fermè ſtatuendum videtur, tot eſſe Rerumpublicarum, quot humanorum animorum ſpecies. Neque enim è quercu, aut è ſilice conflatæ Reſpublicæ, ſed ex eo deriuatæ ſunt, quod ſingularum in hominum animis ſemina quæda inſita ſunt, atque veſtigia. Multiplex quippe ac varium quiddam animus eſt, (non minùs quàm ciuitas,) in quo & regium aliquid ineſt, & iracundum, ac pugnax: Ineſt etiam populi vulgus, aliud ad rem attentum, aliud ignauum, ac voluptarium. Iam cæterorum quidem hominum, aut populari imperio regitur animus, aut paucorum dominatui ſubiicitur, aut Tyrannidem perpetitur. Nam voluptas, vbi ſceptra ſemel occupauerit, cætera omnia libertatis genera funditus tollit: Siue lucri atque opum cupidum genus, quemadmodum in paucorum dominatu contingit, qui ex cenſu cuiuſque conſtituitur: Siue pugnax & iracundum, vt in Creta quondam & Lacedæmone accidiſſe dicitur: Siue denique promiſcuè genera omnia, maximo cum tumultu ſortito inter ſe principatum obtineant. At regali imperio, ſolius Philoſophi animus adminiſtratur: in quo mens quidem omni tempore dominatur, ira verò arma, quocunque illa præceperit, mouet. Reliqua turba, priuatis officiis adhæreſcit, nec de imperio ſibi vſurpando cogitat] Perpulchrè ex noſtris idem tradit Author libri de ſpiritu & anima c. 37.

Itémque, cum equi, per doctum ſeſſorem, circunductione.

107. Quia verò populus, vt vulgato fertur prouerbio, bellua eſt multiceps, placet analogiam affectuum & rationis, cum populo eúmque regente Principe, illuſtrare, alia equi, & periti imperitíve ſeſſoris comparatione, quam ſubiicio ex Philone lib. de Agricult. affectus equo, virtutes reprimentes equiti & aurigæ conferente. Quæ igitur damna, ſeſſori habenas equo infræni & indomito adducere negligenti, apertè imminent, non diſſimilia eum manent, qui affectibus ſuis indulſerit, eorúmque repreſſionem neglexerit. Mellitiſſimam Philonis orationem audiamus. [Equitem ab inſeſſore multùm differre arbitrandum eſt non ſolùm hominem vectatum animali hinnibili, ab alio ſimiliter vectato homine, ſed etiam rationem à ratione. Ergo qui ſine equeſtri arte aſcendit, dici debet inſeſſor, qui ſe commiſit iumento laſciuo, à quo abripiatur quocunque ipſum detulerit impetus, & non præcauendo voraginoſos terræ biatus, aut foſſam aliquam profundiorem, violento curſu vnà cum equo præcipitetur, ſubmergatúrque. E diuerſo eques ante omnia, frænum in os indit, deinde in tergum inſilit, & quamuis ferri videatur, reuera tamen circumagit eum à quo geſtatur, tanquam gubernator. Nam & ille videtur ferri à naue quam gubernat, ſed ſi verè pronuncies, ipſe deducit eam ad portus optatos. Cæterùm quando ſonipes benè iter carpit habenis obtemperans, palpum & laudem refert ab equite; quando autem fertur iuſto concitatiùs, cohibetur, quo minus properet: Quòd ſi pergat contumaciùs, reducto freno cogitur ceruicem reflectere, atque gradum ſiſtere. Scuticis quoque ac calcaribus continetur in officio, ne ſubſultet laſciuiens, & aliis modis, quibus domitores vtuntur contra ferociam. Nec mirum videri debet. Aſcendente enim equite, ſimul ars equeſtris aſcendit vt iam duo periti inſideant; atque ita vnum ſubiectum imperitum animal moderentur facilè.] Equi per doctum indoctúmve ſeſſorem, directi, deſcriptio ſic habet.

Subiicitur eius adaptatio ad rem præſentem; facilis quidem, quamque per ſeipſum quilibet ſatis perſpicit: Quod tamen à Philone pro more ſcitè tradita ſit, digna videtur quæ hîc appendatur. [Iam omiſſo hinnitore vectoréque; tuam, ſi lubet, animam conſidera. Inuenies enim inter partes eius, & equos, & aurigam aſcenſorem, ſicut & extra te. Equi ſunt furor & concupiſcentia, ille mas, hæc fœmina: ideóque ille vt mas geſtit, elata ceruice libertatem appetens: hæc verò ſeruilior & callidior, domum depaſcit ac deuorat, vt fœmina. Inſeſſor autem & auriga, vnus eſt, nempe intellectus. Sed auriga tunc, quando aſcendit cum prudentia: Quando autem cum imprudentia, inſeſſor eſt imprudens. Igitur præ imperitia non poteſt habenas retinere, ſed patitur elabi è manibus, At iumenta habenis libera, temerè diſcurrunt nullo ordine.

ordine. Seſſor verò præ imbecillitate ſuſtinere ſe non valens decidit. & laceris genibus, manibus, faciéque malè mulctatus, miſer deflet ſuum infortunium. Nonnunquam autem pedibus in curru hærens, raptatum ſupinus, & tractum in orbita caput, ceruicem homeróſque ambos conſauciatur. Deinde huc illúcque diſtractus, & illiſos omnibus paſſim obiacentibus, miſerrimo genere mortis extinguitur. Et huic quidem, talis exitus obuenit. Currus autem iam leuior, & violentè quaſſatus, vbi in ſolum inæquale inciderit, facilè frangitur, vt inſtaurari non poſſit, & compingi denuo. Iumenta autem omni retinaculo liberata, concitantur & efferantur, nec priùs deſinunt currere, quàm collabantur, aut in aliquam rupem delata, ipſa quoque intereant: atque ita currus animæ, vnâ cum vectore totus perit per aurigæ inſcitiam. Tales igitur equos vectoréſque arte carentes, tolli præſtat, vt virtus maneat incolumis.] Breuiter ſed optimè, idem dixit S. Ambroſ. l. 3. de virgin. *ferè initio.* pulchrè eodem referens, quod de iuuene à Diana adamato, & immiſſo equis per riualem Neptunum furore, ac iuuenis raptatione & nece, fertur in fabula: Addens etiam de equi ſacrificio, quotannis inſtaurato Dianæ, ea ex cauſa. Pulcherrimè ita apud Cyprianum lib. de diſciplina & bono pudicitiæ, *in ipſo fine*, hæc affectuum rationiſque cum curru & auriga collatio inſtituitur, verbis illis. *Coerceat animus ſtimulos carnis, refrenet impetum corporis. Accepit enim hanc poteſtatem, vt illi ad imperium eius, membra ſeruirent; & quaſi legitimus ac perfectus auriga, vltra conceſſas corporis metas, extollentes ſe carnis impetus, cæleſtium præceptorum habenis reflectat; ne vltra terminos ſuos currus iſte corporis, raptus in periculum ſuum, ſecum & ipſum rapiat aurigam.* Plura in hanc comparationem, pete ex Auguſtino ſerm. 11. de verb. Apoſt. c. 8. & l. 3. hypognoſt. c. 11. & quoad externos ex Tyrio diſſertat. 25. *in fine.*

Ad hoc regnum internum, verum eſſe hominis conſequitur.

108. Cùm verò hoc ſuperioris partis in inferiorem dominio; hac populi intra nos degentis, ſubordinatione ad naturalem rationis rectæ præfecturam; hac virtutis aurigatione, & partis inferioris per ſuperiorem circumactione contineatur verum eſſe hominis: (Ea quippe duntaxat parte homo, quatenus homo, & appellatur & conſtituitur:) perſpicuum eſt, non minoris noſtra intereſſe perturbationes compeſcere & regere, quàm interſit, humanum nomen & rem hominis, retinere. Paſſiones enim effrænatæ, ſub humanis lineamentis hominem in beſtiam transformant; auulſo eo quo continetur eſſe & dignitas hominis. Audiendus Chryſoſtomus homil. 12. in Gen. *Diuina ſcriptura propter affectiones illas interturbantes, ab irrationalibus. & à feris, agnominationes, his qui ratione inſigniti ſunt, imponit. Interdum canes, ob imprudentiam & impetum vocat, dicens:* Canes muti, non valentes latrare. *Interdum ob libidinem equos. Nam* equi in fœminam inſanientes, vnuſquiſque vxori proximi ſui adhinniebat. *Interdum vero aſinos ob ſtupiditatem & ruditatem.* Comparatus eſt enim, *inquit ſcriptura*, iumentis inſipientibus & ſimilis factus eſt illis. *Interdum etiam leones & pardos vocat, ob rapacitatem & habendi auiditatem. Aliquando autem aſpides ob fraudulentiam.* Venenum, *inquit*, aſpidum ſub labiis eorum. *Nonnunquam ſerpentes & viperas, ob latens venenum & malitiam. Sicut & beatus Ioannes clamabat dicens,* ſerpentes progenies viperarum, quis vobis demonſtrauit fugere à ventura ira? *Inſuper & alia, affectionibus reſpondentia nomina imponit, vt ſic vel tardè confuſi, ad ſuam aliquando redeant nobilitatem, & ſuo generi confœderentur, affectionibúſque ſuis. diuinas leges, præferant, quibus ſeſe delinquendo permiſerunt.*

Idem eodem opere homil. 23. tractans illud, *Noë homo iuſtus*; expendénſque quorſum ſpecialiter Noë, homo appellatus ſit. [Commune, pro laude iuſti vſurpat. Nam cæteri ob carnales voluptates, quibus immerſi erant, amiſerant eſſe homines. Iſte, inquit, in tãto populo hominis imaginem ſeruauit. Tunc enim homo eſt, quando virtutem colit. Neque enim ſpeciem habere hominis, & oculos, & nares, & os, & genas, & cætera membra, hominem eſſe oſtendunt. Hæc enim membra ſunt corporis. Hominem illum dicimus, qui imaginem hominis ſaluam retinet. Quæ autem eſt imago hominis? Rationalem eſſe. Quid ergo? An non & illi fuerunt rationales? Verùm non hoc ſolum fuerit hominem eſſe, ſed & virtutibus eſſe deditum, & vitia fugere & illicitis affectionibus imperare, & mandatis dominicis obtemperare.]

109. Subdit nonnulla ſcripturæ loca, quibus doceat, apud Deum & ex idiomate Spiritus ſancti, quo conſcriptæ ſunt ſacræ literæ, nomen hominis negari iis, qui per paſſiones abrepti, in vitiorum auia feruntur. Tum concludit. *Vidiſti quomodo illum ſolùm Scriptura ſancta hominem vocare ſolet, qui virtutem colit; cæteros autem neque eſſe putat ſed aliquando vocat terram, & aliquando carnem? Hac de cauſa genealogiam iuſti narraturam ſe promittens diuina ſcriptura, dicit.* Noë homo. *Hic enim ſolus homo, cæteri autem non homines, ſed humanam gerentes formam, & ex hominibus in beſtias mutati, malitia voluntatis generoſitatem naturæ amiſerunt. Quia quum in malum declinant, & ſeruı fiunt irrationabilium affectionum, impoſuit illis beſtiarum nomina.* Profert loca Scripturarum ſuperiùs notata ex loco homiliæ 12. Tum egregiè hanc eruit concluſionem. *Quid ergo miſerabilius fuerit peccatoribus, qui & ipſo hominis nomine priuantur, & propter hoc maioribus pœnis digni ſunt. quòd acceptas à natura plurimas occaſiones, ad benefaciendum mouere noſtra ſponte ad malum progredimur?* Nempe vt cæteras huiuſmodi illecebras & occaſiones taceam, ipſi affectus materia ſunt & ſementis virtutum, ſi ratio eos agat, non ſe ab iis agi, peruersè ſinat.

Confirmat inſuper Chryſoſtomus eodem loco, rationem hominis, ſolis affectuum domitoribus competere, ex eo quod Iob, *ille, vt vocat, pugil pietatis, athleta orbis. adamas quidam ad ferendos omnes in pectus aduerſary immaniſſimi*, aptato ad eum communi naturæ nomine, dictus ſit homo. Tandémque egregiam hanc coronidem apponit. *Vidiſti & hunc à communi natura nomine prædicari? Aduertiſti, inquit, quòd non ſit ſimilis illi homo? Et ſimiles vtique omnes ſumus, ſed non ſecundum virtutem ſed ſecundùm formæ rationem. At hoc non eſt homo, ſed quando abſtinens à malitia virtutem operatur. Vidiſti quos diuina ſcriptura homines appellare ſolet? Quocirca & ab initio, cùm vidiſſet Deus factum à ſe, dicebat.* Faciamus hominem ſecundùm imaginem noſtram, & ſecundùm ſimilitudinem; *hoc eſt, vt imperet & viſibilibus omnibus, & paſſionibus ſuis. Imperet, non ferat imperium. Itaque qui amiſſa dignitate, magis ſubditus eſt, & imperium fert potius quam imperat, amiſit & nomen quòd ſit homo, & brutorum in ſe nomina transſtulit. Atque hac de cauſa nunc diuina ſcriptura virtutem illius commendare volens, dicit.* Iſtæ ſunt generationes Noë: Noë homo iuſtus. Corrumpi hominem paſſionibus inconditis, atque adeo à ſuo eſſe deſciſcere, S. quoque Auguſtinus in Pſal. 13. diſertè tradit, ad illud, *corrupti ſunt.*

Alia interna paſſionum remedia generalia, ex l. 2. cap. 18. Arriani. 1. Cura principiorum.

110. Hactenus de primo capite remediorum illorum generalium internorum quæ apud Epictetum variis locis & paſſim apud alios proſtare dicebam. Nunc vt ad ea item interna & generalia remedia, quæ ex propoſito ſuperius Epicteti capite, peti dicebam, progreſſus fiat; inter ea paſſionum remedia quæ ex ipſo homine petenda ſunt, & idcirco peculiariter interna appellari poſſunt, primum locum tenet apud Epictetum cap. allegato, diligens & ſedula proſpectio principiorum, quòd in iis poſitum ſit momentum longè maximum, ob auctam per operationes, operandi pronitatem, & difficultatem obſiſtendi. Itaque iacit in primis Epictetus hoc fundamentum quod eſt ex Philoſophia notiſſimum: Nempe ex operationibus, exiſtere habitus, quę ſunt pondera & inclinationes ad operationem, per quam impreſſi ſunt, repetendam. Vt vel inde diſcamus, quanti ſit aſſiduè in aliquid incumbere. Et ſanè formicæ tantula animalcula repetito viandi labore ſilicem excauant. *Silices*, ait Plinius lib. 1. c. 30. *it.nere earum attritos videmus, & in opere ſemitam factam, ne quis dubitet, qualibet in re quid poſſit quantulacunque aſſiduitas.* Itaque aſſiduitas malè operandi, & affectui effræni cedendi, animum infringit & ſubneruat. Quare qui primùm incurrenti paſſioni non obſiſtit, cum deerat ea accidentaria inclinatio; longè ægriùs poſtea obſiſtere poterit, impreſſo iam per anteriores operationes habitu, confirmatáque cedendi facilitate.

Iuuat ipſam Epicteti orationem, omni fauo ſapidiorem, adſcribere ex parte. [Quando ira permotus fueris, pro certo habeas, non modò præſenti te malo hoc laborare, ſed etiam quòd eius affectus habitum, in futurum auxeris. & quaſi in ignem ſarmenta conieceris. Item quando in congreſſu, inferiorem te aliquo exhibueris, cogita non tantùm ſemel te victum, ſed quòd præterea etiam intemperantiam tuam foueris, auxeris. Fieri enim non poteſt, quin à frequentatis actionibus & crebris, & habitus acquirantur, & facultates intendantur magis, ac confirmatiores reddantur. Iſto ſanè modo, morbos oboriri in corpore ſenſim, Philoſophi cenſent. Etenim ſi ſemel argentum concupiſcas, & ratio adhibita ad ſenſum illum cupiditatis, prauitatem eius reſpuat, reſtincta quidem ſit cupiditatis flamma Ratio autem, vitæ & actionum noſtrarum gubernatrix, ſuiipſius ſit vindex, nec abripietur ex eo loco, quo principatum ipſa habere dicitur. Sin verò adhibeas nihil, quo medearis, nequaquam ad ſe reuertetur animus & ratio, ſed iterum atque iterum laceſſita frequentibus obiectis viſis, haud paulò ocyus quàm antea inflammabitur ad cupiditatem. Quod facere ſi perſeueret, tandem occallebit, & morbo confirmato, auarus efficietur. Laborans febri, poſt eius remiſſionem, eodem ſtatu non erit valetudinis, quo fuerat ante acceſſionem: ſi quidem nihil prorſus adhibeat medicamenti. Idem vſuuenit in animæ affectibus: veſtigia quædam, & vibices relinquunt in ea, quas emendare ſi quis neglexerit, iterum ſecundùm illas ſi flagello cæſus vulneretur, iam non vibices accipiet, ſed vulnera. Itaque ſi iracundus eſſe nolis, habitum illum ne foueris Nihil ei adiice, quo ſuccreſcat, initio conquieſce.]

Quantum in ea cura momentum.

111. Spectauit planè huc Ariſtoteles 2. Eth. toto cap. 1. diligenter enim confirmat actuum productione & iteratione, bonos vel malos habitus ingenerari, & inde homines aſſueſieri, vt velint bona vel mala admittere, & in virtutis vel vitij caſtris militare. Concluditque vniuerſum caput in hunc modum. *Vt vno verbo dicam, ex ſimilibus operationibus, habitus fiunt, vnde operationes qualitate quadam præditas oportet reddere: quippe cùm ex earum differentiis habitus quoque conſequantur. Non igitur parum refert, ſicne an ſic, ſtatim ab adoleſcentia conſueſcat aliquis, ſed quamplurimùm, imò totum in eo penitus conſiſtit.* Idem monet Plato apud Plutarchum lib. de puerorum recta informatione; & apud eundem Laco pædagogus, lib. de virtute morali. Seneca item præclarè epiſt. 116. [Nulli non vitio initium eſt verecundum & exorabile, ſed ob hoc latiùs funditur Non obtinebis vt deſinat, ſi incipere permiſeris. Imbecillis eſt primò omnis affectus. Deinde ipſe ſe concitat, & vires dum procedit, parat. Excluditur faciliùs, quàm expellitur. Quis negat omnes affectus à quodam quaſi naturali fluere principio? Curam nobis noſtri natura mandauit. Sed huic vbi nimium indulſeris, vitium eſt. Voluptatem natura neceſſariis rebus admiſcuit, non vt illam peteremus, ſed vt ea ſine quibus non poſſumus viuere, gratiora nobis, illius faceret acceſſio. Si ſuo veniat iure, luxuria eſt. Ergo inſtantibus reſiſtamus: quia faciliùs, vt dixi, non recipiuntur quàm exeunt. *Et lib. de ira c. 1.* Optimum eſt, ad primum mali ſenſum mederi ſibi: tum verbis quoque ſuis minimum libertatis dare, & inhibere impetum. Facile eſt autem, affectus ſuos, cùm primùm oriuntur, deprehendere. Morbum ſigna præcurrunt. Quemadmodum tempeſtatis ac pluuiæ, ante ipſas, notæ veniunt: ita iræ, amoris omniumque iſtarum procellarum animos vexantium, ſunt quædam prænuntia. Qui comitiali vitio ſolent corripi, iam aduentare valetudinem intelligunt, ſi calor ſumma deſeruit, & incertum lumen, neruorúmque trepidatio eſt, ſi memoria ſublabitur, capútque verſatur. Solitis itaque remediis incipientem caſum occupant, & odore guſtuque, quicquid eſt quod alienat animos, repellitur; aut fomentis contra frigus rigorémque pugnatum; aut ſi parum medicina profecit, vitauerunt turbam, & ſine teſte ceciderunt. Proderit morbum ſuum noſſe, & vires eius, antequam ſpatientur opprimere.]

Idem denique monuit S. Chryſoſtomus hom. 30. ad popul. his præter cætera, de iræ affectu, & malo ei ſubiacentium, diſputans. *In peccatis duplicia ſunt mala, vnum quidem quod offendimus. Secundum verò quod peiores euadimus. Aduertite, quæſo, quod loquor. Non hoc ſolum ex peccato detrimentum ferimus, quod peccamus: ſed & aliud quòd habitum anima ſuſcipit, ſicut in corpore. Per exemplum, quod dicitur, reddetur manifeſtius. Sicut, inquam febre correptus, non tantùm hanc paſſus eſt moleſtiam quod infirmatus eſt, verùm & quod poſt morbum iam erit imbecillior, licet ad bonam valetudinem ex longa redeat ægritudine. Sic quidem & in peccato, licèt valeamus etiam multa indigemus fortitudine. Da mihi quempiam contumelioſum, licet contumelia pœnas non dederit, & aliunde tamen lugendum eſt, quòd tibi anima reddita ſit impudentior. Peccatorum enim quoque, & criminis patrato & tranſacto, quiddam in anima noſtra veneni reperitur Non audis quoſdam dicentes, cum bene valeant, nondum aquam audeo bibere? Atqui conualuit quidem, ſed morbus & hoc intulit detrimentum.* Eadem propè verbatim iterat, hom. 41. in Acta, *in morali.*

Elegans exemplum quo id illuſtrat S. Dorotheus ex ſene quodam virtutis Magiſtro, valdè ad rem facit. Scribit enim doctr. 11. num. 5. conſidentem cum tyronibus aſcetis in cupreſſeto ſenem, vni cuipiam eorum mandaſſe minuſculæ cupreſſi euulſionem. Quam ille vnica manu admota,

nullo

nullo labore euulſit. Alteram maiuſculam vt euelleret, nouo mandato præcepit. Quod Tyro ambabus admotis manibus, non ea qua priùs facilitate perfecit. Tertiam duabus prioribus nonnihil maiorem cum oſtendiſſet, ſenex, ægriùs ac operoſius euulſit adoleſcens. Subindéque quintam anterioribus grandiorem iuſſus extirpare, poſt longam colluſtrationem atque connisum, multo ſudore profuſo, vix tandem euulſit. Ad quintam omnibus prædictis maiorem ac firmiorem, ſimiliter cum proceſſiſſet, diu fruſtra annixus & euellendæ impar fuit. Quod omnes qui aderant tyrones cum perſpexiſſent, ſubiecit ſenex. *Ad hunc modum ſunt paſſiones & affectus noſtri, fratres. Dum paruuli ſunt & recentes, ſumma facilitate & quiete, modò velimus, excidere eos & extirpare poterimus. Si verò eos vti paruulos & exiguos neglexerimus, paulatim obdureſcent, conualeſcentque: & quo magis conualuerint & obduruerint, eo maiore conatu opus erit & labore. Quod ſi vires ſuas acquirere, & eas contra nos exercere ſinerimus, actum eſt de nobis.* Iure igitur S. Hilar. in pſal. 36. tractans illud, *beatus qui allidet paruulos*, in ipſa pſalmi meta. *Vitia corporis non ſunt ſinenda coaleſcere, ſed in exordiis ſtatim excidenda ſunt. Periculoſa ſunt iam robuſta cupiditates, & difficulter adulta quæque perimuntur. Leuius autem eſt, prorumpentes auellere, teneras excidere, flexibiles recorquere.* S. Chryſoſtomus homil. 80. ad pop. & hoc & alia exempla conglobat in rem præſentem, ſic ſcribens. *Tam bona quàm mala, cum fuerint plurimùm immorata, potentiora fiunt & plantaquidem, nuper humi conſita, facile reuellitur; per multum verò temporis radicibus firmata, non ibidem. Et ædificium recenter, fundatum, à vexantibus facilè ſubuertitur; benè verò firmatum, multa diruere conantibus præbet negotia. Et fera quibus locis multum temporis eſt commorata, difficulter expellitur. Et ſi ut febris ab initio aggreſſa, non magna ſiti laborantes exurit; poſtquàm autem inualuerit, & flammam exuſſerit, iam ſitim inducit immedicabilem. Etiam ſi quis eis conceſſerit vt potibus impleantur, non extinguit, ſed accendit fornacem; ſic & vitioſo accidit affectui. Si ſe circa primordia, in animum noſtram inferentem non prohibuerimus neque fores occlaſerimus, regreſſus iam inſanibilem morbum ſuſceptoribus infert.*

2. *Vitatio improuidentia, admittentium paßiones, quas poſtmodùm excludendas decernunt.*

112. Continens huic remedio eſt, quod Epictetus ſupra ſub capitis finem ſubminiſtrat. Nempe cauendam eſſe improuidentiam eorum, qui ad primos paſſionis occurſus eam admittere decernunt, pacta tamen, (vt ſic dicam,) excluſione in poſterum. Id verò longè aliter euenturum, pronunciat Epictetus, & facit manifeſta ratio, iam propoſita. Nam ſi firmum adhuc cùm eſſet pectus, & nullo cedendi vſu eneruatum, conſtantiam labefactare potuit obiecti incurſus, & quæ inde concitata eſt paſſio; quanto minor affulget ſpes, excludendi in poſterum paſſionem, imminutis viribus, quibus obſiſtendum fuiſſet, & hoſtili præſidio per primam paſſionis admiſſionem intus relicto ad faciliorem intromiſſionem, cùm noua ſe dabit operandi occaſio? Quare omnino conſultius eſt, prima mali ſeminis germina ſuccidere, vel ſtirpitùs eradicare, quàm ſibi blandiri, de eius eradicatione tunc facienda cùm adoleuerit: & fixis penitiùs radicibus, ac quaqua verſum diffuſis, operoſiſſima erit euulſio.

Pulchrè hoc monitum ingeminat idem Epictetus lib. 4. Arriani c. 12. [Quando dixeris, in craſtinum adhibebo diligentiam; id abs te dici, ſcito, quòd nimirum velis hodie imprudens, importunus, abiectus eſſe. Item in poteſtate erit alterius, vt me afficiat ægritudine animi; hodie excandeſcam, inuidebo: conſidera quæ mala in te admittas. Sed cras, ais, melius habebo. Quanto meliùs ſi hodie, quam ſi cras cœperis? Plus conducet ſi hodie incipias, vt id nimirum in craſtinum præſtare poſſis, ac non in tertium quoque reiicias diem. *Saluianus egregiè lib. 1. ad Eccleſ.* Hoc primum medelæ opus eſt, vt morbos ſuos languentes horreant, curare plagas feſtinent ſaucij, & illico è corporibus ſagittas rapiant vulnerati. Optimè enim malagma vel fibula calidis adhuc vulneribus imponitur, & cuius ſibi plagarum caro ſociatur, qua non diu hiare permittitur. Vlcus quippe in corpore ſi computruerit, dilatatur: & ſi plagas cancroma ſequitur, cancrum neceſſe eſt conſequatur occaſus. *Denique*; flamma recens, *vt ille canit*, parua ſparſa recedit aqua:] Quod fieri aut impoſſibile, aut admodum difficile eſt, cùm incendium per moras inualuit.

Itaque ingeminet ſibi vnuſquiſque, quoties primi impetus paſſionis voluntatem concuſſerint, quæ Epictetus ſub capitis finem, ſapienter vrget. *Conſiſte miſer, ne auferat te phantaſia; magnum certamen eſt, diuini operis functio. De regno certatur, de libertate, de rebus omnibus ſecundis, & tranquillitate.* Planè de libertate, & tranquillitate omnimodaque animæ proſperitate agi cogitandum eſt, cùm paſſio inſurgit. Nam ſi ſemel admiſſa aditum ſibi ad regreſſum fecerit, iniquo dominatu miſeram voluntatem premet, captiuabitque. Vnde omnis tranquillitatis euerſio, ſenſimque cunctorum animæ bonorum dilapidatio conſequetur.

113. Quare quod in populari tumultu, & licentia accidere videmus; Nimirum vt facilè comprimatur, ſi priuſquàm conualeſcat admoueatur remedium, nec permittatur inſana plebs excuſſi iugi guſtum percipere: Idem proportione cernere licet in hoc populari motu, quo paſſiones, animæ habenas capeſſere affectant, & iugo rationis excuſſo, ſubiicere dominio, aut potius impetui ſuo, internam Rempublicam, vnáque in eam conuehere tumultuarij illius regiminis ac effrænis licentiæ incommoda. Eſſe autem paſſionum effrænationem, Democratiæ perſimilem, iam ſupra monſtratum eſt, & docet egregiè Maximus Tyrius diſſert. 17. n. 102. verbis illi. [Volo cum populari imperio, improbitatem conferre animi. Quotieſcunque nimirum eò vrbis res rediit, vt optimi quique in ſeruitutem redacti, parere cogantur; demens verò multorúmque capitum populus, cui nimios addidit ſpiritus, licentia, habenas ſibi vindicat; Neceſſe eſt eam varias in voces, plurimas in partes, in affectus diuerſiſſimos, in cupiditates innumerabiles diuiſam eſſe. Intemperantem in voluptatibus, in iracundia præcipitem; in gerendis ambiendiſque honoribus immodicam; in ſecunda fortuna, ſine modo, in aduerſa, ſine ſpe eſſe. Cùm Pericles abit, Ariſtides exulat, moritur Socrates, Nicias in expeditionem ire cogitur. Interea Sphacteriam ambire Cleo incipit, Ioniam Thraſyllus, Siciliam Alcibiades, aliámque alius terram aut mare. Quorum cupiditatibus, plebs otioſa, incompoſita, mercenaria, & quæ facilè quouis impellitur, ſubſcribit. Hic eas cupiditates neceſſe eſt ſeruitutem, calamites inducere, & tyrannidem.] Alludit ad ſtatum Athenienſium vigente plebis poteſtate & per ſummum verticem, grauiora quæque incommoda eam adminiſtrationem conſecuta, attingit.

Sequitur *ἀναίδεια*. [Eodem modo & in animo multi tribuni ſeditioſi ſunt, populúſque intemperans: multi Alcibiades, multi Cleones, qui miſeram animam nec quieſcere, nec rationi ſuæ aut legi parere ſinunt. At verò virtus, cuius cauſa tam multa verba dedimus, contrà ſe habet: planè vt Lacedæmoniorum Reſpublica in quo populus talis ſub imperio viuit, minima pars, eáque optima, imperat. Altera conſeruat, conſeruatur altera; altera iubet, paret altera, quodque vtramque ſequitur, libertas eſt. Eget altera pars altera; tam quæ imperat ea quæ paret; quàm quæ paret conſeruatione eius & tutela quæ imperat. In anima benè conſtituta, eodem modo agitur. Ratio eſt quæ conſeruat & tuetur, qui conſeruantur & præſidio egent, ſunt affectus. Moderatur ratio, moderatione egent affectus; ex vtroque libertas procedit.] Itaque vt præmiſi, quod remedium in primis ad Democratiam motibus pernecesſarium eſt, nimirum vt priuſquam conualeſcat, opprimatur; ne ſi quando plebs malè ſana libertatis exlegis guſtum ceperit, extrema quæque ſubire decernat priùs quàm ſub iugum reuocari ſe ſinat: Idem hoc loco circa affectus prouidendum eſt.

Vſus examinis particularis,

114 Addit Epictetus, habendus in numerato dies illos, quibus paſſioni reſtitum fuerit. Hoc eſt, inſtituendum particulare & ſingulare examen, quo diligenter obſeruetur qui ſit progreſſus morbi, & quæ medela adhibita ſit hactenus. Quod longè vtiliſſimum paſſionum pharmacum à ſancto Chryſoſtomo homil. 73. ad populum & homil. 82. in Ioann. & à Caſſiano collat. 5. cap. 14. aliiſque antiquis commendatum; S. Ignatius in aureo piarum commentationum libello, inſtaurauit, reduxitque ad vſum priſtinum. Hoc, vt dixi, depellendi vitij inſtrumentum, apud ipſos Chriſtianos non ita frequens, Epicteto, homini Ethnico in vſu fuiſſe, & aliis ad vitiorum emendationem indictum, mirum ſanè mihi accidit. Ita loquitur apud Arrianum cap. illo 18. *Si iracundus eſſe nolis, habitum illum ne foueris; nihil ei adiice, quo ſuccreſcat; initio conquieſce, & in numerato habe dies illos, quibus iratus non fueris. Olim quotidie commouebar ira, poſtea altero duntaxat die, deinde tertio quoque die. Quòd ſi nunc intra dies triginta, iratum te non ſenſeris, Deo ſacra facito. Habitus enim, à primis diebus langueſcit; poſteriùs verò omnis diſſoluitur, euaneſcit. Nec hodie, nec heri, paſſus ſum me aliquo mœrore affici, nec poſtea per tres aut quatuor menſes. Sed animum aduerte, ſi viſa oblata tibi fuerint quibus prouocari poſſis, vtrum decenter te geras* Galenus lib. de cognoſcendis & curandis animi affectibus, idem à ſe factitatum, manè ſaltem & veſperi teſtatur, ſolitúmque etiam ore enunciare monita ſedando affectui, aut emendando defectui opportuna.

Egregiè item, de hac ſpeciali cura partium animæ minùs munitarum, Seneca epiſt. 68. [Maximè, *inquit*, tracta, quod in te eſſe infirmiſſimum ſenties. Nota habet quiſque, ſui corporis vitia. Itaque alius vomitu leuat ſtomachum, alius frequenti cibo fulcit, alius interpoſito ieiunio, corpus exhaurit & purgat. Hi quorum pedes dolor repetit, aut vino, aut balneo abſtinent in cætera negligentes, huic à quo ſæpè infeſtantur, occurrunt. Sic in animo noſtro ſunt quaſi cauſariæ partes, quibus adhibenda curatio eſt. *Et lib. 3. de ira cap* 10. Videamus quid ſit, quod nos maximè concitet Alium verborum, alium rerum contumeliæ mouent. Hic vult nobilitati ſuæ, hic formæ ſuæ parcit. Ille elegantiſſimus haberi cupit, ille doctiſſimus. Hic ſuperbiæ impatiens eſt, hic contumaciæ Ille ſeruos non putat dignos quibus iraſcatur: hic intra domum ſæuus eſt, foris mitis Ille rogari, inuidiam indicat: hic, non rogari, contumeliam. Non omnes ab eadem parte feriuntur. Scire itaque oportet quid in te imbecillum ſit, vt id maximè protegas.

Litigiolum de eiuſdem examinis ordine, ſublatum.

115. Ordinem porro huius examinis, cum indicere videtur Epictetus lib. apud Arrian. c. 26. *ſub finem*, vt peculiaris illa cura ſubigendi affectum aliquem, ſumat initium à rebus modicis, in quibus minùs operoſa ſit victoria. *Hanc meditationem, inquit, animo volues, cùm primùm ſurrexeris ad veſperam vſque, quam à paruis incipies rebus, in quibus nimirum ſit facillima offenſio; ab olla ſcilicet, à poculo, deinde perge ad tegulam, ad catellum: poſtea verò ad temetipſum, ad membra, liberos, vxorem, fratres. Vndiquaque circumſpiciens eiice abs te, repurga opiniones tuas, ne quid adhereat tibi eorum, quæ extra te ſunt, ne quid tibi adnaſcatur, quo detracto poſtea doleas.* Ibid. cap. 12. *Primum, quantum potes, abſtine à phantaſiis violentioribus. Inæqualis pugna venuſta puella, ſi ſeſe adoleſcenti offerat, qui philoſophari incipit. Nam, vt aiunt vulgo, non conſentiunt olla & petra.* Similia lib. 1. cap 18. *ſub finem* Alia in hanc rem ex Epictetu, & Simplicio Cemelienſi profero, tractans ſubſidia generalia honeſti. Annuit S Ambroſius lib. 1. de Abraham c. 4. *Si puerulum literis imbuas à ſingulis literarum elementis inchoandum eſt tibi; vt à ſingulis apicibus, ad ſyllabas: à ſyllabis eum per ordinem, ad nomina orationémque deducas Nec poteſt mare quiſquam nauigare intrepidus, niſi qui ante in fluminibus nauigauerit.*

At è contra S. Chryſoſtomus homilia 73. ad pop. initium duci vult ab ea paſſione atque defectu, cuius ſit in nos infeſtior vis Annuitque Caſſianus coll. 5. cap. 14. *Impoſſibile eſt*, inquit, *de qualibet paſſione triumphum quempiam promereri, priuſquam intellexerit, induſtria, vel labore proprio, victoriam certaminis ſemet obtinere non poſſe: cùm tamen vt valeat emundari, neceſſe ſit eum die noctúque, in omni cura & ſollicitudine permanere. Cúmque ſe ab ea ſenſerit abſolutum, rurſum latebras ſui cordis ſimili intentione perluſtret, & exploret quam ſibi inter reliquas proſpexerit diriorem; atque aduerſus eam ſpecialiùs omnia ſpiritus arma commoueat, & ita ſemper validioribus ſuperatis, celerem de reſiduis habebit, facilémque victoriam.* Et hæc pro generoſo pectore, videtur vera pugnandi ratio, quam, (vt ita dicam & vocem alterius loci ac inſtituti proportione ſeruata huc transferam,) methodus doctrinæ, cuiuis indicit, quamuis interdum methodus prudentiæ, in anguſto præſertim pectore, aliud ferat.

Alia circa eum ordinem.

116. Eodem Arriani lib. 3. c. 12. aureum hoc monitum, ad ordinem examinis, ac ſtudij in hanc rem noſtri pertinens traditur. *Pro certo habeas, ſi animo permiſeris tuo nō exercitato, vt rebus occupetur externis, ac in poteſtate arbitrij noſtri non poſitis, futurum vt & appetitu ſua fruſtretur; & declinatio incautiùs offēdat. Et conſuetudo confirmatior. ſi præceſſerit, (vtpote conſuetis nobis appetitu & fuga in his duntaxat vti rebus; ei nimirū alia erit opponenda conſuetudo Et qua parte præſertim labaſcimus lubricis viſis permoti, ea contranitēdum exercitatione. Sum in voluptatē proclinior ſupra id quam mediocritas poſtulat: Ab ea igitur diuulſus, ad cōtrarium me, cauſa exercitationis, conferam. Abhorreo à laboribus.*

laboribus. Adhibebo frictiones & exercitia, vt ad id confirmem phantaſiam quo valeam abducere declinationem à quauis talis propoſita. Quinam eſt exercitator? Qui mediatur appetitu quidem vti, declinationem verò ad ſola arbitria adhibet, & qui ſe exercet in difficilioribus. Quamobrem alij in aliis plus eſt inſudandum. Quid ergo eſt, quòd nonnullos tantoperè inſtigas, palmam aut tabernaculum pelliceum conſtituere; item mortarium cum piſtillo circumferre? Si fueris irritabilis, exerce te vt conuitia ferre poſſis, vt non doleas ſi contumeliis afficiare: deinde eò proſpicies vſque, vt etiam verberibus ab aliquo affectus, poſſis ipſe ad teipſum dicere: perinde illud eſt, atque complecti ſtatuam. Hoc eſt quod toties inculcant magiſtri morum, contraria contrariis curanda. Id quod Caſſianus collat. 20. d. 10. grauiter commendat, & S. Baſil. in reg. fuſiùs diſputat. q. 15 & 51. quo poſteriore loco id confirmat ex proportionali medicorum corporis praxi. Adeundus item q. 289. breuiorum reg.

Quod verò de conſuetudine vincenda per conſuetudinem paulò antè retuli, diceres, vt alia pleraque, deſcriptum ex Arriani diſſertatione à Chryſoſtomo cuius hæc eſt oratio homil. 17. in Matth. [Si mihi conſuetudinem tuam opponis vt legum, per hanc ipſã te admoneo, quàm ſit facilis iſta correctio. Si enim in aliam conſuetudinem, ex alia te conuerteris, hoc quod tibi difficile videtur, effeceris. Conſidera igitur quemadmodum Gentilium aliqui, quarundam ſyllabarum, non benè exprimentes ſonum, offendentem ſæpè linguam longa meditatione limauerint. Qui humerum quoque indecenter mouentes, gladio continuè oppoſito, conſuetudinem timore vicerunt, &c. Tale igitur aliquid, & ego nunc vobis loquor. Saltem Philoſophos conſiderate Gentilium, & tunc profectò diſcetis, quantò ſimus digni ſupplicio qui diuinæ legis præcepta contemnimus: Quandoquidem inueniuntur illi propter humanam honeſtatem innumera feciſſe; nos verò ne propter cœlorum quidem regnum, tale ſtudium commendamus. Quod ſi etiam poſt iſta dixeris, magnam vim eſſe conſuetudinis, & quæ nos poſſit inuitos etiam, crebro fallere, & ipſe conſentio Sed cum hoc nihilominus, etiam illud adiungo, quia ſicut ad vitiandum conſuetudo eſt violenta, ita ſi potens ad corrigendum. *Item homil. contra concubin.* Si quid difficultatis habet, diuelli conſuetudine longa, virtute rationis poſt Dei gratiam, hoc tantùm ſubuertamus: & illud nobis perſuadeamus, vel ſi principium ſolùm imponamus operi, non vltra viſuros nos difficultatem. Sic aduerſus conſuetudinem præualebis Nam ſi decem dies te abſtraxeris. facile feres viginti, & iterum bis tantos: Deindeque via progrediens, neque ſenties difficultatem, quam habuiſti initio, videbiſque facillimum factu, quod tot agones priùs expoſcebat & in aliam te mutabis conſuetudinem, inueniens haud ita grauem tranſlationem.]

4 *Reprimenda, phantaſia appetitui prælucentis, progreſsio.*

Pergo ex Epicteto, qui continenter, aliud internum longéque vtiliſſimum remedium profert, c. illo 18. quod mox etiam repetit ſub finem capitis. Nempe vt quantum fieri poteſt, obſtruantur aures ad veneficæ Circes lenocinia, nec permittatur cogitatio excurrere in expreſſionem obiecti, eiuſque adiunctorum, vnde incendi & efferari poſſit paſſio: ſed potius auertatur aliò ſapienter cogitatio, & pro paſſionis irritamentis, ſubſtituantur ſemina optimorum motuum. *Vinces*, inquit, *phantaſiam, nec ab ea in tranſuerſum abripere. Initio ne rapiere, vehementi eius motu incitatus: ſed dic, præſtolare parumper, ô phantaſia. Sine perſpiciam qua ſis, & quibus de rebus: Sine vt te excutiam. Ac de cætero, ne permittas ei vt longius te producat, depingendo ac adumbrando quæ deinceps ordine ſequantur. Quod ſi non facias, in periculum vtique præceps fertur, te ſimul abreptum præcipitatura. Quin potius aliam quampiam honeſtam & laudabilem phantaſiam oppone, hancque præſentem ſordidam repudias?* Quod primum ait perſpiciendum exurgentem motum, egregiè lib. 3. cap. 12. confirmat ex Socrate. *Vt Socrates dicere ſolebat vitam non eſſe degendam, vt de ea nulla habeatur inquiſitio, ita viſum nullum amittendum, quin de eo habeatur quæſtio. Sic enim dicendum, Sine vt perſpiciam te qualis ſis, & ſciam vnde veneris: vt nocturni faciunt vigiles Teſſeram mihi commemora, ſignum quam habes à natura, qua carere, viſum nullum debet, à nobis approbandum.* Infinities quoque id inculcat Antonius.

117. Illud verò alterum quod eodem Epicteti monito, cui inſiſtimus, continebatur, nempe ne cogitatio permittatur exurgere: illud ipſum eſt quod alij tradunt, negantes immorandum eſſe præludiis paſſionum, & contra eas impetu pugnandum decernentes, quod his verbis tradit Seneca l. de breuitate vitæ c. 10. *Solebat dicere Fabianus (non ex his cathedrariis Philoſophis, ſed ex veris & antiquis,) contra affectus impetu, non ſubtilitate pugnandum; nec minutis verberibus, ſed incurſu auertendam aciem Sugillatio em enim retundi debere, non vellicari.* S. Ambroſius l. 1. de pœnit. cap. 13. idem pulcherrimè docet, exemplo eius qui ignem exceptum, illico excutit. Sic enim alligandam in ſinu mentis flammam negat, & tranſiliendum incendium, nec nodos aſſiduæ nexu meditationis aſtringendos. Idem ſuper omnia commendat Caſſianus 6. inſtit. c. 13. Denique eodem ſpectat, Ethnici Philoſophi Nigrini, ſapiens monitum apud Lucianum *Monebat*, inquit, *eos qui cum eo verſabantur, ne cunctarentur, aut incertos dies extraherent, benè aliquid facere, id quod multi ſolerent, præfinientes ſibi velut diem aliquam conſtitutam, aut feſtiuitates ſacrorum, aut ſolemnes conuentus; tanquam ab illis auſpicaturi mendacia vitare, & conuenientia facere. Volebat enim liberum, & ab omni cunctatione remotum eſſe illum ad honeſta impulſum ac mentis impetum.* Hoc intelligo. non de impetu duntaxat ad honeſtum, pacatè & remoto paſſionum tumultu exercendum, ſed multo magis cum paſſiones obluctantur & per hoſtilia earum agmina perrumpendum eſt ad verum bonum. Nam tunc maxime feſtinatò opus eſt negandæque inimicis induciæ ad vires auctiores colligendas.

5. *Imo præcludendus exortus, obſtructis externis ſenſibus.*

118. Quòd ſi præcidere cogitationis progreſſum, & aduentantem, fortiter magnóque impetu reprimere, conſultiſſimum eſt, & ad paſſionis curationem longè vtiliſſimum; multò etiam vtilius ac tutius fuerit, (quod Epictetus quoque non omnino omiſit;) obſtruere principia cogitationis internæ. Occurſum inquam obiectorum ſenſibilium, & eorum impreſſiones ſubmouere. Externorum enim ſenſuum cognitio, eſt veluti lena, qua miſerè ſeducitur appetitus. Egregiè item in hanc rem Porphyrius lib. . de abſtinent. Voluptatem enim & triſtitiam, omnium paſſionum fontes conſtituens, ſubdit, *Horum ſenſus eſt opifex, & quæ ſecundum ſenſum fit præſumptio, ſenſuique comites phantaſiæ, opiniones, memoria. Ex his exſuſcitati appetitus, & tota dementia, ſaginata à proprio domicilio, deorſum agit animam, atque ab amore verè entis*

 auertit.

auertit. Ergo deficiendum eſt, quantum fieri poteſt, ab eiuſmodi ſenſilibus. Defectiones autem pendent à declinatione obiectorum circa ſenſus, item appetituum, & omnis in ratione abſurditatis. Sunt autem ſenſilia eorum, quæ aut viſum aut auditum, aut guſtum, aut odoratum, aut denique tactum mouent; quorum ipſe ſenſus veluti metropolis eſt, atque alienigenarum in nobis colonia appetituum.

Hoc vniuersè. Deſcendit illico ſigillatim, ad ſingulos externos ſenſus, vt doceat, quantus paſſionum furor: ex illorum licentia, & negligentiore cuſtodia concitetur. Quæ quia diffuſiùs perſequitur, apud eum legi poterunt. Tum ſubdit. *Quorum omnium commemorationes, imaginationes, opinationes ſimul agglomeratæ, perturbationum examen ſuſcitant, metuum, concupiſcentiarum, luxuum, amorum, triſtitiarum, æmulationum, curarum, morborum, poculorum venenatorum, & ſimilium affectuum. Quapropter magno certamine enitendum, vt puri à contagione iſtorum recedamus; atque etiam diuina nocturnáque opera efficiendum, vt cogitatio, quæ ex neceſſitate quadam noſtris implicatur ſenſibus, à portentoſo talium affectuum imperio liberetur. Quare pro viribus ab eorum prouincia diſcedendum, in qua, etiam nolentem, multitudine circumuentum, neceſſe eſt ſuccumbere.*

Priſcorum Sapientum ſeceſſiones, ea ex cauſa.

Huc paulo poſt refert praxim priſcorum ſapientum, captantium ſeceſſionem, omnique ope annitentium, vt ſenſus ſuos ſubducerent incurſui obiectorum externorum. *Ita cauiſſe quondam virorum gloriam Pythagoram, cæteróſque ſapientes accepimus: quorum alij remotiſſima prædia habitarunt, alij vrbium lucos & templa, quæ à turbis abſunt longiùs, Platóque ipſe inter alios elegit ſeceſſum in Academia; non ſolùm deſerto, & ab vrbe longè remoto prædio, ſed etiam, vt aiunt morboſo. Alij verò oculis non pepercerunt, deſiderio rigidæ & infatigabilis in animo contemplationis.* Hoc Democrito tribuit Laertius lib. 9: & ex monumentis Græcæ hiſtoriæ, Gellius lib. 10. c. 17. aliam tamen ibi ex Laberio cauſam effoſſi per Democritum luminis referens; nempe, malis benè eſſet ne videret ciuibus. At Tertullianus c. 46. Apolog. eluſificati à ſeipſo Democriti, cauſam refert in eius intemperantiam. Quod enim ſubeuntis per oculos ſpeciei alienæ, turpem amorem reſtinguere nequiret, maluiſſe oculis orbari, quàm abſurdis illis concupiſcentiis ipſi ineluctabilibus; cedere. Quæ cauſa, æquè, ac etiam multo magis, præſenti cauſæ commodat. Optiméque cum ea conſentit, ratio quam ſubiicit Porphyrius, pergens in hunc modum. *Si quis enim inter homines verſans & ſenſus iis obiectis, quæ ad ſingulos referuntur, ſaturans, ſe credat poſſe manere affectibus immotum, neſcit ille ſibi credentes decipiens, quorſum ſua ſponte feratur, & quàm ſit periculoſum, ne præ affectuum multitudine ſuccumbat, cùm ſe à turbis popularibus non ſubmouet. Id ex Platone in Theætete, antiquorum Philoſophorum praxim referente confirmat.*

119 Iuuat & hæc quæ reſeco & anteriora quæ ex parte adduxi, illuſtrare ex D. Hieronymo, cui eam Porphyrij ſcriptionem placuiſſe, multa quæ ex ea variis locis decerpit, teſtatum faciunt. Loco certè quem ſubiicio, apertè profecit ex notata Porphyrij tractatione. Nec in re tam vtili, aut etiam ad formandos mores neceſſaria, timendum eſt, ex earundem rerum expreſſiori repetitione, faſtidium. Quæ ergo proximè ex Porphyrio, partim retuli, partim indicaui, eadem ex D. Hieronymo luculentiùs & illuſtrius tradita accipe ex lib. 2. in Iouinian. [Per quinque ſenſus, quaſi per quaſdam feneſtras, vitiorum ad animum introitus eſt. Non poteſt ante metropolis & arx mentis capi, niſi per portas eius irruerit hoſtilis exercitus. Horum perturbationibus anima prægrauatur, & capitur aſpectu, auditu, odoratu, ſapore, tactu Si circenſibus quiſpiam delectetur, ſi athletarum certamine, ſi mobilitate hiſtrionum, ſi formis mulierum, ſplendore gemmarum, veſtium, metallorum, & cæteris huiuſmodi; per oculorum feneſtras, animæ capta libertas eſt, & impletur illud propheticum: *mors intrauit per feneſtras noſtras*. Rurſum auditus vario organorum cantu & vocum inflexionibus delinitur; & carmine Poëtarum; & Comœdorum, mimorúmque vrbanitatibus. ſtrophis, & quicquid per aures introiens, virilitatem mentis effœminat. Odoris autem ſuauitas, & diuerſa thymiamata, & amomum, & cyphi, œnanthe, muſcus, & peregrini muris pellicula quòd diſſolutis & amatoribus conueniat, nemo niſi diſſolutus negat. Porro ciborum auiditas. quod auaritiæ mater ſit & animum quaſi quibuſdam compedibus degrauatum, in terra teneat, quis ignorat? Propter breuem gulæ voluptatem terræ luſtrantur, & maria, & vt mulſum vinum, pretioſúſque cibus, fauces noſtras tranſeat, totius vitæ opera deſudamus. Tactus autem alienorum corporum, & fœminarum ardentior appetitus, vicinus inſaniæ eſt. Ob hunc ſenſum cupimus, iraſcimur, geſtimus, inuidemus, æmulamur, ſolliciti ſumus, &c, expleta voluptate, per quandam plenitudinem rurſus accendimur; quærimúſque facere, quod cùm fecerimus, iterum pœniteamus. Igitur cum per has portas, quaſi quidam perturbationum cunei, ad arcem noſtræ mentis intrauerint, vbi erit libertas vbi fortitudo eius, vbi de Deo cogitatio? Maximè cum tactus, depingat ſibi etiam præteritas voluptates, & recordatione vitiorum, cogat animam compati, & quodammodo exercere quod non agit?] Non depingit propriè tactus voluptates præteritas: Neque enim ſenſus externi, pollent memorandi facultate, Sed ſenſus interior, per tactum antea perculſus, notas ſenſationis externæ per tactum antea expromptæ, queis obſignatus eſt, impreſſas retinet; earúmque interuentu, anteactam operationem recolit. vnde nouum in tactu incendium, concitatis ex ea recordatione affectibus, ad hos autem ſubſequente corporea commotione prioris germana, tactúmque non diſſimiliter percellente.

Habes ex Hieronymo, quantum pabulum paſſionibus ſubminiſtrent externi ſenſus malè coerciti. Quomodo verò id agnouerint, atque adeo ſenſuum curæ proſpicere, ſolliciti fuerint Philoſophi, continenti oratione, ita demonſtrat [His igitur rationibus inuitati multi Philoſophorum reliquerunt frequentias vrbium, & hortulos ſuburbanos, vbi ager irriguus, & arborum comæ, & ſuſurrus auium, fontis ſpeculum, riuus immurmurans, & multæ oculorum auriúmque illecebræ, ne per luxum & abundantiam copiarum, animæ fortitudo molleſceret, & eius pudicitia conſtupraretur. Inutile quippe eſt crebro videre per quæ aliquando captus ſis, & eorum te experimento committere, quibus difficulter careas. Nam & Pythagoræi, huiuſmodi frequentiam declinantes, in ſolitudine & deſertis locis habitare conſueuerant. Platonici quoque, & Stoici, in templorum locis. & porticibus verſabantur, vt admoniti anguſtioris habitaculi ſanctitate, nihil aliud quàm de virtutibus cogitarant. Sed & ipſe Plato, cum eſſet diues, & toros eius Diogenes lutoſis pedibus conculcaret; vt poſſet vacare Philoſophiæ, elegit Academicam villam, ab vrbe procul; non ſolùm deſertam, ſed & peſtilentem, vt cura & aſſiduitate morborum, libidinis impetus frangeretur, diſcipulique ſui, nullam aliam ſentirent voluptatem, niſi earum rerum quas diſcerent.

Quoſdam

Quoſdam legimus effodiſſe ſibi oculos, ne per eorum viſum à contemplatione Philoſophiæ auocarentur. Vnde & Crates ille Thebanus, proiecto in mari non paruo auri pondere, abite, inquit, peſſum malæ cupiditates, ego vos mergam, ne ipſe mergar à vobis.]

Sequitur concluſio, quam vnam vniuerſa anterior oratio ſpectauit. [Quòd ſi quis exiſtimat, & abundantia ciborum potionúmque ſe perfrui, & vacare poſſe ſapientiæ; hoc eſt, & verſari in deliciis, & deliciarum vitiis non teneri, ſe ipſum decipit. Cùm enim procul ab his remoti, ſæpè capiamur naturæ illecebris, & cogamur ea cupere, quorum copiam non habemus, quanto magis ſi circundati retibus voluptatum, eſſe nos liberos arbitremur? Senſus noſter illud cogitat, quod videt, audit, odoratur, guſtat, attrectat, & ad eius rei trahitur appetitum, cuius capitur voluptate; quod mens videat, & mens audiat, & quod nec audire quippiam, nec videre poſſimus, niſi ſenſus in ea quæ cernimus & audimus, fuerit intentus.] Atque adeo quiſquis affectuum efferatione liber eſſe cupit, & teterrimorum hoſtium violentiæ ſubduci, anteoccupet aditus, per quos in mentis arcem inuadunt: externos inquam ſenſus, omni ſollicitudine muniat.

Mors per ſenſuum feneſtras.

120. Breuiùs, ſed inſigniter quoque S. Ambroſius lib. de fuga ſeculi cap, 1. *Quis inter tot paſſiones huius corporis, inter tantas illecebras huius ſeculi, tutum atque intemeratum ſeruare poteſt veſtigium? Reſpexit oculus, & ſenſum mentis euertit; audiuit auris, & intentionem inflexit; inhalauit odor, & cogitationem impediuit; os libauit, & crimen reddidit; tactus contigit, & ignem adoleuit.* Intrauit mors per feneſtram, *dixit Propheta. Feneſtra tua, eſt oculus tuus. Si videris mulierem ad concupiſcendum, intrauit mors. Si audias ſermones meretricios, intrauit mors. Si luxuria ſenſus tuos capiat, penetrauit mors.* Itaque optimum conſilium auertendis paſſionibus, eſt, claudere feneſtras, & irrupturam alioqui per eas mortem, auertere.

Eò planè reuoluitur ſapientiſſimum Panætij conſilium, Senecæ epiſt. 116. probatum; vt ſcilicet vnuſquiſque, de ſe demiſsè ſentiens non permittat externis ſenſibus functionum ſuarum liberum vſum: Cautè refugiat conſilium confligendi cum affectu malo, atque adeo præcidat ſuccumbendi occaſiones, quandiu ſuis viribus meritò diffidit. [Eleganter, *inquit Seneca*, mihi videtur Panætius reſpondit adoleſcentulo cuidam quærenti, An ſapiens amaturus eſſet? De ſapiente, inquit, videbimus. Mihi & tibi, qui adhuc à ſapiente longè abſumus, non eſt committendum, vt incidamus in rem commotam, impotentem, alteri emancipatam, vilem ſibi. Siue enim nos reſpexit, humanitate eius irritamur; ſiue contempſit, ſuperbia accendimur. Æquè facilitas amoris, quàm difficultas nocet. Facilitate capimur, cum difficultate certamus. Itaque conſcij nobis imbecillitatis noſtræ, quieſcamus. Nec vino infirmum animum committamus, nec formæ nec adulationi, nec vllis rebus blandè trahentibus. Quod Panætius de amore quærenti reſpondit, hoc ego de omnibus dico. Quantum poſſumus nos, à lubrico recedamus. In ſicco quoque, parum fortiter ſtamus.]

Viuendum ſibi coram Deo. Abſterſa fuligo doctrinæ de placendo ſibi.

121. Denique ad interna itidem paſſionum remedia pertinet, quod ab Epicteto his verbis expreſſum eſt, capite toties allegato. *Velis ipſe tibi placere, velis bonus & honeſtus eſſe coram Deo; deſidera purus eſſe, mundúſque, & tecum habitans, & cum Deo.* Doleo tam inſigne monitum, & Chriſtiano quàm Ethnico dignius, conſpurcatum eſſe fœdo illo initio, quo hortatur hominem philoſopha vita, vt velit ipſe placere ſibi. Id quod etiam magno ſibi vſui fuiſſe confirmat lib. 4. cap. 8. *Nitebam*, inquit, *quæcunque facerem, decenter ea me non facere propter inſpectores, ſed propter meipſum. Mihi ſanè ipſi comedebam frugaliter, mihi moderabar oculos, inceſſum; omnia mihi faciebam, & Deo.*

Hoc ſecundum, optimè; primum, peruersè. Nam ſi totius ſanctimoniæ exemplar pro nobis corporatum, non ſibi placuit; non dubium, quin vitio cuiuis planè vertendum ſit, placere ſibi: proindéque malum conſilium eſt, vſurpantíque damnoſiſſimum, velle placere ſibi ipſi. Video accipi illa benignè poſſe in eum ſenſum, vt iubeat Epictetus, hominem ex Philoſophiæ decretis viſa ſua componentem, non à vulgo, cuius ſunt deprauatiſſima iudicia & ſenſa, pendere; tantúmque attendere quid ferant rectæ rationis dictamina, & iudicia vnicuique noſtrum prælucentia. Quia tamen aliud eſt regulis rationis rectæ conformari, quod eſt honeſtiſſimum; aliud ſibi ipſi in ea conformatione placere, eóque referre decus honeſtarum actionum, quæ eſt indigniſſima operum pretioſiſſimorum & nobiliſſimorum depreciatio: præſtat candidè fateri, hominem ex lumine duntaxat naturali, plerúnque pertenui, philoſophantem, ad locum Philoſophis ſemper ſalebroſum ac lubricum, cespitaſſe.

Ad eundem lapidem impegit & Seneca epiſt 113. extrema, ſuadens vt qui proficere vult, & eſſe reipſa Philoſophus, perſpiciat, *Quàm ſacra res ſit Iuſtitia, alienum bonum ſpectans, nihil ex ſe petens, niſi vſum ſui. Nihil ſit illi cum ambitione, famáque: ſibi placeat. Hoc ante omnia ſibi quiſque perſuadeat; me iuſtum eſſe gratis oportet.* Quanquam id quoque confeſtim vtcunque temperat verbis illis. *Parum eſt; adhuc illud perſuadeat ſibi, me in hanc pulcherrimam virtutem vltrò etiam impendere iubeor, vt tota cogitatio a priuatis commodis, quam longiſſimè auerſa ſit. Non eſt quòd ſpectet, quod ſit iuſtæ rei præmium maius, quàm iuſtum eſſe.* Et relabens in eam quam Epicteto dabam expoſitionem, hæc adiungit. *Illud adhuc tibi affige, quod paulo ante dicebam: nihil ad rem pertinet, quàm multi æquitatem tuam nouerint. Qui virtutem ſuam publicari vult, non virtuti laborat, ſed gloriæ. Non vis eſſe iuſtus ſine gloria? At mehercules ſæpè iuſtus eſſe debebis cum infamia. Et tunc ſi ſapis, mala opinio benè parta delectat.* Vides, in ſimilia Senecæ verba, quibus monebat vnicuique curandum eſſe vt ſibi placeat, aptiùs cadere benignam interpretationem, quam adhibebam eidem apud Epictetum monito.

Velle ſibi, coram Deo, viuere, quantum.

122 Itaque deterſa illa initiali, traditi ab Epicteto inſignis moniti fuligine, reliquum amantiſſimè exoſculor. Quid enim auditu aut lectu honeſtius, quàm vt velit quis honeſtus, & mundus ac purus eſſe, idque coram Deo? Vt ſecum habitare, & coram

coram Deo velit? In hoc plurimum eſſe dixit Seneca epiſt. 34. vt velit quis bonus eſſe, & nitere animo. *Non ſic quomodo principia, totius operis dimidium occupare dicuntur, ita res animo conſtat, Pars magna bonitatis eſt, velle fieri bonum.* Secum porro habitare, quod Satyricus etiam monuit, & in externa non effundi; aliis ignotum viuere, (ſi res ferat,) notum ſibi; inuigilare ſibi, de cæteris minus ſollicitum, quod proprie eſt ſecum habitare, hoc verò quantum eſt, quamque accommodatum ad coërcendos animi motus, obſtruendóſque paſſionum in nobis fontes! E contra verò, ſui excubias omittere, & negligenter in hanc curam incumbere, in alias intentum, aut ab aliis quibuſuis ignaua tranquillitate ſecedentem, affectus animi ſupra modum afferat. Notatum id inſigniter eſt à S. Baſilio in conſtit. Monaſt. cap 3. *Animus*, inquit, *quicunque mentem ſuam peruigilem, & in actionibus rectis aſſiduè occupatam detinuerit, is & in his, quas dixi contemplationibus verſabitur, & huiuſmodi exercitatione conſuetudinéque, mores ſuos ad æquitatem, ad iuſtitiam, modeſtiámque ac tranquillitatem componet, atque perpoliet. Idem verò vbi mentem agitare deſtiterit, & in res cognitione dignas extendere; extemplo. veluti in portum, proterui, atque canes abſente moderatore, ex diuerſis partibus, libidines corporis foras ſe dant, & vehementer in ipſum oblatrant, & variis modis dilacerare conantur. Quippe videlicet cum earum ſingula, vitalem pro ſe quæque illius vim, ad ſe rapiant.* Subdit pluſcula de duplici animæ vi; vitali nimirum, & rationali. Huic aſſignat liberam virtutum exercitationem. Priori, inferiora quæ in homine ſunt omnia, ſiue ad ſenſum, ſiue ad vegetationem pertineant. Tum ſubdit. *Quamobrem qui animus, vim illam contemplatricem, ſiue rationalem, ita inſtituerit, vt aſſiduè peruigil ſit, (vt ait Propheta,* Neque dormitabit qui cuſtodit te, *) dupliciter is vitioſos corporis motus conſopit ac tranquillat. Siquidem & ſe, in rebus potioribus ſibique affinibus inquirendis occupat, & motus corporis ſui conſ ſaneos obſeruans, cohibet atque compeſcit. Si verò quod ignauiæ ſe dediderit, vim contemplatricem deſidem torpere paſſus ſit, etiuſam iisdem vitalem vim nacta libidines corporis, partiteque nullo moderante, prohibentéve, animum ad ſuos appetitus ac functiones pertrahunt. Ex quo intelligi poteſt, affectiones corporis tunc eſſe violentas, quotieſcunque ratio, quæ in nobis eſt, ceſſat: eaſdem illa moderante, & imperium ſuum exercente. facillimè obtemperare,*

Habitat denique ille ſecum, qui vires ſuas æſtimat, & paſſionis, ni per vecordiam noſtram gliſcat, imbecillitatem agnoſcit. Præſertim quia quamuis paſſiones plurimæ ſint numero; tamen non nos ſimul omnes impetunt. ſed aliæ, alia ætate. In quo diuinæ prouidentiæ luculentum argumentum expendit Diuus Chryſoſtomus homil. 29. in acta, *in morali.*

Alter ordo generalium ſubſidiorum ad paſſiones frænandas, ſiue externorum.

113. Quæ ſequuntur paſſionum reprimendarum generalia remedia, ab Epicteto ſuggeſta eodem capite, poſſunt externa vocari, quod ad aliquid extrinſecum habeant reſpectum. Taléque in primis eſt, quod ex Platone proponit, de orando numine ad incurſum paſſionis & viſi, quo recta ratio periclitetur. Itémque de expianda conſcientia anterioribus ſordibus, vt deprecatio fuſa de corde puro, acceptior ſit Deo, faciliórque & expeditior ſit, quæſita mali impendentis auerruncatio. Eodem ſpectat illa Dei memoria, quam rurſus commendat ſub finem capitis. *Memineris*, inquit, *Dei, Illum inuoca auxiliatorem, & tanquam præſidium vt ſolent nautæ, quum in tempeſtatibus inuocant Caſtorem & Pollucem. Nam quæ periculoſior poteſt exiſtere tempeſtas, quàm quæ exiſtit è vehementer impellentibus nos viſis, ac ſanam rationem profligantibus? Ipſa enim tempeſtas, quid aliud eſt quàm phantaſia?*

Præclarè Maximus Tyr. diſſert. 22. num. 130. & auxilium, quod ad moderandas paſſiones à Deo accipimus, & eius neceſſitatem ac fructum, ad hunc modum exponit. *Quæ naturam meliorem ſortita ſunt animæ, in medio ſummæ virtutis, ſummæque improbitatis conſtitutæ, auxilio ſubſidióque Dei opus habent? qui ad alteram illam meliorem partem, ducat eas ac impellat. Nam vt facilè in deteriorem labantur ſemitam, ab innata ſibi infirmitate habent, quæ probis etiam animis. voluptatum cupidinúmque illecebris abblanditur, ſecúmque in eaſdem flagitiorum vias abripit. Et hoc eſt cur illud ex I ne audias.*

Eheu quam falſis accuſant numina dictis.
Adſcribunt ſuperis homines mala: cum tamen ipſi
Criminibus propriis, ſibi talia damna crearint.

De bonis verò hominibus nihil tale ex ipſo audies. Nunquam probitatis illorum cauſam ſe eſſe negat? nunquam eam aliis adſcribit, ſed omnia contra.

2. *Dei memoria; & contuitus ſemper, ac vbinis.*

114. Non nego tamen, quin poſſit etiam aliter accipi ea Dei memoria, quam frænandis paſſionibus indicit Epictetus. Obiectus enim numinis; & Dei omnia contuentis, attenta & non dormitans conſideratio, mirum quantæ ſit efficacitatis, ad reprimendam paſſionum licentiam, auertendúmque à nobis, quicquid ab honeſto, & rationis regulis exorbitat. Et idcirco ipſe Deus in ſacris literis, quod Philo optimè expendit, homini quem ad omnem virtutis eminentiam erectum volebat, præſcribit, *ambula coram me.* Philonem & alios, in hanc rem laudabo, tradens generalia ſubſidia declinandæ prauitatis moralis, & virtutis amplectendæ. Nunc vnum aut alterum profero. Optimè omninò S. Baſil. reg. 27. breuiore. *Si hominis præſentia eo vſque vales, vt qui in æquali naturæ conditione conſtitutus ſit, propter dignitatis tamen excellentiam, turbatum alicuius animi motum poſſis comprimere, quo non tandem hoc facilius futurum exiſtimandum eſt, ſi alicui perſuaſum eſt, Deum cogitationes omnes ſuas inſpicere? Siquidem longè melius, qui ſcrutatur corda & renes Deus motiones animi peruidet, quam homo ea quæ oculis ſubiecta ſunt* Idem coërcendorum affectuum remedium, eodem ſubditi coram Principe verſantis exemplo, confirmauerat ibid. reg. 29.

Ipſe porro Deus, hunc ſui contuitum in ſuis quàm ſtudioſiſſimè promouet, eos ſurſum alliciens, abſtrahénſque à cœno cui hominem infigunt paſſiones: quod & Dei in nos charitati accommodatiſſimum, eidémque perhonorificum & facillimum, nobis vtiliſſimum eſt. Audiatur Philo lib. de plantatione Noë. Præmiſſo enim exemplo oculorum, qui viſus facultate, corporea licet, præditi; volucres (vt ait,) efficiuntur, & à tergo relictis inferioris mundi terminis ad cœlum vſque efferuntur: Statuit idem omnino oculis animæ poſſe accidere per collatas à Deo ſuppetias: Poſſe inquam illos ſubuehi ad Deum vſque, attrahente ipſo Deo. *Fas eſt enim ad Deum ſurſum vocari eos, qui ab ipſo inſpirati ſunt. Mirum enim ſi turbines procellæque, arbores ſtirpitùs rapiunt in aerem; & nauigia decem millium amphorarum capacia, mercibus onuſta, quaſi leuiſſimum aliquid. ex alto mari auferunt; & ſtagna fluminàque. in ſublime abeunt, in gremio terræ fluentis deficientibus. quæ exhauſerunt*

ventorum vehementes multiplicéſque vortices: Omnipotentis verò Dei ſpiritu, inferna hæc omnia ſuperante, mens ſuapte natura leuis, non fit leuior & ad ſummam altitudinem attollitur, præſertim hominis germanæ Philoſophiæ dediti. Hæc enim non vergit deorſum ad res terræ gratas & corpori, à quibus quàm longiſſimè conatur diſcedere: ſed ſurſum fertur, vt inſatiabilis amatrix ſacrarum feliciúmque naturarum ſublimium.

3. *Anteriorum illuſtrium exemplorum, attenta inſpectio.*

125. Secundùm Deum, in illuſtrium quoque virorum anteriora exempla intendendum eſſe, ita iubet Epictetus. *Ad illud quoque conduxerit, ſi ad præſtantium virtute eximia virorum conſuetudinem deflexeris, & te ad illorum exempla conformaris, ſiue ſuperſtitum adhuc, ſiue olim vita functorum quempiam habueris. Accede Socratem, & conſidera ipſum.* Quod ait, de Socratis caſtimonia illi conſideranda, qui ferocientem ea in parte appetitum expertus fuerit; ad inſignia exempla aliorum, qui in aliis itidem paſſionibus coërcendis, ſpecimen erectæ mentis præbuerint, transferendum eſt. Vt ſi iræ immoderatio reprimenda ſit, obiicienda animo, mititas eiuſdem Socratis. Si gloriæ appetentia vltra recti fines progrediens, ſpectanda eiuſdem animi demiſſio, & ita in ſimilibus. Vt enim ait Auguſtinus epiſt. 202. cogebantur Ethnici, hominum potiùs ſapientum, quàm Deorum ſuorum tot flagitiis inquinatorum, exempla proponere. Sed nos Chriſtiani, humilibus his nec admodum ſynceris virtutum exemplis nequaquam indigemus, quibus defœcatiſſimæ, ſolidæque virtutis, in omni genere, tanto illuſtriora exempla ſuppetunt, quàm ſint hæc philoſophica, & quæuis apud Ethnicos celebrata; quanto verius eſt in luce Chriſtianæ veritatis & ſanctitatis, quàm in Ethniciſmo honeſti ſtudium.

Vniuersè itaque tantùm dico, dimiſſis exemplis ſingularibus Ethnicorum, rectè S. Iſidorum Peluſ. l. 4. epiſt. 174. ex eo capite maximè commendaſſe commemorationem illuſtrium virtutis operum ab aliis editorum, quòd ſint præſentiſſima morborum animi remedia. Rectè item Maximum Tyr. diſſert. 37. num. 215. ex eo nominatim capite animare generoſam mentem, ad ſtrenuè certandum in hac pugna aduerſus paſſiones, quòd id aliis pleriſque imitatione expreſſuris, futurum ſit conducibiliſſimum. laudat hoc certamen ex multis capitibus. [Quod hîc nec mala, nec oleaſter proponitur, ſed aliud præmium: quòd ſi pulchritudinē venereare, magis expetendum. ſi ſpectatorum commodum, magis ſit vtile, quod poſtremò vitam dicentis efficaciùs commendet. Tempus certaminis huius, & locus non vnus eſt, & ſæpè ex improuiſo indicitur: in quibus tota ſua ſponte conuenit Græcia, non vt oculos paſcat, nec voluptatis ſpectantùm, ſed virtutis, quod meo iudicio, bonum animæ eſt proprium, quam voluptas vlla. Illud præterea videbis; ad reliqua, quæ robore aut arte corporis conſtant certamina. nullum eo animo venire ſpectatorem, vt imitari id quod agitur, aut ſequi velit. Sed ex alienis ibi voluptatem oculorum aucupamur laboribus, nec in mille vnum inuenias ſpectatoribus, qui eorum optet eſſe è numero, qui medio in ſtadio puluere fœdantur, aut currunt, aut premunt, aut premuntur, aut vapulant; niſi anima fortaſsè quædam ſit degener, tantúmque ſeruilibus nata miniſteriis. Hic verò, tanto hoc certamen illo liberalius eſſe indico, hos labores illis vtiliores; tanto hoc magis, quàm illo ſpectatorem affici; vt non facilè reperiri aliquem ex illis poſſe putem, qui non certare malit, quàm ſpectare.]

Itaque vt rectè ait Seneca de tranquillitate animi c. 3 *Nunquam inutilis eſt opera ciuis boni. Auditu enim, viſu, vultu, nutu, obſtinatione tacita, inceſſuque ipſo prodeſt. Vt ſalutaria quædam citra guſtum tactúmque odore proficiunt: ita virtus vtilitatem etiam ex longinquo & latens fundit, ſiue ſpargitur, & ſe vtitur ſuo iure, ſiue precarios habet exceſſus, cogitúrque vela contrahere: ſiue otioſa mutáque eſt, & anguſto circumſcripta, ſiue adaperta, in quocunque habitu eſt, prodeſt.*

4. *Conuictus eorum qui ſubactis ſint paſsionibus.*

126. Tandem quod ſubiiciebat Epictetus, de conſuetudine præſtantium virtute virorum, quique indomitarum paſſionum æſtibus abripi non ſoleant; & conſequenter de declinando conuictu eorum, qui iis paſſionibus licentius indulgeant, quas exercitas & repreſſas velimus incredibilem omnino vim habet ad eam quam hic quærimus; paſſionum moderationem quod mira omnino ſit in omnem partem, vis conſuetudinis mutuæ, multóque magis impellant viua exempla, quæ conuictu illo exhibentur, quàm antiqua & exoleta, cùm vel lectione, vel commemoratione recoluntur. Optimè in hanc ſententiam Seneca 3. de ira c. 7. *Sumuntur à conuerſantibus mores. Et vt quædam, in contactos, corporis vitia tranſiliunt, ita animus mala ſua proximis tradit. Ebrioſus, conuictores in amorem vini traxit, Impudicorum cœtus, fortem quoque & ſilicem virum emolliit, Auaritia in proximos virus ſuum tranſtulit. Eadem ex diuerſo ratio virtutum eſt, vt omne quod ſecum habent, mitigent. Nec tam valetudini profuit vtilis regio, & ſalubrius cœlum, quàm animus parum firmus, in turba meliorum verſari, Quæ res quantum poſſit, intelliges, ſi videris feras quoque conuictu noſtro manſueſcere, nullique immani beſtia vim ſuam permanere, ſi hominis contubernium diu paſſa eſt Retunditur omnis aſperitas, paulatimque inter placida dediſcitur.* Et libro de tranquill. animi c. 15. *Conuerſatio diſſimilium benè compoſita diſturbat, & renouat affectus; & quicquid imbecillum in animo, nec percuratum eſt, exulcerat,*

De vtiliſſima ad vitam conformandam, & domandos affectus, conuerſatione viri probi, ita pulchrè S. Ambroſius 1. offic. c. 43. *Sequitur conuerſationis electio vt ad iungamur probatiſſimis quibùſque ſenioribus Namque vt æqualium vſus dulcior, ita ſeniorum tutior eſt qui magiſterio quodam & ductu vitæ, colorat mores adoleſcentium & velut murice probitatis inficit. Namque ſi hi qui ſunt ignari locorum, cum ſolertibus viarum iter adorire geſtiunt, quanto magis adoleſcentes, cum ſenibus debent nouum ſibi iter vitæ aggredi, quo minùs errare poſſint, & à vero tramite virtutis deflectere? Nihil enim pulchrius, quàm eoſdem, & magiſtros vitæ, & teſtes habere.* Proptereàque Antiſthenes, vt eſt apud Philonem libro quòd omnis probus liber, aiebat, virum bonum improbo qui cum verſatur, moleſtam eſſe ſarcinam, quia exemplo vitæ ſuæ ac moderationis affectuum, eum perpetuò lancinat. Eadémque ex cauſa, S. Chryſoſtomus homil. 43. in Geneſ. viros bonos, eſſe *ciuitatum fermentum* pronunciat, quod pulchrè iterat, orat. de Sancto Euſtathio *in fin.* & ſermone contra ignauiam, init.

127. Et è contra, eodem monente Philone lib. de præmiis *non multùm ab initio*, nihil adeo periculoſum ei, qui paſſiones ſuas domare vult: præſertim ſi priùs licentiùs ferebantur, quàm conuictus vulgi, in quo feruet æſtus paſſionum. Hæc eſt Philonis oratio. [Si ex animo decreuit homo, affectibus & perturbationibus omnibus ſuperior euadere,

contemptis

contemptis concupiſcentiis ac voluptatibus, expediat ſe, fugiatque continuato curſu, familiam, patriam, cognatos, & amicos pariter. Nam conſuetudo, vim attrahendi habet, vt timendum ſit, ne hac captus hæreat, incluſus tanta illecebrarum multitudine, quarum imaginationibus, excitantur ſopita iam rerum turpium ſtudia, refricata memoria rerum, quas præſtabat obliuioni tradere. Sic enim multis accidit, vt peregrinando ad ſanam mentem redirent, excuſſis præferuidis amoribus; poſtquam aſpectus, repræſentare imagines voluptatis deſiit. Nam ſublatis irritamentis, per inane incedit cogitatio. Quin & poſt migrationem, ſatius eſt vitare ſodalitia, & amare ſolitudinem. Nam & apud exteros præſto ſunt laquei, ſimiles domeſticis, in quos neceſſe eſt incidere, ſi quis ſit improuidus, & delectetur multorum conſuetudine. Vulgus enim eſt enorme; inconditum, immodicum, culpabile; cum quo verſari, tendenti ad virtutem non expedit. Sicut enim à longo morbo ſe colligentium corpora, leui momento relabuntur in deterius: ita quorum anima nunc primùm ſanitatem recipit, nutat mente inualida: vt timendum ſit, ne in morbum recidat, irritamentis ex incauto conuictu accedentibus.]

118. Eandem doctrinam, alia pereleganti comparatione, illuſtrat ſimul ac firmat S. Baſilius q. 55. breuium regul. primùm quidem in ſpeciali affectu appetitus propriæ excellentiæ: Tum vniuersè, & quoad omnes immoderatos affectus. Sic enim ſcribit. *Illud intelligendum eſt, vt quis ſuperbiæ iudicium extimuerit, non poſſe tamen ab eo morbo ſanari, niſi ſe à ſtudiis omnibus excellentia reliquorum auocauerit: quemadmodum idioma quoduis aut cuiuſuis generis artem, nemo poſſit dediſcere, qui non ſe prorſus remouerit, non modò à faciendis, aut loquendis rebus illis, quæ ſint ex arte iſta & lingua, ſed ab audiendis etiam qui loquantur, & qui faciant aſpiciendis. Quod quidem etiam in quouis alio vitio obſeruari debet.* Pythagoras interprete Plutarcho l. de lib. educatione, hanc ipſam ob cauſam, vetuit guſtandum ex iis, quibus nigra cauda eſt: hoc eſt, conuerſandum cum iis, qui moribus ſunt nigris, ne fuligo nobis inde affricetur. Confirmátque id Plutarc. addito eò apud veteres effato, quod Pindarus etiam vſurpauit. *Si iuxta claudum habitaueris, diſces & tu claudicare.*

Extrinſeca in rem noſtram remedia, Epicteto intacta, dimittuntur; vt pharmaca.

Alia quædam extrinſeca paſſionum comprimendarum adiumenta, quòd multo magis extrinſeca ſint, nec ad moralem Philoſophum ſpectent, prætermiſſa ab Epicteto ſunt, & mihi omittenda hoc loco videntur. Tale eſt quod de vſu pharmacorum, ad eductionem humoris in corpore ſtabulantis, ad concitandum paſſionis alicuius æſtum accommodati, traditur à Nemeſio libr. de homine cap. 17. Sic balneum Græcè βαλανεῖον, ab animæ alleuatione ab affectibus, dictum notat S. Auguſtinus 9. Confeſſ. cap 12. Quòd ſi pharmacum, acuendo & expediendo ingenio, remotis phantaſiæ, intellectum in operando aſſectantis, impedimentis, deſeruire poteſt. vt probat factum Carneadis apud Agellium l. 17. cap. 16. quidni conſequenter, ad affectuum quoque mitigationem, eſſe vſui poſſit ea morboſi humoris affectum fouentis eductio per pharmacum?

Et concentus Muſicus.

129. Simile etiam, vel affine eſt, quod de concentus & muſicæ vſu, ad affectuum ſedationem & mitigationem, docet experientia. *Muſica*, inquit Dio Chryſoſt orat. 32. *propter curationem humanarum inuenta videtur affectionum; & maximè vt in rectum conuertere poſſit ſtatum animos ſæuitia ac feritate affectos. Ob hanc rem & Philoſophorum quidam, ad lyram ſemetipſos componebant matutini, ita ceſſare facientes ex ſomniis collectam perturbationem. Quin etiam Diis cum cantu ſacrificamus, vt compoſiti & moderati ſimus. Alius rurſus modus eſt, tibia & cantus in luctibus, quo videlicet, (opinior,) affectionum aſperitas duritieſque paſſionum ſanetur; mæſtitiáque, mollior efficiatur per cantum occultum cum luctibus. Quemadmodum medici inflammata vlcera madefacientes, emollientesque, dolorem ceſſare faciunt. Non minùs & in conuiuiis viſa eſt decere Muſices potentia, inducens animis harmoniam, ordinémque voluntarium; & lubricam vini delectationem, cum cognata conſocians potentia, vt illi commixta, concinnum fiat moderatúmque conuiuium.* Agnoſcis Muſices efficacitatem in caſtigatione & retuſione paſſionum, Vt proinde non ad eas tantum concitandas, quod num. 71. docui, ſed etiam ad cohibendas valeat, vt nunc affirmo. Et ſanè Pythagoram, ad ſedandas paſſiones, lyram adhibuiſſe, teſtatur Seneca 3. de ira cap. 9. & Plutarchus l. de virtute morali. Iamblicus item hæc de eo in vita. *Dicitur Pythagoras ſpondiaco rythmo per tibicina extinxiſſe Tauromenitani pueri furentis rabiem nocte irruentis ad amicam à riuali poſſeſſam, & fores domus incenſuri. Sic & Empedocles pacauit muſica furorem adoleſcentis, qui ſtricto enſe, Anchitum hoſpitem Empedoclis perſequebatur occiſurus. Hic Empedocles in mouendis ſoro & concentu præcordiis, & quo voluit flectendis, illuſtriſſimus inter omnes Pythagoreos extitit.*

Accuratè quoque id docet Ariſtoteles 8. Polit. vbi cum capit. 5. latè probaſſet ex muſica concitari affectus, poſtmodum cap. 7. docet quoque, affectus mitigari, & reduci ad debitam temperiem, interuentu concentus. Quæ ita accepit Scaynus, in notis quas paraphraſi ad libros Politicos ſubiunxit lib. 8. cap. 7. vt quemadmodum rheubarbarum bilem purgat, diſpoſita, & aptata ea materia ad eductionem, quæ mox conſequitur interuentu pharmaci, cum bile analogiam & ſympathiam habentis: ita concentus, concitato ingenti affectu, humores vnde affectus efferueſcunt adeo incendat & commoueat, vt neceſſariò ſequatur eorum extruſio, & euacuatio aliqua: vnde leuamen corporis, & affectuum inde incenſorum mitigatio. Verùm hæc ad fabuloſa accedunt. Quis enim eam humorum noxiorum per concentum eductionem, eámve corporis incenſionem animaduertit, cùm tranquillatur per muſicam animus, antea commotus & feruens? Itaque ſiſtendum hîc quoque eſt in ſympathia, de qua ſuprà cum de exortu affectuum ex muſica. Quàm tamen, aduerſus inuitos impotens ſit muſica, docet Iſid. Peluſ. libr. 4. epiſt. 194.

QVÆS

QVÆSTIO II.

Sigillatim de paſſionibus quæ ad appetitum concupiſcibilem pertinent.

130. CVR ab his paſſionibus, particularem paſſionum tractationem auſpicer, perſpicuum eſt ex quæſt. præcedenti art. 3. Vnde etiam conſtat, inter has paſſiones agendum priore loco eſſe de illis quæ feruntur in bonum, quàm de oppoſitis, quæ verſantur circa malum: hoc eſt, de amore, deſiderio, & gaudio. Singulis ſubnectemus quæ ſpectant ad oppoſitas eiuſdem appetitus paſſiones, occupatas circa malum; hoc eſt, odium, fugam, triſtitiam: quòd oppoſitorum eadem ſit ſcientia, & paſſiones, quæ in malum feruntur, ab iis dimanent quæ circa bonum diſtinentur: proindéque intelligantur omnes ſubſequi immediatè paſſionem, quaſi antiſtropham: hoc eſt, odium, amorem: fuga, deſiderium: triſtitia voluptatem, ſeu gaudium. De ſingulis porro paſſionibus, vt ordinata, nec infinita ſit tractatio, explicanda videntur, primò natura & diuiſio: ſecundò cauſæ & effectus: tertiò remedia ſpecialia: quæ tamen quod ex virtutibus circa paſſiones occupatis petenda ſint, breuiùs hîc attingenda, & interdum non niſi recolenda erunt ex ea tractatione.

ARTICVLVS I.

De Amore.

PHiloſophos iubet S. Auguſtinus 14 Ciuit. cap. 7. vtrum vel qua ratione, voces *amoris*, *delectationis*, & *charitatis*, ſecernendæ ſint, conſiderare. Quòd enim Origenes homil. 1. aut vt alias inſcribitur, prologo in Cantica, quem ſeculares literæ amorem vel cupidinem nominant, dilectionem tantùm vel charitatem, in ſcripturis appellari ſcripſiſſet, *ne lapſus*, vt ait *aliquis legentibus ſub amoris nomine naſceretur*; qualem ex Philoſophorum ſcriptis de amore, natum pleriſque memorauerat: Idcirco præmonendum cenſuit S. Auguſtinus, ſcrupuloſam illam vocum prædictarum diſtinctionem, & Philoſophis, quos poſtea ibid. refert, & ſacris etiam literis fuiſſe incompertam. Quod etiam, relata ſubtili quadam D. Thomæ circa eas voces diſquiſitione, notauit Gabriel in 3. d. 27. quæſt. vnica *litera F*. Itaque ſiue amorem, ſiue dilectionem, ſiue charitatem, quis dixerit, perinde eſt. Actus enim de quo agimus, poteſt non abſurdè, omnibus illis appellationibus inſigniri. Tametſi conſtat, amoris vocem, eſſe communiorem, præſertim inter Philoſophos, ideóque eam potiùs vſurpabimus.

Quidditas amoris, velle bonum alicui.

131. Vt autem amoris naturam primò inueſtigem, communis hactenus & peruulgata ſententia fuit, quam Ariſtoteles 2. Rhet. cap. 4. tradidit, amorem eſſe, boni alicui volitionem. Agimus enim hîc duntaxat de amore animali, aut etiam rationali; quorum vterque, actus quidam elicitus eſt, non autem de eo amore, quem S. Dionyſius de diuin. nomin. capit. 4. ex Hierotheo præterea diſtinguit, appellátque naturalem: qui non eſt actus elicitus alicuius facultatis, ſed naturæ propenſio, & veluti pondus in aliquid. Sic lapis centrum amare dicitur, & ignis ſuperiorem locum, iuxta illud D. Auguſtini 11. Ciuit. cap. 28. *Amores corporum, momenta ſunt ponderum*, ſiue deorſum grauitate, ſiue ſurſum leuitate nitantur. Alia ex Boëtio in eam ſententiam profert, pluribúſque illuſtrat Gabriel in 3. diſt. 27. quæſt. vnica *litera A.* & Franciſc. Picus lib. 1. de propria & Chriſti morte cogitanda cap. 1.

De hoc igitur amore, nunc non diſputamus: quia cùm non ducatur cognitione, nec ſit vllius facultatis actus elicitus, non poteſt inter motus appetitus, ſiue ſenſitiui, ſiue rationalis numerari. Sed agimus de illo amore, quem S. Dionyſius ſupra, nominat animalem, eſtque functio appetitus ſenſitiui: Itémque de proportionali amore, qui in voluntate ſuperiori cernitur, & ab eodem D. Dionyſio, appellatur ſpiritualis; quorum vterque ſubordinatur alicui notitiæ, eſtque actus elicitus facultatis alicuius appetentis. Proindéque ſumpta paulo latiùs, vt ſæpè aliàs, voce voluntatis & volitionis, rectè cadit in omnem huiuſmodi amorem, definitio illa Ariſtotelica; *Amor eſt volitio boni alicui.* Quam definitionem D Thomas 1.2. quæſt. 26. art. 4. & omnes, hactenus pro quidditatiua & formali habuerunt. Et meritò, cum nihil prius in hoc affectu & actu concipi queat.

Noua ſententia, amoris quidditatem ſtatuens in vnione affectiua, tanquam in ratione priori.

132. Eſt tamen qui anteriorem aliquam rationem in amore agnoſcat; & hoc quod eſt velle bonum, non niſi pro prima amoris proprietate habeat. Ita Granado 1. p. tract. 6. diſp. 1. ſect. 1. qui vt illam amoris rationem primam aſſignet, præmittit ex D. Dionyſio capit. 4. de diuin nom. vel potiùs ex Hierotheo, cuius verba refert Dionyſius, amorem eſſe vim quandam coniungentem & miſcentem; quæ ſuperiora quidem impellit vt inferioribus proſpiciant & conſulant. paria autem, vt inter ſe ſocietate iungantur; ac denique inferiora, vt ſe conuertant ad ſuperiora. Dixerat item ex ſuo ſenſu ipſe D. Dionyſius eodem capite, amoris actum ſ vim habere faciendi vnum & colligandi, præſtanti que modo res inter ſe miſcendi. Conſonátque D. Auguſtinus 8. Trinit. capit. 10. verbis illis. *Quid eſt amor, niſi quadam vita, duo aliqua copulans vel copulare appetens; amantem ſcilicet, & quod amatur?* Alludit ad Græcam notationem, qua vt habetur in magno Etymologico in voce ἔρως, amoris nomen ductum eſt ἀπὸ τοῦ εἴρειν, à copulando & nectendo, quòd animas deſideriis & affectu, quaſi laqueo implicet & vinculet.

Idem ex Ariſtophane, adducto perelеganti apologo duorum dimidiorum, iungi iteratò affectantium, tradit Plato in ſympoſio, qui refertur etiam & approbatur ab Ariſtotele 2. Polit. cap. 2. & à Syneſio epiſtol. 1 9. & 151. Pulchre item in hanc rem Themiſtius orat. 3. *Si iſtud, inquit, dixero, dextram iniicere, & eius quem captamus manum prehendere, aut digitum premere futuræ amicitiæ aculeum quendam, ac ſtimulum immittere; ridebunt me, probè ſcio, atque anguſte, ieiunéque diſputare me nimium, dicent. Ego verò patres ipſos video cùm puerulos vehementiùs complectuntur, præ immoderato affectu eò redigi, vt eos verberent identidem ac mordeant. Videtur enim iſtud omne, quoddam mentis indicium eſſe, quæ cum eius qui amatur anima coniungi, ac copulari magno cum impetu geſtiat. Pro eo vero quod cum ea*

conglutinari per ſe nequeat, in corpus ipſum deferatur.

Quid verò aliud fert ea reſponſio, qua Ariſtotelem, interrogatum quid amicus eſſet, repoſuiſſe ferunt, eſſe vnam animam duobus corporibus incluſam? Ita Laertius lib. 5. in Ariſtotele. Quod approbaſſe videtur S. Auguſtinus 4. confeſſ. cap. 6. vbi deflens præproperum amici interitum laudat, illud Horatianum, de Virgilio; *dimidium animæ meæ* quod experimento ſuo firmans, ait, ſenſiſſe ſe animam ſuam, & animam illius, vnam fuiſſe animam in duobus corporibus: Et ideo horrori ſibi fuiſſe vitam, quia nolebat dimidius viuere, & ideo fortè metuebat mori, ne totus ille moreretur quem multùm amauerat. Hæc poſtrema veluti molliùs pro Epiſcopo dicta, caſtigat 2. Retract. cap. 6. Non negat tamen quin amoris vis, rectè explicetur, per eam duarum animarum vnitatem in eodem corpore. Idipſum Sidonius l. 9. epiſt. 5 aliis verbis expreſſit cui amici, ſunt, *Animæ duæ animus vnus.* Id quod etiam pulcherrimè tradit Ruricius Epiſcopus lect. 2. epiſt. 1. Tullius item vltimum in amicitia ſtatuit, vt vnus fiat ex pluribus. Docent hoc etiam, qui vt Petronius ſcribit, *Transfundunt hinc & hinc labellis,*

Errantes animas.

Oſculum enim, conuenientes animas, & coniungi affectantes ſignificat, Ideóque peregrè aduenientibus exhibetur, ait S. Chryſoſt. ſerm 30. in 2. Cor. Diſſerit fusè de hac per amorem vnione Richardus Victorinus lib. de gradibus charitatis capit. 4. monſtrans bellè cadere in amorem quod eſt apud Eſaiam capit. 41. *Glutino bonum eſt*, ac proſequens triplicem nexum quo vinculum hoc perfectiuus idest perfectiſſimum vinculum iungit ac nectit quos attingit. Denique eandem quoque vnitiuam vim amoris agnoſcunt Plotinus enneade 6. l. 7. cap. 34. Sanctus Maximus Centuria 5. ex variis capit. 90. & ex recentioribus latè Leſſ. l. 2. de ſummo bono à num. 91.

133. Ex his ergo colligi videtur quod autor prædictus affirmat: Nempe amorem propriè loquendo, eſſe vnionem affectiuam amantis ad rem amatam, vt D. Thomas etiam docuit. 1. 2. q. 28 art. 1. vbi *in corpore*, docet amorem fundari in quodam genere vnitatis, per cognitionem apprehenſæ, inter amantem & amatum. Quod enim amatur amore amicitiæ, apprehenditur vt aliquid idem cum amante: Quod autem amatur amore concupiſcentiæ, apprehenditur vt aliquid pertinens ad bonum eſſe amantis, atque adeo vt aliquid ſui. Vnde infert. D Thomas, amorem formaliſſimè conſiſtere in ea vnione affectiua, ſiue complacentia amantis ad rem amatam, tanquam ad aliquid vnum cum ipſo. vel pertinens ad id quod ipſe eſt vt perſpicuè etiam tradit *in ſolutione ad 2.* & Ferr. 2. contra Gentes c. 91.

Ex hac vnione affectiua, pullulat deſiderium vnionis realis; & iuxta autorem, cuius ſententiam excutiendam ſuſcepimus, pullulat quoque ex ea, volitio boni, proportionata vnioni affectiuæ: Ita ſcilicet, vt ſi hæc vnio ſit perfecta & efficax, aſſectetur eam voluntas efficax boni perſonæ amatæ: Sin minùs, inefficacem ſaltem boni volitionem adiunctam habeat. Similiter Scaliger exercit. 301. numer. 1. amorem formaliter & quidditatiue, ait definiri affectum vnionis: Et idem latè confirmat Ioannes Aubery in antidoto amoris, *non longè ab initio.*

Improbatur.

134. In hac doctrina non placet quod vnio affectiua ſecernitur à volitione boni; & tanquam ratio aliqua anterior proponitur; cum tamen ſint formaliſſimè vna & eadem, ſitque hæc aperta mens S. Thomæ, qui & 1. 2. q. 26. art. 4. & 1. p. q. 20. & alibi frequenter, amorem definit volitionem boni: hancque arbitratur eſſe formalem & quidditatiuam amoris definitionem. Vnde niſi velimus hæc eius loca, collidere cum proximè citato, quo ſtatuit amorem eſſe formaliter vnionem affectiuam; admittendum eſt, apud eum, idem omnino eſſe, velle alicui bonum, & vniri illi per affectum. Quid expreſsè etiam tradere videtur idem S. Thomas q. illa 26. art. 2. ad 2. Omnino igitur exiſtimo, nihil eſſe in amore anterius volitione boni. Nam vt rectè ratiocinatur Gabriel. in 3. d. 27. q. vnica *littera B.* amor eſt eſſentialiter volitio quædam; eſtque ea generica ratio, omnium prima, in amore. Nemo enim ad aliud genus entium referre poſſit amorem; quàm ad genus actuum voluntatis, vt benè vidit Scotus in 2. d. 6. q. 2. *littera A.*

Si igitur amare ex genere ſuo primo, eſt velle & appetere; appetitio autem & volitio reſtringenda immediatè eſt per ordinem ad obiectum, tanquam per differentiam eſſentialem: perſpicuum videtur, ex adunatione generis illius & differentiæ. exiſtere veram & quidditatiuam definitionem amoris, non minùs quàm ex genere notitiæ, & ordine ad verum, compingitur germana & quidditatiua definitio intellectionis. Vnde ſicut intellectio per metaphoram definiri poſſet ex Ariſtotele, transformatio viua intelligentis in verum cognitum: Aut intentionalis tranſitus cognoſcentis in obiectum; neque tamen ea figurata intellectionis definitio, cenſeretur continere definitionem anteriorem ea, quæ per nudè expreſſam rationem quidditatiuam intellectionis, illis aliis verbis expreſſam, importaretur; ſed eandem aliis verbis conceptam, & quidem minùs perſpicuis. Ita in re præſenti ſentiendum eſt. Vnitio enim affectiua, idipſum per metaphoram & obſcuriùs explicat. quod *volitio boni alicui.* Nam ea vnio ad nullum aliud genus entis referri poteſt, quàm ad appetitionem, vt inductione perſpici poteſt. Eſt igitur appetitio quædam, cui idcirco non incommodè nomen vnionis tributum eſt, quod procedat ex apprehenſa vnitate amantis & perſonæ amatæ, eámque vnitatem approbet, & ſibi in ea complaceat qui amat.

Quidditas amoris num. 132. conſtituta, magis illuſtratur.

135. Vt autem Ariſtotelica illa amoris definitio hactenus confirmata, eluceſcat vndecunque, indéque amoris multiplicitas eruatur, conſideranda eſt duplex habitudo, quæ in ea definitione inuoluitur, cum dicitur, *amare*, eſſe, *velle bonum alicui.* Vna habitudo eſt ad perſonam amatam: altera ad bonum quod perſonæ illi amatur. Ambæ porro habitudines illæ, ita connectuntur, vt impoſſibile ſit, eas reipſa diſiungi. Nam quòd non poſſumus aliquem amare, niſi ei volendo bonum, eſt per ſe euidens ex germana amoris notione ſuperiùs expoſita: Et ex eo quòd inintelligibile ſit, dari appetitionem abſque obiecto appetito; quòd hîc, cùm de proſecutione agatur, bonum eſſe neceſſe eſt. Quod autem illa boni volitio, terminari neceſſariò debeat ad aliquam perſonam, facilè probatur Nam quoduis bonum eſt alicui

cui conueniens. hæc enim eſt ipſiſſima ratio boni reſpectiui. Igitur quiſquis vult bonum aliquod, vult etiam illud ei perſonæ, cui agnoſcitur bonum.

Atque ita duo illi reſpectus, etiamſi per rationem præſcindantur in eodem reali actu: tamen reipſa non ſecernuntur, maléque Scotus in 2 d.6.q.2. *litera A.* & Gabriel eadem diſt.q 1.art.1.arbitrati ſunt, volitionem boni, & complacentiam erga perſonam cui quis vult bonum, ſe habere vt duos actus, quorum vnus; nempe volitio boni, cauſetur ab altero, habeátque ſe ad illum, vt electio ad intentionem Quod eſt manifeſtè falſum. Neque enim volitio boni, & complacentia perſonæ, ſe habent vt intentio & electio, qui poſſunt reuera eſſe actus diſtincti: ſed ſe habent vt amor finis cui & finis cuius gratia; qui non ſunt duo actus ad diuerſa integra obiecta terminati, ſed vnicus, terminatus indiuiſibiliter ad vtrumque illud obiectum, ex ea duplici ratione integratum Et ſicut bonum volitum, non comparatur ad ſubiectum cui eſt volitum, tanquam medium vtile ad finem, ſed tanquam forma ad ſubiectum: ita volitio illius boni, non comparatur ad complacentiam ſubiecti, tanquam electio ad intentionem, ſed ſicut complementum quoddam intrinſecum intentioni & amori. Is quidem cui volumus bonum eſt quaſi ratio, cur feramur in bonum volitum: tamen ea ratio & origo terminationis actus ad bonum, ex terminatione ad perſonam, non eſt ex parte actus, ſed tantùm ex parte obiecti; quod probè cohæret cum vnitate reali actus, ad vtramque illam rationem inadæquatam terminati.

Vnde præterea rectè infert Molina 1. parte q. 63. art. 1. d. vnica membro 2. actui ſecundùm duas illas habitudines conſiderato, non poſſe duas rationes honeſtatis vel moralis turpitudinis inædificari: quaſi ſcilicet actus amoris, prout comparatus ad bonum volitum, ſit in vna ſpecie virtutis vel vitij: prout autem comparatus ad perſonam cui bonum eſt volitum, fulgeat vel ſordeat alio moralitatis genere: nam ob illum quem dixi vtriuſque habitudinis nexum realiter inſeparabilem, vnica eſt moralitas in toto actu ſecundum quemcunque reſpectum conſiderato. Diuerſæ autem rationes formales ac ſpecies virtutis & vitij, non adueniunt actibus penes obiectiuas rationes inadæquatas, quales declaratum eſt iſtas eſſe, ſi ſeorſum ſumantur: ſed adueniunt tantùm penes rationes obiectiuas integras & totales, & quæ non pertineant ad vnum integrum obiectum, tanquam partes eius.

Germana notio amoris amicitiæ & concupiſcentiæ, eruitur ex dictis.

136. Hinc nullo negotio patefiet diuiſio vulgata amoris, in amorem amicitiæ, & amorem concupiſcentiæ quos amores latè exponit Gabriel in 3. d. 27. q. vnica *litera D.* Notionem ergo vtriuſque illius amoris petere licet ex proximè dictis. Quia enim amare eſt velle bonum alicui, idcirco idemmet actus, prout terminatur ad bonum amatum, dicitur amor concupiſcentiæ: prout verò terminatur ad perſonam amatam, dicitur amor amicitiæ. Ita D.Thomas 1 2. q.26.art.4. & 2.2.q.17. art.8. vbi amorem amicitiæ nominat amorem perfectum, alium verò vocat imperfectum. Rurſúſque 1.parte q.60.art.3. vbi priorem, vocat amorem rei vt ſubſiſtentis; alterum verò, rei vt accidentis. Annuunt Scotus in 2 d 6. q 1. *litera A* Capreol. in 3.d.1.q.1. ad 2. Aureoli ſecundo loco contra tertiam. Caiet. 1.2 q.26.art.4. Vaſq. 1.2 d.1.c.3. & d. 11.c.5. Qua ratione diuiſio illa, non tam eſt amoris quàm amatorum; nec eſt diuiſio in duos amores re diſtinctos, ſed vnius ſimplicis actus, in duas denominationes, penes duplicem ad res diuerſas habitudinem, actu amoris connotatam. Nempe vnam ad bonum, alteram ad perſonam amatam propter ſeipſam, in quam refertur bonum concupitum velut in finem, cui purè, & nulla quæſita ad ipſum amantem retorſione, bonum quæritur Quod ſemper addendum eſt, aut ſubintelligendum, ne quod Ferrar 1. contra Gentes c.91. feciſſe videtur, amorem amicitiæ agnoſcamus etiam circa ea, quibus non volumus bonum propter ipſa, cuiuſmodi ſunt bruta: adigamúrque, quod etiam fecit Ferrar. amorem amicitiæ ab amicitia ſecernere, non ſine implexitate, ac erroris diſcrimine.

Amorem ergo vnius obiecti propter perſonam, conſtat optimè perfici poſſe vnico actu ad duo illa obiecta ſubordinata indiuiſibiliter terminato Tametſi enim cùm aliqua perſona amatur in ſe & propter ſe, actus amoris debet eſſe reipſa diuerſus ab actu alio amoris, quo illa eadem perſona non ſibi ſed amanti diligitur, in eius ſcilicet commodum & perfectionem; Rectéque S. Anſelmus c.9 concord & lib. de caſu diaboli c. 4. duos ibi actus cerni ſtatuat, quorum prior ſit amicitiæ ad illam perſonam, alter verò ad amantem: Tamen cùm vna res propter aliam rem diligitur, tanquam obiectum materiale propter rationem formalem volendi, non eſt dubium, quin vnicus actus poſſit ad duo illa ferri. Eum ergo vnicum actum, reſpectu vnius illorum obiectorum, vocant amorem amicitiæ, reſpectu verò alterius, amorem concupiſcentiæ.

Accommodatè porro ad ſupradicta, addendum eſt, duas illas denominationes ſemper coniungi: Ita vt omnis amor amicitiæ, habeat adiunctum amorem concupiſcentiæ, & viceuerſa. Quinetiam in eo amore perfectiſſimo, quo quis vni perſonæ vult ſuum intrinſecum bonum, v. g. Deo infinitam ſuam perfectionem, diſtinguere licet duo illa. Nam Deus eſt is qui amatur amore amicitiæ: Diuina verò perfectio, Deo concupiſcitur, & amatur amore concupiſcentiæ.

Omnis amor ex complacentia alicuius, iuxta prædicta.

137. Hac item ratione, in omni amore, dicitur interuenire complacentia alicuius perſonæ: Ita vt quoties aliquid amatur, neceſſe ſit vel interuenire complacentiam Dei, vt in actu diuinæ charitatis: vel complacentiam proximi, vt in actu beneuolentiæ erga alios: vel complacentiam ipſius operantis, vt in actu formali beneuolentiæ erga ſeipſum, & quoties bonum aliquod volumus non relatum ad aliam perſonam. Vtroque illo modo, bonum dicitur volitum ex complacentia ſui, id eſt, amantis. Neque enim locutionis illius ſenſus eſt, quòd quicquid nobis concupiſcimus, non ante terminet actum concupiſcentiæ, quàm aliqua ad nos ipſos anterior noſtri complacentia fuerit elicita. Quod meritò reiicit Suares l. 2. de gratia c. 13. num. 17. & 18. éſtque perſpicuè falſum cùm ſufficiat ipſamet tendentia in bonum volitum, non relatum ad aliud. Senſus igitur illius dicti eſſe debet, cùm omnis volitio boni debeat reſpicere aliquem finem, cui, ſiue ſubiectum aliquod, cui bonum illud expetatur propter ipſum; In ea autem expetitione boni non relata ad alium, nulla perſona extrinſeca interueniat, quæ dici poſſit ita amari, & terminare complacentiam noſtram; conſequens eſſe, vt etiam in volitione illa boni non relata ad alium, interueniat complacentia noſtri non quidem explicita & diſtincta, (hanc

enim conſtat non interuenire ;) ſed tamen actualis & reipſa vigens.

Quanquam vt rectè obſeruat Turrian. 2. 2. t. 1. d.73. dub.1. hinc non efficitur, actum illum ſpecificari per complacentiam illam noſtri : eo quòd cum communis ſit tam multis virtutum actibus, cenſeatur prædicatum commune, & quaſi tranſcendens, cuiuſmodi prædicatorum non habetur ratio, in ſpecificatione & conſtitutione actuum, quibus competunt. Specificatiuum ergo illius actus, eſt honeſtas obiecti. Si tamen quis diſtinctè & expreſsè ferretur in proſecutionem honeſtatis, prout eſt bonum ipſius operantis, tunc ea ratio obiectiua, non conferret actui, duntaxat commune prædicatum, ſed proprium & ſpecificum, non minus quàm cùm actus fit formaliter ex complacentia alterius.

Hoc porro iuxta proximè expoſita, vides non contingere, etiamſi actus referatur in alium, vt enim rectè oſtendit Vaſq. lib. 1. de adorat c.4. poteſt plerùnque actus, reſpicere aliam perſonam tanquam terminum, neque tamen fieri ex complacentia eius. v.g. per religionem volumus Deo cultum. Ea tamen volitio, non dicitur fieri ex complacentia Dei, quia ſic eſſet actus elicitus diuinæ charitatis : Fit igitur ex complacentia noſtri, qua honeſtatem diuini illius cultus, volumus nobis. Volumus enim actum illum cultus diuini exercere, & Deum honorare, non quia honeſtum illum actum elicere, bonum eſt Deo, qui eſſet actus diuinæ charitatis ; ſed quia illius actus exercitium eſt honeſtum, quo ipſo illum actum nobis volumus. Idem cernitur in actu iuſtitiæ erga proximum, v.g. in debiti perſolutione aut reſtitutione. Volumus enim creditori rem ſuam : honeſtatem tamen actus, nobis volumus. Alioqui actui iuſtitiæ, admiſceretur formaliter honeſtas amicitiæ vel beneuolentiæ. Quod conſtat falſum eſſe, cùm plerunque qui reſtituit rem alienam, vel debitum perſoluit, ne ſit iniuſtus alieni detentor ; nullo tamen modo amet eum cui reſtituit aut ſoluit. Hæc omnia, vt dicebam, ex illa communi explicatione diuiſionis amoris, in amorem amicitiæ & concupiſcentiæ, perſpicua videntur.

Quæ aduerſus aſſignatam amoris amicitiæ & concupiſcentiæ notionem opponantur.

138. Aduerſus hanc primam expoſitionem, diuiſionis primariæ amoris, in amorem amicitiæ, & concupiſcentiæ, quæ mihi videtur omnium commodiſſima expoſitio. & amplectenda : eſt qui opponat ſequi ex ea, quòd erga nos ipſos poſſimus elicere verum amorem amicitiæ : atque adeò quòd ſpes eſſet verus amor amicitiæ, quæ paſſim habentur falſa. Nam Ariſtoteles 8.Eth. cap.4. & S. Gregor. homil. 17. in Euangelia, & paſſim Philoſophi ac Theologi docent amicitiam non eſſe niſi ad alterum. ſpes item ſecernitur à charitate ex eo capite, quod cùm ſpes ſit amor boni noſtri, longè abeſt à charitate, quæ bonum alterius amat, quia eſt alterius, quod eſt amicitiæ proprium.

Deinde iuxta expoſitionem propoſitam, amor concupiſcentiæ & amicitiæ, non differrent à parte rei, aut ſecundùm rationem aliquam formalem, petitam ex parte obiecti : ſed tantùm ſecundùm præciſiones quaſdam rationis, quæ videntur communi conceptui diſſonare. Tandem amor, quo quis vult benè eſſe equo ſuo iam emerito, cui ob ſeruitia antecedentia præbet pabulum abundans, nullum vlterius commodum ab eo expectans, deberet dici amor amicitiæ : & tamen conſtat amicitiam nullo modo cerni erga bruta. Saltem verò iuxta eam expoſitionem amoris amicitiæ, fatendum eſſet ; amorem mancipij, quo ei velimus bonum, vt plus ſeruitiorum rependat, eſſe amorem amicitiæ, quia alicui perſonæ benè eſſe volumus.

Diluuntur.

139. Hæc ſunt quæ aduerſus receptam illam expoſitionem partitionis prædictæ, recens opponuntur, & non difficilè repelluntur. Nam quod tanquam abſurdum proponitur, iuxta eam expoſitionem aſſignari poſſe amorem amicitiæ hominis erga ſeipſum, non video cur abſurdum videatur, ſi voces commutemus, & pro amicitia, beneuolentiam dicamus. Nam etiamſi vox amicitiæ iuxta vſum communiorem reſpiciat alios : Tamen paulò largiùs accepta ea voce, aut certè commutata in vocem beneuolentiæ, quæ eandem amoris eſſentiam, atque adeo reſpectum deſignat, declinatur primum illud incommodum. Similiter admitto, ſpem, cùm per eam feramur diſtinctè in bonum noſtrum prout noſtrum, eſſe verum amorem amicitiæ reſpectu noſtri. Vnde tamen non confunditur cum charitate, quæ eſt verus amor amicitiæ reſpectu Dei.

Admitto prætereà, amorem amicitiæ & concupiſcentiæ non differre à parte rei, nec adæquatè ſecundùm rationes formales obiectiuas inconnexas, ad modum actuum planè diſtinctorum ; ſed tantùm eo modo qui expoſitus eſt ; nec diſſonat communi conceptui, cùm hactenus modus ille fuerit communis. Denique amor equi emeriti, & amor mancipij, vt plura præſtet ſeruitia, habent veram rationem amoris amicitiæ, reſpectu eius cui commodum quæritur in eo amore, nempe ipſius amantis. Quod de amore mancipij, videtur exploratum. De amore autem equi emeriti, declaratur ex eo quòd in ea equi cura, & pabuli prouiſione, homo conſiderat benè ſibi fuiſſe per equum illum, & inde mouetur vt ei vicem rependat, quod planè eſt moueri ex amore ſui ipſius explicito : Atque adeò cernitur ibi verus amor amicitiæ erga ſeipſum. Nihil itaque aduerſus receptam hactenus explicationem illius partitionis, oppoſitum eſt, quod commodè depulſum non ſit.

Alia non incommoda, amoris amicitiæ & concupiſcentiæ notio.

140. Paulò aliter viſus eſt amorem amicitiæ & concupiſcentiæ exponere Gabriel in 3. d. 27. quæſt. vnica *litera D.* Annuúntque Fracaſtorius l. de ſympathia cap.17. & Dandinus 3. de anima digreſſ. 41. parte 2. §. *quid & quotuplex amor.* Neque enim hi authores, amorem concupiſcentiæ explicant per tendentiam ad bonum volitum ; amorem verò amicitiæ, per tendentiam ad perſonam, cui bonum volumus ; vt in propoſita hactenus membrorum illorum explicatione factum eſt : ſed amorem amicitiæ, ſtatuunt eſſe amorem, quo bonum volumus propter ipſum, nulla inde quæſita vtilitate vel oblectatione noſtra : ita vt etiamſi contingat, amantem eſſe finem cuius gratia, nihil tamen inde decedat puritati amicitiæ : quia non quærit commodum ſuum, ſed amati, quamuis ad amantem vt ad finem relati. Quod patet in Deo, qui ex charitate amat nos amore amicitiæ, quamuis non poſſit non referre nos ad ſe, vt ad finem vltimum. Amorem verò concupiſcentiæ, ait Gabriel, eſſe amorem, quo aliquid nobis ipſis volumus, & in bonum ac commodum noſtrum : ita vt amor concupiſcentiæ, idem ſit quod amor, non quidem amicitiæ, quæ eſt ad alterum, ſed beneuolentiæ reſpectu noſtri. Amor autem amicitiæ, iuxta doctrinam Ariſtotelis 3. Eth. cap. 3. ver-

ſetur

ſeratur tantùm circa alium ; cui bonum quis velit propter ipſummet, & nulla expectata fructuum amoris in amantem refuſione.

Reuoluitur in noſtram.

Hoc tamen diſſidium eſt admodum leue, nec niſi de vocibus. Et quanquam modus loquendi Gabrielis ſit in omni rigore verus quoad amorem amicitiæ ad alios reſtrictum ; tamen vſus ſatis ſuperque mollijt qualemcumque duritiem communioris modi loquendi, quo amicitia, etiam ad ſeipſum ponitur. Concupiſcentiam autem boni, etiam ad bonum, perſonis ab amante diſtinctis, volitum, porrigi, nihil eſt quod vetet : Idque vox ipſa concupiſcendi, æquè fert, ac amorem ad nos terminatum, tanquam ad finem cuius commodo conſulatur. Tandem verò, doctrina illa Gabrielis, recidit in communem ſupra propoſitam. Nam qui amat alium propter ipſum amantem, habet amatum pro bono volito quod communis ſententia dicebat amari amore concupiſcentiæ. Erga ſeipſum autem, habet eam beneuolentiam, quæ ſi eliceretur erga alterum, denominaretur verus amor amicitiæ ex parte amantis.

Abſurda notio amoris amicitiæ & concupiſcentiæ, per excluſionem vel ſuppoſitionem actus præuij.

141. Reiiciendus tamen eſt idem Gabriel, cùm ait, amorem amicitiæ eſſe priorem natura amore concupiſcentiæ, eiúſque cauſam effectiuam. Vnde in 2. d.1.q.5. *litera A.* infert amorem concupiſcentiæ, eſſe actum, quo aliquid diligitur amore, genito per actum voluntatis præuium : amorem verò amicitiæ, eſſe actum, quo aliquid diligitur amore, nullum præuium volontatis actum præſupponente.

Hoc inquam non eſt admittendum. Nam amor concupiſcentiæ, poteſt eſſe in aliquo ſubiecto primus, ita vt nullum realiter anteriorem actum voluntatis ſupponat. Et quamuis ſupponat perſonæ per ſeipſam amatæ complacentiam, vt Scotus in 2. d.6. q. ſecunda *litera A.* ex eo rectè probat, quòd res per ſe volita habeat primam rationem obiecti voliti : Tamen ea ſuppoſitio, eſt tantùm per rationem, atque ita nulla eſt vera cauſalitas vnius actus in alterum ; ſed vnicus realiter actus, prout terminatus ad vnum obiectum quod eſt ratio volendi & agendi, appellatur nomine amoris amicitiæ, cenſetúrque prior : Prout autem terminatus ad obiectum materiale volitum propter aliud, appellatur amor concupiſcentiæ, cenſetúrque poſterior, eo modo quo inter ſubordinata, quod ſubeſt cenſetur poſteriùs attingi, eo cui ſubeſt : quamuis vtrumque, æquè primò, & eodem phyſico actu attingatur.

Nec eſt quod quis vrgeat paritatem inter actum aſſentiendi concluſioni propter præmiſſas, qui à præmiſſis re diſtinguitur, & volendi obiectum materiale propter formale. Eſt enim patens diſcrimen, in eo ſitum, quòd concluſio eſt ex ſe obſcura, debétque præmiſſarum lumine colluſtrari. Aſſenſus autem obſcurus, non poteſt eſſe vnus & idem, cum aſſenſu euidente. At in amore boni propter perſonam cui bonum eſt volitum, non cernitur vlla talis ratio diſcriminandi reipſa volitionem, prout terminatam ad bonum, vel ad perſonam, cui bonum illud expetitur propter ſeipſam.

Item alia, eorundem amoris membrorum abſurda notio, penes rei bonitatem, & perſonæ dignitatem.

142. Alium præterea modum exponendi amorem amicitiæ, eúmque ab amore concupiſcentiæ ſecernendi iniuit Ægid. Conine diſp. 19 de act. ſupernat. dub 1. vbi amorem amicitiæ, per hoc propriè ac generatim differre ait ab amore concupiſcentiæ, quod amor concupiſcentiæ, pro vltimo ſuo obiecto formali, habeat bonitatem rei concupitæ : amor autem amicitiæ, pro obiecto formali & vltimo, habeat dignitatem perſonæ amatæ, ſiue eius cui illud volumus.

Hoc vt ſtabiliat, præmittit, hominem longè alia ratione ſeipſum amare quàm alios. Nam in ſeipſum quiſque, naturaliter, & citra omnem habitum inclinatur abſque apprehenſione vllius in ſeipſo bonitatis, qua reddatur ſibi amabilis : ita vt quantumuis ſe omni amore indignum agnoſcat, ſe tamen impensè diligat, vt de damnatis conſtat. Ad alios autem amandos, exigitur, vt in eis bonum aliquod, ſiue cum eis identificatum, ſiue eis aduentitium, aut ſaltem ad eos refuſum per denominationem extrinſecam, apprehendamus, tanquam amabilitatis fundamentum, quo ſublato, nunquam inædificaretur amor. Quod ſi hoc bonum, quo alius nobis efficitur amabilis, inuoluat coniunctionem cum bono noſtro, aut noſtrorum ; vt cùm amamus ſeruos præcisè quia nobis ſunt vtiles. Tunc amor ille, eſt potiùs noſtri ipſorum, quorum commodum vltimò reſpicit. At ſi bonum, quod in alio agnoſcimus, ametur, non prout cum bono noſtro coniunctum, ſed præcisè ac ſecundùm ſe, ita vt ratione eius placeat perſona, quæ digna iudicatur vt per ſe, ac propter ſe diligatur : Tunc amor ille, eſt amor amicitiæ reſpectu talis perſonæ.

Huic fundamento, ſuperſtruit author prædictus, in amore quo quis ſibi optat bonum, totam ac vltimam rationem formalem appetendi bonum illud, eſſe intrinſecam ipſius bonitatem, quæ appetenti bona eſt. Neque enim appetitur propter aliquam aliam bonitatem aut dignitatem quæ appareat in appetente. At cum optat ſimile bonum amico, præcisè quia ipſi bonum eſt : vltima ratio cur illud bonum deſideretur amico, eſt bonitas amici apprehenſa, quam dixi eſſe amabilitatis fundamentum. Idcirco enim ſoli amico deſideratur bonum illud, quod æquè aliis commodum eſſe poſſet ; quia in ſolo amico, occurrit actu fundamentum amabilitatis, & voluntas in illum fertur ; ratione autem illius, porrigitur ad hoc bonum ei volendum. Quare amor quo nobis volumus bonum, ducit ſpeciem ab obiecto concupito & bonitate eius, tanquam ab vltima ſua ratione formali. Vnde & ſpecie multiplicatur pro multiplicitate boni concupiti, debetque dici amor concupiſcentiæ : amor autem quo alij bonum volumus præcisè propter ipſum ducit ſpeciem à dignitate, ſiue bonitate perſonæ, éſque verus amor amicitiæ ; & inde vterque ille amor exponendus, & ab alio ſecernendus eſt, iuxta prædictum authorem.

Euertitur.

143. Mihi tamen hæc expoſitio partitionis prædictæ, non placet. Non modò quia omnibus retrò Doctoribus incognita, ſed etiam quia nixa ruinoſo fundamento. Falſum quippe eſt, quod amor concu-

piſcentiæ, habeat pro vltima ratione formali ac motiua rem concupitam, quæ potiùs eſt duntaxat obiectum materiale, nec mouet ad concupiſcendum, niſi per ordinem ad eum cui bona eſt. Falſum item eſt cùm quis ſe amat, deeſſe titulum amabilitatis reſuſibilem in bonum quod ſibi vult; & poſſe hominem ſe amare, etiamſi nullam in ſe apprehendat bonitatem & amabilitatem,. hæc enim manifeſtè pugnant cum natura amoris, qui eſt actus proſecutiuus, nec poteſt ferri niſi in bonum cognitum. Cùm itaque homo ſupponatur ſe amare, omnino neceſſe eſt, vt aliquam in ſe bonitatem, deprehendat, quæ ſit fundamentum amabilitatis, & motiuum amoris erga ſeipſum. Neque enim homo ille, amat duntaxat bonum quod concupiſcit, ſed etiam ſeipſum erga ſeipſum agnoſcit bonum, & amabilem: Id quod etiam damnati faciunt, non modò quia ſunt obcœcati, quoad accidentia quibus conueſtiuntur: ſed etiam quia habent naturale fundamentum amabilitatis ſui ipſorum, nempe ſummet eſſe, quod vnicuique, valde bonum & amabile apparet. Quare in amore ſui ipſius propter ſeipſum, ratio formalis amandi eſt proportionaliter eadem, quæ in amore alterius propter ipſum. Eſtque vtrobique, dignitas & amabilitas perſonæ, quæ mouet ad amandum.

Hoc autem fundamento conuulſo, ruit quicquid ſuperſtructum eſt. Nec eſt præterea aliquid in confirmationem doctrinæ propoſitæ adductum, ad quod neceſſe ſit reſpondere. Nam quod tactum eſt de multiplicitate ſpecifica amoris concupiſcentiæ, pro varietate ſpecifica boni concupiti, quæ varietas ſpecifica non cernitur in amore amicitiæ, quo aliis propter ipſos diuerſa illa bona volumus; præcluſum eſt, cùm diximus, amorem beneuolentiæ ad nos terminatum, non ſpecificari per complacentiam noſtri ipſorum: quia eſt aliquid quaſi tranſcendens, & fuſum per tam multos actus, ac proinde ineptum ad ſpecificationem, etiamſi vltimum ſit, & vt tale moueat ad amandum.

Minus præcipuæ amoris diuiſiones.

144. Nec plura de primaria & communiſſima amoris diuiſione. Non me latet, alias præterea quàm plurimas amoris diuiſiones minoris momenti circumferri. Pleráſque exponit Gabriel in 1. d. 27. q. vnica. Diſtinguit enim amorem, in rationalem, quem etiam liberalem & arbitrarium appellat, proditque à voluntate rationali; Et animalem, quem tribuit appetitui ſenſitiuo; ac naturalem, quem rebus omnibus erga ſuam perfectionem adſcribit. Rurſus arbitrarium, ſubdiuidit in amorem affectiuum, & effectiuum. Deinde in amorem complacentiæ & deſiderij.

Amorem affectiuum, vocat volitionem ipſam boni, quod alicui optatur. Effectiuum verò eſſe dicit, ipſum illius amoris eliciti effectum. Tranſlato quippe cauſæ nomine ad effectum, is dicitur amare effectiuè, qui non oſtentat amorem infertilem ac ſterilem; ſed cùm ſe dat occaſio, erumpit in fructus dignos amoris. Quam eſſe admodum impropriam amoris diuiſionem, fatetur Gabriel, quia amare, propriè eſt in ſola voluntate tanquam in ſubiecto. Ea autem productio effectuum amoris, in aliis facultatibus cernitur, éſtque actus tranſiens, non immanens voluntati.

Debet porro ad huiuſmodi amorem, tanquam ad cauſam, referri affectus gratiæ, quem Ariſtoteles 2. Rhetor. cap. 7. recenſet. Nam vt rectè obſeruat Ægidius lib. 1. de regim. Princip. p. 3. cap. 10. gratia, prout eſt affectus quidam, non poteſt aliud eſſe quam amor, cùm nihil aliud ſit, quàm motus animi, quo ferimur ad beneficia aliis conferenda. Itaque gratia, & amor efficaciter affectiuus, idem ſunt. Contrarium cenſet Viues ſuo 3. de anima cap. de fauore, exiſtimans, fauorem ſiue gratiam, poſſe eſſe abſque amore, vt cum alicui, quem non amamus, cupimus tamen benefactum, v. g. cùm fauemus alicui, tantùm quia eſt inimici noſtri inimicus. Annuit Azor tomo 1. l. 13. c. 6. Verùm cum fauor vt iidem authores admittunt, ſit beneuolentia quædam; & fauere idem ſit omnino quod benè velle & cupere; manifeſtum exiſtimo, fauorem, ſiue gratiam, nihil eſſe aliud quàm amorem quendam, connotata prælatione eius, in cuius gratiam ſpecialiter aliquid facimus, abiectis aliis, qui idem æquè expectare poterant, quod eſſent eiuſdem gradus aut ſortis.

145. Iam verò amorem complacentiæ, Gabriel ſupra, ait eſſe volitionem boni iam inexiſtentis illi perſonæ, cui bonum illud volumus: eique amori contraponi affirmat, amorem deſiderij tendentis in bonum adipiſcendum. Exiſtimat autem Gabriel, hanc diuiſionem eſſe ſolius amoris ſimplicis. Ait enim *litera E.* complacentiam eſſe id ex quo profunditur gaudium & delectatio de bono, adepto per perſonam, cui bonum illud volumus. Ad amorem verò deſiderij, conſequi affectum ſpei. Hoc ex parte falſum eſſe, conſtabit ex infra dicendis de deſiderio. Inde enim patebit, ſpei circa rem cognitam vt arduam, non præire neceſſariò deſiderium ſimplex re diſtinctum.

Porro & gaudium & deſiderium, nomine amoris complacentiæ, & amoris deſiderij, donantur. Tum quia ad eos actus, anterior ille actus amoris vel deſiderij ſimplicis, neceſſariò præmittitur: Tum quia ſunt actus proſecutiui, qui omnes æquiualenter continent amorem ſimplicem, tanquam rudimentum & initium affectuum omnium proſecutiuorum in appetitu concupiſcibili. Nec aliter comparatur ſpes ad deſiderium ſimplex. Proptereáque & gaudium, & deſiderium, nomine amoris itémque ſpes, nomine deſiderij donari poteſt. Et reipſa ita accipitur amor in ea vulgatiſſima diuiſione, quam ſupra expoſuimus. Neque enim amor amicitiæ & concupiſcentiæ ibi explicatus, arctandus eſt ad ſolum amorem ſimplicem: ſed eius ratio quidditatiua, æquè cadit in amorem deſiderij & gaudij. Expoſita tamen eſt ea partitio in amore ſimplici. in quo etiam habet locum, quia is primus occurrit in progreſſu appetitus ad bonum alicui volitum; & aliquatenus, hoc eſt, ſaltem æquiualenter, includitur in omnibus actibus vlterioribus

Et hac de cauſa. pleraque de cauſis & effectibus amoris proximè ſubiicienda; quamuis omnibus voluntatis actibus proſecutiuis communia, explicantur circa amorem ſimplicem. omnibus aliis actibus. generalem amoris rationem participantibus, anteriorem; ac veluti præludium ad omnes actus proſecutiuos. Spectat enim præcisè bonitatem, neque connotata diſtinctè eius abſentia, neque præſentia, ſed tantùm appetibilitate eius, & iungibilitate nobiſcum, ſecluſo prorſus ordine ad aſſecutionem qui inuoluitur in deſiderio, amorem ſimplicem proximè conſequente. Nam & idcirco actus ille appetitus, videtur dictus ſimplex: quia æmulatur ſimplicem intellectionem, quæ obiectum apprehendiſſe contenta, nihil de eo affirmat aut negat. Sic enim amor iſte ſimplex, ita bonitatem exhibitam attingit, vt nihil de ea aſſequenda laboret. Niſi ſi etiam ſimplex dicitur, quia alium voluntatis affectum

proſecutiuum

proſecutiuum non præſupponit, ſicut facit delectatio, quæ eſt amor ſupponens amorem, vt infrà oſtendetur.

Quæ de amoris natura & partitione, traduntur à Platone, hîc dimittenda.

146. Hæc mihi circa naturam & multiplicitatem primæ huius paſſionis, abundè eſſe videntur. Quamuis non me lateat, quàm multa prætereà circa vtrumque illud caput, myſticè magis & concinnè, quàm perſpicuè & fructuosè tradant Platonici, quæ partim ex Platonis Phædro, & Conuiuio, & Lyſide, & Charmide, aliiſque locis; partim ex Platonicorum ſcriptis, vulgatiſſima ſunt. Nominatim ex Plotino Eneade 3. l 5. qui eſt de amore. Max. Tyrio diſſer. 8. 9. 10. & 11, Marſilio Ficino variis lucubrationibus de amore, ad ea Platonis & Plotini loca. Iauello in Epitome Ethicæ Platonicæ tract. 3, Ioanne Pico libro 2 ad carmen Beniuenij de amore. Carpentario in caput 25. Alcinoi n 6. Dandino 2. animæ digreſſ. 41. p. 2. in tractatione de amore. Exiſtimo tamen non cum magno tractationis huius diſpendio, miſſam faciendam omnem illam Platonicam de amoris natura & multiplicitate orationem, quòd vt dixi, magnam partem myſtica ſit, nec multum conferat ad verè perſpiciendam amoris naturam, & partes.

Suſpicio de Socratis amore impuro.

Præterquàm quod quantumcumque conniti ſoleant Platonici, vt Socratem & Magiſtrum crimine purgent; Et cum illis Beſſarion, ac Budæus, quos allegat & ſequitur Petrus Godofredus l. 1. de amoribus *inuito* ac ſatis apertè Origenes in prologo Commentariorum ſiue homiliarum in Cantica. Suſpicio tamen eſt ſatis vehemens, ſermones illos amatorios, quibus Socratis diſputationes & Platonis opera ſcatent, magnam partem pertinuiſſe ad fœces amoris; illum inquam & fœtidum & impurum corporum amorem, quem explicatiùs aperire, pudor prohibet. Quamuis interdum ad velandam turpitudinis illius infamiam, admiſceantur apud Platonem aliqua de pulchritudine intelligibili, eiúſque amore, vt omnis ea diſputatio eo ſpectare exiſtimetur. Sanè Dicæarchus eo nomine Platoni infeſtus fuit. Quem etiam acriter hac in parte notauit Petrarcha l. 1. de remed. dial. 69. & Socratem Lucianus, cùm alibi ſæpè, tum nominatim dialogo cuius titulus *amores* Item alio qui inſcribitur *vitarum auctio*. Nec non Libanius declam. 29. & ex aliis Meti 2. Parænet. c. 3. ac Iulius Nigronius tract. aſcetico 13. cap. 5. excuſat. 2.

Platonicorum pro eo excuſationes.

147. Quod verò friuola excuſatio, vera accuſatio & impacti probri infixio ſit, inde non modicè in propoſita ſuſpicione confirmor, quod videam Platonicos, tam infirmas & reipſa tam nullas excuſationes, Magiſtris obtendere. Sanè Maximus Tyrius diſſert. 11. extrema, non habuit quo Socratis ſalacitatem in captanda pulchrorum corporum inſpectione, & formoſorum iuuenum conſectatione, obduceret, quàm comminiſcendo viſum olim ab anima noſtra priuſquàm corpori committeretur, ipſum pulchrum, quod nec humana voce exprimi, nec oculis conſpici poteſt. Sic enim philoſophatur: pulchrè deſcripto eo ſummo pulchro, eiúſque pulchritudine. [Huius pulchritudinis partem aliquam exiguam fluuius purus, planta florida, equus generoſus, ſibi vindicare poſſunt. Si quæ tamen eius ad terram vſque perueniant reliquiæ non facile alibi eam inuenias, quàm in homine, qui forma & ratione inter omnia mortalia excellit corpora, qui anima præditus eſt, quam merito pulchri illius cognatam dixeris. Propterea qui ſapit, ſtatuam cùm videt, laudat in ea artem, non tamen amat ſtatuam: Et plantam qui videt, laudat in ea fructum, non tamen amat plantam. Et in fluuio, aquæ tranquillitatem laudat, non tamen amat fluuium. In homine verò cùm videt, pulchritudinem, viuam, mente præditam, virtutis futuræ prænuntiam, continuò memoriam ſuſcitat, amátque non illud quod videt, ſed quod res eſt, pulchritudinem longe altiorem. Hæc cauſa eſt cur tam diligenter inſpiceret pulchra corpora Socrates, tam citò pulchritudinem animaduerteret: cur nullis ſiue in palæſtræ verſaretur, ſiue in Academia oberraret, ſiue in conuiuiis comeſſaretur, cum præteriret. Non ſecus enim quàm venator accuratus. per humana corpora, in memoriam veræ illius pulchritudinis redibat.]

Idem reipſa excuſat in Platone Apuleius in Apologia, verbis illis, quibus proponit *alta illa & diuina Platonica, rariſſima cuique piorum gnara, cæterùm omnibus profanis incognita; geminam eſſe Venerem Deam, propria quamque amore, & diuerſis amatoribus pollentem. Earum alteram vulgariam, qua ſit percita populari amore, non modò humanos animos, verùm etiam pecunias & ferinas ad libidinem imperitare, vt immodico truciquo perculſorum animalium ſerua corpora complexu vincientem: alteram verò cæleſtem Venerem, prædita qua ſit optimati amore, ſolis hominibus, & eorum paucis curare: nullis ad turpitudinem ſtimulis, vel illecebris, ſectatores ſuos percellentem. Quippe ei eſſe amorem non amœnum & laſciuum, ſed contra incomptum & ſerium, pulchritudine honeſtatis virtutis, amorem amatoribus ſuis conciliare: & ſi quando decora corpora commendes, à contumelia eorum procul abſterrere. Neque enim quicquam aliud in corporum forma diligendum, quàm quòd admoneat diuinos animos eius pulchritudinis, quam potiùs veram & ſynceram inter Deos videre. Quapropter, vt ſemper eleganter Afranius, hoc ſcriptum reliquit.*

Amabit ſapiens, cupiunt cæteri.

Vana demonſtrantur, & ſuſpicio infigitur.

148. Hæc quàm frigida ſit excuſatio, quippe patenti commento nixa, nemo non videt. Itaque infigit mihi altiùs ea excuſatio, ſuſpicionem ſupra motam. Et vt daremus Socrati eam obtigiſſe fœlicitatem in hac vita, vt quòd paucis viris ſanctiſſimis, ſingulari beneficio & fauore numinis conceſſum legimus, per pulchritudinis creatæ ſcalas ad pulchritudinis increatæ continuum aſſurgeret: nemo tamen inficiari iure poterit, hominem Ethnicum, his turpitudinis illecebris adeo addictum; & iuuenes nudos in palæſtra cum voluptate ſpectantem, vt ex Platone notat Theodoretus l. 12. contra Græcos; nec frigidæ, ſed præferuidæ conſtitutionis corporeæ, & naturaliter ad Venerem pronæ, quod ipſe de ſe Socrates aliquando profeſſus eſt, vt coniectoris id affirmantis ſagacitatem, vanam non fuiſſe doceret, fœdæ cupiditatis inſultibus patuiſſe: nec abeſſe vehementiſſimam ſuſpicionem, quin fragilitas hominis in lubrico poſiti; vrgentibus potenter ad lapſum, iis quæ propoſui, illectamentis; impetui ceſſerit, & peſſum ierit, victa libidine, *cuius fons & origo*, iuxta eundem Tyrium diſſert. 9. numero 46. *eſt flos corporis, qui oculos intrat, ex oculis in animum delabitur: prima enim via, qua pulchritudo ſeſe*

inſinuat, ſunt oculi. Itaque ad populum phaleras.

Et leguntur quidem aliqua apud Platonem, tanquam Socratis monita, aduerſus amorem impurum. *Cæterum mera hæc verba ſunt,* ait Theodoret. 12. contra Græcos, *rebus factiſque carentia: Socrates enim pulchrorum adoleſcentium cauſa, frequens gymnaſia obibat, flagitioſóque ſpectaculo paſcebat oculos. Id enim & Philebus, & Phædrus, & Riuales, & Charmides, & alij Platonis Dialogi teſtantur. Quæ vero Alcibiades in ſympoſio, de eodem Socrate loquitur, Plato quidem ſcribit Ego autem, vt Socrati parcam, potiùs obticebo, tantùm ij Dialogi Socratis ineptiam ac petulantiam narrant, tantúmque incitamentum præbent lubricis ad peccandum hominibus,* Annuit Nazianz. iambico 16. à v. 29. vbi Socrati exprobrat, *Charmidem* dialogum (quo turpitudines ſuas apud Platonem non obſcurè prodidit; *& pally velum exteri, ſub quo docebat, puerum pulchrum gregem, diuina, Soli pulchri enim, ingenio valent* Iocus eſt, ſed ſalitus. Eadem Socrati opponit orat. 3. n. 18, vbi miror Nonnum in fabularum explicatione num. 21. pro Socrate ſtare, contra apertam Nazianzeni mentem.

Damnatio Socratis, huc ex parte ſpectauit.

149. Atenim Ariſtophanes, Anytúſque, & Melitus cùm alia pleraque Socrati obiicerent, de his fœditatibus tacuerunt. Hoc enim eſt, quo Lælius Peregrinus tract. de affect. c. 1, de amoro arbitratur purgari ſufficienter Socratem, vnáque Platonem, qui Socratis diſputationes chartis commiſit. Idem allegat Max. Tyrius diſſert. 8 num. 50. & 51. qui tamen non diffitetur, criminatores illos in Socrate accuſaſſe quòd iuuentutem corrumperet At hoc quo pertinere potuit niſi ad præſens negotium? Neque enim corruptor iuuentutis audiſſet, ſi ex eo duntaxat zelo, quem Socrati erga adoleſcentum traductionem ab impuris amoribus tribuit Tyrius diſſert. 9. formoſos adoleſcentes aſſectatus, & eorum perpetuo vſu & conſpectu delectatus reuera fuiſſet. Diſerteque Tertullianus cap. 46. apologet, & lib. de anima c. 1: partem ſententiæ Atticæ quæ Socratem, adoleſcentiæ corruptorem pronunciauit, de fæcibus amoris impuri intellexit. Pluta de Socratis in venereis intemperantia, Iuliano Socratis ſanctimoniam iactanti, obiicit S. Cyrillus Alex. lib. 1, ad textum primum. Et latè etiam Theodoretus lib. 9. & 11. contra Græcos, quæ ne diutiùs in hoc cœno hæream, apud illos legere licebit.

Plato in eadem naui.

Vterque autem, Platonem quoque, eiuſdem fœditatis inſimulat, præſertímque Theodoretus, qui tam vrgentia ad id argumenta profert, vt planè fidem faciat. Suffragantúrque propè omnia aduerſus Socratem prolata. Nam cùm ſint à Platone ſcriptis conſignata quæcunque Socratem turpitudinis ſuſpectum faciunt; nec ea Plato ſuffigat vſquam aut corrigat, ſed rata ſemper habeat; non videtur dubitandum, quin eandem ſibi ſuſpicionis materiam communem fecerit. Accedunt carmina Platonis amatoria, omnino turpia, & fœda, quæ Macrob. 2. Satur. c. item 2. refert, & quæ Apuleius in Apolog. in ſuorum amatoriorum carminum defenſionem profert, tanquàm ſuis impuriora & virulentiora. Sunt ſanè ea ſtyli dulcedine conſcripta, vt doleat Petrar. lib. 1. de remed. vtriuſque fort. dialo 69 Epicureis magis, quàm Platonicis in rebus, quaſi Solis in luto, Platonici radios cerni ingenij Nec verò diffitetur ſupra Theodoretus, quod ex Apuleio ſuperiùs retuli.

Nempe Platonis quoſdam diſcipulos,) vt etiam circa Socratem tentatum vidimus,) ad ineptas allegorias, magiſtri petulantiam erubeſcentes, confugiſſe. Sed hunc ille caſſum laborem redarguit. Sanè Philo Platonis cæteroqne ſtudioſiſſimus, hoc magiſtri probrum non diſſimulauit lib. de vita ſupplicum, agens de ſanctitate conuiuiorum inter primos Chriſtianos, eiſque contraponens vulgi primùm, deinde Romanorum, tum Græcorum conuiuia, alterum à Platone, alterum à Xenophonte deſcriptum. De Platonico quod vnum ad præſentem cauſam refert, in hunc modum ibi ſcribit. *Platonicum penè totum diſputationi de amore impenditur. non illo, quo viri in mulieres inſaniunt, aut hæ in viros, ſed quo viri in maſculos, ætate tantùm minores: Nam ſi quid ibi de amore venerèque cœleſti dictum videtur elegantiùs, pro condimento modo eſt additum. Cæterùm maiorem partem, vulgaris & promiſcuus amor occupat: Fortitudinem, virtutem bello paceque vtiliſſimam, tollens è medio & pro hac morbum muliebrem inducens in animas, & homines reddens androgynos, quos oportebat potiùs omni contentione exerceri, ad confirmandum robur tam corporis quàm animi. Apage ſpurcitias, omni deteſtatione auerſandas.*

Amoris cauſa primaria: bonum, ſeu pulchrum.

150. Pergo ad cauſas amoris. Cauſam primariam, nemo dubitat eſſe obiectum. Adminiſtræ verò eius cauſæ, ſunt quæcunque ad obiecti repræſentationem, & prehenſionem per facultatem appetentem, pertinere poſſunt: & pro eorum perfectione, melior obiecti applicatio, incenſiórque amor exiſtet. Quodnam verò ſit amoris obiectum, fruſtra docerem. Eſt enim omnibus natura duce adeò perſpectum, quòd amor in bonum feratur, vt ſupernacaneum ſit id obſeruare. Nec innatum hunc omnibus ſenſum, abiecerunt Platonici, quibus familiare eſt, pulchrum amoris obiectum ſtatuere. Hoc vt cætera taceam, diſertiſſimè ex Platone tradit Plotinus enneade 3. l. 5. cap. 1. tractans amoris principia, & enneade 1, l. 6. qui vniuerſus eſt de pulchro. Sed nimirum Platonici, poſt magiſtrum in Hippia, & Phœdro, latiùs pulchrum accepere, quàm paſſim ſumatur. Quicquid enim quomodolibet bonum eſt, pulchrum dixere: ſiue ſenſus, ſiue intellectus iudicio ſit bonum. Sanè apud Græcos, idem pulchro & bono nomen καλὸν ab eo quod eſt καλεῖν ſiue vocare ad ſe, & allicere, vt S. Dionyſ notauit, lib. de diuin. nom. cap. 4. parte 1. vbi de hac pulchri & boni identitate, & de pulchritudinis ad appetitum proportione, eminentiſſimè quàm plurima more ſuo tradit. Eſſéque in Scripturis approbatum vſum illum quo *bonum* pro *pulchro* ſumitur, notauit D. Auguſt. 15. Ciuit. cap. 13. Ex profanis autem, plurima in eandem ſententiam coacernauit Tiraquellus l. 2. connub. num. 10.

Quæ cùm ita ſint, perſpicuum omnino eſſe debet, admodùm inſulſam eſſe quæſtionem, in qua Platonici, multa ſolent verba profundere, veſtigantes, cur c. 1. & Max Tyrius diſſert. 11. paſsimque alij eiuſdem Scholæ ſcriptores, referunt ad memoriam primi ac ſummi & puriſſimi pulchri, ab anima, priuſquam corpori inſereretur, perſpicuè percepti, & dilecti, cuius veſtigia & participationes aliquas, in his inferioribus occurrentes, refricare ſummi illius pulchri memoriam dicunt? atque ita eius recognitione excitari amorem cuiuſuis pulchri. Quod ſomnium non eſt huius loci conuellere. Nec eſt ſanè huic loco neceſſaria, ea diſquiſitio. Ex iis enim quæ præmiſſa ſunt, liquidò patet, quæſtionem eſſe inanem, cur pulchrum

chrum ametur. Nam ſi pulchrum idem eſt quod bonum; appetitus autem proſequentis obiectum, non aliud eſt quàm bonum; perinde facit qui rogat cur pulchrum ſit amabile, ac qui rogaret, cur coloratum ſit viſu perceptibile; & cur ſapor ſit guſtatilis, quod ineptè quærendum, nemo non videt. Sicut Ariſtoteles vt eſt apud Laërtium in vita & apud Stob. ſer. 63. rogatus cur quæ pulchra ſunt, amarentur; hanc cœci eſſe interrogationem reſpondit.

151. Non repudio tamen, illam in hanc rem rationem quorundam Platonicorum. Nempe quod idcirco pulchrum; amorem ad ſe attrahat, vt paleas ſuccinum; quia cùm pulchritudo omnis, ſit veluti radius quidam atque veſtigium immenſæ illius pulchritudinis, quæ in Deo elucet, contingat neceſſariò, vt quemadmodum diuina bonitas, amorem ſui contuentibus extorquet: ita & creata pulchritudo, tanquam illius participatio & imago, aliquem ſui amorem excutiat. Et quamuis pulchritudo creata quæ ad increatam maximè accedit, abdita ſit intus in animo; Tamen pulchritudo corporis refert & exprimit animorum pulchritudinem. Quandam enim animi imaginem exiſtimamus eſſe faciem, cùm aliud animi male conſtituti argumentum non ſuppetit. Proptereáque iuxta Publium Mimum, *formoſa facies, muta commendatio.* Itaque ex pulchritudine, ſiue perfectione externa, æſtimantes internam, ferimur in eam amore; per florem hunc bonitatis, foras prumicantem, pertingentes ad ſemen eius; internam ſcilicet bonitatem ac perfectionem, à ſummo ac vero bono deriuatam.

Quomodo pleraque inhoneſta & fœda amentur.

Iuuat hîc illud obiter non præterire, quod ad rem moralem maximè facit, éſtque ex doctrina proximè poſita, optimè erutum à Maximo Tyrio diſſert. 11. n. 66. Videlicet quorſum pleriſque prauis concupiſcentiis, nomen amoris inditum ſit. [Putáſne, *inquit*, alterius rei amorem quàm pulchritudinis amorem eſſe? Nihil minus enim quàm amor eſſet, niſi circa ipſum pulchrum verſaretur: Scire ergo velim, cùm Darium amare pecunias dicimus aut Xerxem, Græcorum terram; aut Clearchum, bellum; aut Alcibiadem, Siciliam; aut Gylippum, aurum; manifeſtámne pulchritudinem aliquam videamus, cuius ſpe atque illecebris, qui amor à nobis dicitur, ſinguli impellantur, vt alium hoc, alium illud amare dicamus. Abſit verò. Eo enim modo quæcunque apud homines turpiſſima ſunt, neceſſe eſſet alieno exornare nomine, atque ipſi vim inferre veritati. Quis enim pulchrum aut honeſtum, vel in diuitiis, re omnium improbiſſima; vel in bello, omnium incertiſſima; vel in tyrannide, omnium crudeliſſima; vel in auro, omnium ſuperbiſſima, ponet?] En dubij propoſitionem. Sequitur diſſolutio, quam mox his verbis ſubiicit, aucta primùm nonnihil difficultate. *Nihil pulchrum dici poteſt, quod cum damno aut periculo coniunctum eſt, quod flagitia patrat, quod in miſeriam, quod in calamitatem hominem deducit, quod in pœnitentia deſinit. Eſto. Diximus, amorem, ipſius pulchri amorem eſſe: vt qui aliud amet quàm pulchrum, neceſſariò voluptatem amet. Mutemus, ſi placet, verbum vnum, eóſque qui voluptatem ſequuntur, non amare ſed concupiſcere dicamus.* In his poſtremis verbis, habes difficultatis dilutionem. quæ eo etiam erit manifeſtior, quo magis conſiderabitur, obiecti pulchritudinem, ex amantis æſtimatione pendere.

Abuſus, donantium amoris nomine, fœdam cupiditatem.

152. Ex eodem fundamento, laudatus proximè Tyrius diſſert. 8 n. 47. confirmat, eos abuti nomine amoris, nec eſſe amatores veros, ſed æquiuocè tantùm, qui affectum amoris prodigunt in obiecta reuera non pulchra; cuiuſmodi ſanè ſunt omnia verè fœda, id eſt, rationi aduerſantia, & moraliter mala. Nam ſi quod pulchrum ſiue bonum eſt, pro amoris obiecto rectè ſtatuitur, planè illud vnum erit veri amoris obiectum, quod verè bonum, veréque pulchrum eſt. Homini autem, qui ad rationis amuſſim omnia dirigere obſtringitur, nihil reuera debet pulchrum & bonum videri, quod pugnet cum regulis rationis rectæ, ſítque moraliter malum. Quicquid igitur huiuſmodi eſt, longè abeſt à vero amore; & qui in ea obiecta amore abutitur, in album verorum amatorum referri non poteſt.

Hoc in omnibus propè Barbaris, culpat Dio Chryſoſt. orat. 1. quos expoſtulat, perinde ac pecudes, amorem non niſi in ſordibus defigere; & Dædali imitatione, qui taurum decepit, ligno tergore bouis circundato, ſpeciem muliebrem circumponere amatoribus, alios autem amatores neſcire: cùm tamen hæc non ſint niſi ſimulachra amatorum. *Quemadmodum faceremus*, ait Tyrius ſupra, *ſi duo nobis explorandi eſſent argentarij: alterum namque qui legitime nummo, praeferret eum, qui videretur tantùm, procul à ſcientia abeſſe diceremus: alterum contrà, qui veritatem tangeret, peritum eſſe concederemus. Eodem modo, ſcientiam amandi, in ipſius pulchri natura, tanquam in nummo quodam explorando, verſari dicamus. Si enim pulchrum duplex eſt, quorum alterum videtur eſſe nec eſt, alterum videtur & eſt; neceſſe eſt, eos qui pulchrum illud and uni quod videtur, nec eſt, ſpurios & adulterinos amatores eſſe: Contra, qui illud quod videtur, & eſt, veros amatores & eſſe, & verum pulchrum amare.* Et perpulchrè diſſert. 10. n. 59. & 60. negat amorem eſſe qui ratione non dirigitur, nec fertur in obiectum hominem decens, eóque modo, quo decet: ſed morbum eſſe ait, animæ perniciosiſſimum, quamuis communitas nominis pleriſque imponat, non ſatis perpendentibus, aliud eſſe, amorem verè dictum, aliud, intemperiem animi, & exturbationem ex interna ſanitate.

Eſt petulantia, non amor.

153. Hoc planè ſolido & firmo principio nixus, optimè & ſapientiſſimè concludit idem Maximus, fœdum amorem, longiſſimè abeſſe à vero amore, qui potiùs animi ex legis & effrænis petulantia nominandus fuerat; *Vel amoris idolum*, vt S. Dionyſ. c. 4. diuin. nom. appellauit; aut quod ſeipſum corrigens ſubdit, *à vero amore prolapſionem.* S. Auguſtinus 3. Confeſſ. c. 1. vocat *coinquinationem vera amicitia per ſordes concupiſcentia, & obnubilationem candoris eius, per tartaream libidinem.* Et rurſus cap. 2. iterat, *hunc amorem de vena amicitia eſſe, ſed decurrere in torrentem picis, bullientis in aſtus immanes tetrarum libidinum, vbi ipſa mutatur & vertitur, de cæleſtiſ ſerenitate detorta atque deiecta.* Pythagorei aliíque ὕβριν nominabant, ſine iniuriam. Loca benè multa ſignat interpres Tyrij ad diſſert. 7.

Adſcribo partem ſapientiſſimæ rationis Maximi, tanquam antidotum aduerſus peſtem orbe vniuerſo graſſantem. *Sit igitur appetitus quidam animæ ipſe amor, qui fræno indiget, non minùs quàm equus generoſus. Nam ſi quocunque volet, animum*

abire

ab re permittes, non aliud agis, vt Homerica ſimilitudine vtar, quàm ſi equum adultum in campo exultare ac ferocire ſinas: Vt nec lauacra petat quæ debet, non curſus è domitore præſcriptos exerceat, ſed ſine habenis, ſine vllo inſpectore paſſim feratur. Atqui vt iucundum eſt, videre equum ſolutum, ita fœdum, audire libidinoſum amorem, Hic eſt, qui rupes tranſilit, fluuios tranat, gladios arripit, laqueos nectit, nouercam inuadit, inſidiatur priuigno, exlex, furioſus, intempeſtiuus. Hic eſt, quem tragœdia in ſcenis depingunt, qui in fabulis accenſetur furiarum pleniſſimus, pleniſſimus lachrymarum Hic eſt, qui lamentatur, qui gemit, qui rarò felix eſt, qui præter æquũ bonúmque effertur, mutationi cuilibet eſt obnoxius qui ſubito impetu in voluptates corporis rapitur, qui corpus corpori miſcere ardet, qui neque honeſtũ neque legitimum, neque amatorium verè complexum petit. Quia enim nomen audit pulchritudinis, impellitur Quia veram ignorat pulchritudinem, decipitur. Deſcribit reliqua diſſertatione pereleganter, in quæ & quàm tetra, ſpurius hic amor, vbi rationis frænum excuſſerit, miſerum hominem præcipitet præſertim ſi voluntatis impetum, & appetitus efferationem facultas comitetur.

Iuuat hæc illuſtrare ex Plauti mercatore, paucis, ſed graphicè luem illam amoris in ſuis effectibus deſcribente.

——Amorem hæc cuncta vitia ſectari ſolent,
Cura, ægritudo, nimiáque elegantia.
Hæc non modò illum qui amat, ſed quémque attigit,
Magno atque ſolido mulctat infortunio,
Nec pol, profectò quiſquam ſine grandi malo,
Præ quàm res patitur ſtuduit elegantiæ
Sed amori accedunt etiam hæc quæ dixi minus:
Inſomnia, ærumna error, terror, & fuga,
Ineptia, ſtultitiáque, adeò & temeritas,
Incogitantia excors, & immodeſtia,
Petulantia, cupiditas, & maleuolentia:
Inhæret etiam auiditas, deſidia, iniuria,
Inopia, contumelia, & diſpendium,
Multiloquium pauciloquium. Hoc ideò fit, quia
Quæ nihil attingunt ad rem, nec ſunt vſui, hæc
Amator profert ſæpè aduorſo tempore.
Hoc pauciloquium rurſum iccirco prædico,
Quia nullus vnquam amator, adeo eſt callidè
Facundus, quæ in rem ſint ſuam, vt poſſit loqui.

Alia in hanc rem quàm plurima, pete ex Baptiſta Platina Dialogo contra amores. Et ex parte huc ſpectãt ſymbolica quæ infra dabo n.1-0.

Cauſa amoris minùs præcipua: Ac primùm ſimilitudo.

154. Ad propoſitam primariam & radicalem amoris cauſam ex obiecto ductam, reducuntur aliæ quædam minùs præcipuæ, quæ per ordinem ad illam primariam, vel ex ea, vim voluntatem alliciendi, & amorem ingenerandi nanciſcuntur. Huiuſmodi in primis eſt, ſimilitudo. Omne enim animal, vt eſt apud ſapientem, diligit ſimile ſibi. Latiſſimè, & corrogatis vndecunque teſtimoniis, id confirmat Tiraquellus lege 5. connub. à num. 10 Et ratio eſt perſpicua. Nam in iis, qui nobis ſunt ſimiles, elucemus ipſi quodammodò, velut in ſpeculo, vt eſt apud Philoſophum 2. magnorum moral cap. 18. At nemo eſt, qui ſeipſum non diligat impenſiſſimè. Quia, quæ eſt iudiciorum noſtrorum qualitas, ſemper quæ noſtra ſunt, bona & optima iudicamus. Eodem igitur amoris impetu, quo quiſque in ſeipſum fertur, tanquam in aliquid optimum, fertur etiam in eos, quos ſimilitudine ſibi quàm propinquos conſpicatur, minimúmque à ſe diſſitos, atque adeo bonitate quoque coniunctos æſtimat. Ex quo liquet, qua ratione hæc amoris cauſa in primarium amoris fontem, hoc eſt, bonitatem, reducatur.

Eſt autem hæc amoris cauſa adeo efficax, vt non dubitet Nazianzenus orat. 18. affirmare, ſimilitudinem ſtudiorum, atque inſtitutorum, non minùs deuincire, quàm conſanguinitatem & affinitatem. Non eſt tamen quod quis aduerſus eam amoris procreationem ex ſimilitudine, opponat ſimultates, quæ plerunque inter ſimiles, & eiuſdem conditionis ac inſtituti homines, excitantur; iuxta illud ex Heſiodo à Dione Chryſoſtumo orat 77. celebratum, & ad omnia artificia extenſum, *figulus figulo inuidet.* Id enim omnino ex accidenti oritur: quatenus videlicet, etiamſi ob ſimilitudinem ſe diligerent; tamen mutuo ſe impediunt, in conſecutione alicuius boni, quod vtrique conſectantur. vt g. quia alter lucro alterius, aut prædæ obſtat. Et idcirco, vt Dio ibid oſtendit, ſecluſo eo incommodo, artifices inuicem amant.

151. Similitudinis porro nomine pauliſper extenſo, venit etiam (vt vides,) idem inſtitutum ac etiam æqualitas vt habetur ex Philoſoho 8. Ethic. cap. 12. cùm de iuuenum & ſodalium amore agit. Nam æqualitatem, etiam ſimilitudinem aliquam, tradit quoque Boet. 1. de muſica cap. item 1. Ariſtoteles citato capite, idem ſtatuit de conuictu præſertìm diuturno. Quanquam enim hic quoque, per accidens, & ob næuos quos detegit, diſcindat plerunque beneuolentiam, tamen per ſe loquendo, eam ingenerat. Audi S. Aſterium homil. 5. *Conſuetudo conuictúſque longi temporis, ne calcetur, quæ faciunt vt etiam bruta animantia ægrè disiungantur, Vidi certè bouem, quòd aberraſſet ab armento, ſolúſque ſibi relictus eſſet miſerabiliter mugientem: pecudem item balantem, montéſque percurrentem, & ſaltus, dum ad gregem rediiſſet, à quo inter paſcendum receſſerat. Sed & caprea idem paſſa, quanquam in varios incidit greges, prætercurrit, nec ante curſum ſiſtit, quàm vbi ſuum, cui aſſueuit, & gregem & caprarium reperit.* Ex quo meritò infert cauendum diligenter eſſe, *Ne brutis ipſis, nos, qui rationis ſumus participes, deteriores exiſtamus.* Et mox: *Vides quemadmodum quos via publica iunxit, idémque tectum ac diuerſorium, aut vmbroſa per æſtum meridianum arbor excepit, fortuitum occurſum in occaſionem amicitiæ rapiant, & cùm ad diuortia viarum peruenerint, non ſine ægrimonia diuellentur, ac ſublachrymantes, & fixis alter in alterum oculis conſiſtant, ſymboláque mutua largiantur: vt progreſſi deinde paululum, rurſus ſeſe conuertant, renouatiſque fauſta ac felicia precentur vt denique breuis vſura temporis, tam arctam iungat amicitiam, vt ægrè digredi, cogendique cautùm non videantur.* Idem de ſimul peregrinantibus & militantibus, déque munerum eorundem conſortibus, notat Gordian. Imperator l. *Cum allegas C. de caſtrenſi peculio*, A Fabio idem notatum eſt de condiſcipulis. Quam in rem illuſtre eſt exemplum M. Antonini Philoſophi & Imperatoris; qui ad imperium euectus, condiſcipulos olim ſuos, auxit honoribus & diuitiis.

Amor, philtrum amoris.

Eadem planè eſt cauſa, cur amor amorem pariat, & incendat, facíléque marceat amor, quem redamatio non excipit. Quod latiſſimè confirmat Tiraquellus lege 13. connub. num. 44. Et ratio eſt perſpicua. Exiſtimamus enim, eum à quo diligimur, bonum eſſe. Vnde nihil promptius, quàm vt in illum concitemur beneuolentia, E contra autem, eum qui nos amore non proſequitur, nominatímque ſi amatus non redamat, facilè adducimur, vt exiſtimemus deſtitutum.

tum bonitate, quam exiſtimationem, rigor voluntatis conſequitur, & amoris, ſi priùs conceptus fuerat, reſtinctio. Itaque hoc eſt philtrum expeditiſſimum, & innoxium, vt Hecaton ritè dixit apud Senecam epiſt 9. Recte item S. Ambroſ. 2. offic. cap 7. *Ad incrementum charitatis communis, plurimùm proficit, ſi quis vicem amantibus reddat, nec minùs redamare ſe probet, quàm ipſe amatur, idque amicitiæ fidelis patet exemplis. Quid enim tam populare quàm gratia? Quid tam inſitum naturæ, quàm vt diligentem diligas? Quid tam inolitum atque impreſſum affectibus humanis, quàm vt eum amare inducas in animum, à quo te amari velis?* S. Auguſtinus egregiè omnino idem expreſſit l. de catech. ind. c. 4. oſtendens quantum amoris incentiuum humano generi præbuerit Deus, amando nos exaggeratiſſimo illo amore quo filium ſuum pro nobis tradit vt *ſi amare pigebat, ſaltem redamare non pigeat. Nulla eſt enim maior ad amorem inuitatio, quàm præuenire amando, & nimis durus eſt animus qui dilectionem ſi nolebat impendere, nolit & rependere. Quod ſi in ipſis flagitioſis & ſordidis amoribus, videmus nihil aliud eos agere qui amari vicißim volunt, niſi vt documentis quibus valent, aperiant & oſtendant quantum ament, eámque imaginem iuſtitiæ prætendere affectant, vt vicem ſibi reddi quodammodo flagitent ab eis animis quos illecebrare moliuntur, ipſique ardentius æſtuant, cum iam moueri eodem igne, etiam illas mentes quas appetunt, ſentiunt: ſi ergo & animus qui torpebat cum ſe amari ſenſerit excitatur, & qui iam feruebat cum ſe redamari didicerit, magis accenditur; manifeſtum eſt, nullam eſſe maiorem cauſam qua vel inchoetur vel augeatur amor, quàm cum amari ſe cognoſcit qui nondum amat, aut redamari ſe vel poſſe ſperat, vel iam probat qui prior amat. Et ſi hoc etiam in turpibus amoribus, quanto plus in amicitia. Quid enim aliud cauemus in offenſione amicitiæ, niſi ne amicus arbitretur, quòd eum vel non diligamus, vel minùs diligamus quàm ipſe nos diligit. Quod ſi crediderit frigidior erit in eo amore, quo inuicem homines mutua familiaritate perfruuntur: & ſi non ita eſt infirmus, vt hæc illum offenſio faciat ab omni dilectione frigeſcere, in ea ſe tenet, qua non vt fruatur, ſed vt conſulat diligit.*

156 Hoc eſt quod ille alius rectè monebat; *Marce, vt ameris, ama.* Perpulchrè idem tradit Philoſtratus, in amorum imagine. Scitè præterea Græci, vt eſt apud Themiſtium orat. 7. id expreſſerunt inuolucro fabulæ, qua natum amorem, quouſque Anteros naſceretur, exilem ſemper & puſionem, commenti ſunt. Fabellam his verbis deſcribit Themiſtius. [Olim cùm amorem peperiſſet Venus, cætera quidem formoſus, & parente ſua dignus videbatur. Hoc vnum deerat, quòd in iuſtam ac pulchritudini congruentem ſtaturam non excreſceret, neque augeret corpus, ſed diu qualis editus fuerat, permaneret. In hoc tanta nouitate, cùm & mater, & nutrices infantis Gratiæ, quid agerent, neſcirent; Themidem adeuntes, (nondum enim Apollo Delphos obtinebat;) orabant, vt exitum aliquem puero, tam inauditæ támque inuſitatæ calamitatis oſtenderet. At illa, Ego, inquit, vos ea anxietate & cura liberabo, nondum enim naturam noſtis infantis. Tuus ille, Venus, amor germanus ac ſyncerus, vtcúmque naſci ſolus poteſt, creſcere ſolus non poteſt: ſed Anterote tibi opus eſt, ſi Erotem cupis creſcere. Natura autem hæc amborum fratrum erit. Mutuò alter alteri, incrementi cauſa erit: cùm enim ſeſe inuicem aſpexerint, æqualiter adoleſcent; ſin alterum deerit, ambo minuentur. Sic Anterotem Venus parturit, ſtatimque gliſcere Eros cœpit, & pennas producere, ac fieri grandior. Itaque tanquam ei ſorti ac conditioni obnoxius, mirabiles ſæpè caſus varietatéſque ſuſtinet, modò vigens creſcénſque, alias marceſcens, rurſum incrementum capiens: ſed fratris perpetuò ſocietatem deſiderat, quem cùm magnum animaduerterit, maior eſſe contendit; eundem, vbi paruum ac contractum deprehenderit, ſæpenumerò ipſe marcet, minuitúrque vel inuitus.] De erote & Anterote formoſiſſimis puſionibus à Iamblicho è balneis Gadaræ in Syria eductis per magicam faſcinationem, narratio habetur apud Eunapium in Iamblicho. Fusè item Petrus Hœdus libris duobus Anteroticorum. Amor itaque (qui eſt huius fabulæ ſcopus,) amorem parit. Habet verò cum hac amoris cauſa affinitatem, imitatio. Quam eſſe amoris conciliatricem aptiſſimam, notauit Syneſius epiſtol. 31. Prodimus enim amari & ſuſpici à nobis, quem imitatione exprimendum ſuſcipimus. Vnde facile adducitur vt bonum & amandum indicet, quem ſibi, hoc eſt, amoris ſui metro, imitatione coniunctum videt.

Item conuerſatio, atque colloquia.

Ad hæc quia commercium alloquiorum, teſtimonium ſuppeditat rependi amoris; inde eſt quòd fouetur amor conuerſatione mutua atque colloquiis. Silentio autem, frigeſcit; ſæpéque etiam riget omnino amor, cùm ij qui velut hirundines voce & clamore ſe in amicitiam inſinuarunt, ſilentio denigrant, vt Syneſius epiſt. 137. iocatur. Qui ibid. ex quodam Sophiſta eruit vſus epiſtolarum, commendationem, *Audiui*, inquit, *aliquando diſertum ac copioſum hominem, qui epiſtolarum vſum vtilitatémque commendaret. Quod ipſum multorum & admirabilium ſermonum argumentum, Sophiſta ille inſtituerat. Caterùm eius rei præconium, cùm ex aliis multis capitibus, tum ex vno potiſſimum arceſſebat. quod epiſtolam diceret infelicium amorum eſſe ſolatium: vt poté quæ per abſentiam corporum. imaginem quandam præſentiæ referret, eóque ipſo quòd colloqui videretur, animorum deſideria ſatiaret. Ob hac igitur epiſtolarum inuentorem laudabat, atque hoc munus non ab vllo homine profectum, ſed à Deo in homines eſſe deriuatum, exiſtimabat.* Minus apertè ſed viriliter de amore Ennodius lib. 5. epiſt. 2. *Rariceſcit charitas, quam verborum auarus deſpicit ventilator. Sine cultura eſt diligentia, in vſum non reducta per paginas ſtyli frequentia, viuaci pabulo, inſitam pectoribus nutrit amicitiam.*

Et labor in re paranda impenſus.

157. Non eſt præterea quærenda alia cauſa, amoris quo pretioſa habemus & chara, quæ multo labore parauimus; eóque chariora illa habemus, quòd fuit eorum comparatio vel retentio operoſior, iuxta illud Senecæ 1. de benef. c. 11. *Lenocinium eſt muneri, antecedens metus.* Facilè porro in hac quoque amore eam, quam aſſignaui cauſam perſpiciet, qui aduerterit, in huiuſmodi rebus hominem ſuos labores veluti inſpicere. Eos autem quod à ſe prodierint magnifacit. Et quò difficilior fuerit enixus, quia pluris conſtiterint, plus etiam amabuntur. Ariſtoteles ſanè 9. Ethic. c. 7. eò ex parte refert cauſam, cur matres prolem ardentiùs diligant quàm patres. Et inde etiam ortum ducit acrior in ſenibus parſimonia, & tenacitas, ex amore in res tanto labore partas, quas facilè deinde hæres, laborum parentis neſcius dilapidabit. Præterquam quod inter laborandum diu ac aſſiduè, amor veluti exacuitur interuentu deſiderij tanquam cotis. Quæ cauſa eſt cur parentes, liberos

quos

quos ſenes ſuſceperunt, diu deſideratos, multò plus ament, vt notauit Philo lib. de Abraham.

Eadem ratione, *vltronea merces putent*, iuxta D. Hieronymum epiſt. 8. *& pretia facilitate decreſcunt, quæ ſemper in raritate maiora ſunt* Deus ipſe, quod Nazianzenus orat. 26. notauit, poſuit tenebras latibulum ſuum, ne adeptam ipſius cognitionem parui faceret homo, qui quæ ſunt paratu facilia, minimi facit, vt idem Nazianzenus obſeruat, ibidem, & orat. 28. *initio*. vbi id ex quodam antiquo confirmat. Eam ipſam ob cauſam, vt notat Auguſtinus tract. 96. in Ioann. negata olim catechumenis myſteriorum Eccleſiaſticorum inſpectio, vt tanto eam impenſiùs amarent adepti, quanto diutiùs expetiiſſent adipiſci. *De roſis*, ait S. Baſil. epiſt. 149. *quendam ſiue ioco, ſiue ſerio referentem audiui, quòd roſarum amatoribus natura minutas illas ſpinas quaſi quadam amatoria illectamenta, iſti flori affixerit, vt ſtimulis illis agrè contactum admittentibus, ad maius deſiderium colligendos prouocet.* Apud Caſſiodorum l. 9. epiſt. 24. Rex Athalarius promouens aliquem ad prætorij præfecturam, rationem reddit laſſatorum pro eo publicorum votorum, vt deſiderabilior adueniret. *Habet hoc enim humana conditio, vt celeriùs adepta faſtidio ſint, dum omne pretioſum vileſcit oblatum, econtra dulciùs accipitur, quod ſub aliqua dilatione tractatur.* Ennodius quoque l. 2 epiſt. 9. *Mens humana dum pretium propriæ ambitionis intelligit aſſueſcit plus amare ad quod tardè peruenit. & dum abundat in præſentia quo delectetur, magis ſupereſt quod requirat.* Nimirum vis voluntatis quaſi irritata, acriùs ſtringit quod diu vacuo appetitu proſequitur.

Rei raritas.

158. Raritatem inter amoris cauſas numerarat Cardanus, quem reiicit Scaliger exercit. 301. & meritò ſi raritas per ſe ſpectetur, ſi ſeorſim à bonitate. Quid enim raritati, cum amore? An enim monſtra, quæ rara & infrequentia ſunt, non auerſamur? Prout tamen raritas, rei pretium & bonitatem auget, conducit ad amorem. Hinc vnici filij amor, eſt longè intenſior vt propterea quod ex variis Plauti, Tulliique, & aliorum locis notauit Tiraquellus in præfat. operis de iure primig. num. 74. vnicè diligere, tracta locutione ab vnigeniti filij dilectione, idem ſit quod impensè, & eximiè diligere. Illius ergo in vnicam prolem intenſioris amoris, quem ibidem Tiraquellus latè confirmat, vera cauſa aſſignanda eſt, non modò quia eſt ſcintilla, & vniuerſæ poſteritatis ſpes, quod ad eam amoris radicem pertinet, quia parentes ſeipſos amant & ſuam perpetuitatem: Neque duntaxat quia amor parentum in alios liberos non diuiſus, vnitior eſt, & fortior: ſed etiam quia proles vnica, ob raritatem ſuam, creſcit pretio & bonitate.

Eam ipſam ob cauſam vt rurſus infra n. 195. attingendū erit tractando deſiderij & delectationis cauſas, quæ alibi obuia ſunt; ibi vilia ſunt: alibi raritate commendantur. *Omne quod rarum eſt*, ait S. Hieronymus epiſt. 85. *plus appetitur Pulegium apud Indos, pipere pretioſius eſt.* Idem in tradit. ad lib. Reg. ad cap. 3. pretioſa eſſe quæ rara, obſeruat tractans illud, *Sermo Domini erat pretioſus*, id eſt, rarus & infrequens. Eo conſilio pleriqve olim Principum, vt pretioſior haberetur conſpectus ipſorum rarò in publicum prodibant. Exempla ſignat Pineda lib. 5. de Salom. cap. 9. n. 1. quibus addendus inſignis locus ex Panegyrico Pacati Theodoſium laudantis, quod pertæſus anteriorum quorundam Imperatorum morem qui maieſtatem imminui & vulgari putabant, niſi eos intra repoſitum Palatinæ ædis incluſos, tanquam aliquod Veſtale ſecretum veneratio occulta contuliſſet: niſi intra domeſticam vmbram iacentes, ſolitudo prouiſa, & ſilentia latè conciliata vallaſſent, & aliquando proditum ſecretum in publico feciſſent: Ipſe non magis communem, diem ac Solem quàm Imperatoris conſpectum præſtitiſſet. Nimirum quod aliter ſibi, maieſtatique ſuæ, pretium conciliaſſet, quàm raritate & infrequentia publici conſpectus; quamuis ea quoque, cùm deficiunt priores cauſæ, poſſit ad pretium & maiorem æſtimationem conferre. Quæcunque item prærogatiuæ ac decora. ex infrequentia & raritate, multò magis ſplendeſcunt. *Quantò acceptius eſt* inquit Seneca 1. de benef. c. 12. *ſi id damus, quod quis non habet, quam cuius copia abundat, quod diu quærit, nec inuenit, quàm quod vbique viſurus eſt? Munera non tam pretioſa quam rara & exquiſita ſint, quæ etiam apud diuitem ſui locum faciunt: ſi ut gregalia quoque poma, etiam poſt paucos dies itura in faſtidium, delectant, ſi prouenere maturius. Illa quoque non erunt ſine honore, quæ aut nemo illis alius dedit, aut nos nulli alij.* Nimirum ob raritatem & infrequentiam, vt patet ex ſubiecto exemplo, in quo minus alioqui leuidenſe, raritate præſertum & infrequentia eſt commendatum. *Alexandro Macedoni cum victor orientis, animos ſupra humana tolleret, Corinthij per legatos gratulati ſunt, & ciuitate illum ſua donauerunt. Cùm riſiſſet Alexander hoc officij genus, vnus ex legatis, Nulli inquit, ciuitatem vnquam dedimus alij, quàm tibi & Herculi. Libens accepit delatum honorem, & legatos, inuitatione, aliáque humanitate proſecutus, cogitauis, non qui ſibi ciuitatem darent, ſed cui dediſſent.*

159. Ad hæc Ariſtoteles 1. Rhetor. cap. 7. conferens inter ſe bona, præfert quæ ſunt rariora. quod difficilior ſit eorum adeptio; quamuis ex alio capite fateatur quæ frequentiora ſunt, eſſe meliora quatenus multò maiorem vſum habent. Quod probat ex eo quòd aqua vulgatiſſimum quid eſt, & tamen à Pindaro dicitur optima, quia vtiliſſima. Subſcribit Theophraſtus cap. 9. ſuæ Metaph. affirmans raritatem eſſe pretij argumentum, & omnia quæ obuia & plurima ſunt, vileſcere. Quam in rem lepidum exemplum memorat Ioſephus à Coſta lib. 4. hiſtor. Indic. cap. 1. cios, qui cùm vnius gemmæ pretium quam exhibebat, ab aurifice exquireret, reſponſum retulit eſſe pretioſiſſimam. Mox prolata capſola ſimilibus gemmis referta, depretiationem ex multitudine retulit. *Nimirum*, ait Tertullian. lib de habitu mul. cap. 7. *hæc omnia de raritate & peregrinitate ſola gratiam poſſident. Denique intra terminos ſuos patrios, non tanti habentur. Semper abundantia, contumelioſa in ſemetipſam eſt. Apud Barbaros quoſdam, quia vernaculum eſt aurum & copioſum, auro vinctos in ergaſtulis habent, & diuitiis malos onerant, tanto locupletiores, quanto nocentiores.* Quare non eſt abſcorum, quomodo hæc amoris cauſa, ad principalem illam, quam propoſui reuocetur: Æſtimatur enim maius bonum, quod rarius.

Beneficentia.

160. Reuocatur ad eándem primariam amoris cauſam illa alia quæ eſt ex beneficiis collatis. S Chryſoſtomus in Pſal. 41. hanc vnam è tribus quas proponit, capitalibus amoris cauſis eſſe oſtendit. Et meritò. Quis enim numeratorem ſuum, præſertim magnificum, non diligat? Etiam feræ, pro exiguis licet beneficiis, amorem rependunt: propterеáque canem, *viuum gladium*, nominat Nyſſ. lib. de homin. opific. c. 7. quòd domini à quo alitur, & domo excipitur, amantiſſimus ſit; & illi defendendo, alacriter operam nauet.

Minùs

Minùs itaque mirum eſt, etiam maximè agreſtia pectora, molliri beneficiis, & ad amorem excitari. Nimirum pro eo affectu, quo quiſque ſeipſum diligit, facile adducitur vt beneficia in ipſum conferre, boni viri eſſe arbitretur, vnde amor in illum & beneuolentia excuditur.

Notat tamen Ariſtoteles 9. Ethic. cap 7. beneficos magis amare eos, quos bonis affecerint, quàm ab ipſis amentur. Relata autem, & reiecta, cauſa quadam huius rei minùs idonea, hanc de ſuo ſubiicit. *Vnuſquiſque opus proprium magis amat, quàm ab opere amaretur ſi animatum fieret, &c. Huic rei ſimile eſt, quod ad benemeritos attinet. Nam beneficio affectus, opus ipſorum eſt: Id igitur amant magis quàm opus eum qui effecit. Huiuſce rei illud in cauſa eſt, quòd eſſe eſt expetibile, atque amabile omnibus. Sumus autem operatione & actu: viuendo enim atque agendo ſumus. Qui fecit igitur; operatione, opus ipſum quodammodo eſt: quocirca amat opus, propterea quod eſſe appetit. At hoc naturale eſt. Quod enim poteſtate eſt, id operatione opus ipſum indicat.* Non poterat apertiùs eam quam propoſui, primariam amoris cauſam prodere ad quam etiam pertinet hæc altera ratio, quam continenter ſubdit. *Adde quod ei qui beneficium contulit, honeſtum illud eſt quod actione eſt perfectum. Quare gaudet eo, in quo illud eſt. Qui verò affectus eſt, nihil honeſti habet in illo qui affecit. Sed ſi modò quicquam habet, id eſt, quod conducit: at id minùs iucundum atque amabile eſt. Præſentis ſiquidem operatio; futuri ſpes; facti, memoria iucunda eſt. At iucundiſſimum eſt quod operatione conſiſtit, atque amabile ſimili modo. Ei igitur qui affecit, opus permanet, honeſtum enim eſt diuturnum. Ei verò qui eſt affectus, præterit vtilitas.* Itaque verè dicitur, amorem licet igneæ naturæ deſcendere potiùs, quàm aſcendere. Succenditur tamen mirum in modum amor inferioris deprehenſo illo ſuperioris in ſe amore cauſam his verbis aperit S. Auguſtinus l. de catechiz. rud. c. 4. *Operæpretium eſt animaduertere, quomodo quanquam & ſuperiores velint ſe ab inferioribus diligi, eorúmque in ſe ſtudioſè delectentur obſequio, & quanto magis id ſenſerint, tanto magis eos diligant: Tamen quanto amore exardeſcat inferior, cum à ſuperiore ſe diligi ſenſerit. Ibi enim gratior amor eſt, vbi non æſtuat indigentiæ ſiccitate, ſed vbertate beneficentiæ profluit. Ille namque amor ex miſeria eſt, iſte ex miſericordia. Iam verò ſi etiam ſe amari poſſe à ſuperiore deſperabat inferior, ineffabiliter commouebitur in amorem, ſi vltro ille fuerit dignatus oſtendere, quantum diligat eum qui nequaquam ſibi tantum bonum promittere auderet.*

Radix amoris liberorum in parentibus.

161. Ex eadem nobiſcum coniunctione, proindéque apprehenſa facilè bonitate, exſiſtit amor parentum in liberos, liberorúmque in parentes, fratrum item in fratres, & cognatorum in cognatos. De quo præclarè Ariſtoteles 8. Ethic. cap. 12. oſtendens amorem, qui eſt inter conſanguineos, totum proficiſci ex parentibus, quod eſt fundamentum totum identitatis eorum. *Parentes enim*, inquit, *amant liberos quaſi ex ſe quiddam ſint: liberi autem parentes, quaſi ex illis quippiam ſint.* Hinc infert Ariſtoteles, maiorem eſſe parentum amorem in liberos, quàm liberorum in parentes. Id quod præter certitudinem maiorem quàm parentes habent, (mater præſertim, vt ait lib. 9. c 7.) quod hi ſint ipſorum liberi, quàm habeant liberi, quod hi ſint parentes ipſorum; confirmat maximè ex eo quòd *maiorem id à quo aliquid eſt, cum genito habet neceſſitudinis coniunctionem, quam quod factum eſt, cum eo qui fecit. Proprium enim ei à quo oritur quippiam, eſt id quod ex ipſo oritur, vt dens, vt capillus, & quodlibet ei qui habet. Illorum autem nulli, id à quo oritur, vel minus.* Senſus eſt. Quod ab aliquo oritur eſt aliquid eius, à quo oritur: Sic dentes, capilli, vngues aliquid ſunt illius corporis à quo oriuntur, & eius quaſi partes. At pars, propria eſt totius, non autem viceuerſa. Itaque parentes, ſe habent ad liberos, vt ad aliquid ſui; liberi autem ipſi, ſi ſe cum parentibus conferant, agnoſcant tanquam diſiunctos, quod parentes non ſint proprij ipſorum. Ex quo concludit mox Ariſtoteles. *Parentes igitur filios vt ſeipſos amant. Qui enim ex ipſis oriuntur, ſunt quaſi alteri ipſi, dum ſeparati ſunt; filij autem parentes vt ab illis producti.* Atque adeo nonnihil minus, ob diſiunctionem interpoſitam, vt D. Thomas ibi lect. 12. rectè expoſuit Quamuis flagrent ipſi quoque, cùm ſapiunt, amore in parentes, cum quibus ſe vnum fuiſſe agnoſcunt, præter reliquos amoris titulos ibi adunatos.

Ardens hic parentum in liberos amor, etiam brutis eſt communis, vt late perſequitur Nazianz. carmine ad Nicobulum, filij nomine. Et optime in hunc modum S. Chryſoſtomus homil. de Machab. vocans amorem parentum in filios, *naturæ tyrannidem quæ & beſtiarum feritatem ſubigere conſueuit. Sæpè enim difficiles capi beſtiæ, per amorem tamen ſuæ ſobolis capiuntur. Dum enim naturum ſuorum dilectionem, vita ſua præferant, ita affectu pietatis incautæ, in manus incidunt venatorum, qui prius catulos earum venantur, vt per affectionis captiuitatem, perueniant ad capturam parentum. Nullum eſt animal, nec ita infirmum quod non pro fœtibus ſuis defenſandis, robur aſſumat: neque ita manſuetum quod à' repta catulis non irritetur, & aduerſus rapientem, quanta poteſt virtute deſæuiat.* Quia verò in eum qui ex liberis primò ſuſcipitur plures ex illis titulis, vnà cum hoc quem proxime expoſuimus, capitali atque primario concurrunt, mirum non eſt, quod primogeniti amor in parentibus præcipuè feruent, ſitque id omnium gentium vnanimi conſenſione receptum, vt primogeniti anteponantur reliquis liberis præ amore ſingulari quem terminant. Nimirum ſicut primò editi ſunt, ita voluntatem parentum veluti ante occuparunt. Longior item cum eis, quippe antiquioribus, fuit conſuetudo & vſus. Primi, ſuauiſſima appellatione patris, matriſve affecerunt. Habent etiam in eis locum nouitas & raritas, quæ primos quoque terræ fructus, commendatiores efficiunt. Itaque non modò homines quod latiſſimè confirmat Tiraquell. in præfation. operis de iure primigen. à numero præſertim 37. ſed etiam bruta vt notat numero 43. & 44. primum fœtum ſuum, ardentiùs diligunt. Quod acutè attigit Homerus Iliad. 17. cùm deſcribens Menelaum pro Patroclo hoſtiles cuneos perrumpentem, ait eum non ſecus ſe geſſiſſe quàm faciat vacca pro vitula quam primam fuerit enixa. De ſcropha, author eſt Ariſtoteles 6. hiſtoriar. cap. 18. mammam primùm ab ea porrigi, primo fœtui tanquam præ cæteris dilecto. Id quod etiam Plinius lib. 11. caput. 40. & Albertus lib. 6. de animal. tractat. 1. cap. 1. annotarunt. Ab hirundine idem ſeruari tradit Ælian. libr. 15. de animal. cap. 15. Cæterùm quamuis vtrique parenti ob cauſas memoratas aliáſque charior longè ſit prima proles, pro matre tamen viget ea ſpecialis ratio quod laborioſior fuerit eius enixus, vnde quia chariora ſunt amantúrque longè impenſiùs quæ cariùs conſtiterunt vt ſupra vidimus, non immeritò matribus amabilior videtur primus fœtus, præter reliquas eius rei cau-

luſtrandæ. Agit de ineuntibus coniugium. [Veniunt in vnum corpus futuri. Ecce rurſus dilectionis myſterium. Si duo non fierent vnum, non efficerent multos, quouſque duo manerent. Quando verò in vnitatem deueniunt, tunc efficiunt. Quid hinc diſcimus? magnam eſſe vnitatis potentiam. Prouidentia & induſtria Dei, vnum hominem primùm, in duos initio diuiſit. Et vt oſtenderet quòd etiam poſtea quàm eum in duos diuiſiſſet, vnus tamen maneret, non permiſit, vnum ex illis ad procreationem ſufficere. Non enim adhuc vnus eſt, ſed dimidium vnius. Atque id liquet, quòd liberos non procreat, quemadmodum & priùs. Vides coniugij myſterium? Fecit ex vno vnum, & rurſus cùm duos illos vnum feciſſet, ita vnum facit, vt & nunc ex vno generetur homo. Vxor enim & vir, non ſunt homines duo, ſed vnus homo, &c. Et ab ipſo corporis fingendi modo, deprehenderit quis, duos eſſe vnum. Nam ex coſta facta eſt Eua, vt quaſi ſemiſecta duo fuerint. Propterea & adiutorium vocat, vt oſtendat eos vnum eſſe. Propterea, patri & matri, cohabitationem præfert: & pater ſimiliter gaudet nubentibus & filia & filio, tanquam ad proprium membrum properante corpore. Et cum tantus fiat ſumptus, pecuniarúmque imminutio, non tamen patitur innuptam negligi. Quemadmodum enim diuiſa & ſeparata vtrinque carne, inutilis eſt ad filiorum procreationem vterque; ita & vterque ad præſentis vitæ ſubſiſtentiam inutilis eſt. Propterea & Propheta dicit; defectio ſpiritus tui.] Hoc eſt quod Malach. 2. in vulgata habetur ex ore Dei, aduerſus vxoris contemptorem. *Nonne vnus fecit, & reſiduum ſpiritus eius eſt?* Vtique vxor, de qua eo loco. De qua etiam, mox ibidem additur. *Cuſtodite ſpiritum veſtrum, & nolite deſpicere.*

Pergit D. Chryſoſtomus eam coniugum vnitatem, continuante præſertim prole exponere. Ait enim. [Quomodo verò fiunt ad carnem vnam? Quemadmodum ſi quod in auro puriſſimum eſt, abſtractum, alio miſcueris auro: ita ſanè & hîc, quod pinguiſſimum eſt, mulier quaſi conflante voluptate acceptum, nutrit ac fouet; collatóque de ſuo quod habet, virum reddit. Eſt autem puer, inſtar pontis cuiuſdam. Tres itaque vna fiunt caro, puero ambos in vnum vtrumque coniungente. Quemadmodum enim ſi ex duabus ciuitatibus fluuio interlabente diſſectis, per pontem illas vtrinque coniungentem, vna fieret; ita & hic eſt. Et ampliùs etiam; Quandoquidem pons ipſe, ex vtriuſque ſubſtantia eſt, iuxta hanc rationem: ſicut corpus & caput, vnum corpus ſunt. Nam collo quidem diuiduntur, attamen non magis diuiduntur, quàm coniunguntur. Medium enim exiſtens, vtraque coniungit. Atque hîc fit, quemadmodum ſi chorus diuulſus, vna quidem ſui parte hinc à ſiniſtra prehenſa; altera verò à dextra, vnum efficiat: aut quemadmodum qui animo territi ac perculſi ſunt, illi ſi manus inuicem porrexerint, vnum fiunt. Manus enim expanſæ, duos eſſe non ſinunt. Propterea & diligenter non dixit. Erunt vna caro, ſed, ad carnem vnam, coniuncta ea quæ pueri eſt. Quid ergo ſi puerum non habuerint? Non erunt duo. Commixtio quippe hoc facit. Confudit & commiſcuit vtrorumque corpora. Et quemadmodum ſi quis vnguentum oleo immiſceat, totum vnum efficit, ita ſanè & hic.] Habes germanam cauſam vnitatis illius, quam inter coniuges intercedere, omnes æquè conſentiunt.

Quamque ſtatuebam, primarium fundamentum amoris, quo inuicem flagrant coniuges; éſtque honeſtiſſimus, ſi modò ſuis ſe finibus coërceat, nec tranſgrediatur terminos, ad quos à natura inſertus eſt. A natura enim inſertum dico, quatenus ex eius propenſione excitatur. Exempla illius vbiuis proſtant. Vnum admodum recentis memoriæ planè illuſtriſſimum abs ſe viſum, latè deſcribit Viues in mulieris Chriſtianæ inſtitut. cap 3.

Et poſſent ex omni retro ætate plurima repeti exempla huiuſmodi, ac ex ipſis etiam mundi cunabulis. Inter primos ſanè coniuges, (vt hoc pro coronide adiiciam,) rectè coniectat idem Viues ſuo 3. de anima c. *de amore*, eam extitiſſe innocentiſſimi amoris flammam, in primo illo & recenti, viri, mulieríſque primæ, conſpectu excitatam, Adamo ſe in coniuge contuente, tanquam in ſpeculo, aſpectu penitus nouo, vt mirum non videatur, ex ea flamma extinſſe incendium illud, quo omnes conflagrauimus; dum vir inconſultus, vxoris ſibi ſimillimæ, ipsúmque perfectè repræſentantis, amorem; initio rectè, & ex naturæ propenſione conceptum, augeri permiſit, vſque ad numinis contemptum, & conculcationem amoris Deo debiti. Egregiè omnino de eo amore philoſophatur Baſil. Seleuc orat. 2. ad illud, *hoc nunc os.*

Cognitio, quomodo cauſa amoris.

164. Satis multa de reductione minutiorum quarundam amoris cauſarum, ad primariam illam quam propoſui, hoc eſt, ad bonitatem. Vnam & alteram quæ ſuperſunt, faciliùs eodem reuoco. Prætereo ergo cognitionem, cui amoris & concitandi & augendi vim tribuunt, non ſecùs ac luci corporeæ, vim æquiuocam ad caloris productionem, non aliter ad amorem confert, quàm obiecti exhibitione, & detectione bonitatis, quæ amoris eſca eſt, & irritamentum. Cùm enim facultas appetitiua cæca ſit, debeátque à facultate cognoſcente ſibi prælucente dirigi; non poteſt in alia ferri amore, aliúve vllo affectu proſecutiuo, niſi per cognitionem, oſtentatum ei ſit bonum proſecutionis terminatiuum. Et quia pro perfectione notitiæ, illuſtrior etiam ac melior eſt bonitatis repræſentatio, incenditur amor, éſtque auctior in iis, qui meliùs perſuadunt obiectum bonum, interuentu perfectioris cognitionis.

Nolim autem litem mihi hîc quis intendat, quòd cognitionem inter amoris cauſas recenſeam, cùm tamen reuera non ſit niſi conditio ſine qua non. Quamuis Gregor. in 2. d. 24. quæſt. 1. art. 1. concl 2. & latè Maior ibid. d. 25. q. 4. concl. 4. & ex recentioribus Mol. 1 part. q. 19. art. 2. diſp. 3. Fonſeca 9. Met. cap. 2. q. . ſ. 2. Salas 1. 2. tract. . d. 5. ſ. 3. Leſſ. 2. de ſum. bono n. 86. refragentur. Quorum ſententiam videtur perſpicuè refellere, amor ſenſitiuus, qui non poteſt phyſicè cauſari à notitia prælucente localiter diſſita. Et quamuis per ſympathiam benè oſtendatur, quomodo phantaſia appetitum extrinſecè determinet, propter cooperationem communis principij ſeu animæ, cum vtraque potentia; Tamen, per huiuſmodi ſympathiam, nulla phantaſiæ vis confertur ad agendum in diſtans: ſicuti oporteret conferri, ſi phantaſiatio in cerebro recepta, influeret phyſicè in actum appetitus ſenſitiui in corde reſidentis. Admitto igitur notitiam, eſſe duntaxat conditionem ſine qua non, reſpectu amoris, ſi res phyſicè ſpectetur. Eo tamen rigore laxato, cognitio paſſim appellatur cauſa amoris: Nempe quia bonitatem exhibet, quæ eſt eſca amoris. Vnde vides, hanc quoque amoris cauſam, ad illam primam reuocari, quam ſuprà expoſui, & principalem eſſe dixi.

Quomodo item philtra.

165. Tandem eodem quoque facillimè reuocatur cauſa illa amoris, quæ in philtrorum, carminúmque, & medicamentorum vſurpatione, ſita eſt. Nam poſſe

ſe his modis concitari & incendi amorem, etiamſi id VVierus ſagarum patronus diffiteatur, tradit optimè Gloſſa in illud Oſeæ, *Omnes adulterantes quaſi clibanus*. Et agnoſcit Socrates apud Xenophontem lib. 2. de dictis & factis Socratis; perſpicuéque probat Binsfeldius comment. in tit. de maleficis lege 3. q. 1. Delrio 3. magic. q. 3. & ad Herculem Octæum Senecæ Actu 2. v. 452 in aduerſariis, & in pleniore commentario, Pineda l. 7. de Salom c. 18. Iacobus Pontanus ad Virgil. Eclog. 8. & ad illud 4. Æneid. *hæc ſe carminibus promittit ſoluere mentes*. Nec pauca eodem ſpectantia habet Tiraquellus tota leg. 14. connub. ac Ærod. lib. 5. decret. titul. 6. §. 35. Nos quoque multa in eandem ſententiam retulimus in Naturali Theologia d. 4. à num. 127. Nec refert quòd Plutarchus lib. de Poëtarum lectione, & lib. de præcep. connob. obſeruat, amorem veneficio extortum; & turbidum & iniucundum eſſe, quòd vim faciat, & mentem corrumpat: Non ſecus ac piſces medicamento capti, inſipidi euadunt. Nihilominus enim amor ſic concitatus, cùm ſit gaudio ac iucunditate anterior, non excidit gradu amoris.

Reuocari autem hanc amoris cauſam, ad primordialem illam quam dixi, conſtat ex eo quod nulla vi magica poteſt aliter voluntati humanæ vel appetitui ingenerari amor, quàm excitatione phantaſiæ vt hæc aut illa obiecta exhibeat, & aptatione temperiei corporeæ, vt ſit ad hunc affectum accommodata. Nam pro varietate temperiei, variam eſſe inclinationem & propenſionem ad amorem, exploratiſſimum eſt. Vnde ſanguinei quia calent moderatè & amœna ſunt temperie, idonei maximè cenſentur ad amorem conſtantem, & non difficilè concipiendum. Nimirum hac ratione, & phantaſia aptiùs & meliùs exhibet obiecti conuenientiam cum amante quæ eſt ipſa obiecti bonitas & amabilitas; & appetitus in bonitatem aptiùs meliúſque propoſitam, alacriùs concitatur. Per ſympathiam autem, lux phantaſiæ, & æſtus appetitus, in intellectum & voluntatem refunditur.

Qui ſint ad amorem apti, ex dictis eruitur.

166. Expenſione prædictarum cauſarum, quæ efficientes ſunt, vel ad effectiuam reducuntur; conſtare poterit de ſubiectiua, quæ itidem cauſa aliqua eſt amoris. Conſtare inquam poterit, qui ſint ad amorem magis accommodati & flexiles. Nam in quibus cauſæ hactenus enumeratæ, vegetiores & expeditiores erunt, in illis vegetior & intenſior amor efflorebit ex prædictis cauſis. Itaque amori maximè obnoxij ſunt, qui ſunt celeri & calida conſtitutione, aut præferuido ingenio. Cum ea tamen differentia, quòd in calidiſſima contemperatione, amor fragilior eſt, cùm in ſanguinea temperata multò faciliùs fouetur: Ita vt quamuis non ſit ex ea tantus amoris impetus, perſeuerantia tamen amoris concepti, eiúſque excitatio, ſit valdè facilis.

Idcirco ſenibus, amor difficiliùs inuaſcitur, ob terreſtrem & ſiccam complexionem. In iuuenibus è contra, tanquam in ſtipula, facillimè concipitur flamma amoris: iuxta illud Senecæ in Octauia actu 2. *Blandus animi calor, amor eſt, iuuenta gignitur* At eam flammam faciliùs dimittunt, ob mentis celeritatem, ex calore & feruore ætatis. Ex eo namque æſtu, facilè concipitur offenſio, amorem conceptum extinguens. Facilè item indidem manant affectus reliqui, præfocantes amorem, vt ſuperbia, ira, arrogantia, æmulatio: qui affectus cùm præferuidi ſint, amorem aduerſantem, potenter excutiunt. Hæc in hominibus temperatis, aut præ deuexa ætate iam frigeſcentibus, infrequentiora ſunt. Itaque in illis, amor conceptus faciliùs conſeruatur: Tametſi ob remiſſum calorem, ſegniùs & remiſſiùs amant. Qui verò ſint qui facilè amantur, quod Ariſtoteles 2. Rhetor. c. 4 diffusè proſequitur, tractatum ſatis eſt circa amoris cauſas.

Effectus, & proprietates amoris.

167. A cauſis amoris, tranſeo ad effectus, qui tam latè patent, vt omnia noſtra, & bona & mala, eò pertineant. *Nec aliunde bonum eſt, ſi bonum eſt cor humanum, niſi quod bene amat quod bonum eſt. Nec aliunde malum eſt, ſi malum eſt, niſi quod malè amat quod bonum eſt. Omne enim quod eſt, bonum eſt; ſed in eo quòd malè amatur tantùm vitium eſt.* Locus eſt ex lib. de ſpir. & anima c. 45. Pleniùs etiam author libri de ſubſtantia dilectionis c. 1. apud D. Auguſt. tom. 4. [Eſt amor, *inquit*, ignis flammam faciens, totum conſumens, aut purgans totum. Ex eo nanque totum eſt quod bonum eſt; & totum quod malum eſt, ex eo eſt. Vnde fons dilectionis intus ſaliens, duos riuos infundit. Alter eſt amor, mundi cupiditas: alter eſt amor, Dei charitas: Medium quippe eſt cor hominis, vnde fons amoris erumpit. Et quùm per appetitum ad exteriora decurrit, cupiditas dicitur: cùm verò deſiderium ſuum ad interiora dirigit, charitas nominatur. Ergo duo ſunt riui, qui de fonte amoris emanant, cupiditas & charitas: & omnium malorum radix cupiditas, & omnium bonorum radix charitas. Ex eo igitur totum eſt, quod bonum eſt, & totum quod malum eſt, ex eo eſt. Quicquid ergo illud eſt, magnum eſt quod in nobis, & ex eo totum eſt, quod ex nobis eſt: hoc autem eſt amor.]

Sed vt effectus amoris agnoſcamus, eius energiam perſpiciamus. Eius inquam vim & potentiam, quam eſſe omnino maximam, docent verba illa Petri Chryſologi ſerm. 40. *Nihil durum, nihil amarum, nihil graue, nihil lethalè computat amor verus. Quod ferrum, quæ vulnera, quæ pœna, quæ mortes, amorem præualent ſeparare perfectum? Amor impenetrabilis eſt lorica, reſpuit iacula, gladios excutit, periculis inſultat, mortem videt: Si amor eſt, vincit omnia.* His adde illuſtrem locum Oppiani ex l. 1. Cyneget v. 411. *Valide amor quantus es, quanta tua infinita poteſtas? Quanta cogitas quantum imperitas, quanta dixe ludis? Terra eſt ſtabilis, telis autem tuis concutitur. Inquies eſt mare, at tu etiam illud fixiſti; Penetraſti vſque in cœlum, nouitque te magnus Olympus. Pertimeſcant autem te omnia, & cœlum ſpatioſum ſuperaè, & quæcunque infra terram, & ſecula triſtia defunctorum.* Præcido reliqua quibus ad feras quoque vim amoris pertinere demonſtrat. Eorum loco appendo verba Max. Tyrij diſſer. 10. n. 59. *Eſt generoſum quid amor ac ingenuum, ipsáque Sparta magis liberum. Solus enim omnium quæ hominibus adeſſe ſolet, ſi quem verè occupauerit, nec opes admiratur, nec Reges metuit, nec Regiam ſtupet, nec iudicium horret, aut mortem vitat, Non belluæ vlla, non ignis, non præceps locus non mare, non enſis, non laqueus, illi metum incutit. Sed & inuia penetrat, & periculoſa ſuperat, & quæ alij metuunt, facilè contemnit, & quæ aliis difficilia videntur, facilè efficit. Fluuios facilè tranat, hyeme facilè nauigat, in montibus facilè currit. Vbique præſens eſt animo, omnia deſpicit, omnia in poteſtate habet.*

Quod omnia leniri amore, & veluti complanari docet, pulchrè confirmat Naz. or. 28. *ratio* vocās idcirco amorē *dulcem tyrannum*. Idem traditū egregiè eſt à S. Aug. ſer. 9. de verbis Domini. [Secari, *inquit* & vri ſe homines patiūtur, vt dolores non æterni, ſed aliquando diuturnioris vlceris, acriorū dolorū pretio redimātur, in lāguida & incerta, vocationis breuiſſimç atque vltima vita. Immaniſſim⁹ bellis miles atteritur pluribus fortaſsè

annis

annis in laboribus inquietus, quàm in otio quieturus. Quibus tempeſtatibus & procellis, quàm horribili & tremendæ ſæuitiæ cœli & maris, impleti ſunt mercatores, vt diuitias ventoſas acquirant, maioribus quàm quibus acquiſituri ſunt periculis & tempeſtatibus plenas? Quos æſtus, quæ frigora, quæ pericula; ab equis à foſſis, à præcipitiis, à fluminibus, à feris perferunt venatores? quem laborem eſuriendi & ſitiendi, quantas viliſſimi & ſordidiſſimi cibi & potus anguſtias, vt beſtiam capiant, & interdum nec ipſius beſtiæ carnes, propter quam hæc tanta ſuſtinent, epulis neceſſarias? Quanquam etſi aper ceruúſve rapiatur, magis ſuaue ſit venantis animo, quia captus eſt, quàm comedentis palato quia coctus eſt. Quantis cruciatibus propè quotidianarum plagarum, tenera puerorum ætas ſubditur? Quantis etiam in ſcholis, vigiliarum & abſtinentiæ moleſtiis exercentur, non propter diſcendam ſapientiam, ſed propter opes, honoréſque vanitatis, vt numeros & literas, & diſertas fallacias eloqui diſcant? Sed in his omnibus, qui hæc non amant, eadem grauia patiantur. Qui verò amant, eadem quidem, ſed non grauia pati videntur. Omnia enim ſæua & immania, prorſus facilia, & propè nulla efficit amor.] Hæc eo loco Auguſtinus, quæ verbatim repetuntur ſerm. 48. de tempore. Optimè ac breuiter lib. de bono viduit. cap. 21. *In delicias*, inquit, *ſpirituales, etiam ipſa quæ videntur, laborioſa vertantur. Nullo modo enim ſunt oneroſi labores amantium, ſed etiam ipſi delectant, ſicut venantium, aucupantium, piſcantium, vindemiantium, negotiantium, ludo aliquo ſeſe oblectantium. Intereſt ergo quid ametur. Nam in eo quod amatur, aut non laboratur, aut & labor amatur.* Nimirum & gaudium, & alij omnes affectus, amori obſecundant, & ad eius nutum concitantur. Quod eſſe ab Euripide ſignificatum, cùm ſcripſit, amorem docere muſicam, tradit Plutarchus 1. Sympoſ. q. 5.

168. Quòd autem amor, cùm famelicus & ieiunus eſt, torqueat amantem, eíque ex abſentia & defectu rei amatæ, cruciatum inferat, non malè ab Orpheo γλυκύπικρον dulce amarum, nominatus eſt. Item quia præceps eſt, ac celerrimè inuolat in bonum oblatum, inde eſt quod obcœcat intellectum, vt rei amatæ næuos minus aduertat; bona autem maximè augeat. Strabonem filium, vt eſt apud Horatium, pater appellat pætum; & varum, eum qui eſt diſtortis cruribus. Qua etiam ex cauſa, vt obſeruat Leonicus q. 11. amatoria, Cupido & puer & cœcus fingitur. Et rationem reddit idem Leonicus, illam ipſam quam attigi. Nempe quod cùm amor in multa & vehementi ſpiritus motione conſiſtat, ſynceritatem iudicij, & mentis ſerenum obturbat. Inde item, amantium loquacitas. *Hic eſt mos amantium*, ait S. Chryſoſtom. in Pſal. 41. *amorem non celare, ſed enunciare vicinis & dicere ſe amare. Ardens enim res eſt natura dilectionis, nec poteſt anima ſuſtinere, vt eam ſilentio teneat. Et ideo amans quoque Paulus dicebat Corinthiis*: Os noſtrum ad vos apertum eſt ô Corinthij. *Hoc eſt, non poſſum continere, & ſilentio premere dilectionem, ſed vos ſemper & vbique, & in mente & in lingua circumfero.* Similia repetit lib. 1. de compunct. cordis *ſub finem*. additque eam loquacitatem, ad leuandum internum æſtum & aliquam eius euaporationem, in amante habere locum. Ex eodem feruore naſcitur, quod amor neſciat tarda molimina. Et idcirco Naz. orat. 18. *initio*, ait; *amanti, vnam diem eſſe inſtar totius vitæ*. Quod ex Theocrito deſumptum, notat Elias ad orat. 1. *initio*.

Magna hæc & multa; ſed parcè omnino dicta, ſi cum iis conferantur, quæ extant apud Platonem, in conuiuio, vbi dotes ac decora fructúſque amoris in cœlo & in terra, latiſſimè recenſentur. Breue duntaxat amoris encomium inde decerptum, plurimos amoris effectus complectens, erit inſtar omnium. [Hic Deus eſt, *ait Plato de amore*, qui pacem largitur hominibus, mari tranquillitatem, ventis requiem, cubile viuentibus, ſomniúmque in curis. Hoc ruſticitatem à nobis amouet, familiaritate nos conciliat, cœtus huiuſmodi omnes congregans. In ſolemnibus feſtíſque diebus, choris, & ſacrificiis dux nobis eſt. Manſuetudinem porrigens, exterminans feritatem, beneuolentiæ largitor, maleuolentiæ omnis expulſor, propitius, beneficus, ſpectandus ſapientibus, diis placidus, exoptandus experribus, participantibus poſſidendus ac tenendus deliciarum, mollium illecebrarum, gratiarum dulcis perfuſionis, & deſiderij pater. Bonorum ſtudioſus, malorum ſpretor, in labore, in timore, in deſiderio, in ſermone gubernator, perfectus adiutor, ſeruatórque præcipuus. Cunctorum Deorum atque hominum decus, dux pulcherrimus atque optimus.] Habes effectus boni amoris, eo nomine digni, ſpecie laudationis recenſitos. Effectus verò horrendos, veréque ſtragem, amoris morboſi ac fœdi, miſſam facio, quod cœno illi immergi refugiam. Legeſis Plutarchum iuſto opuſculo de miris amoris effectibus, & Patricium lib. 4. de regno tit. 11.

169. Alias præterea amoris proprietates ſiue effectus, benè multos ab iis quos ante attigi, aliquatenus diſtinctos, profert S. Dionyſius c. 4. diuin. nom. Ad quinquaginta adducit & explanat Gerſo parte 3. tract. in Cantica. feréque etiam ad hos effectus pertinent, quæcunque copioſè, & de more ſubtiliter, diſputat Richardus Victorinus, tractatu gemino de charitate. Eorundem item effectuum pleróſque profert Plutarchus opuſc. de amore à n. 16. Ne autem in re facili diu hæream, circa vnum duntaxat amoris effectum pauca ſubiicio. Numeratur inter eos, quòd amans ſit in amato. Quod eſt perſpicuum, ex motu amantis ad amatum per amorem. Voluntas namque non eſt potentia apprehenſiua, cuius eſt obiectum ad ſe trahere; ſed appetitiua, quæ ab obiecto trahitur vaditque ad illud per amoris progreſſionem. Itaque iactatur communi voce, amantis animam, magis eſſe vbi amat quàm vbi animat Et Chriſtus ipſe pronunciauit, vbi theſaurus hominis eſt, ibi & cor eius eſſe. In quam rem, illuſtre eſt, ſimúlque horrendum, exemplum auari, cuius cor ſtatim à morte, auro infuſum, intra arcam repertum eſt. Habetur in actis S. Antonij Vliſſiponenſis.

Cùm autem hæc ſint explorata, eſt tamen difficultas aliqua, an vicissim amatum ſit in amante. Affirmat S. Thomas 1. p. q. 17. art. 3, *in corp* & 4. contra Gent. c. 19. quibus locis idem tuentur Caiet. & Ferrar. Itémque Capreolus in 1. d. 10. q. 1. art. 1. & 2. refragante Aureolo ead. diſt. cuius rationes parum vrgent. Nam qui amatum in amante eſſe affirmant, non aliter id admittunt, quàm quia amatum viget in amantis affectu, eiúſque cogitationi obuerſatur. Quod conſtat eſſe veriſſimum, & naturæ amoris accommodatum. Hanc enim ſuprà admiſimus, copulationem quandam, & adhæſionem, amantis & amati inferre. De vnione porro illa, quam ſupra oſtendimus inter amoris effectus numerandam eſſe, ſufficienter actum eſt eodem loco. De extaſi verò, quæ eſt etiam amoris effectus, vnáque de liquefactione ſeu defectione, quam amor amanti infert, agam in fine huius tractationis, exponens corpoream diſpoſitionem, ex affectionibus manantem. Quanquam aliter quoque eam liquefactionem exponit Richardus l. de gradibus charit. cap 4.

Symbolicæ expreſſionis effectuum amoris, explicatio.

170. Symbolicè amorem in hæc verba expreſſit Apul. l. 5. metam. deſcribens Phrynem in iacentis amoris contuitu defixam. *Videt capitis aurei genialem cæſariem Ambroſia temulentam, ceruices lacteas genaſque purpureas, per errantes crinium globos decoriter impeditos, alios antependulos, alios retropendulos, quorum ſplendore nimio fulgurante, & ipſum lucerna vacillabat. Per humeros volatilis Dei pinnæ roſcidæ, in canti flore candicant, & quamuis alis quieſcentibus extimæ plumulæ tenellæ ac delicatè tremulè reſultantes inquietè laſciuiunt, cæterum corpus glabellum atque luculentum, & quale peperiſſe venerem non pœniteret. Ante lectuli pedes iacebat arcus, & pharetra & ſagittæ, magni Dei propitia tela.* Hæc deſcriptio pertinet ad recenſitos amoris effectus; ſed quia id non expreſſit Apuleius addenda eſt Poëtica deſcriptio cui effectuum illorum ad ſchematis partes aptatio ſubnectitur. Exhibet eam Propertius l. 2. verſibus illis:

Quicunque ille fuit, puerum qui pinxit amorem,
Nónne putas miras hunc habuiſſe manus?
Hic primùm vidit, ſine ſenſu viuere amantes,
Et leuibus curis, magna perire bona.
Idem non fruſtra ventoſas addidit alas;
Fecit & humano corde volare Deum:
Scilicet alterna quoniam iactamur in vnda,
Noſtráque non vllis permanet aura locis.
Et meritò hamatis manus eſt armata ſagittis,
Et pharetra ex humero Gnoſſia vtroque iacet.
Ante ferit quoniam, tuti quàm cernimus hoſtem;
Nec quiſquam hic ille vulnere ſanus abit.

Non cenſeo ingratum lectori fore, ſi quam Chriſtianus Poëta imo Chriſtiani Regis vniuerſi Doctor Pius 2. amoris deſcriptionem Poëticam exhibuit epiſt. 109 qua hiſtoriam amantium iuuenili quondam luſu conſcriptam, (habetur inter eius epiſtolas eſtque 4.) retractauit iam Pontifex, hic adſcribam. Quamuis enim impuri amoris expreſſio videatur, tamen quæ de amore illo degenere dicuntur, mutata tantùm materia, æquè in omnem amorem cadunt. Sic habet:

Vidimus effigiem laſciui nuper amoris
Quæ nimium mentem mouit imago meam.
Nec barbam malis nec pectore tegmen habebat,
Nudus terga, manus, pectora, crura, pedes.
At humeris alæ ſubeant & flexilis arcus,
Lumina ſub tenero texta ſupercilio.
Cur per imberbes nulla lanugine malas
Cur melius nulla corpora veſte tegat.
Lumine cur careat pharetram cur geſtet & arcum
Cur habeat pennas Calliopes refer
Sic ego ſic retulit quæſitam illico cauſam.
Maxima Pegaſei Calliopes chori.
Qui ſapit euitat malè ſana Cupidinis arma:
Et tantùm pueros intrat ineptus amor.
Siue quod eſt puero ſimilis qui cœpit amare,
Et perit mente, pingitur inde puer.
Pingitur & nudus nullum ſeruare pudorem.
Commemini ſimplex & manifeſtus amans.
Vel quia quæ peccet, credat ſecreta latere,
Cunctaque nec in ſeſe lumina verſa videre.
Sic eſt omnis amans. ſic ſe, ſic omnia neſcit,
Conſilium, famam, fœdera, iura, deos.
Aurea quod curuo torquebat ſpicula cornu,
Figere corda ferus ſignificatur amor.
Quod leuibus volucres humeris ſuſpenderat alas,
Cauſa eſt hæc ſubito quod leuis errat amans.
Vel quod amor curſum non ſemper ſeruat eundem
Nunc abit & paruas poſt redit inde moras.
Dixerat & prorſus obmutuit, orſa labellis.
Effudi tales protinus ore ſonos
Quam vidi effigiem pharetram geſtabat & arcum.
Fax tamen in dextra non fuit vlla ſua.
Sed quoniam veterum finxere poëmata taceum,
Quos ego quid temerè commemoraſſe putem?
Dic cur nam tædas fertur geſtaſſe Cupido
Dic precor armatas cur habet igne manus.
Quæſitum verbis reſpondens muſa duobus,
Sic leniter cauſam reddidit, urit amor.

Iungo Poëtis, Philoſophum; Alexandrum inquam, lib. 1 probl. q. 87. qui poëticam hanc effectuum amoris expreſſionem, qualem iam tunc pictores dabant, his verbis elucidat. [Pictores, Cupidinem aliàs triſtem, anxium iacentémque pingunt, aliàs hilarem, ſubridentem, volitantem. Puerum item eundem, vegetum repræſentant: quoniam cupido vehemens quidem eſt, ſed non diuturna & ſtabilis. Amor enim honeſtus, perpetuò vel inter bonos amicos eſt vel inter parentes & liberos, vel inter maritum & vxorem. Inhoneſtus ille parum durat, magnáque ex parte inter externos, parúmque cognitos oritur: honeſtus item moderatus, ac ſobrius eſt, inhoneſtus, vehemens, furibundúſque. Tenet fumale, atque pennatus eſt, quòd amantium videlicet animi, efferri mutaríque, facilè conſueuerunt, & calor eorum natiuus propter vehementem, aſſiduámque ſollicitudinem, mareeſcit, & vritur. Enſis parte dextera pendet; læuâ, pharetra ſagittis referta pluribus. quoniam principio amor per radium oritur, vnum oculorum. Statim quippe vt quis aſpexit, amauit: poſt frequentes ad rem amatam radios mittit, quaſi tela iaciat, & capere illam conetur. Sagittæ, abditæ in pharetra ſunt; quoniam qui amant, occultè radios mittunt oculorum. Accedit ad hæc conſuetudo, quæ amorem ita accendit, ignem auget afflatus. Quanquam ortus amoris, non ad conſuetudinem propriè referendus, ſed & nonnunquam etiam, exiſtere ſubitò arbitrandus eſt. Semper enim amore caperetur, qui cuipiam conſueſceret. Nudus præterea fingitur, quod & palam fit animus amantis, & ſine vllo interuentu, rei prodit cupiditas: haud enim per alium amare quis poteſt, neque ita occultè, vt intelligi à nemine poſſit. Vnde ſtatuarum quoque artifices, Deos ac Reges, nudos ſæpenumerò cauſa honoris & laudis, effingunt: Scilicet vt perſpicua eorum poteſtas; & animo ſynceri, nullóque vitio protecti, per corporis nuditatem indicentur. Plures cupidines facimus, vel quia varia libido eſt; aliud enim alius cupit. vnde Plato cupidinem multiplicem belluam appellabat:) vel quia ſæpè euenit, vt idem pluribus ſe cupiditatibus dedat. Matrem omnes Venerem habere vnam dicuntur, id eſt, libidinem. Venus enim, libidinis effigies eſt. Ferunt Cupidinem furiam arſiſſe infernam, quoniam ſunt qui in amores turpes, deteſtandos, illicitos ruant] Apud Zenonem Veronenſem ſerm. de fide, ſpe, & charitate, eadem breuiùs, & pulchrè traduntur: ſed pleniſſimè apud Petrum Hœdum libro 1. Anterotiorum à c. 5. ad 30.

Hæc ſunt illa ipſa quæ explicatiùs & abſque fabulæ inuolucro ſcripta ſunt ab Ariſtotele, Seneca, Plutarcho, quos in hanc rem laudat S. Hieronymus in calce prioris libri aduerſus Iouinianum, referens hæc præter cætera ex eorum ſcriptis. *Amor formæ, rationis obliuio eſt. & inſaniæ proximus: Fœdum minimique conueniens animæ ſoſpiti vitium; Turbat conſilia; altos & generoſos ſpiritus frangit; à magnis cogitationibus ad humillimas detrahit; querulos, iracundos, temerarios, durè imperioſos, ſeruiliter blandos, omnibus inutiles, ipſi nouiſſimè amori facit. Nam cùm fruendi cupiditate*

piditate inſatiabilis flagrat, plura tempora ſuſpicionibus, lachrymis, conqueſtionibus perdit; odium ſui facit, & ipſe nouiſſimè ſibi odio eſt. Tota amoris inſectatio, apud Platonem expoſita eſt, & omnia eius incommoda Lyſias explicat, quod non iudicio ſed furore ducatur. Subdit alia ex Seneca, de ineptiis in quas nimius amor, origine licèt honeſtus, ſed tamen magnitudine deformis, amantes interdum coniecit. Quæ quod abundè vbiuis ſit huiuſmodi exemplorum, aut etiam ineptiarum, dimittenda cenſui.

Remedia amoris.

171. Extrema de amore tractatio, remedia continere debet, ad eius moderationem. Nam quandoquidem hic affectus, tantæ eſt efficacitatis, ac virium tantoperè protenſarum, eò ſolertiùs inuigilandum eſt, ne frænum detrectans, & in auia abreptus, perniciem authori ſuo creet; & cui ad boni prehenſionem collatus eſt, eidem fiat exitio. Et tentarunt quidem plerique, vt Franciſcus Petrarcha adnotat lib. 1. de remed. dial. 69. remedia adhibere: ſed non omnes eodem fructu, vel etiam conſilio. Nam, quod idem ait, Naſo qui de remediis amoris ſcripſit, *mirus medicus fuit, morbi amantior, quàm ſalutis.* Nec aliud propè dixerim de Iuliano Celanenſi, Pelagianorum anteſignano; quem Beda lib. 1. in Cant. *initio*, teſtatur libellum dè amore ſcripſiſſe; ſpecie quidem ſecernendi amorem caſtum ab impuro & iſtum conuenientibus ad moris remediis perſanandi; reuera autem ſtudio hæreſim ſuam inſtillandi, hoc eſt, lectorem improuidum, è febri in phreneſim deturbandi. Itaque de veris remediis admonendis ſatagendum eſt. Non eſt tamen quòd in hunc campum infinitè propè patentem, hic excurram. Nam huc pertinent omnia ferè quæ trado circa Temperantiam & Fortitudinem. Siquidem hæ virtutes, cùm habeant paſſionum moderationem pro obiecto, reſpiciunt omnes illos amoris ramos, quos medela egere contigerit. Itaque abundè fecero, ſi loca, quibus in virtutum illarum explicatione, remedia prædicta præſcribo, hic deſignauerim.

Amor morboſus, vel morbo obnoxius, atque adeo qui moderatione & temperatione eget, cùm ſit amor, non poteſt eſſe niſi boni; vtique iucundi vel vtilis. Nam boni honeſti amor, quandiu nulla mali fuligo, bono adueniet, inhoneſtus & vitioſus eſſe nequit. Bonum autem iucundum, aut eſt ſuimet ipſius, aut aliarum perſonarum, vel certè oblectationum & delectationum quarumcunque, ex obiectis, natura rationali inferioribus, prodeuntium. Amor vtilis, ferri poteſt in omnia obiecta ordinabilia ad alterum, cuiuſmodi ſunt non modò quæ apta non ſunt propter ſe amari, vt opes, & huiuſmodi alia, ſed etiam quæ poſſunt amorem per ſe terminare, eo quòd ſint per ſe bona, ſine ordine & reſpectu ad aliud; non curando in præſentia, an id honeſtè, & conformiter ad prudentiam fieri queat; Sed tantùm ſpectando quod poteſt voluntas proſequens præſtare, attentis obiecti meritis.

De amore ergo ſuiipſius temperando, ago abundè ac planè q. 4. de Temperantia art. 1. De amore aliorum moderando, ago quantum ſatis cùm de amicitia & beneuolentia. Hic à num. 1. 2. ea animorum calamitas, (vt illam rectè vocat Apuleius lib. de Philoſophia,) quæ nomen amoris paſſim ementitur, reprobata eſt. De amore delectationum, ſiue ſpiritualium, ſiue ſenſibilium, diſſero inter tractandum de partibus Temperantiæ. De amore vtilium moderato, ago cùm de paupertate & humilitate. Quare nihil præterea deſiderari hoc loco video. Tantùm ne proſſus intacta abiiſſe videatur cura morbi, quo tam multi malè pereunt, addo plagulam laudati paulò ante Franciſci Petrarchæ, ad amoris corporum, qui antonomaſticè amor morboſus dicitur, curationem atque remedia.

Conſtipat eo loco quæ indicat ad morbi illius depulſionem accommodatiora. *Hæc ſunt*, inquit, *quæ de multis electa probauerim, loci mutatio, quæ vt corpori, ſic animo ægrotanti, ſalubris interdum eſt; euitatio omnium fugaque diligens, quibus amati vultus in memoriam retraharis; occupatio quoque, traductióque animi ad alias curas, nouáſque ſollicitudines, quibus morbi veteris veſtigia deleantur; cogitatio vehemens & aſſidua, quàm turpe, quam triſte, quàm miſerum, poſtremò quàm breue, quam labile, quàm nihil ſit omnino, quod difficultatibus tantis appetitur; quam facile quantóque melius, vel impleri aliter, aliiſque viis, vel contemni penitus poſſit atque abiici interque rerum viliſſima deputari. Multos præterea curauit pudor, quod maximè generoſis animis accidit, dum obuerſatur infamia irriſióque, dumque ſe digito ſignari; vulgique fabulam fieri dolent; dum ſub oculos redit rei fœdæ ac fructus vacuæ, plena dedecore, plena periculis, plena doloribus, ac pœnitentia cauſis. Ad extremum proderit excuſationibus, ac falſis opinionibus reiectis, veras inducere, nihil hic naturam, nihil fatum, nihil ſtellas agere, nihil denique niſi ſolam animi leuitatem atque liberum iudicium. Eſt enim in ægrotantis arbitrio, vt ſanus fiat, mox vt bona fide velle cœperit, & blanda conſuetudinis nexus dulces abruperit: laborioſum certè, ſed volenti poſſibile.* Præclarè quoque in hoc argumento verſatus eſt Ludouicus Viues libro de Chriſt. puellæ inſtitut. c. 13. & 14. De inſano inſani huius amoris olim remedio, per ſaltum è leucade petra, multis agit Ioſephus Scaliger l. 2. lect. Auſon c. 18. Nec magis probanda nonnulla è variis quæ vndecunque collegit Ioannes Langius l. 1. epiſt. medic. in 24. ſub finem.

ARTICVLVS II.

De Odio.

172 EX dictis de amore, facilè expediri poterunt, quæ ad oppoſitum illi odium pertinent: tum quoad odij naturam & multiplicitatem, tum quoad cauſas & effectus, atque remedia.

Quidditas odij, diſſonantia.

Et in primis quoad naturam, ſicut diximus, amare, eſſe velle bonum alicui, ita odio habere, eſt velle alicui malum. Quod aliis verbis, eodem tamen ſenſu expreſſit D. Thomas 1. 2. q. 29 art. 1. dicens. ſicut amor eſt conſonantia appetitus in illud quod apprehenditur vt conueniens; ita odium eſſe diſſonantiam quandam appetitus ad id quod apprehenditur vt diſconueniens, ſiue ad malum. In quem locum Caietanus dubium mouet, qua ratione odium dicatur diſſonare malo, cùm potiùs voluntas per odium velit malum, nam odiſſe eſt velle malum, ſicut amare, eſt velle bonum.

Reſpondet autem Caietanus, diſtinguendo duplex odium; nempe vnum quod reſpondet amori concupiſcentiæ, diciturque *odium inimicitiæ*, alterum proportionale amori concupiſcentiæ quod eſt innominatum: A Caietano autem vocatur *odium abominationis*. A Medina, ad eandem D. Thom. quæſtionem, vocatur *odium offenſionis* Porro ſicut amor duo

reſpicit; nempe bonum volitum & perſonam, cui eſt volitum, ita & odij obiectum, duo includit, perſonam ſcilicet, cui malum volumus, & malum ei volitum: Cum hac tamen differentia, quòd amor ſe habet ad illa duo, per modum affirmationis, & proſecutionis ac conſonantiæ, at odium non item. Nam odium inimicitiæ ſe habet ad perſonam per modum negationis & diſſonantiæ; ad malum verò per bonum affirmationis & conſonantiæ. Et è contra odium abominationis, ſe habet ad perſonam per modum affirmationis, ad malum verò per modum negationis & diſſonantiæ. Nam odium abominationis eſt diſplicentia mali, quod nos aut alij, patimur; puta flagellorum morborum, aliorúmve huiuſmodi incommodorum, à quibus affectus diſſonat, licet conſonet perſonæ, à qua cupimus ea mala auerti: Odium verò inimicitiæ diſſonat perſonæ, conſonátque malis eius, & illa affirmat in ſuo affectu. Vult enim malum alicui quatenus malum illius eſt, ex diſplicentia perſonæ.

Ratio diſſimilitudinis eſt, quia in odio abominationis, non perſona, ſed res mala, habet rationem obiecti & cauſæ: vel ſi interdum perſona habet rationem obiecti, non id habet vt perſona, ſed vt res quædam eſt. Vt cùm pater odit liberos, quia plures ſuſcepit, quàm poſſit alere, non odit vitam eorum, vt tales ſunt; ſed vt ſunt res ipſi oneroſa & nocina; Atque ita liberi odio habentur, non vt perſonæ quædam ſunt, ſed vt nocumenta quædam. In odio autem inimicitiæ, perſona habet rationem mali, & obiecti ac cauſæ. Odium itaque in vniuerſum, eſt diſſonantia. Nam etiam odiũ inimicitiæ, de quo id in difficultate propoſita reuocabatur in dubium, eſt diſſonantia à perſona, à qua tantoperè diſſonat odium, vt etiam conſonet malo illius. Hoc pacto Caietanus difficultatem propoſitam elidit, ſubſcribúntque Medina ſupra, Vaſq. 1.2.d.23.c.2.& 1.p.d.84.c.3.

Quæ recens in contrarium obiecta.

137. Aduerſus hanc doctrinam eſſe videtur, quòd iuxta eam, Iudex pœnam debitam reo decernens & infligens, dicendus eſſet eum proſequi odio inimicitiæ. Vult enim perſonæ noxiæ, ſiue reo, malum, quatenus malum ipſius eſt, quod eſt conſonare malo eius, & a perſona diſſonare, in quo locabatur ratio odij inimicitiæ. Et tamen conſtat, Iudicem plerunque non odiſſe reum, ſed illum amare, quia vel ipſi ſanguine iunctus, vel alio titulo charus eſt: Ne tamen res publica detrimentum patiatur ex dilectorum impunitate, & quia vi muneris aſtringitur ad plectendos nocentes, vult reo pœnam, quæ eius quoddam malum ſenſibile eſt, licet ſit bonum honeſtum. Cùm igitur non poſſimus ſimul amare & odiſſe aliquem quoad idem, eo quòd hi affectus includant rationes repugnantes, perſpicuum videtur, Iudicem non odiſſe reum, cui pœnam irrogat; atque adeo cum in illam pœnæ irrogationem quadret odit definitio aſſignata, prout ex Caietano expoſita eſt, liquere videtur, eam definitionem ſecùs accipi, aut etiam reiici debere.

Idem argumentum fieri poteſt de eo, qui peccata ſua recogitans, & ſummo in ſeipſum odio ſuccenſus, amatur in vltionem ſcelerum ſuorum aduerſus ſeipſum: & carnem ſuam, quam nemo vnquam odio habuit, malis ſenſibilibus afficit; maceratione inquam, & inedia, omníque illo vexationis genere, quod conceptum peccati odium iuſtiſſimum. homini priorem vitam ſuam auerſanti, ſubminiſtrat. Denique eadem ratione liceret dicere, patrem qui flagellat filium, quem diligit, vt in poſterum peccata caueat, odiſſe filium in eo actu, cùm tamen tunc maximè eum amet: cùm ad præcautionem ſcelerum grauiorum, plectit quæ deliquit leuiora, vultque ei flagella quatenus dolorifera, quæ aliquod vtique eius malum ſunt. Liceret item dicere, Deum, ſanctas illas animas, quæ igne emendatorio eluunt leues maculas, cum quibus hinc exceſſerunt, odio inimicitiæ proſequi, quod conſtat abſurdiſſimè admittendum. Ita aduerſus communem doctrinam ex Caietano propoſitam, argumentatur Ægidius Coninc. diſp. 2 de actibus ſupern. dub. 1. n. 4. & ſequentibus.

Depelluntur.

174. Verùm hæc non vrgent Caietanum, qui odium inimicitiæ & abominationis, apertè contendit, ita accipi debere, vt ſeruent proportionem; illud quidem cum amore amicitiæ, hoc verò cum amore concupiſcentiæ. Vt autem ea proportio retineatur, neceſſe eſt, eum erga quem exercetur odium inimicitiæ, terminatæ volitionem mali nociui, non ex alio aliquo fine honeſto, ſed ex mera perſonæ illius diſplicẽtia: Ita vt ſicut is tantũ dicitur amare amore amicitiæ. qui vult bonum alicui præcisè quia hoc eſt bonum illius, & ex complacentia talis perſonæ. Ita is tantùm dicatur elicere odium inimicitiæ erga aliquem, qui vult malum alicui, præcisè quia id eſt malum ipſius, & ex diſplicentia perſonæ eius, hoc ipſum in bonis ſuis reputans, quòd videat inimico malè eſſe. Sic autem accipiendo odium inimicitiæ perſpicuum eſt, neque Iudicem, qui reo pœnas decernit; neque pœnitentem, qui in ſeipſum ſæuit, nec patrem, cùm aduerſus petulantem filium virgam exerit; nec denique Deum cùm gratas ſibi animas tormentis expurgatoriis ſubiicit, elicere odium inimicitiæ: quin potius illam mali ſenſibilis volitionem poſſe cum veriſſimo amore coniungi, aut etiam eſſe verum amorem. Non enim omnis volitio mali alicui voliti, eſt odium; ſed tantùm ſi ſit ex diſplicentia perſonæ: ſicut neque omnis volitio boni alicui, eſt amor amicitiæ; ſed tantùm cùm ea volitio eſt ex complacentia perſonæ. Alioqui poterit quidem ſpectare ad aliquam aliam virtutem: non erit tamen actus charitatis erga porximum. Si ergo qui vult alicui malum ſenſibile, ſpectet verum talis perſonæ bonum, & ex eo fine, malum ſenſibile illi irroget, volitio mali illius irrogandi; erit verus amor amicitiæ, cum quo è diametro pugnabit, non volitio mali ſenſibilis, alteriùſve cuiuſcunque quomodolibet ſpectata, ſed volitio mali, quia malum eſt perſonæ quæ diſplicet, & vt malum illi ſit: Ita vt idcirco quis proſequatur malum talis perſonæ, quia ipſa perſona diſplicet, & ab ea abhorret, is qui malum illud proſeqcitur.

Proportio duplicis odij cum duplici amore, illuſtratur.

Sed eſt notanda inſignis diuerſitas inter amorem amicitiæ & concupiſcentiæ ex vna parte; & odium inimicitiæ ac abominationis ex altera. Quam diuerſitatem rectè attigit ſupra Caietanus, Nam amor amicitiæ & concupiſcentiæ, ſunt vnicus actus, cùm ſumuntur per comparationem ad perſonam quæ placet, & bonum quod illi idcirco volumus. At odium abominationis & odium inimicitiæ differunt reipſa, nec poſſunt eſſe vnicus actus, quia includunt rationes repugnantes. v. g. is qui abominatur mortem patris. quia eius malum eſt, non poteſt ſimul eum odiſſe odio inimicitiæ. Quin potius idcirco abominatur tale eius malum, quia vult ei benè eſſe, & optimè erga perſonam illam afficitur. Qui autem odio inimicitiæ proſequitur

ſequitur hoſtem ; non abominatur malum eius , ſed illud conſectatur. & hoſti vult, quantum poteſt,iuxta menſuram odij. Vbi perſpicua eſt realis diſtinctio vtriuſque odij , & cauſa cur diſtingui debeant : quamuis amor amicitiæ & concupiſcentiæ , poſſint eſſe vniens actus : ad duo illa obiecta ſibi inadæquata indiuiſibiliter terminatus.

175. Vnde etiam vides , non rectè Ægidium Coninc ſupra num. 19. affirmare cum odio inimicitiæ, ſemper coniungi odium abominationis erga inimicum, eo quod malum eius , qua præcisè tale, apprehendatur bonum ei qui eſt infenſus alteri : & idcirco ſit inimico volitum. Vides inquam,id non eſſe admittendum. Nam cùm quis vult malè eſſe inimico, nihil eſt quod dici poſſit terminare odium abominationis. Non enim malum volitum : id quippe non eſt abominationis obiectum,cùm ſit volitum.Non item perſona inimici. Nam illa terminat odium inimicitiæ, nec pertinet ad obiectum materiale odij ad formale. Atque adeo ſicut is qui amat amore amicitiæ perſonam aliquam , non ſimul amat eam amore concupiſcentiæ,niſi ſi quando ipſa perſona eſt ſibi volita,vt cũ Deo volumus ſuas perfectiones:Ita neque qui aliquẽ habet exoſum ex diſplicentia ipſius,dicẽdus eſt eum abominari. Et poſſet quidem aliquando , idem proportione contingere circa odium , ac contigiſſe circa amorem : Nempe vt quis apprehenſa ipſa perſona, tanquam ſibi ipſi nociua & mala , vellet eam ipſimet perſonæ exoſæ : Tamen id & infrequens eſt, & alienum ab odio abominationis. Nam perſona illa prout volita, non terminaret abominationem , ſed proſecutionem:apprehenderetur enim vt mala inimico,ideóque ab eo qui infenſus eſt, non fugeretur, ſed quæreretur inimico. Quod longè abeſt à ratione odij abominationis.Hoc enim eſt reuera amor perſonæ, cuius malum refugimus , & idcirco illud refugimus , quia eſt perſonæ amatæ nociuum. Itaque proportio inter amorem concupiſcentiæ , & odium abominationis, quam cum Caietano paulò ante admiſimus,in eo tantùm conſiſtit , quòd ſicut in amore concupiſcentiæ, bonum alteri volitum habet rationem obiecti tantùm materialis, non autem rationis volendi, ita & in odio abominationis, malum quod refugitur, non eſt ratio volendi , ſed tantùm res odium terminans ex amore eius quem diligimus , & eo malo liberum cupimus. Non tamen ſicut obiectum materiale amoris amicitiæ, eſt ipſum obiectum amoris concupiſcentiæ; ita etiam obiectum materiale odij inimicitiæ,eſt obiectum odij abominationis, reſpectu perſonæ inimicæ. Et idcirco in amore , & is qui eſt ratio amandi , & bonum ei volitum amantur At in odio inimicitiæ, perſona quæ odio habetur , diſplicet & refugitur. Malum autem quod eſt ei volitum , non terminat odium abominationis.

An odium, & quæuis nolitio , ſit reipſa volitio, vt quidam volunt.

176. Fuerunt qui hinc inferrent,& odium,& quoſcunque actus voluntatis , qui nolitiones appellantur, & explicantur per modum fugæ , eſſe reipſa volitiones, ſi ad obiecta propria referantur. Nam odiſſe aliquem. idem eſt quód, velle alicui malum : Et dolor de peccatis idem eſt, quod, velle non peccaſſe ; & ita de cæteris nolitionibus. Videtur annuere D Thomas 1. 2. q.6.art. 3.ad 2.cùm ait, nolle legere, idem eſſe ac velle non legere. Idem voluerunt alij , qui dixerunt omnem nolitionem eſſe formaliter volitionem obiecti contradictorij , vt refert Almainus in 3 d. 15. q. vnica , § *quantum ad ſecundum*, vbi ad marginem citatur pro eo placito Holcot. ſubſcribit Angeſtus, l. 1. de virtut. c. 3.docum. 1.

Reiiciuntur.

Iuxta hanc verò doctrinam , nullus in voluntate alius actus agnoſcendus eſſet, quàm proſecutiuus : ita vt qui auerſatiui appellantur , hactenúſque ab omnibus recepti ſunt, non eſſent habendi auerſatiui , niſi nomine tenus : Formaliter autem eſſent proſecutiui. At hoc eſt inauditum , & planè falſum. Quis enim credat , odium mortis , eſſe formaliter amorem vitæ, vel complacentiam non moriendi ? Poſſunt quidem actus illi ſeſe concomitari , imo vnus cum altero ſolet connecti , quia ratio habendi odio malum ,eſt amor boni oppoſiti, quod per malum illud adueniens expugnatur. Et hoc eſt quod reipſa voluit S. Thomas ſupra ? non autem quod ei tribuebatur Tamen rationes formales & quidditatiuæ vtrorumque illorum actuum, (addo & entitates ;) diſtinctæ ſunt, vt patet ex eorum obiectis. Ex quo Vaſq. 1.2. d. 21.c.2. n. 6. colligit, manifeſtæ ignorationis eſſe , inficiari actum aliquem,qui verè & formaliter ſit diſplicentia, nec ſit formaliter amor. Azor t. 1. l. 3.c. 4. q. 8. idem ſtatuit de omni affectu circa malum.

Sed vt alios affectus omittam , talis apertè eſt triſtitia Nam quod dicebatur, triſtari de peccato admiſſo , idem eſſe quod *vellem non peccaſſe* , eſt omnino falſum , vt conſtabit ex dicendis de dolore. Odium quoque, quatenus odium eſt , conſiſtit in auerſione, nec eſt actus proſecutiuus : Nam etiamſi in odio inimicitiæ inuoluatur proſecutio mali. voliti inimico; tamen actus terminatus ad illud malum volitum , non eſt formaliter odium ſed amor : actus autem terminatus ad perſonam exoſam, eſt formaliter odium , & diſplicentia illius perſonæ : ſicut etiam odium abominationis eſt diſplicentia mali . voliti perſonæ quæ amatur. Refugit enim ab eo malo voluntas, illùdque à perſona , quam diligit. auerſum cupit. Itaque certum eſto , dari actus aliquos formaliter auerſatiuos, nec tantùm nomine tenus.

Alia quædam odij membra,quatenus alia.

177. Natura & partitio odij videtur ex dictis ſufficienter expoſita. Quód enim odium ab aliis diuiditur in alia quædam membra,nempe in odium naturale, humanum, ferinum,melancholicum non continet nouas odij ſpecies, ac vera membra:ſed duntaxat varias cauſas, aut modos odij.

Appellatur enim odium naturale , quo aliquis ex naturali , ſed occultiore antipathia , abhorret ab alio etiamſi plerumque abhorrendi cauſam non agnoſcat. Qua ratione , obiecta quædam alioqui innoxia, cùm primùm incurrunt in ſenſus commouent aliquos ad odium incenſiſſimum,nulla euidente cauſa nixum; Odium humanum dicitur; quod humano modo concitatur, nec aſſurgit ad eam efferationem, quæ tranſcendat ordinarium modum , quo homines auerſari aliquid conſueuerunt. Qua menſura caret odium ferinum, quod ad immanitatem pertingit, belluarúmque ſæuitiam potiùs , quàm humanam auerſionem ſapit. Huiuſmodi eſt odium eorum , qui inimicorum nece quàm acerbiſſima & diriſſima non exſatiati, truncare inſuper , fœdéque diſcerpere cadauera exanimata, habent in deliciis : quod grauiſſimè exagitatur apud Platonem li. 5. de Repub. Eóque interdum proceſſerunt aliqui , vt carnes cæſorum mandere , & hepar vel cor hoſtium recens exemptum, dentibus ſuis crudum premere non exhorreſcerent. Quod à nonnullis Iudæis ſub Traiano factum Dion in Traiano prodit. Alia huiuſmodi exempla immanis odij petere licet ex Seneca 2. de ira c. 4. & 5. & Iouiano Pontano

tano lib. de immanitate, paſſim. Quædam etiam ipſi profer imus, componentes vitium cum immanitate. Denique odium melancholicum illud eſt, quod excitatur ex redundantia bilis atræ. Cuiuſmodi videtur fuiſſe odium Timonis, qui à tetro illo affectu, quo in omnes contabeſcebat, μισάνθρωπος appellatus eſt. Nec defuerunt, qui quos lycanthropos vocant, hoc ipſo morbo affectos pronunciarent. Videndus Ægineta lib. 3. cap. 16. & alij, quos in eandem rem profert Delrio l. 2. magic. q. 18. agens de inſania lupina.

Itaque vides hæc odij membra, penes varia tantùm eiuſdem affectus connotata ſtatui, ſalua formali eius vnitate. Quam materialem multiplicitatem, penes diuerſa mala odium excitantia, hic non moramur; quòd infinita ſint, & ad odij naturam perſpiciendam, non referant. Quare natura & partitio odij videtur ex dictis ſatis explicata.

Odij cauſa.

178. Cauſæ eius, de quibus agendum ſequeretur, perſpicuæ ſunt ex dictis circa amoris cauſas, quibus iſtæ ſunt omnino oppoſitæ. Itaque ſicut bonum & pulchrum allicit appetitum, & ingenerat amorem: ita malum & turpe, auocat & fugat appetitum. Et quia diſſimilitudo præſtat, vt faciliùs inducamus in animum, aliquid malum & turpe eſſe idcirco eſt etiam ipſa, vna de frequentioribus odij cauſis; quod latè proſequitur Tiraquell. l. 5. connub. n. 28. Quanquam plerúmque ſit abdita: id eſt, rogati quæ cauſa ſit odiorum, ægrè eam cauſam poſſimus exponere, quo pacto affectus fuit, qui ſcripſit.

Non amo te Sabidi, nec poſſum dicere quare:
Hoc tantùm poſſum dicere; non amo te.

Inter eaſdem odij cauſas, numeratur quoque ignoratio rei terminantis odium. Hæc tamen eſt potiùs cauſa per accidens, ob ſubtractionem ſcilicet notitiæ, bonum exhibentis, quæ ad amorem pellexiſſet.

Coniunctio item & connexio cum argumento odij; concitat odium. Sicut enim qui aliquem diligit, fertur etiam amore in omnia, quæ illius ſunt; ita viciſſim dicendum eſt de odio. Pulchrè S. Baſil. homil. 21. ex variis, hinc eruit radicem incenſiſſimi illius odij, quo Dæmon nobis infeſtus eſt. *Oſor eſt*, inquit, *hominis, quoniam & aduerſus Deum rebellis eſt; primùm odio habuit, deinde & repugnauit omnipotenti, contempſit Dominum, alienatus eſt à Deo. Vbi vidit hominem ad ipſius imaginem factum, quum non poſſet in authorem ipſum, quem ante omnes lædere cupit; in eius imaginem, ſuam exercuit malignitatem. Veluti ſi quis homo, quando Regem inimicum attingere non valet, eius ſimulachrum caderet. Vidi ego iam, partim audiui, res certa eſt, inter animalia hominibus inimiciſſima, pardalim quandoque in ſtadiis, hominis oculos præ ira inuadentem. Quæ fera deludere furorem quærunt, hominis imaginem ei ex charta oſtendunt. Iſta ſtatim furibunda eam concerpit atque dilacerat: hoc argumento ſatis oſtendens, quanta ſit eius aduerſus hominem inimicitia. Sic item Diabolus in Dei imagine, quo ſit ergo Deum odio oſtendit, quando Deum ipſum attingere nequit. Sic & contra nos bellum ipſius, ſatis oſtendit, Dei eſſe illum aduerſarium, & ante omnia Deum petere.*

Tandem habet etiam hîc locum, (non minùs, quam in amore) maleficium, quo plerumque effectum; vt perſonæ coniunctiſſimæ, nulla præeunte iniuria, odiis acerbiſſimis inter ſe flagrarent. Quæ frequens eſt coniugum recens ſociatorum infelicitas, cùm æmulos coniugij patiuntur. Ac ne naturalis aliqua offenſionis & odij cauſa occurrat animo; cùm abſunt, diligunt inuicem ardentiſſimè, & coniunctionem exoptant, quam impenſiſſimè exhorrent, cùm eius facultas per præſentiam ſuppetit. Exempla ſuggeret Delrius 3. Magic. p. 1. q. 4. ſ. 9. legeſis prætereà Fabium declam. 14. & 15. quæ vtraque, de odij potione. Cauſa porro iſta odij, non aliter, ſeruata proportione, exponi debet, quàm prout ſupra expoſuimus ſimilem amoris cauſam. Nimirum poteſt dæmon, qua nouit arte, immutare corpoream temperiem: & atrum tetrúmque humorem, miſanthropiæ fomentum, vel è conceptaculis ſuis educere, ac cogere, vel admotis idoneis actiuis efficere, concitatiſque phantaſiæ ſimulachris, eas perſonæ imagines obiicere, quæ odio conciliando ſint opportunæ. Inde odium exardeſcit. Cauſam itaque odij primariam & cuius cæteræ non niſi adminiſtræ ſint, vides eſſe obiecti malitiam, & diſconuenientiam appetitui exhibitam.

Qui ad odium accommodati.

179. Ex his liquet, qui ſint ad odij paſſionem accommodati. Nimirum ignaui, & timidi, qui vndecunque damnum metuunt. Quare erga vim quamcunque aduerſariam, facilè concitantur odio, eliſam & contritam volentes, ne iugi metu impendentis ab ea mali, percellantur. Eidem affectui facile ſubiacet ſuſpicioſi, ob eandem cauſam. Nam qui ſuſpicionibus facilè locum præbent, ferè ſunt meticuloſi, atque adeò etiam odio, inde progerminanti patent. Odij item affectum facillimè ſuſcipiunt qui amant; quòd amorem pro iure ſuo repoſcere ſe arbitrentur, omniáque inſuauia, quæ accidunt ab eo, quem amore proſequuntur, grauiora ducant, quàm ſi proficiſcerentur ab iis, erga quos ipſi aliter afficiuntur.

Et hæc eſt germana cauſa, cur odia coniunctiſſimorum, ſi enaſcuntur, ſint grauiſſima. *Non habent*, ait Quintil. declamatione 17. *proximorum odia regreſſum. Quæcunque nexus acceperè naturæ, & quæ ſanguine viſceribúſque conſtricta ſunt, non laxantur diducta, ſed pereunt. Quia de primo tenore naſcendi, vix in contrarium victa deflectunt, diúque prauitatis ſuæ rigore durata, mox in priſtinum curſum remiſſa non redeunt, ſed totum pondus omneſque vires inclinata ſtruxerunt: vigore, quo ſibi permiſſa creuiſſent, in ipſius vitij robur adoleſcunt. In hoc tota eſt difficultas, vt incipiat non amare filium pater; hoc cùm frontem confeſſionis accipit, reliqua præcipiti furore decurrunt, & reditus in charitatibus obſtat, quicquid obſtiterat odiis. Semel ſibi parentes liberique mutantur, ſemel auferuntur.* Huius tam incenſi inter coniunctos odij, cum concitatur, Seneca 2. de ira c. 10 rationem profert ei quam attulimus ſimillimam, vel potiùs geminam, cùm diſtinxiſſet duo capita ex quibus animus concitatur in odium & iram: Nempe eorum quæ iniqua, & eorum quæ indigna iudicantur. *Iniqua quædam iudicant homines, quia pati non debuerint: quædam quia ſperauerint. Indigna putamus, quæ inopinata ſunt: Itaque maximè commouent, quæ contra ſpem, expectationémque euenerunt. Nec aliud eſt quare in domeſticis minima offendant, in amicis iniuriam vocemus negligentiam.* Ariſtoteles 7. Polit. c. item 7. eandem rationem adhibet ac ex Archiloco, & vulgari prouerbio confirmat. Eſt ergo maximè aptum odij ſubiectum, quod ſe maximè læſum exiſtimat: Superbi item, & ſui ipſorum amantes, ſunt admodum procliues ad odium aliorum: quia cùm impensè ſe ament, & toti ſint in curandis ſuis commodis & bonis, quæ facilè eſt interturbari, non difficilè concitantur ad offenſionem. Faciléque adducuntur vt credant ſe

maximè læſos & qui læſit eſſe maximè malum.

Præter hæc veluti ordinaria & vulgaria odij ſubiecta, aduertit Fracaſtorius lib. de ſympath. c. 18. idem quibuſdam hominibus accidere quod inter bruta ſerpentibus, vt ſcilicet neminem ament omnes oderint. Ita vt quemadmodum praua plerumque conſtitutio ſtomachi & linguæ, faſtidium ingenerat quorumuis eduliorum: ſic nonnulli, adeò à communi, & humanæ ſpeciei ordinaria complexione exorbitent, vt reliquos habeant exoſos: alias opiniones ac vſus & mores habeant quàm cæteri. Cadunt in iſtos illa Plinij. l. 18. c. 1. *Non & homines quidam, vt venena naſcuntur? Atra ceu ſerpentum lingua vibrat, tabóſque animi contracta adurit, culpantium omnia, ac dirarum alitum modo, tenebris quoque ſuis, & ipſarum noctium quieti, inuidentium, (quæ ſola vox eorum eſt;) vt inauſpicatarum animantium vice, obuij quoque vetent agere; aut prodeſſe vitæ. Nec vllum aliud abominati ſpiritus præmium nouere, quàm odiſſe omnia.* Ratio tam tetri habitus eſſe videtur, quòd ſanguine ſint cœnoſo, turbido, & fœculentæ melancholiæ ſordibus redundante. Notat quoque Plato in Phœdone id ex eo accidere plerunq; *quod quis nulla adhibita arte, vehementer alicui crediderit; exiſtimaritque omnino & veracem & ſanum, fidùmque aliquem hominem; quem poſtea nequam, infidum, verſipellem atque vertumnum experiatur: quum verò id cuipiam ſæpiùs acciderit, & ab iis quidem, quos amiciſſimos familiariſſimóſque eſſe arbitrabatur, tandem ſubinde offenſans & quaſi allidens, omnes odit, & cenſet nihil planè in quoquam homine eſſe integrum aut ſyncerum.* In frigidis ac ſiccis, radices facilè agit odium, ſed ſegne ac iners. Accedente autem calore, acuitur, & acerbitatem concipit, in iis præſertim, qui ex ignea natura, degenerant in terreſtreitatem, ob humoris aduſtionem nimiam: Nam in iis odium & acutum eſt, & altè infixum. Quòd ſi illa materiæ ſiccitas abſit: minuitur odij tenacitas.

Effectus odij.

Ex odio, tetri ac virulenti effectus prodeunt, parentem referentes. Inde enim præmiſſo receſſu & auerſione appetitus ab obiecto, manat imprimis timor cauſarum quibus obiectum inferri poteſt, ſi nondum agnoſcatur illatum: Qui timor interdum ob adiunctam ignauiam valdè augeſcit. Quod ſi ignauiæ iungatur poteſtas, conſequitur ſæuitia, vt perſpectum fuit in Caligula, & Nerone, aliiſque ignauis Principibus, qui quod imbelles eſſēt, & malè ſemper metuerent; ex odio in ſæuitiam verſi immania odij ſui argumenta ediderunt. Facilè item ad odium conſequũtur, contemptus, ſubſannatio, maledicentia, excandeſcentia, cæterique omnes effectus, proportionales effectibus amoris, tametſi iiſdem oppoſiti, quod contrariorum, vt contrariæ, (proportionales tamen) ſunt cauſæ, ita & effectus, à cauſis illis profuſi. Nominatim verò S Chryſoſtom. lib. 1. de compunct. cordis, obſeruat, contra planè accidere ex odio quàm ex amore quoad iudicium de factis & dictis eorum quos oderimus. Sic enim loquitur. *Vbi amicitia permanet, nihil facilè creditur, nihil facilè re. ip ſum quod diſſidium operari poſſit: ſi verò inimicitia ſemel occupauerint animos. õnia quæ fiunt quæ dicuntur, quæ audiuntur, ita accipiuntur & intelliguntur, vt ad maiores & lõgiores proficiant inimicitias. Si quid enim boni dicatur de inimico. nõ creditur, ſi quid autem mali, hoc ſolum creditur & cõfirmatur.*

Odij remedia.

181. Remedia odij, ex eius cauſis & effectibus eruenda ſunt. Nam perſpectio cauſarum odij, apertum faciet non eſſe in perſona in quam odium incenditur, rationabilem ac dignam odij materiam; vnde frigida affundetur pectori in odium exæſtuanti. Et quia vt plurimùm cauſa odij eſt iniuria accepta, conferet ad odij extinctionem in eo euentu, fortis iniuriarum tolerantia, de qua fusè tractatione de fortitudine. Optimè verò & acutè de more S. Auguſtinus conc. 3. in Pſal. 30. *initio*, admonet quantumcunque obiiciatur in perſona aliqua ſeges plurima odij; tamen cauendum eſſe, ne odium illud, ſi rationis lineam prætergrediatur, fiat arcus doloſus, in nos ipſos exerens ſagittam; quod fit cùm per odium vetitum, qui alterum odit, quia malum iudicat, malus etiam ipſe efficitur. *Inimici homines*, inquit Auguſtinus, *qualeſcunque fuerint, non ſunt odio habendi, ne cùm odio malus, quem patitur malum ſint duo mali, Diligat bonus, & quem patitur malum. vt vel vnus ſit malus.*

Quàm verò ſibi ipſi noceat qui alterum odit, docet idem Auguſtinus ſerm. 36. de verb. Domin. eſtque id aduertere planè potens remedium aduerſus odij affectum. Verba D. Auguſtini, ex parte refero. *Odium tenebræ ſunt. Non poteſt autem fieri, vt qui odit alterum; non ſibi priùs noceat. Illum enim lædere conatur extrinſecùs ſe, vaſtat intrinſecùs. Quantum autem animus noſter corpore maior eſt, tantum ei proſpicere debemus, ne ipſe lædatur, Lædit autem animum ſuum, qui odit alterum. Ecquid facturus eſt ei, quem odis? Quid facturus? Tollit pecuniam, nunquid fidem? Lædit famam, nunquid conſcientiam? Quicquid nocet, forinſecùs nocet Sibi, attende quid noceat. Intus enim ſibi ipſe inimicus eſt, qui odit alterum, Sed quia non ſentit quid ſibi mali faciat, in alterum ſæuit, eò periculoſiùs viuens, quò non ſentit, quid ſecum mali agat; quia & ſæuiendo ſenſum perdit. Sæuiſti in inimicum tuum; te ſæuiente, ille nudatus eſt, tu iniquus es factus. Multùm intereſt inter nudum & iniquum. Ille perdidit pecuniam, tu innocentiam. Quære quis grauius damnum perpeſſus eſt; Ille perdit rem perituram, tu factus es periturus,*

182. Ad valdè generalem odij cauſam, manum admouit Seneca 3. de ira c. 34. remedium odio pararet; monens, vt odium compeſcatur; obſtruendam eſſe cupiditatem, & quod magno malo noſtro, odij cauſa fiat, idem velle. *Crede mihi*, inquit, *leuia ſunt, propter quæ non leuiter exſcandeſcimus, qualia quæ pueros in rixam & iurgium concitant, Nihil ex his, quæ tam triſtes agimus, ſerium eſt, nihil magnum. Inde, inquam, vobis ira & inſania eſt, quod exigua magno æſtimatis. Auferre hic mihi hæreditatem voluit: hic me diu ſpe ſuprema captatum, criminatus eſt: hic ſcortum meum concupiuit. Quod vinculum amoris eſſe debebat, ſeditionis atque odij cauſa eſt, idem velle. Iter anguſtum rixas tranſeuntium concitat: diffuſa & latè patens via, ne populos quidem collidit. Iſta quæ appetitis, quia exigua ſunt, nec poſſunt ad alterum, niſi alteri erepta transferri; eadem affectantibus, pugnam & iurgia excitant.* Alibi verò quod S. Auguſtinus epiſt. 54. notauit, inde Seneca remedium odio apponit, quod qui malum quodcunque odiſſe obfirmauerit, cenſendus ſit in tanta malorum vbertate omnes odiſſe Verba Auguſtini ſunt. *Meritò ait Seneca, qui temporibus Apoſtolorum fuit, cuius etiam quædam ad Paulum Apoſtolum Leguntur epiſtola: Omnes odit qui malos odit. Et tamen ideo diligendi ſunt mali, vt non ſint mali. Quemadmodum non vt permaneant ſed vt ſanentur, diliguntur ægroti,*

Ex effectibus verò odij ritè perpenſis, nec pauca, nec leuia, aduerſus illud amuleta peti poſſunt. Nam tanta ſunt incommoda, quæ ex tetra hac radice progerminant, vt quiſquis ea perpenderit, facilè radi-

cem ipſam (vt vnà pereant germina,) ſiccatam, & ſtirpitùs auulſam, ſit optaturus. Propono in hanc rem quamplurima ad calcem tractationis de beneuolentiæ virtute, iuſtitiæ parte potentiali. Immenſus item in hoc puncto eſt Gulielmus Pariſ. l. de morib. c. 8. Sed quæ profert, ferè impetunt odium, quatenus eſt contra regulas ſupernaturales, & Chriſtianam Philoſophiam.

ARTICVLVS III.

De Deſiderio.

183. DEſiderij exortum, ordinémque & modum quo progignitur; quanti præterea referat hanc feram coërcere, omnia vaſtaturam & perdituram ni frænetur, & quàm ſtudioſè reprimatur, eleganter planè expreſſit Philo lib. in Decal. cuius verbis apte initium faciam huic de deſiderio tractationi. *Omnes*, inquit, *perturbationes animi graues ſunt; concitantes eum, & dimouentes ab ingenio ſuauitatéque priſtina; ſed nulla aquè nocet ac concupiſcentia. Quamobrem alia videntur exteriùs immitti & inſciis obrepere: hæc verò ſola in nobis oriri, & quidem volentibus.* Et mox: *Quoties aliquis de abſente bono cogitans, habere id cupit, in longum animam porrigit, extendens eam, vt poſſit rem adamatam attingere, tanquam in orbiculari machina, ſemper ſequendo, nunquam aſſequendo. Quod ſpectamus in curſoribus, quando præcurrentem, tardior pernicaciter inſequi. &c.* Non eſt ſenſus, quòd nunquam qui deſiderat, perueniat ad rei deſideratæ fruitionem: Sed quòd homo quandiu deſiderat, & vi huius actus, non potiatur re concupita, quod eſt veriſſimum. Pergit Philo vanum deſiderij niſum & damna exponere, de quibus poſtea. Prius enim deſiderij naturam & multiplicitatem; cauſas item eius & effectus, iuxta ordinem ſupra conſtitutum, tradere operæpretium eſt.

Quidditas deſiderij, appetitus exporrectio in bonum abſens.

Naturam igitur deſiderij, aptè expreſſit Philo verbis allegatis; docens deſiderium eſſe amorem boni abſentis, & exporrectionem appetitiuæ facultatis in bonum, quod abeſt, ſiue quia futurum eſt, ſiue quia iam abiit. Vtrumque enim eſt idoneum deſiderij obiectum. Vt propterea non ſatis cum deſiderij natura adæquatè ſumpta, cohæreat myſtica illa notatio vocis, *deſiderium*, quam tradit Scalig. exercit. 317. num. 3. volens inde ductam vocem *deſiderium*, quòd res deſiderata expectetur de ſyderibus. Qua ratione deſiderium non poſſet eſſe præteriti, quod non expectatur.

Eſſe autem deſiderium ad bona abſentia reſtringendum, nec deſiderium eſſe etiam rei habitæ, vt malè cenſuit Anton. Andreas 12. Metaph. ad tex. 38. rectè ibidem, ſed ſolita ſpinoſitate tradit Spina defenſione 28. quæ ſubiicitur lectioni ſeptimæ S. Thomæ in eundem librum. Nam ſi deſiderium eſſet etiam rei habitæ, confunderetur cum gaudio, quod eſt de re habita. Spina ſuprà ait, deſiderium, iuxta ſententiam illam, fore confundendum cum amore; qui cum abſtrahat à præſentia & abſentia, poteſt & rei habitæ eſſe, & nondum habitæ. Hæc tamen impugnatio non eſt ſolida. Nam quamuis amor abſtrahat ab vtroque illo ſtatu obiecti: tamen non attingit illud ſub ratione præſentis vel abſentis; ſed duntaxat ſub ratione & formalitate boni, quod non competit deſiderio, cui proprium eſt tendere in rem prout habitam. Itaque non ob hanc, ſed ob priorem rationem, fixum eſto, deſiderium eſſe tantùm rei abſentis, vt fert etiam communis omnium conceptio.

Expoſita, quæ deſiderium, præſentibus quoque addicere videntur.

184. Eam porro Antonius Andreas malè ſatagit conuellere, adducto eo loco Apoſtoli, quo dicitur, Angelos deſiderare, proſpicere in eum, quem intueri ibidem dicuntur. Neque enim *deſiderij* vox, adhibita eo loco eſt, vt ſignificetur verè beatas illas mentes deſiderare contuitum, quo potiuntur: ſed tantùm vt ſignificetur ab eo contuitu, tametſi iugi & æternùm duraturo, procul abeſſe omne rei viſæ faſtidium, ſecus quàm in contuitione & vſu bonorum creatorum ſolet accidere. Quod perpulchrè docuit S. Gregorius 18. Moral. c. 39. tractans eum ipſum Petri locum; oſtendénſque quomodo illud Dei proſpiciendi deſiderium ab Apoſtolo memoratum, conſentiat cum Dei viſione & fruitione, quam Sanctis Angelis Chriſtus ipſe diſertè aſſeruit. [Deum quippe Angeli, *ait S. Greg.* & vident, & videre deſiderant: & ſitiunt intueri, & intuentur. Si enim ſic videre deſiderant, vt effectu ſui deſiderij minimè perfruantur, deſiderium ſine fructu anxietatem habet, & anxietas pœnam. Beati verò Angeli ab omni pœna anxietatis longè ſunt: quia nunquam ſimul, pœna & beatitudo conueniunt. Rurſum cùm eos dicimus Dei viſione ſatiari, quia & Pſalmiſta ait. *Satiabor dum manifeſtabitur gloria tua*; conſiderandum nobis eſt, quoniam ſatietatem ſolet faſtidium ſubſequi. Vt ergo rectè ſibi vtraque conueniant, dicat veritas: quia ſemper vident; dicat prædicator egregius: quia ſemper videre deſiderant. Ne enim ſit in deſiderio anxietas, deſiderantes ſatiantur: ne autem ſit in ſatietate faſtidium, ſatiati deſiderant. Et deſiderant igitur ſine labore, quia deſiderium ſatietas comitatur: & ſatiantur ſine faſtidio, quia ipſa ſatietas, ex deſiderio ſemper accenditur. Sic quoque & nos erimus, quando ad ipſum fontem vitæ venerimus. Erit nobis delectabiliter impreſſa, ſitis ſimul atque ſatietas. Sed longè abeſt ab iſta ſiti neceſſitas, longè à ſatietate faſtidium: quia & ſitientes ſatiabimur, & ſatiati ſitiemus.] Itaque locus ille Petri, nihil Antonij Andreæ cauſam iuuat. Et poſſumus ad eiuſdem loci illuſtrationem, non incommodè adducere illa Pacati de Theodoſio contra anteriorem quorundam Principum morem procedente facilè in publicum. *Quanquam vicinum habeant permiſſa faſtidium, nunquam iſto mirantis expleti oculos magiſque viſus expetitur, & nouum dictu, præſens deſideratur.*

Nomen tamen *concupiſcentiæ*, quod videtur eſſe idem cum nomine *deſiderij*, poſſe extendi ad ea quæ iam poſſidentur, notauit Durandus in 1 d. 1. q. 2. n. 12. Poſſétque etiam dici, nomen *deſiderij*, eo loco ſumptum eſſe latiùs, quàm in præſenti à nobis accipiatur. Nimirum dici poſſet ſumptum fuiſſe in eo ſenſu, in quo vocamus amorem concupiſcentiæ, quemlibet obiecti amorem, etiamſi adſit. Hîc autem à nobis magis propriè ſumitur, arctatúrque ad abſentia, ſaltem quoad aliquam rationem expetita. Quod addo, quia interdum deſideramus perſeuerantiam & permanentiam boni, quod tenemus: Sed quia perſeuerantiam eius non habemus certam, in tanta rerum noſtrarum inconſtantia; propterea deſideramus eius boni quod poſſidemus prorogatam, continuationem & perpetuationem, quæ moraliter

eſt

eſt aliquid diuerſum à poſſeſſione ſimpliciter dicta, & ratione termini extrinſeci, quem connotat, rectè dicitur abeſſe.

Eſſentialis diuerſitas deſiderij ab aliis actibus, ſtabilitur,

185. Sed poteſt non immeritò circa deſiderij naturam ambigi, an ratio illa abſentis, quam in eius obiecto attendendam diximus, nouam ei & diſtinctam ſpeciem ab amore ſimplici conferat; an verò duntaxat accidentariam connotationem & denominationem, ſalua vtrobique identitate actus ſpecifica; vt videtur ſuaderi ex eo quod ſiue obiectum bonum ſit præſens, ſiue abſens, eandem tamen habet bonitatem, ratione cuius ſolius mouet. Nam abſentia illæque aliæ conditiones, quæ eam aliquando conueſtiunt, vt impoſſibilitas, arduitas, potiùs arcerent à proſecutione. Et conſequenter abſentia non eſt partiale motiuum deſiderij, vt malè cenſet Medina 1. 2. ad q. 30. & Dand. 3. animæ digreſſ 41. parte 1. Cùm ergo motiuum deſiderij idem ſit quod motiuum amoris ſimplicis, videmur adigi admittere, eandem eſſe vtriuſque actus eſſentiam & ſpeciem, ſola connotatione accidentaria abſentiæ per deſiderium fundante variam vtriuſque actus denominationem.

Exiſtimo nihilominùs, deſiderium ſpecie differre ab amore ſimplici, cum quo illud comparamus. Idque probo ratione petita ex prædictorum actuum obiectis. Amor ſiquidem ita fertur in bonum noſtrum, vt nullum prorſus importet ordinem, ad aſſecutionem & coniunctionem cum bono illo noſtro curandam. At deſiderium habet aliud obiectum: nempe aſſecutionem ſimul & bonum.

Quomodo autem deſiderium ab aliis actibus ſecernatur, minùs ambiguum eſt: Tametſi enim Durand. in 1. d. 1. q. 2. n. 13. & 14 ait idem eſſe, (ſaltem vt plurimùm) delectationis & deſiderij obiectum, eo quod motus illò tendat, vbi poſtea quieſcitur. Tamen paſſim agnoſci video ſpecificam & deſiderij & gaudij diſtinctionem, quæ ex obiecto diſtincto, haurienda eſt. Itaque ne deſiderium ab amore ſeiungentes, illud cum gaudio confundamus; dicendum eſt, deſiderium, præter prædicta, inſuper ſpectare aſſecutionem, & cauſationem coniunctionis boni, tanquam partiale obiectum ſuum, in quod nullo modo fertur amor. Imo etiamſi ageremus tantùm de ſimplici deſiderio, tamen adhuc ſalua maneret obiecti diuerſitas. Nam deſiderium, etiamſi ſimplex, non prorſus abſtrahit ab ordine ad aſſecutionem. Tametſi enim non admouet manum operi, nec dicit ordinem ad exercitam vſurpationem mediorum; eſt tamen rudimentum proximum, & veluti delineatio deſiderij efficacis, in aſſecutionem & media robuſtè tendentis; proindéque redolet aliqua ex parte, eius naturam. Comparatur porro ſimplex hoc deſiderium ad deſiderium efficax & robuſtum, ſicut amor ſimplex ad deſiderium aliqua ex parte. Eſt enim deſiderium ſimplex, amor ſimplex aſſecutionis & vſurpationis mediorum, ita vt per ordinem ad aſſecutionem, ſecernatur ab amore purè ſimplici qui eſt primus omnium affectuum: Per eam verò inefficacem ac mollem; & (vt analogiam ſeruem cum primo illo actu,) ſimplicem aſſecutionis appetitionem, differat à deſiderio efficaci atque robuſt .

Sunt qui ſpecificam deſiderij ab amore ſimplici diſtinctionem, probent ex diuerſo tantùm modo tendendi in eandem rationem formalem, ac etiam materialem illorum actuum. Abſentiam enim boni, ne ad materiale quidem deſiderij obiectum pertinere ſtatuunt. Itaque cùm alia non affulgeret obiecti diuerſitas inter vtrumque actum, cenſuerunt eos ſpecie quidem diſtingui: non tamen penes diuerſam rationem obiectiuam ſed tantùm penes diuerſum modum, quo in eam fertur vterque actus. Ita præter cæteros Ægidius Coninc d. 1. de pœnit. n. 17. ſed non fuiſſe deſperandam obiecti formalis partialem diuerſitatem, ex qua peti rectè poſſit ſpecifica diſtinctio illorum actuum, rectè oſtenſum eſt.

Deſiderij ſiue cupiditatis diuiſio.

186. Iam verò deſiderij diuiſio, tam multiplex inſtitui poteſt, quàm cupiditatis; ſiue, (quod etiam eſſe generale & æquiualens nomen, notat D. Aug. 4. Ciuit. c. 15.) *libidinis*, quæ pro materialis obiecti multiplicitate, poteſt in immenſum multiplicari. Eſt enim *libido vlciſcendi*, ait ſupra D. Aug. *quæ ira dicitur: eſt libido habendi pecuniam, quæ auaritia: eſt libido quomodocunque vincendi, quæ peruicacia: eſt libido gloriandi, quæ iactantia nuncupatur. Sunt multæ variæque libidines, quarum nonnullæ habent etiam vocabula propria, quædam verò non habent.* Sed hac purè materiali diuiſione omiſſa, accedamus ad aliquatenus formales.

Quæ Philoſopho cupiditates naturales & innaturales.

Vna eſt apud Philoſophum celebris. Solet enim Philoſophus, deſiderium, ſiue, vt frequentiùs ex interprete loquitur, cupiditatem, partiri in cupiditatem naturalem, & eam quam vocat innaturalem, ſeu rationalem: de quorum membrorum recta intelligentia, non planè liquet. Sunt enim qui exiſtimant, nomine concupiſcentiæ naturalis, apud Ariſtotelem ſignificari eam cupiditatem quæ oritur ex ſimplici apprehenſione obiecti; eam verò, quæ oritur ex ratiocinatione, aut deliberatione formali vel virtuali, cenſent appellatam fuiſſe à Philoſopho rationalem & innaturalem. Quam etiam putant eſſe ſententiam S. Th. & Caiet. 1. 2. q. 30. art. 1.

Ariſtoteles tamen nullo modo ita intellexit eam diuiſionem; ſed neque S. Thomas vel Caiet. qui adhæſerunt Philoſopho, cuius veram mentem, profero ex iis locis quibus eam concupiſcentiæ, ſiue deſiderij partitionem aſſignat. In primis 3. Eth. c. 11. ita loquitur. *Cupiditatum aliæ, communes videntur eſſe, aliæ propriæ atque appoſititiæ: Vt alimenti cupiditas, naturalis eſt. ſiccum enim vel humidum alimentum, vel etiam vtrumque, cùm indigent, omnes cupiunt. Qui etiam appetit & iuuenis, vt inquit Homerus, florens, ac cubile. Tale verò ac tale vel eadem, non omnes: Idcirco noſtrum eſſe id videtur. Habet tamen & aliquid naturale: quippe cùm alia aliis iucunda ſint, & omnibus ſuauiora quædam ſint, cæteris quibuſlibet.* Quæ naturalis cupiditas, eadem & communis appellatur eo loco à Philoſopho. Quæ verò rationalis, dicitur etiam propria, & appoſititia, & noſtra. Cùm enim naturalibus cupiditatibus omnes vrgeantur, meritò communes dictæ ſunt. Cæteræ autem tametſi ex propria & peculiari naturæ vniuſcuiuſque, ac temperamenti ſingulis inſiti conditione, interdum proficiſcantur; tamen quia non in omnes cadunt, appellantur propriæ & aduentitiæ reſpectu communis naturæ, eique apponi dicuntur. Quod multò magis de iis cupiditatibus, quæ ex mera voluntatis libertate oriuntur, dicendum eſt. Vides igitur. Ariſtotelem loco allegato, inter cupiditates naturales, numerare duntaxat cupiditatem cibi & potus, quorum vſus eſt ad indiuidui conſeruationem: itémque eam cupiditatem, quæ dirigitur ad propagationem & conſeruationem ſpeciei: cæteras, vocare proprias & aduentitias.

Earundem cupiditatum, alia nomina apud Philoſophum.

187. Alij prius membrum, nominant cupiditatem animalem; poſterius cupiditatem rationalem. Prior enim quia proſpicit naturæ indiuiduæ animalis, non malè vocatur cupiditas animalis. Poſterior verò rationalis dicitur, quia fertur in illud, quod per ſolam rationem apprehenditur conueniens homini, quatenus homo eſt rationis machinatione vtens, & altiore vita præditus, quàm animali & ſenſitiua Quod ferunt illa Philoſophi 1. Rhetor. c. 11. ſub initium. *Cupiditatum, alia quidem rationis expertes ſunt; alia verò cum ratione. Voco rationis expertes, quas non ex eo, quod exiſtiment aliquid, ſuſcipiunt. Et ſunt tales, quæcunque dicuntur eſſe naturâ: vt quæ propter corpus inſunt; vt alimenti ſitis, & fames, & in vnaquaque ſpecie alimenti cupiditas, & quæ cernuntur in iis, quæ guſtatu percipiuntur, & in venereis, & omnino in iis, quæ pertinent ad tactum, & in odoratu ſuauitatis, & in auditu, & viſu. Cum ratione verò, quaſcunque ex eo quòd perſuaſi ſunt, concipiunt. Multa enim & perſpicere & poſſidere concupiſcunt, cùm audierint, & perſuaſi ſint.*

Non vult porro his verbis Philoſophus, cupiditati irrationali, nullam prælucere notitiam: quod eſt impoſſibile, agendo de cupiditate animali, quæ ſit actus elicitus facultatis appetitiuæ. Vult igitur non eſſe opus perſuaſione, & diſcurſu, vt quis feratur cupiditate irrationali, ſiue naturali. Sponte enim naturæ, omnes ferimur in obiecta ſimpliciter aut valdè neceſſaria ad eſſe indiuidui. Et naturaliter item excitatur cupiditas conſeruationis ſpeciei, quamuis diſcurſus & longa intellectus negotiatio ſecludatur. At cupiditates non naturales, non ſunt à natura implantatæ, ſed habentur ex rationis inuentione.

Itémque apud Platonem, & alios.

188. Plato 8. de Republic. eandem cupiditatum partitionem propoſuit ſub nominibus cupiditatum neceſſariarum & non neceſſariarum. Quo item modo eam partitionem perpulchrè expreſſit Chryſoſtomus hom. 73. in Ioan. *ferè in fine* ſed ita vt difficultatem ingerat, viſus inuehere tertium cupiditatis membrum. Ita enim loquitur, *Cupiditatum alia neceſſaria ſunt, alia naturales, alia neutrum. Vt exempli gratia. Quæcunque perfecto animali non deficiunt, ipſa naturales ſunt, & neceſſaria, vt edendi, bibendi, dormiendi. Corporum amor, naturalis eſt, non neceſſarius. Multi nanque eum vincunt, neque tamen pereunt Pecuniarum autem auiditas, neque naturalis eſt, neque neceſſaria, ſed ſupernacanea, modò voluerimus, neque à principio eam complectamur.* Vides Chryſoſtomum proferre tertium membrum cupiditatum: ita tamen vt non excedat diuiſionem bimembrem ex Platone propoſitam. Nam duo poſteriora membra diuiſionis Chryſoſtomi, continentur cupiditatibus non neceſſariis, quod erat ſecundum membrum in Platonis diuiſione. Epicurei quoque, vt eſt apud Tullium 2. de finibus, eandem bimembrem diuiſionem vſurparunt, etiamſi non abſque peccato aduerſus bonæ diuiſionis regulas, vt Tullius, eis de re ipſa conſentiens, animaduertit.

Apud Anaſtaſium Synaitam c. 2. ὁδηγῷ pag. 41. & apud Nicetam 3. Theſauri c. 19. à quibus Sancti Baſilius & Cyrillus referuntur, cupiditates rationales, vocantur cupiditates *gnomica*; cæteræ autem dicuntur *naturales*. Quanquam falsò Nicetas exiſtimat, vnicam eſſe naturalem cupiditatem, nempe cupiditatem viuendi. Alia enim præterea retulimus ex Philoſopho naturalis cupiditatis exempla; niſi ſi placeat, omnia, laxato tantiſper viuendi nomine, reuocare ad cupiditatem vitæ, quod & cibi & potus cupiditas conſeruationem vitæ in indiuiduo ſpectent. Eandem verò in ſpecie vniuerſa, reſpiciat cupiditas multiplicationis ſpeciei.

Qualibet Cupiditas rationalis, infinita, quia inexplebilis.

189. Ex eo porro quòd cupiditates rationales, ſint partus voluntatis liberæ, ſequentis machinationem rationis, elucet quod Philoſophus 1. Polit. c. 6. de rationali cupiditate pronunciauit. Nempe eam eſſe infinitam. Quod Philoſophus ibi probat, quia ea cupiditas eſt ipſius finis, qui in omnibus artibus infinitè quæritur. Naturalem autem cupiditatem, imò & rationalem naturali commenſam, eáque tantùm quærentem interuentu rationis, quæ ſunt ad naturalis cupiditatis finem opportuna, Ariſtoteles ait eſſe terminatam & finitam. Verùm infinitas rationalis cupiditatis, poteſt apertiùs & penitiùs probari ex inexplebili, appetitus humani ratione directi, voracitate. Eſt enim infinitus eius ſinus atque capacitas: Proindéque ei exſaturandæ, & veluti obruendæ, nulla par eſſe poteſt pabuli ingeſtio. Quæ eſt Tantalica illa ſitis, cuius eſt in fabulis mentio.

Ex ea verò fabula, pulcherrimè Philo lib. in Decal. fatigationem deſiderij humani, ſemper in bonum captandum intenti, ſempérque famelici ad hunc modum exponit. [Nonnunquam oculi, rem aliquam longè remotam cernere cupientes, plus ſatis, & ſupra vires intenti, fruſtrantur nec valent eam exactè cognoſcere, & inſuper hebetantur conatu ſuo nimio. Sic & ſtremitus obſcurus, auribus è longinquo allapſus, eas excitat cupidas rem cognoſcendi propius, & ſonitum percipiendi clariùs. Tamen quo eſt obſcurior, & quo minùs augetur, eo magis accenditur deſiderium nihil proficiens, concupiſcentia pœnas dante, haud ſecus, quàm de Tantalo narrant fabulæ Poëticæ. Fertur enim eum, quicquid appetit, fruſtra velle tangere rebus per ludibrium, tantùm non è digitis elabentibus: illum verò nihilominus impotenter eas concupiſcere, ſitientem ea, quæ ſe, quo minùs ſatietur, ſubducunt hianti & auido, ſeſéque huc illuc extendenti more ſerpiginoſi vlceris, quod ni ſectionibus cauteriiſve reprimatur, totum circumquaque corpus occupat nec vllam partem incontactam præterit. Ad eundem modum niſi ratio Philoſophica, ceu bonus medicus cohibeat diffundentem ſe concupiſcentiam, totam vitam perturbabit neceſſariò.]

Diſputat in eandem ſententiam egregiè Simplicius ad c. 61. Enchir. Epicteti, ſubtiliter aperiens radicem primam, infinitatis illius deſideriorum noſtrorum, quam iuuat ex eo diſcere. *Si quis menſuram*, inquit, *neceſſitatis tranſierit, eiúſque terminum; iam ſine termino vagabitur, alia aliis adiiciendo, donec ad extremas delicias & vanitatem præceps feratur. Per hæc enim, fit quoddam quaſi diuortium à regula: & quæ id ſequitur inexplebilis egeſtas, & eius comes afflictatio. Nam ſi decem parauimus, volumus habere viginti: ſi hæc quadraginta & ſic deinceps. Nec vllus finis eſt prolabendi in vaſtum illud atque immenſum pelagus inſatiabilis cupiditatis. Conſtat enim in ſingulis iis, quæ ad vſum corporis adhibentur, poſſeſſionem, quæ limites excedit, recidere in infinitum* Eòdem planè recidunt, quæ piè admodum ac eruditè tradit Richardus Victorinus, de cordis humani ore, ad quod mundus vni-

uerſus

uerſus non niſi exigua buccella eſt, incapax explere eius famem. Ita ille ſerm. de Spiritu Sancto & tract. in illud Pſal. 80. *Dilata os tuum, & implebo illud* Nimirum capacem Dei ſinum, nihil Deo minus explere poteſt, vt pulchrè ratiocinatur author libri de ſubſtantia dilectionis apud Aug. c 6. vbi de vera quiete, & centro motus animæ, ſiue deſiderij. Et conſonant illa ex panegyr Conſtantini filij Conſtant. *Nulli vero eſt, muneribus fortuna expletur, quorum cupiditates ratio non terminat. Atque ita eos fœlicitas ingrata ſubterfluit, vt ſemper pleni ſpei vacui commodorum, præſentibus careant dum futura proſpectant.*

Sunt item varietate ac multitudine, infinita.

180. Nec infinita tantùm eſt & inexplebilis, vniuſcuiuſque ſingularis cupiditatis capacitas; (quò ſpectat quod Ariſtoteles ſuprà tradit nóſque confirmauimus ex boni creati ad eam explendam inſufficientia,) ſed etiam, varietas ipſa cupiditatum rationalium, immenſa eſt & infinita. Neque enim certam aliquam deſideriorum multitudinem profundit humanus appetitus, ſed examina & populos cupiditatum, & tanta quidem multitudine, vt ſubduci nequeat numerus. Extant apud Max. Tyrium diſſert. 19 quamplurima, de tanta varietate deſideriorum noſtrorum, cùm tamen vnicum ſit neceſſarium & ſufficiens, quod omnibus eſſe poteſt ſatis ſupérque, quale numero 112. deſcribit. *Bonum ſimplex, inſeparabile, affluens, nullius rei indigum, quódque omnibus, qui ratione mentéque præditi ſunt, abundè ſufficiat. Sicut ſol vnus, vnum eſt bonum omnibus qui vident. Muſica vna, bonum vnum omnibus qui audiunt. Vna ſanitas, omnibus qui carne veſtiti ſunt.* Egregiè item in eandem ſententiam, ſub Democriti omnia ridentis perſona, diſputat Hippocrates epiſt ad Damagetum. Vbi etiam de tanta humanorum deſideriorum viciſſitudine, & inſtabilitate, perbellè expoſtulat. Addo de hac humanorum deſideriorum multiplicitate, nonnulla, agens de deſiderij effectibus quos inter numerandus eſt populus deſideriorum ex vno deſiderio ſuccreſcentium.

Nec vna auulſa, deficit altera.

Illud prætereà inſigniter circa hanc cupiditatis humanæ multiplicitatem & inexplebilitatem à Platone traditum eſt initio libri ſexti de Repub. éſtque etiam à S. Auguſtino obſeruatum l. de bono viduit. c. 21. vna cupiditate auulſa, non deficere alteram: ſed vel ſuppullulare & ſubnaſci nouam, vel quæ alioqui iacuiſſet, augeſcere, quaſi corriuatis ad eam amplificandam viribus appetitus, in aliam cupiditatem non impenſis. Itaque monet idem Sanctus pater, Iulianam viduam, quæ continentiam; eiúſque filiam Demetriadem, quæ virginitatem profitebatur, cauerent ne diuitiarum cupiditate caperentur, pro cupiditate nuptiarum, & in cordibus ipſarum, nummi cupiditas, pro viri amore ſuccederet. Rationem his verbis reddit. *Inuenimus enim hominum conuerſationem, ſæpè experti ſumus in quibuſdam laſciuia compreſſa, creuiſſe auaritiam. Nam ſicut in ipſis ſenſibus corporis, acutiùs audiunt qui non vident, & tangendo multa diſcernunt; nec tanta viuacitate tangunt qui oculis vtuntur, vbi intelligitur ex vno aditu, id eſt luminum, repreſſa intentione, ſentiendi vim, in alios ſenſus promotiorem, dignoſcendi acumen exercere, tanquam in altero conetur implere quod negatur in altero. Ita etiam ſanè carnalis cupiditas, à concumbendi voluptate cohibita, maioribus viribus in pecunia ſe porrigit appetitum, & illinc auerſa, hæc ſe impetu ardentiore conuertit.* Huc item planè ſpectat ſapiens Caſſiani monitum collat. 1. cap. 6. & collat. 4. cap. 21. & collat. 16. c. 6. Dorothei doctrin. 1. *ſub medium*, Eucherij homil. 5. ad Monach. *ſub finem*, & hom. 8. *initio*, obſeruantium inſulſitatem eorum, qui pertæſi rerum caducarum, cùm magnas facultates pro Chriſto abiecerint; cupiditatem tamen habendi ad minutias conuertunt, & ibi fouent, mutata duntaxat materia. Eò vituperabiliores, quòd cupiditatem, quam paſcere multo maioribus poterant, diſtineant in rebus nihili.

Cauſa deſiderij, Platonicis ænigmatibus adumbrata.

191. Pergo ad deſiderij cauſam, quam concinnè Plato ſub fabellæ inuolucro expoſuit. Ad deſiderium namque ſpectat, quod à Platone, de amoris ortu ex Poro & Penia proditum eſt. Conſtat enim deſiderium, eſſe quendam amorem; tametſi nomen amoris generalius quoque ſit, nec omnis amor ſit deſiderium. Ortum igitur amoris, bonum abſens proſequentis, ſiue deſiderij in hunc modum expreſſit Plato in conuiuio. Adſcribam eam duntaxat partem diſputationis Platonicæ, quam deſcribit Origenes 4. contra Celſum, cùm hanc ipſam deſiderij procreationem eiúſque cauſas vellet iuxta Platonem exponere. [Cùm nata eſſet Venus, parato conuiuio, & cæteri Dij ad conuiuium venerunt, & Porus quoque, (id eſt copiæ Deus) Metidis (id eſt, conſilij) filius. Poſtquam cœnati eſſent, Penia (id eſt Paupertas) mendicatura quum videlicet ob feſtas dapes, ciborum reliquiæ futuræ eſſent, eò venit, & pro foribus erat. Porus autem nectare ebrius, (nondum enim extabat vinum;) in Iouis hortum ingreſſus eſt, & ſomno grauatus dormiebat. Penia igitur rerum neceſſariarum penuria laborans, hac oblata occaſione, conſilium capit, filium ex Poro ſuſcipiendi. Ita has illi inſidias ſtruit: Propè illum accumbit, & ſic Amorem concepit Inde natus eſt amor, & Veneris comes & famulus factus eſt, quòd in Veneris natalibus eſt genitus: tum quod etiam naturâ, rerum pulchrarum cupidus eſt: ac proinde Veneris, quæ pulchra eſt, amore capitur. Amor igitur, vt Pori & Peniæ filius, hanc ſortem eſt conſecutus. Primùm pauper eſt ſemper: Tantùm abeſt, vt tener ſit & pulcher (quemadmodum vulgus opinatur;) ſed durus & ſqualidus, & nudis pedibus. ſine domicilio, ſine ſtratis & tegmine vllo, pro foribus, & in viis, ſub dio dormiens, naturam matris vbique ſeruans, cum pecunia aſſiduè habitans, eámque habens perpetuò contubernalem. Ex paterno autem genere, alium habet habitum, aliúmque viuendi modum ſequitur. Bonis & pulchris inſidiatur, virilis, audax, magna contentione animi vehemens, ſagax venator, aliquos ſemper nectens dolos, prudentiæ ſtudioſus, facundus, per omnem vitam philoſophans, incantator peritus, faſcinator, ſophiſta: neque immortalis omnino ſua natura, neque mortalis, ſed interdum eodem die pullulat atque viuit, quoties exuberat. Interdum moritur, rurſum reuiuiſcit ob patris naturam. At quod acquirit, continuò præterfluit. Ac proinde neque mendicus eſt amor vnquam, neque diues. Quin & in medio ſapientiæ & inſcitiæ, collocatur.

Elucidantur.

192. Multus præter cæteros, in hoc deſiderij ortu explicando eſt Plotinus Enneade 3. lib. 5. à cap. 2. Summam longæ diſquiſitionis, continent illa capitis ouni, quibus omnes fabulæ partes, breuiter ita elucidat.

cidat. [Anima cum mente ſimul exiſtens, & ab ipſa mente ſubſiſtens, rurſus rationibus hinc imbuta, ipſáque pulchra pulchris admodum exornata, affluentiáque luxurians, adeo vt in ea iam ſplendores varios liceat contueri, pulchrorumque omnium ſimulachra: id inquam totum, Venus ipſa cenſetur. Rationes autem omnes, in ea appellantur Porus, id eſt, affluentia felix, à ſuperno nectare profluens. At verò ſplendores in ea, quatenus in ipſa vita micant, Iouis horti dicuntur. Vbi & Porus iacere traditur, his iam grauatus, quibus fertur imbutus. Cùm verò vita in ordine rerum micat, imo verò ſemper ea micante. dij conuiuio diſcombere iudicantur, vt pote qui eiuſmodi quadam felicitate fruantur. Amor autem neceſſariò ita ſemper extitit, quandiu & anima, ex appetitu animæ ad præſtantius, bonúmque profectus. Eſt autem res quædam miſta: particeps quidem indigentiæ, quatenus affectat impleri; neque tamen expers copiæ, quatenus reſiduum eius quod habet, expoſcit. Si enim expers boni foret omnium, nunquam bonum appeteret. quamobrem ex affluentia ſimul atque penuria narratur exortus. Quinetiam defectus, appetitúſque ſimul atque memoria rationum, concurrantes in anima, actum erga bonum, qui amor dicitur, genuerunt. Mater autem eius eſt penuria, quoniam appetitio ſemper eſt indigentis. Materia verò eſt ipſa penuria, quoniam materia, omnium eſt egena. Quinetiam indeterminata natura appetitionis vergentis ad bonum, declarat idipſum quod appetit, quatenus appetit, magis vicem habere materiæ.]

Vides exortum deſiderij, ex indigentia ſimul & copia. Nam indigentia quidem, deſiderantem premit: copia autem obiicitur conſequenda, vel adiicienda ad bonum innatum, quod boni deficientis deſiderium ingenerat. Vides præterea deſiderij infinitatem, de qua ſupra ex indeterminatione animæ omnium bonorum capacis, & infinitate boni concupiti. Quod quia Plotinus, verbis allegatis tantùm attigit confert autem ad ſuperiora illuſtranda, lucémque huic deſiderij exortui, perpetuò renaſcentis conciliandum, illuſtro adductis nonnullis ex cap. 7. eiuſdem libri. [Indefinitatem habens anima, antequam conſequatur bonum, vaticinans autem aliquid eſſe bonum, ſecundùm indefinitum interminatúmque ſimulachrum, ſeu viſum, amoris ſubſtantiam peperit. Ratio igitur non in ratione, ſed in appetitu indefinito, & ſubſiſtentia debili iam facta, reddidit quod inde genitum eſt, neque perfectum, neque ſufficiens, imò indigum: vt pote quod ex appetitu quodam indefinito, & ratione inſufficienti genitum eſt. Eſt autem ratio hæc nequaquam pura: quippe cùm in ſe habeat appetitum interminatum, irrationalem, indefinitum. Nunquam enim implebitur, quandiu in ſe habebit rei indeterminatæ naturam. Dependet autem ab anima, cùm ab illa velut principio prodeat. Miſtura verò quædam eſt, ex ratione non quidem in ſeipſa manente, ſed infinitati permiſta. Siquidem non ipſa ratio, ſed quod micat ex ipſa, infinitati miſcetur. Eſt itaque amor velut æſtrus quidam, indigus ſuapte natura, ideóque etiam potitus, iterum eſt egenus. Non enim naturam habet, quæ poſſit impleri: quippe cùm miſtura quædam ſit. Miſtura verò talis, propterea quòd non poſſidet, non impletur. Solum enim reuera impletur, quod ſuapte natura iam eſt plenum. Quod autem ob inſitam indigentiam concupiſcit, etiam ſi ſubitò impleatur, minimè retinet. Quando quidem ingenioſa amoris induſtria, ab indigentia proficiſcitur.

Error in præfigenda deſiderio primaria cauſa idonea, quàm noxius.

193. Quare, vt verbo dicam, & abſque inuolucris, cauſa deſiderij, eſt agnitio egeſtatis ſuæ, bonique eam explere idonei, propoſiti, circa quam errare plerumque contingit, dum falſum bonum pro vero obtruditur, noſtrique appetitus, inani imagine deluduntur. Vt propterea ſumma, in hac parte, & peruigili diligentia, opus eſſe, moneat Maximus Tyr. diſſert. 19. num. 11. omnem ex hoc errore, humanarum contentionum & difficultatum, quas & patimur ipſi, & alij aliis ſerimus, originem repetens. [Cùm nihil, *inquit*, ſit in rebus humanis, in quo non diuerſum aliquid ab alio inuenias, in eo tamen conueniunt, quod vt communi amore, bonum omnes proſequuntur, ita varia eò, diuerſáque via tendant: nec vllus ſit propemodum, qui vel idem agat, vel fortunam eandem ſequatur. Sic cum omnibus vnus ſit boni ipſius amor inſitus, non tamen hic magis quod quærit, quam ille conſequitur. Sed qui noctu aurum aut argentum quærunt, neque lumen habent, quo illud quod quæritur dignoſcant, ſed ex pondere tantùm, & tactu, coniecturam faciunt incertam; pugnis ſæpè & dentibus inter ſe velitantur, dum nemo quod in manu habet, vult admittere, ne fortè habeat; neque à quærendo abſtinere, ne fortè non habeat. Hinc tumultus oritur & contentio; hinc clamores diuerſi, dum alij adhortantur, alij quærunt, alij gemunt, alij inſequuntur alios, alij lamentantur, alij rapiunt, eripiunt alij. Sæpè omnes clamant præ gaudio & exultant, tanquam bonum omnes repererint, cùm tamen habeat nemo. Rurſus tam incerti ſunt omnes, vt ſinguli in verba inquirant ſingulorum. Hoc eſt illud, quod terram turbat & mare. Hoc eſt quod conciones conuocat, iudicia cogit, implet carceres, naues fabricat, triremes deducit, aciem inſtruit. Hoc eſt quod equis ſuis equites, aurigas curribus, arcibus imponit tyrannos. Hinc Imperatores, hinc milites.]

Qui mactent homines: Vrbem depaſcitur ignis,
Abducunt pueros alij, comptáſque maritas.

Infinita denique alia mala ſunt, quæ propterea hominibus eueniunt, quòd ſperent bonum & ignorent. Ex p[?] Etatoream nanque boni, tanquam ſcintillam aliquam, mortalium animis inſeuit Deus; inuentionem verò abſcondidit.

Nigra illi radix, par flos albedine lactis.

Non enim me decipiet Homerus, quamuis illo vtatur nomine. Scio quid ſibi velis illud moly. Intelligo hoc, quod obſcuriùs ab illo dicitur: nec me latet quam difficilis inuentu hæc res ſit,

Mortali generi; ſuperi nanque omnia poſſunt.

Qui ad deſiderandum facti, aptique.

194. Ex his liquere poteſt de idoneo deſiderij ſubiecto, & qui maximè ad deſiderium ferantur, pro concurſu prædictarum deſiderij cauſarum. Perſpicuum ſanè eſt, iuuenes, & quod ob ætatem ferueant, & quod ſint difficultatum inexperti, faciléque bonum propoſitum apprehendant, vt obtentu non operoſum, vehementibus flagrare deſideriis. Quòd ſi ſanguinis in eis abundantia, & bilis vigeat, acutiſſimæ exiſtunt cupiditates; ſed quæ ob ſanguinis mobilitatem facilè reſidunt, nec pertinaciter obdurantur, vt frigidiorum ac ſiccorum deſideriis contingit: quæ vt tardiùs ac ſegniùs concipiuntur, ita ægrè excutiuntur. Ariſtoteles in hanc rem perbellè 2. Rhet. cap. 12. *Iuuenes moribus ſunt cupidi, & parati ad ea efficienda, quæ concupiuerint. Et ex cupiditatibus,*

tat ibus, quæ circa corpus verſantur, maximè eius ſectatores ſunt, quæ circa res venereas eſt, & inconti nentes ipſius, & in horas mutabiles, & faſtidioſi in cupiditatibus. Et valdè quidem concupiſcunt, celeriter verò ſedantur. Acuta enim voluntatis eis ſunt, & non perdurantes, cuiuſmodi ſunt ægrotantium fames & ſitis.

Ex eadem materiæ, ſiue humoris potentiam materialem imbuentis qualitate, ducenda eſt ratio, vnde præpoſtera quædam deſideria in quibuſdam perſonis deprehendantur, quoad cibos ab hominis cibatione abhorrentes. Quod expono verbis Alexandri lib. 2. problem. quæſt. 4. vbi quærit, *cur mulieres, quæ vterum gerunt; ſecundo aut tertio menſe guſtare aliquid improbè appetant? Quapropter picare interdum dicuntur; à pica, quæ terræ glebas ſuauiter eſitat. Aut quia varius & alienus eſt eius color, vt harum appetitus.* Huius quæſiti hanc ſubiicit enodationem. [Natura ſanguinem omnem menſtruum, colligere in matricem, neceſſariæ fœtus efformationis gratia conſueuit: Qui ſanguis, ſi vitiatus eſt, ſuum vitium ad os ventris tranſmittit. Atque ita ſtomachus ipſe, improba motus qualitate materiæ, cibos alienos atque incommodos appetit, ídque ipſum variè peccat pro materiæ ſubditæ conditione. Nam ſi atra ſit bilis, carbones aut lateres, & genus quodlibet fictile appetit. Si pituita acida, ſapores acidos concupiſcit. Si bilis vitellina, pinguia quærit. Si alia miſcella quælibet ſit, auiditas quoque guſtandi, ratione illius oritur inſolens. Veram hanc eſſe cauſam, conſtat ex eo quod non omnibus prægnantibus hoc idem vſu eueniat, ſed complures ſobrio appetitu degant: quibus ſcilicet ſanguis ille collectus, integer eſt, & vacuus excremento. Vitium id, vltra menſem tertium non protrahitur: fœtus enim imperfectior, copiam abſumere ſanguinis poteſt, vt nihil præterea ſit, quod in ſtomachum efferatur Hoc idem etiam aliquibus eſurientibus, vi famis illa intolerabili, quam bulimum appellamus, atque etiam morbo maioris inteſtini laborantibus accidit; ſcilicet eadem illa cauſa, quòd ſtomachus materiis vitioſis refertus eſt, ex quo fit, vt his ſummoperè proſit purgatio.

Regredior ad deſideriorum in quibuſdam ſubiectis mobilitatem & multiplicitatem, à qua per occaſionem aſſignatæ illi originis, digreſſus ſum. Præter eos ergo quos memoraui, in frigidis item & ſiccis ob meticuloſitatem & caloris egeſtatem facilè multiplicantur deſideria, eo quod ſuam imbecillitatem habentes compertam, diffidant ſuis viribus, & aſſecutionem deſperent. Vnde deſiderij mutatio, identidem conſequens. Fouet deſiderij tenacitatem, opinio: Vnde pro eius mutabilitate, variatur etiam deſiderij tenacitas. Audi Senecam in conſol. ad Marciam cap. 7. *Plus eſt quod opinio adiicit, quàm quod natura imperauit. Aſpice mutorum animalium quàm concitata ſint deſideria, & tamen quàm breuia. Vaccarum, vno die alteróve, mugitus auditur. Nec diutiùs equarum vagus ille amenſque diſcurſus eſt. Feræ cùm veſtigia catulorum conſectata ſunt, & ſyluas peruagata, cùm ſæpè ad cubilia expilata redierint, rabiem intra exiguum tempus extinguunt. Aues, cùm ſtridore magno, inanes nidos circumfremuerunt; intra momentum tamen quietæ, volatus ſuos repetunt. Nec vlli animali longum ſui fœtus deſiderium eſt, niſi homini. qui adeſt dolori ſuo, nec tantum quantum ſentit ſed quantum conſtituit, afficitur.* Hæc cauſa eſt cur imaginoſi, & in eo quod ſemel conceperunt, ſemper defixi, ægerrimè excutiant deſideria, queis ſemel tentati fuerint.

Effectus deſiderij.

195. Video ex dictis circa cauſam, conſtare quoque de deſiderij effectibus. Onerat enim & vexat deſiderantem, quamuis ſit rei bonæ. Quæ cauſa fuit Senecæ ſcribendi, beneficium quod diu deſideratur ob dilationem interpoſitam, gratiæ plurimum amittere, *& nihil æquo amarum eſſe,* vt ait lib. 2 de benef. cap. 5. *quàm diu pendere. Æquiore item quoſdam animo ferre, præcidi ſpem ſuam, quàm trahi* Eadem vexatio, deſiderantis induſtriam acuit. Sic quorum cupiditas concitanda proponitur, intercluduntur aliquandiu vſu rei concupitæ. Quod vt cœtera premam, proditum perſpicuè eſt à curatoribus & præfectis Eleuſiniorum quos idcirco, ait Tertullianus in ipſo limine libri contra Valentinianos, diutiùs initiaſſe quàm conſignaſſe; cum & portas ante quinquennium inſtituerent, vt opinionem ſuſpendio cognitionis ædificarent; atque ita tantam maieſtatem exhibere viderentur, quantam præſtruxerant cupiditatem. Dilata igitur deſideria, cruciant, ſed ſimul acuuntur & creſcunt: Præclarè item S. Chryſoſtomus l. de virginit. c. 34. *Quorum habemus vſum, eorum cupiditate haud facilè tangimur, ſecuritate animo ſegni eſſe permittente. Atque idem nobis confirmat & prouerbium populare, ſed in primis verum. Quod captu promptum ſit, id ad cupiditatem haud ſanè efficax eſt. Sin ab iis prohibeamur quæ pridem tenebamus, contra accidit: & quæ propter facultatem, à nobis contemnuntur, ea nobis è manibus emiſſa, vehementius deſiderium excitant.* Vt propterea faſtidiantur quæ in promptu ſunt, & vel nullo modo, vel frigidè deſiderentur; in vetita autem exardeſcat appetitus, & veluti repagulis prohibitionis coërcitus, tanto impatientiùs ferat obſtaculum, quanto amantior eſt libertatis ſuæ. Sanè quòd obuia quæque, vilia ſint, nec acri deſiderio expetantur; monſtratum manet ex dictis circa amoris cauſas, quarum vnam dixi eſſe raritatem. Denuóque illuſtratur, illis à Petronio eleganter æquè ac acutè dictis, in Satyr.

Vile eſt quod licet, & animus errore lentus iniurias
diligit.
Alos Phaſiacis petita Colchis,
Atque Afræ volucres placent palato,
Quòd non ſunt faciles, vt albus anſer,
Et pictis anas enouata pennis,
Plebeium ſapit. Vltimis ab oris
Attractus Scarus, atque arata Syrtis,
Si quid naufragio dedit, probatur.
Mullus iam grauis eſt; amica vincit
Vxorem; roſa cinnamum veretur.
Quicquid quæritur, optimum videtur.

Et alibi,

Nolo quod cupio, ſtatim tenere;
Nec victoria cui placet parata.

Et alter eiuſdem farinæ Poëta l. 2. eleg. vlt.

Quod licet, & facile eſt; quiſquis cupit, arbore
frondes
Carpat, & è medio flumine potet aquam.
Quod licet, ingratum eſt, quod non licet acriùs
vrit,
Ferreus eſt, ſi quis, quod ſinit alter, amat.

Auſonius breuiter: *Oblatas ſperno illecebras.* Et Tragicus. *Illicita amantur, excidit quicquid licet.*

196. Habes hîc alterum quoque quod proponebam: nempe incendi cupiditatem erga prohibita, iuxta Sanctum Chryſoſtomum tom. 12. in ad Romanos, & Hieronymum, quæſt. 8. ad Algaſ. & illud Poëtæ.

Nitimur in vetitum ſemper, cupimúſque negata.
Sic interdictis inuidet ager aquis.

Et illud eiuſdem:

Quicquid ſeruatur cupimus magis, ipſáque furem
Cura vocat; pauci, quod ſinit alter, amant.

Eóque planè ſpectat prudens monitum S. Cypriani lib. 6. de ſpect. num. 4. Quòd enim excuſarent aliqui frigidi Chriſtiani, ſcripturam nuſpiam interdixiſſe aditu ſpectaculorum, reſpondet Cyprianus. *Veritas ſi ad hæc vſque deſcenderet, peſſimè de fidelibus ſuis ſenſiſſet. Nam & plerunque in præceptis quædam vtilius tacentur. Admonent ſæpè dum interdicuntur.* Videtur alludere ad id quod Tullius de Solone refert, orat. pro Roſcio: Nempe rogatum, cur parricidis ſupplicium ſtatuiſſet nullum, reſpondiſſe; non arbitrari ſe, quemquam adeo immanem futurum, ideóque vetare prætermiſiſſe, ne non tam prohibere, quàm admonere videretur.

Deſideriorum populi, ex vno deſiderio ſuccreſcunt, quæ malorum noſtrorum omnium, origo prima.

Non tantùm deſiderium circa vnum obiectum feruet, cùm ceſſat refrænatio: ita vt nec quieſcere concedat, donec homo re optata potiatur: ſed etiam fœtu nouæ prolis vſquequaque amplificatur, in eo qui liberas ei habenas permittit. Et idcirco Plato in Timæo, cupiditatem ſpecie belluæ multicipitis, animum variè agitantis deſcribit. Eandem multiplicitatem deſideriorum humanorum, latè exponit Lucianus dialo. *Nauigium*, ſeu *Vota*, & Iuuenalis Satyra 10. Grauiſſimè item Galeni pater, ipſo referente Galieno lib. de cognoſcendis & curand. animi affectibus *ſub finem*, eſſe hoc vnicum omnis mœſtitiæ noſtræ & irrequietæ agitationis principium, longa oratione filium docet. Particulam tantùm, ne nimius ſim, eámque acciſam ex Lacunæ breuiario, profero: quia quamuis nondum ad deſiderij remedia peruentum eſt, inter quæ expenſio doctrinæ à Galeno propoſitæ, recenſeri iure poteſt, tamen exhibet ea doctrina deſiderij malè compreſſi tetros effectus, eorúmque numeroſitatem, quod iure ſpectat ad hunc locum.

Sic igitur de patre ſuo Galenus: *Comparabat inſatiabilem illam habendi libidinem, voracitate ventriculi, qui plus quam ſatis ſit, ciborum ingeritur. Etenim cibo, vt dicebat, nulla alia cauſa egemus, niſi vt alamus corpus. Nutrit verò corpus ſi benè concoctus fuerit, benè autem coquetur, ſi modicus. Nam ſi immodicus fuerit, concoctionem non experietur, ſed vſus ipſius corrumpetur. Siquidem aut deiectus per inferiora, profuſionem alui excitabit, aut diſtributus per vniuerſum corporis habitum, malum intra venas humorem gignet. Quæ igitur in corpore didiciſti ad animum licet transferas: cuius inexhauſta cupiditas, plura perpetuò expetit, quam ipſe vſus poſtulet. Vnicaque, omnis mœroris ac triſtitia, eſt cauſa. Ea namque accenſi nonnulli, qui præſentium rerum inexplebiles ſunt, nunquam concupiſcere deſinunt, ſed ſi duplum quippiam habent; triplum illico ſtudent acquirere. Triplum nacti, quadruplum appetere incipiunt. Quiq; idem nunquam ſibi proponunt eos, qui pauciora poſſident, ſed illos tantùm qui plura, quos etiam ſuperare conantur.* Interponit Galeni pater nonnulla de boni ciuis cupiditatibus aliò conuertendis, quàm ad diuitias.

Tum ad cupiditatis inexplebilem ſinum regreditur, filium item alloquens. [Quòd ſi tu, (quo in noſtra Republica reperiuntur pauci diriores) quantum optas aliquando aſſequaris, hoc eſt, vt plus vniuerſis poſſideas ciuibus, ne ſi quidem ſatis ſis habiturus; ſed illico circunſpicies, num quis in alia ciuitate ſit ditior. Quem quidem ſi ſuperaueris, tibi obſecundante fortuna, ad alias progredieris nationes, & iis quos apud illas opulentos offenderis, fieri opulentior contendes. Quare nunquam tu ſanè omnibus ditior, ſed propter immenſas cupiditates, ſemper futurus es pauper. Quòd ſi ipſo vſu rerum metieris id quod non modulo tuo reſpondeat, iam teipſum vnum ex diuitibus numeraueris, aut ſaltem ex iis, qui eo quod opus eſt, abundent; eríſque quatenus ad rationem pecuniarum ſpectat, beatus cum earum cauſa minimè futurus ſis triſtis.]

His, quæ ad infinitam, & inſaturabilem, fortunæ bonorum cupiditatem pertinent, ſubiicit ſimilia de honoris cupiditate, & ærumnis, quarum eſt ſeminarium, quas à ſua illa origine prodeuntes, ſic exhibet. [Si verò etiam illam, quæ ad honores pertinet, inſatiabilitatem exploſeris, hac quoque parte iucundè ac ſine moleſtia vitam ipſam traduces. Sin autem tibi non ſatis fuerit honorari ab iis, qui tua conſuetudine vtantur; ſed velis ab omnibus, qui ſunt in ciuitate, laudari etiam ab illis ſcilicet, à quibus ignoraris prorſus: fortaſsè primùm quidem ab iis cognoſci voles, tum autem, vbi cognitus fueris, ſuſpici. At illud quidem velle cognoſci ab omnibus, ab immenſa quadam proficiſcitur gloriæ cupiditate: hoc autem quod eſt, velle honorari & ſuſpici, ab inani planè & ſtulta ambitione. Quocirca tibi neceſſe erit, vt nunc pecuniis quærendis inuigilanti, ſi tunc ad gloriæ honoríſque ſtudium cupidinem intendenti, ob illos, qui cùm plures ſint, te neque cognoſcent neque honorabunt, maiori quàm nunc triſtitia & dolore affici.]

Hactenus ſigillatim de duplici primaria cupiditate. Poteratque ad eundum planè modum, philoſophari de reliquis. Subtexit his generalem iſtam conclusionem omnino veram *Si igitur in iis ſemper nos exercuerimus; iam exploratum habentes, inſatiabilitatem vitium eſſe animo peſſimum, fundamentúmque omnium cupiditatum, pecuniæ, gloriæ, honorum, principatus, & contentionis, haud dubiè citra omnem moleſtiam viuemus. Qui enim ſua ſorte contentus fuerit, is omni mœrore ac triſtitia carebit. Quis autem nolit omnem ætatem citra mœrorem tranſigere? Aut quis non hæc omnibus propoſuerit mobilibus, imò verò ſceleratis diuitiis?* Tantum Galeni pater.

Subdit Galenus ipſe, omnino ſapienter hæc à patre pronunciata: & pulcherrimam affert dicti ſui rationem ex duriſſima ſeruitute qua cupiditas ſobleſcere & augeri permiſſa, grauat parentem Cui ſeruituti vltrò ſubiacere, fœdiſſimum indicat. *Turpe ſi quidem eſt, libertatem eam, quæ humanis legibus accepta refertur, maximi facere: eam autem quæ & verè, & natura ipſa eſt libertas, non omni ſtudio venari, ſed inhoneſtis, impuris, atque tyrannicis dominis inſeruire, lucris videlicet, minutiſſimíſque quibúſque pecuniariis rationibus, ac principatus, gloriæ, honoríſque ambitioſis cupiditatibus. Quorum ſanè omnium matrem, ego haud dubitauerim dicere; inexplebilem habendi libidinem.*

Sitis rabida cupiditatis.

197. Video retractandum eſſe quod dixeram: Nempe quòd deſiderium, humanorum bonorum quietem excludat, donec homo re concupita potitus ſit. At certum eſt, in eo termino motus interni, necdum eſſe animo quietem. Nactus enim homo rem expetitam, nec tamen exſaturari ſentiens rabidam famem, qua appetitus torquetur, cùm deberet eò cogitationem mittere, quòd res finitè perfecta, nequeat affectum immenſi boni capacem exſatiare,

per

per errorem planè deſt·n·lum, transfert potius vitium, in defectum plenioris & amplioris boni creati. Quare ad alia conquirenda conuertitur; quæ conſecutus, eodem errore intricatur. Atque ita fit, vt nuſquam ſecurè & tranquilliè pedem figat, & requiem inueniat. *Nunquam enim improba ſpes*, ait Seneca lib. 2. de benef. cap. 2 : *quod datur, ſatis eſt. Ea maiora cupimus quo maiora venerunt: multóque concitatior eſt auaritia, in magnarum opum congeſtu collocata. Vt flamma, infinito acrior vis eſt, quo ex maiore incendio emicuit. Æquè ambitio non patitur quenquam in ea menſura honorum conquieſcere, quæ quondam eius fuit impudens votum. Nemo agit de tribunatu gratias: ſed queritur quòd non eſt ad præturam vſque perductus. Nec hæc grata eſt, ſi deeſt conſulatus. Ne hic quidem ſatis eſt, ſi vnus eſt. Vltra ſe cupiditas porrigit, & felicitatem ſuam non intelligit. Quia non vnde venerit, reſpicit, ſed quò tendat.* Inter innumeros è noſtris qui idipſum tradiderunt accipe aliqua ex Caſſiodoro l. de amicit. cap. de multiplici exerratione per cupiditatem; *Viarum*, inquit, *diſpendia eligunt, & certa cupiditatis multiplici præſtigio dementati, ad ſui deſiderij finem per diuortium & anfractus incedunt. Tendit enim vnus ad brauium ſui curſus militia mediante; alius negotiatione alicuius artis; alius latrociniis aut rapinis. Id autem ſpecialiter ab vnoquoque diligitur, ad quod finaliter intentio eius tota dirigitur. Cætera verò quaſi quædam adminicula ſunt, militia atque negotiatio & cætera quibus mediantibus id quod quis ad fruendum eligit, obtinere conatur. Iterum autem mens eluſa, quæ ſibi fœlicitatis imaginem in re præſagiebat inutili, dum poſt rei deſideratæ obtentum, maiori ſe ſentit indigentia laborare. præoptata incipit faſtidire, & denuò in alterius rei ſuccenditur appetitus; non tamen ſatianda, ſed alterius falſa fœlicitatis imaginatione fallenda. Hic eſt* circuitus impiorum; *hæc eſt* vituperatio multorum commorantium in circuitu. *Hæc eſt mola Sampſonis, quam decisis virtutum crinibus, & effoſſis prudentiæ oculis circumvoluit ſequens cupiditatum circuitum, etiam relicto compendio caritatis* Caput (*inquit*) circuitus eorum, labor labiorum ipſorum operiet eos. *Porrò de hoc labore non ſatiabitur homo, niſi de ſiliquis porcorum illa fortè ſatietas inducatur quæ diu tem dormire non ſinit.* Æquè de deſiderio, ſiti animæ, eiuſque in variis æſtuoſitate multiplici S. Auguſtinus in Pſal. 62. ad illud, *ſitiuit in te anima mea.*

Itaque cupiditatem non malè quis conferat dipſadi illi Lybicæ, ſitim inextinguibilem conferenti, vt Lucanus lib. 9. in hunc modum cecinit.

Torta caput retrò, dipſas calcata momordit.
Vix dolor, aut ſenſus dentis fuit, ipſaque lethi
Frons caret inuidia, nec quicquam plaga minatur.
Ecce ſubit virus tacitum, carpitque medullas
Ignis edax, calidáque incendit viſcera tabe.
Ebibit humorem circum vitalia fuſum,
Peſtis, & in ſicco linguam torrere palato
Cœpit: Defeſſos iret qui ſudor in artus,
Non fuit atque oculos lachrymarum vena refugit.
Non decus imperij, non mœſti iura Catonis
Ardentem tenuere virum. quin ſpargere ſigna
Auderet, totiſque furens exquireret agris
Quas poſcebat aquas ſitiens: In corde venenum.
Ille vel in Tanaim miſſus, Rhodanúmque, Padúmque
Arderet, Nilúmque bibens per rura vagantem.
Acceſſit morti: Libye, fatique minorem
Famam dipſas habet, terris adiuta peruſtis.
Scrutatur venas penitùs ſqualentis arena.
Nunc redit ad Syrtes, & fluctus accipit ore,
Æquoreúſque placet, ſed non & ſufficit humor.
Nec ſentit, fatique genus, mortémque veneni:
Sed putat eſſe ſitim, ferróque aperire tumentes
Suſtinuit venas, atque os implere cruore.

De hac deſiderij noſtri inexplebilitate, & ſiti nunquam reſtinguenda, inſigniter Libanius diſſert. 3. morali in f. tomi 1.

Omnia & bona, & mala, ex hoc fonte.

198. Habemus ex dictis effectus deſiderij non paucos. Sed poſſumus eorum ſphæram latiùs fundere, ſtatuentes ad deſiderij effectus pertinere, omnia quæ ab homine fiunt tum bona, tum mala. Omnia quippe generosè & inſigniter patrata in priuatum communéve bonum, ex hoc fonte ortum habent. Omnia item peruersè & nequiter admiſſa, malorum deſideriorum fœtus ſunt. Audi Philonem lib. de Decal. [Niſi ratio Philoſophica, ceu bonus medicus, cohibeat diffundentem ſe concupiſcentiam, totam vitam perturbabit neceſſariò. Cuncta enim ſine exceptione ſubiiciuntur huic vitio. Sed nunquam magis inſanit, quàm cùm nacta eſt licentiam, quando in omnibus facit omnia. Id quia ſatis liquet, non eſt opus verbis pluribus; cum neſciat, nulláque ciuitas ignoret exempla quotidiana, imò quæ penè ſingulis horis fidem nobis aſtruunt. Pecuniarum amor aut fœminæ, aut gloriæ, aut cuiuſuis rei facientis ad voluptatem, paruáſne ac vulgares calamitates inuehit? Nonne amicitias dirimit, etiam cognatos è beneuolis reddens infenſiſſimos? Nonne hinc & regiones populoſæ, deſolantur inteſtinis ſeditionibus? Nonne hoc pacto terra maréque, replentur nouis tumultibus, & cladibus vltrò citróque illatis, vel nanalibus vel terreſtribus præliis? Nam Græcorum Barbarorúmque bella tam contra ſuos, quàm contra diuerſi generis homines geſta, omnia manarunt ab vno fonte, concupiſcentia pecuniarum, aut voluptatis, aut gloriæ. Hæc enim ſunt fatalia mala hominum.]

Remedia deſiderij. Et quanta eorum neceßitas, ad compendiariam fœlicitatem, & ſatietatem omnimodam.

Ex his verò liquidò conſtat, quàm neceſſaria ſit paſſionis huius coërcitio, & quanta cura ei de remedio prouidendum: quod multiplex iam ſuppeditatum eſt, tot eius damnis ni coërceatur, enumeratis. Plurima item in hanc rem profero vniuerſa propè tractatione de virtutibus: cùm nihil aliud videatur eſſe virtus, vt S. Auguſtinus diſputat. 15. Ciuit. cap 22. & lib. de morib Eccleſ. cap. 15. quàm amor ordinatus, id eſt, deſiderium, ad præſcripta rectæ rationis compoſitum, in hac illáve materia. Itaque vniuerſè hoc loco, illud duntaxat de curatione deſiderij annotabo, quod video à pleriſque ſapientibus animaduerſum. In illis quæ nequaquam abſolutè bona ſunt, & quorum deſiderium poteſt benè ac malè cedere deſideranti, facilius eſſe vniuerſum deſiderij ſtipitem ſine truncum amputare, quàm adhibita duntaxat reciſione aliqua, intactum ſinere, quod mox luxuriabit vberiùs.

199. Sanè cohibitionem deſiderij, eſſe compendiariam ad magnas diuitias viam, & ad omnem in quouis genere ſatietatem ac abſolutiſſimam vitæ huius fœlicitatem, exponit in hunc modum Seneca epiſt 119. profeſſus ſe excluſa proxenetarum & interceſſorum opera, paratum cuilibet creditorem, inueniſſe, ipſummet: poſſéque vnumquemque, reſectione & compreſſione inutilium deſideriorum, à ſeipſo iuxta Catonem, mutuam ſumere fœlicitatem, &

tranquillitatem animi pleniſſimam. Ea enim cupiditatum inanium reſectione adhibita, iuxta Senecam, [quantumcunque eſt, ſatis erit, ſi quicquid deerit, id à nobis petierimus. Nihil enim, mi Lucili, intereſt, vtrum non deſideres, an habeas. Summa rei in vtroque eſt eadem. Non torqueberis. Nec illud præcipio, vt aliquid naturæ neges. Contumax eſt, non poteſt vinci, ſuum poſcit. Sed vt quicquid naturam excedit, ſcias precarium eſſe, non neceſſarium: Eſurio; edendum eſt. Vtrum hic panis ſit plebeius, an ſiligineus, ad naturam nihil pertinet. Illa ventrem non delectari vult, ſed impleri. Sitio; vtrum hæc aqua ſit ex lacu proximo excepta, an ea, quam multa niue clauſero, aut rigore refrigeretur alieno, ad naturam nihil pertinet. Illa hoc vnum iubet, ſitim extingui. Vtrum ſit aureum poculum, an cryſtallinum, an murrhinum, an Tiburtinus calix, an manus concaua, nihil refert. Finem omnium rerum ſpecta, & ſuperuacua dimittes. Fames me appellat, ad proxima quæque tendantur manus: ipſa mihi commendabit quodcunque comprehendero. Nihil contemnit eſuriens.] Hoc eſt quod ſæpè inſignes Patres expoſtulant, per neceſſitatis portam ſubingreſſum manuducente inani cupiditate ſuperflui ſtudium. Quod & exemplis hîc à Seneca adhibitis; & veſtium, ac domorum, ipſorúmque etiam ſepulchrorum, vulgari vſu expenſo, declarant Philo altero, libro de ſomniis. Nyſſ. hom. 3. in Eccleſiaſt. & hom. de mort. *ſub finem* & S.Greg. 20. mor. c. 12.

Pergit Seneca paulò pòſt, plenæ ſatietatis animi, deſideriorum compreſſione collatæ, deſcriptionem ſubiicere. [Vtrum malis, habere multum, an ſatis? Qui multum habet, plus cupit, quod eſt argumentum nondum illum ſatis habere. Qui ſatis habet, conſecutus eſt, quod nunquam diuiti contingit, finem. An has ideo non putas eſſe diuitias, quia propter illas nemo proſcriptus eſt? Quia propter illas nulli venenum filius, nulli vxor impegit? Quia in bello tutæ ſunt? Quia in pace otioſæ? Quia nec habere illas periculoſum eſt, nec operoſum diſponere? An parum habet, qui tantum non alget, non eſurit, non ſitit? Plus Iupiter non habet. Nunquam parum eſt, quod ſatis eſt. Nunquam multum eſt, quod ſatis non eſt. Poſt Darium & Indos, pauper eſt Alexander Macedo: quærit quod ſuum faciat: ſcrutatur maria ignota; in Oceanum claſſes mittit nouas, & vt ita dicam, mundi clauſtra perrumpit. Quod naturæ ſatis eſt, homini non eſt. Inuentus eſt qui concupiſceret aliquid poſt omnia. Tanta eſt cæcitas mentium: & tanta initiorum ſuorum vnicuique, cùm proceſſit, obliuio. Ille modò, ignobilis anguli non ſine controuerſia dominus, de tacto fine terrarum, per ſuum rediturus orbem, triſtis eſt. Neminem pecunia diuitem fecit: immò contrà, nulli non maiorem ſui cupiditatem incuſſit.]

200. Non eſt omittenda, acuta omnino ratio, qua cauſam aperit, nunquam ſatiandæ, cupiditatis ſibi permiſſæ; & voluntatis pro præſenti vita expletæ in eo qui ſuis deſideriis modum ponit. *Quæris* inquit, *quæ ſit huius rei cauſa? Plus incipit habere poſſe, qui plus habet. Ad ſummam, quem voles mihi ex his, quorum nomina cum Craſſo Licinióque numerantur, in medium licet protrahas: afferat cenſum, & quicquid habet, & quicquid ſperat, ſimul computet. Iſte, ſi mihi credis, pauper eſt, ſi tibi, poteſt eſſe. At hic qui ſe ad id quod natura exigit, compoſuit, non tantùm extra ſenſum eſt paupertatis, ſed extra metum.* Mox verò hunc ipſum, ad naturæ ſcita exactum, componens cum vulgo felicium, quos ipſe feſtiuè & ſubtiliter, occupatos pauperes nominat, perbelle ſubdit. *Omnium iſtorum felicitas, in publicum ſpectat. Ille quem nos & populo & fortunæ ſubduximus, beatus introrſum eſt. Nam quod ad illos pertinet, apud quos, falsò diuitiarum nomen inuaſit occupata paupertas, ſic diuitias habent, quomodo habere dicimur febrem, cùm illa nos habeat. E contrario dicere debemus, febris illum tenet. Eodem modo dicendum eſt, diuitiæ illum tenent. Nihil ergo monuiſſe te malim, quàm hoc quòd nemo monetur ſatis. Vt omnia naturalibus deſideriis metiaris, quibus aut gratis ſatisfiat, aut paruo. Tantum miſcere vitia deſideriis noli. Quæris quali menſa, quali argento, quam paribus miniſteriis & leuibus afferas cibos? Nihil præter cibum natura deſiderat.*

Num tibi, cùm fauces vrit ſitis, aurea quæris
Pocula? num eſuriens faſtidis omnia, præter
Pauonem rhombúmque?

Ambitioſa non eſt fames, contenta deſinere eſt. Quo deſinas, non nimis curat. Infelicis luxuriæ, iſta tormenta ſunt. Quærit quemadmodum poſt ſatietatem quoque eſuriat; quemadmodum non impleat ventrem, ſed farciat; quemadmodum ſitim prima potione ſedatam, reuocet. His, potentia omnino ad cupiditatis coërcitionem incentiua contineri, nemo non videt.

Optimum item ad hanc deſideriorum noſtrorum frænationem incitamentum eſſe debet, quòd Deus omnia neceſſaria, ac proinde conuenientia deſiderij obiecta, in promptu eſſe velit, & facilè parabilia. Cætera verò, in quæ infrænis appetitus, ſuperuacuè deſiderando, porrigitur, infinita ſunt, & angoribus infinitis obſepta. Petronius egregiè. *Quid non commune eſt quod natura optimum fecit? Sol omnibus lucet, Luna innumerabilibus comitata ſyderibus, etiam feras ducit ad pabulum. Quid aquis dici formoſius poteſt? In publico tamen manant.*

Idem alibi.

Omnia quæ miſeras poſſunt finire querelas,
In promptu voluit candidus eſſe Deus.
Vile opus, & duris hærentia mora rubetis,
Pugnantis ſtomachi compoſuere famem.
Flumine vicino ſtultus ſitit, & riget Euro
Cùm calidus tepido conſonat igne rogus.
Lex armata ſedet circum fera limina nuptæ,
Nil metuit licitò fuſa puella toro.
Quod ſatiare poteſt, diues natura miniſtrat,
Quod docet infrenis gloria, fine caret.

ARTICVLVS IV.

De Fuga.

201. FVga deſiderio opponitur, & ex dictis circa illud nullo negotio intelligi poteſt. Aliqui hanc paſſionem vocant *abominationem.* D. Thomas 2. 2. quæſt. 30. art. 2. ad 3. ait, innominatam eſſe, interdum tamen, (vt apud Damaſcenum 2. fid. c. 12. & apud Auguſtinum 24. Ciuit. c. 7. quod etiam notauit Aureolus in 1. d. 1. quæſt. 2.) deſignari nomine timoris, quòd admodum affines, & ſpecie iidem ſint affectus fugæ & timoris. Sunt enim de eodem obiecto, tenduntque in illud, eodem modo. Differunt autem duntaxat, quia timor eſt de malo abſente ad euitandum difficili, à qua euitationis arduitate, abſtrahit fuga. At arduum & non arduum, non variant ſpeciem, cum diſcrepent duntaxat negatione adiuncta eidem obiecto. Quare quæcunque de timore poſtea dicemus, poterunt facilè ad hanc quoque paſſionem accommodari. Nunc breuiter attingo fugæ naturam, & multiplicitatem, ex dictis de deſiderio. Vnde etiam liquebit non bene Peregrinum lib.

de affectibus, cap. de mali auerſatione, affirmare, fugam perſeuerare, iniecto iam malo, nec vltra impendente, ſed iam impreſſo. Patebit etiam quomodo fuga ad deteſtationem: quomodo ad odium & dolorem comparetur, quorum actuum obſcura apud pleroſque eſt notio, cùm tamen permagni referat eorum internotio, præſertim ad exactè diſpiciendam pœnitentiæ naturam.

Fugæ quidditas.

Hæc igitur vt appareant, recolo breuiter ordinem; quo progignuntur paſſiones & affectus auerſatiui, quibus appetitus abhorret à malo, per facultatem cognoſcentem propoſito. Sicut enim cùm agitur de aliquo bono per appetentem facultatem amplectendo, præmiſsâ eius notitiâ, exurgit primùm amor ſimplex, qui eſt boni illius ſecundùm ſe & præcisè ſpectati velut ſuauiatio & prægustatio: Tum deſiderium, quo bonum illud non iam ſimpliciter & ſecundùm ſe tantùm, ſed etiam vt aſſequendum, & connotata diſtinctè abſentia appetitur: Tandémque ſequitur gaudium de eo adepto, & complacentia in eo. Ita, proportione ſeruata, facultas appetitiua circa malum intellectu propoſitum, elicit primò odium ſimplex, quo ſimpliciter auerſatur malum illud. Secundò, ſi malum illud abſens ſit, appetitus fugam elicit, quæ pro abſentiæ multiplicitate, varia & multiplex eſſe poteſt. Si enim malum in futurum impendeat, ſitque ardua eius declinatio; tunc fuga illa idem eſt, quod timor. Si autem malum futurum non ſit declinatu arduum, actus eius auerſatiuus, qui elicitur, retinet commune nomen fugæ. Vtrumque hunc actum malo futuro diſtentum, contingit roborari per adiunctam volitionem aſſumendi media ad declinandum malum impendens; ſiue per propoſitum declinandi malum futurum. Propoſitum enim, eſt actus voluntatis præſens & efficax, vt trado cum de fidelitate. At ſi malum abſens iam præterierit, fuga eius dicitur deteſtationis preſsè & propriè acceptus, reſpicit malum præteritum, quod ſupponitur non perſeuerare reipſa alioqui enim eſſet malum præſens. Fuit tamen antea; idque appetenti facultati amarum eſt. Proptereaque notio actus ab ea eliciti circa malum ſub ea ratione propoſitum, his verbis concipitur, *nollem fuiſſet*, Tandem, ſi malum ſit præſens, enaſcitur triſtitia, quæ eſt terminus totius progreſſus auerſatiui circa malum.

Eiuſdem cum aliis affectibus comparatio, quoad ſpeciem & realitatem.

202. Actus igitur, de quo nunc agimus, deſiderio opponitur, & in malum quoduis abſens, ſiue futurum ſiue præteritum, ferri poteſt. Et ad odium quidem comparatur, ſicut deſiderium ad amorem. Itaque ſicut amor, quandoque ſumitur prout incluſus generaliter in omni actu proſecutiuo; (quo pacto non eſt actus realiter diſtinctus ab eo ſpeciali actu proſecutiuo, cui velut immittitur:) Quandoque autem ſumitur pro actu ſeorſum attingente bonum, proſecutiuorum omnium actuum primo, eiſque quaſi proludente. ſi voluntas ita ferat: Ita viceuerſa odium aliquando eſt ratio generalis, incluſa in omni actu auerſatiuo: & ſic odium non eſt actus peculiaris, & reipſa diſtinctus ab aliis actibus auerſatiuis. Interdum verò ſeorſim exercetur ſub ea ſimplici ratione, quam ei ſupra aſſignauimus; & tunc differt reipſa ab actibus ipſum ex natura rei conſequentibus. Fuga igitur, de qua agimus, differt realiter & ſpecie ab odio ſimplici, æquè ac deſiderium à ſimplici amore, ſpectato prout dixi. A dolore item, qui fugâ mali poſterior eſt, differt & ſpecie & reipſa.

Dimiſſa autem diſtinctione ſpecifica, quæ elucebit ex dicendis, comparando gaudium & deſiderium, quorum proportionalis eſt ratio cum fuga & dolore, diſtinctio realis & entitatiua doloris & fugæ, ex eo euidens eſt, quòd vt notauit etiam D. Thomas 3. p. quæſt. 84. art. 8. in beatis, eſt ſumma fuga ac deteſtatio peccatorum; neque tamen eſt dolor ſiue triſtitia, à qua felix ille ſtatus, eſt omnino immunis. Et ex eodem exemplo perſpicuè liquet, propoſitum, eſſe actum realiter diſtinctum à fuga mali futuri. Poſſumus enim ſine abſurdo intelligere concipi à beatis aliquam fugam peccatorum omnium in poſterum admiſſibilium; non item propoſitum, quod otiosè exercerent à beatis, optimè conſciis ſtatus ſui, & beatæ neceſſitatis rectè operandi. Vnde non plus in eos cadere poteſt propoſitum aſſumendi media quibus caueatur peccatum, quàm peccati obnoxietas, eiúſque admittendi diſcrimen. In nobis quoque, qui hîc adhuc peregrinamur, ea propoſiti & alicuius fugæ diuerſitas, luculenter prodi videtur, ex eo quòd non ſit, qui culpæ fœditatem, non aliquo modo auerſetur a qua tamen plerique abſtracti & illecti per appoſitam boni eſcam, non proponunt abſtinere in poſterum.

An fuga poſſit eſſe in appetitu cùm ſpectat futurum; & an in voluntate cùm ſpectat efficaciter præteritum.

203. Ex his & natura, & entitas, & multiplicitas, affectus, in quo verſamur, videbitur ſufficienter explicata, ſi duas circa prædictas difficultates; non diſſimulauerimus. Altera ſpectat fugam mali futuri: altera fugam mali præteriti, quam deteſtationem preſsè acceptam diximus. Videtur enim fuga mali futuri, non poſſe eſſe paſſio communis, & ſuperiori & inferiori appetitui, quales ſunt omnes paſſiones, de quibus hic agimus. Siquidem malum futurum, non poteſt per phantaſiam appetitui ſenſitiuo prælucentem repræſentari, cùm ſenſus non feratur in obiectum futurum. Ergo neque appetitus phantaſiæ ſubiunctus, poterit circa malum futurum verſari. Deteſtatio item illa mali præteriti, ſi robuſta & efficax ſit, nec tantum ad modum ſimplicis diſplicentiæ, correſpondentis amori ſimplici; vel tantùm ad modum ſimplicis fugæ, correſpondentis deſiderio prorſus inefficaci, videtur impoſſibilis, & in ſuperiore & in inferiore appetitu: quia appetitus non fertur efficaciter in impoſſibile. quippe prorſus deſtitutum ratione motiua facultatis appetentis. Atqui obiectum actus prædicti, ponitur non exiſtentia rei præteritæ; quam non exiſtentiam liquet eſſe impoſſibilem, ſuppoſita exiſtentiæ oppoſitæ præteritione. Igitur actus ille voluntatis, qui appellatur deteſtatio, ſiue fuga præteriti efficax, non eſt actus voluntatis verus & exercitus, ſed ad ſummum conditionaliter apprehenſus tanquam elicibilis, ſi obiectum eſſet poſſibile.

Prior difficultas, aliò dilata.

Hæ difficultates non poſſunt hoc loco exactè diſcuti. Prior enim communis eſt huic fugæ & timori. Vnde quia rationes & teſtimonia, quibus vera ſententia ſtabilienda eſt, ſpectant ad timorem, præſtat eam remittere ad quæſtionem ſequentem, vbi de timore ſermo erit. Nunc breuiter dico, falſò à pleriſque negari, ſenſum internum ferri poſſe in obiectum futurum. quod eo loco planum faciam. Suppoſita autem aliqua in ſenſu interno prænotione futuri, euaneſcit

neſcit prior illa difficultas, quæ tantùm nitebatur placito, affirmante, ſenſum internum verſari tantùm poſſe circa præterita & præſentia.

Altera aggrauatur.

Poſterior item difficultas, ſupponit quæſtionem elucidandam in tractatione de actibus humanis importatis in modo operandi deliberato: Nempe an efficax intentio & electio, poſſint eſſe impoſſibilium, quod plerique Scoto tribuunt. Si enim ita ſit, facilè intelligitur quomodo poſſit in appetente facultate vigere appetitiu efficax, tendens ad deſtructionem rei quæ præteriit, intendendo efficaciter, vt non fuerit, etiamſi ex ſuppoſitione præteritæ exiſtentiæ, impoſſibile ſit, eam non fuiſſe. Si autem intentio efficax impoſſibilium, dari non poteſt, vt videtur tradere Ariſtoteles 3. Ethic. cap 2. & vnuſquiſque in ſeipſo deprehendere poteſt; quandoquidem nemo eſt, qui quantumcunque conetur. non experiatur impoſſibile ſibi eſſe conniti ad impoſſibile cognitum; videtur fore difficilius, oſtendere, quomodo deteſtatio poſſit in præteritum tendere, volendo efficaciter, vt non fuerit, quod iam fuit, ac proinde, quod nunc impoſſibile eſt, vt non habuerit eſſe. Et hanc ſecundam ſententiam nunc non excutimus, ſed ſupponimus tanquam veram & Peripateticam. Vnde actiùs pungit difficultas mota circa deteſtationem mali præteriti, quam vidimus exprimi verbis illis, *Nollem fuiſſet.*

Diſſoluitur; Verus actus, circa impoſſibile exercitus, aſtruitur.

204. Dicendum nihilominus eſt, actum fugæ mali præteriti, non conditionatum duntaxat, ſed etiam abſolutum. nec duntaxat inefficacem & ſimplicem, ſed etiam efficacem & robuſtum, eſſe concedendum. Tametſi ille idem actus, ſit aliquatenus conditionatus, & aliquatenus inefficax. Non laboro in probando, quod aliquis poſitiuus actus facultatis appetentis vltra ſimplicem diſplicentiam, ſiue odium ſimplex, quod nullo modo ſpectat deſtructionem mali, exerceatur actualiter circa huiuſmodi impoſſibile præteritum, qui exprimatur verbis illis; *nollem fuiſſet.* Id enim exiſtimo debere cenſeri exploratum. Quia malum præteritum, eſt obiectum idoneum talis alicuius actus auerſatiui, odio ſimplici vlterioris, per appetitum reipſa eliciti Atque ita Chriſtiani Theologi, (vt hoc obiter ab illis mutuum accipiam;) agnoſcunt partem primam ſacramenti pœnitentiæ, eſſe actum aliquem immediatè auerſantem peccata admiſſa: quæ non eſſe, eſt impoſſibile, cùm ad præteritum non ſit potentia: Eúmque actum, docent, non eſſe nudum odium ſimplex, ſiue diſplicentiam ſimplicem; ſed aiunt, debere eſſe deteſtationem, quæ, ſi fieri poſſet, prohiberet peccati admiſſi exiſtentiam, quam certè non prohiberet ſimplex peccati diſplicentia: quæ item non cauſaret dolorem facti præteriti, quem cauſat actus ille vlterior, quem admittendum contendimus. Impoſſibilitas porro obiecti, non obeſt formationi actus prædicti: quia voluntas per eum non fertur in obiectum, niſi ſub conditione poſſibilitatis.

Quinetiam illi ipſi, qui talem aliquem actum reipſa elicitum negant, nixi impoſſibilitate exiſtentiæ præteritæ, quæ non videtur poſſe terminare actum reipſa exercitum, odio ſimplici vlteriorem, admittunt reperiri in appetitiua facultate motum approbatiuum actus auerſatiui, qui per intellectum exhibetur elicibilis, ſi obiecti poſſibilitas non deeſſet. Atqui approbatio illa, eſt actus reipſa exercitus & actualis, terminatus ad obiectum impoſſibile; nempe ad illum voluntatis actum reipſa elicitum, qui de facto cognoſcitur impoſſibilis, & nihilominus approbatur, atque adeò attingitur actu voluntatis præſenti & exercito. Neque enim ea approbatio, eſt duntaxat iudicium quoddam, ſed vera voluntatis complacentia actualis & exercita, verſans circa actum illum, ſic obiectum per intellectum. Neque verò eſt ſimplex complacentia actus illius ponendi, ſi adeſſet conditio: ſed eſt actus robuſtus, vi cuius ſolius, actus ille apprehenſus imperaretur, ſi eſſet poſſibilis. Cùm igitur actus ille approbans actum impoſſibilem, & vlterior ſimplici complacentia, ſit nihilominus actualis & exercitus; nihil obſtabit, quo minus admittamus talem aliquem auerſatiuum actum voluntatis exercitum, circa obiectum actus illius, qui conditionaliter prænoſcitur eliciendus, etiamſi tale obiectum ſit impoſſibile.

205. Nec refert quòd actus auerſatiuus, circa tale obiectum occupatus, (v. g. circa peccatum ante admiſſum, quod nollet homo fuiſſe admiſſum,) exprimatur verbis illis, *nollem peccaſſe:* Quaſi ſi cùm dicimus, *intelligerem, ſi hoc aut illud proponeretur*, nullam actu elicimus operationem intellectus: ſed tantùm agnoſcimus, eam quæ de facto eliceretur, ſi poneretur conditio quæ deeſt: Aut ſicut cùm dicimus, *viderem ſi lux aut coloratum adeſſet*, nullum de facto elicimus actum viſus, ſed tantùm præconcipimus viſionem, quæ eliceretur, ſi adeſſent conditiones illæ: Ita cùm dicimus, *Nollem ſi hoc eſſet poſſibile*, nullus item eliciatur actus voluntatis reipſa exercitus, ſed tantùm concipiatur actus qui eliceretur, ſi poneretur conditio, ſub qua actus ille menti occurrit, nempe poſſibilitatis obiecti. Hoc inquam non refert; nam actus ille, tametſi exprimatur verbo, *nollem*, poteſt nihilominus eſſe exercitus & actualis: ſicut actus, qui exponitur verbo *vellem*. dicitúrque velleitas, eſt actus aliquis præſens, actualiter exercitus, vt ſuo loco latè confirmatum eſt, traduntque Ocham in 3. q. 14. *litera O.* allegans Scotum, Mol. 1.p. q 63. art. 1. diſp. vnica membro 3. Suar. l. 7. de Angel. c. 11. à n. 15. & t. 4. 3 part. d. 4. ſ. 3. & l. 1. de gratia c. 30. n. 13. Bellarm. l. 2. de pœnit. c. 5. Salas 1. 2. tract. 6. d. 1. ſ. 3. & 5. aliíque complures. Repugnantibus Vaſque 1. p. d. 83. à n. 23. & 1. 2. d. 41. cap. 3. ac voce tenus Hurtado d. 14. de anima ſ. 1. num. 4.

Actus quem ſtabilimus, eſt immediatè de impoſſibili.

Repugnant item alij quidam, qui præter actum ſimplicis diſplicentiæ, aut complacentiæ rei impoſſibilis, non concedunt voluntati in eo euentu, niſi actum aliquem præſentem & exercitum, qui feratur in actum illum voluntatis, qui apprehenſus eſt ponendus, niſi obiecti impoſſibilitas prohiberet Eum enim actum dicunt approbari à voluntate, per actum reipſa & actualiter exercitum, & ad eam volitionem directè terminatum: eo modo quo actus reflexus terminatur directè ad actum directum, qui ipſi præſupponitur vt obiectum. Ad huius autem actus obiectum, (iuxta hos authores) non terminatur approbatio, niſi remotè & mediatè: per actum nimirum, quem approbat, quo tale obiectum attingeretur, ſi per poſſibilitatem liceret. Ita Val. t. 2. d. 1. q. 8. p. 2. & Fonſeca 9. Met. c. 1. q. 5. ſ. 5. iuxta quos in re præſenti, voluntas auerſans non ferretur in exiſtentiam rei præteritæ. v. g. peccati admiſſi: ſed approbaret duntaxat actum, quem intellectus agnoſcit fore ponendum à volun-

tate

tate circa eam non exiſtentiam, niſi illius non exiſtentiæ impoſſibilitas cognita excluderet eam talis exiſtentiæ auerſionem, vlteriorem ſimplici eius diſplicentia. Quæ ſententia quoad approbationem illam quam admittit, perſpicua eſt & certa. Quatenus verò actualem auerſationem mali præteriti inficiatur, vlteriorem ſimplici diſplicentia eius, & tendentem in non exiſtentiam, ac non poſitionem talis mali, ſi eius poſitio eſſet poſſibilis, reiecta manet ex dictis.

Diſcrimen actuum conditionatorum, intellectus & voluntatis.

206. Eſt autem patens diſcrimen; inter volitionem circa hæc obiecta verſantem, & intellectum vel viſum verſantem circa colorem, quibus exemplis maximè nituntur, qui ſententiæ propoſitæ repugnant, vtrolibet prædictorum modorum. Nam facultates iſtæ cognoſcitiuæ, non reperiunt rationem ſuam formalem in obiecto ita propoſito ſub conditione, v. g. intellectus, non inuenit intelligibilitatem actiuam in eo qdod eſſet intelligibile, ſi hoc vel illud fieret. Itaque intellectus non poteſt ferri in obiectum, ſub conditione intelligibilitatis. Atque adeo, cùm quis dicit, *Intelligerem, ſi hoc vel illud interueniret*, elicit quidem actum, quo reflexè percipit actionem, quam elicitrus eſſet, ſi poneretur conditio, quam deſignat. De facto tamen & actu, non attingit obiectum illius actionis, niſi valde confusè.

Ago enim de obiecto conditionato, prout intelligibili, non autem prout factibili. Hoc enim poteſt habere præſentem veritatem conditionatam, obiicibilem intellectui perſpicaci, cuiuſmodi eſt diuinus, qui propterea non modò perſpicit quæ reipſa facturi ſumus ſed etiam quæ facturi eſſemus, ſi hæc vel illa conditio poneretur. quia tale obiectum non caret iamnunc veritate aliqua: Verè enim aliquid determinate facturi eſſemus, ſi poneretur hæc vel illa conditio. Atque ita cùm omne verum ſit cognoſcibile per intellectum perfectum, non poteſt illud verum ſubterfugere aciem diuini Intellectus infinitè perſpicacis. Sed & nos quoque, tametſi admodum luſcioſi, eò peruadimus per coniecturas, ac veriſimiliter. At ſi ſermo ſit de obiecto conditionaliter intelligibili, ſubtrahitur de facto intellectui obiectum, quo omnis eius actio niti debet. Itaque impoſſibile eſt, poni de facto actum in intellectu, verſantem circa illud obiectũ, quod ſupponitur deſtitui ratione formali motiua intellectus. Quod clariſſimum item eſt in viſu, ſi cõparetur cum obiecto actus illius: *Viderem, ſi lux aut color adeſſet.* Secus verò accidit in voluntate. Nam obiectum bonum impoſſibile, ſi per intellectum apprehendatur vt poſſibile, habet verè rationem motiuam voluntatis, nempe bonitatem.

Non dico bonitatem illam eſſe reipſa, ſed dico ſuppoſita apprehenſione eius, ſub conditione poſſibilitatis; (quæ apprehenſio, facillima formatu eſt;) aio obiectum illud habere idoneam rationem motiuam, ad pertrahendam voluntatem: Et conditionem additam, tenere ſe tantùm ex parte poſſibilitatis; non autem ex parte bonitatis. Non enim dicitur; *Si hoc quod apprehendo poſſibile, eſſet bonum poſſibile, vellem illud*: qua ratione eſſet aliqua paritas inter actus intellectus & viſus qui obiiciebantur, & iſtum de quo agimus. Sed dicitur, *ſi hoc bonum quod apprehendo, quódque ſub ea ratione apprehenſum eſt verè bonum, non careret poſſibilitate exiſtendi, amarem illud*: ita vt amor actu exercitus ſub conditione ex parte obiecti, terminetur ad bonitatem apprehenſam, quæ eſt legitimum voluntatis motiuum. Imò etiamſi ſupponatur ſententia; quæ cuiuis volitioni præmitti vult iudicium aliquod, negátque ſufficere apprehenſionem ſimplicem; non deeſſet tamen voluntati, huiuſmodi iudicium circa tale obiectum. Nam reipſa intellectus poteſt affirmare talem bonitatem, entitati apprehenſæ competentem, eſſe idoneum voluntatis obiectum, & eſſe bonitatem. Et obiectum quidem apprehenditur vt poſſibile, ſuperuenit tamen iudicium de obiecto ita apprehenſo, affirmans, quòd ſi obiectum eo modo haberetur, reuera eſſet bonum & conueniens. Ac proinde iudicium eſt tantùm de bonitate obiecti, quæ non eſt conditionata: ſed tantùm poſſibilitas & exiſtentia obiecti, quod non iudicatur poſſibile, ſed apprehenditur tantùm. Quod ergo de hoc actu, *vellem*, nunc tactum eſt, & alibi fuit diligentiùs diſcuſſum; facilè poteſt proportione ſeruata transferri ad actum fugæ, expreſſum verbis illis, *nollem fuiſſe*.

Auerſio ſtabilita, eſt actus abſolutus ex parte ſubiecti.

207. Sic ſuppoſita veritate deteſtationis, ſiue fugæ, odio ſimplici vlterioris, & auerſantis malum præteritum, ſub conditione poſſibilitatis propoſitum; confirmandum & declarandum ſupereſt, quomodo ea auerſio dici poſſit actus abſolutus & efficax; quod ſupra etiam addebamus, & apertè innuitur voce auerſionis, odio ſimplici vlterioris. Hoc enim eſt, quod autores pleroſque ab hac ſententia abduxiſſe vidimus, eóque adduxiſſe, vt omnem præſentem voluntatis actum ſimplici diſplicentia vlteriorem; circa malum præteritum immediatè verſantem, inficiarentur; quod omnis talis actus, videatur debere eſſe efficax, qualem repugnat poni circa impoſſibile. Vnde prætereà factum eſt, vt non agnoſcerent circa huiuſmodi obiectum actum vllum odio ſimplici poſteriorem in voluntate, niſi conditionatum.

Verùm actus, quem de facto vltra odium ſimplex admitti debere confirmauimus, etiamſi dici poteſt conditionatus ex parte obiecti: tamen ex parte ſubiecti, ſiue voluntatis eum elicientis, non eſt conditionatus, ſed abſolutus. Quod aliter dicitur, conditionem tunc non ſe tenere ex parte actus, ſed ex parte rei terminantis voluntatem. Nam ſi conditio teneret ſe ex parte actus, ſenſus locutionis illius; *Nellem, ſi poſſibile eſſet*, deberet ſtatui iſte: *ſi hoc eſſet poſſibile, elicerem actum nolitionis, quem nunc non elicio, ſed duntaxat per intellectum declaro, quam voluntatis actionem eliciturus eſſem, ſi ea conditio, quam deeſſe video, interuenirèt.* Atque ita nullus reipſa exerceretur voluntatis actus, odio ſimplici vlterior, verſans immediatè circa obiectum nolitionis apprehenſæ: quia conditionalis, nihil ponit in eſſe, quandiu conditio non ponitur. Proindéque qui affirmat, ſe fore noliturum, ſi ea conditio adeſſet; nunc cùm abeſt, non poteſt dici nolle de facto. Quare conditio, quæ hic interuenit, tenet ſe ex parte ſolius obiecti, in quod voluntas non fertur niſi prout conueſtitum conditione aliqua, verbi gratia poſſibilitatis. Qua ratione non repugnat actum reipſa elicitum, & eatenus abſolutum terminari ad conditionem aliquam, per quam non ſuſpendatur. Sic enim cùm Petrus ex hoc tempore, & iam nunc elicit volitionem aliquid dandi Paulo, ſi ille talem conditionem impleuerit, actus eſt reipſa præſens & exercitus: ita vt ſine nouo Petri actu, donatio efficiatur valida, cùm primùm Paulus conditionem fuerit executus. Idem ergo cenſeri poteſt in actu auerſatiuo, de quo agimus.

Quomodo ſit actus efficax.

208. Iam verò quòd actus ille auerſatiuus, ſit efficax, difficiliùs exponitur, cùm non appareat quæ poſſit exeri potentia erga impoſſibile. Sane negari non poteſt, quin actus ille ſit inefficax ex parte effectus, quem actu non ponit, cùm poni nequeat, quippe impoſſibilis: Quod perſpicuum eſt in peccati ante admiſſi deteſtatione. Quantumcunque enim homo conetur, fieri non poteſt, quin actus culpæ prælicitus, non anteceſſerit. Et idcirco actus, quo quis reſipiſcit, & culpam admiſſam deteſtatur, nollétque fuiſſe; neque eſt propriè intentio, neque electio: quia denominatio intentionis & electionis, cadit tantùm in actus ſimpliciter efficaces, cuiuſmodi non eſt iſte, ſpectato eius effectu, qui manifeſtè eſt impoſſibilis, taliſque agnoſcitur.

Eſt tamen hic ipſe actus aliquatenus efficax, non modò quia de facto excludit à voluntate quemcumque actum ſimilem præterito, quem per illum auerſatur; ſed etiam quia vi huius actus, voluntas ita afficitur, vt ſi effectus eſſet poſſibilis, illico eſſet ponendus non expectato alio vllo voluntatis actu: Quod euincit non ſtare per actum & eius efficacitatem, quominus effectus ponatur; ſed præcisè ſtare per impoſſibilitatem effectus. Ex quo liquet, hanc efficacitatem actualiter competentem illi actui quaſi in actu primo, non pugnare cum eiuſdem inefficacitate in actu ſecundo. Neque enim nouum eſt, vt vis aliqua de ſe potens & idonea ad cauſandum effectum, non producat eum de facto, ob impedimentum adueniens, quale eſt in præſenti impoſſibilitas effectus. Et hæc eſt vera cauſa, cur iſte actus, tametſi exercitus & præſens, non exprimatur per verbum indicatiuum, *nolo*, ſed per verbum optatiui modi. Non enim dicimus: *nolo factum præteritum, fuiſſe*, ſed, *nollem factum illud fuiſſe præteritum, ſi id eſſet poſſibile.*

In quo diſplicet Hurtadius diſp. 14. de anima ſ. 1. qui cùm reipſa admittat dari actus præſentes ex parte obiecti conditionatos; negat tamen, eos poſſe exprimi verbo optatiuo, ſed vult eos exprimi verbo indicatiuo. At quis non rideat eum, qui auerſans factum ſuum præteritum, dicat, *nolo illud à me fuiſſe admiſſum?* Itaque quamuis ſit lis de voce, an actus ille exercitus, in quo oſtendimus conſiſtere fugam rei præteritæ, exponendus ſit verbo modi optatiui, vel indicatiui: Tamen quia loquendum eſt, vt plures, & modus optatiuus, perſpicuè inſinuat effectus impoſſibilitatem; indicatiuus autem potiùs innuit poſſibilitatem, quæ poſſet eſſe hallucinationis occaſio; præſtat communem loquendi modum retinere, qui cum horum actuum natura meliùs cohæret.

Eiuſdem actus, cauſæ, effectus, remedia.

209. Satis de fugæ natura & multiplicitate. Cauſas eius & effectus aperiam commodiùs infra agens de timore, à quo hic affectus inadæquatè ſpectatus, ſeu prout reſpicit futurum, ſola, (vt dixi,) obiecti arduitate differt. Et poteſt quidem fuga ad anteriora quoque pertinere, quod non habet timor tamen fuga, quantum eſt ex ſe, & ſpectato præcisè ſuo actu primo, eſt eiuſdem rationis ac ſpeciei circa obiectum præteritum, & circa futurum; tantúmque eſt diſcrimen penes effectum, qui ex quo præteriit, non poteſt non præteriiſſe; nec poteſt vi deteſtationis ſpoliari exiſtentia, quam præhabuit; ſicut poteſt vi eius præfocari, (vt ſic dicam,) & præcludi exiſtentia actus futuri. Sicut ergo vtraque fuga eſt eiuſdem naturæ: ita cauſas eaſdem, vtraque habet. Ac proinde fruſtra eadem, & hic, & circa timorem, ingererentur.

Et indidem etiam petentur huius affectus remedia; quæ eo expeditiora ſunt circa fugam præteriti, quòd vanum ſit, vltra recti normam auerſari quod anteceſſit, nec reuocari vlla vi poteſt. Præſertim cùm caſſa illa auerſatio, præſentem triſtitiam, tanquam mali ſuperpondium, ſubiecto ſuo adiiciat.

ARTICVLVS V.

De Delectatione.

PAſſio delectationis, paſſim nominatur quoque apud Philoſophum, *voluptas*, & apud alios, *gaudium*. Quod enim Capreolus in 1. d. 45. quæſt. vnica concl. 9. ex S. Thoma 1. contra Gent. c. 9. tradit, eſſe diſcrimen aliquod, inter gaudium & delectationem, non videtur admodùm receptum. Ait enim, delectationem prouenire ex bono realiter coniuncto: Gaudium autem ex quocunque bono, etiamſi externo; ideóque Deum de ſeipſo duntaxat delectari; gaudere autem, & de ſe & de aliis. Verùm vſus receptus, contrarium fert. Sic enim Dauid, profitetur, ſe in factura Dei, & in Deo delectatum. Et nihil frequentius, quàm vt quis externis obiectis, v. g. ſpectaculis delectari dicatur. At Leſſius l. 2. de ſummo bono c. 17. n. 140. delectationem à gaudio inde ſecerni ait, quòd illa cadat etiam in beſtias, hoc verò ſit ſolius partis rationalis. Sed neque hoc placet, cùm etiam vox gaudij, de brutis dicatur, vt apud Iſaiam, gaudium onagrorum. Seneca epiſtola 59. *initio* ita diſtinguit gaudium & voluptatem ex mente Stoicorum. *Vitium eſſe voluptatem credimus. Sit ſane. Ponere tamen illam ſolemus, ad demonſtrandam animi hilarem affectionem. Scio inquam & voluptatem, (ſi ad noſtrum album verba dirigimus,) rem infamem eſſe, & gaudium niſi ſapienti non contingere. Eſt enim animi elatio, ſuis bonis viribúſque fidentis. Vulgo tamen ſic loquimur, vt dicamus; magnum gaudium nos ex illius conſulatu, aut ex nuptiis, aut ex partu vxoris percepiſſe: quæ adeò non ſunt gaudia, vt ſæpè initia futuræ triſtitiæ ſint. Gaudio autem iunctum eſt, non deſinere, nec in contraria verti. Itaque cùm dicit Virgilius noſter.* Et mala mentis gaudia, *diſertè quidem dicit, ſed parum propriè. Nullum enim malum gaudium eſt. Voluptatibus hoc nomen impoſuit, & quod voluit expreſſit: Significauit enim homines, malo ſuo lætos. Tamen ego non immeritò dixeram, cepiſſe me magnam ex tua epiſtola voluptatem. Quamuis enim ex iuſta cauſa imperitus homo gaudeat; tamen affectum eius impotentem, & in diuerſa ſtatim inclinaturum, voluptatem voco, opinione falſi boni motam, immoderatam & immodicam.* Verùm præmiſerat ipſemet Seneca, hanc vocum illarum ſignificationem, Stoicam eſſe, non publicam. Quare indiſcriminatim voces illas vſurpabimus, ad deſignandum eum affectum, quo appetitus concupiſcibilis in re quæſita & obtenta conquieſcit; cuius primùm natura, tum entitas, ſiue realis diſtinctio ab aliis, explicanda eſt: Variant enim circa iſtam paſſionem ſententiæ.

Quidditas delectationis : Quomodo ſtatuatur ſub genere actionis, cùm potiùs videatur qualitas.

210. Statuendum igitur in primis eſt, delectationem, eſſe veram actionem facultatis appetentis : Eodem modo quo amor dicitur actio eiuſdem facultatis; & intellectio, dicitur actio intellectus ; & vniuersè actus vitales, qui ſunt notitiæ vel appetitiones, appellantur actiones. Quod moneo, ne quis cauilletur; delectationem, (quod Scotus etiam notauit in 3.d.15.q. vnica *litera B.* & ibid. Aureolus art.4.ad .primæ ſententiæ :) eſſe potiùs qualitatem, quàm actionem. Quamuis enim id in omni rigore verum ſit & quoad delectationem, & quoad omnes prædictus actus vitales : Tamen ſolemus eos exprimere nomine actionem ſonante: & ipſi actus ſolent dici actiones, non phyſicè, ſed grammaticaliter & nomine tenus, quamuis reuera ſint qualitates pendentes à cauſa ſua per veram actionem, quæ habet effectum formalem ab his qualitatibus diſtinctum.

Duo quippe diſtinguo in actu vitali, v. g. in delectatione cum Mol. 1.p.q.27.art.1.d.8.memb.2. Vaſq. 1.2. d.9.c.7. Suare d.48 Met.ſ.2.n.7. Ruuio q. 3. de actu intellectus poſſibilis n.268 Hurtadio d.6. de anima ſ.1.& d.16. Metaph.ſ.3. Cuniga diſp.1. de Trinit. dub.3.& 4. quibus diſertè quoad intellectionem præiuit S. Thomas in 1.d.27.q.2.art.2. & opuſc. 13. *ſub initium*, & Scotus diſt. illa 27.q.3. *litera H.* & quoad volitionem Sylu. 1. p.q.16. art. 6. vnum quod ſe habet per modum effectus & termini, ſiue rei productæ: alterum quod ſe habet per modum viæ & fieri, quo res illa producta, ſiue terminus ille intrinſecus accipit eſſe à cauſa efficiente, id eſt, à potentia. Vbicunque enim eſt aliquid de nouo factum, debet aſſignari aliquid, & per modum rei productæ, & per modum productionis : Támque impoſſibile eſt, dari factum eſſe, abſque fieri, quàm dari fieri, abſque eo quod per illud fiat. Idem ergo cernitur in actibus vitalibus, v.g. cùm delectari dicimur aut amare, quæ conſtat aliquid nouum inferre animæ quod non erat priúſquam delectari vel amare diceremur.

Et quamuis diſtinctio à parte rei interueniens, inter fieri & terminum factum, in actibus vitalibus, qui ſunt notitiæ vel appetitiones, minùs perſpicua ſit, nec adeò valide euinci videatur, ac inter effectus alios & dependentias modales, quibus à cauſis ſuis efficientibus accipiunt eſſe : Tamen ex paritate rationis, eadem quoque diſtinctio admittenda eſt in hoc negotio, præſertim cùm dependentia illa ſeu fieri, poſſit variari, inuariata re producta ; cùm poſſit eadem ſpecies expreſſa, vel idem terminus internus voluntatis, procreari cum habitu & abſque habitu. Nam ſi actio volendi continuetur per certum tempus, in primo momento, priuſquàm nulla habitus portio impreſſa ſit, actio pendet à ſola potentia : mox verò, iuuſtu per anteriùs elicitam actionem habitu facilitatiuo, eadem numero res producta, quæ produci pergit, cauſatur effectiuè & à potentia & à partiali habitu impreſſo : Nihil enim vetat aliquid conſeruari poſtmodum ab eo, cui priùs eſſe dederat : quia quatenus conſeruatur, eſt poſterius, etiamſi priùs fuerit, quatenus produxit. In eo igitur euentu, terminus internus productus, perſtat idem numero: fieri autem eius neceſſariò variatur numero ob variationem comprincipij effectiui. Minima enim mutatio in cauſis, variat numero dependentiam ſeu fieri ; quod eſſentialiter reſpicit, hoc aut illud numero principium.

211. Quare admiſſa hac compoſitione à parte rei in actibus vitalibus (quæ nunc duntaxat obiter tacta, alibi autem plenè confirmata eſt, contra Durandum in 1. d.27. q 2. num.12. & 19. & contra Rubionium ibid. q.1.art.1.) fateor & terminum & fieri eius, nomine actus vitalis appellari ſolere. Fieri quidem, quia eſt vera actio de categoria actionis : Terminus autem internus ; ſiue *qualitas facta*, quia per huiuſmodi entitatem, potentia vitalis conſtituitur formaliter attingens obiectum & viuens in actu ſecundo ; quod etiamſi directè non ſit agere : ſupponit tamen eſſentialiter actionem eius in quo recipitur; & cùm ſit formaliter attingentia obiecti, ſonat actionem, & grammaticaliter ſaltem, ſiue nomine tenus eſt actio. Quominus autem ſoli actioni ad categoriam actionis pertinenti, ſiue *fieri* qualitatis prædictæ, tribuam munus conferendi formaliter potentiæ, attingentiam obiecti, quod faciunt Molina 1. p. quæſt. 12. art. 2. d. 1. concl. 1. & Canari. 1. p. q. 27. art. 1. dub. 4. p. 1. & 2. vel quominus id tribuam dependentiæ ſimul ac termino interno dependenti, quod facit Hurtadius d. illa 6 ſ. 1. malímque id tribuere ſoli termino interno producto, cum D. Thoma 1. p. q. 34. art. 1. ad 3. Scoto ſupra *litera H.* Vaſque 1. 2. d. 9. num. 8. & 1. p.d. 141. cap. 4. Suare 1. de Trin. cap.6. num 5. & d.8. Met ſ 3. num. 16. Val. 1. 2. d. 8. quæſt. 1. p. 1. & Ruuio quæſt. 1. de actu intellectus poſſibilis. Cuniga diſp. 1. de Trinit. dub. 4. num. 2. ratio eſt, quia *fieri*, iam habet alium effectum formalem longè diuerſum: nempe conſtituere terminum internum, dependentem à cauſa. Vnica autem & ſimplex forma, non poteſt habere duplicem effectum formalem planè diuerſum, cum eius communicatione conſtituatur.

Ex his ergo perſpicuum eſt, quo ſenſu velim delectationem, eſſe actionem quandam, quamuis reuera ſit qualitas pendens à potentia vitali, interuentu veræ actionis categoricæ, quæ eſt eius fieri. Voco enim nihilominus delectationem, actionem ; quia loquor vt plures: præſertim cùm non abſque fundamento in re, quod paulò antea tetigi ; delectatio, & quælibet volitio, & cognitio, dicatur actio.

Delectationem eſſe meram paßionem, ab obiecto, non actionem, Scoti ſententia.

211. In hoc ipſo ſenſu, aliqui inficiati ſunt delectationem eſſe actionem facultatis appetentis. Nam Scotus in 3. quæſt. cit. *litera B.* & in 4.d.49 q.7 *initio corporis* & *litera A.* & in 1.d.1.q.3. *in fine corporis*, affirmat delectationem eſſe duntaxat paſſionem : quod longo diſcurſu exponit in quæſtione illa tertij ſententiarum, præmittens ante omnia, actiuum & paſſiuum, generaliter loquendo, eſſe quaſdam entitates abſolutas, quarum paſſiua inclinatur ad actiuam, tanquam ad id à quo idonea eſt recipere perfectionem ſuam, quod fit interuentu approximationis mutuæ, qua interueniente, actiuum imprimit paſſiuo formam ; non per relationem aliquam aduentitiam, ſed per ipſam ſuam entitatem abſolutam, qua conſtituitur, eſtque fertile actionis. Quod ergo vniuersè valet, habet æquè locum in potentiis ſenſitiuis, earúmque obiectis, v g. viſus, eſt entitas abſoluta, quæ inclinatur naturaliter ad aliud abſolutum, à quo perfici poteſt ; nempe ad album perfectum ſiue pulchrum : Ad contrarium autem non inclinatur, ſed potiùs declinatur ; (ita enim Scotus, ſolita concinnitate ſermonis, exprimit repugnantiam, & reniſum ad aliquid.) In his entitatibus abſolutis, fundantur relationes aliquæ. Et quidem relatio conſequens inclinationem vocatur conuenientia. Oppoſita verò relatio, quæ reniſum conſequitur, vocatur diſconuenientia. Hunc reſpectum in abſolutis iſtis fundatum, ſequitur

approximatio, iuxta Scotum, qui ait, eam tunc eſſe maximam, quando album in ſe præſens, & vt præſens, videtur à viſu, vel percipitur. Nam per ipſam perceptionem, conſummari ait, & vltimatè conſtitui convenientiam.

Ex hac autem approximatione, addit ſequi receptionem perfectionis in eo quod inclinatur, ſiue in paſſiuo, ab eo ad quod inclinatur, quam paſſiui perfectionem ait eſſe delectationem: quæ proinde eſt paſſio quædam paſſiui ab actiuo, id eſt, facultatis, ab obiecto ſecundum naturam ſuam ſpectato. Non quòd ea perfectio paſſiui per actiuum, ſiue delectatio, ſit entitas pertinens ad categoriam paſſionis, ſed quòd ſit qualitas impreſſa paſſo, abſque libertate eius: Quia quamuis actio, ex qua paſſio iſta progerminat, ſit in poteſtate voluntatis eam recipientis, & eatenus quoque paſſio ſit in poteſtate voluntatis: Tamen ex quo poſita eſt actio, non eſt in agenti poteſtate, ſuſpendere delectationem. Et idem proportione ſeruata dicendum eſt de delectatione appetitus ſenſitiui, niſi quòd iſta delectatio, ne in actu quidem ad quem conſequitur, libera eſt, & ſita in appetitus poteſtate; quod tamen voluntati, quippe liberæ, atque adeo poteſtatem actus ſui habenti, conceditur, vt idem Scotus notat *litera D.* Arctandam autem eſſe delectationem, ad alterutrum ex appetitibus, rectè ſtatuit ibidem: quia reliquæ potentiæ, quamuis poſſint in ſuo genere perfici ab extrinſeco; non tamen præexigunt apprehenſionem præcedentem, ſicut appetitus. At ea præexigentia apprehenſionis, eſt de ratione delectationis.

Impugnatur.

213. Hanc Scoti ſententiam, multipliciter impugnat Ocham in 1. d. 1. quæſt. 3. *litera K.* Præcipua ratio eſt, quia obiectum, de quo concipitur delectatio, eſt plerunque reipſa impoſſibile: quod ſæpè non latet ipſum, qui delectatur. Atqui impoſſibile eſt, rem, quæ phyſicè non exiſtit, eſſe cauſam effectiuam actus poſitiui & realis, cuiuſmodi eſt delectatio. Ergo falſum eſt, delectationem effici phyſicè à ſolo obiecto.

Deinde ſi ita eſſet, delectatio non cerneretur in ſola facultate appetitiua ſed in omni planè potentia vitali; imò & in quocunque paſſiuo, recipiente perfectionem ſuam. Nam quamuis reſpectu appetitus, colorem aliquem habeat reſponſio à Scoto inſinuata, quòd ſcilicet de ratione delectationis ſit, præexigere apprehenſionem præcedentem, eo quòd appetitus abſque apprehenſione præuia, non haberet obiectum præſens de quo poſſet delectari: quia potentiæ cœcæ perinde eſt carere obiecto, & illud non cognoſcere: Tamen reſpectu aliarum potentiarum, hæc reſponſio nullo colore adduci poteſt. Quorſum enim fingeremus ad delectationem in viſu, ex obiecti conuenientis perceptione formandam, exigi anteriorem aliquam apprehenſionem; cùm ipſa viſus functio, ſit obiecti preceptio & apprehenſio? Oporteret igitur ex ea obiecti conuenientis approximatione ad paſſum ab eo perfectibile, eaoriri delectationem; quod certum eſt dici non poſſe.

Addo verò etiam de appetitu meritò quæri poſſe, cur debeat ei delectationem ſubeunti, prælucere notitia de obiecto quatenus delectabili, ſi delectatio non eſt appetitio. Nam impreſſio habitus, eſt actio recepta in facultate: neque tamen ad eam impreſſionem, exigitur vllus actus intellectus præuius. Ergo ex eo quòd delectatio recipiatur in potentia vitali, non præexigit notitiam. Cur ergo eam præexigit, (vt rectè etiam agnoſcit Scotus,) niſi quia eſt actus vitæ? Nec dicas præexigi pro amore delectationi præuio. Nam aliud eſt delectationis, aliud illius amoris obiectum. Indubitatum autem eſt, partialem illam rationem obiectiuam, quam obiectum delectationis ſuperaddit obiecto amoris, debere prænoſci, alioqui delectationem exareſcere.

Præterea appetitus inuenit in obiecto delectationis ſuam rationem formalem & motiuam, nempe rationem boni iucundi. Poteſt ergo immediatè in illam tendere, déque ea habita delectari. Ac proinde ea delectatio, non eſt actio prodiens ab obiecto, ſed à principio vitæ. Argumentatur inſuper Molina 1. p. q. 64. art. 3. d. 1. *in fine*, ex delectationis vitalitate, quam rationem mox vrgebo, contra ſequentem Ochami ſententiam.

Tandem Scoti dicta non ſatis cohærent. Nam cùm contendat, delectationem prodire efficienter ab obiecto debitè approximato; tamen admittit delectationem, (quippe paſſionem & impreſſionem ab obiecto factam,) ſupponere, vel importare actionem aliquam, quæ ſit in poteſtate voluntatis, ratione cuius actionis, delectatio quoque ſit in voluntatis poteſtate: quod ait non habere locum in appetitu ſenſitiuo, cuius actio delectatione anterior, non eſt appetitui libera. Atqui illa actio ratione cuius delectatio eſt libera appetitui ſuperiori, non modò fruſtra ponitur, ſi obiectum eſt cauſa delectationis; ſed etiam perperam. Inde enim euertitur cauſalitas immediata obiecti, in delectationem. Nam ratio cur delectatio in facultate libera poſſit ſubeſſe eius poteſtati ratione actionis, eſſe debet, quia illa actio eſt proxima cauſa & immediata, delectationis ad illam conſequentis: Alioqui eſſet planè impertinens ad libertatem delectationis, quòd actio libera illam antecedat. Nec eſt verum conuenientiam obiecti cum appetitu, conſummari per appetitionem delectationi præuiam: Sic enim obiectum illius appetitionis, non eſſet conueniens; cùm tamen idcirco tantùm appetatur, quia eſt conueniens, vtique antecedenter ad appetitionem quamcunque & ex ſe. Igitur nulla probabilitate dicitur, quòd delectatio ſit partus obiecti, & ab eo efficienter immediatè prodeat.

Aliorum placitum, quod delectatio, ſit paſſio mera; quædam ab amore, quædam à boni notitia.

214. Ex huius ſententiæ impugnatione, ortum eſt Ochami placitum loco citato, *litera M.* Senſit enim, delectationem, eſſe paſſionem cauſatam non ab obiecto, ſed ab actu illo anteriore appetitus rationalis, qui ſubſequitur notitiam prærequiſitam ad delectationem. At delectationem appetitus ſenſitiui, exiſtimat cauſari immediatè à cognitione obiecti, eo quod, vt notat *litera Q.* in appetitu ſenſitiuo, nullus ſit actus medius obiecti inter notitiam & delectationem, ſicut eſt talis actus medius in voluntate. Delectationem eſſe paſſionem ex actu amoris reſultantem, docet etiam Richardus in 4. d. 49. art. 3. q. 5. ad 1. & Ioannes de Celaya 10. Eth. cap. 5 quæſt. vnica.

Porro Ochamus *litera T.* poſt longam concertationem concludit; delectationem voluntatis non eſſe ſubiectiuè in illo actu: ſed tantùm in appetitu ipſo, eo quod debeat ibidem eſſe delectatio, vbi eſt triſtitia: Conſtat autem, triſtitiam non recipi in actu illo appetitus, præuio delectationi. Ergo neque delectatio ibi recipitur, ſed in appetitu, eam mediatè ac remotè profundente. Quam ait eſſe ſententiam conformem Ariſtotelicis principiis de ſubiectatione contrariorum. Quamuis, ſi nuda ratio attendatur, dicat, nullam poſſe pro ea proferri, quæ declinari non poſſit.

Eadem,

Eadem, quoad punctum principale, videtur fuiſſe mens antiquorum quorundam Doctorum, quos refert Dionyſius Ciſterc. in .q. ante ſolutionem rationum principalium, nempe BoquinKam, Roſeti, & Boſeblantis, qui duplices in voluntate, & proportionaliter in appetitu ſenſitiuo, actus ponebant; nempe primum, *velle & nolle*. Deinde alios actus, quos vocabant *appetitus*, dicebantque conſequi ad illos anteriores; cuiuſmodi ſunt gaudere & triſtari: ad quos appetitus, aiebant voluntatem paſſiuè ſe habere.

Reiicitur.

Hæc ſententia, quoad ſubiectum delectationis, eſt omnino vera. At quoad cauſam effectiuam, reiicienda planè eſt. Alioqui enim delectari, non eſſet actus vitæ, de cuius ratione eſt, pendere immediatè à principio vitæ, tanquam à cauſa. Non quòd inter eum terminum externum, quem ſupra dixi conferre formaliter attingentiam obiecti, & potentiam, illius termini effectiuam, non mediet actio aliqua pertinens ad categoriam actionis; ſed quòd immediatum principium vitæ actualis, debeat neceſſariò eſſe facultas vitalis. Remota enim dependentia ab eo principio, non ſufficeret ad rationem vitæ actualis, vt patet ex habitu; cuius impreſſio, non eſt actus vitæ, & tamen prodit remotè à principio vitali. Neceſſe igitur eſt, vt delectatio, ſi eſt actus vitæ pendeat proximè & immediatè à potentia vitali, non autem ab alia aliqua cauſa efficiente. Eſſe autem delectationem actum vitæ, eſt extra controuerſiam, cùm ſit motio ſui ipſius conſtituti in ſtatu perfecto: nec appareat ratio vlla cur intelligere vel appetere, ſint actus vitæ, ſi delectari, non ſit viuere actualiter.

Argumentantur præterea alij, ex eo quòd delectatio, eſt immediatè meritoria, vel demeritoria; quod non valeret, niſi prodiret immediatè à voluntate. Propterea enim impreſſio habitus non eſt meritoria, vel demeritoria, quia conſequitur ad actum liberum neceſſariò. Sed hoc argumentum pendet ex infra dicendis de libertate delectationis: Nec eſt reuera ſolidum. Nam delectatio, ſumpta ſeorſim ab amore rei adeptæ, libera non eſt, atque adeo neque meritoria, vt infra dicam. Et ex eo capite, rectè confertur cum impreſſione habitus, niſi quòd delectatio captata liberè, eſt plerumque origo & cauſa, cur voluntas ſe liberè ad amandum applicet: quod non ſolet habere impreſſio habitus: hanc enim nemo captare ſolet. Et idcirco ſpecialiori iure, delectatio, libera cenſetur, quàm habitus impreſſio, etiamſi neutra in ſe ſit libera.

Quia tamen latiùs patet, pendere à potentia vitali, quàm eſſe liberum, non eſt propterea negandus delectationi immediatus influxus voluntatis, etiamſi ex ſe & in ſe, actio libera non ſit, ſed ex naturali conſecutione profundatur, ex amore rei adeptæ. Diſcrimen ab Ochamo prolatum, inter appetitus ſenſitiui delectationem, & delectationem voluntatis, eſt prorſus inane. Quo enim iure, delectatio appetitus ſenſitiui, dicitur prodire à ſola cognitione; eodem, delectatio appetitus rationalis, à ſola notitia prodire poterit. Neque minùs applicatur obiectum delectationis rationalis, per cognitionem intellectui præuiam, quàm obiectum delectationis ſenſitiuæ, per notitiam ſenſitiuam, appetitui prælucentem. Quare neque hæc ſententia admitti poteſt.

Quid difficile in communi ſe tentia, ſtatuente delectationem in quiete appetitus, eiúſve tendentia in bonum præſens.

215. Eſt tertia ſententia, eáque admodum vulgata, quæ docet delectationem, eſſe quietem appetitus in bono præſente. Verùm, quia nomen quietis, metaphoricum eſt, nec niſi motus priuationem ſonat; dubium ſupereſt, qua ratione delectatio appelletur quies; cùm certum ſit, delectationem eſſe actum poſitiuum appetitus, vt benè vrget Aureolus, rationem illius quietis attingens, in 3.d.11 quæſt. vnica art. 3.

Eam porro dubitationem, non planè enodant qui dicunt, delectationem eſſe actionem appetitus circa rem præſentem & coniunctam. Cùm enim amor ſimplex abſtrahat à præſentia rei & abſentia: deſiderium autem connotet abſentiam, & idcirco moueatur ad boni aſſecutionem; ſupereſſe dicunt, vt actus ille, qui fertur in rem præſentem, ſit delectatio. Sed hoc, vt dixi, non exhaurit difficultatem. Nam amor, quo dæmon ſeipſum diligit, eſt actus appetitus ſuperioris, tendens in rem præſentem. Neque tamen actus ille, eſt delectatio, vt perperam concedit Aureolus in 3.d.15. quæſt. vnica dub. 1. *in fine* deceptus ex eo quòd amor ille ſit complacentia quædam. At hoc nihil refert. Aliud enim eſt complacentia, aliud delectatio. Complacentiæ capax eſt dæmon. non item delectationis, ob abyſſum triſtitiæ, cui infoſſa eius voluntas, nullius omnino ſuauitatis guſtandæ, eſt capax. Ergo actus ille, cùm manifeſtè non ſit deſiderium, debet eſſe amor ſimplex. Nulli enim hactenus alij actus, recenſiti ſunt in appetitu concupiſcibili circa bonum, præter tres, nempe amorem ſimplicem, deſiderium, & gaudium. Atque ita cùm ratio tendentiæ in bonum præſens, non ſit delectationi propria, imò competat actui, qui longè abeſt à delectatione; reſtat, vt ea non poſſit eſſe delectationis quidditas, vt rectè etiam notauit Richardus in 4. d. 49. art. 3. quæſt. 5. *in corpore*, addens illud Auguſtini 14. Ciuit. c. 7. *Lætitia eſt amor boni habiti*, accipiendum eſſe in ſenſu cauſali.

Et dicitur quidem amor ſimplex, abſtrahere à præſentia & abſentia boni: hoc tamen non eſt accipiendum de abſtractione præciſiua; quaſi ſicut animal abſtrahit à rationali, quia nullo modo illud includit in ſuo conceptu; ita amor ſimplex idcirco abſtrahere dicatur ab obiecti præſentia & abſentia, quia eas nunquam poſſit reſpicere. Oſtenſum enim eſt, hoc falſum eſſe. Eſt igitur accipiendum de abſtractione permiſſiua, vt aliqui loquuntur, vel de abſtractione ſecundùm indifferentiam, (vt eam aliqui appellant:) hoc eſt, de non incluſione præſentiæ vel abſentiæ, in omnibus ſingularibus, conuenientibus in ratione amoris ſimplicis. Tametſi quædam illorum, poſſint ad obiectum, etiam prout præſens vel abſens, terminari. Supereſt ergo in ſententia propoſita explicandum, quæ ſit illa actio appetitus, diſtincta à quibuſuis aliis, quæ delectationem conſtituit.

Fax noua, ad lucem communi ſententiæ inferendam.

216. Prædictam ſententiam ita ſequitur Panonis in Introd. d. 3. q. 1. prop. 2. n. 7. vt tamen ſubdat, nomen delectationis aliquando ſumi ſtrictè, aliquando latè. Sumitur latè, cùm deſignat ſuauem quemcunque & iucundum ſenſum, quem ſecum afferre ſolet operatio vitalis, cùm perfecta eſt, verſatúrque circa obiectum conueniens & proportionatum: quam delectationem, ait appellari etiam voluptatem: &

non in actus tantùm facultatis appetentis, ſed in notitias quoque cadere, nec ab operatione diſtingui niſi per mentem, & eatenus ea poſteriorem eſſe, haberéque ſe ad illam per modum quietis vitalis & perfectionis, & quaſi venuſtatis, vt idem author latè explicat d. 2. q. 2. propoſ. 1. Sumitur autem delectatio ſtrictè, cùm deſignat complacentiam appetitus circa bonum præſens & iam obtentum; numerando maximè inter bona præſentia, actus ſenſuum externorum circa obiecta iucunda. Sententiam ergo prædictam, iuxta quam delectatio eſt amor ſeu propenſio in bonum, vt præſens, & iam obtentum, intelligit idem author de delectatione tantùm accepta ſtrictè, quæ eſt complacentia appetitus, circa bonum præſens, & iam obtentum.

Aut nulla, aut inutilis.

Verùm nihil hinc plus lucis ad perſpiciendam delectationis naturam affulget, imò additæ ad præcedentem caliginem offuciæ, quibus hæc tota res fit tenebroſior. Nam duplex illa delectationis diſtinctio, ſi ſermo ſit de delectatione formaliter accepta, vt eſſe debet, non autem de cauſaliter ſumpta; eſt omnino Doctoribus incognita & falſa. Ait quidem Scaliger exercit. 299. delectationem aliquam, eſſe perceptionem ſiue notitiam. At hoc merè ad vocum vſum ſpectat, quem ille non probat, nec probare poteſt. Madius item apud Flaminium lib. 2. de vera & falſa voluptate ſub medium, aliquoties affirmat, voluptatem eſſe perceptionem. Sed idem mox ſatis declarat, locutionem eſſe cauſalem, faſſus ex ea notitia exurgere in appetitu aliquid, quod vltimò & formaliſſimè ſit voluptas. Delectatio ſiquidem formaliter & quidditatiuè ſpectata, nunquam eſt in potentiis cognoſcitiuis, ſed tantùm in appetitu rationali aut ſenſitiuo, alioqui Dæmon, qui perfectiſſimas notitias naturales habet, dici poſſet perfundi voluptate. Ad hæc ſi in potentia cognoſcitiua daretur delectatio plus quàm cauſaliter, eſſet impoſſibile dare rationem, cur aliqua præterea formalis delectatio in appetitu aſſignetur: cum omni delectationi appetitus, præeat notitia perfecta circa obiectum proportionatum, cuius delectatio abundè ſufficeret ad munus cui natura prouidit delectationem. Atque ita delectatio eſſet expungenda ex numero paſſionum, quæ ſunt actus eliciti appetitus, quod nemo dixerit. Quòd ſi prædictus author nomine delectationis latè dictæ, intelligit delectationem, non formaliter ſed cauſaliter acceptam; ſic rectè ait, delectationem eſſe adiunctam notitiis, & ab illis reipſa indiſtinctam. Sed gratis arctat nomen voluptatis ad talem delectationem cauſalem, cùm apud omnes hactenus Philoſophos, & delectatio, & voluptas, idem reipſa habitæ ſint. Cum perſpicuitatis item diſpendio, nomen cauſæ & effectus, confundit.

Itaque diſtinctio illa delectationis, repudianda eſt; tanquam vel falſa, ſi ſumatur vt verba ſonant; vel inutilis, ſi ea quam propoſui explicatione condiatur. Quòd verò idem author, iuxta communem loquendi modum, delectationi tribuit rationem amoris & complacentiæ; ac propenſionis in bonum, vt iam obtentum ac præſens, rectè quidem factum eſt: ſed ita tamen, vt natura delectationis formaliter acceptæ, maneat inexplicata; cùm ii ipſi: qui delectationis ſunt incapaces poſſint tamen amare rem præſentem, & iam obtentam, ſibíque in ea complacere. Nomen quippe complacentiæ, ſonat aliquid anterius delectatione, & rectè cadit in amorem ſimplicem rei præſentis, quem à delectatione differre, ſupra monſtratum eſt, quamuis interdum, complacentiæ vox cauſaliter ſumpta, delectationem quoque ſignificet, vt notauit Mol. 1. p. q. 64. art. 5 diſp. 3.

Noſtra ſententia de delectationis quidditate.

217 Supereſt igitur vt dicamus, delectationem, ſiue voluptatem, & gaudium, formaliter loquendo, nihil aliud eſſe, quàm actionem aliquam appetitus, ſiue ſenſitiui, ſiue rationalis, præſupponentem actum amoris, & conſequentem ex notitia adeptionis boni, proportionata appetitui, qui delectatur: nimirum ex notitia intellectus, ſi delectatio ſit in voluntate; vel ex notitia phantaſiæ, ſi potentia quæ delectatur, ſit appetitus ſenſitiuus. Sola enim notitia externi ſenſus, non ſufficeret ad extendendam delectationem, vt in ſimili contra aliquos dicam, agens de triſtitia, quæ delectationi opponitur, & habet cum ea proportionalem naturam. Sicut ergo tunc triſtari & dolere dicimur, cùm appetitus reſilit à malo exoſo, quod facultas cognoſcitiua prælucens, exhibet vt coniunctum. Ita tunc dicimur delectari, cùm appetitus exhibito ſibi per vim cognoſcitiuam bono amato tanquam coniuncto & adepto, potitur eius ſuauitate præamata, non vt quærenda, ſed vt habita, neque actu, qui æquè poſſet in rem præſentem & abſentem cadere, ſed reſtricto ad ſuauitatem habitam: ſiue præceſſerit motus veſtigationis ac deſiderij, vt cùm quis poſt multum laborem præda potitur, ſiue non præceſſerit labor vllus quærendi, ſed res ipſa adnata ſit eidem ſuppoſito cum appetitu, vel diuina virgula ſit delata. Quo pacto delectamur de naturalibus perfectionibus cùm eas in nobis agnoſcimus, etiamſi concreatæ nobiſcum ſint: itémque de gemma, quæ non quærentibus occurrerit.

Vt propterea non placeant, qui ex eo quòd interdum veſtigatio & motus in bonum, præcedat delectationem, & quaſi quietem in eo, cenſent delectationem poſſe definiri per connotationem veſtigationis antecedentis, dicendo veſtigationem eſſe actum appetitus, ſubiunctum eiuſdem boni deſiderio. At poteſt, vt dixi, eſſe delectatio de bono, quod quæſitum non fuerit, quia inſitum nobis fuit à natura. Præſtat igitur ſiſtere in ea, quam dixi, connotatione adeptionis boni amati. Qua ratione, delectatio aptè ſecernitur ab aliis paſſionibus. Perſpicuè enim differt à deſiderio, quod excludit adeptionem & aſſecutionem. Differt etiam ab amore ſimplici, qui non connotat adeptionem & poſſeſſionem boni amati, ſed fertur in illud ſimpliciter, éſtque primus actus appetitus circa huiuſmodi bonum, etiamſi coniunctum & præſens: quod delectationi non competit; ſaltem enim ſupponit amorem boni, illóque adepto, & per internum guſtatum, vt ſic dicam, renunciato, ſuauiter potitur.

Confirmatur expoſito delectationis exortu.

218. Hoc vt magis perſpicuum euadat, perpendendus eſt in exemplo totus progreſſus, quo ingeneratur delectatio. Et quia exempla, quo ſenſibus viciniora ſunt, eo etiam ſunt notiora, ſumo exemplum delectationis corporeæ, quæ per cibi guſtationem percipitur, de qua quæcunque dicentur, facilè erit transferre ad delectationes alias, non modò corporeas, ſed etiam ſpirituales. Homo igitur erga cibum, poteſt multipliciter ſe habere. Nempe primò illud ſimpliciter amando, hoc eſt, complacendo ſibi in eo, & abſque alio anteriore voluntatis affectu, per ſe requiſito ante eam complacentiam; & abſque vllo ordine ad aſſecutionem, quæ longè diuerſa eſt a boni coniunctione & præſentia. Nemo enim, vt ex Du-

rando infra notabo, amat bonum, niſi ſibi coniunctum, quomodolibet illud amet. Poteſt tamen illud amare, nolens acquirere ſi deficiat. Hic eſt primus veluti greſſus appetitus erga cibum. Quòd ſi fames appetitum ſtimulet, de complacentia fit progreſſus ad deſiderium, quod tandiu appetitum vrget ac fodicat, quandiu cibus concupitus, ad explendam famem non ſuppetit. Adepto tandem cibo, poſitáque eius aſſecutione, facultas agnoſcens exhibet appetitui obiectum illud tanquam bonum. Nam ſenſus externus, cuius eſt ſuauitatem eſculentorum explorare, & de ea pronunciare, percepta cibi exhibiti ſuauitate, determinat per ſympathiam ſenſum internum, ad ſuauitatis illius perceptionem: qua per internum ſenſum percepta, renunciatur appetitui, quod obiectum ad externum ſenſiterium appulerit. Inde obiecti illius, cuius ſuauitas externo ſenſu deprehenſa, & per internum appetitui renunciata eſt, amor excitatur. Hunc excipit alius actus, quo appetitus geſtit, quòd bonum, cuius exhibiti amore exarſerat, adeptum videat. Hoc eſt, quod delectationem nominamus. Priuſquàm enim totus anterior progreſſus præceſſerit, nulla excitatur delectatio: ſed tantùm elicitur cognitio obiecti prout delectabilis. Non dico, prout actu delectantis, ſed prout ſapidi v. g. atque adeo idonei fundare delectationem. In eodem autem temporis momento, tantúmque poſteriùs natura, cum ea perceptione externa ſapidi, excitatur eius amor; quem eodem item temporis puncto aſſectatur delectatio, non in ipſo ſenſu guſtus, vel in aliquo appetitu externo ei reſpondente, quod perperam aſſerit Aureolus in 3. d. 15. q. vnica art. 3. ad 3 dubium, & Scaliger exercit. 299. ſed in ſolo appetitu ſenſitiuo, cuius vnius munus eſt ad modum prædictum oblectari.

Quod de corporea delectatione dixi, eodem modo de ſpirituali dictum eſto, proportione ſeruata. Quod enim eſt ſapidum guſtui, & ſenſui interno, hoc ipſum eſt intellectui obiectum cuius bonitatem percipit: & quod eſt appetitui ſapor, per guſtum & phantaſiam perceptus, id ipſum eſt voluntati, bonum intellectu exhibitum. Eſt enim etiam rebus intelligibilibus ſuus ſapor, intellectu quaſi interiore guſtu perceptibilis. Tunc voluntas congruè propoſitum amat, deque amato, cùm teneri exhibeatur, exultat, quæ eſt quam delectationem nominamus. Quòd ſi delectatio ſpiritualis, peruadat à corpore ad voluntatem, cuiuſmodi eſt delectatio, quàm non tantùm appetitus ſenſitiuus, ſed etiam voluntas ſuperior percipit de obiecto ſenſibili: Tunc intellectus exhibet voluntati bonum delectabile, præmiſſa determinatione per ſympathiam ab interno & externo ſenſu quod ita ferat naturalis illarum potentiarum ſubiunctio. Hoc autem deerat, cùm obiectum erat merè internum, nec perculerat externum ſenſum, ſed ſolo intellectu ſapor eius, ſiue delectabilitas percepta erat, vt accidit in delectationibus Intelligentiarum, & in pleriſque noſtris delectationibus.

Difficultates circa præſuppoſitionem amoris ad delectationem.

219. Non occurrit quid circa hanc explicationem naturæ delectationis, videri poſſit nutare, vel obſcurum manere, præter anteceſſionem illam & præſuppoſitionem amoris ad delectationem; vnde liquidò diſtinximus delectationem à complacentia ſimplici boni coniuncti. Non enim videtur vſque quaque perſpicuum, quòd delectatio præſupponat amorem; cùm videatur quis poſſe immediatè delectari de obiecto, quod agnoſcit eſſe iucundum.

Quid namque ibi deeſt ad terminandum illum voluntatis actum, quamuis amor non antecedat?

Accedit, quòd poteſt quis odiſſe actionem, ex qua tamen delectationem nolens hauriat. Exemplum ſtatuit Aureolus in 3. d. 15. q. vnica art. 3. dub. 3. de virgine, quæ renitens inquinetur: Animo enim abominatur quod patitur, atque adeo illud non amat, & tamen delectatur. Quod Aureolus profert ad probandum, quòd præter appetitum interiorem, cuius ſit auerſio & mœror de ea violentiæ illatione, admittendus ſit appetitus exterior, cui præluceat immediatè externus ſenſus, ſitque principium delectationis illius, contra internum amorem exorientis. Reuera autem videtur tantùm probare quod nunc quærimus, nempe quòd delectatio poſſit innaſci abſque amore. Nam quòd detur appetitus ille exterior, immediatè per externum ſenſum directus, ſiue ipſi externo ſenſiterio, ſiue alibi implantetur, eſt omnino commentitium, & fruſtra aſſertum, de quo aliàs.

Tandem ſi amor præexigitur ad delectationem, vel eſt diſtinctum libertatis exercitium circa vtrumque actum, vel non eſt diſtinctum. Hoc ſecundum videtur excindere vitalitatem delectationis: Prætterquam quòd pugnat cum ratione meriti & demeriti ſpecialis, quæ cerni poteſt in delectatione ſeorſim à quocunque alio actu. Primum autem dici non poteſt; cùm experientia manifeſte teſtetur, poſito amore boni adepti, non eſſe liberum appetitui, delectari de eo, ſed neceſſariò emicare delectationem in ſubiecto expedito, & non præoccupatu tanta triſtitiæ acerbitate, quæ nullam ex bono amato dulcedinem vitalem compatiatur.

Eſt omnino retinenda.

His tamen non obſtantibus, certum eſſe debet, amorem præexigi ad delectationem, & quidem eſſentialiter, & tanquam aliquid tenens ſe ex parte motiui delectationis: ita vt ne de potentia quidem abſoluta, poni poſſit delectatio abſque amore præuio: ſicut non poteſt poni concluſio, abſque præſuppoſitis præmiſſis. Experimur enim res quantuncunque delectabiles, etiamſi earum delectabilitas non lateat, de facto tamen non delectare, ſi odio habeantur. v. g. qui faſtidit dulcedinem mellis, etiamſi guſtato melle, eam per externum ſenſum perceperit; tamen non delectatur, ſed potiùs prouocatur ad nauſeam, quod non contingit illi, qui dulcedinem illam guſtu perceptam amat; is enim delectatur. Manifeſtum ergo indicium eſt, de ratione delectationis, eſſe præſuppoſitionem amoris. Idem cernitur in eo, qui obiectum pulcherrimum & elegans contuetur, ſed ſibi aliquo nomine exoſum. Nullam quippe delectationem inde percipere poteſt, quandiu ita affectus eſt; haud dubiè percepturus, ſi amor non eſſet delectationi præmittendus, tanquam pars motiui delectationis.

Difficultates propoſitæ, enodantur.

220. Quare negandum eſt, poſſe aliquem delectari immediatè de aliquo obiecto, id eſt non præcurrente eius amore. Deeſt enim quod exigitur ad complendum delectationis obiectum formale, nempe amor, ſine quo delectabilitas cerni quidem poteſt in obiecto, quantum exigitur ex parte eius, non tamen plena & vndecumque completa. Quod debet accipere per acceſſum amoris ſe tenentis ex parte ſubiecti delectationem percepturi, illúdque velut aptantis ad delectabilitatis partum in ipſo fundendum

Negandum præterea eſt, poſſe aliquem delectari ex operatione, quam oderit. Vnde mulier vim patiens, quatenus ex animo deteſtatur ſcelus alienum in ſe admiſſum, non delectatur. Quatenus tamen ei deliberato odio, coniungitur amor indeliberatus, naturaliter reſultans ex ſenſus externi operatione; inde conſequenter reſultat delectatio indeliberata: vt benè notat Ocham in 3. d. 14. *litera P.* & Gabriel in 3.d.15. q vnica *litera D.* malè tamen negans, eam delectationem eſſe actionem, ſed dicens eſſe tantùm paſſionem. Quod ſi omnis planè amor boni ſenſibilis tunc percepti per admotionem ad externum ſenſum, excluderetur ab appetitu, nulla planè delectatio concitaretur ex ea perceptione boni ſenſibilis per ſenſum tactus.

Tandem quamuis amor delectationi præuius, non inferat eam eſſentialiter; nec tantùm diuina vi, ſed etiam ob præoccupationem ſubiecti per ſummam triſtitiam, impediri naturaliter poſſit ſequela delectationis ea amore: Tamen in ſubiecto expedito, reſultantia delectationis ea præuio boni adepti amore, non eſt ſpecialiter libera, ſed conſequitur ea neceſſitate naturæ: vnde delectatio ſeorſim ab amore non eſt meritoria. Tametſi quia plerumque voluntas deliberatè captat delectationem potiùs quàm amorem, cenſeatur libertas cadere principaliùs & primò, (nempe ordine non executionis ſed intentionis;) in delectationem, cuius gratia amor aſſumitur: paſſimque dicamus, delectationem eſſe liberam demeritoriam, quia amor præuius, & hic eius fructus, computantur vt vnum moraliter: ac etiam quia habetur ratio libertatis ad amorem applicatæ, vt delectatio conſequeretur. Cùm autem delectationis exortus, permittitur naturæ rei, ſolus amor deliberatè ſuſceptus, eſt fons libertatis, etiam in ordine intentionis. Amorem autem conſequitur delectatio ad modum paſſionis, ſaluo tamen ſemper influxu immediato appetitus in delectationem, alioqui delectatio non eſſet actus vitæ. Et eſt ſanè longè diuerſum pendere immediatè ab appetitu, ab eo quod eſt pendere liberè.

Ariſtoteles, traditæ delectationis quidditati, aſtipulatus. Genus delectationi aſſignatum, illuſtratur.

221. Eſt itaque delectatio, operatio appetitus, terminata ad bonum adeptum & amatum, illiúſque amorem conſequens. Genus, quod delectationi adſcribo, manifeſtè traditum eſt ab Ariſtotele 7. Eth. c.12. Nam propoſitis cap. 11. variis ſententiis de bonitate delectationis, quas etiam proponit 10. Ethic. c.2. & 3. & l.2. Magn. Moral. c.8. ait, quoſdam dixiſſe, nullas omnino voluptates bonas eſſe, argumento inde ducto, quod iuxta ipſiuſmet Philoſophi doctrinam in Rhetor. l.1. c. 11. latè expoſitam a Gabriele in 1.d.1.q.3. *litera A.* omnis voluptas, ſit generatio ſenſibilis in naturam. Dum enim aliquid ſenſibile aggeneratur naturæ noſtræ, quaſi nobis connaturale, ex hoc delectamur. Nulla autem generatio eſt de genere finium cùm potiùs generatio ſit via in finem. Ergo quia bonum habet rationem finis, nulla generatio, atque adeo neque delectatio, erit bonum. Hanc rationem Philoſophus c. illo 12. his verbis diſſoluit. *Dicere voluptatem eſſe ſenſibilem generationem, non rectè ſe habet; ſed potius dicendum eſt, eam eſſe operationem habitus, qui eſt ſecundùm naturam. Pro eo autem quòd dicebatur eam eſſe ſenſibilem; ponendum eſt, impedimento vacantem.* Hæc Ariſtoteles, nomine *impedimenti* intelligens, partim difficultatem operandi, quæ delectationem excludit: partim etiam præoccupationem potentiæ appetitiuæ per triſtitiam ingentem, vnde excluditur delectatio. Sicut vice verſa teſte Ariſtotele cap. vltim. eiuſdem libri, delectatio valida & vehemens, dolorem propulſat, & admitti non ſinit. Disertè itaque Ariſtoteles, delectationem operationibus annumerat.

Nec benè Nemeſius l. 2. d. homine c. 18. putat Ariſtotelem 10. Eth. c.4. id reuocaſſe, cùm dixit, voluptatem eſſe, finem muneris functionum animantis non impeditarum, quæ ſint ſecundùm naturam. Non dixit autem, voluptatem, eſſe operationem, vt dixerat l.7. c. 12. Additque Nemeſius ſi ſtaremus definitioni traditæ anteriore illo loco, ſequeretur contra ipſummet Philoſophum, beatitudinem eſſe voluptatem. Nam beatitudo eſt operatio habitus ſecundùm naturam, impedimento vacans. Quid quòd Ariſtoteles eod. c.4. & proximè ſequenti, ſæpè repetit, voluptatem ex opere pullulare? Reuera tamen Philoſophus non reuocauit quod alibi dixerat. Poteſt enim voluptas, eſſe finis muneris functionum naturalium expeditarum, & tamen eſſe operatio quædam. Nam ipſa etiam beatitudo, quæ omnium noſtrûm finis eſt, inter operationes numeratur. Quanquam non idcirco beatitudini competit definitio voluptatis: quia voluptas, eſt quaſi acceſſio, & germen alterius operationis; quod non debet de beatitudine aſſeri, quum non ſit actio ſecundaria & alteri tanquam principaliori ſubiuncta.

Quomodo delectationi præeat operatio, vltra amorem.

Et hinc etiam intelligitur, quo ſenſu Ariſtoteles dicat, voluptatem ex opere pullulare. Nimirum, quia delectatio præter amorem boni adepti, qui eſt operatio quædam, ſupponit aliam quoque operationem, vel quaſi operationem, & ex ea manat tanquam conſectarium. Vt propterea habita ratione anterioris illius operationis, rectè dicatur, delectationem prodire ex operatione; & hanc prædicationem, *delectatio eſt operatio*, eſſe prædicationem cauſalem, vt docet Durandus in 1.d 1. q.2.n.16. & Ferr. 1. contra Gent. c. 91. & latè OlKot in 1 q. 3.art.6. *litera D.* Quamuis poſſit eſſe prædicatio formalis ſi operatio, quæ de delectatione affirmatur, non ſit illa anterior, ex qua progerminat delectatio, ſed fœtus eius. Qua ratione, concluſio ſyllogiſmi, dici poteſt eſſe ea operatione mentis anteriore, & eſſe etiam operatio quædam. Seneca epiſt. 9. eleganter ex Attalo admonet, delectationem quæ conſequitur operationem de qua agimus, eſſe vberiorem, quàm illam quæ prodit ex fœtu operationis. *Quomodo artifici iucundius eſt pingere quam pinxiſſe. Illa in opere ſuo occupata ſollicitudo, ingens oblectamentum habet in ipſa occupatione. Non æquè delectatur, qui ab opere perfecto, remouit manum. Iam fructu artis ſuæ fruitur: Ipſa fruebatur arte, cùm pingeret. Fructuoſior eſt adoleſcentia liberorum, ſed infantia dulcior,*

222. Aiebam autem, operationem delectationi præuiam, diſtinctam ab amore, vel eſſe operationem, vel quaſi operationem: quia vt rectè aduertit Val. 1. 2.d.5. q 5. p.3. poſt Caiet. receptio formæ, & quæuis boni coniunctio, ac vnitio cum ſubiecto delectationis, venit nomine operationis delectationem antecedentis: vt patet ex eo qui delectatur de naturali perfectione ſua, nullum actum eliciens antecedenter ad delectationem de illo obiecto, præter amorem. Tempore item æſtuoſo, delectamur, auram frigidam haurientes, aliterve refrigerati, quo ipſo non agimus aliquid, ſed patimur. Ergo nomen operationis delectationem antecedentis, ſumendum eſt eo modo

modo quo dixi. Et eo ſenſu rectè dicitur omnem delectationem eſſe conſectarium alicuius operationis. Quod non negat Ariſtoteles 1. Ethic. cap. 8. cùm ait, delectationem, qua perfunduntur probi, non eſſe appendicem actionum virtutis, eáſque eſſe ex ſeipſis delectabiles. Senſus enim eſt, delectationem ex operibus virtutis profuſam, non prouenire ab extrinſeco aliquo delectamento, quæ vocatur *aliena delectatio*, 10. Eth. cap. 5. ſed ab ipſis actionis honeſtæ viſceribus promanare, vt D. Thomas ibi lect. 1. rectè expoſuit.

Quid præſtantius; ea operatio an delectatio.

Multus porro eſt Philoſophus 10. Eth. c. 2. 4. 6. 7. & 8. in diſcuſſione illius quæſtionis, ſitne delectatio præſtantior operatione illa, ex qua prodit, & nihil ſtatuit in ea dubitatione. Valentia autem 1. 2. d. 1. q. 4. p. 1. & Sal. 1. 2. tr. 2. d. 8. à num. 21. negant, verum vniuerſaliter eſſe, quòd delectatio ſit operatione deſpicatior cùm conſtet operationes ludicras referri ad delectationem. Rectè tamen S. Thomas 10. Eth. lect. 6. vniuerſaliter præfert operationem, ex qua delectatio exoritur. Ratio eius eſt, *quia delectatio, eſt quies in re delectabili, qua quis per operationem potitur. Nemo autem appetit quietem in aliquo, niſi quatenus æſtimat illud ſibi conueniens. Ideóque operatio qua delectat, ſicut conueniens quoddam, poteſt delectationi præferri.* Senſus videtur eſſe, delectationem fundari in operatione. Idcirco enim quis delectatur, quia potitur re conuenienti. Non poſſet autem operatio delectationem profundere, niſi illam nobilitate æquaret, vel ſuperaret. Adde quòd, acceſſorium non debet principali præſtare dignitate.

Differentia delectationis illuſtrata. Eam duci ex ſola boni coniunctione, ſententia Durandi.

223. Hinc ſatis illuſtratum eſt genus, quod delectationi adſcripſi. Differentia verò ferè patet ex ſupradictis. Tantùm difficultatem ingerit Durandus qui in 1. d. 1. q. 2. à n. 4. & in 4. d. 49. q. 5. num. 6. negat, obiectum delectationis, ex quo eius differentiam petebamus eſſe bonum adeptum; (ſaltem ſi ſit ſuppoſito delectationem percipienti, extrinſecum,) vúltque ſolam adeptionem eius & coniunctionem, eſſe delectationis obiectum; ita vt bonitas duntaxat connotetur per obiectum delectationis, non etiam ad illud directè pertineat; cùm ſupponatur eſſe aliquid extrinſecum, & ſuppoſito à nobis diſtinctum, de quo non eſt delectatio immediatè; Nemo enim gaudet, niſi de bono aliquatenus ſuo. Inde verò præterea infert, quæſtione illa 2. num. 11. omnem delectationem radicari in amore erga nos, quo amatur bonum adeptum. Nominatímque n. 8. omnem de Deo delectationem, pertinere ait ad amorem concupiſcentiæ in nos retortum: eò quòd delectatio de bono, reſpondeat deſiderio habendi tale bonum: nos autem per amorem gaudio præuium, non deſideremus bonum aliquod Deo, ſed nobis tantùm, quod ait pertinere ad amorem concupiſcentiæ.

Itaque non benè aliqui aiunt, Durandum, de ſola delectatione amori concupiſcentiæ adiuncta, egiſſe, cùm dixit, eius obiectum, eſſe ſolam boni aſſecutionem, nec idem ſenſiſſe de delectatione conſequente amorem beneuolentiæ Dei, quam ab eo admitti ſupponunt, quod ex numero citato apertè redarguitur. Senſit igitur vniuersè Durandus, cuiuſuis delectationis obiectum, eſſe ſolam boni adeptionem, ſaltem cùm delectatio eſt de Deo. Imò ex num. 11. videtur haberi, quod omnis planè delectatio de quocunque bono, eodem modo ſe habeat. Et diſertè in 4. loco citato, ita affirmat de omni planè delectatione; quamuis poſtea probationes afferat tantùm pro delectatione de obiecto, quod à nobis ſuppoſito differat.

Coniunctionem, nullo modo eſſe delectationis obiectum ſententia aliorum.

Verùm quòd delectatio non ſit, tantùm de vnione & adeptione boni, ſed maximè ſit de bono, communis aliorum eſt ſententia, quam multis ſtabilit Leſſ. l. 2. de ſummo bono cap. 17. n. 41. Qui è contrà poſt Caietanum 2. 2. q. 17. art. 2. negat, coniunctionem illam & poſſeſſionem boni, eſſe partiale obiectum gaudij. Sic enim deberet cognoſci. Nihil enim poteſt per ſe delectare, niſi in ſe ſit cognitum. Ait ergo eſſe duntaxat conditionem neceſſariò requiſitam ad gaudium. Sicut etiam odor, & ſapor, & ſymphonia, ſunt integrum obiectum delectationis, quæ ex obiectis illis percipitur, ſenſationes autem, quibus ea obiecta ſiſtuntur appetitui delectationem inde haurienti, habent tantùm rationem conditionum & applicationum rei delectabilis; nec delectant, etiam partialiter.

Durandi ſententia exſcinditur.

224. Neutra ex his ſententiis placet. Nam Durandus quidem apertè hallucinatur. Supponit enim vt per ſe notum, rem à nobis diſtinctam, vt ſic, non poſſe nobis bonam eſſe, niſi extrinſecè & quatenus immittit nobis aliquid, quod ſit nobis intimum, & formaliter ac immediatè bonum. Vnde infert, rem extrinſecam, niſi ſaltem ſecundùm æſtimationem fiat intrinſeca, non poſſe eſſe obiectum gaudij. At hoc eſt planè ruinoſum. Vt enim Caietanus ſupra art. 5. ex Ariſtotele eruit; res à nobis diſtincta, dummodò aliquatenus nobis coniungatur, habet plerunque rationem boni noſtri ſecluſo quocunque effectu nobis per eam immittendo, qui ſit delectationis obiectum immediatum ac proximum. Quod patet in amicis, pecuniis, agris, aliiſque rebus permultis, quæ nobis bonæ non ſunt effectiuè, ſiue aliquid in nos agendo, ſed tantùm formaliter, ac prout nobis coniunctæ per poſſeſſionem, ſecluſa vnione quacunque reali. quæ non poteſt intercedere inter res ſuppoſito diſtinctas, ſed ſufficiat coniunctio aliqua, qua poſſideantur. Coniunctio autem illa nobis intima, non ſe habet vt bonum peculiare, ſiue vt obiectum bono coniungendo contradiſtinctum, eóque immediatius; ſed eſt ipſamet boni illius externi poſſeſſio, ad integrum gaudij obiectum pertinens.

Omitto quòd rationes Durandi nullo modo probant intentum de delectationibus, quæ percipiuntur ex obiecto nobis coniuncto, v. g. de calore immiſſo hyeme, per applicationem ignis, aut de frigore, quod æſtate conciliatur interuentu flabelli diſpellentis aërem concalefactum. Calor ſiquidem & frigus, inexiſtunt nobis, nec differunt ſuppoſito, ac proinde ſunt obiecta idonea delectationis; quod vnum extrinſecis obiectis deeſſe ad terminandam delectationem, aiebat Durandus. Poſſunt igitur immediatè delectare. At nemo non videt, eiuſdem formaliter rationis & naturæ eſſe, delectationes quaſcunque: Quod falſum foret, ſi quibuſdam vnum obiectum, nempe ſola adeptio: aliis aliud, nempe aſſecutio ſimul & bonitas, obiiceretur.

Iam verò quod ait Durandus, omnem de Deo delectationem promanare ex amore concupiſcentiæ boni noſtri, reiiciendum planè eſt, cùm conſtet, beatos maximè delectari de bonis Dei, vt ipſius Dei ſunt; idque omnino ferat inſignis ille amor amicitiæ, quo in diuinam bonitatem incenduntur. Nec eſt verum, quod Durandus ad huius ſui paradoxi munimentum ſupponit; nempe quod delectatio ſit de eodem bono, de quo eſt deſiderium, quod non poteſt terminari ad bona Dei intrinſeca. Quamuis enim cùm bonum tale eſt, vt deſiderari poſſit quia abeſt, idem ſit obiectum deſiderij bonum captantis, & delectationis eo adepto potientis: Tamen cùm delectatio eſt de bono, quod nunquam abfuit, nec quæri oportuit, nihil eſt neceſſe, deſiderium præire. Poteſt enim immediatè excitari delectatio, de bono quod in amico complacet, & poſſideri ab eo cernitur. Præterquàm quòd facilè poſſumus intelligere, amorem amicitiæ, quo Deo velimus honorem & gloriam, quæ ſunt bona extrinſeca plerunque abſentia; ac proinde quorum aſſecutioni præiuerit deſiderium.

Porro multò magis poſſumus elicere amorem amicitiæ reſpectu perſonæ creatæ, & gaudium de bonis eius, præmiſſo illorum, (ſi abſuerint) deſiderio; nullatenus in nos & commodum noſtrum retorquentes amorem illum. Vt proinde falſum planè ſit, quod aiebat Durandus, omnem delectationem radicari in amore amicitiæ noſtri ipſorum, ſiue in amore concupiſcentiæ ad nos retorto. Sententia igitur Durandi, vndecunque rimas agit; ſtatuendúmque eſt vt certum, bonitatem rei, eſſe obiectum immediatum delectationis.

Alterius ſententiæ improbatio.

125. Quòd verò aſſecutio illius bonitatis, ſit partiale delectationis obiectum, & vnà cum bonitate, integret minùs principaliter, adæquatum terminum delectationis, facilè probatur contra alteram ſententiam propoſitam. Neque enim aſſecutio boni, habet ſe per modum nudæ conditionis, quo pacto ſe habet approximatio ignis ad calefactionem; ſed verè ſe habet per modum obiecti, & cauſæ influentis in effectum, de quo hîc agitur, id eſt, in delectationem. Nam ſine coniunctione, non eſſet in bonitate obiecta, vis ſufficiens ad ingenerandum appetitui hanc vitalem dulcedinem: quia nemo ita afficitur ad illud quod non habet. At quicquid pertinet ad complendam vim actiuam cauſæ, ita vt abſque eo, deforet cauſæ vis in ſuo genere ſufficiens ad cauſandum, eximitur ex ordine conditionum ſine quibus effectus non fieret; habétque veram rationem cauſæ ſaltem partialis. Et idcirco eſt de conceptu definitionis cauſalis, iuxta generalem doctrinam de diſcrimine conditionum ſine quibus non, atque cauſarum; quam tradunt S. Thomas in 4. d. 1. q. 1. art. 4. Gabriel ead. diſtin. q. 1. *litera E* Val. tom. 4. d. 1. q. 13. p. 2. Vaſq. 1. 2. d. 36. n. 20. & d. 33. n. 9. & nos alibi.

Quod in contrarium opponebatur, leue eſt. Quamuis enim ipſa boni coniunctio & perceptio non videatur tam explicitè & tam diſtinctè attingi à gaudente: tamen ſemper attingitur actu, ſaltem implicitè. Nam niſi id fieret, bonum non obiiceretur vt bonum noſtrum, quod eſt de ratione boni ingenerantis delectationem.

Itaque coniunctio boni, quo tanquam noſtro delectamur, & bonum illud, non ſunt duo bona, ſed vnum totale & plenum, vt rectè cenſuit Vaſquez 1. 2. d. 15. n. 13 & Lorca 2. 2. ſ. 2. diſp. 1. n. 7. & Suares d. 1. de ſpe ſ. 1. à n. 3. atque adeo etiam, non ſunt duo appetitus obiecta diuerſa, vel vnum ſolum ſeorſim ab alio; ſed ambo ſimul & indiuiſibiliter accepta. Et ratio ducenda eſt ex connexione neceſſaria, quæ inter bonitatem & eius adeptionem intercedit, reſpectu delectationis in appetitu procreandæ, imò etiam reſpectu intentionis. Sicut enim bonitas abſque adeptione non ſatiat, & viceuerſa adeptio conſiſtere non poteſt abſque bonitate, cuius ſit adeptio: ex duobus autem illis, exiſtit integra & plena appetitus expletio: Ita ambo cenſenda ſunt ad idem totale plenumque obiectum pertinere. Proptereáque eandem indiuiſibiliter appetitionem & fruitionem terminant. Nemo enim vt Durandus ſæpè ingeminat, panem vel vinum expetit, ob nudam panis & vini ſubſtantiam, ſed quia agnoſcit eorum vſurpationem ſibi bonam fore, & iiſdem vſurpatis ſatiatur. *Nemo potum deſiderat.* ait Clemens Alexandr. 7. ſtrom. c. 4. *Sed bibitio potum; ſed nec hæreditatem, verùm eſſe hæredem. Ita autem neque cognitionem, ſed noſſe.* Idem de quocunque alio obiecto eiuſque coniunctione licet ſtatuere.

Definitio delectationis conſummatur. Eiuſdem ad alios affectus comparatio exponitur.

126. Habemus ergo integrè compactam ex genere ſuo & differentia, delectationis naturam. Vnde de eius phyſica entitate & diſtinctione, tum reali, tum ſpecifica, tum ab aliis actibus, cùm externis internis, facilè conſtare poteſt ex dictis ſupra, cùm concluſimus reiectionem falſarum de eius natura ſententiarum. Quæ ſummatim recolens, dico, delectationem in primis ſecerni ab actione ſenſus externi, qua obiectum ſenſibile iucundum, renunciatum fuit: Quæ eſt aperta Ariſtotelis ſententia 10. Eth. cap. 4. ſtatuentis functionem & operationem mentis ac ſenſus, perfici voluptate, tanquam aliquo poſteriori. Et c. 5. expreſsè dicit, voluptatem non eſſe ſenſus; ſupple actionem: licet dicat, aliquos malè confundere voluptatem cum actione ſenſus externi, propterea quòd non ſeparentur: Id eſt, propterea quòd, tactio vel alia ſenſibilis actio, iungatur cum actu appetitus, eámque potentiam mediatè determinet ad ſuauiationem boni. Et certè ſenſus eſt cognoſcere, non amare, vel exoſculari bonum ſenſu perceptum. Itaque perſpicuè, delectatio, etiam corporea, à ſenſatione externa, itémque ab interna ſecernitur. A deſiderio autem ſeiungitur, per obiecti futuritionem; cum delectationis obiectum ſemper ſit præſens, ſaltem conceptu & imaginatione. Item ſecernitur à deſiderio per ordinem ad aſſecutionem, quam prorſus excludit delectatio, cùm ſit de re adepta. Ex quo liquet, hanc delectationis à deſiderio diſtinctionem, eſſe & realem, & ſpecificam. Ab amore item ſimplici, qui vt oſtenſum eſt, poteſt etiam eſſe de re præſenti & adepta, diſtinguitur delectatio, & realiter, & ſpecie, per eam amoris anterioris præſuppoſitionem, quàm ſupra expoſuimus. Eam enim præſuppoſitionem, non includit amor ſimplex.

Non negant autem hanc amoris ſimplicis à delectatione ſeiunctionem, Gregorius in 1. d. 1. q. 3. art. 2. & alij quidam eum ſecuti, qui contendunt delectationem eſſe amorem quendam. Sumunt enim amorem, pro quocunque affectu non auerſatiuo. Qua ratione verum eſt, delectationem, eſſe amorem quendã. etiamſi ab aliis amoribus, deſiderio inquam, & amore ſimplici, differat realiter & ſpecie. Quod vnum concluditur longa diſputatione Ioannis de Celaya 10. Eth. c. 5. q. vnica, impugnantis hac in parte Gregorium, qui reuera in prædicto tantùm ſenſu, aſſerit ſuam ſententiam; vt patebit libranti rationes, quibus vtitur.

Alio

Alio autem ſenſu Gilbertus Crab. 1. Eth. tr. 2. in dubiis circa concluſionem primam, Rubion. in 3. d. 15. q. 2. art. 1. Val. 1. 2. d. 1. q. 4. p. 1. Raguſa 3. p. 2. 1. d. 84. §. 1. *in Cani refutatione*, negant diſtinctionem delectationis, ab actu amoris. Planè enim exiſtimant, nullum eſſe realiter diſtinctum actum, qui ex amore prodeat, dicatúrque delectatio; ſed ſolùm amorem ſufficere ad præſtandum effectum formalem, propter quem ille alius actus excogitatus eſt. Sed nihil proferunt, quod ingenerare poſſit aliquam difficultatem. Quare audiendi non ſunt, cùm diſcrimen reale delectationis ab amore, patentiſſimum ſit ex poſſibili vtriuſque ſeiunctione, quæ plerunque de facto exercetur in iis quorum appetitus ingenti triſtitia præoccupatur. Amando enim, & poſſidendo, non perfunduntur delectatione.

Fruitio quid; & quomodo ad delectationem ſe habeat.

217. Vnus ſupereſt actus, cum quo delectatio à variis variè comparatur: nempe fruitio. Nonnulli enim cenſent, fruitionem, eſſe ipſum amorem. Quod docet Scotus in 1. d. 1. q. 3. & ibid. Gabriel. Fauétque S. Auguſtinus 1. doctr. Chriſt. c. 1. affirmans, nihil aliud eſſe frui re aliqua, quàm ei amore inhærere propter ſeipſam. Alij fruitionem, in notitia boni præuia amori, collocant, vt Soto in 4 d. 49. q. 1. art. 4. Præterea alij fruitionem, & amorem & delectationem complecti docent. Quam ſententiam tradit ex parte S. Bonauent. in 1. d. 1. art. 1. q. 4. Denique Durandus in 1. d. 1. q. 1. n. 7. ait fruitionem, eſſe ſpeciem delectationis, quod non quæcunque delectatio, ſed ea tantùm quæ appetitum quietat, dicatur fruitio.

Mihi in hac controuerſia, quæ non eſt reuera niſi de nomine, magis placet ſententia S. Thomæ 1. 2. q. 11. art. 1. & 3. & ibid. Caietani Conradi, Medinæ, ac cæterorum, quibus viſum eſt, fruitionem, formaliter loquendo, nihil aliud eſſe, quàm delectationem de bono poſſeſſo; iuxta illud D. Auguſtini l. de mor. Eccl. cap. 3. *Quid eſt aliud, quod dicimus frui, quàm præſto habere quod diligis?* Quæ locutio, tametſi cauſalis, (nam delectari, non eſt præſto rem habere, ſed aliquid conſequens ad hoc:) aptè exprimit, fruitionem, non in alio vllo actu ſitam eſſe, quàm in ea appetitus, expanſione ſuper obiectum, quæ poſſeſſioni, & multò magis amori, & notitiæ eiuſdem obiecti, ſubiungitur, quæ eſt ipſiſſima delectationis notio. Eſt igitur fruitio, idem quod delectatio, ſine reſtrictione vlla. Nec approbo Durandum, qui fruitionem arctauit ad delectationem de vltimo fine, quod ſicut is tantùm eſt ſimpliciter vltimus, ita eius tantùm ſit, fruitio ſimpliciter dicta, quæ videtur ſonare quietem in eo, vltra quod nihil præterea ſit expetibile, cuiuſmodi duntaxat eſt ſummum bonum. Nihilominus paſſim rigor ille vſurpationis negligitur & quod eſt in aliqua tota actionum ſerie vltimum, eo ſe frui arbitrantur, ſi illud adipiſci & de eo delectari contingat.

Rectè D. Auguſtinus 11. Ciuit. cap. 25. *Vſus fructu diiudicandus eſt. Nec ignoro, quod propriè, fructus fruentis; vſus verò vtentis ſit: atque hoc intereſſe videatur, quod ea re frui dicimur, quæ nos non ad aliud referenda, per ſeipſam delectat: vti verò ea re, quam propter aliud quærimus. Unde temporalibus magis vtendum eſt, quam fruendum, vt frui mereamur æternis. Non ſicut perverſi, qui frui volunt nummo, vti autem Deo: quoniam non nummum propter Deum impendunt; ſed Deum, propter nummum colunt. Verumtamen eo loquendi modo, quem plus obtinuit conſuetudo; fructibus vtimur, & vſibus fruimur. Nam & fructus iam propriè dicuntur agrorum, quibus vtique omnes temporaliter vtimur.* Sed de his litibus de nomine, plus ſatis, quas vltra modum exaggerant Scholaſtici, in ipſo veſtibulo primi ſententiarum, dum diligentiam ſuam, in ipſo Theologicarum concertationum aditu, recentes & vegeti, in minutiis iſtis teſtatam volunt.

Diuiſiones delectationis.

218. A delectationis natura & entitate, progrediendum eſt ad eius diuiſionem, quam Flaminius Nobil. l. 2. de voluptate, ex Ariſtotele ita inſtituit, vt primùm pro duplicis boni delectabilis perceptione, bimembrem eam faciat, nempe vnam competentem voluntati ſuperiori, cui intellectus prælucet, alteram inferiori appetitui, qui per internum & externum ſenſum dirigitur. Poſteriores voluptates apud Ariſtotelem, dicuntur voluptates corporis: priores autem, dicuntur voluptates animi, in quibus corpus negatur communicare. Non quod dulcedo vitalis, ſenſu prælucente percepta ab appetitu inferiore, non refundatur ſemper ad voluntatem ſuperiorem: ſed quod per ſe primò hæ voluptates cernantur in facultate corporea, nec niſi per ſympathiam & refuſionem, pertingant ad voluntatem. Vtrarumque porro voluptatum, multæ poſſunt ſtatui propagines, pro varietate obiectorum. Quæ cùm non ſit multiplicitas niſi materialis, prætermittenda eſt.

Illa tamen omitti non debet, quæ aliquatenus formalis eſt; nempe qua voluptas corporea, ab eodem Nobilin; ſubdiuiditur in naturalem, & eam quæ exiſtit contra naturam. Quæ diuiſio ab Ariſtotele 1. Rhet. c. 11 datur vno membro auctior Ibi enim proponit, alias eſſe delectationes naturales, alias rationales, alias contra naturam. Verùm rationales, non malè annumerantur naturalibus. Atque ita retinetur diuiſio bimembris, quæ 3. Ethic. c. 11. præcipuè traditur de cupiditate. Facilè tamen accommodatur etiam delectationi, quæ deſiderium, re adepta conſequitur. Ipſéque Ariſtoteles eo loco delectationem adiunctam operi quo propagatur ſpecies, nominat naturalem & communem, ei tribuens quæ de cupiditate dixerat. Et affinis eſt diuiſio voluptatum, tradita à Nemeſio c. 18. libri de homine, in naturales, ac non neceſſarias; & naturales ac neceſſarias; ac neque naturales, neque neceſſarias. Recolantur quæ circa ſimiles cupiditatis partitiones præmiſſa ſunt hac quæſtione art. 3.

Ibi item actum de varietate & infinitate humanæ cupiditatis, quæ æquè locum habent circa voluptatem, iuxta illud præclarè à Lactantio traditum 6 Inſtitut. cap. 20. *Cætera animantes, præter vnam voluptatem, quæ ad generandum pertinet, nullam ſentiunt. Vtuntur ergo ſenſibus ad naturæ ſuæ neceſſitatem. Vident, vt appetant ea, quibus opus eſt, ad vitam tuendam. Audiunt inuicem, ſeque dignoſcunt, vt poſſint congregari. Quæ vtilia ſunt ad victum, aut ex odore inueniunt, aut ex ſapore percipiunt: inutilia reſpuunt, aut recuſant. Edendi ac bibendi officium, ventris plenitudine metiuntur. Homini verò, ſolertiſſimi artificis prouidentia, dedit voluptatem infinitam, & in vitium cadentem: quia propoſuit ei virtutem, quæ cum voluptate ſemper, tanquam cum domeſtico hoſte pugnaret.*

Cauſa

Cauſa delectationis; Ac primùm boni cognitio.

229. Pergo ad cauſas delectationis, quæ ex conſtitutis circa eius naturam, perſpicuæ videntur. Cùm enim delectatio ſit effuſio appetitus in obiectum bonum poſſeſſum, eàque poſſeſſio præſupponat cognitionem & amorem, totidem delectationis cauſæ ſtatuendæ ſunt. Quanquam cognitio habet ſe tantum vt applicatio, & conditio ſine qua non. Sed hoc extra Phyſicam cauſarum delectationis diſcuſſionem, non attenditur. Ideóque paſſim, cognitio boni conuenientis & poſſeſſionis, qua teneatur, recenſetur inter delectationis cauſas atque principia; ita vt Scaliger exercit. 299. n. 2. recenſeat tanquam mutilam, eam voluptatis definitionem, quam ex Fracaſtorio refert. Voluptas (nempe obiectiua,) *eſt res affectibus animæ conueniens.* Contenditque addendum, eſt *res percepta ſiue cognita.* Quod fruſtra tamen videtur addendum, cùm ſatis conſtet affectus non ferri in incognitum; idque non negat Fracaſtorius vt patet ex l. de ſimpath. c. 17. Non eſt tamen neceſſe cognitionem eſſe boni formaliter quatenus conuenientis: ita ſcilicet vt ipſa conuenientia & proportio cum appetitu, attingatur. Sic enim bruta, quæ in proportionem illam ferri non poſſunt, delectatione deſtituerentur: quod falſum eſſe liquet. Itaque ſufficit attingi bonum, eiúſque proportionem, quaſi in actu exercito percipi, quod tum demum fit, cum phantaſia, obiectum, bonum eſſe pronunciat, etiamſi in actu ſignato proportionem eius non exhibeat.

Itémque amor Dei eius variis incenſionibus, delectationem augentibus, vt dilatione boni.

Amor, non is, quem in delectatione includi, Gregorio conceſſimus, ſed alius anterior, & re ab ea diſtinctus ac illis præpoſitus, apertè influit in delectationem: cùm conſtet pleróſque non delectari bonis, quæ cumulatè poſſident, quòd ad ea non afficiantur. Et è contra quæ bona impenſiùs amantur, præſertim ſi dilata expectatio amorem incenderit, auctiorem delectationem ingenerant. Vt propterea Sapiens Prouerb. 13 cùm dixiſſet, *ſpem*, (id eſt, rem concupitam, *quæ differtur, affligere animam*; ſubdat, *deſiderium veniens.* id eſt, rem deſideratam præſertim diu ac vehementer, cum obtinetur, eſſe *lignum vitæ.* Hoc eſt, inexplicabili ſuauitate perfundere appetitum, te ſic amata potientem. Et ibid. c. 17. eodem ſenſu dicitur, *expectationem praſtolantis, eſſe gemmam gratiſſimam.* hoc eſt, rem expectatam, cùm tandem datur eam tenere, accidere pretioſiſſimam ac ſuauiſſimam. Quod Proſper Epigram. 68. ita expreſſit.

Gratior eſt fructus, quem ſpes productior edit:
Vltro obiectorum, vilius eſt pretium.

Vide quæ ex aliis in eandem ſententiam protuli, ſupra num. 195.

Et maiore labore in eo parando.

230. Ex eodem fonte manat quod Ariſtoteles 9. Ethic. c. 7. tradit de maiore amore, ac conſequenter delectatione rerum, in quibus parandis diu ac vehementiùs laborandum fuit: vt idcirco dicat maiore amore liberorum exardeſcere matres. maiorémque de eis delectationem capere; quod operoſior eis fuerit liberorum procreatio. Et vniuerſaliter accedit & creſcit delectatio, pro amoris & difficultatis amorem exacuentis acceſſu & incremento: Eam enim obtinendi difficultas, amorem exacuit, vt ſupra ſuo loco diximus. Amori autem delectatio reſpondet. Idque D. Gregorius homil. 6. in Ezech. de ſcripturarum difficultate, D. autem Auguſtinus lib. contra mendacium c. 10. de Propheticis locutionibus & actionibus diſputans, egregiè notauit. *Quæ propterea*, inquit Auguſtin. *figuratis velut amictibus obteguntur, vt ſenſum piè quærentis exerceant, & ne nuda ac prompta viluſcant. Quamuis quæ aliis locis apertè ac manifeſtè dicta dicimus; cum ea ipſa de abditis eruuntur, in noſtra quodammodo cognitione renouantur & renouata dulceſcunt. Nec inuidentur diſcentibus, quod his modis obſcurantur, ſed commendantur magis, vt quaſi ſubtracta, deſiderentur ardentiùs & inueniantur deſiderata iucundiùs.* Optimè item epiſt. 119. c. 11.

Idem tradit Seneca in ſimili l. 5. de benef. c. 12. verbis illis. *Quid boni eſt, nodos operoſè ſoluere, quos ipſe vt ſolueres, feceris? Sed quemadmodum quædam in delectamentum ac iocum ſic alligantur, vt eorum ſolutio imperito difficilis ſit, quæ ille qui implicuit, ſine vllo negotio ſeparat: quia commiſſuras eorum & moras nouit, & nihilominus illa habent aliquam voluptatem, tentant enim acumen animorum, & intentionem excitant. Ita hæc quæ videntur callida & inſidioſa, ſecuritatem, teporem, ac ſegnitiem, ingeniis auferunt, quibus modò campus in quo vagentur, ſternendus eſt, modò ſcabri aliquid & confrageſi obiiciendum per quod crepant, & ſollicitè veſtigium faciant.*

Vel recuperatione poſt iactura moleſtias.

Hinc etiam eſt quod res deperdita, cùm recuperatur, poſt interpoſitam acerbitatem, longè magis dulceſcit, abſterſo eo mœrore, quàm priùs ſecurè poſſeſſa ſaperet. Pulcherrimè id docet Diuus Auguſt. l. 8. Confeſſ. c. 3. [Quid agitur in anima, cùm amplius delectatur inuentis, aut redditis rebus, quas diligit, quàm ſi eas ſemper habuiſſet? Conteſtantur enim & cætera; & plena ſunt omnia teſtimoniis clamantibus, ita eſt. Triumphat Victor Imperator, & non viciſſet, niſi pugnauiſſet. Et quanto maius periculum fuit in prælio, tanto maius eſt gaudium in triumpho. Iactat tempeſtas nauigantes, minatúrque naufragiũ, omnes futura morte palleſcunt. Tranquillatur cœlum & mare, & exultant nimis, quoniam timuerunt nimis. Æger eſt charus; & vena eius malum renunciat. Omnes qui illum ſaluum cupiunt, ægrotant ſimul animo. Fit ei rectè, & nondum ambulat priſtinis viribus, & fit iam tale gaudium, quale non fuit, cùm antea ſaluus & fortis ambularet. Eáſque ipſas voluptates humanæ vitæ, etiam non inopinatis & præter voluntatem irruentibus, ſed inſtitutis & voluntariis moleſtiis, homines acquirunt. Edendi & bibendi voluptas, nulla eſt; niſi præcedat eſuriendi & ſitiendi moleſtia. Et ebrioſi, quædam ſalſiuſcula comedunt, fiat moleſtus ardor, quem dum extinguit potatio, fit delectatio. Et inſtitutum eſt, vt iam pactæ ſponſæ, non tradantur ſtatim, ne vilem habeat maritus datam, quã non ſuſpirauerit ſponſus dilatam. Hoc in turpi & execranda lætitia; hoc in ea, quæ conceſſa & licita eſt; hoc in ipſa ſynceriſſima honeſtate amicitiæ; hoc in eo,] qui mortuus erat, & reuixit, perierat; & inuentus eſt. *Vbique maius gaudiũ, moleſtia maior præcedat.*

Conſonant planè iſtis, illa apud Nazarium in panegyr. *Nihil eſt immoderatius, quam poſt longam triſtitiam repens gaudium, impetu ſuo feruet nec vt primùm liberum conſtituit defæcatum, ſtatim purum eſt. Nam vt fiſtulæ quum vi diu intercepta ſunt, exitu dato, quo largiores eo craſſiores aquas euomunt: ſic vota hominum metu interclusa, turbidè aliquid egerunt, quum cumulata ruperunt* Idem denique luculenter tradit D. Chryſ. hom. 37. in 1. ad Corinth. *ſub finem moralis.*

Aut

Aut nouitate, & raritate abblandiente.

231. Eodem refert S. Chryſuſtomus homil. 2. ad populum, quod Pſalmo 80. exaratum legimus de Hebræo populo ex petra melle potato. Cùm enim conſtet, ſitienti populo aquam duntaxat ex petra eductam: præ longa tamen ſiti, & amore recuperati potus, factum, vt quæ mera aqua erat, videretur eis mel. Eandem delectationis vbertatem ex pabuli recuperatione poſt longam famem, ferunt verba illa Dei apud Oſeam, *Quaſi vuas in deſerto inueni Iſrael, & quaſi prima poma ficulneæ in cacumine eius, vidi patres eorum.* Quanquam delectatio. ex eſu primorum ficulneæ pomorum, poſſet non malè ad nouitatem referri; quam item notare licet in aliis exemplis propoſitis, conſtátque ad delectationis copiam, & accrementa, conferre plurimùm. Eſt enim nouitas, delectationis parens. Ita vt etiam ipſa voluptas in faſtidium vertatur, ſi nimia & iugis ſit; multò autem dulcior accidat, ſi ſit recens, & ob infrequentiam ac raritatem, noua videatur quoties contingit ea potiri. Hanc Xenophon, commentario de Republica Lacedæmoniorum, cauſam fuiſſe ait, cur Lycurgi lege, mariti vxoribus non conſueſcerent, niſi furtiuè & perrarò. Hoc item ex capite, paſſim reprobantur voluptates, quæ in promptu ſunt, quòd faſtidium ſui ac tædium facilè ingenerent. Ratio non eſt alia quærenda, quàm quòd in prima voluptatis delibatione, & fruitione rei iucundæ, nondum perſpiciantur, nec quaſi attendantur, defectus coniuncti cum ea bonitate, quæ tunc primùm obiicitur. Illis autem vſu & experimento deprehenſis, non modò obtunditur ac hebeſcit acer ille ſenſus voluptatis, qui initio voluntatem mouebat, ſed etiam ſatietas ac faſtidium creatur. Qua de re infra pleniùs.

Aliàs verò conſtat, voluptatem in fine accidere longè maiorem, quia parandi labor omnis, abſterſus eſt vnde mera guſtatur bonitas. Item præconcipitur mox ſecutura boni priuatio, vnde bonum præſens, magis ac ſtudioſiùs ſtringitur. Huc retulerim illud Senecæ epiſt, 12. *Gratiſſima ſunt poma, cùm fugiunt. Pueritia, maximus in exitu decor eſt. Dedito vino, poſtio extrema delectat; illa quæ mergit, quæ ebrietati ſummam manum imponit. Quod in ſe iucundiſſimum, hominis voluptas habet, in finem ſui differt.* Item illud Caſſiodori l, 8. epiſt. 20. *Bonum inſolitum plus amatur, & ſequenti gaudio confert dulcedinem, præmiſſa triſtitia.*

Primaria delectationis cauſa, bonum. Vnde delectationum præcellentia & moralitas æſtimanda.

232. Bonum, eiuſque poſſeſſio, quæ duo vnicum delectationis totale obiectum integrare vidimus, ſunt principalis cauſa delectationis. Quandoquidem illæ aliæ cauſæ, quas propoſuimus, hinc deſumunt efficacitatem ſuam. Et idcirco hinc maximè æſtimantur delectationes, cùm quoad puritatem & excellentiam phyſicam, tum etiam quoad moralem bonitatem & malitiam. Nam cum omni facultati cognoſcenti, reſpondeat in appetitu ſuus guſtus, & ſua voluptas: quo tamen altior eſt facultas cognoſcens; & quo obiectum renunciatum eſt eminentius; eo ſublimior etiam, ac purior eſt delectatio. Sic ſenſuum externorum delectationes, cedunt internis. Et inter voluptates quas ſuppeditant ſenſus, celſior eſt voluptas reſpondens oculis. Omnium deſpicatiſſimæ & abiectiſſimæ ſunt, quæ renunciante iucundum tactu, percipiuntur. Multus in harum delectationum ex ſenſibus externis deriuatione, eſt Lactantius 6. Inſtitut. cap, 20. negans eas cadere in bruta, præter delectationem tactus, quod ab Ariſtotele ſpecialiter dictum eſt de delectatione ex odoribus. Cadere verò affirmat Buridanus latè reiectus à Martino quæſt 4. de Temper. concluſ. 1. At Scaliger exercit. 303. num. 2. κατ' ἐξοχὴν tantùm, valere ait quod dixit Ariſtoteles, qua de re alibi. Delectatio, phantaſiæ negotiationes ſubſequens ſublimior adhuc eſt: Et omnium perfectiſſima, quæ ex virtute & ſcientia hauritur

Proportionale eſt iudicium de delectationum moralitate. Quæ enim voluptates habent honeſtum obiectum, virtuti alicui præfixum, bonæ ſunt, niſi ex circumſtantia aliqua contaminentur. Quod & faciliùs vitatur, & minorem voluptati fœditatem conciliat At voluptates, quæ ex cœnoſo aliquo obiecto petuntur, redolent fontem è quo hauſtæ ſunt; & ipſæ quoque ſunt cœnoſæ, nec vlla circumſtantiæ bonitate, ſatis elui poſſunt, cùm labem ſuam in intimis viſceribus circumferant, ex principali ipſarum cauſa, ſiue ex obiecto, petitam. Multus eſt in hac voluptatum affectione, Philoſophus 7. Ethic. à cap. 11 concludens ex propria ſententia cap. 13. aliquam voluptatem bonam eſſe, imò optimam; quæ ſcilicet ex optimi obiecti conſecutione colligitur: aliquam item eſſe fœdam, & omni ſtudio deuitandam. Talémque frequenter eſſe, quæ ex corporis cura ſumitur, exponit c. 14 quamuis cùm intra fines debitos ſe continet, & ipſa quoque ſit bona.

Quanti ſit, bonum verum, ſuis delectationibus obiicere, nec alias eſſe delectationes veras.

233. Huc ſpectat inſignis diſputatio Senecæ epiſt, 23. docentis quanti ſit, bonum ac debitum obiectum, delectationibus humanis, gaudiòque præfigere, quámque abſit á ratione veri gaudij, quod ex aliis cauſis capitur [Fundamentum, *inquit*, bonæ mentis quod ſit, quæris? Ne gaudeas vanis. Fundamentum hoc eſſe dixi etiam culmen eſt. Ad ſumma peruenit, qui ſcit, quo gaudeat: qui felicitatem ſuam in aliena poteſtate non poſuit, Sollicitus eſt, & incertus ſui, quem ſpes aliqua proritat: licèt ad manum ſit, licèt non ex difficili petatur, licèt illum nunquam ſperata deceperint. Hoc ante omnia fac, mi Lucili, diſce gaudere. Exiſtimas, me nunc detrahere tibi multas voluptates, qui fortuita ſubmoueo, qui ſpes, dulciſſima oblectamenta, deuitandas exiſtimo. Immo contra, nolo tibi vnquam deeſſe lætitiam. Volo illam tibi domi naſci. Naſcitur, ſi modò intra teipſum ſit. Cæteræ hilaritates, non implent pectus, ſed frontem remittunt, leues ſunt. Niſi fortè tu, iudicas illum gaudere, qui ridet Animus debet eſſe alacer & fidens, & ſuper omnia erectus. Mihi crede, res ſeuera eſt verum gaudium. An tu exiſtimas, quemquam ſoluto vultu, & vt iſti delicati loquuntur hilari oculo, mortem contemnere? paupertati domum aperire? voluptates tenere ſub fræno? meditari dolorum patientia? Hæc qui apud ſe verſat, in magno gaudio eſt, ſed parum blando. In huius gaudij poſſeſſione, eſſe te volo. Nunquam deficiet, cùm ſemel vnde petatur inueneris. Leuium metallorum fructus in ſummo eſt: illa opulentiſſima ſunt, quorum in alto latet vena, aſſiduè pleniùs reſponſura fodienti: Hæc quibus delectatur vulgus, tenuem habent ac perfuſoriam voluptatem, & quodcunque inuectitium gaudium eſt, fundamento caret. Hoc de quo loquor, ad quod te conor perducere, ſolidum eſt, & quod plus pateat introrſùs.]

Qui

Qui ad delectationem accommodati.

234. Ex cauſis delectationis & gaudij, liquere poteſt, quinam, naturæ quadam pronitate, ſint delectabundi & lætabundi. Aio igitur cum Fracaſtorio l. de ſympath c. 18. quia cauſæ gaudij propoſitæ, facilè concurrunt in eos qui bene ſani ſunt, & multo abundant ſanguine, eóque dulci ac leni, non acri, bilioſo, aut melancholico: idcirco iſtos ad lætitiam factos videri, omnia ferè vt læta recipere, eſſéque ad ſocietates, luſus, & cantus, ac ſpectacula, & omne hilaritatis genus propenſos: feréque tales eſſe, iuuenes ac bene valentes & ſecuros. Metus enim, præſertim paulo vehementior, & obiecti grauioris magéque ſerij, quàm ſit illud de quo eſt lætitia, facilè lætitiam præpedit, quam proinde ſecuritas animíque ſolutio iuuant & promouent. Vt & externæ à tempore, & à loco, amœnitates. Nemo enim maiorem non experitur lætitiæ facilitatem, cæteris paribus, vere, quum omnia rident, quàm hyeme; & in locis temperatis & amœnis, quàm inter teſqua & niualia.

Varia tamen variis, pro ratione Temperamenti vel aſſuetudinis, delectationem inferunt: ita vt vniuersè valeat quod de cibis, & aliis obiectis ſenſibilibus, dictum in hac parte eſt à Lucretio l. 6.

Barbigeras oleaſter eo iuuat vſque capellas,
Diffluat ambroſia, quaſi vero & nectare tinctus.
At nihil eſt homini quod amarius fronde hac extet.
Denique amaracinum fugitat ſus, & timet omne
Vnguentum. nam ſetigeris ſubus acre venenum eſt;
Quod nos interdum tanquam recreare videtur.
At contra nobis cœnum teterrima cum ſit
Spurcities, eadem ſubus hæc iucunda videtur.
Inſatiabiliter toti vt voluantur ibidem.

Effectus delectationis, quoduis opus animale atque morale.

235. Delectationis effectus, omnino inſignes ſunt, vt vel ex eo patet, quòd naturæ author; quarundam operationum pernecеſſariarum perpetuitati conſultum volens, eis delectationem adiunxit quaſi condimentum, quo pellecti mortales, auidiùs ferrentur in huiuſmodi opera, vt Seneca rectè aduertit epiſt. 116. *ſub initium.* Idem cernitur in omnibus propè operationibus, vt liceat profectò fateri, hanc eſſe eſcam, quam omnes captant, & ſine cuius obiectu, aut ſpe, omnia torperent. *Omnes & beſtiæ & homines*, ait Ariſtoteles 7. Ethic. cap. 13. *voluptatem ſequuntur. Id, ipſam eſſe quodam modo optimum, indicat.*

Non prorſus fama illa perit: quam multa per orbem
Turba hominum celebrat.

Sed quia neque eadem natura; neque idem habitus optimus aut eſt, aut videtur; neque voluptatem eandem omnes, voluptatem tamen omnes ſequuntur. Fortaſſè etiam non eam ſequuntur, quam putant, neque quam dicerent, ſed eandem. Omnia enim natura diuinum quid habent. Vt ſcilicet, quemadmodum omnes ſtillicidium aliquod ſumus immenſæ illius & infinitæ naturæ, quæ ſumma & eſſentiali & immutabili voluptate ſemper colliqueſcit. (De quo egregiè idem Philoſophus eod. l. c. 14. *in fine:*) ita omnes, naturæ inſtinctu, feramur ad captandam voluptatem, & voluntatis quietem ac exſatiationem, qua beatiſſimæ illi naturæ efficiamur conformes, pro noſtro modulo.

Reliqua quæ ſequuntur homines, ait Maxim. Tyrius diſſert. 33. num. 190. *aut artis experientia, aut rationis approbauit induſtria, aut longi iudicium temporis conciliauit nobis. Voluptas nec ratione eget, & arte eſt antiquior, & experientiam præuenit, nec tempus expectat. Vt ineffabilis quidam eius amor, unà cum corporibus nobis innatus ſit, qui quaſi fundamentum aliquod animalium ſubiicitur ſaluti: quod ſi quis tollat, ſtatim id quod natum eſt, euaneſcere ſit neceſſe. Scientiam enim, rationémque, & id quod ab omnibus intellectus dicitur, progreſſu temporis, paulatim congredientibus, cum rebus ipſis ſenſibus, longa experientia colligit homo, conſeruátque. Voluptatem ſponte ſtatim à natura ipſa, imo cum ipſa ſtatim vita accipit. Hanc amplectitur, odítque quicquid dolorem affert. Ab hac ſeruatur, ab illa corrumpitur.* Et infra num. 91. egregiè confirmans eum quem dixi honeſtæ cuiuſuis actionis exortum ex voluptate. *Hoc tantùm dico, ſi quis virtuti voluptatem demat, eum vim eius præcidere. Nullum enim, ſi voluptas abſit, petitur honeſtum. Nam qui laborem ex virtutis ſubit præſcripto, amore voluptatis, aut præſentis id facit, aut futuræ. Sicut enim in re quæſtuaria nemo ſciens talentum cum drachma permutat, nec cum argento aurum,*

——— Niſi cui mentem eripit omnem
Iupiter —

Sed in permutatione, quamuis æqualis ſit, permutantis ſpectatur commodum, prout vſus accipientis flagitat: Sic omnino in ſubeundis nemo laboribus, laborum cauſa laborem ſubit: (infeliciſſimum enim hoc votum eſſet: Præſentes verò labores cum pulchra, vt ex agreſtioribus dicat aliquis; vt verò illi qui veriùs iudicant, cum voluptate commutet. Pulchrum enim quamuis dicas, voluptatem nominas. Niſi fortè aliquid pulchrum ſit, cui non adſit voluptas.

236. Egregiè item Philo lib. de agricult. ſub initium. [Vulgus hominum, obeundo varios tractus vſque ad extrema terræ, mare quoque traiiciendo, & ſinus eius penetrando, nullámque huius vniuerſitatis partem imperſcrutatam relinquendo, ſemper & vbique iſta colligit, quæ ad cumulandam voluptatem faciunt. Nam ſicut piſcatores retia demittunt interdum longiſſima, in medio complexi magnum maris ſpatium, vt quàmplurimos piſces incluſos, ac velut obſidione cinctos capiant: Eodem modo maxima pars hominum, non in ſinum aliquem maris, ſed in totam aquæ, terræ, aëriſque naturam, omnicapientia, vt Poëtæ loquuntur, lina extendens, omnia vbique ad voluptatis vſum inuncat, & attrahit. Etenim terræ metalla perquirunt, vaſta maria traiiciunt, omnia belli paciſque exercent negotia, materiam copioſam, ceu reginæ, voluptati parantes.]

Et in Coſmop. ait, hinc extitiſſe tot & tanta voluptatis encomia apud varios, in quem ſenſum allegoricè exponit, quod ſcriptum eſt de humanæ vocis formatione per ſerpentem. [Vocem, *inquit*, humanam ſerpens emiſiſſe dicitur; quia plurimos ſui ſtudioſos propugnatoréſque voluptas habet, qui defenſione huius ſuſcepta, nouam audent afferre doctrinam, tribuentes ei potentiam in rebus omnibus, magnis ac paruis, abſque vlla exceptione. Quando & primi maris fœmineque congreſſus ſequeſtram habent voluptatem; & genituræ, abſque hac non perficiuntur. Tum quæ genita ſunt, nulliùs priùs conſuetudinem affectant, quàm huius, quippe gaudentia voluptate; contrarium verò huic dolorem ægrè ferentia. Quapropter plorat infans recens editus. Nimirum dolens propter frigus: Nam è calidiſſimo loco vuluæ in quo longo tempore habitauerit, progreſſus repentè in aërem frigidum, & inaſſuetum ſibi.

velut

velut ictus eo ſentit, doloris ac vexationis manifeſtiſſimum fletu præbens indicium. Feſtinat enim, vt aiunt, ad voluptatem, tanquam ad maximè neceſſarium, & cuncta complectentem finem, omne animal, præcipuè homo. Nam reliqua, per ſolum guſtum, & genitalia, frui hac expetunt, homo per alios quoque ſenſus, quicquid ſpectatu auditúque delectare poteſt, conſectans auribus atque oculis. Quin & alia dicuntur in laudem huius affectus plurima, & quòd ſit animalibus familiariſſimus atque cognatiſſimus.

Itémque per paſſiones qualibet, admiſſa.

Nec actiones duntaxat quaſcunque alicuius momenti, cum morales, tum animales; ſed etiam voluntarias quorumuis incommodorum perpeſſiones, eſſe voluptatis captatæ, docet pulcherrimè in hunc modum Tyrius diſſert. 33. n. 192. [Voluptatis cauſa morbum aliquis, & vulnera, & labores, & ſexcenta ſubit alia. Quamuis enim alias alij cauſas aſcribas, vt Achilli cùm vindicandi cauſa Patrocli, lubens moritur, amicitiam: Agamemnoni vigilanti ante reliquos, ac deliberanti, curam regni: Hectori exercitum ducenti, primáque in acie exultanti, ſtrenoéque rem gerenti, patriæ ſalutem: nihil adhuc aliud, quàm voluptatis attuliſti nomina. Nam vt in corporum morbis, ſecari non recuſat æger, aut vri; ſitim etiam perferre faméinque, & quicquid naturâ ingratum eſt, vt pro his poſtea ſomno ſuo frui poſſit; Quòd ſi ſpem futuri tollas boni, etiam præſentium tolles malorum patientiam: Ita in actionibus noſtris, laborum cum voluptatibus viciſſitudo intercedit, & permutatio. Quam tu quidem virtutem dicis, ego verò vt virtutem non tollo, ita vnum hoc ex te quæram. Vtrum ſine amore vllo virtutem perſequatur animus. Hunc enim amorem ſi das, voluptatem dediſti. Licet enim nomen permutes, nec voluptatem voces, ſed gaudium; diuerſa admitto nomina, rem tamen ipſam video, voluptatem agnoſco.]

Delectationum remedia intrinſeca.

237. Remedia delectationum, latè propono cùm de Temperantia, quæ tota in delectationum moderatione occupatur. Et de corporalibus quidem delectationibus, ago cùm de abſtinentia & caſtitate. De reliquis autem, reliqua tractatione de ea virtute. Itaque non eſt quòd hac in parte ſim fuſior. Tametſi vniuerſalia quædam remedia, in omnes æquè voluptates immoderatas cadentia, cum intrinſeca; hoc eſt, ſita in expenſione quarundam illuſtrium veritatum; tum extrinſeca; ſiue dicentia ordinem ad aliquid extrinſecum, hîc attigiſſe, inutile non erit, præter ea quæ in voluptatis deprecationem intentus, ſuggeſſi, tractans ſitne in voluptate felicitas. Plurima huiuſmodi exhibet Maximus Tyrius diſſert. 31. & 32.

Noſtrates omnes delectationes fæculenta, turbidæ, dolori commixta.

Potentiſſimum eſt quod num. 184. petit ex imperfectione quarumuis voluptatum creatarum, earúmque perpetua cum dolore mixtura, & ſumma inſtabilitate. Vt enim oſtendat quorſum voluptati affigendum animum neget, eámque voluptatem eſſe abiiciendam, quæ nimia eſt, & fines à virtute poſitos tranſgreditur, conteſtatur ſe ad voluptatis caſtra defecturum, deſerta virtute, ſi voluptas defæcata exhibeatur. [Virtutem negligam libenter, hac lege dico, vt voluptatem mihi ſolidam oſtendas, nullis vitiatam doloribus, quam nulla excipiat pœnitentia, voluptatem laude dignam. Quomodo autem oſtendas? Non magis certè quàm dolorem. Nihil enim horum omni ex parte ſolidum, penitúſque ſanum, natura hominibus conceſſit. Vbique enim voluptati mœror adhæret, alterúmque extemplo, imbutum eſt altero. Vt neceſſe ſit, alterum ſi eligas, alterum quoque extemplo contingat tibi. Hæc enim quaſi natura ſunt congenita: ita alterum alteri ſuperuenit, reciprocóſque mutant ortus, vt nunc hoc adſit nunc illud. His refluxibus cùm turbetur animus, quænam ſpes vt doloris aliquando expers agat, relinquitur? præſertim cum iis, quibus aliquando carendum eſt, fruatur bonis.]

Mixturam hanc cuiuſuis voluptatis cum dolore, quam Tyrius attigit, pulcherrimè confirmat S. Baſilius hom. de Paradiſo occaſione accepta, ex ſpinis, roſæ venuſtatem conueſtientibus. *Roſa*, inquit, *hic ſpinis eſt coniuncta; externa gratia moleſtiam obtegens, & tantùm non aperta nos voce conteſtans ac dicens: Quæ iucunda ſunt vobis, ô homines, triſtibus permixta ſunt. Nam vere in humanis bonis ita comparatum eſt, vt nullum eorum ſyncerum ſit, ſed confeſtim lætitia & hilaritati conglutinetur mœſtitia: coniugio, viduitas; puerorum educationi, cura & ſollicitudo; fœcunditati, aborſus; vitæ ſplendori, ignominia; proſperis ſucceſſibus, diſpendia, deliciis, ſatietas; ſanitati, infirmitas. Florida quidem eſt roſa, ſed mihi triſtitiam infligit. Nam quotieſcunque florem hunc videro, peccati mei admoneor, propter quod terra, vt ſpinas ac tribulos proferret, condemnata eſt.* Hoc poſtremum dixiſſe videtur conformiter ad illam ſuam opinionem, quod roſa in primæua ſua productione, ſpinis careret; ſempérque caritura fuiſſet, ſi homo vitæ integer, purúſque ſceleris perſtitiſſet.

Nullius ætatis delectationes, ſyncera.

238. Ex his principiis; in nulla ætate, verum ac purum voluptatis ſenſum homini accidere colligit Iſidorus Peluſ. l. 1. epiſt. 163. verbis illis [Vmbra, & inſomnium, & fumus, & quiduis eorum, quæ quàm ocyſſimè auolant, hominum vita meritò appellata eſt. Ac propterea ne ipſi quidem addictum animum habere oportet, nec delicias, delicias exiſtimare. Maiorem quippe partem ita habet, vt earum ſenſu careat. Etenim prima ætas, ingenti amentia refferta eſt. Ea item, quæ ad ſenectutem tendit, omnem eum, qui nobis ineſt, ſenſum debilitat, & extinguit. Atque exiguum quiddam interiectum eſt, quod deliciis & voluptate, cum ſenſu frui queat. Imò ne hoc quidem purè ac liquidè ipſius particeps eſt: quippe quam infinitæ curæ, ac labores, & moleſtiæ labefactent. Atque etiamſi & purè ac ſyncerè, (quod fieri non poteſt,) frueretur: Tamen id quod medium eſt, extrema ſuperare minimè deberet, verùm ab vtroque ſuperari. Cùm autem media vitæ pars innumeris tempeſtatibus, & curis, & periculis, & inſidiis, & laboribus, aliiſque quæ nunc prætermitto, perturbetur; vbinam tandem delicias, & voluptates mihi demonſtraturus ſis, velim exponas.]

Alia delectationum vitia; faſtidium ex vſu.

Sed ſuppetunt præterea alia, quibus voluptatis creatæ vitium & inanitatem deprehendere vel cæco liceat; & iure hominem, voluptatis cuiuſuis expertem affirmare; nempe ſyncetæ & non turbidæ. Quid enim quod non modò incurſu contrarij obiecti dolorem inferentis, vel abſumptione cauſæ conciliantis voluptatem, aut admiſtione moleſtiæ, ſed etiam ipſo ſui vſu, faſtidium ingenerat, ſibique ipſa perniciem creat voluptas quæcunque humana? Pulcherrimè idem Tyrius diſſert. 35. num. 204. *Satis*

voluptatem bibendi commendas homini; fames voluptatem edendi commendas homini, nox oculis deſiderium commendas ſolis. Optas homo noctem poſt ſolem, famem cùm ſatur eſt, ſitim cùm ebrius fuit. Quòd ſi demas hanc viciſſitudinem, voluptas quæ fuerat, fit dolor. Ratio eſſe videtur, finitas bonorum quorumcunque creatorum, & infinita capacitas appetitus humani. Homo enim irruit in bonum, exſatiationem ſuam inde quatenus quam aliqua eiuſdem fruitione non aſſecutus, faſtidit bonum, in quo præceps ruerat, cupítque viciſſitudinem, ſi forte in bono ſuccedente, pleniorem voluntatis refectionem nanciſcatur, quàm in eo, quo hactenus potitus eſt. Quò accedit vertibilitas arbitrij, nunc in bona corporis, nunc in animæ bona, quæ diuerſa ſunt & inuicem pugnantia, propendentis.

239. Egregiè de hac re Philoſophus 7. Eth in ipſo fine. *Nulla res eſt, quæ eadem ſemper ſuauis ſit, quia ſimplex natura noſtra minimè eſt, ſed inſitum diuerſum etiam habet, quo eſt corruptibilis, vt ſi alterum quid agat id alteri natura ſit præter naturam. Cùm verò adæquantur, neque moleſtum neque iucundum, id quod agitur eſſe videatur. Nam ſi alicuius natura ſimplex ſit, ei ſemper eadem actio erit iucundiſſima. A quo idcirco Deus ſemper vna ac ſimplici gaudet voluptate. Neque enim motionis tantùm ſed immobilitatis etiam operatio eſt magiſque in quiete, quàm in motu voluptas conſiſtit. At vero mutatio, omnium rei ſuauiſſima eſt, vt Poeta inquit, ob prauitatem quandam. Sicut enim homo prauus mutabilis eſt: ita etiam natura quæ mutatione indiget. Non enim ſimplex, neque proba.*

Similiter Caſſiodorus l. 7. epiſt. 36. *Nemo dubitat, homines ſua varietate recreari: quia in continuatione rerum, magnum mentibus conſtat eſſe faſtidium. Dulce de mellis, ſi aſſiduè ſumatur, horreſcit. Serena ipſa, quamuis magnoperè deſiderentur, iugiter adepta, ſordeſcunt. Non immeritò; quia cùm ſit homo commutabilis, natura ſua deſiderat habere qualitates.*

Perniciſſima fugacitas.

Accedit fugacitas delectationum quarumcunque humanarum. *Vbi ſunt deliciæ veſtræ*, ait D. Auguſtinus ſerm. 33. de verb. Apoſt. *propter quas ambulatis per vias prauas? Non dicimus, vbi erunt; cùm hæc vita tranſierit ſed modo vbi ſunt? Cum heſternum diem hodiernus abſtulerit, & hodiernum craſtinus ablaturus ſit quid eorum, quæ diligitis, non tranſcurrit & tranſuolat? Quid non fugit ponè antequam capitur, cùm ex ipſo hodierno die, nulla poſſit vel hora retineri? Ita enim ſecunda excluditur à tertia, ſicut prima excluſa eſt à ſecunda. Ipſius hora vnius, quæ præſens videtur, nihil eſt præſens. Omnes enim partes eius, & omnia momenta fugatiua ſunt. Propter quid peccas homo, ſi non conatur? Cùm peccat, vel cùm peccares, attendat; poteras videre, quia voluptas tranſitura ſine prudentia deſideratur, vel cum tranſierit, cùm pœnitentia cogitatur.*

Tyrius egregiè diſſert. 31. n. 185. *Vita hominis voluptati dediti, mobilis, meticuloſa, infida, omnique eſt ſalo incertior. Nonne procos vides quantis ſe oblectent voluptatibus pingues capras vt comedant, molliculos hœdos vt deuorent, tibias audiant vinum miſceant. diſco ludant, tragulas emittant? Quis non hanc illis voluptatem inuidiſſet? Adeſt tamen vates optimus, futuri non ignarus, qui dicit illis.*

O miſeri, quæ vos cingunt mala! veſtra tenebræ.
Inuoluunt capita.

Inſtabat miſeria eorum, aderat malum. Sicut & Alexandro inſtabat, cùm magnam illam è Peloponneſo furtim aduexiſſet voluptatem. Statim in eum Græcorum inſtructa claſſis venit, quæ ſexcenta magno illi voluptatis amatori, ſexcenta toti orbi aduexit mala. Voluptates Aſſyrias omitto, quas ſtatim cum ipſo auro, cum ipſis meretricibus, ignis inuaſit. Nec Ionicas Polycratis dico, quas ne honeſta quidem mors, ſecuta eſt. Plena voluptatibus Sybaris erat, ſed cum cultoribus ſui interierunt voluptates. Etiam apud Syracuſanos fuerunt, ſed calamitatibus admoniti, ad frugem redierunt. Sed nec apud Corinthios diu permanſerunt. Delirauit verò Epicurus apud Senecam 3. de benef. c. 4. cùm voluptatem iam dilapſam, (quippe inter tuta ſepoſitam & certiſſimam,) haberi inter voluptates voluit. Nam ex quo effluxit, nulla eſt. niſi quatenus cogitatione recoli poteſt.

Aculeus abeuntium.

240. Abeuntes porro voluptates, aculeum infixum relinquunt, cuius infixione, omnis delectationis anteactæ ſenſus extinguitur. Nec extinguitur modò, ſed auctiore doloris ſenſu excipitur. Ideóque Ariſtoteles, vt eſt apud Valerium Max. l. 7. c. 2. mouebat, voluptates conſiderandas eſſe, non aduentantes, & fallaci ſpecie ineſcantes animum, ſed vt abeuntes Quod paulò pluribus, eodem tamen ſenſu, dixit Epictetus cap. 56. Enchiridij. *Si voluptatis*, inquit, *alicuius imaginem animo conceperit, moderare tibi, ne ab ea mouearis. Sed & rem examina, & tibi ipſe deliberandi præbe ſpatium. Deinde vtriuſque temporis memento, tum eius, quo voluptate perfrueris, tum eius quo præcepta iam voluptate dolebis, téque ipſe obiurgabis, atque bis illa confer. Si abſtinueris fore vt gaudeas, ſéque ipſe collaudes. Quod ſi tibi ſuſpicienda rei videbitur eſſe tempus, caue te vincant eius blanditiæ & ſuauitates, & illecebræ: ſed illud oppone, quanto præſtantior ſit talis victoriæ conſcientia.* Eadem Cato apud Gellium l. 16. c. 1. & Hierocles ad v. Pythagoræ 30. & Dio orat. 3. de regno. In quem locum Federicus Morellus ex Muſonio Chryſoſtomo, & Eucherio, hom. 3. de Paſch. id illuſtrat.

Solæ proborum delectationes viuidæ, & abſque aculeo.

Ex his capitibus, proborum voluptates longè eſſe & puriores & auctiores, confirmat Pleto Gemiſtus, Philoſophus Platonicus, l. de virtutibus in hæc verba. [Iam verò, ne illud quidem ignorandum eſt. quod modeſtis & generoſis viris accidit, quaſi præter vitæ inſtitutum. Etenim ſi quis rem rectè conſideret, nec modeſtiorum vita pauciores habet voluptates; quàm eorum qui modeſti non ſunt, nec generoſi, ab iis qui ſunt degeneres in laboribus ſuperantur. Nam & voluptatum ea ferè natura eſſe videtur, vt eos, qui labores fugiunt, ipſas verò amant eaúmque amore attoniti ſunt, magis deſerant, atque efficiant, vt propter ſatietatem & conſuetudinem, minus earum ſenſus percipiatur. Sed in his aſſequendis, viribus plerunque celeriter deſtituantur, ac corpora ſimul etiam ferè labefactentur. Modeſtis autem & generoſis, quoniam eas voluptates amplectuntur, quæ ad vitam neceſſariæ ſunt, tum maiore vigore occurrunt. tum citra noxam quoque. At laborum quidem ea videtur eſſe natura, vt in eos vehementer incumbant, qui illos auerſantur, & voluptates proſequuntur. Eos autem qui labores nequaquam curant, & in eis perdurant, magis fugiant, cùm ob conſuetudinem, eorum ſenſum non ferè percipiant: & ſimul etiam robuſtiora habeant corpora, eo quod multos labores ſuſtinuerunt.

241. Attexo etiam partem grauiſſimæ diſputationis,

tionis, quam Socrates apud Xenophontem lib. 4. de dictis eius ac factis, ſub incontinentiæ voce, omnem in quibuſuis voluptatibus captandis intemperantiam, optimè exagitat, ingentia earum damna primùm exhibens, præſertimque ſeruitutem peſſimam qua opprimunt incontinentem; ſapientiæ depulſionem quam inferunt; abductionem hominis ad quælibet nociua & humanæ naturæ repugnantia. Quibus egregiè perpenſis, hoc etiam addit, rei in qua verſamur, accommodatum, confirmans quàm caſſa ſint ſtudia voluptates captantium, conculcata virtute, quam vnam aſſectatur vera delectatio. [Illud autem ô Euthydeme, conſideraſti ne vnquam? Quidnam? inquit. Quoniam ait, & ad voluptates, ad quas ſola homines videtur ducere continentia verò maiores efficit voluptates incontinentia, ipſa quidem non poteſt perducere. Quid ita? inquit. Qnemadmodum, inquit, incontinentia non famem, non ſitum aduentare permittens, neque veneris deſiderium, neque vigilias, per quæ ſola voluptuosè edere, bibere, venere vti, quieſcere atque dormire poſſit, prohibet neceſſariis & continuis voluptatibus perfrui: ſic contra cum ſola continentia deſiderari iſta faciat, ſola etiam perfrui rectè voluptatibus facit Vera profectò narras, inquit. Atqui, ait, diſcere quæ honeſta & bona ſunt, inuue ſtudiis rerum earum verſari, per quæ ſuum quiſque corpus benè regat, & ſuam domum bene gubernet, amiciſque atque patriæ fiat vtilis, & inimicos ſuperet. A quibus non ſolum vtilitates, ſed & voluptates quoque maximè capiantur; his omnibus continentes perfruuntur, cum quæ diximus faciant: incontinentes verò; in nullo participant. Cui nanque minùs hæc dicemus conuenire quam illi cui minimè licet hæc agere, dum propinquis teneatur voluptatibus?] Hac ipſa ratione S. Auguſt. in fragmento ſermonis de illo Apoſtoli dicto, quo fornicator dicitur in corpus ſuum peccare, declarat miſerrimam incontinentis ſeruitutē, demonſtrans, animi defoſſione in carnem, effici vt ineuitabiliter affigatur turpitudini, ne poſſit interim de alio quantumuis bono aut neceſſario opere cogitare.

Hinc verò Euthydemus ſummam in incontinente ſterilitatem honeſti infert; ex qua Socrates non dubitat, eundem hominem albo expunctum, aggregare pecudibus. Non patior, tam boni dati particulam, præterire lectorem. *Atqui Euthydemus Videris mihi, ô Socrates, dicere, homini voluptatibus ſeruienti, nullam vnquam virtutem conuenire. Quid enim intereſt, ait; ô Euthydeme, inter hominem incontinentem & belluam? Nam quicunque ea quæ optima non ſint cogitat, voluptuoſa verò omnibus quærit modis exequi; quid à pecudibus differt?* Alia in hanc rem benè multa diſputantur apud Flaminium Nobilium l. 1. de vera & falſa voluptate in priore parte libri. & ibid. l. 2. ſub finem, & apud Guliel. Par. tract. de virtut. cap. 21. Ac inſigniter ſanè apud Cardinalem Sadoletum lib. de Philoſophiæ laudibus, *poſt medium*, qui eſt poſterior duorum eius de Philoſophia librorum.

Sola item ſyncera, iuges, homine digna.

242. Quare ſi aliqua eſt in rebus creatis delectatio, quæ eo ſit digna nomine, fruſtra extra virtutem quæritur. Quæ vna eſt ſolidæ & ſyncerae voluptatis in humanis rebus origo. Inſigniter Nemeſius l. de homine c. 18. [Simpliciter honeſtæ eſſe voluptates putandæ ſunt, quæ non ſunt implicatæ dolori, neque pœnitendi cauſam afferunt; neque alio vllo detrimento afficiunt eos, qui perfruuntur; neque vltra modum progrediuntur; neque nos multùm à grauioribus negotiis abſtrahunt, aut ſibi ſeruire cogunt. Propriæ voluptates ſunt, quæ inſunt quodammodò, aut annexæ ſunt cognitioni diuini numinis, & ſcientiis & virtutibus. Hæc in iis ducere debemus, quæ primario loco ſunt expetenda. Quæ non vt ſimus ſimpliciter, neque vt genus perduret, ſed vt benè nobis ſit, & viri boni, Deóque grati ſimus, vim habent. Et ad perficiendum hominis animum, & intelligentiam, conferunt. Nam neque affectionibus medentur vt quæ naturæ deſideria ſatiant, neque omnino ægritudinem, aut antegreſſam, aut inſequentem, aut contrariam habent; ſed puræ ſunt, & ab omni concretione materiæ liberæ, propterea quòd in ſolo animo ponuntur. Etenim, vt Platonis ſententia eſt, voluptates partim ſunt falſæ, partim veræ: Falſæ quæ cum ſenſu & opinione non veræ ſunt, & dolores habent implicatos. Veræ quæ ſolius ſunt animi ipſius per ſe, cum ſcientia & mente & prudentia; liquidæ & ab omni dolore ſeiunctæ, quæque nullam pœnitendi cauſam relinquunt. Has voluptates, quæ ex contemplatione rerum & honeſtis actionibus manant, non communi nomine ἡδονὴ, ſed χαρὰν appellant, etſi vtrumque à patiendo nomen ductum eſt. Nonnulli autem ſunt, qui propriè eiuſmodi voluptatem, gaudium nuncupent.

Hierocles autem ad v. Pythagoræ 30. [Qui eſt virtute præditus, fructum accipit à voluptatibus, quæ nullam pœnitentiam inferant, quæque ipſas virtutes imitantur. Naturaliter enim omnis voluptas ab aliquo actu dependet, non ipſa per ſe ſubſiſtit: ſed adiuncta eſt rebus, quæ nobis aut hoc faciunt, aut illud. Itaque viles & vitioſos actus, malæ ſequuntur voluptates: meliores verò, virtutes imitantur. Vnde qui virtute præditi ſunt, non ſolùm bonitate malos ſuperant, ſed etiam ipſa voluptate, propter quam ſolam videtur vitioſus ad malitiam ſubduci. Nam quanto affectus vnus, alio affectu melior eſt; tanto magis vnam voluptatem quàm aliam eligere deberemus. Quum igitur vita, quæ cum virtute ducitur, vt Deo ſimilis fiat, ſtudet; certè diuina illa, non quæ vitiis ferina & impia ſequitur. Manifeſtum eſt enim, quòd virtuoſi & boni hominis voluptates, Deorum lætitiam imitantur intellectui adiunctæ & Deo. Vitioſi verò & mali hominis voluptas, ſcit hoc commune verbum; *Vt temeraria fera mouetur.*

Et infra: Dulciſſima vita ea certè ſola, quæ à virtute voluptatem acquirit. hîc enim ſimul concurrunt & bonum & voluptas. Si igitur bonum cupimus, cupimus & dulce, quod vitam ſuauiſſimam appellat. Qui verò voluptatem cum turpitudine eligit, quamuis parumper ob illud dulce lætetur: tamen propter turpitudinem, ad moleſtam pœnitentiam venit. At ille qui virtutem laboribus maximam aliis rebus præponit, quamuis propter inconſuetudinem aliquantulum patiatur; tamen coniunctio boni diminuit laborem, & tandem à virtute, puram ſynceramque voluptatem colligit. Si autem quis cum voluptate turpe aliquid faciat, voluptas diſcedit, turpitudo manet. Ex quibus facilè apparet, vitioſam hominum vitam, moleſtiis ex neceſſitate plenam eſſe, & doloribus; virtuoſam verò ſuauitatibus & dulcedine.]

243. Ad hanc ſynceram ſolámque homine dignam voluptatem captandam, ac eius ſtudio, excludendam eam quæ immoderata & noxia eſt, hortatur ſæpè Seneca. Pulchrè ep. 124. in fine. *Quod in te bonum eſt perfecta ratio. Hanc tu ad ſummum finem euoca, in quantum poteſt plurimum creſcere. Tunc beatum eſſe te iudica, cùm tibi ex te gaudium omne naſcetur. Cùm in his quæ homines eripiunt, optant, cuſtodiunt, nihil inueneris, non dico, quod malis, ſed quod velis. Breuem tibi formulam dabo, qua te metiaris, qua perfectum eſſe iam ſentias Bonum tunc habebis tuum, cùm intelliges, infeliciſſimos eſſe felices.* Atque adeo cum gaudium

ex vero ſuo fonte hauſeris ; nec ex corrupta vulgi exiſtimatione, pronunciabis de proborum infœlicitate ac ærumnis in ſpeciem, falsáque lætitia eorum qui à virtute abhorrent. Cùm reuera improbus quiſque, quantiſlibet ſibi affluere videatur delectationibus, volutetur reuera in ſentibus: Solus virtutis ſectator, ſynceras voluptates, & non ementita gaudia carpat.

Eo porro diligentiùs cæterarum voluptatum obſtructio curanda eſt. quod vnius admiſſio aliam trahit, & infœlici nexu colligatæ, hominem nolentem omni fœditate conſpurcant, vt benè notauit Maxim. Tyrius diſſert. 7. n. 42. verbis illis. *Græcus quidam ex Anacharſide illo celeberrimo quæſiſſe dicitur, eſſéntne tibiæ in Scythia: Ille, nec vites, inquit, erant. Voluptas enim alia aliam trahit, alia cum alia cohæret: quæ cùm ſemel fluere cœpit, nunquam deſinit, nunquam inhiberi poteſt. Nec aliud ad ſalutem reſtat remedium, quam fontem ipſum ſiſtere, ortum voluptatis impedire.*

Extrinſeca. delectationum remedia, obiter tacta.

Horum delectationis immoderatæ ac illegitimæ defectuum: prærogatiuarum autem veræ voluptatis, expenſio; non dubium quin potens ſit ac validum homini incitamentum ad captandam voluptatem honeſtam, abiecta alia, quæ nomen voluptatis ementitur. Colluſtrato namque intellectu; & hinc ſynceritatem & dignitatem, verarum, & inde lutulentarum delectationum fœditatem edocto, voluntas non difficile adducitur, vt ſubditæ ſibi inferiori parti voluptatis eſcam tanto impetu captanti frænos iniiciat, & iis quas propoſuimus moderatis delectationibus, contentam eſſe iubet. Quoad externa autem remedia, queis homo ad delectationis moderationem congruam iuuari poteſt, vniuerſale & potentiſſimum ad voluptatum frænationem ſubſidium eſt, ſenſuum per quos voluptates ad mentem reptant, exacta frænatio. Senſu enim cohibito, mens voluptati inacceſſa efficitur. In quem ſenſum Philo ad calcem Coſmop. interpretatur Euæ, hoc eſt, partis noſtræ inferioris, allocutionem per ſerpentem, hoc eſt, per voluptatem. [Voluptas, *inquit*, ſuas præſtigias ac fraudes, viro non audet admoliri, ſed fœminæ, & per hanc illi, idque admodum appoſitè efficacitérque. In nobis enim quaſi vir eſt mens, ſenſus quaſi fœmina. Voluptas verò priùs appellat, pertentátque ſenſus, per quos id quod principale eſt, mentem illicit. Poſtquam enim ſinguli ſenſus, eius veneficiis ſubiecti adlubeſcentes, his, quæ offeruntur, coloribus figuríſque variis, viſus; vocum concentibus, auditus; ſaporum ſuauitatibus, guſtus; exhalantium vaporum fragrantiæ, odoratus; acceptis his donis, tanquam famuli afferunt ea veluti dominæ ratiocinationi, aduocatam adhibendo ſuadelam, ne repulſam vlla in re patiantur. Ratio porro ineſcata, iámque ex Regina, facta ſubdita; & ſerua, ex domina; & exul, ex ciue; mortalis fit, quæ immortalis antea fuerat. Omnino enim ſcire oportet, quod voluptas tanquam laſciua meretricula amatorem appetit, quærens ſtupri conciliatores, per quos illum ceu homo capiat. Sunt autem huius cupidinis ſequeſtri ſenſus, quos poſteaquam ineſcarit, facilè mentem ſubiugat, quæ res externas intro admittat, illis & oſtentantibus ſingularum formas, & ei ſuum affectum imprimentibus. Nam ceræ ſimilis, recipit per ſenſus imaginationes, quibus apprehendit corpora, quod per ſeipſam non valet.] Frequens eſt in ea allegoria Diuus Auguſtinus.

ARTICVLVS VI.

De dolore & triſtitia.

244. EXtrema gaudij luctus occupat, non modò quoad exiſtentiam, ſed etiam quoad tractationem. Nam doloris & triſtitiæ, eadem proportionaliter ratio eſt, quæ delectationis cui opponitur. Quare explicatio triſtitiæ, & lucem ſumet à delectationis explicatione, & ei viciſſim ſplendorem conciliabit. Quòd autem hæc paſſio, in actione intellectus, voluntati prælucentis; & quoad appetitum inferiorem, in actione aliorum aliquorum ſenſuum externorum, renunciantium obiectum moleſtum; ſæpè autem, non tamen ſemper, in actione tactus fundari poſſit, vt rectè contra aliquos ſtatuit Scaliger exercit. 199. n. 2. Agam priore loco de hac paſſione prout ex tactus actione procreari apta eſt, quòd notior ſit & ſenſibilior, nec ſit difficile futurum quæ de ea dicentur ad totum huius paſſionis ambitum accommodare.

Quatenus dolor & triſtitia diſcrepent.

Et quidem in quodam vocis rigore, dolorem ſpecialiter ac preſsè acceptum, conſtat ſecerni à triſtitia, per hoc, quod dolor eſt offenſio animæ ex carne, & quædam ab eius paſſione diſſenſio, vt loquitur S. Auguſtinus 14. Ciuit. c. 15. ideóque arctatur ad malum ſenſibile tactu perceptum, iuxta frequentiorem vſum notatum à D. Auguſtino ſupra cap. 7. & vt quàm maximè pateat, vocis illius vſus magis proprius, non tranſcendit inquietudinem de malo per aliquem externum ſenſum renunciato. Triſtitia autem, iuxta eundem Auguſtinum, eſt animi diſſenſio ab his rebus, quæ nobis nolentibus accidunt. Ita vt triſtitia ex aliis malis, quàm ſenſibilibus exoriatur: vel ſi ex malis, quæ primò per ſenſum renunciata, & per appetitum exploſa ſunt: non tamen vt ſic, ſed vt ad voluntatem pertinent ſub altiori ratione.

Quia tamen triſtitiæ & doloris eadem formaliter eſt ratio ac natura, & in ordine ad rem moralem non diſcrepant, meritò de vtroque illo affectu hîc diſſeremus: non ita ſolliciti de ſeruanda ſcrupulosè & anxiè ea vocum diſtinctione, quam etiam à Virgilio non ſeruatam, S. Auguſt. c. illo 7. obſeruauit.

Dolor ex carne offenſa, eſt actio appetitus.

245. Dolor igitur, qui ex offenſione carnis naſcitur, non eſt tactio, vt plerique Medici perperam ſenſerunt. Quorum etiam aliqui, quos refert Vega l. 2. de locis affectis ſect. 1. abſurdiùs cenſuerunt, dolorem eſſe externum quoddam ſenſibile inimicum. Eſt igitur dolor ille, actio appetitus circa malum coniunctum, præſuppoſito eiuſdem mali odio & auerſione. Ita planè Ariſtoteles de voluptate corporea cenſuit. vt ſupra retuli: ac proinde cùm oppoſitorum eadem ſit ratio, idem quoque ſtatuendum eſt de dolore, qui voluptati è diametro opponitur. Eadem eſt Diui Auguſtini ſententia 14. Ciuit. cap 15. vbi diſertè carnis dolorem, vocat offenſionem animæ ex carne, declarátque eandem eſſe, doloris ac cæterarum paſſionum cauſam efficientem, nempe appetitum, per quem anima tanquam per inſtrumentum & principium proximum, de malo ſibi, aut corpori quod informat, immiſſo, mœret.

Egregiè verò idipſum expoſuit S. Hilarius 10. de

Trinit.

Trinit. cuius verba placet adſcribere. Ita habet. [Ea natura corporum eſt, vt ex conſortio animæ, in ſenſum quendam animæ ſentientis animata non ſit hebes inanimiſque materies: ſed & attacta ſentiat, & compuncta doleat, & algens rigeat, & confota gaudeat, & inedia tabeſcat, & pingueſcat cibo. Ex quodam enim obtinentis ſe penetrantiſque animæ transcurſu, ſecundùm ea in quibus erit, aut oblectatur, aut læditur. Cùm igitur compuncta aut effoſſa corpora dolent; ſenſum doloris, transfuſæ in ea animæ ſenſus admittit. Denique vulnus corporis, vſque ad os dolet; & digiti, excedentium ex carne vnguium præſegmina neſciunt. Et ſi quando accedente vitio pars aliqua corrupta membrorum, ſenſum viuæ carnis amiſerit: ea cùm vel deſecabitur, vel vretur, dolorem quiſquis eſſe potuiſſet, non manente in ea animæ permixtione, non ſentiet. At cùm grauis neceſſitas recidendi corporis manet, medicato potu conſopitur vigor animæ; & in emortuam ſenſus ſui obliuionem, mens ſuccis violentioribus occupata, conficitur. Ac tum doloris neſcia membra cæduntur, & omnem alti vulneris plagam ſenſus carnis emortuus, ſenſu animæ in ſe torpentis euadit. Affert itaque dolorem per animæ infirmis admixtionem, in infirmum ſenſum ſuum corpus animatum.]

Denique disertè dolorem, in anima per appetitum operante, ſtatuunt S. Thomas 1.2.q.35.art.1 & 2. & 3. p. q.15. art.5. Vbi Caietanus. Durandus in 3. d. 15.q.2.n.6. & ibid. Capreolus q. vnica ad 2. contra 2. concluſ. Portius l. de dolore cap.10. Fernel. l. de ſymptomatis c.4. Scalig. exercit. 316. n.1. & paſſim alij, dempto vulgo medicorum.

Ratio eſt perſpicua. Nam omnia quæ ante actionem appetitus aſſignari poſſunt, præſuppoſita potiùs ſunt ad dolorem, quàm dolor ipſe. Antecedit enim appetitus operationem, ſenſatio exterior & interior: Quarum illa mediatè, hæc immediatè, appetitum determinat ad operandum. Neutra autem habet rationem doloris; alioqui progrediendo ad ſubſtantiam intellectualem, dicendum eſſet triſtitiam eius ſitam eſſe formaliter in cognitione intellectus, quod abſurdiſſimè diceretur, cùm munus facultatum cognoſcitiuarum ſit, percipere conueniens & diſconueniens, illáque exhibere facultati appetenti, quam natura conceſſit ad amandum vel reſpuendum, quæ per cognitionem obiecta fuerint. Et ſicut deſiderare ac proſequi bonum vel malum abſens, non eſt alterius facultatis, quàm appetentis; ita de iiſdem adeptis lætari vel dolere, eiuſdem facultatis eſſe debet.

246. Eſt igitur dolor, actio appetitus: Etiam is dolor, quem nunc primùm exponimus, qui ſcilicet ex carne offenſa oritur, de quo videretur poſſe eſſe paulò maior dubitandi ratio. Ex quo apertè infra colligam contra Ochamum in 3. q.14. *litera I.* eum neceſſariò præexigere cognitionem prælucentem, nec poſſe vnquam ad eum ſufficere qualitates corporeas, nulla ſenſus, cum externi, tum interni cognitione renunciatas. Habetur etiam ex dictis, dolorem non eſſe in parte læſa, v.g. in dentibus aut gingiuis humore corrupto perfuſis, vel in parte perfoſſa: ſed ſoli appetitui formaliter & ſubiectiuè inexiſtere, quamuis pro obiecto habeat malum partis huius aut illius; & idcirco dicamus, doleo dentibus vel oculis: non autem, doleo corde vel appetitu cordi inſidente. In quem ſenſum accipienda ſunt quæ de duplici ſpecie doloris corporei, ab vno membro læſo totum corpus peruagantis, vel per ſe primò occupantis totum corpus, diſputat perelegantes Maximus Tyrius diſſert. 18. n. 105. & 106. concludens talem dolorem eſſe tormentum corporis, & animæ affectionem.

Supponit reipſa, odium ſimplex, & fugam, vt cauſas.

Explicandum autem ſupereſt, cuiuſmodi actio ſit dolor. Sed res perſpicua videtur ex fusè diſputatis circa delectationem. Aio igitur, dolorem non eſſe actum odij ſimplicis; neque etiam eſſe actum fugæ, ſiue auerſionis, ſed ex huiuſmodi actibus præſuppoſitis, dimanare eadem proportione, qua delectatio manat ab amore præſuppoſito. Nam ita planè ſe habet delectatio inter actus proſecutiuos, ſicut dolor inter auerſatiuos. Atqui delectatio eſt appendix actus proſecutiui. Ergo & dolor, eſt appendix actus auerſatiui: ita vt idcirco doleat quis de malo immiſſo, quia ei diſplicet, nolléque ſubire. Quæ apertè ferunt influxum obiectiuum actus diſplicentiæ, in actum doloris. Qualem influxum agnoſcimus inter concluſionem & præmiſſas, qui tametſi non ſit influxus effectiuus, ſed determinatiuus, aut obiectiuus; tamen ſatis ſuperque eſt, ad realem actuum ita connexorum diſtinctionem. Quam etiam in præſenti, liquidò deprehendimus in beatis, qui cùm peccatum ſupra modum auerſentur, nulla tamen ratione de eo dolent.

Et cùm hæc præſuppoſitio diſplicentiæ & auerſionis, ad dolorem, vniuerſaliter valeat, nec poſſit dolor alia ratione concitari, fatendum eſt contra Ochamum in 3. q.14. *litera H.* dolorem ſemper diſtingui reipſa, ab auerſione, & diſplicentia ad ipſum præſuppoſita, etiamſi poſſit in dolore conſiderari quædam ratio diſplicentiæ dolori generica; eo proportionaliter modo, quo in gaudio amorem generaliter dictum includi dicebamus, diſtinctum ab amore præſuppoſito, qui ſolus eſt gaudij cauſa. Ita de doloris & auerſionis diſtinctione rectè pronunciant Gabriel in 3. d.23. q.1. *litera D.* Aquilanus in 1. d.1. q.1. Caiet. tomo 1. opuſc. tract.4. q.1. Suarez t.4. 3. p. d.3. n.3. Per locutionem tamen cauſalem, frequenter dolor loco delectationis vel fugæ aut odij vſurpatur. Vt cùm dicitur, neceſſarium eſſe peccatori, de peccatis dolere, non tam inſinuatur affectio mœſtitiæ, quàm deteſtatio, cuius germen eſt dolor ac mœſtitia: eam enim potiſſimum deteſtationem, quærit Deus ab homine ad cor redeunte: quia ipſa eſt quæ continet receſſum à ſcelere, qui præcipuè expetitur à tali perſona. Nihilominus, quia cum eo receſſu, ſi ſeriò meatur, iungitur neceſſariò dolor, receptiſſimum eſt, vt voces illæ confundantur, & qui deteſtatur, dicatur dolere.

Eiuſdem obiectum, læſio corporis.

247. Nihil video ad doloris naturam probè perſpiciendam ſupereſſe, niſi vt explicetur obiectum, de quo concipitur, quodque eſt totum doloris fundamentum; vt proinde permagni, ad doloris plenam introſpectionem referat, de hac eius primaria cauſa non ſilere. Vniuerſus igitur animæ ad dolorem progreſſus, bis veluti greſſibus perficitur, vt rectè attigit Rubionius in 3. d.15. q. vnica art.1. Aliqua primùm læſio in corpus inducitur. Eam læſionem tactus percipit, à quo per ſympathiam excitatur internus ſenſus. Hic appetitui ſenſitiuo, renunciat incommodum ab externo ſenſu renunciatum. Appetitus pro inſita ſibi mali auerſione, à malo illo auertitur: quam auerſionem, ſi mali immiſſio declinata non fuerit, excipit dolor. Itaque vides, primam radicem doloris, de quo agimus, eſſe obiectum corpori diſconueniens, ſiue læſionem corporis, quam anima refugit, tanquam malum ſuppoſiti ad quod pertinet, & corporis, quod informat: ac proinde læſio illa eſt verum doloris obiectum.

iectum. Eſt enim illud, quod corpori ſuo coniungi, amarum eſt animæ, & appetitui illius.

Non item qualitas dolorifera, diſcrepans ab ea læſione.

Fuit qui aliud doloris obiectum excogitaret, nempe qualitatem doloriferam ortam ex læſione prædicta. Ita Vaſq. 3. p. d. 62. n. 10. Et quanquam dolorem ibi vſurpat pro tactione, id tamen perinde eſt ad rem præſentem. Nam illius per tactum cognitionis, & fugæ, ac doloris, idem eſt materiale obiectum. Idem author 1. p. d. 143. n. 13. qualitatem illam doloriferam diſtinguit à diſtemperie, & à diuiſione continui. Et n. 16. dicit eam corpori imprimi, indéque prouenire ſpeciem, & dolorem in tactu, poſtea deriuandum in appetitum.

Dimiſſa tamen lite circa dolorem illum, quem hic author concedit tactui; quòd ipſemet ibid. n. 11. rectè aduerterit, id tantùm pertinere ad modum loquendi: Ea inquam de vocibus lite dimiſſa, qualitatem doloriferam ab hoc authore inuectam prorſus repudio; cùm ab Ariſtotele inter obiecta tactus recenſita nuſquam ſit; & à medicis etiam non agnoſcatur; nec vlla ſit eius neceſſitas. Nam motiuum ſufficiens doloris in appetitu exurgentis, eſt læſio corporis, quam interna cognitio exhibet appetitui vt diſconuenientem. Hæc autem notitia excitatur vi tactionis externæ, proindéque habet pro obiecto illam ipſam læſionem, quam percepit tactus; à quo conſtat perceptam non fuiſſe aliam qualitatem doloriferam, præter animalis læſionem. Hæc enim eſt malum animalis, ad quod renunciandum tactus in excubiis collocatus eſt. Vnde hæc læſio, nomen qualitatis doloriferæ arrogare ſibi iure poteſt; reiecta quacunque alia qualitate, cuius nulla prorſus eſt neceſſitas, vt animal poſſit dolere.

De læſionis illius multiplicitate, diſſidentes ſententiæ.

248. Eſt autem ea corporis læſio bimembris. Vel enim diſtemperie, vel diuiſione continui continetur. Vnde rurſus diſſidia inter authores, circa doloris obiectum, enata ſunt. Nam aliqui læſionem quæ dolori obiicitur, putant eſſe poſſe, diuiſionem continui tantùm. Ita Cæſalp. 2. quæſtionum medic. q. 12. Alij intemperiem tantùm. Alij vtramque exigunt. At Aponenſis apud Portium l. de dolore c. 8. ait, obiectum doloris eſſe aliquid duobus illis commune, & ratione cuius, ait duo prædicta cauſare dolorem, nempe vitiatam proportionem. Quæ ſententiæ ſic conciliandæ ſunt, vt agnoſcamus, vtramque læſionem plerunque ſimul concurrere ad cauſandum dolorem: vtramque etiam ſigillatim ſumptam, poſſe ad cauſandum dolorem ſufficere. Quæ eſt Hippocratis, Galeni, & Platonis ſententia apud Langium l. 1. epiſt. 41. & apud Valeſ. l. 5. controu. cap. 5. ſubſcribitque Dandinus digreſſ. 60. ad librum 2. de Anima.

Intemperies, vera læſio.

Ac primùm de intemperie. etiamſi ſola ſit, videtur indubitatum eſſe, quòd ſit ſufficiens doloris obiectum. Nam & calor immoderatus, & frigus excedens, & quæcunque prima qualitas intemperata, eſt malum naturæ, eámque lædit. Poteſt igitur dolorem ingenerare. Nec rectè aliqui, id admittunt de ſolo calore aut frigore immoderato. Nam etiam ſiccitas & humiditas, ſi nimiùm excreſcant, quamuis lentiùs & languidiùs torqueant, tamen malè afficiunt ſubiectum; & dolorem, imo etiam mortem conciliare idoneæ ſunt: quod patet ex fame & ſiti. Itaque non placet Valeſius 2. controuer. c. 6. dicens ſiccitatem lædere tantùm per accidens; nempe quatenus partem conuellit aut tendit: Vel ſi aliter lædat, non eſſe ſolam, vt in vſtione. Humiditatem autem non lædere niſi cùm coniungitur ſucco & copiæ humoris, cui ſoli tribuendam eſſe ait læſionem, non autem qualitati. Quaſi verò ſubſtantia ipſa ſucci, poſſit dolorem cauſare, niſi comprimendo; quod conſtat infrequens eſſe in ordinariis doloribus ex appulſu humoris. Poteſt igitur ſuccus humidus lædere, cum ob acrimoniam, aliáſque virulentas qualitates, tum etiam ratione ſolius humiditatis, vt rectè cenſuit Portius l. de dolore c. 11. Huic primæ parti noſtræ ſententiæ, nequaquam refragantur, qui continui ſolutionem pro adæquata doloris cauſa proferunt. Eo enim nomine, non intelligunt ſolam ſectionem, ſed etiam quancunque partium contractionem, vel dilatationem, factam à calore diſtrahente, & frigore comprimente: & per hos effectus, cauſas quoque eorum ſiue diſtemperiem deſignant. Atque ita conſentiunt cum iis, qui ad continui diuiſionem, addunt diſtemperiem.

Itémque ſolutio continui, quàm latè patet.

249. Alterum læſionis doloriferæ membrum, eſſe aiebam, diuiſionem ſeu ſolutionem continui, prout complectitur partium diſtractionem, & compreſſionem præter naturam. Quam eſſe idoneam doloris cauſam, conſtat ex digiti aut carnis compreſſione, & ex eiuſdem ſciſſione. Et quamuis cùm ij motus ſubeuntur, intercedat variatio temperiei, ſaltem propter abſceſſum ſpirituum ac ſanguinis: Tamen etiamſi ſola diuiſio continui interueniret, ſentiretur dolor, vt rectè admiſit Rubius q. 6. de tactu num. 75. quia ea diuiſione malè afficitur natura, & ab ſtatu connaturali, eáque vnione & concentu partium, qui maximè eam fouet, extrahitur. *Dolor*, inquit D. Auguſtinus lib. 3. de lib. arbitrio c. 23. *quem beſtiæ ſentiunt, animarum etiam beſtialium, vim quandam in ſuo genere mirabilem, laudabilémque commendat. Hoc ipſo enim ſatis apparet in regendis animandíſque ſuis corporibus, quàm ſint appetentes vnitatis. Quid eſt enim aliud dolor, niſi quidam ſenſus, diuiſionis vel corruptionis impatiens?*

Eſt autem ea diuiſio, aliquid formaliter tactile, contra Toletum 2. animæ tex. 27. ſiue quia, iuxta Portium lib. de dolore c. 11. ſe habet per modum ſenſibilis communis, quod percipiatur à tactu per qualitatem tangibilem diuidentem, v. g. duritiem aliámve qualitatem tactilem, quæ mordendo, extendendo, premendo, rarefaciendo, diuidat & moueat partes: ſiue quia reducitur ad aſperitatem & lenitatem, quandoquidem per diuiſionem, inducitur æqualitas vel inæqualitas inter partes. Quare non fuit cur Toletus aſſereret ſolutionem continui, eſſe duntaxat materiale obiectum doloris: formale autem, ſemper eſſe diſtemperiem, nixus duntaxat ea diuiſionis imperceptibilitate, per tactum dolori prænuncium. Fateor tamen, vt diuiſio dolorem inferat, ſupponi legitimam temperiem & bonam affectionem partis, ex cuius læſione per diuiſionem, concitandus eſt dolor. Ideò enim quibus pars aliqua obtorpuit, non ſentiunt eius punctionem. Hoc tamen non eſt ſolutioni continui peculiare. Nam etiam qui paulò profundiùs torpent, ne ferrum quidem candens ſentiunt, ſi contingat illud admoueri.

In titillatione, & alibi, binæ illæ læſiones ſociantur.

250. Tandem quòd binæ hæ doloris cauſæ plerunque aut etiam ſemper iungnatur, notius eſt, quàm vt moneri oporteat. Suppetunt enim innumera in eam rem exempla, quibus annumeranda eſt titillatio, in qua dolor exoritur, tum ex quadam partium diſtractione, tum ex aliqua temperiei immutatione, ob diſſipationem ſpirituum. Recte enim Scaliger exercit. 317. n. 5. titillationem definit, diſſipationem ſpirituum in partibus laxioribus, in quibus facillior ſit ſpirituum ſubſultus; vnde exoritur horror ille, ſeu fuga contrectationis; ſimùlque delinitio ob procurſum ſpirituum; & mixta dolore voluptas ex illo horrore & delinitione: Et inde etiam riſus exiſtit, quem verum riſum eſſe, concurrentibus in eum cauſis riſus aliter excitati, probat Franc. Valeſ. 5. controu. c. 9. conter Fracaſtorium c. 20. de Sympath. Excitatur enim riſus ille ex eo quòd partes quædam acerrimi ſenſus, ad quas muſculorum ſunt capita, voluptatem ex tactu ſentiant, veluti delinitis carneis partibus. Hæc verò voluptas, cùm latenter & repentè accedit; (neque enim aliter titillatio riſum ciet, vnde nemo, ſeipſum titillando mouere poteſt ad riſum:) gaudium cum ſpecie quadam nouitatis coniunctum excitat, qui ſunt veri riſus natales. Pleniùs de titillatione Ariſtoteles ſ. 35. problem. & 3. de partib. c. 10. reprehenſus à Nancelio libr. de riſu, eo quod dixerit ſolum hominem titillari, idque in axillis. Verùm Philoſophus neque aliis quibuſdam hominis partibus, neque aliis animalibus leniter contrectatis, titillationem prorſus negauit: ſed tantùm docuit; hominem maximè, inter animalia; in homine autem potiſſimùm axillas, ſubeundo titillationis affectui, accommodatum eſſe ſubiectum, quod experientia facit teſtatiſſimum:

Quæ hactenus de dolore connexo cum tactu ſunt conſtituta, æquè aptanda ad omnem dolorem atque triſtitiam,

251. Ex his natura & ratio doloris, qui ex tactu oritur, plenè expoſita videtur. Ab hoc autem dolore omnium notiſſimo; & maximè ſenſibili, facilis erit progreſſus ad alios præterea dolores, qui ex male quomodolibet affecto corpore, renunciante quocunque externo ſenſu, exiſtunt: (quod infra cum cam exemplis, maléque negat Valeſ. lib. 4. controu. cap. 4. contendens dolorem eſſe ſolius tactus:) Itémque ad triſtitiam, quæ propriè in ſuperiori appetitu cernitur. Omnes quippe hi actus, formaliter ſunt einſdem rationis, & eoſdem proportionaliter habent natales. Nempe dolor cum tactu connexus enaſcitur ex obiecto tactili; per tactionem externam renunciato phantaſiæ, perque iſtam exhibito tanquam coniunctu ſuppoſita auerſione, qua non præmiſſa, nequaquam exurgeret dolor, quicquid Gabriel fingat in 3. d. 15. q vnica *litera C.* faſſus tamen, aliter rem ſe habere in voluntate. Similitérque procreantur exteri dolores, deriuati ex obiecti diſconuenientis perceptione. per alium aliquem ſenſum facta: vt ex conſpectu ſubito canini cadaueris vnde horrore percellimur etiam ſi non fœteat: itémque ex cultelli non ſatis exacuti immiſſione in lignum denſum aut panem ſicciorem: aut ex colliſione ferri impoliti, cum alio ferro aſpero & ſcabro, vnde fremitus, & exaſperatio: ex rei acerbæ guſtatione, vnde dentium ſtupor: Præterea ex graueolentia: ac ex vocis ingratitudine ob aſperitatem ex raui, aliave aliqua organorum vocis indiſpoſitione.

Eodem denique modo procreatur dolor appetitus ſuperioris. Nam proportio per intellectum obiecto diſconuenienti tanquam immiſſo, ſiue intellectus ad ita proponendum determinatus ſit à ſenſu, vt in nobis accidit conſequenter ad dolorem corporeum; ſiue aliunde excitatus ſit, exurgit in voluntate dolor, qui iuxta paulò ſeueriorem vocum vſum, triſtitia appellatur, qua voluntas contrariè afficitur, quàm per delectationem de bono adepto. Nam per hanc voluntas quieſcit in eo bono, & illius tentione & fructu paſcitur, ſuppoſito amore. At per triſtitiam fit inquieta ratione obiecti diſconuenientis, quod immiſſum eſt, & excuti non poteſt, quamuis odio habeatur, quia agnoſcitur diſconueniens & noxium. Quæ odij ad triſtitiam præſuppoſitio, apertè inſinuatur verbis illis apud Auguſtinum 14. Ciuit. c. 15. *Dolor carnis tantummodo offenſio eſt animæ ex carne, & quædam ab eius paſſione diſſenſio ſicuti animi dolor, quæ triſtitia nuncupatur, diſſenſio eſt ab iis rebus, quæ nobis nolentibus acciderunt.* Quare cùm eadem proportionaliter ſit, doloris preſsè accepti, & triſtitiæ, preſsè item ſumptæ, generatio & eſſentia: certum eſſe debet, varia diſcrimina, quæ inter dolorem & triſtitiam enumerat Rada in 3. controu. 10. art. 2. notab. 3, eſſe duntaxat materialia, nec pertinere ad variandam rationem genericam huius paſſionis, dolori & triſtitiæ preſsè acceptis communem.

Argumenta negantium, triſtitiam eſſe voluntatis actionem.

252. Quod verò idem autor mox contendit, triſtitiam non eſſe voluntatis actionem, ſed paſſionem, (idémque eodem iure de quocunque dolore diceret:) traditum antea eſt à Scoto in 3. d. 15. q. vnica *littera D.* & à Gabriele ibidem q. vnica *litterá B.* poſt Ochamum in 3. d. 14. *littera A.* Quorum ſententiam in ſimili circa delectationem controuerſia, latè excuſſimus, proferentes argumenta, quibus æquè probatur, triſtitiam & dolorem eſſe appetitus actiones. Verùm quia ſunt qui exiſtiment, aliqua argumenta, ſpecialiùs ac fortiùs vrgere pro triſtitia; vt propterea non niſi ab iſta ad illam argumententur, concludentes à paritate rationis, delectationem eſſe tantùm paſſionem, non actionem; quandoquidem triſtitia, (cuius, quippe oppoſitæ, debet eſſe eadem ratio) non eſt niſi paſſio: Age expendamus quæ in hanc rem pro triſtitia proferuntur, oſtendamúſque quod de delectatione conſtitutum eſt, hic quoque locum habere.

Argumentantur igitur in primis aduerſarij quia ſi triſtari, eſſet operatio voluntatis, aut eſſet velle aut nolle. Non primum, quia ſic voluntas non triſtaretur. Nam triſtitia non eſt de iis quæ volumus. Nec item ſecundum. Nam poteſt quis maximè nolle aliquid, abſque vlla de eo triſtitia. Sic enim Deus, qui maximè odit peccatum, nullam tamen de eo triſtitiam concipit. Beati item, quamuis ſummè deteſtantes omnem culpam, ſunt tamen incapaces triſtitiæ. Deinde ſi triſtitia eſſet operatio, deberet eſſe illibera voluntati. Atqui ſuppoſita nolitione & odio mali, triſtitia non eſt in poteſtate eius, qui tale malum. ſubit. Igitur triſtitia, eſt mera paſſio reſpectu voluntatis, nec prodit ab ea efficienter: ſed vel ab obiecto vt nolitio, vt Scotus & Rada ſupra loquuntur, vel ab ipſa nolitione.

Conteruntur.

Hæc parui momenti ſunt. Cùm enim dicitur; triſtitiam, aut eſſe nolle aut velle: reſpondendum eſt,

triſtitiam, latè ſumpta voce *nolendi*, eſſe nolitionem: Eadem ratione, qua ſupra conſtituimus, delectationem eſſe volitionem & amorem, latè ſumpto volendi & amandi vocabulo, prout nimirum dici poteſt de omni actu proſecutioo. Similiter igitur ſi nolitio deſignet actum quemcũque auerſatiuum, triſtitia erit nolitio quædam, quamuis præſupponat aliam nolitionem tanquam cauſam; nempe auerſionem à malo coniuncto, cuius auerſionis partus, tanquam cauſæ determinatiuæ, eſt ipſa triſtitia: quæ quod appetitus eluctari nequeat malum illud, aduerſus quod iam immiſſum connititur, inquietum eum habet. Eſt itaque triſtitia, nolitio progerminans ex alia nolitione, in ſubiecto huius germinis capaci. Cuiuſmodi non ſunt beati, ob præoccupatam vitalis dulcedinis abyſſo facultatem, quæ nullum amatori triſtitiæ locum relinquit: etiamſi fingeremus iiſdem in beatitate perſtantibus ſoperuenire aliquod malum poſſe, coutra eorum voluntatem: de quo malo planè triſtarentur, ſi beatitudine, eiuſque immenſa dulcedine, exciderent. Quod multò magis locum habet in Deo, peccata nolente, quæ in aliquod ipſius extrinſecum malum cedunt; nec tamen triſtitiam de iiſdem cùm admittuntur, vel poſtqoam admiſſa ſunt, concipiente. Quæ videtur commodiſſima ratio exponendi, quomodo in Deum cadere triſtitia non poſſit, præter alias minùs commodas, quas adhibet Suares 1. p. tract. 1. l. 3. c. 7. n. 6. & 7. Hine primum argumentum manet omnino eliſum.

253. Pari facilitate conteritur ſecundum. Aio igitur, triſtitiam eſſe liberam in radice ſua, quatenus ſuppoſita ſubiecti libertate ad ponendum actum nolendi, ex qoo triſtitia progerminat; poteſt etiam poni vel præcludi ipſa triſtitia. Suppoſita tamen libera poſitione illius nolitionis, non poteſt naturaliter impediri ſequela triſtitiæ de malo præſente, quod voluntas verè auerſetur, ſi modò, vt ſupponimus, voluntas ſit expedita & capax triſtitiæ, nec colliqueſcat adeo valido affectu lætitiæ, vt quantacumque amaritudinis ſtilla in eandem immiſſa, dulceſcat. Nullum autem eſt incommodum, quòd triſtitia ſit hoc modo neceſſaria voluntati, & tamen ab ea efficiatur vitaliter. Nam etiam electio vnici medij, neceſſaria eſt, ſuppoſita intentione efficaci finis: neque tamen propterea, minùs habet rationem actionis, aut appellatur mera paſſio, Vtraque neceſſitas eſt tantùm ex ſuppoſitione libera. Præterquam quód longè latiùs patet ratio actus vitalis, quám actus liberi, Nam amor beatorum eſt omnino neceſſarius, & tamen eſt vitalis Item motus pleríque primò primi, ſunt vitales, quamuis omnino neceſſarij.

Porro nihil refert, quod paſſim dolor & triſtitia numerentur inter paſſiones, ipſique hic de eis agamus, tanquam de quibuſdam paſſionibus. Hoc enim non fit in ſenſu in quo nunc loquimur, quémque initio huius tractationis aperuimus. Appellantur enim paſſiones ab alteratione, quam in corpus inducunt, non autem ab entitate ſua & habitudine ad appetitum. Itaque de formali, dicunt actionem: conſequenter autem & cauſaliter, paſſionem, vt loquitur Aureolus in 3. d. 25. vnica art. 1. quod de omnibus æquè affectibus valet. Conſtat autem eorum pleróſque, nemine diſſentiente, quamuis ob cauſam prædictam, paſſiones appellentur, eſſe tamen veras actiones, prodeuntes vitaliter ab appetitu.

Doloris ac triſtitiæ partitio.

254. Pergo ad ſpecies huius paſſionis; quæ cùm materialiter diſtributa iam ſit, in dolorem & triſtitiam! (nam diſtinctio ſpecifica, quæ inter hæc duo preſsè accepta intercedit, ob vnius ſpiritualitatem, & alterius materialitatem, non eſt formalis, & in genere triſtitiæ, ſed merè materialis:) Supereſt, vt membra vtriuſque attingamus. Quanquam doloris membra ſufficienter expoſita videri poſſunt in ſuperioribus. Nam ſi dolor arctetur ad tactum, oſtendimus, alium eſſe dolorem, qui ex diuiſione continui, alium qui ex temperiei debitæ violatione procreetur. Si autem dolor paulò plus extendatur? hoc eſt, prout ex quoruncunque ſenſuum, varia obiecta diſconuenientia exhibentium, notitiis exiſtere poteſt; habebimus aliam doloris multiplicitatem, pro multiplici obiectorum ſenſibilium diſconuenientia, de qua ex ſenſuum varietate licebit ſtatuere. Quæ omnia, nullam continent conſiderationem huius loci propriam.

Itaque his dimiſſis, progredior ad ſpecies triſtitiæ preſsè acceptæ. Quæ cùm multiplicari poſſint, penes mala quæ nolentibus eueniunt; ſpecialiter tamen, numerari poſsunt tres. Vna quæ ſimpliciter triſtitia appellatur, funditúrque per omnia mala nobis propria, ſine vlla habitudine ad alium. Secunda, quæ reſpicit malum alienum, quatenus eſt aliquatenus malum noſtrum, ſaltem prout ſumus eiuſdem naturæ: Et hæc habet eandem denominationem, cum virtute in ſubleuationem alieni mali intenta: hoc eſt, cum miſericordia, quia ei coniongi ſolet in hominibus, qui idcirco excitantur ad ſubueniendum proximis, quia vident eos malo alicui ſubiacere, quod auerſantur. Vnde triſtitia de eo immiſſo, & alacris voluntas releuandi ſic oppreſſos, quam ſequitur ſubleuatio, ſi facultas non deſit. Tertia reſpicit bonum alienum quatenus eſt aliquo modo malum noſtrum, dicitùrque inuidia. De prima ſpecie nihil ſigillatim annotandum occurrit. De aliis duabus ſpeciebus eſt aliqua controuerſia.

Miſericordia, an triſtitia ſit aut voluntas ſubleuandi, lis de nomine.

255. Nam quoad miſericordiam, eſt in primis lis de nomine, an ſita ſit in voluntate ſubueniendi afflicto, vt ſignificat D. Auguſtinus 9 ciuit. c. 5. an in triſtitia de eo malo, quo alius vrgetur, quatenus aliquo modo ſit malum noſtrum: (alioqui enim non ingeneraret triſtitiam.) Qua ratione Seneca l. 2. de Clementia c. 5. definit miſericordiam, *ægritudinem ob alienarum miſeriarum ſpeciem*. Quæ eſt etiam miſericordiæ definitio apud Tullium 4. Tuſcul. & apud Damaſc. 2. fid. c. 14 & ante hos omnes apud Ariſtotelem 2 Rhet. c. 8. vbi docet, miſericordiam eſſe dolorem ex apparente malo corruptiuo, ac dolorem inferente, in non dignum pati, quod ipſe putauit, ſe pati etiam poſſe, vel ſuorum aliquem, idquè ſic vt propinquum videatur. Sitne igitur miſericordia, formaliter in eo dolore ſtatuenda, an verò in voluntate ſubleuandi, conſequente mœrorem illum ex altero malo conceptum; lis eſt de nomine, vt poſteà patebit.

Qui eam odium ſtatuat, addita in Philoſophum cenſura.

Subnaſcitur tamen hinc lis de re ipſa. Eſt enim qui reiecta vtraque illa miſericordiæ acceptione, ſtatuat formaliter miſericordiam, in odio alienæ miſeriæ. triſtitiam profundente in ſubiecto capaci. Ita Lorca 2. 2. ſ. 3, diſp. 32. n. 4. Ratio eius eſt, quia Deus & Beati, ſunt incapaces doloris & triſtitiæ, quibus tamen miſericordia negari non poteſt: cùm diuinam miſericordiam, toties & tam magnificè in ſcripturis & alibi vbinis proditam, habeamus igitur miſericordia formaliter non eſt ſita in triſtitia, ſed in

odio

odio alienæ miſeriæ. Quàm quod Ariſtoteles aiebat, eſſe miſeriam indigno aduenientem, interpretatur idem author, de miſeria inuoluntaria, ſaltem ſecundùm aliquam hominis inclinationem. Qua ratione peccata aliorum etiamſi voluntaria, ſunt obiectum commiſerationis, iuxta S. Gregorium homil. 34. in Euangelia. Idéoque frequentiſſimè tradunt Epictetus & Antoninus, vt refero tractans virtutem beneuolentiæ,& ei oppoſitum odium. Nam quamuis culpa ſimpliciter ſit voluntaria & libera: tamen quia omnis peccans eſt ignorans,& ignorantia aliquid inuoluntarij infert, non malè culpa cenſetur aliquatenus inuoluntaria: quamuis non poſſit dici accidere indigno,ad quod exigeretur vt malum eſſet ſimpliciter voluntarium. Nemo enim cenſetur indignè pati ſimpliciter, quod voluntariè aſſumit.

Hunc alterum næuum in doctrina Ariſtotelis circa miſericordiam, obſeruat Lorca ſup. n. 6. putat ſiquidem, iuxta eam doctrinam, peccata aliena ſubduci affectui miſericordiæ, cùm tamen ſint veriſſima proximi miſeria,& digniſſima quæ moueant commiſerationem. Criminatur verò præterea Philoſophum, quòd ad miſericordiæ affectum, poſtulauerit, vt miſeria. de qua dolor concipitur, inſit indigno. Hanc definitioni miſericordiæ attextam particulam,repudiat,quia ſi admitteretur, excludenda eſſet à Deo miſericordia erga homines. Nam dignum ac iuſtum eſt, ſupplicia rependi iis, qui aliquid ſupplicio dignum admiſerint. Vnde ſupplicium, quod eis irrogatur, non accidit indignis. Igitur non eſſent idoneum diuinæ miſericordiæ obiectum ea in parte. Cùm autem non poſſint quoque diuinæ miſericordiæ obiici quoad culpam, quam voluntariè aſſumunt, & qua proinde non ſunt indigni; ſupereſt, vt ea Ariſtotelis doctrina, omnem à Deo miſericordiam exterminet. Quid quòd inhumanus cenſeretur Iudex, qui iuſtum nocenti ſupplicium decernens, nihilominus non tangeretur commiſeratione erga eum, cui vrgente iuſtitia decernit tale incommodum.

Tandem diſplicet eidem aothori in Ariſtotelis doctrina propoſita, quòd in ea habeatur; miſeriam, de qua concipitur dolor, talem eſſe oportere, vt poſſit in miſerantem, eiue coniunctos cadere, aut iam ceciderit, vel caſura timeatur. Nam ſi experientia ant timor eiuſdem vel ſimilis mali. neceſſaria ſit ad miſericordiam, euertitur miſericordia diuina, vt eſt perſpicuum. Hæc ille contra Ariſtotelem.

Ariſtoteles defenditur.

256. Verùm doctrina Philoſophi optima eſt,& facili negotio defenditur. In primis igitur rectè ſtatuit, miſericordiam eſſe dolorem, quia agit de illo affectu miſericordiæ. qui viget in hominibus, gignítque voluntatem ſubleuandi, & mox ad eius interclusionem conſequitur. Informabat enim Ariſtoteles oratorem, qui eum hominibus, triſtitiæ de alieno malo capacibus,agit; ac proinde rectè miſericordiam collocauit in dolore. Deus autem & Beati, non habent huiuſmodi miſericordiam, ſed illam dumtaxat, quæ ſpectat ad charitatem, & ſita eſt in volitione ſubleuandi alienam miſeriam, ex amore boni alieni eam releuationem conſecuturi, vel in odio alieni mali & voluntate illud depellendi ex prædicto motiuo, quæ omnia eodem recidere videntur. Quare prima illa Philoſophi vellicatio, eum reuera non tangit.

Sed neque ſecunda. Cùm enim Ariſtoteles dixit, miſericordiam verſari circa miſeriam, quæ indigno accidit, non eo ſpectauit, vt negaret, miſericordiam cerni poſſe reſpectu eius, qui dignè miſeriam ſuſtinet: ſed id protulit, tanquam illuſtriorem miſericordiæ materiam. Reuera enim nihil eſt quod æquè inflectat ad commiſerationem, quàm calamitas, obueniens homini meliore ſorte digno. Itaque perperam ex verbis illis Philoſophi, infertur, ſublatam ab eo eſſe omnem aliam miſericordiæ materiam, ac nominatim peccatum, & quæcunque voluntariè accidunt, aut inferuntur. Nam quamuis non ita circa hæc emicet commiſeratio; poteſt tamen circa ea aliquatenus occupari. Quod Ariſtoteles non eſt inficiatus: ſed contentus expreſſione illuſtriſſimæ materiæ, circa quam verſari poſſit miſericordia, cæteras reticuit.

Tandem quod poſtremo loco opponebatur Philoſopho, quaſi malè contendiſſet, miſericordiam eſſe duntaxat de malo, cui ſe obnoxium ſuóſve agnoſcat qui miſeratione tangitur, non rectè opponitur. In primis quia Philoſophus de commiſeratione oratoribus propria diſputabat, quam conſtat verſari circa incommoda, quæ Iudices, quorum commiſerationem captant Oratores, ſibi vel ſuis contingere poſſe, non immeritò timeant. Quam pro Philoſopho reſponſionem, ſuppeditat Viues ſuo 3. de anima c. de miſericordia: Addens hinc ferè effici, vt qui per ebrietatem magnæ felicitatis, exemptos ſe humanæ ſorti arbitrantur, immiſericordes euadant, quòd ſe in loco tutiſſimo conſiſtere rati, non putant ad ſe peruenturum quid ex humanis caſibus. Deinde ad viuum rem reſecando, miſericordiæ affectus, cùm ſit triſtitia quædam, oportet vt ſit de malo aliquatenus proprio commiſerantis. Nam malum alienum, purè quatenus alienum, non eſſet malum nobis coniunctum: atque ita non excitaret triſtitiam, quæ de malo coniuncto concipitur. Quamuis ergo non ſit neceſſe, vt qui commiſeratione mouetur, timeat eiuſdem mali, quod alteri accidiſſe triſtatur, impreſſionem in ſuam perſonam: Tamen eatenus de eo alteri immiſſo triſtari poteſt, quatenus qui malo illo premitur, habetur quodammodo idem cum commiſerante per affectum amoris, qui multos in vnum cogit. Et eatenus quoque ipſe miſerans, agnoſcit ſe ei malo obnoxium.

Quod autem contra hoc obiicitur diuina miſericordia, quæ non poteſt eſſe de malo, quod ad Deum poſſit accedere; præcluſum iam eſt, cùm oſtendimus hanc miſericordiam, quæ eſt triſtitia, non habere locum in Deo, ſed duntaxat illam miſericordiam, quæ eſt elicitiua voluntatis miſeros releuandi, de qua plenè cùm de Iuſtitiæ partibus potentialibus. Nunc autem agimus tantùm de miſericordia prout eſt affectus quidam, ſub qua ratione paſſim nominatur compaſſio, & non habet in Deo locum.

Inuidia, ſpecies altera triſtitiæ, quid.

257. Altera triſtitiæ ſpecies ſuperiùs propoſita, eſt inuidia, quæ ab Ariſtotele 2. Rhetor. c. 10. dicitur eſſe *dolor ex eo quòd ſimiles, aliquid boni adepti videantur, non vt quicquam ſibi. ſed propter illos.* Senſus eſt, ioυidum dolere, non quia ipſe inuidus caret bono, quod conſpicatur in alio: (hic enim eſſet affectus zeli, ſiue æmulationis, ex eod. lib. cap. 11.) Vel certè non quia quicquam aduerſum ipſi inuido accidit; ſed quia is, cui inuidetur, bono illo potiens, æquat vel etiam ſuperat, inuidum. Et quidem ſi bonum illud obtigerit indigno, dolor de ea boni poſſeſſione per indignum, appellatur peculiari nomine Nemeſis, ſeu indignatio, de qua eod. lib. 2. Rhetor. c. 9. ſin minùs, retinet commune nomen inuidiæ. Quantum verò ab inuidia abſit, affectus quem æmulationem vocaui, docent illa Philoſtrati epiſt. ad Iuliam *Inuidia*

uidia malitioſos ac peruerſos animos nutrit, æmulatio verò ſplendidos excitat Et inuidet quiſpiam his quæ ipſe conſequi non poteſt: quibus verò aut peior redditur, hæc æmulatur.

Porro cùm inuidia ſit triſtitia quædam, proindéque debeat eſſe de malo, neceſſarium planè eſt, vt is, qui inuidet alteri bonum aliquod, agnoſcat in eo bono alieno, rationem aliquam mali. Quod ſi æmulationem paulò antè tactam, confunderemus cum inuidia, facilè explicari poſſet, dicendo bonum, alienum prout à nobis abſens, atque adeò prout nobis non bonum, inuidere rationem mali, & eatenus poſſe odio haberi, & inuidiam ſeu potiùs æmulationem terminare. Sumendo tamen inuidiam preſsè, & prout ſeiunctam ab æmulatione, dicendum eſt; eatenus inuidiam eſſe de malo, quatenus bonum illud alienum, prout inuolutum cum perſona exoſa, apparet malum: ſiue quia eſt bonum perſonæ indignæ tali bono ob nequitiam: ſiue exoſæ ob damnum, quod intulit, vel illatura eſt: vel denique quia iudicatur infuſcare vel deterere bonum proprium, ſuo ille bono, ex cuius acceſſione proprium, minùs ſplendebit. Quò ſpectauit D Thomas 22. q. 36. art. 1. cùm dixit, inuidiam eſſe triſtitiam de alieno bono, prout obice boni noſtri, & eatenus nobis malo & nociuo; non directè auferendo nobis aliquid, ſed nimis ſplendendo præ nobis. Itaque ea S. Thomæ definitio in Ariſtotelicam recurrit.

Qui rationem inuidiæ à S. Thoma aſſignatam, cum Ariſtotelica collidant.

258. R[illegible]fragantur tamen nonnulli qui approbata Ariſtotelica [illegible] inuidiæ definitione reiiciunt eam, quæ ex S. Thoma propoſita eſt Ita iam olim Martinus [illegible] Magiſtris q. 1. de Temperantia concluſ. 4. & poſt [illegible] Iorca 2. 2. q. 36. ad art. 1. cauſati in primis Ariſtotelem, quem in definitione inuidiæ propoſita, apertè ſignificare aiunt, inuidiam idcirco tantùm concipi, quia diſplicet bonum alterius, quatenus alterius eſt. Quod inſinuari putant illis Ariſtotelicæ definitionis particulis, *non vt quicquam ſibi, ſed propter illos.* Nam ſi qui inuidet, timeret ſibi aliquid ex alieno bono, non concitaretur affectus inuidiæ, ſed timoris; quo plerunque de aduerſarij potentia, tanquam nobis obfutura, triſtamur. Accedit autoritas plurimorum Patrum, qui inuidiam ex eo capite inſectantur, quòd ſi dolor de aliena felicitate, aut triſtitia de eorum bono: vt videre eſt apud Auguſtinum in Pſal. 104. ad illud, *conuertit cor eorum*, & homil. 20. ex 50. Baſilium homil. 21. inter homilias diuerſorum argumentorum. Cypr. de zelo & liuore, & alios paſſim. Quod Hieronymus pulcherrimè in hunc modum dixit, *inuidum ſecretis quibuſdam conſcientiæ vngulis, liuor ipſe diſcerpit; & alienam felicitatem, tormentum eius facit.* Hinc itaque concludant autores prædicti, inuidiæ affectum preſse & in rigore Philoſophico, non eſſe dolorem de bonò proximi, noſtrum bonum obſcurante aut minuente, qui eſt potiùs affectus timoris; ſed eſſe dolorem de bono proximi, quatenus bonum eius eſt. Eſt enim inuidia, partus odij, exeritúrque in eum, quem odimus. Nam quia illum habemus inuiſum; concitamur ad triſtitiam de eius bono; etiamſi bonum eius, excellentiam noſtram aut commodum nullo modo perturbet.

D. Thomæ cum Philoſopho concordia, aperitur.

Hæc tamen rationem inuidiæ à D Thoma aſſignatam, eiúſque conſenſum, cum ea quam Ariſtoteles tradidit, non labefactant. Itaque nego inuidiam apud Ariſtotelem eſſe de bono alieno, præciſè quatenus alienum eſt Sie enim bonum nullam prorſus habet rationem mali, vnde non poteſt odio haberi. Nec repugnant illa Philoſophi verba, *non vt quicquam ſibi, ſed propter illos.* Non enim ſenſus eſt, inuidum dolere de bono alieno, non vt aliqui ſibi eueniat, ſed præciſè quia ea bona aliis obtingunt. Hic enim ſenſus Philoſophi, nullam aperit in bonis illis rationem mali, ob quam poſſint terminare triſtitiam. Senſus ergo Philoſophi eſſe poteſt, qui colligitur ex eod. l. c. 9. vbi ait, inuidum dolere de alieno bono, *non quod ipſi inuido aliquid alterum* ἕτερον, id eſt, bono eius cui inuidetur contrarium, *acciderit, ſed propter ipſum propinquum*; id eſt, propter propinquitatem, qua is qui acquiſiuit bonum, cui inuidetur factus eſt æqualis inuido, vel etiam eo ſuperior. Quæ Philoſophi expoſitio, apertè fert quod S. Thomas docebat de ratione inuidiæ.

Dici etiam poteſt, ſenſum Philoſophi eſſe, inuidum dolere de alienis bonis, non vt quicquam ſibi proſperum accidat, quod ad æmulationem ſpectaret, nec tam eſſet odium proximi, quàm formaliter & immediatè amor ſui: ſed quia ſunt bona eorum quos habet inuiſos & exoſos. Quia enim illos odit, triſtatur, bonum illis accidere. Vbi ſecundus actus, ſiue triſtitia, progerminat, ex odio, habétque illud pro obiecto formali: ita vt quemadmodum præbetur aſſenſus concluſioni, quia præceſſit aſſenſus præmiſſarum mouens & determinans ad aſſenſum concluſionis, ita eliciatur triſtitia de bono alterius, qui odio habetur: quia cùm oderimus illum, moleſtè ferimus, quòd bono illo potiatur.

Ex quo ſequitur, odium ita eſſe radicem & fundamentum inuidiæ, vt tamen ſint affectus, diuerſi ſpecie phyſica. Nam ſe habent ſicut concluſio & præmiſſæ. Sicut enim præmiſſæ fundant aſſenſum concluſionis, à qua tamen differunt ſpecie, quia habent diuerſam rationem formalem aſſenſus, qui ipſis præſtatur: Ita inuidia, cùm ſit triſtitia, ad quam appetitus terminatur per odium, habet aliam ſpeciem phyſicam, quàm odium. Nempe inuidia triſtatur de bono alterius, quia eſt bonum eius, qui habetur odio. Odiū autem auertit perſonam ab altero, ob aliquam aliam cauſam; v. g. qui nocuit aut nociturus creditur, ſaltem luminibus noſtris officiendo, vel quia agnoſcitur ob ſuam turpitudine, & indignus eſſe qui ametur.

Hæc eſt germana mens Philoſophi in loco allegato. Vnde male opponebatur, Ariſtotelem ſtatuere rationem inuidiæ in dolore de bono alieno, præciſè quatenus alienum bonum eſt. Hoc enim non dicit Philoſophus, qui potiùs vult inuidiam eſſe de bono, quatenus eſt bonum hominis exoſi. Eſt autem exoſus, quia eſt nobis incommodus, quod præſertim lubricam viam parat ad triſtitiam de bono eius, ſi illud bonum cedat in malum noſtrum, minuendo pretium & æſtimationem eius boni, quod in nobis agnoſcimus, & efferri ab omnibus ac ſupra omnes vellemus. Quo exemplo tanquam frequentiſſimo inuidiæ incentiuo ac radice vltima, S. Thomas expoſuit rationem formalem odij ad inuidiam præſuppoſiti, non quòd ratio formalis & motiua actus odij, fundantis triſtitiam, atque adeo adæquatum fundamentum remotum & motiuum mediatum inuidiæ; ſit ſola imminutio vel infuſcatio excellentiæ propriæ in aliquo bono, de quo in nobis per alienum bonum infuſcato triſtemur: Id enim falſum eſſet, cùm dari poſſit inuidia, triſtando de bono, quia eſt hominis, quem odi, ob ſuam nequitiam: Sed quod ea excellentiæ noſtræ imminutio, crebrò laceſſat inuidiam, nihilque ſit frequentiùs, quàm ex huiuſmodi alienæ fœlicitatis

citatis vbertate & ſerenitate, cum noſtra pauperie collatis, frontem aſperare atque contrahere. Et quod ad Ariſtotelem reſponſum eſt, æquè accommodandum erit ad patrum dictã, quibus inuidia ſtatuitur eſſe dolor de proximi bono, quatenus eſt bonum talis perſonæ; nempe exoſæ, ob hanc illamve odij cauſam; nominatimque ſi decus noſtrum deterat, & propriis ſplendoribus officiat. Nihil itaque aduerſariis reliquum eſt in autoritate præſidij.

Diſtinctio inuidiæ ab aliis affectibus, illuſtrata.

260. Sed neque in ratione. Nam quod aiebant, à D. Thoma confundi inuidiam cum timore; non rectè dictum eſt. Timor enim eſt de malo nondum immiſſo. Actus autem triſtitiæ de alieno bono, quia bonum noſtrum deterit, eſt de malo noſtro iam immiſſo, & præſenti. Ac proinde etiam ſecundùm illam inadæquatam inuidiæ rationem, ex qua D. Thomas ob paritatem rationis, reliquas intelligi voluit; inuidia quæ triſtitia quædam eſt, & malum præſens ac coniunctum ſpectat, non confunditur cum timore, qui eſt mali nondum coniuncti ac impedibilis. Apertè item ſecundùm ſententiam ex D. Thoma expoſitam, & approbatam, liquet quomodo inuidia, vt aduerſarij rectè aduertebant, ſi partus odij, cóque nitatur, ſalua vtriuſque affectus diſtinctione ſpecifica naturali, quæ tamen non inuehit moralem diuerſitatem. Nam in genere moris, quia eſt eadem repugnantia cum ratione recta, triſtitia quæ eſt germen odij, eſt eiuſdem ſpeciei cum ipſo odio. Sicut delectatio de bonis alterius, cùm nititur mediatè motiuo charitatis, impenſæ illi cuius bona, delectatione nos perfundunt, eſt actus charitatis erga eandem perſonam.

Ab aliis autem actibus, quos Ariſtoteles ſupra memorauit tanquam ab inuidia ſeiunctos; nempe ab æmulatione & nemeſi, facilè quòque ſecernitur, præſertim ab æmulatione. Nam hæc vt dicebam, non eſt formaliter odium proximi, ſed triſtitia de malo noſtro, atque adeo fundatur proximè in amore noſtri ipſorum, ex quo ferimur odium mali noſtri, & triſtitiam de eo ſi adſit. Videſis de æmulatione ſeu zelo, eiuſque à parazelo diſtinatione S. Ambroſium in pſal. 36. *initio*. Sed non ita facilè diſcernitur inuidia à nemeſi, ſiue indignatione, qua quis triſtatur de malo, quia eſt perſonæ tali bono indignæ & exoſæ ob nequitiam: Vel quia effertur ſupra meritum, quod eſt malum, & idoneum obiectum odij. Hæc enim videtur eſſe illa inadæquata ratio inuidiæ, quam ſupra expoſuimus. Et mihi ſanè videtur concedendum, nemeſim illam non eſſe aliquid differens ſiue phyſica, ſiue morali ſpecie, ab inuidia. Sed eſſe ipſummet inuidiæ affectum in tali materia; hoc eſt expromptum erga eum, quem idcirco tantùm odimus, quia bonis potitur vltra condignum, quod eſt diſcrimen merè materiale ab inuidia ſimpliciter denominata.

Inuidia, peculiare homini virus.

261. Perſpicuum porrò ex dictis exiſtimo, inuidiam propriè acceptam, locum non habere extra naturam rationalem, vt rectè cenſuit Marcellus in 2. Dioſcor. c. 2. exponens quod de quibuſdam brutis legimus, nimirum ea quoque tangi inuidia. Sic enim Theophraſtus iuſto opuſculo, & Ælianus lib. 3. de animal. c. 17. produnt ceruos cornu ſuum dextrum terra obruere; equum pulli ſui hippomanes præripere; Phocam vomere ſuum coagulum; lyncem celare vrinam ſuam, eo quod perſpectum habeant, hæc omnia variis de cauſis expeti ab hominibus.

Verùm cùm ad concipiendum inuidiæ ſenſum, eo modo, qui expoſitus eſt, perſpicuum ſit, præexigi comparationem, & diſcurſum, qui brutis omnino negatur: Hunc quoque affectum iiſdem negare neceſſe eſt, nobiſque hoc virus peculiare eſſe agnoſcendum. Itaque bruta, non ex inuidia præſtant quæ obiiciebantur, ſed vel motu aut perturbatione cùm capiuntur, alióve naturæ inſtinctu aguntur ad ea præſtanda, quibus noſtrum inuidiæ motum æmulantur, & quoquo modo efficere videntur. Et ita diſertè docet Theophraſtus opuſc. alleg. *ſub finem*. S. item Chryſoſtomus homil. 4. in acta, ridet Platonem, affirmantem bruta laborare inuidia.

Cauſa triſtitiæ. Ac in primis malum coniunctum.

262. *S*atis multa de triſtitiæ natura, & ſpeciebus. Venio ad eius cauſas, quæ ex hactenus expoſitis perſpicuæ videntur. Oſtendimus enim malum coniunctum, appetitui diſplicens atque adeo præcognitum, ingenerare dolorem, aut ſi de appetitu ſuperiore ſermo ſit, & voces preſſiùs ſumantur, ingenerare triſtitiam. Nomen mali, quam hic notionem habeat, declaratum eſt in ſuperioribus. Non enim quoduis malum, eſt obiectum triſtitiæ, ſed duntaxat ſi ſit coniunctum, & immiſſum nobis aliquo tandem modo. Nam ſicut appetitus cuique inſitus ad vſum duntaxat eius, cui implantatus eſt, deſtinatur, ita non eſt eius refugere, niſi mala proprij obiecti, tametſi quæcunque ad ſubiectum proprium habitudo, vel connexio ſufficit, vt malum eius cenſeri & per appetitum refugi, déque immiſſo triſtitia concipi poſſit. Atque ita dolemus de alienis malis, vel ſi alij tituli deeſſent, quia ſunt perſonarum naturæ nobiſcum communione gaudentium. Mali præterea nomine venit, non ſolùm quod poſitiuè damnoſum eſt, tollendo vel lædendo conuenientem ſtatum noſtrum, ſed etiam priuatio aut carentia boni, de qua poſſe concipi triſtitiam docet æmulatio: Itemque orbitas & præceſſio noſtrorum. Quo tamen aliquid eſt verius & maius malum, eo magis idonea cauſa eſt doloris atque triſtitiæ. Vt propterea S. Chryſoſtomus ſanctè confirmet, nihil eſſe, de quo triſtitiam concipere dignum ſit, ſi cum culpa & malo morali, quod principaliter & veriſſimè malum eſt, componatur.

Eſt tamen, vt Franciſcus Petrarcha rectè notauit l. 2. de remed. dial. 93. *quando nulla prorſus apparens cauſa non morbi, non damni, non iniuriæ, non ignominiæ, non amicorum mors, neque vllus omnino rerum talium & inopinus rumor, ſed dolendi voluptas quadam, mæſtam animam facit. Peſtis eo funeſtior, quo ignotior cauſa, atque difficilior cura eſt. Itaque hanc ſeu animæ ſcopulum omni velorum, vt dici ſolet, ac remorum auxilio fugiendum docet Cicero, cui in hoc quidem, vt in multis, aſſentior.* Non diſſimilia S. Chryſoſtomus loco quem inferiùs dabo num. 271. *in fine*. Sed hoc non ita accipiendum eſt, vt deficiat reuera malum quodcunque, ſiue reipſa, ſiue reſpectu potentiæ cognoſcentis: Quaſi videlicet homo triſtari poſſit, nullo malo obuerſante facultati illi cognoſcenti, quæ appetitui triſtitiam concipienti prælucet. Id enim æquè impoſſibile eſt, ac appetitio abſque notitia præuia, vel tendentia abſque obiecto & termino. Senſus igitur eſſe debet, interdum malum illud, de quo triſtamur, non percipi reflexè, nec diſtinctè obiici intellectui; preſpicere ſatagenti ecquam ob cauſam appetitus concipiat triſtitiam & moroſitatem, qua ſe videt occupari: Quod præſertim contingit, cùm obiectum triſtitiæ, ex multis minutis incommodis partim corporis, partim animi, coaleſcit. Quorum ſingula, non eſſent

idonea ad perturbandam & obnubilandam animæ ſerenitatem. Vnde quia phyſicè non vinculantur, vix deprehendimus, quorſum & vnde triſtemur.

Item mali notitia: idque ſemper contra Ochamum.

263. Circa cognitionem, quam laxato vocis rigore inter triſtitiæ cauſas recenſeo, (vt circa delectationem expoſui,) hallucinatus eſt Ochamus in 1.q 14. *litera I.* exiſtimans, dolorem qui eſt paſſio appetitus ſenſitiui, non ſemper cauſari interuentu præuiæ apprehenſionis. Quod probat; quia ſi eſſet infans recens è matris vtero fuſus, quem couſtat nullum vnquam alimentum apprehendiſſe; certum tamen eſt, quòd naturaliter eſuriret, ac ſitiret, & de non expletis eiuſmodi appetitionibus doleret. Cùm ergo dolor ille, ſupponatur nullam habere apprehenſionem præuiam, fatendum eſt, eum cauſari ab aliqua qualitate corporea, infantem malè afficiente, v g. à calore aut frigore. Enm porro dolorem, exiſtimat Ochamus, eſſe ipſaſmet appetitiones cibi aut potus, quas dicimus famem & ſitim. Dolorem enim diſtinctum à deſiderio, non putat vnquam cauſari naturaliter, niſi ab apprehenſione præuia, quæ nulla eſt in tali infante. Ex quo præterea infert; famem illam ac ſitim in tali puero, eſſe paſſiones ſpecie diſtinctas à fame & ſiti, queis paruulus, cùm apprehenſionem alimenti ac potus aliquando adhibebit, triſtabitur de cibi & potu defectu. Sicut etiam poſita apprehenſione, admittit, inter dolorem & actum appetendi, cerni diſtinctionem ſpecificam enatam ex obiectorum diſtinctione; cùm ante apprehenſionem poſitam, ſola numerica diſtinctio intercederet.

Verùm hæc Ochami ſententia, eſt prorſus commentitia. Impoſſibile quippe eſt, potentiam cœcam, cuiuſmodi eſt appetitus, ferri in obiectum nulla prælucente notitia. Itaque ne in infante quidem, appetitio cibi & potus fit abſque prænotione obiectorum, illorum. Nec refert quòd cibum & potum nullo ſenſu externo vſurpauerit. Nam neque cum vtero concluderetur, ſenſibus externis ea obiecta vſurpauerat: & tamen fatetur Ocham, puerum tunc apprehendiſſe interno ſenſu alimentum & appetiiſſe. Nimirum paruulus, neque intra vterum, neque cùm primùm fame ac ſiti corripitur extra vterum, appetit diſtinctè cibum aliquem aut potum, ac proinde nulla in eo diſtincta apprehenſio talium obiectorum eſt neceſſaria; ſed ſufficit prænotio confuſa alicuius boni, quod ſibi deeſſe ſentit, ſtimulante incommodo quod excitat famem ac ſitim. Niſi tamen ſaltem hæc notitia interueniret, nulla exoriretur appetitio, atque adeò neque triſtitia. Cætera quæ Ochamus inconditè effutiit, non eſt quòd hic fuſiùs exagitem, cùm ex ſuperioribus videantur contrita, aut per ſe concidant. Vt quod ait, aliquem dolorem non diſtingui ab appetitione, quia non præceſſit illam apprehenſio. Itémque quòd ait, appetitionem & dolorem ſubſequentes notitiam, differre ſpecie ab iiſdem antecedentibus. Et denique quòd ait, dolorem & actum apprehendi ante poſitam notitiam, habuiſſe duntaxat diſtinctionem numericam quam paulò ante negauerat intercedere, cùm apprehenſio non prælucet appetitioni atque dolori.

Nec non mali nolitio: Semper item, & vbique

264. Alia triſtitiæ & doloris cauſa, nempe determinatiua & obiectiua, eſt nolitio, iuxta Ochamum in 1.q 15. & Almainum in 3. d. 15. de qua, ſeruata proportione, philoſophandum eſt, ſicut de volitione ſupra fecimus quoad delectationem. Eſtque huius cauſæ optimum iudicium, quòd, vt aduertit Gabriel in 2. d. 7. q. vnica *litera N.* tanto grauior eſt triſtitia, quanto maior fuerit nolitio. Quòd ſi nolitio excludatur, quantumuis malum ſit graue, nulla exorietur triſtitia; quæ eſt euidens nota dimanantis ex nolitione triſtitiæ.

Volo autem id valere, & quoad dolorem, & quoad triſtitiam; quia diſplicet Scotus in 3. d. 15. q. vnica *litera D.* & Gabriel ibid. *litera C.* quibus viſum eſt dolorem, qui in appetitu ſenſitiuo procreatur, non præexigere vllam nolitionem, ſed ex ſola appetitus & obiecti diſconuenientia cognita enaſci: quamuis concedant, in voluntate triſtitiam exurgere, tantùm præcedente actu odij, dempta duntaxat triſtitia de obiecto naturaliter diſconueniente voluntati vt eſt natura, quam triſtitiam Scotus *litera E.* & Rada in 3. controuerſia 10. art. 1. notab. 4, admittunt non præexigere nolitionem elicitam, ſicque aiunt neminem poſſe non triſtari de miſeria, quamuis eam nullo poſitiuo actu haberet odio. Quod item admittant de triſtitia voluntatis, verſante circa obiectum naturaliter diſconueniens appetitui ſenſitiuo, ob colligantiam harum potentiarum. Extra hos autem euentus, fatentur, triſtitiæ voluntatis ſemper præire nolitionem mali coniuncti, quamuis dolorem appetitus nulla ſimilis nolitio antecedat. Rationem autem diſparitatis proferunt: quia appetitus ſenſitiuus, habet obiectum ex natura ſua diſconueniens, quippe natura ſua læſiuum. Vnde ex ſola eius perceptione per ſenſum prælucentem, poteſt exiſtere dolor, quamuis nullum eius odium anteceſſerit. Sicut tenera nullum experimur actum in appetitu circa malum præſens, diſtinctum à dolore, eóque anteriorem.

265. Hanc ſententiam exiſtimo eſſe repudiandam. Neque enim video, quorſum appetitus inferior dicatur habere obiectum vltimatè diſconueniens ex ſola rei natura, & antecedenter ad nolitionem illud refugientem; nec idem dicatur de appetitu ſuperiore: Quandoquidem reſpectu vtriuſque, poteſt dari obiectum ex natura ſua læſiuum, quod expreſsè admittit Gabriel. Atqui tota ratio cur obiectum appetitus ſenſitiui dicatur eſſe vltimatè diſconueniens, excludendo odium; eſt, quia tale obiectum, eſt ſuapte natura læſiuum. Ergo vel ea ratiocinatio æquè probat, non exigi nolitionem præuiam triſtitiæ voluntatis; quod idem authores meritò reſpuunt, cùm ſit contra apertam experientiam: vel nullo modo probat, odium non debere præmitti dolori, qui de obiecto malo coniuncto, concipitur in appetitu ſenſitiuo.

Quòd autem in voluntate quoque, admittunt euentus aliquos, in quibus nulla præmiſſa nolitione, poſſit exurgere triſtitia, non eſt conſequenter dictum. Nam ſi obiectum voluntatis, non eſt ei vltimatè diſconueniens ex natura rei, niſi per formalem nolitionem, vt ipſimet aduerſarij ſtatuunt; ſequitur apertè, non poſſe voluntatem triſtari de miſeria beatitudini aduerſante, (quam aiunt eſſe naturaliter diſconuenientem,) niſi accedat nolitio elicita, complens miſeriæ illius diſconuenientiam; quod tamen ipſi inficiantur. Item ſequitur, voluntatem, non obſtante connexione ipſius cum appetitu, non poſſe triſtari de obiecto naturaliter diſconueniente appetitui, niſi priùs ſaltem natura præceſſerit odium voluntatis, circa tale obiectum, toti ſuppoſito malum. Nam ſympathia potentiarum, earúmque radicatio, aut, vt aduerſarij loquuntur, colligantia in eadem anima, ſufficit quidem ad excitationem vnius facultatis per alteram cum ea connexam: Non tamen ad ſupplenda quæ neceſſaria ſunt, ex parte potentiæ excitatæ. V g. oculus

poteſt

poteſt excitare phantaſiam,ad percipiendum obiectum quod feriit externum ſenſum: ſi tamen verum ſit, internum ſenſum præexigere ſpeciem impreſſam, qua ad operationem ſuam determinetur, neceſſe eſt, vt ea ſpecies aliunde ſuppeditetur. Similiter voluntas, ob ſympathiam, poteſt excitare vim motricem neruis inſidentem ad cauſandum motum, dummodò tamen ſpiritus animales ad progreſſionem neceſſarij, aliáque motus adiumenta non deſiderentur. Idem ergo contingit in re præſenti.

Aliter hos euentus excludit Ocham in 3.q.14. *litera Q.* & Gabriel ſupra *litera D.* tametſi Gabriel admodum anceps eſt, & Scoto non obſcurè adhæret. Aiunt enim eum, qui ſe interimit, quamuis corruptio quam infert, ſit diſconueniens voluntati, vt eſt natura; tamen non triſtari per voluntatem, etiamſi triſtetur per appetitum ſenſitiuum. Quod item dicunt de Apoſtolis, & Martyribus, voluntate gaudentibus, ac proinde non triſtantibus de ſupplicijs & contumelijs, quas ſubibant. In quibus exemplis, neque diſconuenientia obiecti cum voluntate vt natura, neque ob colligantiam cum appetitu, ſufficit ad extundendam voluntatis triſtitiam, ob excluſam voluntatis ipſius nolitionem. Hæc tamen impugnatio, non eſt ſolida. Supponit enim, omnem triſtitiam voluntatis, defuiſſe perſonis illis dolorem appetitus ſubeuntibus. Quæ ſuppoſitio falſa eſt. Item in primo exemplo, ſupponitur, non poſſe in voluntate gaudium ſimul & triſtitiam de eodem ſubiecto ſub diuerſis rationibus reperiri. Quod item falſum eſt. Fixum itaque ſit, ante quamcunque triſtitiam & dolorem, ob rationes quas propoſuimus, exigi odium mali, eo quòd inquietudo illa & reniſus, quibus triſtitia & dolor conſtituitur, feratur in malum exoſum & inuiſum.

Eam mali nolitionem, ſufficit eſſe conditionatam.

166 Difficultas verò ſupereſt, an actus nolendi conditionatus ex parte obiecti, qui poteſt in voluntate dari, vt latè ſupra declarauimus, ſufficiat ad ita complendum obiectum triſtitiæ. Negat Caietanus, probátque ex beatis, quibus multa accidunt, quæ conditionaliter nollent, nec tamen de eis triſtantur. V. g. pater in cœlum euectus, nollet filium ſuperſtitem damnari, quem tamen abſque mœrore videt in lethali culpa expuere animam. Affirmant autem Scotus, Ocham, Gabriel & Rada ſupra. Molina in concord. diſp. 19. memb. 1. & meritò. Conſtat enim mercatorem, ingruente tempeſtate, adactum ad proijciendas merces, velle quidem ſimpliciter illas proiicere, vt naufragium imminens euadat; tamen nolle conditionatè proiectionem mercium. Ita namque vult eas iacere, vt tamen nollet id facere, niſi videret id eſſe neceſſarium ad effugiendum diſcrimen. De tali autem proiectione tantùm conditionaliter nolita, triſtitiam concipit. Argumentum verò Caietani eſt omnino infirmum. Nam beati non ſunt capaces illius triſtitiæ, ob præoccupatam immenſitate gaudij voluntatem: ipſe tamen actus nolitionis conditionatæ circa quædam mala, eſt de ſe idoneus ad determinandam voluntatem, vt expromat actum triſtitiæ de eo obiecto. Eſto ob ſubiecti incapacitatem, vis illa non exeratur, neque ſortiatur effectum.

Qui ad triſtitiam facti.

Ex iis, quæ de cauſis huius paſſionis dicta ſunt, liquere poteſt, quinam ei ſint maximè obnoxij. Nimirum ſtatuendum eſt cum Fracaſtorio l. de Sympath. c. 18. eos ferè triſtitiæ eſſe obnoxios, qui contrariis ægriùs reſiſtunt, & læta obire, idonei non ſunt. Itaque ſenes, & ægri, & qui valetudinem nondum confirmarunt, quia pauci caloris ſunt, & exangues, ac debiles, ægréque contrariis obſiſtunt. Nec aliter ſtatuendum, de iis in quibus melancholia, & amarior ſanguis abundat. Sunt enim alieni à iocis & lætis quibuſuis, rapiente aliò naturali temperie. Quò ſpectant quæ Plinius l. 7. c. 19. de quorundam rigiditate diſputat. *Ferunt*, inquit, *Craſſum, auum Craſſi in Parthis interempti, nunquam riſiſſe, ob id Agelaſtum vocatum: ſicut nec fleſſe multos. Socratem clarum ſapientia, eodem ſemper viſum vultu, nec aut hilari magis aut turbato. Exit hic animi tenor aliquando in rigorem quendam, toruitatémque natura duram & inflexibilem, affectúſque humanos adimit. Quales apathes Græci vocant, multos eius generis expertis, quódque mirum ſit, authores maximæ ſapientiæ, Diogenem Cynicum, Pyrrhonem, Heraclitum, Timonem: hunc quidem etiam in totius odium generis humani euectum.* Sed & iracundi, triſtes ſunt, quòd ira adiunctam ſemper & admiſtam habeat triſtitiam, ratione mali offendentis, quod bilem conciuit. Eam triſtitiæ ſpeciem, quæ ex alieno bono ducitur, ſiue inuidiam, oſtendi ſupra, & pleniùs eùm de beneuolentiæ oppoſitis, excitari inter æquales & in eis vigere: quòd probroſius, & peius eſſe nobis ducamus, ſi ipſi priùs æquales, aſſurgant, extollantúrque ſupra nos. Obſeruátque rectè S. Chryſoſtomus hom. 47. in Ioan. conſanguineos, cùm ex ſuis aliquem creſcere vident, eſſe facilè huic affectui obnoxios.

Triſtitiæ effectus, teterrimi.

167. Effectus triſtitiæ planè redolent parentem, ſúntque tales, vt à nullo affectu, plus homini creetur moleſtiæ. *Cùm omnis perturbatio*, inquit Tullius Tuſcul. 3. *miſeria eſt tum carnificina eſt ægritudo. Habet ardorem libido: leuitatem lætitia geſtiens; humilitatem metus: ſed ægritudo maiora quadam: Tabem, cruciatum, afflictionem, fœditatem, Lacerat, exedit animum, planéque conficit.* Nec animo tantùm alacritatem adimit, eúmque miſerè lacerat mœror, & veluti nebula obducit: ſed etiam odium illi, ac faſtidium, & rerum omnium humanarum, & ipſiuſmet hominis immittit: Inuátque altiùs mergi in luctum, quo magis luctui aliquid conceſſum eſt. Lux ipſa refugitur amore triſtitiæ, quam Solis ſerenitas diſcutit. Homo denique cor ſuum exedit, iuxta vetus præceptum, *cor ne edito*, quod huc ſpectaſſe, ita docet Clemens Alex. 5. ſtrom. c. 3. *Myſtæ prohibent veſci corde. docentes non oportere animum mordere, & exedere ſocordia & dolore, propter ea quæ præter conſilium & opinionem eueniunt, Miſer ergo ille eſt, quem Homerus quoque dicit, ſolum errantem, ſuum animum exedere.*

Illuſtriſſimum huius miſerandæ conditionis ex mœrore exemplum, eſt Niobe, quæ idcirco in ſaxum verſa in fabulis dicitur. Et Hecuba, quæ quod ei mœror demum in rabiem ac deſperationem verſus ſit, in canem mutata fingitur. Et vt fabulas mittamus, in eum planè numerum referenda eſt Octauia Marcelli mater, cuius rigidiſſimum mœrorem, Seneca grauiſſimè expreſſit in conſ. ad Marciam c. 2. Nullum finem, *inquit*, per omne vitæ ſuæ tempus flendi gemendique, fecit: Nec vllas admiſit voces ſalutare aliquid afferentes. Ne auocari quidem ſe paſſa eſt, intenta in vnam rem, & toto animo affixa. Talis per omnem vitam fuit, qualis in funere. Non dico, non auſa conſurgere ſed alleuari recuſans, ſecundam orbitaté iudicans lachrymas omittere. Nullam haberi imaginem filij chariſſimi voluit, nullam ſibi fieri de illo mentionem. Oderat omnes matres. & in Liuiam maximè furebat, quia videbatur ad illius filium tranſiſſe, ſibi promiſſa felicitas. Tenebris & ſo-

litudini familiariſſima, ne ad fratrem quidem reſpiciens. Carmina celebrandæ Marcelli memoriæ compoſita, alióſque ſtudiorum honores, reiecit, & aures ſuas aduerſus omne ſolatium clauſit. A ſolemnibus officiis ſeducta, & ipſam magnitudinis fraternæ nimis circumlucentem fortunam exoſa, defodit ſe, & abdidit. Aſſidentibus liberis, nepotibus, lugubrem veſtem non depoſuit, non ſine contumelia omnium ſuorum, quibus ſaluis orba ſibi videbatur.]

268. Luculenter de his aliiſque triſtitiæ damnis, B. Nilus orat. de triſtitia, quæ eſt quinta de variis vitiis. Nec pauca S. Chryſoſtomus l. 1. & 3. de prouid. ad Stagirium mœrentem, & orat. 2. de prouid. & luculenter epiſt. 7. his verbis. [Triſtitia animarum, crudele tormentum eſt, dolor quidam inexplicabilis; & iudicium, omni iudicio, vindictáque deterius. Nam & vermi eſt ſimilis venenato, non ſolummodò carnem, ſed & animam ipſam perimens. Et tinea non ſolùm ad oſſa, ſed ad corda pertingens; & perpetuus quidam carnifex, non animam dilanians, ſed vires animæ conſumens: & iugis nox, ac tenebræ profundæ, & tempeſtas, & turbo, febris non apparens, omni igni validiùs incendens, & pugna requiem non habens, & languor plurimos obſcurans videntium. Nam & Sol & huius perſpicui aëris natura, impedimentum videtur eſſe taliter affectis, & in ipſo meridie, profundiſſimam noctem videtur imitari. Vnde & admirabilis Propheta dum ſignificaret iſta, dicebat. *O ciàit illis Sol meridie*, non tanquam ſydere diſſipato, neque tanquam ſi huius curſus eſſet inciſus: ſed quòd in mœroribus anima conſtituta, etiam diei lucem, noctem putaret. Non enim noctis tenebræ tales ſunt, qualis nox mœroris exiſtit: non quidem veniens ex lege naturæ, ſed ex cogitationum obſcuritate collecta, formidabilis quædam & intoleranda ſubſiſtens, crucem circunferens, faciémque omni tyranno crudeliorem præ ſe ferens; nulli facilè obtemperans eorum, qui eam diſſoluere moliuntur, ſed adamante fortiùs tenet frequenter animam captiuatam, ſi quando hæc, plurimâ philoſophiâ vſa non fuerit.]

Pulcherrimè item S. Antiochus homil. 25.

Virus triſtitiæ ex tam horridis effectibus concluditur.

Sed quod ex tam tetris affectibus, virus cauſæ paulò ante attingebam ex Tullio, pleniùs exponit Dio Chryſoſtomus orat. 16. miratus, omnes tam facilè hoc affectu capi, támque pertinaciter ei adhæreſcere. [Quod multi quidem, *inquit*, à voluptate deuincuntur, in cauſa forſan eſt, quòd deliniti & incantati apud eam manent; ægritudini verò ſuccumbere, omnino ratione caret, & admirabile eſt. Luctu enim repleti, tortique difficillimo omnium tormento, in eo manemus, & rationem quæ nos liberos facere queat, nóſque abſoluat à doloribus, non admittimus. At verò quid tandem abiectius homine, ægritudine affecto, & quod aliud turpius ſpectaculum? Etenim & corporis (opinor) craſſitudinem contrahit, & tetricum aſpectúque inamœnum reddit. Non ſolum verò cedere huic animi corruptioni; verùm alias etiam quaſdam extrinſecùs ſtudioſè comparare; vt nigrum amictum, & manuum complicationes, & humiles cathedras, quo ab his quodammodo animus compellatur nunquam ægritudine deſiſtere, ſed ſemper recordari, atque ægritudine affici, certum habentes quaſi nulla futura ſit liberatio huius, niſi ſemper omnino aliqua perturbationis cauſa appareat, nónne vehementer ſtolidum eſt?]

Cæterùm quod hunc affectum, tetrum ac virulentum dixi, nolim vniuersè accipias, quaſi nulla ſit approbanda triſtitia, & ab omni mœrore declinandum tanquam à lue. Hoc eſſe omnino falſum, poſſem benè multis demonſtrare. In præſentia tamen ſatis erit locus S. Chryſoſtomi ex lib. 1. de compunct. cordis *ſub finem*. Ibi inſignes mœroris moderati, & ad rectæ rationis præſcriptum exacti, fructus aperit, rerum præſertim fluxarum deſpectionem, & irritamentorum peccandi ſubmotionem, quam oſtendit in illis qui vitæ genere cæteroqui molliſſimo, & ſolutiſſimo, ſi quando tamen ſuorum aliquem amiſerint, per luctus tempora, frugi euadunt. [Velut fulmine quodam ictâ animâ, *ait S. Chryſoſtomus*, aufugiunt continuò nec vſquam apparent omnes illæ molles & diſſolutæ deliciæ: Nuſquam ventris cura, aut ſollicitudo carnis habetur, ſed acerrimæ continentiæ introducitur philoſophia: Abſtinetur ab omnibus, aguntur extenta ieiunia, iuges vigiliæ, humi requieſcitur, ſummum ſilentium, quies magna, humilitas vltima, manſuetudo ineffabilis, miſeratio immenſa; Etiamſi auferantur omnia, etiamſi decipiantur, nihil pro his animus curat, nihil mouetur, Etiamſi igne concrementur vniuerſa, & cenſus pariter cum domibus pereat, non indignatur, non iraſcitur. Multos ego noui, poſt amiſſionem charorum, nec vrbes habitare voluiſſe, ſed commigraſſe ad agros, atque ibi ieiunam & ſobriam duxiſſe vitam. cum omni ſilentio & quiete Alios memini in ipſis defunctorum ſuorum ſepulchris habitaculum poſuiſſe, atque inibi vitam ſimilem mortuo tranſegiſſe. Sed hæc poſtmodum. Interim donec dolor in augmentis eſt, nihil curat anima, nihil cogitat. Procul omnis illa inſania congregandæ pecuniæ, procul omnis cupiditas poſſidendi: Honoris autem & ambitionis apud eos gloria, tunc verè vt fœnum, & velut flos fœni videtur, & talis, quaſi quam flamma triſtitiæ in cinerem verterit: Et ita ex omni parte anima transfertur ad philoſophiam, vt deliciarum atque ſuauitatum vitæ huius, ne ratio quidem vlla habeatur: Imo priùs ſi quid priùs delectabile viſum eſt, ſi quid gratum, id nunc amariſſimum & odibile ducitur.] Subdit de famulorum quoque, & omnium domeſticorum philoſophicis per ea tempora ſermonibus, mundi contemptum, rerúmque mortalium caducitatem, vtque omnia hîc agantur tanquam in ſcena, nihil verò inane aut fluxum, celebrantibus. *Tunc verè miſera apparent, probroſaque, diuitiæ: Tunc fœda videtur iactantia: Inuidia verò, & ira, & concupiſcentia, ac libido, ne ad extremas quidem ianuas lugentis accedit, ſed hæc omnia fugantur, omnia extinguuntur, ita vt ne odor quidem horum, vllus occurrat.*

Triſtitiæ remedia; communia. Ac primùm expenſio inutilitatis triſtitiæ, præterquàm ad eluendum peccatum.

169. Remedia huius paſſionis, vniuersè petenda ſunt, partim ex iis quæ profero cùm de Eutrapelia; partim ex triſtitiæ damnis proximè expoſitis; partim denique ex eius inutilitate ad omnia, ſi vnum demas, ad quod eius vſus apud pleróſque mortaliùm admodùm friget, nempe peccatorum apud Deum obliterationem. Ad reliqua quippe omnia, quamuis frequentiſſimè adhibeatur, eſt tamen prorſus inutilis, non minùs quàm grunnitus. & calcitratio porcelli, cùm mactatur, inutilis ei omnino eſt. Quæ eſt conſideratio, quam dolentibus proponi vult Antoninus lib. 10. de vita ſua n 30. Placet dignam Chryſoſtomo ratiocinationem huic loco congruentiſſimam proferre ex hom. 5. ad pop. *Propter hoc triſtitia facta eſt, non vt in morte, nec in vlla alia re tali doleamus; ſed vt ipſa ad*

ad delenda vtamur peccata. E quod hoc verum ſit, exemplo facio manifeſtum. Remedia medicinalia propter illos tantum morbos facta ſunt, quos tollere poſſunt, non propter illos, quos nihil adiuuare poſſunt. Puta, (adhuc enim manifeſtiorem volo rationem facere,) medicamentum oculos lippientes tantum iuuare valens, nullum verò alium morbum, propter oculorum ægritudinem tantùm, factum eſſe dicere quis poſſet. non propter ſtomachum, neque propter manus, neque propter vllum aliud membrum.

Itaque iudice Chryſoſtomo, non minùs ineptit qui triſtitiam adhibet ad aliquid aliud à peccato, quam ineptiret, qui collyrium talo, vel femori laboranti adhiberet. Hoc erit per ſe manifeſtum, ſi conſtet, perinde ſe habere triſtitiam ad culpæ abſconſionem, vt ſe habet collyrium ad oculi ægritudinem, quod continenter ſic confirmat. [Transferamus igitur rationem ad triſtitiam & ſi inueniemus, quod accidentium nobis, nihil adimat: peccatum verò ſolum corrigit, certum quòd propter huius ſublationem tantum, conceſſa eſt. Percurramus igitur ingruentium nobis grauium quodque, & triſtitiam ſuperaddamus. Videamus quid ex hac fiat vtilitatis. Mulctatus eſt quiſpiam pecuniis, triſtatus eſt, mulctam non emendauit: filium amiſit, doluit, mortuum non reſuſcitauit, nec defuncto profuit. Flagellatus eſt quis, alapis cæſus contumeliis affectus, doluit, non reuocauit contumeliam. Valetudinem quis incidit, & ægritudinem grauiſſimam, doluit, ægritudinem non ſuſtulit, ſed & difficiliorem reddidit. Vides horum nulli prodeſſe triſtitiam? Peccauit quis, triſtatus eſt, peccatum deleuit, diſſoluit delictum. Vnde hoc manifeſtum? Ex Domini ſententia. De quodam enim præuaricato loquens, dicebat; Propter peccatum pauliſper ipſum contriſtaui, & vidi quòd triſtatus eſt. & inceſſit mœſtus, & ipſius vias correxi. Propterea & Paulus dicit. Quæ enim ſecundùm Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur.] Sic perſpicuè demonſtrata, ea propoſitione quam aſſumptam dixeram, ſiue æquiparatione collyrij talo adhibiti, & triſtitiæ in alium finem vſurpatæ quàm ad eluendam culpam, eiúſve frutices, ſequitur concluſio intenta. *Igitur poſtquam manifeſtè oratio demonſtrauit, quòd neque pecuniarum mulctum, neque contumeliam, neque calumniam, neque flagellum, neque valetudinem, neque mortem, neque aliud quid talium inducta triſtitia inſtaurare poſſet, ſed ſolum delere peccatum: & huius eſt deſtructiua; certum quòd propter hanc ſolam cauſam facta eſt. Ne amplius igitur pecuniarum iacturam doleamus, ſed cùm peccamus tantùm, doleamus. Multa enim hic ex triſtitia vtilitas.* Omnis autem de alio quouis malo triſtitia, inutile planè eſt tormentum, & in eum finem abſurdè ac præpoſterè vſurpatum.

Rurſus homil. 7. initio idem argumentum vrget, breuiùs quidem, ſed tamen pereleganter & validè. *Illud*, inquit, *omnium maximè vos meminiſſe rogo, quod triſtitiam nobis Deus non ob aliud indidit, niſi propter ſolum peccatum, & hoc per ipſam rerum experientiam manifeſtauit. In pecuniarum enim mulcta, & morte, & ægritudine & aliis nobis ingruentibus moleſtiis dolentes & mœrentes, non tantùm nullam conſolationem capimus, verùm & moleſtias augemus. In peccatis verò ſi doleamus & contriſtemur, peccati magnitudinem minuimus, & quod erat magnum, reddimus paruum: ſæpè verò & funditus ipſum totum delemus. Hoc mihi continuè recordamini, vt peccato tantùm doleatis; nulli autem præterea re.*

Commiſeratio aliorum.

170. Habetur etiam idoneum triſtitiæ lenimen aliorum commiſeratio & collachrymatio. Hanc enim eſſe accommodatiſſimam triſtitiæ & doloris medelam, ita declarat S. Chryſoſtomus homil. 1, in 2. ad Timoth. *Solet ſocietas eorum, qui mœroris noſtri participes ſunt, doloris maximam partem auferre. Quemadmodum enim cùm quis ferendo oneri accedit ſocius, eum qui ſolus ferebat, alleuiaſſe dicitur: ita & in aliis omnibus, huiuſmodi ſocietas ex miſeratione profectu, vim maximam alleuiationis habet.* Hac ex cauſa Origenes homil. 9. in Ierem. ad illud capitis 13. *Diſpergam eos virum à fratre ſuo, & patres & filios pariter*, ait prouidiſſe. Deum eam ſegregationem charorum ab inuicem, ne ex ſocietate minueretur dolor, eſſétque mitior & tolerabilior punitio. Idque humano exemplo confirmans, addit, *Scio quoſdam Reges, eos qui imperio ſuo inſidiati ſunt, ad deſertas inſulas deportare ſolitos, & pro magnis ſuppliciis hoc iubere, ne in vno loco exilij pœnam ſuſtineant; ſed in aliam partem orbis, vxor, in aliam liberi exterminentur: vt ne in calamitatibus quidem ſuis perfruantur ſolatio, aut pater filij, aut mater filia, aut frater fratris, &c. Vt igitur creſcat dolor pœna corripientis, ij qui corripiuntur, ab inuicem ſeparantur. Nam quodammodò lenius fit ſupplicium, ſi plures in eodem loco conſtituti, in eum ſe conſolantur alloquiis.* Confirmat id quoque Ariſtoteles 9. Eth. cap 11. etiamſi de cauſa anceps. *Qui dolent*, inquit, *condolentibus amicis, ſubleuari conſueuerunt. Vnde etiam dubitaret quiſpiam, numquid quaſi oneris partem ſuſcipiant. An id quidem minimè, ſed præſentia ipſorum ſuauis cùm ſit, condolendique intellectio, dolorem minorem reddat. Sed hiſcine ob cauſam, an ob aliud quippiam ſubleuentur, omittamus: Euenire tamen perſpicuè illud quod dictum eſt, videtur.* Addit verò poſtmodum, tametſi ſuaue eſt animo, amici erga ſe beneuolentiam & fortuna reflante, conſtantiam agnoſcere, indéque leuari dolorem contingat: Tamen nemini benè erga amicum animato, & virili pectore, placere accerſitam amico triſtitiam, ex luctus ſui communione. Ideóque muliebre eſſe quærere collugentes. Qui autem viriliter ſe gerunt, curare ne ad amicos, quantum fieri poteſt, permanet afflatus calamitatis, quâ ipſi premuntur, & hos, quippe generoſiores, eſſe imitandos. Quod obſignat præſtanti illa clauſula *Quocirca videretur ad proſperas fortunas promptè amicos eſſe inuitandos: beneficum enim eſſe honeſtum eſt: ad aduerſas autem tardè, quippe cùm malorum participes quàm minimùm facere amicos deceat. Vnde illud: eſſe me miſerum, eſt ſatis. Maximè autem aduocandi ſunt amici, quando parua moleſtia ſuſcepta, prodeſſe multum poſſunt. At ire è contrario fortaſsè conuenit, ad infortunatos non inuitatum & promptè: amicis enim benefacere eſt, & maximè iis qui in indigentia conſtituti ſunt, & qui non petierunt. Vtriſque ſiquidem honeſtius eſt, atque iucundius.*

Omnium paritas, nemine mœrori ſubducto.

171. Miſerorum ſolatium eſt, ſed tamen optimum, quod Plutarchus in conſolatione ad Apollon. *ſub initium* inter cætera huius affectus remedia enumerat: vt videlicet, conſideret qui triſtitia premitur, cum quot quantiſque ærumnis conflictentur mortales omnes, magni iuxta ac infimi. Sanctus item Chryſoſt. homil. 1. in 2. ad Timoth. hunc affectum eſſe latepatentiſſimum, & omnibus ferè humanis ne-

gotiis obrepere, ſolita ingenij fœcunditate, egregiè aperit, tanquam ſingulare moleſtiæ leuamen. Partem adſcribo longæ diſputationis. [Non ſunt caſus omnes communes omnibus. Cæterùm alius ex vxore, alius ex filio, ex ſeruo alius, alius ex amico, alius ex inimico, alius ex vicino, alius ex quouis detrimento cauſam mœroris ducit. Plurimæque ſunt doloris cauſæ atque differentes. Prorſúſque neminem inuenies triſtitiæ ac doloris exortem, etſi alius magis, minuſque alius doleat. Non itaque feramus grauiter, neque nos tantummodò triſtia pati arbitremur. Neque enim fas eſt, vt homo qui ſit, mortalémque hanc agat vitam, doloris angoríſque ſit expers. Sed niſi hodie, cras ſe ingeret mœſtitiæ cauſa. Quod ſi non cras, poſtea certè mœſtitia ſuccedet. Quemadmodum denique fieri non poteſt, vt qui nauigant, abſque cura ſint: ita & qui vitam hanc fragilem viuunt, abſque ſollicitudinis angore eſſe non poſſunt. Nam ſiue quiſpiam diues ſit, plurimæ illi mœſtitiæ occaſiones, cauſæque non deſunt: ſiue Rex, curis diſtinetur innumeris. Neque enim vel illi omnia ex ſententia proueniunt; ſed plurima quæ minimè velit, perpeti cogitur. Ille verò in primis eſt, qui contra voluntatem ſuam gerit omnia, habétque qui accipere parati ſunt, quæque illius ſunt. Conſidera denique quanta illi ſuppetat mœroris cauſa, cùm velit quippiam, neque agere valeat, ſiue metus obſiſtat, ſiue ſuſpicio: ſiue hoſtes item, ſiue amici impedimento ſint: Sæpè item, etiam cùm aliquid agere nititur, pro votóque ſuccedit; omnem tamen actus illius voluptatem obſcurat aduerſantium multitudo.]

Hactenus de his qui inter ſeculi fluctus cum vndis luctantur: quorum planè nullum, quantumuis aliis videatur placidus, agitatione, & iactatione vacuum, mœroréve liberum, demonſtrauit. Quæ addit, pertinent ad Chriſti Philoſophos, vt nominare ipſe ſolet: ad Monachos inquam, eóſque omnes qui ſeculum abiecêre; de quibus in hac re, ita pronunciat. *At vel illos fortaſsè putas mœroris exortes, qui vitam curis ac negotiis vacuam elegerunt? Minus quidem illi, quàm reliqui perturbantur: non tamen penitus vacare poſſunt, ſicuti immortalem eſſe hominem, poſſibile non eſt.* Apparet eum molli brachio, tantúmque ne cauſam in qua verſabatur, non ex fide ac ſyncere tractaſſe videretur, meminiſſe mœroris ad Aſcetas quoque pertinentis. Itaque eo duntaxat leuiſſimè perſtricto, regreditur illico ad ſeculares, hæc continenter ſubiungens. *Quantam verò moleſtiarum hi qui ſeculo addicti ſunt, perpeti cogantur, quis explicet? Soli profectò id nouerunt, qui patiuntur. Quàm multi ſæpè inter illas opes atque diuitias mori optauerunt? Neque enim vel ipſa dein in mœrore penitus vacant: Imò & innumeras quotidie doloris, morborum, ac mœſtitia occaſiones gignunt. Nam cùm animus in huiuſmodi tranſierit habitum, etiamſi nulla cauſa ſubſiſtat, conſueuit doloribus affici. Aiunt denique & medici, ex diſpoſitione ſtomachi, dolores intempeſtiuos gigni. An verò id non apud nos quoque contingit, cùm dolemus, neque vllam materiam doloris aſpicimus? Neminem itaque prorſus inuenies dolore ac mœſtitia vacantem.*

Subdit longam triſtitiæ ſementem ex eo quod vnuſquiſque alienam ſortem ſuæ præferat & ſibi vberiorem triſtitiæ materiam affluere arbitretur, dum nemo vnquam ſorte ſua contentus eſt concludítque. *Innumera ſi doloris cauſa. vndique ingerunt. Vna igitur & ſola via eſt, hanc inæqualitatem euadendi; ea ſcilicet qua ad virtutem ducit. Quanquam ne ipſa quidem, triſtitia vacet, ſed qua vtilis ſit, & lucra vtilitatémque parturiat.*

Diuina in hominem beneficentia, gaudij ſeges, & mœroris amuletum.

171. Non omittam quod ad huius affectus curationem plurimum conducere cenſuit Franciſcus Petrarcha lib. 2. de remed. dial. 93. nempe expenſionem tam multorum, quibus nos Deus exhilarare, & ſumma voluptate perfundere voluit, quæ ille longè præponderare contendit, coronæ illi malorum, quibus vniuerſa vita noſtra circunſepitur. Iucundiſſimum enim eſt, mente retractare, tantam ſummi in nos opificis benignitatem; tam variam, & tam amœnam in ſuis operibus ſapientiam, tam diuitem, & ad agendum potentem vim. Rationem ille inducit colloquentem cum hominibus triſtitia grauatis eiúſque aculeos retundentem: præfatus, quòd infelicitatem humanam, & plurimam mœroris ſementem vnicuique propriam, iuſtis voluminibus defleuerint plerique; nemo ad eam diem, de iis iucunditatis argumentis, quibus omnes abundant, quicquam ſcripſiſſet, aggreſsique aliqui deſtitiſſent: factum metu ſannarum ex argumento adeò paradoxo; vel laboris impendendi in eruendam, & ſtylo altiùs effodiendam, latentem venam, tametſi vberem; iis quidem qui penitius introſpexerint, nec hæſerint in extima cruſta. Quod ille demonſtrat, in hunc modum. [An autem, vt ex multis ſummam delibem, parua vobis gaudij cauſa eſt; imago illa & ſimilitudo Dei creatoris, humana intus in anima, ingenium, memoria, prouidentia, eloquium, tot inuenta, tot artes huic animo famulantes, huic corpori, quibus neceſſitates veſtræ omnes diuino beneficio comprehenſæ ſunt, tantæ quoque opportunitates, neceſſitates, & tam variæ rerum ſpecies, non neceſſitati tantùm veſtræ, ſed oblectationi ſeruientium miris & ineffabilibus modis: Tanta vis radicum, tot herbarum ſucci, tot florum tam iucunda varietas, tot odorum & colorum, & ſaporum, & ſonorum, ex contrariis orta concordia, tot animalia cœlo, terris ac pelago, non niſi veſtris vſibus dedita, hominiſque ſolius ad obſequium creata? Niſi enim peccati iugum ſponte ſubiiſſetis, omnium quæ ſub cœlo ſunt, dominium haberetis. Adde collium proſpectus, apricationes vallium, vmbroſos ſaltus, algentéſque alpes, & tepentia littora. Adde tot ſalubres ſcatebras aquarum, tot ſulphureos fumantéſque, tot nitidos ac gelidos fontes, tot infuſa ac circumfuſa terris maria, tot omnes aſſiduè mobiles, & immobili ſtabilitate certiſſimos regnorum fines. Adde lacus maris æmulos, & ſtagna iacentia, & riuos inter montium conuexa præcipites, & floreas ripas, *riparúmque thoros, & prata recentia riuis*, vt Virgilius ait. Quid ſonoris littoribus ſpumantes ſcopulos, auráque roſcida, & flaueſcentes agros, & vineta gemmantia, & commoditates vrbium, & ruris otia, & ſolitudinum libertatem? Quid ſpectaculorum omnium lucidiſſimum, & auguſtiſſimum, ſtellantis cœli ambitum, incomprehenſibili celeritate volubilem? Inque illo fixas & errantes, quas dicitis, ſeu vagantes ſtellas, Solem in primis ac Lunam clariſſima mundi lumina, vt Maro ait, ſeu lucidum cœli decus, vt Flaccus ait. Hinc terræ fruges, hinc vigor animantium, hinc varietas tempeſtatum. Hinc nos annum, hinc menſes & dies, & noctes, & momenta metimur, ſine quibus vita faſtidio non careret. His accedit corpus licèt caducum & fragile, imperioſum tamen aſpectu, ſerenúmque & erectum, aptúmque cœleſtibus contemplandis. Accedit immortalitas animæ & ad cœlum iter, ac pretio exiguo merces inæſtimabilis, & quæ in finem ſciens diſtuli. (quia tam magna erant, vt per me illa non caperem, niſi

niſi fidei magiſterio didiciſſem,) & reſurgendi ſpes, & hoc ipſum corpus. poſt interitum agile quidem, lucidúmque & inuiolabile multa cum gloria reaſſumendi: & quod omnem non humanam modò, ſed & angelicam dignitatem ſupereminet, ipſa humanitas ſic coniuncta diuinitati, vt qui Deus erat, homo fieret, idémque vnus numero, perfectè duas in ſe vniens naturas, eſſe inciperet Deus & homo, vt hominem Deum faceret, factus homo.] Clypeum à Theſide matre Achilli mœrenti exhilarando ſubmiſſum, in hunc ſenſum interpretatur Clem. Alexan. 5. Strom. c.6.pag.mihi 666.

Aſſuetudo patiendi, lenimentum triſtitiæ.

273. Conſuetudo patienter excipiendi incommodum, eſt inſigne triſtitiæ lenimentum, vnde plerunque deprehenditur alleuatio poſt excuſſum incommodum, quod præ aſſuetudine, cùm perſtabat, non ingenerabat moleſtiam. Pulchrè id aduertit Themiſtius apud Stob. ſerm. 121. verbis illis. *Quomodò caput tonſum, leuitatem & facilitatem percipit: comatum autem, grauitatis ſenſum non euidenter exhibet? Et qui vinculis ſoluti ſunt, gaudent: vincti verò non dolent? Et lumen illatum ſubitò in conuiuium, clamorem applauſúmque præ gaudio excitat, priùs autem aeris obſcuritas non moleſta, nec triſtifica videbatur oculis? Nimpe iſtorum omnium, vna cauſa reddi debet; quòd res præter naturam paulatim conſuetudine & familiaritate ſua, ita afficit ſenſum, vt patiens aliquid, non admodum ægre ferat. Vbi verò deinde priori affectu liberatus, & naturæ reſtitutus fuerit, maximè gaudet ac oblectatur. Statim enim re nobis commoda & oblectante fruentes, graue ac moleſtum fuiſſe, quod præceſſit, deprehendimus.*

Varia in variis triſtitiæ curatio, ſpectato mærentis temperamento.

Quia verò non eadem vbiuis eſt triſtitiæ cauſa & origo; non eadem etiam vbiuis eſt, aut per eadem tentanda, triſtitiæ curatio: ſed attendendæ in ſubiecto, cui admonenda eſt curatio, cauſæ triſtandi. Sic quibus triſtitiæ fomentum & origo, eſt complexio melancholica, & ad mœrorem facta, depellendus eſt mœror adhibitione iucundorum, quæ bilis atræ tetram faciem diſcutiant; ſoli amœnitas, cœli ſerenitas captanda. Nec parum etiam ad id confert cibi ac potus ratio, quando etiam Spiritus ſanctus ſiceram & vinum mœrentibus, & iis qui amaro ſunt animo, propinandum ſuggerit. Quod morituris apud Hebræos præſtitum, oblato eis vino præſtantiſſimo & condito, quod Diuus Marcus myrrhatum appellauit, Chriſti extrema deſcribens. Apud Athenienſes idem ferè ſeruatum, docet Suidas, exponens prouerbium, [illegible] τῇ αὐλῇ, *tria dicas in prætorio.* Quia nimirum capite damnatis, ad diſcutiendum mœrorem bene potis ac ſaturis, tria quæ vellent effari dabatur. Tum oppilato ore, rapiebantur ad necem. Eandem Lyæi curas ſoluentis vim, agnouit Varro, apud Nonium verbo *coagulum*, cuius ſunt illa ſcitè de vino.

Vino nihil iucundius quicquam clixit,
Hoc ægritudinem ad medendam inuenerunt.
Hoc hilaritatis dulce ſeminarium.
Hoc continet coagulum conuiuia.

Similiter Flaccus lib. 1. oda 18.

Siccis omnia nam dura Deus propoſuit; neque
Mordaces, aliter diffugiunt ſollicitudines.
Quis poſt vina grauem militiam, aut pauperiem
crepat?

Græci Poëtæ in hanc rem ſunt infiniti, nam & græcari amabant. Videſis Athen. initio libri ſecundi plurima congerentem. Multa item in hanc rem ex Platone diſputat Macrobius 2. Saturn. c. 8. docens vinum eſſe fomitem quendam, & ignitabulum ingenij, eóque ad rationis præſcriptum hauſto, triſtitiam dilui. Et idem eſt de aliis calidis & humectis, quibus atra bilis tepeſcere & dilui poſſit.

Quibus autem triſtitia eſt veluti aduentitia, & ex obiecti triſtis incurſu proueniens, auocandus eſt animus à rei illius cogitatione. Vnde fiet, vt quod longinquitas temporis, & tandem irrepens obliuio præſtarent, dolorem obliterando, præſtet etiam in primo eius incurſu cogitationis abductio ad alia, & triſtitiam eximat. Quo magis enim animus in triſti cogitatione defigitur, eò altiùs infigitur mœror: ac veluti pabulum ſuppeditatur, quo foueatur & creſcat ægritudo mentis.

Cantus, cur mærorem leuet.

174. Et hanc ob cauſam, præter cæteras, leuat triſtitiam cantus, animum ſuauiter ſeducens, & auertens à cogitatione obiecti triſtis. Nam cantus efficacitatem, ad triſtitiæ imminutionem, nemo ignorat. Optimè Chryſologus ſerm 10. initio. *Omnes qui arduas operum ſubleuant & ſolantur anguſtias, probant ad ſolatium laboris, datam nobis naturaliter cantilenam. Hinc nautæ, cantu ſuperant marina diſcrimina: Hinc immenſa pondera adducunt leuamine canticorum: Hinc viantes, colles arduos facit tranſcendere vox ſonora: Hinc præliatores ipſos, præcedens cantus, ſubire concitat amara bellorum. Ac ne multis omne quod duri eſt operis, quod laboris, dulcis vincit & efficit cantilena.*

Diſtinctiùs etiam Chryſoſtomus in Pſalm. 41. exponens cauſam prouiſi à Deo cantus ſacri atque Pſalmorum. [Cùm Deus vidiſſet multos homines eſſe ſocordiores, nec ad legenda ſpiritualia lubenter accedere, nec qui in eo capitur, laborem tolerare, volens gratiorem laborem efficere, eiúſque ſenſum præſcindere, admiſcuit prophetiam melodiæ, vt omnes, cantici numero delectati, cum magna animi alacritate ac promptitudine ſacros ei hymnos emittant. Nihil enim animam æquè erigit, & alatam quodammodo efficit, & à terra liberat, & exoluit à corporis vinculis, & amore ſapientiæ afficit, & vt res omnes ad vitam pertinentes irrideat, perficit; vt verſus modulatus & diuinum canticum numero compoſitum. Noſtra certè natura vſque adeò delectatur canticis & carminibus, & tantam cum eis habet neceſſitudinem & conuenientiam, vt vel infantes ab vberibus pendentes, ſi fleant & affligentur, ea ratione ſopiantur. Nutrices quidem certè quæ eos geſtant in vlnis, ſæpè abeuntes & redeuntes, & quædam puerilia eis carmina decantantes, ſupercilia eorum ita ſopiunt. Quocirca ſæpè viatores, meridie agentes iugalia animalia, hoc faciunt canentes, itineris moleſtiam illis canticis conſolantes. Nec ſolùm viatores, ſed etiam agricolæ, vuas in torculari calcantes, vindemiantes, & vites colentes, & quodcunque aliud opus facientes, ſæpè cantant. Nautæ quoque remos impellentes, hoc faciunt. Iam verò mulieres quoque texentes, & confuſa ſtamina radio diſcernentes, ſæpè quidem & per ſe ſingulæ; ſæpè autem etiam omnes concorditer, vnam quandam melodiam concinunt. Hoc autem faciunt & mulieres, & viatores, & agricolæ, & nautæ, qui ex opere faciendo ſuſcipitur, laborẽ cantu conſulari volentes, vtpotè quòd anima, ſi carmen & canticũ audierit moleſta difficilia ſit faciliùs toleratura. Quoniam ergo hoc genus delectationis, eſt noſtræ animæ valdè cognatum & familiare: ne dæmones laſciua & meretricia cantica introducentes, omnia euerterent; Pſalmos

Deus conſtruxit, vt ex ea re ſimul caperetur voluptas & vtilitas.

Remedia triſtitiæ ſpecialia.

275. Hæc ſunt vniuerſalia & ferè in quoduis triſte æquè eadem ia, remedia mœroris. Sigillatim verò, & in ſpecie, mitiganda eſt hæc paſſio, ex iis, quæ profero circa fortitudinem in fortunæ reflatibus, & corporis morbis ac incommodis. Itémque ex iis, quæ dico de oppoſitis beneuolentiæ, & atrocitate ac probro inuidiæ. Multa conſtipauit Dio orat. 16. quorum partem adſcribo. *Cauſam* mœſtitiæ *præſtat, aut neceſſarij cuiuſdam mors, aut familiarum cuiuſdam morbus, aut ſuus cuiuſque. Adhæc ignominia, pecuniarum amiſſio, & rerum neceſſariarum penuria, aut nimia negociorum diſtractio, & periculum, & mille alia, quæ in vita contingere ſolent. Propemodum neceſſum eſt, horum ſemper aliquid adeſſe. Denique etſi ſciatur tempus, quo nihil occurrat difficile, attamen illius expectatio, ſcientibus ea accidere poſſe, affliget animum eorum, qui ita ſunt affecti.*

Incentiua ad vſum remediorum vtrorumque poſitorum.

Hæ ſunt in variis particulares cauſæ mœroris. Quas tametſi longè diuerſiſſimas ægritudines, vno hoc malagmate ſanandas pronunciat, quod iam ſupra admonuimus; fruſtra expectari à quouis mœrore immunitatem, quæ in tam denſa incommodorum veluti grandinatione, nemini ſperanda eſt in hac vita. Subdit itaque Dio quando ea immunitas deſperanda eſt, non eſſe homini committendum, vt abiectis remediis propoſitis, mœrori ſe dedat. [Non igitur horum ſingulis afferenda eſt conſolatio: (hoc enim fieri nequit, & moleſtiarum plena eſt vita;) ſed prorſus hæc affectio ex animo eximenda eſt. Atque hoc firmiter iudicandum, quòd viro prudenti, nullam ob rem ægritudo admittenda ſit; vnde de cætero liberè viuere licebit, nihilque rerum grauium reformidabit. Nihil enim omnium graue eſt, ſed ob opinionem, noſtrámque imbecillitatem, tale fit. Quare multi, ſi quid accidit quod abſurdum exiſtimatur, ſemper eius recordantur, quum grauis ſit memoria: perinde affecti vt pueri. Nam & illi, ignem tangere cupiunt, & licèt vehementer doleant ex tactu, tamen iterum tangunt. Quemadmodum igitur in bellum exeuntibus nulla eſt vtilitas, ſi nudi ad hoſtes accedant, & poſtea telorum volantium vnumquodque declinare velint; (non enim fieri poteſt, vt omnia vitentur:) Opus eſt autem thorace ſolido, & alia omni armatura, vt etſi telum aliquod incidat, non penetrare poſſit: Eo modo & iis, qui in hanc vitam procedunt, poſſibile non eſt, vt omnia declinent & euitent, vtque à nullo feriantur eorum, quæ ſexcenta in vnomquemque iaculatur fortuna: ſed opus eſt animo firmo & maximè impenetrabili, nullíque cedente, aut certè haud facilè; quíque non qualibet à re vulneretur, quandoquidem neceſſe eſt pungi, & plurima accipere vulnera. Etenim qui pedes habent teneros, & penitus non attritos deinde nudis incedunt, nunquam talem inuenient viam, vt non pungantur, doleántque. Quin & leuia, illis erunt moleſta. Exercitatis verò ne aſperrima quidem via difficilis eſt]

Accedit potentiſſima ratio quam Dio ſubiicit, ducta ex longè infeliciſſimo ſtatu, eius qui Auſtrum in rebus ſuis, nullis interturbatum reflatibus, quærat, ſibi liſque aduerſantibus pulſatus, vſurpatione remediorum propoſitorum abſtineat. *Quoniam tot igitur dura ſint, quæ & corpori noſtro poſſint accidere, quid tandem expectandum eſt? Aut quomodo fieri poteſt, vt is qui vnumquodque horum ſentiat, faciléque ſuccumbat, non omnium ſit infeliciſſimus, Deos ſemper orans, vt ne hoc, vt ne illud accidat? Quemadmodum ſi quis in pluuia vadat, & nullum habeat velamen, ſed ſolummodò optet, vt ſingulas guttas poſſit effugere. At verè longè guttis continuatiora ſunt, quæ fortuna immittit moleſta. An non per Iouem fatuus fuerit, qui nauigans non attendat ad clauum, neque fluctum irruentem fortiter excipiat, ſed precetur, vt nulla vnda nauem tundant?*

Quid quòd non eſt longum quod habet finem? Itaque in fluxis móxque intercidendis argumentis mœroris, haſtam abiicere, & verba ac voces quibus hunc lenire dolorem poſſis excludere, non videtur ſapientis. Idem Dio egregiè. [Si illud conſideraueris quòd nullum ſit omnino certum vitæ tempus, ſed omnes qui beati quique nimis felices ſunt habiti, defuncti ſint, & tibi iam adſit ille vitæ terminus, etiamſi diutiſſimè viuas, magnas putabis eſſe nugas, magnámque ſtoliditatem, exiſtimare quicquam ex vniuerſis quæ fiunt graue eſſe, aut magnum, aut admirabile, præter vnum, mœſtitiæ, & timori, atque huiuſmodi affectionibus eſt ſubiectum. Vnam tranſegiſſe diem, Iaſonem ferunt, virtute quadam vſum accepta à Medea. Deinde (opinor) neque à dracone, neque à tauris ignem efflantibus, quicquam paſſus eſt. Hæc igitur virtus acquirenda eſt, & à Medea, hoc eſt, à Prudentia, accipienda, vt in poſterum omnia contemnantur. Quam ſi non habuerimus, omnia nobis ignis erunt, & peruigiles dracones. Proinde vnuſquiſque mœſtorum, id quod ſibi accidit, ait eſſe atrociſſimum, maximéque dignum mœſtitiâ. Etenim & vnuſquiſque portantium, ſuum onus ait eſſe grauiſſimum. Eſt hoc autem infirmi & mali corporis. Ipſum enim, quum alius fortior acceperit, facilè feret.

QVÆSTIO III.

Sigillatim de paſſionibus, quæ ad appetitum iraſcibilem pertinent.

276. RAtio ordinis manifeſta eſt ex dictis initio ſuperioris quæſtionis. Numerus item paſſionum ad hunc appetitum pertinentium, & oppoſitio quæ inter eas cernitur, non eſt quòd hic iteretur, cùm ſufficiant quæ in eam rem tradita ſunt quæſtione 1. Itaque ſupereſt duntaxat, vt de prædictis paſſionibus ſigillatim dicamus, initio facto à ſpe, eique oppoſita deſperatione. Tum progreſſu facto ad audaciam, & pugnantem cum ea timorem: Tandémque ſiſtendo in ira, quæ aduerſarium non ſuſtinet. Quòd autem Gabriel in 3. d. 35. *in fine*, timorem ab hoc paſſionum ordine repulit, iam ſupra reiectum eſt quæſt. 1.

ARTICVLVS I.

De Spe.

ALiquando nomine ſpei deſignatur iudicium, quo expectamus aliquid euenturum. Propriè tamen loquendo, ſpes eſt appetitio boni. Quod cùm ſit vel pueris compertum, mirum eſt, Sectariorum quorundam ſtuporem, tantum fuiſſe, vt iudicium illud, quod retuli, ab affectu circa idem obiectum, ſecernere nequiuerint, & vtrumque inſulſiſſimè confuderint; collocantes ſpem in facultate cognoſcente, qui

conſequen

conſequenter omne deſiderium ibidem collocare adigentur, cùm conſtet ſpem eſſe deſiderium quoddam

Quidditas ſpei, veſtigata ex motiuo, de quo varij, varia.

Vt autem natura huius affectus, eiúſque à cæteris diſtinctio, perſpicua euadat, ordiendum eſt ab eius motiuo, ſiue ratione formali: Vnde eius conſtitutio, & diſcrimen ab aliis actibus deriuatur. Fuerunt ergo qui exiſtimarent, ſpem non diſtingui à deſiderio, niſi penes obiecti arduitatem, atque adeò accidentariò. Cùm enim arduitas, ſiue aſſequendi difficultas, ſit malum quoddam; non videtur poſſe eſſe ratio formalis actuum proſecutiuorum, cuiuſmodi ſunt ſpes, & deſiderium. Itaque ſpes & deſiderium, ſi ſola obiectorum arduitate ſic expoſita diſcrepent, non niſi accidentariò diſcrepabunt. Paſſim tamen ſimplex deſiderium, & ſpes, diſtinguuntur ſpecie.

Itaque alij arduitatem illam, qua obiectum ſpei conſtitui, omnes facilè conſentiunt; negant intelligi poſſe de difficultate ad obtinendum: præſertim cùm plurima non admodum difficilia obtentu, quin potiùs facilia, cadant ſub ſpem. Speramus enim reditum famuli aliquò dimiſſi, & alia huiuſmodi quæ difficultate vacant. Quare arduitatem obiecti ſpei, intelligendam eſſe dicunt, cum habitudine ad alium nobis potentiorem ac ſuperiorem, à quo res ſperata pendeat, quique poſſit aut præſtare quod ſperamus, aut eius conſecutionem intercludere. Ita Vaſquez 1. p. d. 84. num. 3. & d. 155. n. 23. & 1. 2. d. 40. c. 2. Becan. 1. p. tract 1. c. 11. n. 15. & Turrian. 2. 2. t. 1. d. 60. dub. 1.

Verùm hoc repudiant alij, tum quòd multa ſunt quæ ſperamus proprio labore obtinenda: Vt cùm ſperamus aduerſarium proprio robore ſubigere, vel doctrinam proprio marte comparare. Tum quòd plerique, à quibus aliquid ſperamus, non ſunt nobis ſuperiores, aut potentiores. Quis enim agnoſcit famulum ſe ſuperiorem, quamuis ab eo aliquod obſequium aut miniſterium ſperet? Alij igitur ſiſtunt in connotatione credulitatis de futuritione rei. Nam quamuis res, quæ non creditur futura, poſſit deſiderari inefficaciter: Tamen, vt ſpes, quæ eſt affectus efficax, exeratur erga aliquid, quod creditur non fore, nemo ſi ſeipſum conſulat, fatebitur poſſibile.

Reſolutio.

277. Ego, hæc omnia placita, aliquid veri continere arbitror. Quanquam fateor, non omnia quæ propoſita ſunt. conſtituere obiectum huius affectus formale, præſertim adæquatum: Sed aliqua quidem per modum conditionis obiectum conueſtientis, alia vt connotata per obiectum ſubſtans motiuo ſpei, ad hunc affectum pertinere cenſeo. Admitto itaque, obiectum ſpei eſſe arduum: ſin minùs ſemper ea arduitate, quæ nobis rem quam obſepit, obiiciat vt difficilem obtentu, ratione operæ ad eam aſſequendam exhibendæ; tamen alio ſenſu, quem proponit ſecundus modus dicendi, nempe quatenus obiectum ſpei, ex D. Thoma 1. 2. q 17 art. 5. ad 4. eſt aliquid obtinendum interuentu alterius, iuxta illud Pauli Oroſij in Apologia pro libero arbitrio: *ſperare non eſt poſſibilitatis noſtræ, ſed largitatis alienæ* Nimirum quia ſi res, à nuda noſtra facultate & poteſtate penderet, non eſſet quod eam ſperaremus, qui poſſemus eam ex nobis ipſis parare abſque metu non obtinendi, cùm nihil ſit facilius, quàm exorare ſeipſum. Hæc porro dependentia ab aliena voluntate, quæ cuiuis creatæ poteſtati ſubducitur, reddit rem ex ſe difficilem & arduam, non tam ratione operæ & laboris in ea ponenda vel habenda collocandi; (plerunque enim facilis eſt & exiguæ operæ;) quàm ratione alienæ voluntatis, à qua pendet, quæ cùm ſit libera, & à nemine infra Deum poſſit adigi & inflecti quò non vult, reddit executionem dubiam & difficilem: non ipſi, in cuius voluntate ſita eſt, executio, eiúſve non impeditio, ſed alteri, qui in hac parte ab eo pendet. Et hac ratione facilè intelligitur, quomodo in obiecto ſpei, ſemper interueniat arduitas aliqua, vt affirmatur in primo placito; & quomodo ea arduitas non ſemper ſe teneat ex parte rei ſperatæ, ſecundùm ſe ſumptæ, vt rectè affirmabunt alij. Qui item rectè in eo ſenſu aſſerebant, eum, a cuius voluntate, ſui iuris, & nemini ſubiacente, expectatur executio, vel expeditio executionis, poſſe appellari potentiorem, & ſuperiorem eo qui expectat. Rectè enim eatenus appellatur ſuperior & potentior, quatenus voluntas aliena, nullius creaturæ dominio ſubiacet, éſtque ſola ſui actus domina.

Diſſoluuntur obiecta contra habitudinem obiecti ſpei ad alium potentiorem.

178. Quæ autem contra hoc, amarulentiùs & acerbius, quàm ſolidiùs, opponit Lorca 1. 2. ſ. 1. d. 1. à n. 11. facilè depelluntur. Quædam ſpectant ad id quòd ſpes ſtatuitur in habitudine ad alienam voluntatem, præſertim potentiorem: quædam ad id quòd ipſum ſpei obiectum negatur debere eſſe in ſe arduum, & multæ ad exequendum operæ.

In primis igitur opponit Lorca, quædam per nos exequenda, cadere ſub ſpem, vbi nulla eſt, ad alienum ſubſidium, habitudo. Verùm cùm vnuſquiſque poſſit meritò dubiare de arbitrij ſui vertibilitate, niſi diuinitùs roboretur; aut de obiicibus interuenturis, niſi bona fortuna faueat, & ſemoueat impedimenta, eáque non apponi prouideat. apparet nullam eſſe ſpei materiam, in qua locum non habeat ea habitudo ad alienam voluntatem liberam, vel cooperaturam, vel impedimenta ſublaturam; vel cùm obſtare poſſet, non obſtituram.

Addit aduerſarius, in cane eſſe ſpem aſſequendi leporem non nimis diſtantem, vt concedit S Thomas 1. 2. q. 40. art. 3. neque tamen in illa ſpe, inniti vllatenus auxilio alieno, cuius apprehenſio requireret diſcurſum aliquem. Atenim an non canis, cùm leporem non admodum diſtantem inſequitur, aliter ſe habet, quàm ſi interiacentem cum baculo aliquem videret, à quo eſſet abigendus, ſi inſecutioni leporis inſiſteret: Hoc eſt per ſe manifeſtum. Ergo canis in actu exercito, agnoſcit expeditam eſſe viam, & aſſecutionem leporis, nullúmque inſtare obicem. Quod ſatis eſt, vt in eo progreſſu bruti, correſpondente progreſſui hominis ſperantis, iuxta modum loquendi S. Thomæ loco allegato, agnoſcamus habitudinem aliquam ad alienum auxilium.

Vrget præterea aduerſarius, famulum à quo aliquid ſperatur, non agnoſci ſuperiorem vel potentiorem domino ſperante. Sed hoc iam depulſum eſt: Eſt enim ſuperior, quatenus ab eo aliquid quæritur. Nam ſub ea ratione, eſt alio quærente altior. Oſtendimus item, qua ratione dici poſſit potentior, quia habet ſummum ius in actum ſuum, & à nemine adigi poteſt, ſi obfirmare ſe velit aduerſus cuiuſcunque imperium aut deſiderium. Vnde præterea præcluditur obiectio, quæ aduerſario mentis tranquillitatem excuſſit, & ad verba per æſtum animi non ſatis excocta, quinimo cruda admodum, & Religioſo diſputatore indigna, concitauit, Vt videri poteſt eodem loco diſp. 7. n. 1.

Obiicit ergo, ex hac ſententia apertè ſequi, fore vt Deus habeat affectum ſpei de pleriſque bonis operibus, quorum executionem noſtro arbitrio permiſit. Sed conſiderandum aduerſario fuerat, Deum, cum magna reuerentia diſponere libertatem noſtram, vt Sapiens dixit, idque propterea in Deo eſſe admirabiliſſimum, quia, vt idem Sapiens ſubdit, *ſubeſt ei, cùm voluerit, poſſe.* Si enim quæ libertati noſtræ commiſit, vellet omnino per nos fieri, non modò poſſet eſſe certiſſimus de executione infallibili, præueniendo voluntatem iis cogitationibus & benedictionibus dulcedinis, quibus nullo modo eſſet reſtitura; ſed etiam omnino firmare eam certitudinem, adiuncta illi neceſſitate. Quis enim Deo, abſolutè & antecedenter aliquid decernenti, obſiſtere queat? Has igitur ob cauſas Deus non dicitur ſperare quicquam per nos exequendum: cùm tamen quilibet hominum, quantæcunque ſit poteſtatis & virium, ſperare poſſit; quia non eſt in eius poteſtate quod pendet ab aliena voluntate libera, præſertim increata, quæ poſſet impedimentum apponere, & diſturbare conſilia noſtra, etiam cùm per nos ſolos executioni mandantur.

Arduitas, ſpei obiecto propria, exponitur.

279. Tandem quod ſpei quodcunque obiectum, debeat eſſe in ſe difficile, & multæ ad exequendum operæ, non aliter confirmat aduerſarius, quàm ex conſenſu omnium, nominatimque S. Thomæ 1. 2. q. 40. artic. 1. dicentis. *Non dicitur aliquis ſperare minimum, quod ſtatim eſt in ſua poteſtate.* Hoc verò leuiſſimum eſt. Nam authores paſſim duntaxat docent, obiectum ſpei, eſſe arduum. Quam arduitatem manifeſtè oſtenſum eſt, poſſe aliter intelligi, quàm penes obiecti in ſe difficultatem. Quòd ſi aliquando aliqui eam apertè poſtulant in obiecto ſpei, non ſunt cenſendi agere de affectu ſpei ſecundùm vniuerſum ſuum ambitum, ſed de vno quodam ſpei actu illuſtriſſimo, & antonomaſticè dicto, qui nomen commune, ſibi proprium fecit, ob excellentiam & prærogatiuam ſuam. Quod vnum voluiſſe videtur D. Thomas citato loco, & Durand. in 3. d. 6.

Credulitas futuritionis; de eiuſdem obiecti ratione.

Itaque obiectum ſpei, & arduum eſt, & ab alterius potentioris ac ſuperioris voluntate pendet, vt in prioribus placitis ſupra memoratis affirmabatur: Et quod in poſtremo addebatur, connotat futuritionis credulitatem; ſiue iudicium, quo intellectus pronunciat, bonum quod quæritur, non eſſe tale, quod certò nunquam ſit adipiſcendum: ſed quod vel certò adipiſcendum ſit, tametſi cum labore & conniſu: Qua ratione animæ quæ ignibus emendatoriis eluunt maculas hîc contractas, ſperant felicitatem, quam ita ſibi obuenturam eſſe certò ſciunt: vt tamen norint carò illis conſtituram adeptionem: vel certè quod proponatur vt poſſibile ad obtinendum, non excluſa futuritione adeptionis, ſi adhibeatur conniſus debitus, & accommodata media vſurpentur. Nemo enim ſperare poteſt, illud quod certò ſcit non futurum, quamuis videat eſſe poſſibile, foréque vt ſtet per ipſum hominem, ne eo potiatur. Nam hoc ad ſpem non ſufficere, ſed omnino exigi apprehenſionem, ſiue credulitatem futuritionis rei ſperatæ, facilè probatur cùm authoritate, tum ratione.

280. Ita ſanè docet Ariſtoteles 1. Rhet. c. 11. & l. 2. c. . . d[illegible]ertè tradit, ſpem eſſe futurorum. Quod item habet l. de memor. c. 1. Annuit S. Auguſtinus c. 8. Enchir. verbis illis. *Spes non niſi bonarum rerum eſt, nec niſi futurarum, & ad eum pertinentium, qui earum ſpem gerere perhibetur.* Non intendunt Philoſophus & Auguſtinus, rem quæ ſperatur, talem eſſe oportere, vt reipſa ſit euentura. Id enim eſſet manifeſtè falſum, cùm pleraque cadant ſub ſpem, quæ euentus & interpoſitio impedimentorum, quibus conniſus ſperantis impar fuit, docent non fuiſſe futura reipſa. Mens igitur eorum eſt, ſperari tantùm futura; hoc eſt, ea quæ meritò poſſumus arbitrari euentura: ſeu de quibus non habemus certam notitiam, quòd non ſint euentura. Suffragatur eis manifeſta ratio. Nam ſpes iuxta Senecam epiſt. 10. eſt *incerti boni nomen.* Quæ autem certò prænoſcuntur non euentura, quamuis ſint abſolutè poſſibilia, non ſunt idoneum ſpei obiectum: quia exiſtimatio quòd res nunquam ſit futura, vndecunque ſit non futura, ſi cum ſpe comparetur, æquiualet iudicio de impoſſibilitate rei. Rem autem impoſſibilem, quam cognoſcat impoſſibilem, nemo ſperare poteſt. Et hinc fit, vt quo maior eſt credulitas de rei futuritione, eo erectior ſit ſpes. Si autem modica affulgeat lux circa futuritionem, langueat & iaceat ſpes, prorſúſque concidat, ſi res appareat nullo modo euentura, quamuis ſecundùm ſe ſit poſſibilis.

Facile eſt id exemplis illuſtrare. Quis enim ſperat Chriſtianorum, Antichriſtum ſaluum fore? vel omnia prorſus ſua, quantumuis minuta peccata, à ſe aut ab aliis declinanda eſſe dum viuet? aut addictos æternis cruciatibus, fore aliquando eis eximendos, vt delirauit Origenes; Et tamen per ſe liquet, Antichriſtum ſalute euertendum per ſua demerita: Atque adeò ſi eis abſtineret, (quod poſſet, ſi vellet, nec erit impoſſibile abſolutè, vt ita velit,) poſſet ſalutem conſequi. Quia tamen certi ſumus, eum longè alia cogitaturum, & per abuſum libertatis, ruiturum infallibiliter in ſcelera, quibus æternum ſupplicium certò rependetur; propterea nemo noſtrûm, quantumuis ad id nitatur, poteſt Antichriſto ſalutem ſperare. Idque vnuſquiſque ſi ſeipſum conſulat; & modum operandi voluntatis ſuæ exploret, perſpicuè deprehendet. Similiter per ſe liquet, culpas quas admittimus, quandoquidem culpæ ſunt, liberè admitti, atque adeò poſſe euitari. Nemo tamen ſperare poteſt, ſe omnes omnino culpas, tametſi minutas, euitaturum per totam vitam, vel alios omnes, intra illud tempus, violatione numinis abſtenturos, quamuis cùm numen violabunt, liberè id ſint facturi, & non repugnet id ab eis non fieri, priuſquàm ſupponatur reipſa factum. Denique vt abyſſus ſeneſcat, & omnes ignibus perpetuis addicti ſalutem adipiſcantur, non eſt abſolutè impoſſibile. Tamen quia certi ſumus id nunquam fore, ſecluditurque credulitas de talis obiecti futuritione, meritò ſubducitur ſpei. Quare omnino admittendum eſt, obiectum ſpei, debere ea, quam dixi credulitate futuritionis conueſtiri.

Difficultas in contrarium, enodata.

281. Vnum eſt quod video opponi poſſe. Nempe in illis exemplis, quæ propoſita ſunt, locum eſſe ſpei quoad aliqua, quæ certò ſcimus non euentura. Nam v. g. certi ſumus nos non deuitaturos per totam vitã omnes peccatorũ minutias, & tamen poſſumus proponere efficaciter eas euitare. Item Antichriſtus præſcius ſe grauia peccata admiſſurum, & in eis animam acturum, poteſt tamen efficaciter niti ea euitare, & robuſto propoſito concepto, conari, tantum à ſe exitium amoliri. At robuſtum illud propoſitum & voluntas efficax vitandi, affinitatem magnam habent cum affectu ſpei, nec apparet cur iſte affectus dicatur credulitatem

dulitatem futuritionis poſtulare, ſi illud propoſitum, & ea voluntas, talem credulitatem non poſtulant. Nam ſi homo poteſt velle ludere operam, connitendo efficaciter in illud quod certò ſcit non futurum. Quidni etiam poſſit per actum ſpei, qui eſt volitio efficax, prehenſare rem, quam probè norit nunquam ſibi obuenturam?

Reſpondendum eſt, latum diſcrimen intercedere, inter affectum ſpei, & illum alium commiſum, ſiue volitionem efficacem. Nam hæc volitio, tendit tantùm in aliquid à nobis pendens. Tendit inquam, non abſolutè, ſed duntaxat quantùm in nobis eſt, ſub qua ratione appellatur efficax, quia ſpectata vi & efficacitate quam habet volitio illa, excludendum eſſet omne ei aduerſum, ſi ſemper duraret. Eam autem diſpoſitionem bonam voluntatis, poteſt homo, ac interdum debet in ſe excitare, quamuis certus ſit eam non ſemper perſtituram, & qua ſumus fragilitate conſecuturum aliquando abuſum libertatis, & exorbitationem à volitione illa nunc robuſta, & frænante voluntatem: Quod facit, vt homo non poſſit conſtantiæ ſuæ nunquam frangendæ, ſpem concipere, quia ſpes futuritionis credulitatem connotat. Poſſit tamen concipere voluntatem retinendi quantum in ſe erit, perpetuam & immotam ad rectum adhæſionem. Semper quidem & quomodolibet proponatur lapſus conſecuturus, maximè tamen cùm homo non eſt determinatè præſcius, ad quem lapidem ſit impacturus; vel ad quem ſcopulum illidenda ſit firmiter voluntatis conſtantia. Nam ea anterior voluntas vitandi, quantum in ſe erit omnem ſcopulum, & declinandi quicquid præſenti iſti volitioni nunc efficaci aduerſatur, rectè cohæret cum excluſione credulitatis de futuritione, quam tamen futuritionis exiſtimationem affectus ſpei omnino connotat.

Quomodo arduitas, habitudo ad alium, & credulitas futuritionis, ad obiectum ſpei comparentur.

282 Rata igitur ſunt, quæ ſtatuebam circa conditiones rei ſub ſpem cadentis. Conditiones voco; quia, vt ſupra monebam, non exiſtimo, hæc adiuncta rei ſpem terminantis, ſpectare ad formale obiectum ſiue ad motiuum affectus ſpei. Nam quod mouet ad amorem, non eſt aliud quàm bonitas. Spes autem eſt amor quidam, Quod igitur ad eam mouet, non eſt aliud quam bonitas obiecti.

Itaque arduitas, præſertim ſi ſumatur pro difficultate, non poteſt ſtatui motiuum huius affectus, vt benè notauit Gulielmus Vorrilongus in 3. d. 26 q. vnica art. 2. *in 2 parte concluſionis* (citans in contrarium, S. Bonauenturam & Henricum (& Aureolus in 3. d. 13. q. 4. art. 1. Et ratio eſt, quia difficultas potiùs abſterreret & auocaret voluntatem quàm pelliceret.

Si autem arduitas ſumatur pro habitudine ad alienam libertatem, cuius interuentu, bonitas propoſita ſit obtinenda; ne ſic quidem dici poteſt, arduitatem eſſe motiuum affectus ſpei. Nam habitudo ad cauſam extrinſecam effectiuam aſſecutionis finis, non poteſt pertinere ad rationem motiuam actus, quo finis intenditur. Quis enim ſtatuat pharmacum ſanitatis conciliatiuum, pro motiuo intentionis, qua ſanitas captatur? Vel quis habitudinem ad medicum, ſtatuat pro motiuo, appetitionis ad ſanitatem terminatæ? Nimirum & medicus, & pharmacum, ſpectant ad effectiuam cauſam ſanitatis, & computantur inter media: tantùm abeſt, vt habeant rationem finis, & cauſæ formalis determinantis ad proſecutionem. Nec alia ex cauſa decernimus adhibere medicum & pharmaca, quàm quia priùs natura appetimus ſanitatem; ita vt ratio cur velimus acceerſiri medicū, & pharmaca haurire, ſit anterior aduocatione medici, & hauſtu pharmacorum. Nempe vt poſſimus ſani eſſe, quod in primis volumus in ea tota ſerie actionum. Idem ergo eſt in ſpe. Quod apertè agnoſcit D. Thomas 2. 2. q. 17. art. 4. & 5. Tametſi veriſſimum eſt, eum qui ſperat, connotare per huiuſmodi affectum, alienam libertatem auxiliantem. Sicut qui intendit efficaciter finem ſanitatis, inuoluit in ea intentione, ordinem ad media, per quæ finem illum aſſecuturus eſt, licèt non propterea habeat media, pro ratione formali motiua; ſed tantùm finem ſanitatis, ſeu bonum conceptum: Quo proinde manente, quamuis varietur cauſa, per quam bonum illud expectatur, vel quamuis varietur modus, quo ab ea haberi poteſt, nempe ex liberalitate aut ex iuſtitia, perſtat nihilominus idem actus. Quod ſignum eſt, cauſam illam, & habitudinem ad eam, non ſpectare ad rationem formalem motiuam, ſed ipſum duntaxat bonum.

Denique futuritionis credulitas, non habet omni ex parte rationem motiui, reſpectu affectus ſpei. Nam futuritio, quatenus ſupra obiecti bonitatem dicit abſentiam obiecti, non mouet affectum noſtrum quo potius eam aboleri cupimus. Credulitas autem, cùm ſit iudicium intellectus pronunciantis de boni comparabilitate, manifeſtè ad aliquid rationi motiuæ extrinſecum. Quatenus tamen in futuritione importatur exiſtentia pro tempore conſequenti, per quam à poſſibilitate nuda, & à præteritione diſtinguitur, ſic futuritio ſpectat ad rationem motiuam ſpei, contra Baſſolium in 3. d. 26. q. vnica art. 2. ad 3. Appetitus enim Afficitur ad bonitatem, ſpectatam, non prout poſſibilem duntaxat, ſed prout reipſa ac verè exituram, & quia eam ſibi obuenturam in ſtatu exiſtentiæ proponitur: quod verè eſt, rem quatenus futuram, mouere affectum. Idque valet etiam in Deo prout ſperatur. Nam quamuis non habeat in ſe exiſtentiam futuram; habet tamen eam, prout finis noſter eſt, nobis aliquo modo coniungendus, & noſtris facultatibus poſſidendus.

Igitur rectè conſtitutum eſt, non omnia prædicta rei ſperatæ adiuncta, eſſe motiua affectus ſpei: quamuis obiectum tali affectui ſubſtans, circunſtare debeant: eo quod de eſſentiali conceptu talis affectus, ſit tendere in motiuum ſuum, applicatum materiæ illis conditionibus conueſtitæ. Quòd ſi quis has connotationes & adiuncta boni ſperati, ſub quibus affectus iſte à motiuo ſuo pellicitur, vel eorum ſaltem aliqua, velit ſumere fundamentaliter, eáque refundere in bonitatem, prout mouentem ad affectum, erit lis de vocabulo, an dicenda ſint pertinere ad rationem motiuam affectus tendentis in bonitatem, cui conditiones illæ adiacent Agendo tamen de ipſis conditionibus formaliter, prout hactenus fecimus, clarum eſt non pertinere ad motiuum ſpei.

Spei quidditas, & diſtinctio ab aliis actibus, eruitur ex dictis.

283. Ex hactenus explicatis, manifeſta eſt quidditas affectus ſpei, eiuſque ab omnibus aliis affectibus diſtinctio & multiplicitas. Eius quippe natura & quidditas, ſita eſt in proſecutione obiecti boni futuri, ſaltem in ſperantis credulitate, & aſſequendi interuentu alicuius; aut iuuantis, aut non obſtantis, vel obices remouentis. Ex quo perſpicua eſt eius diſtinctio ab aliis affectibus proſecutiuis, cum quibus affinitatem aliquam habet, eſſétque periculum ne confunderetur: Nempe ab amore ſimplici, & deſiderio, ac gaudio. Amor enim eſt mera boni proſecutio. At ſpes dicit multò plura. Gaudium eſt quies vitalis

talis in re obtēta. Spes quærit aſſecutionem, & ad rei poſſeſſionem anhelat. Nec repugnat Philo libro de execratione *ſub finem*, appellans ſpem, *lætitiam, futuræ lætitiæ prænunciam*. Eſt enim locutio, non formalis, ſed cauſalis: quia ex ſpe enaſcitur voluptas & lætitia, ob boni propoſiti prægustationem. Deſiderium poteſt eſſe rei merè poſſibilis, & quæ agnoſcatur non futura. Vnde neque connotat expeditionem aſſecutionis per adiumentum alienum, vel remotionem impedimentorum. Quæ omnia demonſtrant, affectum ſpei diſtingui ſpecie ac realiter ab illis aliis affectibus.

Hic non refrico litem de nomine, quæ inter Gregorium & reliquos Doctores intercedit, de diſtinctione amoris ad affectus proſecutiuos comparati. Gregorius enim realem illam diſtinctionem negat, contenditque in omni actu proſecutiuo, atque adeò etiam in ſpe, importari rationem proſecutionis, quæ poteſt dici amor, éſtque indiſtincta ab actu illo cum quo comparatur. Verùm ea proſecutio, non eſt reipſa amor ſimplex, licèt poſſit concipi eodem modo: Sed ob adiunctam rationem differentialem actus cum quo comparatur, differt reipſa ab amore ſimplici. Eadem porrò ratione accipiendum eſt, quod Suares 1.2. diſp. 1. de ſpe ſect. . n. 11. cum Scoto, Gabriele, Almaino & Caietano, repugnante latè Baſſolio in 3.d. 16. q. vnica art. 3. affirmat; Nempe deſiderium, & ſpem, eſſe eundem realiter actum. Sumunt enim hi autores deſiderium, prout comparatur ad ſpem, eodem modo quo amor ad deſiderium: Siue prout eſt ratio quædam communis, incluſa in actu ſpei, & arctata ad ſpem, per differentiam ſpei propriam. Qua ratione veriſſimum eſt, ſpem ac deſiderium non diſtingui reipſa, ſed tantùm per conceptus inadæquatos, eo quòd ratio deſiderij, etiam perfecti & efficacis, quantùm eſt ex parte voluntatis; cuiuſmodi etiam ſunt deſideria quædam conditionata, porrigatur latiùs quàm ſpes, quæ reſtringitur ad bonum, propoſitis ſupra adiunctis & connotationibus veſtitum.

Ochami placitum de natura ſpei, eiúſque ab aliis affectibus diſtinctione. Refellitur.

284. Aliter de natura ſpei, eiúſque ab aliis actibus diſtinctione, philoſophatus eſt Ocham quodlibeto 1.q.9. affirmans, ſpem eſſe actum voluntatis, exurgentem ex actibus credendi & deſiderandi quos præſupponit. Poteſt enim aliquis deſiderare, & tamen quia caret credulitate, quòd rem ſit aſſecuturus, caret etiam ſpe. At poſito deſiderio, ſi credulitas illa non deſit, illico ſpes exurgit. Itaque concludit Ocham, actum ſperandi, neque eſſe actum volendi, neque actum credendi, ſed eſſe vnum actum, naturaliter cauſatum ab actu credendi, & ab actu deſiderij coniunctim, & ab vtroque naturaliter inſeparabilem. Sicut enim timor, quia eſt reſpectu mali futuri, quod ſcilicet creditur vel dubitatur eſſe malum futurum, cùm primùm appetitui propoſitum eſt malum, concitat nolitionem ſui, vnde exurgit naturaliter effectus timoris. Sic poſito actu credulitatis & deſiderij, exurgit naturaliter actus ſpei. Et quamuis Ocham, *initio corporis*, dicat effectum ſpei eſſe actum voluntatis: tamen vt notauit Almainus tract. 2. mor c. 7 ſenſus eius eſt, quòd ſpes non ſit actio, ſed paſſio, ideóque non cenſet ſpem oriri ex ipſa voluntate immediatè, ſed ex anteriore eius actu, hunc veluti fructum producente, coniunctis viribus cum credulitate, intellectui inhærente.

Hæc tamen ſententia, nullo modo admitti poteſt; Tum propter ea quæ ſupra aliis occaſionibus adducta ſunt, ad aſtruendam vitalitatem affectuum, eorùmque immediatam dependentiam effectiuam à facultate vitali: Tum ſpecialiter, quia perperam Ocham, ſecernit ſpem à deſiderio efficaci, eamque facit poſteriorem. Poſita enim credulitate futuritionis obiecti, & eius deſiderio efficaci, habetur ſpes formaliſſimè. Nec eſt quærendus alius vllus actus profuſus à deſiderio efficaci & credulitate, à qui rationem ſpei actualis ſortiatur. Comparo tantùm ſpem cum deſiderio efficaci, quia qui deſideraret tantùm inefficaciter, etiamſi poneretur credulitas futuritionis, non erumperet in actum ſpei. Vnde neceſſarium planè eſt, vt Ocham, actum illum deſiderij, quem præmittit, ſpei ſtatuat eſſe deſiderium efficax, quod oſtendi conſtituere formaliter actum ſpei, ſi præluxerit futuritionis credulitas. Fruſtra antē præmitti deſideriū inefficax, deſiderio efficaci, quaſi neceſſariū præludium, non eſt quòd cōfirmem cùm inexperientia id apertè doceat. Quare modos propoſitus ad explicandam ſpei naturam, eiúſque à cæteris effectibus diſtinctionem, retinendus eſt.

Spei partitio, bifida tantùm.

285. Multiplicitas ſpei, quæ ex dictis colligi poteſt, non eſt ſpecifica phyſicè rem conſiderando. Poteſt enim duntaxat diſtingui duplex ſpei motus in bonum quod creditur futurum. Nempe primò moderatus, quo homo ſperat, quæ vires ſuas & ſubſidia earum externa excedunt. Et hic motus, ſimpliciter retinuit nomen ſpei. Secundò moderatus, quo homo, affectus ſui ſinum expandit vltra quàm conueniat, non ſatis admetiens boni propoſiti arduitatem & facultatem ſuam. Et hic motus appellatur præſumptio. Non prout hoc nomine interdum deſignatur vitium humiliati oppoſitum; per appetentiam immoderatam honoris, & ſui æſtimationem ſuprà condignum: aut prout aliàs ſignificat temerarium iudicium ex coniecturis exilibus circa aliorum facta ſensâve latum; ipſâſve coniecturas tale iudicium malè fundantes: In quo ſenſu a Iuriſperitis vehemens ſeu violenta præſumptio, & probabilis, ac leuis diſtinguitur. Non inquam vllo ex his modis præſumptio eſt motus ſpei: Sed prout deſignat immoderationem ſperandi, quæ in genere moris, differt ſpecie ab affectu ſpei, ſicut vnum extremum vitioſum, à mediocritate honeſta: Phyſicè tamen eſt ſpes quædam.

Alium præterea ſpei affectum, non inuenio. Nam quòd aliqui confidentiam inſuper numerant, tanquam peculiarem actum à prædictis diſtinctum; numerant illi quidem, ſed non explicant, quæ ſit inter obtinendi confidentiam, ac ſpem diſtinctio. Non me latet S. Bonauenturam in 3. d. 16. art. 1. q. 2. n. 16. & 17. diſtinguere confidentiæ actum, ab actu ſpei, quem appellat expectationem; quia confidentia reſpicit auxiliatorem, cuius ſuppetiis aſſecutionem ſperamus: Expectatio autem ſiue ſpes, reſpicit ipſum bonum. Sed hæc confidentiæ & ſpei diſtinctio iuxta ipſummet S. Bonauenturam, non eſt actuum ſpecie diuerſorum, imò neque plurium numero. Impoſſibile namque eſt, concipere quòd quis confidat in aliquo, quod paſſim dicimus ſperare in eo, & tamen nihil expectet, ſiue ſperet. Ergo qui confidit in aliquo, ſperat etiam eo ipſo aliquid, ſaltem implicitè actu tamen & formaliter. Addit Almainus tract. 1. mor. c. 7. confidentiam illam, eſſe actum intellectus pronunciantis de bona opitulatoris voluntate ad ſubueniendum, ideóque non poſſe eſſe actum ſpei, quæ eſt in voluntate. Verùm hæc impugnatio nititur falſo antecedente, ac proinde manis eſt.

Spei cauſa.

286. Sic expoſita paſſionis huius natura & multiplicitate, pergo ad eius cauſas, quarum aliquæ communes ſunt cæteris affectibus proſecutiuis, vt bonitas & eius cognitio, ſi præciſe ſumatur vt cognitio boni. Aliquæ ſunt ſpei peculiares, vt credulitas adeptionis, & ſubſidia rei obtinendæ opportuna. Nemo enim animatur ad ſperandum, niſi affulgeat adeptionis credulitas, & ſuppetant media, quibus bonum ſpei propoſitum obtineatur. Et quo maiora ſuppetunt ſubſidia, perfectiórque credulitas futuritionis ingeneratur, eo auctior, & alacrior ſpei motus concitatur. E contra autem, ſpes admodùm friget, ſi ex alterutro illorum capitum, bonum ſperatum, obiiciatur vt ſuperans appetitus facultatem. Et multò magis ſi intercluſa exhibeatur aſſecutio, ob irritum ſæpè conatum, & caſſum conniſum.

Quia tamen in maximis etiam incommodis & difficultatibus, ſpes ſemper ſuperat, eluctandi obices aſſecutionis, & euentus anterior irritus, vel caſui vel indiligentiæ alicui adſcribitur: Propterea *neminem*, ait Seneca 7. de benef. c. 31. *ab excitanda domo ruina deterruit: Et cùm penates ignis abſumpſit; fundamenta, tepente adhuc area, ponimus; & vrbes hauſtas ſæpius, eodem loco condimus. Adeò ad bonas ſpes, pertinax animus eſt Terra marique humana opera ceſſarent, niſi malè cadentia, iterum tentare libuiſſet.* Cadit huc bellè quod à Franciſco Petrarcha proditum eſt lib. 2. de remed. dialogo 121. de nauta, *quem cùm quidam interrogaſſet, vbinam pater eius obiiſſet; In mari, inquit. Cúmque idem ille de auo & proauo atque atauo nominatim ex ordine quæſiuiſſet, reſponſúmque idem de ſingulis accepiſſet; intulit; & nunquid tu, inquit, mare ingredi non times? Reſpondit nauta diſſimulans, & vbinam tuus obiit pater? Suo ait in lectulo. Vbi auus? inquit. Et is ait, & proauus, & maiores mei omnes, ſuis in lectulis obiere. Tum nauta. Num tu, inquit, tuum non times in lectulum aſcendere? Eleganter quidem, aliquantóque plus quàm nauticè.*

Concinnè, de more, hanc ſuperſtitis ſemper in quibuſuis ærumnis ſpei, dulcedinem ob nunquam ferè, planè præcluſas eius cauſas, exponit cultus Poëta lib. 2. Elegia 5. illis verſibus,

Finirent multi letho mala: Credula vitam
Spes fouet. & meliùs cras fore, ſemper ait.
Spes alit agricolas, ſpes ſulcis credit aratis
Semina; quæ magno fœnore reddat ager.
Hæc laqueo volucres, hæc captat arundine piſces,
Quum tenues hamos abdidit ante cibus.
Spes etiam valida ſolatur compede vinctum:
Crura ſonant ferro, ſed canit inter opus.

Qui ad ſperandum, maximè apti.

287. Ex dictis efficitur, eos maximè idoneos eſſe ad ſperandum, qui facilè ſibi perſuadent non defore ſubſidia adipiſcendæ rei neceſſaria, vel rem eſſe futuram. Propteréaque iuuenes, quia pro multo calore ægriùs apprehendunt obiectum tanquam ſibi inſuperabile; & pro ſua inexperientia, firmantur in ea credulitate, facilè adducuntur, vt ſperent. Quod notauit in hunc modum Ariſtoteles 2. Rhet. cap. 2. [Iuuenes ſunt bonæ ſpei. Vt enim temulenti, ſic calidi ſunt iuuenes natura. Simul verò etiam, quia nondum in multis opinione lapſi ſunt; & viuunt vt plurimùm ſpe. Nam ſpes futuri eſt, memoria verò præteriti. Iuuenes autem futuri multùm habent, præteriti verò parum. Primo enim tempore, ſe meminiſſe nihil arbitrantur; ſperare autem omnia. Et idonei ſunt qui decipiantur ob id quod dictum eſt. Sperant enim facilè, & viriliores. Iracundi enim & bonæ ſpei: quorum illud vt ne metuant, hoc vt confidant, efficit. Nemo enim qui iraſcitur, metuit. Sperare autem aliquid boni, afferendæ fidentiæ vim habet. *Ex eadem proportionaliter cauſa, idem ſtatuit de ebriis 3. Ethic. c. 8. ac ſ. 30. probl. q. 1. vbi ita loquitur.* Nonnulli ex melancholicis, vbi abundè potarunt, dolent, & animo vehementer ſuccumbunt. Calor etenim naturalis, à calore vini extinguitur. Calor autem qui eam continet ſedem, qua ſperamus, & ſapimus, facit vt ſecuro animo ſimus. Qua de cauſa omnes ad vinolentiam vſque prompto animo bibimus. Omnes animi ſpe bona, vini copia afficit, quemadmodum iuuentus adoleſcentulos. ſenectus enim parum ſperare poteſt, iuuentus ſpe plena eſt.] Suffragatur Flaccus lib. 1. epiſt. ad Torquatum, cùm de ebrietate ait.

Spes iubet eſſe ratas, in prælia trudit inermem.

Qui item amicos habent potentes, per quos facilè poſſint abundare ſubſidiis, comparandæ rei concupitæ neceſſariis, facilè ſpem concipiunt. Ideóque pij, vt Ariſtoteles etiam aduertit c. illo 12. quia norunt ſe Deo caros, & nihil Deo annuente eſſe impoſſibile, facilè eriguntur in ſpem. Et eò ſpectare dixerim vetus prouerbium, cuius meminit Syneſius epiſt. 103. verbis illis: *hoc vno præſertim vt veteri prouerbio dicitur, probi malos ſuperant, bona ſpe.*

Effectus ſpei. Hominis veluti conſtitutio.

288. Spei effectus inſignes omnino ſunt, & eiuſmodi, vt fuerint Philoſophi, quos Elpiſticos Græci vocarunt, qui vitam, ſpe potiſſimùm contineri affirmabant: eáque, & oblectatione illam conſequente abſciſſa, vitam negabant fore tolerabilem, vt refert Plutarchus 4 Sympoſ c. 4. Effectus illos variis locis aperit Philo, vt initio libri de Abraham, tractans illud de Enos: *hic ſperauit in patrem & factorem omnium*, quo pacto ipſe eum locum legit. Tantoperè autem ibi, vim ſpei ſuſpicit; tantóſque eius effectus prodit, vt hominem, ea quaſi conſtitui velit. [Quoniam, *inquit*, principium parandorum bonorum, ſpes eſt, etiam hanc tanquam publicam viam oſtendit, & aperit. anima veri boni ſtudioſa, quæ primum amicum, ſpei nominat hominem, vocabulum totius generis commune, tribuens ei per excellentiam. Nam Chaldæi, hominem Enos vocant, ac ſi ſolus verè homo ſit, qui res bonas expectat, & bona ſpe ſe ſuſtinet. Vnde manifeſtum eſt quòd ſpe carentem non hominem exiſtimat, ſed beſtiam humana forma præditam, cui deſit ſpes proprium ornamentum humanæ animæ. Quamobrem cùm vellet egregiè laudare hunc bene ſperantem. poſtquàm dixit: *hic ſperauit in patrem & in factorem omnium*, ſubiecit: *hic eſt liber generationis hominum*. quamuis iam & patres, & aui quidem erant. Sed illos mixti generis authores cenſebat; hunc autem puri putique, quod rationale verè dicitur. Nam ſicut Homerus inter cæteros innumeros, Poëta per excellentiam vocatur; Et atramentum quo ſcribimus, quamuis atrum ſit quicquid albo opponitur; Et ἄρχων Athenis è nouem magiſtratibus præcipuus, cuius nomen in faſtis diſtinguit tempora: Eodem modo, benè ſperantem, hominem, per excellentiam nominat, ſecretum à vulgo ignobili, & indigno tali appellatione: Nec minùs rectè librum generationis veri hominis dixit, non extra propoſitum, quandoquidem hic benè ſperans, celebratione memoriáque dignus eſt; non in chartulis corrũpendis à tineis, ſed in immortali natura, penes quam ſunt commentarij virtutũ omnium] Mox ibidem,

ibidem, palatij quod virtutes omnes inhabitant, ædituam, vel etiam antiſtitem, (quod Tertullianus de pudicitia dixit,) ſpem ſtatuit, ſic ſcribens. *Spem in foribus, ceu ianitricem, natura collocauit, intus verò cæteras virtutes Regias, quas adire licet nemini, qui non prius hanc vnam demeruit. Proinde legiſlatores, & leges paſſim promulgatæ, pro magno negotio habent, replere bona ſpe animos ingenuos.*

Cuiuſuis boni ſtimulus.

289. Non minus luculenter libro de præmiis *initio*, ſpem proponit, vt vniuerſalem ſtimulum cuiuſuis boni, quo non impellente, omnia iacerent: Nemo quicquam illuſtre ſuſciperet: Quilibet labores defugeret, quorum ſpes, eſt veluti condimentum. Propoſita enim Triptolemi fabula, quem vectum alatis draconibus, fruges in vniuerſa terra ſeminaſſe, glandiúmque eſum alimentis mitioribus commutaſſe, ferebant, *Conſideremus ſementem cum primis neceſſariam, quam fecit conditor ille in agro bono, ſcilicet rationali animo. In hac præcipuum ſemen eſt ſpes, à quo fonte, victus ratio promanat. Nam ſpe lucri, negotiator varios aggreditur. Nauclerus ſecundum curſum ſperans maria traiicit. Ambitioſus ſpe honorum, accedit ad tractandam Rempub. Spe coronarum athleta ſubit certamina. Spe felicitatis animum ad philoſophiam applicant, quicunque ſunt dediti virtutum ſtudio, quòd eius ope ſe putent peruenturos, tum ad naturæ notitiam, tum ad vitæ actiuæ contemplatiuæque perfectionem, quibus in rebus, felicitatem ſitam eſſe exiſtimant* Et poſtea eodem libro, ſpem, ait, bonis à Deo prouiſam, *vt haberent conſolatricem domeſticam, & leuarentur in ſuis moleſtiis.* Idem, libro quòd deterius potiori inſidietur, *ſub finem*, ait *ſpem eſſe alimentum animarum, virtutem amantium, propter quam ſemouemus pigritiam quotquot preparamus ad honeſta opera.*

Erectio mentis, & laborum lenimen.

Aſtipulatur Maximus Tyrius diſſert. 37 n. 216. *Rationibus*, inquit, *humanis, contubernales duos adiunxit Deus. Amorem ac ſpem: Alterum quidem tanquam alarum remigium leue, quod in altum per ſe feratur, animámque ſecum ſurſum gerat & extollat, viámque qua id quod petit conſequatur, oſtendat. Quod quidem appetitionem humanam vocant Philoſophi. Spes verò animam comitantur, vt illam quam diximus appetitionem ſuſtineant ac ſolentur. Non illa quidem cæca, vt ab Attico dicuntur, Poëta, ſed perſpicaciſſima; ne ante deficiat anima, ſed ea quæ maximè optat, conſecuturam ſe confidat. Qua quidem ſpe ex humanis ſi exulaſſet rebus, iam diu commercia ſua negotiator, & ſtipendia miles, & nauigationem mercator, & rapinas ſuas prædo, & nocturna intermiſiſſet furta, ſcortator. Quod illa neutiquam permittit, ſed illorum rerum ſtudio accendit, quæ nec fieri poſſunt, nec ad finem interdum peruentura ſunt ſuum* Quod ait, ſpem accendere ad ea quæ fieri non poſſunt, intellige reipſa & de facto: quamuis ſecundùm exiſtimationem ſperantis, non abſit futuritionis credulitas, iuxta ſupradicta: Quinetiam torpet plane ſine ſpe, deſiderium quodcunque, & vt Mamertinus in Iuliani panegyr ſcitè dixit, *marcens cupiditatis flamma, ſpei bonæ flatibus, excitatur.* Similitérque quod paulò ante dicebatur, ſpem eſſe ſolatium & blandam conſolatricem, accipiendum eſt cauſaliter. Quo item modo. Bias apud Laërtium in Biante, ſpem rerum omnium dulciſſimam dixit, quòd & in ſummis malis, vt Plinius lib. 19. c. 1. dixit, *ſit, ſperandi pro ſe, cuique dulcedo*; hoc eſt, quòd ſpes & difficultates leniat, & ſuaui rei ſperatæ ſenſu, appetitum perfundat. Eſt enim vniuerſalis quidam ſapor, aut condimentum, ſine quo omnia hîc deſipere, aut etiam amareſcere neceſſe eſt. Seneca Rhetor. l. 5. controuerſia 1. eodem ſenſu, vocat ſpem, *vltimum aduerſarum rerum ſolatium*,

290. Sed pulcherrimè de more Syneſius lib. de inſomniis. *Sperandi genus, tam eſt in natura hominum abundans ac ſalutare; vt elegantioribus ſophiſtis illud in ore ſit, ne vitam quidem homines eſſe toleraturos, ſi in eodem quo antea ſtatu perſeuerarent. Facilè enim iis moleſtiis. quæ hominum vitam circunſtant, fatigarentur, ſi non ſpem in eorum naturam Prometheus indidiſſet, velut conſtātia medicamentum, quod cùm deguſtauerint, id quod in expectatione eſt, eò certius putant, quòd apparet Atque hæc tanta vi prædita eſt, vt qui compedibus vinctus attinetur, ſimul atque geſtienti animo ſperare permiſerit, è veſtigio ſoluatur & militet, & dimidia centuriæ præfectus ſit; & paulatim centurio, inde Imperator euadat, tum vincat, ſacrificet, coronetur, menſam apponat, eámque ſi lubeat Siculam. aut ſi velit Perſicam. Interim pedum & vinculorum obliuiſcitur, quandiu Imperator eſſe vult.* Quia tamen ſpei, deeſt poſſeſſio boni concupiti, potèſtque excludi eius futuritio, propterea *ſollicitus eſt*, inquit Seneca epiſt. 23. *& incertus ſui, quem ſpes aliqua proritat, licet ad manum ſit, licèt non difficili petatur, licèt illum nunquam ſperata deceperint.* Ex quo ille, ſpei dulciſſima oblectamenta, ſubmouenda exiſtimat à ſapiente.

Alacritas ex ſpe.

Quanta denique ex ſpe alacritas, & aduerſus labores generoſitas accedat, aperit egregiè S. Baſilius homil. in Pſal. 1. *initio*, exponens cauſam, cur Spiritus Sanctus prouiderit initio pſalterij, quo toto multa aſpera & dura audituri erant mortales, oſtentari illis bonum æternum, ad quod ſpe aſſurgentes, omnem ex labore triſtitiam abſtergerent. Quod viatores faciunt, cùm ſpe commodi hoſpitij releuant tædium ex aſperitate itineris per loca auia. Et agricolæ, quibus ſpes meſſis ſuffuratur labores, vt idem S. Pater loquitur, Eleganti comparatione hoc elucidat Clem. Alexand. 1 Pedag. c. 6. agens enim de ſpe Theologica (& idem proportione eſt de Philoſophica) ſic habet [tanquam homo ex multis conſtans membris per ea (fidem ac ſpem) illigatur & augetur & ex vtriſque conflatur ac coaleſcit. corpore quidem, fide, anima vero ſpe, quemadmodū Dominus quoque ex carne & ſanguine. Re vera enim ſanguis fidei eſt ſpes, in qua continetur quemadmodum fides ab anima, Cùm autem ſpes expirauerit, perinde ac ſi ſanguis effluxerit, vitalis facultas diſſoluitur] Duas hic aduerto comparationes quibus ſpem conciliare. Homini alacritatem, liquidè deprehenditur. Spes enim confertur & cum anima, & cum ſanguine. At conſtat vniuerſum corporis vigorem ab anima eſſe, eàque abſente corpus iacere oblíſum. Similiter à ſanguine eſt corporis alacritas, & ſanguinis effluxu, iacere corpus & nullomodo vigere. Bellè ergo his comparationibus expreſſit Clemens ſpe conciliari animæ alacritatem atque vigorem. Quæ inter laudes à S. Hilario initio fragmenti hiſtorici, depactas ſpei, non eſt poſtrema.

291. Huc pertinet inſignis diſputatio Philonis lib. de nom. mutatione, myſtice tractantis riſum Abrahami & Saræ, nondum nato Iſaac, cuius nomen riſum ſonat. Præmittit enim ita natura comparatum eſſe, vt præludium aliquod antecedat, & veluti prænuncius conſecuturi effectus, idque in plena lætitia priuſquam adueniat, ad mulcendum interim operantem, ſeruatum oportuiſſe. Hoc quod ab eo præmitti dicebam, variis exemplis contexitur omnino declarat. *Pleraque*,

inquit,

exemplis, concinnè omnino declarat. [Pleraque , *inquit*, eorum quæ futura ſunt,natura ſignis quibuſdam prænunciat. An non auiculam vides,quæ priuſquàm per aërem ſe fundat , alas concutere, pedibúſque exilire ſolet, ita ſpem quam habet ſe mox volare poſſe , prædicendo ? Nunquid agnum, aut hœdum, aut bouem adhuc tenerum vidiſti , cui nondum enata ſint cornua,ſi fortè irritetur à quopiam,ire contrà,illis partibus incitatum ad vindictam, vnde ipſi natura arma , quibus defendat & vlciſcatur ſe,miniſtrat & ſuppeditat?In ferarum quidem certè certaminibus,non ſtatim tauri ſibi oppoſitos perforant , ſed glomerato greſſu procedentes,& ceruicem mediocriter inflectentes. altero cornu inclinato , ac taurino verè intuitu conſpicientes , tum demum inuadnot, opus aggreſſuri. Cuiuſmodi præludium Græci nouorum vocabulorum fictores , *ὁρμὰς* appellarunt , quaſi impetum quendam præeuntem.]

Sic iacto eo fundamento quod præmittebam , ſuperſtruit illum quem memorabam ſpei effectum,quod ſcilicet ſpes,ſit lætitia præcurrens plenam lætitiam ex boni conſecutione obuenturam ad mulcendum interim operantem, ciúſque faſtidium leuandum. Qui eſt ille ipſe ſpei effectus in quo verſabar Sic autem philoſophatur. [Simile porro quiddam animus plerunque patitur. Nam ob ſperatum bonum , gaudium præcipit , vt lætitia quodammodo lætitiam antegrediatur , & delectatio hilaritatem præcurrat. Quod etiam comparare quis poſſet ei rei quæ ſtirpibus accidere ſolet. Quæcumque enim oriuntur è terra , cùm fructus producere parant,priùs pullulant , & flores ac germina proferunt. Vitem excultam aſpice, vt mirificè ſit à natura ornata ſarmentis, adminiculis, propaginibus,& pampinis vinoſis,quæ tametſi vocem nullam edant , arboris tamen lætitiam ob fructum aduenientem indicant. Quinetiam dies ipſe præartidet diluculo, ántequam ſol oriatur. Splendor enim, ſplendoris nuncius eſt;& lux obſcurior,lumen clarius,anteuertit. Itaque bono iam venienti , comes adeſt lætitiæ : expectato verò , ſpes. Siquidem lætamur cùm aduenit ; ſperamus autem cùm inſtat : Sicut in contrariis etiam contingere ſolet. Etenim mali præſentia, dolorem ; expectatio verò, metum gignit. Metus ergo nihil aliud erat , quàm triſtitia ante triſtitiam , vt ſpes gaudium præ gaudio. Quam enim opinor,rationē habet metus ad dolorem,eandem ſpes ad gaudium.

Confirmat hanc ſpei vim,pereleganti comparatione,ſpei ad boni poſſeſſionem , ſe habentis, non ſecus ac odoratus ad guſtum. Vtriuſque deinde cum prægustatore, & ciborum vſu collati. Non omitto , elegantiſſimam, rei de qua agimus,expreſſionem. [Signa porro,*inquit*,manifeſta eius quod dicitur, ſenſus exhibent. Nam odoratus guſtui præpoſitus , eſculenta & poculenta fermè præiudicat omnia: vnde prægustatorem ſenſus rectè quidam nominauere,cùm ipſius effectum animaduertiſſent.Spes etiam ad id à natura comparata videtur,vt futurum bonum quaſi prægustaret , idque ànimo commendaret , qui firmiter poſſideret. Proinde cùm quis in itinere conficiendo,fame vel ſiti correptus eſt,ſi repentè fontes viderit , aut arbores omnis generis,ſuauibus onuſtas fructibus,tametſi nondum comederit,nec biberit,ac ne hauſerit quidem,decerpſeritve ; ſpe tamen ipſa fruitionis, ante impletur. Deinde cenſebimuſne , nos corporis quidem alimentis ante vſum paſci poſſe ; mentis verò cibos,idoneos non eſſe ad nos exhilarandos , cùm epulas nobis apparant ? Riſit igitur meritò , cùm nondum ſatus videretur in mortali genere riſus.]

192. Aliā pereleganti comparatione,effectum ſpei propoſitum,declarat Dionis Charidæmus or. 30.catenam deſcribens,qua genus humanū vniuerſum vincitur.[Dictu,*inquit* dignum eſt,vt ego olim puer ab homine circulatore audiui, qualem dixerit eſſe catenam non hiſce ſimilē ex ferro & ære factis,ſed multò fortiorem. Verùm quod ad formam connexionémque attinet,haud diſſimilem. Quemadmodum enim iſtæ ex quibuſdam annulis ſunt fabricatæ mutuò immiſſis, & hoc à principio vſque ad finē,ita & illam habere,qua diximus homines à Diis vinciri.Compactā verò eam totā,ex voluptate atque ægritudine : Et hæc ſibi inuicem iugiter implicari,iucundum & moleſtū, & alterū alteri ex neceſſitate ſemper cohærere,quemadmodum (opinor)annelli catenæ.Sequi autem,poſt magnaſ voluptates, magnas ægritudines;poſt paruas verò minores.Et maximam eandem in fine eſſe voluptatē,nempe mortem.Atque propterea ante ipſam,& ægritudinem contingere maximam. Manifeſtum eſt etenim quòd homini nulla maior ægritudo neque dolor accidere poſſit,quàm is qui trahit ad mortem.Dicebat autem & viritim,alia eſſe vincula:his quidē minora, illis autem maiora circundata;tanquam compedes:Vocari verò ea à nobis SPES. Quemadmodum igitur cōpedes, eſſent in infima corporis parte ; & circa extrema membra:ita & ſpes,in infimo eſſe, & circa extremam vitæ partem,& maximè in ditionē redigere homines, cogeréque omnia pati & ſuſtinere.Stultis igitur & ſolidis, valdè tumidas eas eſſe compedes, & peteraſſas : Induſtriis verò,relaxatas eſſe,& tenues circundatas.Et ſanè etiam eas aſſimilauit limæ alicui, admodum viriliter imaginem ſequens:hanc enim,ſolos aiebat inuenire induſtrios & acutos.Reconditam quippè eſſe,planè diligenter.Quemadmodum ſi quis in carcere limā abſcondat,ne quis captiuorum ea reperta,ſemetipſum ſoluat.Ergo bonorum & laborum cupidos,vix quidem eam,ſed tamē inuenire.Eam verò ab ipſis vocari Rationem.]Plurima ad hos effectus ac fructus ſpei,Guliel. Pari:lib.de mor.c,3.de quibus etiam plenè & pulchrè author in certus elegiæ de ſpe l.1. epigr.ver.poët.

Spei cùm languida,tum præſidentis remedia.

193.Remedia ad moderandum ſpei affectum,ſiquidem ſpes ſit remiſſior,quam par eſſet,ducenda ſunt ex cauſis & effectibus ſpei,proximè expoſitis.Oſtentanda enim eſt boni magnitudo,& eiuſdem adipiſcendi facilitas ; Vel ſaltem quàm congruum ſit, ſibi perſuadere conſecuturam adeptionem,ſi humo pro viribus connitatur ad eam,nec frangatur animo, metu impedimentorum,aut præciſæ ad aſſecutionem viæ. Qui eſt plerunque metus vanus atque lymphaticus , ſpei tamen maximè infeſtus,quem excludunt illa Senecæ epiſt 13. *Plerúnque ſuſpicioni nos laboramus,& illudit nobis illa, quæ conficere bellum ſolet,fama: multò autem magis ſingulos conficit. Ita eſt,mi Lucili,citò accedimus opinioni, non coarguimus illa quæ nos in metum adducunt ; nec excutimus,ſed trepidamus. Et ſic vertimus terga,quemadmodum illi,quos puluis motus fugà pecorum,exuit caſtris,aut quos aliqua fabula ſine authore ſparſa , conterruit. Neſcio quomodò,magis,vana perturbant.Vera enim modum ſuum habēt.Quicquid ex incerto venit cōiectura & licentiæ pauētis animi traditur.Nulli itaque tam perniciosi, tam irreuocabiles, quàm lymphatici metus ſunt. Cæteri enim ſine ratione,hi ſine mente ſunt Inquiramus itaque rem diligenter.Veriſimile eſt,aliquid futurū mali Non ſtatim verum eſt.Quàm multa non expectata venerunt, quàm multa exſpectata , nuſquam comparuerunt.* Quæ Seneca de timore mali diſputat , æquè in timorem ſpei infeſtum cadunt ; hoc eſt,in timorem apponendorum impedimentorum, & non ſecuturam boni concupiti aſſecutionem , quibus ſpei affectus præfocatur. Alia aduerſus hoc extremum, dabo paulò poſt, agens de deſperatione, cui hæc ſpei remiſſio & languor,eſt admodū affinis,itemque poſtea cùm de metu.

Sin verò ſpes ſit maior quàm congruum foret, reducenda erit ad mediocritatem debitam, expenſione periculorum & difficultatum interponendarum, quibus plerunque multa quæ euentura credebantur, intercludi contigit. Quàm multos porro ſpes ſua fefellit, & quidem rationabiliter concepta? Itaque multò magis cùm deeſt fundamentum certitudinis, ob defectum ſubſidiorum conuenientium, & impedimentorum multitudinem, fallacitati eius timendum eſt. Præſentiſſimum verò, ſpei irrationabilis recidendæ, vel etiam præcidendæ, medium, eſt præcluſio futuritionis. Friget enim ſpes, ac veluti gelaſcit, ſi exiſtimetur nunquam explenda, boni expectati adeptione. *Faciliúſque concupiſcentia refrænatur, quæ nulla expectatione ſuccenditur.* Verba ſunt S. Auguſt. l. de bono viduit. c. 10.

294. In ſumma, quiſquis ſpem ſuam rectè compoſuerit, ita vt neque præfidens erigatur ſupra quàm par eſt, neque deiiciatur infra quàm debet, is demum vere homo eſt, eóque nomine dignus, iuxta Philonem libro de præmiis. *Spei ſemina*, inquit, *non nulli hoſtiliter extirpant ne e ſit nutrix animæ virtus, aut velut negligentes agricolæ, corrumpunt per ſocordiam. Nec deſunt qui cum diligentes coloni videantur, ſui magis quam pietatis ſtudioſi, benefactorum cauſas ſibi ipſis tribuunt. Omnes hi culpandi meritò. Solus laudem meretur, qui ſuam ſpem in Deo collocat, cui hoc ipſum quod eſt, debet, conſeruaturo munus ſuum gratuito. Quod igitur præmium eſt propoſitum victori in hoc certamine? Mixtum quoddam ex mortali natura animal: homo videlicet, non is ipſe qui præmium accipit, nec alius tamen. Hunc Chaldæi nominant Enos, quod interpretatur homo. Eam communem generis appellationem victor accipit, eximium præmium, quaſi nemo præter ſua hoc nomine dignus ſit, niſi qui in Deo ſperat.*

ARTICVLVS II.

De Deſperatione.

HVius affectus natura, admodum obſcura videtur. Neque enim ſatis perſpici poteſt, quid ſit appetitum deſperatione frangi. Omnis ſiquidem actus appetitus, aut eſt nolle, aut velle. Atqui is qui deſperat, non poteſt dici nolle bonum, cuius aſſecutionem deſperat. Tantum enim abeſt, vt tale bonum nolit, vt potiùs incenſiſſimè illud appetat, nec niſi ob exceſſum boni ſummè expetiti frangatur animo: quia agnoſcit hoc, quod tanto voluntatis impetu proſequitur, & ſtringere cuperet, eſſe ſupra facultatem ſuam: vnde ſecuturum præſagit, vt ad eius adeptionem nunquam pertingat. Quare deſperatio, non eſt nolitio, ſed volitio. Proptereáque deſperatio eſt affectus circa bonum, vt rectè aſſerit Aureolus in 3. d. 26. quæſt. 4. art. 3. *ſub finem*; patétque ex oppoſitione deſperationis cum ſpe, nam oppoſita debent eſſe circa idem. Quòd ſi aliquando deſperamus de malo euitando, deſperatio non eſt de malo, ſed de mali euitatione, quæ eſt bonum quoddam.

Quidditas deſperationis perobſcura.

295 Difficillimum ergo explicatu eſt, quæ ſit ea in deſperatione volitio boni, in quam nomen deſperationis, eiúſque recepta notio cadere queat. Nam paſſim concipimus & explicamus deſperationem, tanquam receſſum vitalem à bono, ob eius difficultatem, vel præcluſam futuritionem, vt habetur ex D. Thoma 1. 2. q. 40 art. 4. *in corp.* & ad 3. & patet ratione. Ex quo enim homo perſuadetur, bonum propoſitum non poſſe attingi à ſe vel certò impediendam eius aſſecutionem, exoritur deſperatio, quæ eſt quædam ab eo bono retroceſſio. Cùm autem eiuſmodi retroceſſio, non ſit nolitio boni, vt demonſtratum eſt, patétque ex perſtante amore eius in voluntate, neceſſe eſt, vt ſit volitio eiuſdem boni. At ferri in aliquod bonum volendo illud; & ab eo retrocedere, quod fit per deſperationem, non videtur quàm aptè cohæreant.

Sitam eſſe in actu intellectus, ſententia Almaini.

In hac re, occurrit primùm ſententia Almaini tr. a. mor. c. 7. difficultate 3. affirmantis, vt quis dicatur deſperare, nullum voluntatis actum exigi: Sed poſito iudicio aliquo poſitiuo in intellectu circa tale obiectum, dummodò liberè ponatur, eo ipſo hominem dici deſperare. Iudicium porro illud, notat, poſſe plerunque eſſe veriſſimum. Cùm enim quis libere iudicat, ſe non eſſe ſaluandum, qui reuera non eſt ſaluandus, quia præſcitur moriturus in malo ſtatu; iudicium illud non eſt falſum, ſed verum: & tamen eſt deſperatio, iuxta Almainum. Qui addit, quamuis ſpes & deſperatio ſint oppoſita, non poſſe tamen dici, quod ſpes ſita ſit in ſolo actu intellectus. Diſcrimen aſſignat; quia ad ſpem exigitur & actus intellectus præuius, & actus expectationis ex eo manans. Neque enim dicitur ſperare, qui iudicat ſe peruenturum ad boni adeptionem, etiamſi voluntas prorſus ſerietur, & nullum ſuum iudicio illi actum ſubnectat. At vt quis dicatur deſperare, ſufficit iudicium liberè poſitum de futuritione nunquam ſecutura. Adducit Almainus pro hoc ſuo placito, Dionyſium Ciſtercienſem, apud quem diſertè illud non reperio. Nam quòd in prologo q. vnica art. 3. *ad argumentum contra quintam concluſionem propoſitione prima*, ait de eo, qui iudicaret, Deum nolle finaliter ſibi miſereri, peccare, quia ſic credendo, deſperaret; facilè exponi poſſet de deſperatione, actum illum intellectus conſequente: non autem de deſperatione, quæ formaliter ſita ſit in eo iudicio. Et ita habetur ex eodem Dionyſio in 1. d. 40. quæſt. vnica art. 3. concl. 5. §. *Diceres*.

296. Porro tam diſertè aperit ſententiam ſuam Almainus, vt non videatur poſſe accipi in quodam ſenſu, in quo ab aliis quibuſdam dictum eſt, deſperationem eſſe duntaxat actum intellectus: Nimirum ſumendo deſperationem moraliter, ac vt peccatum. Quia enim impoſſibile eſt ſperare præcluſo iudicio, ſiue credulitate de futuritione rei; hoc autem iudicium tollitur per iudicium contrarium, quo res vel impoſſibilis, vel nunquam obtinenda iudicatur: Propterea qui liberè elicit huiuſmodi iudicium excludens credulitatem futuritionis, reddit ſe inhabilem ad ſperandum, præcluſo ſibi per tale iudicium obiecto ſpei. Quæ præcluſio, vt idem Almainus in 3. d. 26. q. vnica dub. 4. notauit, pugnat cum ſpe, eſtque mala. Id igitur attendentes nonnulli, dixerunt deſperationem; (nempe peccatum contra ſpem, per actum poſitiuum cùm ea pugnantem;) poſſe conſummari in eo iudicio intellectus liberè ſuſcepto, quo futuritionis credulitas remouetur.

Non exiſtimo tamen poſſe Almainum hoc ſenſu accipi. Nam illi alij Doctores, præter iudicium illud, quo voluntas veluti obſtipa redditur quoad actum ſperandi, non diffitentur, in deſperante alium actum vlteriorem à voluntate elicitum, per modum receſſus à bono, quod iudicio illo exhibitum eſt impoſſibile, vel nunquam obtinendum. Omnem autem talem actũ voluntatis inficiatur Almainus, vt patet ex loco allegato. Nam quamuis ibidem, explicando doctrinam ſuam in exemplis dicat hominem poſſe deſperare, vel nolendo beatitudinem, quam credit ſibi obuenturam, vel

tantùm

tantùm iudicando, ſe eam nunquam habiturum: Tamen non vocauit eam nolitionem, nomine deſperationis, niſi latè, & in ratione culpæ contra ſpem, vt patet ex adiunctis. Apertiſſimè autem in 1. ſent diſt. 4. citato, (vbi in eandem ſententiam citat Hoytam,) concedit, deſperationem eſſe tantùm actum intellectus liberè poſitum, & nihil prætereà.

Quorundam aduerſus Almainum argumentatio, imbecilla.

297. Hæc ſententia paſſim reiicitur; tametſi cùm contra eam ratione agendum eſt, non ita facile ſit, illam conuellere. Aliqui ita ratiocinantur. Actu iudicij, in quo Almainus deſperationem formaliter collocat, non pugnat directè immediatè cum ſpe, ſed indirectè tantùm, ſiue præcludendo actum intellectus, neceſſarium ad concipiendum affectum ſpei. Ergo aſſignandus eſt alius actus, qui immediatè & directè opponatur affectui ſpei, quod habet ſola deſperatio, ſita in actu voluntatis, ſubiuncto ei enunciationi mentali, in qua Almainus locabat deſperationem. Quod enim hoc iudicium mentale, non pugnet directè & immediatè cum affectu ſpei, eſt per ſe manifeſtum, ex natura & ſubiecto vtriuſque illius actus. Vnde ſi quis habens iudicium illud, in quo Almainus deſperationem conſtituit, nempe quòd nunquam ſit conſecuturus bonum propoſitum, poſſet ſimul iudicare, ſe conſecuturum tale bonum, poſſet ſperare. & nullo modo diceretur deſperare. Quod falſum eſſet, ſi deſperatio eſſet formaliter iudicium illud, *nunquam conſequar huiuſmodi bonum.*

Hæc Almaini impugnatio, videtur omnino imbellis. Nam quòd aliquis actus poſitiuus pugnare debeat directè & immediatè cum affectu ſpei, probandum eſſet, non ſupponendum. Quid ſi enim, ſicut iræ nullus ſtatuitur affectus oppoſitus, ita neque affectui ſpei? Deinde facilè dici poterit; odium & fugam boni ſpe expetiti, pugnare directè & immediatè cum affectu ſpei. Pugnant enim cum rebus aliquibus virtualiter aut formaliter incluſis in affectu ſpei. Nempe cum ratione amoris & deſiderij, quæ ſunt veluti genericæ ad peculiarem rationem ſpei. At quod pugnat immediatè & directè cum genere ſpei intimo, pugnat etiam directè & immediatè cum ſpe, quæ genus illud intrinſecè includit, & ex eo conſtituitur directè & immediatè. Sicut ergo qui homini materiam ſubducit, totum hominem directè & immediatè conuellit; quia homo ſine vtraque ſua eſſentiali parte nequit conſiſtere: ita etiam qui aufert rationem aliquam ſuperiorem, ab inferiori per eam conſtituto, diſſoluit directè & immediatè tale inferius. Itaque vniuerſa illa ratiocinatio, quæ ex pugna ſpei & deſperationis petebatur, nullo negotio euertitur.

Nec firmius eſt quod ſubditur, petitum ex poſſibilitate affectus ſpei & iudicij illius, in quo Almainus deſperationem conſtituit: quaſi idcirco illud iudicium, non ſit deſperatio, quia qui ſimul cum tali iudicio haberet iudicium oppoſitum, poſſet ſperare, atque adeò non deſperaret. Quod tamen dici nullo modo poſſet, ſi iudicium illud Almaini eſſet deſperatio Hoc dico eſſe perquàm infirmum. Nam ſi quis concipiat iudicium illud, *ego non aſſequar bonum*, implicat, vt concipiat iudicium oppoſitum; nempe hoc, *ego aſſequar bonum.* Si tamen fingamus duo illa iudicia, iungi in eodem intellectu, diceret conſequenter Almainus, talem hominem, ſicut ſimul aſſentiret & diſſentiret; ita ſimul ſperaturum & deſperaturum. Neque enim plus diſſociantur ab inuicem ſpes & deſperatio, quàm aſſenſus & diſſenſus.

Alia aduerſus eundem argumentatio, item imbellis.

298. Eiuſdem ſodalitatis eſt argumentatio, qua pleróſque vti video, contra Almainum argumentantes, ex eo quòd ille actus intellectus, quem ipſe protulit, ſit aliquid antecedens ad receſſum vitalem voluntatis à bono, qui receſſus eſt formaliter deſperatio. Ille autem actus intellectus non eſt niſi aliquid ad eum prærequiſitum; de communi omniũ planè Doctorum ſententia.

Verùm hoc quoque parum vrgere nemo non videt. Nam quòd iudicium illud antecedat actum aliquem voluntatis, probandum eſſet non aſſumendum. Deinde quòd actus ille voluntatis, in quo deſperationem formaliter conſtitui volunt, ſit receſſus, nunquam ſatis explicatum videtur: cùm neque ſit odium, neque fuga à bono, ſiue adiuncta difficultate, vt poſtea euincam. Quidni igitur contenti ſumus actu aliquo intellectus, obſtruente omnino viam affectui ſpei, eo quòd præripiat credulitatem aſſecutionis, planè neceſſariam ad ſpei exercitium? Talis quippe actus, tametſi elicitus per intellectum, non incommodè videtur donari nomine deſperationis, quia de ſpe eiúſque exercendæ poteſtate hominem deiicit.

Fortius videretur vrgeri Almainus communi cæterorum doctorum in contrarium ſenſu. Sed neque ille, in re purè Philoſophica, cuioſmodi iſta eſt, tanti eſſe poteſt vt nullo rationis idoneo ſubſidio competente, inuehamus nouum actum, cuius exiſtentiam & naturam explicare ſatis nequeamus. In Philoſophicis enim, quod Soto alicubi rectè monet, ſecus accidit, quàm in fidei Chriſtianæ negotio, de qua proditum diuinis oraculis eſt, *niſi credideritis, non intelligetis.* At in naturalibus rebus meréque Philoſophicis, planè contrarium ſtatuendum eſſe monet Soto, negans, quicquam credendum eſſe, quod priùs intellectu non perceperimus, & ſolida ratione aſtrui perſpexerimus: quam hîc certè non proferri, videtur exploratum.

Communis ſententia, ſolidè contra Almainum ſtabilitur.

299. Nihilominus non placet à receptiſſima ſententia deſciſcere. quam in hunc modum non improbabiliter confirmari poſſe exiſtimo. Qui deſperat, præter actum illum intellectus, quo iudicat ſibi impoſſibile bonum, quod alioqui impenſè diligit, aut quo iudicat, nunquam ſibi obuenturam eius aſſecutionem, triſtatur de ea boni propoſiti impoſſibilitate vel amiſſione. Quamuis enim de iis, quæ homo non optaret, aut nihili duceret non concipiatur triſtitia, quantumcunque iudicentur non euentura vel impoſſibilia; qua ratione nemo triſtatur, etiamſi iudicet, ſe non poſſe volare, vel non poſſe effici orbis vniuerſi dominum: Tamen quando iudicium illud cadit in rem, quæ homini ſit in amore, ſemper coniungitur ei triſtitia de boni illius amiſſione, eſtque ea triſtitia commenſa amori: Ita vt ſi amor boni incenſus fuerit, ingens triſtitia exurgat; ſi autem amor boni languidus aut remiſſus fuerit, adiunctam habeat triſtitiam in eadem menſura. Atqui triſtitia oritur ex nolitione præſuppoſita, ſicut delectatio ex amore. Ergo præter triſtitiam, & iudicium intellectus, admittenda eſt in deſperante nolitio aliqua, iudicio illo poſterior.

Hanc video non aliam ſtatui poſſe, quàm nolitionem inuectionis impedimentorum: quæ inuectio, cùm fuerit poſita reipſa, ſitque proinde malum præſens, profundit triſtitiam, ſuppoſito eius odio & nolitione. Porro odium non fundatur niſi in boni amore, & in eo ſemper radicatur: ita vt nemo

aliquid purè odio habeat, nihil amando, ſed ſemper cuiuis odio, adiungatur aliquis amor, quo nitatur odium, qui alioqui, cùm ſit affectus teterrimus nunquam ad ſui exercitium facultatem vitalem aduocaret, vt cum Diuo Thoma dixi, exponens ordinem generationis inter paſſiones appetitus concupiſcibilis. Et quamuis amor ille non ſemper ita explicitè & apertè ſe prodat: ſemper tamen reipſa, & formaliter, actúque, priús natura interuenit, quàm poni poſſit affectus odij, & nolitionis. Ergo in præſenti negotio, dandus erit aliquis actualis affectus proſecutiuus, ex quo nolitio illa inuectionis impedimentorum aſſequendi aliquando boni concupiti, profundi dicatur. Quæ proſecutio alia ſtatui non poteſt, quàm occupata circa bonum prædictum. Non enim aliunde oriri poteſt nolitio præpeditionis obſtitutæ adeptioni talis boni. Ergo habemus in deſperante, affectum aliquem proſecutiuum circa bonum, cuius aſſecutionem deſperat, poſteriorem indicio illo intellectus, in quo Almainus deſperationem locabat.

Alia quædam placita, de deſperationis quidditate.

300. In hoc affectu proſecutiuo, colloco formaliter deſperationem, ſecutus Scotum id inſinuantem in 3. d.26. q. vnica *litera H.* Tum quia non malè, imò ſatis commodè, eo pacto exponitur deſperationis ratio. Tum quia omnes alij actus voluntatis, in quibus collocatur ab aliis ratio deſperationis, longè magis ab ea recedunt, vt breuiter declaro recenſione & expenſione huiuſmodi actuum. Nonnulli igitur ex illis, qui contra Almainum, agnoſcunt deſperationem eſſe affectum poſitiuum voluntatis, poſteriorem indicio credulitatem futuritionis excludente, dixerunt, affectum illum eſſe fugæ, & nolitionis boni ardui. Ita Veſantius 1. 2. quæſt. 22. artic. 1. diſp. 1. concl. 1. At Palac. in 3. d. 26. diſp. 2. cùm dixiſſet, deſperationem eſſe, non intendere in bonum, quia putatur impoſſibile, aut putatur nunquam aſſequendum; ſubdit, per *non intentionem*, intelligere ſe contemptum boni, ex indicio futuritionem excludente profectum. Quæ ſententia non multùm abeiſſe videtur, ab ea quam indicat Durandus in 1. d.26. quæſt. 2. num. 11. dicens deſperationem eſſe totalem boni ardui dimiſſionem, ob difficultatem eius. Alij autem idipſum aliis verbis exprimunt, cùm dicunt, deſperationem eſſe nolitionem vſurpandi media, quibus pertingi poſſit ad bonum, quod obtinere quis deſperat. Et eodem recidit, quod alij dicunt, deſperationem formaliter ſitam eſſe in nolitione ſpei circa bonum, quod agnoſcitur impoſſibile vel nunquam aſſequendum. Commodiſſimè etiam videtur poſſe eo modo accipi. quod plerique cum S. Thoma locis initio adductis, ſtatuunt deſperationem in vitali receſſu à bono impoſſibili, vel nunquam adipiſcendo. Videtur enim receſſus ille, idem eſſe quod dimiſſio illa, & nolitio vltra aſpirandi ad tale bonum. Aureolus in 2. d. 23. q. 4. artic. 3. deſperationem collocat in ſpirituali caſu à bono, quod ex oppoſita ſpei ratione intelligitur. Statuit enim ſpem, in ſpirituali aſſurrectione voluntatis in bonum arduum. Cadere ergo à conſecutione talis boni ſummoperè concupiti, quia exiſtimatur nunquam conſequendum, eſt deſperare.

Excutiuntur.

301 Nullum ex his placitis ſatis exponit naturam deſperationis, tametſi ſingula aliquid ad illam certi nere attingant, & ad bonum ſenſum pertrahi poſſint. In primis verò, qui dicunt deſperationem eſſe nolitionem & fugam boni de quo deſperatur, ſi huiuſmodi fugam & nolitionem velint ferri in bonum, de quo exurgit deſperatio, audiendi non ſunt. Nam obiectum illud, poteſt incenſiſſimè amari à deſperante, qui vt rectè ſupra monet Aureolus, ſi interrogaretur, vellétne, ſi poſſet, bonum illud obtinere, haud dubiè annueret, quòd non cohæret cum nolitione boni illius, & fuga ab eo. Idque præſertim videtur perſpicuum, in iis, qui præ vehementiſſima boni alicuius cupiditate & amore, præcluſum ſibi omnino aditum ad illud, præciſamque ſpem deprehendentes, à reſti petunt remedium & leuamen triſtitiæ, qua opprimuntur. Ea enim triſtitia, mediatè pullulat ex amore boni; cuius aſſecutio deſperatur: Ac proinde bonum illud non habetur odio à deſperante. Quid quòd poteſt quis deſperare aſſecutionem boni, quod odiſſe non poteſt? Nemo enim odiſſe poteſt beatitudinem, quamuis de ea conſequenda multi deſperent.

Quare ſi in aliquo probabili ſenſu deſperatio dici poteſt nolitio boni ardui. & fuga receſſúſque ab eo, non alius eſſe poteſt, quàm quo receſſus, fuga, & nolitio, dicantur cadere in voluntatem vſurpandi media, eo quòd prænoſcantur fore inutilia ob impoſſibilitatem, vel nunquam ſecuturam adeptionem boni. Quem ſenſum planè ferunt ſententiæ illæ poſtea propoſitæ, quibus deſperatio ſtatuebatur in boni contemptu aut dimiſſione, vel ſpei de eo in poſterum concipiendæ; & voluntatis, prodigendorum in illud mediorum, abiectione. Vt enim aliam boni contemptionem vel dimiſſionem intelligamus, quàm quæ contineatur eâ nolitione mediorum. & actuum fruſtra circa talem finem effundendorum; obſtant quæ propoſuimus contra ſententiam, quæ ſtatuit deſperationem in odio boni, de quo concipitur deſperatio: præſertímque incenſus boni amor, & eius æſtimatio, quæ actu vigent in deſperante. In prædicto ergo ſenſu ſiue ratione vſurpationis mediorum, & ſpei in poſterum de tali bono eliciendæ, deſperatio poteſt dici fuga, & receſſus, & nolitio, & contemptio, ac dimiſſio, ſiue volitio non vltra fatigandi ſeſe fruſtra, in quærendo, & ambiendo bono illo.

302. Quominùs tamen exiſtimem, plenè & formaliſſimè eo modo exponi rationem deſperationis, facit in primis, quòd actus illi, non verſantur immediatè circa bonum de quo eſt deſperatio, ſed circa electionem mediorum ad eius aſſecutionem tendentium, vel circa actum ſpei de eo eliciendum in poſterum. Deſperatio tamen, æquè ac ſpes, debet eſſe immediatè & directè de bono: Idque authores cum quibus agimus, non inficiantur, & in ſuperioribus eſt confirmatum. Deinde poteſt aliquis deſperare, quamuis nullum prædictorum actuum, explicitè, aut etiam actu, eliciat; cùm tamen vt quis deſperare dicatur, non poſſit non elicere actum deſperationis; & quidem pluſquàm implicitè, ſi de formali & expreſſa deſperatione ſit ſermo, de qua reuera nunc loquimur. Poſſe autem aliquem deſperare, non eliciendo actu & formaliter nolitionem vſurpandi media, conſtat ex eo qui deſperat de bono, quod priùs ſperabat ſibi obuenturum, ex mera alterius libertate, vel diuina virgula, nullis per ipſum interpoſitis mediis. Non vrget autem quod dici poſſet, talem poſſe ſaltem ſtatuere, eum non orare in poſterum, à quo ſperabat huiuſmodi bonum; vel certè ſtatuere poſſe non captare eius gratiam eo quod nolit vltra eſſe pendulus, & ſollicitus, ſi quomodo hominem flectat & dimoueat de ſententia. Hoc inquam non vrget. Nam volitio illa, eſt valdè extrinſeca deſperationi, potéſtque contingere vt poſita deſperatione & voluntatis

ex

ex ea angore, certo eius indice; nulla animum pulſet cogitatio de elicienda ea volitione non vltra captandi gratiam benefici muneratoris. Et idem dico de volitione non ſperandi, quæ eſt actus reflexus ſupra actum ſpei elicibilem, ſi non eſſet præcluſa futuritio. Non nego quin hi actus contineantur in actu deſperationis, tanquam in radice ac ſemine, & vt plurimùm inde progerminent, tanquam connaturales appendices. Tantùm igitur nego, ſemper elici actu & formaliter à deſperante. Quod ſatis eſt, vt conſtet, rationem deſperationis non poſſe dici ſitam in huiuſmodi actibus. Denique, viceuerſa poſitis prædictis actibus, non ponitur deſperatio. Nam poteſt quis bonum odiſſe, & idcirco nolle vſurpare media ad illud conſequendum, vel illud ſperare. Poteſt item gerere ſe eodem modo abſque odio illius boni, duntaxat quia placet non captare illud, vel quia operoſam arbitratur eius adeptionem, etiamſi videat non eſſe impoſſibilem, vel prorſus præcluſam. In quo euentu, etiamſi non ſperet, non tamen deſperat, ſed liberè renunciat adeptioni tam carò vænienti.

Quomodo deſperatio ſit voluntatis caſus, fractio, deſponſio, defectio.

303. Hinc omnia placita propoſita, excuſſa manent, præter placitum Aureoli: Quod vt non diffiteor, concinnè, & reipſa verè, proponere naturam deſperationis, ita nego ſufficienter eam aperire. Quid enim eſt caſus ille à bono? Nam verbum *cadendi*, metaphoricum eſt, æquè ac verbum *aſſurgendi*, per quod Aureolus, ſpem deſperationi oppoſitam exponit. In ſpe tamen, facilè intelligimus quid ſubſit illi metaphoræ, quidque ſit ea aſſurrectio & erectio voluntatis ad bonum propoſitum. Eſt enim ipſa proſecutio talis boni, quantumuis obſepti arduitate. At quid deſignetur in deſperatione per caſum à bono, ægrè intelligitur; quia neque intelligi poteſt actus auerſatiuus, qui in bonum non caderet, ſicut cadit deſperatio: neque proſecutiuus, niſi explicetur quæ ſit ea proſecutio, aut quomodo in deſperante cernatur.

Video ſenſum Aureoli eſſe, quòd deſperatio, ſit voluntatis fractio, ac deſponſio oppoſita erectioni, quam dicit ſpes: ſiue deliquium & defectio voluntatis, reſpectu boni adeptu impoſſibilis, aut nuſquam adipiſcendi: non quidem eo modo, quo amor dicitur inuehere defectionem & deliquium animi, ratione immenſitatis boni propoſiti, quod agnoſcitur non poſſe exæquari per voluntatem, cuius ſinus finitus eſt, nec poteſt tantùm excipere, vel quæ non poteſt tantum ſequi, quantum, bonum allicit introrſum: ſed alio modo, quo voluntas ex præcluſa boni futuritione, concidit & frangitur. Semper tamen exponendum ſupereſt, quid ſit illud voluntatis deliquium, quid ea fractio aut deſponſio, in qua formalis ratio & quidditas deſperationis, ſita eſſe dicitur, & oppoſitio directa cum erectione animi, quam ſpes confert.

Itaque dico, deſponſionem illam & defectionem appetitus à bono propoſito, nihil eſſe aliud quàm deſiderium efficax, conditionatum ex parte obiecti, quo, qui deſperat, vellet conſequi bonum, quod videt ſe nunquam adepturum. Quia enim vellet, ſi poſſet, eo frui; eáque volitio, eſt actus terminatus ad bonum, reipſa poſitus in eius voluntate, habemus affectum circa bonum, ſiue proſecutionem, quam in deſperante quærebamus. Quod autem affectus ille rectè dicatur deſperatio, intelligitur ex conditione, quam adiunctam habet ex parte obiecti, quod agnoſcitur nunquam obtinendum: vnde angor ille voluntatis, conſequens nolitionem impedimentorum, intercludentium adeptionem. Indidem etiam ſequitur nolitio vſurpandi media, & nolitio vltra fatigandi ſeſe in ſperando & captando eo bono. Quamuis enim homo auidè arriperet media ad boni adeptionem neceſſaria, ſi iudicaret, poſſe aliquando ad eius adeptionem perueniri: Tamen ex quo iudicauit, præcludi ad eam aditum omnem, & odit eam præcluſionem, quam ſublatam vellet, præ boni amore perſeuerante; & non vult conatum ſuum ac operam prodigere, in vanum conſilium. Itaque elicit, aut ſaltem ad eius diſpoſitionem accommodatum & veluti connaturale eſt, vt præter actum nolitionis, & odij, impedimentorum adeptionem intercludentium, & triſtitiam inde conſequentem, eliciat actus nolitionis vſurpandi media, & nolitionis ſpei, exercendæ in poſterum. Qui actus perfunduntur amaritudine triſtitiæ, interclufionem prædictam conſequentis. Ex quo liquet, eos neque primos eſſe in deſperante actus, neque proficiſci ex contemptu propriè dicto; vel ex odio & deteſtatione boni propoſiti: alioqui non eſſet in quo fundaretur triſtitia, quæ in aliquo boni amore, radicanda eſt.

Actus deſperationem conſtituens, collatus cum volitionibus conditionatis.

304. Illud igitur deſiderium boni concupiti, cuius aſſecutio omnino præcluſa agnoſcitur, quatenus connotans hanc cognitionem; atque adeò quatenus idoneum fundare reliquos actus propoſitos, eſt formaliter deſperatio. Adiungo has habitudines, vt intelligatur diſcrimen huius actus, ab aliis boni volitionibus conditionatis, quæ feruntur in bonum, ſub alia ratione propoſitum: quibus proinde, nemo dixerit competere rationem deſperationis. Quod perſpicuum eſt de volitione inefficaci, qua quis tangitur ad primam boni impoſſibilis propoſitionem. In volitione autem conditionata efficaci, qua mercator iactat in mare merces ſuas, vt naufragium euitet, conſiderare licet & virtualem ſiue quaſi præuiſam conditionaliter, & formalem deſperationem. Virtualem voco, deſperationem ſalutis, niſi proiiciantur merces, & nauis exoneretur. Non enim eſt formaliter deſperatio, cùm homo tunc ſupponatur tantùm deſperare de ſalute conditionaliter, etiam ex parte actus, niſi merces proiiciat: Id eſt, videat coniiciendum ſe alioqui fore in ſtatum, in quo deſperationem de ſalute ſit eliciturus, ob præcludendam omnem eius ſpem; & idcirco præoccupare decernat, & merces proiicere, vt ſibi conſulat, & à neceſſitate abſolutæ circa ſalutem deſperationis ſubducatur. Ea porro firma ſalutis voluntate poſita, excitatur in intellectu iudicium de impoſſibilitate retentionis mercium, vnde exurgit deſperatio circa earum retentionem, ſuppoſito quòd homo ſe præſtare incolumem velit, ſicut reuera vult. Et idcirco datur verè & formaliter deſperatio in hoc poſteriore euentu, non in priore.

Eſt ergo patens diſcrimen inter illam conditionatam volitionem, qua mercator vellet retinere merces, ſi poſſibile eſſet ſalua ſalute, & præcluſum videns omne naufragij effugium proiicit eas, deſperata retentione, poſt robuſtum amorem ſalutis propriæ; Et inter illam conditionatam volitionem circa merces, quæ non prodit ex impoſſibili earum retentione, ſuppoſito amore ſuæ incolumitatis; ſed eſt v. g. affectus ſimplex circa eas amiſſas. Prior eſt verè deſperatio, non autem poſterior, quæ eſt duntaxat affectus ſimplex; cùm tamen deſperatio, debeat eſſe affectus ex ſe efficax, & talis, vi cuius ſequeretur vſurpatio mediorum, & executio rei, niſi eius

impoſſibilitas vel non futuritio præuiſa, robur appetitus quaſſaret, & neruos eius elideret.

Deſperationis definitio conſummatur: Eiuſdem diſtinctio ab aliis actibus aperitur.

305. Ex quibus eruitur hæc definitio deſperationis. Eſt proſecutio caſſa & conditionata, boni inattingibiliter aufugituri. Nam deſperatio debet eſſe de futuro, æquè ac ſpes. Tendit ergo in bonum futurum, & quidem efficaciter, quantum eſt ex parte potentiæ & actus, Conditionatè autem, quantum eſt ex parte obiecti, ob præuiſam eius impoſſibilitatem, aut omnino præcluſam aſſecutionem.

Vnde præterea eruitur diſtinctio huius paſſionis ab aliis, quæ videtur clara eſſe. præterquàm ſi deſperatio conferatur cum deſiderio rei impoſſibilis. Verùm non eſt difficile ab ea quoque paſſione deſperationem ſecernere penes efficacitatem deſperationi aſſignatam; & eius reſtrictionem ad tempus ſubſequens, ac denique penes ſubiunctionem eius ad cognitionem obiecti impoſſibilis, aut certò non aſſequendi: quæ omnia deſunt deſiderio ſimplici. Cæteros affectus, nominatímque odium, cum quo deſperationem confundebant alij, apertè ab ea ſeiunximus in ſuperioribus. Quoad triſtitiam verò, quamuis vulgaris vſurpatio deſperationis, eam ſæpè confundat, eo quòd triſtitia aſſectetur deſperationem, ſitque aliquid valdè ſenſibile: tamen diſtingui debent, ſicut cauſa & effectus mediatus. Interiacet enim inter deſperationem & triſtitiam, nolitio media, qua exoſus habetur interiectus impedimentorum, quæ prænoſcuntur intercluſura aſſecutionem boni, quod appetitus, quantum eſt ex ſe, efficaciter cupit.

Cauſa deſperationis.

306. Satis de natura ac entitate deſperationis. Venio ad cauſas, quæ in obiecti impoſſibilitate, aut certa præcluſione per intellectum repræſentata, principaliter ſitæ ſunt, ſiue in exiſtimatione impoſſibilitatis aſſecutionis, vel in iudicio eiuſdem nunquam ſecuturæ, quamuis non iudicetur impoſſibilis Alterutrum ſufficit ad deſperationem: quia excludit obiectum ſpei; & alas voluntatis ſuffringit.

Addit Ægidius de Coninc diſp. 20. de actibus ſupernat. n. 81. ſufficere quoque ad deſperationem, iudicium, quo homo apprehendat aſſecutionem boni, eſſe valdè difficilem, quippe aduerſantem poſſeſſioni alterius alicuius obiecti quod homo depereat. Qua ratione cenſet, eos verè deſperare, qui æternam fœlicitatem adeptu arduam agnoſcentes, malunt hærere in cœno turpitudinum ſuarum, & paſci hic corporis voluptatibus, quàm cum ſumma quam præſentiunt difficultate, ab eis auelli.

Verùm ſi hoc eſſet, magna pereuntium pars deſperatione periret, cùm tamen certum ſit, eam culpam ſatis infrequentem eſſe. Quare negandum eſt, deſperationem, ex illo iudicio (vt ita dicam,) indifferenti, poſſe proficiſci: ſed omnino ſupponere iudicium impoſſibilitatis, vel certò non ſecuturæ adeptionis. Quandiu enim proponitur tantùm magna difficultas, non exciditur obiectum ſpei, ac proinde non interuenit deſperatio. Fateor tamen interuenturam, ſi homo, iudicio illi de difficultate obiecti & aſperitate mediorum, quibus ad illud aſpirandum eſſet, adiungeret voluntatem robuſtam & firmam, non vſurpandi tam operoſa media. Eo ipſo enim quòd adeptio eſt alligata vſurpationi mediorum, & hæc firmiter decernuntur abiicienda, conſequitur præcluſio adeptionis, quæ eſt idoneum deſperationis obiectum. Sicut ſupra dicebam, mercatorem, qui actu conceperit firmam tuendæ ſalutis ſuæ voluntatem, deſperare retentionem mercium, quas alioqui ſaluas vellet, poſſetque abſolutè retinere, niſi ſe ipſe, in eam proiiciendi neceſſitatem, volens induiſſet, qua perſtante, impoſſibilis eſt mercium retentio.

Itaque inter cauſas deſperationis, numerandus eſt non modò actus intellectus, quo iudicatur de impoſſibilitate aſſecutionis, eiuſve certa præcluſione: ſed etiam actus voluntatis, quo homo decernit affigi ei, ex quo conſequitur futuritionis præcluſio. v. g. in negotio æternæ ſalutis, deſperatio non modò poteſt oriri ex iudicio hæretico, quo homo iudicet ſe non poſſe adipiſci vitam æternam cum diuino auxilio; vel ex alio iudicio non hæretico, quo dicat, ſe nunquam aſſecuturum fœlicitatem (hoc enim iudicium non eſſe contra fidem, latè confirmat Almainus tract. 2. moral c. 7. & patet ex eo quòd futuritio ſalutis non ſupponitur reuelata:) ſed etiam oriri poteſt ex voluntate pertinaciter infixa alicui culpæ, omnino præpedienti iter ad cœlum. Eo ipſo namque quòd homo ſcit, viam ad fœlicitatem obſtrui perſeueranti in eo ſcelere, & nihilominùs fixum habet vſum illius non excutere, ſubnaſcitur in intellectu iudicium de impoſſibilitate adipiſcendæ fœlicitatis, ex ſuppoſitione obfirmationis in nequitia. Quod iudicium, deſperationi, expeditum ad voluntatem aditum præbet.

Qui ad deſperandum procliues.

307. Hinc habetur, qui ad deſperationem accommodati maximè ſint. Nempe qui ob pectoris anguſtiam, & animi deiectionem facilè adducuntur, vt bonum propoſitum impoſſibile iudicent, vel certò impediendam eius aſſecutionem. Quod iis facilè accidit, qui mali grauitate & pondere velut opprimuntur, vt plerunque à reſti remedium & leuamen petendum putent, rati non aliter vnquam ſubleuandos. Quare atrabiliarij & melancholici, quibus omnia quaſi tenebreſcunt, & vix aſſurgunt ad grande aliquid; & conſideratione difficultatum bono quod proponitur adiunctarum, facilè concidunt, animóque linquuntur. Audi Philoſophum ſect. 3. problem. quæſt. 1. poſtquam atræ bilis habitum, varióſque eius, in variis ſubiectis effectus, deſcripſit. [Alij maiorem in modum ſibi confidunt & ſperant: quod etiam Archelao Regi Macedoniæ vſu eueniſſe accepimus. Cauſam verò tam variæ poteſtatis ipſe habitus dat, ſcilicet prout frigidus calidúſve conſtiterit. Nam ſi vltra modum frigidus ſit, moleſtiæ, anxietatéſque, ſponte ſine vlla ratione naſcentur, ex quo mortem laqueo ſibi conſciſcunt, maximè quidem iuniores; interdum tamen & ſeniores. Multi etiam vinolenti ſeſe interimunt. Nonnulli verò ex melancholicis vbi abundè potarunt, dolent, & animo vehementer ſuccumbunt: calor etenim naturalis, à calore vini extinguitur.] *Et mox.* Non deſunt, quos angor inter potandum eadem illa de cauſa comprehendat, qua etiam poſt potum nonnullos occupat. Quibus igitur calore natiuo emarceſcente, oritur ægritudo, ij ſibi laqueum potiùs petunt. Quare iuuenes potiùs quàm ſenes laqueo ſe interimunt. Alteris enim calor per ætatem marceſcit, quod naturæ agitur ordine: alteris per vim ipſius affectus, quod contra naturam eſt. Quibus autem calor extinctus ſubitò eſt, ij repente ſe interficiunt, vt omnes mirentur, eò quòd nullum indicium præceſſerit. Cùm igitur atra bilis perfriget, vt dictum eſt, varias animi moleſtias & anxietates gignit. Calidior autem cùm eſt, ſecuritatem & lætitiam præſtat. Quocirca pueri lætiores; ſenes, triſtiores eſſe conſueuerunt:

ſueuerunt : Alteri enim calidi alteri frigidi ſunt, quippe cùm non niſi refrigeratio quædam ſit ipſa ſenectus. Accidis verò vt calor ſubitò cauſis quoque externis extinguatur ; quemadmodum quæ præter ſuam naturam candent, ceu carbones, aqua ſuperinfuſa extinguuntur. Vnde fit etiam, vt ſedata ebrietate nonnulli ſeipſos enecent, calor enim ex vino adiectus eſt, quo extincto, vſu euenit illa pernicioſa affectio.]

Item ij, quos crebræ anteriores calamitates, animo elumbes reddiderunt, quia facilè perſuadentur, eundem fore exitum cæterorum negotiorum, facilè etiam pertrahuntur ad deſperationem. Eodem facilè pertrahuntur, qui ardentiùs conſectantur bonum aliquod, v. g. gloriam & famam. Quo in genere illuſtre eſt quod ſcriptum eſt à Cromero l. 6. de Palatino, cui Boleſlaus tertius Poloniæ Rex, leporis pellem, colum, & fuſum, ad ignauiæ exprobrationem tranſmiſit : cùm enim homo gloriæ amantiſſimus, eam ignominiam non ferret, laqueo vitam abrupit. Ignaui item, facilè deſperant, quia facilè apprehendunt ſupra vires ſuas eſſe, quod infra iacet. Quanquam S. Chryſoſtomus in priore ad Theodorum paræn. *ſub finem*, ita agnoſcit, deſperationem in iſtis ab ignauia exoriri, vt ſimul addat, ignauiæ pabulum, eſſe deſperationem. *Quæ tandem eſt*, inquit, *radix & mater deſperationis? Ignauia inquam. Imo quam quis haud ineptè nominauerit non iudicem tantùm, ſed viciſſim, illius quoque & parentem & altricem. Quemadmodum in cadauero tabes gignit vermiculos, qui ab iis iterum augetur ; ita eſt propemodum hoc loco : Nam ignauia deſperationem parit : Ab hac mutuo & illa nutricatur ; adeóque dum ſeruant inter ſe execrabiles vices dandi accipiendique, confirmantur in potentiam haud mediocrem.*

Deſperationis effectus.

308. Effectus deſperationis, plurimi ſunt & ingentes, vt propterea eam deſperationem quæ de ſalute concipitur, Antiochus homil. 17. vocet *perfectum diaboli gaudium*. Quaſi nihil poſſit accedere calamitatis, ad eum cumulum, quo deſperatio animam obruit. Hinc animi mœror & angor oritur, proportionatus amori bonitatis propoſitæ. Hinc abiectio mediorum, & voluntatis plerumque retorſio in contrariam partem. Non rarò enim, qui boni alicuius aſſecutionem deſperant, vt famem appetitus quoquo modo exſatient ; & ventrem animæ, ſin minus eſca congruente, at ſaltem ſiliquis expleant ; alia bona captant, quantumuis lege diuina vetentur. Quò ſpectat illud Apoſtoli, de quibuſdam qui deſperantes tradiderunt ſeipſos impudicitiæ. Et illud D. Auguſtini lib. de nat. & gratiae. 5. *Quidam in peccata prolapſi, deſperatione plus pereunt ; nec ſolùm pœnitendi negligunt medicinam ſed ad explenda inhoneſta & nefaria deſideria, ſerui libidinum, & ſceleratarum cupiditatum fiunt ; quaſi perdant ſi non fecerint quod vrget libido, cùm eos iam maneat certa damnatio.* Additque D. Auguſtinus, aduerſus hunc, vt vocat, nimium periculoſum & exitiabilem morbum, prouiſum fuiſſe à Deo vt mandarentur diuinis ſcriptis, lapſus eorum qui poſt caſum ſurrexerunt. Plutarchus item, de Antonio poſt Actiacam cladem profugo, teſtatur, eum ſe totum ad voluptates omnis generis abiecciſſe, ſi quo modo poſſet conceptum lenire dolorem Et apud Syneſium ſect. priore libri de prouidentia, Typhon ſpe regni deiectus ; de vxoris conſilio, ad omnia illatæ plagæ per quaſcunque voluptates lenimenta vſurpanda, adductus deſcribitur.

Ex deſperatione plerunque ſecuritas enaſcitur, metu in ſtuporem attonitum abeunte. Audi Pacatum in Panegyr. *Magno quidem, fateor, pectoribus humanis, atque adeo maximo lux amori, interitus horrori eſt ; ſed quatenus aut iſta optari poteſt, aut ille vitari. At ſi vltima ſupra caput ſteterit hora, & venerit dies nunquam reuerſurus, ac ſe confeſſa mors fuerit, non timentur extrema, cùm certa ſunt. Hinc reorum vſque ad damnationem metus, poſtea attonitus ſtupor, & ex deſperatione ſecuritas, & ad locum ſupplicij, voluntaria, carnifice non trahente, properatio.* Non abſimiliter Seneca epiſt. 30. *Mors admota, etiam imperitis animum dedit, non vitandi ineuitabilia. Sic gladiator tota pugna timidiſſimus, iugulum aduerſario præſtat, & errantem gladium, ſibi attemperat.*

309. Frequenter etiam deſperatio felicem rerum exitum nanciſcitur, & iis à quibus impendebat calamitas, vaſtitatem ; ipſis deſperabundis, opes animúmque, à ferro impacto ducentibus, ſalutem contulit. Nimirum frigefactus mœrore, ſanguis conniſu deſperationis, & æſtu animum occupante, recaleſcit ; & per antiperiſtaſim ita incenditur, vt animos ſæpè ſupra vires ſuggerat. Dum enim perditis, vt putabant, rebus ſuis, omne ſui ſeruandi conſilium abiiciunt, in ſolam intenti vltionem, & illud ſollicitè ſatagentes, ne inulti pereant ; adeò ſtrenuè & tam alacri impetu feruntur ad agendum, vt cladem inferant iis, à quibus in deſperationem coniecti ſunt, & rerum ſuarum alium plerumque exitum præcoccipiant, ſpem abiectam reuocantes. Quæ cauſa eſt, cur inconſultiſſimum ſemper viſum ſit, aduerſarios ita concludere, vt præcluſo omni effugio & deſperata prorſus ſorte ſua, agantur veluti rabie, in eum à quo ſic concluduntur. *Audacia* enim, vt eſt apud Vegetium l. 3. *clauſis, ex deſperatione creſcit, & cùm ſpei nihil eſt, ſumit arma formido.* Idem lib. 4. c. 25. *Neceſſitas quædam virtutis eſt deſperatio.* Hac ex cauſa Cuſai, Abſalonem à Dauidis inſecutione auertit. Exempla vbiuis proſtant. Profero quædam illuſtriſſima, tractans primam ſpeciem fortitudinis ſimilitudinariæ. Quibus addi poteſt, Cæſarianum in Pharſalia exercitum, cùm fortitudine par, neceſſitate ſuperior eſſet ; Pompeianum à quo improuidè laceſſitus eſt, proſtrauiſſe, atque fudiſſe. Vt meritò inter bellica Pyrrhi Regis monita, illud maximè fiat, quo vetuit hoſti fugienti inſiſtendum pertinaciùs, ne fortè ignauia in fortitudinem verſa, deſperans hoſtis fuga prohibitus, exitium iamiam impendens, retorqueat in pertinacem inſecutorem.

Deſperationis remedia.

310. Remedia deſperationis, conſentaneè ad ea, quæ de eius natura & cauſis dicta ſunt, partim ad intellectum, partim ad voluntatem ſpectant. Intellectui lux concilianda eſt. Si enim intellectus dedoceatur errorem, quem de obiecti impoſſibilitate, aut omnino præcluſa futuritione, concepit, excludetur deſperatio. Itaque oſtentanda, boni adipiſcendi vel facilitas, vel poſſibilitas : mediorum copia & vis aperienda : & quàm ſæpè aliter res ceſſerint, quam malè credulus animus ſibi fingeret, demonſtrandum. Euentus anteriores, cùm proprij, tum alieni, ſupra opinionem felices, obiiciendi. Sic colluſtrato intellectu, erigenda & firmanda erit voluntas, depulſo præſertim mœrore, qui animi abiectionem fouere ſolet, adhibitiſque aliis alacritatis irritamentis, quorum voluntas, oſtentata boni poſſibilitate, & incerta ſaltem, nec planè præcluſa adeptione boni, haud ægrè capax eſt.

Inſignem animandi deſperabundi praxim legere

licet apud Bacchiarium ſub finem epiſtolæ ad Ianuarium lapſum. Quæ enim eo loco ad erigendum animandúmque hominem deſperatione fractum proponit de diuina miſericordia & facilitate ad opitulandum quibuſuis; de vbertate ſubſidiorum, quæ omnibus ad parandam ſalutem ſunt in promptu; de eiuſdem per omnes parabilitate, æquè locum habent in aliud quoduis deſperationis obiectum, proportione ſeruata.

Nec pauca etiam habentur apud Chryſoſtomum, in ſimili ſcriptione ad Theodorum, illum inquam Theodorum Antiochenum, qui lapſus & relapſus, Mopſueſtenam poſtea Eccleſiam adeptus, inde dictus eſt Mopſueſtenus, Chryſoſtomi aliquando ſocius, vt Heſychius Hieroſolymit, in V. Synodo actiu. 5. prodidit, addens in prima defectione ſollicitum fuiſſe Chryſoſtomum vt hominem erigeret, & à deſperatione reuocaret. Quod factum ab eo, potentiſſimè: Et ita quidem, vt poſſit ea ſcriptio eſſe paradigma, in ſimili cauſa. Nominatimque in priore ad Theodorum parænesi, monet quanto ſtudio Diabolus, deſperatione obruere ſatagit, quos ad eam propendere, eáve quati poſſe viderit. *Diabolus*, ait præter cætera, *in varias cogitationes nos immittit, quò excludat in Deum expectationem; hoc eſt, ancharam tutam, ſubſtantiam vitæ noſtræ, manuductionem in te via, quæ in Deum ferimur, ſalutem perditarum animarum. Ipſa enim ſpe, inquit ſeruabimur: ſiquidem ea ipſa eſt catena aurea & firma, quæ de cœlo propenſa, ſubducimus animas noſtras: quæ breui ſurſum in illud ſummum faſtigium retracta, eos qui ipſam fortiter manibus ſeruant, euellit & rapit ſupra fluctus præſentis vitæ omnium longè periculoſiſſimos. Quamobrem qui mollis per indulgentiam, hanc ſacram ancharam amiſit, continuò decidit; & ſuffocatur, ſubmerſus in profundum malitiæ. Quæ cùm agnouit verſipellis, poſteaquàm ipſi nos conſcientia malorum operum onerauerimus, tum ille veterſus, ingerit cogitationem omni plumbo grauiorem, quæ vergimus ad extremam ſalutis deſperationem, quæ ſemel ſuſcepta, continuò deprimimur pondere, & omiſſa catena illa, delabimur in vltima malorum.*

In poſteriore item parænesi fere initio, hæc habet huic loco opportuniſſima. [Non eſt graue, Theodore chariſſime, cadere luctantem, ſed iacere deiectum. Non eſt pernicioſum in prælio vulnerari, ſed poſt vulnus acceptum, deſperatione curandi, medelam vlceri denegare. Nullus ſe demergit, naue fluctibus ſemel merſa, ac poſt totum onus perditum deſiit nauigare: Sed rurſus ad maria, nudus quoque feſtinat: Rurſus immenſa peruolat freta, & iterato fœliciùs curſu, caſus prioris damna compenſat. Sæpè etiam athletas videmus, poſt frequentes lapſus & deiectiones plurimas, coronatos. Militem quoque ſcimus, poſt fugas multas, virum fortem fuiſſe, & viciſſe victores. Multi etiam qui negauerunt priùs Chriſtum, propter crudelitatem, neceſſitatémque pœnarum, ſimile rurſus certamen aggreſſi, glorioſè coronam martyrij receperunt. Quod ſi vnuſquiſque eorum quos dinumerauimus, propter aduerſa principia deſperando ceſſiſſet, nunquam ad ſequentium voluntatem ac fructum bonorum peruenire potuiſſet. Similis profectò res eſt frater chariſſime. Ideóque conſidera ne quia pauliſper, communis inimicus, te, vbi bene fueras, loco mouit, idcirco & ipſe ſe totum ad præceps quod videtur impelles.] Iuuare item plurimum poſſunt exempla aliorum, qui ad ſimiles aut etiam damnoſiores ſcopulos alliſi, non tamen abiecere conſtantiam. Eóque concilio prouidiſſe Deum deſcribi magnorum virorum prolapſiones, obſeruat S. Auguſtinus l. de natu. & grat. c. 35. ſic ſcribens. *Quorundam ſanè exempla quos peccaſſe legimus, non ideò ſcripta dicit qui ſanum ſapit, vt ad deſperationem non peccandi valeant, & ſecuritatem peccandi nobis quodammodò præbere videantur ſed vt diſceremus, vel pænitendi humilitatem, vel etiam in talibus non deſperandam ſalutem. Quidam enim in peccata prolapſi, deſperatione plus pereunt, &c. [Aduerſus hunc morbum nimium periculoſum, & exitiabilem, valet commemoratio peccatorum, etiam in quæ iuſti ſanctique prolapſi ſunt.*

ARTICVLVS III.

De Audacia,

511. NAturam huius paſſionis, obſcurarunt nonnihil, pugnantes circa eam ſententiæ, quas breuiter referam & expendam.

De Audacia quidditate, varia placita.

Aliqui igitur, audaciam nihil aliud eſſe arbitrati ſunt, quàm ſpem firmam & erectam. Ita ſenſiſſe refertur Cardanus in opere de ſubtilit. Alij cenſuerunt, audaciam eſſe carentiam timoris, eiuſque ſignorum, in aggreſſione vel expectatione eorum, à quibus imminet malum. Quò planè recidunt, qui dicunt, audaciam eſſe deſiderium efficax aggreſſionis, connotata intrepiditate & vanitate timoris & indiciorum, quibus timor prodatur. Neque enim exiſtimo, priores illos autores cenſuiſſe, audaciam eſſe in recto carentiam timoris, ſed ea voce deſignaſſe alacris aggreſſionis deſiderium. Tametſi crude ſententiam illorum accepiſſe videtur Salas 1.2. tract. 9 d. 3. n. 89. dubitans ſitne audacia, vera paſſio, quod non improbabiliter à quibuſdam negatum cenſet, nimirum ab iis quos dixi autoribus, qui audaciam timoris vacuitatem deſcripſerunt.

Ipſe verò Salas, audaciam, exiſtimat non aliud eſſe quàm deſiderium prædictum, addita tamen actuali aggreſſione, reliquis connotatis paulò ante recenſitis. conueſtita. Quanquam mox hoc ipſum conuellens, addit; ſi audacia eſt paſſio; nec qualiſcunque, ſed à deſiderio diſtincta, & pertinens ad appetitum iraſcibilem, nihil eam aliud eſſe, quàm quandam animi erectionem aduerſus periculum, & aliquem eius contemptum: ac proinde perperam audaciam ſtatui actum, boni proſecutiuum, cum ſit potiùs deſpectio, & neglectus mali: quod repetit num. 103.

At Val. 1.2. d. 3. q. 1. p. 1. negat, audaciam per ſe & formaliter, contineri eo mali neglectu. Vult itaque, eam eſſe motum proſecutiuum, per ſe & formaliter verſantem circa opus difficile, quatenus eſt bonum quoddam, vtile ad finem arduum conſequendum. Per accidens autem, & quaſi ex conſequenti, verſari circa malum imminens, quod per ipſam negligitur. Obiter quoque idem indicat Suares t. 1. 3. p. d. 24. *in fine.* Videtur etiam non diſſentire Lorca 1.2. ſ. 2. d. 1, n. 20. concedens, audaciam æquè ac ſpem, verſari circa bonum arduum, & eſſe erectionem appetitus aduerſus arduitatem: cum hoc tamen diſcrimine, quòd ſpes reſpiciat arduitatem prouenientem ex difficultate in re ipſa, eiúſve circunſtantiis. Plerunque enim res ſperata, ardua eſt, & obtentu difficilis, ob excellum ſuum ſupra potentiæ actiuitatem. Alias verò ardua eſt, ob impenſas, obſtacula, diuturnitatem, aliáſque huiuſmodi circunſtantias. At audacia, aliam arduitatem reſpicit; nempe eam quæ prouenit ex damnis, vel nocumentis imminentibus vel ex periculo damnorum. Hanc enim eſſe legitimam audaciæ

daciæ

daciæ materiam, confirmat ex timore, qui audaciæ opponitur, eſtque receſſus ab obiecto, propter damna vel damni pericula imminentia.

Affine eſt quod ait Durandus in 3. d. 26. q. 2. n. 11. diſtinguens actum ſpei, ab actu audaciæ; quem ait eſſe alterum extremum fortitudinis, quòd ſpes ſit boni rationabiliter & debito modo quæſiti: audacia verò ſit tendentia in periculum, præter rationem, & vltra quàm neceſſe ſit, vitiúſque præſcribat. Quòd ſi immoderantiam hanc reſecemus, ſupererit actus fortitudinis in periculum rationabiliter tendentis, qui poterit etiam audacia appellari, ſed caſtigata & refracta.

Excutiuntur.

312. Hæc eſt varietas ſententiarum, de audaciæ ratione atque natura. Exiſtimarim autem, pleraſque ex prædictis ſententiis, ac ferè omnes, ab aliis diſſidere quoad voces tantùm, tametſi aliæ aliis commodiùs aut limatius loquantur, & ideirco in ſingulis propè aliquid caſtigatione dignum, aut mollitionis indigum occurrat.

Et ſententia quidem, appellans audaciam ſpem firmam, videtur duntaxat reſpexiſſe ad eam animi erectionem, quæ audaciæ cum ſpe communis eſt. Non eſt tamen dubium, quin ſimpliciter loquendo, falſum ſit, audaciam eſſe idem cum ſpe. Intercedit enim inter vtramque, apertum diſcrimen, quod attigi paulò ante. Imò, quod horum affectuum diſtinctionem apertè confirmat, habent ſe vt cauſa & effectus. Atque ita Caiet. 2. 2. q. 123. articulo 3. allegans Ariſtotelem, ait, audaciam dici ſpem cauſaliter, non formaliter, quia nimirum ſpes audaciam ingenerat.

Qui addebant, audaciam eſſe meram timoris carentiam externis ſignis proditam, non loquerentur probabiliter, vt Salas ſupra aiebat, ſed omnino improbabiliter, ſi eorum ſenſus eſſet, quem ferunt verba ipſa crudè accepta, & vt ſonant intellecta. In quo etiam ſenſu eos locutos eſſe, cenſuit Salas. Per ſe quippe euidens videtur, audaciam non eſſe meram negationem, & aliud eſſe, non timere præcisè, aliud verò audere. Itaque ideirco non improbabiliter ſenſerunt autores prædicti, quia ſenſus eorum eſt, audaciam, eſſe volitionem intrepidæ, hoc eſt, alacris & generoſæ aggreſſionis: quod recidit in veram ſententiam mox tradendam.

At quod Salas, actualem ipſam aggreſſionem de ratione audaciæ eſſe affirmabat, minùs accuratè dictum videtur. Non enim actualis aggreſſio, quæ eſt actus imperatus & externus, poteſt eſſe de ratione audaciæ, quæ eſt affectus quidam, & actus interior circa aggreſſionem occupatus, tanquam circa obiectum ſuum. Dimiſſa verò hæſitatione & vacillatione eiuſdem autoris, circa audaciæ genus, an videlicet ſit paſſio, an non: & ſi ſit paſſio appetitus concupiſcibilis, an iraſcibilis: (Suppono enim ex ſupra conſtitutis q. 1. audaciam eſſe veram paſſionem appetitui iraſcibili aſſignandam:) Addendum eſt, non rectè eundem autorem pronunciaſſe, audaciam eſſe contemptum ſiue deſpectionem periculi, nec verſari circa malum, nempe circa periculum. Hoc inquam non rectè dicitur. Nam contemptus & deſpectio, propriè eſt actus intellectus depretiantis rem, tanquam minus dignam, nec in re noſtra eam æſtimantis arduam, Contemnere enim, non eſt odiſſe, vel auerſari, ſed vile exiſtimare, aut etiam profiteri, & ſignis prodere. Quod longè abeſt ab effectu, & actu appetitus. Itaque audacia, habet quidem adiunctum contemptum periculi, vel potiùs eum præſupponit, & eatenus rectè ſentit autor cuius placitum excutimus. Formaliter tamen & in recto, non eſt contemptus periculi, non verſatur directè & principaliter circa periculum tanquam circa malum: Sic enim refugeret illud. Verſatur ergo circa periculum, tanquam circa bonum quoddam, extrinſecùs quidem amatum; ſed ob intus abditam, eique velut infoſſam bonitatem, auidè hauriendum,

Qua in parte corrigendum etiam, aut certè molliendũ eſt aliquid aſſertum in placito, quod proximè ſubiungebatur, affirmabátque audaciam verſari etiam aliquatenus circa malũ quod proterit, & quo non obſtante inuolat in bonum. Illud item in eo placito molliendum eſt, quòd in eo ſignificatur; audaciam verſari duntaxat circa media vtilia ad finem arduum. Videtur enim arduitas finis, æquè poſſe audaciæ obiici, ac timori; qui audaciæ antiſtrophus eſt, obiicitur ipſiuſmet mali atrocitas. Viceverſa autem diſplicet quod alterum placitum, iſti continens ac ſubiunctum, affirmabat de audaciæ reſtrictione ad finem, ſpei item obiectum. Poteſt enim aſſignari ratio aliqua obiectiua, fini ac mediis communis, terminans audaciam, quæ proinde ad neutrum obiectorum illorum arctanda fuit.

Vera ſententia de audaciæ quidditate.

313. Quare dimiſſis amenioribus illis ſententiis, quatenus à poſtremo relata Durandi ſententia diſcrepant, hæreo in ea, & dico audaciam eſſe paſſionem appetitus iraſcibilis, cuius eſt fortitudo, occupatam circa periculum, & per illud, ſiue bono, ſiue mediis ad boni conſecutionem neceſſariis, adiunctum, irrumpens & inuolans ad bonum, roborata voluntate, vt firmet intellectum in vili æſtimatione ſiue depretiatione & contemptu periculi; eóque perrupto, ſtrenuè & alacriter feratur in bonum. Itaque obiectum audaciæ vltimò inherentum, eſt bonum; non qualecunque, ſed obſeptum periculis damnorum, adiunctis ſiue ipſimet bono, ſiue mediis ad illud ferentibus. Nam etiam ipſummet periculum damni, ob abditam per illud bonitatem, induit rationem boni; nec eſt appellandum malum, cùm non vitetur, ſed alacriter ſubeatur, eo quòd intra illud obiiciatur voluntati bonitas finis, quam per hæc pericula & damna quærit.

Vſurpo finem materialiter. Nam bruta in quorum pleriſque maximè viget audacia, non percipiunt formaliter rationem finis ac medij. Ad rem præſentem tamen, abundè eſt, quod eas rationes attingant materialiter. Qua ratione vrſa & leæna, vt raptos catulos recuperent, inſiliunt in armatos, & in venabula & haſtas interritæ ſe induunt amore charorum pignorum, defixa in terram oculorum acie, ita venabula expaueſcant, vt ait Plin. l. 8. c. 16. Fertur itaque ſpes in finem, ad modum prædictum: audacia autem in finem vt periculis obſeptum, ſiue in ſe, ſiue in mediis, quibus ad illum pertingitur. Non dico, audaciam ferri in damnum, ſed in periculum damni ac nocumenti. Eſt enim differentia, inter damnum, & damni periculum, vt per ſe patet. Et quamuis periculum, eo quòd ſit veluti via ad damnum, videatur etiam habere aliquam rationem damni: tamen quia ratio mali quæ eſt in periculo, tota oritur ex eo cuius periculum eſſe dicitur, meritò damnum contradiſtinguitur periculo; quod audaciæ immediatè & proximè obiicitur.

Diſtinctio audaciæ à reliquis affectibus exponitur.

314. Hinc habetur apertè, diſtinctio audaciæ à reliquis paſſionibus, eiúſque contrapoſitio cum timore: de qua, Martinus de Magiſtris q. 4. de Fortitudine, cum S Thoma rixatur, repulſus à Caietano 2. 2. q. 123. art 3. Diſtinctio igitur audaciæ à reliquis affectibus, clara eſt ex dictis. Poſſet enim ambigi tantùm de diſtinctione audaciæ à ſpe, quia vtraque eſt circa arduum. Ac oſtendimus apertam differentiam vtriuſque illius paſſionis. Nam ſpes, eſt tantùm finis. Spectat ergo bonum, quod materialiter & formaliter bonum ſit. Audacia verò, eſt etiam mediorum, & propter bonum ſperatum, quaſi refuſum in rem alioqui malam & vitandam; (nempe in periculum;) tendit in ipſum periculum. Nemo ſiquidem periculum amaret, niſi illud dulcedine boni propoſiti veluti perlitum agnoſceret. Hoc igitur eſt audaciæ obiectum, longè diuerſum ab obiecto ſpei: deſpicientia ſcilicet periculi, & generoſa eius conculcatio, ſiue progreſſio ad bonum, per periculum alacriter ſuſceptum, vt pertingere ad bonum liceat, quæ proponitur ad illud vnica via.

Vnde ſi res benè conſideretur, actus audaciæ comparatur ad actum ſpei, ſicut concluſio ad præmiſſas. Vt enim intellectus, aſſenſum præſtat concluſioni, quia videt eam colluſtrari ac perfundi lumine præmiſſarum, quibus tantum defert, vt propter eas, concluſionem quoque iiſdem illigatam, aſſenſione dignam exiſtimet: Ita voluntas, bonitate finis per ſpem percepta & amata, etiamſi eidem, vel mediis ad illud tendentibus, adiunctum videat nocumenti alicuius periculum, non retardatur nihilominus à proſecutione boni, nec deiicitur de ſpe; ſed per audaciam animosè & alacriter irruit in periculum, vt concupita per ſpem boni adeptione, frui contingat. Quod eſt proximum ſpei, & vltimum ac mediatum audaciæ motiuum. Itaque quia ſperat, audet, etiamſi non audeat vt ſperet. Sicut intellectus, quia præmiſſam veram cenſet, concluſioni quoque aſſentitur, etiamſi non aſſentiatur concluſioni, vt aſſentiatur præmiſſæ. Vbi apertè cernitur alia ratio motiui, quàm quæ bonitatis eſt propria. Bonum enim periculo obſeptum, quatenus ſperatum, eſt audaciæ motiuum, determinando non alliciendo. Bonum autem poſſeſſum, allicit & mouet non determinat.

Audaciæ & timoris contrapoſitio.

315. Iam verò contrapoſitio audaciæ & timoris, apertior erit, explicata inferiùs ratione timoris. Nunc breuiter dico, rectè S. Thomam ſtatuiſſe, idem eſſe obiectum timoris & audaciæ. Nec malè tamen Martinum, exiſtimaſſe hoc duntaxat valere de entitate materiali, non de formali. Tametſi perperam cenſuit; S. Thomam aliter philoſophatum eſſe. Itaque idem periculum; atque adeò idem materialiter malum, quod timor reformidat, aditur generosè per audaciam. Et timor quidem periculum illud refugit, quia ſeorſim proponitur, ac ſecundum ſe, qua ratione eſt verè malum, & fuga dignum. At audacia; quia conſiderat illud periculum vt complicatum cum bono ſperato, non modò non abhorret à periculo, ſed etiam illud adit atque proſequitur. In quo progreſſu, manifeſtè apparet identitas materialis obiecti ſiue periculi, & diuerſitas obiecti formalis, quod longè aliud eſt reſpectu timoris, & reſpectu audaciæ Atque ita tota Martini altercatio cum S. Thomas aliud voluerat, quàm quod Martinus in eo puncto poſtea tradidit.

Aliter, ſed minùs commodè philoſophatur Caietanus loco citato. Contendit enim obiectum timo-

ris

ris & audaciæ, eſſe vnum & idem, materialiter & formaliter ex parte rei, quoad rationem formalem mali: ita vt obiectum vtriuſque, ſit formaliter malum. Differentiam autem conſtituit, ex parte cognitionis vtrique paſſioni prælucentis: quoniam idem periculum, atque adeò idem malum apprehenditur ab audaci vt longè exiſtens, & vt meabilis ſeu ſuperabilis reſiſtentiæ. A timido autem apprehenditur, vt propè exiſtens, & vt magnæ potentiæ ad valdè contriſtandum, atque nocendum Quod eruit ex Ariſtotele 2. Eth. deſcribente obiectum timoris. Verùm cum apprehenſio nihil ſit, niſi applicatio obiecti appetitus, atque adeò ſit mera conditio, non eſt quòd tentemus, diuerſitatem actuum appetitus conſtituere, per diuerſitatem apprehenſionum: ſed recurrendum eſt, ad ſubſtratam apprehenſionibus, rationem eorum obiectiuam: quamuis non diffiteor, per apprehenſiones, tanquam per indicia & ſigna, innoteſcere eorum diſcrimen. Hæc dicta ſunto, de obiecto timoris inadæquato, quod ſcilicet commune eſt etiam audaciæ. Cæteroqui enim fateor, timorem habere aliquod præterea proximum obiectum, in quod audacia non fertur; nempe malum ipſum, de quo eſt periculum Nam non tantùm timetur mali periculum; ſed multò magis ipſum malum, & vtrumque poteſt proximè obiici timori. At audacia proximè reſpicit duntaxat periculum.

Cauſæ audaciæ.

316. Audaciæ cauſas, poſſumus ex dictis circa eius naturam eruere. Gignit ergo audaciam, in primis ſpes boni; nam ſicut pharmacum inſuaue nemo hauriret, niſi ſpes recuperandæ ſanitatis impelleret, ita periculi denunciatio, voluntatem auocaret, niſi boni ſpes accederet, quaſi condimentum, acuens periculi appetentiam: Itaque ei qui audaciam incendere velit, oſtentanda in primis eſt boni magnitudo, & excellentia; itémque ſerenitas, tempeſtatem conſecutura. Suauis inquam, boni fructus, poſt tranſactum periculum. Sicut autem ſpes maximè excitatur propoſitione ſuperabilitatis difficultatum & vbertatis ac potentiæ ſubſidiorum, quibus ad boni concupiti adeptionem perueniri poteſt: Ita audacia inde præſertim & gignitur & augetur quòd intellectus dedoceatur periculorum terrorem oſtendátque voluntati, malum impendens, nec tantum eſſe quantum primus eius obiectus ſuggerit; nec vtcumque tantum eſſet, declinabile cenſeri debere, ob multas, quas exhibet effugiendi & elabendi vias. Eſto autem non declinetur, ſed omnino incurrendum ſit damnum: Tamen exile, nullóque loco habendum cenſetur diſpendium, tanti boni adeptione compenſandum, quantum ſpes præuia captat.

Ex quibus omnibus procreatur contemptus periculi, qui audaciam proximè parit. Eam verò maximè firmat ſocietas cooperariorum eandem nobiſcum ſubeuntium aleam. Propterea enim apud Homerum Diomedes Iliad. K. hoſtium caſtra exploraturus, adiungi ſibi ſocium poſtulat, rationem reddens. *Si me quis alius vir ſequetur, maior mihi ſpes & audacia erit. Euntibus ſimul duobus, alter ante alterum intellexerit quid tandem vtilius ſit Solus verò etſi intelligat, tamen ei tardior animus eſt, debiliúſque conſilium.* Refert & approbat eum Poëtæ locum, Socrates apud Platonem in Protagora.

Qui ad audendum accommodati.

317. Conſequenter ad has audaciæ cauſas, ij ſunt audaciæ accommodatiores, qui & ſpem firmiorem ac vegetiorem concipiunt, & minoris ducunt pericula. Ex primo capite, Ariſtoteles 2. Rhet. c. 5. obſeruat, eos eſſe audaciores, qui rectè ſe habent erga diuina, putántque ſe propitio numine vti. Sperant enim, ſe eius potentia & viribus adiuuandos. Atque ita iudicant, nihil admodum occurrere poſſe, quod meritò vereantur. Propter eáque nominatim addit eo loco Ariſtoteles, eos, qui iniuria violati fuerint, ſolere audacia efferri, quòd ſperent, numen, quo eſt erga iuſtitiam affectu, pro iſtis ſtaturum.

Ex poſteriori capite, ſiue ex periculi contemptu, audaciam concipiunt inexperti, iuxta illud ex Thucydide à Luciano laudatum in epiſtola præfixa ſuo Nigrino, ſiue libro de moribus Philoſophorum. *Imperitia audaces efficit; res conſiderata, timore percellit.* Quod S. Hieronymus in regula Monach. his verbis expreſſit. *Eruditio timorem creat, imperitia confidentiam.* Experimento item quotidiano deprehendere licet, nihil in pronunciando promptius eſſe, nihil in damnandis, ſuffigendiſque aliorum placitis ſenſiſve, magis præceps, quàm eos qui vt fert vulgare effatum, attendentes ad pauca, facilè pronunciant. Nimirum ruditate & imperitia, audaciam ingenerante. Ex eodem capite, procliues ad audendum ſunt, qui ſiue per ætatem, ſiue ob incenſum multo mero corporis calorem, præcipites aguntur, non ſatis conſiderato diſcrimine, quod adeunt, ſegniùs progreſſuri, ſi peruiderent, in quos caſſes ſe induant. Quia enim optima corporea diſpoſitio ad agendum & reſiſtendum, ea eſt, quæ plurimo, nec impuris admiſtionibus frigeſcente calido abundat; propterea mirum non eſt eos audere: ita vt quamuis pars ſanguinis & ſpirituum intro ſubeat, multi tamen ſpiritus remaneant, quibus & tremor & pallor depellatur, vt rectè philoſophatur Fracaſtorius l. de Sympath. c. 19.

Hæc item ratio proditur cur animantes, quæ magni ſunt cordis, minùs audeant: & è contra audaciores ſint quæ paruo corde ſunt præditæ, iuxta Ariſtotelem 3. de partib. c. 4. qui hanc effectus propoſiti, & maioris vel minoris ad audendum idoneitatis rationem reddit. [Pauida ſunt, quibus cor grandius: audentiora fidentioráque, quibus minus aut mediocre. Affectus enim qui accidit ex metu, iam in iis præeſt: quoniam calorem proportione cordis non habent, ſed parum caloris in magno conceptaculo exoleſcit. Itaque ſanguis frigidior fit. Cor magnum proportione, lepori, ceruo, muri, hyænæ, aſino, pantheræ, muſtelæ, & reliquis ferè omnibus, quæ apertè timida ſunt aut propter metum malefica. Simile in venis atque in ventriculis cordis euenit: ſunt enim frigidiores & venæ ampliores, & ventriculi ampliores. Nam vt in paruo, & in magno domicilio, tantundem ignis non æquè calefacit, ſed minùs in magno, ſic in his calor non pariter agit. Vas enim, tam vena, quàm ventriculus eſt. Item motus alieni, calidum quodque refrigerant. Plus autem ſpiritus in amplioribus eſt, magíſque valet]

Audaciæ effectus.

318. Effectus audaciæ, notiores ſunt, quàm vt explicatione egeant. Eſt enim huius affectus ſumma vis in vtramque partem. Et ad bonum quidem accommodatiſſimus eſt. At propterea meticuloſi, qui hoc affectu vacui ſunt, vix vnquam aſſurgant ad aliquid illuſtre & nobile. Sanè virtutem in arduo poſitam eſſe, ſuo loco demonſtro; docétque experientia, qua compertum habemus, ob rationis ac ſenſus in nobis coniugium, & tarum boni honeſti ac delecta-

bilis

bilis mixturam, facile eſſe, vt proſecutioni honeſtatis, adiungatur incurſus nocumenti, inſuauis ingratique appetitui. Quare niſi audacia iaciturum alioqui animum erigat, & tædium ex oſtentata acerbitate abſtergat, magna virtutis operum ſterilitas conſequetur. Ex altera tamen parte, audacia non repreſſa, effectus procreat admodum lugubres. Euertit enim plerumque in momento, quæ longo temporum decurſu, ægrè parata & conſtabilita fuerant. Quod in pleriſque prælijs ac certaminibus, per inconſultam audaciam, non ſatis expenſo, vel improuidè neglecto diſcrimine ſuſceptis, apertè proditum eſt.

Ad eandem & frænandam, & acuendam, remedia.

319. Remedia huius paſſionis, partim in ea cohibenda occupantur, partim in acuenda cùm res fert. Frænum audaciæ, eſt periculi propoſitio, & periculum fortaſſis ſecuturi nocumenti expenſio. Inde enim reſtinguitur ardor ille nimius, qui pleriſque, inconſultè ac temerè diſcrimen adeuntibus, exitio fuit. Confert etiam eodem, imbecillitatis propriæ perſpectio. Ferè enim qui audaces ſupra modum ſunt, turgent elatione, ſeque & potentiam ſuam pluris faciunt, quam facere reuera deberent, quò ſpectat prudens monitum Archidami, qui referente Plutarcho in Laconicis apophtegmatis filium conſpicatus, in pugna aduerſus Athenienſes audacia elatum, & ſupra vires audentem, ideòque certo periculo obiicientem ſeſe; monuit vt vires ſuas exiſtimaret. *Aut adde*, inquit, *viribus, aut magnanimitati detrahe.* Magnanimitatem vocans audaciam, quæ verè magni animi ſoboles eſt, ſed præpropera, & velut vberis pinguiſque ſoli luxuries. Idque non ad rem bellicam duntaxat, ſed ad omnia plane humana valet. Nam & Poëtis, Flaccus in arte, id infigit.

Sumite materiam veſtris, qui ſcribitis, æquam.
Viribus, & verſate diu, quid ferre recuſent,
Quid valeant humeri.

Æque idem, omnibus dictum cenſeto. Seneca luculenter lib. de tranquill. animi cap. 4. *Ante omnia neceſſe eſt ſeipſum æſtimare: quia ferè plus videmur nobis poſſe quam poſſumus.* Et rurſus c. 5. *Æſtimanda ſunt deinde ipſa quæ aggredimur, & vires noſtræ, cum rebus quas tentaturi ſumus, comparandæ. Debet enim ſemper plus eſſe virium in latore, quàm in onere. Neceſſe eſt opprimant onera, quæ ferente maiora ſunt.* Nec eſt quod quis ad audaciæ patrocinium obtrudat vulgatum illud.

Audaces fortuna iuuat timidóque repellit

Nam id & de rationali audacia accipi poteſt, aut etiam debet: Et de quacunque audacia acceptum, cauſam audaciæ præfidentis non admodum promouet, cùm nihil fortuitum, prudentiam redoleat.

Acuit audaciam prægustatio boni, cuius adeptio ſubactionem periculi conſequetur, & è contra infelix ſubeunda, ſi horrore periculi, cedatur malis, intercludentibus aditionem boni propoſiti. Recolantur quæ alibi propoſui, incentiua fortitudinis in agendo.

ARTICVLVS IV.

De Timore.

320. GEnerali quadam ratione, timor complectitur omnem fugam appetitus, à quouis malo, quod poſſit ſequenti tempore accidere. Et ita ſumitur 3. Eth. c.6. & 2. Rhet. c. 5. Quo pacto timor non differt à fuga, ad tempus futurum reſtricta. Si tamen nomen timoris, preſsè ac propriè ſumatur, differentia eſt inter fugam illam & timorem; proportionalis illi differentiæ, quæ ſpem inter & deſiderium, ad tempus futurum pertinens, intercedit. Nam ſicut deſiderium poteſt eſſe boni, quod ſcitur non euenturum: ita & fuga illa, poteſt eſſe mali, quod nunquam exiſtimetur euenturum, quod in timorem propriè acceptum non cadit. Multò laxius ſumitur nomen timoris, cùm interdum confunditur cum tædio & triſtitia, vt Vaſques notat 3. parte d. 62. num 27.

Quidditas timoris, veſtigata ex eius obiecto.

Timor itaque propriè acceptus, de quo nunc agimus, eſt auerſio a malo nondum poſito, ad euitandum difficili, excluſa certa perſuaſione, quod non ſit euenturum. *Mali* nomen, cùm ſtatuitur timoris obiectum, non eſt arctandum ad obiectum contrarium vel nociuum: ſed extendendum eſt ad quoduis diſconueniens; quod non ſemper recidere in obiectum contrarium, notauit Scaliger exerc. 312. Eſt enim figura figuræ diſconueniens, non contraria. Et hac ratione exponi à pleriſque video quod leo, tam ferox beſtia, galli gallinacei criſtam, cantúſque etiam magis, timet, vt eſt apud Plinium l. 8 c.16. tametſi non appareat quid nocumenti, à gallo, tantulo animali, tantæ feritatis beſtia timere poſſit. Verùm non corripi timore leonem, ſed horrore ſiue efficaci & præſenti odio, capillorum ſubſultum alióſque nonnullos effectus corporeos procreante, veriſimilius eſt; Quali horrore corripimur ad ſubitum occurſum cadaueris, etiamſi non fœtentis. In aliis tamen quibuſdam exemplis, verus timor, ex obiecti non nociui, ſed duntaxat diſconuenientis, præconceptione, excitatur Nam ob diſproportionem & ſympathiam obiectum diſconueniens, habetur malum, etiamſi nullum propriè nocumentum inferat ei cui obiicitur.

Volebam autem malum, quod eſt timoris obiectum, conueſtiri arduitate: quia ſi hæc prorſus abſit, non tam erit timor, quam fuga, pertinens ad partem concupiſcibilem. Item excludebam certam perſuaſionem non futuritionis eiuſdem mali: quia malum, quod vel non creditur, vel non dubitatur futurum, non eſt obiectum timoris ſed odij. Adſtipulatúrque Ariſtoteles 2. Rhet. c. 5. docens, timorem habere adiunctam ſpem aliquam, euadendi periculum & malum imminens. Sicut igitur ſpes, eſt rei quæ creditur euentura, aut ſaltem de qua abſit certa perſuaſio quod nequaquam ſit euentura; ita timor ſimile obiectum poſtulat: hoc eſt malum, quod vel credatur vel dubitetur futurum. Proptereáque Ariſtoteles loco allegato, ait illos, qui non arbitrantur ſe aliquid paſſuros, nec ampla fortuna ſunt: Eos item qui iam ſe omnia grauia perpeſſos arbitrantur, nec vltra ſupereſſe quod ſubeant; timori non eſſe obnoxios. Nempe quia timor eſt mali, quod quis euenturum iure exiſtimare queat.

Poſſitne

Poſſitne malum quod certò eventurum cognoſcitur, timori obiici, pugnantes ſententiæ. Ac primùm, negans abſolutè.

321. Sed hinc exurgit difficultas, an malum certò futurum, poſſit eſſe timoris obiectum. Id enim negare videtur Ariſtoteles loco allegato, cùm ait, eos qui ſpe extincta malis immortui ſunt, velut extremè tortos, non timere, ſed vt quis timeat, opus eſſe ſupereſſe ſpem ſalutis: Eiúſque rei indicium eſſe ait, quòd timor ad conſulendum inducit: Nemo autem conſilium init, de re cuius omnis omnino ſpes fuerit ſublata. Subſcribit Philoſopho S. Thomas 1. 2. q. 42. a. 2. & 3. p. q. 15. a. 7. aítque, hanc ob cauſam, eos qui extremo ſupplicio damnati ſunt, cùm iam ſententiam exceperunt, & ad ſupplicium rapiuntur, non amplius timere, ſed duntaxat triſtari de morte, quòd eam certiſſimam habeant: proindéque non tam eam futuram præconcipiant, quàm præſentem ob oculos obverſantem ſemper habeant. Conſentiunt etiam Caietanus, & alij nonnulli ad eum art. 7. & Val. t. 4. d. q. 15. p. 4 affirmantes, malum quoad eam potentiam, in qua actus timoris elicitur, debere eſſe cum incertitudine eventus; quamuis quoad ſuperiorem eiuſdem ſuppoſiti appetitum, poſſit idem obiectum proponi tanquam certum, nec timori in ea potentia obiiciatur, ſed triſtitiæ duntaxat. Qua ratione affirmant, Christum Dominum, quoad inferiorem appetitum, timuiſſe mortem, de qua ſecundùm imaginationem appetitui illi prælucentem, certus non erat. [illegible] ſecundùm voluntatem, cui prælucebat intellectus [illegible] eventuram mortem exhibens, negant poſſe in Christo eſſe timorem, ſed mœſtitiam in eo [illegible] dicunt, iuxta illud. *Triſtis eſt anima mea vſque [illegible] mortem.*

Alia ſententia negans ex parte.

Aliter Richardus in 3. d. 15. art. 3. q. 3 ad 4. Quamuis enim ibid. q. 1. *in corpore* ſimpliciter conceſſiſſet, malum quod certò & proximè futurum obiicitur, non ingenerare timorem: (id quod etiam ſupponit, in ea reſponſione ad 4.) tamen in ſecunda eiuſdem quarti argumenti dilutione, diſtinguit duplex genus malorum certò futurorum. Quædam enim ſunt certò futura ex neceſſitate, & independenter à voluntate eius cui imminent; & quoad hæc mala admittit. Richardus neceſſariam eſſe eventus incertitudinem, vt timeantur, v. g. ſi quis prænoſcat, ſibi reluctanti, & quantum poteſt renitenti, abſcindendum caput ab hoſte imminente, non corripietur timore, niſi ſit aliqua in mali illius eventu incertitudo. At ſi malum, quod prænoſcitur certò eventurum, non ſit eventurum ex neceſſitate: ſed quia qui illud ſubiturus eſt, ita voluit; tale malum, eſt idoneum timoris obiectum, etiam in appetitu ſenſitiuo, quamuis prænoſcatur certè eventurum. Vnde qui vt impendens exitium avertat, deligit amputationem membri putreſcentis; extimeſcit, ob futuram truncationem, voluntate ſua ac delectu certò ſubeundam. Hæc ſunt placita eorum, quibus incertitudo eventus viſa eſt eſſe de ratione timoris; ſaltem alicuius, hoc eſt, eius qui à voluntate perſonæ malum imminens ſubituræ, non dependet.

Sententia affirmans.

322. Aliis tamen viſum eſt, timorem propriè dictum, de quo agimus, etiamſi ſit de malo à nobis dependente, poſſe eſſe de eo, certò & infallibiliter eventuro. Quod latè contendit Vaſques 3. p. d. 62. c. 3. & probat primùm authoritate Damaſceni ac Nemeſij, qui naturam timoris exponentes, nuſquam meminerunt incertitudinis eventus, in obiecti timoris explicatione. Accedit argumentum ductum ex ſacris literis, & Patrum dictis, quæ apertè & perſpicuè Christo tribuunt timorem mortis; quod non licet ad improprium ſenſum, voluntariè & contra ſimplicitatem, qua diuina oracula accipi par eſt, detorquere. At Christo, mors obventura erat: idque ipſe liquidò ac ſine vlla ambiguitate prænoſcebat. Igitur de ratione timoris, non eſt incertitudo eventus. Idem liquet ex illis, quibus fixum eſt ſubire malum aliquod, v. g. putre membrum ſecare. Non enim incerti ſunt de voluntate quam ſuſcipiunt, nec ambigunt de eventu eam ſubſecuturo, & tamen timent malum illud. Confirmatur, quia vt ſe habet ſpes ad bonum; ita & timor ad malum: opponuntur enim hi duo affectus. Atqui ſpes, non modò poteſt eſſe de bono incerto, ſed etiam de bono certo; nam animæ, quæ ignibus emendatoriis, conceptas in vita maculas eluunt, certam habent emendationem ſuam, & tamen eam ſperant. Igitur timor quoque, ad vtrumque illud mali genus, fundi, dicendus eſt.

Quòd ſi obiiciatur Ariſtoteles, tam perſpicuè affirmans, de ratione timoris eſſe incertitudinem eventus; reſpondet Vaſques ſupra n. 26. Ariſtotelem non agere de omni timoris affectu, ſed de eo quem Rhetores in auditorum animis concitare ſatagunt, cui timori locus non eſt, niſi eùm locus eſt conſultationi, atque adeò cùm eventus mali, incertus eſt. Quando enim malum infallibiliter ac certò futurum creditur, non eſt vltra locus ſuaſioni, præcluditúrque Oratoris labor, in metu illius mali excitando. Quia verò Orator, idcirco auditores timore percellere ſatagit, vt eos ad aliquid efficiendum vel declinandum inducat: propterea ſubdit Vaſques, huic ipſi reſponſioni ſuæ, aſtipulari, qui docent Philoſophum adiunxiſſe obiecto timoris incertitudinem eventus, quia agebat de timore efficaci ad aliquid abrumpendum vel aggrediendum: quamuis non ignoraret, de ratione timoris, qui eſt ſimplex diſplicentia, & non eſt cauſa aliquid efficiendi vel omittendi, non eſſe eam eventus incertitudinem. De Sancto Thoma aliud ſtatuit Vaſques, negátque, illum eodem modo, quo Ariſtotelem exponi poſſe. Itaque monet, quærendam eſſe aliam pronunciati ab eo poſiti interpretationem: Quod ſtudium, aliis de eo ſollicitis permittit.

Conciliantur quoad præſens inſtitutum.

323. Hæc ſententiarum diſcrepantia, non eſt de reipſa. Manifeſtè enim authores, qui ſecuti Ariſtotelem dixerunt incertitudinem eventus eſſe de ratione timoris, egerunt de ſolo timore efficaci & abſoluto, qui his verbis explicatur. *Volo hoc malum à me avertere, & obſtare ne illud ſubeam.* Quem actum nemo negauerit concipi tantùm de malo incerto. Nam de malo, quod certò nouerit eventurum, nemo abſolutè & ſine vlla reſtrictione, ita pronunciet, ſed ad ſummum niti poterit, vt præſtet quod in ſe erit, certus tamen ſe operam luſurum. De timore autem inefficaci & conditionato, notiſſimum eſt, poſſe eſſe de eventu, qui præſciatur certò ſecuturus: ſic enim homo ad necem damnatus, quamuis nequeat elicere actum his verbis conceptum, *Nolo mori*, poteſt tamen elicere actum, quem hæc verba exprimunt, *Nollem mori*, qui non eſt duntaxat actus intellectus, ſed etiam voluntatis, & quidem præſens, ac formaliter &

actu

actu elicitus. Atqui Vaſques diſertè admittit, Ariſtotelem cum ad timoris obiectum exegit euentus incertitudinem, egiſſe de ſolo timore efficaci. Igitur non diſſentit à cæteris, qui eam obiecti timoris conditionem, reſtringunt ad obiectum timoris abſoluti & efficacis. Ita in hoc negotio philoſophantur Suares & Raguſa 1.p.q.15. ad art.7. Ariſtotelem & D. Thomam ita exponentes, cùm dicunt, de ratione obiecti timoris eſſe incertitudinem. Nec dubito, quin eadem interpretatio, in omnes alios Doctores, qui Philoſopho aut D. Thomæ ſubſcripſerunt, aptè cadat. Cùm ſit per ſe euidentiſſimum, de certo & infallibili euentu qui vt certus agnoſcatur, neminem, ſi ſapiat, concipere actum prorſus abſolutum, & illimitatum, quo omnino nolit illud eſſe.

Quid tamen in ſingulis, diſplicere debeat,

Eſt tamen quod in vtroque placito proximè memorato, caſtigationis alicuius indignum, meritò videatur, quamuis ferè per ad accidens duntaxat adiunctum ſit, & extra præſens negotium. In priore igitur placito, diſplicet quòd abſolute dicitur, de malo quòd præuideatur certò futurum, eſſe duntaxat triſtitiam. Id enim verum non eſt. Nam hæc triſtitia, debet radicari in nolitione aliqua talis mali futuri quia ita fert natura triſtitiæ, vt ſupra ſuo loco expoſitum eſt. Atqui ea nolitio mali futuri, quæ ex parte obiecti eſt conditionata, ex parte verò ſubiecti eſt abſoluta, ſiue actualiter exercita, eſt verus quidam timor, tametſi inefficax & conditionatus. Non igitur fuit abſolutè affirmandum, de malo infallibiliter euenturo, nullum concipi affectum præter triſtitiam; aut circa tale obiectum, nullum eſſe locum timori. Nam quamuis authores qui ita loquuntur, intendant agere de ſolo timore efficaci & abſoluto, tamen aduertendum illis fuiſſet, vniuerſali illa negatione, excludi quemcumque timorem, quod ipſis etiam conſentientibus falſum eſt.

Multò magis reiiciendum eſt, quod in eiuſdem prioris placiti aſſertione, à Caietano dictum eſt, de malo, quod in eodem ſuppoſito ſecundùm appetitum ſenſitiuum timeatur, non autem ſecundùm voluntatem, eo quod obiectum poſſit eſſe appetitui incertum, & voluntati certum. Id enim nulla ratione admittendum eſt, quandoquidem ſi malum futurum, eſt certum voluntati, non poteſt dubitari quin ſit etiam certum appetitui ſenſitiuo, ob connexionem vtriuſque facultatis cognoſcitiuæ, prælucentis potentiis appetitiuis. Nominatim autem de Chriſti Domini timore, non licet ad eum modum philoſophari: ſic enim Chriſtus non timuiſſet mortem quoad voluntatem. Quod etiamſi Caietanus concedat, eſt tamen contra ſanctos Patres, vt demonſtratum eſt ſuo loco.

Diſtinctio item à Richardo adhibita, non eſt ad rem. Quòd enim malum certò euenturum, ſit euenturum dependenter à voluntate, vel independenter ab ea, nullo modo immutat rationem obiecti timoris, ex quo determinatio voluntatis ſupponitur poſita. Nam priuſquam ea determinatio intelligatur poſita; effectus ab ea pendens hæret ſuſpenſus ac dubius, & eatenus conueſtitur incertitudine requiſita ad obiectum timoris efficacis & abſoluti. At cùm primum ea determinatio interuenit, & facta ſuppoſitione eius, tollitur incertitudo effectus ex ea conſequentis. Quæ neceſſitas ex ſuppoſitione, in hoc negotio æquiualet omnimodæ neceſſitati ac certitudini: ſicut in ſimili, ſupra agentes de deſperatione, oſtendimus, ex quo mercator fixum habet vitam ſuam locare in tuto, & ad id iudicat neceſſarium non retinere merces ſuas, neceſſarium illi eſſe eas proiicere, ideóque non poſſe vltra elicere actum ſpei, de retentione mercium: ſed quamuis ad deſperationem de ea retentione, exigatur iudicium de impoſſibilitate, aut certa non futuritione talis retentionis, poſſe mercatorem tale iudicium concipere, conſequenter ad ſuppoſitam efficacem volitionem incolumitatis, cui aliter conſuli nequeat.

In poſteriore autem placito, diſplicet quod ad Ariſtotelis explicationem dicitur, eum egiſſe de timore, qui Oratori apud iudices agenti, propoſitus eſt. Quamuis enim id verum ſit, & timor ille ſit de facto is, quem admiſimus ferri in euentum incertum: Tamen vera ratio cur timor ille reſpiciat euentum cum incertitudine, peti debet ex eius efficacitate; non autem ex eo quòd à Rhetore tradatur. Præterquàm quòd Philoſophus, aperiens quomodo Rhetor debeat timorem excitare, cauſam eius aperit ex ipſa timoris natura petitam, ad quam proinde rectà veniendum fuit, vt nos fecimus. Diſplicet etiam, quod in eodem placito, aliter cum Sancto Thoma, aliter cum Ariſtotele agatur. Nam ſanctus Thomas, profitetur ſe ſequi Philoſophum, & eius doctrina nititur, nec quicquam de ſuo addidit, quamobrem ſenſus Philoſophi dictis tributus in eum quoque non cadat.

An malum non proximè impendens, timeri queat. Oſtenditur poſſe.

325. Meritò itaque ſtatuebam, timorem eſſe de malo nondum poſito, excluſa certa perſuaſione, quòd non ſit euenturum. Excluſio enim huius perſuaſionis, rectè cohæret, & cum obiecto quod ſit certò futurum, & cum obiecto incerto. Atque ita vterque timor paulò ante expoſitus, comprehenditur ea definitione. Sunt qui præterea velint, eam limitari ad malum proximè imminens: ita vt ſi malum nondum poſitum, proſpiciatur valdè procul abeſſe, non timeatur, ſed duntaxat, cùm non procul abeſt. Idcirco enim vt Ariſtoteles etiam notauit 2 Rhet. c. 5. mors quandiu creditur remota, non timetur, etiamſi nemo ambigat, quin aliquando ſit obuentura. Timetur ergo, cùm vrgente morbo cenſetur non multùm abeſſe. Verùm tametſi dubitari non poteſt, quin malum quo vicinius eſt, eo perfectiùs timeatur: (Nam quo magis elongatur à nobis, eo minùs eſt malum noſtrum, quod tantùm habet per coniunctionem ad nos.) Tamen fatendum eſt, etiam malum procul poſitum, timeri poſſe, quamuis languidiùs; eo quod mali diſtantia, minùs acrem eius repræſentationem ingeneret. Vnde illa affectus remiſſio, ac veluti retuſio, & hebetudo. Mortem certè, cùm de ea quis cogitat, & malum ducit, nemo eſt qui non etiam timeat, quantumuis per errorem plerúnque damnoſiſſimam, arbitretur procul abeſſe, cùm ſit ſæpiſſimè valdè vicina; quod docent qui incauti opprimuntur.

Non videri timorem poſſe eſſe futuri mali, cùm bruta timeant, nec tamen futura attingant.

Aduerſus propoſitam reſolutionem, & conſtitutam timoris tendentiam in malum futurum, ſiue certò, ſiue cum certitudine, poteſt adduci timor brutorum. Negari ſiquidem non poteſt, quin bruta ſint timoris capacia: & idcirco pleraque eorum, cùm inſonuit aliquid terrificum, aures arrigunt; interimque dum nihil percipiunt, hærent ſuſpenſa in expectationem mali, cuius timore percelluntur. Atqui ſi timor eſt de futuro malo, ſiue de obiecto nondum poſito, videbitur negandum, quòd timor poſſit cadere in

bruta, quæ non preuident obiecta futura. Quandoquidem futuritio, non eſt obiectum ſenſus, quod ab obiecto nondum exiſtente feriri non poteſt, & ad operandum excitari, vt argumentatur Medina 1. 2. q. 40. n 3. & Seneca epiſt. 124. ac Philo l. 3. allegor. nuper edito tradit; ſauétque Ariſtoteles 3. animæ t. 53. negans brutis ſenſum futuri.

Incommodæ quædam reſponſiones.

326. Hæc difficultas, non parum angit pleroſque, trepidantes concedere brutis præſenſionem aliquam rei nondum poſitæ, vel, quod idem eſt, rei futuræ, aut quæ erit; Nec enim hæc duo, ſecerni reuera debent, negligendúmque eſt ſolitum Caietani acumen, qui 1. 2. q. 40. art. 3. ait bruta non cognoſcere, quòd res erit; cognoſcere tamen quòd res ſit futura. Quæ duo ſecerni ait, ex l. de ſomno & vigilia, additque, cognoſcere quòd res ſit futura, item eſſe quòd cognoſcere futurum, ſub quodam præſenti confuſo. Nam quod eo modo cognoſcitur, obiicitur tanquam imminens, quod eſt habere rationem præſentis. Reuera tamen, res quæ tantùm imminet; nondum cognoſcitur præſens. Ergo cognoſcitur futura. Vel vt illum in vocibus luſum declinemus, cognoſcitur fore, cùm nunc non ſit. Vnde vt dicebam, perinde eſt aſſerere, bruta non percipere quod erit, atque non percipere futurum. Qui igitur negant brutis aliquam rei nondum poſitæ præſenſionem, non parum laborant, vt explicent, qua ratione bruta concutiantur timore, qui iuxta ante poſita, eſt tantùm mali nondum poſiti. Et reipſa eò tandem adduci videntur, vt negent brutis timorem, atque transforment in odium mali præſentis. Aiunt enim bruta timere malum quaſi præſens, ex recordatione mali, aliàs inflicti eadem occaſione aut loco; malum tamen futurum non præſentire. Ita Vaſq. 1. 2. d. 44. n. 11. At hoc planè eſt, bruta non odiſſe malum futurum, quod eſt timere; ſed tantùm auerſari malum exiſtimatum præſens.

Vera difficultatis diſſolutio.

327. Mihi itaque trepidari hac in parte videtur, vbi non erat timor. Itaque admitto, verum & propriè dictum timorem, brutis competere: ac proinde bruta præconcipere, & interno ſenſu attingere malum futurum. Quod docet, & efficaciſſimè euincit, locus in quo verſamur. Malum enim quod plerumque bruta efficaciter refugere ſatagunt, non eſt adhuc poſitum, ſed ſupereſt ponendum, idque bruta ipſa non latet. At hoc eſt eſſe malum futurum & percipi futurum. Falsò autem aduerſarij ſupponunt, futurum non poſſe per ſenſum internum attingi. Quamuis enim ſenſus exterior, (quod vnum Philo ſupra affirmauit,) non poſſit ferri in rem nondum poſitam, à qua moueri, & ad agendum determinati non poteſt: Tamen non debet idem aſſeri de ſenſu interno, qui motus ab vno aliquo obiecto ſenſum externum feriente, determinatur per ſympathiam ad efformandam, rationis ſenſu externo exhibitæ notionem, inſupérque aliquam rationem obiecto illi adiunctam, tametſi exteriùs inſenſatam valet attingere propter rationis inſenſatæ cum ſenſata connexionem, ad quam percipiendam ſenſus interior ex ſe & ſuapte natura determinatus eſt, cùm primùm per obiecti applicationem, ſenſus externus eam excitat ad perceptionem rationis, externo ſenſu perceptibilis. Qua ratione ouis, efficta in ſenſu interno lupi notione, quatenus hoc aut illo modo eſt exteriùs ſenſibilis; (quo vno modo repræſentatur à ſenſu externo;) fertur præterea ad efformandam notionem inimicitiarum. Nec enim lupum imaginatur eo tantùm modo quo eſt exteriùs ſenſibilis, ſub qua ratione, lupus, lupum quem conſpicatur, apprehendit. Imaginatur ergo lupum, vt hoſtem, etiam priuſquàm lupus vlla hoſtilitatis ſigna prodiderit, quia ouis imaginatio eſt ita comparata, vt percepta lupi effigie, agnoſcat intercedentes ſibi cum lupo inimicitias: Et determinatio per ſenſum externum facta, ad concipiendam externam lupi formam, eſt eo ipſo determinatio ad percipiendam hoſtilitatem. Et ſimiliter ſenſus internus attingendo aliquod præſens, fertur ſimul in rationem alicuius futuri, cum præſenti illo connexam, eámque percipit mediante notione per illud præſens illata.

Itaque fundamentum quo aduerſarij nitebantur, non eſt firmum. Nec eis ſuffragatur Ariſtoteles. Negat enim ſenſui proſpectionem futuri, id eſt, prouidentiam, quæ vſum rationis requirat: non tamen ſimplicem perceptionem alicuius futuri, ad cuius notionem efformandam, ſenſus internus neceſſariò determinetur, ac veluti trahatur per cognitionem rei præſentis ſimul cum futuro perceptæ. Qua ratione canis ſiti ac fame enectus, cibi abſentis ſuauitate pellicitur ad eum quærendum, & obiecta offa, non modò eius bonitatem, priuſquàm ori admoueatur, perſpectam habet, ſed etiam guſtationem externam fore ſuauem prænoſcit, ſenſu interno ſuper futuram externi actionem ſe reflectente. Item conſpecto baculo, aut loco, quo aliàs malè habitus eſt, dat ſe in fugam, non odio tantùm mali præteriti, quæ eſſet inefficax auerſio ex recordatione anterioris mali procreata, ſed metu mali iteratò infligendi, ni ſibi conſulat, & fugam capeſſat. Hinc omnia quæ pro aduerſariis propoſita fuerant, eliſa manent.

Incommodarum reſponſionum ſupra adductarum, iterata depulſio, & rationis noſtræ firmatio ac illuſtratio.

328. Quæ autem ipſi, ad diſſolutionem argumenti à nobis propoſiti proferunt, nulla ratione ſatis-faciunt. Subtilitas Caietani diſtinguentis inter malum *quod erit*, bruto imperuium; & malum *futurum*, bruto perceptibile, iam retuſa eſt: Nec ſeuera apparet, quo fundamento ea diſtinctio nitatur. Præterquàm quòd res quæ futura eſt, ſi verè futura eſt, non eſt præſens. Igitur brutum, poteſt percipere rem non præſentem, quæ ſupponitur nondum fuiſſe poſita in eſſe, atque adeò eſt verè futura, ſeu talis, de qua affirmare liceat, quod erit. Quod item aiebat Vaſques, nimirum excitari tantùm in bruto recordationem mali ibidem aliàs inflicti, non ſatisfacit. In primis quia eo pacto prorſus excluditur timor à brutis, quod eſt contra communem ſenſum. Excludi autem patet, quia timor eſt de malo futuro, quod iuxta Vaſquem in eo euentu non obiicitur, ſed tantùm refricatur memoria mali antecedentis: quod certè non eſt cognoſcere futurum, ſed præteritum. Interrogauerim verò præterea, an brutum præcisè attingat cognitione ſua malum præteritum; an ex eius perceptione feratur ad percipiendum aliquod malum imminens. Si primum dicatur, ſequitur brutum duntaxat recordari, proindéque non aliter affici, quàm cùm aliquando caſu incidit in cogitationem mali præteriti, eiúſque recordatur. Quod videtur perſpicuè abſurdum: Ea quippe recordatio, non afficit brutum eodem modo, quo cùm præſagit malum imminens, ideóque fugam capeſſit, aut aliter qua ratione poteſt, prodit conatum ſuum ad mali impendentis declinationem. Si verò dicatur ſecundum, concedatúrque brutum ferri etiam in malum imminens, habemus intentum.

Nam

Nam illud malum, non eſt, ſed erit, neque agnoſcitur aut præſens, alioqui brutum non ferretur ad eius declinationem, ſed duntaxat triſtaretur de malo præſenti. Ergo agnoſcitur vt futurum, quod probandum ſuſceperamus. Addo verò reſponſi huius imbecillitatem, perſpicuè prodi in bruto, qua primùm vice fugit, metu incommodi imminentis. An non enim canis, qua primùm vice conſpicit elatam manum ferire tentantis, & baculum vibrantis, dat ſe in fugam, metuítque ictum nondum impactum? In eo autem exemplo, præcluditur omnino recurſus ad recordationem ſimilis mali priùs illati, cuius recordatione brutum commoueri, & fugam capeſſere aiebat aduerſarius, vt argumentum noſtrum vtcunque elideret, vel eluderet.

Quare ego quidem, non grauatè admitto, ſenſum internum præſentire futura quædam, cum obiecto ſenſibili externum ſenſum feriente, connexa. Nam non eſſe interno ſenſui, ac ne intellectui quidem, concedendam prænotionem cuiuſuis futuri, qualem plerique ridiculè conceſſerunt ſomniantibus, & furore correptis, referente Caſtro lib. 1. de Vatic. c. 21. & refellente c. 22. non eſt quòd hic extra locum confirmem. Duntaxat igitur, de iis quæ propoſui futuris, intelligo quod dixi. Eſtque id ſufficientiſſimum, vt intelligamus, competere bruto eam futuri cognitionem, quæ neceſſaria eſt ad rationem veri timoris. Neque verò ea futuri cognitio, intelligenda eſt bruto competere in actu ſignato, & cum ea temporis ſubſequentis ad præcedens comparatione, quæ hominis propria eſt, & rationis vſum poſtulat. Sufficit enim vt brutum, in actu exercito futuritionem in concreto apprehendat, attingendo obiectum quod reipſa non fuit, neque eſt, ſed poſtea erit, etiamſi brutum nón internoſcat diſtinctè rationem futuri neque eam cum ratione præteriti aut præſentis conferat, quod vires eius tranſcenderet. Similitèrque S. Thomas 1. 2. q. 40. art. 3. admittit, brutum ferri in rem ſub ratione poſſibilis. Si enim canis, leporem nimium diſtantem percipiat, non mouetur; quia ſcilicet agnoſcit ſe eſſe eius aſſecutioni imparem, atque adeò eam non eſſe ſibi poſſibilem. Apprehenderet autem eam vt poſſibilem, ſi lepus propinquior eſſet. At conſtat, brutum non eſſe capax tot reflexionum & comparationum, quæ in eo proceſſu diſtinctè facto continentur. Igitur dicitur brutum rem poſſibilem percipere; rudi quadam ratione & ſatis confuſa. Et idem dico de re futura.

Porrò ex eo Diui Thomæ exemplo, eruere licet nouam noſtræ ſententiæ confirmationem, cùm ab ipſius S. Thomæ authoritate, tum etiam à ratione, quam exemplum illud ſuppeditat. Nam poſſibilitas adipiſcendi, tametſi rudìter & confusè percepta, dicit ordinem ad tempus futurum, & ad opus in eo futurum. Id enim poſſibile dicitur per actionem alicuius, quod poteſt per eum futuro tempore effici. Idem argumentum duci poſſet ex ſpe, & ex deſiderio, quas paſſiones Diuus Thomas brutis non negat: apertè autem verſantur circa obiectum futurum. Tradit præterea eam futuri per bruta perceptionem S. Thomas opuſc. 43. c. 4. quatenus admittit, bruta non modò recordari nocumentorum illatorum, ſed etiam obſeruare tempus vindictæ. Subſcribunt Fonſeca 5. Met. c. 28. q. 8. ſ. 5. & Salas 1. 2. tract. 1. d. 5. n. 16. & tract. 9. d. 3. n. 85.

Vulgata timoris diuiſio ſextuplex, cuiuſmodi.

129. Nihil video præterea ſupereſſe, quod circa timoris definitionem ſupra propoſitam quæri poſſe videatur. Vnde huius affectus natura ſufficienter manet expoſita, commodúſque delapſus ſubminiſtratur ad timoris diuiſionem, quam admodum numeroſam proponit Scaliger exercit. 312. Paſſim autem Doctores timorem in ſex membra tribuunt, poſt Damaſcenum 2. fid. c. 15. & Nemeſium lib. de homine c. 20. Nempe in ſegnitiem, pudorem, verecundiam, ſtuporem, terrorem, agoniam ſiue angorem. Segnities dicitur fuga impendentis actionis, cuius moleſtia apprehenditur. Pudor eſt timor labendi, & vituperationem promerendi. Verecundia eſt timor infamiæ ob dedecus admiſſum. Quamuis enim nomina pudoris & verecundiæ, paſſim confundantur: Tamen in quodam rigore ita ſecernuntur, vt pudor ſit timor de admittendo dedecore aliquo, cui iuſtè rependatur vituperatio. Verecundia autem ſit metus probri, ob admiſſam turpitudinem, vt diſtinxit ſupra Nemeſius. Stupor eſt timor ex ingenti imaginatione aut ſpecie rei animo oblata. Terror eſt timor ex inſuetæ ſpeciei incurſu.

Cum his duobus membris, quæ eodem propè recedunt, coincidit admiratio illa, quæ inter timoris membra recenſetur, & definitur, timor ex ſpecie inſolita mali. Rectè tamen monet S. Thomas ſupra ad 4. non omnem admirationem huc pertinere. Nam plerumque admiratio ſumitur pro deſiderio pernoſcendi latentem cauſam effectus noti; De qua admiratione 1. Metaph. c. 2. aſſeritur, quòd fuerit mater Philoſophiæ. Conſtat autem, talem admirationem longè alienam eſſe à timore. Aliàs verò, vt notat Ferrar. 3. contra Gent. c. 6. admiratio ſumitur pro ſuſpectione & laudatione rei magnæ ac ſingularis tametſi eius cauſa non lateat. Quæ admiratio ex parte intellectus continetur iudicio quod res ſit magna, vel ſimpliciter vel reſpectiuè, vt cùm pueri ſcientiam pro ætate admiramur. Ex parte autem voluntatis, continetur affectu delectationis in illo obiecto, aut volitione, illius excellentiam laudandi Qua ratione qui intuetur aquam arte deductam in locum aliquem, ſi deductio ſit fœtus magnæ artis & ingenij, concipit admirationem, non hærens quomodo fieri potuerit, cùm cauſam habeat optimè perſpectam, ſed laudans rei magnitudinem, & raritatem, opificis induſtriam. De huiuſmodi admiratione S. Auguſtinus epiſt. 101. explicat quod de Chriſto, quem nihil latebat, ſcriptum extat Lucæ 7. *Audiens Ieſus, miratus eſt.* Quod aliter, ſed minùs commodè, enodant Conimbricenſes 3. animæ cap. 13. q. 1. art. 5. Hæc quoque admiratio non ſpectat ad hunc locum, ſed duntaxat prima illa, quæ metu quodam admirantis continetur, eſtque directè actus appetitus, vt rectè tradit Suares 3. p. q. 15. art. 8. & tract. 2. de relig. l. 1. c. 1. n. 7.

Agonia denique ſiue angor, iuxta D. Thomam 1. 2. q. 41. art. 4. eſt timor conceptus ex malo improuiſo, cui prouideri non poteſt. At iuxta Damaſcenum, & Nemeſium ſupra, eſt timor, ne quod aggreſſi ſumus, non cedat ea ſententia. Hæc eſt ſeptuplex vulgata timoris diuiſio, quæ tamen nec admodum accurata eſt, cum aliqua ex membris prædictis ægrè ſecernantur, nec eſt adæquata. Ad quod enim horum membrorum, referemus timorem aliorum plurimorum incommodorum, quàm eorum, quæ ſunt propoſita in ea partitione? v. g. morbi, itémque culpæ ob ſupplicium ab infamia diſtinctum, aut offenſæ præcisè quia offenſa eſt?

Trifida timoris partitio, Chriſtiana.

130. Itaque præter membra timoris enumerata, proferuntur alia quædam, apud Chriſtianos Doctores, vulgata in 3. d. 34. Vel 2. 2. q. 19. art. 2. & apud Laur. Iuſt. in ligno vitæ tract. 1. qui eſt de timore c. 5. Tradunt

dunt enim alium eſſe timorem ſemper malum, quem mundanum aut ſeruilem ſeruiliter nominant: Alium humanum & ſeruilem ſimpliciter, qui & bonus & malus eſſe poteſt: Alium filialem & reuerentialem, quorum vterque, vi obiecti, ſemper eſt bonus.

Mundanum timorem vt à membris timoris ſemper mali initium faciam, intelligunt eum, quo perculſus quis recedit à Deo, veritus eos qui occidere corpus, vel fortunæ bona diripere, alitérve in externa bona ſæuire poſſunt. Quem timorem optimè coarguit S. Baſilius in Pſal. 33. ad illud: *Timorem Domini docebo vos.* Timorem ſeruiliter ſeruilem, eum appellant, quo homo exequitur præceptum, vel vitat culpam, tantùm ne ſubeat mulctam, ſuperſtite interim ac vigente affectu ad culpam, quam ſe planè executurum ſtatuit niſi impendentis ſupplicij timore auerteretur. *Viuit*, in hoc timore peccandi, *voluntas*, ait D. Auguſtinus ſerm. 25. in Pſal. 118. *quæ tunc apparet in opere, quando ſperatur impunitas. Cùm verè pœna creditur ſecutura, latenter viuit, viuit tamen. Mallet enim licere & dolet non licere quod lex vetat, quia non ſpiritaliter delectatur eius bono, ſed carnaliter malum metuit quod minatur.* Hoc perversè fieri, infra docebo, agens de fontibus malitiæ formalis, vbi etiam oſtendam, timorem pœnæ, ſecluſo affectu ad culpam, qui dicitur ſimpliciter ſeruilis, poſſe omnino vitio vacare.

Ex illis verò timoris membris quæ vi obiecti ſemper bona eſſe ſtatuebam, primum numeratur timor filialis, qui & caſtus nominatur, à Chæræmone Abbate apud Caſſianum Collatione 11 c. 23. miris laudibus extollitur & meritò, eſt enim fuga culpæ, præcisè quia eſt offenſa diuina. Timor autem reuerentialis, qui item eſt ſemper bonus, nominatur ille, iuxta Laur. Iuſtinianum in ligno vitæ tract. de timore c. 5. & Guliel. Par. lib. de virtutibus c. 13. qui propriam hominis paruitatem reſpicit, per comparationem ad diuinam magnitudinem, vnde fit, vt homo quodammodo à Deo reſiliat; & ex tantæ majeſtatis conſideratione retrudatur in ſuum nihilum, abſtineátque altum ſapere, aut nimiùm licenter vel liberè ſe gerere vereatur. Nam ſicut ex propriæ magnitudinis repræſentatione, dilatatur animus, ac veluti grandeſcit: ita ex alienæ magnitudinis repræſentatione, quaſi comprimitur. Vnde propriæ æſtimationis detractio, & deſpectio, ſubſequitur. Sic ſancti viri, Deum adeuntes, cadebant in faciem, nec audebant oculos defigere in formam corpoream, qua Deus olim exhibebat ſe, illis in colloquium admiſſis. Sic Seraphim, vt loquitur S. Dionyſius in cœleſti hierarch. c. 13 & Chryſoſt. homil. 1. & 2. de verbis Eſaiæ, perhorreſcunt ſacro horrore, & idcirco præ diuinæ maieſtatis reuerentia, dicuntur faciem & pedes obtegere. Illa ergo fuga indebitæ æſtimationis propriæ excellentiæ, & voluntas declinandæ nimiæ libertatis & licentiæ in conuerſatione cum Deo; appellatur timor reuerentialis, qui reſpectu Dei, optimus omnino eſt. Quid enim cogitari honeſtius queat, quàm refugere elationem, & cauere ne nimis audacter, nimis liberè, non ſatis congruenter noſtræ tenuitati & vilitati, diuinæque maieſtati, non ſatis humiliter coram Deo verſemur.

Dicuntur autem etiam beati, hoc timore tangi, non quòd non ſint ſecuri de non, admittenda culpa vlla, conuerſando cum Deo, ſed quòd omnem huiuſmodi culpam auerſentur, ac ne conſequatur, prouideant: nec aliter ad eam afficiantur, quàm qui ex loco edito ſecuri deſpiciunt in profundum præcipitium, aut ferreis clathris concluſam feram in tuto poſiti conſpicantur: nihilominus enim terrore aliquo percelluntur, qui rationem timoris aliquatenus habet, ſin minùs qualem ſupra deſcripſimus ex Ariſtotele, nempe excludentem perſuaſionem mali non futuri, atque adeò etiam connotationem anxietatis in eo cauendo, & fortem niſum voluntatis in adhibendis mediis ad eius præcluſionem: Tamen genericè conuenientem cum timore Ariſtotelico, & fuga mali non poſiti, conſtitutum. Quòd verò S. Gregorius 17. Mor. c. 15. ad illud, *columnæ cœli contremiſcunt, & pauent ad nutum eius*, affirmat, tremorem illum, ne beatis pœnalis ſit, non eſſe timoris, ſed admirationis, nimiùm videtur à verborum proprietate recedere, quæ poteſt, eo quo dixi modo, aliquatenùs retineri.

Aptatur ad rem philoſophicam, & cum ſextuplici vulgata partitione comparatur.

331. Hæc timoris membra, ſeorſim enumerare placuit, quia vulgaria ſunt. Reuera tamen, quædam ex his membris timoris, recurrunt cum primis illis membris, quæ recepta ſexmplici diuiſione, ex Nemeſio & Damaſceno tradita, continentur. Et quanquam in iſta Chriſtiana partitione, arctantur ad Deum, & malum morale, eiúſve conſectaria; quo item ferè pertinent quæ de timoris laudibus latè traduntur apud S. Ephrem ſermone ad imitationem Prouerbiorum, *initio*, & apud Gulielmum Pariſ. l. de moribus c. 2. alióſque, quos ad citatum S. Ephremi locum profert Voſſius: Poſſent tamen ad alias quoque perſonas accommodari, vt ſi quis metueret alium lædere, ne ab eo malè excipiatur; aut quia graue ducit eum offendere: vel cum Principe reuerenter conuerſaretur, ſubueritus aliquid minus decens, & memor quod ille monebat, ad Principem accedendum ſicut ad ignem. Sanè Ariſtoteles 2. Oecon. c. 2. duplicem timorem ſecernens; vnum cum reuerentia & pudore; alterum cum inimicitiis & odio: Prioris exemplum profert, timorem patris, in filiis modeſtis, & Principum ſiue Rectorum Reip. in ciuibus benè moratis.

Necdum tamen partitio illa ſextuplex, (etiam additis his membris,) exhauſit timorem vniuersè acceptum: cùm præter obiecta, quæ ſex illis membris connotantur, & obiecta his Chriſtiani timoris membris propoſita, culpam inquam aut pœnam, alia præterea mala poſſint impendere & timori obiici, pro quorum malorum diuerſitate propè infinita, multiplicari phyſicè debet affectus timoris.

Cauſa timoris: Et imprimis malum, verè malum.

332. Venio ad huius paſſionis cauſas, quarum quæ primaria & radicalis eſt, nēpe malum, vix eget alia explicatione. Oſtenſum enim eſt, quale malum eſſe oporteat quod timorem terminat; & an malum certò futurum, itemque malum modicè diſtans, huc pertineat. Nunc addendum duntaxat videtur, ex conditione mali quod timori obiicitur, maximè pendere timoris vel honeſtatem vel dedecus. Ideóque Epictetus ferè perpetuus eſt in inculcanda veri mali notione, & expoſtulando quòd mortales falſa mali ſpecie deluſi, affectum timoris improuidè vſurpent, cùm agitur de malis emeritis. Quod pueri faciunt, qui laruas extimeſcentes, ad flammam manus intrepidè admouent. Pulchrè apud Arrianum l. 2. c. 1. *Nobis idem accidit quod ceruis ſolet, quæ dum exterrita fugiunt volucrum inſectationem, aliquò ſe vertunt, & in loca quadam irretita laqueis, tanquam periculo vacua concedunt, ac ſic pereunt, dum præpoſterè mutant metuenda non timendis. Ita & nos aliquando vtimur metu, in rebus non arbitrariis ac in aliis nimium confiſi animis ſic nos gerimus, tanquam ſi periculi nihil*

nihil eſſet in voluntariis actionibus. Quamobrem accidit, vt decipiamur, labamur turpe quid perpetremus, aut flagitioſa aliqua cupiditate exardeſcamus, ac nihil referre putemus modò ſolertes ſimus in rebus conſequendis, quæ extra nos ſunt. Vbicunque verò offert ſe nobis mors, exilium, labor ignominia, ibi de ſtatione decedimus, illic eſt quod pauidos exagitet.

Et mox in eandem ſententiam pulcherrimè, agens de malis non malis, hoc eſt, de malis vulgaribus quæ non ſunt mala ſimpliciter. [Hæc, rectè & ſecundùm naturam ſe gerens Socrates. appellare ſolitus fuit laruas. Nam quemadmodum laruæ terrent pueros, magnúmque eis incutiunt metum ob imperitiam: haud diuerſum eſt quod nos etiam in vita gerendis rebus afficit. Iſtud nulla alia de cauſa nobis vſu venit, quàm ea, quæ id ipſum quoque in pueris efficit. Quid quæſo puer eſt? Ignorantia. Quid puer? Inſcitia. Quòd ſi iſta, vt nos animaduerteret puer, inferior hac in parte nobis non eſſet. Mors quid eſt? Larua. Conſidera ergo eam auferens. Vide quàm non mordeat. Corpuſculum ſeparari oportet ab animula. Vt antea fuit ſeparatum; ita nunc etiam erit, aut non multò poſt. Quid igitur moleſtè fers, ſi nunc ſeparatur. Nam ſi nunc non, paulò poſt ſeparabitur. Quamobrem? vt curriculum ſuum perficiat mundus, cui opus eſt non ſolùm præſentibus, ſed etiam futuris rebus ac præteritis. Dolor quid eſt? Larua. Aufer eam & cognoſce. Aſperè mouetur caruncula, deinde rurſus ſuaui ſenſu afficitur] Itaque de Epicteti ſententia, vulgaria timoris obiecta, ſicut non ſunt vera mala, ſed malorum laruæ, ita timeri tam anxiè non debent.

An Deus ſit malum quod timeri poſſit. Seneca, & Lactantius caſtigati.

331. Ex eo quod malum ſit timoris obiectum, inferre videtur Seneca epiſt. 75. *in fine*, Deum non eſſe timendum, cùm malus non ſit. Verùm Seneca ibi, apertè agit de horrore Dei, vt paulo ante dixerat, ſeu de timore ſeruiliter ſeruili. Cæteroqui enim certum eſt Deum puniendo nos, fieri nobis effectiuè malum & nociuum, & eatenus poſſe timeri. Idque ſatis vidit Seneca qui 1. de ira *in fine*, inter alia argumenta inſaniæ Cai Cæſaris, proponit quod putaret ſibi à Ioue noceri non poſſe. Quanquam lib. 2. de ira c. 27. diſertè tradere videtur contrarium. *Quædam*, inquit, *ſunt quæ nocere non poſſunt, nullamque vim niſi beneficam & ſalutarem habentes vt Dij immortales, qui nec volunt obeſſe, nec poſſunt. Natura enim illis mitis & placida eſt, tam longè remota ab aliena iniuria quàm à ſua. Dementes itaque & ignari veritatis, illis imputant ſæuitiam maris, immodicos imbres pertinaciam hyemis.* Non eſt eo loco audiendus Seneca.

Non eſt item audiendus Lactantius libr. de ira Dei capit. 17. (tametſi in vocibus tantùm labitur) cùm ait Deum nemini nocere. Ita porro ratiocinatur. *Si nocet alicui Deus, iam bonus non eſt. Non exiguo falluntur errore, qui cenſuram, ſiue humanam, ſiue diuinam, acerbitatis nomine infamant, putantes nocentem dici oportere, qui nocentes afficit pœnâ. Quod ſi eſt, nocentes item leges habemus quæ peccantibus ſupplicia ſanxerunt: Nocentes Iudices, qui ſcelere conuictos, pœna capitis afficiunt. Quòd ſi & lex iuſta eſt, quæ nocenti tribuit quod meretur; & Iudex integer ac bonus dicitur, cùm malè facta vindicat: (bonorum enim ſalutem cuſtodit, qui malos punit:) Ergo & Deus cùm malis obeſt, nocens non eſt. Ipſe autem eſt nocens, qui aut innocenti nocet, aut nocenti parcit, vt pluribus noceat.*

Vides cur dixerim, Lactantium non niſi in vocibus hallucinari. Rectè enim contendit, Deum ma-la pœnæ inferentem, noxium non eſſe; Sed innocentiſſimè & ſanctiſſimè id præſtare. Malè tamen negat Lactantius, Deum eſſe nociuum iis, quibus malum infert. Ex quo ſequitur timeri poſſe, & inter primas illas timoris cauſas, poſſe numerari. Imò peruerſiſſimam eſſe fortitudinem, Deum non timere; quamuis fortes paſſim dicantur, qui nihil timent, notauit S. Auguſtinus ſerm. 214. de tempore, vbi in eam ſententiam pluſcula.

Altera timoris cauſa, iudicium de malo.

334. De altera cauſa, ſiue de cognitione, nihil communiter monendum occurrit; ſed tantùm ſpecialiter quoad timorem, quem brutis conceſſimus. Suppoſita enim vera ſententia, affirmante ad verum timorem exigi iudicium prælucens, nec ſufficere cognitionem ſimplicem, ſubnaſcitur graue dubium, quomodo in brutis poſſit timor locum habere, cùm careant iudicio, aut ne in verbo ludere videamur, deſtituantur cognitione complexa & enunciatiua, pronunciante de diſconuenientia obiecti, quod ſimplex repræſentatio præſtare non poteſt. Nam ſimplex notitia, exhibet obiectum nudè, non autem vt diſconueniens, atque adeo vt fugiendum, eo quòd ſit malum. Sanè Ariſtoteles 3. animæ textu 154. ita loquitur. *Cùm opinamur aliquid malum eſſe atque terribile, continuò perturbamur. Similiter & cùm opinamur, quippiam eſſe tale vt in illo ſit confidendum. At cùm imaginamur talia, perinde efficimur, atque ſi in pictura eadem ſpectaremus.* Docet igitur apertè Ariſtoteles, timorem non concitari niſi præuia enunciatione, pronunciante de obiecti diſconuenientia. Eam autem ſimplicem apprehenſionem, quæ per ſympathiam ex imaginatione excuditur, negat ſufficere ad ciendum timorem. Textu item 30, apertè pronunciat, cùm intellectus affirmando aut negando, dicit aliquid eſſe bonum, aut eſſe malum, tum demum moueri appetitum, & vel fugere, vel proſequi obiectum. Inſupérque textu 46 docet, voluntatem moueri à ſolo intellectu practico, qui non eſt niſi iudicatiuus. Quæ poſtrema loca, cùm ſint vniuerſalia, non modò ferunt quod hic contendimus. paſſimque admittitur, nempe ad timendum præexigi cognitionem enunciatiuam, ſed etiam aſtruunt vniuerſaliter ad omnem voluntatis motum, præexigi eandem cognitionem, vt rectè affirmat Medina 1. 2. quæſt. 9. art. 1. Valent. 1. 2. d 2. quæſt. 4. p. 1. & Salas 1. 2. tract. 1. diſt. 5 numero 15. refragantibus licèt aliis, ac nominatim Vaſque 1. 2. d 44. cap. 4. qui negat Ariſtotelem vniuerſaliter affirmaſſe ad motum omnem voluntatis præexigi actum iudicij, quod ea quæ dixi poſtrema loca perſpicuè ferunt, & ratio paulò ante tacta pro timore, videtur de omni motu euincere, ſi proportione applicetur. Sed ne ab inſtituto digrediar, ſufficit ad rem præſentem; quòd timor non enaſcitur niſi ex cognitione opinatiua vel enunciatiua, vt Ariſtoteles docuit. Hîc ergo ſubnaſcitur ea, quam dicebam, difficultas, ducta ex eo quòd bruta. iuxta receptiſſimam ſententiam, non forment notitias iudicatiuas, ſed tantùm ſimplices apprehenſiones.

Cadit quoque in bruta.

335. Mihi, vt breuiter rem expediam, hæc difficultas non faceſſit negotium. Exiſtimo enim ſenſum internum elicere notitias altiores ſimplici apprehenſione atque adeò enunciatiuas & iudicatiuas, vt rectè affirmant Gregorius in 1. d. 3. quæſt. 1. art. 1. & ibid. Camerac. quæſt. 3. *litera l.* Gabriel quæſt. 1. prol.

prol. art. 1. *initio.* Med. 1. 2. quæſt. 9. art. 5. *ſub finem*, (quamois parum conſtanter loquatur) Val 1. 2. d. 2. quæſt. 4. p. 1. Suar. d. 25. Metaph. ſect. 7. numero 10. aliique recentiores apud Gillium l. 5. tract. 5. cap. 1. num. 12. Et diſertè id habet Philoſophus 3. animæ t. 43. Vbi diſtinguit imaginationem practicam, ſeu iudicium quòd res ſit fugienda vel proſequenda, à ſimplici intellectione vel imaginatione. Nam vtrumque eo loco, nomine intellectionis deſignari, ipſemet Philoſophus tradit Apertè ergo agnoſcit, imaginationem, ſiue interni ſenſus actionem compoſitam, ſimplici notitiæ contradiſtinctam. Quam etiam admittit ibid. t. 28. Sed optimè 2. animæ t. 146. vbi ſenſui interno tribuit diſcernere ſenſibilia ad inoicem, eorúmque diſcrimen internoſcere: quod eſt vnum ab altero diuidere, non quidem attingendo negationem, qua vnum non eſt aliud, ſed iudicando de poſitiua vtriuſque ſimul concepti diuerſitate, quà tantùm ratione poteſt diſcrimen illud agnoſci. Itaque Vaſques 1. p. d. 75. num. 54. fatetur, Ariſtotelem in hac ſententia eſſe, eámque etiam tribuit S. Anſelmo dial. de verit. cap. 6. Suffragatúrque manifeſta ratio. Nam, vt Gregorius ſupra argumentatur, bruta, propoſito obiecto aliquo; v. g. pane, interdum mouentur ad illud, interdum non mouentur. Cùm ergo libertate deſtituantur, & à notitia abripiantur, neceſſe eſt, cùm mouentur, poni aliam notitiam, quàm cùm non mouentur. Liquet autem, eam notitiæ diuerſitatem non poſſe cerni in apprehenſione ſimplici, quæ vniformis eſt manente eodem obiecto. Cernitur igitur in iudicio, nunc pronunciante de illius obiecti bonitate; vnde ſequitur motus brutorum ad obiectum quod iudicant bonum: Nunc verò pronunciante de diſconuenientia, ideóque non ſequitur motus.

Et quidem formaliter compoſitum.

Hoc porro iudicium, ego inſuper admitto eſſe formaliter compoſitum, & ex variis ſimplicibus apprehenſionibus extremorum, medióque copulæ conceptu, contextum. In quo diſſentio à Suare ſupra, & aliis, qui aiunt, bruta non elicere notitiam formaliter ſed virtualiter compoſitam. Verùm qui ita exiſtimant, cùm renuunt brutis notitiam formaliter compoſitam tribuere, quòd putent ea ratione bruta ſuſtolli ad modum cognoſcendi hominis proprium, non aduertunt ſe brutis concedere modum cognoſcendi multo ſublimiorem, Deóque & Intelligentiis proprium, ob luminis intellectualis plenitudinem; ac denique ſe ſenſum internum ſuſtollere ſupra humanum intellectum, qui per notitiam formaliter compoſitam præſtet, quod ſenſus brutorum internus, actu ſimpliciore, nec niſi virtualiter compoſito, iuxta ipſos, præſtat.

Alia in hanc ſententiam ſuo loco adduxi, & in contrarium obiecta depuli, quæ nunc miſſa facio: quia non hoc ago vt ſententiam illam ſtabiliam, ſed vt indicem quid mihi circa illam videatur, oſtendámque, placitum qood brutis notitiam formaliter compoſitam & enunciatiuam tribuit, neque ſingulare, neque nouum eſſe. Eo autem poſito, apertè præcluditur difficultas, propoſita circa brutorum timorem. Petebatur enim duntaxat ex eo quòd abrogaretur ſenſui interno vis enunciandi, & pluſquàm ſimpliciter apprehendendi obiecta; quod non rectè aſſeri monſtratum eſt. Addo verò, etiamſi vellemus in ſententiam eorum concedere, qui notitias brutorum formaliter ſimplices, aiunt eſſe virtualiter compoſitas, æquè præcludendam difficultatem prædictam. Nam ſimplex illa notitia, eſt æquiualenter iudicium.

Amor, alia timoris cauſa.

336. Præter duas timoris cauſas hactenus propoſitas, nempe malum eiúſque cognitionem, alia ſuppetit, nimirum amor. Priùs enim naturâ, quam actum mali auerſatiuum eliciamus, neceſſe eſt poni actum boni proſecutiuum, qui ſit ratio auerſandi malum, vt probaui quæſt. 1. Igitur priùs natura quàm timeatur malum, ponitur in nobis amor boni, quod per malum timori obiectum excinderetur, niſi conſultum bono illi volentes, timore armaremur ad malum auertendum. Et ita contra aliquos ex inſtituto confirmat Ægidius de Coninc diſp. 20. de actibus ſupernatur. dubio 1. docétque apertè D. Auguſtinus quæſt. 33. ex 83. verbis illis. *Nulli dubium eſt, non aliam metuendi eſſe cauſam, niſi ne quod amamus aut adeptum amittamus, aut non adipiſcamur ſperatum.* Itaque quod mox eadem quæſtione ſubdirur de cupiditate ac lætitia ab eo abactis, qui metu non tangitur, non eſt ſumendum in ſenſo cauſali, quaſi ſcilicet amor & cupiditas boni, gaudiúmque de eo adepto, oriantur à timore, cùm potiùs timor ab illis ortum habeat. Sumendum ergo eſt per modum ratiocinationis à poſteriori, qua ex effectu repitur ad cauſam: atque adeò ſenſus Diui Auguſtini eſt, cùm abeſt timor, qui eſt amoris partus, conſequenter abeſſe, etiam cauſam eius, nempe amorem, quo poſito non poſſet non vrgere timor. Nam

Res eſt ſolliciti plena timoris amor.

Qui ad metuendum apti.

337. Ex dictis babetur qui ſint eſſéve ſoleant meticuloſi. Nempe in primis qui omnia mala, magna arbitrantur, ſiue ob inexperientiam, ſiue ob iudicij imbecillitatem. Cuiuſmodi præſertim ſont pueri, & mulieres, ob ætatis & ſexus infirmitatem. Item qui parum habent calidi ſanguinis, & ob atræ bilis vbertatem, eneraes, omnique vigore reſtincto torpent. *Timidiora ſunt animalia*, ait Ariſtoteles 2. de part. c. 4. *quibus ſanguis dilutus nimiùm eſt. Metus enim refrigerat. Itaque ea quibus eiuſmodi temperamentum in corde habetur, metuendi affectioni ſunt opportuniora: aqua enim frigore congelaſcit. Quamobrem cætera quæ exanguia, timidiora ſanguineis ſunt animalibus, (quod ſimpliciter dixerim) ac mota ceſſant præ nimio metu, & extrementa emittunt; nonnulla etiam, ſuos colores immutant.*

Præterea meticuloſi admodum ſunt qui oppreſſi iacent malorum expectatione, quæ omnia exiſtimant grauia & intoleranda ob corruptum iudicium. Quin etiam prudentes, vt Fracaſtorius rectè vidit l. de Sympath. cap. 19. quia ſuis momentis diſcrimina æſtimant, & proſpiciunt, quo res inclinare poſſint, ea plerunque reformidant, in quibuis alij minùs oculati, minorem timendi occaſionem deprehendunt. Hinc enim fit, vt noctambulis periculoſa ſit ſolutio ſomni. Quia per ſomnum, non æſtimantes difficultatem aut periculum, liberrimi ſunt & intrepidi: ſomno autem ſoluto, agnoſcitur diſcrimen, vnde metus, ac plerunque caſus, ac exitium. Ita Langius lib. 2. epiſt. 45. & alij adducti in Phyſicis. Dimitto autem ineptas rationes effectus prædicti, quas coaceruat Bambalio ille, qui tractatum ſuum *de duello improuiſo* nullo iudicio inferſit, tractatione de noctambulis. Improbi quoque malè ſibi ſemper conſcij, & ab irato numine nihil ſperantes opis ac ſubſidij, facilè timore corripiuntur. Præſertim noctu

in

in tenebris, ſi ſoli ſint, & nigrore permoti, Dæmonum ſpecies ſibi obiiciant, vt tandem concludit Scaliger exercit. 2, 8. num. 4.

Ad hæc, meticuloſi ſunt, quotquot ardenti incenſáque voluntate expectant bonum aliquod, quod magni faciant. Propterea enim ſapiens autore Ariſtotele 3. Ethic. c. 9. mortem reformidat, quòd vitam ſuam pretioſiſſimam arbitretur. Eóque reſponſu, Stoicus Philoſophus apud Agellium lib. 19. cap. 1. approbante D. Auguſtino 9. Ciuit. cap. 4. repulit ſannas quibus appetebatur ab homine vulgari, illudente & expoſtulante, quòd contra Stoicam auſteritatem, extimuiſſet in naufragij diſcrimine, cùm ipſe manſiſſet intrepidus, in eo quod impendebat exitio. *At ille*, ait D. Auguſtinus, *Ariſtippi Socratici reſponſum retulit, qui cùm in re ſimili eadem verba ab homine ſimili audiſſet; reſpondit illum pro anima nequiſſimi nebulonis meritò non fuiſſe ſollicitum, ſe autem pro Ariſtippi anima timere debuiſſe.*

In ſenibus pleræque ex prædictis cauſis adunantur. Itaque mirum non eſt eos timore, & omnibus timoris adiunctis: ſuſpicione ſcilicet, diffidentia, puſillanimitate, incredulitate, querimoniis, abundare. Quod exponit verbis Philoſophi 2. Rhet. cap. 13. [Senes quoniam multorum annorum vitam duxerunt, & in pluribus decepti ſunt & errarunt, & res ſunt plures prauæ neque affirmant aliquid, & longè minùs omnia quàm oportet, & putant. Sciunt autem nihil, & controuerſantes adiungunt ſemper, forſan, & fortaſsè, & omnia dicunt ſic; aſſeueranter autem nihil. Et malorum morum ſunt. Eſſe autem malorum morum, ſignificat, omnia in peius interpretari. Præterea ſuſpicioſi ſunt, quia increduli, & increduli quia periti. Et neque magno amore, neque magno odio proſequuntur propter eandem cauſam: ſed ex Biantis præcepto, & amant tanquam odio habituri, & odio habent, tanquam amaturi. Et puſillanimi, quia depreſſi ſunt in vita, neque enim magni, neque eximij aliquid, ſed quæ ad vitam pertinent cupiunt. Et parum liberales. Vnum enim ex neceſſariis, patrimonium. Et ſimul cùm periti ſint, ſciunt quàm difficilis ſit acquiſitio, & facilis amiſſio. Et timidi, & omnia pratimentes. Contrario enim modo affecti ſunt, ac iuuenes, refrigerati enim ſunt: at illi, calidi ſunt. Quare viam aperuit ſenectus timiditati. Nam timor refrigeratio quædam eſt. Et ſtudioſi vitæ, & maximè in vltimo tempore: propterea quòd rei abſentis eſt cupiditas: & cuius ſunt indigentes id maximè cupiunt. Et queruli magis quàm oportet: puſillanimitas enim quædam etiam hæc eſt.]

Effectus timoris. Ac primùm precox & anticipata miſeria, auctior præſenti.

338. Timoris effectus, plurimi ſunt & graues: Vt enim ſpem, ſupra cum Philone, dicebam eſſe lætitiam lætitiæ prænonciam: ita timor, qui ſpei è diametro opponitur, eſt triſtitia triſtitiæ prænoia; hoc eſt, prægustatio moleſtiarum ac tædij, quod per mali præſentiam omnino ingenerabitur. Itaque omnes triſtitiæ effectus, per anticipationem quandam, timori etiam reſpondent. iuxta illud Senecæ epiſt. 98. *Calamitoſus eſt animus futuri anxius, & ante miſerias miſer, qui ſollicitus eſt, vt ea quibus delectatur, ad extremum vſque permaneant. Nullo enim tempore conquieſcet, & expectatione futuri, præſentia, quibus frui poterat, amittet. In æquo eſt autem, dolor amiſſæ rei, & timor amittendæ.* Affine & illud Caſſiodori l. 11. var. epiſt. 9. *Non eſt paruum tormentum, aduerſum aliquid formidare venturum, dum ſemper grauius æſtimatur emergere, quod timetur.* Item illud Hieronymi in Malcho. *O multò grauior expectata, quàm illata mors.* Ac etiam illud S. Gregorij 15. moral. c. 11. *Timor ipſe pœna eſt, tanta infelix patitur quanta pati times.* Illudque Nazianzeni orat. 2. in Iulian. *Quod quiſque pati extimeſcit, id paſſus eſt, etiamſi non patiatur, grauiúſque à ſe fortaſsè, quàm ab iis, qui ſupplicium inferunt, torquetur.*

Non dubitando, vt Nazianzenus, ſed affirmando, grauius eſſe quod à timore infligitur tormentum, tradebat Diogenes apud Stob. ſerm. 8. qui deſcripſiſſe videtur Dionem Chryſoſtomum, Diogenis ſententiam in hunc modum referentem orat. 6. *Omnia quidem dura, naturaliter magis exterrent expectantes, quàm contriſtant expertes, vt eſt paupertas, exilium, vincula, ignominiáque. Mortis autem ſi quis abſtulerit metum, nihil illi relinquitur difficile. Non ſolum enim ipſa mors, non exhibet moleſtias expertis: ſed neque illi ampliùs contriſtantur. Metus autem ita difficilis res eſt, vt multi iam opus præoccuparint: hi quidem in naui tempeſtate preſſi, non expectauerunt nauis ſubmerſionem, ſed ſemet priùs interfecerant: hi autem ab hoſtibus comprehenſi, licèt manifeſtè ſcirent ſe nihil grauius paſſuros.* Hæc Diogenes, ſi tamen Diogenes. Nam eius non eſſe pleráque illi attributa apophthegmata, notauit idem Dio Chryſoſt. orat. 72. Quod autem de morte per timorem præuenta à naufragantibus, aiebat Diogenes, illuſtrari poteſt exemplo militum illorum, quos in proximo naufragij diſcrimine ſtrictis gladiis ſtetiſſe, pronunciantes, optimum eſſe, quandiu in foris adhuc ſtarent, animum in auras effundere, non in fluctus, refert qui aderat, & naufragium illud ſuum, graphicè exhibet, Syneſius epiſt. 4.

Eandem maiorem ex timore, quàm ex perpeſſione vexationem multis confirmat Tigranes apud Xenophontem cum Cyro diſceptans, lib 3. Cyripædiæ. Interrogante enim Tigranem Cyro, [Dicis tu metum maiori ſupplicio eſſe hominibus, quàm ſi reipſa malè efficiantur? Ac tu quidem noſti, inquit Tigranes, me vera dicere. Scis enim, eos, qui metuunt exilium patriæ, quique pugnaturi timent ne vincantur, debere in animi acerbitate. Et eodem modo qui nauigant, ne patiantur naufragium; & qui ſeruitutem ac tributum metuunt, hoſce neque cibum poſſe, neque potum capere propter metum. Qui iam verò exules ſunt, & qui victi, & qui ſerui, poſſunt interdum magis etiam quàm felices ipſi, & comedere & dormire. Eſtque manifeſtius etiam in hiſce, quantum metus ſit onus: aliqui enim metuentes, ne ſi capti fuerint, mortem dent, priùs ob metum moriantur. Alij iacientes præcipites ſeipſos, alij laqueo ſuſpendentes, alij iugulantes. Vſque adeò metus rerum omnium horribilium, maximè animos perterret.] Nec aliam eſſe ſenſerim cauſam, cur longior eſſe via videatur, maiúſque pariat faſtidium, cùm quanta ſit ignoramus. Timemus enim ne maior fortè ſit, quàm ſit reuera, quæ cauſa eſt, cur plus angamur timendo, quàm patiendo. Videndus Philoſophus ſect. 6. probl. quæſt. 25.

Seges malorum ex timore immoderato.

339. Quod ſi diſtinctiùs, fruges quas timoris ſolum fundit, exhibere placeat, prouenit ex metu demiſſio, ſui ipſius abiectio, ſuſpicio, conturbatio, conſternatio, torpor, odium, iuxta illud apud Tullium; *quem metuunt, oderunt*: Interdum etiam deſperatio, vel, ſi aliunde ſpes affulgeat liberationis, aſſentatio & adulatio, itémque ſollicitudo extimulans ad omnia tentanda & curanda, vt impendens malum auertatur. Tantoperè verò interdum creſcit mali ti-

mor, vt in inſaniam vertatur. Quis enim Artemonem è ſtultorum ſyllabo eximat, cùm audierit, eum, præ timore, etiam cùm domi contineretur, clypeum æneum à duobus ſeruis capiti ſuperpoſitum vt haberet ſemper curaſſe, ne quo fortè decidente graui, malè afficeretur? minor verò timor, quamuis omnium, eiúſque robur minùs percellat, tamen decutit etiam ipſe, proportione ſeruata ſapientiam, iuxta illud Ennij:

Pauor ſapientiam omnem mihi ex animo expectorat,

Ex ea verò ſapientiæ diſſipatione & conſternatione, frequentiſſimè accidit, vt malum quod timetur & ſecluſo timore potuiſſet declinari, reuera eueniat, iuxta illud Martialis.

Frangere dum metuis, frangis chryſtallina: peccant
Secura nimiùm, ſollicitaque manus,

In bellis præſertim timor, etiamſi plerunque vanus, omnia peruertit, vt ex variis monſtrat Eraſmus adag. *Multa in bellis inania.* Qui item adag. *Panicus caſus* fusè proſequitur cur inanes hi terrores, Panici appellentur: id quod etiam latè diſcutit Politianus c.28 miſcellan.

Fructus timoris legitimi.

De ingentibus timoris boni fructibus, multa præclare diſputat Guliel. Par. l. de mor. cap. 2. Breuiter multa ex Socratis ore complexus eſt Xenophon lib. 3. de dictis & factis Socratis. *Fiducia*, inquit, *negligentiam, inertiam, & inobedientiam parit. Timor autem circunſpectos, obedientes, ac ordinatos reddit. Certum huius rei indicium, in nautis habes, qui quandiu nihil timent, nullo ordine cuncta peragunt. Cùm verò aut tempeſtatem aut bella ſuſpicantur, non modò facillimè quæcunque eis dicantur, perficiunt, ſed etiam magno cum ſilentio attendunt, quid eis percipiatur, ſicuti illi qui tripudiis vacant.*

Timoris nimij amuleta. Agnitio improuidentiæ timentium, mala ſua accelerantium.

340. Remedia timoris plurima propono, tractans de fortitudine, aliaque innumera ſuggerunt Philoſophi, præſertim Stoici, quorum maſcula, imò plerunque ferrea & ſaxea ſapientia, id præſertim ſpectabat, vt ſe timori inuulnerabilem, vel reipſa præſtaret, vel oſtentaret. Et Seneca quidem, illud frequenter vrget, conſultiſſimum eſſe timori mederi. eúmque excutere, quòd nihil ſit infelicius dubitatione venientium quorſum euadant, vt ait epiſt. 01. deplorans timoris animum exedentis acerbitatem. Sæpè etiam egregiè vrget inutilitatem in ea mali proprij acceleratione per timorem; indéque ſtimulos admouet ad abiiciendum, vel potius non admittendum timorem, qui hominem ante miſeriam miſerum ſtatuit, quod paulò ante docui ex eius epiſtola 98. ex qua etiam illud hîc addendum, omnino è re præſenti. [Nihil eſt nec miſerius nec ſtultius, quàm ſemper timere. Quæ iſta dementia eſt, malum ſuum antecedere; Denique vt breuiter includam quod ſentio, & iſtos ſatageos, ac ſibi moleſtos deſcribam tibi: tam intemperantes in ipſis miſeriis ſunt, quàm ante illas. Plus dolet quàm neceſſe ſit. Eadem enim infirmitate, dolorem non æſtimat, qua non expectat. *Idem epiſt.* 24. Quid neceſſe eſt, mala accerſere, & ſatis citò patienda cùm venerint, præſumere ac præſens tempus, futuri metu perdere? Eſt ſine dubio ſtultum, quia quandoque futurus ſit miſer, eſſe miſerum. *Plinius epiſtolæ lib. 8. epiſt. 17. in ipſo fine.* Paruulum differt patiaris aduerſa, an expectas: niſi quòd tantùm eſt dolendi modus, non eſt timendi. Dulcas enim quantum ſcias accidiſſe: timeas quantum poſſit accidere.

Opinionum corruptarum abiectio, in pronunciando de malis.

341. Ad ipſam verò radicem, admonet ſecurim Seneca epiſt. 110. ſuadens agnoſcere maximam partem eorum, in quæ timorem effundimus, talia non eſſe qualia corruptis noſtris iudiciis obiiciuntur, hoc eſt, vere mala. *Non eſt*, inquit, *quod quicquam timendum putes. Vana ſunt iſta quæ nos mouent, quæ attonitos habent. Nemo noſtrûm quid veri eſſet, excuſſit, ſed metum alter alteri tradidit. Nemo auſus eſt ad id quo perturbatur, accedere, & naturam ac bonum timoris ſui noſſe. Itaque res falſa & inanis, habet adhuc fidem, quia non coarguitur. Tanti putemus oculos intendere; iam apparebit quàm breuia, quàm incerta, quàm tuta timeantur. Talis eſt animorum noſtrorum confuſio, qualis Lucretio viſa eſt.*

Nam veluti pueri trepidant, atque omnia cæcis
In tenebris metuunt: ita nos in luce timemus.

[Quid ergo? Non omni puero ſtultiores ſumus, qui in luce timemus? Sed falſum eſt, Lucreti, non timemus in luce, omnia nobis fecimus tenebras. Nihil videmus, nec quid noceat, nec quid expediat. Tota vita incurſitamus, nec ob hoc reſiſtimus, aut circunſpectiùs pedem ponimus. Vides autem quàm ſit furioſa res, in tenebris impetus. At me herculè id agimus, vt longiùs reuocandi ſimus. Et cùm ignoremus quò feramur, velociter tamen illò quò intendimus, ire perſeueramus. Sed luceſcere, ſi velimus, poteſt. Vno autem modo poteſt, ſi quis hanc humanorum diuinorúmque notitiam acceperit: ſi illa ſe non perfuderit, ſed infecerit, ſi eadem, quamuis ſciat, retractauerit, & ad ſe ſæpè retulerit: ſi quæſierit quæ ſint bona, quæ ſint mala, quibus hoc ſit falsò nomen aſcriptum: ſi quæſierit de honeſtis, de turpibus, de prouidentia.]

Idem epiſt. 13. [Ne ſis miſer ante tempus, cùm illa quæ velut imminentia expauiſti, fortaſsè nunquam ventura ſint, certè nondum venerint. Quædam ergo nos magis torquent, quod debeant: quædam torquent, cùm omnino non debeant. Aut augemus dolorem, aut fingimus, aut præripimus. Primum illud quia res in controuerſia eſt, & litem conteſtatam habemus, in præſentia differatur. Quod ego leue dixero, tu grauiſſimum eſſe contendes. Scio alios inter flagella ridere, alios gemere ſub colapho. Poſtea videbimus vtrùm ſuis viribus valeant, an imbecillitate noſtra. Illud præſta mihi, vt quoties circunſteterint, qui tibi te miſerum eſſe perſuadeant, non quid audias, ſed quid ſentias cogites, & cum patientia tua deliberes, ac te ipſe interroges, qui tua optimè noſti. Quid eſt quare iſti me complorent? Quid eſt quod trepident, quod contagium quoque mei timeant, quaſi tranſilire calamitas poſſit! Eſt aliquid iſtic mali: an res iſta magis infamis eſt, quàm mala?] Vides ab eo fontem mali huius ſtatui peruerſam mali conſtitutionem.

Idem inſigniter inculcat Epictetus, nominatimque cap. 10. Enchir. *Homines*, inquit, *perturbantur non rebus, ſed iis, quas de rebus habent opinionibus: Verbi cauſa, mors non eſt malum. Alioqui enim, & Socrati ita viſum eſſet Sed opinio de morte eſt, quæ malum eam faciat. Cùm igitur impedimur, aut diſtrahimur, non alios culpemus, ſed noſmetipſos, hoc eſt. noſtras opiniones,* Similia apud eum crebrò occurrunt, in prædicto libello. Itémque Apud Arrianum lib. 1. cap. 22. & 27. & lib. 2. cap. 16. 17. & 18. & lib. 3. cap. 8. Quod tamen nolim ita accipi, quaſi hæc quæ verè

mala

mala non ſunt, id eſt, quæ non ſunt inhoneſta, & naturæ rationali inimica, timere non poſſint, tanquam acerba & naturæ incommoda: aut quaſi incommoda tantùm corpori ſint, non etiam homini; (quæ videtur fuiſſe Stoicorum multorum magnificè deſipiens ſapientia, quam latè refellit Andreas Cydon. contra Caſaubo. c. 3.) ſed quòd cùm non ſint maxima mala, moderatiùs timeri debeant.

Non ſperare.

342. Illud item ad obſtruendum timoris fontem, ab eodem Seneca ex Hecatone optimè perpenſum eſt, epiſt. 5. *in fine*, verbis iſtis. *Apud Hecatonem noſtrum, inueni cupiditatum finem etiam ad timoris remedia proficere. Deſines, inquit, timere, ſi ſperare deſieris. Dices, quomodo iſta tam diuerſa, pariter ſunt: Ita eſt, mi Lucili; cùm videantur diſſidere, coniuncta ſunt. Quemadmodum eadem catena, & cuſtodiam & militem copulat: ſic iſta, quæ tam diſſimilia ſunt, pariter incedunt. Spem metus ſequitur. Nec miror iſta ſic ire. Vtrumque pendentis animi eſt, vtrumque futuri expectatione ſolliciti. Maxima autem vtriuſque cauſa eſt, quod non ad præſentia aptamur, ſed cogitationes in longinqua præmittimus. Itaque prouidentia, maximum bonum conditionis humanæ, in malum verſa eſt. Feræ, pericula quæ vident, fugiunt, cùm effugere, ſecura ſunt. Nos & venturo torquemur, & præterito. Multa bona noſtra, nobis nocent. Timoris enim tormentum memoria reducit, prouidentia anticipat. Nemo tantùm præſentibus miſer eſt.* Præclarè & ad hoc & ad ſuperius caput philoſophatur Epictetus apud Arrianum lib. 2. cap. 7. Recole etiam locum ſupra allegatum ex l. 2. c. 1. loco quem ex Senecæ epiſt. 110. protuli planè geminum.

Vani aliàs timoris, recogitatio.

Accedit cogitatio, quàm vanus ſæpè & falſus ſit timor, & quàm alius plerunque rerum exitus à præcocepto. Seneca illuſtriſſimè epiſt. 13 [Inquiramus in rem diligenter. Veriſimile eſt, aliquid futurum mali, non ſtatim verum eſt. Quàm multa non expectata venerunt, quàm multa expectata, nuſquam comparauerunt? Etiamſi futurum eſt quid iuuat dolori ſuo occurrere? Satis citò dolebis, cùm venerit: interim tibi meliora promitte. Quid facies lucri? Tempus. Multa interuenient, quibus vicinum periculum, vel propè admotum, aut ſubſiſtat, aut in alienum caput tranſeat. Incendium ad fugam patuit, quoſdam molliter ruina depoſuit: aliquando gladius ab ipſa ceruice reuocatus eſt: aliquis carnifici ſuo ſuperſtes fuit. Habet etiam mala fortuna leuitatem: Fortaſſè erit, fortaſſè non erit. Interim dum non eſt, meliora propone. Nonnunquam nullis apparentibus ſignis, quæ mali aliquid pronuncient, animus ſibi falſas imagines fingit, aut verbum aliquod dubiæ ſignificationis detorquet in peius, aut maiorem ſibi offenſam proponit alicuius quàm eſt, & cogitat, non quantùm iratus ille ſit, ſed quantum liceat irato. Nulla autem cauſa vitæ eſt, nullus miſeriarum modus, ſi timetur quantum poteſt. Hic prudentia proſit, hic robore animi, euidentem quoque metum reſpue, Si minus, vitio vitium repelle, ſpe metum tempera. Nihil tam certum eſt ex his quæ timentur, vt non certius ſit, & formidata ſubſidere, & ſperata decipere. Ergo & ſpem ac metum examina. Et quoties incerta erunt omnia, tibi faue, crede quod mauis. Si plures habebit ſententias metus, nihilominus in hanc partem potiùs inclina. & perturbare tibi deſine. Ac ſubinde hoc in animo volue. Maiorem partem mortalium, cùm vt nec ſi quicquam mali, nec pro certo futurum ſit, æſtuare ac diſcurrere. Nemo enim reſiſtit ſibi, cùm cæteri impelli, nec timorem ſuum redigit ad verum. Nemo, dicit, vanus author eſt; vanus, aut finxit, aut credidit. Damus non referentibus, expaueſcimus dubia pro certis, non ſeruamus modum rerum, ſtatim in timorem venit ſcrupulus.]

Suſpirare æternitatem.

Optimum & illud, auelli affectu à præſentibus, & ſuſpirare æternitatem. Monitum planè Chriſtianum, quod accipe Senecæ verbis epiſt. 102. in fine. *Quid tibi videbitur diuina lux, cùm illam ſuo loco videris? Hæc cogitatio, nihil ſordidum animo ſubſidere ſinit, nihil humile, nihil crudele. Deos omnium rerum eſſe teſtes ait. Illis nos approbari, illis in futurum parari iubet, & æternitatem proponere: quam qui mente concepit, nullos horret exercitus non terretur tuba, nullis ad timorem minis agitur. Quid ni non timeat, qui mori ſperat.*

Reſtarent proponenda remedia timoris non ſatis validi. Sed quod ea iam propoſita ſint circa audaciam immoderatam; & non pauca etiam addenda ſint tractando veram fortitudinem in aggrediendo, & damnando ei oppoſitam præfidentiam non eſt quod vltrà hæream, in adhibendis hoc loco, ei timoris immoderationi, remediis.

ARTICVLVS V.

De Ira.

343. Q*Vo diſtet ira ab iracundia, apparet*; ait Seneca lib. 1. de ira c. 4. *quo ebrius ab ebrioſo, & timens à timido. Iratus poteſt non eſſe iracundus: Iracundus poteſt aliquando iratus non eſſe.* Nos hic de ira quia affectus eſt, philoſophamur, non de iracundia niſi per ordinem ad iram, in quam inclinat.

Quidditas iræ, Dialecticè & phyſicè explicabilis.

Iræ naturam aliter exponunt Dialectici, inquit Ariſtoteles 1. animæ tex. 16. aliter Phyſici. Nam Dialecticis, ira ſufficienter definita videbitur, dicendo, iram eſſe appetitum vindictæ, aut aliquid eiuſmodi. Phyſici autem definiunt iram, feruorem ſanguinis aut calidi circa cor. Quarum definitionum, prior eſt per formam & rationem; poſterior per materiam. Et quamuis apertiùs iræ naturam expoſiturus ſit, qui ambas illas definitiones conflauerit in vnam, ſicque huius affectus naturam & vim aperuerit. vt Simplicius ad eum locum notauit: Tamen ſimpliciter loquendo, & ſeorſim comparando duas illas definitiones intra gradum definitionis; prior quam recentiores non niſi ſuperficiariam cenſent, imò quam Valeſius 5. controu. c. 8. poſt Galenum l. 2. de ſanitate tuenda, falſitatis arguit, videtur potior ac præferenda: quippe quæ ipſam rei naturam & quidditatem exponat quod poſterior non facit. Nec refert, quod Ariſtoteles priorem illam definitionem, nominat Dialecticam. Præterquam enim quòd Dialectica, vt alibi notaui, non ſemper ſonat facultatem, pingui Minerua, & ex ſolis probabilibus diſſerendi, ſed cùm Metaphyſica confunditur; hoc ſanè loco, Dialecticum vſurpaſſe videtur Philoſophus, pro eo, qui ad normam Dialecticæ tradentis definiendi præcepta, confecerit definitionem ex genere & differentia; hæc

enim

enim eſt veræ definitionis præciſa ratio, quam prætergreditur naturalis Philoſophus, non modò cùm rem exponit per effectum ſuum, vt fit in definitione iræ propoſita; ſed etiam cùm ſollicitus de proferenda definitione cauſali, quæ potiùs eſt demonſtratio in modum definitionis propoſita, exponit naturam rei, per cauſam eius. Quod quidem ſi cauſali definitioni iungatur formalis à Dialectico contexta, eſt magis ſcientificum, ſed vltra leges ſolius definitionis, quæ naturam duntaxat, ſiue quidditatem rei, exponit, intacta cauſa.

Ea porro iræ definitio, quam Philoſophi naturalis eſſe aiebat Philoſophus, ne cauſam quidem iræ continet, vt paulò ante attigi; ſed vim duntaxat & effectum. Non enim ebullitio ſanguinis, eſt cauſa iræ: ſed potiùs ira eſt cauſa efferueſcentiæ ſanguinis circa cor. Itaque ſiſtendum videtur in ea definitione, quam idem Philoſophus vocauit Dialecticam, præſertim cùm illa alia definitio, quam Phyſicam vocauit, manifeſta futura ſit ex dicendis.

Dialecticè ſeu formaliter, eſt appetitus vindictæ, vel recruciationis.

344. Eſt igitur, iuxta illam aliam definitionem appetitus, vindictæ. Quam definitionem approbat Tullius apud Lactantium l. de ira Dei cap. 17. definiens iram, *libidinem vlciſcendi* Et ibidem Poſſidonius iram definit, *cupiditatem puniendi eius, à quo te putes læſum* Item Seneca lib. 2. de ira cap. 3 iram definit, *concitationem animi, ad vltionem voluntate & iudicio pergentis* Quæ definitio tradita ab eodem fuerat l. 2. c. 2. eiuſdem operis, vbi nunc lacuna eſt, ſed quam facile eſt explere ex Lactantio l. de ira Dei c. 17. illum ipſum Senecæ locum allegante, teſtantèque definitam ab eo fuiſſe iram, *cupiditatem vlciſcendæ iniuriæ.* A qua definitione idem Seneca, ait parum abeſſe Ariſtotelicam illam, qua ira definitur, *cupiditas doloris rependendi.*

Habetur hæc Ariſtotelica definitio 2. Rhet. cap. 2. vbi ira definitur, *appetitio cum dolore coniuncta, eius quæ apparet vltionis, propter eam quæ apparet deſpicientiam, vel in ſe, vel in ſuorum quempiam non conuenienter*, Idem breuiùs exprimitur, cùm dicitur, iram eſſe *appetitum recruciationis* Cùm enim quis alij moleſtiam intulit, exſurbuit appetitio moleſtiæ illius repellendæ, & in autorem retorquendæ, quæ eſt vltio recrucians, ſiue vindicta, non qualiſcunque, qualem v. g. miniſter publicus exercet, legéſque indicunt, ſed vindicta compenſans mœrorem irrogatum, atque adeo recrucians. Oportet autem vltionem proponi poſſibilem, alioqui excitaretur potiùs mœror & triſtitia, quam vindictæ appetitio. Propterea igitur Ariſtoteles, dixit, iram eſſe appetitionem vltionis *apparentis*, hoc eſt, exhibitæ tanquam poſſibilis. Originem quoque & cauſam eius aperuit, & remotam ac extrinſecam, & internam ac proximam. Prior eſt deſpicientia ſiue moleſtia aut iniuria ab extrinſeco irrogata. Poſterior eſt, triſtitia inde concepta. Quia enim intellexit homo irrogatam ſibi iniuriam, vel quòd maſcula pectora acriùs pungit, deſpicientiam; inde moleſtiam concepit; ſiue triſtitiam, cuius partus eſt ira. *Irritat læſio dolorem*, inquit Lactantius l. de ira c. 17. *dolor facit vltionis cupiditatem.* Cauſam remotam continent in longiore definitione, verba illa, *apparentia deſpicientiæ.* Proximam, illa alia, *cum dolore coniuncta.* Neque enim hæc verba ſpectant effectum iræ, cùm ira potiùs inuehat voluptatem, vt Ariſtoteles ſupra aduertit, eo quod iudicium ſit homini, exiſtimare ſe conſecuturum eſſe vltionem quam appetit. Spectant igitur iræ cauſam proximam. Nempe moleſtiam, quam concipit læſus, ob irrogatum nocumentum vel deſpectionem. Vtramque verò illam cauſam innuit vnica vox appoſita poſteriori definitioni, nempe *recruciationis.* Nam recruciationem reponere velle, eſt accepiſſe anterius ab aliquo cruciationem, aut moleſtiam, cuius cauſa ſit deſpectio vel nocumentum.

Triplex in contrarium difficultas.

345. Aduerſus ſic expoſitam iræ definitionem, opponi in primis poteſt cum Lactantio l. de ira Dei c. 17. Deum eſſe, vt ille loquitur, *illæſibilem.* Cùm ergo in Deum non præcedat iniuria, ſequeretur rationem iſtam iræ non poſſe in eum cadere, quod tamen toto eo libro, contra Epicuros, alióſque prouidentiæ hoſtes, omnibus viribus ſtatuit. Concludit ergo eo cap. 17. *ſub finem*, iram, non eſſe definiendam, cupiditatem vltionis, quia præceſſit iniuria: quam ait eſſe iram, quæ etiam mutis ineſt; ſed definiendam eſſe, motum animi ad coërcenda peccata inſurgentis: vel reſurrectionem ad vindictam, vt diſciplina ſeruetur, quia ratione ira cernitur in Deo, & in Iudice reum plectentem.

Fortius opponi poteſt cum Scaligero exerc. 313. iram plerunque concitari abſque contemptu. Et vt omittam minùs vrgentia quæ ille profert, an non iraſcimur plerunque aduerſus inanimata, quæ certè neque nos contemnunt, neque iniuria afficiunt? *Meminimus*, ait Caſſianus 8. de inſtit. c. 18. *in ſolitudine commorantibus nobis, contra calamum, cùm aut groſſitudo eius, aut exilitas diſpliceret; contràve ſcalpellum, cùm incidenda, hebeti acie ſegniter exſecaret; contráque ſilicem, ſi fortè ex eafeſtinantibus nobis ad lectionem, tardiùs ſcintilla ignis emicuerit, ita indignationi irrepſiſſe motum, vt non aliàs perturbationem mentis, quam vel contra inſenſibiles materias, vel certè aduerſus diabolum, maledictione prolata, digerere atque euaporare poſſemus.*

Præterea Nemeſius c. 21. de homine, & Damaſ. c. 2 fid. c. 16. aliquam quidem iram admittunt, eſſe vltionis cupiditatem, eámque ex concupiſcentia & ita commiſtis aiunt exiſtere: ſimpliciter tamen iram definiunt, per bilis & ſanguinis efferueſcentiam. Denique Valeſ. 5. contr. c. 8. opponit, odium eſſe appetitum vindictæ, cùm tamen conſtet, odij & iræ rationem eſſe differentem.

Ad primam difficultatem.

346. Sed hæc non difficilè retunduntur. Ac primùm Lactantius, malè deffitetur poſſe Deo inferri iniuriam. Hoc ille vtinam verè dixiſſet, obſtruxiſſétque eo pacto malitiæ originem. Nam omne peccatum, eſſe diuinitatis iniuriam, dicemus infra cum Saluiano. Non poteſt quidem Deus lædi in ſeipſo, boniſque ſuis internis, quia omnia eius intrinſeca bona idipſum ſunt quod ille; atque adeò tam æterna & immutabilia ſunt, quàm ipſe Deus? nec vllo conatu noſtro, poſſunt ei accedere vel decedere. Poſſumus tamen lædere Deum in externis ſuis bonis, quod ſufficit ad iuſtum iræ motum, & vltionis cupiditatem ex illata iniuria concitatam. Nec deeſt virtualis quatenus ſi Deus eſſet triſtitiæ capax, moleſtiam conciperet ex ea iniuria. Quod autem moleſtiam inde nullam concipere poſſit, ex beatitate ſua habet, non ex voluntate noſtra, quæ contulit quod ex parte obiecti ſatis erat ad ingenerandam moleſtiam.

An verò hæc voluntas vltionis ſit nominanda ira, defectu antecedentis cruciationis ſiue moleſtiæ formaliter inuectæ, lis eſt de nomine, de qua ſufficienter actum in Naturali Theologia d. 8. n. 60. nec malè

id extricant illa Caſſiani 8. de Inſtitut. c. 4. De *ira Dei vel furore cùm legimus, non ἀνθρωποπαθῶς, id eſt, ſecundùm humilitatem humanæ perturbationis, ſed dignè Deo, qui ab omni perturbatione alienus eſt, ſentire debemus: ſcilicet, quo per hæc eum iudicem & vltorem omnium, quæ iniquè geruntur in hoc mundo, poſſimus aduertere, & retributorem terribilem actuum noſtrorum, his verborum ſignificationibus formidantes: & contra illius voluntatem timeamus quicquam admittere. Illos etenim timere conſueuit humana natura, quos indignari nouit, & veretur offendere: vt in nonnullis æquiſſimis iudicibus, ſolet ab his qui aliquo reatu ſua conſcientia remordentur, ira vltrix timeri; non ſcilicet quòd hæc in animis eorum, qui iuſtè iudicaturi ſunt, perturbatio conſiſtat: ſed quòd ita metuentibus ille ſentiatur affectus, qui pro executione legum, & examinatione Iuſtitiæ, & æquilibratione procedit. Quæ tamen quantalibet animi fuerit magnitudine ac lenitate prolata, ab his, qui pro ſuo merito pœna plectendi ſunt, furor grauis, & ira ſæuiſſima, iudicatur.* Eadem paucis attigit S. Hieron. in c. 4. epiſt. ad Epheſ.

Incommoda ſecunda difficultatis depulſio.

347. Alterum caput difficultatis propoſitæ, Seneca 2. de ira c. 26 ita elidit, vt planè admittat, etiam cùm inanimatis rebus iraſci videmur, motum iræ concitari in aliquem, qui capax ſit formalis contemptus inferendi, eúmve reipſa intulerit, aut intuliſſe putetur. *Iraſcimur*, inquit, *aut his à quibus nec accipere iniuriam potuimus, aut his, à quibus accipere potuimus. Ex prioribus quædam ſine ſenſu ſunt; vt librum quem minutioribus literis ſcriptum, ſæpè proiecimus, & mendoſum lacerauimus: vt veſtimenta, quæ quia diſplicebant, ſcidimus. His iraſci, quam ſtultum eſt, quæ nec iram noſtram meruerunt, nec ſentiunt? ſed nos offendunt videlicet, qui illa fecerunt.* Verùm hoc non poteſt vniuerſaliter valere. Nam plerunque nos ipſi ſumus, qui rem illam fecimus, vnde concitata eſt ira. Nemo autem ſeipſum deſpexiſſe, aut deſpicere voluiſſe putatur.

Non exhaurit etiam difficultatem quod ait Viues ſuo 3. de anima c. de ira. Nempe affectum, qui tunc inſurgit, non eſſe iram propriè dictam, ſed eſſe offenſionem, quæ ſit primus mali morſus beneuolentiæ oppoſitus. Hoc dico non exhaurire difficultatem propoſitam. Eadem enim iræ paſſio, quantùm ex indiciis eius omnibus atque effectibus colligere licet, excitatur aduerſus calamum non ſatis aptè formantem characteres, ac contra mancipium, cùm bilem conciuit.

Vera eius diſſolutio.

348. Quare vera reſponſio ſuppeditatur à D. Auguſtino 14. Ciuit. c. 15. verbis illis. *Iram, nihil aliud eſſe quàm vlciſcendi libidinem veteres definierunt, Quamuis nonnunquam homo vbi vindictæ nullus eſt ſenſus, etiam rebus inanimis iraſcatur, vt malè ſcribentem ſtylum collidat, vel calamum frangat iratus. Verùm & iſta irrationabilior, tamen quædam vlciſcendi libido eſt, & neſcio quæ, (vt ita dixerim,) quaſi vmbra retributionis vt qui mala faciunt, mala patiantur.* Idem pulcherrimè epiſt. 115. *Ira eſt quantum mea fert opinio turbulentus appetitus, auferendi ea, quæ facilitatem actionis impediunt. Itaque plerumque non hominibus tantùm, ſed calamo iraſcimur in ſcribendo, eúmque collidimus atque frangimus. Et aleatores teſſeris, & pictores penicillo, & cuique inſtrumento quilibet, ex quo difficultatem ſe pati arbitratur.* Habes in hac ira vmbram retributionis, eo quòd quamuis homo eodem modo ſe gerat, quo ſi retribuiſſet perſonæ ſenſus & rationis capaci, à qua ſe læſum exiſtimaret: Tamen reuera ſubiectum eſt moleſtiæ viciſſim ſentiendæ incapax. Habes inſuper vmbram deſpicientiæ, non veram & formalem deſpicientiam, quam non eſt opus antecedere, cum ſufficiat materialis aut virtualis, quæ contingere cenſetur ab eo, qui nobis incommodum aliquod, vel actionis difficultatem intulit ſiue per inaduertentiam, ſiue cum incapacitate aduertendi.

Videtur hanc deſpicientiæ vmbram, agnouiſſe etiam Seneca 1. de ira c. 2. *Quid*, inquit, *gladiatoribus, quare populus iraſcitur, & tam iniquè vt iniuriam putet, quòd non libenter pereunt? Contemni ſe iudicat, & vultu, geſtu ardore, de ſpectatore in aduerſarium vertitur. Quicquid eſt, certè non eſt ira, ſed quaſi ira, ſicut puerorum, qui ſi ceciderunt, terram verberari volunt: & ſæpè neſciunt quidem cui iraſcantur, ſed tantùm iraſcuntur ſine cauſa & iniuria, non tamen ſine aliqua iniuriæ ſpecie, nec ſine aliqua pœnæ cupiditate. Deluduntur itaque imitatione plagarum & ſimulatis deprecantium lacrymis placantur. & falſa vltione falſus dolor tollitur.* Hoc extremum non admitto niſi obiectiuè, & penſata cauſa dolendi. Cæteroqui enim eſt dolor verus, ſicut & quæ inde pullulat, eſt vera ira; non autem duntaxat quaſi ira, vt ille affirmat.

Ad tertiam difficultatem.

349. Tertium caput difficultatis aduerſus propoſitam iræ definitionem, ducebatur à Nemeſij & Damaſceni authoritate, qui definitionem illam negabant eſſe vniuerſalem. Ita enim apertè ferunt verba Nemeſij, quæ Damaſcenus exſcripſit. Simpliciter enim & abſolutè definitâ irâ, quod ſit ſanguinis ebullitio, ſubdit. *Aliquando autem contingit, iram eſſe vindictæ cupiditatem*, quaſi id non ſit iræ vniuerſale. Quòd verò Clyctouæus ad eum Damaſceni locum, ait verbis illis duas contineri definitiones, alteram materialem, formalem alteram: benè quidem dictum eſt, ſed parum ad rem accommodatè. Nam intactum prætermiſit Clyctouæus, quomodo ira dicatur eſſe efferueſcentia ſanguinis, & non niſi aliquando ſit vltionis cupiditas. Difficile item eſſe poteſt, quomodo iidem authores dicant, tunc cùm ira eſt appetitio vltionis, cerni in ea, mixturam concupiſcentiæ & iræ. Quomodo enim ira poteſt componi ex ſeipſa, & alio addito? Poteſt quidem ex confluge plurium, & nexu vnius cum alio, exiſtere quoddam tertium: vt tamen idem componatur ex ſeipſo, & alio ſuperaddito, non videtur poſſe intelligi. Præterquam quòd ira, eſt ſimplex affectus & incompoſitus, ſi directè & eſſentialiter ſpectetur.

Sed hanc quidem iræ compoſitionem non incommodè infra interpretabimur. Quòd verò ira, ſit aliud quid ab appetitione vindictæ, accedátque interdum iræ, appetitio vltionis, difficile explicatu eſt, nec videtur admittendum. Nam ſic ira nihil dici poſſet eſſe præter motum inconditum corporis, aut ſanguinis efferueſcentiam. Quæ duo, licet cum iræ affectu coniungantur; ſunt tamen eo poſteriora, & vt effectus illum conſequuntur: cúmque exoriantur in ſolis animalibus, & ritu modóque, ad animam ſenſitiuam pertinente, neceſſe eſt, vt ortum habeant ab appetitione aliqua, quæ non poteſt hic alia proferri, quàm appetitio vltionis. Quod denique Valeſius in definitione Ariſtotelica, quam tuemur, iram cum odio confundi expoſtulabat, proximè elidam.

Quomodo

Quomodo ira ab aliis affectibus ſeiungatur.

350. Ex his iræ natura videtur ſufficienter expoſita, & ex ea liquere poteſt de diſtinctione iræ ab aliis affectibus. Non eſt autem difficultas niſi de duobus, nempe de odio & deſiderio. Et quoad odium quidem Ariſtoteles 5. Polit. c.10. videtur iram ad illud reuocare. De deſiderio videbitur multò magis idem ſtatuendum. Nam ſi ira, vt admiſimus, eſt appetitio vindictæ inferendæ: Ergo eſt idem quod deſiderium vindictæ. Quod tamen videtur falſum; non tam quia vna paſſio confun[d]atur cum alia, quod leue eſſet, cùm in ſpe & aliis quibuſdam paſſionibus ad alias comparatis, idem cernatur: ſed quia perſpicuum eſt, non omnem, qui vindictam expetit, iraſci. Non enim iudex, qui ſontibus vult rependi vltionem debitam, iraſcitur. Et quòd interdum iraſci dicitur, latè & impropriè dicitur, vt notat S. Ambroſius in Pſal. 37. ad illud, *neque in ira tua corripias me: Vſus*, inquit *habet, vt dicamus de quoquam punito, quia iram incidit legum: non quia legum iram, ſed quia legum ſeueritatem.* Ex eo ergo quod Iudex vltionem rependi ſam volens, non iraſcatur, colligit Aureolus in 3. d.25.q.4. iram non eſſe formaliter appetitum vindictæ, ſed eſſe aſſurrectionem in ipſam vindictam. Prodire autem ab illo ipſo deſiderio & appetitione: Ideóque cùm ea interdum confundi, quamuis reuera diſtinguatur.

Quomodo ab odio.

Dicendum verò eſt iram ſeiungi ab odio; nec repugnare Ariſtotelem, quinimò eo ipſo loco qui allegabatur, aſſignare multa, odium inter & iram diſcrimina. Sic enim loquitur lib. illo 5. Polit. c.10. *Particulam quandam odij, debemus iram exiſtimare. Nam quodammodo earum rerum cauſa exiſtit, eſt interdum ira efficacior, quàm odium. Vehementius enim inſurgunt, quia perturbatio illa non vtitur ratione. Maximè verò contingit, vt ira ferantur, qui contumelia fuerunt affecti: per quam quidem cauſam & Piſiſtratidarum deleta eſt tyrannis, & multæ aliarum. Sed odium magis ratione vtitur. Nam ira cum dolore fit, quare non facile ratione vtitur. Odium verò, ſine dolore.*

Agnoſcis quorſum ira dicatur odij particula, & quàm multæ tamen inter vtramque paſſionem differentiæ inueniantur.

351. Dicitur enim ira *particula odij*, quia habet aliquam cum odio affinitatem, & odium eſt paſſio cæteroqui generalior. Et odium igitur & ira, earundem ferè actionum ſunt cauſæ, vt Ariſtoteles tradit. Facilè item ira in odium occallet, vt loquitur Seneca 3. de ira c.41. hoc eſt, ſi veteraſcat ira, facilè ei ſuccedit odium. Confirmat id ſæpè D. Aug. vt homil. 5. & 40. & 42. ex 50. *Quid eſt ira?* inquit poſtremo illo loco. *Libido vindictæ. Quid odium? Ira inueterata. Ira inueterata ſi facta eſt, iam odium dicitur. Quod videtur confiteri ille, qui cùm dixiſſet*: Turbatus eſt præ ira oculus meus, *addidit*; Inueteraui in omnibus inimicis meis? *Quod erat ira, cùm eſſet noua, odium factum eſt, quia in vetuſtatem conuerſum. Ira feſtuca eſt, odium trabs eſt. Aliquando reprehendimus iraſcentem, & odium tenemus in corde, & dicit nobis Chriſtus*: Feſtucam in oculo fratris tui vides, & trabem in oculo tuo non vides. *Vnde creuit feſtuca, vt trabem faceret? Quia non ſtatim euulſa eſt: Quia paſſus es exire & intrare Solem totiens ſupra iracundiam tuam, feciſti illam veterem; attraxiſti malas ſuſpiciones, & rigaſti feſtucam; rigando nutriſti; nutriendo trabem feciſti.* Breuiùs in Pſal. 54. *ira ſi fuerit inueterata, iam odium eſt. Ira turbat oculum, odium extinguit. Ira feſtuca eſt, odium trabs eſt.*

Diſcrimina verò odij & iræ, ſunt manifeſta. Nam odium eſt circa malum, illud auerſando: ira verò eſt circa bonum, nempe circa vindictam, quam ſibi bonam arbitratur & ideò eam proſequitur qui iræ ſubiacet. Odium igitur, cuiuſuis iniuriæ occaſione excitatur: ira maximè ob contumeliam & deſpicientiam. Ad hæc, odium eſt aliquid lentius & plerunque inefficax. E contrà ira, eſt aliquid præceps & temerarium, vt propterea 7. Eth. c.6 comparetur ſeruo, qui ob celeritatem, media tantùm ex partè, domini mentem percipit. Eſt item ira, quantum eſt ex ſe, aliquid efficax. Denique ira, vt vidimus, ſupponit triſtitiam, non tantùm per modum cauſæ purè efficientis, quam Deus facile ſupplere poſſet, vt notauit Vaſq. 4. q. d.62. n.41 contra Caiet. ibid. q.15. art. 9. ſed per modum alicuius eſſentialiter requiſiti, ac tenentis ſe ex parte obiecti. Nam obiectum iræ, non eſt malum alterius abſolutè, quale eſt obiectum odij: ſed eſt malum compenſans triſtitiam irrogatam, ſiue recruciatio: quod alterius malum, apprehendit vt ſibi bonum, is qui ſuccenſet. Vnde, vt Ariſtoteles aiebat, odium eſt abſque dolore, nempe formaliter & eſſentialiter, etiamſi aliquando concomitanter adiunctum habeat dolorem. At ira eſſentialiter eum præſupponit. Ingenerat autem voluptatem, vt ſupra notaui ex 2. Rhet. c. 4. Itaque multi in aliquem iraſcuntur, abſque odio propriè dicto. Inter iram & odium, *vultis videre quantum interſit?* ait D. Auguſt. homil. 5. ex 50. *Sæpè inuenimus iraſci Patrem Filio; Patrem odiſſe Filium difficilè inuenies, Filio, quem diligit, iraſci poteſt Pater. Iraſcitur & amat, poteſt dici: Odit & amat, non poteſt dici.*

Quomodo à deſiderio.

352. Iam verò deſiderium vniuersè acceptum aliquatenus diſtingui ab ira non eſt dubium. Nam ira eſt affectus efficax, cuiuſmodi non eſt ſemper deſiderium. Item ira eſſentialiter, prærequirit dolorem, ad quem deſiderium nullam dicit habitudinem. Si tamen ſpectetur id quod ira in recto & directè dicit, fateor, iram eſſe deſiderium quoddam. Nam hoc ipſum apertè ſonat definitio iræ propoſita, qua ira dicitur appetitio recruciationis. Neque tamen inde ſequitur, omnem qui appetit inferri alteri vindictam, dicendum eſſe iraſci, vt malè proponebatur in ratione dubitandi propoſita: hoc enim, falſum eſt ſequi. Nam qui appetit inferre alteri vindictam, interdum ſpectat duntaxat communitatis incolumitatem, & improbitatis præcluſionem per coërcitionem facinoroſum. Et tunc ea vindicta, non eſt propriæ triſtitiæ reſpectiua ſiue non eſt recruciatio, atque adeò non eſt ira. At cùm vindicta eſt malum alienum relatum ad compenſationem mœſtitiæ, vindicanti ingeneratæ, tunc eſt propriè ira. Et qui vindictam ea ratione appetit, verè iraſcitur. Nullum autem eſt incommodum, iræ & deſiderij identitatem ſub ea conſideratione agnoſcere, ſicut ſupra de ſpe item & deſiderio philoſophati iam ſumus.

Quid verò in mentem venit Aureolo, vt iram negaret eſſe appetitionem, diceret autem eſſe aſſurrectionem in vindictam? Sanè illud aſſurgere, nihil poteſt eſſe aliud, quàm quoddam velle. Non eſt autem velle, abſtrahens à præſentia & futuritione rei volitæ, ſed concupiſcens rem ponendam. Eſt igitur deſiderare: non quidem frigidè ac remiſsè, ſed cum niſu aliquo, & efficacitate, qualem requirit obiecti arduitas, ciétque mœſtitia extundens iram. Et hac ratione accipi debet quod Damaſcenus 2. fid. c. 6. & Nemeſius

Nemeſius c.21.iram coagmentant ex cupiditatis & iræ mixtura.Non quòd ira nō ſit directè affectus ſimplex; vel quòd ira ſit directè aliud quàm cupiditas:ſed quòd ira, ſit cupiditas, non præciſè & ſimpliciter dicta ; ſed vt conueſtita iis adiunctis, quæ expoſui.

Vulgata iræ membra.

313. Sub iræ affectu ſic conſtituto , & ab aliis diſtincto,numerantur,multa membra non tanquam eſſentialiter diſcrepantia, ſed penes varias cauſas vel incentiua,aut effectus eorum. Audi Senecam l.1. de ira c.4.poſt præmiſſam iracundiæ tanquam habitus,& iræ tanquam actus,diſtinctionem. [Cætera , *inquit*, quæ pluribus apud Græcos nominibus , in ſpecies iram diſtinguunt , quia apud nos vocabula ſua non habent, præteribo.etiamſi amarum nos, acerbúmque dicimus; nec minùs ſtomachoſum,rabioſum,clamoſum, difficilem,aſperum,quæ omnia irarum differentiæ ſunt. Inter hos moroſum ponas licèt,delicatum iracundiæ genus.Quædam enim ſunt iræ,quæ intra clamorem conſidant,quædam non minùs pertinaces.quàm frequentes: quædam ſæuæ manu,verbis parciores:quædam in verborum maledictorúmque amaritudinem effuſæ : quædam vltra querelas & auerſationes non exeunt : quædam altæ grauéſque ſunt,& introrſus verſæ. Mille aliæ ſpecies ſunt mali multiplicis.]

Quòd ait Græcos variis nominibus, varias iræ quaſi ſpecies inſignire, variè apud varios accipitur Iſido. Peluſ.l.4. epiſt. 225. ὀργὴν duntaxat & θυμὸν numerat. Hunc, excandeſcentiam vertit interpres;illam, perſeuerantem iram , & ob vindictæ cupiditatem , pectus turgefacientem. At Nemeſius l. de homine c.21.iram partitur in tres ſpecies, excandeſcentiam, ſimultatem, & inimicitiam.Prima eſt impetus tunc primùm enaſcens,nec prouectæ vel confirmatæ durationis. Simultas eſt ita inueteraſcens,quam propterea Nemeſius ait Græcè μῆνιν dici à manendo,& à permanſione in memoria.Demùm inimicitiam ait eſſe iram inuigilantem vltioni , eiúſque inferendæ occaſiones obſeruantem. Duo poſteriora membra,eo ſunt periculoſiora,quo abditiora.iuxta illud nutricis in Medæa.

Sile, obſecro , queſtúſque ſecreto abditos
Manda dolori : grauia quiſquis vulnera
Patiente & æquo mutus animo pertulit,
Referre potuit:ira quæ tegitur,nocet.

At quæ illico erumpit, ferè abit ſine ictu , intento in declinationem eo,qui impetitur. Eos verò qui. vt de Tiberio ſcripſit Tacitus,odia in longum iaciunt,quæ recondant,auctáque promant ; hos inquam, vt Poëta vetus appellauit, alterplices & reconditæ, vt eſt apud Tullium , naturæ homines, cùm non próſpicias , qui declines? Quomodo Ariſtoteles hæc membra ſecernat 4.Eth.c.5.refero agens de virtute manſuetudinis.

Eleganter verò S.Gregorius.5.Mor.c 32.hæc ipſa membra expreſſit,addito quarto. *Sciendum eſt* inquit, *quod nonnullos ira citiùs accendit, faciliùs deſerit. Nonnullos verò tardè quidem commouet . ſed diutiùs tenet. Alij namque accenſis calamis ſimiles , dum vocibus perſtrepunt, quaſi quoſdam accenſionis ſuæ ſonitus reddunt: citiùs quidem flammam faciunt , ſed protinus in fauilla frigeſcunt. Alij autem lignis grauioribus duriorıbúſque non diſpares, accenſionem tardè ſuſcipiunt:ſed tamen accenſi ſemel, difficiliùs extinguuntur. Et quia ſe tardiùs in aſperitatem concitant, furoris ſui diutiùs ignem ſeruant. Alij autem,quod eſt nequius ; & citiùs iracundia flammas accipiunt & tardiùs deponunt. Nonnulli verò has & tardè ſuſcipiunt , & citiùs amittunt. In quibus nimirum quatuor modis liquidò lector agnoſcit,quia & ad tranquillitatis bonum , vltimus pluſquam primus appropinquat ; & in malo , ſecundum tertius ſuperat.*

Poſtremum membrum à S. Gregorio propoſitum, Ariſtoteles omiſit , nec immeritò : quia infrequentes , vel etiam nulli ſunt , qui tardè concipiant iræ flammam , & citò deponant. Nam qui tardè concipiunt , naturæ ſunt tenaciùs retinentis quod ſemel conceperunt. Quare videntur ſatis eſſe tria illa quæ retuli membra, nempe excandeſcentia , ſimultas , inimicitia.

Obiter quæ Poëtæ, bilis maſcula,

Eſt qui excandeſcentiam, quæ ſubitò efferueſcit , faciliméque ſubſidit , nominari a Græcis dicat χολήν. duas verò reliquas quaſi ſpecies , nominari referat ab Homero χόλον & aliquando κότον, id eſt,animo repoſitam altiúſque infixam : & quia χόλος eſt nomen maſculinum , inde factum putat , vt Perſius, ſumpta occaſione ex Græca voce , maſculam bilem appellauerit , Satyra 5. quæ difficilè reſtinguatur,nec iam ſit χολὴ quæ fœminini generis ira eſt , leuiſque & mox euaneſcens, ſed χόλος. Id ferre putat verba illa Perſij.

—— *Calido ſub pectore maſcula bilis*
Intumit, quam non extinxerit vrna cicutæ.

Nemeſius tamen, cui Græco homini ; vis Græcæ vocis incomperta non fuit,hoc acumen ignorauit Scribit enim exſcandeſcentiam , ſiue iram tum primùm exiſtentem , & χολὴν & χόλον dici. Exſcripſit propè verbatim, & approbauit,eum Nemeſij locum Damaſcenus,& ipſe Græcus ſcriptor 2.fid.c.16. Itaque maſculam Perſio bilem , quamcunque efferationem & æſtuantiorem dictam cenſeo , etiamſi mox ſubſidat. Quandiu tamen æſtus ille perſeuerat , rectè dicitur non reſtinguenda ſorbitione vrnæ cicutæ ,vt prodatur eſſe incenſiſſima.

Cauſæ per ſe iræ : remota contemptus, proxima dolor.

315. Pergo ad iræ cauſas, quæ ex tractatis proximè circa eius naturam,perſpicuæ videntur Reuocantur autem ad duas : Nempe ad deſpicientiam & mœſtitiam ex ea conceptam. Quamuis non me latet à Philoſopho 2.Rhet.c.2.plures minutias proponi , ſed quæ omninò ad duo illa , quæ dixi,capita referantur. Deſpicientia cuiuſmodi eſſe debeat,expoſui ſuprà,eóque nomine non contumeliam tantùm intelligi par eſt, ſed etiam iniuriam. Quamuis enim contumelia, multò violentiùs animum generoſum fodicet , & ad iram ſtimulet,quàm iniuria damnoſa : tamen exploratiſſimum eſt, iram poſſe quoque concipi ex illatione damni,abſque propriè dicta contumelia. Nam ea damni irrogatio, apta eſt mœrorem ingenerare : vnde ira facilè concitatur , vt repellatur offendens. Poteſt tamen in ea damni irrogatione.agnoſci quædam materialis & interpretatiua deſpicientia, quantum eſt ex vi actionis, qua damnum infertur. Nam quiſquis damnum alteri infert,præſertim ſciens & volens,non obſcurum præbet teſtimonium,quòd non magni pendat eum,cuius rebus damnoſus eſt. Si enim ipſum reuereretur,non eſſet rebus eius infeſtus. Hic igitur eſſe debet ambitus deſpicientiæ illius , ſiue contemptionis; quam Ariſtoteles pro remota iræ cauſa aſſignauit.

Proximam verò ſtatuit dolorem ex deſpicientia conceptum. Quam non eſſe cauſam purè effectiuam & ſupplebilem diuinitùs, ſed motiuam & determinatiuam,tenentémque ſe ex parte obiecti iam annotaui. Itaque hanc cauſalitatem nolo intelligi phyſicam in genere cauſæ efficientis , ſed formalem extrinſecam ; quamuis plerunque minùs ſollicitè loquamur , & iram à triſtitia effici dicamus : eo videlicet modo

quo concluſio efficitur à præmiſſis, ad aſſenſum concluſioni præſtandum obiectiue mouentibus ac determinantibus.

Cauſæ per accidens, ſilentium.

Silentium, & receſſus ab eo qui moleſtiam intulit, numeratur interdum vt iræ cauſa ſaltem augens & intendens. Reuera tamen non eſt cauſa niſi per accidens; ſubmotis nimirum lenitatis & conciliationis cauſis, per collocutionem ponentis. Quod perpulchre in hunc modum exponit S. Gregorius 5. moral. c. 31. [Aliquando ira, perturbato animo, quaſi ex iudicio, ſilentium inducit; & quò ſe foras per linguam non exprimit, intus deterius igneſcit, vt iratus quiſque collocutionem ſuam proximo ſubtrahat, & nihil dicendo, quàm ſit auerſus dicat. Et nonnunquam hæc ſilentij ſeueritas, per diſciplinæ diſpenſationem geritur, ſi tamen ſollicitè in intimis diſcretionis forma teneatur. Nonnunquam verò, dum accenſus animus à conſueta locutione reſtringitur, per acceſſum temporis penitus à proximi dilectione ſeparatur, & acriores ſtimuli ad mentem veniunt, cauſæque quæ grauiùs exaſperant, oriuntur, atque in irati oculo feſtuca in trabem vertitur, dum ira in odium permutatur. Plerunque ira per ſilentium clauſa, intra mentem vehementiùs æſtuat, & clamoſas tacita voces format; verba ſibi quibus exaſperetur, obiicit; & quaſi in cauſæ examine poſita duriùs exaſperata reſpondet, quod Salomon breuiter inſinuat, dicens: *Præſtolatio impiorum, furor.* Sicque fit, vt perturbatus animus, maiorem ſtrepitum ſui ſilentij ſentiat, eúmque grauiùs, clauſa iræ flamma conſumat. Vnde benè ante nos quidam Sapiens dixit: Cogitationes iracundi vipereæ ſunt generationis, mentem comedunt matrem ſuam.]

Qui ad iram accommodati.

356. Ex iræ cauſis, ferri poteſt iudicium de iis, qui iræ faciliùs ſubiacent, ſaltémque ea faciliùs tanguntur. Nempe huiuſmodi præſertim ſunt, qui contemptum faciliùs agnoſcunt, aut imaginantur. Cuiuſmodi ſunt pauperes, & corpore animóve debiles, qui facilè arbitrantur ſe contemni, cùm argumenta contemptus ſemper oſtentent. Item, qui animo ſunt infirmo, & anguſto.

Pueri inter ſeſe, ait Terent. in Hecyra, *quàm pro leuibus noxiis iras gerunt!*
Quapropter? Quia qui eos gubernat, animum infirmum gerunt.
Itidem illæ mulieres, ſunt fermè vt pueri, leui ſententia.

Et Iuuenalis de mulieribus ſatyra 6.

——————— *quoties facit ira nocentem*
Hunc ſexum, & rabie iecur incendente feruntur
Præcipites, vt ſaxa iugis abrupta quibus mons
Subtrahitur, cliuóque latus pendente recedit.

Videndus Tiraquel. l. 9. connub. n. 184. Iræ item magis obnoxij ſunt, quotquot contemptu magis tanguntur. Item ſtudioſi, non quòd ob cogitationis laborem calor eis plurimus ad cerebrum conuolet, quaſi ea ſit iracundiæ ſedes, vt malè philoſophatur Viues ſuo 3. animæ, c. de ira. Sed quòd puriſſimos ſpiritus conſumant, & atrum ſibi plurimum ſanguinem creent, vnde ſtomachoſitas & facilis in iram prolapſio. Nam melancholici, facile eſt vt in iram prorumpant; quia teter humor, quo abundant, facilè infigit in eis, augétque cogitationem ac ſenſum deſpicientiæ: & alioqui diſpellit humorem hilaritati accommodatum, ſpiritúſque exugit; vnde triſtitia & obnubilatio animi, ac conſequenter acrior ille, quem dicebam, morſus ex deſpicientia, huiúſque amplificatio. Quo etiam ex capite qui laſſi ſunt corpore, facilè ſuccenſent. Nam defatigatio ob cauſas circa melancholiam propoſitas eſt iræ ciendæ opportuniſſima. Quod optimè expoſuit Seneca 3. de ira, c. 9. tractans quantùm iram promoueat laſſitudo corporis. [Conſumit enim quicquid in nobis mite placidúmque eſt, & acria concitat. Ideo quibus ſtomachus ſuſpectus eſt, proceſſuri ad res agendas maioris negotij, bilem cibo temperent, quam maximè mouet fatigatio; ſiue quia calorem inedia compellit, & nocet ſanguini, curſúmque eius venis laborantibus ſiſtit; ſiue quia corpus attenuatum & infirmum, incumbit animo. Certè ob eandem cauſam iracundiores ſunt, valetudine, aut ætate feſſi. Fames quoque, & ſitis, ex iiſdem cauſis vitanda eſt; exaſperat enim & incendit animos. Vetus dictum eſt, à laſſo rixam quæri. Æquè autem & ab eſuriente, & à ſitiente, & ab omni homine, quem res aliqua vrit. Nam vt vlcera ad leuem tactum, deinde etiam ad ſuſpicionem tactus condoleſcunt; ita animus affectus minimis offenditur: adeo vt quoſdam ſalutatio, epiſtola, oratio, & interrogatio ad litem euocent. Nunquam ſine querela, ægra tanguntur.]

Cur aliqui ad iram promptiores, vel tardiores, aut eiuſdem tenaciores.

357. Fracaſtorius l. de ſympath. c. 21. varios diſtinguit gradus concipientium iram, quos iam ex Ariſtotele tetigimus. Sed exponendum reſtat, cur aliqui ocyùs, ſeriùs alij iram concipiant, alij eiuſdem ſint tenaciſſimi, in aliis ira vix figat gradum. Qui ergo natura triſtiores ſunt, vt malè affecti ac ægri, & quibus feruidior & bilioſior eſt ſanguis, ac melancholici, quia omni ex cauſa facillimè offenduntur, iram quoque facillimè concipiunt. Iis quoque Viues ſuo 3. animæ, c. de ira, annumerat aquæ potores, quòd tenues habeant ſpiritus, qui citò corripiuntur ab incendio iræ. Tardiùs autem ad iram incenduntur, qui timidiores ſunt, & modici ſanguinis ac frigidioris. Quòd ſi qui ſint benè valentes & multi ſanguinis ac lenioris; hi quamuis non ita facilè exulcerentur, ac excandeſcant, eo quòd omnia veluti læta recipiant: tamen cùm primùm agnoſcunt ſe offenſos, promptè admodum iram expromunt. Facillimè quoque iraſcuntur, qui initio iram non ſedant, & in gyrum rationis reducunt. Cauſam ſic aperit D. Auguſtinus epiſt. 115. *Aſſiduitate iraſcendi fel creſcere, etiam Medici affirmant. Cremento autem fellis, rurſus & facilè, ac propè nullis cauſis exiſtentibus, iraſcimur. Ita quod ſuo motu animus facit in corpore, ad eum rurſus commouendum valebit.* Quicunque enim multi ſanguinis ſunt, eiúſque bilioſi & exæſtuantis, aut exuſti, melancholici, & ad concipiendam offenſam celeres ſunt, & ad iram effundendam: præſertim ſi efferantur per ſuperbiam & animi elationem: Ex qua ferè, vt offenſa & iniuria irrogata non æſtimetur quanta per ſe eſt; ſed quantum ſe arbitratur qui offenſus eſt. Segnes denique ad iram deponendam eſſe ſolent, quibus craſſius & fibroſius eſt ſanguis, concepti ſemel ardoris tenax. De hoc toto puncto multa apud Philoſophum 2. Rhet. c. 2. Illud optimè 2. de part. c. 4. *Quorum animalium ſanguis, fibris admodum multis, craſsiſque refertus eſt, hæc terrena ampliùs conſtant natura, & animoſa iracunda, proindéque furibunda ſunt. Ira enim calorifica eſt. Solida autem firmioráque omnia concalefacta, vehementiùs quàm humida concalefaciunt. Fibræ verò ſolidæ terrenæque ſunt. Itaque quaſi fomenta in ſanguine efficiuntur, ferueréque per iram accendunt. Ex quo fit, vt tauri & apri, animoſi, iracundi, furibundique ſint. Sanguis enim eorum, fibris refertior eſt.*

Effectus iræ, horridiſſimi ac teterrimi.

358. Iræ effectus luculenter expreſſit Seneca l. 2. de ira, c. 36. & 37. [Videndum eſt, *inquit*, quàm multis ira per ſe nocuerit. Alij nimio feruore rupére venas, & ſanguinem ſupra vires elatus clamor egeſſit, & luminum ſuffudit aciẽ in oculos vehementiùs humor egeſtus, & in morbos ægri recidêre: Nulla celerior ad inſaniam via eſt. Multi itaque continuauerunt iræ furorem, nec quam expulerant mentem, vnquam receperunt. Aiacem in mortem egit furor, in furorem ira. Mortem liberis, egeſtatem ſibi, ruinam domui imprecantur, & iraſci ſe negant; non minùs quàm inſanire, furioſi. Amiciſſimis hoſtes, vitandíque cariſſimis. Legum, niſi quia nocent, immemores, ad minima mobiles. Non ſermone, non officio adiri faciles. Omnia per vim gerunt, gladiis, & pugnare parati, & incumbere. Maximum enim malum illos cepit, & omnia exuperans vitia. Alia paulatim intrant. Repentina & vniuerſa vis huius eſt: omnes denique alios affectus, ſibi ſubiicit. Amorem ardentiſſimum vincit. Transfoderunt itaque amata corpora & in eorum, quos occiderant, iacuêre complexibus. Auaritiam duriſſimum malum, minimúmque flexibile, ira calcauit, adacta opes ſuas ſpargere, & domui rebúſque in vnum collatis in iicere ignem. Quid? non ambitioſiùs magno æſtimata, ira proiecit inſignia, honorémque delatum repulit? Nullus affectus eſt, in quem nõ ira dominetur.]

Hominem corpore & animo efferat.

Alia in hanc ſententiam profero, cùm de manſuetudine; vbi ex his præſertim iræ effectibus, venuſtatem manſuetudinis, cum tetra & horrida veréque ferina iracundiæ effigie, compono: quæ non pigebit illuſtrare, additis aliis. vt affectus, iudice Seneca, maximè rabidus, & patentiſſimi dominatus, expreſſa ſæpiùs eius deformitate; per tam tetros effectus, fiat tractabilior, quò præſertim ſpectat hæc tractatio. Sanctus igitur Gregorius Nyſſ. orat. 2 in beatitud. ex huius paſſionis effectibus ait conſtare, videri hominem iræ ſuccumbentem, tranſire in feram eámque immanem. *Poſtquam*, inquit, *vel verbum, vel factum, vel ſuſpicio moleſtior, minúſque iucunda, eum morbum commouerit, & ſanguis circa cor efferbuerit, & animus concitatus fuerit in vltionem, quemadmodum fabula per medicamentorum quandam potionem in brutorum animalium ſpecies naturam tranſmutari fingunt; Ita virum repentè videre licet aprum, aut canem, aut pantheram, aut aliam quampiam ſimilium ferarum ab ira factum eſſe. Oculi ſanguine ſuffuſi ſunt: capillus erectus, ſurgit & inhorreſcit: vox aſpera ac verbis incitata: lingua perturbatione torpens, & non ſubſeruiens motibus inteſtinis: labia conſtricta, & non articulatè verba exprimentia, neque cohibentia in ore præ perturbatione. innatum humorem, ſed indecorè ſpumam ſimul cum voce expuentia: Tales manus: tales pedes: talis corporis diſpoſitio tota; vno quoque membro, prout animi motus fuerit, ita diſpoſito pariterque affecto.*

359. Neque verò exteriùs duntaxat, ſed & interiùs aliquatenus hominem in beſtiam tranſmutat ira, perturbato rationis vſu, & iuſtitia abacta: è contra autem inuectâ inſaniâ omníque ſcelere. Ita planè philoſophatur S. Gregorius 1. Mor. c. 30. in fine. *Cùm tranquillitatem mentis ira diuerberat, dilaniatam quodammodo ſciſſámque perturbat, vt ſibimetipſi non congruat, ac vim intimæ ſimilitudinis amittat. Quanta ergo ſit ira vndia culpa, penſemus, per quam dum manſuetudo amittitur, ſupernæ imaginis ſimilitudo vitiatur. Per iram ſapientia perditur, vt quid, quóve ordine agendum, neſciatur, ſicut ſcriptum eſt:* Ira in ſinu ſtulti requieſcit, *quia nimirum intelligentiæ lucem ſubtrahit, cùm mentem permouendo confundit. Per iram vita amittitur, etſi ſapientia teneri videatur, ſicut ſcriptum eſt;* Ira perdit etiam prudentes, *quia ſcilicet confuſus animus nequaquam explet, etiamſi quid intelligere prudenter valet. Per iram iuſtitia relinquitur, ſicut ſcriptum eſt:* Ira viri iuſtitiam Dei non operatur. *Quia dum perturbata mens iudicium ſuæ rationis exaſperat, omne quod furor ſuggerit, rectum putat. Per iram gratia vitæ ſocialis amittitur, ſicut ſcriptum eſt:* Noli eſſe aſſiduus cum homine iracundo, ne diſcas ſemitas eius, & ſumas ſcandalum animæ tuæ. *Et idem:* Quis poterit habitare cum homine, cuius ſpiritus facilis eſt ad iraſcendum? *Quia qui ſe ex humana ratione non temperat, neceſſe eſt, vt beſtialiter ſolus viuat. Per iram concordia rumpitur, ſicut ſcriptum eſt;* Vir animoſus parit rixas, & vir iracundus effundit peccata.

Iratus cum energumeno compoſitus.

Qua verò ratione, feritas hæc interna ex quo animum occupauit, prodat ſeſe, & foràs prorumpat, eodem propè modo quo ex Nyſſeno id declarabam, mox ibidem exponit. *Ira, inquit, quietem mentis ſubtrahit ſuam ſancto Spiritui habitationem claudit, cuius receſſione animus vacuus ad apertã mox inſaniã ducitur, & vſque ad ſuperficiem ab intimo cogitationũ fundamento diſſipatur. Nam ira ſuæ ſtimulis accẽſũ cor palpitat, corpus tremit, lingua ſe præpedit facies igneſcit, exaſperantur oculi, & nequaquam recogneſcũtur noti. Lingua quidem clamorem format: ſed ſenſus quid loquatur, ignorat. In quo itaque iſte ab abreptitiis lõgè eſt, qui actionis ſuæ cõſcius nõ eſt? Vnde fit plerunque, vt vſque ad manus ira proſiliat, & quo ratio longiùs recedit, audacior exurgat, ſéque ipsũ animus retinere non valet, quia factus eſt poteſtatis alienæ, & eo furor mẽbra foris in ictibus exercet, quo intus ipſam mẽbrorum dominam mentem captiuam tenet. Aliquãdo autem manus non exerit, ſed in maledictionis iaculũ, linguã vertit Fratris namque interitũ, precibus expeſcit, & hoc Deum perpetrare expetit, quod ipſe peruerſus homo facere vel metuit vel erubeſcit. ſitque vt voto & voce homicidiũ peragat, etiã cùm à læſione proximi, manibus ceſſat.*

Quòd S. Gregorius iratum non longè ab abreptitio eſſe dixit, auxit alter Greg. orat. 7. in beatitud. Effectus quippe iræ non ferinos tantùm, ſed & dæmoniacis teteriores & horridiores eſſe contendit, hominémque iratum cum energumeno ita componit, vt leuius arreptitij malum pronunciet. Profero elegantiſſimæ orationis laciniam. [Quis affectus & vitia iræ dignè expoſuerit? Quæ oratio turpitudinem eiuſmodi morbi deſcribet? Vides eorum, qui à dæmone vexantur, affectus, in iis, qui ab ira victi ſunt, apparere. Reputa ad inuicem comparata, tum quæ iratis, tum quæ à dæmone correptis accidunt, atque contingunt, ecqua ſit in his differentia. Sanguine ſuffuſi ac diſtorti eorum, qui à dæmonio vexantur, oculi ſunt, lingua præceps, aſpera loquela, acuta, ac latratui ſimilis vox. Communia hæc, tum iræ, tum dæmoni: quaſſatio capitis, manuum ſtolidi motus, concuſſio, & quaſi æſtuatio corporis totius, pedes inſtabiles: vna vtriuſque morbi per huiuſmodi accidentia deſcriptio eſt. Tantùm duntaxat alterum ab altero variat, quòd vnum quidem, voluntarium malum eſt; alterum abſque voluntate ipſorum accidit in quibus exiſtit. At quanto miſerabilius eſt, ſi præter animi ſententiam alicui quippiam accidat, quàm ſi proprio impetu in calamitatem incidat? Ac morbum quidem ex dæmone accidentem, ſi quis animaduerterit, non poteſt non miſereri. Ex ira verò prouenientem vecordiam, ſimul atque vidit, imitatur, damno ſibi ducens, ſi ſuo morbo non ſuperauerit eum, qui prior ægrotare cœperit. Ac dæmon quidem torquens obnoxij corpus, vlteriùs malum non extendit, quàm vt in

aërem fruſtra furentis manus diſiiciat. Iracundiæ verò dæmon, non irritos corporis efficit motus.

360. Idem Chryſoſtomo iudicium hom. 29. ad pop. vbi de iræ effectibus & immanibus damnis copioſiſſimè. Selectiora quædam decerpo, quibus præmiſſis ipſe concludit, iram acerbiùs vexare iratum, quàm vexet dæmon energumenum. *Sicut dies clara & ſerena, & hyems multa plena triſtitia, itidem & iraſcentis animus & manſueti. Sed nondum aliis noxia videamus, ſed ingruentia ipſis: atque & hoc non exiguũ damnum, alteri malum aliquod inferre. Veruntamen hoc interim conſideremus. Quis tortor ita laniare latera poterat? Quæ ignita tela corpus ita perforarent? Quis furor, ex naturalibus ita ſenſibus excedere facit, ſicut furor & ira conſternatio? Noui multos, ex ira morbos incurriſſe, & febrium difficillimæ, præſertim hæ ſunt. Si verè ita corpora læduntur, animas cogita: Ne cogites enim quod non vides, ſed cogita ſi malitiam ſuſcipiens ita læditur, quantum patiens patietur detrimentum. Multi oculos amiſerunt. In grauiſſimũ multi morbum inciderunt.* Et mox interpoſitis nonnullis quæ pertinent ad iræ incentorem Satanam, noſtrámque cæcitatem, qui illi in malum noſtrum obſequamur, addit. *Pareamus itaque Deo, nec in barathra nos præcipitemus, ſed dum tempus eſt, equum cohibeamus, ne ceſſorem ſubuertamus. Iræ amputemus alas, ne ampliùs malũ in altitudinem extollatur. Acutũ enim eſt ira vitium, acutum & efficax animas noſtras furari: propterea paſſim oportet ei aditum obſtruere. Abſurdum enim eſt, feras quidem manſuetas facere poſſe, animam verò noſtram inſolentem deſpicere. Ignis eſt vehemens ira, omnia deuorans. Nam & corpus perdit, & animam corrumpit, & reddit inſuauem, & viſu quemque turpiſſimum. Quòd ſi fieri eo tempore, poſſet iraſcens ſibimetipſi notus fieri, non alia foret opus admonitione. Nihil enim iraſcentis deformius aſpectu. Ebrietas quædam eſt ira. Imò verò difficilior ebrietate, & dæmone miſerabilior.*

Rurſus ibid. hom. 30. ferè initio, eandem irati cum energumeno contentionem, pleniùs proſequitur. Locus eſt planè luculentus. [Maledictus, *inquit*, iracundus. Nihil ſani poteſt emanare, vnde procedit ira: ſicut enim in maris tempeſtate multus, clamor magnus, nec ibi quis philoſophandi tempus habet, ita nec in ira. Si quid philoſophicum anima vel doceri, vel dicere debeat, opus eſt ſit priùs in portu. Non vides quemadmodum cùm volumus de quibuſdam neceſſariis loqui, loca tumultu libera obſeruamus vbi quies, vbi tranquillitas, ne de propoſito exturbemur? Sed ſi exterior diſturbat tumultus, multò magis interior turbatio. Siue quis orat, incaſſum ira vexatus & cogitationibus orat: ſiue loquatur, rurſum erit obnoxius riſui: ſiue comedat, & ita quoque: ſiue non comedat, itidem læditur: ſiue bibat, ſiue non bibat, ſiue ſedeat, ſiue ſtet, ſiue vadat, ſiue cubet. Nam & in ſomniis tales concipiunt imagines. Quid enim horum non fuerit abſurdum? Triſtes oculi, os obtortum, membra mobilia & tumentia, lingua polluta, nemini parcens, mens in exceſſu poſita, indecens habitus, tædij multùm. Vnde dæmonibus preſſorum vultus, ebriorum & furentium quid inter ſe differunt? Nónne furoris totum eſt? Quid enim ſi hoc ad tempus efficitur? Nam furens, ad tẽpus premitur. Hoc autem quid peius, quòd & ſe non confunduntur excuſare? Neſciebam, inquit, quid dicerem. Et quare neſciebas hoc, cùm ſis homo rationalis? Rationẽ habens, irrationaliũ opera facis; tanquã effrænis equus, furore correptus & impetu? Et excuſatio quidẽ eſt accuſatione digna. Vtinam enim ſciſſes quæ dicebas. Iræ ſunt, inquit, verba, non mea. Quomodo ſunt illius? Certè vires ira non habet, niſi ſumat abs te. Quale ſi quis dicat: manus ſunt, non mea vulnera. *Et infrà.* Multò peiùs itaque preſſis dæmonio ſumus, qui peccamus di poſiti; ſed quoniam non ſpumamus, nec oculos contorquemus, nec manus. Vtinam hoc in corpore pateremur, non in anima. Vis tibi demonſtrem animam ſpumantem & immundam? Cogita iraſcentes, & ebrios ex ira. Quã ſpuma non emittunt immundiora verba? Verè velut fœtidam ſaliuam emanant. Et ſicut illi præſentium norunt neminem; ita nec hi, obtenebrata eis mente, & oculis conuerſis, non amicum, non inimicum, non venerabilem, non contemnendum, ſed omnes ſimiliter aſpiciunt. Nónne vides eos trementes, ſicut & illos? At non humi ſternuntur. Sed eorum anima iacet humi, & palpitans cadit. Si nanque erecta ſtetiſſet, non paſſa fuiſſet ea, quæ paſſa eſt. An non eſſe tibi videntur animæ proſtratæ, & propria ſpoliatæ ſolertia, quæ faciunt & dicunt ebrij ira?]

Irati æſtrum, furor, inſania.

361. S. Baſilius hom. 10. quæ eſt aduersùs iraſcentes, omnes propè iræ effectus quos hactenus expreſſimus, alióſque, elegantiſſimè vt ſolet, & grauiſſimè proponit non diſſimili cõparatione cum energumeno. Libo aliqua, ex eius longiore oratione. [*Quando ſemel ira perturbatæ mentem præcipitans, imperiũ animæ ſumpſerit, hominẽ penitus in feram conuertit, nec hominem, qui rationis ſit compos, eſſe ſinit. Quod enim venenũ virus emittentibus erit, hoc itẽ & furor animæ irritatis ac perturbatis. Impetu feruntur, inſiliũt, rabie vt canes afficiuntur, punguntur vt ſcorpij, mordent vt ſerpentes. Nouit & Scriptura eos, qui hoc vitio tenẽtur, ferarum appellatione vocare, quibus ſeſe ob peruerſitatem ſimiles ac familiares reddiderunt. Nam & canes, & ſerpentũ, & genimina viperarũ, & his ſimilia nominat. Qui enim ad mutua inter ſe eiuſdem generis parati ſunt inferenda incommoda, iure feris ac venenatis adſcribi poſſunt, quibus ex natura, continuum aduersùs homines odium ineſt. Effrænes lingua, ora incuſtodita, incontinentes manus, contumelia, probra, accuſationes, verbera, & alia eiuſmodi quæcũque quis enumerare poterit, iræ ſunt ac furoris fructus. Ob iram enſis acuitur, mors homini ex homine venit, fratres inter ſe ignorãtur, parentes ac liberi naturæ obliniſcũtur. Sed & ante omnia ſeipſos haud agnoſcunt irati, deinde neque quotquot habent neceſſarios. Quemadmodũ enim torrẽtes ad curua loca decurrentes, ſecũ obuiã quæcunque trahũt: ſic & iratorũ impetus violenti & inſtabiles, omnia ſimiliter percurrunt atque obruunt. Non eis ſenectus venerabilis, nõ vita virtus, non generis propinquitas, non accepta iam gratia, non denique quicquid aliud quamuis æſtimãdum in honore eſt. Momentanea quædam inſania eſt ira.*

Hoc eſt illud ex Poëta non minùs verum quam vulgatũ. *Ira furor breuis eſt.* Themiſtius ſcitè, irã definiuit μανίαν ὀλιγοχρόνιον. Alius Græcus, τῆς ὀξυθυμίας τὸ ἄνθος, μανίαν, iræ florem inſaniã pronunciauit. Cato denique, iratum ab inſano, tẽpore tantùm diſtare dixit, nimirum quòd inſania diuturnior ſit, ira autem breuis inſania, vt hîc dixit S. Baſil. Apud Senec. ep. 18. refertur illud Epicuri. *Immodica irã gignit inſaniã.* Additque Seneca, quã id verũ ſit neceſſe eſſe ſcire eum cui & ſeruus & inimicus. Vnde plurima, æſtuoſioris iræ prouocaméta, quæ excipit ingentis iræ exitus, furor, vt Seneca concludit. Pergit S. Baſil. tetros iræ effectus exponere queis ea inſania, & mẽtis furore Mœnadico percitæ, impotẽtia exprimitur. *Quin & maximũ ſe in malũ ſæpiùs coniiciunt, & ſtudio vindicãdi, ſeipſos negligunt. Eorum nãque memoria, quibus læſi ſũt, velut æſtro quodã incitati, & animo exacerbato atque æſtuãti, non priùs deſinunt, quã incommodũ aliquod infeſtanti infligãt, vel ipſi (ſi id contingat) accipiãt. Quemadmodũ ſæpè euenit, vt qui per vim tẽtata ſunt, plus accipiãt incommodi quam inferãt. Quis enim in ea ſe mala cõiiceret, quæ ira feruidi homines, quauis occaſione vociferãtes & exaſperati ſubeunt atque tolerant? Nam & omni fera venenata impudentiùs ruunt, nec priùs deſiſtunt, quàm aliquo magno malo & intolerabili,*

lerabili, ira intumeſcente, æſtuantem exſatient animum. Neque enim enſis acies, neque ignis, neque horrendum aliquid, animum ira intumeſcentem ac furentem ſatis compeſcere valebit, non magis quàm à dæmonibus detentis, à quibus irati nihil, nec forma, neque animi affectu differunt. (Habes hic quoque energumeni & irati contentionem à B. Baſilio factam, ei non abſimilem, quam ex Nyſſeno & Chryſoſtomo protulimus; vt videantur, ſicut non ſemel aliàs, ex Baſilio profeciſſe hac quoque in parte.) [Nam iis qui ad vindictam anhelant, ita quidem circum præcordia ſanguis feruet, quaſi vi ignis ebulliat & exæſtuet. Supernè verò accenſa facie, horrido aſpectu, viſendum exhibet iratum; eam formam, quæ omnibus conſueta eſt & nota, quaſi larua quadam, vt in ſcena fieri ſolet, prorſus immutans: Oculi conſueti non apparent, ſed ignei micantéſque; dentes acuunt, veluti ſues graſſantes: vultu ſunt liuenti, ſanguine ſuffuſo. Oris tumore increbeſcente venæ ob turbati intra viſcera ſpiritus anguſtiam diſruptæ. Vox aſpera & intenſa, ſermo inconſtans & confuſus ac temerè cadens, nec concinnè, nec ſignificanter, ne ex parte quidem, prolatus. Poſtquam verò Ira ſicut flamma ſiccâ materiâ ſuccenſa, irritantes inuaſit; tunc nec ſermone dicenda, neque referenda videre licet ſpectacula. Manus quidem erectas etiam aduerſùs contribules, & per omnes corporis partes diſtractas; pedes extra omnem ordinem, & ab re certatim diſcurrentes; denique partes corporis omnes, inſaniæ inſtrumenta factas.]

361. Multus eſt in eo mentis ira correptæ œſtro ac furore exprimendo, & cum atreptitiorum æſtibus conferendo, aliis denique grauiſſimis iræ damnis exhibendis Horatius lib. 1. Oda 16. Breuiùs nec minùs commodè Perſius ſatyr. 1. extrema.

Nunc face ſuppoſita ferueſcit ſanguis, & irâ
Scintillant oculi, dicíſque facíſque quod ipſe
Non ſani eſſe hominis, non ſanus iuret Oreſtes.

Iræ remedia. Et in primis, depreſſio tumoris.

Remedia huius affectus plurima ſuggero, cùm de ſubſidiis parandæ ac retinendæ manſuetudinis. Hic pauca ex huius paſſionis natura & cauſis ac effectibus ſubdam. Illúdque in primis, quod S. Gregorius Nyſſ. orat. 2. in Beatitud. *ferè in fine*, petit ex eo quòd ira naſcatur ex contemptu, moleſtiáque inde percepta. Quare ſi humilitas ſuperbiam excludat, obſtruetur eadem opera fons iræ. [Videtur, *inquit Nyſſenus*, veluti matrem quandam eius, qui circa lenitatem verſatur habitus, eſſe animi demiſſionis conſtitutionem atque tranquillitatem. Nam ſi ex animo ſuperbiam exemeris, occaſionem innaſcendi, vitium iracundiæ non habebit. Contumelia enim & ignominia talis infirmitatis iraſcentibus cauſa exiſtit. Ignominiâ autem non mouetur is, qui ſe animi demiſſione moderatur. Nam ſi quis cogitationem ab humana fraude vacuam ac puram habeat, & vilitatem naturæ, quam adeptus eſt, cernat, à quali initio ortus ſit, & in quem finem huius vitæ breuis fluxus atque curſus tendat, & carni coniunctas ſordes, naturæque inopiam; quòd ea nimirum per ſe ſufficiens non ſit ad ſui conſeruationem, niſi copia brutorum animalium, ſuppleat id quod deeſt Ad hæc moleſtias, luctus, calamitates, & omnimodas morborum formas, quibus obnoxia vita humana eſt, à quibus nemo natura liber & immunis eſt: Hæc ſi quis diligenter puro animi oculo cernat, haud facilè ad honorum defectus commouebitur & excandeſcet. Quinimò econtrà, fraudem ducet eſſe honorem, quo ob rem quampiam à proximo afficiatur: quippe cùm nihil tale in natura noſtra habeamus, quod poſſit cum dignitate & honore communionem habere.]

Theophili Raynaudi Moral.

Expenſio inanitatis contumeliæ, vnde ira.

363. Similiter, nihili noſtri expenſione, & inanitate irrogatæ contumeliæ, ſoli irroganti damnoſæ; ſumma denique iræ turpitudine, hanc (vt ait) feram incantat S. Chryſ. hom. 47. in Ioan. ſub finem. *Si quis*, inquit, *nobis inſultauerit, humiliemur ſi quis exaſperatur, mitigemus: ſi quis mordet & lacerat, & contumeliis proſequitur, nolimus commoueri, ne victi nos ipſos perdamus. Etenim ira fera eſt vehemens & furibunda. Incantemus eam diuina Scriptura carminibus.* Terra & puluis es. *Et.* Quid ſuperbit terra & puluis? *Et.* Impetus iræ eius, caſus ei. *Et.* Vir iratus, immodeſtus eſt. [Nihil turpius aſpectu irati, nihil viſu grauius. Quòd ſi aſpectus, multò magis anima. Quemadmodum enim cœnum, ſi contrectetur, grauiùs olet: ita & anima cùm perturbata eſt, & multis intrinſecùs fluctibus agitatur. Sed non poſſum, inquis, inimicorum cõtumelias tolerare. Qua gratia? Nam ſi verè accuſaris, etiam coram compungi deberes, & gratiam ei habere. Si falsò, deride. Dixit pauperem, ride: dixit mendicum, ride: dixit degenerem vel ſtultum iam illum defle. Nam qui dicit fratri ſuo, fatue, reus eſt gehennæ ignis. Iniuria ergo affectus, in mentem veniat, quòd illi ſupplicium maneat, & non modò nulla in proximum ira fereris, ſed deplorabis vicem eius. Neque enim febribus laboranti, neque tumido quiſquam iraſcitur, ſed his morbis affecti, ſui miſericordiam & lachrymas mouent. Huiuſmodi eſt irati animus, qui ſi in te proſiliet, tace, & opportunam ei plagam infliges. Si contumeliam contumelia proſequeris, ignem excitabis]

Sermonum deſpectus, infigendus.

Vidit S. Chryſoſtomus, potentiſſimum virtutis arietem eſſe, hominũ ſermones. Hoc enim eſt, quod multorum virtutem quatit, dum metuunt abiecti animi & imbelles audire. Itaque hanc partem, velut maximè infirmam, & hoſtili impetui patentem, muniit hac ratione. *Sed puſilli animi arguemur, inquies, ſi tacebimus. Imò tuam admirabuntur ſapientiam. Quòd ſi cõtrà contumelioſè reſponderis, materiam dabis, vt vera putentur, quorũ argueris. Quare diues ſi pauper appellatur ridet? Quoniã falſum id nouit. Itidem ſi nos iniurias ridebimus, magnũ erit argumentũ, quòd falsò reprehendamur Ad hæc, quouſque hominũ iudicia formidabimus! Quouſque communem Dominum deſpiciemus, & carni vacabimus?* Donec enim inter vos contentio eſt, & æmulatio, & ſeditiones, nónne carnales eſtis? *Fiamus igitur ſpiritales, & ſæuiſſimam hanc belluam fræno cohibeamus. Inter iram & inſaniã nihil differt. Sed breuis quidã dæmon eſt, imò quàm qui dæmonio vexatur grauior. Ille enim venia dignus eſt, iratus nulla, ſed ſuppliciis innumeris ſponte ſua in profundum perditionis defertur, & etiã ante futuram gehennã, pœnas dat. Tumultu enim quodã & æſtu intolerabili, die noctúque, variis cogitationibus anxius iactatur.* Diſputat quoque luculenter hom. 30. ad pop. aduerſùs ea, pudoris vt vrat & mortis verba, vitæ cõuerſationiſque noſtræ cladẽ & ſubuerſionẽ inferentia, quibus aliquid ad turpitudinẽ fortes, gloriantur à nemine ſe læſos impunè.

Damna iraſcenti enaſcentia, perpendenda.

364 Addit eodem loco, optimum aduerſùs iram pharmacum, ex damnorũ conſideratione, quæ ira creat iraſcenti. [Proprium, *inquit*, malum apud ſe nutriunt, mali memoriam, quaſi quendam tortorem. Ipſos enim primos occidit mali recordatio, vt omittam futura. Quantum eſſe putas tormentum homini præcordia percuſſo quotidie qualiter vlciſcatur inimicum, conſideranti? Priorem ſemetipſum punit & caſtigat, intra ſeipſum tumens, aduerſùs ſe pugnans & exardeſcens.

Nam neceſſe ſemper eſt, apud te ignem accenſum eſſe; & febrem in tantum extendens, non ſinis deſiſtere. Et illi putans mali quippiam inferre, temetipſum ipſe conſumis, flagrantem ſemper & vigentem ferens flammam, nec animam permittens requieſcere, ſed ſemper æſtuens & in turbatione mentem habens & procella. Quid hoc grauius furore, ſemper eſſe triſtem & inflatum, & ſemper ardere? Tales enim ſunt, mali memoriam ſeruantium, animæ. Cùm eum, quem volunt vlciſci, viderint, ſtatim conſternati ſunt. Si vocem audierint, concidunt, tremunt. Si lecto recumbent, innumeras ſibi fingunt pœnas, ſuſpendentes, ſuúmque torquentes inimicum. Ad hæc verò ſi bene ſe gerentem viderint, papæ quantum ſupplicium! Ergo peccatum ei dimitte, & à tormento temetipſum abſolue. Quid manes ſemper ſupplicium ſuſtinens, vt illum ſemel punias & vlciſcaris? Quid ſtruis, teipſum ægritudine conſumens? Quid iram animo tuo exolui volentem cohibes? Nec ad veſperam vſque maneat, inquit Paulus, tanquam enim tabes quædam & tinea, mentis noſtræ radicem corrodit. Quam tuis viſceribus feram includis? Satius eſt anguem vel viperam in corde tuo latere, quàm iram & rancorem. Illa nanque nos repentè relinquunt: hæc autem ſemper remanet, dentes infigens, infundens venenum, graues adducens cogitationes.] Suo ſe gladio confodientem iram, vnique ſibi hoſtem, elegantiſſimè deſcribit Prudentius in Pſycomachia, ſect. 4. Obtenebrationem oculi animæ, hominis excarnificationem, intempeſtiuas ſimultates, odia nullo ſubnixa fundamento, iuges offenſiones, vniuerſæ denique virtutis naufragium ab ira expectandum, affirmat S. Chryſoſtom. lib. 3. de Sacerdot. *ſub medium.*

365. Illuſtriſſimè verò homil. 4. in Matth. ſummum hominis ex ira damnum, nempe animi efferationem, eò docet eſſe teteriorem, quòd per nos feræ cicurentur: ipſi per iram, tranſeamus in feras. [Copia, *inquit*, donatæ tibi a Deo ſapientiæ, ipſam ſuperas arte naturam. Qui igitur naturam vincis in beſtiis, cur in temetipſo naturæ tuæ offuſcas bonum, dum malum adamas voluptatis? Itaque ſi te vt alium hominem manſuefaceres, iuberem; nihil hic quidem impoſſibile videret imponere. Quanquam excuſare poſſes, non te eſſe dominum voluntatis alienæ, neque cuncta in tua poteſtate conſiſtere. Nunc verò tua hæc propriè fera eſt, & cui certiſſimo iure domineris. Quam igitur habes apologiam, quémve reperies honeſtum excuſationis colorem, qui cùm ſolerti ſtudio hominem quodammodò facias de leone, te tamen negligens, leo efficiaris ex homine? Nam illi quidem donas, aliquid ſupra ſuam habere naturam: tibi verò nec naturales quidem affectus reſeruas. Et qui beſtias feras ad manſuetudinis prouehis dignitatem, temetipſum de throno deiiciens & honore regali, ad irrationalium cogis furorem. Ponamus enim, ſi placet iram quoque beſtiam eſſe quandam: Quantum igitur ab aliis erga mitigandum leonem ſtudium commodatur, tantam tu erga iracundiam impende curam, & effice huiuſmodi cogitationem mitem ac manſuetam. Siquidem hæc fera & vnguibus ſæuiſſimis armatur, & dentibus: & niſi illam ſollicitè manſuefeceris, cuncta ſimul diſperdet atque lacerabit. Nullus enim leo, nulla ſic vipera, viſcera queunt humana laniare. vt hominis iracundia, ferreis quibuſdam vnguibus vniuerſa confodiens. Neque enim ſolummodò corpori nocet: ſed ipſius etiam corrumpit animæ ſanitatem. Cunctas ſiquidem eius omninò vires diſcerpit ac deuorat, eámque ad omnia inutilem facit. Nonnulli hominum vermes quoſdam in interioribus corporis nutrientes, ne reſpirare quidem ſinuntur, vexatis profectò adeſiſque viſceribus. Nos autem venenatam hanc in nobis alentes viperam, iram dico, quæ omnia interiora hominis depaſcitur; quid vnquam ſanum aut forte, poſſumus cogitare?]

Reſtinguentia iram, adhibenda.

Nec omittenda corporea remedia, quibus bilis refrigeretur. Vt enim bilis incenſa, fomentum eſt iræ, ita bile extincta, remittit ira. Reſtinguitur autem bilis, accommodato ad id cibo aut potione, aſpectu amœno, cœlo aperto, quiete & aliqua relaxatione animi, qua enubilentur, quæ fouere offenſionem, vnáque iram alere poterant. His addiderim etiam conuictum manſuetorum hominum. Nihil enim eſt quod iram adeò frangat, ſenſímque cicuret, quàm mollis conuerſatio. Nihil quod adeò eam incendat, ac propè in rabiem agat, quàm conuictus iracundorum, à quibus perpetuò exacuitur cùm factis & exemplis, tum ſubminiſtratione offenſionum. Vſus præterea ipſe non cedendi huic affectui cúmque ſubigendi, auget & animum & facultatem ad eius repreſſionem. Quod in ſancto Malachia laudat D. Bernardus ſerm. de eo. *Non ira*, inquit, *illi, ſed ipſe animo dominabatur. Erat ſuimet potens. Sanè victor ſui, ira ſuperari non poterat. Ira eius in manu eius. Vocata veniebat; exiens, non erumpens; mota, non impetu ferebatur. Non vtebatur illa, ſed vtebatur. Magna illi tam in hoc, quàm in cunctis vtriuſque hominis ſui motibus regendis vel cohibendis, cenſura diligentia, & circumſpectio multa.*

Miſcella remediorum iræ, ex Antonino & Seneca.

366. Sed quia benè multa aduersùs iram medicamenta, paucis conſtiparunt Antoninus & Seneca in opere de ira, iuuat in hac meta nonnulla ex illis deflorare. Plura proferam, cùm de manſuetudine. Antoninus luculenter l. 9. n. 36. cùm alia multa conſiderari vult, tum conditionem eius, in quem ira concitamur, quámque reuera noxius non fuerit. *Si cuius, inquit, impudentia offenderis, ſtatim percontare teipſum, an poſſit fieri, vt nulli ſint in mundo impudentes. Non poteſt autem hoc fieri. Ne igitur poſtula, id quod fieri nequit: alioquin ipſe quoque vnus eris ex impudentibus iis, quos eſſe in mundo oportet. Idem de verſuto, infideli, omni denique quocunque modo vitioſo, in promptu ſit tibi cogitare. Nam ſi recordaris, neceſſariò id genus hominum eſſe, ſingulis æquiorem te præbebis.* Hoc caue trahas ad libertatis excidium, quaſi ſcilicet aliquibus à fato vel aliunde vis & neceſſitas delinquendi iniiciatur, ideóque in eo facto, non ira, ſed commiſeratione digni ſint. Accipiendum itaque eſt, de neceſſitate quæ ex ſuppoſita hominum peruerſitate deriuatur. Qua ratione à Chriſto dictum eſt, neceſſe eſſe vt ſcandala veniant; & tamen liberè euentura, docet quod exitium authori denunciat. Pergit ibidem Antoninus. *Id quoque vtile eſt ſtatim cogitare, quam homini natura, virtutem, contra id peccatum dederit. Remedium enim tribuit, contra ingratos manſuetudinem; contra aliud vitium, aliud pharmacum. Omninò autem licet tibi, in viam reducere eum qui errauit. Nam omnis qui peccat, eò errat, quòd à propoſito aberrat. Denique quid inde tibi damni allatum eſt? Inuenies quidem nullum eorum quibus iraſceris, tale quippiam feciſſe, quo mens tua futura ſit deterior. Atqui in hoc vnico ſitum erat, vt malum tibi atque damnum accideret. Quid verò malum aut nouum accidit, ſi indoctus homo agit ſuo modo? Vide, ne tu*

tibi ipſe potius ſis reprehendendus, qui non præſenſeris fore, vt is ita peccaret. Etenim anſam tibi omninò præbuit, vt cogitares, conſentaneum eſſe, vt is ita peccaret. Attamen eius oblitus, miraris eum deliquiſſe?

Idem Antoninus lib 11. n. 16. decem monita in hanc rem egregiè profert, quorum ſeptem poſtrema quòd ad omnes æque ſpectent, iuuat apponere. [Quartum eſt, ipſe quoque in multis delinquis, éſque ipſorum ſimilis: ac tametſi quibuſdam peccatis abſtines, tamen habitum ea faciendi habes: ac vel metus, vel gloriolæ conſectandæ cauſa, aut aliud ob malum, abſtines ſimilibus peccatis. Quintum, ne hoc quidem ſatis ſcis, an peccent. Quædam ordine fiunt. Omninò autem multa experiri opus eſt, antequam certum aliquid de aliorum actionibus ſtatuas. Sextum, vt maximè ſtomacheris, tamen vita hominum eſt momentanea, ac paulò pòſt omnes morimur. Septimum, non actiones ipſorum nobis moleſtiam exhibent, cùm eæ ſint in ipſorum animis; ſed noſtræ opiniones. Itaque tolle voluntatem iudicandi de re aliqua tanquam mala; ſimul ſuſtuleris iram. Quomodo, inquies, tollam? Si reputes non eſſe rem turpem: nam niſi ſola turpitudo malum eſſet, tu quoque neceſſario multis modis peccares, fieréſque latro, & omnia tentares. Octauum, multò grauiora afferunt dolor & ira, quam ob aliorum peccata concipimus, quàm ipſa illa, ob quæ iraſcimur & dolemus. Nonum, manſuetudo, ſi genuina ſit, non adſcititia aut fucata, inuicta eſt. Quid verò vel extremæ libidinis homo tibi faciet, ſi conſtanter manſuetudinem ſerues, ac ſi res ita ferat, placidè eum horteris ac doceas, eo ipſo tempore vacas huic rei, tum cùm is te lædere nititur? Si dicas, Noli, fili; ad alias res nati ſumus; ego quidem non lædar, ſed tu: Idque ei apertè & integrè oſtendas, neque opes, neque vllum aliud eorum, quæ ad cœtum apta ſunt, animalium, ita agere. Oportet autem neque irridendi, neque conuitiandi cauſa id facere, ſed amanter, atque ita vt nec cor mordeatur, neque otio abuti videaris, ac nequis adſtans miretur, ſed vt cum ſolo ita loqui debes, etiamſi alij adſint. Horum nouem capitulorum memento, tanquam ſi à Muſis, ea dono accepiſſes. Ac incipe tandem homo eſſe, dum viuis. Tam verò cauendum ne iraſcaris eis, quàm ne aduleris. Vtrunque enim à ſocietate eſt alienum, & damnoſum. In promptu tibi ſit ira accedente, non iram eſſe viri, ſed manſuetudinem. Id vt humanius, ita & virilius eſt, requiritque robur, neruos, & fortitudinem, quæ non ſunt apud indignantes & moroſos. Nam quanto propinquior eſt manſuetudo vacuitati affectuum, tanto & potentiæ: ac quemadmodum dolor in impotentes cadit, ſic & ira. Vterque enim vulnus accepit, & herbam porrexit. Quòd ſi lubet, etiam decimum à duce Muſarum donum accipe: nempe inſani eſſe, velle ne praui homines peccent: qui enim hoc petit, id petit, quod fieri non poteſt. Aliis verò concedere vt ſint mali, modò ne in te peccent, ingrati eſt, & tyranni.]

367. Ex Seneca, poſſent quàm plurima in hanc rem proferri, nominatímque ex tribus de ira libris. Nunc tamen vnicum locum variis remediis fœtum, ex lib. 3. de ira, c. 5. adducam, ne nimius ſim. Ita habet c illo 5. Ne iraſcamur, præſtabimus, ſi omnia vitia iræ, nobis ſubinde propoſuerimus. & illam benè æſtimauerimus. Accuſanda eſt apud nos, damnanda. perſcrutanda eius mala, & in medium protrahenda ſunt. Vt qualis ſit, appareat, comparanda cum peſſimis eſt. Auaritia acquirit & contrahit, quo aliquis melior vtatur. Ira impendit: paucis gratuita eſt. Iracundus dominus, quoſdam in fugam ſeruos egit, quoſdam in mortem. Quanto plus iraſcendo, quàm id erat, propter quod iraſcebatur, amiſit? Ira patri luctum, marito diuortium attulit, magiſtratui odium, candidato repulſam. Peior eſt etiam quàm luxuria: quoniam illa, ſuâ voluptate fruitur, hæc alieno dolore. Vincit malignitatem & inuidiam. Illæ enim infelicem fieri volunt, hæc facere. Illæ fortuitis malis delectantur; hæc non poteſt expectare fortunam. Nocere ei, quem odit, non noceri vult. Nihil eſt ſimultatibus grauius. Has ira conciliat. Nihil eſt bello funeſtius. In hoc potentium ira prorumpit. Cæterùm etiam illa plebeia ita & priuata; inerme, & ſine viribus bellum eſt. Præterea ira, vt ſeponamus quæ mox ſecutura ſunt damna, inſidias, perpetuam ex certaminibus mutuis ſollicitudinem, dat pœnas dum exigit, naturam hominis vitiat. Illa in amorem hortatur, hæc in odium. Illa prodeſſe iubet, hæc nocere. Adiice quòd cùm indignatio à nimio ſui ſuſpectu veniat, & animoſa videatur, puſilla eſt & anguſta. Nemo enim non eo à quo ſe contemptum iudicat, minor eſt. At ille ingens animus, & verus æſtimator ſui, non vindicat iniuriam, quia non ſentit. Vt tela à duro reſiliunt; cum dolore cædentis ſolida feriuntur: ita nulla magnum animum iniuria ad ſenſum ſui adducit, fragilior eo quod petit. Quanto pulchrius, velut nulli penetrabilem telo, omnes iniurias contumeliáſque reſpuere? Vltio, doloris confeſſio eſt. Non eſt magnus animus, quem incuruat iniuria. Aut potentior te, aut imbecillior læſit. Si imbecillior parce illi. Si potentior, tibi. Nullum eſt argumentum magnitudinis certius, quam nihil poſſe, quo inſtigeris, accidere.

QVÆSTIO IV.

De commotione corporea, generali paßionum omnium conſectario.

368. VEL ipſum paſſionis nomen, vt ex Aureolo ſuprà notaui, docet per affectus hactenus explicatos, inuehi commotionem aliquam corpoream, cuius inductione corpus ſenſibiliter alteretur & patiatur. S. Chryſoſt. homil. 35. in Matth. id annotat, vt oſtendat, quanta ſit vis animæ in corpus. [Lætitia animus perfuſos, roſeo genas conſperſit colore, dolore autem vexatus, omnem oris pulchritudinem ſtatim deformauit. Vnde qui aſſidua lætitia gaudent, in bonam corpora ſua reducunt habitudinem; qui verò ſemper dolent, imbecilliora telis aranearum, atque ſubtiliora reddiderunt. Irà perterritus animus, furibundum vultum efficit, tranquillitate autem ſtabilatus, iucundam conſtituit faciem. Si laborauit inuidia, tabidum pallorem per corpus effudit. Honeſto amore ac moderato captus, formoſitatem corpori mirabilem largitus eſt. Qua ratione multæ deformes, non paruam gratiam ab anima ad corpus traduxerunt: nonnullæ præcipuam corporis formam, animi vitioſitate corruperunt. Veniat in mentem tibi, quomodo candida facies, interiore rubro pertincta, quum pudoris affectus animam inuaſit, varietate coloris ſuauiſſimam reddit faciem: ſicut etiam è contra impudens animus coruinum viſum efficit, atque inmanem.] Philo egregiè lib. de ſpecialibus legibus, tractans legem de excuſſo oculo, & lib. de Abraham exponens ſenſuum Pentapolim, obſeruat paſſiones animi in oculis præſertim prodi, quos idcircò ait eſſe maximè familiares animæ, & probat eo poſteriore loco. *Dolorem enim animi, mæ-*

ſtitin ſuffuſi oculi non diſſimulant, è diuerſo gaudenti illa ſubrident hilares, metu inualeſcente turbantur, agitantúrque indecoris motibus. Quod ſi occupetur ab ira, exaſperatur & rubeſcit oculus: in cogitatione ac cura quieſcit, eodem obtutu hærens & quaſi cum mente ſimul intentus, ſicut in animi deliquio ſimul & laxatur & remittitur. Idem accedente amico beneuolum affectum ſereno tranquilloque affectu nunciat. Quoties autem in inimicum incidit, ſtatim offenſionem præ ſe fert; In audacia proſiliunt & procurrunt oculi; In reuerentia quieti ſtant; & vt compendio dicam, ad effigiem animæ factus eſt viſus, oſtendens eius imaginem expreſſiſſimam tanquam in ſpeculo, naturam eius aliàs inuiſibilem referens. Vides quomodo paſſiones in toto vultu quidem, ſed maximè in oculis emicent. Eadem apud Theodoretum legas ſerm 8. de prouid. Nec tantùm eo modo in corpore produntur paſſiones, in vultu præſertim & oculis, Sed etiam non rarò efficitur, vt ex paſſionibus vehementioribus contrahantur morbi. Vt propterea Alexander ſect. 2 problem. *initio*, velit Medicum non corporis tantùm, ſed & animi curam gerere, quòd huius inordinatio in paſſionibus, maxima plerunqoe corpori damna concilier. Multos in eandem ſententiam laodat Tiraquellus lib. de Nobli. c. 31. à n. 292 Illuſtre verò eſt quod Plato in Charmide, ex Magorum Xamolxidis & Abazidis autoritate, docet, omnia corporis bona & mala. ab animo quoad paſſiones moderato, vel immoderato exoriri. Galenus item lib. de exercitio paruæ ſphæræ, ex paſſionibus & affectibus, morbos & ſanitatem ſæpè progigni, locuples teſtis eſt. Operæpretium itaque eſt ad exactam & vndecunque perfectam paſſionum expoſitionem, tradere hoc loco quid de hoc paſſionum effectu ſtatuendum ſit, cùm vniuersè, tum in particulari. Eſt antem hæc diſquiſitio vt peramœna, ita non vulgaribus difficultatibus obſepta; Ite vt S. Gregor. Nazianz. orat. 26. n. 47. præfidens ingenium & in diuina ſcrutanda incumbens licentiùs, illud prius excutere velit præter cætera in quibus humano ingenio fixam crucem ſupponit; *quomodò perturbationum ſigna corporibus imprimuntur.*

ARTICVLVS I.

Quæ ſit origo alterationis corporeæ, ad paſſiones conſequentis, vniuersè.

ALterationem iſtam corpoream, nemo non videt ex ſanguinis & ſpirituum euocatione & retractione prodire. Sed vnde, aut quomodo ea ſanguinis agitatio paſſionem appetitus concomitetur, difficultas eſt, primùm hoc loco generatim quoad omnes; tum in ſequentibus articulis, ſigillatim enodanda quoad ſingulas paſſiones.

Originem alterationis paſſionibus adiunctæ, eſſe animalem ſanguinis motum; quorundam placitum, exploſum.

369. Reiicienda verò in primis eſt ſententia quorundam Medicorum, quam refert Hieronymus à Rua controuer. 4. Scholaſt. in 1. parte controu. ad 5. Ex eo enim quòd videamus, ſanguinem præuia imaginatione & appetitione commoueri; & in timentibus ad cor recurrere, in gaudentibus diffundi per corpus, in erubeſcentibus operire faciem, & ita de cæteris affectibus; nec poſſit motus ille ſoli ſanguinis grauitati, aut leuitati tribui, vt notum eſt; inferunt Mediculli, eum motum ſanguinis fieri modo animali: ac proinde ſanguinem moueri, eadem ratione qua mouetur brachium, aut pes, ad edictum voluntatis. Vnde tandem concludunt, ſanguinem eſſe inſtrumentum quoddam ſuppoſito coniunctum, ſicut eſt manus ac proinde viuere eadem forma totius hominis, nec eſſe inanimatum.

Hæc ſententia eſt omninò repudianda. Sanguis enim nullo modo viuit, vt permultis rationibus & teſtimoniis confirmatum eſt ſuo loco: videtúrque ſufficienter euinci ex fluiditate, & diſcontinuitate ſanguinis cum partibus animatis. Quod Ariſtoteles 2. de part c. 3. & l. 3. c. 5. agnouit, tradens, ſanguinem eſſe irriguum per venas, deriuaríque per eas in corpus, ſicut aqua diducitur in olera per ſulcos. Quòd ſi ex ea ſanguinis per affectus commotione ſequeretur ſanguinem informari anima totius; ſimiliter dicendum eſſet, aquam pedum, & alia quædam minùs benè olida, animari, quandoquidem ex timore à pleriſque effunduntur Scaliger quoque exercit. 344. n. 6. refert, quendam ex phormingis ſono, ita corpore & animo affici ſolitum, vt ilicò ei ſolueretur veſicæ humor. Denique Ariſtoteles 4. de part. 5. ait ſepiam timore perculſam effundere atramentum, quod conſtat eſſe eius excrementum, nec animari. Itaque placitum illud Medicorum, non poteſt admitti; Imò quamuis verum eſſet, non poſſet præſenti inſtituto deſeruire. Æquè enim obſcurum eſſet, quomodo pars animata poſſet motu illo cieri, & diſcurrere per corpus ad productionem certi cuiuſdam affectus, ac obſcurum videri poſſit de re inanimata intra corpus addita

Quatenus poſſit tribui imaginationi.

370. Illud præterea in hoc negotio ſtatuendum eſt vt certum, cum S. Thoma q. 26. de verit. art. 3. *in corp.* & ad 11. hoc quicquid eſt alterationis ad paſſiones conſequens, non poſſe excitari per ſolam phantaſiæ, ſiue imaginationis operationem. Hæc enim eſt duntaxat repræſentatio & expreſſio obiecti, quæ eſt quidem idonea ad excitandum appetitum, vt agat, & agendo ſit cauſa; vel occaſio alterationis paſſionem ab eo formatam conſequentis: Non tamen poteſt ſeipſa immediatè cauſare motum ſanguinis quem experientia teſtatur fieri tantùm ob mutationem factam in cerebro, quæ eſt ſedes phantaſiæ, ſiue imaginationis. Et ſic accipienda ſunt omnia quæ dicuntur de viribus imaginationis extra ſenſationem. Imaginatio enim ſumitur pro facultate appetitiua, prout quoad hoc vnum facit cum cognoſcitiua, à qua dirigitur. Et ita apertè patet ex D. Auguſtino 11. Trinit. c. 2. & ex Richard. quod l. 3. art. 2. q. 6. V. g. quod dicitur imaginationem coloris albi in virgis populeis extimo cortice nudatis, fuiſſe cauſam, cur oues, quibus à Iacobo obiiciebantur virgæ illæ, conciperent fœtus albicolores, non eſt tribuendum nudæ imaginationi: ſic enim nihil attinuiſſet obiici virgas ouibus in ipſo ardore congreſſus.

Eſt igitur tribuendum imaginationi, tanquam cauſæ remotæ, excitanti appetitum; eòque mediante talem commotionem corpoream procreanti; vt rectè docuit Aureolus in 3 d 15. q. vnica art 1. *in fine*, & in 2. d. 24. q. vnica, prop. 2. Similiter quod Dandinus 2 animæ, digreſſ. 39. refert, cuidam ſibi noto, quoties luberet, ſola vi imaginationis volam manus egregiè ſudaſſe, eſt eodem modo accipiendum. Conſonátque quod ibid. addit poſt Ariſtotelem ſect. 7. q. 1. & 2 Alexandrum l. 1. problem. q. 14. & Fracaſtorium de ſympath. c. 13. nempe rationem, cur, alii aduertamus, excitemur ad oſcitandum oſcitante alio, inde eſſe petendam, quòd imaginatio excitetur per alienam oſcitationem, illicòque accedat appetitio eius, quod ani-

na aliàs cognouit vt bonum, vnde ſequitur indictio oſcitationis, quæ intercluditur aduertante homine, quia obſtruitur fons huius appetitionis & edicti appetitus, nempe indicium erroneum phantaſiæ. Similia Valeſ. l. 4 contron. c.6. En iu effectu qui paſſim etiam à prædictis Autotibus imaginationi tribuitur, agnoſcunt, (& rectè,) iidem Autores, immediatam cauſam mouentem ad eum, eſſe appetitionem phantaſiationi ſubiunctam, non ipſam nudam phantaſiationem.

Eodem modo philoſophor de omnibus illis, quæ vi imaginationis contingere, in prolis cùm humanæ, tum etiam belluinæ generatione, quoad colores & notas fœtui impreſſas latè refert Medina 2. paræn. c.7. & Fernel. 7. Phyſiol. c. 12. quæ malè negati à Vairo 2 de Falcino, c.7. ſuo loco demonſtratum eſt: reiectis item aliis, qui illis effectibus certorum experimentorum copioſa multitudine teſtatiſſimis ritè admiſſis, eos reuocant ad colorem vel notam intentionalem, quæ eſt in matris imaginatione. Inter quos ſunt Laurentius l.8 Anatom. q.10. Terellius l. 2. de generat. homin. c. 3. A porta l.2. mag. natur. c. 19 & Conimbr. 2. de gener. c.4. q.30. art. 1. qui non exiguo difficultatis augmento. tradunt, cognitionem immediatè notam illam imprimere ſpiritibus: hos verò ita pictos, fœtui inurere colores, aut notas quibus obſignantur. Ei eodem modo de pleriſque immutationibus ad paſſiones conſequentibus philoſophatur Gerſo 3.p. tract. de paſſion. conſider. 10.

Modus alius falſus, quo à Gerſone tribuitur imaginationi

371. Quamquam addit præterea alium modum, quo forma imaginata poteſt diffundi per corpus: nempe, vt ipſe loquitur, per radiationem ipſius formæ imaginatæ, habentis vim ſui ipſius diffuſioam, & cauſatiuam aliarum ſpecierum ex ſeipſa; ad eum mo dum quo lux cauſat lumen, quod rurſus poteſt aliud lumen producere. Alterutro horum modorum diffundi ſpecies, ac interdum ad ſenſum vſque externum peruadere, affirmat Gerſo: Indéqoe exponi poſſe cenſet. quod de variis corporeis commotionibus certas paſſiones conſequentibus proditum eſt, & experimento firmatum. V.g. cur homo in tenebris, timore corripiatur, putéique ſe imagines terribiles conſpicari, vel ſonos horrendos percipere. Itémque cur aliqui mirabilibus ſuſpicionibus tangantur, & trepident timore vbi non eſt timor, fugientes nemine perſequente. Cuiuſmodi fuiſſe ait ſuo tempore quendam ſibi notum, & ingenioſiſſimum, & medicinæ valdè peritum; qui panico illo terrore correptus. aufugit in nemora abdita, nec vltrà comparuit. Eadem ex cauſa ait alium, cùm ſe gallum gallinaceum exiſtimaret, galli cantus æmullatum, Alium item murilegum ſibi viſum, & vndecunque mures captaſſe. Alium perſuaſum enata ſibi in fronte cornua, grauatè paſſum ſe conſpici, & frontem, ne pateret obduxiſſe. Fuiſſe etiam qui perſuaſus ſe habere pedes ferreos, terram validè premeret. Alium item è contra qui quód pedes ſibi eſſe vitreos crederet vix progredi auderet, confractioni pedum ſuorum timens. Hæc & alia Gerſo, ex illa delatione formarum imaginatarum, ſiue locali, ſiue irradiatiua, effici infert; hánceque eſſe plurimarum in corpore paſſionum & commotionum originem affirmat. Annuúntque ex parte Thomas à Vega, & eum referens Septalius ad ſect. 7. probl. q.2. *in 2. modo dicendi.*

Sed perperam ita philoſophantur: nam totum fundamentum ruinoſum eſt, quod attinet ad rem præſentem Admitto quidem, ex falſa obiecti alicuius exiſtimatione, æquè concitari affectum, indéque exurgere commotionem corpoream proportionatam, ac ſi exiſtimatio vera eſſet. Id enim per ſe euidens eſt. Nego tamen ex obiecti exiſtimatione, tanquam ex cauſa, prodire corpoream commotionem: Vel ſpeciem obiecti alicuius, eſſe eiuſdem phyſici effectus cauſatiuam, cuius obiectum cauſa eſſe poteſt. V. g. ſpeciem coloris nego eſſe alteratiuam eodem modo, (tametſi remiſſiùs,) quo calor alterat Nego inſuper ſpeciem, ſiue per vehiculum ſpirituum, ſiue per irradiationem propoſitam, excurrere ab interna ſede phantaſiæ ad externos ſenſus, Quæ omnia à Gerſone ad ſtabiliendam doctrinam propoſitam aſſumuntur. Et cùm ſint alibi in proprio loco plenè diſcuſſa, ea nunc non itero, contentus cum S.Thoma 3. contra Gentes, c.103. monuiſſe, vi imaginationis concitari affectus in appetitu; ex quibus humorum permixtio, & talis temperies exoriatur, quæ idonea ſit ad illam notæ. aut coloris in fœtu impreſſionem. Denique Aureolus ſuprà. eodem modo philoſophatur de coloribus cameleontis, quem plerique cum S. Auguſtino 11. Trinit. c.2. affirmant, per imaginationem ſibi imprimere varios illos colores, quos exhibet, cùm de corio ſuo ludit, vt loquitur Tertullianus c. 3. de pallio. Et ſanè ſi cauſa varietatis illius colorum in cameleonte, ſit merè interna. non poteſt tribui nudæ imaginationi, ſed prout ſubiunctam habet operationem appetitus, cui prælucet. Mihi tamen in eo euentu alia addenda videntur, de quibus ſuo loco plenè, & inferiùs paulò plura.

Qui eam originem, immediatè ad cordis notitiam reuocarunt, reiecti.

371. Erit qui dicat, alterationem, de qua agimus, non poſſe immediatè vi ſolius phantaſiationis excitari: poſſe tamen vi notitiæ cordi competentis. Ita antiquiores quidam, quos refert, nec improbat Fracaſtorius l. de ſympath. c.16. & ſequi etiam videntur Thomas à Vega, eique ſubſcribens Septalius ad ſect. 7. problem. q. 2. *in primo modo dicendi*; admittentes, cognitionem ineſſe cordi, non ſolùm maiorem, ſed & phantaſia Nam cor, iuxta illos, non modò eadem cognoſcit, quæ phantaſia, ſed etiam ipſius phantaſiæ ſenſationem, quam phantaſia non poteſt percipere, cùm non poſſit in ſeipſam reflecti. Addit etiam Fracaſtorius, manifeſtum eſſe, ipſius quoque intellectus actionem, ad cor pertingere: atque eàdem cor indicare bona & mala, quæ & intellectus cognouit Cùm enim cor ſit membrum princeps, conſentaneum eſt, vt non modò ſenſus & phantaſia ei miniſtrent; ſed etiam intellectus, & omnes homini inſitæ facultates, in illud tanquam in Regem dirigantur.

Verùm hæc doctrina, omni ex parte abhorret à vera Philoſophia. Nam cor eſſe alterius notitiæ particeps, quàm eius, quæ ad tactum corpore toto diſſeminatum pertinet, nulla probabilitate fingi poteſt. Neque defatigatio poſt longam meditationem, quam cognitio interna per connexionem aſſectatur, percipitur in corde. ſed in ſolo capite, vbi eſt phantaſiæ ſenſiterium. Ibidem quoque, non in corde, formantur ſomnia. Et ex ſola capitis læſione, vel incommodatione, officitur notitiæ internæ, non item ex læſione cordis, dummodò vita ſit ſuperſtes. Quare tantùm abeſt, vt cor maiore quàm phantaſia, vel potiùs quàm phantaſiæ organum cognitione potiatur, vt potiùs nullius omninò internæ cognitionis, & à tactione diſtinctæ, particeps ſit. Multò autem abſurdius eſt quod additor, intellectionem ad cor pertingere, & cum corde communicari. Nam hic debet eſſe ſenſus locutionis illius, alioqui enim æquè ad talos pertingit intellectio atque ad cor. Quòd igitur intellectio cordi non communicetur, ex eo eſt perſpicuum, quòd ſit actio inorganica, & intellectui ſoli inexiſtat. Denique

nique abſurdè intellectus, qui eſt potentia ſpiritualis, dicitur ordinari ad cor tanquam ad membrum princeps. Nam cor, tametſi in ſuo ordine corporeo & materiali, ſit membrum princeps; tamen infimum ſupremi, excelſus eſt ſupremo infimi; nec ad illud ordinatur niſi præpoſterè.

Vera origo proxima, alterationis paſſionibus adiuncta, appetitio materialis.

373. Concludendum igitur eſt, alterationem, de qua agimus, reuocari debere ad appetitionem, tanquam ad cauſam proximam. Inde enim, vt initio ex Aureolo monui, actio appetitus denominatur paſſio. Planéque ita habetur, ex illis quæ hactenus ſunt conſtituta. Nam hæc alteratio habet pro immediata cauſa, motum ſanguinis & ſpirituum. Hic autem motus excitatur tantùm per operationem aliquam internam animalis, ſpectantem ad gradum ſenſitiuum; cùm experiamur, eum motum ſanguinis & ſpirituum, non fieri niſi quo tempore talis aliqua ſenſitiua operatio exercetur. Cùm ergo omnis operatio ſenſitiua, ſit vel cognitio, vel appetitio; & demonſtratum ſit, alterationem, de qua agimus, non ſubſequi proximè nudam notitiam; reſtat, vt dicatur ſubſequi actionem appetitus: nec cuiuſcunque, ſed ſolius ſenſitiui. Nam etiamſi quoad exercitium alicuius motus progreſſiui, tendentis in malum ſenſibile rationi conforme, voluntas poſſit habere immediatam efficacitatem; illúdque, repugnante licèt appetitu ſenſitiuo, mandare potentiæ exequenti, vt rectè affirmat Conradus 1.2. q. 22. art.3. & Fonſeca 7. Met. c. 12. q.1. ſ.4. Tamen cùm agitur de hac motione ſanguinis, quæ non fit per vim motricem progreſſiuam ſubſtantem voluntati deſpoticè; voluntas nihil ex ſe poteſt, ſed tantùm interueniente appetitu, qui eſt facultas materialis conſerta carni, habénſque vim ciendi in ſubiecto ſuo, & in vniuerſo ambitu, ad quem porrigitur aliquid cum appetitu connexum; ciendi inquam motum ſanguinis & ſpirituum, nec ſecus afficiendi corpus, quàm afficiatur ipſe appetitus per variationem in diſpoſitione corporea factam. Inuicem enim patiuntur corpus & appetitus, vt ex Ariſtotele 3. Phyſiogn. aliiſque locis notatum ſuprà eſt quæſt. 1. artic. 3. éſtque experimento teſtatiſſimum.

Difficultas in contraria.

Sed hic recrudeſcit difficultas mota ſuperiùs, circa variationem cauſatam in appetitu, ex variatione facta in temperamento. Similiter enim difficillimum captu videtur, quomodo appetitio, quæ eſt actio animalis, commouere poſſit humores, eorúmque concitatione alterationem inferre corpori. Eſtque id captu difficilius in ea commotione, quæ fit extra cor. Nam quod in ipſomet corde, elicita vehementiore appetitione efferueſcat ſanguis, ac veluti ebulliat, indéque in partes cordi vicinas aliquid alterationis deriuetur, non ita difficilè perſuadetur. Accrementum enim illud caloris, quod tunc in corde ſentitur, facilè referri poteſt ad ſpirituum agitationem, multò quàm antè acriorem, & depulſionem potentiorem fuliginum, quibus vis eorum calefactiua ante obtundebatur: itémque ad ipſam vim cordis æquiuocè calefactiuam, vberiùs & fortiùs exprompram, protitante valido affectu excitato. At quòd poſita in corde appetitione obiecti ſenſibiliter boni, illico in partibus à corde diſſitis ſentiatur commotio, nullo præſertim in partibus intermediis in dicto motu, hoc eſt quod difficillimum expoſitu videtur.

Augetúrque difficultas, quia nulla eſt potentia, quæ poſſit per ſympathiam & radicationem in eadem anima, excitari ab appetitu: quòd tamen aliàs commodum eſt ad explicandam ſimilem excitationem, & noui effectus productionem, in loco diſtanti factam, nullo in intermediis producto effectu, v.g. cùm quæritur quomodò ſenſus externus moueat, & determinet internum ad operandum, ita vt poſita ſenſatione externa, illico internus ad eandem ſenſationem internam excitetur. Similitérque cùm quærimus, quomodò appetitus cordi inexiſtens, moueatur à phantaſia cerebro inſita; commodè recurrimus ad huiuſmodi potentiarum radicationem in eadem anima. Quia enim anima eſt radicale & primarium principium operationis per omnes illas facultates elicitæ, mirum non eſt quod cooperando illi facultati, eo ipſo excitetur ad cooperandum alterum facultati, connexæ cum ea, cui priùs cooperata eſt anima: Quia etiamſi ab vna facultate ad aliam loco diſtantem nihil tranſmittatur, quo ea facultas, quæ poſteriùs naturâ agit, excitetur ad operationem ſibi propriam: Tamen concurſus ipſe animæ, quæ actualiter per modum principij effectiui vniuerſalis & primarij, cum vtraque facultate operationes earum coëfficit, æquè poteſt conferre ad excitationem illam potentiæ ſubordinatæ, ac vis traiectitia ab vna ad aliam. At hîc ea radicatio potentiarum non habet locum. Nulla enim eſt potentia vitalis partibus illis à corde diſtantibus reſidens, quæ operante appetitu, cieat alibi humores. Quæ enim eſſet, aut ad quem animæ gradum pertineret ea potentia, cui motus ille ſanguinis & ſpirituum tribueretur? v. g. in facie, quæ fingi poteſt facultas peculiaris, quæ appetitui antiſtropha aut ſymphona ſit, motóque appetitu moueatur & ipſa; & idcirco ſpiritus proliciat, qui ſint ſibi ſubſidio ad operandum?

Inidonei modi, eam enodandi.

Quòd ſi his omnibus aditibus præcluſis, dicendum videatur, hanc commotionem humorum procreari à ſpiritibus è corde tranſmiſſis; difficultas eſt, quia tranſmiſſio ſpirituum ad partes diſſitas, non poteſt eſſe momentanea, cùm motus localis exigat moram, quæ non videtur interuenire in re de qua agimus. Nam cùm primùm cor concipit affectum, illico efferueſcit ſanguis in parte remota. Deinde ſi ſpiritus à corde ad partem illam tranſmiſſi, concitarent alterationem ſenſibilem, quæ in parte remota percipitur; deberent idem præſtare in partibus interiectis, per quas diſcurrunt. Tandem quis ita prolicit ſpiritus, qui vtique inanimati ſunt, nec poſſunt ſeipſis ferri in hanc potiùs, quàm in illam partem? Parum ſanè aptè Valeſius 2. controu. c. 15. fingit illuſtrationem quandam ſpiritualem, qua ſpiritus animales, quorum deductionem & tranſuectionem ad ſenſoria exponit eo loco, influunt ſubitò in partes remotas, interuentu cuiuſdam virtutis, quam nec ipſe exponit, nec nos ſatis capere poſſumus. Præſertim cùm virtus illa, quam vtique corpoream eſſe oporteret (quid enim facultatibus ſpiritualibus, intellectui inquam & voluntati in negotio deductionis ſpirituum, cui locus etiam eſt in brutis?) virtus inquam illa corporea, non poſſit actionem verè ſpiritualem elicere, quæ item vniuerſa ad hoc negotium impertinens eſt, nec lenit difficultatem ex diſcurſatione ſpirituum, quam temporalem & non ſubitam eſſe oportet, haberéque cauſam ſibi proportionatam & verè corpoream.

Nec magis congruenter Salas 1.2. tract. 9.d.2.n.6. ait, fortaſſis humores ac ſpiritus in euentibus, de quibus

bus agimus, moueri immediatè à Deo, vel à ſeipſis, vel ab anima. Hæc inquam non admodum congruè dicuntur. Nam recursus ad Deum in rebus naturalibus, indicium eſt hominis aliud difficultatis effugium deſperantis. Nec dubium eſt, quin intercluſa cenſeri debeat, ea reſponſio, quandiu alia poteſt ſuppetere. Quòd verò ſpiritus & humores moueantur à ſeipſis, eſt omnino improbabile, Cur enim nunc potiùs quàm alias; aut in hanc potiùs quàm in illam partem ferrentur? Vel cur à corde abſcedere vellent, vbi illis meliùs eſt, quàm alibi vſpiam in corpore? Tandem anima perperam creditur, humores ac ſpiritus per ſeipſam immediatè mouere. Sic enim poſſet eandem commotionem excitare, nulla præeunte appetitione, quod eſt contra experientiam. Quòd ſi dicatur mouere mediante appetitione, hoc ipſum eſt, de quo ambigitur. Quomodo enim appetitio quæ diſtat, poteſt trudere ſpiritus, & cur in hanc potiùs partem quàm in illam? Hieronymus à Rua ſupra adductus. in reſponſione ad 3. ait moueri per facultatem iraſcibilem cordi implantatam. Sed hoc dici non poteſt de ea ſanguinis & ſpirituum commotione, quæ ſpectat ad appetitum concupiſcibilem. Deinde quomodo vis illa, procul diſſita & cordi inexiſtens, poteſt ciere eo modo ſanguinem & ſpiritus, quibus neque impetum immittit, neque vim vllam aut qualitatem tractricem? Itaque videtur magna ex dictis implexitas ſuboriri, circa cauſam commotionis de qua agimus.

Vera enodatio, quoad alterationem cordi internam.

376. Nihilominus dubitare non licet, quin commotio ſanguinis & ſpirituum; & in corde, & in aliis partibus, actionem appetitus ſenſitiui conſequatur, cùm experientia id faciat teſtatiſſimum. Et quoad eam quidem efferueſcentiam, quæ fit in ipſo corde, non malè paulò ante expoſita videtur, proponendo rationem dubitandi. Quia enim appetitus implantatur cordi eſtque potentia materialis & corporea; conſentaneum videtur, vt ſicut appetitus tranſmutatur, variéque afficitur variata cordis temperie, vt q. 1. art. 3. expoſuimus: Ita etiam cor tranſmutetur, variéque afficiatur, appetitu magnam aliquam mutationem ſubeunte, quod fit per appetitionem vehementem & intenſam, cuiuſmodi præſertim eſt, quæ ſenſibilis huius alterationis in corde factæ origo eſt. Ex ea igitur appetitus cordi inſerti affectione noua, contingit, alteram facultatem materialem, cordi item inſertam; hoc eſt, pulſificam; itémque æquiuocè calefactiuam, aliter affici, quàm naturaliter afficeretur, alitérque cor ciere, quam faceret, ſi naturæ ſolius præſcripto moueretur.

Hæc porro vis pro diuerſitate affectionis ab appetitu elicitæ variè operatur, variéque motum cordis extra naturales modulos ponit. Duplices enim vniuersè ſunt in appetitu affectus. nempe proſecutiui & auerſatiui: & duplex item in corde motus, à vi peculiari cordi inſita prodiens: nempe dilatationis & compreſſionis; quorum priore, cor non extenditur magis, ſed contrahitur ad maiorem breuitatem, efficitúrque latum quod erat longum: poſteriore autem cor ita deiicitur ac concidit, vt longius quidem, ſed anguſtius euadat contra quàm ſit in dilatationem, in qua corrugantur cordis extrema, & mucro deorſom vergens ad baſim rapitur, baſis autem ad mucronem: cordis breuioris facti, lateribus ita amplificatis, vt quaſi ſphæricum appareat. Quod exemplo vimineæ quaſi pyramidis, verſus centrum aut verticem funiculo tractæ, declarat Veſal, 6. c. 10. Qui varij motus, ſunt accommodatiſſimi ad ſpirituum è cordis finibus emiſſionem per dilatationem, & eorundem regreſſum, cùm ad cor reuocantur poſita cordis contractione. Affectus igitur proſecutiui, quia cor magis dilatant, quàm naturaliter contingeret, vberem ſpirituum effundunt. & calorem aliis à corde partibus conciliant pro ipſorum affectuum vehementia maiorem aut minorem. Affectus autem auerſatiui, contrarium effectum præſtant, quia magis contrahunt cor, quàm ferret naturalis eius motus. Inde ortum habet ea maior interna cordi alteratio, pro varietate affectuum, in appetitu elicitorum.

Quid de alteratione in aliis partibus.

376. Quoad eam verò commotionem ſanguinis & ſpirituum, quæ fit extra cor, dicendum eſt, eam fieri, partim per alterationis in corde exortæ continuationem ad partes vlteriores, (ſerpit enim calor, & ex incenſione in corde facta peruadit ad partes continuatas cordi, per actionem vniformiter difformem, quamuis id non ita promptè & vehementer fiat:) Partim & maximè per ſpirituum tranſuectionem, & diffuſionem valde celerem. Cùm enim ſpiritus in cordis fornace concalefacti veluti ignescant, non poſſunt partibus, ad quas appellunt; non communicare calorem, quo præditi ſunt, & quidem promptiſſimè. Sunt enim præferuidi, præſertim cùm recenter cordis foco adueniunt. Itaque quamuis ratio motus localis non patiatur, vt in momento diffundantur, tamen quia ob feruorem moræ impatientem, breuiſſimo tempore & propè imperceptibili propagantur, vix obſeruamus vllam temporis intercapedinem inter appetitionem & ſpirituum commotionem in corde, eorúmque ex corde excurſionem ad certas partes: quamuis diſcurſio illa ſpirituum, non fiat ſine tranſitu per medium: ideóque partes quoque interiectæ concalefcant, ſed remiſſiùs ob modicam ſpirituum in eis moram, & ſubitum procurſum ad alias partes, in quibus præexiſtebat ſpirituum magna vis; quæ ipſa etiam, adiunctis iis, qui recentes adueniunt, nouum feruorem concipit: partim propter motum & impetum, quo ab iſtis traduntur; partim propter vehementem alterationem, ab iiſdem iam fixis, hoc eſt, aliò non commigrantibus, procreatam. Quo pacto exponenda eſt ſubita commotio & incenſio, quæ facta appetitione intemperata, ſentitur illico in inſtrumentis libidinis, in quibus plurimus ſemper & præferuidus ſpiritus ſtabulatur. Præterquam quòd eædem partes ob connaturalem temperiem & compactionem ſuam, ſunt faciliùs inflammabiles. Vel ſi commotio & alteratio ſentiatur in parte, quam magna ſpirituum copia non præoccuparet, cuiuſmodi eſt facies cùm pudore vexatur, tunc dicendum eſt, calorem ibi excitatum à ſpiritibus per affectum tranſmiſſis, idcirco eſſe maiorem, quàm in partibus, per quas ſpiritus excurrunt ad faciem; quòd in facie ſpiritus ſiſtant, euéantque magno numero, ob illius iune partis laborem, de quo infra. Quanquam perſpicuum eſt, quia modici in facie ſpiritus præexiſtabant, calorem à ſolis ferè ſpiritibus recens tranſmiſſis procreatum, minorem eſſe, quàm qui in aliis partibus copioſo iam & feruido ſpiritu inſtructis concipitur; quæ idcirco ad ſpirituum nouorum aduentum, fiunt æſtuoſiſſimæ.

Qua vi ſpiritus ad certam partem tranſmittantur in paſſionis æſtu.

His porrò ritè perpenſis, euaneſcent difficultates omnes in ratione dubitandi propoſitæ, præter eam,

quæ

quæ poſtremo loco tacta eſt, quomodo ſcilicet, & per quam cauſam hæc ſpirituum ad certas partes tranſmiſſio perficiatur. Nam radicatio potentiarum non videtur habere hic locum, vt oſtenſum eſt in ratione dubitandi. Nulla ſiquidem apparet potentia, animæ ſubordinata quoad hanc ſpirituum & ſanguinis tractionem. Paſſim dicunt id perfici per directionem ipſius animæ, quæ cùm vnum ſit principium omnium operationum, quæ in corpore fiunt, eáſque ad modum Imperatoris, exercitum aliquem moderantis, dirigat & curet, eò tranſmittit ſpirituum præſidium ac ſubſidium, vbi opportunum vel neceſſarium eſt ſiue ad firmandam aliquam partem laborantem, ſiue ad exercitium alicuius actionis, perficiendæ interuentu certæ illius partis, ad quam fit confluxus ſpirituum. Tranſmittit autem ſpiritus anima, non per edictum appetitus prælucente phantaſia latum, vt fit in progreſſione arbitraria, ſed naturaliter, & abſque vlla notitia protruſionem & tranſmiſſionem ſpirituum dirigente, vel etiam aduertente. Ita paſſim video, de ea ſpirituum ad certas partes tranſmiſſione, philoſophari Doctores.

377. Hoc quidem non malè aſſeritur; difficultatem tamen non exhaurit, niſi aliquid addatur. Quomodo enim anima, ſpiritus & ſanguinem, eam in partem potiùs quàm in aliam, tam certò ad paſſionis condictum illico dirigit, ſi cœco modo agit, nulláque interuenit facultas, naturali inclinatione, citra omnem notitiam id exequens? Quomodo item fit ea directio, vel in quo ſita eſt? An in impreſſione impetus delatiui, & protruſione ſpirituum per animam? At impetus non imprimitur niſi interpoſita forti concuſſione & agitatione, quam in nobis non experimur, cùm ſpiritus in hanc illámve partem diriguntur. An ſita eſt in ſuctu partium, quæ cùm ex ſe areant, rore illo vitali perfundi geſtiunt, eúmque, poſita affectione conſentanea, ad ſe omni ope proliciunt? Verùm pleriſque partibus non deeſt aliundè rigatio conſentanea. Vt omittam, ſuctum illum fore omnino lenem. An arcana quædam vis, ſanguinis, & ſpirituum tractrix toto corpore diſſeminata, per animam in corde appetentem, excitatur naturaliter ad trahendum ea in parte, quæ affectioni in corde vigenti conſentanea eſt; ipsique ſpiritus vt ſunt facilè mobiles & ſequaces, præmiſſa per eam facultatem toto, vt dixi, corpore diſperſam, tractione in partem certam, non renitentes, dirigente ad eum modum anima, naturaliter illuc commeant quò tractionis appetitus tulerit? Videtur in hoc poſtremo ſiſtendum. Non enim habeo, quo clariùs & apertiùs explicem effectum, de cuius exiſtentia propter certam experientiam dubitare non licet: tametſi eum aliqua adhuc tenebricoſitate obductum videri poſſe, ſi inficias iuero, res ipſa condemnabit me.

Sic igitur vniuersè expoſita origine commotionis corporeæ paſſiones conſequentis, eíſque nomen paſſionum tribuentis, ſupereſt, vt in particulari attingamus commotiones cuiuis paſſioni correſpondentes. Quod commode præſtituri videbimur, ſi iuxta ea quæ dicta ſunt de prima radice huius commotionis, duplici inquam cordis motu & duplici ordine appetitionum, naturales vtriuſquè illius motus modulos, ſoluentium ac perturbantium, paſſiones partiamur in eas quæ ſunt circa bonum, variantque cordis dilatationem; & in eas quæ ſunt circa malum, mutantque cordis contractionem. Si qui porrò alij effectus etiam negatiui commotionem corpoream ab appetitione inuectam conſectentur; cum ipſa commotione, & ſanguinis ac ſpirituum profuſione, vel reuocatione, coniunctim attingentur.

ARTICVLVS II.

De commotione corporea affectus proſecutiuos conſequente.

HI ſunt in parte concupiſcibili, amor deſiderium & gaudium: in parte autem iraſcibili, ſpes & audacia. De ira verò & deſperatione eſt peculiaris ratio poſtea explicanda, ob quam ira ex parte aliqua; deſperatio autem ſimpliciter, numeratur inter motus auerſatiuos, quoad rem, de qua agimus. Itaque hoc loco illos duntaxat alios affectus attingemus.

Effectus amoris in corpore, macies, tabes, inſomnia, ſuſpiria.

378. Amorem dilatare cor, & multos per corpus ſpiritus diffundere, extra controuerſiam eſt. Indéque ortum habet diſpoſitio illa corporea, quæ in tenaciùs & diutiùs ac fortiùs amantibus cernitur. Eroticum affectum vocant de quo libris quatuordecim egiſſe Cadmum Mileſium. prodit Suidas. Plane inter recentiores de eo ſcribit Ioannes Langius l. .epiſt. medic. in 24. & Paulus Zachia in qq. Medico legal. l. 1. tit. 1. q. 10. Quàm vana porrò incommoda corpori Inferat affectus iſte & quotidiana experientia docet, & valida ratione. Quia enim ob perennem cordis dilatationem & vacuationem, plurima fit ſpirituum è corde diffuſio: propterea tandem corpus exſangitur, efficitúrque macilentum. Præterquam quod amor, fortem & aſſiduam rei amatæ cogitationem ingerit, ſícque multi ſpiritus conſumuntur: vnde bonæ concoctioni non parum officitur. Ex quo inſuper fit, vt maior cibi pars eiiciatur in ſuperflua: reliqua autem exigua & cruda, trahatur ad iecur, ibíque malè elaborata fundatur per venas, vnde macies ac plerumque tabes, quam iuuat frequens inſomnia in amantibus. Cùm enim ſomnus ſit ligamen primi ſenſiterij ex frigidis humidiſque ſubuectionibus; neceſſe eſt, vt Leonicus q. 2. amatoria expendit, penuria benigni illius roris rigantis partes ſuperiores, & ob nimiam exſiccationem & concalefactionem iugi ſpirituum iactationi adiunctam, conſequi inſomniam, ex qua ſpirituum defluxus abſque reparatione, vnde macies & tabes, quia *eſt mollis flamma medullas.*

Ex eodem fonte naſcuntur crebra amantium ſuſpiria, de quibus in hunc modum philoſophatur Alexander 1. probl. q. 21. *Qui amant, rei tantùm incumbunt, cuius deſiderio detinentur. Itaque animus conuerſus ad id, quo ſollicitatur; negligit, & quaſi officij ſui obliuiſcitur: videlicet vt muſculis thoracis vim mouendi ſuppeditet. Cor igitur cùm neque per intenſionem pectoris aërem capiat, quo ventilari refrigerarique poſſit, neque per remiſſionem ſeuocet, quæ ſanguinis ardor fauillacea excrementa commiſit: ne ſtranguletur, animam cogit, & ad deſertum officium reuocat, & hortatur, plurimam muſculis praſtat motionem, & inſpirationem expirationémque ampliorem efficit, vt & copiam aëris frigidi capiat, & excrementorum largam eiiciat copiam: ita vt quod vices minutæ crebraque ſpirandi eſſent factura, hoc vna amplior reſpiratio ſubminiſtret. Quam rem* στενάζειν. *hoc eſt, ſuſpirare, veteres ab anguſtia cordis dixerunt. Et quidem ad quoddam tempus, latè ſuſpirant; idque ſæpiùs faciunt. Quoniam animus quidem, vt dictum iam eſt, rem à qua excitatur, aſſiduè diſpicit. Natura verò aliquando, cordis gratia, cogit vim mouendi tranſmittere thoracis muſculis ampliorem.*

Melancholia,

Melancholia, ecſtaſis.

Prætereà ex ea continua ſpirituum profuſione contingit, vt amantes efficiantur melancholici, per accidens, ac præter naturalem ſuam conſtitutionem. Nam ob frequentem & continuam ſpirituum puriſſimorum & ſanguinis lucidioris reſolutionem, efficitur vt ſolus ſanguis ater & craſſus, corpus occupet. Hic verò ſuis vaporibus cerebrum opplens, & ſiccans, tetras imagines, deliria, mœrorem procreat, & facilè etiam in humorem melancholicum degenerat ob terreſtreitatem & impuritatem. Vt non abs re Rhaſis Medicus, amorem, morbo melancholico proximum ſtatuat. Inde ſæpè cantillatio, ad leuandum animum contentione cogitationis defeſſum. Variant in vultu pallor ac rubor, pro ſanguinis in eo conflictu acceſſione, vel deceſſione. Ex qua etiam efficitur, vt amantes nunc ferueant, & æſtuent; nunc rigeant: Itémque vt loco conſiſtere nequeant, & crebra iactatione corpus circumagant. Fuerunt qui ſpecialem pulſum amatorium agnoſcerent, admitterentque certam corporis pulſationem amori tribuendam, nixi experimento vulgato Eraſiſtrati apud Galenum lib. de prænot. c.6. & pulchrè apud Iulianum Apoſtatam in Miſopogone, non multùm à principio ſiniléque eſt quod de Iuſta Romana, Boëtij viri conſularis vxore ſcribit eodem loco Galenus, eam ſe notaſſe amore Pyladis in theatro ſaltantis flagrantem, interuentu eiuſdem ſigni, ſed eum pulſum ſpecialem, reiicit latè Valeſ. 3. contr. c.14.

Tribuit inſuper S. Dionyſius c.4. diuin nomin. p.1. amori, vim cauſandi ecſtaſim, nec ſinendi amatorem eſſe ſui iuris; ſed in ius eorum, quæ amantur, penitus transferendi. Ob eam enim infixionem amantis in rem amatam, facilè obrepit amanti obliuio ſui, rerúmque ſuarum neglectus, qui ad ecſtaſim pertinet. Nec rarò eò vſque creſcit intenſio, & efficacia adhæſionis ad rem amatam, per cogitationem validam & intenſum amorem, vt ſequatur iuſtitium in externis ſenſibus; ita vt homo, vel tenuiter, vel nihil audiat, videat, ſentiat. Imò ipſa vitalis facultas ita quandoque intercipitur, vt ambiguum ſit, ſuperſtítne ſit vita. Quia enim menſura virium animæ finita eſt, & ſpiritus, quibus vitæ actualis adminiſtris indiget, in contentiſſimam phantaſiationem & appetitionem inſumpti, non poſſunt ad reliquas operationes ſuppetere: neceſſe eſt animam quoad eas feriari, niſi de ea contentione aliquid remittat, coléttque intercludere ſpiritibus aditum ad cætera ſenſoria; hiſque, cooperationem ſuam, in vnam vehementem operationem vi amoris impenſam, negare. Diſputat pleniſſimè de ecſtaſi Suares 2. de orat. à c.14. exponens contemplationem. Nec pauca Gerſo in Theolog myſtica, p. 1. conſider. 36. & aliquot ſeqq. Plerunque enim ecſtaſis nudam contemplationem intentam, etiam abſque affectu amoris, alióve vllo, conſequitur.

Quem amorem cõſequatur commotio propoſita.

379. Hanc corpoream commotionem, & diſpoſitionem ad affectum amoris conſequentem, non oportet tribuere rudimento primo omnium affectuum proſecutiuorum, ſiue amori ſimplici. Hanc enim, cùm ſit affectus admodum remiſſus, & vt ita dicam dilutus, vix ac ne vix quidem vlli ex effectibus prædictis conſequuntur. Itaque in hac re, nomine amoris, intelligere oportet omnes illos affectus partis concupiſcibilis, qui ſub generali amoris notione comprehenduntur, eo quòd ſint proſecutiones quædam obiecti boni: Nominatímque deſiderium ardens & efficax, itémque gaudium, iuxta illud: *Tunc videbis, & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum.* Hi affectus maximè dilatant cor & exinaniunt, effundendo ſpiritus ad exteriora. Quod pulchrè quoad lætitiam expreſſit Alexander 2. probl. q 20. Propoſito enim quæſito, quamobrem qui vehementi lætitia inceſſunt, ſæpè reſoluantur: reſpondet, cauſam eſſe, *quoniam vitalis vis & inſitus calor, foras ad rem latabilem immodicè profluens, diſſipatur, ac interit. Vnde fit, vt & ſudent, & rubeant, ſanguinis aduentu. Calorem enim natiuum, ignémque ipſum, vt per loci ſui appetitionem ſurſum efferri, ſic per alimenti deſiderium ima petere neceſſe eſt. Igitur vtralibet mouendi ratione prærepta, calor inſitus interit, & vis omnis vitalis euaneſcit.* Et ita accipiendum eſt, quod Diſarius apud Macrob. 7. Saturn c. 11. concinnè ait, gaudentes idcircò rubeſcere, quòd gaudium extrinſecùs contingat: ad illud autem natura animoſo occurſo feſtinet; quam ſanguis comitando, quaſi alacritate integritatis ſuæ, compotem tingat cutem.

Defectio animi, mors, & inſania, ex gaudio immodico.

Interdum porrò eo vſque progreditur hæc ſpirituum diſſipatio per deſiderium vehemens, maximéque per gaudium, vt non modò lipothymia, ſed etiam mors ſequatur. De lipothymia ita philoſophatur Theophraſtus in calce opuſc. de animi defectione. *Faciunt & voluptates & mœrores, defectum animi. Nam ab vtriſque, humoris copia irruit. A voluptate quidem, quòd tabefacit & effundit. A dolore autem, quòd adſtringit & denſat. Irruens autem humor ad inſpirationis locum, animum facit deficere.* Angelum Politianum ſcribit Petrus Lethoyer lib. 2. de ſpectris c.5. vſque adeò exarſiſſe corrupto amore, vt eum ad leuandum æſtum quo flagrabat interiùs, lyram prehendiſſet, ſubito inter eam pulſandam, concinendúmque de ſuorum deſideriorum irritamento nonnulla, deficiente anima, expirauerit. De morte ex gaudio conſecuta, eſt frequens experimentum. Id enim Valerius, Philemoni & aliis accidiſſe teſtatur lib 9. c.12. Adi & Gellium l. 3 c. 15. Chilonem item Lacedæmonium, victore filio Olympiæ expiraſſe gaudio, prodit Plinius l. 7. c. 32. & 53. quo poſteriore loco etiam Sophoclem, & Dionyſium Siciliæ tyrannum, eodem lethi genere extinctos refert, vtrumque accepto victoriæ tragicæ nuncio. Pulchrè Pacatus in Theodoſij Panegyr. *Repentina fœlicitas, facit attonitos. Animos enim noſtros ſubitis affectibus impares, perinde lætitia ac dolor ſi deprehendat, externat. An non illa Romana, pietatis notiſſima mater, nuntio mali Cannenſis exterrita filio reduce, quæ flebat, diriguit in mortem? Nec par eſſe gaudio potuit, quæ ſuperfuerat orbitati.* Poteſt autem ad eum effectum præter neceſſariam ſpirituum eruptionem iuuare cohibita inſpiratio, ſoláque ore ſemper patulo manente, continua expiratio: ſic enim cor reſpiratione deſtitutum, calore opprimitur. Vt ex gaudio ſequatur inſania, nouum non eſt. Notauit id Cardanus l.5 de Sapientia, proféŕtque in exemplum quendam Galeatium Rubrum, qui inuenta, quam diu quæſierat, hauriendæ aquæ cochlea, præ gaudio inſanus factus eſt, ſémperque ridebat.

Moderata tamen lætitia his incommodis vacat, & corpori gratum colorem, floridámque venuſtatẽ conciliat. Nazarius in Conſtantini Paneg. initio deſcribens communem lætitiam ex Conſtantini imperio; *Extat,* inquit, *in vultu cuiuſque hilaritatis publicæ decus, & in ſerenis frontibus animorũ indicia perleguntur. Non enim ſe capit exundantis lætitiæ magnitudo; ſed ſedientata pectorum latebras, ita multa & candida foris promiſcet. Vt intelligatur non ingentior eſſe quàm verior.* Ratio cur

gaudium florem illum coloris conciliet, non eſt obſcura. Sanguinem enim calore ſuo purgat; vnde ſanitas & venuſtas, flóſque ille faciei, color inquam modico rubore mixtus, qui cùm iugis eſt, habetur nota temperaturæ optimæ, iuxta Galenum in arte Med cùm homo candiruber eſt, &

Qualer ſe fulg:m inter ſua lilia miſta.

Nam rubedo, quæ alborem exterminat, qualis ex nimia potatione ebrioſos perfundit, non cenſetur nota boni temperamenti Hi igitur ſunt effectus corporei moderatæ lætitiæ, ob conſequentem ex ea dilatationem cordis, & inde enatam ſpirituum & caloris profuſionem mediocrem, corpori admodum congruentem. Rationem verò cur gaudium dilatet, & prædictos effectus cauſet, aſſignat Ricardus in 3. d. 27. art. 4. q 3 quòd appetitus cordi inſidens, amplificari & quaſi grandeſcere velit, ad pleniùs potiendum obiecto.

Riſus.

380. Gaudij prætereà in corpore effectus, eſt riſus, quem Valeſ. 5. controu c. 9. & Fracaſt. l de Sympath. c. 20. annnente præter morem Scaligero exerc. 317. n. 6. docent fieri per diaphragmatis dilatationem, ex qua per conſenſum fit quoque dilatatio muſculorum, qui circa buccas ſunt. Quod manifeſtiſſimum eſt in cachinno, in quo vterque ille motus perſpicuè proditur; ex ſpirituum, tanquam in proſcenium, excuntium, excitatione. Confirmare hoc poſſumus, ex illa effusè ridentium fatigatione circa ſeptum. Itémque ex eo quòd aliqui, vulnerato diaphragmate morientes, ſoluti in riſum leguntur, vt poſt Hippocratem Ariſtoteles de Pſychone refert 3. de part. c. 10. Similitérque Plinius lib. 11. c. 37. ait, in prælijs gladiatorúmque ſpectaculis, traiecta præcordia, mortem cum riſu attuliſſe. Riſum item Sardonicum, inde quidam dictum volunt, quòd teſte Pauſania, qui herbam in Sardoa inſula enaſcentem eſitabant, ridentes morerentur; id eſt conſtrictis præcordiis, & dilatatis rictibus, diſcruciati, quaſi ridentes apparerent. Vnde ducta illa apud Platonem, Tullium, & alios, riſus Sardonici acceptio pro ioco amarulento, nec riſu niſi in ſpeciem, & per extrema tantùm labra.

Improbat hanc de riſu ſententiam, Nancelius lib. de riſu: opponens, ſi riſus ex diaphragmatis incaleſcentia oriretur, futurum vt febricitantes ſemper riderent. Nam cor diaphragmati vicinum, cùm in eis æſtuet, non poteſt non calefacere diaphragma Facilè tamen reſpondetur, non quancunque ſepti tranſuerſi calefactionem, riſum ciere; ſed eam duntaxat, quæ mediocris ſit, & cum quadam titillatione, ac vibratione, cuiuſmodi non eſt ardor febrilis, quo omnia incenduntur ac veluti torrentur. Præterquam quòd tametſi præcipua riſus ſedes eſt diaphragma, tamen multa etiam alia ad illum interueniant, quæ in ea corporis per febrem diſpoſitione æſtuoſiſſima non concurrunt. Prædicto porrò diaphragmatis motui, iunguntur alij prætereà motus, & muſcolorum dilatationes, nominatímque gelaſinus, quo nomine appellatur à Martiale, quaſi foramen, ſeu lacuna, conſpicua in medio malarum. Quinetiam ſpiritus ingens protruſio adiungitur, non tam eius qui in corde ſtabulatur, & per arterias ſalit, (quod Septalius l. 11. probl q. 13. affirmat:) quàm eius, qui deforis hauritur, & in vocem fingitur; ex cuius violenta cohibitione, maior plerunque eiuſdem quà data porta tandem ruentis eliſio, pérque eam ſonus conſequitur.

Multi porrò, vt Alexander refert 1. probl. q. 136. *riſum ex liene oriri exiſtimant hoc argumento, quòd quibus lien ſcirrho id eſt, tumore duro vitiatus eſt, non per inde ſint ad riſum comparati, vt qui ſunt incolumes, ſed ſint mæſtiores.* Verùm, vt rectè ſubdit Alexander, *lien non propriè ac per ſe, ſed ex accidenti riſus cauſa cenſendus eſt. Quandiu enim eſt ſanus, omninò feculentum & melancholicum ſuccum, ex iecinore trahit: Atque ita dum ſanguis purus & defæcatus, totum corpus cerebrúmque peruadit, naturam ſimul & animam non aliter quàm vinum oblectat, exhilarat, & in tranquillam rectámque conſtitutionem traducit; inde autem riſus excitatur.*

381. Tam multi porrò & varij motus riſui adiuncti, efficiunt, vt ab eo cùm mediocritatis metas transgreditur, metuendum ſit valetudini. Nam præter eam rationem, quam præmiſimus circa gaudium; nempe ſpirituum diffuſionem nimiam & diſſipationem, latera quoque, & dorſum, ac thoracis muſculi, & vniuerſum corpus, nimia ſuccuſſione & agitatione malè afficitur, vt ex Ariſtotele & Alexandro notauit Mercurialis 6. Gymnaſt. c. 6. & patet ex eo quòd ex nimio riſu mors conſecuta legatur. Notus Chryſippi riſus vehementiſſimus, cùm aſello conſpecto ficus vorante, puer ad eum abigendum aduocatus accurriſſet tardiùs: nempe abſumptis iam à beſtia ficubus. Tunc enim aduenientem puerum hortatus eſt Chryſippus, vt quando cibum aſello dediſſet, daret & potum; & inter hæc dicendum, adeò vehementem cachinnum ſuſtulit Chryſippus, vt animam efflarit. Idem contigiſſe Zeuxi ferunt, cùm anum à ſe admodum ridiculè depictam, contuitus eſſet. Itaque verè Plato 1. de Repub. validum riſum magnam mutationem parere dixit, iuxta Græcum ſenarium; *Riſus intempeſtiuus inter mortales magnum malum* Et Agiaïtidas apud Xenophontem 2. Cyripæd. dixit, riſus huiuſcemodi monentes, neque corporibus, neque animis prodeſſe.

De riſus obiecto, fine re abſona quo ea voluntatis affectio & corporum commotio excitatur, agunt Rhetores poſt Tullium 2 de Orat. & Fab. l. 6. c 3. Eam obiecti ridiculi qualitatem expreſſerunt; qui riſum non ex ſolo gaudio, ſed ex adiuncta gaudio admiratione, per nouitatem obiecti iucundi proficiſci, contendunt Fracaſtorius & Valeſ locis ſuprà allegatis, repugnante Valeriola, qui ex ſolo gaudio exoriri riſum affirmat. Rationes eius latè excutit & depellit ſuprà Valeſius. Subiectum verò riſus, eſt ſolus homo, cuius idcircò riſibilitas dicitur proprietas: non quòd alia quoque animalia, boni iucundi ſenſu non tangantur, eiúſque ſenſus ſui ſigna non promant, cùm exultatione & vocibus inconditis, tum alarum & cæterarum corporis partium ſuccuſſione, ſed quòd vultus illis immoto ſit habitu, cùm tamen riſus eam vultus mutationem connotet.

Commotio corporea, quæ ſpem conſequitur.

382. Spes cùm ſit etiam affectus proſecutiuus, & nomine amoris generaliter dicti comprehendatur, nec ab efficaci deſiderio differat, niſi per reſtrictionem ad partem iraſcibilem; dilatat ipſa quoque, cor aliquatenus, calorémque diffundit, ſed tenuiùs quàm gaudium, quod ipſa boni fruitione potitur: itémque tenuiùs quàm deſiderium efficax, in parte concupiſcibili elicitum. Nam ob arduitatem obiecti in quod fertur, (quæ in obiecto ſimplicis deſiderij non interuenit;) admiſcetur ſemper ſpei nonnihil timoris: vnde impeditur tanta cordis dilatatio, & caloris profuſio, quanta ex deſiderio efficaci ad partem concupiſcibilem pertinente, exiſtere apta eſt. Itaque ſpes non malè conferri poteſt vino diluto, cuius vis per admiſtam lympham caſtigata & retuſa eſt. Deſiderium autem efficax vino mero, cuius nullatenus refracta eſt acrimonia.

Et quæ audaciam. Vbi de Chriſti ſudore ſanguineo.

Audacia denique, non obſtante obiecti ſui arduitate, calorem foras euocat, eóque magis, quo animi erectio & periculi deſpectio, generoſior atque alacrior fuerit. Tametſi enim mali quod obiicitur, grauitas, calorem intrò pellere idonea eſt; tamen impetus, quo aduersùs imminens diſcrimen inſurgitur, tantus tâmque potens eſt, vt timore vel prorſus compreſſo, vel maxima ex parte abacto, ſecuritas concipiatur, quam cordis dilatatio & ſpirituum profuſio conſequitur. Vnde præterea interdum pro audaciæ vehementia, & exprompta per eam pectoris maſculi ſtrenuitate, alij in corpore effectus cernuntur admiratione digni: Quos inter recenſendum exiſtimo ſanguineum illum ſudorem, quo ſanctiſſimum Chriſti corpus, imminente paſſionis tempore, perfuſum legimus, & verè contigiſſe credimus, inſanientibus licet Sectariis nonnullis, quos Bellarminus l.1 de verbo Dei, c. 6. & Cneccius t.1. l 6. art. 20. aliique mox adducendi, inſignis impudentiæ iure reuincunt; qui effectum in ipſo Euangelio proditum, commenti arguere; ipſúmque Euangelium, ea narrationis parte truncare non erubuerunt.

383. Vt verò meam ſententiam circa hunc ſanguineum ſudorem, illámque eius, quam protuli cauſam, hoc eſt, ſanctam Chriſti in eo conflictu audaciam perſpicuè aperiam; ſuppono, ſudorem illum in Chriſto Domino fuiſſe effectum naturalem, vt rectè docuit Caiet. Lucæ . 2. Ianſen. c. . 37. concord. Maldon Matt. 26. v. 37. Michael de Palac. in c. 1v. Ioan enarr. 2. *ſub finem*, Franciſcus Lucas in c. 2. Lucæ ad v. 44. Suar. t. 2. 1. part. d. 4. ſ. 1. Collius l. 3. de ſanguine Chriſti, d. 5. c. 3. & 4. malè repugnantibus Didaco Stella ad c 22. Lucæ, Carthag. l. o. hom. 5. Salmerone t. 10 tract. 15. & Tena l. . Iſag. difficult. 7. ſ. 5. Ratio eſt, quia ſi ſanguis ille fuiſſet per miraculum emiſſus & non naturaliter, non haberemus in ea emiſſione ſignum certum ingentis doloris, & agoniæ, quæ Chriſtum tunc oppreſſit, adegitque ad emittendum per poros ſanguinem: quod eſt contra planam textus Lucæ intelligentiam, & contra ſenſum Eccleſiæ ac Sanctorum. Potuiſſet enim ſanguis per miraculum emitti, abſque vlla mœſtitia, vel lucta interiore. Itaque naturaliter emiſſus eſt ſanguis ille, eodem ferè modo, quo naturaliter emittitur ſudor.

Verùm ſicut ſudor aquoſus & ſimpliciter dictus; vel caloris efficacitate per latentes poros exprimitur, vel abſque caloris impetu per virium & virtutis contentiuæ imbecillitatem, patentibus alioqui poris, emittitur, vt contingit in ſudoribus ſyncopticis, & in pleriſque aliis frigidis ſudoribus, de quibus Galenus lib. 6 de Sanit. tuenda, c. 12. Ita ſudor ſanguineus, ex vtraque illa cauſa poteſt exiſtere. In nonnullis ſiquidem, deficiente ſudoris materia, aut ſanguine admodum aquoſo per magnitudinem paſſionis magis etiam tenuato, contingere poteſt vt ſanguis effluat per corpus ſpongioſum & rimoſum, virtute retentiua debilitata. In aliis autem ſudor ſanguineus emitti poteſt ex vehementia paſſionis. Sicut deficiente lacte, ſi nimius vberum ſuctus, vel emunctio adhibeatur, elicitur ſanguis. Itémque vi effrænis concupiſcentiæ, vt Nemeſius notauit l. de homine, c. 25. & Alex. l. 2. probl. q 124. ſi ſemen deficiat, effunditur ſanguis. Siquidem venæ, quæ ſunt ſanguinis conceptacula, toto corpore ſparguntur, tanquam tubi ad deducendum benignum humorem, quo vniuerſæ partes rigentur. Facile item eſt, vt interueniente æſtu extraordinario, concaleſiat, & rareſiat ſanguis, foráſque pellatur per ſudorem ſanguineum.

384. Priore modo ferè contigit pleriſque iam olim, quos mœrore oppreſſos legimus, ſanguine ſudaſſe. Sic enim Michaël de Palacio enarratione citata, *ſub finem*, refert de quodam nobili Pinciano, cùm capite eſſet minuendus, ſanguine ſudaſſe. Addit etiam puerum quendam Salmanticenſem, ſanguinem capite ſudaſſe. Beniuenius l. de medela occultorum quorundam morborum, prodit ſe hominem vidiſſe, qui ad certa temporum interualla, ex latere ſano & integro ſanguinem mittebat, vltrò ſiſtente ipſo ſanguine, atque adeò poris naturaliter ſe laxantibus ad ſanguinis fluxum, & ſe comprimentibus ad conſiſtentiam, donec ſciſſa vena hepatica ſalutem attulit. Denique idem habet Author libri de vtilitate reſpirationis inter Galeni opera, & Ariſtoteles 3. hiſt. cap. 19. & 3. de part c. 5. Vtrobique porrò Philoſophus, huiuſmodi ſanguineum ſudorem tribuit vitiatæ complexioni: ſic enim habet priore loco. *Si ſanguis immodicè humeſcit, morbus infeſtat: ſic enim in ſpeciem ſaniei diluitur, & adeò ſereſcit, vt iam nonnulli ſudore cruento exudarint.* Poſteriore autem loco ita loquitur. *Iam nonnullis accidit, vt cruentum quoddam excrementum ſudarent, propter vitiatum corporis habitum: ſcilicet cùm corpus laxum fluxúmque eſſet, ſanguiſque præ cruditate humeſceret imbecillitate caloris, qui exiguus venulis incluſus, concoquere non poſſet.*

Hæc eſt Philoſophi ſententia, de iis quos ſuo tempore ſanguine ſudaſſe ferebatur. Imò Michaël de Palacio ſuprà, vniuersè affirmat, nullum corpore benè habentem, nec vitiato ſanguine, poſſe cruorem exſudare quacunque ex cauſa. Fauet Mercur. 4. variar. c. 5. negans in ſudoribus illis ſanguineis effluere verum ſanguinem, ſed tantùm ſanguinis ichorem; hoc eſt, tenuiorem, atque aquoſiorem partem ſanguinis, quæ ob frigiditatem & impotentiam virtutis ſanguificæ, manſit intranſmutata. Sed & Theophraſtus l de ſudoribus in hunc modum ſcribit. *Fert nonnullos ſudores ſanguini aſſimulaſſe, vt Monas Medicus dicebat: ex racto ſcilicet multo à venis humore crudo tamen & velut ſegregato. Nonnunquam enim ſanguis ipſe crudiuſculus gignitur; Excrementa verò ſemper pro corporis habitu ſecernuntur.* Et non grauatè ſanè conceſſerim, hanc videri poſſe ordinariam cauſam huiuſmodi cruenti ſudoris, cùm contingit.

Quòd tamen ſemper & in omnibus ſudor ille ex ea cauſa proficiſcatur, nihil video eſſe quod cogat admittere. Imò Maldonatus ſuprà ait ſe accepiſſe ab his qui viderant, ante duos annos quàm illa ſcriberet, Lutetiæ quendam, audita in ſe capitali ſententia, ſanguine ſudaſſe, hominem alioqui robuſtum, & benè valentem, in quo illa cacochymiæ & vitiati ſanguinis indicia non occurrebant. Equam alioqui valentem, néque morboſam, in magna partus difficultate, ex ſummo conniſu, ſanguine ſudaſſe, non ita pridem teſtimonio fide digni hominis, qui id viderat, comperi. Noui item virum vbertate ſanguinis, & præferuida temperie notabilem, cui ex aliqua ad ludum applicatione, manauit ſudor ſanguineus, non ſemel ſed ſæpiùs: Et ludus erat, qui vehementem applicationem non poſcebat, nec erat periculum magni diſpendij ex colludentium victoria. Itaque potuit in iſto & aliis, de quibus non eſt proditum, quia eſſent corporis conſtitutione, excerni ſanguis per ſudorem, foráſque pelli, interueniente æſtu extraordinario corporis, ex actu audaciæ, alteriúſve vehementis paſſionis, præſertim cum alia colluctantis. Quæ erat poſterior cauſa ſanguinei ſudoris, ſuperiùs propoſita.

385. Quicquid verò ſit de aliis, in Chriſto ad eum planè modum philoſophor. Neque enim ille eius ſudor,

dor, exoriri potuit ex nuda triſtitia, quæ potiùs ſanguinem ad cor traxiſſet, quàm foràs elicuiſſet: Neque ex temperamenti vitiatione, vel cutis nimia tenuitate, aut virtutis contentiuæ imbecillitate: Qui omnes defectus à Chriſti corpore optimè conſtituto, procul aberant. Exortus itaque eſt, ex æſtu extraordinario, qui ſanguinem rarefecit, & foràs pepulit; in ſuo quidem exitu tenuem, paulò pòſt tamen vi externi frigoris ſpiſſatum in grumos, vt Euangelica narratio prodit. Æſtus porrò ille extraordinarius, ſucceſſit in Chriſto triſtitiæ illi immani, quæ eum primò adeò grauauit, vt ſe vſque ad mortem triſtitia affectum fateretur. Ea enim triſtitia, conflictata aliquandiu eſt cum generoſo motu audaciæ, inſurgentis aduersùs imminentia pericula triſtitiam cauſantia: qui conflictus, agoniæ nomine expreſſus eſt ab Euangeliſta; & aliquandiu à Chriſto habenas affectibus propter nos laxante ſuſceptus eſt, donec heroïco impetu vicit audacia, & erectio mentis. Vnde tantus in corpore æſtus extitit, vt ſanguis, quem priùs angor ad cor traxerat, concalefactus & rarefactus ſit; eóque admodum rarefacto, cor Chriſti factum ſit tanquam cera liqueſcens, per venarum rimulas, & poros charitatis ardore laxatos, effluens; vt S. Baſilius eum Pſalmi 21. locum expendens, ſignificauit. Nec puto abhorrere ab hac ſententia Hilarium 10. de Trinit. cùm negat, Chriſti ſudorem ſanguineum fuiſſe ex infirmitate, aitque Chriſtum ita ſudaſſe ex poteſtate, non ſecundùm naturæ conſuetudinem. Poteſtatis enim fuit, ſuſtinere corpus, ne tantæ triſtitiæ ſuccumberet, eáque veluti abſorberetur: & interim dare locum generoſo illi áctui, quo & timor compreſſus eſt, & animus, confuſione contempta, robuſto impendentium malorum inſultu, firmatus; quod non eſt ſecundùm naturæ conſuetudinem. Neque enim homo in tantis malis, tam generosè & potenter ſe gerit, ductus ſpiculo naturæ ſolius lumine, & ſtupea, (vt Iſaias c. 5. appellat,) fortitudine communitus. Indicauit vel etiam planè tradidit, hanc de Chriſti ſanguineo ſudore philoſophandi rationem Cardin. Vigerius in Decachordo chorda 7. cap. 5. Niſi quod ſignificat ſudorem Chriſti non fuiſſe ſanguineum ſed tantum ſanguineo colore tinctum; nec propulſionem eius ad partes extimas præfectam eſſe ex actu audaciæ, ſed ex actu feruentiſſimi amoris. Quorum ſecundum, recidit in id quod aſſeruimus; primum verò non refert ad rem præſentem. Docuit quoque ſententiam propoſitam Gulielmus Petrus Comas, Medicus Banſinonenſis diſputatione an ſudor Chriſti ſanguineus fuerit naturalis, qui in Romani Collegij Bibliotheca habetur, c. 1. n. 3.

Non diſſimilem cauſam profert Philoſophus ſ. 2. problem. q. 26. cur in lucta, ſiue agonia ſudent pedes, qui frigidæ admodùm partes ſunt, & idcircò ſudare non ſolent, & in ægris omnium maximè operimenti egentes ſunt. Eam enim luctam, non eſſe corpoream, ſed internam, quam rectè agoniam quis dixerit, Græca Ariſtotelis eo loco voce retenta, benè notatum eſt à Septalio ad illud problema, qui meritò carpit Theodorum Gazam, in cuius verſione, pro *lucta*, vel *agonia*, legitur *trepidatio* Sed perperam Nam Ariſtoteles in eo ipſo problemate, agoniam contradiſtinguit trepidationi, ſiue metui: Et cur non idem effectus ex agonia & timore proueniat circa pedum ſudorem, probat ex diuerſo ſanguinis motu in vtroque illo affectu. Eſt igitur agonia illa nihil aliud quàm animi primùm inter ſpem & metum pendentis æſtus quidam, qui tandem in generoſiſſimum audaciæ motum deſinit, per quem vniuerſum corpus concaleſcit. Vnde illa ſudoris diffuſio, etiam ex partibus frigidioribus, hoc eſt ex pedibus. Ita perſpicuè ferunt verba illa, quibus Ariſtoteles propoſitum problema diſſoluit, per interrogationem, de more. *An quia agonia non eſt caloris tranſmutatio; (quemadmodum in timore ex ſupernis ad inferna. quare etiam timentium ventres ſoluuntur,) ſed eius potiùs augmentum, quemadmodum in ira? Etenim ira eſt accenſio ſanguinis circa cor: & animo æſtuans, non timore, aut infrigidatione afficitur ſed ob animi angorem.* Longè igitur aliter in agonia & æſtuatione afficitur animus, quàm in timore. Nam in hoc intrò auocatur calor: in agonia autem, vt in ira foràs pellitur, vnde ſudor aqueus, & ſi diſpoſitiones reliquæ accedant, etiam ſanguineus.

ARTICVLVS III.

De commotione corporea, affectus auerſatiuos, vel quaſi auerſatiuos conſequente,

386. COmplector nomine affectuum auerſatiuorum in appetitu concupiſcibili, odium, fugam, & triſtitiam In iraſcibili verò, timorem, deſperationem, & iram. Duo hi poſtremi affectus, vt ſuprà oſtenſum eſt, verſantur circa bonum Tamen quod attinet ad præſens negotium ſiue in ordine ad commotionem, & diſpoſitionem corpoream paſſiones conſequentem, accenſeri debent paſſionibus auerſatiuis, ideóque eas vocaui affectus quaſi auerſatiuos. Nam deſperatio æquè contrahit cor, ac paſſiones auerſatiuæ: ſin minùs ratione eius actionis appetitiuæ quæ directè conſtituit deſperationem; at ſaltem ratione connotatorum, nimirum odij difficultatum, aſſecutionem intercludentium, & triſtitiæ. Qui affectus eò magis incenduntur, & appetitum lancinant, quo efficacior eſt boni velleitas. Ira autem adiunctum habet odium atque triſtitiam, quarum paſſionum ratione, iidem in corpore effectus eduntur, cùm ira concipitur, ac ſi ira eſſet affectus auerſatiuus: quamuis ipſa quidem ira, ex ſe, & vi ſua, alios in corpore effectus edit, conſentaneos naturæ ſuæ, quæ eſt eſſe proſecutionem vindictæ. Propter eam tamen quam dixi mixturam, & eſſentialem connotationem triſtitiæ, ac nolitionis mali offendentis, rectè in hanc claſſem refertur. Vt plurimùm enim ira non ſonat paſſionem vnam, ſecundùm eam naturam præciſam, in qua directè & formaliter conſiſtit, ſed vſurpatur pro congerie illa affectuum, eſſentialiter quidem & realiter diſtinctorum, ſed tamen connexorum, qui expromuntur, cùm quis iraſcitur.

Commotio corporea conſequens odium.

Odium igitur præſertim incenſum, atque adeò etiam fuga efficax futuri mali, & deteſtatio præteriti; (omnium quippe horum affectuum, eadem in præſentia eſt ratio,) contrahunt cor, ſpirituúmque & ſanguinis diffuſionem ad exteriores partes intercludunt. Et ſæpè quidem tanto impetu, vt non modicum valetudini damnum inferatur, quandoque etiam mors conſequatur. Sic enim quod Gallo Iudæo accidiſſe ſcribit Viues tertio ſuo libro de anima, c. de metu vt exanimaretur, recognoſcens quod diſcrimen anteriore nocte adiiſſet, cùm dormiens in aſino per anguſtam tabulam, ruptum pontem tranſiiſſet; ad grauem potiùs deteſtationem præteriti pertinere videtur, quàm ad timorem, quò Viues eum effectum reuocat: etiamſi vtcunque etiam ad metum referri poſſit, vt infrà attingam. Alios legimus præ deteſtatione peccatorum, diſrupto corde, aut æſtum non ferente pectore, expiraſſe. Nihilque frequentius eſt, quàm

quàm vt qui recogitant annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, priorem animi duritiem, largo lachrymarum imbre emolliant.

Item triſtitiam.

387. Sed omnium maximè, in eadem parte concupiſcibili, cor conſtringit arctátque triſtitia. Quam meritò Poſidippus apud Stobæum ſerm. 99 vocauit *malum multiplex*, quod animum euertat, inſupérque quod ſapiens Eccleſiaſtici 30. monuit, latèque verſat Taleſius c. 72. ſacræ Philoſophiæ, corpus peſſimè afficiat, cauſans magnam ſanguinis & ſpirituum contractionem, auocánſque ea ratione calorem ab inſtrumentis ſenſuum, & ab omnibus planè facultatibus vitalibus, reliquo corpore collocatis: vnde macies, & oſſium per triſtitiam exſiccatio, tarditas & moleſtia operandi, iniecto membris torpore quodam, & veluti ſtupore, ob ſpirituum retractionem. Ingerit etiam cordi grauationem non modicam, per nimium ſpirituum appulſum. Corde enim per triſtitiam malè affecto, confeſtim natura ſpiritus per corpus fuſos reuocat ad cor; tum magno partium damno, quæ benigno illo nectare deſtitutæ exareſcunt, tum ipſius cordis, quod plerunque ſpirituum nimietate grauatur, & ob maximam conſtrictionem, non depulſis ſufficienter fuliginibus plurimis, quibus ea fornax neceſſariò ſcatet, non parum puritati & ſerenitati eius, bonóque ſtatui officitur.

Inuidiam ſanè, quam eſſe triſtitiæ ſpeciem vidimus, ita deſcribit S Gregorius 5. moral. c. 34 *Cùm den ctum cor, liuoris putredo corruperit, ipſa quoque exteriora indicant, quàm grauiter animum veſania inſtigat. Color quippe pallore afficitur, oculi deprimuntur, mens accenditur, & membra frigeſcunt, fit in cogitatione rabies, in dentibus ſtridor, cùmque in latebris cordis creſcens abſconditur odium, dolore cæco tenebrat conſcientiam vulnus incluſum. Nil lætum de propriis libet: quia tabeſcentem mentem ſua pœna ſauciat, quam felicitas torquet aliena: quantóque extranei operis in altum fabrica ducitur, tantò fundamentum mentis liuidæ, profundiùs ſuffoditur, vt quo alij ad meliora properant, eo ipſo deteriùs ruant. Qua ruina videlicet, etiam illud deſtruitur, quod in aliis actibus perfecto opere ſurrexiſſe putabatur. Nam inuidia cùm mentem tabefecerit, cuncta quæ inuenerit benè geſta, conſumit.* En plenam corporis & animi tabem & cladem. Ea cordis per mœrorem exſiccatio & contractio, tanta interdum eſt, vt in quibuſdam animi mœrore extinctis, prodat Viues ſuo 3. de anima, cap. de mœrore, repertum fuiſſe cor non latius membrana. Marchioni autem Caſimiro, per mœſtitiam cor ita contabuiſſe, vt poſt mortem exemptum, ſimile apparuerit pyro toſto, ſcribit Melancthon l. vnico de anima, agens de pericardio, & humoris intra illud abditi exiccatione.

Cur fletu, corpus leuetur.

388. Quia verò fletu ac ſuſpiriis, homo interior aliqua ex parte exoneratur; malúmque à corde, cui oneri foret, ad exteriora diffunditur; idcirco *eſt aliquod calamitatis delinimentum, dediſſe lachrymas malis, & pectus laxaſſe ſuſpiriis*, vt ait Latinus Pacatus in Theodoſij Panegyr. & Plin. l. 8. epiſt. 16. Per eos enim motus leuatur vtcunque triſtitia, & vt ſanctus Ambroſius loquitur, orat. de obitu Valent. euaporat per eos tubos, &

Expletur lachrymis, egeritúrque dolor.

qui corde concluſus, & eſſet illi omninò grauis, & morbos ingeneraret. Quod S. Iſid. Peluſ. l. 2. ep. 176. verbis illis teſtatum facit. *Muſica turbulentos animi motus propulſat, ſimul & mœrorem lenit, & iram mitigat, & luctum per lachrymas leuat. Multi enim, vt ferunt, quòd lachrymas per vim compreſſerint, in varios morbos inciderunt.*

Pleniùs S. Baſilius hom. de gratiarum actione. qui vt leuamen ex lachrymarum eruptione conſequens, & damna ex repreſſione obuenientia, aperiat, lachrymarum originem ex paſſione excitata coniungit philoſophatus in hunc modum. *Lachrymæ con . g . , . . . particula cerebri concaua, euaporationibus ex triſtitia collectis diffuſa, quaſi per aluces quoſdam canaliculos, per meatus oculorum pondus eius collectitij humoris egerunt. Vnde & poſt rerum minùs lætarum inopinam nec expectatam delationem, mox ſe in aures inſinuant ſonitus quidam, & vertiginoſæ reuolutiones, tenebrarúmque ob oculos offuſio: ac proinde caput obuerti videtur vi vaporum, quos ſurſum verſus remittit calor, qui ſe in . . . mas partes retraxit. At hoc, ita equidem reor, quia quemadmodum nubibus aër & addenſatur in guttas aſpergines, ſic & vaporum craſſamenta in lachrymas reſoluuntur. Hinc quoque mœrentium, & in luctu conſtitutis, clam crepens nonnihil lætitiæ & iucunditatis exoritur, per fletum exinanito eo, quod degrauabat caput. Huius meæ rationis veritatem, conſtabilit rerum quæ fiunt doctrix experientia. Ipſi enim nouimus non paucos, calamitatibus deploratis, vtique, nec curabilibus obuallatos, vt ne diſtillarent, lachrymis ſibi temperaſſe. Hi quidem in varios & inmedicabiles affectus inciderunt, cen ſunt apoplexia & paralyſis. Alij verò in mortem prorſus collapſi ſunt, ac ſi fulcimento quopiam debili vterentur, ſub ritis eorum viribus & diſtractis immodico pondere triſtitia. Nanque quod cernere poſſis in flamma, quæ intrincluſione ſuffocatur propter fumi, qui cùm liberè egredi non queat, implexam flammam ſuo opprimit ambitu: haud ſecus iſti contingere aſſeuerant in ea facultate, quæ in animali diſpenſat vitalem actionem, ac moderatur. Nimirum intabeſcere & extingui vehementiore acrimonia doloris, nulla illi ad exteriora perſpiratione conceſſa.*

Similia tradunt Nyſſenus de hominis opif. c. 12. Meletius de ſtruct. homin. pag 40. & Nicetas in orat. 11. Nazianz. quæ, quod attinet ad lachrymarum deriuationem è viſceribus per affectum animi perturbatis, nolim ita accipi, quaſi immediata lachrymarum materia, ſit tantùm humor ad eum modum ſubuectus. Nam illi, qui, vt D. Auguſt 14. Ciuit. c. 24. refert, flent, cùm volunt itémque mulieres, quæ

Quóque volunt, plorare tempore quóque modo.

& alij, qui ſimul ac mœrent, lachrymantur; non proliciunt lachrymas aliunde, quàm ex humore iam collecto intra caput. Itaque ſenſus eſſe debet, commotione illa viſcerum ob affectum triſtitiæ, conſtringi cerebrum, indéque effluere lachrymas. Poſſétque etiam earum materia, per eam viſcerum commotionem ſubminiſtrari noua, vt Septalius rectè aduertit ſ. 3. probl. q. 24. Porrò interdum ſanguineas lachrymas effluxiſſe, referunt Delrio polem. 2 *in medio*, & Collius l. 3. de Sang. Chriſti, d. 5. c. 3. Cauſa liquet ex dictis circa ſanguineum ſudorem. Et hæc quidem clara ſunt.

Quomodo lachrymæ etiam ex gaudio; & vnde earundem vbertas, vel parcitas.

389. Tantùm videtur ingeri poſſe in contrarium, dubitatio, quoad id, quod diximus de triſtitia cerebrum conſtringente, & lachrymas proliciente. Id enim inde videtur convelli, aut dubium reddi. quòd per gaudium quoque effluant lachrymæ, iuxta illud S. Ambroſij initio orationis de obitu Satyri. *Habet & lætitia lachrymas ſuas, & lachrymæ plerumque, pietatis indices, non illices ſunt doloris.* Verùm rectè Alexander l. 2. problem. q. 31. cauſam eiuſdem effectus ex diuerſis

hiſce cauſis aperit, ſcribens in hunc modum. *Qui dolent ſpiſſitudine meatuum, qui poſiti in oculis ſunt; humorem q emo uli continent, exprimunt. Dolor enim meatus refrigerat, atque aſtringit. At qui lætantur & geſtiunt, humorem ex laxitate meatum effundunt. Oculi tamen quicunque arctioribus conſtant meatibus, lachrymas neutra de cauſa emittere conſueuêre.* Hæc ille, quæ magis placent, quàm quæ habet l. 1. q. 10 . vbi humoris expreſſionem in cerebro, in vtriſque lachrymis, refert ad ſpiritum ſurſum elatum.

Ad eam porrò cauſam exareſcentium oculorum, quam Alexander loco cit. adhibuit, nempe meatuum anguſtias; addenda eſt cerebri plerunque ſiccitas quæ quantumlibet homo triſtetur, & cerebrum conſtringatur, nullum ex ſubſtantia exſucca & arente humorem prolicit. Idcirco enim quibus humidius eſt cerebrum, faciliùs plorant. Sic mulieres & infantes ac ſenes, quia vel vliginoſa ſunt temperie, vel excrementitiis humoribus abundant, in lachrymas facilè erumpunt. Videnda. quæ in hanc rem pluribus diſputat Nancelius in calce libri de riſu. E contra verò aliis exareſcunt lachrymæ, ſiue ob cerebri ſiccitatem, ſiue quòd omnis humor exſorbeatur per calorem, aut ſpiritus tam validè circa cor comprimantur, vt quod Poëta de Hecuba dixit deuoret homini dolor lachrymas, duróque ſaxo ſimillimus torpeat, & aduerſa modò figat lumina terra. Sic contingere in atroci calamitate notat Ariſtoteles 1. Rhet c. 8. *Amaſis*, inquit, *in caſu filij, qui ad moriendum perducebatur, lachrymas non effudit, vt aiunt; ſed in caſu amici, qui mendicabat, effudit. Hoc enim eſt miſerabile, illud atrox. Nam atrox, diuerſum eſt à miſerabili, & habet vim pellenda miſericordia.* Id eſt, teneri illius ſenſus qui excutitur, cùm calamitas non eſt adeò exaggerata, vt omnem ſenſum obſtupefaciat. Quod ſignificauit idem Amaſis Ægypti Rex apud Herodotum in Thalia, cùm roganti Cyro cur in domeſtica calamitate tam moderatus apparuiſſet, qui amici mendicitatem tantis queſtibus proſecutus fuerat: reſpondit, *mala domeſtica maiora fuiſſe, quam vt ea poſſet deflere.* Memorat id quoque Niceph Gregoras l 9. hiſtor. c. 28. occaſione Andronici ſenioris, cuius ærumnoſiſſimum vitæ finem deſcripſerat. Aitque eum *vel inuitum calamitatem ſuam prætereuectum, inopia conſilij & corpore quodam, animo victo, priuſquàm collecti in cerebro humores in lachrymas reſolu rentur Nam & Sol cum moderatos radios emittit, multos ventos & humores attrahit: Sin immodicos, conſumit illos priuſquàm attrahantur: Eodem modo, & modici animorum affectus, dolorem ſuum verbis teſtari & lachrymis non recuſant. Qui verò modum excedunt, ac animum quaſi de gradu tumultuantem deiiciunt, efficere ſolent. vt aut nihil dicas, aut quiduis potiùs quàm quod oportet, aut nihil potiùs quàm quod oportet.* Hic narratum Ægyptij Regis reſponſum ſubnectit.

Mors ex triſtitia.

390. Tanta porrò interdum eſt hæc doloris introrſum concluſio, vt ſpiritum illico intercludat, vnáque vitam eripiat, præfocato per ſanguinis nimij appulſum cordis calore. Quia enim cor in mœſtitia maximè laborat, natura vndecunque eò ſuppetias & ſpirituum ſubſidium aduocat. Vnde quod in lampade; nimia olei affuſione contingere videmus, vt extinguatur, idipſum cordi per eam ſpirituum & ſanguinis exuberantiam accidit. Facile eſt nouis æquè ac veteribus exemplis id confirmare. Rutilius, referente Plinio l. 7. c. 16. audita fratris conſulatum ambientis repulſa, illicò egit animam. Pompeianus quidam, vt ſcribit Iouius, dedi hoſtibus Auerſam vrbem conſpiciens, oculos in cœlum efferens, & labia conſtringens, præ dolore mortuus concidit. Quod idem Iouius hiſt. l 19. accidiſſe refert Ruſciaco Sueuo. cùm relatum filij à Turcis cæſi cadauer conſpexiſſet Difficiliùs tamen per triſtitiam, quàm per effuſum gaudium, eripi vitam, notauit Viues ſuo . animæ c. de lætitia. Et ratio eſt, quia gaudio effunduntur ſpiritus, & omnis calor à corde educitur: quod multò periculoſius eſt, quàm cùm ea vitæ arx communitur. Sicut crebriùs lucerna defectu olei, quàm vbertate & affuſione nimia extinguitur.

Effectus, timorem conſequentes in corpore.

Iam verò in parte iraſcibili paſſio propriè & ſimpliciter auerſatiua, eſt timor, cuius maxima eſt ad corpus commouendum efficacitas. In timore enim cor maximè laborat, vt teſtatur palpitatio & concitatio pulſus. Et idcirco prouide natura, cordi optimè muniendo atque firmando, aduocat vndecunque ſubſidium ſanguinis ac ſpirituum. Quæ cauſa eſt, (vt D. Thomas in lib. de motu animal. lect. 6. rectè notauit,) cur qui timent, ex caloris abſceſſu frigeant reliquo corpore; tremántque, præſertim manibus & genibus, voce & labio inferiore, concidentibus partibus illis defectu caloris, cuius eſſet vocem & manus mouere vt annotatur lib. de reſpiratione *circa finem.* Specialitérque labium inferius, quia eſt minùs ſanguineum, & nutu ſuo deorſum fertur, (in quo à labio ſuperiore differt;) faciliùs refrigeratur & concidit. Inde præterea eſt, cur qui timent, facilè cadant è loco, in quo alioqui incederent ſecuri, ſi timor retrahens ſpiritus & calorem abeſſet, vt benè philoſophatur Gerſon Alphab. 71. *litera P.* Præterea inde eſt, cur qui timent, palleant & horreant, ita vt quamuis frons & vultus perſæpè mentiantur, & ad omnem hilaritatis ſpeciem componantur, tamen ex pallore & tremore vel inuitum hominem occupante, appareat ſtatus animi. *Fingit quidem* ait Pacatus in Theodoſ. Panegyr. *timor gaudium: ſed ita intimos mentis affectus proditor vultus enunciat, vt in ſpeculo frontium, imago extet animorum.*

391. Palloris illius & tremoris cauſam, quam dedi, profert etiam Alexander 1. problem. q. 12. & 13. quo poſteriore loco addit, hanc etiam eſſe rationem, cur timentibus fundatur aluus, & effluat aqua pedum. Laxatis nanque muſculis & neruis ob ſpirituum abſceſſum, fit ea excrementorum diſiectio, de qua latiùs tota ſect. 27. probl. & ex eo loco Gell. l. 19. c. 4. Sic Dyoniſius metu correptus introducitur ab Ariſtophane in *Βατρα.* Riſum mouens apertione illa meatuum & graueolenti excretione. Iuuenalis item de ignauo ait Satyr. 14.

——— *Et crepido ſoluunt ſibi cornua ventrem*
Cum lituis audita.

Varia in hanc rem adducit Camerar. decur. 3. problem. 4. Eandem cauſam iterat idem Alexander ibid. quæſt. 18. explicans ſenum timorem & incuruationem. Ait enim ſenes tremere, quoniam nerui membrorum, & muſculi ſpiritibus deſtituti, non ampliùs pollent ea mouendi alacritate, quam habebant, cùm plurimo calore fouerentur. Vnde nequeunt corpus æquè firmare & ſtabilire. *Fit nanque tremor*, inquit Alexander eo loco, *cùm pondus quidem membrorum corporis, trahit deorſum: anima autem vis, ſurſum eleuat; idque viciſſim atque aſſiduè agitur. Hinc enim incurui ſenes in terram corruunt, & ne id fiat, baculis ſeſe ſuſtinent: & tanquam caducos parietes, lignorum adminiculo continent erectiores. Hæc eadem virium imbecillitas facit, vt & vrina, & aluo excrementa prodeant inconſultè.*

Sic

Sic accipienda ſunt, quæ Diſarius apud Macrobium 7. Saturn. cap. 11. de his effectibus timoris diſputat in hunc modum. *Natura, cùm quid de extrinſecùs contingentibus metuit, in altum tota demergitur: ſicut nos quoque, cùm timemus, latebras & loca nos occulentia quærimus. Ergo tota deſcendens vt lateat, trahit ſecum ſanguinem, quo velut curru ſemper vehitur. Hoc demerſo, humor dilutior cuti remanet, & inde palleſcit. Ideo timentes & tremunt, quia virtus animæ introrſum fugiens neruos relinquit, quibus tenebatur fortitudo membrorum, & inde ſaltu timoris agitantur. Hinc & laxamentum ventris comitatur timorem: quia muſculi, quibus claudebantur retrimentorum meatus, fugientis introrſum animæ virtute deſerti, laxant vincula, quibus retrimenta vſque ad digeſtionis opportunitatem continebantur.* Hæc dico in eundem ſenſum accipienda cum iis, quæ ex Alexandro retuli, & ad caloris introuerſionem reuocaui. Nam vt ipſa natura, vel aliqua eius facultas, latebras quærere, & penitiùs quaſi infodi dicatur, prohibet informatio, & phyſica adhæſio animæ cum partibus extimis; & arcta facultatis cuiuſlibet corporeæ cum ſubiecto ſuo immediato vinculatio, receſſum illum excludens. Quare ſiſtendum eſt in ea, quam propoſui naturæ introuerſione & receſſu, ratione caloris naturam fouentis. Quo per timorem introrſum reuocato ad arcem vitæ muniendam, partes externæ frigeſcunt: interiores autem, affluentibus ſpiritibus, concaleſcunt multò magis.

Ex quo præterea efficitur, vt ſitiant, & difficulter expuant qui timent, ob incenſionem partium internarum, & humidi roridi abſumptionem. Vnde item depulſio ſudoris, nominatim ex pedibus, vt notatur 5. problem. quæſt. 26. & 31. Et ita intelligo diuerſitatem illam motus ſanguinis in iraſcentibus & timentibus, quam ex Ariſtotele poſtea referam. Tametſi D. Thomas 1. 2. quæſt. 44. art. 1. ad 1. & Conimb. l. de vita & morte, cap. 8. quæſt. [illegible] aliter ſentiunt, putántque in timore ſpiritum à corde refugere. Quod planè videtur contra effectus prædictos, in externis partibus conſpicuos. Præterea ex ea ſanguinis introrſum reuocatione oritur, vt qui timore afficiuntur, vocem reddant acutiorem, eo quòd calor ſuperiores partes deſerat, ſicque aſpera arteria conſtringatur, & exilis aër excutiatur, vnde vox acuta exiſtit, vt philoſophatur Ariſtoteles ſ. 11. probl. quæſt. 53. addens, in pudore, etiamſi & ipſe metus quidam ſit, contrarium contingere: eo quòd in pudore, ſanguis & calor à pectore ad ſuperiores partes & faciem diffundatur; vnde dilatantur vocis organa, & vberior aër mouetur, ideóque vox grauior efformatur. Denique ex ea caloris introrſum auocatione in timentibus fit horripilatio, quòd ex frigore comprimantur meatus, vnde capillitij rigor, vt optimè innuitur ſect. 8. q. 21. aliàs 18.

Mors præ timore.

392. Eſt verò interdum tam copioſus, ad internas partes firmandas, appulſus ſanguinis, vt animal ſuffocetur, vitáque eripiatur, de quo effectu ita philoſophatur Alexander 1. probl. quæſt. 16. *Nonnulli è vita præ metu diſceſſerunt, quoniam vis naturalis admodùm interiorem ſubiens partem cum ſanguine; calorem inſitum atque vitalem, de corde oriri ſolitum, obruit vniuerſum, atque extinguitur. Qua ratione oleum quoque multum, vniuerſimque lucernæ infuſum, flammam poteſt extinguere. Calor quippe ille corporis propè flammæ lucernæ reſpondet. Et verè qui dolore vexantur nimio, eadem ipſa de cauſa diſceſſêre è vita: interit enim motu interior natiuus caloris, quemadmodum ignis quoque obrutus extinguitur.* Narrat ſanè Viues ſuo 3. de anima, c. de metu, Iudæum quendam Gallum, fuiſſe metu exanimatum, cùm poſtera die acriter cogitaſſet periculum, quod nocte priore incurrerat, dum aſino indormiens, ruptum pontem per anguſtam tabulam tranſiret. Quamuis enim non erat ei denuò tranſeundus pons, nec adeundum iteratò diſcrimen: tamen exhibitio tam ingentis diſcriminis, non quaſi tranſacti, ſed quaſi tranſigendi, rationem metus habuit. Tametſi ſi quis id ad odium aditi antea periculi referat, eadem erit ratio. Nam reuocari quoque ab odio calorem introrſum, ſupra dictum eſt.

Canitudo præpropera & ſubita ex eadem cauſa.

Alium refert Scaliger exercit. 312. *in fine*, metu denunciati in craſtinum ſupplicij, vna nocte canum planè factum: quod ille ad vitiatos per caloris abceſſum humores refert. Quòd item Leuinus Lemnius 2. de complexio. cap. 2. refert ſimilem euentum in quodam de aula Cæſaris, qui vna nocte incanuit. Apud Cardanum l. de animæ immortalitate cap. 10. pag. 212. Laurentius Santutus Patritius Venetus, captus à Gallis cum claſſe, inuolutuſque velis vt mergeretur; dum longa mortis expectatione cruciatur per horas quatuor, planè canus euaſit, indéque ſolutus periculo, (erat autem tunc adoleſcens;) reliqua vita idem permanſit. Fuiſſe etiam, qui ſubitò eadem ex cauſa incanuerint, lego apud Rhodig. l. 13. c. 27. Et apud Iunium l. de coma, cap. 10. Et eſſe ſanè eam, quam retuli, cauſam idoneam effectus propoſiti, ſeu ſubitæ illius canitiei; confirmari ex eo poteſt, quòd Leonicus in qq. natural. quæſt. 70. tradit de iuuenibus, quibus in quibuſdam morbis, enati ſunt ſubitò cani: ruſúſque nigreſcere viſi ſunt, cùm ad ſanitatem reueniſſent. Eius enim canitiei, & reducis poſtmodum nigroris, non alia commodior ratio profertur, quàm quòd multæ ſuperfluitates in morbis illis, præcipuéque in frigidis accidunt. Vnde ob incommodam circa cutis partes concoctionem, humiditates ibi aggeſtæ, externo calore facilè putreſcunt, atque ita pili in canos abeunt. Priſtino autem naturæ robore recuperato, pili canitudinem præcocem abiiciunt, & denuò tinguntur. Simili igitur ex cauſa, in tanto caloris ab externis partibus abſceſſu, & reuocatione introrſum per vehementiſſimum timorem, albeſcit coma.

Cur in pudore calor foràs euocetur, contra quàm in alio quouis metu.

393. Vnum duntaxat eſt, quod aduersùs eam caloris & ſpirituum introrſum reuocationem à timore factam, opponi poſſe video, & à Tauro Philoſopho aduersùs Ariſtotelem opponitur apud Gell. l. 19. c. 6. nempe quòd pudor ſit ſpecies timoris. Definitur enim, timor iuſtæ reprehenſionis, vt ex Philoſophis idem Taurus refert. Et tamen in iis qui erubeſcunt, calor & ſanguis foràs diffunditur, vt docet rubor faciei, notauitque Ariſtoteles 4. Eth. cap. vlt. Et magis quidem in iuuenibus apparet ea ruboris ſuffuſio per caloris diffuſionem ad partes externas; quòd & plus caloris illis ſit, & tenera frons, vt philoſophatur Seneca epiſtol. 11. Nihilominus veteranos etiam & ſenes tangit, vt idem exemplis probat. Obſeruans id non accidere *ab infirmitate mentis, ſed à nouitate rei, quæ inexercitatos etſi non concutit, mouet; naturali in hoc facilitate corporis pronos. Nam vt quidam, boni ſanguinis*

unt ; itaquidam , incitati & mobiles , & citò in os prodeuntes.

Reſponſiones inidoneæ.

Hunc modum varij variè expediunt , nec omnes æquè appoſitè Diſarius apud Macrob. 7. Saturn. c. 11. in hunc modum philoſophatur. *Natura , cùm quid ei occurrit honeſtè pudore dignum imum petendo , penetrat ſanguinem : Quo commoto atque diffuſo , cutis tingitur , & inde naſcitur rubor. Dicunt etiam Phyſici , quòd natura pudore tacta, ita ſanguinem ante ſe pro velamento tendat, vt videmus quemque erubeſcentem manum ſibi ante faciem frequenter opponere. Nec dubitare de his poteris , cùm nihil aliud ſit rubor , niſi color ſanguinis.* Videtur Diſarius Alexandrum exſcripſiſſe , cuius hæc ſunt verba quæſt. 15. libri primi problem. propoſita quæſtione , an erubeſcant , quos pudet. *Quoniam natura , ſua naturali quadam non arbitrali conſcientia , verecundatur , ac veneretur , quod honorandum colendúmque ſenſerit. Itaque more pudica nobiliſque puella compeſcitur , & ſe ad loca corporis penitiora recipit , atque o cul t. Quod cùm agitur , ſanguis concitus liberalius flatat , cutémque ſuo colore pertingit. Sunt tamen qui naturam ſeſe protegere copia ſanguinis aſſerent. Cumque & manum naturaliter in eo tant ſter faciei admonere ſolemus , dum pudore afficimur.* Indidémque quæſt. 11. declarat , cur nonnullis pudore affectis , ſudor ex alis effluat. Eſſe tamen rationem admodum futilem, ex eo patet, quòd in vehementi timore non oritur rubor , cùm tamen iuxta eam Alexandri doctrinam , tunc maximè oriri deberet.

Aliter reſpondet Ægidius l. 1. de regim. princ. p. 3. cap. 10. diſtinguens duplicem timorem. Nempe vnum qui refugit malum corruptiuum , quod eſt malum internum : ideóque in huius mali timore ſanguis ad cor euocatur , vt interiora firmentur. Alterum qui refugit malum externum nempe inhonorationem , & hic timor ſanguinem ad partes externas euocat. Hæc tamen diſtinctio non lenit difficultatem. Nam etiam in mali extrinſecùs ingruentis timore , cor laborat , & reuocato introrſum calore firmandum eſt. Quidni ergo idem per pudorem efficitur , quamuis probrum quod auertere ſatagit , extrinſecùs immineat ? Præterquàm quod parum aptè timor probri extrinſecùs imminentis dicitur euocare foras calorem , quia refugit malum externum. Quaſi verò gloria , quia eatenus dici poteſt bonum externum , quatenus ab extrinſeco aduenit , reſideat in externis membris, poſſitque eius imminenti diſpendio ſuccurri , euocato ad externas partes ſanguine ?

Aliam præterea reſponſionem ſuggerit Caietanus 1. 2. quæſt. 44. art 1. eò recurrens , vt dicat, verecundiam , cùm ſit timor , contrahere ſpiritum ad cor. Quia tamen eſt exiguus timor , contractionem ſanguinis & ſpirituum non fieri vſque ad frigus ingróſſans ſpiritus. Et idcirco ait D. Thomam ibid ad 1. negaſſe ſpiritus contrahi per verecundiam. Verùm hoc pacto quamuis explicetur, cur non palleant qui verecundantur, non explicatur tamen cur rubeſcant.

Idem opponi poteſt Conimbricenſibus in lib. de vita & morte, cap. 6. qui aiunt, verecundiam ſanguinem contrahere : probántque ex illis , qui præ verecundia exanimati ſunt. Quod de Diodoro Dialectico ſcribit Plinius l. 7. c. 12. & de Homero Valer. l. 9. c. 12. & de eo etiam ac Ariſtotele Nazianzenus orat. 1. in Iulian. n 41. Contra hanc inquam doctrinam æquè opponi poteſt ; manere igitur inexplicatum, vnde ea ruboris diffuſio in verecundantibus. Nam ſi verecundia eſt timor contrahens ſanguinem, quomodo igitur rubent , qui eam ſubeunt ? Quod verò attinet ad eos, qui pudore extincti dicuntur, facile eſſet id reuocare, non tam in ſanguinis nimiam contractionem , quàm in profuſionem ad extimas partes per ſummam illam verecundiam. Item dici poſſet, huiuſmodi gloriæ animalia non ex pudore & metu , ſed ex triſtitia extincta eſſe. Ariſtotelem certè præ mœrore non comprehenſi motus Euripi , defunctum , ſcribit Iuſtinus in paræn. Et hoc voluerunt qui dixerunt, eum ſe dediſſe præcipitem in Euripum, vt Nonnus in primam Nazianzeni orationem in Iulianum num. 51. & Elias ibid. num. 41. Eodem lethi genere & alios viros præcellentes extinctos eſſe , ſcribit Lilius Gyraldus libello de ænigmatis, in expoſitione ænigmatis Homero propoſiti.

Vera difficultatis enodatio.

191. Communis reſponſio eſt , quam tradit Fracaſtorius l. de ſympath. cap. 21. & Anton Ludouicus lib. de pudore , *initio* , fuiſſéque à nonnullis propoſitam refert Alexander 1 problem. quæſt. 15. Nempe in alterius præſentia , faciem maximè laborare , quaſi vultum eius non ſuſtineat. Ideò enim & oculos demittunt , qui pudore afficiuntur , & manu faciem contegunt , & quantùm poſſunt auertuntur ab iis , à quibus ſe deprehenſos erubeſcunt. Vultum autem perfricat , qui cauent , ne in eis pudor notetur. Quare & impudentes frontem perfricuiſſe dicuntur. Quintilianus ſanè lib. 11. inter dedecentes ac vitioſos oratoris geſtus , numerat *perfricare faciem , eámque* , inquit , *quaſi improbam facere.*

Itaque pudor , cùm ſit timor , initio quidem ſanguinem contrahit : Tamen quia & ob conſpectum præſentiámque alterius , quæ grauat deprehenſum in probro , & ob receſſum illum ſpirituum , facies laborat ; & cæteroqui pudor eſt metus modicus , nec natura eſt adeò ſollicita de firmando corde , quod non admodum laborat ob tenuitatem & temperationem huius paſſionis ; efficitur vt natura mox ab aliquali ſpirituum reuocatione à facie , vberem ſpirituum ac ſanguinis copiam , eodem tranſmittat , ad opitulandum parti laboranti. Vnde primùm naſcitur aliqualis pallor & frigefactio , in iis quos pudor corripit , cui mox impenſus rubor & calefactio ſuccedit. Eadem ferè ratione, qua iis qui frigidiſſima quædam corpora contrectant, v. g. glaciem aut niuem ; initio quidem impensè frigeſcunt manus. Mox tamen cùm primùm natura ſollicita de partis laborantis incolumitate , tranſmiſit ad eam , ingentem copiam ſpirituum , & ſanguinis ſuppetias , non tantùm frigoris vehementiam qua priùs vrgebantur depellunt , ſed etiam feruidiſſimæ euadunt. Nec diſſimiliter ex parte, philoſophatur Iſidorus Peluſ. lib. 3. epiſtol. 293. exponens cur ebrioſorum aliqui palleant , alij rubeant , & Leonicus quæſtione 6. amatoria , in ſimili dubio circa amantes. Hæc mihi videtur non incommoda philoſophandi ratio de ea rubedine , quæ poſt virtutis (vt ita dicam ,) naufragium , præſagit ſerenitatem. Eſt enim rubor ille , vt aiebat Diogenes , *color virtutis*. Vel vt aiebat Pythias, quam Ariſtotelis filiam aliqui ferunt , *color omnium optimus*. Bonum in adoleſcente ſignum , vocat Seneca epiſt. 11.

Mutatio

Mutationem colorum in Chamaleonte, & Polypo fieri metu; ſententia Philoſophi.

395. Hæc ipſa iuxta nonnullos cenſetur cauſa mutationis illius colorum, quæ in chamælæonte, polypo, & taranda cernitur. Diſertè ſanè Ariſtoteles 2. de part. c. 4. agens de variis quorundam animalium affectibus pro temperamenti varietate, affirmat, nonnulla exanguia præ metu, cui defectu caloris facillimè ſubiacent, colores ſuos immutare. Et nominatim de chamælæonte l. 4. euſd. operis, cap. 11. *Omnium oniparorum*, inquit, *pedeſtrium tenuiſſimus chamaleo eſt, quippe qui omnium maximè inopia ſanguinis rigeat. Cauſa ad mores animæ eius, referenda eſt. Præ nimio nanque metu, multiformis efficitur. Metus enim, refrigeratio. per inopiam ſanguinis caloriſque eſt.* Similiter Caſſiodorus l. 5. epiſt. 34. agens de Frontoſi cuiuſdam infidelitate. *Mutat* inquit, *verba, variat conſtituta, nec in vna dicti ſui qualitate contentus diuerſis imaginibus immutatur. Meritò chamaleonti beſtiæ conferendus, quæ paruorum ſerpentum forma conſimilis, aureo tantum capite & reliquis membris ſubalbentis praſini colore diſtinguitur. Hæc quoties humanos aſpectus incurrerit, dum ei fugiendi velocitas denegatur, nimia timiditate confuſa, colores ſuos multifaria qualitate commutat. vt modò veneta, modò blattea modò poſſit cyanea reperiri. Vnde mirum eſt, in vna ſuperficie tot diuerſa conſpicere.* Confirmat, ſiue illuſtrat hoc quod de chamelæonte dixit. exemplo Pandiæ gemmæ. *in qua vnus ſe fulgor non poteſt continere. Fluctuat aſpectibus tremulis, dum lapis teneatur immobilis. Nam quod modò videris, mox aliud ibi, ſi amplius intuearis, aduertis: ſic mutatum credis quod neminem euiuiſſe cognoſcis.*

Subſcribit Pſellus in quæſtionibus phyſicis, quarum fragmentum extat apud Aldrouandum lib de exanguibus mollibus. cap. 2. §. *Problemata.* Item Leonicus in quæſtionibus naturalibus, quæſt. 5. & 46. & Scaliger exercit. 196. num. 4. & Plutarchus l. de animal. ſolertia, Theophraſtum allegans, alitérque de polypo, quàm de chamelæonte ſtatuens. Diſcrimen autem profert, chamelæontis mutationem eſſe animæ affectionem & metum: polypi autem mutationem non eſſe affectionem animæ, ſed actionem quandam & artem ad fallendum. In quam rem multo pluribus quoad polypum agit l. de cauſis ſiue quæſtionibus naturalibus, in 19. quo loco recurrit ad deciduas ex corporibus quibuſvis particulas, in polypi timore correpti pelle, ex ſe laxiore, ſed præ metu conſtricta & corrugata; ideóque illud corpuſculorum coloratorum deflorium aptè excipiente ac retinente. Id quod extendit etiam ad chamelæontem, Sed hoc profluuium, niſi ſit tantùm intentionale, de quo mox; id eſt, niſi tantùm ſit ſpecierum intentionalium, è coloribus ſuppoſitis, vel appoſitis defluentium, reiiciendum eſt tanquam apertè commentitium, & pugnans cum ſyncera Philoſophia.

396. Ex his ergo habemus duplicem modum quo chamæleon, (& idem eſt de polypo & taranda,) dici poteſt præ metu hunc aliùmve colorem induere. Primus eſt. quo dicatur colorem, qui in chamæleonte viſitur, natiuum eſſe. ſed expromptum per metum. Quæ eſt ſententia Auicennæ apud Abulenſem in cap. 11. Leuit. quæſt. 48. eámque tuetur Aquilonius 1. optic. propoſ. 41. Secundus, quo dicatur, colorem, apparentem duntaxat eſſe in chamæleonte; reipſa autem eſſe in obiecto ſuppoſito, vel appoſito, è quo ſpecies in chamæleontis cutem laxam ex ſe, ſed præ metu compreſſam, & Idcircò læuem, & in ſpeculi modum æquatam, tranſmittantur; ibique reflexæ, exhibeant verum colorem, cuius ſunt ſimilitudines, vt in aliis æquè ſpeculis cernimus. Alterutro autem prædictorum modorum philoſophandum videbitur, ni velimus diſcedere à Philoſopho, aliiſque antiquis qui diſertè teſtantur, chamæleontis colores immutari præ metu.

Alia quædam ſententia, reiecta.

Ab eis ergo perſpicuè deficiunt, qui nulla facta metus mentione, mutationem illam colorum chamæleontis, aliò referunt, vt S. Auguſtinus 11. Trinit, cap. 2. qui exiſtimat, coloris imaginationem, colores illos cuti imprimere; Et Areſius 1. de gen. q. 28. ſ. 4. qui putat colores chamæleontis eſſe ſimiles columbinis, & enaſci ex compoſitione ſpecierum è propinquis corporibus emiſſarum, cum ſpeciebus colorum chamæleonti natiuorum; & Conimb. 1. de gener cap. 4. quæſt. . art. 3. poſt Abul. in cap. 14. Deuteron. quæſt. 4. qui colores corporum vicinorum per chamæleontis cutem, tanquam per vitrum cerni opinantur. Quas ſententias, præterquàm quod à Philoſopho deſciſcunt, facile eſſet non vno modo refellere, ſi res ferret, nec alio loco diligenter diſcuſſæ eſſent.

Nunc obiter dico, quòd imaginatio ſola chamæleontis, colores illos exhibeat videndos, incredibile videri. Non modò quia imaginatio eſt tantùm potentia cognoſcens, ſed etiam quia chamæleon pleroſque colores quos intuetur, atque adeò etiam imaginatur, non repræſentat, quia diſtant: videt autem & imaginatur rubrum & candidum colorem, quos tamen non repræſentat. Iam verò illa compoſitio & mixtura ſpecierum cum ſpeciebus, inde ſufficienter refellitur, quòd ea admiſſa non exhiberetur color corporis vicini, ſed quædam colorum miſcella, contra apertam experientiam. Poſtremam denique ſententiam propoſitam validè vrget quod dictum eſt de candore & rubedine non exhibitis per chamæleontem, ſicut exhibentur per omnia ſpecula, Denique chamæleon defunctus, pallet ex Plin. l. 8. cap. 33. Nec mutat ampliùs colorem, quamuis eandem ſemper pellem retineat. Quid quòd ferunt, colores illos chamæleonti aduenientes, primùm obſcuriùs cerni, tum illuſtriùs conſpici? Quod non videretur euenturum, ſi chamæleon haberet rationem ſpeculi. Nam in aliis ſpeculis, id non contingit. Tandem quamuis non diffitear poſſe in hac ſententia non incommodè his dubitationibus ſatisfieri, vt poſtea patefaciam: Tamen vnum ſupereſt, quod videtur in ea ineluctabile; nempe chamæleontem, iuxta Theophraſtum in fragmento opuſculi de animalibus colorem mutantibus, non modò mutari in colores vicinorum corporum, verùm etiam ipſum per ſe, ſi tangatur, immutare colorem: quod videri poſſet ſignificaſſe Tertullianus l. de pallio, cap. 3. cùm dixit chamæleontem de corio ſuo ludere. Non igitur verum eſt, chamæleontis cutem habere duntaxat rationem ſpeculi, ſpecies colorum alienorum excipientis & reflectentis. vt in poſtrema illa ſententia aſſerebatur.

Quid in propoſita Philoſophi ſententia difficile.

397. Sed neque duplex ille dicendi modus, quem in Ariſtotelis doctrina videri probandum retulimus, vſquequaque ſatisfacit. Nam chamæleon etiamſi nullo metu tangatur, aliàve vlla affectione agitetur, exhibet tamen colores corporum, ad quæ appellit: ita vt cùm ex Tertulliano cap. 3. de pallio, habeat proprium quendam colorem ſimilem colori lacertæ, is tamen eo magis abſconditur, quo alij nitidiùs apperent, etiamſi nullus ingruat metus, nulla affe-

ctio.

ctio. Deinde ſeorſim facilè oſtenditur neutrum ex duobus illis dicendi modis eſſe idoneum.

Non enim prior. Metus enim eſt affectio, eiuſdem ſemper rationis atque naturæ: Eoſdem ergo ſemper colores in metu oſtentaret chamæleon; non autem pro adiacentium corporum colore nunc hos, nunc alios, vt fieri teſtantur Theophraſtus fragm. citato, & in admir. audit. (eius enim eſt opus eo titulo Ariſtoteli adſcriptum,) & Solinus cap. 43. Quod videtur patens argumentum, colores illos non eſſe natiuos chamæleontis. Adde quòd vel fatendum eſſet, ineſſe chamæleonti humores cuiuſcunque coloris, præterquam albi & rubei: vel paucos tantùm colores poſſe in eo conſpici, ſi pauci ſint in eo humores variè colorati. Præterquam quòd humores illi, non peruadunt villos chamæleontis: in quibus tamen, æquè ac in corpore, conſpiciuntur colores, de quibus agimus, quod tanquam ingenti admiratione dignum notatur à Theophraſto l. de admir. audit. c. 29.

Contra poſteriorem verò dicendi modum ſuprà propoſitum, facit, quòd iuxta illum metus cave affectio, quam coloris mutatio conſequitur, non inducit varietatem coloris, niſi quaſi per accidens; ſiue cutem æquando ac ſtringendo. Per, eram igitur tacita cauſa vera ac per ſe, ſiue ſpecierum emiſſarum reflexione, affertur cauſa duntaxat iuuans, & vteunque diſponens ſubiectum ſpecierum, vt habeat rationem ſpeculi, & ſpecies reflectat. Nec dicendum eſſet, illam colorum variationem, oriri à chamæleontis metu; ſed ex coloratis, chamæleontem metu correptum, & cutem ſuam ſtringentem, ſuffundentibus. Deinde non eſt veriſimile metum ſtringere cutem, ac læuem reddere, cùm potiùs eam laxet & corruget, ob reuocationem caloris introrſum. Denique explicandum ſemper ſupereſt, cur color ruber & albus non exhibeantur ſicut cæteri. Itaque propoſita ex Philoſopho & antiquis ſententia, quæ varietatem colorum, de qua agimus, refert ad metum, quo chamæleon corripitur, non vacat difficultate, quomodocunque accipiatur.

Noſtra ſententia.

398. Mihi igitur vera in hac re ſententia ferre videtur, aliquos, tametſi paucos, ex coloribus, quorum mutatione celebrantur chamæleon, tarandus, & polypus, eſſe humorum animalibus illis internorum natiuos. Quod Theophraſtus ait, manifeſte conſpici. Et quoad hos colores, verum eſt quod dixit Philoſophus, & cum eo cæteri antiqui; colorem videlicet horum animalium, mutari præ metu & alia affectione, qua corripiuntur. Maximéque vrget pro hoc puncto, quod dictum eſt à Theophraſto fragmento cit. nempe chamæleontem non modò ſuſcipere colores vicinorum corporum; ſed etiam ipſum per ſeſe, ſi tangatur, colorem mutare. Item firmat hanc partem ſententiæ noſtræ, quod de polypo Plutarchus, Ælianus, & alij tradunt apud Aldrouandum ſuprà: nempe eum citra metum omnem, fallere, tranſmutato colore ſuo natiuo. Non enim falleret ipſe polypus, ſi caſu & præter eius vitalem motum, color vicini corporis ad cutem eius exhiberetur; ſed deceptio eſſet accepta non data. Sunt igitur aliqui colores, natiui humorum, chamæleonti aliiſque prædictis animalibus internorum.

Quia tamen prædicti natiui humores pauci ſunt, nec ſi tot eſſent quot ſunt colores omnium obiectorum, quæ appellentibus ad ipſa his animalibus repræſentantur, poſſent ita ex compoſito prodire in ſcenam, quoties occurreret talis vel talis externus color, etiam non viſus à chamæleonte; Nec poteſt vlla proferri idonea ratio, cur idem metus nunc hunc, nunc illum humorem proliciat, & cum eo colorem diuerſum præbeat viſendum. Idcircò addo demptis paucis illis coloribus humorum natiuis, reliquos eſſe reipſa in obiectis, ad quæ chamæleon accedit: cerni verò in eius pelle ſicut in ſpeculo. Quod latè confirmat Abulenſis quæſt. 4. cit. aduertens colorem chamæleontis natiuum, eſſe admodum debilem ac dilutum; quod etiam obſeruat de colore pupillæ, & ſpeculorum repræſentantium res obiectas. Nam quamuis pupilla & huiuſmodi ſpecula, cùm ſint corpora mixta, non vacent colore aliquo: tamen color ille præ debilitate emittit ſpeciem directam adeò imbecillam, vt languidiùs moueat ſpeculum, quàm ſpecies, ad corpus ſpeculare, diluto illo colore imbutum reflexa; quæ cùm ſit vegetior & fortior, occupat ſenſum contuentis, & veluti præſtinguit natiuum colorem ſpeculi. Idem ergo de cute chamæleontis, rationem ſpeculi habente, ſtatuendum.

Ac ne quoad hanc partem ſententiæ noſtræ, opponas quæ ſuprà obiecimus Abulenſi, hanc tanquam adæquatam cauſam mutationis colorum, de qua agimus, proferenti; addo albedinem & rubedinem vicinorum corporum, non exhiberi in chamæleontis cute, quia caret peculiaribus quibuſdam conditionibus requiſitis ad reflexionem ſpecierum rubedinis & candoris. Videtur enim color natiuus obſtare, quominus illi colores exhibeantur, eorúmque ſpecies reflectantur. Adhæc chamæleon, ex quo vita functus eſt non vltrà repræſentat colores oppoſitos, quia cutis eius, ob cadaueris corrugationem, & concretionem humorum, eſt inidonea ad ſpecierum reflexionem, defectu læuitatis & diaphaneitatis ad id neceſſariæ. Tandem idcircò chamæleon ſenſim perfectiùs exhibet colores alienos, quia maiorem aëris copiam ſenſim hauriendo, fit paulatim tranſlucidior, & maiorem pellis læuitatem ac æquationem ſubit: Ex his igitur patet, an & quatenus metus concurrat ad illam colorum mutationem, quæ in chamæleonte cernitur, itémque in polypo atque taranda.

Commotio deſperationem conſequens.

399. Præter timorem, inter aueſatiuas appetitus iraſcibilis paſſiones, recenſui deſperationem. Cur aueſatiuam dicam, cùm verè ſit circa bonum, cauſam ſuprà expoſui. Deſperantibus igitur contrahitur vi affectuum per deſperationem connotatorum: odij ſcilicet difficultatum prohibentium aſſecutione boni concupiti, & triſtitiæ inde enaſcentis. Qui duo affectus, ſunt de ratione deſperationis, in communi vſu ſpectatæ. Paſſim enim loquimur de deſperatione tanquam complexo quodam integrato ex pluribus paſſionibus; nempe velleitate boni concupiti, ex ſe quidem valida & efficaci, propter impoſſibilitatem tamen aſſequendi non latentem, conditionata ex parte obiecti; itémque odio impoſſibilitatis, & cauſarum eius; ac denique triſtitia de eius ineuitabilitate. Cùm itaque ea ſit vis horum affectuum, vt cor conſtringant, eáque omnia incommoda corporea inuehant, de quibus ſuprà actum iam eſt; mirum videri non debet, quòd deſperationi eas paſſiones complexæ, tribuantur.

Inde lurida deſperantium facies, qualis patibulariorum; inceſſus & omnis corporis compoſitio, qualis fatiſcentium ſub ærumna. Huc pertinet doctrina Alexandri 1. problem. quæſt. 87. Propoſita enim interrogatione, *cur hominum, qui amoribus de-*

tinentur, partes poſtremæ, aliàs frigidæ, aliàs calidæ efficiantur, reſpondet: *Contendum id propterea fieri. quia quoties anguntur, deſperántque potiri ſe poſſe quam ardent, calor inſitus in profundum ſe contrahit cum natura. Itaque extrema omninò refrigerantur: pallent verò ob eam rem, & triſti vultu demiſſéque redduntur. At verò quoties contrà vel ſpem obtinent bonam. vel admodum excandeſcunt, calor ille natiuus, idem ad cutem cum natura effunditur. Itaque calidiores rubentioréſque redduntur.*

Iræ effectus in corpore

400. Extrema eſt ira, in qua viciſſitudo quædam pugnantium affectuum & effectuum cernitur. Et quatenus quidem eſt vindictæ tanquam boni alicuius appetitio, hominémque propter eius ſpem delectatione perfundit, ex 2. Rhet. cap. 2. ſanguinem ac ſpiritum effundit ad exteriora. Sed quatenus habet adiunctum odium & triſtitiam, mouet ſanguinem & ſpiritum ad cordis ſuprema: non vt ibi quieſcat, ſicut in triſtitia; ſed vt cùm accenſus in corde inferbuerit, regrediatur ad exteriores partes, quaſi ad repulſionem mali, quò vindictæ appetitio illum euocat.

Ex quo fit, vt nemo per iram moriatur. Quod variis Hippocratis & Galeni teſtimoniis confirmat Valeſius l. 5. controu. cap. 8. Et ratio eſt, quia neque cor prorſus per iram vacuatur, vt in gaudio contingit; neque ſuffocatur appulſu nimio ſanguinis ac ſpirituum. vt fit in triſtitia. Itaque quod referunt Lucium Scyllam excandeſcentem in quendam puteolanum, interiiſſe; vel admodum extraordinarium fuit, vel non tam in affectum iræ referri oportuit, quàm in morbum ex ira conceptum: aut ſi mors ſubita fuit, referendum eſt in cauſam aliquam præſentaneæ mortis, connixu iræ vehementiſſimo, & contentione extraordinaria loco motam. Qualis fuit in Valentiniano, qui, vt eſt apud S. Hieron. 1. 9. ep. 29. ad Præſidium, cùm aduerſus Quados & Sarmatas, propter Illyrici vaſtationem exarſiſſet minans & fremens, ſanguine erumpente efflauit animam. Ordinariè tamen, nemo ex ira moritur, quia retracto ad cor ſanguine, firmatur arx vitæ: neque tamen opprimitur, quòd retractio ſit moderata.

Quamuis autem non ſoleat ira, extremam cladem inferre corpori, conſtat nihilominus magnum ei ex ira damnum creari: iuxta illud S. Chryſoſtomi homil. 6. in Acta. *Quis lictor latera ſic confringere poterit; quæ verua ignita ſic transfigunt & explorant corpus; quæ inſania, ſic ſtupida reddit naturalia præcordia, vt ira & furor? Scio multos ex ira morbos natos, ſúntque febres illæ acutiſſimæ.*

401. Ex illa quoque ſpirituum ſanguiniſque contractione & effuſione, oritur pallor & tremor iraſcentium, & reuocato introrſum calore. Fertur enim nota eſſe ignauiæ, ſi vultus iam ab initio, ruborem præferat. Indidem locum habet linguæ in concitatis impeditio, trepidatio oris, pectoris palpitatio. *Cùm perturbatio præualuerit,* ait Nyſſenus orat. 7. de beatitud. *& ſanguis circa cor ſupra modum efferbuerit; nigra bile, vt aiunt, ex iracunda affectione per totum corpus diffuſa: Tunc præ coarctatione vaporum internorum, omnia ſenſuum vaſa circa caput, in anguſtum rediguntur. Oculi quidem vltra palpebrarum limites protruduntur, ſanguineo quodam ac draconico obtutu in id, quod offendit, intenti. Viſcera autem, anhelitu coarctantur atque premuntur: tumeſcunt in collo venæ: lingua efficitur craſſa: vox, in anguſtum redactâ arteriâ ſtente ſua redditur acuta: labia ſuffuſione frigida illius bilis, quaſi concreſcunt & congelantur; obnigreſcunt atque torpeſcunt ad naturalem diſtinctionem & occluſionem, vt ne ſalinam quandam in ore redundantem continere poſſint, ſed vnà cum verbis emittant, coactè ſeno ſpumam ſimul expuentes: Tunc igitur & manus & pedes itidem præ morbo mouentur, vt dere licet.* Ardoris oculorum in irato hanc cauſam reddidit Alexander 1. probl. quæſt. 02. Quoniam *ira, ſanguinis cordi ſuffuſi, & ſpiritus calidi, feruor eſt. Hic igitur, vt tenuis ad caput effertur, atque ad oculos, quoniam pellucidi ſunt, ſe oſtendit: & vapores aſcendunt ſanguine, vnde facies quoque rubicunda exiſtit: Hoc & Homerus cùm ita fieri animaduertiſſet retulit.*

Inſtar ei ardentis candebant lumina flammæ

Inde denique exiſtunt inconditi geſtus & motus iratorum, cùm oris & faciei, tum etiam manuum. & totius corporis Idem Alexander 1. probl. q. 149 tractans, cur quædam bruta, caudam agitent, cùm amorem ſignificant, alia verò eandem concutiant per iram, vt leones & tauri, ita philoſophatur: *Leonum & taurorum animi, vt per iram affici poſſit cum natura: ſic eandem naturam propter ea mouere vehementius cogit, vt etiam homines ſæpè manus, aut aliam ſui corporis partem, per iram concutere nonnunquam. Cùm enim illicò vlciſci animus nequeat, alio quodam modo furorem ſuum exti guit: id eſt, ictu, aut ſtrepitu aut alio quodlibet genere eiſdem remedio.* Eiuſdem parentis fœtus ſunt illi alij geſtus & motus, quod Liuius l. 9. dixit, ingentem molem irarum ex alto animo cientis, indicia eſſe; ſilentium obſtinatum, fixíque in terram oculi, & ſurdæ ad omnia ſolatia aures, & pudor intuendæ lucis.

40 . Ex his inconditis motibus effectum, vt iratos grauiſſimi Patres ſuprà relati cum energumenis conferant. Lactantius cap. 5. libri de ira Dei, iram eſſe ait veluti ſæuam tempeſtatem, quæ in animo, in quem incidit, tantos excitet fluctus, vt ſtatum mentis immutet, ardeſcant oculi, os tremat, lingua titubet, dentes concrepent; alternis vultum maculet nunc ſuffuſus rubor, nunc pallor albeſcens. Seneca iram tanquam rabidam feram; ipſúmque iraſcentem, veluti rabie & œſtro excitum. aut prædictam corporis commotionem ex hoc affectu pro ectam, perelegante & ſæpè deſcribit. Contra naturam eſſe, & efferari vultum irati, grauiter dixit Antoninus l. 7. n. 21. Dementiam ab ira creari, multis illuſtrat Paulus Zacchia libro 1. qq. Medico legal. titulo 1. quæſtione 6.

An cadaueris ſanguinatio ad homicidæ præſentiam, fiat ex ira.

Vnum eſt, quod neque plenè excutere, neque prorſus diſſimulare hoc loco poſſumus. Nempe rectène aliqui huic paſſioni tribuant commotionem corpoream quæ extra iraſcentem, etiam poſt mortem iraſcentis perſeueret. Aiunt enim accidiſſe frequentiſſimè, vt homicida adducto ad cæſi cadauer, ſanguis inde vbertim efflueret, ſi homicida intra viginti quatuor à cæde & morte horas, aut vt Ficinus ad conuiuium orat. 7. cap. 3 memorat, intra ſeptem adducatur. Alij longè etiam prolixiorem moram admittunt. Nam Loyer. 4. de ſpectr. cap. 11. affirmat ſe hanc cadaueris ſanguinationem deprehendiſſe factam poſt diem circiter quintum à cæde. Boerius deciſ. 162. exemplum refert, quo idem contigit poſt dies octo: & alterum, quo idem deprehenſum eſt. poſt duos menſes à cæde. Euentum verò ipſum abſolutè, ſeu nulla temporis limitatione appoſita tradunt plurimi Iuriſconſulti apud Farinac. in pract. criminali, q. 51. num. 154.

num. 154. & alij. quos referunt Magius 3. Miſcell. cap. 5. Lælius t. 2. lib, 15. cap. 1. Delrius in Octau. Senecæ ad ver. 127. Collius l. 4. de Sanguine Chriſti, d. 3. c. 1.

De eo effectu, inania placita.

401. Huius ergo effectus, varij varias cauſas proferunt ſane inanes, quas legere eſt apud Pelbartum roſario 3. verbo *Homicidium* .. Titulo *de pœna homicidij*, verſic *Tertia pœna*. Et apud Libanium tract. de cruentatione cadaueris. Reliquis autem, quæ ad rem præſentem non faciant, prætermiſſis. Aponenſis in ſect. 7. problem. q. 6. id refert in ſpiritus inimicitiis ſuccenſos, & ſpecie iræ quaſi fœtos, quos homicida ei impreſſit, quem cecidit. Expetunt enim ad proprium domicilium regredi; ideóque accedente ad cadauer, eo à quo impreſſi ſunt, deſiderium remeandi, ebullitione prodont. Magnifacit & approbare videtur hoc placitum Loyer. ſuprà. Affinéque eſt placitum Collij l. 4. de Sang. Chriſti, d. 3. cap. 6. affirmantis hunc effectum oriri ex virtute quadam, per homicidam, odij & irarum ſtimulis actum, impreſſa ei quem obtruncat. At Dandinus 2. animæ, digreſſ. 39. prædictum effectum tribuit ſpiritibus occiſi nondum ſedatis, & idcircò commouentibus ſeſe, ad commotos in præſentia cadaueris, ſpiritus homicidæ. Quò fortaſſe reuoluitur, quod nuperus Porphyrij interpres dixit ad lib. 2. de Abſtin. Nempe rationem huius effectus, reddi poſſe ex eo quòd animæ è corporibus per vim auulſæ; deſiderio corporis, non longè ab eo ſedem figant poſt diruptam vnionem, vt fert ſententia Ægyptij, quem eo loco refert Porphyrius. Hæc ſi admittamus, fatendum conſequenter erit, affectum iræ ab occiſo conceptum, gignere commotionem corpoream in cadauere, iuxta poſteriorem ſententiam: Vel idem præſtari per iram ab occidente conceptam, iuxta alterum placitum.

Neutrum tamen admittendum eſt. Quis enim non videat, ſiue ab occiſoris, ſiue ab occiſi ſpiritibus ira ſuccenſis, fateamur proficiſci effectum illum, idem contingere debere cadaueri bouino, aut aſinino, ſi ab aliquo ex ira occidatur? At nemo finxerit effectum illum ſanguinationis, in aſini, vel bouis, alteriúſve vllius bruti cadauere deprehendendum. Deinde ſpiritus ſunt naturæ ſupra modum euanidæ, & diſſipabilis: vt propterea ridiculum ſit exiſtimare, eos poſt non modò horas, ſed & dies plurimos præſtolari in cadauere occurſum homicidæ. Quòd verò commoueantur ad occurſum homicidæ ob incenſos adhuc eius ſpiritus, inſulsè fingitur. Sic enim omnes, qui commoti vel irati accederent ad cadauer, periclitarentur inſimulari cædis patratæ. Nec magis ſapit quod dicitur, ſpiritus appetere redire poſtliminio ad eum, à quo occiſi ſunt, illúmque occurrentem internoſcere, & ſuum emigrandi deſiderium ebulliendo prodere. Quæ omnia tam nullo fundamento, imò cum tam perſpicua inanitate philoſophandi aſſeruntur, vt non videantur longa confutatione egere. Paria propè opponere licet aduerſùs illam vi[r]tutem impreſſam, à ſpiritibus diſtinctam qua[m] Collius fingit, vúltque ſopitam iacere abſente occiſore; ad eius autem aduentum, excitari ad operandum, & ſanguinem attrahere. Qui operandi modus cauſæ inanimæ, præſertímque attractiuæ, nullo fundamento, aut veriſimilitudinis colore tribuitur. Æquè ſanè, vt cætera omittam, à quocumque [illegible] ſuccenſente imprimi deberet virtus illa attractiua alieni ſanguinis: ſicque ad præſentiam & occurſum iteratum [illegible], oporteret ſanguinem ſequi in altero, quod eſt apertè ridiculum. Itaque quicquid ſit de aliis cauſis, quas citati Authores varias proferunt & expendunt, nego eas, quæ ex ſuperſtitibus iræ ſub cædem conceptæ reliquiis petuntur, validas eſſe.

Reſolutio.

404. Mihi verò; vt hoc obiter attingam, ea videtur optima philoſophandi ratio, vt cùm effectus ille contingit, (ſæpè enim non contingit, vt certis experimentis deprehenſum eſt, ac præter cæteros teſtatur Bellus in auctario aphoriſ. Polit p[art]. 2. diſcurſu 40.) Deo humani ſanguinis vindici, eáque via clancularium homicidam detegenti, adſcribatur. Tunc enim ſolere hanc cadaueris ſanguinationem accidere, cùm homicidium fuit occultum & proditorium, affirmat Comeſtor apud Pelbartum ſupra. Ad Deum certè, non ad iram, vllámve aliam naturalem cauſam, effectum iſtum refert Sibyll. decade 3, c. 8. q. 4. poſt Henricum de Aſſia. Idem habet Ægidius quodl. 5. quæſt. 2 Idem velle videtur Maior in 4 d. 11. q. 9. *ſub i i[t]i[u]m*. Explicatè autem Theſaurus deciſ. 174. Pedemont. & Fortunius licetus Tomo . de quæſitis per Epiſtol. c. 45. Item Maiolus colloq. 1. qui addit inſigne exemplum, quo id totum debere referri ad miraculum, videtur perſpicuè demonſtrari. Nempe ſancti Thomæ, Herefordienſis in Anglia Epiſcopi, cuius ſacra oſſa omni iam carne prorſus nudata, cùm in Tuſcia obiiſſet, tandem in Angliam aſportata ſunt. Obuiam autem illis facto Comite Glouerniæ, per quem S. Epiſcopus admodum fatigatus, & magnis atrocibúſque iniuriis affectus, non tamen occiſus fuerat, multo ſanguine manarunt. In qua narratione, omnes præcluſæ videntur ambages, ad vtcunque ſtabiliendas reſponſiones propoſitas. Tantúmque non apertè affirmatur, Deum eſſe, qui clamantem ad ſe humanum ſanguinem, vltum velit Qua ferè ratione accidere dixerim, quod Boëthus & Leſlæus, in deſcriptione Scotiæ, referunt de halecibus non vltrà reuenientibus, ſi eorum piſcandorum, vel coëmendorum cauſa, funditur humanus ſanguis.

QVÆSTIO V.

De altero ordine actuum moralitatis capacium, conſtituentium progreſſum voluntatis, in modo operandi humano & deliberato.

PRæter illos voluntatis actus, qui ſunt etiam ſuo modo communes appetitui ſenſitiuo, de quibus hactenus diſputatum eſt, dantur alij peculiares voluntati, eo quòd præſupponant vſum rationis. & notitiam finis, provt eſt bonum per ſe appetibile; ac mediorum, provt ſunt bona relatè ad aliud, ſiue in ordine ad finem: quæ notitia in phantaſiam appetitui prælucentem non cadit, ac proinde actus eam notitiam ſupponentes, nequeunt etiam in appetitum cadere, ſed reſtringuntur ad voluntatem, in qua hi actus dicuntur integrare ordinem intentionis & executionis, de quo Philoſophus 7. Metaph. t. 23. diſtinguens in agibilibus progreſſum cogitationis, ſiue ordinem intentionis, à progreſſu effectionis, qui ordo executionis appellatur. Libro autem 3. Ethic. cap. 8. vocatur ordo generationis, & contraponitur ordini reſolutionis,

qui

qui & intentionis nominatur. Quod enim eſt in intentionis ordine primum, eſt poſtremum in ordine executionis, vt infra exponam tractans conſultationem.

Hi igitur actus, quandoquidem etiam ipſi ſunt moralitatis ſubiecta; imò quandoquidem ſunt præcipui ac peculiares voluntati liberæ, quæ eſt prima radix & fons moralitatis, ſuperſunt hoc loco explicandi, initio facto ab intentione, quæ exurgit poſt amorem ſimplicem, & deſiderium inefficax, eſtque primus actus voluntatis ſpectans ad ordinem, qui ab hoc actu appellatur intentionis. Nam deſiderium inefficax, & amor ſimplex ei prævius non pertinent ad illum ordinem, cùm poſſint elici circa impoſſibile, cognitum vt impoſſibile, ad quod tamen ordo intentionis non terminatur. Itaque hic ordo inchoatur in ipſamet intentione, quæ eſt primus affectus circa obiectum, propoſitum vt obtinendum per media, iuxta illud Dionis Chryſoſtomi orat. 38. *Ego ſanè pro omnibus quæ aguntur, non pro hominibus fruſtra ſudare neque temerè; ſed ſemper eſſe certamen pro re aliqua. Qui enim bellum gerit, aut de libertate certat, alius eam ſeruitutem ſubire volentibus, aut de principatu, alios in ſeruitutem volens redigere. Qui autem mare nauigat, haud aliam ob rem diſponi periclitatur enim aut vitæ gratia, aut negotiationis. Ne verò omnia ſimpliciter adferam exempla omnia nos homines facimus propter bonum finem: fugimúſque contrarias actiones, propter malum finem. Porro abſque cauſa rem ſerere agro, aut laborare, hoc eſt quod ſtultis duntaxat conuenit.*

Intentionem conſequitur deliberatio de mediis ad aſſecutionem idoneis, eorundémque mediorum electio, vbi ceſſante intentionis ordine inchoatur ordo executionis, contentus vſu paſſiuo, ſiue vſurpatione mediorum, & extrinſecè concluſus finis aſſecutione: cui ſubiunguntur actus circa finem iam adeptum, nempe fruitio, ſiue delectatio, & ſi qui ſunt huiuſmodi alij actus circa finem iam obtentum. Verùm cum fruitio, ſiue delectatio, eiuſdem rationis ſit in appetitu & voluntate, nihilque importet ad modum operandi humanum ac deliberatum pertinens, ſed extrinſeca planè ſit illi progreſſui, eiúſque velut conſummatio & extrinſeca perfectio ſit cenſenda, nihil erit hìc de ea vlteriùs tractandum. Anteriores verò actus voluntatis, quos ad humanum operandi modum pertinere vidimus, exponendi erunt. Et quia voluntas, cùm ſit cæca, non poteſt abſque prælucente intellectione exire in actum; & in ea intellectione, quæ his volitionibus prælucet, multa continentur cognitu digna præſertim ad perſpiciendam cognitionis ei ſubinnitæ naturam; propterea explicationi horum voluntatis actuum, connectenda, imò præmittenda erit explicatio actuum intellectus, volitiones illas dirigentium; ità vt ante intentionem explicetur iudicium de poſſibilitate & bonitate finis, ante electionem, conſultatio, ante vſum activum, actus imperij.

ARTICVLVS I.

De iudicio practico circa finem, & finis intentione.

406. ORdior ab actibus circa finem, ab eis delapſurus ad actus circa media, quia conſtat, finem, tametſi executione poſtremus ſit, tamen ordine intentionis primum eſſe.

ASSERTIO.

INtentionem anteit iudicium practicum de dignitate & bonitate finis formaliter ſumpti: poſt quod ſequitur intentio, ſeu affectus efficax conſequendi finem iudicio illo præcognitum, indiſtinctus plerunque ab actu circa media.

PRimò ago de notitia intentioni proximè præuia, eámque dirigente. Omnem enim appetitionem antecedit notitia aliqua prælucens, ob facultatis appetitiuæ cæcitatem. Quia ergo intentio, vt mox patebit, eſt actus facultatis appetentis, neceſſe eſt præire illi aliquam notitiam.

Iudicium practicum, intentioni præmittendum.

Eam verò debere eſſe iudicatiuam, extra dubium eſt. Quamuis enim de paſſionibus controuertatur exigántne actum aliquem intellectus iudicatiuum, an verò ſufficiat apprehenſiuus: Tamen de actibus voluntatis pertinentibus ad modum operandi humanum & deliberatum dubitare non licet, quin exigant actum aliquem intellectus enunciatiuum & iudicatiuum, cùm eo ipſo quòd ſunt hominis proprij, inuoluant aliquid eminentius ſimplici apprehenſione, quæ in bruta quoque cadit. Idque in re præſenti eſt euidentiſſimum. Nam intentio fertur in finem formaliter ſumptum: Atqui finis prout per ſe appetibilis, dignúſque propter quem cætera appetantur, non obiicitur nudæ apprehenſioni, ſed perfecto iudicio, quo de finis bonitate & abſoluta appetibilitate pronunciatur. Eſt igitur neceſſaria ante intentionem notitia iudicatiua, quam Ariſtoteles 3. animæ. t.42. vocat etiam practicam, quia eſt de amando hic & nunc. Quod iudicium ad deliberatè volendum requiri malè negat Ægidius Coninc. diſput. 2. de actib ſupernat. d. 8. contentus iudicio ſpeculatiuo, quo res iudicetur bona, & vrgens pleroſque, qui cùm iudicent rem non eſſe amandam, tamen quia vident eſſe ſenſibiliter bonam, afficiuntur ad eam. Verùm iudicium illud de ſenſibili bonitate hic & nunc operandi opportuna, eſt illudmet iudicium, quod ab aliis in hoc negotio practicum appellatur, quia prorumpit ad indicendam mediorum vſurpationem, nec eſt nuda cognitio.

Cuiuſmodi ſit iudicium illud, varia placita.

Hic verò mouetur difficultas, iuxta multorum placitum grauiſſima. Sunt enim qui nomine iudicij practici velint deſignari à Philoſopho actum aliquem intellectus, ita de fine eiuſque appetibilitate pronunciantem, vt per ſe & vi ſua potenter determinet, vel potiùs prædeterminet voluntatem ad intentionem finiſque proſecutionem. Rationem addunt ex eo ductam, quòd voluntas non poſſit ferri in incognitum; ac [illegible] cogatur, donec intellectus determinatè [illegible] quid amandum & proſequendum ſit. [illegible] verò autem poſito eo determinato iudicio, quod practicum eſt, quia agitur de proſequendo efficaciter [illegible] non poteſt voluntas non [illegible] in obiectum determinato illo iudicio propoſitum: alioqui

niſi adigeretur conformare ſe ei iudicio, ageret abſque ratione, & vel formaliter, vel virtualiter ferretur in incognitum, quod pugnat cum genio & vi facultatis appetitiuæ. Pugnat item cum notione & verbis, quibus idem iudicium exprimitur, *hoc eſt faciendum, hoc eſt amandum*, quæ ſonant efficacitatem iudicij illius in actum voluntatis ab eo pendentem. Itaque inferunt inde hi Authores, iudicium illud practicum, quod iuxta Ariſtotelem præit intentioni, éſtque prima veluti ſubſtructio pertinens ad totum ordinem operandi deliberatum & humanum, eſſe actum adeò fortem, vt voluntatem determinet; ita vt voluntas ab eo iudicio diſſentire nequeat, cogatúrque ei ſubſcribere. Ita Thomiſtæ adducti agendo de libertate.

Alij huiuſmodi iudicium ſic expoſitum repudiant; aiúntque, nomine iudicij practici apud Philoſophum loco allegato, intelligi iudicium de conuenientia finis, non tantùm ſecundùm ſe, ſed etiam reſpectu hominis iudicantis; non tantùm abſtractè & in communi; ſed etiam hîc & nunc in particulari: Ita vt homo per huiuſmodi iudicium, non modò pronunciet de fine ſiue obiecto, ſed etiam de actu, quo in tale obiectum tenditur: Iudicando videlicet, non modò obiectum eſſe conueniens, ſed etiam hîc & nunc eſſe conueniens proſequi illud. Voluntas enim dum mouetur in obiectum, non modò vult obiectum, ſed etiam motionem ſuam in illud, ac proinde de ſuæ quoque motionis conuenientia inſtrui debet ab intellectu per actum iudicij; quod idcircò dictum eſt ab Ariſtotele practicum, quia eſt de actu hîc & nunc exercendo. Ita Suares d. 23. Metaph. ſ. 7. n. 11. & 12.

Excutiuntur.

407. Neutra ex propoſitis iudicij practici explicationibus placet. Et priorem quidem ſufficienter reiecimus agentes de libertate, vbi oſtendimus, ferreum illud iudicium, nulla ratione cohærere cum ea voluntatis liberæ indifferentia actiua, quam admittere circa operationes liberas, neceſſarium eſt. Ariſtotelem porrò loco allegato nullatenus tale iudicium inuehere, latè confirmat Henricus quodl. 1. q. 17. multam eiuſdem iudicij euerſionem corrogans ibid. q. 16. Cum quo ſimpliciſſimè expoſituri videmur iudicium illud practicum intentioni prælucens; ſi dicamus, idem eſſe tale iudicium eſſe practicum; atque, dictare de proſecutione finis, ſiue exhibere obiectum provt dignum quod propter ſe expetatur, & in ordine ad quod expetantur alia ad illud conducibilia: quod eſt venire ad opus, per vſurpationem mediorum. Eo ipſo namque, tale iudicium extrahitur à ratione iudicij merè ſpeculatiui, quod non progreditur ad opus & vſurpationem mediorum.

Et verum quidem eſt, per huiuſmodi iudicium pronunciari de conuenientia non modò obiecti ſiue finis, ſed etiam tendentiæ in eum, quæ eſt actus noſter elicitus: Tamen præcisè ex hoc ordine, non poteſt iudicium denominari practicum, provt affirmabat altera explicatio propoſita: Alioqui actus iudicij, prælucens amori ſimplici, denominandus eſſet practicus: Nàm ad illum etiam actum voluntatis, præexigitur notitia conuenientiæ obiecti, per ordinem ad ipſum amantem: ita vt intellectus non tantùm dictet de conuenientia boni, ſed etiam de conuenientia actus, quo attingendum eſt. Proponitur enim non tantùm vt bonum, ſed etiam vt amandum. Nemo tamen huiuſmodi actum, ſi duntaxat moueat ad affectum ſimplicem, nominauerit iudicium practicum: alioqui omnes notitiæ voluntati prælucentes, ipſaque etiam viſio beatifica pr[illegible] vt [illegible] ſtens circa Deum, rationem iudicij practici ſortiretur; quod perſpicuè falſum eſt, cùm ea viſio neque ſit iudicium prudentiæ, neque arti[illegible] ad quorum capitum alterutrum, omnes notitiæ practicæ reuocantur. Quare iudicium voluntati intendenti præuium, idcircò practicum appellatur, quia non ſiſtit in mera notitia obiecti, eiúſque ſimplici per voluntatem ſuauitione: ſed fertur in opus, vrgétque voluntatem, quantum quidem eſt ex ſe, (ac proinde ſaluo ſemper voluntati iure reluctandi,) vt velit vſurpare media, & ad opus accingi.

Difficultas propoſita pro priore placito adducto circa eam practici rationem facilè depellitur. Negandum quippe eſt, Philoſophum ei placito aſtipulari. Contrarium enim aperte oſtendi cum Henrico, agens de libertate. Negandum prætereà eſt, poſito eo determinato iudicio, quo obiecti amabilitas exhibetur, intentionem reddi neceſſariam, ne voluntas feratur in incognitum. Neque enim iudicium eſt adeò determinatum, vt ſimul non exhibeat vim huius obiecti motiuam, qualis reuera eſt; hoc eſt diminutam & capacem vt appetibilitatis, ita etiam non appetibilitatis. Vnde ſi voluntas nolit ſe conformare iudicio pronuncianti de bonitate obiecti, neque tamen ceſſare velit ab actione circa illud, poterit diligere oppoſitam actionem, conformando ſe eidem ſuo iudicio, provt dictanti poſſe quoque illud bonum non amari, vel etiam reijci, quippe mutilum & imperfectum, ſaltem provt ipſi notitiæ ſubſtat, vt ſupponimus.

Quis ſenſus verborum, quibus iudicium illud exprimitur, hoc eſt intendendum *variæ ſententiæ.*

408. Poſtremum eiuſdem difficultatis caput non difficilè eliditur, ſi aduertas cum Adriano quodl. 4. q. 1. *litera D.* illorum loquendi modorum, *hoc eſt faciendum, hoc eſt intendendum, hoc eſt amandum, &c.* multiplicem poſſe afferri ſenſum, aliquando verum, & diuerſum ab eo, qui in difficultate propoſita adhibebatur. Ille enim ſemper falſus eſt, & [illegible] explodendus, quippe aduerſans expeditioni libertatis. Primus eſt, quo duntaxat exprimatur futuritio actus. Qua ratione etiam dicimus, *blaſphemias eſſe ab Antichriſto in cælum iactandas: vel, aliquem planè i[illegible] eſſe eligendum in Epiſcopum.* Qui ſenſus eſt apertè impertinens ad rem moralem. Secundus [illegible] quo ſignificetur debitum legis & honeſtatis. [illegible] modo dicimus, *cuilibet ad eam ætatem prove[illegible] eſſe ieiunandum.* Id eſt obligationem illi ac neceſſitatem moralem iniici, vt ieiunet, niſi velit Numen offendere. Et hic quoque ſenſus eſt impertinens. Nam ſi cum di[illegible]mus, *aliquid eſſe intendendum vel amandum*, ſenſus eſſet, hominem, ni peccare velit, teneri illud intendere vel amare; fatendum eſſet, omnem illum, qui aliquid malè intendit, incidere in hæreſim, iudicando quòd actus malus, faciendus ſit ex debito moralis h[illegible]tis. V. G. adulter in iudicio prælucente deprauatæ ſuæ intentioni, quod his verbis concipi volunt, *mœchandum eſt*; vel, *intendenda eſt mœchia* admittere hæreſim, iudicando ſe teneri ruere in illud ſcelus, & ni[illegible] peccaturum. Quod argumentum [illegible] declinant, qui [illegible]cunt, iudicium illud eſſe ſingulare, [illegible]que adeò exim[illegible] ab hæreſi. Poſſe enim in iudicio ſingulari cerni l[illegible]bem hær[illegible], rectè notauit Vaſquez 1. p. d. 215. n. 19. [illegible]téſque ex eo quòd fides & vniuersè & ſigillatim docet, mœchiam malam eſſe, & deuitandam. Tertius ſenſus, que[illegible] Adrianus ſuprà putat in re præ[illegible]bere locum, eſt is, quo duntaxat aſſeratur a[illegible] aliquid deb[illegible] fieri, conſentaneè ad affectum v[illegible]tem in homi[illegible]. Vt ſi qui[illegible] efficaciter velit, [illegible] qe fixum habeat, li[illegible] [illegible]um u[illegible] morte [illegible]

neceſſarium ad id eſſe, mentiri, quod non ignorat cum peccato & inhoneſtè fieri: indicabit tamen ſibi eſſe mentiendum: hoc eſt, ſi velit ad finem illum, quem ſibi præfixit, peruenire, indicabit, non eſſe refugiendum medium, quod alioqui refugeret: ſed ex ſuppoſitione efficacis circa finem voluntatis indicabit aſſumendum neceſſariò ſibi eſſe medium vnicum perueniendi ad talem finem, nempe mendacium. Hunc ſenſum in præſenti admittit, (vt dixi,) Adrianus, ſed non benè. Nam affectus intentioni præuius, eſt tantùm amor ſimplex, ex cuius ſuppoſitione, nulla exurgit neceſſitas intentionis. Quare nulla ratione dici poteſt, hominem aſtringi ad finem intendendum, ſi eum ſimpliciter amaſſe præſupponatur; falſúmque eſt, ſenſum illorum verborum, *hoc eſt intendendum*, poſſe eſſe iſtum; *ſi vis aſſequi quod efficaciter conſtituiſti, oportet, vt hoc intendas*. Nam ante primam finis intentionem, quam nunc conſideramus, nullus eſt in voluntate actus efficax.

Reſolutio.

Reſtat ergò, vt verus ſenſus verborum illorum, *hoc eſt intendendum*, non alius ſit, quàm eſſe in fine bonitatem ſufficientem, ob quam dignus ſit terminare voluntatem intendentem. Nam etiam cohortantes, & moraliter impellentes per ſolam boni oſtentationem, nulla alteri iniecta neceſſitate, ita loquimur in eo duntaxat ſenſu, quem dixi. Neque eſt, quòd quis obiiciat, iudicium illud ſic expoſitum eſſe ſpeculatiuum. Quamuis enim poſſit de finis dignitate pronunciari per notitiam merè ſpeculatiuam verbis illis expreſſam, *hic finis eſt dignus qui expetatur*: Tamen cùm notitia verbis illis expreſſa, vſurpatur ad dirigendam operationem, & iuncto voluntatis conſenſu prælucet vſurpationi mediorum, aliquatenus in hoc negotio habetur practica. Sed quantum & quale inter eas notitias diſcrimen ſit, alterius eſt notitiæ diiudicare.

De natura intentionis, pugnantia placita.

409. Secundò egi de intentione ad hoc iudicium conſequente, quam in primis ſuppoſui eſſe verum actum, & quidem ſolius voluntatis, contra duas falſas ſententias, quarum altera, quæ videtur eſſe Henrici quodl. 3. q. 13. negat intentionem eſſe aliquid vltra ſubſtantiam voluntatis, aitque eſſe tantùm aliquem reſpectum in illa fundatum, & ab ea reipſa indiſtinctum. Altera, quæ eſt Diui Bonauent. in 2. d. 38. art. 2. quæſt. 2 num. 37. affirmat intentionem non eſſe actum ſolius voluntatis, ſed intellectus ſimul ac voluntatis: Ideóque addit, eam interdum deſignari nominibus pertinentibus ad intellectum, vt nomine *oculi*, vel *luminis*. Aliàs verò deſignari nominibus ſpectantibus ad voluntatem. Quod S. Bonauentura declarat expendendo Grammaticam compoſitionem verbi *intendo*, quod compingitur ex præpoſitione *in*, & verbo *tendo*. Aliquando enim illud *tendere*, ſonat duntaxat potentiæ conuerſionem in obiectum, quo pacto obſeruat D. Bonauentura, non dici ſimpliciter *intendo hoc*, ſed *intendo in hoc*; nec hîc ſumimus intentionem prout deriuatam à tendentia ſic conſiderata. Aliquando autem *intendere* deriuatur à *tendentia* ſignificante & illam potentiæ conuerſionem ad obiectum, & inſuper quandam collationem & quietationem. Et hunc ait D. Bonauentura eſſe vſum vocis prædictæ in re præſenti. Proindéque ait, intentionem hoc loco, & conuerſionem potentiæ importare, quæ vtique eſt voluntatis, & collationem, quæ eſt intellectus. Vnde vterque ille actus ſtatuitur ab eo de ratione intentionis, æquè ac de ratione conſenſus, eſt actus intellectus, & volitio illi conſentanea. Cenſétque hanc eſſe expeditam viam conciliandi pugnantes ſententias, de natura & ſede intentionis.

Diiudicantur.

Ex his ſententiis, prior eſt apertè falſa: poſterior verò labitur in ſolis vocibus, quas minùs commodè vſurpat, quamuis in re ipſa non videatur diſcrepare à placito contrario, cui ſubſcripſimus. Et quidem quòd intentio ſit verus actus poſitiuus reipſa diſtinctus à voluntate, fruſtra videtur probandum, cùm per ſe conſtet, hominem per voluntatem aliquando intendere, aliquando autem non intendere, voluntate ipſa ſemper inexiſtente homini. Quod eſt manifeſtum indicium, diſtinctionis inter voluntatem & intentionem. Deinde voluntas, prout eſt actus quidam primus, neque bona, neque mala eſt ex ſe, quod de intentione dici non poteſt. Tandem ſi negetur, intentionem eſſe actum poſitiuum à voluntate diſtinctum, velimúſque per nudum reſpectum categoricum & indiſtinctum à fundamento, exponere intentionem; idem dicendum erit de quibuſvis actibus voluntatis. & proportione ſeruata de actibus quoque intellectus idem erit ſtatuendum; imò de omnibus omninò actionibus: Quæ conſtat eſſe adeò abſona, vt refelli præterea non debeant.

Quod verò attinet ad poſteriorem ſententiam, fatendum eſt, ad formandam intentionem, & intellectum & voluntatem concurrere: ſed intellectum, prælucendo; voluntatem, eliciendo affectum efficacem circa finem. Itaque intellectus actio, interuenit tantùm præſuppoſitiuè, & antecedenter ad modum conditionis neceſſariò prærequiſitæ. Idque vnum probant quæ proferuntur ex nominibus intentionis ſonantibus notitiam; cuiuſmodi ſunt, *oculus, lumen, lucerna*: Quæ ſunt appellationes intentionis in Scripturis, ex quibus D. Bonauentura adductus eſt, vt intentionem intellectui ex parte adſcriberet. Directè autem & formaliter, Intentio eſt actus ſolius voluntatis. Eſt enim efficax volitio finis, ſubiuncta cognitioni. Et ita paſſim docent reliqui Scholaſtici diſt. illa 38. & D. Thomas quæſt. 22. de verit. art. 13.

Subiectum mediatum intentionis, & diſtinctio ab aliis actibus circa finem.

410. Eſt igitur intentio, & poſitiuus quidam actus voluntatis, ab ea reipſa diſtinctus; & ad eam ſolam directè ac formaliter pertinens: cùm ſit proſecutio quædam boni quam liquet ſolius voluntatis actum eſſe, directè & formaliter. Porrò bonum vt D. Thomas ſuprà rectè aduertit, poteſt dupliciter appeti, nempe primò vt bonum abſolutè: ſecundò vt bonum dignum quod propter ſe appetatur, & alia propter ipſum, ratione ordinante alia ad bonum illud. Ex primo reſpectu ad bonum, exiſtit amor ſimplex, omnéſque actus inefficaces. Intentio autem, exurgit ex altero reſpectu, quo bonum appetitur vt propter ſe amabile. Appetitur autem non quomodolibet, ſed efficaciter, & cum ordine ad aſſecutionem.

Vnde eruendum eſt verum ſubiectum totale intentionis, & eius diſtinctio ab omnibus aliis actibus voluntatis. Quia enim vt quis appetat bonum tanquam propter ſe amabile, neceſſe eſt, vt illud tale agnoſcat; ea verò cognitio non cadit niſi in naturam intellectu præditam: propterea intentio arctanda eſt ad huiuſmodi ſubiectum. Item quia intentio eſt boni propter ſe expetibilis, ſiue finis proſecutio efficax:

propterea intentio diſtinguitur reipſa, ac etiam ſpecie, non modò ab actibus verſantibus tantùm circa media, ſed etiam ab actibus circa finem, quidem verſantibus, ſed abſtrahentibus ab efficacitate & inefficacitate, etiamſi ferantur in bonum abſens, æquè ac intentio. cuiuſmodi ſunt deſiderium & ſpes. Hi nanque actus, etiam prout verſantes circa finem, poſſunt manere in ratione affectus ſimplicis & inefficacis, quod non habet intentio, quæ tendit in rem vt exequendam adhibendo media; ideóque eſt ex ratione ſua, actus efficax: ita vt ſi occaſio non ſuppetat vſurpandi media, cùm primùm intentio elicitur, poſteáque det ſe occaſio vſurpationis prædictæ, illicò futurum ſit, vt vſurpentur, ſi perſeueret eadem intentio. Quam veluti characteriſticam voluntatis efficacis, profert Scotus in 1. d. 47. q. vnica, *initio corporis*. Proptereáque Diuus Auguſtinus l. de gratia & lib arbitr. intentionem appellet robuſtam voluntatem: quia ſcilicet ſuppetente exequendi facultate, voluntas intendens non languet, nec torpet; ſed vſurpat media, quibus ad finis intenti adeptionem pertingat. Scotus ſuprà, vocat voluntatem inefficacem, *voluntatem remiſſam*. Gulielmus Pariſ. lib. de tentationibus & reſiſtentiis, c. 1. *in fine*, vocat, *voluntatem languidam*: eámque contraponit *voluntati erectæ*, quo nomine deſignat voluntatem efficacem.

De eiuſdem diſtinctione ab electione, variæ ſententiæ.

411. Sciens dixi, intentionem differre & ſpecie & reipſa, ab actibus, tantùm circa media verſantibus, ne cum difficultate proximè tractata, miſcerem quæſtionem hîc diiudicandam; an electio mediorum, poſſit in vnum realiter actum cum intentione conflari. Videtur enim ita affirmandum: ita vt qui eligit, quia ex efficaci voluntatis motione progreditur, & finem & media eodem reali actu, per rationem duntaxat multiplici, attingat. Et ita planè ſentiunt aliqui, contendentes intentionem & electionem eſſe realiter eundem actum ſimpliciter & abſolutè. Ita Baſſolis in 2. d. 38. q vnica, art. 2. Durandus in 2. d. 38. q. 3. n. 8. 9. & 10. Qui argumentatur ex eo quòd ſicut vnus eſt motus, quo mobile fertur in terminum per media, ſic debet ſtatui vna inclinatio, qua voluntas ad finem per media progrediatur. Idem prætereà colligit, ex eo quòd omnis actus voluntatis, ſit tantùm duplex: nempe velle ſimplex, & velle efficax, quò ſpectat intentio & electio. Atqui ſi intentio & electio diſtinguerentur reipſa, non poſſet electio contra diſtingui volitioni ſimplici. Eſſet enim idem quod volitio ſimplex: quandoquidem non dantur niſi duo actus in voluntate; quorum vnus eſt, velle ſimplex; alter autem, velle efficax. Tandem argumentatur Durandus, ex eo quòd motiuum & obiectum materiale attinguntur eodem actu. Atqui finis, eſt motiuum amoris mediorum. Ergo media, & finis amantur eodem actu, ſicut imago & prototypum, coluntur vnico actu; quod eſt exemplum Baſſolij ſuprà.

In eadem ſententia eſt Hurtado diſp. 14. de anima ſ. 3. qui aliter argumentatur, nititúrque præſertim exemplo finis cui, & finis cuius, quos duos fines perſpicuum eſt amari eodem actu, vt probauimus agentes de amore. Cùm ergo finis & media non aliter ſe habeant ad inuicem, quàm finis cuius, & finis cui, ob proportionalem vtrobique ordinem vnius extremorum illorum ad alterum; concludi videtur, vnicum actum æquè ſufficere ad finis & medij proſecutionem, ac ſufficit ad proſecutionem boni & ſubiecti, cui tale bonum volumus. Quorſum verò deberent præcognoſci media ante finis intentionem, niſi quia ipſa quoque, vnà cum fine amari debent. Voluntas enim, ad formandum aliquem actum, non prærequirit repræſentationem velius niſi; obiecti ſui: Cæterorum autem omnium repræſentatio, eſt impertinens ad formationem actus voluntatis. Hinc ergo concludunt Authores prædicti, intentionem & electionem, eſſe reipſa eundem actum.

Alij è contrà, diſtinguunt intentionem & electionem realiter. Ita Vaſq. 1. 2. d. 33. cap. 2. & Salas 1. 2. t. 5. d. 1. n. 67. Nituntur præcipuè cauſalitate intentionis in electionem. Nam cauſa cur eligamus media, eſt, quia volumus finem. Sicut ergo concluſio differt neceſſariò à præmiſſis, quia præmiſſæ ſunt cauſa concluſionis; ita electio diſtinguenda eſt realiter ab intentione, tanquam à cauſa ſua determinatiua atque motiua, quo duntaxat modo præmiſſæ in concluſionem influunt, & tamen cenſetur ea cauſalitas ſufficiens ad fundandam realem præmiſſarum à concluſione diſtinctionem.

Tandem alij contendunt, intentionem aliquando diſtingui reipſa ab electione; aliquando autem non diſtingui, pro libertate voluntatis. Ita Maior in 2. d. 38. quæſt. 2. *in fine*. Baſſolis ead, diſt. q. vnica, art. 2. Ocham. in 1. d. 1. quæſt. 1. *litera K*. Val. 1. 2. d. 2. q 3. p. 1. & Becan. 1. 2. tract. 1. cap. 3. quæſt. 1. n. 7. Fundamenta ferè ſunt, quæ tanguntur in vtraque ſententia iam propoſita, cum ea tamen accommodatione, quam mox attingam.

Conciliantur quoad eos actus confusè ſpectatos.

412. Mihi in hac difficultate, videntur nonnulla duntaxat nomine tenus diſcrepantia ſtatui, & in quibuſvis ſententiis propoſitis aliquid verè dici, poſſéque fortaſſis non incommodè omnes ad concordiam reuocari, ſi ſecernamus aliqua. Statuo igitur in primis, voluntatem poſſe abſolutè ferri efficaciter in finem, atque adeò illum intendere, abſque eo quòd in media feratur, explicitè & diſtinctè, ſed tantùm confusè & indeterminatè, ac valdè indirectè. Vt cùm quis volendo efficaciter conſequi ſanitatem, nondum diſtinctè cogitat de mediis: tametſi volitio eorum, confusè inuoluatur in ea finis prout aſſequendi appetitione. Statuo præterea, medium non poſſe amari, niſi finis quoque ametur, idque formaliter & directè, quandoquidem finis vel amor eius, eſt ratio formalis, amoris mediorum. Fateor quidem interdum media diſtinctiùs amari quàm finem: Tamen quoties media amantur, finis quoque amatur, & quidem directè & formaliter.

Et hoc pacto videmur poſſe non incommodè accipere duas priores ſententias propoſitas. Qui enim dicunt, finem & media amari eodem actu efficaci, & reſpiciente aſſecutionem; rectè dicunt, ſi id intelligunt de actu, explicitè ad finem, & implicitè ac indirectè ad media terminato: vel vice verſa de actu circa media; ad finem per modum motiui atque obiecti tendente. Qua ratione locum habet proportio finis cui & finis cuius ex vna parte, cum fine & mediis ex altera. Eodémque etiam ſpectat, ratio quæ vrgebatur ex præexigentia repræſentationis mediorum ad intentionem finis. Qui verò dicunt finem intendi, ſiue amari efficaciter per actum diſtinctum ab amore mediorum efficaci & reſpectiuo finis; non malè ſentiunt, ſi id intelligant de actu tendente explicitè in ſola media, nec niſi confusè in finem. Talis enim actus, diſtinguitur realiter à diſtincta & explicita appetitione finis V. G. actus

quo

quo appeto explicitè propoſitam ſanitatem, non niſi confuſè cogitans de medijs, differt realiter ab actu, quo decerno haurire pharmacum, non cogitans diſtinctè de ſanitate, eámque proinde non intendens explicitè. Appello intentionem explicitam, itémque electionem explicitam; non quòd implicitum vel explicitum, teneant ſe ex parte voluntatis; (perſpicuè enim tenent ſe ex parte notitiæ & intellectus;) ſed quòd per eum diuerſum modum, quo intellectus prælucet voluntati, eámque notitiæ confuſionem vel expreſſionem non incommodè deſignetur actus voluntatis ſubſtratus, aliquatenus redolens intellectionis prælucentis confuſionem aut claritatem. Si igitur actus voluntatis, quo finem explicitè propoſitum appetit finem nonnihil confuſiùs, media autem explicitiſſimè: rectè dicitur, finem amari efficaciter. ſiue intendi, actione realiter diſtincta ab ea quæ amatur medium in ordine ad finem.

Iiſdem explicitè ſumptis, libera eſt voluntati diſtinctio.

413. Difficultas tantùm ſupereſt, quomodò ſe habeant explicitus & expreſſus amor efficax vtriuſque illius obiecti. An ſcilicet intentio explicita finis, differat neceſſariò realiter ab electione expreſſa & explicita mediorum; an verò poſſint eſſe vnus atque idem actus. Et in hoc puncto mihi placet poſtrema ſententia, quæ admittebat poſſe hos actus reipſa diſtingui, & poſſe etiam reipſa idem eſſe, nec diſtingui niſi ratione.

Probatur, interdum diſtingui.

Aio igitur in primis. finem & media, poſſe ad eum modum amari, diuerſis realiter actibus. Hoc euincunt argumenta, quæ profert Vaſquez ſuprà, deſumpta ferè ex Gregorio in 1. d. . q. . art. 2. præ erítimque hoc probat collatio finis & mediorum, cum præmiſſis & concluſione, inter quæ eſſe paritatem admittit D. Thomas . quæſt. 8. & 9 vtrobique artic. 3. Idémque ex 6. Eth. cap. 2 colligitur à Scoto in 1. d. 1. quæſt 3. *litera A.* Atqui intellectus non præſtat aſſenſum concluſioni & præmiſſis, per eundem actum, alioqui non diſcurreret. Ergo voluntas quoque, poteſt medium & finem appetere diuerſis actibus. Tametſi ſicut actus, quo præſtatur aſſenſus concluſioni, includit ordinem ad actum, quo præbetur aſſenſus præmiſſis, eúmque quodammodò trahit & importat; ita amor mediorum, includit aut præſupponit actum circa finem.

Proferunt aliqui diſparitatem, concedentes concluſionem debere à præmiſſis realiter diſtingui; quia verè eſt effectus, aut quaſi effectus earum: negantes autem ſimiliter electionem diſtingui debere reipſa ab intentione, quia electio non ſe habet vt effectus ad intentionem, niſi fortè ex parte obiecti; quatenus ſcilicet verum eſt dicere, medium idcircò amari, quia finis amatur.

Sed contrà. quia eodem prorſus modo, quo præmiſſæ cauſant concluſionem, eodem amor finis eſt etiam cauſa, vel quaſi cauſa amoris mediorum; & vel vtrobique id valet ex parte actus, vel neutra ex parte. Nam ſicut ex eo quòd præmiſſæ ſint formale obiectum mouens ad aſſenſum concluſionis, inferimus realem earum à concluſione diſtinctionem; ita vt ex illa cauſalitate præmiſſarum ex parte obiecti, inferatur quoque cauſalitas ex parte actuum: ſic in re præſenti, ex eo quòd finis ſit motiuum reſpectu amoris mediorum, rectè colligimus finem poſſe amari actu diuerſo ab amore mediorum. Non licebit autem de hac reali vtriuſque actus diſtinctione dubitare, ſi intentio finis ſtatuatur ex parte obiecti formalis mouentis ad electionem, ita vt idcircò quis velit media, quia voluit finem, priùs ſaltem natura. Cùm enim idem actus non poſſit eſſe motiuum ad ſeipſum, negari non poterit, quin intercedat realis diſtinctio inter electionem & intentionem, ſi intentio iungatur cum bonitate finis ad cauſandam determinatiue electionem: ita vt integrum obiectum formale electionis, ſit bonitas finis próvt amata. Exiſtimo tamen, etiamſi ſola bonitas finis ſupponatur habere rationem motiui ad amorem mediorum, vt ſit, eùm medium & finis amantur eodem actu; adhuc poſſe voluntatem pro ſua libertate diuerſos actus formare circa duo illa obiecta. Sunt enim apta ad fundandam diſtinctionem actuum in ea tendentium, etiamſi ſola ſumantur, & actus tendens circa finem non iungatur cum fine ad cauſandam electionem per modum partialis motiui, ſed tantùm habeat ſe vt conditio prærequiſita, vt finis poſſit mouere ad electionem mediorum.

Ad rationes in contrarium.

414. Contra hanc partem ſententiæ noſtræ, vrgeri poſſunt argumenta, quæ propoſita ſunt pro ſententia aſtruente identitatem realem intentionis & electionis. Verùm argumenta poſteriore loco propoſita, non plùs probant quàm quod ſuprà admiſimus Nempe quòd in amore efficaci finis, ſemper inuoluatur impræciſibiliter, (confuſè tamen & indeterminatè,) aliquis amor mediorum: & vice verſa in amore mediorum, vel importetur, vel connotetur amor finis. Non tamen probant, neceſſariam intentionis explicitè acceptæ, & electionis item explicitè ſpectatæ, identitatem: qua tantùm ratione comparamus nunc iſtos actus. Poteſt enim voluntas actus illos ſeiungere realiter, etiamſi connexos, vt de præmiſſis & concluſione diximus. Ad quod exemplum, tanquam ad ſcopulum alliduntur omnes ferè rationes, quas pro identitate intentionis & electionis ex Durando ſuprà, retulimus priore loco. Negandum quippe eſt, eundem neceſſariò realiter eſſe motum in media, & in terminum, ſiue in finem. Alioqui liceret ſimiliter concludere, præmiſſas & concluſionem eſſe vnicum actum, quod concedit Durandus num. 13. Sed omninò abſurdè: ſic enim exſcinditur ratio diſcurſus, quæ multiplicitatem actuum poſtulat. Euertit etiam ibid. Durandus certam apud omnes dependentiam habitus concluſionum, ſiue ſcientiæ, ab habitu principiorum, qui dicitur intellectus. Negat enim, principia quatenus principia, ſiue prout actu influunt in concluſionem, ſpectare ad habitum principiorum, vúltque ſpectare ad habitum concluſionum ſiue ad ſcientiam. Quod eſt manifeſtè exſcindere dependentiam illam, quam omnes, vt dixi, agnoſcunt, éſtque ſuo loco ſtabilita. Negandum præterea eſt, omnem voluntatis actum, aut eſſe velle ſimplex, aut efficax, vnico realiter actu comprehenſum. Poſſunt enim ſub vtroque membro, multi & realiter diſtincti actus ſecerni: etiamſi generaliter verum ſit, omnes illos actus reuocari ad duo prædicta membra vniuerſalia. Tandem negandum eſt, quòd circa obiecta ſubordinata, & ſe habentia ad modum materialis & formalis, non poſſit habere locum multiplicitas realis actuum, vt manifeſtè apparet in concluſione & præmiſſis: Itémque in imagine & prototypo, quod erat exemplum à Baſſolio adductum. Rectè enim Suares

tomo 3. 3. part. diſput. 81. ſect. 8. §. *Vlterius verò*, declarat motum voluntatis in imaginem poſſe eſſe realiter diſtinctum à motu in prototypum, etiamſi poſſint quoque ambo coaleſcere in vnum indiuiſibilem actum, vt nos etiam hîc de intentione & electione explicitè conſideratis affirmamus. Nec plura de prima parte noſtræ ſententiæ.

Probatur, aliquando non diſtingui.

415. Poſterior pars, quæ admittit intentionem & electionem, quantumlibet ambæ explicitè conſiderentur, poſſe in vnicum realiter actum coaleſcere; ſuadetur argumentis quibuſdam, Durandi, Baſſolij, & cæterorum, qui pro identitate intentionis & electionis pugnabant. Præſertimque videtur accommodatum, exemplum charitatis, quæ Deum & proximum, eodem realiter actu poteſt attingere. Item exemplum imaginis, quæ poteſt eodem interno actu coli cum prototypo propter vtriuſque illius obiecti ſubordinationem. Alia exempla ad hoc ipſum probandum congerit Angeſtus c. 5. mor. tex. 1. notab 1. Non me latet exemplum prototypi & imaginis, eſſe duntaxat exemplum, atque adeò non omnia eſſe prorſus paria In quo demonſtrando longam operam fruſtra conſumit Va q. 3. par. d. 110. à n 41. Verè enim imago non ſe habet vt medium, nec prototypum vt finis cui. Sicut etiam in altero exemplu, Deus non ſe habet vt finis, neque proximus vt medium. Argumentum tamen, quo conantur ſtabilire identitatem intentionis & electionis ex illis exemplis, non fundatur in identitate quoad omnia; ſed in ſubordinatione vnius ex illis obiectis ad alterum. quæ eſt ſufficiens ratio, cur poſſint terminare eundem realiter actum. Cùm enim eadem ſubordinatio locum habeat inter obiectum intentionis & electionis. meritò admittimus duo illa obiecta poſſe eodem realiter actu attingi.

Ad argumentum in contrarium, & diſparitas inter præmiſſas ac concluſionem, & finem ac media, exponitur.

Argumentum quod contra hanc partem ſuperiùs propoſitum eſt, ex toties adhibito præmiſſarum & concluſionis exemplo, quo videtur concludi intentionem & electionem ſemper diſtingui realiter, à quibuſdam, vt à Maiore & Becano ſuprà adductis; non aliter declinatur, quàm fatendo quòd poſſint quoque præmiſſæ obiectiuæ, & concluſio, eodem realiter actu attingi: Vel (ad vitandam amphibologiam ex ea attingentia plerunque exorientem;) admittendo, quòd poſſint quoque præmiſſæ formales, & concluſio formalis, eſſe vnicus realiter actus.

Verùm neganda eſt conſequentia in eo exemplo fundata. Vnicus enim ille actus terminatus ad concluſionem & præmiſſas obiectiuas, dari non poteſt. Quia quamuis ea obiecta ſint ſubordinata; tamen non ſunt vno actu attingibilia, niſi ab illo, qui illa clarè intuetur, ob diſtinctam vtriuſque euidentiam, & certitudinem fundamentalem, vt acute attigit Scotus in 1. d. 1 quæſt. 3. *litera A*, obſeruans diſcrimen eſſe inter præmiſſas & concluſionem ex vna parte. intentionem autem & electionem ex altera; *quòd illi duo aſſenſus intellectus diſtinguantur ex natura obiectorum ſunt enim alteri*, ſiue diſtincti realiter, *propter euidentiam alteram huius, vel illius veri: & ideò habent diſtincta obiecta ſibi correſpondentia, & ipſos cauſantia. Hic autem huiuſmodi aſſenſus*, extenſa voce ad affectum voluntatis, ſicut etiam interdum appellatur conſenſus; *non ſunt diſtincti ex diſtinctione obiectorum, ſed ex diſtincto actu potentiæ liberæ, ſic vel ſic acceptantis obiectum eius: quia in poteſtate eius eſt, ſic vel ſic agere, referendo vel non referendo: & ideò non correſpondent illis actibus propria obiecta diſtincta, ſed quodcunque bonum volibile, poteſt voluntas habere obiectum, ſecundùm hunc actum, vel ſecundùm illum.*

416. Quare dicendum eſt, ea obiecta ſubordinata poſſe eundem actum terminare, quorum vnum non habet peculiare impedimentum, quominùs cum altero vnum & eundem actum terminet: Et tale impedimentum deeſſe in aliis exemplis propoſitis, nominatimque in bonitate finis & medij. In præmiſſis autem & concluſione aliud eſſe: quia obſcuritas veritatis obiectiuæ concluſionis, & claritas veritatis obiectiuæ concluſionis, & claritas veritatis obiectiuæ principiorum, obſtat quominùs intellectus, vnico actu vtrunque illud obiectum percipiat; quamuis eatenus ſint ſubordinata, quatenus vnum abſque alio non terminaret aſſenſum, quia non appareret connexio extremorum concluſionis, niſi in præmiſſis antecederet cognitio claræ connexionis extremorum cum medio. Vnde quamuis voluntas pro ſua libertate, poſſit ſi libeat, amare medium actu diuerſu ab eo, quo amat finem: ſiue terminando actionem ſuam ſeorſim ad vtrunque illud obiectum; ſiue terminando actum, quem habet circa medium, non tantùm ad obiectiuam bonitatem finis, ſed etiam ad actum amoris præelicitum circa finem, habendo vtrunque pro obiecto motiuo & formali: Tamen poteſt quoque ſi libuerit, tendere in vtrunque illud bonum vnico actu, dirigendo actum ſuum ad bonitatem medij vt perfuſam bonitate finis, & in vtranque tendendo vnico motu. Quod non poteſt intellectus, circa præmiſſas obiectiuas & concluſionem. Quia intellectus debet ferri in ſuum obiectum formale vt præcognitum tanquam quid euidens, quod debet concluſionem ex eo cognoſcendam illuſtrare. Vnde reſpectu intellectus ea colluſtratione egentis, concluſio dicitur cognoſci *ex principiis*, & per plures actus; non vt *in principiis*, vt notat D. Thomas q. 8. de verit. art. 15. quia ita neceſſe eſt progredi, quando aliquid ignotum ex magis noto, & aliquid minùs certum ex magis certo cognoſcitur. Fateor tamen actum illum qui terminatur ad concluſionem obiectiuam. prout ex principiis colluſtratam, neceſſariò eſſe reſpectiuum. Et idcircò Sylu. q. 1. conflati art. 8. ad 5. & alij; dicunt, concluſionem & præmiſſas attingi vnico actu. Non quòd aſſenſus præmiſſarum & concluſionis, ſint vnus & idem; ſed quòd is, qui concluſioni præſtat aſſenſum, quia illum priùs præſtitit præmiſſis, præſupponere debet actus præmiſſarum, ex quibus concluſionem germinare videt, debétque actus præmiſſarum indirectè attingere, ſeu connotare, ac importare per aſſenſum in concluſionem. Et hoc tantùm conuincunt quæ in contrarium proferunt Bonetus 2. Metaph. cap. 1. Soncinas l. 6 Met. quæſt. 10. concl. 3. Viſus etiam eſt quibuſdam Gregorius repugnare in 1. d. 1. q. 1. art 2. ſed annuere, patet ex reſponſione ad 2. Ochami.

Alia diſparitas, reiecta.

417. Hæc mihi videtur ſufficientiſſima via expediendæ difficultatis propoſitæ. Sunt verò præterea qui aſſignent aliud diſcrimen inter media & finem ex vna parte, & concluſionem obiectiuam ac præmiſſas ex altera: Præter alterum quod à Scoto latè

traditur

traditur quod l. 18. *litera F, & G*, nec facit ad rem præſentem. Idcircò enim dicunt, dari neceſſariò duos actus ad concluſionem & præmiſſas; poſſe autem dari vnicum ad bonitatem finis, & medij; quia finis eſt tota ratio amandi medium: ratio verò præſtandi aſſenſum concluſioni, non eſt ſola veritas principiorum, ſed veritas concluſionis, vt connexa cum tali medio, & manifeſtata per illud. Motiuum quippe aſſenſus præſtiti concluſioni, integratur ex duabus illis veritatibus iuxta hunc dicendi modum, quem tradunt Scotus in 3. d. 28. q. vnica, *in fine*, Suares d. 44. Metap. ſ 11. n. 47. & Conim. 1. Poſterior. c. 1. q. 3. a. 2.

Sed hæc diſparitas non videtur firma. In primis, quia facilè etiam poſſet aſſignari bonitas interna medio, terminans per ſe primò electionem; nempe vtilitas ad finem. Deinde ex diſparitatis aſſignatæ fundamento, ſequeretur actus fidei de diuerſis materiis ob eandem authoritatem elicitos, eſſe diuerſæ ſpeciei. Haberent enim diuerſum motiuum partiale, iuxta fundamentum poſitum ad ſtabiliendam prædictam diſparitatem. At hoc de actibus fidei diuinæ, non probatur Theologis. De actibus item fidei humanæ, non videtur conforme receptæ ſententiæ. Reſpondent Conimbr. 1. Poſter. cap. 23. quæſt. 2. artic. 5. concluſionem fidei materialiter ſumptam, non cognoſci in ſe, ſed in teſtimonio dicentis. Sed contrà, quia etiam concluſio ſcientifica vel non cognoſcitur in ſe, ſed in principiis ex quibus eruitur: vel ſi ideò in ſe cognoſcitur, quia intellectum terminat, idem quoque dicendum erit de obiecto materiali fidei: quod fatendum erit cognoſci in ſe, licèt cognoſcatur propter authoritatem dicentis.

Itaque malo ſiſtere in ea, quam tradidi diſparitate: Nempe quòd idcircò finis & medium poſſint vnico actu appeti, quia finis, prout ſecundùm ſe terminat voluntatem, non habet diuerſam rationem formalem ab ea ſecundùm quam terminat voluntatem, prout iunctus medio. At motiuum aſſenſus principiorum, nempe veritas ſimplex, valdè differt a motiuo aſſenſus concluſionis, quod eſt veritas complexa principiorum, à qua ex terminis euidente, lux refunditur in concluſionem ex ſe obſcuram: Ideóque neceſſe eſt, actum intellectus terminatum ad præmiſſas obiectiuas, differre realiter ab actu intellectus terminato ad concluſionem obiectiuam: quandoquidem idem realiter actus, non poteſt ſimul eſſe euidens & ineuidens: ſiue notus ex ſuis terminis, & notus per aliam propoſitionem; à qua item mendicat certitudinem, qua ex ſe deſtituitur.

ARTICVLVS II.

De conſultatione, electione, atque conſenſu.

418. HActenus de actibus circa finem directè occupatis, cùm in intellectu, tum in voluntate. Nunc pergendum eſt ad actus vtriuſque facultatis circa media: qui vel ſpectari poſſunt intra operantem, cuiuſmodi ſunt conſultatio, electio, atque conſenſus: vel prout prodeunt in opus, exercéntque quod in animæ conſiſtorio efficaciter conſtitutum fuerit, per actus illos, quos dixi operanti immanere, De prioribus hîc primò agendum.

ASSERTIO.

INtentionem efficacem ſequitur conſultatio de illis, quorum bonitas reſpectiua dubia eſt, ſitáque in noſtra poteſtate. Eam inquiſitionem claudit iudicium practicum, pronuncians de bonitate medij aſſumendi. Iudicio illi ſuccedit electio, quæ idcircò definitur, appetitio præconſiliati. Electionis verò quidam quaſi anteambulo, aliquando eſt conſenſus.

PRimò ago de actu intellectus præuio actui voluntatis circa media. Hoc, eſt de conſultatione, de qua Ariſtoteles 3. Eth. c. 3. & 1. Rhet. cap. 4. quibus locis multus eſt in expoſitione obiecti huius actus, ſeu rei, de qua inſtitui poteſt conſultatio: quia inde pendent omnia, quæ de hoc actu vtiliter quæri & tradi poſſunt. Sumo porrò hoc loco conſultationem, aliter quàm plerique hoc loco ſumant conſilium; qui dum latinitatem in tractatione philoſophica affectant, & vocem Græcam [illegible] vertunt *conſilium*, confundunt actum intellectus circa media, cum actu voluntatis: conſultationem inquam cum electione, cenſéntque eundem eſſe actum, de quo Ariſtoteles 3. Ethic. cap. 2. & 3, diſputat, cùm tamen reuera in 2. capite agat de electione: in 3. autem occaſione electionis, quam definit appetitum præconſiliati, agat de conſilio, quod eſt in intellectu. Itaque ad vitandam confuſionem, quæ ex vſu Latinæ vocis *conſilium* poſſet exiſtere, ſatius videtur abſtinere ea voce; aut eam ſaltem non vſurpare, niſi adhibita explicatione aliqua, quæ conſilium arctet ad intellectum, qua ratione hîc conſideratur.

Conſultationis obiectum quale, ex Philoſopho.

Obiectum ergo conſilij ſic accepti, ſiue conſultationis, ſtatuitur ab Ariſtotele c. illo 3. in hunc modum. *Conſultabile id dicendum eſt, de quo mentis compos vir, non quiuis vel ſtolidus vel inſanus conſultaret. De æternis autem nemo conſultat, vt de mundo, aut diametro & latere, quòd nulla inter ſe æquabilitate conueniant. At neque de iis, quæ in motu quidem ſunt, ſed ſemper tamen circa eadem verſantur, ſiue neceſſitate, ſiue natura, ſiue aliqua alia de cauſa; vt de ſolſtitiis atque ortibus. Neque de iis, quæ aliàs aliter eueniunt, vt de ſiccitatibus & imbribus. Neque item de iis, quæ fortuna contingunt, vt de theſauri inuentione. Sed neque de humanis omnibus conſultamus. V. G. quomodo Scythæ optimè adminiſtrare Rempublicam poſſint, nullus ex Lacedæmoniis conſultat. Nihil enim ex his eiuſmodi eſt; vt agi per nos ipſos valeat. Conſultamus autem de agendis rebus, atque iis, quæ in noſtra ſita ſunt poteſtate: Hæc enim reſtant: quippe cùm cauſæ nulla alia eſſe videantur, quàm natura, & neceſſitas, & fortuna; mens præterea, atque omne id quod per hominem agit: Vnuſquiſque autem de iis, quæ per ipſum agi poſſunt, conſultet.* Similia habet 6. Eth. c. 5.

419. Vides autem quàm accuratè Philoſophus ſubductis cauſis omnibus rerum, concludat, con-

ſultationem eſſe duntaxat de iis, quæ ſunt in noſtra poteſtate. Cùm enim cauſæ rerum vel ſint naturales, vel fortuitæ, vel liberæ, negat conſultationem iniri à ſapiente de rebus neceſſariis, aut æternis, vel fortuitis. Quis enim vocat in deliberationem, conſultátque, an diameter ſit commenſurabilis coſtæ; vel an motus cœli aut planetarum ſit hoc vel illo modo perficiendus; aut in imbres debeant hieme accidere, & ariditas æſtate; vel an theſaurus debeat foſſionem agri comitari? De his nemo niſi fatuus conſilium ſumere tentauerit: quia quantumcunque homo connitatur aut meditetur, nihil proficiet: cùm tamen conſultatio ideò inſtituatur, vt homo, re maturè diſcuſſa, prouideat quid fieri, quidve auertı debeat. Eandémque ob cauſam. Nemo item conſultat de his quæ fixa planè ſunt & aliter ſe habere non poſſunt. *Ad examen veniant*, ait Caſſiodorus l. 9. varia epiſt. 23. *Quæ putantur incerta. Nam quis de illa re æſtimet deliberandum, vbi nihil reputatur ambiguum?* Ob eandem rationem nemo conſultat de rebus iam factis, iuxta illud 6. Eth. cap. 2. *Nihil eſt eligibile quod factum eſt. V. C. Ilium expugnaſſe, eligit nemo. Non enim conſultat quiſpiam de eo quod factum eſt, ſed de eo quod futurum eſt, eſſéque aliter poteſt. Quod autem factum eſt, quin factum ſit, fieri nullo modo poteſt. Idcircò rectè Agatho inquit:*

Re namque ſola hac ipſe priuatur Deus,
Vt facta minimè infecta poſſit reddere.

Itaque conſultatio neceſſariò eſſe debet de re poſita in noſtra poteſtate: cuiuſmodi non ſunt quæ pendent ab aliorum voluntate, ſed quæ ſunt per nos operabilia, aut certè per amicos. *Nam quæ per amicos fiunt*, inquit Ariſtoteles 3. Eth. c. 3 *per nos quodammodò fieri videntur, quippe cùm principium in nobis ſit:* id eſt, cùm nos ſimus, qui amicis authores & impulſores ſumus ſic operandi. Cùm autem quæ ſunt in noſtra vel amicorum poteſtate, nondum ſint, ſed poſtea ſint futura, ſi ita ferat libertas, perſpicuum eſt hallucinatum eſſe Dionem orat. 26. negantem poſſe de futuris iniri conſultationem, eo quòd non ſint.

Sed neque de omnibus quomodolibet per nos operabilibus, inſtitui poteſt conſultatio Idcircò enim notat Philoſophus, conſultationem non inſtitui de omnibus obiectis artium practicarum. V. G. quomodò ſcribendum ſit, & quomodò ſint conformandi characteres. Quamuis enim ſcribendum ſit, néczne, in conſultationem vocetur: tamen poſito quòd ſcribendum ſit, nemo conſultat, an debeat elementa pingere hoc vel illo modo, aut verſus ducere in hanc vel illam partem; ſed in omnibus huiuſmodi, quamuis per nos fiant, ſtamus vſui recepto. Itaque conſultatio inſtituitur de rebus non omninò determinatis, ſed ita pendentibus à noſtra poteſtate, vt noſtrum ſit aliquid circa ea determinare, eo quòd ipſa non ſint in ſe penitus determinata ac certa. Quia ergo nullatenus dubium eſt, qua ratione ſcriptura effici debeat; ſed modus ſcribendi eſt omninò certus ac determinatus; propterea ea actio non eſt materia conſultationis: Et qua proportione artes aliquæ præcellunt obiecti ſui determinatione, eo minùs adhibent conſultationem, vt videre eſt in gymnaſtica, quæ vix eget conſultatione, cuius è contra plurimus vſus eſt circa rem medicam, & quæſtuariam, & gubernatiuam, ob indeterminationem huiuſmodi rerum, & magnam varietatem quam ingerunt. Quare concludit Ariſtoteles, *magis etiam in artibus, quàm in ſcientiis conſultatio eſt, eo quòd in ipſis magis ambigere conſueuimus. Conſultatio autem de illis eſt, quæ vt plurimùm quidem fiunt, incerta tamen ſunt quomodò euadant, & in quibus indeterminatio exiſtit.*

Non complectitur finem, ſed media tantùm.

420. Mox item ſubiungit, conſultationem non inſtitui de fine, ſed de mediis, nimirum quia finis ob ſuam determinationem ſubducitur conſultationi. *Conſultamus*, inquit, *non de finibus, ſed de iis, quæ ad finem tendunt. Nam neque Medicus an ſanaro; neque Orator an perſuadere; neque ciuilis an benè legibus inſtitutam patriam reddere debeat; neque ex aliis quiſpiam de fine conſultat: ſed omnes, cùm finem quendam ſtatuerint, quo modo, ac per quæ conuenire is poſſit, deliberant: ſiquæ is per plura fieri poſſe videatur, per quodnam facillimè atque optimè fieri queat, conſiderant. Si per vnum, quomodo per id effici rectè valeat: & illud item per quod, atque id tantiſper, donec ad primam cauſam deuenerint, id quod in inuentione extremum eſt.* Ruſúſque infrà. *Videtur autem, quemadmodum dictum eſt, homo eſſe actionum principium. Conſultatio vero de iis eſſe, quæ ab ipſo homine agi queunt; actiones autem aliorum cauſa fiunt. Non eſt igitur conſultabilis finis: ſed ea in conſultationem veniunt, quæ ad finem ipſum ſpectant. Neque hæc tamen particularia, vt an panis hoc ſit, vel ſubigatur, vel qualitate affectus ſit, vt oportet: ad ſenſum enim hæc pertinent. Nam ſi ſemper conſultaret quiſpiam, infinitè progrederetur. Conſultabile autem & eligibile idem eſt.* Cùm ergo eligatur duntaxat medium, finis verò intendatur, liquet finem non obiici conſultationi, ſed ſola media iuxta Philoſophum.

Hoc quibuſdam non immeritò viſum eſt dubium. An non enim ſi duo fines proponantur, conſultari poteſt vter intendendus ſit? Certè Val. 1. 2. d. 2 q. 9. p. 2. exiſtimat ſolum modum loquendi obtinuiſſe, vt dicamur tantùm de mediis conſultare. Salas item 1. 2. tract. 6. d. 2. n. 6. admittit conſultationem poſſe interdum inſtitui de fine, cùm ſcilicet eius bonitas non eſt manifeſta. Fauet S. Thomas 3. Eth. lect. 5. *in fine*, quatenus admittit, electionem, (cuius eadem eſt materia quæ conſultationis,) non eſſe de fine, quia hic vt plurimùm eſt determinatus, & à natura nobis præfixus. Igitur ſi aliquando contingat, eum non eſſe determinatum, poterit & electioni & conſultationi obiici.

Exiſtimo tamen rectè Ariſtotelem vniuerſaliter ſtatuiſſe, conſultationem nunquam eſſe de fine vt finis eſt, ſed quoties aliquid habens in aliquo progreſſu rationem finis, terminat conſultationem, non ſpectatur vt finis, ſed vt medium ad aliquid anterius, cui conſequendo deſtinatur. V. G qui conſultationem inſtituit, debeátne cœlibem vitam degere, an coniugalem. & confert hos fines, vt alterum eligat; reuera non ſiſtit in his finibus, ſed commutat eos in media, inquiritque quiſnam ex eis futurus ſit conducibilior ad vitam æternam, vel ad vitam tranquillam, quod, vt patet, eſt fines illos habere pro mediis. Et ita ſemper contingere, quandocunque videtur conſultatio inſtitui de finibus, notauit Piccolom. gradu 2. c. 22.

Quomodò conſultans reſoluat, iuxta Ariſtotelem.

421. Finis igitur non cadit in conſultationem, ſed ad eam præmittitur, eóque præſtituto tanquam primo in intentione, admetimur ad illud media. Nam omne iudicium de mediis, omniſque circa ea perſcrutatio

ſerutatio eò tandem pertinet, vt ad finis optimam & ſecuriorem vel commodiorem aſſecutionem pertingatur. Itaque ſoppoſita præfixione finis; ſi vnicum ſit medium, neceſſaria eſt eius appetitio & vſurpatio: tantúmque locus eſt conſultationi, quoad modom vel tempus aliáſve circonſtantias, quibus tale medium vſurpandum eſt. Quòd ſi nullum occurrat mediom, adhibetur ſollicita & ſtudioſa inueſtigatio, vt inueniatur. Prorſus autem præcluſa ſpe inoeniendi medium aliquod, concidit vniocrſos progreſſus, omniſque mentis vigor hebeſcit. Si occurrant plura media, adhibetur conſultatio inueſtigans qoodnam ſit melius: tandiúque pergit inquiſitio, donec perueniatur ad cauſam primam, quæ inuentione eſt vltima: hoc eſt donec inquiſitio produxerit hominem, ad medium primo loco vſurpandum. Nam conſultans videtur quærere & reſoloere. Quemadmodom Geometra exponens aliquarum linearum déſignationem, ſiue Mathematicam figuram, reſoluit concluſionem in principia, nuſquam pedem figens, donec ad prima principia peruenerit. Similiter ergo inqniſitio conſultantis, debet perduci vſque ad illod, qnod in operatione primum eſt: qoia illud qnod eſt in reſolutione vltimum, eſt in operatione primum. Neceſſe autem eſt, vt hoc primum mediom, quo primùm admouenda eſt manus operi, reductum à conſultante ſiue operante fuerit ad ſeipſum, & ad principem ſui partem; nempe ad ratiooem & voluntatem, per quam illud eligat, quò cùm peruenerit, ceſſat conſultatio.

Hic eſt ſenſus illorum Philoſophi verborum. *Omnes cùm finem quendam ſtatuerint quo modo ac per q‹u›e euenire is poſſit, deliberant ſique is per plura fieri poſſe videatur, per quodnam faciliſſimè atque optimè fieri queat conſiderant. Si per vnum, quo modo per id effici rectè valeat, & illud item per quid; atque id tantiſper, donec ad primam cauſam deuenerint: id quod in intentione extremum eſt. Qui enim conſultat, quærere videtur & reſoluere prædicto modo, quemadmodum deſignationem. Non qualibet autem quæſtio conſultatio eſt, vt Mathematica: ſed qualibet tamen conſultatio, inquiſitio eſt: Et quod extremum eſt in reſolutione, in generatione eſſe primum videtur.* Et infrà. *Conſultabile & eligibile idem eſt, niſi quòd eligibile definitum iam eſt: quippe cùm nihil aliud ſit, quam id quod ex deliberatione antè poſitum fuerit. Deſinit enim vnuſquiſque tunc inquirere, quo modo ſibi agendum ſit, cum in ſeipſum principium reduxerit, in eamque ſui partem, quæ principatum obtinet: ea enim eſt quæ eligit. Hoc autem ex antiquis etiam rebus publicis manifeſtum eſt, quas Homerus imitabatur. Nam Reges ea quæ elegerant, ad populum referebant.* Hæc Philoſophi loca apertè ferunt quod præmiſi, & nihil præthereà.

Falſa eiuſdem reſolutionis expoſitio, reiecta.

422. Aberrauit ergo à vera Philoſophi mente Salas 1. 2. tract. 6. d. 2. n. 8. eùm dixit, Philoſophum affirmantem in conſultatione fieri reſolutionem, vti metaphora petita à mixti reſolutione in elementa. In qoa reſolutione, manentibus partibus ſolidis, reliqnæ euaneſcunt. Sic enim cùm in conſultatione occurrant multa, nonnolla quidem retinentur; alia autem omittuntur, & quaſi ſeparantur, Exiſtimátque Salas, ab eadem metaphora doctam eſſe appellationem prioris & poſterioris reſolutionis in ſyllogiſmis: eo quòd relinquam præmiſſas, & ſumpta concloſione, deducamus inde aliam. Hanc expoſitionem aio planè abhorrere à mente Philoſophi, tum quoad analyſim ſyllogiſticam, tum qnoad conſultatoriam.

Et qoidem ſyllogiſtica, (vt fuſiùs tradunt Carpentar. digreſſ. 1. in Alcin. & Interpretes initio Priorum,) nihil eſt quàm reuocatio concluſionis ſyllogiſmi ad principia ſua, cùm materialia, tum formalia. Vnde eruitur duplex analyſis; nempe vna in concloſionis illius motiuum, quod eſt pro quouis ſyllogiſmi genere peculiare; alia in formam artificioſam, quæ eſt omnibus ſyllogiſmis æquè communis. Omnes enim ex certa medij cum extremis complicatione, efficiuntur: quamuis non omnes, ex iiſdem præmiſſis ad concloſionis aſſenſum mouentibus, compingantur. Et idcircò quia quæ ſunt communiora debent præmitti, Ariſtoteles ſyllogiſmi reſolotionem in ſua principia formalia omnibus æqoè ſyllogiſmis communia, vocauit priorem analyſim. Poſteriorem autem appellauit eam, quæ fit in motiuum concluſionis, (præſertim demonſtratiuæ. quæ eſt omnium præcipua) oſtendendo qualiſnam eſſe debeat propoſitio, ex qua contexitur ſyllogiſmos, ad hoc illúdve concludendom confectus. Quod Alexander in præfatione Priorum rectè exponit. Salas autem ioxta ſoam illam metaphoram, nolla ratione poteſt exponere, cur analyſis ſyllogiſtica quædam prior, quædam poſterior dicatur.

Nec minùs à Philoſopho aliena eſt eadem metaphora reſolotionis elementorum, quoad reſolntionem conſultationis, de qoa hîc agimus. Nam Philoſophus, vt oſtendi vult reſolutionem conſultationis eſſe ordinatam. At in illa ſegregatione heterogeneorum, nullus eſt ordo. Deficit item ea analogia, quia io reſolotione conſnltationis, deueniri debet ad vnum primum, vt expoſitum eſt. Nihil autem tale cernitur in reſolntione mixti in elementa.

Verus ergo Philoſophi ſenſos eſt, conſultantem procedere à fine ad varia media, qoæ per conſultationem ſigillatim inqoirit. Quemadmodum enim qui inueſtigat ſimplicia, aut partes ex quibus totum aliquod componitur, dicitur procedere ordine reſolutorio; quia orditur à toto, & deſinit in partes ſingulas: ita qui conſultat, ſtatuit primò finem, quem intendit, & ad eum tanquam ad regulam exigens media, ſerutatur vias & rationes, qnibus ad eum poſſit pertingere, tandémqoe deſinit in vno, qood primum eligit, & à qoo executionem auſpicatur.

Ordines intentionis & executionis; & quomodò oppoſiti.

423. Hinc verò perſpicitur, quò ſenſu duo ordines in humano operandi modo diſtinguantur, oppoſitique ſtatuantur: Vnus ſcilicet intentionis, alter executionis; & ita quidem, vt quod primum eſt in intentione, oimirum finis, ſit in executione poſtremum; (finis enim vltimò tantùm loco obtinetur, eóque obtento ceſſat tota voluntatis negotiatio;) qood autem eſt in executione primom; (id eſt medium, in quo conſoltatio conqnieuit;) ſit vltimum in ordine intentionis & negotiationis internæ. Id quod Ariſtoteles loco allegato expreſſit, cùm dixit, quod eſt extremum in reſolutione, eſſe generatione primum. Quem enim paſſim vocamus ordinem intentionis, ipſe ibi ordinem reſolutionis ſiue conſultationis nominat. Et quem vocamus ordinem executionis, vocat ordinem generationis. Cauſa porrò cur quod eſt executione primum, ſit conſultatione & intentione poſtremum; & è contrà, ex eo ducenda eſt quòd conſultatio præmittit finis intentionem, eáque ſuppoſita quærit quæ ſunt ad finem vtilia, prout vtilia. Cùm autem quædam ſint vtilia ſeipſis, quædam interuentu aliorum proximiùs vtilium, inde fit, vt quo remotiùs aliquid vtile eſt ad finem, eo poſterius veniat in conſultationem. At vice verſa executio, ſeruat ordinem cauſarum

rum efficientium,quibus ad finem pertingendum eſt, inter quas illa eſt prior, quæ eſt remotior. Nam remotior mouet magis propinquam, & idcircò executio incipit à cauſis remotioribus.

Ita rectè Vaſq. 1..p.d. 89.n.53.& 54.rectè ea doctrina conuellens placitum nonnullorum, alium ſtatuentium finem in ordine executionis, quàm quem reponunt in ordine intentionis; & idcircò affirmantium, finem quo mouet in ordine intentionis,non eſſe eundem qui mouet in ordine executionis: ſed ex alio motiuo ſeu fine priorem ordinem conſtitui, ex alio poſteriorem. V.G. ſtatuunt, Deum,in ordine intentionis,velle dare gloriam ex motiuo miſericordiæ: in ordine autem executionis, velle illam dare ex motiuo iuſtitiæ Quæ profectò pugnant cum Ariſtotele & contrapoſitione vtriuſque illius ordinis paulò antè expoſita. Cúmque oporteret ordinem executionis ſtatuere in re ipſa, malè Autores prædicti ſtatuunt etiam aliquem ordinem executionis in mente artificis.Quod eſt ipſam vocum notitionem peruertere,ac intentionem in executionem transformare, & contrà.

Addo inſuper contra Scotum in 3. d. 7.q. 3. *litera B*. propinquitatem illam mediorum ad finem, ratione cuius dicebam medium aliquod priùs intendi, & poſteriùs executioni mandari; non eſſe ſpectandam penes dignitatem: quaſi illud cenſeri debeat fini propinquius, ac proinde intentione prius, & executione poſterius, quod dignitate & nobilitate propinquius eſt fini. Ea quippe maior medij aſſimilatio cum fine impertinens eſt ad prioritatem in ordine intentionis, in quo tantùm ſpectatur quod eſt ad finem aſſequendum magis vtile:quia medium vt medium conſtituitur vtilitate ad finis conſecutionem, quæcunque tandem ſit entitatiua medij nobilitas.

Rectè denique idem Vaſques 1.p.diſp.82.n.20.& Suares l.1.de prædeſt.c.18.n.16.obſeruant,effatum illud Ariſtotelicum quod exponimus, valere tantùm inter media & finem cuius, qui eſt ſimpliciter dictus finis:non valere autem inter media & finem cui. Ratio eſt, quia media ſunt cauſæ efficientes reſpectu ſolius finis cuius,non autem reſpectu finis cui,qui duntaxat habet rationem ſubiecti, cui procuratur finis cuius. Cùm enim finis cui non intendatur, nec ſit adipiſcendus per media; tanquam per cauſas efficientes,meritò negatur pertinere ad ordinem intentionis, vel executionis.

Electionis ſeiunctio ab aliis actibus.

414. Secundò egi de electione, quæ conſultationem proximè excipit, exponitúrque ab Ariſtotele 3. Eth. c. 2. Vbi ſtatuitur in primis, electionem neque eſſe concupiſcentiam, neque iram: id eſt, non ſpectare ad appetitum ſenſitiuum; ſiue concupiſcibilem, ſiue iraſcibilem:ſic enim poſſet in bruta cadere, quod Ariſtoteles disertè negat, cùm bruta non ſint libertatis capacia, nec ſit in eorum poteſtate aliquid inter plura vſurpare potiùs quàm aliud duntaxat quia placet. Hoc autem eſt de ratione electionis vt vox etiam ipſa ſonat.

Statuit præterea ibidem Ariſtoteles electionem non eſſe volontatem. Hoc eſt, neque eſſe intentionem, (ſaltem formaliter & ſub eo conceptu,) neque amorem ſimplicem. Quod variis rationibus confirmat, ſed illa eſt præcipua, quod electio cadat duntaxat in media:intentio autem & amor ſimplex ſint finis. Item amor ſimplex poteſt eſſe etiam impoſſibilium, & quidem cognitorum:poteſt enim quis volatum vel immortalitatem ſimplici deſiderio expetere, quamuis non ignoret impoſſibile eſſe vt hæc aſſequatur At nemo eligat impoſſibilia cognita, niſi delirus planè ſit, & mente exciderit. Item deſideramus pleraque nullatenus in nobis ſita. Plerunque enim ſpectantes certamen deſideramus vt victoria ſtet ab altera parte, nihil tamen pro alterutra efficientes. At electio eſt eorum tantùm quæ in nobis ſunt, vel aliquo tandem modo à nobis pendent.

Concludit denique Ariſtoteles, electionem non eſſe opinionem.Hæc enim circa æterna æquè ac contingentia, & à nobis prorſus aliena occupatur: affectiones item habet veritatem & falſitatem,non bonitatem & malitiam. Electio verò non ſic: ſed iis tantùm diſtinetur, quæ à nobis pendent, & ea non veritatem commendamus, ſed bonitatem; nec reprobamus falſitatem ſed malitiam.Hæc fusè eo capite Ariſtoteles,quæ eleganti paraphraſi expreſſa,legere licet apud Nemeſium c.33.de homine.

Quidditas electionis eruitur.

415.Electione ſic ſeiuncta ab omnibus prædictis, ſubdit Ariſtoteles. *Quid igitur aut quale eſt electio, quando nihil eorum eſt,quæ dicta ſunt? Spontaneum ſanè eſſe quoddam videtur. Non omne tamen ſpontaneum, eligibile eſt: ſed id ſcilicet,quod eſt præconſultatum. Quippe cùm electio ſeu propoſitum,cum ratione, ac cogitatione exiſtat. Id quod ſignificare nomen etiam ipſum videtur, quaſi id quod eligitur ſeu proponitur, ex aliis legatur, ponatúrve ante alia.* Senſus eſt, electionem eſſe actum aliquem ſpontaneum ſiue voluntarium; non tamen quencunque, ſed talem qui ſupponat conſultationem, & præmiſſa diſquiſitione intellectus inter plura propoſita, vnum aliquod cæteris proponat, & vſurpare decernat. Clariùs hæc ipſa repetit ſequenti c. 3. *in fine*, poſt explicatam occaſione electionis conſultationem Dixerat enim electionem ſubſequi conſultationem, proindéque toto ſequenti capite 3.exponit obiectum & naturam conſultationis. Tandem verò in illius tertij capitis calce ait:*Cùm igitur eligibile,nihil aliud ſit quàm conſultabile appetibile eorum quæ in nobis ſunt:& electio quoque,eorum quæ in nobis ſunt,conſultatiua, appetitio erit.Simul enim atque conſultauimus, iudicamus, atque inde ſecundùm conſultationem appetitus.*

Habes hìc breuiſſimè expreſſam electionis naturam verbis illis. Electio eſt *appetitio præconſiliati, in noſtra poteſtate collocati*. Hæ poſtremæ particulæ, omitti facilè potuiſſent: quandoquidem quod ſub conſultationem cadit, ſiue *conſiliatum*, non aliud eſt quàm quod eſt in noſtra poteſtate.Et idcircò 6. Eth. c.2.electio ſimpliciter definitur *conſultatrix appetitio*. Itaque apertiſſimum eſt, electionem apud Ariſtotelem eſſe actum voluntatis, omninóque abſurdè Portius lib.an bonus quis vel malus ſponte fiat,c.13. ſtatuit electionem eſſe actum intellectus.contenditque hanc eſſe Ariſtotelis ſententiam,non alio nixus argumento, quàm quod Ariſtoteles locis allegatis, neget electionem eſſe voluntatem. Sed hoc nullo negotio eliditur. Sumit enim ibi Ariſtoteles *voluntatem*, pro affectu circa finem à quo actu conſtat diſtingui electionem, etiamſi ſit volontas ſiue volitio circa medium,cuius delectus in noſtra eſt poteſtate;vt Ariſtoteles toties hic iterat. Alia quædam minuta argumenta, quibus probari videtur electionem non eſſe actum voluntatis latè excutit Pennotus l 3.propugnac.libert. c.14 n.4.

Quomodò electio dicta intellectus appetitiuus, & è contrà

416. Tantùm difficultatem aliquam ingerit quod eodem c.2. libri 6.Ethic.ſubditur electionem,aut eſſe

appetitiuum

appetitum intellectiuum ante electum appetitiuum. Verùm hæc benè accipienda ſunt, ita vt ſenſus ſit, electionem manare ſuo modo ex intellectu & voluntate. Ex intellectu quidem conſultante, tanquam ex principio, cuius actio ad electionem præſupponitur. Ex voluntate verò tanquam ex principio directè influente & ad quod ſolum pertinet quod eſt electio in recto & formaliter, contra Euſtratium 3. Eth. c. 2. & Bellar. t. 3. lib. de arb. c. 9. ad quartam confirmationem octaui argumenti qui volunt, electionem complecti & actum voluntatis, & iudicium intellectuale claudens conſultationem. Hoc non admitto. Verè enim electio in ſe & directè ſumpta, eſt actus ſimplex vnius tantùm voluntatis, quamuis connotet & præſupponat conſultationem, eámque concludens iudicium.

Nec fortè Authores prædicti diſſentiunt quoad rem ipſam. Quam pulchrè in hunc modum expoſuit Nemeſius c. 33. de homine. *Electio eſt mixtum quid ex conſilio, & iudicio & appetitu. Et neque appetitus per ſe, neque conſilium tantum eſt ſed quiddam ex his compoſitum. Vt enim dicimus, animal ex corpore & anima conſtare, neque tamen animal corpus eſſe, neque animam ſolum, ſed quid ex vtroque: ſic etiam electionem Eſſe ergo conſilium quoddam & conſultationem cum approbatione, etſi non ſit ipſum conſilium, vis nominis ſignificat. Nam eligitur id quod præ alio legitur. Nemo autem anteponit quid, niſi prius conſultarit; neque legit, niſi iudicarit. Quoniam autem non omnia, quæ probata ſunt, exequi ſtudemus tum electio eſt, & eligi dicitur, quod conſilio antepoſitum eſt, cùm deliberatio appetitum aſſumpſerit. Neceſſe eſt ergo electionem iis verſari, in quibus & conſilium. Itaque ex his efficitur electionem eſſe appetitum cum conſultatione iunctum, earum rerum quæ in noſtra ſunt poteſtate: vel conſultationem cum appetitu coniunctam, earum rerum quæ in nobis ſunt ſita. Nam id quod antepoſitum eſt per conſultationem, cum electione concupiſcimus.* Similia leguntur 2. ad Eudem. c. 1 [illegible] *ſub finem.*

Conſenſus quid variæ ſententiæ.

427. Non erit porrò ex dictis difficile, dijudicare litem, quæ inter aliquos agitatur circa actum conſenſus. Quo nomine hîc intelligitur actus ille voluntatis, qui elicitur ſtatim poſt iudicium claudens conſultationem. Eo enim actu, voluntas ſe conformat tali iudicio, & idcircò dicitur conſentire. Sicut dicimus duos homines conſentire, quando quod vnus iudicat, alter vult. Quidam ergo dixerunt actum illum voluntatis, eſſe ſemper eundem cum electione. Ita Valentia 1. 2. d. 2. q. 12. p. 1. & Becan. ibid tract. 1. c. 3. q. 1. n. 6. Alij conſenſum reſtringunt ad volitionem vnici medij; cùm è contrà electio, ſit inter plura media. Ita Fonſeca. 9. Met. c. 2. q. 8. *ſub finem.* E diametro autem Vaſq. 1. 2. q. 85. ad art. 1. arbitratur volitionem medij, quod non fuerit inter plura occurrentia ſelectum & iudicatum aptius, non eſſe conſenſum. Nam electio, iuxta eundem Authorem ibid d. 43. n. 11. importat delectum illum vnius medij inter plura: vel vnum modum vſurpandi medium vnicum, inter plures vſurpationis modos occurrentes.

Refelluntur.

Nulla ex his ſententiis placet. Nam poſſe aliquando conſenſum ab electione ſeparari, nec debere reſtringi ad vnum medium, vel ad plura, aut plures modos vſurpandi vnicum medium ſuppetens; conſtat ex eo quòd ſi præmiſſa conſultatione, eámque claudente iudicio, voluntas approbet iudicium illud, conſentire dicetur, iuxta notionem vocis *conſenſus*, paulò ante propoſitam. Atqui poteſt contingere vt ea approbatio non ſit actus efficax voluntatis, ſed tantùm inefficax & ſimplex motus, quod alienum eſt ab electione. Ergo datur aliquando actus voluntatis electione anterior, quo conſentitur iudicio conſultationem claudenti. Plerunque autem per iudicium proponuntur plura media, ex quibus vnum deligitur. Et tunc approbatio illa inefficax, non arctatur ad vnum medium, ſed inter plura vnum approbatur arbitrio conſentientis. Item interdum iudicium pronunciat de vnico medio, & vnico eius adhibendi modo, eo quòd vnicum occurrat poſt longam diſquiſitionem & conſultationem, nec appareat niſi vnus modus, quo vſurpari poſſit. Ergo tunc habetur conſenſus reſtrictus ad vnum medium: Ac proinde malè affirmabatur, conſenſum, vel tunc tantùm interuenire, cùm conſultatio clauditur iudicio proponente vnicum medium & ad illud terminato, vel tunc tantùm cùm conſultatio clauditur iudicio, quod è pluribus mediis occurrentibus variiſve vnici medij modis, vnum proponit per voluntatem approbandum.

Germana conſenſus ratio.

Quare dicendum eſt cum S. Thoma q. illa 15. art. 3. ad 3. tunc elici actum conſenſus, cum voluntas nondum ſe gerens vt executiua, approbat ſimpliciter & inefficaciter medium ab intellectu propoſitum, ſiue vnicum occurrerit ſiue multiplex. Vnde conſenſus ſic vſurpatus non aliter ſe habet ad electionē, quàm ſimplex amor finis, aut deſiderium inefficax ad intentionem. Et ſicut intentio ſupra illos alios actus importat efficacitatem, ita & electio ſupra conſenſum. Item ſicut amor ſimplex poteſt aliquando præmitti intentioni, eſſéque realis actus ab ea diſtinctus; aliquando autem non præmittitur ſed interuenit tantùm ſecundùm rationem ſuam communem, incluſam in omnibus affectibus vlterioribus proſecutiuis: ita & conſenſus reſpectu electionis. Nam antequam efficaciter eligamus medium, quod conſultatio ſtatuerit eſſe optimum, poſſumus per aliquod tempus ſiſtere in ſola complacentia, & ſimplici amore illius medij.

ARTICVLVS III.

De imperio & vſu.

428. QVomodò hi duo actus, ad ſuperiores ſe habeant, & an ſint præter eos neceſſarij, magna rixa eſt. Si tamen dantur, aut potiùs eo modo quo dantur, ſubſequuntur electionem, ſaltem ratione. Agimus enim de [illegible] minis reſpectu ſui ipſius, ſeu de imperio, quo anima noſtra veluti Regina in hac Republica [illegible] do, per imperantes & obſequentes facultates adminiſtrato, actionem electione approbatam, executioni mandari iubet. Paſſim vocant imperium monaſticum, contrapon[u]ntque œconomico vel politico & idcircò agendum hoc loco eſt de imperio, & vſu eidem ſubiuncto.

ASSERTIO.

IMperium monaſticum propriè eſt actio intellectus, nec alia quàm cognitio iudicatiua, quæ perperam diſtinguitur

guitur à iudicio conſultationem clauden-te, quatenus dirigit vſum actiuum: hoc eſt, electionem perſeuerantem, dum execu-tioni mandatur quod conſultatio præſcri-pſit, & electio approbauit.

SVpponu potiùs quàm aſſeru, admittendum eſſe aliquem actum imperij. Eum enim actum Ariſtoteles 6. Eth. c. 5. & 8. tribuit prudentiæ tanquam præcipuum. Eundem D. Thomas, & communiter Doctores admittunt. Quòd autem aliqui recentiores, videntur funditùs tollere imperium, ſpectat tantùm ad inficiationem imperij, quale ab aliis recentioribus male inuectum eſt. Vniuerse tamen negari non poſſe actum imperij, conſtabit ex dicendis.

Qui imperium in voluntate locauerunt.

Primò ergo imperium monaſticum eſſe actum intellectus, nec alium quàm iudicium, atque notitiam. Quod eſt contra duas ſententias quarum altera imperium monaſticum collocat in voluntate: altera autem licet in intellectu collocet, ait tamen non eſſe cognitionem, ſed eſſe actum alterius naturæ, qui exprimatur his verbis, *fac hoc*. Caſtro igitur lib. 1. de lege pœnali. c. 1. & 2. exiſtimat imperium vniuerse, atque adeò etiam monaſticum, eſſe actum voluntatis, iubentis aut prohibentis quod ab intellectu præcognitum eſt. Ratio eius, eſt, quia etiamſi is qui imperare poteſt, ſiue monaſticè, ſiue politicè, multa intellectu concipiat, vel etiam voce aut ſcripto proferat, quæ honeſta & vtilia Reipublicæ eſſe cognoſcit: tamen nullum illorum habebit vim legis quoadusque accedat voluntatis edictum. Non enim quod Princeps nouit, aut bene intellexit, ſed quod Principi placuit, legis habet vigorem, vt dicitur l. 1. ff. *de conſtitut. Princip.* Propterèaque D. Auguſtinus 4. Ciuit. c. 6. populis quondam arbitria Principum pro legibus fuiſſe, ait. Arbitrium autem, vt ſonat vox *liberi arbitrij*, ſpectat ad voluntatem. Tullius item, legem ab electione & delectu, (quæ vtique voluntatis actio eſt,) dictam affirmat lib. 1. de legibus. Tandem legis effectus ſunt, imperare. vetare. punire, permittere, vt habet *l. legis virtus ff. de legibus*. Omnes autem hi effectus ad voluntatem ſpectant non ad intellectum. Igitur lex ſiue imperium vniuersè dictum eſt, actus voluntatis, non autem intellectus: nec in moralibus tribuendum eſt prudentiæ, quamuis præſupponat actum prudentiæ. Iſque ſit ad imperandum maximè idoneus qui prudentia fuerit inſtructiſſimus. Fuit quoque in hac ſententia, imperium ad voluntatem referente, Angeſtus e. t mor. t. 2. coroll. 3. Conſentit ferè Suares 1. de leg. c. 5. n. 24.

Eſt in intellectu.

429. Nicholominus ſententia longè communiſſima, imperium conſtituit in intellectu. Ita docent Almainus tract. 3. moral. c. 2. Thomiſtæ paſſim 1. 2. ad q. 17. Vaſq. 1. 2. d. 49. c. 2. Salas 1. 2. tract. 6. d. 2. n. 17. Fonſec. 9. Metaph. c. 1. q. 6. ſ. 1. & q. 6. ſ. 2 paſſimque alij. Idem voluiſſe videtur D. Auguſtinus homil. 16. ex 50. verbis illis. *Non poteſt fieri vt habeat mala facta, qui habet cogitationes bonas. Facta enim de cogitatione procedunt. Nec quiſquam poteſt aliquid facere aut ad aliquid faciendum membra mouere, niſi primò præceſſerit iuſſio cogitationis. Quomodo de interiori palatio quicquid iuſſerit Imperator per imperium Romanum emanat, quicquid videtis agi per prouincias quantus motus fit ad vnam iuſſionem Imperatoris intus ſedentis, atque illo ſolum labia cum loquitur & mouetur omnis prouincia, cum ſit quod loquitur. Sic & in vnoquoque noſt um, intus eſt Imperator in corde ſedet, ſi bonus, bona iubet, & bona fiunt; ſi malus, mala iubet, & mala fiunt.* En Auguſtinus imperium collocat in cogitatione & locutione, quas conſtat pertinere ad intellectum. Accedit ratio, quia imperare, nihil aliud eſt quam ſuperioris voluntatem obligatoriam proponere alicui ratione ſit capaci, qui percipere queat quod iubetur. Atqui illa propoſitio nihil aliud eſt quàm locutio & enunciatio quædam; ergo imperium ſubſtantialiter ſpectatum, pertinet ad intellectum.

Ad rationes in contrarium.

Quæ à Caſtro in contrarium proponebantur, nullius ſunt roboris. Veriſſimum enim eſt, non omnem cognitionem eſſe imperium; ſed eam tantùm quæ ſupponit ſuperioris volitionem, qua iniicitur inferiori neceſſitas aliquid faciendi: & eam volitionem proponit. Hæc autem propoſitio & denunciatio, eſt actus intellectus, vt per ſe patet. Eodem modo eneruatur quod ex Diuo Auguſtino proferebatur, apud quem imperium nominatur *arbitrium*; Vt enim gratis demus, arbitrij nomen ſpectare ad voluntatem formaliter & directè. facilè dicemus imperium nomine arbitrij appellari, quod præſupponat arbitrium, ſiue volitionem obligantem, eámque denunciet. Reuera tamen arbitrium, ſpectat directè ad intellectum. Nec obſtat appellatio liberi arbitrij, quod eſt in voluntate. Facultas namque libera, arbitrium dicitur, quia præſupponit notitiam indifferentem, quæ eſt radix libertatis. Nec aliter reſpondendum eſt ad argumentationem petitam ex legis nomine, eiuſque etymologia. Extremum denique argumentum, ſimili ratione elidimus. Effectus enim imperij qui adducebantur, ſupponunt quidem actum voluntatis: non tamen formaliter ſunt ab actu voluntatis, ſed ab eius propoſitione & denunciatione.

Eſſe in intellectu, nec tamen eſſe iudicium, quorundam ſententia.

430. Sic reiectâ ſententiâ, quæ imperium ad voluntatem refert, reiicienda ſequitur alia ſententia, quæ ita refert imperium ad intellectum, vt tamen neget eſſe cognitionem vel iudicium. Pro eodem enim ſumenda hoc loco eſt cognitio & iudicium. Nam apprehenſio ſimplex, non eſſet huic loco opportuna. Omnis autem intellectio, vlterior prima apprehenſiue, eſt iudicatiua. Sententiam ergo quæ ſtatuit imperium in actione intellectus, ab apprehenſione & à iudicio diſtincta, tradunt Soto l. 1. de Iuſt. q. 1. art. 1. Salas 1. 2. tract. 6. d. 2. n. 21. & 46. & tract. 14. d. 1. n. 2. Val. 1. 2. d. 2. q. 12. p. 1. Granado. 1. p. tract. 5. diſp. 3. ſ. 2 & 3. Med. 1. 1. q. 7. art. 1. qui addit inueniri prætereà in intellectu alios actus, qui neque ſunt apprehenſiui, neque iudicatiui, atque adeò neque diſcurſiui, vt orationem & promiſſionem.

Siſtendo autem in imperio, probant hi Autores actum iſtum intellectus non eſſe iudicium; quia Philoſophus 3. animæ, t. 46. ait intellectum, quandiu ſpeculatur tantùm, non præcipere proſecutionem vel fugam; quaſi diceret, intellectum, quandiu ſiſtit in actu notitiæ, non imperare. Item 6. Eth. c. [illegible] ait ſagacem, qui benè iudicat, differre à prudente, qui benè præcipit. Accedit ratio, quia multi habent iudicium & voluntatem exequendi, nec tamen exequuntur, quia deeſt actus imperij. Ergo imperium eſt actus intellectus, alterius rationis quam iudicium, [illegible] multò magis quàm apprehenſio [illegible] prouide non notitia

titia, ſed actus diuerſæ rationis. Sanè dicere interiùs, *fac hoc*, in quo conſiſtit ratio imperij monaſtici, de quo agimus, ſi eſt iudicium, non videtur poſſe eſſe aliud iudicium quàm iſtud, *hoc eſt bonum*: vel *hoc eſt faciendum* Atqui imperium non conſiſtit in actibus per ea verba expreſſis, ſed in ſolo impulſu expreſſo per hæc verba, *fac hoc*. Poſito nanque actu his verbis correſpondente, qui non aliud eſt, quàm impulſus quidam, illicò ponitur operatio, quam conſtat proximè ſubſequi ad imperium. Igitur imperium ita eſt actus intellectus, vt tamen non ſit actus iudicij, atque adeó neque notitiæ Confirmatur, quia imperium prædictum, neque eſt aſſenſus, neque diſſenſus. Caret item veritate & falſitate. Alia quædam in hanc rem argumenta ab aliis propoſita, ſed nullius reuera momenti, legere licet apud Salam d. illa 2. n. 18. & 20. qui ex ſe item alia nonnulla ibidem profert, non maioris efficacitatis.

Refellitur.

411. Mihi multò magis placet contraria ſententia quæ ſtatuit imperium ita eſſe actum intellectus, vt ſit reuera notitia & iudicium quoddam Imò vniuersè nullum planè in intellectu actum agnoſco, qui non ſit notitia ſiue cognitio apprehenſiua aut iudicatiua, vel ex iudicatiuis compacta. Et quod in contrarium de promiſſione & oratione proferebatur, concidit ex illis quæ ſuo loco diſputo de vtriuſque illius actus natura. Tractans enim virtutes fidelitatis & religionis, expono qua ratione actus illi, nihil importent ex parte intellectus quod non ſit iudicium. In Logicis præterea explicatum eſt quomodo præceptum ad alios directum, ſupra actum enunciatiuum, quem importat, connotet tantùm ordinem ad inferiorem, ſicut oratio ſimilem ordinem importat ad ſuperiorem. Nec ſanè capio quid eſſe aliud præterea queat in ea potentia, præter ſimplicem notitiam, aut iudicium, vel illationem. Nam intellectus, eſſentialiter occupatur circa verum, tanquam circa formale obiectum adæquatum, vt aduerſarij quoque concedunt, & tradit S. Thomas 1.p.q.82.art.3.& Scotus in 1.d.3.q.3. Atqui omnis tendentia in verum, eſt quædam notitia. Nam tendere intellectu in verum nihil aliud eſt, quàm verum intelligere, ſiue cognoſcere, Omnis itaque actus ab intellectu prodiens eſt cognitio; & quidem aut ſimplex, aut complexa. Prior, eſt prima, operatio. Poſterior, conſtituit ſecundam vel tertiam. Confirmatur, quia quilibet actus intellectus eſt immanens: Ergo debet habere in ipſomet intellectu ſuum effectum formalem. qui explicari nulla ratione poterit niſi per cognitionem ſimplicem, vel enunciatiuam, aut illatiuam. Nam impulſus ſi quis eſſet, non haberet effectum ſuum in ipſo intellectu, ſed extra eum in potentiis ſubditis.

Accedit imbecillitas probationum, quibus actus imperij à iudicio diſtinctus, nec rationem notitiæ habens, ſtabiliebatur. Quod enim Ariſtoteles dicit, intellectum, quandiu ſpeculatur, ſiue quandiu in nuda rei cognitione ſiſtit, non præcipere, verum eſt, nam præcepto adiungitur executio. Ac proinde homo præcipiens, non ſiſtit in cognitione, ſed progreditur ad opus. Quid tamen hoc iuuat ad probandum, quòd actus imperij non ſit notitia? Diſtinctio ſagacis & prudentis nihilò magis aduerſariorum cauſam promouet. Neque enim Ariſtoteles ait, ſagacem rectè iudicare, prudentem verò benè præcipere, vt neget præceptum prudentis eſſe iudicium. Sed ſignificare voluit, prudentem iudicare de agendis hîc & nunc; ſagacem verò ferre iudicium de rebus factis, vt dico cùm de ſyneſi. Itaque Ariſtoteles nulla ex parte iuuat aduerſarios. Item quod addebatur, pleroſque iudicare & velle, ſed non exequi defectu imperij, falſum eſt. Nemo quippe efficaciter & abſolutè vult, qui non etiam exequatur. Tandem quomodò actus imperij, ad quod ſubſequitur executio, ſit iudicium verum & aſſenſus, poſſitque vtcunque exprimi verbis illis, *Fac hoc*, proximè intelligetur. Nihil ergo fuit neceſſe actum comminiſci in intellectu, naturæ cuiuſdam exoticæ, & planè alienæ à ratione potentiæ cognoſcitiuæ, apprehendendo, aut iudicando vel inferendo, eóque modo tendentis in verum, qualis omninò eſt intellectus. Et ita rectè ſtatuunt Vaſques 1.2. d.49.n.13, Suares l.1.de prædeſt.c 16.n.4.

Imperium à iudicio diuerſum, nec neceſſarium, nec vtile.

432. Addendum verò inſuper eſt, talem actum, quamuis eſſet poſſibilis, tamen non fore neceſſarium, atque adeò eſſe reiiciendum. Qui enim imperium illud impulſiuum à iudicio diſtinctum inuehunt, aiunt huiuſmodi imperium monaſticum, eſſe præuium electioni. Excipio Valentiam, qui loco allegato, ſimilem imperij actum admittit, præuium omnibus aliis actibus voluntatis, vt amor ſimplici intentioni, &c. quod 2. p.5. fatetur repugnare ſancto Thomæ. Reliqui autem prætendentes ducem ſanctum Thomam, aiunt imperium illud impulſiuum, præuium eſſe electioni. Abſque neceſſitate autem, præter iudicium conſultationem claudens, inuehitur alius actus electioni præuius: (Et idem proportione ſeruata ſtatuo, de aliis voluntatis actibus, poſito iudicio aliquo eis prælucente.) Nam electio poteſt commodiſſimè ſequi ex iudicio claudente conſultationem. Siquidem voluntatis tunc habet obiectum cum omnibus circunſtantiis ſufficienter propoſitum, quod ſolùm poteſt ab intellectu expectare. Labuntur verò qui aiunt expectari præterea à voluntate determinationem intellectus, quam aiunt fieri per imperium illud impulſiuum, cùm conſtet non fieri per iudicium. Reuera enim voluntas non debet ab intellectu determinari, ſed à ſe. Vnde quando intellectus rectè iudicauit, electio autem mala fuit, culpa non eſt referenda in defectum recti imperij, ſed in malam ipſius voluntatis determinationem, qua ſe ipſa inflexit in hanc partem, cùm vi iudicij indifferentis quod præluxit electioni, liberum fuerit voluntati, vtramuis partem eligere. Ipſa autem ſæpè delegerit eam partem, potiùs quàm aliam, de qua recta iudicij veluti facies pronunciabat. Igitur actus ille imperij impulſiui, nulla ratione neceſſarius eſt ad electionem formandam.

Addo verò ne vtilem quidem eſſe; contra Salam ſuprà n. 26. qui pro ſola illius actus vtilitate pugnat. Sed contra. Nam bruta ex D. Thoma 1.2. q.27. art. 2. abſque vllo tali impulſu, præuia ſola notitia, expeditè, & nullius alterius actus vtilis interuentu, appetunt & proſequuntur obiectum. Quidni ergo homo poſſit ſimiliter operari præſertim per voluntatem quæ altior & nobilior eſt appetitu? Item ſicut ad amandum & intendendum finem, ſufficit iudicium de bonitate finis, nec requiritur, aut tanquam vtilis aſſignatur alius actus imperij, ita ad amorem medij, nullius alius actus eſt neceſſarius, atque adeo neque vtilis. Ad quid vero poſſet iuuare actus ille, cùm neque proponat obiectum, neque determinet voluntatem; Porro S. Thomas, quem in hoc actu inuehendo aduerſarij profitentur ſe ſequi, apertè aliter aſtruit imperium, aliámque ei ſedem præfigit. Collocat enim illud poſt electionem, vt videre eſt cit. art. 3. *in corp.* & ad 1.

Cui iudicio, tribuenda ratio imperij.

433. Secundò exponenda ſequitur ratio iudicij intellectualis, cui nomen munúſque imperij monaſtici aſſignauimus. Operæ pretium igitur eſt, percurrere varia iudicia intellectus, in quibus videri poſſet conſtituenda ratio imperij, vt eo approbato, quod commodiùs occurret, cætera ſecludamus. Primus actus iudicij intellectualis, de quo poſſet hîc eſſe controuerſia, ille eſt, quo ante electionem intellectus conſultationem claudens, iudicat hoc medium eſſe optimum. Secundus eſt, quo poſtquam voluntas elegit, intellectus notificat ipſi operanti, electionem factam eſſe. Homo enim ſcit ſe velle. Tertius eſt, quo potentiæ executrici intimatur id, quod intellectus præuia conſultatione concluſit, & voluntas per electionem approbauit. Primus actus ſitne admittendus, nemo ambigit. Nam etiam qui imperium prudentiæ monaſticæ exſcindunt, talem actum admittunt, vt Vaſq. 1.2. d.42.c 4. Veſtonus l. .de tripl. homin. offic. c.24 & Mol 1.p.q.13.art.1. diſp. 2. An verò actus ille poſſit nominari imperium, ſufficiátque ad munera quæ imperio tribuuntur, expendam poſteà, vbi de aliis duobus actibus paulò antè recenſitis pronunciauero. Inde enim pendet deciſio illius controuerſiæ.

An notificationi electionis facta.

Notificatio igitur ſiue iudicium, quo intellectus, ipſum operantem docet, electionem factam eſſe, admittitur tanquam probabile à Suare diſp. 19. Metaph. ſ.7. n.12. & 13. Affirmat autem hoc iudicium oriri ex ſympathia intellectus & voluntatis, quæ neceſſaria fuit, vt homo poſſet meliùs exequi quod faciendum decernit. Deinde priùs natura vel tempore, quàm homo conſentiat, non ſcit ſe conſenſurum. Neceſſarium igitur eſt, vt ſtatim ac conſentit, ſciat & ſibimetipſi notificet ſeu promulget ſuum conſenſum, quod fit per iudicium prædictum. Et hoc iuxta Suarem eſt imperium illud quod D. Thomas in intellectu ponit, poſt efficacem voluntatis electionem. Quòd ſi conſenſus voluntatis fuit ſimplex amor aut delectatio, nec habuit ordinem ad aliam actionem exequendam, tunc actus iudicij electionem conſequentis, non eſt quaſi impulſiuum ad operationem, atque adeò non eſt practicum, neque imperium: ſed eſt iudicium de tali conſenſu iam exhibito, potéſtque dici ſcientia quædam approbationis. Ita ferè Author prædictus, qui tamen lib. 1 de prædeſt. c.16. n. 13. valdè inclinat in ſententiam, quæ tollit neceſſitatem huiuſmodi notitiæ, ad executionem decreti humanæ voluntatis: eo quòd potentia executiua, non ſit ſicut voluntas, quæ mouetur ab obiecto cognito, ſed ſe habeat ſicut inſtrumentum à principali agente applicatum abſque notitiæ neceſſitate. Tametſi tandem concludit, poſſe etiam probabiliter defendi, quòd ea notitia propriæ determinationis & volitionis, neceſſaria ſit ad electionem, vt habeatur perfecta ſubordinatio potentiæ executiuæ & appetitiuæ; quæ admiſſa huius denunciationis neceſſitate, intelligitur magis voluntariè, magiſque vitaliter fieri. At Vaſques ſuprà n. 19. huiuſmodi notificationem omninò repudiat.

Non placet.

434. Mihi, agendo, vt nunc agimus, de eo, quod neceſſarium eſt fieri, vt electio facta poſſit executioni mandari, fatendum videtur, tale iudicium notificatiuum meritò reiici. Quod liquet ex brutis, quæ abſque tali notificatione exequuntur quod appetiuerunt. Accedit quòd non ſemper experimur huiuſmodi actus reflexos. Neque enim quoties ambulamus, dicimus interiùs, *Voluntas decreuit ambulationem*. Accedit quòd, vt paulò antè attingebatur, potentia executiua non mouetur ab obiecto cognito, ſed ſe habet vt nudum inſtrumentum, cuius operationi ea notitia non præexigitur. Voluntati autem abundè ſufficit notitia iudicij claudentis conſultationem. Neque enim poſt actum electionis, quem format illius iudicij interuentu, neceſſarius eſt alius voluntatis actus ad indicendam executionem. Itaque omninò negandum videtur, notificationem illam, qua homo ſibi ipſi denunciat, & quaſi promulgat quid voluerit, eſſe neceſſariam ad executionem modo humano faciendam. Alia aduersùs neceſſitatem huius notificationis congerit Salas 1.2. tr.13. d.8. n.68

Vt plurimùm tamen, fateor notitiam illam conſenſus exhibiti, elici à nobis: Non quòd ita neceſſarium ſit ad executionem conſenſus præſtiti, ſed quòd ita ferat ſympathia potentiarum Eſtque id optimè prouiſum, vt homo recordari poſſit conſenſus exhibiti, qui alioqui prorſus efflueret, nec caderet ſub recordationem: quia actus ille volitionis, nihil inurit intellectui. Iudicium verò conſultationem claudens, antecedit volitionem, & ſine illa poteſt elici: nihil igitur imprimit intellectui, per quod poſteà exeratur recordatio volitionis. Itaque notitia illa conſenſus præſtiti, quæ per ſympathiam ab intellectu velut extunditur conſentiente voluntate, ipſa eſt quæ recordationem volitionis priùs natura elicitæ principiat interuentu ſpeciei, quam velut ſemen aut veſtigium ſui relinquit in intellectu. Cæterùm non poſſe in hac notitia ſtatui rationem imperij, ex eo perſpicuum eſt, quòd ſpeculatiua ſit, & æque exurgat, cùm actus, ad quem conſequitur, fuit ſimplex amor, cui non ſubiungitur imperium. An autem mens D. Thomæ circa imperium exponenda ſit per hanc notificationem, poſteà attingam.

Reiecti qui tribuunt intimationi practica.

435. Alter actus, in quo ab aliquibus collocatur ratio imperij, eſt denunciatio ſiue intimatio practica, facta ab intellectu potentiæ executrici, qua ipſi potentiæ innoteſcit, quid conſultatio concluſerit, & voluntas approbauerit. In ea quippe denunciatione, rationem imperij ſitam eſſe volunt Conimbr. diſp.8. Ethic. q.1. art.1. Verùm hæc denunciatio fictitia omninò videtur, reiicitúrque à Suare variis locis, quæ ipſemet annotat lib. 1. de leg. cap.4. num. 11. Ratio eſt, quia neque potentia exequens percipit vim illius imperij, neque ſpectat ad intellectum applicare potentiam exequentem ad operandum, ſed ſolùm proponere obiectum voluntati: cuius poſteà eſt, reliquas potentias applicare. Illa verò propoſitio, non eſt imperium voluntati ab intellectu directum. Voluntas enim audire non poteſt, cùm non ſit cognoſcitiua. Eſt ergo duntaxat repræſentatio obiecti, in quod voluntas intellectu prælucente, taléque obiectum percipiente, ferri poſſit. Vnde quando interdum homo, ſeipſum interiùs velut impellens ac excitans, dicit, *Fac hoc, age*, &c. actus iſte non dirigitur ad voluntatem, ſed ad intellectum. Siquidem cùm homo loquitur, ſicut intellectu loquitur, ita etiam per intellectum audit. Proindéque actus ille; eſt tantùm expreſſior & efficacior propoſitio obiecti, ad magis excitandam voluntatem: Iuxta illud D. Auguſtini in Pſal. 145.

ad v. 1. *Quis eſt, quis dicit.* Lauda, anima mea, Dominum? *Nihil inuenimus ampliùs in homine, quàm carnem & animam. Totus homo, hoc eſt, ſpiritus & caro. An fortè ipſa anima ſibi dicit, & ſibi quodammodò imperat, & ſe exhortatur atque excitat?* Itaque non poteſt in eo actu conſtitui ratio imperij ſimpliciter neceſſarij ad operationem, ſiue executionem deliberatam. Imò neque dici poteſt, talem actum vtilem eſſe ad eum effectum, vt malè ſenſit Becanus 1.2. tr. 1. c. 3. q. 6. n. 6. Actus enim impoſſibilis, non poteſt dici vtilis ad aliquem effectum.

Reſolutio.

Sic excluſa ab illis aliis quos dixi actibus, ratione imperij monaſtici; reſtat vt dicamus, ipſummet iudicium, quo conſultatio clauditur, prout conſentiente per electionem voluntate, continuatur & dirigit executionem, eſſe imperium illud. Ratio eſt, quia potentia executiua agentis intellectualis, non operatur, niſi prout ſcientia repræſentat eſſe faciendum. Ea autem ſcientia, continetur iudicio prædicto. Excluſimus enim neceſſitatem quorumuis aliorum actuum intellectus. Ergo iudicium illud, prout vnum quodammodò faciens cum actu voluntatis; ac prout per illud applicat potentiam exequentem, donatur nomine imperij. Non quidem ſi ſumatur ſeorſim à ſubſequente electione, ſed prout continuatur poſt eam primò formatam; & quatenus prælucendo eidem perſeueranti, & immediatè applicanti potentiam exequentem, habet ex parte intellectus rationem applicationis remotæ & mediatæ ad operationem. Qua ratione expoſitum imperium, rectè ſtatuitur poſt electionem, vt à D. Thoma factum eſt. Quamuis enim non ſit poſterius electione quatenus continuata, eſt tamen poſterius electione prout primò formata. Et vi eius, ſiue prout vi electionis perſeuerantis, ſequitur actualis executio, actus iudicij electioni illi prælucens, non malè dicitur imperium. Qui videtur eſſe actus ille perfectiſſimæ prudentiæ, quem Ariſtoteles 6. Eth. ſæpè ait eſſe præcipere. Inſinuat hanc imperij expoſitionem, Leſſius l. de prudentia c. 1. n. 14 & 15.

Aureoli de imperio. ſententia illuſtrata.

436. Videtur etiam in eadem ſententia eſſe Aureolus in 2. d. 4. q. vnica, art. 3. quem audire operæpretium eſt, quia recentiores ſententiam eius detorſerunt in ſenſum à mente Aureoli planè alienum. Et cùm ſententia, quam tradit, admodum acuta ſit, ſi benè peruadatur; Tamen prout à recentioribus accipitur, eſt omninò abſurda. Ait ergo Aureolus, in intellectu practico, reperiri & actum enunciatiuum & actum imperatiuum, quos actas in ſequentibus manifeſtè declarat non eſſe realiter duos, ſed vnicum: qui primò quidem ſit duntaxat enunciatiuus; nec voluntatem ad opus adigat, neceſſitétque ad applicationem potentiæ exequentis: Poſteà tamen voluntate copulante ſe, (vt Aureolus loquitur;) efficiatur imperatiuus, & ad illud ſequatur operatio: vtique non vi notitiæ, quatenus notitia eſt; ſed vi determinationis voluntatis, à qua adiuncta, eſt omne robur iudicij, per eam concomitantiam induentis rationem imperij. Et idcircò ait Aureolus, iudicium prout antecedens determinationem voluntatis, exprimi his verbis: *Eliciendum eſt quod congruit rationi.* Prout verò induit rationem imperii, ait exprimi hoc modo: *Fac hoc nunc, quod rationi congruit.* Iudicium primo modo expreſſum addit ſequi naturam rei, & diſcurſum ſyllogiſticum, inferentem hoc eſſe agibile ex natura propoſitionum primarum practicarum. Et contra hanc ſententiam quantumcunque particularem & determinatam, affirmat poſſe venire voluntatem. Iudicium autem poſteriore modo expreſſum, ait exorgere ex determinatione liberi arbitrij, & eius præſuppoſitione effici imperatiuum.

Quæ omnia etiamſi ex parte ſubobſcuriùs apud eum tradantur, optimè tamen cohærent cum ea imperij expoſitione, quam propoſuimus; & eo modo accepta, nullum continent abſurdum. Tranſitus enim ille eiuſdem iudicij ex enunciatiuo in imperatiuum, nihil immutat in ipſo actu iudicij; ſed importat tantùm adiunctam ei extrinſecè volitionem efficacem, quæ priùs virtualiter eſt in facultate libera per ſuum actum primum ſe determinante, quàm actus ſecundus ei adueniat. Idcircò namque actus ſecundus liber eſt, quia voluntas colluſtrata tali cognitione, vult ſe determinare ad formationem huius actus ſecundi, de quo pleniùs ſuprà, cùm de libertate, & in Naturali Theologia explicando libertatem diuinam. Ex eo igitur acceſſu determinationis radicalis, ſiue in actu primo, ad iudicium præelicitum, huiuſmodi iudicium efficitur remotè & mediatè imperium: quatenus ex illa determinatione in actu primo liberè poſita, exurget illicò determinatio formalis & in actu ſecundo, vi cuius immediatè ſequetur executio. Vnde iudicium prout continuatum, & aſſectans determinationem hanc formalem, eique prælucens, & vi determinationis primæ iam efficax, reſpectu determinationis formalis & elicitæ; eſt imperium, quia ſuo modo applicat potentiam exequentem. His ritè perceptis, per ſe euaneſcent, quæ aduersùs Aureolum hac in parte latè diſputat Suares lib. 7. de Angelis, cap. 6. num. 6. 7. & 8.

Vſus multiplex.

437. Tertiò egi de vſu. Quod nomen eſt valdè ambiguum, vt notat Gabriel in 1. d. 1. q. 1. *littera A.* Sumitur autem quandoque communiſſimè pro exercitio cuiuſvis facultatis aut principij operatiui. Et ſic contraponitur otio, eáque ratione dicimur vti oculis ad videndum, & virtute ad operandum. Præſertim tamen locum habet huiuſmodi acceptio, cùm exercitium illud eſt frequens. Qua ratione, Gabriel ait vſum opponi diſſuetudini. Non dico *deſuetudini*, quæ ſupponeret antecedens exercitium; ſed *diſſuetudini*, ſiue non aſſuetudini. Conſtat porrò non eſſe hoc loco quæſtionem de huiuſmodi vſu, ſed de vſu reſtricto ad voluntatem, qua ratione multipliciter etiam vſurpatur. Primam acceptionem profert Gabriel, vt vſus idem ſit quod acceptatio; vel, (vt ille molliter loquitur,) *deacceptatio*, hoc eſt reiectio. Secundam ait eſſe, qua vſus idem eſt quòd acceptatio aut reiectio alicuius in ordine ad aliud, ſiue bona ſiue mala ſit acceptatio aut reiectio. Tertiam & propriiſſimam ſignificationem adhibet, qua vſus dicitur acceptatio aut reiectio alicuius, præcisè propter aliud quo fruendum eſt. In quo ſenſu vſurpatur ſæpè vſus apud D. Auguſtinum, & in ea ſignificatione allegatur à Magiſtro *initio primi*: per quam occaſionem Sententiarij ibidem, quæſtiones pleraſque agglomerant, Theologiæ veſtibulo minùs ſanè opportunas, cuiuſmodi ſunt, an liceat vti fruendis, an liceat vti Deo, an beſtiæ habeant vſum, aliæque complures.

Nos hîc alio ſenſu agimus de vſu. Nempe prout vox illa deſignat actum voluntatis, quo applicat ad opus potentiam exequentem. Qui poteſt dici vſus actiuus, ad differentiam vſus paſſiui, qui non ſe tenet ex parte potentiæ applicantis, ſed ex parte po-

tentiæ applicatæ & exequentis. Ex quo vides, legitimam ſedem vſus actiui, (ſi datur,) iſtam planè eſſe. Cùm enim actus volũtatis ſubiungatur actui alicui intellectus; & oſtenſum proximè ſit, actum illum intellectus qui prælucet indictioni executionis, eſſe imperium; perſpicue ſequitur, poſt imperium ſequi vſum actiuum, ſi datur.

Qui actum vſus, dari negent.

Negat eum actum Vaſques 1.2.d.47.n.6. Ratio eius eſt, quia vt potentia exequens ſiue motrix brutorum, operetur, non eſt opus nouo actu appetitus, præter affectum obiecti proſecutiuum, qui poſitus eſt eùm facta eſt electio. Noſter autem appetitus, ſiue ſenſitiuus ſiue rationalis, non eſt deterioris conditionis, quàm appetitus brutorum. Igitur nullus talis nouus actus, cui nomen vſus competat, inuehendus eſt. Accedit quòd D Damaſcenus, & D. Thomas, qui vſum aliquem agnoſcunt, eo nomine apertè intelligunt ipſam operationem externam. Nam Damaſcenus quidem 2. fid. c 22. electioni ſubiungit impetum, quo homo ſe confert ad actionem externam, eámque inchoat Deinceps autem, ait ſequi actionem completam, ſiue plenam executionem, quam vocat vſum. Similiter S. Thomas 1.2.q.16.art.1. ait operationem, ad quam applicamus rem aliquam, dici vſum eius: ſicut equitatio dicitur vſus equi. Et infrà addit, *vti*, eſſe rationis, tanquam dirigentis; voluntatis, tanquam primi mouentis & aliarum potentiarum, tanquam exequentium. Apud Ariſtotelem denique & Nemeſium, imò apud omnes veteres, altum eſt de huiuſmodi actu ſilentium. Tantùm quippe meminerunt executionis poſt electionem: vnde videntur vſum cum executione confudiſſe Subſcribit Salas 1. 2. tr.6. d.1. ſ.7. ſentiens vſum eſſe ipſum actum imperatum, non ſecundùm ſe, ſed vt procedentem ex imperio voluntatis. His quippe verbis nihil exprimitur præter executionem, rationali & humano modo factam.

Quatenus probandi.

438 Ego his Autoribus non grauatè concedo, omnem vſum actiuum ab efficaci electione realiter diſtinctum, eſſe ſupernacaneum & reiiciendum. Quod mihi demonſtrat ratio paulò antè propoſita. Ac præterea quia electio non eſſet efficax; niſi vi eius ſolius, potentia exequens intelligeretur ſufficienter applicari ad executionem, non modò medij ſecundùm ſe, ſed etiam quoad omnes eius circunſtantias. Idcireò enim eſt efficax, vt Augeſtus c.2. mor.t.4. rectè obſeruauit. Itaque repudio vſum actiuum, qui ſit nouus actus voluntatis ab electione diſtinctus reipſa.

Quod intelligo vniuerſaliter. Neque enim placet Valentia 1.2. d 2.q 11.p.2 & 3. qui in aliquibus ſaltem euentibus, ſecernit realiter vſum actiuum ab electione, eo quòd executio non ſemper ſequatur electionem, ſemper verò ſequatur vſum. Item eo quòd electio præcisè tendat in medium quatenus vtile: vſus verò directè tendat ad impellendam potentiam vt agat, & executioni mandet quod electio decreuerit. Tunc igitur duntaxat putat Valentia, vſum non differre niſi ratione ab electione, quando intellectus proponit voluntati medium quatenus vtile, & ſimul executionem eius: Voluntas autem in vtrunque tendit vno actu. vt ſanè poteſt. Extra eum euentum Valentia amorem medij prout vtilis, ſiue electionem, diſtinguit reipſa ab amore executionis medij, ſiue ab vſu. Hoc dico mihi non probari, & vniuerſaliter reiicio actum vſus in voluntate realiter poſteriorem electione, quia rationes propoſitæ id euincunt vniuerſaliter.

Quæ verò in contrarium proximè obiecta ſunt, non vrgent. Nam quòd aliquando propter latens impedimentum, potentiæ exequenti intrinſecum vel extrinſecum, non ſequatur executio poſita electione, parum refert. Nihilominùs enim electio, quantum eſt ex ſe, ac vi ſua, eſſet potens ad indicendam & inuehendam abſque alio vllo actu executionem, niſi obſtaret impedimentum interueniens, cuius ignoratione factum eſt, vt electio poneretur efficax. Nam ſi obex ille innotuiſſet, electio non fuiſſet efficax ſaltem abſolutè. Quòd ſi poſteà ſublato impedimento renouetur electio, eíque iungatur executio; vel quia electio facta fuerat in futurum, ſuſpendatur ad tempus executio, non ſequitur tunc poni vſum, qui antè defuerit, vt malè argumentatur Granado ſuprà n.21. Sed ſequitur tantùm, quòd tunc in euentu ſublati impedimenti, idem actus, qui priùs veluti ligabatur & præpediebatur, exſoluatur quodammodò, incipiatque habere effectum. In euentu autem ſuſpenſæ & poſtmodum reſumptæ executionis. ſequitur renouari electionem: Vel certè actum circa media, qui antè non fuerat niſi conſenſus, nunc mutatis circunſtantiis tranſire in electionem efficacem. Porrò electio efficax non tendit tantùm in medium quatenus vtile, ſic enim non eſſet electio, ſed conſenſus, ſeu amor ſimplex medij vt ſic. Tendit igitur electio in medium quatenus exequendum, & ita tendit, vt vi eius ſolius, ſecluſo quocunque vlteriore actu, ſecutura ſit executio & applicatio potentiæ, niſi interponatur impedimentum. Quorſum ergo prætereà alium quendam peculiarem actum ponemus, ad cauſandam executionem? Nam quod dicebatur, momentum huius peculiaris actus cerni in impulſu potentiæ exequentis, ſufficienter refellitur ex brutis, quorum potentia exequens ſufficiẽter applicatur abſque vllo tali impulſu, diſtincto ab appetitione efficaci, qua feruntur in opus.

Vſus actiuus, qua ratione admittendus.

439. Nihilominùs non placet vulgarem ſententiam, qua vſus aliquis actiuus admittitur, repudiare. In ea enim apertè eſt S.Thomas 1.2.q.16.art.1. quatenus ait, *vti*, primò & principaliter eſſe voluntatis, potentiam exequentem mouentis ad operandum. Et 1.p.q.22.art.1. *in corp.* vocat hunc actum, executionem actiuam, quam in Deo gubernante, & ſuctum ſalutem exequente admittit. Nec dubitari poteſt, quin potentia exequens, in modo operandi deliberato & humano, ſit applicanda per voluntatem, cuius eſt vniuerſum illum progreſſum indicere, & quid aut quomodò executioni mandari liberè debeat, ſtatuere. Illud igitur voluntatis decretum, quatenus applicat ad opus potentiam exequentem, appellamus vſum actiuum; quem fortaſſis Damaſcenus appellauit impetum; contraponitúrque vſui paſſiuo, qui eſt in ipſa potentia exequente. Hic tamen voluntatis actus, non differt realiter ab actu electionis primùm elicito poſt iudicium claudens conſultationem; ſed eſt reipſa idem cum ea. Aliquatenus autem per rationem ſecerni poteſt, quatenus electio ſimpliciter non appellatur vſus actiuus: quia vt ſic, eſt tantùm medij approbatio, non ſimplex duntaxat, ſed & efficax: Ita tamen, vt nondum intelligatur, habere actu adiunctam executionem. Prius enim ratione eſt, actum voluntatis, quo executio indicitur, eſſe efficacem in actu primo, quàm adiungi ei actum externum, reſpectu cuius actus ille internus dicitur efficax. In illo itaque primò ſigno rationis vel naturæ, actus voluntatis

tatis appellatur tantùm electio In poſteriore autem ſigno rationis vel etiam naturæ, cùm non tantùm actus voluntatis eſt potens ad cauſandum in ſuo genere & ordine actum externum, ſed etiam eum habet actu adiunctum; electio quæ tunc continuatur, appellatur vſus actiuus, quia actu procreat executionem. Sicut iudicium claudens conſultationem, provt continuatur poſt electionem primò factam, appellatur imperium, vt ſuprà expoſuimus.

ARTICVLVS IV.

Colligitur numerus & ordo actuum ad progreſſum deliberatè operandi pertinentium.

440. IVuat in hac meta breuiter colligere numerum & ſeriem actuum interuenientium in modo operandi humano & deliberato, quòd iis conſtitutis, quæ hactenus præmiſimus, facile ſit, inter varias de eo numero & ordine ſententias pronunciare. Spectamus autem tantùm hoc loco ſeriem, vt vocant, directam: hoc eſt, eam, in qua voluntas orſa ab intentione finis, procedit ad electionem mediorum; indéque ad executionem progreditur. De ſerie verò reflexa, quæ compingitur ex actibus, quos voluntas ſupra ſeipſam reflexa, habere vult; & æquè ac directa, ex variis intellectus & voluntatis actionibus compingitur, vt fert modus operandi rationalis & humanus; nihil eſt neceſſe hoc loco addere, cùm ordinis illius expoſitio nihil ferè referat ad progreſſum humanum, & actus quibus deliberatè agimus. Multa circa eam commentatur Caietanus 1.2.q.16.art.4. *in fine*.

Quatuor actus in progreſſu operandi humano.

In ſerie igitur directa, ſunt tantùm duo actus intellectus reipſa diſtincti; nempe iudicium intentioni prælucens, & iudicium claudens conſultationem: Duo item voluntatis actus eſſe poſſunt, ſuntque ſæpenumerò, nempe intentio & electio, quamuis interdum ſit vniens; vt probatum eſt art. 1. Imperium verò ex parte intellectus, & vſus actiuus ex parte voluntatis, nullum peculiarem & realiter ab aliis omnibus diſtinctum actum inuehunt, ſed tantùm nouam denominationem eiuſdem actus perſeuerantis, vt explicatum eſt artic. præced Ex quo etiam liquet de ſede horum actuum, quæ ſola poſſet eſſe dubia. Nam de ſede intentionis & electionis, nulla eſt ambiguitas. Ex dictis ergo art. præcedenti conſtat, iudicium electioni præuium, quod videlicet concluſit conſultationem, denominari imperium, ſi perſeueret poſt primò factam electionem efficacem, & vi eius in vſum actiuum tranſeuntis, ſiue eâ mediante, cauſet, & per ſeipſum dirigat executionem. Itaque imperium provt ſic denominatur, eſt actus intellectus poſterior electione, & anterior vſu actiuo, qui eſt actus voluntatis indiſtinctus realiter ab electione perſeuerante, & actu habente adiunctam executionem. Quæ omnia cùm ſint ex dictis perſpicua, non poſtulant pleniorem diſcuſſionem,

Nulli præterea ſunt actus, quoad moralitatem vel poſſibilitatem neutri.

441 Tantùm non immeritò videtur ambigi poſſe, ſitne hic præcisè numerus actuum voluntatis deliberatè operantis, ſpectata ſerie eorum directa. Non pauci nanque alium quendam actum ab omnibus prædictis longè differentem inuexerunt, quem neutrum nominarût. Hoc tamen variis modis apud diuerſos Autores intelligitur, qui modi non æquè huc omnes pertinent.

Nam Angeſtus c.2. Moral. t. 1. & Marcellus ſuo l. 5. de anima, c. 55. admittunt aliquem voluntatis actum neutrum, id eſt, quo aliquid appetatur neutraliter oſtenſum; nempe vt abſtrahens à quacunque, id eſt, etiam phyſica bonitate, atque malitia. Additque Angeſtus, dari ſimiliter poſſe actum abſtrahentem ab obiecti poſſibilitate & impoſſibilitate. De huiuſmodi actibus neutris hîc propriè non agimus. Nam ſi dari poſſunt, vel ſpectabunt ad actus anteriores ordine intentionis; ſi nimirum ſint duntaxat ſimplices appetitiones: vel ſi efficaces ſint, ſpectabunt ad aliquem ex actibus ordinem prædictum integrantibus, atque ita non augebunt numerum conſtitutum.

Reuera tamen, vt hoc obiter addam, nullus talis actus neuter admittendus eſt in voluntate. Nam quod attinet ad appetitionem obiecti, quod neque bonum, neque malum ſit, quis non videt æquè impoſſibile eſſe dari talem actum, ac impoſſibile eſt dari viſionem abſque viſibili? Æquè enim bonitas eſt obiectum formale actus proſecutiui voluntatis; ac viſibile fundamentale, eſt obiectũ formale viſus Itaque meritò Gabriel in 2.d.27.q vnica, *lite a B*, contendit omnem actum voluntatis vel eſſe volitionem boni, vel nolitionem mali, negátque dari vllum actum medium, circa obiectum voluntatis neutraliter propoſitum, ſiue neque vt bonum, neque vt malum. Quod verò attinet ad poſſibilitatem & impoſſibilitatem, ſi Angeſtus tantùm velit non eſſe neceſſe, vt obiecti poſſibilitas vel impoſſibilitas percipiatur, quaſi in actu ſignato, rectè dicit. Si autem velit dari poſſe actum cui reipſa & veluti in actu exercito, obiectum non obiiciatur vt poſſibile vel impoſſibile, non eſt audiendus Ille quippe modus abſtractionis, non minùs eſt abſurdus, quàm ſi quis diceret; rem poſſe cogitari, neque vt ens, neque vt non ens. Eodem enim modo ſe habent poſſibile & impoſſibile, quo ens & non ens.

Rixa de actibus, neutris quoad finem aut media.

442 Dimiſſis ergo his volitionibus neutralibus; difficultas tantùm eſt de voluntatis actu abſoluto efficaci, qui neque ſit circa finem, neque circa media: Hic enim actus, eſſet neuter, hoc eſt, neque eſſet intentio neque electio. Quod aliis verbis quæritur à pleriſque Scholaſticis initio primi ſententiarum an omnis actus voluntatis ſit fruitio vel vſus. Reſtringo autem diſputationem ad actum efficacem & abſolutum; quia certum eſt, dari actus inefficaces ac ſimplices, anteriores intentione, qui propriè neque ſunt intentio, neque electio. Et idem conſtat de actibus efficacibus conditionatis, quibus quis vellet, ſi poſſet, aliquid facere. obſtante tamen impoſſibilitate, qua videt obſeptam aſſecutionem, non progreditur ad applicationem facultatis exequentis: Vnde actus ille propriè neque eſt intentio, neque electio. Nam intentio propriè dicta, fertur in rem vt aſſequendam: habétque adiunctum propoſitum aſſumendi media, cui neceſſe eſt præire iudicium, quòd res queat obtineri, quale iudicium hîc non habetur. Et inde etiam euincitur, hunc actum non eſſe electionem, quæ intrinſecè & eſſentialiter ſpectat media, quorum hic actus non eſt reſpectiuus, propter exhibitam voluntati impoſſibilitatem obiecti. Latè tamen vſurpando intentionis nomen, actus ille ex parte obiecti conditionatus & inefficax, ſed ex parte voluntatis abſolutus & efficax; poteſt dici intentio, eo quòd ſit affectus non circa media quæ eſt interdum notio intentionis, ac interdum etiam electionis. Sic enim aliqui dicuntur ex electione peccare. Et planè eodem ſenſu Scotus dixit, electionem poſſe eſſe impoſſibilium. In quem proinde immeritò conclamatur, perinde ac ſi admiſiſſet, electionem propriè dictam verſari

poſſe circa impoſſibile cognitum, quod eſt ab eius mente alieniſſimum. Vſurpatis tamen in rigore, intentionis & electionis nominibus, indubitatum eſt, non dari intentionem aut electionem circa impoſſibile cognitum, vt Ariſtoteles diſertè tradit 1. Ethic. c. 1. Atque ita meritò arctauimus diſputationem de actu neutro, ad actum efficacem & abſolutum.

Admittit talem actum neutrum, Scotus in 1. d. 1. q. 3. *litera A.* Ocham. ibid q. 1. *litera K* Aureolus d. 1. q. 3. art. 1. & Salas 1. 2 tract. 6. d. 1 n. 109. & tract. 1. d. 6. n. 31. Fundamentum eſt, quia in bono ſumpto præciſè ab vtilitate, & bonitate digna propter quam alia amentur, cerni poteſt abſoluta ratio boni, neque propter ſe cum ea quam dixi principalitate, neque propter aliud amabilis. Repudiant autem actum illum, Suares d. 13. Metaph ſ. 6 n. 18. & Vaſq 1. 2. d. 32. c. 1. Fundamentum proferunt, quia inter bonum relatè ad aliud, ſeu amabile tantùm propter aliud & bonum non relatè ad aliud, atque adeò propter ſe amabile, non datur medium.

Componitur.

44. Mihi hæc controuerſia, quatenus inter Authores prædictos agitatur, videtur ferè de nomine, vt benè aduerterunt Valentia 1. 2. d. 2. q. 3 p. 2. & Becan. 1. 2. tract. 1 c 2. q. 8. Præterea verò hæc rixa non ſpectat ad præſentem difficultatem, prout eius ſtatum proximè expoſuimus, ac proinde eſt aliena ab huc inſtituto. Vtrunque breuiter expono. Eſſe igitur rixam illam magna ex parte de vocibus, ex eo perſpicuum eſt, quod finis poteſt accipi, vel completè, quatenus amatur vt dignus qui propter ſe appetatur, & alia propter illum: vel inchoatiuè, prout bonum quod non ametur gratia alterius, tametſi non concipiatur vt dignum propter quod alia amentur, aut dignum quod ametur non propter aliud. Si ergo finis ſumatur priori modo, ſic euidens eſt dari poſſe actum qui neque ſit finis ita accepti; neque mediorum, vt patet in ſimplici complacentia de re impoſſibili. Si autem finis ſumatur poſteriori modo, ſic verum eſt, omnem actum voluntatis eſſe circa finem, vel circa media. Priorem ſenſum intendunt, qui admittunt actos neutros. Idque vnum fuit fundamentum prioris ſententiæ. Poſteriorem, qui illos inficiantur. Nec plus probat fundamentum poſterioris ſententiæ. Atque ita liquet eam rixam eſſe de vocibus. Eſſe autem ab inſtituto alienam vt præterea affirmabam, inde eſt manifeſtum, quòd nos hic agimus de actibus voluntatis ſpectantibus ad modum operandi humanum, qui ſunt efficaces & abſoluti, quorum primus eſt intentio. Actus autem neuter, quem Scotus, & Authores cum eo allegati admittunt, eſt actus inefficax & anterior intentione.

Quaternarius conſtitutus firmatur.

Rectè igitur conſtitutum eſt, ſeriem actuum conſtantium progreſſum operandi humanum & deliberatum, duobus actibus ex parte intellectus contineri, iudicio ſcilicet præuio intentioni, & iudicio claudente conſultationem: quod prout continuatum & in inſtanti naturæ ſubſequente electionem habens adiunctam applicationem potentiæ exequentis, ipſámque executionem, denominatur imperium. Duobus item ex parte voluntatis, intentione ſcilicet, & electione, quæ prout continuata, habénſque adiunctam potentiæ exequentis applicationem, denominatur vſus actiuus. Interdum tamen intentionem & electionem vnico realiter actu contineri, non diffiteor. Itémque ei interdum præcurrere veluti anteambulonem actum conſenſus, monſtratum ſuprà eſt. Sed quia cùm agitur de actibus ad ordinem aliquem pertinentibus, non eſt habenda ratio indiſtinctionis, quæ poteſt aliquando accidere ex plenitudine libertatis, aliáve ſimili ex cauſa; aut actus, qui poteſt præter ordinem & veluti per accidens interſeri in ſerie ordinaria, & communiter ex aliis tantùm actibus contexta: propterea miſſum feci conſenſum, & electionem, tanquam actum ſimpliciter ab intentione diſtinctum, numeraui. Ad hanc normam exigenda ſunt quæ pleniùs de horum actuum ordine diſputata leguntur apud Caiet. 1. 2. q. 16. art. 4 Fonſec. 9. Metaph. c. 2. q 8. *in fine*, & Salam 1. 2. tr. 6. d. 2. n. 67.

DISTINCTIO QVARTA.

DE MORALITATE.

1. HIc eſt totius tractationis noſtræ ſcopus, ob quem tam multa de aliis actuum humanorum rationibus moralitati ſubſtratis hactenus præmiſimus. Idcircò enim & rationem actus naturalis, & voluntarij, & liberi, aliáſque his oppoſitas expoſuimus. Eandem etiam ob cauſam, de paſſionibus & humanis actibus diſputauimus. Nimirum actus, priuſquàm moralitatem induat, debet & naturalis, & voluntarius, & liber eſſe. Quòd autem accipiat moralitatem interuentu virtutis & vitij, tanquam cauſæ aduentitiæ & ſuperuenientis principio natiuo, ſiue libertati, extrinſecum quid eſt. Denique moralitatem recipit (eo modo quo recipit) ſuamet entitate, vt propterea de his omnibus priùs agendum fuerit, quàm veniremus ad moralitatem, tanquam ad formalem cauſam morum, de quibus eſt vniuerſa iſta tractatio. Eo portò diligentiùs incumbendum eſt in huius cauſæ expoſitionem, quo maius eſt ad rem moralem eius momentum. Tantum verò eſt, vt vniuerſa vitæ noſtræ ſecundùm rectam rationem compoſitio, hoc eſt adeptio fœlicitatis & beatitatis noſtræ: declinatio item exerrationum, quibus ab eo vltimo fine noſtro deſciſcitur, ex doctrinæ hîc tradendæ praxi & legitimo vſu pendeat.

Ordinem in tractatione alioqui implexa, & ſatis latè fuſa, hunc tenebimus. Conſiderabimus primùm moralitatem vniuersè, quoad eſſentiam, & entitatem, ac ſubiectum, & terminum eius: quæ omnia ad internas eius cauſas ſpectant. Deinde de eius quaſi effectione, & veluti conceptu, ac partu, ſeu origine interna, & progreſſione ad externum actum diſputabimus. Tandem de vtraque moralitatis ſpecie, aliquid ſigillatim ſubdemus. Potuiſſet quidem primo loco generatim agi de moralitate provt communi & actibus, ſiue internis, ſiue externis; & aliis quibuſdam, quæ etiam moralia dicuntur. Tamen quia ſola actuum moralitas confert ad præſens negotium, ei ſoli exponendæ inſiſtam. Imò quia moralitas actuum internorum, eſt primum moralitatis analogatum; cætera autem non ſunt moralia, niſi per analogiam ad moralitatem actuum internorum; agam de ea duntaxat. De aliis autem non niſi per eius occaſionem Facile porrò erit, quæ dicemus de hac primaria moralitate, quam ſemper in poſterum, nomine moralitatis actuum abſolutè dictæ intelligemus, accommodare ad reliqua, quæ quouis modo ſunt, dicuntúrve moralia.

QVÆSTIO I.

De Moralitate generatim.

2. VEr. de ipſa moitalitatis notione ac multiplicitate lis eſt, & ſententiarum varietas non modica. Itaque ante omnia ſtatuendum eſt; quid & quotuplex ſit moralitas actualis, de qua diſputandum propoſui. Ab aliis vocatur moralitas formalis, quòd non ſicut moralitas obiectiua inſideat obiecto, ſiue actui externo, ſed ſit veluti forma afficiens operantem, eique intrinſecè adueniens, ratione actus cui immediatè ſoperuenit, vt dilucidiùs intelligetur ex ſequentibus.

ARTICVLVS I.

Quid ſit Moralitas ſimpliciter dicta, ſiue formalis.

COmplector hoc titulo multas minutias, quas grauiſſimis reſolutionibus poſteà ſubiiciendis præmittere neceſſe eſt ad complanandam & expediendam viam. *Debet enim*, vt cum Seneca in ſimili dicam l.2. de ira, c 1. *in has ſe demittere diſputatio, vt ad illa quoque altiora poſſit exurgere. Nam & in corpore noſtro oſſa, neruique & articuli, firmamenta totius, & vitalia minimè ſpecioſa viſu, priùs ordinantur. Deinde hæc ex quibus omnis in faciem aſpectúmque decor eſt: poſt hæc omnia, qui maximè rapit color, vltimus perfecto iam corpore affunditur.*

ASSERTIO.

MOralitas in actu, non eſt formaliter idem cum ratione humani ſeu liberi: multò minùs cum ratione perfectè voluntarij: ſed ſupra eas importat regulæ humanos actus dirigentis connotationem: quæ non eſt reſpectus rationis, vel realis propriè acceptus, ſiue tranſcendens ſiue categoricus: ſed eſt tantùm reſpectus ſecundùm dici, qui in actu præintelligitur antecedenter ad relationem categoricam, ſuperuenientem ordini illi ad regulam.

PRimò reiicio falſas quaſdam rationes explicandi moralitatem actuum, hoc eſt eorum, qui confuderunt eam cum libertate actuum: & eorum qui cenſuerunt, actum eſſe moralem, idem prorſus eſſe, quòd, actum eſſe perfectè voluntarium, hoc eſt procedentem ex plena cognitione, ſiue liberè, ſiue neceſſariò procedat.

Moralitatem cum ratione liberi aut perfecti voluntarij, qui confuderint.

3. In priore ſententia eſt Durandus in 2.d.38.q.1. n.5. & Salas 1. 2. tract. 7. d 1. n.6. adducens Sotum 1. de Iuſt. q.7. art.2. idem quoque obiter dicit Suarez l.12. de gratia, c.3.n.7. Et Durandus quidem ſola vocis etymologia nititur. Moralitas enim dicitur à more & aſſuefactione. At hæc, iuxta Durandum, non habet locum niſi circa actus liberos. plenéque ſubiectos poteſtati noſtræ. Circa actus enim naturales, vt circa deſcenſum lapidis, vel conſcenſum ignis ſurſum, aſſuefactio non habet locum. Et vice verſa etiamſi lapis proiiciatur ſurſum centies millesies, nunquam aſſueſcet ſurſum ferri; quia conſenſus ille non eſt lapidi liber. Hinc ergo concludit Durandus, eſſe morale, & eſſe liberum, eodem recidere. Confirmat eam ſententiam Salas, quia omnes actus liberi, ſunt morales, & è contrà. Item quia omnis actus liber, eſt humanus. Omnis autem actus humanus, eſt moralis. Ergo omnis actus liber, eſt moralis.

Alij verò ex hac poſtrema ratione, colligunt idem prorſus eſſe actum moralem, & actum ex plena cognitione procedentem. Qui enim actus procedunt ex plena notitia, iidem humani ſunt, etiamſi non ſint liberi. Atqui actum eſſe humanum, idem eſt quòd eſſe moralem. Igitur actum eſſe moralem, idem eſt quod procedere ex plena & perfecta cognitione, ſiue eſſe perfectè voluntarium, tametſi non liberum. In eadem ſententia eſt Pauonis diſp. 1. q. 3. propoſ. 1.

Refelluntur.

Neutra ex his ſententiis probanda eſt. Nam nomine moralitatis, intelligimus id, per quod conſtituuntur mores hominis; ſeu id penes quod denominamus hominem moratum. Non denominamus autem niſi benè vel malè moratum. Ergo moralitas vniuersè ſumpta importat ordinem illum ad regulam, ex quo deſumitur bonitas vel malitia. Quæ duo valdè differunt à ratione conſtitutiua voluntarij & liberi vt ſic. Nam voluntarium latè ſumptum, reperitur etiam in brutis, quæ nemo dixerit eſſe moralitatis capacia. Voluntarium autem perfectum, tametſi reperitur in ſolis naturis intelligentibus; tamen quia non importat reſpectum ad facultatem actiuè indifferentem, ex quo ducitur ratio bonorum vel malorum morum, debet à moralitate differre.

Et idem eſt de ratione liberi vt ſic. Quod eſt euidentiſſimum, ſi dantur actus in indiuiduo indifferentes. Tales quippe actus ſunt liberi, neque tamen ſunt boni vel mali mores, iuxta eam ſententiam, quæ multorum eſt, nec caret multis & idoneis rationibus; éſtque ſaltem vera quoad actus, qui ab homine eliciuntur abſque aduertentia vlla ad honeſtatem vel turpitudinem, ſiue ex ſola libertate phyſica, abſque libertate morali. Iuxta aliam verò ſententiam,

ſententiam, quæ nullos admittit actus in indiuiduo indifferentes, poſſumus in re præſenti ducere argumentum ex eo quòd certum eſt actus illos ſecundùm ſpeciem eſſe indifferentes; id eſt, neque bonos, neque malos, atque adeò à genere moris extraneos, quicquid in contrarium aſſerat Ægidius Conine. d. 1. de actib. ſupernat. n. 21. Et tamen ſpecificè ſpectati, liberi ſunt. Aliud ergo eſt actum eſſe liberum; aliud, eſſe moralem.

Ad rationes in contrarium.

4. Quæ verò in contrarium proferebantur, nullo negotio extricari poſſunt. Duntaxat enim probant, libertatem, vel rationem perfecti voluntarij eſſe fundamentum moralitatis. Nam actus non eſſet moralis, niſi præſupponeretur in eo ratio perfecti voluntarij, & ratio liberi; quamuis non propterea actus eo ipſo ſit moralis, quo eſt liber, aut perfectè voluntarius. Et ita loquendum eſt, ſi velimus rem ad viuum reſecare, & formaliter non cauſaliter loqui. Quod addo, quia interdum D. Thomas, aliique quorum plurima teſtimonia coaceruat Salas tract. 7. d. 7. ſ. 1. in ſenſu cauſali aiunt, actum liberum, eſſe moralem: quia ſcilicet libertas præſupponitur ad moralitatem; & hæc ex illa, tanquam ex fundamento inadæquato, & partiali radice progerminat.

Perperam porrò Durandus, in argumento meris vocibus contexto, aſſumebat, morem & aſſuefactionem tantùm cerni in facultate libera: hoc enim perſpicuè refellitur ex habilitatibus brutorum; itémque ex habitibus intellectus, qui vtique non eſt facultas libera. Itaque licet potentia, quæ habilitatem comparat, debeat alicuius indifferentiæ & indeterminationis capax eſſe; non tamen eius, quæ in poteſtate agendi vel non agendi ſita eſt: ſed illius duntaxat: quæ conſiſtit in non omnimoda determinatione ad promptè operandum: ita vt potentia, quæ eſt capax aſſuefactionis ſiue habitus, non ſit naturaliter determinata ad agendum expeditiſſimè. Quæ enim eam ſummam determinationem habent, ſicuti eſt oculus reſpectu viſionis. & grauitas reſpectu motus deorſum, non ſunt idonea ad comparandam aſſuefactionem: alia verò agentia, tametſi neceſſaria, poſſunt aſſuefieri & habitum comparare, quo promptiùs operentur.

Perperam quoque in confirmatione quæ ſubiungebatur, additum eſt, actum moralem & humanum, idem eſſe: idque concidit ex hactenus conſtitutis. Nam actum eſſe humanum. idem eſt quòd eſſe liberum. Ea quippe dicitur actio humana, quæ eſt propria hominis, qualis eſt ſola actio libera: quia modus operandi cum determinatione ad vnum, non eſt proprius homini, cùm ſit ei communis cum agentibus ratione deſtitutis & neceſſariò operantibus. Quare, ſi homo eliciat operationem aliquam abſque libertate, quantumuis plena cognitio præluceat, ea operatio dicetur quidē actio hominis, quia procedit ab homine: non tamen dicetur actio humana; vt habetur ex D. Thoma 1. 2. q. 1. art. 1. & 3. p. q. 19. art. 1. Itaque negandum eſt, omnem actum humanum eſſe moralem: ſicut negatum iam eſt, omnem actum liberum eſſe moralem. Saltémque negandum eſt, actum quatenus humanum ſiue liberum, eſſe moralem.

Moralitas ſtatuenda in ordine actus liberi ad regulam.

5 Secundò dixi moralitatem ſitam eſſe in reſpectu actus liberi ad regulam ſuam. Quod diligenter explicandum & excutiendum eſt; eſt enim nonnihil obſcurum. Aduertendum igitur eſt cum Scoto quodl. 18. art. 1. *litera C, & D*, voluntatem creatam, cuius partus eſt actio moralis, non eſſe ex ſe determinatam ab bonum homini conſentaneum, hoc eſt, ad bonum honeſtum; ideóque egere regula præſcribente quid honeſtum ſit & faciendum; quid item vitandum ſit tanquam turpe & rationi diſſonum. Ea autem regula à variis varia aſſignatur. Iuxta aliquos enim, eſt lex diuina: iuxta alios, natura ipſa rationalis: iuxta alios denique, iudicium practicum ab ea profuſum, ſiue recta ratio præſcribens operationem, aut operationis defectum omittendum. Ad rem verò præſentem perinde omninò eſt, quancunque ex prædictis ſententiis approbemus. Hinc apparet, actum humanum poſſe per illam regulam ſuam dirigi, & ad eam habere reſpectum conformitatis, qua ratione bonus eſt & honeſtus; vel diſſonantiæ & difformitatis, qua ratione eſt vitioſus.

Ille ergo reſpectus vel ordo ad regulam, in quo actus bonus & malus conueniunt, eſt illud per quod actus conſtituitur formaliter moralis: ita vt moralitas nihil aliud ſit, quàm ordo ille. Actus enim bonus & malus conueniunt in eo quòd ſint morales; eſtque huiuſmodi prædicatum, aliquid ſuperius ad vtrunque illum actum. Nihil autem eſt vtrique illi actui commune, quod non conueniat aliis actibus qui nec boni nec mali ſunt, aut vt tales non conſiderantur præter reſpectum illum ſiue ordinem ad regulam. Ergo ille eſt, qui moralitatem formaliter conſtituit.

Eum ordinem eſſe relationem, quorundam ſententia.

6. Quòd hunc ordinem reſpectum nomino, nolim ita accipi, quaſi moralitas ſit relatio, ſiue rationis, vt cum Cano docet Vaſq. 1. 2. d. 95. cap 10 ſiue realis propriè dicta: aut tranſcendentalis, vt perperam ſenſit Zumel 1. 2. q. 71. ad art. 6. & Conrad. 1. 2. q. 19. art. 1. ad Conimbr. d. 5. Eth. q. 1. art. 1. aut cathegorica vt cenſuit Mayron. in 2. d. 43. q. 1. Omnes enim hæ ſentētiæ niſi aliud eis ſubſit quàm vocū cortex præfert, falſæ ſunt & repudiandæ. Quod breuiter præſto priuſquam veram de eo reſpectu ſententiam exponam.

Qui dixerint eſſe relationem rationis, vel extrinſecam denominationem.

Et in primis ſententia, quæ vult moralitatem, & eum quem dixi actus humani ordinem ad regulam eſſe relationem rationis, ex eo confirmatur à Cano, quod menſurabilitas ſit relatio rationis ex 5. Metaph. c. 15. ordo autem ille ad regulam, aliud non ſit quàm relatio rationis. Addit aliam rationem, quam vnam Vaſques approbat, nempe quòd ex moralitate nihil reale accedat vel decedat actui; actus enim quatenus moralis, pendet à libertate. Itaque ſicut ſignificatio vocum, quia eſt ex humana impoſitione libera, eſt tantùm relatio rationis, qua vox realiter immutata refertur ad rem ſignificatam: ita & moralitas.

Nec repugnat huic doctrinæ, quod idem Vaſques ibid. & d. 73. n. 15. affirmat, nempe moralitatem quancunque eſſe denominationem extrinſecam. Nam quamuis dicat, moralitatem nihil eſſe niſi reſpectum extrinſecum, aut extrinſecam denominationem deſumptam ab intellectu ex concurſu plurium; nempe ex concurſu liberi actus phyſici, & obiecti indebiti: nihilominùs apud eundem Autorem, denominatio extrinſeca eſt relatio rationis, vt patet ex 1. p. d. 115. c. 2. Qui tamen idcircò non diffitetur, actum moralem reipſa eſſe: quia reipſa ſunt omnia, ex quibus in-

tellectus conſiderat relationem illam rationis in actu humano. Quod confirmat ex aliis extrinſecis denominationibus, quæ ita ſunt relationes rationis, vt nihilominùs res dicatur reipſa eſſe ſic relata. Maritus enim & vxor ſunt reipſa coniuges, & Deus eſt reipſa creator, & opera Chriſti fuerunt reipſa valoris infiniti, & homo qui peccauit, nec peccatum retractauit, eſt reipſa peccator: cùm tamen hæc omnia nihil ſint niſi extrinſeci reſpectus & relationes rationis, præſupponentes concurſum plurium realium ſimul interuenientium.

Quinetiam ex propoſito coniugum exemplo aliiſque nonnullis, colligit idem Author diſp. illa 95. n. 48. quamuis interdum denominatio extrinſeca proueniat à forma eiuſdem rationis alteri ſubiecto intrinſeca, quo pacto paries denominatur extrinſecè dexter à dexteritate animali interna: Tamen id non eſſe ſemper verum; eo quòd plerunque forma denominans non habeat eundem effectum formalem in eo cui ineſt, & in eo quod denominat extrinſecè: ac proinde tunc neceſſe non eſt, vt forma denominationem illam conferens, ſit alicui ſubiecto interna. Sic Deus dicitur creator à relatione creaturæ, quæ non eſt relatio creatoris, ſed creaturæ: & homo dicitur dominus ſerui, cùm tamen realis relatio dominij nullibi ſit; eodémque modo dicuntur maritus & vxor. Similiter ergo in re noſtra nihil eſt neceſſe, formam à qua petitur denominatio actionis moralis, eſſe alicui ſubiecto internam.

Non placent quantum ad modum loquendi, & quid reipſa velint.

7. Hæc ſententia, ſi ſumatur præciſè quantum verba ſonant, eſt omninò repudianda. Quis enim riſum ſuſtineat, ſi audiat, omnia bona & praua opera noſtra, eſſe entia rationis? Inde certè ſequeretur, ea non cognoſci à Deo, ſaltem directè, & diuinam iuſtitiam totam occupari in plectendis vel remunerandis entibus rationis. Quod ſanè eſt diuinum illud attributum & noſtras actiones depretiare ſupra modum. Denique nemo eſſet bonus vel malus reipſa, ſed tantùm per operationem intellectus, in quo bonitas & malitia obiectiuè exiſteret. Neque enim ſatisfacit quod dicebat aduerſarius, idcircò moralitatem dici reipſa inexiſtere actibus, quia ea ex quibus denominatio moralitatis deſumitur, ſunt reipſa à parte rei. Nam non dicitur quis bonus & malus à poſitiuis illis, ſed ab ipſa relatione rationis, iuxta hanc ſententiam. Denominatur enim bonus aut malus à malitia aut bonitate formali, quæ iuxta hanc ſententiam ſunt tantùm relationes rationis. Ergo ſicut relatio rationis non eſt reipſa; ita effectus eius formalis, ſeu eſſe bonum aut malum, non erit reipſa: quia quamuis fundamenta harum denominationum & relationum rationis, ſint reipſa; tamen ea fundamenta ſunt præuia relationi, & non ſunt formaliter ipſa relatio.

Quare haud dubiè ſententia quam excutimus, reipſa continet, quàm verba ferant. Nimirum id tantùm volunt illius Authores, actum humanum quatenus moralem dicere reſpectum & ordinem ad rationem, quæ eſt regula actuum humanorum, vt infrà videbimus. Sed inde perperam infertur, illum ordinem, atque adeò moralitatem, eſſe relationem rationis. Aliud quippe eſt formam aliquam eſſe relationem rationis non habentem aliud eſſe, quàm obiectiuum in intellectu; aliud verò eſt, eam formam eſſe relationem ad rationem, non ſpeculatiuam, quæ eſt parens relationum fictitiarum, ſed practicam, & noſtrorum actuum directiuam. Vt proinde verum ſit, moralitatem eſſe reſpectum, aut (quod nondum definio) veram realem relationem ad rationem, quamuis non ſit relatio rationis.

Rationes eorum, quantum ſonant, enodatæ.

8. Argumenta propoſita pro eadem ſententia, iuxta nudum verborum corticem intellecta, exigui ſunt momenti. In primis enim falsò aſſumebatur menſurabilitatem eſſe relationem rationis. Eſt enim vera & realis relatio, vt fusè alibi probaui, traditque Gregor. in 1. d. 28 q. 3. ad 1. contra 3. & Ocham. ibid. d. 30. q. 5. *litera C.* Præterquàm quòd ſitne moralitas, quædam relatio, vt hæc argumentatio ſupponit, non immeritò ambigitur, de quo poſteà. Exquirendum quoque infrà erit, an moralitas ſit aliquid actui additum realiter, an verò ſit ipſa actus entitas cum connotatione aliqua. Vtrumuis autem dicamus, non ſequitur, moralitatem eſſe relationem rationis. Nam longe aliud eſt, formam vel propriè relatiuam, vel connotatiuam, eſſe aliquid reale, atque adeò non eſſe relationem rationis; & eſſe diuerſam realiter à fundamento, cui superuenire intelligitur. Sanè relatio categorica, iuxta veriorem ſententiam, non eſt phyſicum accidens fundamenti: & tamen etiam qua relatio, eſt ens reale, cùm ſit ens categoricum. Aliud ergo eſt, eſſe ens reale, & eſſe ens realiter diſtinctum, vt norunt Philoſophorum pueri; ac proinde quamuis moralitas non diſtingueretur reipſa ab actu, (quod infrà expendam,) adhuc verum eſſet moralitatem non eſſe relationem rationis. Eſtque id multò apertius, ſi verum ſit, moralitatem diſtingui à parte rei ab actu, tanquam formam ei reipſa ſuperadditam.

Poteſtas, Doctoratus, Valor, &c. non ſunt relationes rationis.

Falsò prætereà addebatur, quæcunque præſupponunt liberam voluntatem propriam vel alienam, eſſe relationes rationis. Sic enim omnis poteſtas Iuriſdictionis, eſſet relatio rationis, & valor monetæ ac operum; item eſſe Doctorem; eſſe maritum & vxorem; eſſe dominum; eſſe vocem ſignificatiuam; aliáque huiuſmodi eſſent relationes rationis. Quod quantum ad vocem & cætera ſigna attinet, alibi fusè reiectum eſt cum Ochamo in 4. q. 1. ad 2. dub. *litera K*, & Gabr. in 1. d. 35. q. 4. *litera B*, rectè aſſerentibus rationem ſigni ex inſtituto, non eſſe relationem rationis, quamuis à libera hominum deputatione & pacto pendeat. Quod item dico de dominio, poteſtate, & doctoratu, & cæteris paulò antè memoratis. Nam eſſe in poteſtate conſtitutum aut dominum, non eſt aliquid formaliter chimericum, ſed eſt ipſamet perſona, cui hæ denominationes competunt; conſiderata non ſimpliciter, ſed prout idonea iubere aliquid validè aut licitè, vel diſponere de aliquo, eo quòd ij quorum intererat, conſenſerint vt id facere poſſet, quod eſt eos contuliſſe illi hanc facultatem. Eſſe Doctorem, eſt tuliſſe laudem doctrinæ; & docendi, patrocinandi, medendi facultatem accepiſſe ab iis, quos Reſpublica conſenſui illi præbendo & dandæ approbationi præfecit, vbi nihil eſt non reale.

9. Quod item dico de pecuniæ valore, cum Albertino coroll. 18. ex 1. princip. compl. n. 48. Nam pecuniam tanti valere, nihil eſt aliud, quàm ſubſtantiam iſtam metalli, aliámve aliquam, impreſſo ſigno publico deputari, & per actum phyſicum voluntatis publicæ in Præſidibus reſidentis, deſtinari, vt ea exhibita, aliæ quædam res tradantur eius loco.

Quæ

Quæ Magiſtratus volitio eſt aliquid reale, & metallum item eſt reale. Duo autem illa, nempe Magiſtratum voluiſſe, vt danti hoc metallum, daretur alia res venalis, cùm ambo ſint entia realia, non poſſunt ex ſe parere ens rationis; quamuis intellectus plerunque otiosè illud affingat, concipiendo valorem illum quaſi qualitatem aliquam addititiam in metallo incluſam vi deputationis, quod eſt quidem ens rationis, ſed non eſt neceſſarium ad hoc vt moneta valore aliquo prædita intelligatur. Valor verò operum multò apertiùs eſt realis, cùm nihil ſit præter opus ipſum, vt eſt tantæ dignitatis, vndecunque ea dignitas ortum habeat.

Tandem eſſe maritum & vxorem, non ſunt relationes rationis; alioqui omnibus hominibus dormientibus diſſoluerentur omnia coniugia. Itaque eſſe maritum, nihil aliud eſt quam eſſe perſonam, quæ legitimè elicuerit realem & externo ſigno expreſſum actum conſenſus in iſtam; quæ viciſſim elicuerit ſimilem realem conſenſum in iſtum, cuius propterea vxor dicitur. In quo toto progreſſu nihil interuenit non reale, aut relatio rationis qua vinculentur: quicquid fingat Sotus & alij, quibus adhæſit Rebellus 2. p. l. 2. de contract. q. 1. n. 2. rectè reclamante Henriq. l. 11. c. 2. n. 8. & Sanche l. 2. de matr. d. 1. n. 7.

Nec entia moralia realibus contradiſtincta.

10. Perſpicuum igitur eſt, exempla quibus aduerſarij ex paritate rationis confirmabant moralitatem eſſe relationem rationis, perperam adduci: cùm formæ, quibus conſtituuntur, non ſint entia rationis, vel relationes rationis, ſed vera entia realia connotatiuè ſpectata. Sunt qui in omnibus exemplis prædictis, nouo philoſophandi genere vtantur; dicántque ea nec eſſe entia rationis nec realia, ſed moralia. Quo item modo philoſophari videtur Suares t. 3. 3. p. d. 1. ſ. 4 concl 2. ad 2. Et quidem ſi ſenſus ſit, huiuſmodi entia, non eſſe entia realia ſuperaddita phyſicè rebus ſic denominatis, rectè dicitur, huiuſmodi entia non eſſe realia: quamuis vt oſtendi, inde non ſequatur quòd ſint entia rationis, eo quòd ens reale latiùs pateat quàm ens diſtinctum realiter. Si autem nomine entis realis, intelligatur quicquid habet eſſe pluſquàm obiectiuè in intellectu; quod cunque autem non habet eo modo eſſe, ſed tantùm eſt quia obiicitur, dicatur ens rationis; certum eſſe debet, illa entia moralia, ſi non ſunt realia in hoc ſenſu eſſe entia rationis. Neque enim datur medium inter eſſe & non eſſe obiectiuè tantùm. Proindéque & entia prædicta, quæ in exemplum proponebantur, & actus morales quatenus morales, accenſeri debent entibus reipſa habentibus eſſe, nec reponi in ſerie entium aut relationum rationis, etiamſi præſupponant voluntatem liberam.

An ſint extrinſecæ denominationes, lis de vocabulo.

Spectat porrò ad litem de nomine, an moralitas & aliæ formæ entium memoratorum conſtitutiuæ, debeant dici extrinſecæ denominationes. Interdum enim nomen denominationis extrinſecæ ſumitur obiectiuè, (eodem ſenſu quo plerunque vſurpatur vox intentionis & conceptus;) id eſt, pro re extrinſecùs denominata, & non habente intimam ſibi formam, à qua denominationem accipit, vt rectè exponit Durandus in 2. d. 42. q. 1. n. 6. Et ea ratione verum omninò eſt, ad actum moralem quatenus talem, præſupponi extrinſecam denominationem liberi. Formaliter tamen eſſe morale non eſt ſitum in extrinſeca denominatione. Suprà enim ſeiunximus eſſe morale ab eſſe libero, & oſtendimus rationem liberi eſſe anteriorem: & tamen aliquando in ſenſu cauſali eſſe morale dicitur ſitum in extrinſeca denominatione liberi, quia ex libertate progerminat moralitas. Propterea dixi, litem eſſe de nomine, an actuum moralitas dicenda rectè ſit extrinſeca denominatio.

11. Tametſi verò concederemus, eſſe morale conſiſtere formaliter in extrinſeca denominatione, malè ſubſumeretur eam eſſe relationem rationis, vel non eſſe à parte rei antecedenter ad intellectum. Id enim falſum omninò eſt de denominatione extrinſeca ſumpta obiectiuè, quamuis de extrinſeca denominatione ſumpta formaliter, hoc eſt pro actu intellectus denominantis & appellantis, rectè Vaſques 1. p d. 115. c. 2. & t. 2 3. p. d. 118. n. 45. contendat eam non eſſe ante opus intellectus. Cùm autem ens morale dicitur ſitum eſſe in extrinſeca denominatione, perſpicuum eſt id non poſſe accipi de denominatione formaliter accepta, ſed de denominatione obiectiuè conſiderata, quæ vtique eſt ens reale, & ab intellectu omninò independens. Eſt enim ipſamet rei entitas, prout terminans realem habitudinem formæ extrinſecæ ad ipſam. Sic eſſe viſum in pariete, eſt denominatio extrinſeca & realis. Nec enim eſſe viſum aliud eſt, quam parietem terminare actionem viſionis: Vbi nihil eſt non reale, & idem eſt de eſſe volito, aliiſque huiuſmodi denominationibus extrinſecis.

Quia verò huiuſmodi denominationes ſunt termini reales alicuius extrinſeci, quod per concurſum ſuum ac ſimul poſitionem cum eo termino, cauſat vel quaſi cauſat huiuſmodi denominationem; ſiue eſt intellectui fundamentum, vt terminum illum extrinſecum ſic vel ſic denominet: propterea incredibile mihi videtur quod in calce ſententiæ, quam expendimus affirmabatur: Nempe denominationem extrinſecam duci poſſe à forma nulli ſubiecto interna. Illud enim extrinſecum cuius res denominata eſt terminus realis, non poteſt non eſſe vel aliqua res per ſe cohærens, vel in alio exiſtens. Et vtrouis modo ſe habeat, eſt forma alicui interna. Non eſt quidem neceſſe vt forma illa extrinſeca, ſit forma inhærens, quod vnum volunt D. Thomas q. 7. de potentia, art. 10. ad 5. & Capr. in 2. d. 32. q. vnica, ad 2. Aureoli 2. loco contra 5. Neceſſe tamen eſt, vt ſit forma realis, ac proinde ſaltem ſibi ipſi intrinſeca. Eſto non ſit eiuſdem rationis, cuius eſt ille quaſi effectus, qui reſultat ex concurſu talis formæ & rei per eam denominatæ: Nihilominùs enim forma denominans eſt reipſa, & eſt alicui interna. Sicut cauſa æquiuoca prout cauſa, eſt aliquid reipſa, licèt non ſit eiuſdem rationis cum effectu.

Quanquam in exemplis quæ ad probationem placiti quod refellimus, vſurpabantur, nihil eſt neceſſe tale quid imaginari. Nam Deus dicitur creator, non à relatione interna creaturæ, ſed à relatione ex tempore Deo ipſi adueniente. Et dominus dicitur dominus à vera & ſibi intrinſeca relatione domini; & idem eſt de coniugibus. Nec aliter de moralitate ſtatuendum eſſet, ſi in relatione conſiſteret, vt ſupponunt ij quorum ſententiam excutimus.

Ordo

Ordo moralitatem conſtituens, non eſt relatio tranſcendens.

12. Non eſt igitur moralitas relatio rationis, aut (quod idem eſſe aiebat Vaſques,) extrinſeca denominatio. Addebam verò neque eſſe relationem realem, ſiue tranſcendentalem ſiue categoricam Nam ſententia quæ docet, moralitatem eſſe relationem tranſcendentalem actus humani, eiúſque differentiam eſſentialem, ex illis apertè concidet, quæ infrà proferemus, oſtendentes actum eundem poſſe ex bono malum effici, vel contrà bonum ex malo, ſaltémque non malum vel non bonum euadere, variata duntaxat apprehenſione operantis aliíſve adiunctis operationis. Et quicquid ſit de identitate numerica, certum eſt, actum eundem ſpecie phyſica & in genere naturæ, poſſe exui moralitate, eámve de nouo acquirere. Hæc autem non poſſent vera eſſe, ſi moralitas eſſet relatio tranſcendentalis. Nam hæc relatio ſpectat ad rei eſſentiam, quam impoſſibile eſt perſtare, ſi vel minima mutatio circa eam fiat. Igitur cùm moralitas poſſit abſcedere aut variari ſalua quorundam actuum eſſentia, certum eſſe debet, moralitatem non pertinere ad ſubſtantiam actus moralis, nec eſſe differentiam eius tranſcendentalem. Satis porrò eſt, vt ex eo quod alicubi cernimus, idem ſtatuamus de omnibus aliis actibus, dicamúſque omnes eſſe accidentariò tantùm morales.

Accedit quòd differentiæ tranſcendentales vltimæ, non poſſunt plures adunari in eodem ſubiecto: ſunt enim differentiæ eſſentiales, ac proinde tam repugnat, plures differentias tranſcendentales vltimas adunari in vnam entitatem, quàm repugnat dari eiuſdem eſſentiæ plures differentias vltimas eſſentiales. Conſtat autem, plures moralitatis ſpecies vltimas, ſeu quarum v·a non contrahat aliam, poſſe ſimul concurrere in eandem entitatem: quia cùm genus moris dimanet à voluntate humana regulam ſuam ſpectante, nihil vetat plures in eodem actu ordines tales adunari, nec ſe excludere, cùm omnes ſint extra actus ſubſtantiam. Quod diſcrimen inter differentias generis moris & differentias phyſicas, rectè obſeruatum eſt à Valentia 1. 2. d. 2. q 2. p. 2. *in fine.*

Quare fixum eſto, moralitatem non eſſe tranſcendentalem relationem actus, atque adeò neque eſſe differentiam per ſe actus humani, ſecundùm ſubſtantiam ſuam ſpectati. Sed tantùm eſſe differentiam eius per accidens, vt videtur haberi ex D. Th. q. 2 de malo, a. 4. ad 6. traditque S. Bonauent in 2. d. 41. n. 26. *in fine.*

Neque categorica, ſed eius fundamentum, ſiue formalis connotatio regulæ.

13. Sententia verò, quæ moralitatem conſtituebat in reſpectu categorico, reiicienda eſt. Sic enim virtus & vitium non eſſent qualitates, ſed entia ad aliquid, quod eſt contra communem ſenſum. Deinde relatio categorica conſiſtit in habitudine pura ad terminum. At moralitas, vt mox exponam, non reſpicit purè terminum ſuum. Rectè igitur Hieronymus à Rua contr. 2. Scholaſt. p. 1. concl. 5. ſtatuit moralitatem eſſe fundamentum categoricæ relationis conſonantiæ vel diſſonantiæ actus ad regulam ſuam, non tamen eſſe ipſam relationem. Annuunt reipſa Scotus quodl. 18. art. 1. *litera C.* & in 1. d. 17. q. 2. *litera O.* Ocham in 3. q. 10. *litera Q.* & alij, qui moralitatem nominant relationem ſecundùm dici.

Hoc vt innoteſcat, (obducitur enim obſcuritate non exigua;) addendum eſt, relationem categoricam conformitatis ad regulam, eſſe poſteriorem illa connotatione quæ importatur per illius conformitatis fundamentum. Nam actus liber, qui eſt prædictæ conformitatis fundamentum, pendet à regula rectæ rationis influente in eum per modum prudentiæ. Ratio autem dependentis, ſiue effectus vt ſic, non eſt categoricè relatiua, quamuis poſſit ei ſuperuenire relatio categorica. Nam relatio categorica eſt pura habitudo, ſeu purum ſe habere vnius extremi ad alterum, nihil in eo vel circa illud exercendo, aut ſubeundo ab eo præter reſpicere. At effectus qui ab aliquo pendet, non reſpicit purè id à quo dependet, ſed aliquid aliud ab eo ſuſcipit. Itaque connotatio, quæ in eo ſpectatur ad id à quo pendet; V. G. in re præſenti, connotatio qua actus ſuam regulam formaliter connotat, non eſt relatio categorica vel purus reſpectus, ſed eſt aliquid eo anterius; nempe dependentia à tali termino in genere cauſæ dirigentis & regulæ practicæ. Similitérque in actu, qui ſit difformis ſuæ regulæ, entitas ſubſtrata illi formali relationi categoricæ difformitatis, importat connotationem regulæ cum qua diſſonat.

Sicut ergo filius in humanis, quatenus à patre efficitur, non eſt relatum, ſed ſubſtantia; licèt huic ſubſtantiæ ex vi effectionis ſuperueniat relatio, cuius munus non eſt reddere ſubſtantiam illam cauſatam à patre, ſed eam ſic cauſatam referre ad patrem: quemadmodum viciſſim munus paternitatis non eſt producere filium, alioqui non eſſet purus reſpectus; ſed ea relatio homini producenti ſuperuenit, quia producit: Ita actus liber, quatenus prudentialiter efficitur à regula; non eſt relatum, ſed eſt actus fundans relationem aduenientem, eíque ſubſtratus & pertinens ad Categoriam actionis, ſicut homo genitus ad Categoriam ſubſtantiæ. Item ſicut dependentia & connotatio hominis generantis, quæ importatur in homine genito, non reddit hominem genitum formaliter relatiuum, quatenus genitus eſt: ita neque illa regulæ connotatio, in effectu de quo agimus, ſiue in actu humano, reddit illum formaliter relatiuum, quatenus ſpectatur, vt pendens à tali regula: Sed vt ſic eſt tantùm fundamentaliter relatiuus. Ac proinde rectè negatur moralitatem eſſe relationem categoricam, aſſeritúrque eſſe duntaxat fundamentum puræ illius connotationis, qua actus dicit ordinem ad ſuam regulam, priuſquàm formalis relatio, ſiue pura illa connotatio exurgat. Latiùs enim patet connotatio, quàm relatio, vt manifeſtum eſt ex propoſito exemplo fundamenti paternitatis, quod antecedenter ad exortum prædictæ relationis categoricæ, neque eſt relatiuum tranſcendentaliter, neque prædicamentaliter: eſt tamen connotatiuum, vt patebit, ſi quis rationem cauſæ in eo fundamento incluſam, velit definitione explicare.

14. Hoc igitur modo dicimus, moralitatem eſſe fundamentum relationis categoricæ, quæ poteſt intelligi ſuperueniens actui regulam ſuam connotanti, quamuis in ſe & formaliter moralitas non ſit relatio, ſed connotatio anterior; quæ reſpectus etiam appellatur, ſed non purus vel eſſentialis, atque adeò neque categoricus, neque tranſcendentalis, ſi in genere agamus, itémque reſecemus ad viuum. Quod addo, quia plerunque cùm non examinatur accuratè ratio moralitatis, & vel obiter, vel extra locum incidit eius mentio, breuitatis gratia appellatur relatio ob viciniam connotationis illius antecedentis, & relationis

in

in ea fundatæ ; & quia reuera ea connotatio concipitur ad modum relationis.

Ea connotatio non conſequitur moralitatem.

Sunt qui eam connotationem negent pertinere per ſe primò ad rationem moralitatis, dicántque eſſe aliquid per ſe conſequens ad eam. Ita de conformitate ad regulam, comparata ad bonitatem, quæ eſt prima moralitatis ſpecies, philoſophatur Becanus 1. 2. tract. 1. c. 4. q. 5. n. 4. Sed non placet: certum enim eſt, moralitatem neque exponi, neque concipi poſſe ſine connotatione aliqua regulæ actuum humanorum. Si ergo negemus, conformitatem actualem cum regula, qualem explicaui, eſſe de intrinſeco conceptu honeſtatis, & difformitatem actualem eſſe de intrinſeco conceptu malitiæ, atque adeò omnem moralitatem importare actualem & exercitum ordinem ad regulam humanorum actuum, ſequetur moralitatem conſtitui ſola conformabilitate vel difformabilitate actuum cum regula, quod docet Vaſques 1. 2. d. 73. n. 41. Eſſe tamen falſum, rectè ex eo probat Almainus in 3 d. 23. q. 1. §. *Videndum*, quia alioqui actus eliciti ab inſanis & mente captis, eſſent morales: ſunt enim conformabiles rectæ rationi, ſiue difformabiles. Item actus indeliberati, quos plerumque elicimus abſque vlla aduertentia regulæ, vel etiam abſque libertate, dicendi, eſſent morales, quia ſunt conformabiles regulæ humanorum actuum, ſi ratio vigilet & homo aduertat. Nemo tamen actus illos morales dixerit, quia cùm moralitas ſit bonitas vel malitia, ſequeretur actus illos eſſe formaliter bonos, ſi ſint regulæ conformabiles, aut formaliter malos, ſi apti ſint diſſonare regulæ. At per ſe euidens eſt, tales actus non eſſe formaliter bonos aut malos. Negari igitur non poteſt, quin connotatio illa regulæ, quæ eſt anterior puto eius reſpectu, ſit moralitati intrinſeca, & de primo ac conſtitutiuo eius conceptu.

Gregorius circa moralitatis rationem, benignè expoſitus.

15. Ex dictis liquet, non niſi voce tenus diſcrepare ab aliis Gregorium in 2. d. 34. q. vnica, art. 2. concl. 2. cùm dixit moralitatem non eſſe aliquam entitatem, ſed tantùm eſſe aliquid complexè ſignificabile. Ita enim ſtatuit de actu malo, quatenus eſt peccatum & ſpecies generis moris; & ex paritate rationis idem diceret de actu bono, quatenus bonus eſt moraliter, ſpectátque ad ſpeciem moralitatis oppoſitam. Et de facto ita quoque philoſophatur de actu bono *ad 4. contra eandem concluſ.* Quam Gregorij ſententiam latè reiiciunt Maior in 2. d. 27 q. 1. art. 1 Capreol. *in 2. d. 35. q. vnica ad argumenta Gregory contra primam*, Caietanus & Med. 1. 2. q. 71. art. 6. Et ſanè modus loquendi à Gregorio inuectus, omninò abſurdus eſt & repudiandus.

Sententia tamen Gregorij vacat abſurditate. Nam ſenſus Gregorij tantùm eſt, ad conſtitutionem actus moralis multa concurrere; vnum quidem in recto, nempe actum; alia verò in obliquo ſiue præſuppoſitiuè ſiue connotatiuè. Vt enim actus ſit moralis, neceſſe eſt eum prodire à potentia libera, itémque conſonare vel diſſonare regulæ actuum humanorum, & fieri in his & his circunſtantiis. Hoc igitur eſt, quod Gregorius ſignificare voluit, docens actum quatenus moralem eſſe aliquid complexè ſignificabile. Qui verò eum refellunt, probant tantùm actionem quatenus moralem, eſſe directè vnum quid, in quo Gregorius non diſſentit. Fient autem hæc multò magis perſpicua ex dicendis articulo ſequenti, de comparatione moralitatis ad actum humanum.

Quomodo actus moralis, cum phyſica, & voluntario ac libero, comparetur.

16. Optimè prætereà ex dictis habetur diſtinctio actus moralis vt ſic, ab actu provt ſpectato in genere naturæ, vel provt voluntario aut humano ac libero. Nam genus naturæ attenditur penes phyſicum ordinem ad obiectum circa quod verſatur actio potentiæ ſic vel ſic affectæ, ſecluſo reſpectu ad rectam rationem, formalem aut radicalem, quæ conſtituitur pro regula actus liberi. Quo pacto ſpectata actio non modò poteſt non eſſe moralis, ſed etiam non libera. Nam V. G. ſumptio cibi, eadem eſt, ſiue à furioſo & amente, ſiue ab homine ratione prædito & liberè agente efficiatur. At genus moris deſumitur ex reſpectu ad regulam. Et idcircò, vt D. Thomas benè obſeruat q. 2. de malo, art. 4. *ſub finem corporis*, & Durandus in 2. d. 38. q. 1. n. 6. poteſt contingere, vt actiones, quæ in genere naturæ valdè differunt, quia obiecta in quæ tendunt abſolutè ſpectata ſunt diuerſæ rationis: tamen in genere moris ſint eiuſdem rationis, eo quòd habeant eundem ordinem ad regulam humanorum actuum. V. G. comedere & bibere differunt genere phyſico: eſculentum enim, quod eſt obiectum prioris actionis, longè differt ſecundùm naturam ſuam à poculento quod obiicitur poſteriori actioni. In ratione tamen actus moralis, eiuſdem rationis ſunt comedere & bibere, quia habent eundem ordinem ad eandem regulam temperantiæ. Et è contra actus qui in genere naturæ ob identitatem obiectorum non diſtinguuntur ſpecie, tamen in genere moris ob diuerſum reſpectum ad regulam, ſortiuntur ſpecificam diſtinctionem, vt patet in ſumptione cibi ſupra, vel iuxta medioctitatem.

Quomodò verò actus in genere naturæ conſtitutus, aſſurgat ad rationem voluntarij, necdum tamen ſit moralis, patet ex actibus, quos bruta, prælucente notitia ad voluntarium ſufficiente, eliciunt; nec tamen ſunt morales. Et idem eſt de amore beatifico. Denique quomodò actus ad rationem & voluntarij & liberi prouectus, carere poſſit moralitate, aut ſaltem non ſit moralis quatenus liber, patet ex eo quòd actus tametſi elicitus cum dominio illo, penes quod collocauimus libertatem, non habet tamen eo ipſo reſpectum ad rectam rationem, vt patet in illis, qui inculpabiliter nihil cogitantes de honeſtate & turpitudine morali, operantur deliberatè in materia indifferenti.

ARTICVLVS II.

De moralitatis fundamento, ſeu quomodò moralitas ad humanum actum ſe habeat.

17. EXpediuimus quæ ſpectant vniuersè ad quidditatem moralitatis, & oſtendimus moralitatem eſſe aliquid adueniens generi naturæ, ac extra eius rationem, quamuis ſit aliquid actui ſecundùm naturam ſuam ſpectato intrinſecum, & exiſtens à parte rei, ac eatenus reale. Non dico poſitiuum: Id enim tametſi de vna moralitatis ſpecie, hoc eſt, de honeſtate, eſt indubitatum: tamen de malitia eſt valdè controuerſum, vt videbimus agentes ſpecialiter de ea moralitate. Tantùm itaque nunc contendo, omnem moralitatem eſſe realiter & à parte rei, quod poſſet verum eſſe, etiamſi aliqua moralitas eſſet ens priuatiuum & negatiuum. Nam etiam tenebræ & cæcitas, ſunt à parte rei, quamuis ſint entia negatiua. His ita

poſitis videndum eſt, quomodò moralitas accidat actui humano ſpectato in genere naturæ. Hoc eſt, an ſit forma accidentaria phyſicè, ab actu ſecundùm naturam ſuam ſumpto diſtincta, eique propriè inhærens; quod genus accidentis appellatur nominale, contraponitúrque accidenti verbali, quod dici poteſt accidere, cenſetúrque habere rationem accidentis. Quo pacto albedo eſt verum accidens parietis albi, & reſpectu eius dicitur accidens nominale: albedinis verò accidens verbale, dicitur ſimilitudo, iuxta veram ſententiam, quæ negat relationem categoricam diſtingui realiter à ſuo fundamento. Vtrumlibet verò ex his ſtatuamus, quærendum ſupererit, an hoc accidens reſpectu actus humani ſit commune vel proprium; hoc eſt an reciprocè & inſeparabiliter, an contingenter ei adueniat. Quod aliter quæritur, an quorumuis actuum moralitas ſit variabilis, & an dentur actus aliqui in indiuiduo indifferentes.

ASSERTIO.

MOralitas non eſt accidens actui humano, quem de facto afficit, phyſicè inhærens: ſed eſt accidens verbale ab entitate ſecundùm genus naturæ ſpectata indiſtinctum, & cum ea variabiliter connexum: Vniuerſaliter quidem, ſi ſermo ſit de ſola moralitatis præiacentis abiectione; vel ſi agatur de tranſlatione ad oppoſitam moralitatem, quoties moralitas præuia nihil inuehit aut reſpicit cum moralitatis oppoſitæ ſubſecutione incompoſſibile. Vt autem prorſus deſit actui humano moralitas, fieri non poteſt. Ac proinde tametſi dentur actus humani, ſecundùm ſpeciem indifferentes; nulli tamen ſunt, quibus in indiuiduo, id eſt, ſecundùm omnia, quæ ad eorum exercitium interuenire neceſſe eſt, indifferentia moralis conueniat.

PRimò comparo moralitatem cum actu humano quoad inhæſionem, & nego moralitatem phyſicè inhærere actui humano ſpectato in genere naturæ, ſiue ſecundùm ſuam entitatem.

Moralitatem eſſe modum actus phyſici, qui cenſuerint.

18. Contrarium ſignificat Scotus quodlib. 18. art, 3. *litera V.* & aliis locis notatis ab Almaino in 3.d.23. q.2. *in fine.* Docet enim conformitatem cum regula, (& idem eſt de difformitate.) ſe habere ad actum humanum, ſicut ſe habet velocitas & tarditas ad motum, quas innuit eſſe veras entitates modales, entitati motus ſuperadditas. Et eodem modo philoſophatur de moralitate; eo quòd ſicut idem motus pro prima ſui parte poteſt eſſe velox, & pro ſecunda tardus; ita idem actus poteſt eſſe primùm conformis ſuæ regulæ, mox difformis, aut contrà: quod videtur eſſe ſufficiens indicium diſtinctionis à parte rei, tametſi non adeò palpabile ob fluxibilitatem actus, qui eſt in continuo tranſitu, nec ferè vnquam perſeuerat ſtabilis & immotus.

Fortè tamen poſſumus Scotum explicare de diſtinctione ſimili ei, quæ ſola inter velocitatem & motum intercedit. Nam iuxta veram ſententiam plenè ſuo loco confirmatam velocitas & tarditas non ſunt entitates motui additæ, vt malè ſentiunt Albertinus 1. princip. complexo, quæſt. 16. dub. 5. num. 6. & Ruuius tract. 1. de temp. num. 54. ſed ſunt ipſa entitas motus cum tali connotatione, quod rectè affirmat Vaſques 1. p. d. 33. num. 18. Nam abſque vllis modorum appendicibus ſufficienter cùm Ariſtotele 6. Phyſicorum, t. 11. intelligimus, motum vnum eſſe alio velociorem, quia vnum mobile eodem tempore plus ſpatij decurrit, quàm alterum, vel tantundem in minori tempore. Neque idem numero motus, qui ſemel tardè factus eſt, poteſt poſteà exerceri celeriter, vel contrà. Id enim & naturaliter impoſſibile eſt, quia pars motus quæ ſemel tranſiit, irreuocabiliter abſceſſit; & diuinitùs quoque fieri non poteſt, quia ſi entitas motus iam tranſacta, reproduceretur diuinitùs, eandem ſemper coëxtenſionem ad tempus retineret, quam ſemel habuit. Itaque velocitas & tarditas, (quod nunc excuti pleniùs non poteſt,) non ſunt modi ſuperadditi reipſa motui. Cenſentur tamen habere ſeparabilitatem, quatenus idem ſpecie motus ſuccedens, tardus eſt, cùm prior, numero tantùm differens, velox fuerit, vel contrà. Eodem igitur modo poſſumus Scotum interpretari, cùm ait, moralitatem eſſe eo ipſo modo ſeparabilem ab humana actione, quo velociter & tarditas ſunt à motu ſeparabiles.

Refelluntur.

19. Verùm quicquid tandem Scotus ſenſerit, rectè Ocham quodl. 3. q. 15. & Durand in 2 d. 38. q 1. n. 6. & Almainus in . . d. 23. q. 2 *in fine*, negant moralitatem differre à parte rei ab actu ſpectato ſecundùm genus naturæ. Quædam in hanc rem argumenta adducit Ocham, ſed reuera inefficacia. Ait enim, moralitatem neque eſſe qualitatem, neque reſpectum modalem, ac proinde non diſtingui ab actu à parte rei. At probandum fuiſſet, moralitatem neque qualitatem eſſe, neque modum addititium: Id enim eſt, de quo quæritur. Addit Ocham, actus vel eſſe eſſentialiter præditos tali moralitate, atque adeò eam non diſtingui; vel eſſe morales, per extrinſecam denominationem ab actu interno eos cauſante, qua cauſalitate nihil in eos diſtinctum immittitur. Sed vtrunque membrum difficultatem continet, & probandum, non gratis aſſumendum fuerat.

Itaque vno verbo probatur ea actus humani in genere naturæ ſpectati, & moralitatis illi aduenientis indiſtinctio à parte rei, quia reſectis quibuſvis addítamentis formarum à parte rei diſtinctarum, & præciſè ſumpta ipſa entitate actus humani, reperitur in eo conformitas vel difformitas ad regulam. Si enim factus ſit eo modo, quo regula præſcribit illum eſſe faciendum, honeſtus eſt: ſin minùs, eſt inhoneſtus. Ergo præciſè per ſuammet entitatem conſonat vel diſſonat regulæ: atque adeò per eam ſolam eſt moralis. Simili argumento verior ſententia aſtruit indiſtinctionem veritatis ab enunciatione, & relationis categoricæ à fundamento.

Nodus ex moralitatis & actus phyſici ſeparabilitate diſſoluitur.

20. Eadem exempla ſuggerunt expeditam rationem diſſoluendi argumentum in ſpeciem potens, quod aduersùs ſententiam noſtram intentatur, ex ſeparabilitate moralitatis, & actus humani in genere

naturæ

naturæ conſiderati : ſic enim argumentari licet. Quæ ſunt reipſa ſeparabilia, differunt a parte rei. Atqui moralitas eſt reipſa ſeparabilis ab entitate actus humani. Ergo differt ab ea à parte rei.

Hoc argumentum ita diſſoluit Ocham ſuprà *in fine,* vt dicat, ſi actus poteſt manere abſque moralitate, non ſequi quòd moralitas ab eo differat reipſa; ſed tantùm ſequi quòd poſſit differre. Sed non apparet, quàm commodè hoc dicatur. Ratio enim, quam attulimus, vniuersè oſtendit, moralitatem neque differre de facto, neque poſſe differre ab actu humano. Deinde argumentum quod obiicitur, vniuersè probat, moralitatem non tantùm poſſe ab entitate actus differre, ſed etiam differre de facto; quandoquidem de facto moralitas eſt ſeparabilis ab entitate actus: quod eſt argumentum ſufficiens diſtinctionis, non tantùm de poſſibili, ſed etiam de facto interuenientis inter vtrunque.

Itaque dico commodiſſimè diſſolui argumentum illud, exemplo relationis categoricæ & fundamenti; quorum magna eſt, cum moralitate & humano actu proportio. Nam quamuis moralitas non ſit relatio, eſt tamen ens connotatiuum: & idcircò in pleriſque eodem modo philoſophari licet de moralitate, quo de relatione. Sicut igitur cùm ſit argumentum ad probandam diſtinctionem à parte rei inter relationem & fundamentum, eo quòd fundamentum aliquando non referatur actu; reſpondetur, tunc relationem manere quoad entitatem, quam in recto importat: non tamen vltrà eſſe aut dici relationem; quia tollitur connotatum, quod relatio indirectè quidem & in obliquo, quidditatiuè tamen & eſſentialiter dicit: Ita à pari dicendum eſt, cùm actus aliquis antè moralis, fit non moralis, aut abiecta vna moralitate induit aliam; manere nihilominùs moralitatem quæ præextitit: Manere inquam, quoad entitatem, quam directè & in recto dicit, non tamen vltrà eſſe aut dici moralitatem, quia ablatum eſt aliquod connotatum, V. G. regula, aut dictamen prudentiæ.

Idem eſto iudicium de veritate & falſitate enunciationis. Quod enim Salas 1. 2. tr. 3. d. 2. affirmat, cùm aſſenſus tranſit de vero in falſum ſaluam perſtare eius ſubſtantiam, fieri tamen mutationem ſecundùm modum aliquem actui intrinſecum, gratis omninò fingitur, & abſque aliorum Doctorum ſuffragio. Nam licèt plerique contendant, cùm mutatur obiectum, fieri mutationem realem in actu; hoc tamen intelligunt de mutatione ſecundùm totam actus ſubſtantiam, ratione cuius negant eundem actum ſubeſſe primùm veritati, tum falſitati, vel contrà. Vt autem veritas & falſitas dicantur eſſe modales formæ ſuperuenientes entitati aſſenſus, nulla conueniens ratio ſuadet, & contrarium vt per ſe patens ponitur à Durando in 2. d. 40. q. 2. num. 4.

Eſt ergo moralitas ens connotatiuum, quod reipſa non diſtinguitur à fundamento abſoluto, cui aduenire intelligitur; id eſt, ab actu ſpectato in genere naturæ: ſed eſt idem cum eo à parte rei, & ſalua actus entitate, ſuſcipit variationem per mutationem factam in aliquo extrinſeco. Vnde rectè infert Scotus in 2. d. 17. q. 2 *litera P.* moralitatem non exigere peculiarem aliquam cauſam effectricem, diſtinctam à cauſis efficientibus actum in genere naturæ, ſed iis præſuppoſitis, productáque per eas phyſica ſubſtantia actus, ſuperuenire reſpectum conformitatis vel difformitatis ad regulam, atque adeò moralitatem, per quandam quaſi reſultantiam, abſque vera productione.

Moralitas à quibuſuis actibus ſeparabilis.

21. Secundò expoſui quatenus ea variatio fieri queat, hoc eſt, an omnes omninò actus humani habeant connexionem diſſolubilem cum moralitate, ita vt & eam quam præhabuerint abiicere, & nouam ſuſcipere poſſint. In hæc enim duo membra, diſtribui debet vniuerſa hæc de moralitatis connexione controuerſia. Et primum quidem membrum non difficilè expeditur. Statuendum enim eſt nullum eſſe actum humanum tam intrinſecè moralem, vt non poſſit moralitate præhabita exui, ſiue ſit actus imperatus & externus, ſiue elicitus & internus.

De actu externo ita rectè tradit Ocham. quodl. 4. q. 6. & quodl. 3. q. 14. Confirmátque Gabriel in 3. d. 23. q. 1. *litera M.* Quilibet enim externus actus manens phyſicè vnus & idem, poteſt modò elici iuxta præceptum & bonus eſſe; modò elici illatâ ad eum vi, ſiue diuinitùs, ſiue à cauſa creata: quo ipſo carebit bonitate præhabita, neque tamen incipiet malitiam. Et deſinet quidem actus ille humanus eſſe, ob illatam vim: ſed nunc id non attendimus, contentique ſumus, quòd eadem phyſica entitas actus externi, poſſit ſubſterni primùm vni moralitati, tum carentiæ eius, non ſuſcepta moralitate oppoſita. De actu elicito poteſt fieri idem argumentum. Nam quamuis actus elicitus non poſſit ita per vim extorqueri, quin potentia vitalis in eum influat: tamen potentia illa poteſt ad agendum potenter adigi & neceſſitari; quo dato, influet quidem in actum, non tamen liberè: quod ſufficit vt moralitas non imprimatur actui à potentia elicito, ſicut antè imprimebatur, cùm liberè eliceretur conformiter ad præceptum.

Etiam honeſtas, quæ nulli actui eſt eſſentialis.

22. Manifeſtè autem hallucinatur Becanus 1. 2. tract. 1 c. 4. q. 2. admittens honeſtatem eſſe inſeparabilem ab actu etiamſi fiat neceſſarius cùm antè liber eſſet. Quomodò enim poteſt actus non liber, eſſe de facto & formaliter honeſtus? An non enim ratio liberi, imò & ratio voluntarij, præſupponitur eſſentialiter ad moralitatem? Quòd ſi actus ille perſeuerat reipſa moralis, quidni poteſt denominari moralis, quod vltra ei non competere fatetur aduerſarius? Quidni etiam paſſiones entis moralis participat, nempe laudabilitatem & præmij condignitatem, quas tamen ei nequaquam conuenire, in confeſſo eſt?

Hallucinantur item Ochamus q. illa 3. & Gabriel ſuprà, *litera K*, tradentes eſſe actum aliquem eſſentialiter rectum, ſeu vt illi loquuntur, *intrinſecè & neceſſariò ac primò, non contingenter, virtuoſum.* Ratio eorum eſt, quia aliquis actus eſt rectus. Vel ergo eſt rectus intrinſecè & eſſentialiter, & habetur intentum: Vel eſt rectus ab intrinſeco ſeu per alium actum rectum: & ſic rurſus procedet interrogatio, an actus iſte per quem alius eſt rectus, habeat ſibi eſſentialem eam rectitudinem, vel non habeat. Tandémque ne in infinitum procedamus, deueniendum erit ad actum aliquem intrinſecè & eſſentialiter rectum; penes quem, ſiue ex conformatione ad quem, actus contingenter recti, & ſint & dicantur recti. Non enim poteſt tota ſeries actuum rectorum, eſſe recta contingenter. Itaque concludunt, dari actum aliquem eſſentialiter honeſtum; quamuis fateantur poſſe diuinitùs contrarium accidere: ſi nimirum actus ille ex ſe rectus eſſentialiter, cauſaretur à Deo ſolo, potentia vitali ad eum paſſiuè tantùm ſe habente.

Hæc inquam Ochami & Gabrielis ſententia, hallucinationem non vnam continet. Neque enim, vt illi falsò aſſumunt, datur aliqua voluntatis actio, penes quam petatur rectitudo cæterarum ei non ſubordinatarum: Sed ſicut primus ille actus, ſi daretur, deberet ſtatui rectus penes dictamen prudentiæ, & naturam rationalem; ita & reliqui actus indidem petunt rectitudinem ſuam. Falsò prætereà aſſumunt, actum eſſentialiter vitalem poſſe à Deo ſolo in potentiis noſtris effici, non mortuo modo, ſed ita vt verè conferat potentiæ eundem formalem effectum, quem conferret, ſi a potentia prodiret. Ea verò actuum vitalium non vitali producibilitate gratis admiſſa, repugnantiam apertam continet quod addebatur; nempe actum rectum eſſentialiter, poſſe non eſſe eſſentialiter rectum, ſi à Deo ſolo fiat. Certè quod eſſentialiter eſt tale, non poteſt etiam diuina vi aliter fieri.

Quare fixum & ratum maneat quod ſtatuimus de variabilitate moralitatis quaſi priuatiua, ſiue de nuda abiectione moralitatis præiacentis. Nullam ſcilicet eſſe moralitatem tam tenaciter & arctè colligatam cum aliquo actu, ſiue externo & imperato; ſiue interno & elicito, quin poſſit ſuperſtite eius entitate deſinere eum afficere.

An ſeparabilitas moralitatis ab actu, ſit cum capacitate moralitatis oppoſita.

23. Paulò obſcurior eſt reſolutio alterius membri ſuprà propoſiti An videlicet actus moralis ita poſſit amittere moralitatem præiacentem, vt contrariam ſuſcipiat. Siue an actus bonus poſſit effici moraliter malus, & è contrà an actus malus poſſit bonus effici, ſalua & ſuperſtite phyſica eorum entitate. In qua controuerſia nihil poteſt iuuare mera præcluſio libertatis, quam in ſuperiore puncto vidimus conferre ad nudam abiectionem moralitatis præiacentis. Nam cùm actus ſupponatur ad aliam moralitatem tranſire, non poteſt non manere liber.

Debet item ea controuerſia eſſe indefinita, nec exporrigi ad omnes omninò actus morales. Nam certum eſt, eſſe aliquem voluntatis actum, cui tam tenaciter adhæreſcit honeſtas, vt nequeat malus fieri: & aliquem etiam eſſe, à quo moralis turpitudo exculpi non poteſt. V. G. actus iſte: *volo nunc conformari rectæ rationi, & benè agere.* non poteſt malus effici. Et idem eſt de actu his verbis concepto: *Volo ſemper benè agere.* aut, *Volo amare Deum plenè & adæquatè ſuper omnia, & ita de facto eum amo.* Hi enim actus, pro tempore quo durant, excludunt omnem actum malum: atque adeò ſi ipſimet mali eſſent, excluderent ſeipſos Quòd ſi aliquis cum indebita aliqua circumſtantia vellet eos actus elicere, V. G. contra prohibitionem, aut nimis diu continuando vel frequentando eos actus, deluderet ſeipſum, nec verè eliceret actus illos in actu exercito, ſed tantùm in actu ſignato. Similiter iſte actus; *Volo malè operari*, non poteſt bonus fieri. Idémque cernitur in quouis actu, cui malitia aduenit ex obiecto; id eſt, ex quocunque directè volito. Nullus enim talis actus poteſt elici bonus. Porrò non dico, malitiam eſſe his actibus eſſentialem, vel bonitatem eſſe de eſſentia priorum illorum actuum. Id enim reiectum manet ex dictis in ſuperiore puncto, & perſpicuè refellitur ex eo quòd quilibet huiuſmodi actus poſſet effici abſque libertate, in quo euentu moralitas præiacens auelleretur ab actu. Tantùm itaque dico, actus illos ſuperſtite genere naturæ, ſiue ſalua phyſica eorum entitate, non poſſe transferri ex vna moralitate in oppoſitam.

Admittitur vt plurimùm ea capacitas quoad actus imperatos.

24. His itaque actibus ſecluſis, quia intrinſecè ad modum prædictum excludunt oppoſitam moralitatem, cæteri transferibiles ſunt à moralitate præiacente ad contrariam, ſiue extrinſeci ſint & imperati, ſiue eliciti & interni. Porrò imperati duplices diſtingui poſſunt. Alij enim ſunt purè imperati; alij autem imperati ſimul & eliciti. Vtrique facilè poſſunt ab vna moralitate verti in contrariam. Nam V. G. ambulatio, quæ eſt actus purè externus & imperatus, poteſt primùm bona eſſe; deinde interueniente prohibitione, aut mutato fine, effici mala, vel contrà. Vt enim rectè in hanc rem ratiocinatur Argent in 2. d. 40. q. vnica, art. 1. actus aliunde habet eſſe naturæ, aliunde eſſe morale. Quare cùm perſtantibus iiſdem principiis generis naturæ, poſſit fieri varietas in principiis moralitatis, & ab vnius moralitatis principio, tranſiri ad oppoſitam: mirum non eſt, quòd oppoſitæ moralitates poſſint ſibi ita ſuccedere in eodem actu purè imperato. Item volitio honeſta ex obiecto aliiſque circumſtantiis intrinſecis, poteſt mala fieri ſuperuentu imperij ex fine malo, vnde illi affricabitur moralis turpitudo, exſcindens honeſtatem alioqui inexituram ex principiis intrinſecis actionis.

Nec eſt quòd quis opponat, variata quacunque cauſa variari actum; (quandoquidem dependentia connotat eſſentialiter quaſcunque cauſas, à quibus effectus dependet;) atque ita ſi adueniat vel ſubtrahatur finis, tolli priorem actus ſubſtantiam phyſicam. Hoc inquam dici non poteſt, ſiue agatur de actu imperato ſimul & elicito, ſiue de eo, qui tantùm ſit imperatus Et quod attinet ad actum imperatum ſimul & elicitum, ratio eſt, quia variatio cauſæ ad ſummum deberet inuehere variationem dependentiæ illius moralis, qua terminus internus in actu vitali importatus, dependet à ſuis cauſis. Atqui illa dependentia non conſtituit voluntatem formaliter volentem, ſed ſolus terminus internus proportionalis verbo mentis: ac proinde moralitas ſoli iſti interno volitionis termino adiungitur. Cùm ergo non obſtante mutatione dependentiæ, propter variationem in cauſis factam, terminus internus actus imperati ſimul & eliciti, qui eſt ipſa vita actualis, ſupponatur idem numero perſtare; perſpicuum eſt adhuc locum eſſe transferibilitati eiuſdem phyſicè actus de vna moralitate in aliam, ob noui finis extrinſeci interuentum.

Subiicio & alteram rationem actui quomodolibet imperato communem, propter quam nego ex ea finis variatione poſſe inferri entitatiuam mutationem actus quomodolibet imperati. Ratio igitur eſt, quia finis non eſt cauſa niſi intentionalis. Vnde negatio habens rationem boni poteſt finalizare. Et tamen non oportet cauſalitatem phyſicam variari, variata negatione tanquam cauſa, ſed ad ſummum tanquam obiecto terminatiuo. Itaque cùm finis non eſt obiectum actus, (vt contingit reſpectu actus imperati.) non videtur actus variari ob variationem finis. Atque ita argumentatio, quam adhibuimus, valida eſt, rectéque euincit actum quemcunque imperatum, id eſt, ſiue purè elicitum, ſiue elicitum ſimul & imperatum, poſſe ab vna moralitate tranſire ad oppoſitam. ſuperſtite eadem phyſica entitate. Eſtque id in hoc actuum genere facilius intellectu, quia huiuſmodi actus non pendent à fine entitatiuè, & quaſi intrinſecè hoc eſt per ſe, ſed valdè extrinſecè, & per accidens, nempe ratione extrinſecæ ordinationis, qua actus iam habens finem ſuum proprium deſtinatur ad finem extra-

neum

neum interuentu actus eliciti, liberè à voluntate ſuperinducti, priorémque illum actum quaſi informantis.

Itémque quoad purè elicitos.

25. Venio ad actus purè elicitos, quos item admitto poſſe transferri ab vna moralitate ad aliam oppoſitam. Potéſtque id in primis confirmari ex puncto proximè propoſito. Nam nullus eſt actus purè elicitus, extra iam excluſos, qui accedente de nouo ordinatione voluntatis, non poſſit, cùm bonus eſſet, effici malus, aut cùm malus eſſet, effici bonus. Et verum quidem eſt, huiuſmodi acceſſum actus imperantis, eximere eum actum ex albo purè elicitum, & conſtituere elicitum ſimul & imperatum. Tamen cùm actus ille priùs eſſet tantùm elicitus, & phyſicè immutatus ſubinduerit aliam moralitatem abiecta priori, rectè inde colligimus, actus purè elicitos, poſſe transferri ab vna moralitate in oppoſitam: tametſi verum eſt, eos tranſlatione moralitatis ad eum modum facta, deſinere eſſe purè elicitos.

Accedit optima ratio pro actibus purè elicitis, etiam prout non ſubſtratis actui illi imperanti. Nam ſi perſeueret idem motiuum, & eædem circunſtantiæ partialiter obiectæ actui elicito, non videtur dubium, quin ille actus perſeueraturus ſit prorſus idem, quia perſeuerabit tota ratio obiectiua directè per eum volita, quod ſufficit ad entitatiuam perſeuerantiam actus. Atqui, omnibus his immutatis, poteſt fieri mutatio in aliquo indirectè tantùm volito, vt in prohibitione vel præcepto: quæ mutatio ſufficit ad variationem moralitatis, & tamen non ſufficit ad variationem entitatiuam actus eliciti, cùm ea conditio actus, ſeu quòd ſit vetitus aut præceptus, ſit tantùm indirectè volita. Igitur actus purè elicitus idem manens in genere naturæ, poteſt ex bonitate in malitiam tranſire, & vice verſa.

Effugium præcluditur.

26. Sunt qui opponant, in omnibus his euentibus variari notitiam actui elicito prælucentem. Cùm ergo actus elicitus voluntatis pendeat eſſentialiter à cognitione intellectus, concludunt, eâ mutatâ, impoſſibile eſſe actum manere phyſicè eundem. Ita Becanus 1. 2. tr. 1. cap. 5. q. 4. num. 4. & Hurtadius diſp. 14. de anima, §. 14. Sed hoc eſt imbelle telum. Nam nihil eſt neceſſe, variata notitia prælucente, variari actum voluntatis: quia notitia non eſt cauſa actus voluntatis, ſed tantùm conditio præuia. Itaque quantumuis notitia mutetur, niſi mutetur obiectum directè volitum, non eſt neceſſe volitionem purè elicitam mutari entitatiuè. At ſola mutatio notitiæ, non inuehit neceſſariò mutationem obiecti directè voliti, vt videtur manifeſtum in exemplo, quo quis volens priùs ambulare ex bono fine, V.G. ad confirmandam ſanitatem, & quia putabat id non eſſe vetitum, poſteà ſoluta ignorantia interdicti à legitimo ſuperiore interpoſiti, pergit velle ambulare, móxque abrogatio per ſuperiorem interdicto, eandem internam volitionem continuat. Cognitio enim poſiti aut laxati interdicti ſuperioris, eſt planè extrinſeca volitioni illi internæ, terminatæ ad ambulationem tanquam ad obiectum ſuum materiale, & ad ſanitatem tanquam ad motiuum & obiectum ſuum formale; quibus immutatis, actus ille interior debet idem entitatiuè perſeuerare, quamuis cognitio alicuius non pertinentis ad obiectum directè volitum, (nempe præcepti aut interdicti,) variationem ſuſcipiat.

Durandus in 2. d. 40. q. 3. num. 4. admittit, cùm

variatur cognitio, variari quoque actum voluntatis elicitum; addit nihilominùs exemplum, in quo cenſet mutari moralitatem, & ſubindui oppoſitam, ſalua actus eliciti entitate: ſi nimirum interdictum ſuperioris ignoretur per ignorantiam culpabilem, ob prætermiſſam diligentiam debitam in iis pernoſcendis quæ latent. Verùm aduertere oportuiſſet Durandum, ignorantiam non poſſe dici culpabilem, niſi ſit vincibilis. Non poteſt autem vinci & depelli, niſi affulgeat aliquis notitiæ radius, detegens prohibitionem vel præceptum interpoſitum. Nam totius humani progreſſus primus fons, eſt cognitio. Impoſſibile ergo eſt, hominem incipere aliquid ignorare culpabiliter, niſi cognitio eius mutetur. Atque ita ſi mutata cognitione, vt Durandus admittit mutatur quoque volitio elicita, euaneſcit hoc eius argumentum.

Satius igitur eſt admittere, ex mera variatione cognitionis, cùm inde nihil directè volitum variatur, non variari entitatiuè actum elicitum. Quem certum quidem eſt præſupponere eſſentialiter cognitionem; ita vt etiam de potentia Dei abſoluta nequeat actus voluntatis elici, quin præluceat ei notitia aliqua in intellectu: Tamen ex ea præſuppoſitione non probatur cognitionem eſſe cauſam volitionis, vel volitionem pendere à notitia tanquam à cauſa in aliquo genere, ſicut neceſſe eſſet, vt variata notitia, variaretur entitatiuè actio voluntatis. Eſt enim cognitio, duntaxat conditio, tametſi eſſentialiter requiſita; vnde propriè loquendo volitio non pendet ab ea, nec debet entitatiuè mutari, variata cognitione. Præterquàm quòd etiamſi gratis daremus cognitionem eſſe cauſam volitionis, tamen ea cauſalitas eſſet purè effectiua, cuius variatio non inueheret mutationem niſi dependentiæ modalis, quæ non eſt ipſa vita actualis, & ſubiectum moralitatis.

Detúrne actus liber non moralis ſiue indifferens, attenta tantùm vi principiorum moralitatis.

27. Tertiò expoſui aliam moralitatis connexionem cum actu humano. Hactenus enim tractatum duntaxat eſt, quomodo actus humanus connectatur cum moralitate quæ eum ſemel afficit, conſideratúmque eſt, an ei reipſa inhæreat & an poſſit auelli, vel etiam in oppoſitam transferri. Nunc exponendum ſequitur, an tanta ſit moralitatis cum humano actu connexio, vt nequeat dari actus humanus, qui moralitate aliqua deſtituatur. Quod aliter quæritur, an dari poſſit actus quoad moralitatem planè indifferens, ſpectatis principiis moralitatem per ſe cauſantibus in actu humano.

Quod addo, quia Lutherus, & pauci de eadem ganea, concedentes ex principiis illis actus noſtros poſſe eſſe bonos aut malos aut indifferentes; contendunt tamen eos ab extrinſeco dehoneſtari; nec poſſe eſſe bonos, ob perſonæ indignitatem, quæ omnes eius actus ita commaculat, vt etiam optimi quique, inquinatiſſimi euadant. Hanc tamen fatuitatem veriùs quàm ſententiam, non poſſumus hoc loco ex ſuis principiis conuellere, quia oporteret huc acceſſere pleraque iuris alieni, & altioris ſubſellij propria; quæ pleniſſimè traduntur apud Bellarminum l. 5. de gratia & lib. arbit. à c. 9. & l. 4. de Iuſtif. à c. 16. Perer. in c. 6 Gen. d. 5. Suarem l. 1. de gratia, c. 3. Vaſquem 1. 2. d. 191. & paſſim Hæreſeologos. Satis ſit obiter dixiſſe, ex ſuo hoc principio, inimicos noſtros inſignis ne-

quitiæ & improbitatis nulla boni mixtura temperatæ reuiuci, peſſiméque facere orando, præbendo eleemoſynam, reſtituendo alienum, & quoduis aliud probi viri munus exequendo, quippe qui omnibus illis agendis peccent grauiſſimè.

Sed quia tempus, rem vtique pretioſiſſimam, in his nugis conterere non vacat, eſtque reuera, vt dixi, hæc diſcuſſio altioris ſubſellij propria, ſiſtam in moralitatis connexione cum actu humano, attentis duntaxat principiis eam per ſe cauſantibus: & an ſub ea ratione, actus humanus poſſit eſſe indifferens quoad moralitatem, inueſtigabo; reſtricta ſemper, (vt fines noſtri ferunt,) conſideratione, ad moralitatem philoſophicam. Nam de indifferentia actionum ad moralitatem (vt ita dicam) ſupernaturalem, ſeu ad meritum vel demeritum, non eſt huius loci quærere, maléque duo illa commiſcet Argentina in 1.d.40.art.2.

Actuum indifferentia ex obiecto, aut quoad indiuiduum, ſiue quoad omnia concurrentia ad actum.

18. Hæc indifferentia duplex in actibus diſtingui poteſt, nempe intrinſeca, & extrinſeca ſimul ac intrinſeca. Prior eſt, qua actus ſpectatus principiis eius intrinſecis, nempe obiecto materiali & formali, caret bonitate & malitia morali. Poſterior eſt, qua actus ſpectatis omnibus, quæ ad eum quomodolibet concurrunt, aut concurrere debent, nempe ſpectato obiecto materiali & formali, extrinſeciſque eius circumſtantiis, caret bonitate & malitia morali.

Fuerunt olim, qui aliam quandam tertiam indifferentiam merè extrinſecam inueherent, aſſerentque omnes actus eſſe de ſe indifferentes, quia ſunt capaces extrinſecæ alicuius moralitatis ex fine extrinſeco bono vel inhoneſto exorituræ. Itaque mentiri, iuxta hoc placitum, eſt actus indifferens, quia mendacium poteſt ex bono vel malo fine extrinſeco proferri. Et ita de reliquis & bonis & malis actibus. Refert hanc ſententiam Magiſter in 2. d. 40. *litera B.* & S. Thomas q.2. de malo, art.4. *initio corporis.*

Non eſt tamen quòd in excutienda hac tertia indifferentia moram trahamus. Continet enim exploratum errorem, cùm ſint pleraque opera intrinſecè mala, quibus cuiuſcunque boni finis acceſſu, nunquam concilianda ſit bonitas: Et quibuſdam vice verſa non poteſt illini turpitudo. Quod de actibus virtutum Theologicarum affirmat Vaſques 1.2 d 53. n. 24. & de actu charitatis Turrianus tomo 1. in 2.2.d.33. dubio 3. & diſputatione 78. dubio 1. Nóſque idem ſuprà aſſeruimus de actu illo vniuerſali: *volo benè agere.* Itaque rectè ſanctus Auguſtinus l. contra mendac. c.7. admittens intereſſe plurimùm qua cauſa, quo fine, qua intentione quid fiat, addit attendendum tamen etiam eſſe quid fiat; & pleraque eſſe, quæ nullo bonæ cauſæ obtentu, nullo quaſi velut bono fine, nulla velut bona intentione ſint facienda. Quæ cauſa eſt, cur Nauarrus in c. *Cùm miniſter.* n. 30. affirmet vulgare illud effatum, *Cuius finis bonus eſt, ipſum quoque bonum eſt:* Et, *cuius finis eſt malus, ipſum quoque eſt malum;* quoad priorem partem, frequenter falſum eſſe. Eſtque ſine dubio falſum, niſi cum Conrado 1.2. q.18 art. 4. reſtringatur ad finem proximum & intrinſecum: ita vt ſenſus ſit, quæ talem finem habent bonum, eſſe ex ſe bona, quamuis poſſint aliunde dehoneſtari. Quare tertiam hanc indifferentiam, tanquam explorato errore nixam, dimittamus, & duas illas quas retulimus conſideremus.

Ex obiecto dantur actus indifferentes, etiam apud Scotum.

De priore omnes facilè conſentiunt, eam multis actibus eſſe concedendam. Nam V. G. tollere paleam, ſi conſideretur & materia & motiuum internum huius actus, eſt aliquid indifferens. Apud D. Thomam q.2 de malo, art.4. & 5. & 6. hæc indifferentia actuum, vocatur indifferentia ex genere, vel ex obiecto, vel ex fine proximo, vel ſecundùm ſpeciem actus. Cùm enim hæc indifferentia ſita ſit in obiecto, quod materia eſt, circa quam actus verſatur; materia autem ſæpè nominetur genus apud Philoſophum; mirum non eſt, quòd indifferentia penes obiectum, dicatur indifferentia ex genere, ob formabilitatem & potentialitatem eius. vt in ſimili tradit Scotus in 2. d. 7. q. vnica, *litera E.* & d.41.q. vnica, *litera C.* & quodl. 18. *litera* G. Præterquàm quòd genus ſæpè ſumitur pro ſpecie, vt cùm dicimus *genus humanum*, pro ſpecie humana. Vnde quia hæc indifferentia attenditur penes id, à quo actus habet ſpeciem, rectè potuit nominari indifferentia ex genere. Tertiam eiuſdem appellationis cauſam profert Durandus in 1. d. 4. q. 1. n.4. ex eo ductam, quòd actus moralis vel ſpectetur ſecundùm rationem, quam ſortitur ex ſolo obiecto abſque circumſtantiis: vel ſecundùm rationem, quam ſortitur ex obiecto cum omnibus circumſtantiis, loci, temporis, finis extrinſeci, aliiſque huiuſmodi. Quia ergo prima conſideratio actus moralis reſpectu ſecundæ eſt generalis vel vniuerſalis propterea indifferentia actus ſic conſiderati, dicitur indifferentia ſecundum genus vel ſpeciem. Secunda verò conſideratio reſpectu primæ, eſt particularis vel ſingularis: & propterea indifferentia actus ſic conſiderati, dicitur indifferentia ſecundùm indiuiduum & actualem exiſtentiam, quæ eſt cuiuſlibet rei ſecundùm eſſe ipſius ſingulare, & cum omnibus illud circumſtantibus.

29 Itaque quicunque admittunt indifferentiam actuum ſecundùm genus, vel ſecũdùm ſpeciem ſuam, aut ex obiecto vel ex fine intrinſeco qui non eſt actus circumſtantia, ſed obiectum; admittunt quoque eam actuum indifferentiam, de qua agimus. Non inuenio autem qui eam actuum indifferentiam obiectiuam repudiet. Nam quod Palacius in 2. d.40. diſp. vnica, & alij, paſſim contrarium Scoto tribuunt, non annuo. Nam ſi Scotus benè expendatur, non diſcrepat reipſa ab iis qui hanc indifferentiam admittunt; ſed quod aliquando ait, omnes actus ex genere ſuo & obiecto, ſiue ſecundùm ſpeciem, eſſe bonos aut malos, & neminem eſſe eo modo neutrum, pertinet ad litem de nomine. Vſurpat enim ibi bonitatem & malitiam, pro rudimento illo bonitatis & malitiæ, quod eſt in obiecto materiali ex ſe ſumpto, prout eſt informabile moralitate aduentitia ex principiis extrinſecis, quæ potiùs dicenda eſt capacitas moralitatis, & non repugnantia ad eius ſuſceptionem, quàm vera moralitas. Nam in rigore loquendo ne materialiter quidem eſt moralitas, ſed tantùm eſt aptitudo & non repugnantia ad moralitatem, cuiuſmodi non repugnantia & aptitudo, optimè cohæret cum indifferentia illa ex obiecto vel ſecundùm ſpeciem, quam nunc aſtruimus.

Itaque Scotus eam actuum aliquorum ſecundùm ſpeciem & obiectum intrinſecum ſiue materiam conſideratorum indifferentiam, non diffitetur, quamuis eam appellet bonitatem aut malitiam, quia actus ſic ſpectatus, eſt ſaltem remotè & aptitudine bonus aut malus, nihilque importat pugnans cum moralitate extrinſeca, in eam (vt ſic dicam) imprimibili per actum imperantem: quam pugnam importaret, ſi eſſet

moralis

moralis ex obiecto. nec eſſet eatenus indifferens. Vnde niſi Scotus ad hunc modum exponatur, pugnabit ipſe ſecum. Admittit enim actus indifferentes ſimpliciter dictos. At quis non videt actum ex obiecto moralem, non eſſet ſimpliciter indifferentem ad moralitatem? Concordare item omnes in concedenda hac actuum indifferentia teſtatur S. Bonauent. in 2.d.41.n.22.

Actus quoad indiuiduum indifferentes, qui admittant.

Tota ergo lis eſt de poſteriore indifferentia, quam dicebam vocari ſecundùm indiuiduum, quia eſt vlterior quàm indifferentia petita ex obiecto, competitque actui attentis omnibus quæ ad eum in ſingulari hic & nunc exercitum interueniunt. Philo lib. quòd omnis probus liber, eius naturam egregiè aperuit dicens, illud dicit indifferens, circa quod animus pendet tanquam in æquilibrio. nec trahitur ab eo vt pondus habente, nec eo offenditur vt auerſando.

30. Actum ergo humanum ſiue deliberatum (nam de huius tantùm actus indifferentia eſt quæſtio, vt benè monet S.Thomas q. .de malo art. 5. *ad finem corporis*, & 1.2.q.17.art 9.) poſſe eſſe moraliter indifferentem, & bonitatis ac malitiæ expertem etiamſi ſpectetur quoad omnia, quæ illi conueniunt aut conuenire debent, penes omnia, inquam, ad illum concurrentia; hoc eſt, penes obiectum materiale & formale internum, itémque circunſtantias; multorum & grauium Autorum fuit ſententia. Ita enim cenſuit Scotus & Scotiſtæ omnes, nominatímque Rubionius, Mayron. Aquilan. Tartar. in 2.d.40. vel 41. Idem quoque cenſuit D. Bonauent. ead. diſt. 41.n. 21. & ibid. Gabr. q.1.art.1.& Carthuſ. q.1. Angeſt. c.8 Mor. Rurſus Tartaretus 3.Ethic.q.9. Almain tract. 1.mor. c.14.*in fine*, & latè ac acriter Vaſq.1.2.d.52.c.3.& ſequentibus. Ioannes Sancius diſp.4. n.1.& 2. Eandem fuiſſe Philoſophorum ſententiam affirmat S. Hieronymus epiſt.8?.& D Auguſtin epiſt.19.

Subſcribit quoque huic ſententiæ Palacius in 2 d. 40. diſp. vnica cum reſtrictione tamen ad eas actiones deliberatas, quæ non ſunt intentiones vel electiones, cuiuſmodi eſſe ait actionem volendi ire in campum. Verùm ea actio vel eſt intentio vel electio. Nullus enim datur actus efficax deliberatus, qui neque ſit intentio neque electio, vt patet ex ſupradictis de humanis actibus, vbi excluſimus actus neutros efficaces. Volitio autem eundi in campum, eſt efficax, vt ſupponitur. Quare conuincitur Palacius indifferentiam concedere ſolis illis actibus ſimplicibus, qui antecedunt intentionem; aut quia nulla eſt ratio vrgens pro illorum actuum indifferentia, quæ non æquè militet pro pleriſque & intentionibus & electionibus, repudianda eſt ea reſtrictio, quam ſententiæ Scoti adhibet. Mihi Scoti ſententia videtur valdè probabilis, præſertim ſi hæc controuerſia, attentis duntaxat rationum momentis penſetur. Vtrinque enim non admodum diſparia ſunt firmamenta rationum, poſſétque non immeritò cenſeri problema, ſintne an non ſint actus aliqui humani ad iſtum modum indifferentes.

Contraria ſententia veriſimilior.

31. Omnibus tamen penſatis, probabilior videtur contraria ſententia, quæ eſt S. Thomæ 1. 2.q. 18. art. 9. Durandi in 2. d.40.q. 1.& ibid. Capreoli concl. 1. Maioris d.41. quæſt.2.concl.5. Argentinatis ibid. art.2. Gregorij in 2.d.1.quæſt. 1. art.1.& in 2. d.38.q. vnica, art.1. Dioniſij in 2.d.25.quæſt.1.art.2. præter recentiores, quorum non eſt numerus. Negant hi Autores, dari vllos tales actus: eo quòd tametſi pleræque actiones ex obiecto materiali & formali interno ſint indifferentes, tamen ſemper vel bonæ ſint vel malæ ex appoſito illis fine extrinſeco. V.G. velle deliberatè tollere feſtucam, nullum alium finem intendendo, eſt actus ex obiecto ſuo indifferens. Nam illius actus obiectum materiale, & formale internum, eſt ipſa ſublatio externa, quæ vtique indifferens eſt nec niſi indifferentiam refundit in volitionem tollendi. Inquinatur tamen actus ille ob prætermiſſam eius ordinationem in finem debitum, ſeu ex defectu extrinſecæ circunſtantiæ, quæ fuiſſet actui illi apponenda. Idcircò enim actus ille, quamuis ex genere ſiue ex obiecto ſuo, aut ſecundùm ſpeciem ſit indifferens; tamen in indiuiduo eſt malus.

Hunc loquendi modum, fateor eſſe cauillo obnoxium; impugnatúrque ab Argentina in 2.d. 40 q. vnica, art. 2 *in 2 p. articuli*: quia nulla poteſt eſſe ſpecies, cuius non poſſit eſſe aliquod indiuiduum. Ergo ſi dantur actus ſecundùm ſpeciem indifferentes, debent quoque dari indifferentes ſecundùm indiuiduum Quod argumentum agendo de ſpecie & indiuiduo in ſenſu quotidiano & vulgari, rectè concludit: Sed non contra eos, qui admittunt actus ſecundùm ſpeciem indifferentes, negant autem dari indifferentes in indiuiduo. Nam hi Autores fatentur, illos ipſos actus, quos admittunt, eſſe ſecundùm ſpeciem indifferentes, habere quoque indifferentiam quoad gradum illorum ſpecificum reſtrictum per indiuiduationem. Tantùm itaque negant, eos actus, ſi ſpectentur cum omnibus ſibi debitis accidentibus, eſſe moraliter indifferentes. Et hoc appellant, *actus non eſſe indifferentes ſecundùm indiuiduum*: nempe quia indiuiduum ſecluſo rigore illo Metaphyſico, in quo tantùm importat reſtrictionem gradus ſpecifici, inuoluit congeriem omnium horum accidentium, aut vt paſſim loquimur, conditionum indiuiduantium: ſecundùm quam congeriem actus humanus non eſt indifferens, quatenus vel inter illa accidentia eſt debitus finis extrinſecus, & ſic actus eſt bonus; vel non eſt debitus finis, & ſic eſt malus. Ita optimè in hac re diſtinxit Durandus in 2. d. 40. q.1. num. 10. & Ægidius eadem diſtinct. quæſt. vltima. Quanquam ad præcidendos cauillos, conſultius eſſet abſtinere ea locutione, & indifferentiam ſecundùm ſpeciem, vocare indifferentiam ex obiecto: indifferentiam verò ſecundùm indiuiduum, vocare indifferentiam etiam ſpectatu fine extrinſeco, qui cuiuis humano actui iuxta hanc ſententiam debitus eſt, cùm internus & proximus finis, qui ipſo obiecto continetur, non eſt ex ſe bonus & honeſtus.

Eius ex Scripturis probatio, delibata.

32. Poteſt hæc ſententia confirmari in primis autoritate ſacra, quam tamen in tractatione Philoſophica parciùs vrgebo. Chriſtus itaque Matth. 1. verbum otioſum, quod homines vix æſtimant eſſe peccatum, & ex Origene in Pſal 38. illud eſt quod neque aliquid boni neque mali, aut ex ſe aut extrinſecùs habet damnationi obnoxium ſtatuit, eo quòd nimirum ſufficiens ſit damnationis materia, eo ipſo quòd neque ab intrinſeco, neque ab extrinſeco habet bonitatem. Quò reuoluuntur qui dicunt, verbum otioſum, eſſe otioſum & cenſuræ obnoxium, quia caret iuſta neceſſitate & pia vtilitate. *In hac vita* (inquit idem Origines tom. 15. in Num. *homines totum penè otioſum, & totum inane eſt, quod loquuntur, quod agunt. Inanis enim dicitur omnis actus & omnis*

ſermo, in quo non eſt intrinſecùs aliquid pro Deo, vel pro mandato Dei. Sicut ergo verbum eo modo in auras profuſum, eſt otioſum, atque adeò etiam vitioſum, cùm de eo reddenda ſit ratio in ordine ad irrogationem ſupplicij; ita multò magis ſimile factum, erit otioſum ac vitioſum. Nam diſparitas inter verba & facta, quam aliqui apud D. Thomam in 2 d. 40. q. vnica, art. 5. commenti ſunt, ex eo quòd verba ſint ſigna, non item facta, eſt omninò inanis & extra rem, cùm non obſtante ea diſparitate, quæ duntaxat eſt materialis, veriſſimum nihilominùs ſit, eundem & pro factis & pro verbis inhoneſtatis fontem aperiri, ſi verba ex ſe non moralia, dicantur tamen effici vitioſa, ex eo quòd per voluntatem liberam non ſint relata ad bonum finem extrinſecum. Similiter enim neceſſe erit, omnem humanæ libertatis partum, aut eſſe bonum ſaltem ratione finis extrinſeci; aut malum ſi ne eo quidem modo niteſcat.

Non me latet, quàm variè aduerſarij vim teſtimonij prolati eneruare tentent; quibuſdam affirmantibus nomine verbi otioſi eo loco intelligi verbum mendax & calumniatorium: Aliis aſſerentibus eo nomine deſignari actum, qui debet habere finem bonum, eóque caret, qualem negant eſſe actum indifferentem: quia nullus ei debitus eſt finis bonus: Non paucis otioſum verbum interpretantibus, malum; quòd nihil tam otioſè & fruſtrà fiat, quàm quod malè fit. Et conſonat antiquus quidam codex, in quo non legi ἀργὸν, id eſt, otioſum, ſed πονηρὸν, id eſt, malum, teſtatur Scholiaſtes Nouator ad eum locum. Qui item refert in alio vetuſto codice neutrum legi, ſed tantùm reddituros eſſe mortales rationem de quouis verbo quod protulerint.

33. His non obſtantibus, argumentum propoſitum videtur perſtare inconcuſſum. Nam qui verbum otioſum interpretantur mendax & calumnioſum, euertunt editionem vulgatam, cuius autoritas homini catholico ſumma eſſe debet. Item eneruant Chriſti argumentum, quod longè efficacius & robuſtius eſt, ſi ſit à minori ad maius, perinde ac ſi dicat. Si de minimo verbo otioſo rationem reddent mortales, quantò magis de blaſphemo, quale hoc vnum eſt, quo dicitis me in Beelzebub eiicere dæmonia? Vnde intelligitur, otioſum verbum eſſe minimum quoddam peccatum, quod vix homines inter culpas numerent. Itaq; voluit Chriſtus nouum aliquid & minus ab omnibus cognitum docere, ita à minori argumentando. At nemo ignorat verba calumniatoria & falſas criminationes, exquirendas & puniendas eſſe in die iudicij; quod tamen plerique vel etiam omnes ignorabant de verbis otioſis. Eadem vrgeri poſſunt contra alteram eneruationem poſteà propoſitam. Quæ præterea diſplicet, quia euertit propriam otioſitatis rationem, vt perſpicuum erit conſideranti; nec admittit actum eſſe malum, quia eſt otioſus; ſed è contrà actum affirmat eſſe otioſum, quia eſt malus, qua ex parte recidit in poſtremum effugium, quod præcludi ſufficienter puto inſolenti illa vocis notione & interpretatione. Nec ſolliciti admodum ſumus de codicibus, qui in contrarium proferuntur. Apud nos enim pluris eſt vnius vulgati Interpretis autoritas, & tot ſeculorum vſu confirmata lectio, quàm vnius aut alterius codicis mendum, præſertim referente, (quanquam nec aſtipulante,) eo quem à ferendo teſtimonio leges multipliciter repellunt.

Saltem verò argumentum ex hoc loco, iuxta vulgatam lectionem deſumptum, non poterit non videri idoneum, quatenus autoritate Patrum munitur. Eo enim quo dixi modo ab omnibus retrò Eccleſiaſticis tractatoribus acceptum fuiſſe eum Chriſti locum, notauit ibi Maldonatus. Cùm ergo Scripturas interpretari debeamus iuxta communem ſanctorum Patrum interpretationem, validum omninò cenſeri debet argumentum pro noſtra ſententia, ei loco prout à Patribus expoſito, innixum. Sed hanc probationem, quòd Theologorum Chriſtianorum propria ſit, non placet fuſiùs vrgere aut roborare. Quòd autem in ore omnium verſetur, non potuit prorſus prætermitti.

Suffragium SS. Patrum.

34. Pergo ad autoritatem Patrum, in primiſque Hieronymi dial. 1. contra Palag. *circa initium*, vbi hæc verba habet. *Omne quod dicitur, aut eſt, aut non eſt, & aut inter bona, aut mala debet numerari.* Et epiſt. 89. agens de ceremoniis Moſaïcis, contendénſque eas vel bonas vel malas eſſe, nec poſſe ſtatui indifferentes, id probat ex eo quòd inſtituta illa *non ſunt indifferentia inter bonum & malum, ſicut Philoſophi diſputant: bonum eſt continentia, malum eſt luxuria. Inter vtrunque indifferens ambulare, egerere alui ſtercora, capitis naribus purgamenta eiicere, ſputis rheumata iacere. Hoc nec bonum nec malum eſt: ſiue enim feceris ſiue non feceris, nec iuſtitiam habebis nec iniuſtitiam.* Hactenus eo loco S. Hieronymus, quem qui pugnant prò indifferentia actuum ſpectatorum quoad omnia illos circunſtantia, exiſtimans diſertè tradere eam indifferentiam. Mihi tamen videtur eo loco referre duntaxat Philoſophorum verba & ſententiam, nec plus poſſe allegari pro indifferentia actuum, quàm Euangeliſtam pro blaſphemia, quam à Phariſæis intortam in Dominum refert, ipſa eorum verba appendens. Ita enim S. Hieronymum non niſi ſententiam Philoſophorum retuliſſe, perſpicuum videtur ex eius verbis, & ex D. Auguſtino epiſt. 19. verba illa S. Hieronymi reſumente, & in eum, quem dixi ſenſum, (vt videtur,) intelligente. Et ſanè alioqui argumentatio S. Hieronymi non ſubſiſteret. Quomodò enim validè probaret S. Hieronymus, obſeruationem legalium non eſſe indifferentem, ſi verè cenſeret, actiones pleraſque eſſe indifferentes, nec rationem redderet cur inter iſtas recenſendæ non eſſent hæ quoque obſeruationes? Itaque S. Hieronymus excludens indifferentiam legalium, obiter ac veluti ſubſannando, refert placitum Philoſophorum admittentium actus indifferentes, qui non ſubſcribit, ſed illud nudè refert, prout ab ipſis tradebatur.

Eſt etiam optimus in hanc rem locus apud S. Auguſtinum l. de vtil. cred cap. 12. *Omne,* inquit, *factum, ſi rectè factum non eſt, peccatum eſt; nec rectè factum vllum eſſe poteſt, quod non à recta ratione proficiſcitur.* Et lib. 2. de peccat. meritis, cap. 18. *Voluntas, mirum eſt ſi poteſt in medio quodam ita conſiſtere, vt nec bona, nec mala ſit: aut enim iuſtitiam diligimus, & bona eſt; ſi magis diligimus, magis bona; ſi minùs, minùs bona eſt: aut ſi omninò non diligimus, non bona eſt. Quis verò dubitet dicere voluntatem nullo modo iuſtitiam diligentem, non modò eſſe malam, ſed etiam peſſimam voluntatem? Si ergo voluntas aut bona eſt, aut mala, &c.* S. Paulinus epiſt. ad Celantiam, *Omne quod agimus, omne quod loquimur aut de lata, aut de anguſta via eſt.* Quod latè proſequitur.

Rationes quorundam pro eadem ſententia.

35. Poſtrema probatio noſtræ ſententiæ, ducenda eſt ex ratione; quæ cùm multiplex proferatur ab iis quos in hac parte ſequimur, ægrè tamen profertur adeò valida, cui ſuccumbere aduerſarios neceſſe ſit. S. Thomas quæſt. 2. de malo, art. 5. ſic argumen-

tatur : Non poteſt accidere vt actus humanus abſque circunſtantijs ſuis exerceatur. Vel ergo fit quando, & vbi, & quomodò oportet, & ſic bonus eſt : vel aliquid horum deficit, ac proinde actus non fit quomodò oportet, éſtque malus, quod præſertim poteſt contingere deficiente fine debito, vt præclarè diſputat D. Auguſtinus 4. contra Iulian. cap. 3. Porrò inter duo illa quæ dixi, nempe, *actus fit ſicut oportet*, & , *actus fit ſicut non oportet*, nullum poteſt dari medium. Opponuntur enim ſecundùm affirmationem & negationem. Ergo nulli ſunt actus humani, in indiuiduo, & ſecundùm omnes ſuas circunſtantias ſpectati, quibus aut bonitas aut malitia non competat.

Non diſſimile argumentum eſt, quod alij apud Rubion. in 2. d. 40. quæſt. 1. art. 2. petunt ex conformitate cum iudicio practico iudicente actionem. Vel enim actio eſt iudicio illi conformis, & ſic eſt bona moraliter; vel eſt difformis, & ſic eſt vitioſa. Medium autem non datur.

Accedit ad iſtas alia ratio, quam apud eundem Authorem alij adhibent, placuitque etiam Gregorio in 2. d. 38. quæſt. vnica, art. 1. *in ſecundo puncto* Ducitur autem ex priuatiua oppoſitione bonitatis, & malitiæ moralis actualis. Nam priuatiuè oppoſita, ſi cum proprio eorum ſubiecto comparentur, ita ſe habent, vt neceſſe ſit alterum illorum, ſubiecto illi proprio ineſſe. Atqui actio humana eſt ſubiectum proprium bonitatis & malitiæ. Ergo neceſſe eſt, alteram earum ineſſe actui humano. Nullus ergo eſt, qui ſit indifferens.

Eneruantur.

36. Has probationes nego eſſe efficaces, videtúrque in eis ſupponi quod probandum aſſumitur. Prima ergo facilè eliditur dicendo non omnem actum, qui fit ſicut oportet, eſſe moraliter bonum. Nam ſi inter ea quæ actum illum habere oportet, non numeretur finis bonus, minimè inferetur actum bonum eſſe, etiamſi factus ſit ſicut oportet. At an finis bonus numeretur inter ea quæ oportet humanum actum habere, hoc ipſum eſt de quo quæritur. Itaque non fuerat id gratis aſſumendum, ſed probandum. Illicò enim eneruabitur argumentum, dicendo, non oportere vt actus habeat niſi obiectum materiale & formale, ac circunſtantias intrinſecas, quæ omnia dici poterunt indifferentia : & ita dicetur accidere in actu tollendi deliberatè feſtucam.

Nec operoſior eſt dilutio ſecundi argumenti. Nam aduerſarij illicò negabunt, omnem actum humanum debere eſſe rectæ rationi conformem vel difformem, dicéntque cum Aquilano in 2. d. 41. quæſt. 1. ad 4. ſufficere ſi ſit conformis dictamini intellectus practici, ſiue rationis practicæ indifferentis, & conſequenter inficiabuntur, neceſſe eſſe, vt natura rationalis rectè præſcribens de ſic vel ſic operando conformiter ad generalia præcepta ſyntereſeos, determinet aliquid de omnibus humanis operationibus. Imò hoc ipſum eſt, de quo quæritur, quódque probandum, non aſſumendum erat. Ex eo autem, quòd operatio humana ſit conformis iudicio rationis practicæ indifferentis, non poteſt inferri eam operationem bonam eſſe; ſed ad imprimendam illi bonitatem, oporteret operationem conformari rationi practicæ rectæ, cuiuſmodi non eſt ratio illa practica, quæ in argumenti propoſiti præmiſſis tenet locum medij termini.

Tandem ſolutio tertij argumenti eſt facilis. Negabunt enim aduerſarij cum Scoto in 2. d. 41. q. vnica, *lit. a D*, actum humanum eſſe ſubiectum proprium bonitatis & malitiæ moralis, tanquam paſſionum ſibi conſentanearum : ſed dicent bonitatem & malitiam ſe habere ad actum, ſicut duo accidentia communia ad ſubiectum quod neutrum illorum exigit. Et fatebuntur quidem actum humanum bonitatis expertem, eſſe negatiuè non bonum : Negabunt tamen eſſe priuatiuè non bonum : eo quòd ei ſubiecto non ſit debita bonitas. Sicut riſibile & non riſibile reſpectu lapidis opponuntur tantùm negatiuè, eò quòd riſibilitas non debeatur lapidi. Ea autem negatio pura bonitatis abſque exigentia & debito eius, non ſufficit ad malitiam moralem. Poteſt quidem aliquo ſenſu legitimo aſſeri, bonitatem & malitiam moralem eſſe in actu humano vt in ſubiecto proprio, quatenus accidentia illa nulli alteri ſubiecto ineſſe poſſunt. Tamen in argumento propoſito, vox *ſubiecti proprij* vſurpatur pro ſubiecto alterum ex illis formis exigente, atque adeò priuatiuè ſe habente, ſi ea careat, quod probandum fuerat, non aſſumendum, cùm de eo ſit controuerſia. Diſſimulo in præſentia, recténe ſupponatur, malitiam moralem actualem in actibus humanis ſiue in commiſſionibus, eſſe priuatiuam tantùm.

Prior ratio efficax.

37. Quærenda igitur ſunt firmiora præſidia, ſententiæ humanos actus indifferentes inficiantis. Vnum duco ex operatione humana, prout eſt germen naturæ rationalis. Homo enim ad ſuas operationes habet ſe veluti arbor ad fructus, vt optimè aduertit Antoninus l. 9. de vita ſua, num. 8. & pulchrè Guliel. Par. lib. de virtut. cap. 12. *initio* : cum ea tamen differentia, vt ſcitè notauit Antoninus l. 11. n. 1. quòd arborum & quarumuis plantarum fructus, alij percipiunt; ipſe homo fructus ſui percipit, nec alij, ſed ſibi ipſi laborat. Cùm igitur operatio humana ſe habeat ad naturam rationalem, ſicut fructus & germen eius, neceſſe eſt, vt idem ſit finis operationis ab humana natura prodeuntis, & ipſius naturæ rationalis. Sic enim videmus ſeruata proportione accidere in omnibus aliis naturis. Et ratio eſt, quia cùm natura ſit actus quidam primus, actio verò ſit actus eius ſecundus, qui eſt ipſamet tendentia actus primi in obiectum & finem ſuum; neceſſarium profectò videtur, vt idemmet ſit finis vltimus actionis & naturæ actionem principiantis : ſicut trunci & germinum, & totius arboris, ac fructuum, idem eſt finis. Debet ergo humanæ naturæ & actionis humanæ eſſe idem finis. Atqui finis vltimus humanæ naturæ eſt Deus : Ergo finis quoque vltimus actionis noſtræ debet eſſe Deus. Conſtat autem, actum indifferentem, ſi daretur, non habiturum pro fine Deum : nam ſic non eſſet indifferens, ſed reuera bonus. Ergo careret aliquo, quod habere deberet, nempe relatione illa ad finem vltimum naturæ humanæ : ac proinde eſſet malus moraliter, non autem indifferens.

Videtur hoc argumentum tetigiſſe Antoninus l. 11. de vita ſua, n. 8. tractans varios modos, quibus anima ſeipſam afficit contumelia : hunc enim quintum numerat. *Si quam actionem ſuam conatum ad nullum certum ſcopum dirigit ſed fruſtrà quicquam nullâque conſequentia agit, quum oporteat etiam minima quæque ad certum finem referri. Finis autem animanti ratione prædito propoſitus eſt, vt rationem atque legem ciuitatis vetuſtiſſimæ ſequatur.*

Poſterior ratio, item valida.

38. Alterum ſententiæ noſtræ firmamentum profero ex actu humano per ſeipſum conſiderato. Hoc eſt,

eſt, non quatenus eſt germen naturæ, & quatenus eundem cum ea finem vltimum habere debet, ſed ſolitariè, perinde ac ſi non eſſet fructus vllius naturæ. Sic igitur argumentor. Actio humana vel vltimò refertur ad Deum, ſiue actu ſiue virtualiter & ſuapte natura, quatenus eſt rationi conformis, & ſic eſt bona: Vel nullo modo in Deum tendit; & ſic eo ipſo deflectit ab eo fine, éſtque mala moraliter. Nam eo ipſo quòd non fit ob finem increatum, nec in eum tendit ſaltem virtualiter, ſicut faciunt omnes boni actus, ſiſtit omninò in bono creato, éſtque eius fruitio. Peruerſum autem eſt, frui vtendis, vt latè tradit D. Auguſtinus 1. de doctr. Chriſt à cap. 3. & c. 21. & 22. oſtendens omnia bona creata debere tantùm cadere ſub vſum noſtrum, ſub fruitionem autem non niſi Deum. Ergo actus humani carentes bono fine vel intrinſeco vel extrinſeco, ſunt ex ipſo deprauati, caréntque aliquo quod habere deberent. Eſt enim in omni actione creata, debitum, vt ſit fruitio fruendorum: id eſt, vt vltimò ad Deum tendat aliquo modo. Nam ſi non haberet hoc ex debito, poſſet eſſe fruitio vtendorum nihilque idcircò haberet indebitum. Quia igitur actus humanus, qui dicitur fore prorſus indifferens, eſſet fruitio puri boni creati, quod vtendum fuiſſet non fruendum, meritò conuincitur non fuiſſe indifferens. ſed oblitus cœno turpitudinis moralis, ob defectum volitionis ad finem debitum.

Habet porrò hæc argumentatio locum vniuerſaliter in quorumuis hominum operationibus. Quod autem Clemens Alexandrinus 6. ſtrom cap. 6. Chriſtianorum vulgarium actionem docet poſſe eſſe mediam; Ethnicorum autem omnem actionem eſſe vitioſam; nequaquam eò pertinet, vt velit in Chriſtianis dari poſſe actiones indifferentes, in Ethnicis non item, eo quòd, vt ait, actiones Ethnicorum careant directione in ſcopum debitum, non item actiones Chriſtianorum. Hic inquam non eſt ſenſus Clementis. Nam actiones Chriſtianorum tendentes in Deum ſaltem virtualiter, non debent dici mediæ ſeu indifferentes cùm ſint moraliter bonæ: Et è contrà actiones Ethnicorum, quamuis non tendant explicitè & formaliter in Deum, dummodò virtualiter in eum referantur, non ſunt moraliter malæ, nec inquinantur ob ſolam ſubiecti fœditatem, vt fert doctrina ſana, quam pluribus exponunt & ſtabiliunt Valentia 2. 2. d. 1. quæſt 10. p. 2. & Suares l. 1. de grat. cap. 4. & ſequentibus. Senſus ergo Clementis eſt. actiones vulgarium Chriſtianorum, qui altiorum viam non ſectantur, nec ſunt ex eorum numero. qui ſunt cognitione præditi: vt ibidem loquitur, medias eſſe; hoc eſt, neque vitioſas, quippe in Deum tendentes ſaltem virtualiter; neque etiam eximiè laudabiles & perfecti officij, quales ibidem eſſe ait actiones hominis cognitione præditi. At actiones Ethnici quatenus Ethnicus eſt, affirmat prauum ſemper finem habere, proindèque inde ſordere: quod eſt veriſſimum, ſed non facit ad rem præſentem.

Firmamenta aduerſariorum ab autoritate.

39. Superſunt excutienda quæ aduersùs ſententiam propoſitam intorquentur partim ex autoritate, partim ex ratione. Et quia in vtroque hoc argumentorum capite contra nos, accuratus & acer de more fuit Gabriel. Vaſques diſp. cit. legemus eius veſtigia, & ſigillatim expendemus ac diſſoluemus, quæ ille aduersùs partes quas aſſectamur, intentat. Allegat in primis autoritatem Patrum, nempe S. Hieronymi epiſt. 89. quam putat eſſe ineluctabilem. Itémque Nazianzeni, quem ait orat. 3, num. 64. expreſsè tradere actiones aliquas humanas eſſe indifferente Ait denique clariſſimè idem docere Autorem Hypognoſtici l. 3. & Gregorium homil. 23. in Euangelia.

Poſſumus & nos autoritatem Philoſophorum addere. Teſtatur enim S. Hieronymus epiſt. illa 89. Philoſophos admiſiſſe actus indifferentes. Idem videntur ferre illa Philoſophi 5. Metaph. cap. 12. in fine. *Non omnis bonus vel malus aut iuſtus vel iniuſtus; ſed etiam intermedium eſt.* Idem luculenter proditur apud Sextum Empyr. l. 10. aduersùs Mathem. *ferè initio*, in hæc verba. *omnes Philoſophi qui ritè videntur inſtituere, & præter omnes præclariſſimè veteres Academici, & Peripatetici, & prætereà Stoici, diuidentes ſolent dicere, ex iis quæ ſunt, alia quidem eſſe bona, alia verò mala, alia autem intermedia, quæ etiam dicunt indifferentia. Aliis autem magis propriè Xenocrates, & ſingularis numeri vtens caſibus, dicebat: Quicquid eſt, aut bonum eſt, aut malum eſt, aut neque bonum eſt, neque malum. Et cùm cæteri Philoſophi abſque demonſtratione hanc proferrent diuiſionem, ipſe viſus ſimul quoque aſſumere demonſtrationem, dicebat: Nam ſi eſt aliquid ſeparatum à rebus bonis & neque bonis neque malis, illud aut eſt bonum, aut non eſt bonum. Et ſi eſt quidem bonum; erit vnum ex tribus. Sin autem non eſt bonum, aut eſt malum, aut neque bonum neque malum. Si autem eſt malum, rurſus erit vnum ex tribus Quicquid ergo eſt, aut bonum eſt, aut malum eſt, aut neque bonum eſt, neque malum* De hac Xenocratis demonſtratione, ita pronunciat Empyricus. *Vt autem ac poteſtate; is quoque admiſit diuiſionem abſque demonſtratione Quæ enim ad eam confirmandam aſſumpta eſt, non eſt alia quàm ipſa.* Alibi quoque explicatiùs idem Empyricus, Stoicorum hac in parte mentem aperit. Sic enim habet lib. 3. Pyrrh. hypotyp. *Stoici ex indifferentibus alia aiunt προηγμένα eſſe; id eſt, promota, vel producta, aut prepoſita: Alia ἀποπροηγμένα, id eſt, remota, reiecta. Quæ iam etiam neque προηγμένα, neque ἀποπροηγμένα. Et προηγμένα ea eſſe, quæ ſufficientem habent dignitatem, vt ſanitatem, diuitias ἀποπροηγμένα autem, quæ non habent ſufficientem dignitatem, vt paupertatem, morbum. Neque προηγμένα, neque ἀποπροηγμένα, quale eſt extendere digitum. Aliqui verò nihil ex indifferentibus προηγμένον vel ἀποπροηγμένον eſſe aiunt Vnumquodque enim indifferentium, pro variis circunſtantiis interdum προηγμένον videri interdum ἀποπροηγμένον.* Eadem plenè tradit Stobæus in Eclogis Ethicis, cap. 4. 5. *De expetendis & fugiendis.*

Diſiiciuntur.

40. Hic eſt primus aduersùs ſententiam propoſitam aries, cuius tamen impetus non ægrè declinatur. Et S. Hieronymum quidem, ſuprà oſtendi contrarium ſentire, & perperam allegari. Nazianzenus æquè incommodè adducitur. Tantùm quippe ait, quemadmodum quiſquis ſupplicio humano dignus eſt, non idem ſtatim laudem & prædicationem meretur; eodem modo, nec quiſquis laude & prædicatione dignus non eſt, pœnam confeſtim commereri: ſed Philoſophiæ noſtræ viriúmque humanarum finibus, nos ipſos continere, ſicque id quod rectè & ex virtute geritur exigere, conſentaneum eſſe. Hæc Nazianzenus eo loco, quæ dico non ſpectare ad hoc inſtitutum, vt Elias & Billius ibi rectè viderunt, & per ſe patet ex ſcopo Theologi eo loco. Agebat enim contra Iulianum. Chriſtianos de Ethnicorum iniuriis apud ipſum queſtos ſubſannantem; & reſpondentem, ſi vexarentur, ferendum id eis eſſe ex Chriſti legibus. Reſpondet autem Nazianzenus, in Chriſtiana lege eſſe quædam opera ſub præceptum cadentia,

quædam verò ſupererogationis Priora ſunt omninò executioni mandanda : poſteriora laudem pariunt operanti, non tamen damnum omittenti. Ex quo concludit Nazianzenus, peruersè Iulianum voluiſſe Chriſtianos aſtringere ad exercenda opera per conſilium duntaxat propoſita : cùm tamen apud Chriſtianos, talia opera facere, ſit præmio dignum : omittere autem, neque ſit dignum pœna, neque laude, atque adeò ſit medium quiddam & indifferens. Itaque ſtatus ille medius, quem in Chriſtiana Philoſophia agnoſcit Nazianzenus, nullo modo reſpicit actiones indifferentes, ſed tantùm omiſſionem operum ſupererogationis : quæ omiſſio indifferens eſt, nec digna præmio vel vituperatione. Omiſſiones quippe indifferentes, meritò admittuntur. Imò, omnis pura omiſſio mali, eſt indifferens. *Virtus eſt vitatio mali, ſtudium boni. Vacare autem à malo tantùm, per ſe nec laude nec vituperatione dignum*, ait S. Baſil. in exhortat. ad Baptiſmum. Idem latè tradit S. Chryſoſt. lib. de virginit. cap. 1. & ratio eſt, quia omiſſio neque eſt mala, vt patet ; neque bona, cùm careat motiuo honeſto, quod ſoli actui poſitiuo præfigitur. Qua in parte non eſt audiendus Angelus cap. 10. mor. r. 1. *ſub finem* Alij Patres ſuprà adducti ferè fruſtrà allegantur, Nam Autor Hypognoſtici tantùm admittit, operum, quædam eſſe bona, & à Deo ; quædam autem mala, quæ non ſunt à Deo. Hoc quid ad rem præſentem ? Idem dico de S. Gregorio, qui tantùm ait, fas eſſe abſque Chriſtianæ legis iniuria amare cognatos, ſponte impendendo naturæ beneuolentiam.

Philoſophos interpretari non incommodè poſſumus, dicendo eos egiſſe tantùm de indifferentia ſecundùm ſpeciem, & ex obiecto operum, quam indifferentiam nemo diffiteri poteſt. Et ita planè ferunt pleraque de adiaphoris apud Lipſ. 2. manud. diſſert. 23. Ariſtotelem verò facilè aliter exponere poſſumus, vt videlicet tantùm voluerit quædam eſſe opera, quæ tametſi bona moraliter, tamen vſque adeò exilia, & (vt ita dicam,) exanguia ſunt, vt laudem publicam non mereantur Quis enim non rideat eum, qui ob leuiſſimum aliquem actum bonum, panegyrim, aut victum ſumptu publico exhibitum in Prytaneo depoſcat ? Similitérque qui huiuſmodi actus modicæ bonitatis exercent, non denominantur inde ſimpliciter boni, nempe eminenti bonitate & publicè commendabili, ob tenuitatem virtutis, quamuis neque iniuſti nominentur. Itaque nihil ab autoritate in ſententiam noſtram prolatum eſt, quod non ſit commodè depulſum.

Rationes aduerſariorum.

41. Quæ verò ex ratione opponuntur, non eſt difficile diſſoluere. Vaſques ſupra cap 4. argumentatur ex eo quòd nulla eſt natura ſpecifica, cui non ſubſit aliquod indiuiduum. Omnes autem concedunt dari actus ſecundùm ſpeciem indifferentes. Ergo dantur etiam aliqui indifferentes in indiuiduo. Argumentatur præterea cap. 5. ex eo quòd plerique actus facti abſque præcepto ad aliquam naturæ commoditatem, vt ſputis rheumata iacere, manus deliberatè fricare, aliaque huiuſmodi, ſunt indifferentia. Supponimus enim, nullum virtutis præceptum vrgere ad exercenda ea opera, & abeſſe omnem immoderationem vitioſam, & quancunque incongruam circunſtantiam aduentitiam. Quod additur, quia ſi quis ſpueret, vt vitam aut ſanitatem ex rheumatis emiſſione affli&tandam tueretur, bene faceret. Si autem nimius eſſet in ſpuendo ſine cauſa, aut in fricanda deliberatè barba, vitioſè ageret, vt Vaſques rectè notat num. 28. & 32. Secluſis ergo his extrinſecis, ſi huiuſmodi actus tantùm fiant ad ſubleuandam aliquo modo naturam ex nonnulla commoditate, nec immoderata, nec ex præcepto neceſſaria, ac præcisè ſuſcepta, ex affectu delectabilis aut commodi, probat aduerſarius eos eſſe indifferentes : quia nec boni ſunt moraliter, nec mali. Non boni, quia non fiunt ex affectu honeſtatis & virtutis, quod aduerſarius ſupponit neceſſarium eſſe ad actionis honeſtatem. Item quia ſi boni eſſent, negari non poſſet quin eſſent laude digni, & vitæ æternæ meritorij in homine iuſto. Poſſent item eſſe materia voti & iuramenti, quæ non niſi ridiculè videntur admittenda. Non item dici poſſunt mali eſſe, alioqui eſſent ſufficiens materia abſolutionis ſacramentalis. Ergo ſunt indifferentes.

Id porrò aduerſarius num. 36. contendit æquè affirmandum de actibus ex obiecto indifferentibus, qui abſque vllo virtutis affectu eliciantur ab aliquo ex probabili opinione affirmante dari actus indifferentes. Sic quippe elicitus actus, nec bonus erit, quia non æſtimatur bonus eſſe, deéſtque affectus honeſtatis : nec malus, quia probabilis ſententia quòd ita agere liceat, præcludet culpam alioqui interuenturam ex defectu honeſti finis.

Eliduntur.

42. Has rationes non eſt difficile depellere. Primam ſola terminorum æquiuocatione niti, oſtenſum ſuprà eſt, & breuiter recolitur Fatemur enim actus quibus ex ſua ſpecie debetur quòd ſint indifferentes, retinere quoque indifferentiam quoad rationem ſpecificam contractam ad indiuiduum : Ita vt ex principiis ſpeciei, cùm ſpecificè tum indiuidualiter conſideratis, neque ſint indiuidualiter boni, neque mali. Contendimus tamen actus illos, quamuis ex ſua ſpecie & vi obiecti interni neutrum habeant, poſſe per extrinſecum finem appoſitum vel prætermiſſum, fieri bonos aut malos : & reipſa ita contingere, quoties homo deliberatè actus illos profundit. Quamuis enim actus illi conſiderari poſſint ſecundùm ſpeciem tantùm, & vt ſic non exigant appoſitionem vllius circunſtantiæ conferentis moralitatem, tamen prout exercentur, quia non ſpectantur vltrà inadæquatè, & quoad ſpeciem tantùm, ſed quoad circunſtantias quas adæquatè ſumpti poſtulant, non poſſunt non conueſtiri aliqua tali circunſtantia bona ; vel ſi ea careant, mali ſunt malitia commiſſionis, quia ſunt actus exerciti modo indebito, & diſſonante regulis naturæ rationalis : Cadunt enim in materiam creatam tanquam in finem vltimum, quod peruerſum eſt, & rationi repugnans per commiſſionem. Itaque prima aduerſarij ratio eſt admodum infirma.

Nec ſecunda fortior videtur ; in qua in primis aduerſarius gratis reſtringit quæſtionem ad actus naturæ commodos. Nulla enim talis commoditas cernitur in actu tollendi è campo feſtucam ; qui tamen actus paſſim profertur in exemplum actus indifferentis. Addo verò actus illos qui ad aliquam naturæ ſubleuationem eliciuntur, bonos eſſe non indifferentes, vt rectè tradidit Palacius in 2. d. 40. diſp. vnica, *circa ſecundam ſententiam* Id quod non parum confert ad temperandam ſeueritatem, quam aliqui ſententiæ noſtræ impingunt. Tantùm enim abeſt, vt ob rigorem malè audire debeat, quaſi multos actus humanos nigro theta ſuffigens, & inter gerras ſordéſque connectens ; vt potiùs iuxta eam innumeri propè actus, quos aduerſarij ſterilitatis damnant, boni ſint moraliter, quippe tendentes in obiectum dictatum per rationem rectam, quæ conformiter ad principia

ſyntere

ſyntereſeos docet indulgendum aliquid eſſe fragili & infirmæ naturæ. Eatenus verò hi actus cenſentur propter honeſtatem facti. quatenus bonitas eorum per rationem dictata, intenditur non propter aliud.

43. Quòd ſi boni ſunt, laudabiles etiam ſunt cenſendi, abſolutè loquendo. Eſt enim laudabile, in omnibus ac etiam in minutis operationibus agere ſecundùm rectam rationem: quamuis vſus non ferat, vt laudemus quæuis opera quomodolibet bona, vt rectè attigit Vega 6 in Concil. c 25. ſed ea tantùm, quæ aliquatenus eminent. Quid enim ſordidius & illiberalius, quàm laureolam ex muſtaceo quærere? Item ſicut hi actus boni ſunt & laudabiles, ita poſſunt eſſe idonea voti & iuramenti materia. quod videtur admittere Suares l. 2. de voto, c. 4. n. 5. & toto cap. 8. concedens actum ex ſpecie ſua indifferentem, eſſe ſufficientem voti & iuramenti materiam, ſi ei apponatur finis bonus, qualem nos eſſe dicimus ipſam honeſtatem obiecti illius, prout per rationem dictati. Non tamen idcircò admittimus hos actus ſpectatos cum ſola illa bonitate, quam ex prædicto fine nanciſcuntur, eſſe gloriæ meritorios in homine iuſto. Nam ne virtualiter quidem reſpiciunt Deum prout gratiæ authorem: quod neceſſarium eſſe ad meritum Chriſtianum, alibi traditur.

At ſi actus ſecundùm ſpeciem & ex obiecto indifferentes, nullo extrinſeci finis boni acceſſu perficiantur, neque ad aliquod naturæ leuamen, aliúmve honeſtum finem exerceantur; admittendum eſt eos eſſe moraliter malos, & conſequenter poſſe eſſe ſufficientem materiam abſolutionis ſacramentalis, præſertim ſi alia certior materia illi iudicio ſubiicienda deficiat: ſunt enim irrationabiles, & exerrantes à ſcopo, in quem naturaliter dirigendi erant, quod eſt eos malos eſſe moraliter. Vſus tamen non fert, vt hæc materia clauibus ſubdatur, niſi generaliter ſub nomine verborum vel actuum otioſorum: quia rarum eſt, vt deſit alia materia maioris malitiæ turpitudine dehoneſtata, & aptior ad ingenerandam ſalubrem confuſionem, digniórque ſubiici clauibus.

Video vrgeri poſſe, nullam extare virtutem, cui actus ita elicitus opponatur. Quòd verò Salas tract. 7. d. 4. num. 22. ait eum non opponi alicui determinatæ virtuti, ſed omnibus disiunctiuè, eſt incredibile: ſic enim actus ille haberet malitiam omnium actuum vitioſorum, & repetitus poſſet exſcindere omnes voluntatis virtutes, nullo aduerſus ipſas alio malo actu violatas. Quare dicendum eſt, actum prædictum ſpectare ad vitium virtuti innominatæ oppoſitum, quod incuria honeſtatis nominari poteſt; & aliquando opponitur charitati propriæ, aliàs autem ſollicitudini illi conformandi ſeſe ſemper & vbique cum regula rationis rectæ: qua docemur nullos vnquam in ventum actus emittere.

Actus, quem qui elicit indifferentem iudicat, an ſit indifferens.

44. Quod poſtremo loco proferebatur, nempe dandos eſſe neceſſariò actus indifferentes, ſi ab homine eliciantur ex iudicio quòd ſint indifferentes, difficultate omninò vacat. Facilè quippe reſponderi in primis poſſet, aſſertionem noſtram ſpectare ſolam rei naturam, & quod per ſe loquendo contingit: qua ratione nulli dantur actus in indiuiduo indifferentes. Per accidens tamen, & ex ſuppoſitione conſcientiæ erroneæ aut probabilis malitiam auertentis, dari poſſe actus in indiuiduo indifferentes. Quo pacto philoſophandum cenſuit Valentia ſuprà p. 6. *in fine.*

Dicendum verò præterea videtur, actum illum quem contigerit elici ex opinione probabili quòd dentur actus indifferentes, non eſſe indifferentem, ſed honeſtum. Nam honeſtum eſt operari ex præſcripto rationis, dictantis nihil mali ſubeſſe in tali modo operandi, & docere hominum non ſemper ingenio contendere, ſed interdum quoque elicere actus, quibus nihil ſubſit mali. Nec refert, quòd is qui ſic operatur, exiſtimet actum ſuum eſſe indifferentem. Nam hæc exiſtimatio non eſt regula operandi, ſed eſt cognitio ſpeculatiua falſa, impertinenter ſe habens ad moralitatem actus circa quem occupatur. Item non refert quòd talis actus non eliciatur explicitè propter honeſtatem. Nam licèt neceſſe ſit, vt qui honeſtè agit, attingat aliquo modo honeſtatem, quia alioqui honeſtas non foret voluntaria: tamen non eſt opus vt honeſtas ſit cognita in actu ſignato, ſiue, vt nobis ferè ſemper vſuuenit, ſub nomine honeſtatis, aut interueniente conceptu non vltimato bonitatis moralis: ſed ſufficit honeſtatem attingi in actu exercito, ſicut reuera attingitur, cùm obiectum proponitur vt à recta ratione dictatum, & naturæ rationali ex ea operanti conſentaneum. Id enim ſatis ſupérque eſt ad operis honeſtatem, quicquid homo reflexè in contrarium iudicet iudicio ſpeculatiuo aberrante.

Quinetiam tametſi homo profiteretur ſe nolle tunc elicere actum honeſtum, eliceret eum nihilominùs: quia ea profeſſio, & nolitio per eum profitendi actum expreſſa, non excluderet principia neceſſaria ad impertiendam honeſtatem actui, de quo agimus. Nec illa nolitio poſſet inficere actum prædictum; tum quia non eſſet eius circumſtantia, ſed ad eum ſe haberet merè concomitanter; tum quia ipſa quoque poſſet per rationem rectam dictari, & honeſta ac recta eſſe, non obſtante concomitantia notitiæ ſpeculatiuæ falſæ.

ARTICVLVS III.

De termino moralitatis; hoc eſt de humanorum actuum regula.

45. EXpoſuimus fundamentum moralitatis, ſiue eius quaſi ſubiectum proximum, hoc eſt actum humanum prout ſubſtratum moralitati, vel cum ea comparabilem. Nunc ſupereſt explicandus terminus illius quaſi reſpectus, ſiue connotationis, qua conſtitui moralitatem, ſuperiùs demonſtratum eſt.

ASSERTIO.

TErminus immediatus moralitatis, & proxima regula humanorum actuum, neque eſt diuina lex aut voluntas, neque natura rationalis: ſed iudicium practicum rationis rectæ, quod dictaminibus prudentialibus ad ſyntereſeos principia exactis, indéque deriuabilibus continetur.

PRimò reiicio quaſdam noſtrorum actuum regulas ab aliis aſſignatas, & nego competere illis rationem termini moralitatis, ſiue regulæ actuum humanorum.

Quis

Quis iuxta aliquos moralitatis terminus, & regula actuum.

Eiuſmodi ſunt lex diuina, voluntas diuina, & natura rationalis. Nullæ enim aliæ, præter eam, quam poſteà ipſi trademus, aſſignatæ hactenus ſunt operationum noſtrarum regulæ penes quas moralitas actibus noſtris ingeneretur. Et meritò: nam cætera omnia ſunt prorſus impertinentia ad negotium directionis actuum noſtrorum, vt conſideranti erit prorſus perſpicuum. At diuina lex videtur non malè ab Ochamo in 2. q. 19. ad 3. & 4. & à Camerac. in 1. q. 14. art. 3. ſtatui pro noſtrorum actuum regula, & termino moralitatis, cùm ſit dictamen practicum diuinæ prudentiæ, quæ & honeſtiſſima eſt, & infallibilis, vt proptereà non videamur certiore aut meliore regula duci poſſe. Sanè D. Auguſtinus moralem turpitudinem penes diuinam legem tanquam regulam conſtituit, vt ex peruulgata peccati definitione ab eo tradita liquet. Similiter ergo potuiſſet honeſtatem moralem penes eam regulam definire.

Quia verò lex diuina & voluntas conformitatem ſeruant, idcircò eodem iure quo lex diuina ſtatuitur regula actuum humanorum, & terminus moralitatis, eodem etiam diuina voluntas poteſt moralitatis terminus ſtatui. Præſertim cùm iuxta S. Anſelmum c. 11. proſolog. quod Deus vult, iuſtum ſit; quod verò non vult, ſit iniuſtum. In quam ſententiam hæc quoque leguntur lib. de ſingulari. Clerico. inter S. Cypriani opera n. 51. *Dei ita ſunt mandata ſeruanda, vt ſi aliquid iuſſerit quod ſecundum homines iniuſtum eſſe videatur iuſtum credatur & fiat, & ſi iuſtum iuſſerit, iuſtum reputetur & fiat; cum ſine iuſtitia non poteſt eſſe quod mandat, qui potens eſt iniuſtitiam iuſtificando vocare iuſtitiam, & iuſtitiam reprobando iniuſtitiam probare tranſuerſam, cuius voluntas eſt ſola & vera iuſtitia. Si enim totum quod gerimus, ad hoc tantummodò gerimus vt domino placeamus, profectò hoc ſolum erit iuſtum quicquid voluerit & iuſſerit & probauerit Deus cui placere geſtimus.* Et poſt aliqua, ſic concludit. *Hoc eſt ergo lucriferum, quodcunque fuerit à Deo intimatum, & hoc Deo dignum quod ipſe Deus voluntati ſuæ fatetur acceptum, vt exerceat per omnia dominatum; Alioqui nec nos ſerui adſcriberemur, nec ipſe dominus haberetur, ſi ſecundum voluntatem noſtram permitteremur impendere ſeruitium.*

Tandem aliis conſultius viſum eſt, pro termino moralitatis ſtatuere naturam ipſam rationalem, quam neceſſariò & intrinſecè reſpiciunt actus morales; ita vt ſi lex diuina de eis ſiluiſſet, & diuina voluntas abſtinuiſſet omni circa eos decreto; tamen penes ordinem ad hunc terminum, futuri fuiſſent aliqui actus boni, & aliqui mali: manifeſto argumento, quòd actus morales habeant pro termino & regula ipſam naturam rationalem. Adde quòd in naturis inferioribus, menſura boni & mali ipſis conuenientis & diſconuenientis, continetur ipſiſmet naturis. V. G. frigus conuenit aquæ, & calor ei diſconuenit; quia aqua ex vi ſuæ naturæ poſtulat frigus, & à calore abhorret. Idem igitur ſtatuendum eſt de moralitate, quæ eſt conuenientia vel diſconuenientia cum natura rationali. Ita Vaſques t. 2. d. 95. n. 46. & d. 97. n. 3. & ſæpè alibi.

46. Omnia hæc placita repudio: quia quamuis & lex & voluntas diuina, & natura rationalis, poſſint aliqua tandem ratione dici eſſe termini moralitatis: tamẽ hîc nos agimus de termino immediato & intrinſeco, qui ſcilicet per modum proximæ regulæ dirigit actus humanos, & cum quo tanquam cum immediato principio formaliter directiuo actus humanus habet conformitatẽm vel difformitatem. At quæ propoſita ſunt, non habent rationem immediati termini, atque intrinſeci.

Lex diuina, non eſt terminus moralitatis, quem quærimus.

Sanè lex diuina, vt ab ea primùm ordiar, neque eſt nobis intrinſeca, (vt per ſe patet,) neque quod inde ſequitur, eſt immediata noſtrorum actuum regula, quam neceſſe omninò eſt, internam eſſe. Sicut omnia præcepta artis, quantumuis à peritiſſimis artificibus anterioribus prodita, omnéſque ideæ externæ quandiu externæ ſunt, non dirigunt operantem, niſi quatenus ex eis eruitur dictamen practicum, operanti ipſi internum. Perinde ergo res ſe habet in moribus. Adde quòd etiamſi lex diuina poſitiua nunquam nobis innotuiſſet, plurima tamen ſunt intrinſecè mala, quæ facere prauum eſſet: & alia ex ſe optima, quæ exequi, vt pat eſt, honeſtum foret, vt amare & colere Deum, parentibus mutuam vicem rependere, aliáque huiuſmodi, quæ honeſtiſſima ſemper eſſent, quamuis Deus nullam de eis per hominem exequendis legem tuliſſet. Lex verò diuina naturalis, quæ animis noſtris impreſſa & inſculpta eſt, non differt à d[...] minibus, quæ naturaliter ex intellectu noſtro per ſe loquendo progerminant in ordine ad mores. Itaque ſi quis hanc legem contenderet aſſignari poſſe pro regula morum, non diſcreparet à ſententia poſteà tradenda, nec aliquid extrinſecum ſtatueret pro termino moralitatis, quod vnum nunc repudiamus; Non proferret tamen adæquatum terminum moralitatis, vt ex dicendis perſpicuum fiet. Quia multa & benè & malè fieri poſſunt abſque interuentu legis naturalis proximè dirigentis, ſiue præſcribendo, ſiue vetando. Non poſſum autem probare quod Victoria relect. de puero, p. 2. n. 9. videtur velle: nempe quòd ſi quis Deum inuincibiliter ignoraret, is nec benè nec malè moraliter agere poſſet. Id enim puto falſum: quandoquidem qui talis eſſet, adhuc haberet regulam proximam, cui conſonare vel diſſonare poſſet, atque adeò etiam benè vel malè agere moraliter.

Sed neque diuina voluntas.

47. Multò minùs diuina voluntas poteſt ſtatui pro termino moralitatis & regula actuum noſtrorum. Nam & extrinſeca eſt, & talis vt non teneamur ei conformari ſemper & in omnibus. Eſt enim multiplex in Deo voluntas, (eo modo quo poteſt in Deum & eius actus cadere multiplicitas:) Nempe præcipiens aut prohibens. conſilium præbens, permittens, exequens. Voluntati igitur diuinæ præcipienti aut prohibenti, tenemur haud dubiè omnes conformari, eo quòd Deus pro ſuo in nos ſupremo iure, velit nos ea aſtringi ad agendũ aliquid vel prætermittendum. Vnde quoad hanc voluntatem diuinam non militat poſterior ratio propoſita, ducta ex eo quòd non teneamur diuinæ voluntati conformari. Sufficienter tâmen oſtenditur eum non eſſe regulam noſtram, ex eo quòd ſit extrinſecã nobis, & ex eo quòd immediatè dirigere operationem, non ſit munus voluntatis, ſed intellectus.

At pro aliis diuinis voluntatibus militat vtraque ratio propoſita. Quandoquidem & extrinſecæ ſunt, vt præmiſi, & tales vt non teneamur illis conformari. Quod perſpicuum eſt de voluntate ſolùm præbente, conſilium Nam qui conſilium ſuggerit, non intendit obligare. Vnde per ſe loquendo nulla culpa incurritur, deſciſcendo ab ea agendi ratione quam conſilium præmonſtrabat. Idem ſtatuendum eſt de voluntate permittente, quæ quamuis ſemper ſit in ſe iuſtiſſima & ſanctiſſima, ideóque in ſeipſa diſplicere nobis non

poſſit; tamen talis plerunque eſt, vt Deus ipſe nolit obiectum eius per nos approbari. V. G. permittit Deus mala culpæ. Non poſſumus quidem diuinam ipſam permiſſionem auerſari, cùm ſanctiſſima ſit & æquiſſima: non tamen idcircò tenemur velle peccata: imò vt ea omni conatu noſtro impediamus, diuino mandato adigimur. Similitérque tametſi Deus mala vltoria, vt Tertullianus loquitur, calamitates inquam & ærumnas permittit ad virtutis exercitium, & macularum inolitarum abſterſionem: non tamē mandat vt ea mala velimus, vel ea auertere cùm poſſumus, prætermittamus.

48. Hinc etiam perſpicuè habetur, hominem non ſemper adigi ad conſectandam conformitatem cum diuina voluntate aliquid exequente. Nam multarum huiuſmodi calamitatum, cùm nullam inuoluunt in executione malitiam interuentu creaturæ rationalis immiſcendam, cauſa exequens eſt ipſe Deus: qui tamen non vult nec mandat vt calamitates illas velimus, ſed contentus eſt, vt cum patientia & animi demiſſione iugum impoſitum ſubeamus, quod eſt diuinæ huic voluntati conformari in motiuo & ratione volendi, ſin minùs poſitiuè ſeu volendo idem ob eundem finē; at ſaltem negatiuè, hoc eſt, non improbando finē & ordinem volūtatis diuinæ: quamuis liceat nobis de auertendis incōmodis ex eo ordine & prouidentia aduenientibus, ſollicitos eſſe, eáque quatenus mala noſtra ſunt, odio habere: quod eſt diſcordare à diuina voluntate in volito (vt loquūtur) materiali, ſiue in obiecto & materia terminante diuinā voluntatē exequētem: quamuis quoad motiuum & rationē volendi non diſcordemus.

Luculenter id tradidit S. Aug. c.101 Ench. verbis illis. *Aliquando bona voluntate homo vult aliquid, quod Deus non vult etiam ipſe, bona multo ampliùs multéque certiùs voluntate. Nam illius mala voluntas eſſe nunquā poteſt Tanquam ſi bonus filius, patrem velit viuere, quem Deus bona voluntate vult mori. Et rurſus fieri poteſt, vt hoc velit homo voluntate mala, quod Deus vult bona: velut ſi malus filius, velit mori patrem, velit hoc etiā Deus. Nempe ille vult quod non vult Deus, iſte verò id vult quod vult & Deus, & tamen bona voluntati Dei, pietas illius potiùs conſonat, quamuis aliud volentis, quàm huius idem volentis impietas Tantum intereſt quid velle homini, quid Deo congruat, & ad quem finem ſuam quiſque referat voluntatem, vt aut approbetur, aut improbetur.* In hoc puncto infiniti ſunt Scholaſtici partim in 1.d.47. vel 48. partim 1.2. q.19. art. 9. Vide etiam Anton. Peres certam. 9. Scholaſt. *in fine.*

Nec denique natura rationalis.

49. Tandem natura rationalis, quæ aſſignabatur vt terminus moralitatis & regula actuū noſtrorū, non eſt terminus ille immediatus, quem quærimus; nec eſt regula formalis & proxima, ſed tantùm radicalis & remota: quia id quod proximè dirigit operationem, eſt actus quidam ſecundus, quod non competit naturæ rationali. Neque verò eidem prout præciſæ ab actu ſuo ſecundo, diſſonant immediatè actus moraliter mali, & conſonant moraliter boni: ſed tantùm prout habenti adiunctum hunc ſuum veluti ſurculum ex ea radice progerminantem. Et idcircò qui interdum tradunt naturam rationalem eſſe illam regulam, ad quam actus humani admetiendi ſunt, vt Vaſques locis ſuprà allegatis, iidem alibi diſertè fatentur, naturam rationalem non eſſe niſi regulam remotam: Nempe talem, vt per ordinem ad eam, regula proxima ſtatuatur recta & idonea ad dirigendos humanos actus. Et ita apertè tradit Vaſq. 1.2. d.58. c.2. & d.90. n.6. & 1.p.d.231.n.16.

Nec diſſentiunt quoad hoc qui videntur hac in parte cum Vaſque pugnare, Suares 2.de leg.c.5. & Salas 1.2.tr.14.d.5.ſ.1. Diſertè enim concedunt, naturam rationalem eſſe fundamentum quocunque iudicio diuino & noſtro anterius ordine rationis, ſeu eſſe menſuram, & vt aliqui loquuntur, regulam obiectiuam, ad quam exigimus & admetimur regulam proximam & formalem, de qua poſteà. Tantùm itaque negant, (& meritò,) naturam rationalem eſſe eam immediatam & proximam regulam. Id enim perſpicuè falſum eſt ex eo quòd plerunque conſcientia inuincibiliter erronea, eſt regula moralitatis, ita vt æquè teneamur operari aut ceſſare, ac ſi non erraremus: & tamen tunc natura rationalis ſe habet eodem modo, quo ſi conſcientia non eſſet erronea, ſed recta.

Firmamenta ſententiarum propoſitarum euertuntur.

50 Quæ pro placitis hactenus reiectis adducebantur, facilè exponuntur. Et in primis quæ proferebantur ad probandum, quòd lex diuina ſit terminus moralitatis, & regula actuum noſtrorum, non probant intentum. Diuina enim lex tametſi eſt extrinſeca norma operationum noſtrarum, non eſt tamen intrinſeca & proxima, de qua ſola nunc agimus. Neque etiam eſt adæquata & vniuerſalis regula omnium operationum noſtrarum. cùm de pleriſque nihil à Deo pronunciatum ſit, non modò per legem poſitiuam, quæ eſt partus Dei tanquam legiſlatoris, ſed ne per eam quidem legem ſuam, quam nobis cum natura inſeuit, éſtque participatio quædam & effigies legis æternæ, vt benè tradit S. Auguſtinus l.1. de lib. arbit. c.6. Itaque lex diuina non poteſt ſimpliciter ſtatui pro regula & termino moralitatis; quod latè verſat Gregorius in 2. d 34. q. vnica, art.2. tractans definitionem peccati à D Auguſtino traditam, cuius facta eſt mentio in ratione dubitandi. Sic enim vult eam definitionem accipi, vt perinde ſit, actum idcircò eſſe vitioſum quia legi diuinæ diſſonat; atque eſſe vitioſum quia diſſonat legi rectæ rationis. Non quòd formaliter loquendo, vnum ſit alterum; ſed quòd concomitanter quicquid diſſonat legi rectæ rationis, diſſonet quoque legi alicui diuinæ. Nam cùm lex diuina ſit partus rationis rectiſſimæ, quam Sanctus Nilus lib. de orat. c.49. vocat *rationem ſubſtantialem*, & omne rectum conſonet alteri recto & diſſonet obliquo, conſequens eſt vt quod diſſonat vel conſonat legi rationis noſtræ creatæ, & eatenus conſtituitur morale, conſonet quoque vel diſſonet legi diuinæ, quamuis non conſtituatur morale per reſpectum ad eam præciſè atque formaliter.

Iam quæ proferebantur pro ſecundo placito, ſiue ad probandum quòd diuina voluntas ſit terminus moralitatis, manent exciſa ex dictis circa argumenta primum placitum aſtruentia, præter illud ex Diuo Anſelmo adductum, quod reuera tantùm pertinet ad indicandam firmitatem diuinæ ſanctitatis, quæ nihil poteſt velle non ſanctum, & nihil reprobare niſi malum. Vide quæ ad expoſitionem eius loci Anſelmi accumulat Suares diſp. de iuſtitia Dei, ſ.6. n.4. Audi etiam ipſius D. Anſelmi ſeipſum exponentis interpretationem, lib. 1. cur Deus homo cap.12. *Quod dicitur. quia quod vult Deus iuſtum eſt, & quod non vult iuſtum non eſt; non ita intelligendum eſt. vt ſi Deus velit quodlibet inconueniens, iuſtum ſit, quia ipſe vult. Non enim ſequitur, ſi Deus vult mentiri iuſtum eſſe mentiri. ſed potiùs Deum illum non eſſe. Nam nequaquam poteſt velle mentiri voluntas. niſi in qua corrupta eſt veritas; imo qua deſerendo veritatem, corrupta eſt. Cum ergo dicitur, ſi Deus vult mentiri non aliud eſt, quàm ſi Deus eſt talis natura qua velit mentiri. Et idcirco non ſequitur iuſtum eſſe menda-*

gium

cium niſi ita intelligatur. Sicut cum de duobus impoſſibilibus dicimus; ſi hoc eſt, illud eſt. Quia nec hoc, nec illud eſt. Vt ſi quis dicat, ſi aqua eſt ſicca, & ignis eſt humidus. Neutrum enim verum eſt. Itaque de illis tantùm eſt verum dicere; ſi Deus hoc vult, iuſtum eſt, quia Deum velle non eſt inconueniens. Si enim vult Deus, vt pluas, iuſtum eſt vt pluat: Et ſi vult vt aliquis homo occidatur, iuſtum eſt vt occidatur.

Tandem quæ primùm proferebantur ad probandum quòd natura rationalis ſit terminus moralitatis, non aliud probant quam quod admiſimus: nempe quòd natura ſit terminus moralitatis remotus & mediatus. Nos autem de proximo & immediato termino diſputamus. Neganda verò eſt paritas, quæ poſteà adducebatur inter naturam rationalem & naturas inferiores. Nam natura rationalis, ex ſe & præciſo quouis eius actu, non intelligitur completè actiua in genere principij rationalis: ideóque ante huiuſmodi aliquem actum poſteà explicandum, nihil ei completè diſſonat vel conſonat. Naturæ verò inferiores, vt aqua in qua exemplum ſtatuebatur, aliter ſe habent: Ideóque mirum non eſt, quòd illis ex ſe & præciſè ſpectatis, forma aliqua conſonet vel diſſonet. Quia tamen ratio, quæ eſt regula immediata, reuoluitur tandem in naturam tanquam in radicem, idcircò ſæpè duæ hæ regulæ, (natura inquam & ratio,) confunduntur: iuxta illud Antonini, l. 7 n. 10. *Ratione prædito animali, eadem actio, & ſecundùm naturam eſt, & ſecundùm rectam rationem.*

Verus moralitatis terminus proximus, iudicium prudentiale.

51. Secundò expoſui verum terminum moralitatis. ſiue legitimam regulam, qua proximè & immediatè diriguntur actus humani, fiúntque morales; ita vt qui ei conſonant, ſint moraliter honeſti, qui verò moraliter diſſonant, ſint vitioſi ac turpes. S. Thomas 1.2.q.71.art.6 vocat *regulam homogeneam*. Hanc regulam dico eſſe iudicium practicum prudentiale, quo homo in operationibus ſuis moralibus dirigitur. Quamuis enim alia quoque habeamus iudicia practica moralia, vt ſunt quæ ſpectant ad ſynteresim; tamen illa tenent ſe tantùm ex parte motiui in ſyllogiſmo prudentiali: id eſt conſtituunt præmiſſas, ex quibus pendet concluſio prudentialis, quæ ſola eſt immediata regula operandi.

Tradit hanc ſententiam D. Thomas 1.2.q.12.art.1. & q.71.art.6. Durand. in 2 d. 23 q.1.n.11. & d. 38.q.1. n. 7. quo poſteriore loco attingit optimam rationem ad præcludendum effugium, quo aliqui ita admittunt actus humanos pendere quoad moralitatem à ratione recta, vt tamen dicant, huiuſmodi legem particularem non eſſe niſi conditionem ad illum terminum moralitatis attingendum, quem ipſi ſtatuunt, nempe ad naturam rationalem. Hoc inquam optimè præcludit Durandus, dicens hominem primò eſſe moralem per rationem practicam, quæ indicat de eligibilibus: ita vt ante iudicium illud, homo non ſit formaliter rationalis & moralis, ſeu habens determinatum obiectum, quod proſequi conſentaneum ſit tali naturæ, vt tendenti ad ſuum vltimum finem, vel quod debeat auerſari in ordine ad aſſecutionem eiuſdem finis. Nam ante illum actum rationis practicæ, natura humana pertinet tantùm ad ordinem phyſicum naturarum, nec conſtituitur in ordine naturarum reſpicientium finem vltimum vt proprio conatu aſſequendum: quia id quod eſt primum in ea aſſecutione, & progreſſu ad eam, eſt recta ratio, quæ proinde meritò dicitur complementum naturæ ex cuius parte ſe tenet, & conſtitutio eiuſdem quatenus eſt rationalis & idonea fundere fructus bonos vel malos, quibus ad finem vltimum proprio labore accedat, vel ſponte ab illo recedat. Hæc eſt prima ratio, qua à priori confirmatur ſententia propoſita.

52. Optimè verò præterea ſtabiliri poteſt à poſteriori, ex eo quòd ſine huiuſmodi iudicio nullus dari poteſt actus moralis. Nam ſi terminus immediatus conſonantiæ & diſſonantiæ actuum noſtrorum moralium, non eſſet iudicium rationis rectæ ſubſumptum ad dictamina ſyntereſeos, oporteret vt actus noſtri, qui interueniente eo iudicio boni vel mali ſunt, æque boni eſſent vel mali eo iudicio ſecluſo, quod conſtat falſum eſſe. Nam ſi actus aliquis etiam ex eorum numero qui ſunt intrinſecè mali, eliceretur ab homine ſine iudicio Prudentiæ interdicente illius actus exercitio nulla in eo actu eſſet malitia. Item ſi actus ex genere ſuo honeſtiſſimus, eliceretur abſque dictamine Prudentiæ, nulla ratione bonus eſſet formaliter & moraliter. Et hæc eſt cauſa, cur paruuli & mente capti multos actus ſine culpa eliciant, qui à ſcientibus, & ea quam dixi lege directis, non prodirent ſine graui crimine: Viciſſimque eædem perſonæ, eandem ob cauſam plurimos actus ex genere ſuo optimos exercent, nullo virtutis fructu, & abſque moralitate. Nimirum quia actus humanus vt ſit moralis, proximè reſpicit particularem & priuatam legem, quæ homini operationem vetat aut mandat, nec niſi eius interuentu reſpicit vlteriores terminos, quibus præterea conſonare vel diſſonare poteſt; nempe legem diuinam & naturam rationalem.

Spectant ad hoc punctum quamplurima quibus alibi oſtendo actum Prudentiæ non eſſe meram conditionem ad honeſtatem formalem, ſed eſſe veram eius cauſam in ſuo genere. Quod idem eſt ac aſſerere, actum illum eſſe verum terminum proximum potioris illius moralitatis, ac etiam alterius oppoſitæ. Nam quamuis dictamen Prudentiæ non ſe habeat ad actus moraliter malos per modum cauſæ exemplaris, ſed tantùm ad bonos, quia de malis tantùm pronunciat non eſſe ita agendum, (quod ad ideam non ſufficit, alioqui arca mala eſſet ab idea & ab arte:) tamen ad vtroſque habet rationem termini moralitatis, quatenus etiam reſpectu malorum iniicit obligationem, & cauſat debitum morale non agendi, éſtque proxima radix illius debiti; ita vt vlteriores radices non niſi per iſtam ſe prodant, & vim ſuam obligatiuam exerant.

Iudicium prædictum, idem cum conſcientia.

53. Poſſumus denique hanc ſententiam publica veluti voce naturæ confirmare. Nihil enim æquè vſu receptum eſt apud doctos & indoctos, quàm vt cenſeantur deliquiſſe qui aliquid contra conſcientiam fecerũt. Et è cõtrà habeantur innoxij qui ſecundùm conſcientiam & vt paſſim dicimus, bona fide, (Nam in ſacris Literis, ac etiam apud Ethnicos, vtraque appellatio cadit in regulam de qua agimus,) aliquid in ſe malũ operati ſunt. Vnde liquidò conſtat, conſcientiam ex communi omnium ſenſu eſſe terminum moralitatis, & id penes quod proximè & immediatè tanquam circa regulam agendi vel omittendi, ſtatuitur de humanorum actuum bonitate & malitia. Atqui conſcientia, vt vel ipſum nomen docet, eſt iudicium intellectus. Id quod etiam manifeſtum eſt ex variis conſcientiæ membris. Alia enim eſt cõſcientia *certa*, alia *probabilis*, alia *dubia*, alia *errans* quibus addunt etiã *ſcrupuloſam*, tametſi hæc non eſt conſcientia eo modo accepta, quo nunc de cõſcientia agimus: nec enim dirigit operationem. Nihilominùs & hæc conſcientia & reliquæ enumeratæ ad intellectũ perſpicuè pertinent. Nã certitudo propriè eſt in ſolo actu intellectus, & multò apertius probabilitas ac

dubitatio & error. Igitur terminus moralitatis, quem oſtendimus eſſe conſcientiam, eſt iudicium intellectus practici dictantis quid hîc & nunc agendum aut vitandum ſit, ſiue iudicium prudentiale conforme principiis ſyntereſeos. Quod luculenter explicat Diadochus c. 18. de perfect. & ibi Turrian. ex Dorotheo doctrina de conſcientia, vbi conſcientiam ait eſſe dictamen, & comparat eam luci ac radiis. Ita etiam D. Thomas 1. p. q. 79. art. 13. & ſæpè alibi, & Anton. Peres certam. 10. Scholaſt. c. 6.

Conſcientiam ad voluntatem quoque pertinere, falſa opinio Durandi.

54. Malè autem Durandus in 2. d. 39. q. 4. n. 13. & ſequentibus, contendit conſcientiam in eo quo dixi ſenſu vſurpatam, eſſe aliquid habituale, & pertinens partim ad intellectum, partim ad voluntatem. quod probat ex vocis notatione. Conſcientia enim apertè ſonat ſcientiam cum aliquo, vel aliquid cum ſcientia. Illud autem cum quo eſt ſcientia, vel illud aliquod quod eſt cum ſcientia, non videtur eſſe niſi quod pertinet ad voluntatem. Non enim poteſt eſſe actus ſcientiæ: alioqui conſcientia non eſſet in dormiente. Eſt igitur conſcientia iuxta Durandum, idem quod ſcientia habitualis particularium agendorum, & inclinabilitas voluntatis ei correſpondens. Sicut vis naturalis intellectus circa prima principia practica, iunctâ voluntatis inclinabilitate, dicitur ſyntereſis. Idem colligit Durandus ex muneribus conſcientiæ; quorum alterum eſt, teſtificari; alterum, remordere. Primum pertinet ad intellectum. Secundum verò ad voluntatem: quia remordere, eſt triſtari de aliquo, ita vt ſupra cognitionem facinoris, adſit voluntatis quaſi compunctio, quæ ad voluntatem pertinet, vt dictum eſt cùm de triſtitia.

Trahit quoque Philoſophum in hanc ſententiam quæſt. ſequenti, n. 6. eo quòd iuxta Philoſophum 7. Eth. poſita conſideratione actuali operabilium, nequeat voluntas ferri in oppoſitum. Cùm ergo voluntas non poſſit ferri niſi in illud quod practicè iudicatum eſt, colligit Durandus, conſcientiam non poſſe ſtatui actum intellectus, alioqui nemo poſſet agere contra conſcientiam, cùm nemo poſſit agere contra iudicium practicum, quod habet, nec poſſint ſimul plura & contraria iudicia ferri ab intellectu. Qui enim rem iudicauit bonam, non poterit ſimul iudicare malam, quod tamen neceſſarium eſſet, vt poſſet in illam ferri contra conſcientiam.

55. Hæc à Durando adducta ad conſcientiam intellectui ſimul ac voluntati arrogandam, nec quomodolibet, ſed per modum actus primi, nego eſſe efficacia. Et primum quidem argumentum nititur friuola vocis notatione. Qui enim conſcius dicitur, & nihil ſibi conſcire, non dicitur habere cum aliquo ſcientiam vel aliquid cum ſcientia, ſed præcisè ſignificatur ſcire. Idem ergo cernitur in re præſenti. Quanquam dici etiam poſſet conſcientia noſtra eſſe ſcientia practica prudentialis cum primis principiis pertinentibus ad ſyntereſim. Quod addebatur, exulaturam à dormientibus conſcientiam, veriſſimum eſt: nec eius ſanè directione aut luce egent qui dormiunt. Idque confirmare etiam poſſumus ex ea teſtificatione & remorſu quæ Durandus conſcientiæ tribuit; abſunt ſiquidem a dormientibus. Quanquam vterque hic actus, tametſi conſcientiam ſequitur, vel potiùs operationem contra conſcientiæ iudicium elicitam, non eſt tamen ea conſcientia, de qua hîc agimus, quæ ſcilicet dirigit operationem, & cui conſonant vel diſſonant operationes humanæ: ſed eſt tantùm conſcientia in alio ſenſu & vſu vocis illius non infrequenti.

In eo ſenſu qui peccauit, aut boni aliquid operatus eſt, dicitur conſcientiam habere facti ſui: id eſt, conſcius ſibi eſſe quòd ita ſe geſſerit, quod eſt memoriam homini ipſi teſtificari anterius factum. Dicitur etiam habere conſcientiæ remorſum, & eiuſdem fodicantis & lancinantis ſtimulos ſentire: quia depulſis nebulis, per voluptatis æſtum ſubuectis, quibus peccati turpitudo obducebatur, tenebreſcebatque intellectus, ne eam liquidò contueretur, ſequitur ſerenitas iudicij, per quam turpitudo operis patrati apertè proditur: vnde ingeneratur eius odium, quod excipitur angore & triſtitia; præſertim ob imminentem pœnam, quæ antecedentem ſceleſtum claudo licèt pede ſubſequitur. Origenes l. 2. in epiſt. ad Roman. ait hunc eſſe naturalem correctorem & pædagogum animæ. Tertull. de coron. milit. c. 6. vocat naturales tabulas, in quibus qui deliquit legit opus ſuum, indéque ſuffunditur. Inſigniter Victor Cartennenſis lib. de pœnitentia: *Conſcientia apud quam non moritur omne quod gerimus nos in factis noſtris accuſat & iudicat, cúmque non habeat loquendi vſum, neſcit tamen tenere ſilentium. Poteſt conſcius morti ſubduci; non poteſt teſtis conſcientia. Nihil tectum ei eſt & ſine te non eſt. Hæret pectori, nec vnquam te deſerit, & velut quædam pediſſequa, nullo abs te temporis interuallo diſcedit. Tenet reum, & in ſua ſemper ditione captiuum.* Diximus de ea conſcientiæ acceptione, cùm de viui amuletis in vniuerſum.

Denique Philoſophus Durando non fauet. Tum quia falsò allegatur: nec enim dicit voluntatem non poſſe reluctari iudicio, ſi attendamus præcisè iudicium: nec componamus actum voluntatis ſeipſam ex ſuppoſitione neceſſitantis. Tum quia non ſequitur quod ex malè allegata Philoſophi ſententia inferebatur. Nam quamuis nemo poſſit ferri in obiectum abſque iudicio practico prælucente, tamen iudicium illud non eſt vnicum, vt Durandus imaginatur: ſed eo ipſo quòd eſt iudicium indifferens, exhibet obiectum & vt ſenſibiliter bonum, & eatenus proſequendum; & vt rationi diſſonum, & eatenus auerſandum. Vnde ſi homo abſtractus & illectus, ſequatur iudicium quo res exhibetur ſenſibiliter grata, dicetur agere contra conſcientiam, quæ eius proſecutione interdicebat ob diſſonantiam cum ratione. Atque ita ex noſtra ſententia non ſequitur, hominem, qui contra conſcientiam operatur, operari abſque iudicio rationis, vel contra omne iudicium vltimum; nempe illud cui deligit adhærere.

Affine Aureoli placitum de conſcientia improbatur.

56. Ad Durandi placitum aliquatenus acceſſit Aureolus in 2. d. 24. q. vnica, propoſ. 4. docens & conſcientiam & ſyntereſim eſſe actum intellectus; coniunctum tamen actui voluntatis. Ita vt quemadmodum iuxta Aureolum Prudentia eſt ſubiectiuè in intellectu, concomitatiuè autem in voluntate, ne contingat aliquem eſſe prudentem rectè ſentiendo, & tamen malè eligere; ſic conſcientia & ſyntereſis formaliter ſint in intellectu, concomitatiuè verò, vt ipſe loquitur, inſint voluntati, quatenus iudicium illud rectum, iuxta Aureolum, coëxigit motum voluntatis recto illi iudicio conformem. Ait ergo Aureolus, ſyntereſim eſſe formam intellectui ſubiectiuè inexiſtentem, qua rectè iudicamus de principiis agibilium, excitantem neceſſariò voluntatis rectum motum. Conſcientiam autem ait eſſe concluſionem illatam ex ſynteresi exiſtente in intellectu, coaſſumpta cum alia propoſitione à memoria præteritorum. V. G. ſyntereſis docet *malum eſſe furari.* Tunc memoria ſuggerit minorem propoſitionem, *tu furatus es.* Et ſtatim conſcientia infert,

Ergo

Ergo in eo ſti malum. Ad hæc autem vt ea concluſiò in intellectu ſit recta, requiritur neceſſariò aliquid conforme cum voluntate. Nam practicum illud ſic illatum eſt remordens, quale profectò non eſſet, niſi adeſſet concordia aliqua voluntatis, & maiorem & minorem & concluſionem approbantis. Ergo & ſynteresis & conſcientia actualis, iuxta Aureolum, vtriuſque ſuperioris potentiæ decora ſunt.

Dedi prope verbatim Aureoli ſententiam, quam in multis ſuffigere non eſt operoſum. In primis enim malè & ſynteresim & conſcientiam communem facit vtrique potentiæ rationali, cùm ſint actus ſolius intellectus. Id quod ſatis patet ex proportione ad Prudentiam, quæ eadem planè eſt cum conſcientia, quamuis ab Aureolo ponatur vt ſeiuncta. Sicut ergo actus Prudentiæ eſt ſolius intellectus, vt alibi probatum eſt, poteſtque aliquis rectè iudicans, atque adeò prudens, malè eligere, quia non vult ductum Prudentiæ ſequi: ita & actus conſcientiæ, ac proinde etiam ſyntereſeos, qui ſe habet ad conſcientiam vt propoſitio vniuerſalis ad ſingularem, reponendos eſt in intellectu ſolo. Perperam prætereà Aureolus, conſcientiam conſtituit in iudicio illo quo V. G. recordamur nos à recto deflexiſſe. Id enim iudicium non eſt practicum, qualem tamen certum eſt eſſe conſcientiam, quæ eſt agibilium regula; ſed eſt ſpeculatiuum, ac pertinens ad aliam conſcientiæ acceptionem, ſecundùm quam aliquando dicimus conſcientiam aliquem pungere aut cruciare. Denique malè ad illud iudicium ſpeculatiuum rectitudine donandum, exigebat Aureolus rectitudinem motus voluntatis. Neque enim iudicium illud, cùm non ſit practicum, eſt capax rectitudinis illius, cuius capax eſt actus Prudentiæ. Et vt daremus capax eſſe rectitudinis alicuius, non poſſet tamen eam à voluntatis actu, qui poſterior eſt, emendicare: ſed potiùs ipſum eſt, quod rectitudine donat illum voluntatis motum.

Iudicium conſcientiæ quod moralitatem terminat, non eſt arbitrarium.

57. Fixum itaque eſto, terminum moralitatis & actuum noſtrorum regulam, eſſe iudicium prudentiale dictans operationem, eáve interdicens. Quod tamen iudicium eo ipſo quòd prudentiale eſt, non eſt arbitrarium, ſed debet eſſe conforme principiis ſyntereſeos & naturæ rationali, ex qua hæc principia progerminant; ita vt ſecundùm notitiam qua homo actu dirigitur, nihil appareat in actione, quod cum natura rationali non cohæreat. Dico *ſecundum notitiam qua homo actu dirigitur*, quia certum eſt plerunque operationem ex natura rei eſſe diſſentaneam naturæ rationali: Et tamen quia non affulget tunc homini lux vberior, exiſtimátque per errorem inuincibilem, ſibi ita eſſe agendum, (quæ dicitur conſcientia erronea vel conſcientia errans;) non delinquit, ei conſcientiæ ſe conformando. Et vice verſa idem accideret circa bonum, ſi quod reipſa bonum eſt, imò ſub obligationem cadit, proponeretur homini tanquam noxium & vitandum, & inuincibiliter iudicaret omninò ſibi cauendum eſſe à tali opere. Quod voluerunt, qui dixerunt conſcientiam errantem ligare, nec fas eſſe contra eam agere. Quam eſſe omnium Catholicorum certam ſententiam, dixit Nider parte 2. conſolat. c. 5.

Optimè verò ibid. c. 6. dub. 2. poſt S. Thomam in c. 14 ad Rom. lect. 2. exponit quomodò in eo euentu, qui ex ea particulari lege & iudicio errante operatur, nihil admittat aduersùs legem naturalem atque diuinam: eo quòd tunc hæ ſuperiores leges non promulgentur; ac proinde non habent rationem legis reſpectu hominis operantis, vnde nec violari ab eo poſſunt. Imò verò poſſent violari, ſi homo iudicium quo dirigitur, abiiceret. Nam lex naturæ mandat, vt nihil admittamus, quod malum eſſe iudicemus. Atque ita ſi in aliquo euentu, homo per errorem iudicet agendum ſibi eſſe quod reuera non foret agendum, ſi error ſolueretur, tenebitur errori illi adhærere, quouſque ſoluta ignorantia & depoſito errore, ferri poſſit in oppoſitum. Sed hæc, vt per ſe patet, ſunt per accidens. Quæ autem aſſeruimus, ſpectant ad illud quod per ſe loquendo verum eſt.

Contrarius Epicuri ac Gnoſticorum ſtupor.

58. Hinc perſpicuè patet, nihil noſtræ huic ſententiæ de regula humanorum actuum & moralitatis termino, commune eſſe cum ſtupore Epicuri apud Senecam epiſt. 97. docentis nihil eſſe ſuapte natura honeſtum aut fœdum. *Eſt quidem ſermo apud Græcorum Philoſophos*, ait Clemens Rom. l. 10. recogn. ferè initio, *vehemens valdè, qui dicit, in vita hominum, reipſa neque bonum eſſe aliquid neque malum; ſed quæ videntur hominibus, vſu & conſuetudine præſentis vitæ, hæc aut mala dicunt aut bona.* Declarat hoc in homicidio, adulterio furto, quæ omnis Græcis illis vi a indifferentia, & pro cuiuſque ſenſu, bona vel mala exiſtimata monſtrat. Nihil inquam noſtræ ſententiæ commune eſt, cum eo ſiue Epicuri, ſiue aliorum præterea Græcorum ſententiæ monſtro. Aut cum rabie Carpocratis apud Tertullianum lib. de anima, c. 35. affirmantis, *non natura quid malum haberi, ſed opinione:* ideóque iudicandum homini eſſe, quidlibet quantumlibet ſpurcum ac tetrum, eſſe honeſtum, & homini conueniens; eáque opinione ſuſcepta intrepidè eſſe agendum. Idque etiam trux illa beſtia, aut potiùs Dæmon corporatus, cuius non aliud fuit conſilium, quàm vitiorum diluuio orbem mergere, in mandatis eſſe vnicuique à Chriſto datum affirmabat ea parabola, qua docuit non exituram è carcere animam reliquatricem delictorum, donec exoluat nouiſſimum quadrantem, id eſt, vt nequam ille, referente ſuprà Tertulliano peruertebat, (non enim interpretabatur,) *niſi vniuerſa quæ arguunt eam, expunxerit: ita vt niſi in primo huius vitæ commeatu omnibus illicitis ſatisfaciat, & facinora tanquam vitæ tributa plenè in impietatis vniuerſæ fiſcum contulerit, detrudatur identidem in corporis carcerem per recorporationem.* Quæ rabidæ mentis impotentiæ monſtroſitas, non eſt quòd oratione refellatur, cùm per ſe appareat quàm tetra & horrenda ſit.

Patres & Philoſophi his refragati.

Quòd tamen hi ſub Chriſtiana perſona ſcelerum omnium artifices, multam inuidiam Chriſtiano nomini quod falsò obtendebant, conciliarent, adacti ſunt illorum temporum Patres, quàm à vero, & præſertim à Chriſtiana ſanctimonia abhorreat ea impietas, manifeſtum facere. Idque vnum volunt, cùm docent falsò affingi Chriſtianis, quæ illorum Satanæ organorum vox erat, *nihil eſſe boni maliue, niſi opinione hominum.* Quam impietatem, *omnium grauiſſimam*, nominat Iuſtinus in Apologia ad Antoninum, *ante medium.* Et in Apolog. ad Senatum, refellens indifferentiam Creſcentis Cynici Philoſophi, hoſtis Chriſtianorum, negat eam omnium operum indifferentiam ſtabiliri poſſe ex diuerſis hominum legibus, & ex eo quòd aliis honeſta videantur, quæ apud alios turpia cenſentur: qualia quamplurima accumulat Sextus Empyr. 3. Pyrrhon. hypot. c. 24. & 25. Atque

Inſtinus, cùm accedit recta ratio & conſulitur lumen naturæ, non omnes opiniones nec omnia placita homini probari, ſed fieri diſcrimen inter bona & mala. Toto igitur cœlo abeſt à noſtra ſententia, quod Carpocrates & Creſcens, & ſi qui alij huiuſmodi errones affirmabant. Non enim iudicium de moralitate, ſitum eſt in mero hominum arbitrio, quaſi poſſint homines mutando iudicium & ſecùs ſentiendo, pro libito facere, vt quæ nunc ſunt mala, fiant benè, aut ſaltem non malè, & vice verſa: ſed eſt aliquod à parte rei fundamentum indicandi mala, ea quæ conformiter ad naturam rationalem cenſentur mala, & vice verſa: etiamſi quod proximè regulat actus noſtros, éſtque moralitatis terminus, ſit iudicium noſtrum prudentiale.

59. Voluit hoc Epictetus apud Arrianum l. 1. c. 11. ſeriò & grauiter inculcans diſpiciendum eſſe, verene quod decere iudicamus, hominem deceat; quòd facilè poſſit accidere, vt non quod alicui decere hominem & honeſtum eſſe videtur, ſit reuera honeſtum. Nam & furioſi ac mente capti, illud ſatius arbitrantur & melius exiſtimant quod faciunt. *Ergo*, inquit, *accede ad ſublimius iudicium, quàm id ſit, quo tibi videri aliquid dici. Quódnam illud eſt? Principium ſcilicet Philoſophiæ, quod ipſum eſt notitia diſcordiæ, qua inter ſe pugnare ſolent homines; & perueſtigatio vnde diſſenſio, & bella huiuſmodi oboriantur. Præterea reiectio & cautio eius quod obiter contemplantis ita videri ſolet: necnon accurata inquiſitio, num rectè aliquid videant. quin etiam inuentio regula cuiuſdam. Quemadmodum penſitandis ponderibus ſtatera eſt inuenta, & vt perpendiculum atque amuſſis tortuoſis & rectis internoſcendis.*

Vt autem conſtet, Epictetum non ſtatuere pro regula humanorum actuum & moralitatis termino, aliud quàm quod dicimus, ſubdit in calce capitis poſt multa, de lance mentis & trutina interna bonorum & malorum; hoc eſt, diſquiſitione attenta & perueſtigatione rerum agendarum. *Sic iudicantur res & appenduntur conſtitutis regulis, atque idipſum eſt Philoſophum agere, contemplari ſcilicet & confirmare regulas. Cæterùm vti etiam his definitis, & agere quæ cognoris, id omnibus numeris perfecti eſt & abſoluti hominis.* En virtutis functionem & præcipuam moralitatem definit executione eorum quæ cognoſcimus. Id eſt, quæ præuio diligenti examine, & collatione cum principiis ſynthereſeos, iudicamus prudenter eſſe exequenda. Quam ipſam actuum humanorum regulam & moralitatis terminum nos quoque aſſignauimus.

Simplicius autem in cap 5. Enchir. Epicteti, tradens regulas ad diiudicanda viſa, ſiue noſtra de rebus iudicia; & dignoſcendi rectúmne & honeſtum præſcribant, an inhoneſtum; partim ex natura obiecti, de quo eſt iudicium; partim ex Dei aut ſapientum ſenſu, cui iudicium conſonat aut diſſonat; non eſt cenſendus repugnare propoſito à nobis moralitatis termino; ſed tantùm aperire radicem eius vltimam, ac ſigna quædam præcipua.

Influxus iudicij prædicti in moralitatem, obiter expeditus.

60. An verò hæc regula actuum humanorum influat in eos phyſicè; de quo inter Ochamum affirmantem, & Scotum negantem, rixa eſt apud Almainum tractat. 3. Mor. c. 4. *in fine*, alterius eſt inſtituti. Quanquam mihi quidem Scoti placitum, cui ſubſcripſit Almainus, omninò verum videtur. Non enim aliter ſe habet iudicium intellectus ad actum voluntatis, quàm actio phantaſiæ ad appetitionem ſenſitiuam; proportio videtur ex ſe patere. Atqui appetitionem, quæ in corde cuditur, non coëffici à phantaſiatione cuius ſedes eſt cerebrum, perſpicuè con[illegible] ex locali vtriuſque actus intercapedine, actiuit[illegible] vnius in alterum intercludente. Quare actus humanus non niſi per ſympathiam efficitur à regula per quam dirigitur.

ARTICVLVS IV.

De generica, ſpecifica, atque numerica moralitatis conſtitutione, & diſtinctione, per ordinem ad regulam proximè expoſitam.

SIc explicata moralitatis conſtitutione & quidditate, quoad ea quæ in recto & in obliquo ad illam pertinent; commodè eruemus quotuplex ſit, formalis, ſiue ſimpliciter dicta moralitas. Id enim ex actuum reſpectu ad regulam proximè expoſitam, diiudicandum eſt. Non poteſt autem niſi de triplici multiplicitate quæri, nempe primò de generica, ſecundò de ſpecifica, tertiò de numerica, ſiue indiuiduali. Et quia eadem ſunt principia rei conſtitutiua & diſtinctiua, eo ipſo explicatum dabimus, per quid moralitas omnibus illis modis vna ſtatuatur.

ASSERTIO.

PRo duplici generico actuum humanorum ad regulam ſuam reſpectu, duplex moralitatis genus ſtatuitur: bonitas nimirum ſiue honeſtas, & malitia ſiue turpitudo. Vtriuſque in varias ſpecies ſubſectio, ex varia ſpeciali actuum ad prædictam regulam comparatione deſumitur. Vnde etiam numerica moralitatis multiplicatio haurienda eſt, cùm phyſica ſimul & moralis in variis numero actibus; tum duntaxat moralis, per ſolam moralitatis congeminationem in eadem actus ſubſtantia.

PRimò ex dictis de regula humanorum actuum & quidditate moralitatis, eruo quotuplex ſit genus moralitatis. Et dico duas eſſe ſpecies ſubalternas ſub genere moris eſſentialiter conſtitutas, honeſtatem ſcilicet & turpitudinem; quicquid ſit an actui ſpectato in genere naturæ, ſint accidentariæ, an ſubſtantiales, de quo poſteà.

Moralitas genere duplex honeſtas & turpitudo.

61. Ens ergo morale actuale, de quo nunc agimus, eſt genus quoddam alterius rationis, quam genus naturæ. Deſumitur autem ex reſpectu ad regulam humanorum actuum, vt hactenus tractatum eſt. Pro multiplicitate ergo reſpectus illius, multiplex quoque aſſignatur moralitas. Vel enim actio eſt conformis ſuæ regulæ, vel non eſt conformis, ſed difformis. Si primum habetur bonitas formalis, quæ eſt potior & nobilior moralitas. Si ſecundum, habetur malitia ſiue turpitudo; quam eſſe

adæquatam diuiſionem, & exhaurire diuiſum, conſtat ex contrapoſitione membrorum. Et bonitas quidem non eſt ſpectanda in ordine ad actum ipſum: (ea enim eſt bonitas tranſcendens ipſiuſmet actus moralis, quæ longè alia eſt à bonitate morali, quam nunc conſideramus, vt rectè vidit Scotus in 2. d. 7. q. vnica, *litera D. in fine.*) Spectanda ergo eſt in ordine ad agens, quod huiuſmodi forma denominatur bonum, & idcircò dicitur bonitas formalis. Malitia item, penes operantem cui aduenire & incommodare intelligitur, partim poſitiua eſt, partim priuatiua, iuxta eundem Scotum quodl. 18. *litera I.* Vtraque præterea moralitas penes varias ad regulam comparationes multipliciter ſubdiuiditur. Vnde exiſtunt variæ ſpecies actuum virtutis & vitij, de quibus poſteà.

Nunc vnum ad ſupradicta addendum reſtat; nempe naturam intellectualem in duplici ſtatu conſiderari poſſe. Nam & in ſtatu naturæ ſolius, & eorum quæ illi vt ſic conſentanea ſunt, ſpectari poteſt; & præterea in ſtatu ſubuectionis ad gratiam, per quam abſconditus cordis homo formatur in nobis, & in altiorem & aliquatenus diuinam ſortem tranſcribimur. Gratia enim eſt quædam diuinitas, vt optimè philoſophatur S. Maximus centur. 2. ex variis, c. 76. & cent. 4. c. 9. In vtroque ſtatu neceſſaria eſt huiuſmodi regula, & quidem diuerſa. Neque enim idem finis homini præfixus eſt in vtroque ſtatu. Atque adeò per diuerſas actiones ex diuerſis principiis profuſas; incedendum illi eſt alteruttius aſſecutionem. Hinc igitur perſpicuè habetur duplicem moralitatem in humanis actionibus poſſe diſtingui. Naturalem nimirum, quæ per regulam naturalem principietur; & ſupernaturalem, cui altior regula deſeruiat, & æquè bifida ſit. Nam & actus tali regulæ conſonos, ac ſupra naturæ capacitatem honeſtos, & eidem regulæ diſſonantes complectitur.

6. Non ſolet tamen ſupernaturale hoc decus actionum quarundam humanarum, donari paſſim nomine moralitatis. Siue quia ex antiquo vſu à Philoſophis petito, vox *moralitatis* reſtricta eſt ad genus moris philoſophicè acceptum, quod naturam non tranſcendit: ſiue quia habetur in eius vocis vſurpatione ratio etymologiæ, quam ſuprà ex Durando notabam fieri à more vel aſſuefactione ingenerante habilitatem. Quæ habitus per actum ingeneratio, non habet locum in hoc poſteriori actuum ordine. Neque enim cùm quis actum fidei vel ſpei iterat, dicendus eſt perficere habitum ſuum anteriorem accremento aliquo per actum repetitum adiecto, vt fit per actus naturales, de quo pleniùs diſſerere non eſt huius loci. Ob eas itaque cauſas nomen moralitatis ex communi vſu reſtringitur ad philoſophicam actuum conditionem: quamuis in rigore porrigi etiam poſſet ad ſupernaturalem & Chriſtianam. Nos hoc loco intra fines philoſophicos concluſi, ad ſupernaturalem non aſpirabimus, ſed in genuina naturali moralitate propoſita ſiſtemus.

Cuiuſmodi verò ſit ea moralium actuum diuiſio in bonos & malos, hoc eſt, ſitne totius vniuerſalis in partes ſuas ſubiectiuas ac ſpecies, an verò ſubiecti in accidentia, difficultas eſt non exigua. Cui tamen ex iis, quæ præmiſſa ſunt, ſatisfieri facilè poteſt; dicendo, diuiſionem actus moralis quatenus moralis in honeſtum & turpem, eſſe totius cuiuſdam vniuerſalis in ſpecies ſuas & partes ſubiectiuas. Perſpicuè enim honeſtas & turpitudo, moralitati velut generi ſubiacent, tanquam ſpecies ſubalternæ, ſiue non infimæ. Si tamen actus moralis ſumatur in genere naturæ, & eatenus comparetur ad honeſtatem vel turpitudinem, quibus per ordinem ad regulam ſuam conueſtiri poteſt, ſic diuiſio actus in bonum & malum eſt ſubiecti in accidentia, vt habetur ex S. Thoma q. 2. de malo, art. 6. ad 3. & S. Bonauent. in 2. diſt. 41. n. 16. qui latè verſat, an hæc diuiſio ſit ſubiecti in accidentia propria, an verò in communia. Quod poteſt vno verbo expediri, dicendo eatenus hæc accidentia poſſe cenſeri propria & reciproca, quatenus quilibet actus humanus, alterutro eorum afficitur: cæteroqui autem eſſe communia, quia neutrum eorum eſt tam altè infixum, vel tam tenaciter concretum alicui actui, vt auelli ab eo non poſſit, vt diſputatum ſuprà eſt art. 2.

Vnitas ſpecifica, danda cuiuis actui morali.

63. Secundò egi de ſpecifica multiplicitate moralitatis, ſumendo ſpeciem abſolutè, ſiue pro ſpecie infima & atoma; qualem in vnoquoque actu morali, aliquam agnoſcere neceſſe eſt. Neque enim probare poſſum quod aliqui inter quos Valentia t. 2. d. 2. q. 14. p. 4. quæſtiunc. 1. 2. & Sanches 1. in Decal. c. 6. n. 10. videntur actus aliquos morales agnoſcere non niſi generales, & nullius certæ ac determinatæ ſpeciei, cuiuſmodi ſunt iſta: *Volo peccare,* nullum ſpeciale malum determinando. *Volo benefacere,* ad nullum item ſpeciale bonum cogitatione deſcendendo. Quam ſententiam reiiciendam eſſe oſtendo agens de virtute generatim cum Angeſto 2. mot. t. 8. & aliis ibid. allegatis. Nec auſim prorſus aſſerere, Authores proximè nominatos repugnare. Fortaſſis enim duntaxat volunt, actus illos in nulla eſſe ſpecie determinata, nempe inter vulgatas, cum quibus conferri poſſunt: quia huiuſmodi actus & non deſumuntur ex ſpeciali aliqua ratione obiectiua ſicut ſpecies vulgatæ, ſed deſumuntur ex generali ratione: licèt ſpecies ducta ex ea generali ratione, ſit reipſa particularis & determinata. Quo pacto intellectus eſt entitas certæ ac infimæ ſpeciei, licèt eam ſuam ſpeciem ducat ex obiecto pluſquàm genericè vno; nempe ex ratione entis, quæ eſt ratio in genere rei & materialiter generica, vel etiam pluſquàm generica; obiectiuè autem ſpecifica.

Vnde deſumatur, varia placita eodem recidentia.

Igitur omnes omninò actus morales, ſunt in aliqua ſpecie infima & determinata moralitatis, quæ vnde conſtituatur, atque adeò etiam multiplicetur, quærendum eſt. Variæ enim hac in parte circumferuntur ſententiæ quibuſdam ex obiecto actuum; aliis ex fine; nonnullis ex habitudine ad naturam rationalem; tandem aliis ex habitudine ad legem ſiue præceptum, hanc ſpeciei infimæ conſtitutionem & multiplicationem ducentibus.

64. Verùm omnis hæc ſententiarum varietas, vix eſt de re ipſa. Nam qui petunt ſpeciem moralitatis ex obiecto, ſumunt obiectum formaliter, ſiue prout fundans certam conſonantiam vel diſſonantiam; proximè quidem cum regula humanorum actuum, mediatè autem cum natura rationali. Oppoſitio enim vel conſonantia actus cum natura rationali, non aliunde prouenit, quàm ex eo quòd hic actus verſetur circa hoc obiectũ, quod ex ſe eſt obiectiuè conſonum aut diſſonum naturæ rationali. Itaque ſpecificatio & diuerſi ſpecificatio penes habitudinem ad naturam rationalem, eodem recidit cum ſpecificatione & diuerſi ſpecificatione penes obiecta. Porrò obiecta in hoc negotio non differunt à finibus: quia finis, vt D. Thomas philoſophatur 1. 2. q. 7. art. 1. ad 3. ſe habet ad volitionem ſicut obiectum primarium. Atque ita per-

inde eſt, ſpeciem moralitatis primariam ducere ab obiecto, vel à fine. Aliæ quidem nonnullæ minutiores ſpecies moralitatis non ducuntur à fine propriè dicto, ſed vel à materia propter aliud volita, atque adeò non habente rationem finis, vel à circunſtantiis à fine diuerſis. Tamen ſpecies illæ moralitatis non ſunt primariæ. Qui autem ſpeciem moralitatis à fine ducunt, de primaria tantùm agunt. Tandem ſpecificatio & diuerſiſpecificatio per conſonantiam aut diſſonantiam cum lege aut præcepto, recidit in ſpecificationem & diuerſiſpecificationem penes obiecta & fines. Nam quoties præceptum eſt formaliter diuerſum, toties etiam obiecta ſunt formaliter multiplicia, ob variam conſonantiam vel diſſonantiam cum regula actuum humanorum, & natura rationali. Et è contrà quoties obiecta regulæ illi & naturæ rationali diuerſimodè conſonant aut diſſonant, toties etiam præcepta ſunt formaliter diuerſa.

Quæ ſint præcepta formaliter diuerſa, vnde moralitas multiplex, eruenda eſt.

Vocantur præcepta formaliter diuerſa, illa quæ feruntur ex diuerſo proximo motiuo virtutis. Motiuum enim in moralibus eſt præcipuum, habétque ſe vt forma obiecti, in quod tendit actus, ac proinde ex ſpecifica eius diuerſitate & multiplicitate, multiplex quoque & diuerſa ſpecie obligatio enaſcitur. Diuerſum porrò formaliter motiuum appello, non rationem quancunque præcipiendi diuerſam, vt recentiores aliqui ſignificant; ſed diuerſam virtutis honeſtatem, in cuius proſecutione vel reiectione, moralitas vniuerſa ſita eſt. Itaque præceptum de non furando, eſt formaliter diuerſum à præcepto de cauenda ebrietate. quia primum præceptum ſeruat honeſtatem Iuſtitiæ, ſecundum verò honeſtatem Temperantiæ. Item præceptum de voti emiſſi adimpletione, cùm intueatur finem & motiuum religionis, eſt formaliter diuerſum à præcepto de cauenda alterius læſione, quod intuetur alium ſpecialem finem virtutis. At præceptum diuinum de cauendo furto, & præceptum humanum de eodem obiecto, quia eodem tendunt, non ſunt præcepta formaliter diuerſa, ſed materialiter tantùm. Item præceptum naturale & ciuile; de cæde humana non inferenda priuata autoritate, ſunt formaliter vnum & idem. Hic enim nomine legis & præcepti non intelligitur tantùm præceptum poſitiuum, ſed quodcunque præceptum, ipſáque etiam lex naturalis. Quo item modo ſumitur vox legis & præcepti, cùm quoduis peccatum dicitur eſſe contra legem & præceptum. Cùm igitur lex poſitiua & naturalis ſunt de eodem obiecto, & ex eodem motiuo, non cenſentur præcepta formaliter diuerſa, & idcircò eadem moralitatis ſpecies vtrinque enaſcitur. Nam quamuis diſparitas ſit quoad firmitatem, & diſpenſabilitatem: tamen modò præceptum poſitiuum ſit iuſtum, eadem ex illo exurget moralitas, quæ ex præcepto naturali. V. G. ex violatione præcepti poſitiui iuſtè lati, exiſtet eadem culpæ ſpecies, quæ ſequeretur ex violatione eiuſdem præcepti, ſi eſſet naturale & non poſitiuum. Eſt enim eadem honeſtas debita vtrobique, tametſi ex diuerſis legibus debeatur, quod verè extrinſecum eſt.

Moralitas non multiplicatur ſpecie, ſi præcepta ſint formaliter eadem.

65. Ex quibus vtiliſſima ad varias res morales corollaria, præſertímque ad peccatorum ſpecies multiplicandas vel non multiplicandas, erui poſſunt. Obiter nonnulla exempla indicabo, vt principij propoſiti vſus & vis eluceat, quoad vtranque eius partem. Prima eſt, præcepta formaliter eadem, ſiue ſpectantia eandem ſpecie honeſtatem, non inducere multiplicem ſpecie moralitatem.

Hinc habetur, eum qui violat naturale & ſupernaturale præceptum de eadem materia ex eiuſdem honeſtatis intuitu latum, non admittere duplex ſpecie peccatum. Vt ſi quis in virtutem Temperantiæ acquiſitam delinquat, ſimúlque in eam, quæ eſt infuſa & ſupernaturalis, non contrahit duplicem ſpecie malitiam. vt malè cenſuit Med. 1.2.q.71.art. 6. & ibid. Zumel dub. 3. ad 3. ſed vnicam: Quia naturale & ſupernaturale in hoc negotio, ſe habent merè materialiter, nec aſtringunt diuerſo modo. Sicut ſimilia vincula ex diuerſa materia, V. G. ex auro & ferro, non ligant diuerſimodè: Præterea ſi contingat duplex ſimilis obligatio religionis, V. G. audiendi ſacri ratione duplicis feſti in eundem diem concurrentis, vel ieiunandi ratione vigiliæ incidentis in quadrageſimam; ſacri prætermiſſio non continebit duplicem ſpecie malitiam: Itémque ieiunij violatio, vnicum ſpecie erit peccatum, quicquid ſecus ſtatuat Ægidius Coninc. diſp. 7. de pœnit. n. 47.

Ad hæc qui votum vel iuramentum ſemel à ſe factum repetit millies nulla obligatione diſtincta aſtringitur, ſed veterem duntaxat renouat: Idéoque ſi id votum vel iuramentum infringat, vnius tantùm ſpecie peccati reus eſt: vt rectè Suares 5. de voto, c. 6. n. 16. & Henriq. l. 5. ſummæ, c. 5. n. 6. Et ratio eſt, quia omnia illa vota ad vnam religionis ſpeciem pertinent; itémque omnia iuramenta ad vnam aliam ſpeciem. Sicut qui multa conficit eiuſdem obligationis inſtrumenta, cum iiſdem hypothecis, non plus aſtringitur quàm ſi vnicum inſtrumentum confeciſſet. Rectéque addit Suares ſuprà n. 17. violationem voti de ſeruando ieiunio, & voti de voto ſeruando, non niſi vna ſpecie peccati ſordere; ſimilitérque violationem iuramenti de ſeruando iuramento, & præcepti de ſeruando præcepto, vnicum ſpecie peccatum continere: Quia vota illa, & iuramenta, & præcepta, non ſunt formaliter plura, ſed vnicum.

Contrà quàm accidit, ſi præcepta ſint formaliter plura.

66. E contrà verò ſi motiuum virtutis pro pluribus quibiſvis præceptis ſit multiplex, (quæ erat ſecunda pars principij propoſiti,) obligatio erit ſpecie multiplex, & qui in eam delinquet, ſordebit peccato ſpecie multiplici, quia præceptum erit formaliter diuerſum. Poteſt autem motiuum virtutis eſſe formaliter multiplex, cùm in diuerſis genere virtutibus, cuiuſmodi ſunt Iuſtitia & Temperantia; tum intra eandem generalem virtutem. V. G. intra virtutem Iuſtitiæ ſunt multæ ac ſpecie differentes honeſtates: Itémque intra virtutem Religionis, alia ſpecie eſt honeſtas iuramenti, alia voti, & ita de pleriſque aliis virtutibus, vt ſæpè in ſuperioribus notatum eſt, docéntque Vaſques 1. 2. diſp. 98. c. 2. & Suares ſuprà n. 16. Si igitur aliquis votum & iuramentum de eadem materia eliciat, aſtringetur duplici vinculo, eo quòd licèt & votum & iuramentum pertineant ad Religionis virtutem, tamen diuerſo modo ad eam pertineant, ſpecténtque diuerſas honeſtates. Nam voti obſeruationem mandat Religio, vt fides Deo data perſtet illæſa: iuramenti autem executionem præcipit, ne Deus in falſitatis teſtem aduocetur. Similiter qui ex voto & ex præcepto poſitiuo ad opus aliquod aſtringitur; duplici obligatione vrgetur, contrahétq; duplicem ſpecie malitiã, ſi opus illud indebitè prætermittat. Hæc pauca ad illuſtrationem aliquam principij

principij ad res morales longè vtiliſſimi, placuit proponere. Qui plura ex eo ſulidè deducta nuſſe deſiderat, adeat Sanchem l. 9. de matrimon. d. 15. & l. 7. d. 27. & l. 1. in Decal. c. 14. Hæc ad inſtitutum noſtrum ſufficiunt.

Argumenta quibus aliqui ſpecificam moralitatis multiplicationem, penes præcepta, ſuſtulerunt.

67. Sic expoſita formali præceptorum diuerſitate, penes quam dixi multiplicitatem ſpecificam moralitatis conſtitui, per ſe liquet quam inefficaciter Valentia 1. 2. d. 6 q. 1. p. 1. contendat, inhoneſtatem muralem (& idem eſt de huneſtate, proportione ſeruata,) non poſſe multiplicari ſpecie penes diuerſa præcepta. Ait enim vſuram. ex eo quòd naturali, diuino poſitiuo, & humanu iure prohibeatur, non eſſe propterea multiplex peccatum. Item ait ſecluſa præceptorum diuerſitate, adhuc poſſe intelligi quòd peccata ſpecie differant penes diuerſas virtutes, vel penes materiam einſdem virtutis, circa quam poſſint exerceri diuerſi actus mali, ad quos non ſimul habeatur par facilitas, quantum eſt ex natura & ratione vtriuſque peccati moraliter exiſtimata. Denique ait, eſſentiam peccati non reſpicere peccatum niſi ſecundùm communem peccati rationem; quatenus peccatum eſt defectus voluntarius perfectionis ex præceptu debitæ, abſtrahendu à præceptu diuerſitate. Vnde infert, diuerſitatem actuum moraliter malorum, quæ ex ea præceptorum diuerſitate enaſci poteſt, non eſſe niſi accidentalem, & reſpectiuam ac rationis, quia ſequitur gradum genericum, in quo omnia peccata conueniunt, violationem nimirum præcepti.

Diſſoluuntur.

Horum argumentorum vim, dico ex prænotatis euaneſcere. Vides enim tria illa præcepta vſuram vetantia, non niſi materialiter differre. Vides item diuerſitatem ſpecificam peccatorum penes præcepta, reuolui in diuerſitatem ſpecificam, conſtitutam penes diuerſas virtutes peccatis illis oppoſitas. Falſum verò eſt, quòd penes materiam diuerſimode facilem, conſtitui poſſint diuerſæ ſpecies actuum prout moralium. Nam quamuis ea diuerſa facilitas actuum circa talem vel talem materiam, conferat ad conſtitutionem habilitatum ſpecie diuerſarum, non tamen ad conſtitutionem diuerſarum ſpecie virtutum aut vitiorum: ſiue ſpectentur actualiter, ſiue in actu primo, & in ratione principij honeſtatis aut turpitudinis moralis, vt ſic.

Falſum inſuper eſt, quòd diuerſitas peccatorum penes præcepta, non ſit niſi accidentalis Quamuis enim omnia peccata conueniant in ea præcepti tranſgreſſione, ſitque id in peccato genericum; tamen diſtinctio petita penes aliquid genericum, non eſt accidentalis. Sicut differentia animalium penes diuerſos ſenſus internos, non eſt accidentalis, ſed ſpecifica, ſaltem arguitiuè; quatenus eſt indicium ſpecificæ diuerſitatis: Et tamen ea animalium differentia, remotè conſequitur gradum animalis, in quo animalia omnia conueniunt. Idem ergo ſtatuere poſſumus circa diuerſa peccata, prout differunt penes præcepta formaliter diuerſa, quæ per ea violantur. Itaque rectè conſtitutum eſt, diuerſitatem ſpecificam actuum moraliter turpium, peti poſſe ex formali præceptorum diuerſitate. Nec aliter de actibus moraliter honeſtis philoſophandum eſt, proportione ſeruata.

Varia moralitatis multiplicatio numerica, & de qua agendum.

68. Tertiò expoſui indiuidualem ſiue numericam moralitatis multiplicitatem, quam Caietanus 2. 2. q. 66. art. 3. *circa ad 3* duplicem diſtinguit. Aliam enim ait eſſe veluti phyſicam & in eſſe naturæ, aliam verò moralem. Prior non continetur multiplicatione actuum in eſſe naturæ, quatenus actus quidam phyſici ſunt; ſed multiplicatione moralitatum merè materiali, tunc contingente cùm ob phyſicam multitudinem ſubiectorum, ſiue actuum quibus moralitas proximè inexiſtit, neceſſarium eſt moralitatem ad omnes illos actus diffundi, eſſéque materialiter multiplicem, licèt ob connexionem & vnitatem ordinis interuenientem inter moralitates illa materialiter tantùm plures, non agnoſcantur ibi plures numero moralitates. Exemplum profert Caietanus, eius qui ex aliquo fine bonu aut turpi accingit ſe itineri, equum conſcendit, aliáque ad operis deſtinati executionem accommodata perficit. Non enim cenſetur elicere actus moraliter numero plures, ſed vnicum, quandiu actus illi connexionem & vnitatem quandam habent: quia quamuis actus ſint entitatiuè plures, ſingulique moralitate perfundantur; tamen omnes cenſentur eadem numero, moralitate reſpergi, ob connexionem & vnitatem quam habent per ordinem ad eundem numero finem.

Ne tamen exemplu, cuius veritas mox examinanda eſt, vtamur tanquam explorato, commodius eſt exemplum actus interni & externi, qui formali moralitate ab eo reſpergitur. Ibi enim in duobus ſubiectis, non eſt niſi vna formaliter moralitas. At ſi actus qui moralitati ſubſternuntur, plures ſint, careántque vnitate ordinis & connexione: vel ſi in vnu & eodem materiali actu, plures & non ordinatæ moralitates aggregentur tunc agnoſcenda erit multiplex numero muralitas, non materialiter tantùm, ſed etiam formaliter: Ita vt ſecundùm prudentem æſtimationem reſpectus illi ad rationem rectam opera humana regulantem, ſint plures numero.

69. Nos hoc loco de ſola poſteriori numerica multiplicitate moralitatum diſputamus, cùm prior non ſit multiplicatio numerica moralitatis vt moralitas eſt, ſed contineatur vnicæ numero formæ quaſi replicatione in diuerſis ſubiectis connexis, & habentibus inter ſe ordinem quendam. Illam ergo poſteriorem numericam multiplicitatem, quæ verè duplicem moralitatem continet, dupliciter contingere poſſe ſubindicabam. Primò phyſicè ſimul & moraliter: quod contingit, cùm actus voluntatis moralitate conueſtiti, multiplicantur abſque connexione & ordine vllo inter ſeipſos, per reſpectum ad eundem finem. Secundò moraliter tantùm, quod accidit, cùm moralitas eiuſdem rationis congeminatur in eiuſdem indiuidui actus ſubſtantia. Quamuis enim iuxta Metaphyſicum effatum, accidentia ſolo numero diuerſa, interdum non multiplicentur ſimul in eodem ſubiecto: tamen hoc non habet locum, cùm accidentia illa ſiue Metaphyſicè ſiue Phyſicè diuerſa & plura, important habitudinem ad aliquid realiter multiplex, vel certè habent munera multiplicia. Sic enim ſpecies viſibiles plurium numero alborum, quas conſtat non differre eſſentialiter, multiplicantur in eodem ſubiectu, vt in eodem aëre vel pupilla: quia illarum numero plurium formarum eidem ſubiectu aduenientium, varia ſunt munera: Item relationes eiuſdem rationis, v. g. paternitates multiplicantur in eadem ſubſtantia hominis, qui multos liberos ſuſceperit; quia ſunt diuerſæ habitudines ad diuerſos terminos.

terminos Similiter ergo nihil erit quod impediat, quominùs moralitates numero tantùm plures, multiplicentur ſimul in eodem actu, propter habitudinem aliorum ad diuerſos terminos. Difficultas tantùm eſt, vt exponatur quandónam hæc vel phyſica ſimul & moralis. vel certè moralis tantùm, moralitatum multiplicatio numerica contingat.

Numerica moralitatis multiplicatio phyſica ſimul & moralis, ex interruptione quacunque.

Primam multiplicationem numericam, quæ eſt phyſica ſimul & moralis, dico non contingere, vel ſaltem non poſſe internoſci & humano ſtudio deprehendi, niſi interueniat temporis interruptio. Et ratio perſpicua eſt, quia nimirum in eadem potentia circa idem numero obiectum, vel circa obiecta numericam tantùm diſtinctionem inuehere apta, non videntur poſſe ſimul reperiri plures actus: quandoquidem vnicus actus indiuidualiter perfectior, poterit idipſum exequi, quod plures numero actus deterioris notæ ſimul eliciti præſtarent. Videtúrque omninò voluntas ita ſemper ſe gerere, cùm in obiecta materialiter plura, & pluribus actibus per modum plurium attingibilia tendit ſimul. Saltémque non cadit ſub humanam notitiam, an & quando in eo euentu plures numero actus, aut vnicus non plures eliciantur.

70. Vt igitur numerica illa moralitatis multiplicatio, quam quærimus habeat locum: neceſſe eſt, vt interueniat interruptio, ponantúrque plures realiter actus ſibi ſuccedentes. Quod video poſſe duobus modis contingere. Primus eſt tempus aliquod intercurrat, quo ceſſetur ab actu. Eo ipſo enim quod actus præexiſtens interrumpitur, & eſſe deſinit, ſi poſteà voluntas denuò ſe applicet ad operandum, ſequetur diuerſus numero actus, vt conſtat ex generali doctrina de naturali irreparabilitate corruptorum. Secundus modus eſt. ſi fiat immediatus tranſitus ab vno obiecto in aliud ſimile, nulla temporis capedine interpoſita. Ea enim temporis & obiecti variatio, numericam quoque actus & moralitatis ei ſuperſtructæ variationem inducit, experimento ipſo perceptibilem. At ſi obiectum maneat idem; tunc vel actus, atque adeò etiam moralitas, non multiplicatur numero per immediatum tranſitum ab vno in alium: ſed tantùm non eiuſdem actus intenſio ponitur, aut noua aliqua intellectus animaduerſio, ex qua deludimur, putantes actum non poni. Vel certè, ſi verum eſt, nouum actum euidi in eo euentu, non poteſt tamen internoſci. Atque ita teſtatum manet, interruptiónem operationis, neceſſarium eſſe ad actus & moralitates numericè plures ſecundùm communem modum cognitioni humanæ peruium.

Sufficit autem interruptio quæcunque ſiue voluntaria ſit, ſiue orta ex naturali diſtractione, aut ſomno, aut ex interiectu actus extranei totam attentionem abſorbentis. Quotieſcunque enim id contingit, ſi poſteà voluntas reſumat operationem cum morali libertate & conſideratione ad moralitatem neceſſaria, datur nouus & diſtinctus vſus libertatis, etiam proue eſt libertas moralis, atque adeo datur noua & diſtincta moralitas nouo actui implantata, ſicut exigitur ad illam phyſicam ſimul & moralem moralitatis multiplicationem, quam quærimus. Nec verò moror an interruptio ſit modica, an notabilis. Quantulacunque enim ſit interruptio, ſufficit ad multiplicandos numero actus, quicquid contra aſſerat Salas 1.2. tract. 13, d.5.n.83. Malè item tract.7.d.6.n.36.eò trahit complures Doctores, qui tamen potiùs agunt de bonitate actuum moralium per ordinem ad Confeſſionem ſacramentalem, cuius vnitas, ſecundùm prudentem duntaxat æſtimationem penſandæ, longè alia ratio eſt quam iſtius philoſophicæ, de qua agimus

Etiam cùm actus moralis, non eſt purè internus

71. Sunt qui non obſtante interruptione prædicta, negent hanc multiplicitatem numericam accidere, cùm actus non eſt purè interior, ſed foras erumpit; habétque ſubiectum ſibi actum externum. In actibus enim moralibus purè internis fatentur nihil poſſe aſſignari, quo voluntas cum interruptione propoſita operans, vinculet actus ſuos, ita vt coaleſcant in vnum, nec ſint reuera plures numero. At in actibus, qui non ſiſtunt in voluntate, ſed exteriùs prodeunt, ſuppetit aliquid, quo immutato dicere liceat, actum internum, tametſi poſita eius interruptione, non multiplicari numero. Actus enim interior, eſt moraliter vnus cum externo. Quare ſi actus externus perſeueret idem numero, quæcunque fiat interiùs operandi interruptio, pronunciare licebit, moralem actum internum non multiplicari numero, ob vnitatem quam varij actus interni induunt ratione actus externi cum quo vniuntur, & vnicum totale opus vndecunque abſolutum & plenè conſummatum componunt. Ita philoſophatus eſt Nauarrus in cap. *Conſideret.* de pœnit.d.5.à n.42. Et Azor tomo 1.l.4. c.4.q.4.

Sed quantùm video, non ſatis accommodatè philoſophantur. Nam actus interior, in genere moris ſe habet ad externum tanquam anima, vſque adeò, vt actus exterior abſque interno non ſit humanus & multò minùs moralis. Ergo perſeuerantia ſolius actus phyſici externi, non eſt perſeuerantia eiuſdem actus moralis vt ſic, ſi contingat in interioribus actibus interruptio. Atque ita ſi moralitatum multiplicatio numerica, moralis ſimul & phyſica, conſideretur in ſe ipſa, ac prout diuino intellectui omnia liquidò perſpicienti obiicitur, negligatúrque ordo ad communem prudenter ſentiendi & loquendi vſum, qui interdum fert, vt aliter de hac multiplicitate ſtatuatur; rectè omninò poſitum eſt, multiplicitatem numericam moralem ſimul & phyſicam moralitatum, aſſectari quancunque interruptionem actuum voluntatis internorum, ex ſe ſuiſque principiis moralium, independenter ab alio actu interno.

Quod ſpecialiter aduerto, propter electionem, quæ interdum eſt actus ab intentione diſtinctus, nec habet ex ſe ſuiſque principiis moralitatem, ſed eam emendicat ab intentione, cui ſubeſt: & idcircò perinde ſe habet, ac ſi eſſet actus merè exterior, quem conſtat non habere moralitatem niſi ab interno, nec conſtituere cum eo numerum moralium actuum cùm vtrobique ſit vnica forma moralitatis intrinſeca actui interno, & extrinſecè denominans ac afficiens actum externum: cuius proinde multiplicatio, ſi perſtet idem actus interior; eſt merè materialis, nec ſufficit ad pluralitatem numericam moralitatum, phyſicam ſimul & moralem, de qua agimus.

Numerica moralitatis multiplicatio non niſi moralis ſtabilitur

72. Alteram moralitatum multiplicationem numericam, eſſe dicebam eam, quæ eſt moralis duntaxat. conſiſtitque in congeminatione moralitatum eiuſdem ſpeciei, in vnius actus ſubſtantia. V. G. plurium honeſtatum numero tantùm diſtinctarum, vt plurium honeſtatum miſericordiæ, vel plurium malitiarum eiuſdem eſſentiæ moralis, vt plurium malitiarum

tiarum homicidij plurium turpitudinum contra Religionem vel Caſtitatem. Negat hanc moralitatum multiplicitatem numericam, Suares t. 4. 3. partis d. 22. ſ. 5. n. 34. & 35. Rectè autem eam admittunt Vaſquez 1. 2. q. 7. ad art. 7. & 3. p. q. 91. art. dub. 4 n. 4. Sanches l. 9. de matrim d. 14. n. 6. qui alios adducit. Leſſ. 1. de Temper. c. 3. n. 74. Salas 1. 2. tract. 12. d. 5. n. 65. & Azor t. 1. l. 4 c. 4. q. 3. Ratio eſt, quia poſſunt in vnico realiter actu ſimul adunari multæ ſimiles conſonantiæ cum recta ratione, ad inuicem independentes; aut certè multæ diſſonantiæ eiuſdem rationis ſimiliter ad inuicem independentes, vt apertè videtur contingere, cùm plura obiecta ſingularia attinguntur vno actu

Sic ſanè videtur ſentiendum, cùm quis vno actu vult vitam eripere tribus hominibus, aut vno actu decernit erogare ſtipem tribus egentibus. Vtrobique enim ſingula illa obiecta habent ſufficiẽter vnde impertiant ſuam moralitatem numericam, vt patet ex eo quòd ſi vnus tantùm cædendus decerneretur, vel ſi vni tantùm deſtinaretur eleemoſyna, actus haberet inde ſuam moralitatem ſingularem. Ex eo autem quòd tria illa obiecta vno actu continguntur, non ſequitur malitias ab eis ducibiles conflari in vnam. Nihil enim proferri poteſt, per quod vnitatem induant, præter vnitatem phyſicam actus ſubſtrati moralitati. At hæc non ſufficit: cum ea namque vnitate, rectè cohæret multiplicitas numerica moralitatum, eo quòd moralitas ſit forma connotatiua, & quaſi reſpectiua, quæ poteſt numero multiplicari, non tantùm multiplicato fundamento, ſed etiam multiplicato ſolo termino, vt ex D. Thoma tradit Capreolus in 1. d. 31. *ad argumenta Aureoli contra primam partem tertiæ concluſionis* annuitque Suares diſp. 47. Metaph. ſ. 17. n. 17. Vrgeri præterea in rem noſtram poteſt, exemplum coniugati fœdantis coniugem alienam. Hic enim apertè duplici eiuſdem ſpeciei labe fœdatur, vna ex violato alieno thoro, altera ex fide coniugi propriæ infracta. Vbi elucet duplex reſpectus contrarietatis cum virtute & recta ratione, quorum vterque eſt ab altero independens, ac proinde conſtituit ſuam peculiarem & numero diuerſam malitiam. Simile eſt exemplum illius, qui de pluribus vno actu detrahit. In his enim exemplis, ob multiplicem, vt dixi, contrarietatem eiuſdem actus cum recta ratione, quarum vna independens eſt ab alia, certum videtur malitiam eiuſdem ſpeciei congeminari, non mutata actus ſubſtantia.

73. Defectu autem prædictæ multiplicis contrarietatis cum ratione recta in quibuſdam aliis exemplis, non cerneretur multiplex numero moralitas. Vt in furto alicuius rei, quæ indiuiſibiliter eſſet duorum vel trium dominorum: Et in violatione duplicis ſui voti de eadem re; vel duplicis præcepti in idem opus ex eodem motiuo cadentis, vt in idem ieiunium. In primo enim exemplo eſt vnicus numero reſpectus contra rationem rectam, propter vnicum damnum pluribus illis dominis illatum. In aliis autem duobus exemplis, idem cernitur. Quodlibet enim illorum, vnicam cum recta ratione repugnantiam habet; quia duplex votum, vel duplex præceptum de eodem prorſus obiecto, & ex eodem motiuo, computatur pro vnico termino habitudinis vel quaſi habitudinis diſſonantiæ, quod non cernitur in exemplis coniugum non coniugum, & hominis vno gladij vel linguæ ictu famam aut vitam plurium lædentis.

Ob proportionalem item cauſam, hoc eſt, ob multiplicem eiuſdem numero actus cum recta ratione conſonantiam, quarum vna eſt independens ab alia, admittendum eſt, eundem actum honeſtum circa plures terminos ita occupatum vt ſit totalis reſpectu vniuſcuiuſque, conueſtiri pluribus moralitatibus. V G. cùm quis vno actu tribus hominibus vult elargiri aliquid de ſuo, non in omnes indiuiſibiliter eiuſdem rei dominum transferendo; (qua ratione vnicum rebus ſuis diſpendium inferret, & vnicam moralitatem actui ſuo conciliaret;) ſed ſingulis aliquid erogatum de ſuo volens; deriuatur in illum vnum internum actum triplex numero honeſtas, penes triplicem illum terminum quorum quilibet reſpicitur independenter ab altero. Et fateor quidem ordinem phyſicum & eſſentialem, quem actus ille habet ad tres prædictos terminos, vnicum eſſe: tamen moralitas ordini illi ſuperueniens, & ab eo ſeparabilis per excluſionem libertatis, vel acceſſu vitiantis circunſtantiæ, multiplicatur non multiplicato ordine generis naturæ: quia ſicut habet ſua principia conſtitutiua diuerſa à principiis conſtituentibus genus naturæ; ita & diſtinctiua.

Difficultas in contrarium enodatur.

74. Video grauem difficultatem poſſe aduerſus reſolutionem è nobis poſitam moueri, ex actu interno terminato ad obiecta infinita: cuiuſmodi eſt, quo quis vellet ſi ſibi poſſibile eſſet, infinitis hominibus bene facere: vel è contrà, iiſdem inferre nocumentum. Videtur enim ex noſtra ſententia apertè ſequi, eſſe in eo actu moralitates infinitas

Hæc tamen difficultas, non eſt peculiaris ac propria noſtræ ſententiæ. Siquidem qui non agnoſcunt, multiplicitatem numericam moralitatem ſimilium in eodem actu, æquè ea difficultate premuntur: Oſtendendum enim illis incumbit, quomodò ea vnica moralitas ab ipſis inuecta, æquiualens pluribus numericè diuerſis quas nos admittimus, non ſit quaſi intenſiuè infinita, quippe infinitis moralitatibus numericè diſtinctis æquiualens Quæ difficultas æquè impedita eſt, ac ea quæ in noſtram ſententiam intorquetur: quandoquidem in noſtra ſententia, moralitates infinitæ videntur congeminari, quæ eſt infinitas diſcreta: in ſententia autem aduerſariorum, admittenda videtur vna moralitas quaſi intenſiuè infinita.

Reuera tamen ea infinitas, noſtram ſententiam non premit: ſiue quia in nobis actus ille infinitorum obiectorum reſpectiuus, nunquam eſt efficax, nec eſſe poteſt; ideóque certam & finitam moralitatis menſuram ſortitur ex obiecto infinito non niſi inefficaciter volito: quæ eſt reſponſio, in qua tandem conquieſcit Vaſques 1. 2. d. 76. n. 14. Siue potius quia multa, non æquè diſtinctè cognoſcuntur, vt pauca: & conſequenter infinita illa obiecta, valdè confusè attinguntur: demptiſque paucis quibuſdam vnitatibus quæ diſtinctè occurrunt, ſingulæque conferunt actui peculiarem ſuam moralitatem, cæteræ non attinguntur niſi per modum vnius; ideóque non conferunt actui niſi vnam moralitatem. Termini nanque reipſa multi, ſed indeterminati, & confusè animo obiecti, ratione confuſionis & indeterminationis ſuæ, obiiciuntur intellectui, atque adeò etiam voluntati, non prout plures & diſtincti; (ſic enim determinarentur,) ſed vt vnum quid, vnicam actui moralitatem impertiens. Quod tamen non obſtat quominùs termini aliqui indiuidui & ſignati, diſtinctè occurrentes, adiuncta poſteà reliquorum confuſione, totidem indiuiduas moralitates conferant. Hæc ſecunda reſponſio magis expedita, & minùs cauillis obnoxia videtur: traditáque eſt à Palacio in 2. d. 38. diſp. 1. concl. 1. *in fine*, & inſinuatur ab Almaino tract. 1. mor. c. 8.

ARTICVLVS V.

De radice moralitatis ſimpliciter dicta, ſeu de moralitate obiectiua.

75. EXplicatis hactenus principiis omnibus ad moralitatem formaliter conſtituendam interuenientibus, indéque haurienda vnitate & diſtinctione moralitatis, ad radices veniendum eſt, ciuſdémque ab illis origo, & exiſtentiæ per cauſas proportionatas collatio declaranda. Vbi primùm occurrit moralitas obiectiua. Nam vt rectè aduertit Scotus quodl 18. *litera G*, determinatio, quæ ab ea in actum moralem deriuatur, eſt prima ratio pertinens ad genus moris, habétque ſe tanquam potentiale receptiuum vlteriorum quarumvis determinationum intra genus moris ex circunſtantiis ac præſertim ex fine extrinſeco ducibilium, proptereáque vocatur moralitas ex genere, vt idem Scotus fuſius exponit, & Dionyſ. Ciſterc. in 2. d. 7. q. 1. art. 1. Itaque meritò ab ea auſpicabimur. Quamuis autem non reſideat in ſolis actibus externis, ſed plerunque etiam inſit obiectis non habentibus rationem actus, cuiuſmodi eſt Deus; aliàs verò inſit actibus internis imperatis ab alio actu interno purè elicito: Tamen quoad radicem moralitatis formalis quam inquirimus, par eſt omnium iſtorum ratio. Ideóque perinde erit, ſiue in obiectis non habentibus rationem actus, ſiue in actionibus externis aut imperatis eam ſpectemus. Præter moralitatem obiectiuam ſimpliciter dictam, quæ in obiecto principaliter dicto ſedem habet; alia quædam eſt in circunſtantiis reſidens, à qua item tanquam radice in ſuo genere & ordine pullulat moralitas, ac proinde neque iſta erit omittenda.

ASSERTIO.

MOralitas obiectiua nihil aliud eſt, quàm radicalis & fundamentalis conformitas aut difformitas cum ratione recta, præſupponitúrque moralitati ſimpliciter dictæ in actu interno collocatæ. Hæc autem viciſſim prior eſt moralitate externi actus, prout aliquatenus formaliter morali per participationem, & extrinſecam ab actu interno denominationem. Aliqua obiectiua moralitas ſita eſt in materia internis ſuis conditionibus veſtita: aliqua in circunſtantiis extrinſecis, vt fine non intrinſeco, quantitate certa, duratione ac ſimilibus. Cùm ambæ concurrunt, prior in ordine moralitatis obiectiuæ, primaria dicitur; poſterior, ſecundaria.

PRimò explico quæ ſpectant vniuerſè ad moralitatem obiectiuam, quam dico eſſe conformitatem vel difformitatem fundamentalem cum ratione recta. Non dico cum natura rationali, quia attendo immediatum & proximum terminum moralitatis, qui eſt recta ratio, approbans vel prohibens aliquod obiectum, eiúſque attingentiam. Addo eam obiecti conſonantiam vel diſſonantiam, eſſe tantùm fundamentalem: quia ſicut moralitas formalis importat conſonantiam vel diſſonantiam actualem; ita obiectiua illi reſpondens, quia eſt moralitas tantùm radicaliter, fundamentaliter, & cauſaliter, conſiſtit in fundamentali conſonantia vel diſſonantia obiecti cum ratione recta. Quæ conſonantia & diſſonantia debet proportione explicari eodem modo, quo ſuperiùs expoſita eſt conſonantia & diſſonantia formalis actuum moralium, vt nihil ſit opus, (quod fecit Salas tract. 7. d. 2. ſ. 3.) quoad bonitatem obiectiuam, ac etiam vt ex n. 21. patet, quoad malitiam, atque adeò quoad omnem moralitatem obiectiuam, denuò hîc regerere quæ circa formalem moralitatem expoſita ſunt ſuperiùs, quoad eius quidditatem, & ſubiectum, ac terminum; ſed de vna per proportionem ad alteram ſit ſtatuendum.

Moralitas obiectiua, non eſt ſimpliciter dicta.

76. Ex his verò paucis, quæ recoluimus, perſpicuum eſſe poteſt, cur aliqui hanc moralitatem obiectiuam dedignentur nominare moralitatem, vt Ferrar. 3. contra Gent. cap. 10. qui moralitatem obiectiuam, vocat *naturalem*. Et Conradus, qui 1. 2. q. 20. art. 1. eam nominat *moralitatem tantùm inchoatam ac incompletam*. Medina ad eandem articulum, vocat *moralitatem in eſſendo*. Nimirum moralitas ſimpliciter dicta ea eſt, qua tanquam forma nobis inſidente, morales, id eſt, boni vel mali denominamur. Forma autem illa non eſt moralitas obiectiua quæ eſt nobis extrinſeca, & ideò contradiſtinguitur bonitati formali: quia quamuis moralitas obiectiua quæ eſt cauſa moralitatis nobis internæ, ſit formaliter in obiecto, tamen non eſt forma nobis inſidens, nóſque bonos vel malos denominans; quod eſt munus moralitatis formalis. Vnde proportione ſeruata non aliter ſe habet res in hoc negotio, quàm in ſanitate. Animal enim dici poteſt formaliter ſanum, quia habet in ſe formalem ſanitatem, nimirum proportionem qualitatum & humorum. Poteſt quoque dici ſanum cauſaliter, quatenus per modum cibi, poteſt alterius animalis ſanitatem inducere vel conſeruare, & ſic animal non eſt ſanum formaliter niſi in ratione cibi, quod non ſolet donari nomine ſanitatis formalis. Idem igitur contingit in hoc negotio.

Cùm verò moralitas obiectiua non ineſt actui externo, vel alicui rei non habenti rationem actus, ſed termini tantùm, V. G. Deo; ſed ineſt actui alicui interno elicito ex imperio alterius actus purè eliciti, atque adeò elicito ſimul & imperato; tunc in actu illo interno habente ratione obiecti, reſpectu alterius actus purè eliciti in eum tendentis, diſtinguenda eſt duplex moralitas. Nempe prima obiectiua, ei conſimilis quæ cernitur in actu externo, vel in obiecto non habente rationem actus. Secunda formalis, quæ ad aliam obiectiuam terminatur. Hoc tamen loco, moralitas iſta formalis concomitanter coniuncta moralitati obiectiuæ actus interni imperati ſimul & eliciti, miſſa facienda eſt: quia non ſpectat ad moralitatem obiectiuam de qua agimus, nec eſt radix moralitatis ſimpliciter dictæ, ſed eſt ipſamet propria moralitas.

Eſt collocanda ante formalem.

77. Vides inſuper ex dictis, cur moralitas obiectiua collocetur ante formalem, tanquam prima ejus radix. Quod omninò tradit S. Thomas 1. 2. q. 19. art. 1. *ad* 3. & q. 10. art. 1. & in 2. d. 40. quæſt. vnica, art 4.

initio corporis. & latè ac optimè q. 1. de malo, art. 3. *in corp.* vbi dicit, eſſe quædam moralia opera, quorum actus exteriores non ſunt ſecundùm ſe morales: ſed provt ex bona vel viciata intentione prodeunt; in quibus operibus manifeſtum eſſe ait moralitatem conſiſtere principaliter in voluntate. Sed addit, dari alia opera moralia, in quibus exteriores actus ſunt ſecundùm ſe morales, cuiuſmodi ſunt furtum & homicidium; vel ſi ſit ſermo de bonis operibus, ſubuentio exhibita egeno, & honor impenſus parentibus. In iſtiuſmodi porrò operibus moralibus, duplicem diſtinctionem adhibendam eſſe obſeruat S. Thomas. Prima eſt, moralitatem poſſe dici principaliter ineſſe, vel primordialiter, vel completiuè. Secunda eſt, actum exteriorem conſiderari poſſe, & provt eſt in apprehenſione ſecundùm ſuam rationem, & provt eſt in executione.

Si ergo actus ex ſe moralis, conſideretur provt eſt in apprehenſione ſecundùm ſuam rationem, ſic ait S. Thomas inueniri primordialiter in ipſo rationem moralitatis. Sub ea nanque ratione, comparatur ad voluntatem vt obiectum. Sicut autem actus ſunt præuij potentiis, ita & obiecta actibus. Priùs ergo ſiue vt cum S. Doctore loquamur *primordialiter*, moralitas, (vtique obiectiua,) cernitur tunc in actu externo, quàm in actu elicito. Sed ſi idem actus externus ex ſe moralis, ſpectetur provt eſt in executione; ſic moralitas priùs cernitur in actu interno, & ab eo ad actum exteriorem quaſi diffunditur. Actus quippe exterior comparatur ad interiorem, vt obiectum quod habet rationem finis. At finis quamuis ſit poſterior quoad eſſe & executionem, eſt tamen in intentione prior. Ita D. Thomas eo loco philoſophatur.

Scrupulus in contrarium.

78. Erit verò qui fortaſſis obiiciat, doctrinam eius de externis actibus ſecundùm ſe moralibus, excindere quod dixerat de aliis externis actibus ſecundùm ſe indifferentibus, quos negauit eſſe ſuo modo morales, priùs quàm ſit moralitas in actu interno intentionis, à qua hauriunt decus vel opprobrium ſuum: Secus quàm contingit in externis actibus ſecundùm ſe moralibus, quibus primordialiter ineſt moralitas, & ab iis ad actum internum deriuatur, mox refundenda & completiuè quaſi retorquenda ab interno actu ad externum. Opponet inquam contra hoc aliquis, quod circa actus externos ſecundùm ſe morales à S. Doctore poſitum eſt, nempe actus externos eſſe priùs ſuo modo morales: quia ſicut actus antecedunt potentiam, ita obiectum eſt præuium actibus. Atqui in euentu propoſito, actus exterior ſecundùm ſe indifferens, eſt obiectum actus interni. Ergo moralitas eius obiectiua, antecedit quoque moralitatem formalem actus interni, non minùs quàm moralitas formalis actus interni ſubſequitur obiectiuam moralitatem externi actus ſecundùm ſe moralis.

Eximitur.

Verùm facile eſt aduertere, longè diſparem eſſe rationem vtriuſque actus externi. Nam actus exterior ſecundùm ſe moralis, habet rationem finis, atque ita eſt motiuum & formale obiectum actus interni. Vnde meritò exterioris illius actus moralitas obiectiua, ſtatuitur anterior moralitate formali actus interni, circa externum illum actum tanquam circa obiectum & motiuum ſuum occupati. At actus exterior ſecundùm ſe indifferens, non habet rationem finis, quatenus indifferens eſt: ſed eo munere, fungitur finis extrinſecus & aduentitius, qui per voluntatis affectum externo illi actui adiungitur. Atque ita ſufficit vt obiectiua moralitas huiuſce finis, atque adeò etiam actus externi provt vnum quid facientis cum extrinſeco illo fine, ſit eodem modo prior reſpectu actus interni, quo moralitas obiectiua actus exterioris ſecundùm ſe moralis, prior eſt moralitate formali actus interni circa illum externum actum occupati. Ipſe verò actus exterior ſecundùm ſe ſumptus, & præciſè à radice amaritudinis vel bonitatis quam ex ſe non habet, nullius moralitatis eſt particeps antecedenter ad actum internum, à quo per refuſionem mox participabit non obiectiuam, ſed formalem moralitatem, cùm actus internus ex fine extrinſeco ad actum illum exteriorem appoſito, eam perceperit.

Quòd ſi actus exterior ſecundùm ſe indifferens ſumatur præciſè vt eſt indifferens ſecundùm ſpeciem ſuam; & actio interior circa illum eo præciſè modo conſideratum occupetur; tunc moralitas deriuabitur ab actu illo externo ſic accepto; ſed quoad executionem nequaquam indifferenti, imò morali, iuxta ſuprà dicta de actibus in indiuiduo non indifferentibus. Erimus autem extra quæſtionem præſentem, quæ ſpectabat actum provt ſecundùm ſe indifferentem, cuiuſmodi non eſt actus ille exterior, cùm nulli extrinſeco fini bono & rectæ rationi conſentaneo adiungitur. Porrò quod de actu ſecundùm ſe indifferenti ad finem extrinſecum moralem comparato nunc dictum eſt, habet proportione ſeruata locum in actibus ſecundùm ſe moralibus aliqua moralitate, ſed aliam aliquam haurientibus à fine extrinſecùs appoſito. Nam quoad hanc moralitatem aduentitiam, ſe habent eodem planè modo, quo ſi non eſſent ſecundùm ſe morales, eſtque priùs moralitas in actu interno, quàm in huiuſmodi actibus externis præciſè à fine extrinſeco conſideratis, vt de actibus externis ſecundùm ſe indifferentibus dictum eſt.

Inter moralitatem obiectiuam & formalem, nullus circulus quoad antecessionem.

79. Sic expoſita comparatione moralitatis obiectiuæ ad formalem, eſt per ſe euidens, nullum dari circulum in anteceſſione mutua moralitatum illarum in actu externo ad internum comparato: Et ſine abſurdo moralitatem dici priùs eſſe in obiecto & actu externo in vno ſenſu; dici autem eſſe priùs in actu interno, in alio ſenſu. Eſt enim priùs in actu externo, ſiue (vt vniuerſaliùs loquamur) in obiecto, quatenus eſt moralitas obiectiua, quæ non eſt vera & ſimpliciter dicta moralitas, ſed tantùm cauſa eius & radix. Eſt autem priùs in actu interno, ſi ſermo ſit de vera & ſimpliciter dicta moralitate, hoc eſt de ea, qua tanquam forma nobis inſidente, denominamur morales; boni inquam aut mali, quæ idcircò dicitur formalis moralitas. Hæc moralitas ab actu externo vt à cauſa prodiens, afficit primò actum internum; ab eo autem poſtmodum propter moralem vtriuſque actus coniunctionem, refunditur in externum; qui perfuſus ac veluti reſperſus aduentitia illa moralitate actus interni, cum quo vnum facere cenſetur, incipit tunc primùm denominari moralis, per participationem ab actu interno abſolutè & ſimpliciter morali, & radiis effectus ſui quaſi collucet. Vbi nullus circulus aut regreſſus vitioſus interuenit, ſed mutua tantùm prioritas & poſterioritas quoad diuerſa, quam vitio vacare, aliis innumeris exemplis eſt perſpectiſſimum.

Reſtrinxi autem hanc difficultatem de circulo, ad actum externum & internum inuicem comparatos; quia ſi agamus vniuerſè de moralitate obiectiua, eámque cum formali ex ea dimanante comparemus, certum eſt, non eſſe timendum circulum. Nam cùm moralitas obiectiua non eſt in actu externo, ſed in

aliquo non habente rationem actus, perſpicuum eſt, ceſſare refuſionem illam moralitatis formalis ab interno actu, ratione cuius refuſionis non benè perceptæ, timebatur circulus, & mutua anteceſſio vitioſa. Illud enim obiectum interni actus, quod non eſt actus exterior, non eſt capax refuſionis illius. Vnde moralitas tunc non cernitur vllo pacto in eo obiecto conſequenter ad moralitatem actus interni, ſed moralitas illius obiecti eſt planè prior moralitate actus interni, eáque nullo modo poſterior. In actu autem externo cùm interuenit, timeri meritò potuit circulus, quia & fundat moralitatem actus interni, & eatenus, qualiſcunque ea moralitas, eſt anterior, & ab actu interno iam morali, quadam veluti aſpergine moralitatis formalis ac ſimpliciter dictæ perfunditur, & eatenus moralitas eius eſt poſterior moralitate actus interni vnum cum eo moraliter facientis: & idcircò operæ pretium fuit diſtinguere, quàm rectè mutua illa prioritas moralitatis vtrique actui competentis cohæreret.

Moralitas obiectiua, primaria & ſecundaria.

80. Secundò moralitatem obiectiuam ſecui in duo membra; & vnam dixi primariam, alteram ſecundariam. Circa quod operæpretium primò facturus videor, ſi vocum notionem proferam. Neque enim hîc moralitatem primariam aut ſecundariam vſurpo eo ſenſu, quo hæ voces vſurpantur apud Scot. quodl. 18. *litera C*, vbi agens de bonitate, eam dicit eſſe bonitatem primariam, quæ conuenit enti alicui ex eo quòd ens eſt, quam etiam vocat *bonitatem eſſentialem*, & contraponit eam bonitati ſecundariæ, quam ait eſſe *accidentalem*, ſiue *ſuperuenientem entitati*. Non inquam in eum ſenſum vſurpo hoc loco primariam & ſecundariam moralitatem. Sed cùm omnem entitatiuam conditionem vel affectionem actionis reuocare oporteat ad genus naturæ, de quo hac tractatione non diſputamus, geminum illum moralitatis ordinem, quo vna primaria, altera ſecundaria hoc loco dicitur, neceſſe eſt extra genus naturæ conſiderare. vt fert ipſum moralitatis nomen. Et ſanè alioqui nullam haberemus malitiam primariam: quandoquidem in genere entis, nihil eſt abſolutè & ſimpliciter malum.

Iam verò intra ipſum genus moris, nonnulli primariam moralitatem cenſent eſſe idem quod ſubſtantialem & ſpecificam; ſecundariam autem confundunt cum accidentaria Sed non benè. Nam moralitas ſecundaria ſæpè eſt ſubſtantialis, vt patet de moralitate, quæ ducitur ex obiecto materiali non propter ſe volito, quæ ſubſtantialis eſt, & tamen non eſt niſi ſecundaria. Similiter moralitas ducta ex circunſtantiis extrinſecis, confert plerunque nouam ſpeciem, ideóque ſpecifica eſt, nec tamen eſt primaria, ſed ſecundaria Quare primariam moralitatem eam intelligo, quæ in actu in quo cum altera moralitate eiuſdem generis concurrit, potiores partes obtinet. Et per proportionem, in aliis quæ moralia dicuntur, putà in obiectis, ea dicitur moralitas primaria, quæ eminet comparatione alterius, quod ſimili ratione morale dicitur.

Primaria, inſidet materiæ proximæ.

81. Moralitas ergo obiectiua primaria, in actibus externis ducitur ex materia circa quam, non nuda, ſed internis circunſtantiis veſtita. Proximè autem ſita eſt in ipſo actu externo, (qui ad actum internum habet rationem materiæ proximæ,) & internis eius circunſtantiis. Itaque vniuerſaliter loquendo rectè dicitur, moralitatem obiectiuam primariam ſitam eſſe in materia actus interni, & eiuſdem materiæ circunſtantiis internis, neglecta rigoroſa illa materiæ & obiecti diſtinctione, quæ apud D. Thomam ſuprà habetur: ita vt materia circa quam, in quodam vocis rigore, arctetur ad obiectum actus externi, V. G. ad rem alienam, quæ eſt furti materia: vel ad hominem, qui eſt materia homicidij Hunc inquam vocis rigorem nunc non moramur, dummodò de re conſtet: Et idcircò dicimus moralitatem obiectiuam ſitam eſſe in materia proxima; id eſt in obiecto immediato actus interni. Quòd enim cùm materia proxima actus interni eſt actus exterior, ſit rurſus diſtinguibilis alia materia, quæ reſpectu actus interni eſt remota & mediata, non debet mutare ſedem moralitatis obiectiuæ primariæ, quæ in proximo actus exterioris obiecto collocari debet.

Quòd ergo materiam dico eſſe ſedem moralitatis obiectiuæ primariæ, difficultate vacat: Nam vel ipſum nomen docet moralitatem obiectiuam ſitam eſſe in obiecto actus interni, quod ſubſtantialiter eſt ipſamet eius materia proxima. Agimus enim de obiecto proximo ex ſe morali. Obiectum autem ex ſe indifferens, conſtat non eſſe ſedem moralitatis obiectiuæ cuiuſcunque. At obiectum ex ſe morale, continet primam & ſubſtantialem moralitatem obiectiuam, quam nunc conſideramus, nihil morati quæ ſit primaria vel ſecundaria moralitas in actu interno, ſed præciſè attendentes, quæ in obiectis debeat cenſeri primaria moralitas Non enim de moralitate obiectiua ſtatuendum eſt eodem modo quo de formali, quaſi ea ſit moralitas obiectiua primaria, quæ cauſat & fundat primariam formalem: ea verò ſecundaria, quæ cauſat ſecundariam formalem. Id quippe falſum eſſet, cùm conſtet finem extrinſecum fundare primariam moralitatem formalem in actu interno finem illum impetente, nec tamen continere primariam moralitatem obiectiuam. Itaque moralitates obiectiuæ comparandæ ſunt inter ſeipſas neglecto, (quoad principalitatem,) reſpectu earum ad moralitates formales ex eis ducibiles. Et ideircò rectè Vaſq. 1.2. d. 51. c. 4 dixit, effatum illud Ariſtotelicum ex 5. Eth. c. 2. *qui furatur ob adulterium, magis eſt intemperans quàm fur*, non habere locum niſi in moralitate formali. Nam quod attinet ad moralitatem obiectiuam, rectè Caietanus 1.2. q. 18. art. 4. malè reiectus à Val. 1. 2. d 2. q. 13. p. 2. §. *Cæterum*, & p. 4. aſſert. 2. pronunciauit eam in exemplo illo Ariſtotelico, eſſe primariò furti, nec niſi ſecundariò & accidentariè adulterij; quatenus videlicet moralitati illi obiectiuæ furti, apta eſt adiungi malitia obiectiua adulterij, interuentu internæ appetitionis ad duo illa obiecta tendentis, ſeu quatenus actio externa furti, quæ eſt ſedes moralitatis obiectiuæ primariæ, apta eſt proficiſci ex voluntate perpetrandi adulterium.

82. Aio igitur moralitatem obiectiuam primariam, contineri obiecto ſiue materia propria. Et ſanè quamuis actus interior circa hoc duntaxat obiectum verſari intelligeretur, nec haberet vllum vlteriorem ordinem ad rectam rationem penes huius materiæ adiuncta, adhuc reſenturus eſſet illum ſuum ordinem ad rationem rectam omnibus aliis præſuppoſitum, & huic actui intrinſecum, quæ eſt in obiecto germana notio moralitatis obiectiuæ ſubſtantialis atque primariæ. Quòd autem aliqui hanc præterea regulam aſſignant ad internoſcendam moralitatem primariam obiectiuam à ſecundaria, quòd primaria poſſit ſine alia moralitate manere, non item ſecundaria; non poteſt vniuerſè admitti. Nam dato obiecto ex ſe morali, & fine extrinſeco ei adiuncto item ex ſe morali, habetur duplex moralitas obiectiua, quarum vtraque cohærere poteſt abſque alia. V. G. cùm quis rabie in hoſtem

hoſtem actus violat ieiunium, vt in conuiuio hoſtem blandè ad epulas pellectum trucidet, violatio ieiunij quæ eſt materialiter mala iure tantùm poſitiuo, poteſt abiicere malitiam, perſtante malitia finis extrinſeci, quæ pugnat cum iure naturali. Frequentiſſimè autem moralitas obiecti interni, ſiue materiæ propriæ, perſtat abſque moralitate finis extrinſeci. Quid enim familiarius, quàm vt finis aſcititius abiiciatur, retineatur autem finis internus actionis, ſiue materia eius propria? Itaque notio moralitatis primariæ & ſecundariæ à nobis tradita, commodior eſt & retinenda.

Prout quibuſdam conditionibus conueſtita.

Hanc porrò materiam, ſi nuda ſit, nec ſumatur cum quibuſdam internis eius adiunctis & conditionibus, certum eſt non debere ſtatui ſedem moralitatis obiectiuæ. Ferè enim omnes materiæ, ſi nudæ ſumantur, ſunt indifferentes. V. G. homo poteſt iuſtè & iniuſtè occidi. Vnde ſi homo ſumatur præciſè ab omnibus eius adiunctis & conditionibus non continet vllam moralitatem obiectiuam. Quam enim? Non honeſtatem: alioqui fas eſſet homini quomodolibet vitam eripere. Non etiam turpitudinem: alioqui omnis vitæ humanæ ereptio eſſet vitioſa & illicita, peccarént que publicæ iuſtitiæ adminiſtri, cùm ad commune bonum tuendum, ſontibus vitæ vſuram adimunt. Itaque de materia nuda & ab omnibus eius conditionibus abiuncta, ne remotè quidem iudicium feret recta ratio. Ex quo perſpicuè euincitur moralitatem obiectiuam non eſſe in nuda materia propria collocandam, ſed in eadem prout internis ſuis quibuſdam adiunctis aut conditionibus conueſtita.

83. Paſſim vocant *circunſtantias internas*, non omninò benè, cùm interdum hæ conditiones procul abſint à ratione circunſtantiæ. Quod vt perſpiciatur, obſeruo ex D. Thoma q. 2. de malo, art. 6. *ſub finem*, circunſtantiam dici quia circunſtat & veluti adiacet; ad quod requiritur primò vt non ſe habeat prorſus impertinenter aut merè concomitanter ad rem, quam circunſtare dicitur, ſed eam aliquo tandem modo afficiat, vt ſonat vox ipſa *circunſtantia*, & vox *adiacentia*. Quæ cauſa eſt, cur furari pecuniam detrahendo de fama, non ſit circunſtantia detractionis. Secundò ad rationem circunſtantiæ requiritur, vt non ſit eſſentialis rei, quam circunſtat, alioqui eam non circunſtaret, ſed conſtitueret. Hinc igitur apertè habetur, conditiones illas materiæ, ſine quibus ipſa talis eſſet, vt recta ratio non poſſet de ea ferre iudicium, non debere propriè vocari circunſtantias materiæ obiectiuè moralis, quandoquidem ſine eis materia nuda eſt omninò extra genus moris, etiam quatenus obiectum, vt oſtendi in exemplo hominis, qui vt ſit materia moralis reſpectu occiſionis, debet conſiderari vt peremptus abſque authoritate publica, aut moderamine inculpatæ tutelæ. Nec aliter philoſophabimur, ſi conſideremus occiſionem ipſam, quæ eſt proxima & immediata materia actus interni. Omiſſio enim nudè & ſecundùm ſe ſumpta, neque bona neque mala eſt. Idem perſpicuè cernitur in materia comeſtionis, nempe in cibo, & in ipſa comeſtione; quæ non ſunt entia obiectiuè moralia, prout ſunt præciſè cibus aut comeſtio, ſed quatenus adiunctam habent nimietatem vel mediocritatem vel defectum. Atque ita nimia quantitas, vel quantitas deficiens, generatim loquendo, itémque quantitas mediocris, non poteſt vocari circunſtantia cibi vel comeſtionis quatenus obiectiuè moralis, ſed debet vocari conditio, pertinens ad cibum vel comeſtionem in genere obiecti moralis conſtituendam.

Ratio eſt quia circunſtantia propriè dicta habet peculiarem ordinem conſonantiæ vel diſſonantiæ ad rectam rationem, ideóque confert actui peculiarem moralitatem, vt perſpicuum eſt de circunſtantia finis extrinſeci. At conditiones, de quibus agimus, pertinent ad conſtitutionem obiecti in genere obiecti moralis, dummodò ſumatur generatim & quaſi vagè. Quod addo, quia ſi nimietas earum quoad exceſſum aut defectum ſpectetur vt habet certam veluti menſuram capacem augmenti vel diminutionis; ſeu ſi ſpectetur non præciſè vt eſt excedens aut deficiens, ſed prout eſt tali vel tali modo excedens aut deficiens; ſic ea nimietas poteſt habere rationem circunſtantiæ intra eandem ſpeciem aggrauantis aut minuentis. Materia nanque illa per eam internarum ſuarum conditionum diuerſitatem modificatur, fitque radix maioris vel minoris moralitatis formalis.

Quomodo ſumenda, vt tantùm integrent moralitatem obiecti.

84. Itaque materia & conditiones eius, vel (vt cum pleriſque loquamur.) circunſtantiæ eius intrinſecæ & propriæ, ſeu pertinentes ad eandem materiam atque motiuum, non numerantur vt diſtincti fontes moralitatis obiectiuæ: quia circunſtantiæ illæ ſunt principia eſſentialiter integrantia moralitatem obiectiuam, etiamſi ex eis in certa quadam menſura acceptis, deriuetur modus quidam in moralitaté obiectiuam, quam integrant, ſi generatim & quaſi vagè accipiantur. Modum appello, quia non eſt ſpecies noua, ac ne accidentaria quidem, qualis in fine extrinſeco cernitur, ſed eſt tantùm determinatio illiuſmet ſpeciei moralitatis, quæ ex materia & conditionibus vagè ſumptis integratur. Vnde, vt loquitur Scotus quodl. 18. *liter. L*, non exiſtunt inde multæ moralitates, V.G. multæ bonitates, ſed vnica pertinens ad vnam virtutem; perfectior tamen vel minùs perfecta, pro conditionum illarum ad obiectum aliquod morale intrinſecè ſpectantium, maiore vel minore excellentia. Sed hæc multò magis illuſtrabuntur, cùm in ſequentibus expoſuerimus, quomodò circunſtantiæ propriè dictæ moralitatem ſpecialem fundent. Quod diligenter exponunt D. Thom. q. 2. de malo, a. 1. & 6. Durand. in 4. d. 16. q. 1. n. 5. & ſequentibus.

De moralitate obiectiua ſecundaria, vniuersè.

85. Venio ad obiectiuam moralitatem ſecundariam & quaſi accidentariam. Quæ cuiuſmodi ſit, breuiter expediri poteſt, dicendo, eſſe omnem illam quæ poteſt ſecerni à moralitate primaria hactenus expoſita: hoc eſt, quæ non conſiſtit in materia propria intrinſecis ſuis conditionibus conueſtita, ſed in quocunque alio ad eam materiam adiuncto. Id quod aliquantò facilius apparet, cùm materia ex ſe eſt moralis obiectiuè: Tunc enim faciliùs innoteſcit, obiectiuam moralitatem cuiuſvis ad eam materiam non pertinentis eſſe aduentitiam, & materiæ, ad quam accedit, ſecundariam.

Quanquam non omninò etiam difficultate vacat, quomodò moralitas obiectiua finis extrinſeci, aliarúmque eiuſmodi circunſtantiarum, cenſeatur adiungi moralitati obiectiuæ primariæ, ſitæ in materia intrinſecis circunſtantiis conſtituta in genere obiecti moralis, quandoquidem priuſquàm actus internus eliciatur, finis ille extrinſecus, eo ipſo quòd extrinſecus ſupponitur, nullam habet connexionem cum tali materia. Vnde priuſquàm finis extrinſecus appetatur de facto, moralitas eius obiectiua ſe habet diſparatè ad moralitatem obiectiuam materiæ.

Quorſum igitur vnam earum primariam, alteram ſecundariam appellabimus, cùm ſint inconnexæ? Sed longè etiam acriùs pungit difficultas, cùm materia non eſt ex ſe moralis. Nam tunc nulla prima moralitas in materia ſupponitur, per comparationem ad quam moralitas obiectiua finis extrinſeci, & aliarum aduentitiarum circumſtantiarum, dici poſſit ſecunda. Itaque nonnulli moralitatem quancunque obiectiuam circumſtantiarum extrinſecarum expunxerunt, vt refert Salas 1. 2. tract. 7. d. 2. n. 29.

Nihilominùs non deeſt commoda ratio exponendi, quomodò moralitas obiectiua in circũſtantiis quoque extrinſecis cerni poſſit; & quidem non quomodocunque, ſed etiam prout ſecunda. Nam materia, quæ eſt ſedes moralitatis obiectiuæ, poteſt conſiderari quatenus per actum internum elicibilem, eſt ad extrinſecum finem ordinabilis, & informabilis per alias extrinſecas circumſtantias. Quatenus autem materia præconcipitur vt ordinabilis ad eum modum, eſt manifeſtè anterior quouis actu interno actualiter elicito, quamuis non eo actu interno elicibili, qui eſt præconcipiendus ei ordinabilitati. Illa ergo materiæ per actum internum ordinabilitas ad extrinſecas circumſtantias. V. G. ad finem aſcititium, eſt moralitas quædam obiectiua, non prorſus abiuncta à moralitate ipſimet materiæ interna. Sicut enim cùm materia actu appetitur ex fine illo, cenſetur interuenire quædam connexio inter materiam & finem, ratione actus interni cui vni ſubſtant, & per quem aliquatenus vinculantur: Ita inter materiam prout appetibilem ex eo fine per actum internum elicibilem, ipſúmque finem, cenſetur intercedere connexio aliqua, ratione cuius ambæ illæ moralitates non ſe habent vt omninò diſparatæ. Vnde conſiderando moralitatem obiectiuam materiæ, rectè dicitur, moralitatem circonſtantiarum extrinſecarum eſſe reſpectu eius ſecundam, cùm ſuperueniat primæ eius determinationi in genere moris.

86. Hinc eliſa manet difficultas quoad primum caput propoſitum, hoc eſt, cùm materia eſt ex ſe moralis. At cùm materia eſt ex ſe indifferens; admittendum eſt, nullam præſupponi in ea obiectiuam moralitatem, determinabilem per obiectiuam moralitatem circumſtantiarum extrinſecarum. Itaque tunc quamuis materia ſit ordinabilis ad extrinſecum illum finem; tamen quia ea ordinabilitas non ſupponit vllam materiæ moralitatem, quæ ſubſternatur moralitati obiectiuæ ſitæ in circumſtantiis terminatiuis actus interni, circa eam materiam verſantis, & idcircò aliquatenus vinculantis duo illa obiecta; mirum non eſt quòd ſecundam moralitatem obiectiuam non agnoſcamus, ſed vnicam in extrinſecis circumſtantiis ſitam. Id quod iam ſuprà annotatum eſt ex D. Thoma q. 2. de malo, art. 3. rectéque vidit Vaſques 1. 2. d 53. n. 10. Hinc verò apertè habetur, quomodo moralitas quoque obiectiua, ex obiecto & circumſtantiis extrinſecis coaleſcat, quod plenè infrà circa formalẽ moralitatẽ, exponemus.

Sigillatim de eadem in duratione.

Iam verò in particulari ſpectando has extrinſecas actus humani circumſtantias, nulla eſt difficultas vtriuſque moralitatis ſpeciei communis, præterquàm de duratione actus certa & determinata. De fine quidem extrinſeco, & circumſtantia *quibus auxiliis*, litem mouent aliqui; ſed duntaxat quoad honeſtatem. Et idcircò infrà tractantes eam moralitatis ſpeciem, ſtatuemus quid in ea controuerſia verum videatur. De circumſtantia item modi, V. G. de intenſione actus videtur poſſe lis excitari, eo quòd ſæpè non obiiciatur volitioni, proindéque non debeat cenſeri continere moralitatem obiectiuam. Sed hæc eſſet lis de vocabulo. Nunc enim nomine moralitatis obiectiuæ, deſignatam volumus omnem illam, quæ ex parte obiecti vel circumſtantiarum eius ſe tenet, indéque ducitur; etiamſi illæ circumſtantiæ non tranſeant in obiectum actus. Qua ratione & circumſtantia modi quo fit actio, & quælibet alia circumſtantia, rectè cenſetur continere moralitatem obiectiuam reſpectu actus.

87 At quoad durationem actionis, dubitatio eſt, & vtriuſ moralitati communis, & de re ipſa non de vocibus; poſſitne inde moralitas aliqua accidentaria in actum deriuari, proindéque an duratio cenſeri poſſit radix moralitatis formalis, & ad moralitatem obiectiuam ſuo modo pertinere. Quòd enim reuera pertineat, inde videtur perſpicuum, quòd actioni bonæ diutiùs inſiſtere, laudabilius & honeſtius cenſetur: Et è contrà, mora in actione inhoneſta, eo fœdior eſt atque probroſior, quo diuturnior.

Quod intelligo non tantùm de inhoneſtate vel bonitate maiore perſonæ operantis, ſed etiam de maiore bonitate vel malitia actus, quem perſona elicit, contra inutilem diſtinctionem ab Almaino traditam tr. 1. moral. c. 9 vbi ait ex continuatione, perſonam quidem effici meliorem vel deteriorem; non tamen actum, qui continuatur. At hæc eſt manifeſta implicantia in adiecto. Nam ratio cur perſona ex actus continuatione melior aut deterior efficiatur, nõ poteſt eſſe alia, quàm ipſa maior honeſtas vel malitia actus, quo tanquam forma homo efficitur bonus vel malus. Argumentum verò Almaini firmum non eſt. Ait enim; Si actus tempore pro quo continuatur, eliceretur tunc primùm, non haberet augmentum illud moralitatis. Ergo cùm non obſtante continuatione ſit idemmet qui eſſet ſi tunc primùm eliceretur, non habet auctiorem moralitatem. Hoc argumentum aio eſſe infirmum: Actus enim per continuationem, eſt idem phyſicè. Et hoc duntaxat probat ratio Almaini. Moraliter tamen aliter ſe habet, ac proinde eſt moraliter auctior.

Difficultas ex inſtantium infinitate.

88. Pro altera tamen parte, quæ omnem huiuſmodi moralitatis ex duratione deriuationem inficiatur, facit argumentum vulgare à Nominalibus iam olim exercitationis gratia propoſitum, cùm expenderent quantitatem meriti actuum bonorum, ſuppoſito maiore eorum valore ex diuturniore continuatione. Hibernicus autem apud Gregorium in 2. d. 3. q. 1. art. 1. *ratione 6.* illud etiam argumentum adhibuit, vt probaret nullam volitionem eſſe momentaneam. Argumentum eſt huiuſmodi. Si per actus durationem prolixiorem, honeſtas eius vel turpitudo auctior fieret, ſequeretur in quodlibet actu ad breue aliquod tempus durante, eſſe moralitatem infinitam. Nam actus in primo momento quo editur, eſt moralis, quia iam tunc eſt liber, & ſupponitur habere omnia alia principia certæ alicuius moralitatis, putà honeſtatis vel turpitudinis: proptereà enim meritum & demeritum actui libero tametſi momentaneo, adiungi poſſunt.

Eſt igitur in actu ad aliquod tempus durante, moralitas iam ab initio, & quidem ſtata & certa. Nam ſi progreſſio actus ſtatim à primo momento intercideretur, eſſétque planè momentaneus, eſſet nihilominùs liber & moralis Vnde quia per accidens eſt, quòd actus interior prorogetur ad aliquam moram, fatendum eſt, eum cùm ad aliquod temporis ſpatium continuatur, habere iam ex primo momento illam met determinatam moralitatem quam haberet ſi tantùm ad momentum perſtaret. De illa ergo primi inſtantis moralitate ſtata ac determinata, formatur argumentum: quia eadem eſt entitas actus, & cum eodem reſpectu ad ſuam regulam in quolibet inſtanti ſequenti, ac in primo illo. Atqui inſtantia ſequentia primum

in

in tempore quantumuis breui, ſunt infinita: Ergo & moralitas vnius actus, infinita fiet, quippe aucta accidentariò intra eandem ſpeciem per partes æquales multitudine infinitas, nec pauciores quàm ſint momenta in tempore quo actus durat: hæc autem conſtat eſſe infinita, nec poſſe concludi vllo numero.

Quid communiter Authores ad eam difficultatem ſupponant, & quàm variè extricent.

89. Mirum eſt, quàm variè Authores nodum hunc expediant, quantámque eis difficultatem iam olim facesſiuerit, vt videre eſt apud Angeſtum c. 8. mor. t. 7. Vaſq. 1. 2. d 54. c. 3. Salam 1. 2. tr 13. d 5. à n. 69. Suarem l. 12. de grat. c 21. & diſp. 2. de reuiuiſc. merit. ſ. 3. à n. 6. paſſimque alios de augmento gratiæ vel charitatis diſputantes: qui tametſi ſpectent duntaxat infinitatem præmij vel pœnæ, moralem actum aliquandiu continuatum conſecuturæ iuxta hoc argumentum, eámque ſolam auertere ſatagant; tamen eadem opera infinitatem moralitatis reiiciunt, quandoquidem totum fundamentum condignitatis præmij vel ſupplicij, eſt ipſa actus moralitas.

Omnes autem pro certo ſupponunt, (& rectè,) moralitatem actus auctiorem eſſe ratione continuationis & durationis maioris Quamuis enim ex maiori actus duratione non augeatur tendentia eius in obiectum, nec aliquid illi intrinſecum auctius fiat, iuxta veriorem ſententiam de reali durationis indiſtinctione ab exiſtentia, quam eſſe ad hoc moralitatis accrementum defendendum neceſſariam, malè ſupponere videtur Salas 1. 2. tr. 7. d. 2. n. 121. Tamen non videtur poſſe dubitari, quin diuturnior conſeruatio actus boni ſit laudabilior; & diuturnior conſeruatio actus mali, ſit probroſior & deteſtabilior. At hæ affectiones actuum ſunt veluti germina moralitatis, vt proinde parum aptè aliqui apud eundem Salam ſuprà, conceſſa maiore operis honeſti diutiùs continuati laudabilitate, inficientur nihilominùs honeſtatem eius eſſe maiorem ex eo quòd continuatus fuerit diutiùs. Quomodò enim poſſet proprietas creſcere, immutata radice ex qua promanat?

90. Itaque fixum eſto, actum ex aliis ſuis principiis moralem, accedente maiore continuatione acquirere moralitatem auctiorem, non phyſicè per gradnale accrementum alicuius phyſicæ entitatis, ſed moraliter per maius pretium & valorem eiuſdem entitatis phyſicè immutatæ. Vnde habetur circunſtantiam temporis diuturnioris continere aliquam moralitatem obiectiuam accidentariam, quæ in eadem ſpecie augeat moralitatem actui aliunde aduenturam in gradu minori. Hæc enim circunſtantia quia non importat diuerſum ordinem ad rectam rationem, non auget niſi intra eandem ſpeciem, nec confert ad moralitatem, niſi præſuppoſito tali vel tali ordine actus ad regulam, penes obiectum aliáſve circunſtantias per ſe primò conſonas aut diſſonas rationi rectæ.

Cùm tamen certum quoque ſit, actum ad breue tempus durantem, V.G. ad horam vel horæ quadrantem, non eſſe infinita moralitate præditum: alioqui infinitum præmium, aut infinitum ſupplicium depoſceret; videndum eſt quomodò argumentum propoſitum elidi congruè poſſit, adductis breuiter Authorum placitis, quæ ad tria ferè capita reduci video. Primum eſt illorum, qui negant pro vllis inſtantibus temporis eſſe in actu moralitatem, eo quòd nulla pro illis vigeat libertas in voluntate. Secundum eſt eorum, qui in primo momento quo actus elicitur, agnoſcunt competere illi libertatem & moralitatem, & quidem determinatam & certam: Id tamen non admittunt de reliquis inſtantibus, ſaltémque non de omnibus, & ad ſummum indiuiſibilem ac inſtanti proportionatam moralitatem actui concedunt, pro omnibus inſtantibus quibus continuatur. Tertia denique eſt eorum, qui pro omnibus inſtantibus agnoſcunt in actu moralitatem.

Qui negent inſtantibus reſpondere moralitatem.

91. Ad primum caput pertinet reſponſio Gregorij ſuprà art 1. *ad 4. Hibernici*, vbi docet, actum in primo inſtanti liberè poſitum, durare neceſſariò per aliquam breuem moram determinatam, in qua proinde moralitas non habet locum, quandoquidem actus tunc eſt neceſſarius. Vnde facilè infringitur difficultas, in qua verſamur. Nam primo inſtanti nulla reſpondet moralitas, nulla item reliquis inſtantibus, in quibus operatio continuatur: Sed tantùm breuibus illis moris conſequentibus ſingula inſtantia, in quibus actus continuari ſupponitur. Breues autem illæ moræ ſunt numero finitæ, ac proinde moralitas eis reſpondens finita erit. Hæc eſt germana mens Gregorij, eúmque ita intellexit Almainus tr. 1. moral. c. 9. & Capreolus in 2. d. 5. q vnica. *ad 4. primo loco* Vbi in fine quæſtionis ad argumenta tertio loco, multa argumenta refert, quibus Campſalis vrgebat Adamum eiuſdem ſententiæ defenſorem, vt refert Capreolus; quamuis Almainus Adamum referat pro contraria ſententia.

Vaſques tamen 1. 2 d. 54. *in fine*, ita Gregorium interpretatur, vt tantùm voluerit actionem ex ſua natura non poſſe eſſe tantùm per inſtans, quamuis ſit libera toto tempore quo durat. Quam doctrinam approbat idem Author, & ad hunc nodum expediendum accommodat, dicendo, actioni prout in primo momento & in aliis omnibus elicitæ, nullam reſpondere determinatam moralitatem: quia ſicut non poteſt in illo tantùm momento eſſe, ſed tantùm in toto aliquo tempore: ita in eo ſolo poteſt habere moralitatem partibus temporis proportionalibus coaptandam, atque adeò non niſi infinitis ſuis partibus proportionalibus contexendam, quæ non eſt infinitas auerſanda.

Improbantur.

92. Vtrouis autem ſenſu illam Gregorij reſponſionem accipiamus, non videtur probanda. Et primus quidem ſenſus, quem dixi verè à Gregorio intendi, manifeſtè falſus eſt, ideóque Angeſtus c 8. mor. t 7. ait illũ non fuiſſe confictum niſi ad eludendam difficultatem. Sanè impoſſibile eſt afferre, vndenam voluntas poſt primum inſtans neceſſitetur. Non enim à Deo, qui perinde concurrit toto tempore quo actus durat, atque initio. Vnde ſicut in primo momento non infert neceſſitatem, ita neque poſteà. Non item ab alia vlla externa cauſa, quia nulla eſt, quæ agat in voluntatem. Nec denique ab interna, quia & intellectus & voluntas, eodem modo ſe habent ad actum in eius initio & in continuatione, ac progreſſu. Vnde ſi nulla libertas eſt in initio, nulla quoque erit in vniuerſo progreſſu.

Durum quoque videtur aſſerere, actum moraliter turpem eſſe neceſſarium ad aliquod tempus breue, ita vt per illud abrumpi nequeat; ſiue illud tempus ſtatuatur determinatum & ſtatutum, quod reuera affirmat Gregorius; ſiue dicatur eſſe indeterminatum, quo pacto aliqui Gregorij ſententiam exponunt & ſequuntur; affirmantes, peccatum idcircò ſemper cenſeri liberum, quia voluntas ante quodlibet tempus ſignatum, potuiſſet ab agendo deſiſtere, etiamſi actio ſemel inchoata inaſſignabilem aliquam moram neceſſariò percurrat. Vtrumvis inquam de eo breui tempore ſtatuatur, durum eſt, neceſſariam aliquam actus moraliter inhoneſti durationem, ſiue determinatam & aſſignabi-

lem,ſiue indeterminatam & inaſſignabilem concedere, cùm peccatum, quomodocunque ſpectetur, non poſſit non eſſe voluntarium, & idem eſt de actione honeſta & moraliter bona.

Poſterior verò ſenſus quem Gregorio à Vaſque tribui & approbari referebam, multipliciter repelli poteſt. In primis enim nititur principio ruinoſo: Nempe quòd omnis actio permanens debeat ſuapte natura durare pluſquàm per inſtans, nec poſſit deſinere intrinſecè, ſed debeat extrinſecè deſinere; ita vt inter primum eſſe,quo incipit,& primum non eſſe,quo deſinit,interlabatur tempus aliquod.Huius principij falſitatem attigi in tractatione de libertate, *in ipſo fin.* ,& pleniùs aperui in Phyſicis. Eo autem principio diſiecto,corruit omnis ſubſtructio reſponſionis quæ illi inædificabatur. Prætereà etiamſi verum eſſet actionem omnem eſſe pluſquàm momentaneam, tamen eo ipſo quòd libera eſſet & omnibus moralitatis principiis ſubſtrata iam ex primo momento, non poſſet ei iam tunc negari moralitas:atque ita tota difficultas propoſita ſupereſſet ſoluenda non obſtante procurſu illo per accidens in reliquum tempus, pro quo accrementum moralitatis rectè vrgebatur in argumēti propoſitione.

Qui eam ſoli primo inſtanti reſpondere velint, ſaltem certam.

93. Nihilò ſolidiores videntur aliæ eiuſdem argumenti dilutiones, ad ſecundum caput ſuprà poſitum referendæ. Eorum videlicet qui admittunt moralitatem in actione pro primo duntaxat inſtanti. Nec multùm ab ea ſententia abſunt, qui actioni ex continuatione vlteriori poſt primum inſtans, accrementum duntaxat indiuiſibile moralitatis concedunt pro ſingulis indiuiſibilibus reliqui temporis,quo actio prorogatur. Alij verò ſtatam & determinatam moralitatem actui accedere dicunt, pro aliquibus duntaxat inſtantibus præter primum; hoc eſt, pro iis ad quæ intellectus poteſt aduertere ſufficienter, & conſequenter in quibus voluntas poteſt ſufficienter in actum ſuum dominio pollere: aut certè pro omnibus inſtantibus determinatis,quæ inſtantia ſunt finita, & idcircò moralitas per ea auctior,non euadit infinita. Quæ poſtrema ſolutio placuit Angeſto l. 1. de virtut. c. 11. docum. 2.

Refelluntur.

Has ſolutiones nego ſatisfacere. Nam qui primum duntaxat inſtans,moralitatis fertile ſtatuunt,nunquam aſſignabunt ſolidum diſcrimen primi inſtantis & reliquorum pertinentium ad tempus,quo actio continuari ſupponitur. Vigent enim omnes moralitatis radices pro toto tempore poſt primum inſtans, æquè ac pro primo inſtanti: Et conſequenter reliqua quoque inſtantia,moralitatem determinatam actioni conuehere debent,non minùs quàm primum,in quo fuit quidem primus vſus libertatis,& conſequenter primum moralitatis initium:ita tamen vt ſicut idem planè libertatis vſus reliquo tempore & omnibus eius inſtantibus locum habet;ita eadem moralitatis quantitas in ſingulis illis inſtantibus conſequentibus, actum conueſtiat. Idem dico de inſtantibus determinatis;quæ certè per noſtram determinationem & aſſignationem non accipiunt, vnde cæteris eiuſdem temporis inſtantibus præferantur quoad moralitatis feracitatem:in qua ridiculè à nonnullis ſubſcudes & indiuiſibilia fingi videntur, quæ vtique non ſunt moralitas:cùm tamen oſtenſum ſit, actionem pro inſtantibus illis quibus continuatur, ſubſtare omnibus moralitatis fontibus, proindéque debere ea perfundi, non autem quibuſdam duntaxat moralitatis præſegminibus atque minutiis.

Sanè niſi ſingula inſtantia totius temporis quo actio prorogatur,paria ſint quoad hanc moralitatis,in actum conuectionem, ſed primum duntaxat,vel præter primum pauca aliqua inſtantia,certam ac determinatam moralitatem actui concilient;fatendum erit ſatius fore perſtare diutiùs in volutabro impuræ cogitationis, quàm identidem in illud reuolui per actus interruptos & diſcontinuos,eo quòd minùs fœditatis illinendum ſit actibus ex perſeuerantia actionis, quàm ex interciſo eius exercitio. Et è contrà fatendum erit, honeſtius eſſe bonam operationem identidem abrumpere & reſumere, quàm continuè in ea perſtare per tempus aliquod: quæ tamen ſunt manifeſtè abſurda. Nam peius eſt perſtare in odio Dei, quam illud aliquoties renouare cum eadem intenſione. Longè item præſtat perſeuerare abſque interruptione in bono opere,quàm ſimile opus identidem repetere,cùm ea continuatio & infixio in bono, ſpectata cordis noſtri inſtabilitate,ſit operoſior; & ſupra operis decus ex obiecto aliiſque circunſtantiis ductum,addat perſeuerantiæ honeſtatem.

Neque verò eſt, quòd quis obtrudat lacunas neceſſariò à nobis interponendas, dum ab vno actu venimus ad alium,quibus veluti hiatibus & moralitatis parandæ interciſionibus videtur decedere augmento moralitatis, quod per continuationem compenſatur: vt proinde mirum non ſit, continuatione auctiorem fieri moralitatem, plus quàm repetitis identidem nouis actibus. Hoc inquam obtrudi non poteſt. Nam argumentum,quod de homine in hanc rem confecimus,æquè poſſet de Angelo confici.At hic poteſt eſſe attentiſſimus, & ita connectere extrema vnius actus cum initio alterius, vt nihil temporis vacui interiaceat. Ergo ſaltem de actione libera Angeli circa bonum obiectum occupata, verum eſſet quòd ſatius foret eam frequenter abrumpere, dummodò actuum contiguitas ſalua eſſet,nihilque temporis inter vtrunque actum effflueret vacuum. Item de actione moraliter turpi ab Angelo elicita verum eſſet, quòd ſatius foret eam continuare, ne malitia tantoperè creſceret, quantùm per interruptionem.

95. Parui autem momenti eſt quod Capreolus in 2. d. 5. q vnica, *ad 4. primo loco*, & circa finem quæſtionis, reſpondens argumentis à Campſale contra Adamum propoſitis, putat hoc argumentum declinari, dicendo, Angeli actionem non menſurari tempore vel eius inſtantibus. Hoc aio eſſe parui momenti. Nam tempus & eius inſtans, poteſt eſſe menſura extrinſeca operationis Angelicæ. Nec magis ſolidum eſt, quod alij cauſantur; multitudinem actuum nouorum, quos Angelus intra certum aliquod tempus elicere poteſt, eſſe finitam & determinatam, ſicut eius vis agendi, eſt finita & determinata. Malè enim Capreolus ibidem, admittit, Angelum poſſe ad ſingula inſtantia continuantia ita breui aliquo tempore labentia attendere, & in ſingulis actum nouum elicere, ſi tantùm attendatur efficacitas potentiæ Angelicæ. Hoc ſanè falſum videtur, nec ſatis cohærens cum finitate Angelicæ poteſtatis.

Itaque rectè Doctores cum quibus agimus, contendunt, Angelum intra certum tempus,non niſi certum numerum actuum nouorum poſſe profundere. Vnde tamen non ſatisfaciunt difficultati propoſitæ, nec oſtendunt ſatius eſſe actionem honeſtam prorogare,quàm abrumpere & identidem renouare:Itémque ſatius eſſe actionem moraliter turpem intercidere, móxque iterare. Quòd autem id non oſtendant, perſpicuum eſt.Nam Angelus ita poterit ab vno actu ad alium nouum tranſilire, vt nihil interlabi ſinat temporis ab operatione vacuum: atque ita tan-

tundem

tandem proficiet pro ſingulis temporis partibus, quantùm ſi continuaret abſque interciſione vlla: inſupérque ratione nouitatis actus aliquid plus efficiet, quàm ſi abſque interruptione perrexiſſet. Igitur continuatio eiuſdem actus, non eſſet potior eiuſdem interciſione.

Solis inſtantibus terminatiuis, reſpondet peculiaris moralitas.

96. Quare dimiſſis omnibus his modis reſpondendi, vt principalis difficultas initio propoſita rite diſſoluatur, admittendum eſt, in inſtantibus continuatiuis moralitatem non creſcere: Non quòd actio dum in illis elicitur, moralitate deſtituatur, ſed quòd non habeat moralitatem ſeiunctam ab ea quæ ratione partium temporis intelligitur actum afficere. In illis quippe inſtantibus, hoc ipſo quòd agens liberum vult ea eſſe continuatiua, ſiue ad id in actu ſignato attendat, ſiue in actu exercito actionem ſuam liberè continuando; in illis inquam inſtantibus, non habetur vſus libertatis diſtinctus ab eo qui habetur in partibus temporis, quas inſtantia illa colligãt. Neque enim agens creatum poteſt actionem ſuam prorogare ad vtranque partem extremã, niſi medio inſtanti coëxiſtat. Iure igitur negamus, moralitatem in illis inſtantibus creſcere pretio & valore ſecundùm æſtimationem prudentem.

De inſtantibus tamen terminatiuis, aliter ſentiendum videtur. Sunt enim abiungibilia à reliqua duratione, præſertim per Angelum, qui aduertit inſtantia tempus vtrinque claudentia, & poſſet in primo inſtanti actionem inchoare tantùm extrinſecè, & in vltimo inſtanti eandem extrinſecè finire. Itaque cùm pro vtroque illo momento vigeant principia moralitatis, & hæc ſit vtrinque in eis diſtinctè æſtimabilis, (quod in inſtantibus continuatiuis fieri non poteſt;) admittendum eſt, in extremis inſtantibus creſcere moralitatem: & quidem proportionaliter ad accrementum in certa aliqua temporis parte factum, cùm vtrobique ſtata & determinata ſit eius latitudo, nec prudens æſtimatio patiatur aliud fieri, non obſtante phyſica partium & inſtantis improportionabilitate.

Negandum tamen eſt moralitatem creſcere in inſtantibus intermediis, ob diſparem extremorum illorum & intermediorum inſtantium rationem, ſuppoſita continuandæ actionis voluntate. Quod ſemper addo, quia inſtans illud, quod continuatiuum eſt, poſſet terminatiuum fieri: & tunc actio in eo elicita, haberet diſtinctum vſum libertatis, & diſtinctam moralitatem. Tamen ex ſuppoſitione quòd operans aliter ſe gerat, & quòd inſtans ſit reipſa continuatiuum, non aliud in eo cernitur libertatis exercitium, nec aliud in actu tunc elicito moralitatis augmentum, quàm quòd reſpondet partibus temporis, vtrinque per illud inſtans vinculatis.

Nodus aduersùs prædicta, extricatur.

97. Video vrgeri in contrarium poſſe euentum fictitium, quo Angelus ita velit actioni ſuæ inſiſtere, vt tamen ſtatuat feriari in pleriſque inſtantibus intermediis, nihil in eis operando, ſed poſt inſtans quodlibet ab ipſo Angelo deſignandum, inchoando extrinſecè actionem ſolo numero à priore differentem: Ex quo fieret, ſalua vniuerſa moralitate partium, actum debere eſſe æquè moralem, tametſi toties interciſum, otiante Angelo in illis inſtantibus, quæ alioqui continuatiua fuiſſent.

Negandum nihilominùs eſt, moralitatem partium ſic interciſam, tanti eſſe quanti foret excluſa ea multiplici abruptione momentanea. Nam per eam tollitur cohæſio partium. Iure autem pars alteri iuncta, pluris æſtimatur quàm ſolitaria & abiuncta. Itaque actio honeſta interpoſita illis diruptionibus quamuis tantundem duraret, tamen minoris fieret: præſertim quia ea noui actus inchoatio, non fieret ex ſpeciali virtutis ſtudio. Quæ enim peculiaris honeſtas apparere poteſt in eo operandi modo? Actioni item turpi, per eam interciſionem momentaneam aliquid de turpitudine decederet, ob proportionalem rationem. Nimirum quia ſicut actus honeſtus in partibus cohærentibus elicitus, eſt pretioſior, vna velut parte moralitatis colluſtrante & perficiente aliam, cum qua vinculatur: ita actus turpis per aliquas temporis partes ad inuicem colligatas prorogatus, turpior meritò cenſetur, vna parte alteri velut affricante turpitudinem ſuam, ratione coniunctionis cum ea intercedentis. quam perſpicuè diminit interciſio, & noui actus inchoatio.

Colligitur ſolutio difficultatis poſitæ num 88.

98. His ita conſtitutis, difficultas initio propoſita nullo negotio eliditur. Perſpicuum enim eſt, moralitatem actus ad breue aliquod tempus continuari, non eſſe infinitam, non modò intenſione phyſica, quod certum eſt, cum actus per continuationem non mutetur realiter, nec vllum in ſe incrementum formæ inhærentis ſuſcipiat: ſed etiam quoad æſtimationem moralem: Qua ratione hactenus diſputauimus, ſitne admittenda infinitas moralitatis, ob continuationem actionis ad aliquod tempus. Apertè itaque reiicitur ea infinitas. Nam moralitas quatenus partibus certi alicuius temporis non niſi proportionaliter infinitis correſpondet, finita ſine dubio eſt, vt omnes admittunt. Eidem autem ratione duplicis inſtantis tempus vtrinque claudentis, duplex tantùm quaſi portio accedit, vtraque finita. Ex duorum autem finitorum acceſſu ad tertium item finitum, non poteſt exurgere infinitas, vt per ſe conſtat.

ARTICVLVS VI.

Vniuersè de formalis moralitatis origine, ex propoſita eius radice.

Conſtituta moralitate obiectiua, veniendum eſt ad exortum formalis moralitatis ex ea, interuentu conditionum tenentium ſe ex parte operantis à quo moralitas velut excuditur per liberam voluntatis tendentiam in moralitatem obiectiuam hactenus expoſitam. Sequitur ergo vt agamus de ea libera tendentia, quæ in actione voluntatis ſubiuncta tali intellectus notitiæ ſita eſt. Hic tamen exponemus eam vniuersè tantùm, & iis ſepoſitis quæ in particulari ad alteram duntaxat moralitatem pertinent.

ASSERTIO.

Ad moralitatem formalem actioni inducendam, neceſſe eſt interuenire libertatem, cùm phyſicam, tum moralem: Itémque præſentem eo ipſo tempore quo actus moralitatem ſuſcipit: Ita vt niſi tunc actio ſubſit de facto voluntati liberæ, non ſit in ſeipſa moralis; quamuis remotè, & in cauſa ſua, fuerit libera.

PRIMÒ dico, ad cauſationem moralitatis formalis exigi libertatem actionis, cui moralitas illa eſt prædicanda: libertatem inquam, cùm phyſicam, tum moralem.

Multiplex libertas ad actum formaliter moralem neceſſaria.

99. Appello libertatem phyſicam, qua voluntas eſt domina actus ſui prout ſpectati in genere naturæ; ita ſcilicet vt eum quatenus aliquid phyſicum eſt, poſſit exercere vel omittere. Voco autem libertatem moralem, qua quis non tantùm poſſit exercere aut ſuſpendere actum, quatenus aliquid phyſicum eſt; ſed etiam quatenus eſt illicitus vel honeſtus. Plerunque enim homo potitur dominio in actum ſuum, quatenus eſt aliquid phyſicum, neque tamen habet ad eum moralem libertatem. quia defectu aduertentiæ ad honeſtatem vel probrum eius, non aliter ſe habet quàm ſi actum merè indifferentem exerceret, vel quàm ſi naturaliter operaretur abſque libertate.

Vtraque autem libertas poteſt vel eſſe præſens, & ipſius actus in ſe, vel remota tantùm, nec niſi in cauſa. Præſentem libertatem appello illam, quæ viget quo tempore actus exercetur: ita ſcilicet vt actus non modò fuerit liber in cauſa, ſed etiam ſit liber in ſeipſo, ſaltem ad modum actus imperati. Qua ratione libera non eſt læſio quæ infligitur per lapidem emiſſum, ex quo ſupponitur facta emiſſio; quamuis fuerit in poteſtate voluntatis, illum non emittere. Aio igitur ad cauſandum actum moralem. debere ex parte operantis interuenire libertatem & phyſicam & moralem.

In primis phyſica,

De libertate phyſica, res eſt extra controuerſiam. Quamuis enim quidam errores effutiuerint, actus aliquos hominis, quem libertate ſpoliant, malos nihilominùs eſſe: tamen lumen ipſum naturale manifeſtè prodit erroris illius inſulſitatem, vt non videatur neceſſarium pluribus demonſtrare, omnem moralitatem, ex libertate, tanquam ex fundamento neceſſariò pendere. Sanè ſine libertate, quæ vt minimùm phyſica eſt, nullum eſſe meritum aut demeritum, nullam laudem aut vituperationem, infinities produnt & Philoſophi & Patres. Ariſtoteles 3.Eth.c.5. ea vitia animi & corporis probro verti & increpari docet, quæ declinare in noſtra fuerit poteſtate. Et alibi non ſemel, laudis & opprobrij fundamentum ſtatuit libertatem.

100. Idem ex Patrum primoribus confirmat Bellarminus l. 5. de Iuſtif c. 10. vnum aut alterum prætereà addo. Iuſtinus q. 9. ad Gent. propoſita dubitatione quomodò Deus iuſtè præmium aut ſupplicium rependat humanis actionibus, quæ vtique à Deo ortum habent, reſpondet: *Coronamur ergo aut punimur propter id quod eſt penes nos. Nam ad qua propoſitum noſtrum agit nos, propter ea aut coronamur aut plectimur. Nam ad agendum, dedit nobis Deus vires. ſed eas ſubiecit poteſtati propoſiti, & ad propoſitum habet Deus æquitatem gubernatricem virium propoſiti, quæ ſunt in nobis, non ad naturam. Accepimus autem a Deo faciendi & non faciendi poteſtatem: faciendi inquam iuſta non faciendi autem iniuſta. Quando igitur iuſta facimus, & iniuſta non facimus, iuſte coronamur. Sed ſi facere & non facere in contrarium mutamus, meritò plectimur.* Chryſoſt. homil. 5. in Matth. fuſiſſimè confirmat quod hic intendimus. Sed quòd ſine iniuria aurei illius profluuij, non poſſit hic aliqua tantùm eius ſtilla proferri, præſtat nihil ex eo adducere. Ambroſ. lib. 1. de Iacob, c. 3. *Non eſt quòd cuiquam noſtrum adſcribamus culpam, niſi noſtra voluntati. Nemo tenetur ad culpam, niſi voluntate propria deflexerit. Non habent crimen quæ inferuntur reluctantibus. Voluntaria tantùm commiſſa, ſequitur delictorum inuidia. Quid in alios deriuamus? voluntarium ſibi militem legit Chriſtus? voluntarium ſeruum ſibi diabolus auctionatur. Neminem iugo ſeruitutis aſtrictum poſſidet, niſi ſe peccatorum ære ei vendiderit.* Alios quamplurimos adduxi ſuprà diſt. 2.

Cùm igitur ex his apertiſſimum ſit, abſque libertate nullum eſſe laudi aut probro locum, nullum merito aut demerito: laus autem & probrum, itémque meritum & demeritum ſint conſectaria actuum moralium, perſpicuè concluditur moralitatem præſupponere libertatem, & nihil poſſe moraliter benè aut malè effici, niſi interuentu voluntatis liberæ: alioqui vt S. Bernardus argumentatur ſerm. 81. in Cant. quidni ſuum quoque meritum vel demeritum, ſuam laudem & correptionem, brutis & rebus inanimatis impendimus? Itaque natura duce omnes agnoſcimus, meritum & laudem, probrum item ac demeritum in actione moraliter bona vel turpi: hanc autem bonitatem & turpitudinem in libertate actionis fundari: quæ quia ſoli homini inter hæc inferiora competit; ideircò ſoli homini laudis ac præmij propter bona opera vltrò patrata: opprobrij autem ac ſupplicij propter ſcelera liberè admiſſa, dignitatem tribuimus. Non ſum in hac re illuſtranda & confirmanda fuſior, quòd multus circa eam fuerim magna parte diſtinctionis ſecundæ, ex quo loco facile cuiuis erit plura repetere.

Non eſt opus eſſe inuoluntario impermiſtam.

101. Illud potiùs in hoc puncto dignum diſcuſſione videri poterit, an ad moralitatem exigatur libertas phyſica omnimoda, an verò ſufficiat ea. cui admiſcetur inuoluntarium, præſertim qua quis ex metu operatur. Nam de ea, qua quis per concupiſcentiam abſtractus & illectus agit, vix eſt dubitandi occaſio, vt Ariſtoteles ipſe 3. Eth c. 1. animaduertit, agens de malitia, & proportione ſeruata par ratio eſt de honeſtate. Sed de eo qui ex metu exercet opus indictum, vel ex metu auertitur ab opere illicito, controuerſia eſſe poteſt, an habeat ſufficientem libertatem ad moralitatem. Supponimus enim non eſſe metum vanum, ſed vehementem, & quidem prudenter conceptum, & cadentem in conſtantem virum: quo metu perſpicuum eſt temerari libertatis plenitudinem, aut quaſi infici aliqua admiſtione violenti.

Dicendum nihilominùs eſt, metum non eripere libertatem neceſſariam ad moraliter operandum. Vnde qui metu damni vel incommodi alicuius abſtinet à ſcelere, vel bonum opus indictum exequitur, rectè & laudabiliter facit, ſi abſit ſeruilitas, vt loquuntur, ſaltémque quantum eſt ex parte libertatis ad moralitatem requiſitæ, nihil ei deeſt quominùs ea actio poſſit bona eſſe. Et è contrà, qui metu incommodi facit aliquid alioqui illicitum, peccat, nec excuſatur ob metum, niſi materia alioqui illicita talis ſit, vt accedente iuſto metu grauis damni, mutetur obligatio materiæ: quod quando contingat, non eſt huius loci excutere. Tractat autem fusè Almainus tract. 1. mor. c. 3. in eo abiiciendus, quòd vniuerſe pronunciat, nullum metum eximere à labe & culpa actum iure naturæ vetitum, & viciſſim omnem grauem metum excuſare à culpa quencunque actum contra legem poſitiuam. Vtrunque enim vniuerſaliter loquendo falſum eſt. An non enim iure naturali iubemur opitulari miſero extremè periclitanti? Et tamen ea obligatio eliditur, ſi ex grauiſſimo metu prohibeat ſubuenire. Quòd autem non quilibet grauis metus

ſemper

ſemper eneruet legem humanam, conſtat in euentibus, de quibus Suares l. 5. de leg. c. 21. & Sanch. l. 7. de matrim. d. 5. n. 4. Mihi, vt dixi, in præſentia ſatis eſt oſtendiſſe, per metum etiamſi grauem, non excludi plenam libertatem phyſicam, & ſufficientem ad fundandam libertatem moralem, iuxta illud vulgatum ex cap. *Merito* 15, q. 1 *Voluntas coacta*, nempe per metum, de quo ibi agitur, *voluntas eſt*.

Exigitur quoque libertas moralis

102. Pergo ad libertatem moralem, quam ad actus moralitatem interuenire omninò debere, rectè ſtatuunt Vaſques 1. 2 diſp 107. c. 3. Sanch l. 1. in Decal c. 1. n 7. & 8. & c. 16. n. 21. & Azor t. 1. 4. c. 5. q. 4. Leſſ. l. de Iuſt. c. 29. n. 10. Vt autem id perſpicuè ac ſolidè probetur, obſeruandum eſt hunc eſſe progreſſum in modo operandi humano ac deliberato, vt præmiſſa externi ſenſus pulſatione per obiectum, additáque ſenſus interni excitatione per ſympathiam, rurſúſque per hanc ſollicitato intellectu, deueniatur ad iudicium, quo obiectum exhibeatur voluntati indifferens, quæ eſt proxima libertatis origo, vt ſuo loco fuit expoſitum. Ea porrò indifferens exhibitio poteſt dupliciter fieri. Nam aliquando obiectum agnoſcitur tantùm indifferens in ratione appetibilis naturalis; potà quatenus eſt delectabile, aut quatenus eſt vtile ad aliud, ſecluſa omni aduertentia ad eius honeſtatem vel turpitudinem moralem. Et hinc exiſtit phyſica libertas, qualem exercet qui quo tempore eſſet cibo abſtinendum ex lege aliqua vel obligatione virtutis, nihilominùs cibis veſcitur deliberatè quatenus vtiles ſunt ad vitam conſeruandam, aut quatenus palato grati accidunt, nullo modo interim aduertens ad honeſtatem abſtinentiæ ab huiuſmodi cibis, vel ad inhoneſtum vſum eorum, ratione interpoſiti legitimè interdicti. At ſi cùm huiuſmodi eſcas vſurpat, agnoſceret latum eſſe præceptum de abſtinentia ab eis, vel deeſſe præceptum vſurpatione interdicens, ideòque honeſtum fore iis veſci, & prælucente tali notitia ferretur in alterutram partem; tunc eſſet locus libertati morali, quæ priuſquam ea cognitio malitiæ vel honeſtatis obiectiuæ affulgeret, præcludebatur omninò.

103. Hanc itaque moralem libertatem, dico eſſe neceſſariam ad actionis moralitatem: ita vt quamuis omninò neceſſarium ſit, phyſicam libertatem cui moralis libertas ſuperſtruitur, vigere in eo qui moraliter operatur; tamen non ſufficiat quòd liberum ſit homini agere aut non agere; ſed oporteat, liberum illi eſſe agere honeſtè aut turpiter: quod non competit niſi ei, qui actuali honeſtatis vel turpitudinis cogitatione tangitur, agnoſcitque in actu ad quem accingitur, alterutram cerni. Ratio eſt perſpicua, quia moralitas non adſcribetur operanti, niſi illi ſit libera; non poteſt autem illi libera eſſe, niſi poſſit de ea deliberationem inſtituere, ex qua in illam ferri, eámve reiicere queat. Atqui omnis deliberationis primum mouens, eſt cogitatio aliqua. Igitur vt moralitas afficiat actum, neceſſe eſt, operantis intellectum colluſtrari ea moralitatis cogitatione, & aduertere, an actus quem elicere parat, ſit rectæ rationi conſonus aut diſſonus: quod vbi aduertet, libertas phyſica quæ ad eundem actum quatenus commodum aut delectabilem vel vtilem competebat, tranſibit in moralem. verúmque erit, hominem illum eſſe idoneum actus moralis principium: quippe non modò inſtructum poteſtate actiuè indifferente ad eum eliciendum vel omittendum, ſed etiam conſcium honeſtatis vel turpitudinis actui illi ſuperuenturæ, ſi cum ea indifferentia eliciatur, quæ cognitio habet ſe tanquam cardo moralitatis.

Et hinc maximè diſcriminari alias facultates à facultate moraliter operandi, ſiue ab arte vitæ, pulchrè notatum eſt à Seneca epiſt. 95. verbis illis: *Vis ſcire quam diſſimilis ſit aliarum artium conditio, & huius? In illis excuſatius eſt voluntate peccare quam caſu: in hac, maxima culpa eſt ſponte delinquere. Quod dico, tale eſt. Grammaticus non erubeſcit ſolæciſmum, ſi ſciens facit: erubeſcit ſi neſciens. Medicus ſi deficere ægrū non intelligit, quantū ad artem magis peccat, quàm ſi ſe intelligere diſſimulat. At in hac arte viuendi, turpior volentium culpa eſt.* Quem Senecæ locum conſtat cadere in libertatem moralem. Nam qui neſciens actionem quam liberè exercet, eſſe vitioſam; ſoluto errore agnoſceret qualis ea ex ſe ſit, non haberet erubeſcendi materiam, nec cenſeretur in culpa fuiſſe. Et idem proportione ſeruata locum habet circa honeſtum. Non enim bona egiſſe, eſt laudis materia, vel ſeges gloriæ; ſed bona benè ac ſcienter egiſſe. Id enim Ariſtoteles 2. Eth. c. 4. recenſet inter conditiones operationis moraliter honeſtæ. Quis enim laudi verterit ei, qui Iaſonem Theſſalom confoſſurus, immiſſo ferro vomicam aperuit, qua ille rupta ſanitati reſtitutus eſt, cùm ex mente inimici trucidandus eſſet? Et tamen ſi ad honeſtatem operis ſufficeret facere abſque libertate circa honeſtatem quod eſt ex ſe honeſtum, fateri oporteret, eam vomicæ apertionem ab aliud intendente factam, laude dignam & honeſtam fuiſſe.

Conſectaria pro vſu quotidiano.

104. Ex his habetur principium ad res morales pernecesſarium, præſertímque ad tranquillanda anguſta pectora opportuniſſimum. Plerunque enim aliqui fodicantur animo, quaſi grauiter deliquerint ob admiſſum aliquid, cuius moralem inhoneſtatem ignorabant, cùm admitterent. Poſtmodum verò lectione libri alicuius de conſcientiæ officiis, aut auditione concionis ſacræ, vel ſimili aliqua ratione, liberantur ignorantia qua inuincibiliter tenebantur; vidéntque actionem illam quam exercuerunt, fuiſſe ex genere ſuo & obiectiuè illicitam, vnde conſcientiæ lancinatio & angor, quem vanum eſſe ex dictis liquet. Nam non potuit culpa interuenire, vbi defuit aduertentia turpitudinis moralis actionem fœdaturæ, ſi eliceretur. Ad ſummum ergo interuenit tunc turpitudo obiectiua, non autem formalis malitia, quæ ſola inquinat. Neque verò debuit ea aduertentia adeſſe, vt aliqui malè limitant, dicentes, eum moraliter deliquiſſe, qui fuit turpitudinis conſcius, vel eſſe debuit, quamuis nulla ratione eam aduerterit. Hoc non dicitur conſequenter. Nam aduertentia non debuit adeſſe, ſi non potuit liberè adhiberi: non potuit autem liberè adhiberi, ſi nulla cogitatio de ea adhibenda animum pulſauerit: quia hoc eſt primum principium volitionis cuiuſuis deliberatæ, vi cuius conſtituimur potentes ad aliquid liberè præſtandum vel omittendum. *Impotentia alicuius*, ait Athenagoras lib. de reſurr. *inde deprehenditur, ſi aut ignoret quid faciendum ſit, aut ſi norit, imbecillior ſit viribus quam vt probè efficiat. Quid enim ignorat quid faciendum; is neque conarì neque perficere quicquid poteſt, earum duntaxat rerum quarum notitiam nullam habet* Ergo qui nullo modò fuit malitiæ conſcius, nec vel ſuſpicatus eſt eam ſubeſſe, non debuit aduertere actionem fore perfundendam turpitudine.

Idem ſtatuendum eſt de bonitate: vt enim paulò antè monebam. qui aliquid ex ſe optimum gerit, nullo modo conſcius bonitatis in actum deriuandæ, nullam inde honeſtatem actui ſuo aſciſcit. Et è contrà cùm quis actionem ex ſe fœdam exercet exiſtimans ſe benè operari, actio eſt honeſta, dummodò nulla

proſſus

prorſus fœditatis obiectiuæ cogitatio animum ſubeat, ſed ſola honeſtas inuincibiliter exiſtimata obuerſetur voluntati in vmbram illam prætenſæ bonitatis intentæ. Quo ex capite, barbari illi qui parentibus iam capularibus & ſenio marcentibus, ad abrumpendam ærumnarum prorogationem, interitum accelerabant, deiectione è ſaxo vel inopina præfocatione, tantùm abeſt vt facti ex ſe immaniſſimi libera ſuſceptione impiarent ſeſe, vt potiùs honeſtè operarentur, dummodò & omnis omninò malitiæ ſcrupulus deeſſet, & eam paterni interitus accelerationem honeſtam ducerent, eóque nomine expeterent. Quod iudicium, longus vſus, & parentum in ea ætate vitam trahentium languor, firmare, & inuincibile reddere nòn difficile potuit.

Nonnulla in contrarium difficultates enodata,

105. Contra hanc primam aſſertionis partem, argumenta viginti quatuor congeſſit Angeſtus c.6.moral. t. 1. ſed in quorum explicatione non ſit magnoperè laborandum. Quædam enim ſunt apertè inania, vt quod obiicit de adoratione Chriſti per bouem & & aſinum, & de de prophetica locutione aſinæ Balaam, & de damnatione bouis cornupetæ, qui actus fuerunt boni & morales abſque libertate. His actibus. vt libertas, ita & moralitas omnis abroganda eſt. Alia non ſpectant ad actus, ſed ad receptiones & paſſiones: vt quod obiicit de ſuſceptione Baptiſmi per infantem, & martyrij in innocentibus. Quam vtranque ſuſceptionem, vltrò damus non eſſe liberam & moralem. atque adeò etiam vtilem & meritoriam ex opere, vt loquuntur, operantis. Alia Theologis diſcutienda permitti debent, vt quod opponit de Chriſto libertate peccandi deſtituto, & tamen moraliter benè operante ac merente. Quod item vrget circa beatos & viatores in gratia confirmatos, honeſtiſſimè operantes & tamen libertate deſtitutos: ac etiam circa damnatos, qui malè agunt, nec tamen liberè operantur. De his omnibus exemplis viderint Chriſtiani Theologi.

Vt autem obiter duntaxat ea elucidem, certum eſt & Chriſtum, qua ex parte meruit, & viatores in gratia confirmatos, non fuiſſe libertate deſtitutos. Quod de his viatoribus illuſtriſſimè tradit S. Macar homil. 27. interrog. 3. De Chriſto autem paſſim à Patribus traditur. Et ita quidem, vt non modò agnoſcant eum fuiſſe liberum quoad ſpeciem actus, ſed etiam quoad exercitium, quatenus actum, quem ex aliquo motiuo tenebatur operari; aut perpeſſionem quam ex aliquo motiuo ſubire obligabatur, ipſe ex motiuo aliquo à ſe delecto ſubibat, & quando ac quomodò lubebat, in ea ſcilicet intenſione, in qua volebat, & eo tempore quo obligatus non fuiſſet vi præcepti affirmatiui, qua de re alibi diligentiùs. Damnatos denique, qua ex parte liberè non operantur, nego malè agere. Alia argumenta ab Angeſto congeſta, concident ex ſequentibus.

Exigi libertatem præſentem, qui negarint.

106. Secundò dixi, ad moralitatis cauſationem exigi, vt libertas explicata ſit præſens: id eſt, vigeat eo ipſo tempore, quo actio moralitati ſubſternitur, & moralis denominatur. Quod eſt contra Tartaretum 3. Eth. q. 8. vbi propoſita dubitatione, an in actibus, quos ebrius in ebrietate elicit, cernatur culpa. reſpondet, cerni. Propoſita autem in contrarium obiectione quòd culpa debeat eſſe voluntaria & libera, qualis non eſt actio, quæ in ebrietate admittitur. reſpondet, aliquid poſſe eſſe dupliciter volitum & liberum. Primò ſimpliciter & in ſe. Secundò in cauſa ſua, ſiue virtualiter, &, vt Tartaretus loquitur, *propter hoc.* Qua diſtinctione præmiſſa, ait, actionem turpem quæ mente de ſtatu rationis deturbata, elicitur, non eſſe quidem eo tempore liberam formaliter & in ſeipſa: eſſe tamen liberam virtualiter. ſiue cauſaliter; idque ſatis ſupérque eſſe, ad conciliandam turpitudinem actioni, provt eo tempore elicitæ. V. G. ebrium ſi ſciens ac volens mentis clauum nimio vino liberè ingeſto, excuſſerit, præſcius inebriationis ſecuturæ, & in eo ſtatu vitam alicui eripuerit, ait Tartaretus non priùs eſſe homicidij reum, quàm confoderit alium, tametſi iam ebrius, & de mentis poteſtate deiectus: quòd virtualis libertas ex qua confoſſio illa exerceretur, ſufficiat ad turpitudinem eius moralem. Nec aliter diceret de honeſtate morali actionis, quam quis rationis vſu ſpoliatus, atque adeò iam non liber, eliceret in eo ſtatu, quem ſciens & volens ſuſcepiſſet. Itaque iuxta Tartaretum, ad moralitatem actus humani, non exigitur libertas actum afficiens pro eo tempore in quo moralis denominatur, ſed ſufficit libertas antecedens ex qua homo ſpoliauerit ſe libertate. Idem habet Gilbertus 3. Eth. tract. 1. q.3.

Quanquam vt hæc opinio minùs adhorreat à vero, addendum eſt, cùm homo ſponte & volens conicit ſe in neceſſitatem operandi, ſpoliátque ſe poteſtate in actum ſuum, vt operatio in eo ſtatu conſequens cenſeatur eſſe ei moralis, non modò debere præſciri ſtatum illum conſequentem ſiue exturbationem è ſtatu libertatis; ſed etiam præſciri debere vitium vel decus operis in eo ſtatu admittendi: ita vt homo ſaltem confusè & in genere, cùm in operandi neceſſitatem ſe coniicit, prænoſcat, ſi ſe in eum ſtatum coniiciat, fore vt hanc vel illam operationem malam aut bonam exerceat, ſaltémque confusè ſubuereatur aliquid à ſe tunc patrandum, quod rectæ rationi ſit diſſentaneum aut conſentaneum. Nam niſi ſaltem vtcunque id præuideat, ipſa abdicatio dominij in actum libera erit, quandoquidem ſupponitur à volente & ſciente facta: actio tamen quæ abſque libertate exercetur, nullo modo erit libera, ac proinde nullo modo moralis: quia fundamentum vniuerſæ moralitatis eſt libertas, qua actio ne confusè quidem menti obuerſans, nulla ratione perfunditur.

Quod videtur voluiſſe D. Auguſtinus l.12.contra Fauſt. c.44. cùm dixit. eum qui in ebrietate committit inceſtum, (quem ſcilicet non præſenſit à ſe tunc admittendum, cùm volens vinum hauſit, largiùs quàm oporteret,) culpandum eſſe, non quantùm inceſtus, ſed quantùm ebrietas meretur. Tantùm non tradens, actionem quæ non liberè exercetur, nullatenus poſſe moralem cenſeri, ſi non fuerit aliquo tandem modo præcognita. Et hoc pacto ſententiam à Tartareto traditam confirmant recentiorum plerique, vt Caietanus 2.2.p.179.art.4.Val.1.2.d 6.q.1.p.4. quæſt.vnic. 3. Salas 1.2.tract.13.d.2.n. 109. Comitolus 5.Reſp.q.5.& 6.Reginald.in praxi l.15.n.17. Sanch.l.9,de matr.d.46.n.28.& alij quos iſti proferunt. Iuxta hoc igitur Autores, actio elicita abſque libertate præſenti, eſt nihilominùs moralis, dummodò fuerit libera in cauſa: eo quòd cùm admiſſa eſt neceſſitas, & homo ſe volens effecit impotentem ad non agendum[1], præuiſa & virtualiter volita fuerit ea actio. Fauet huic ſententiæ S. Anſelmus l.1.cur Deus homo, c.24.

Contrarium placet, probatúrque ex Philoſopho.

107. Sed quod dixi eſt longè probabilius, & à pleriſque cùm antiquis tum recentioribus traditum. Ita enim Gabriel in 2.d.22.q.2, *litera D.* Angeſtus l.1.de

virtut.

virtut.c.9 docum.10. Almainus tract. 1. moral. c. 4. Maior in 4.d.7 q.8 Adrian.in 4.q.3.de Euchar.ad 7. Mol. .p.q.14.art.13 d.18.membro 2.§ *Verum.* Vaſq. 1 2.d.94.c.3. Snares l.3. de iuram. c.7.n.8. Azor t.1. l.1.c.7.Leſſ.l.2 de virtut.c.12.n.18. & l.4. c.3. n.29. qui alios adducunt.

Ego addo videri ſuffragatum huic placito Philoſophum 3.Eth.vbi c.1. ait, omne opus morale,eſſe voluntarium, quod definit eſſe id quod eſt à principio intrinſeco cognoſcente ſingula in quibus eſt actus. Poſtmodum verò c 5. *in fine*, ita reſtringit hanc definitionem ad hominem moraliter operantem, vt velit actum qui moraliter bonus vel malus denominatur, eſſe in dominio & poteſtate operantis, ab initio quo primùm elicitur, ad finem vſque:& è contra habitus negat eſſe liberos, quia quamuis actus qui eſt habituum cauſa, liberè ponatur; tamen eorum impreſſio, neceſſariò ſequitur ad cauſæ illius poſitionem.Hic eſt ſenſus verborum Philoſophi in calce citati capitis. *Non ſimili modo*, inquit, *actiones ſpontaneæ ſunt atque habitus. Actionum enim a principio vſque ad finem domini ſumus, cùm ſingula quaque cognoſcamus: at habituum,principij tantùm facultas in nobis eſt: ſingulorum autem additio non nota: quemadmodum in ægrotationibus. Quoniam tamen in noſtra erat poteſtate,vel ita vel non ita vti, etiam habitus ipſi ſpontanei ſunt.* Apertè igitur Philoſophus aliter vult ſtatui de actionibus verè moralibus,aliter de impreſſione habituum, quam nemo propriè moralem dixerit,etiamſi in cauſa ſua,ſit libera & ſub hominis dominio.

Ac etiam ratione.

Authoritati ſuffragatur ratio, quam ex eo Philoſophi capite licet eruere, & in hunc modum formare. Actus moralis eſt eſſentialiter opus humanum & liberum. Vſque adeò enim intimum eſt actui morali, humanum & liberum eſſe,vt ſi *voluntarius*, id eſt, liber & humanus non ſit, moralis dici & eſſe nequeat, iuxta illud a D Auguſt. lib.de vera Relig c.14.& lib. de duabus anim.c.11. & contra Secundinum c.15. & 16.de vna moralitatis ſpecie ritè prolatum,quod item confirmatur ex D.Ambroſio 15.q.1.c. *Non eſt*. Peccatum *ita eſt voluntarium*,id eſt,liberum,latè vſurpata voce, *vt niſi eſſet voluntarium* . *non eſſet peccatum.* Quod de morali turpitudine dictum, æquè de honeſtate valet, atque adeò vniuersè de quocunque actu morali. Atqui actus, qui elicitur ab homine iam non ſui compote, aut qui cùm elicitur, non eſt ampliùs ſub hominis poteſtate atque dominio, non eſt actus liber cùm elicitur. Ergo eo tempore non eſt moralis.

108. Quòd enim appoſitio impedimenti libera fuerit, ſiue quòd homo liberè ſe coniecerit in neceſſitatem ſic operandi,vel in ſtatum in quo actionem profuſurus ſit abſque dominio in eam,non ſufficit vt illa actio poſſit libera & moralis denominari.Nam dependentia à cauſa libera remota, quæ non importat præſens dominium actus dependentis, non poteſt ſufficere,vt quod per eam pendet, denominetur nunc liberum. Atqui quod nunc eſt & dicitur morale, debet nunc & eo modo quo eſt morale,eſſe liberum. Cùm igitur actio, de qua agimus, non ſit libera eo tempore & eo modo, quo elicitur, non poterit ſub ea ratione cenſeri moralis,quamuis fuerit libera remotè atque in cauſa: alioqui inftio habitus. cùm oritur à cauſa liberè poſita,deberet libera & moralis cenſeri, contra Philoſophum loco allegato. Et qui hauſto largiùs vino, vel liberè hauſto veneno, ægritudinis ſibi cauſa libera fuiſſet, cenſendus eſſet toto ægritudinis tempore moraliter ſe habere in ea perpeſſione ægritudinis primùm vltrò aſcitæ.

Dubitare quidem non licet.quin actus iam neceſſarius, tamen præcognitus & liberè approbatus in cauſa ſua, moralitatem obiectiuam qua pollet,ei affricuerit: Vnde volitio induendi ſe in neceſſitatem operandi, ſordet vel micat non tantùm ex parte ſui obiecti proximi,ſed etiam ex parte huius actionis ad eam remotè conſequentis per modum effectus Tamen hæc actio quamui obiectiuè moralis, non eſt vllo modo formaliter talis, ac ne per refuſionem quidem à cauſa ſua liberè poſita, etiam ſub ratione cau æ huius effectus: Quia quo tempore hic effectus progerminat à tali cauſa, nullum in eam ius voluntati liberæ reliquum manet.

Inde verò petenda eſt inſignis differentia inter actum externum comparatum ad internum cuius moralitate perfunditur,& actum neceſſarium manantem ex cauſa libera, de quo diſputamus; quod exemplum male quoſdam aduerſariorum induxit in errorem,exiſtimantes ſicut actus exterior & imperatus non modò eſt obiectiuè moralis, ſed etiam perfunditur formali moralitate actus interni cui ſubeſt: ita de actu neceſſario ſtatuendum eſſe in re præſenti. E tamen inter illa duo latum diſcrimen. Nam actus exterior,ita pendet a voluntate libera,vt tunc liber ſit,cùm elicitur actus interior cui ſubeſt, & à quo veluti informatur & animatur ad conſtitutionem vnius integri actus moralis. Actus enim exterior, eſt libera executio interni. At operatio, cui moralitatem abrogamus non dependet à voluntate,vt aliquid liberum,quod illo ipſo momento,quo habet eſſe,potuerit priùs natura poni vel non poni; quòdque nunc liberè continuetur à voluntate,in cuius manu ſit illud abrumpere ſi ita placeat,quo pacto actus ext:rior pendet ab ea: ſed tantùm pendet à voluntate libera per modum effectus conſequentis, qui poſita ſemel cauſa non eſt ampliùs ſub voluntatis dominio, atque adeò non eſt liber niſi remotè: quod ad præſentem eius libertatem moralitati ſubſternendam non ſufficit.

Difficultates in contrarium.

109. Quæ ab aduerſariis in contrarium vrgentur, debilia ſunt & facilè infringuntur. Proferunt enim ad ſuæ ſententiæ patrocinium loca Ariſtotelis 2.Polit, c.vlt.& 3.Eth.c 5.approbantis factum Pittaci, qui in ebrietate peccantibus duplex ſupplicium indixit.Addi poteſt illud ex eod. c.5 *Non animi ſolùm vitia ſpontanea ſunt,verùm corporis etiam in nonnullis;quos ſcilicet increpare conſueuimus, Qui enim natura deformes ſunt,eos reprehendit nemo ſed illos, qui per otium & negligentiam tales euaſerunt. Simili modo ſi turpitudo vel ex infirmitate, vel ex membri alicuius mutilatione contigerit. Nullus enim ei qui vel natura,vel ex morbo, vel ex vulnere factus ſit eaeus,cæcitatem exprobrabit,ſed miſerebitur potiùs. At eum obiurgant omnes,qui ex temulentia,vel alia quapiam intemperantia excæcatus fuerit. Atque ita fit,vt vitia corporis quæ in noſtra poteſtate ſunt,vituperentur:quæ non ſunt minimè. Quod ſi ita eſt,in aliis quoque,vitia quæ reprehenduntur, in noſtra erunt poteſtate* Ergo Ariſtoteles agnoſcit aliqua iam non libera,ſi in cauſa ſua fuerint libera,eſſe exprobrabilia ac eatenus in poteſtate eſſe perſonæ, cui opprobrium infligitur, atque adeò eidem moralia. Addunt aduerſarij argumentum Theologicum ductum ex certa omnium perſuaſione de neceſſitate exprimendi hos actus in ſacramentali confeſſione, cùm contingit eos malos eſſe. Id enim certum eſt argumentum moralitatis eorum cùm ad ſacramentale tribunal nihil deferatur,quod moraliter malum non ſit.

Diſſoluuntur.

Hæc dicebam infirma eſſe, & facilè infringi. Ariſtoteles enim rectè ſtatuit, ebriorum delicta eſſe digna duplici ſupplicio; quatenus perſona vinum largiùs hauriens præter labem intemperantiæ, quæ eſt vnum peccatum, contrahit etiam fœditatem illius facti quod per ebrietatem à ſe patrandum prænoſcit. Nam quamuis hoc factum cùm exercebitur, non ſit in ſe futurum formaliter turpe; eſt tamen turpe obiectiuè: quod ſupponitur non latere operantem, cùm applicat ſe ad cauſam ex qua præſcit, hunc effectum poſteà conſecuturum. Ac proinde actio iam non libera cùm ſit; priuſquàm fiat, inficit eam applicationem ad modum obiecti & effectus circunſtantis. Quod immeritò negat Vaſques 1.2.d.94.n.15. ex eo quòd effectus ille (quippe iam non liber,) non ſit in ſe formaliter malus. Sed non rectè colligit. Neque enim neceſſe eſt, quod habet rationem obiecti moralis, perfundi aliqua formali moralitate, ex actu circa obiectum illud verſante deriuata: ſed tantùm ita contingit, cùm obiectum illud eſt actus exterior & imperatus reſpectu interni: quod non competere actui, de quo agimus, ſatis declaratum eſt. Alter Philoſophi locus eandem ſuſcipit interpretationem: quare nihil commodat cauſæ aduerſariorum.

De argumento Theologico, quod ſubiiciebatur, non eſt hic dicendi locus. Obiter tamen moneo, exiguam eſſe vim in ea argumentatione. Quamuis enim certum ſit, actum externum, ab actu interno liberè imperatum, eſſe in confeſſione exprimendum, nego tamen idem ſtatuendum eſſe de actionibus iam non liberis, quarum moralitatem hactenus iam ſumus inficiati. Cùm enim non ſint in ſe peccata, non ſunt materia idonea Sacramenti Pœnitentiæ, niſi provt obiecta præcognita, cùm liberè ſuſceptus eſt libertatis obex. Vnde dummodò ea prænotio exponatur, nihil eſt neceſſe exponere conſecutionem eorum. Praxis autem piorum, quæ ferre dicitur vt hæc quoque exprimantur cùm conſecuta ſunt, non eſt praxis peritorum. Procedit enim ex falſa exiſtimatione quòd non obiectiuè tantùm, ſed etiam formaliter mala ſint. Præterquàm quòd interdum ea conſecutio iuuat ad melius explicandam efficacitatem cauſæ ſeu applicationis in ſe moralis. Vt taceam obligationem reſtitutionis, vel pœnam eccleſiaſticam plerumque annexam ſoli illi conſecutioni, quamuis in ſe non malæ formaliter & in ratione actus. Videſis Sanchem 1. in Decal. 16. n. 46. & 47. Nolo enim rem alterius inſtituti, fuſius exponere.

Controuerſia propoſitæ clauſulæ, & momentum.

120. Itaque rectè conſtituiſſe videmur, ad moralitatem actionis exigi libertatem præſentem: ita vt quæcunque actio, libera non eſt cum exercetur, nec eſt ſub voluntatis dominio, ſaltem ad modum actus externi & imperati, nullatenus ſit moralis: quamuis in omni ſententia ſit certiſſimum, non eſſe in huiuſmodi actione iam non libera, nouum vllum moralitatis gradum ſupra moralitatem actus voluntatis, quo volita eſt in cauſa ſua. Id enim eſſe apud omnes extra controuerſiam notat Vaſq. d. illa 94. n. 9. & Sanches ſuprà n. 45.

Ex quo vides, omnem hanc diſputationem de moralitate actus iam non liberi, ſatis leuem eſſe, & ferè de vocibus. Cum enim omnes æquè conſentiant, liberam applicationem ad cauſam contrahere moralitatem peculiarem ex præuiſione actus obiectiuè moralis, inſuperque conſentiant omnes, in eo actu iam non libero non eſſe peculiarem moralitatem formalem diſtinctam ab ea quæ inſidet liberæ applicationi, tota hæc diſputatio eò tandem reuoluitur, vt conſtet, an actus iam non liber dici vtcunque poſſit formaliter moralis per refuſionem moralitatis internum actum afficientis: quod nos negamus ob defectum præſentis libertatis, quæ cauſa eſt cur actus iam non liber, aliter ſe habeat ad cauſam ſuam liberam, quàm actus exterior ad internum, cui ſubiungitur. Aduerſarij autem id admittunt, ſpectantes remotam eiuſdem actus libertatem, quæ videtur exilis diſputatio & parui momenti. Id quod etiam notarunt Azor t. 1. l. 1. c. 14. q. 3. & Suares l. 5. de voto, c. 6. n. 5. & l. 4. de orat. c. 27. n. 7.

Reſtare videretur, vt ad plenam explicationem libertatis qua moralitas formalis cauſatur & ex obiectiua educitur, adderemus ſpecialiter aliquid de variis dubitationibus circa appetitionem, qua illud libertatis exercitium continetur, déque eidem præuia notitia. Sed quia hæc in vtroque moralitatis membro diuerſa ſunt; (alia quippe appetitio & notitia ad honeſtatem, alia ad turpitudinem actui imprimendam requiritur:) idcircò ſatius videtur dubitationum illarum diſcuſſionem in ſpecialem moralitatis tractationem differre, eo vniuersè hic præmiſſo, ad cauſandam formalem moralitatem, exigi, & aliquam aduertentiam reſpectus quem actus ad regulam ſuam habet, & aliquam actus reſpectui illi ſubſtantis volitionem moralitati cauſandæ conſentaneam. Cuiuſmodi autem ipſa ſit, dicetur loco citato.

ARTICVLVS VII.

De concurſu multiplicis moralitatis formalis in eundem internum actum.

121. Libero actu ad modum proximè expoſitum cadente in materiam obiectiuè moralem, educitur moralitas formalis, quæ primariò & per ſe primò reſidet in actu interno. Cùm autem huiuſmodi moralitas, eo modo qui hactenus expoſitus eſt, cauſari poſſit vel ſimplex vel multiplex: quoad ſimplicem quidem, non eſt quòd nos remoretur; ſed ſatis eſt dicere, poſita moralitate obiectiua ſimplici, actum liberum & humanum haurire ex ea, & veluti educere formalem moralitatem, obiectiuæ illi correſpondentem. Supereſt itaque duntaxat difficultas de origine moralitatis formalis, vt ita dicam, compoſitæ, ſiue de concurſu multiplicis moralitatis formalis in eundem internum actum. Moralitas enim non tantùm eſt genere diuerſa, quo pacto honeſtas & turpitudo differunt genere; ſed etiam intra idem genus ſubit diuerſitatem ordinis. Alia quippe eſt moralitas primaria, alia ſecundaria; alia ſubſtantialis, alia accidentaria. Ex qua moralitatis formalis multiplicitate, efficitur, multiplicem moralitatum formalium adunationem in eundem internum actum poſſe reperiri. Prima eſt ex variis moralitatibus formalibus eiuſdem generis, ſed diuerſi ordinis. V. G. ex multiplici bonitate, quarum tamen vna ſit primaria, altera verò ſecundaria. Secunda ex variis moralitatibus eiuſdem generis & ordinis, cùm principalis, tum minùs principalis. Tertia ex pluribus moralitatibus genere diuerſis. Exponendum igitur eſt, quatenus hæ mixturæ formalium moralitatum poſſibiles ſint, & quomodò ſe habeant.

ASSERTIO.

POteſt in actum internum purè elicitum, aut elicitum ſimul & Imperatum, multiplex eiuſdem generis & diuerſi ordinis moralitas ſimul concurrere. Primaria, ex obiecto preſsè ſumpto propter ſe volito deriuatur. Secundaria, vel ex materia vel ex circunſtantiis; quæ ſi per ſe primò ordinem dicant ad rationem rectam, conferunt actui interno nouam moralitatis ſpeciem; tum demum diuiſiuam ſpeciei moralis in actu præiacentis, cùm ex circunſtantia aduenit obiecto noua aliqua conditio: alioqui enim ſpecies noua quæ confertur, comparatione præiacentis eſt diſparata. Duas item eiuſdem generis & ordinis moralitates, non modò ſecundarias, ſed etiam interdum primarias, in eundem internum actum deriuari nihil prohibet. At vt duæ quæcunque diuerſi generis moralitates in eundem ſimul internum actum concurrant, fieri non poteſt.

PRimò expono primam adunationem moralitatum formalium, quæ ſpectari poteſt vel in actu interno purè elicito, vel in elicito ſimul & imperato.

Concurſus moralitatum inæqualium eiuſdem generis in eundem actum purè elicitum.

121. Aio igitur moralitates eiuſdem generis, ſed diuerſi ordinis poſſe in eundem actum purè elicitum concurrere: & primariam quidem, deriuari ex obiecto preſsè ſumpto propter ſe volito; ſecundariam autem aliunde dimanare. Voco obiectum preſsè ſumptum, illud quod ſimpliciter & principaliter dicitur obiectum. Aduertendum enim eſt ex Durando in 2. d. 38. quæſt. 1. num. 8. omnem quidem moralitatem actuum internorum cenſeri poſſe ductam ex obiecto, ſi vox *obiecti* ſumatur ſecundùm totalem ſuum ambitum: hoc eſt, ſi ſumatur pro omnibus illis, quæ quoquo modo cenſentur obiici. Eo certè pacto, omnes externi actus circunſtantiæ, cùm debeant præcognoſci & eſſe volitæ, ſaltem indirectè, cenſentur habere rationem obiecti ſaltem partialis. Et ita intelligo S. Thomam & alios, cùm interdum dicunt, totam moralitatem actus interni voluntatis, duci ab obiecto. Abſolutè autem falſum eſt, quòd omnes circunſtantiæ debeant tranſire in obiectum. Nec ea eſt mens D. Thomæ, vt liquet ex 1. 2. q. 8. art. 10. Non enim apparet quomodò intenſio & remiſſio ipſiuſmet actus interni, tranſeant in obiectum.

Quod non videtur ſatis attendiſſe Gabriel in 3. diſt. 23. quæſtione 1. *litera M*, cùm circunſtantias omnes, etiam eam quæ dicitur modi, aſſerit tranſire in obiectum reſpectu actus interni. Id quod etiam generatim aſſeruit Valentia 1. 2. d. 2. quæſt. 14. part. 2. & Becan. 1. 2. tract. 1. cap. 4. quæſt. 4. numero 4. Negantque idcircò hi Authores, circunſtantiam reſpectu actus interni, eſſe circunſtantiam, cùm tranſeat in obiectum: aiunt itaque eſſe duntaxat circunſtantiam reſpectu actus externi. Hoc repudio, tum quia vt dixi, circunſtantia modi non eſt propriè obiectum actus interni purè eliciti: tum etiam quia circunſtantiæ illæ quæ actui interno obiiciuntur, poſſunt nihilominùs manere circunſtantiæ, quatenus nimirum poſſunt eſſe obiecta minùs principalia, comparatione eius quod ſimpliciter & preſsè dicitur obiectum, poſſúntque eſſe fontes moralitatis quaſi circunſtantis aliam moralitatem ex obiecto ſimpliciter & preſsè dicto ducibilem.

Primaria ducitur ab obiecto preſsè dicto.

122. Obiectum itaque preſsè ſumptum, impertit actui interno purè elicito primariam ſuam moralitatem. Erit autem obiectum preſsè ſumptum ac principaliter dictum, ſi ſit propter ſe volitum; ſiue directè ſit volitum, vt neceſſe eſt, cùm agitur de obiecto bono ſiue ſit tantùm volitum indirectè, vt ferè ſufficit pro obiecto malo. Dummodò enim obiectum malum tametſi indirectè duntaxat volitum, non referant aliò, cenſebitur propter ſe volitum, conſeréque moralitatem primariam actui purè elicito in illud tendenti. Porrò obiectum propter ſe volitum, videtur duplex tantùm aſſignari poſſe. Vnum eſt materia circa quam, ſiue ea materia ſit actus ipſe externus, ſiue aliquid aliud D. Thomas quæſt. 2. de malo, art. . ad 8. donat hanc materiam nomine *finis proximi*. Alterum eſt, finis prædictæ materiæ ſuperadditus & aduentitius, quem idcircò D Thomas ibid. vocat *finem remotum*; nempe per comparationem ad illam materiam, cui finis hic extrinſecus adiungitur. Alii priorem finem vocant *finem operis*. Poſteriorem verò vocant *finem operantis*. Si ergo voluntas præcisè tendat in materiam vel actum externum, nec eum vlteriùs referat, hoc obiectum cenſebitur propter ſe volitum & formale, fundabitque moralitatem primariam actus interni purè eliciti.

Si autem obiectum illud referatur aliò, nec appetatur à voluntate propter ſe, ſed propter finem materiæ illi vel obiecto extrinſecum, tunc finis iſte extrinſecus, reſpectu actus externi (ſi interueniat,) erit circunſtantia: at reſpectu actus interni purè eliciti, erit obiectum primarium & formale cui illud alterum quod per ſe non eſt volitum, ſubſternetur vt materiale. Finis enim in moralibus eodem proportione modo ſe habet, quo forma in naturalibus quoad ſpecificationem & conſtitutionem. Proptereáque D. Thomas 1. 2. quæſt. 18. art. 4. vocat hanc moralitatem, *ſecundum ſpeciem*: alibi autem eam vocat *genericam*: vel ſumpto nomine generis pro ſpecie, vt ſignificatur ead. quæſt. art. 5. vel certè per comparationem ad moralitatem accidentariam, quam etiam vocat *ſpecificam*. Quatenus enim moralitas illa primaria ducta ex obiecto propter ſe volito ſubſternitur moralitati accidentariæ, ex fine extrinſeco & aliis circunſtantiis extrinſecis deriuandæ, determinatur per eam aliquo modo proportionaliter ad determinationem quam ſpecies addit generi. Gregorius in 2. d. 38. q vnica art. 3. ad 1. quam alii vocant moralitatem ex genere, ait apud D. Auguſtinum vocari moralitatem *ex officio*.

Parum verò refert quomodolibet nuncupetur, dummodò agnoſcatur eſſe vera & ſpecialis moralitas; quod ſanè negari nulla ratione poteſt. Qui enim vult ſubleuare pauperis miſeriam, nec vllo ad id extrinſeco

ſine adigitur, elicit verè actum moralem infimæ alicuius ſpecici. Neque Scotus cui contrarium affingitur, eſt reuera inficiatus huiuſmodi moralitatem, vt patet ex locis ſuprà adductis, cùm exponeremus quid eſſet indifferentia ſecundùm ſpeciem: & diſertiſſimè ex quodlib. 18. *litera G.* Vt malè proinde Caietan. 1.2. q.18. art.2. & Val. d.2.q.13. p.2. ac Salas 1.2. tract.7, d.2. n. 56. illi tribuant quòd cenſuerit obiectum nullam moralitatem ſpecificam actui conferre, ſed duntaxat ei tribuere genericam capacitatem moralitatis ſpecificæ.

Secundaria, quædam ſubſtantialis.

124. His ita conſtitutis circa primariam moralitatem actus purè eliciti, progrediendum eſt ad alteram eiuſdem generis moralitatem, ſed diuerſi ordinis; nempe ad ſecundariam, quæ poteſt in hoc actu diſtingui duplex. Nimirum vna quæ ſubſtantialis eſt, tametſi ſecundaria dici poteſt, quia eſt minùs præcipua Et altera quæ eſt accidentaria, ducitúrque ex circunſtantiis extrinſecis. Prioris exemplum eſt, moralitas furti in actu quo quis vult furari vt mœchetur. Per ſe enim patet, malitiam illam furti non eſſe ei actui elicito accidentalem, cùm ſit ei intima & impræciſibilitér coniuncta, ducatúrque ex materia, quæ tametſi in phyſicis non eſt præcipua pars ſubſtantiæ, non eſt tamen accidens, ſed verè ſpectat ad ſubſtantiam. Similiter ergo in moralibus, quamuis materiale obiectum actus non conferat moralitatem primariam, non tamen ſequitur conferre accidentalem. Confert igitur ſubſtantialem minùs principalem, atque adeò ſecundariam.

Ex quo liquet moralitatem aliquam ſecundariam, poſſe eſſe ordine quaſi naturæ priorem ea moralitate quæ dicitur primaria, quia eſt prior ordine dignitatis. Nam moralitas ducta ex obiecto purè materiali, tametſi non eſt primaria; eſt tamen ordine naturæ prior ea moralitate, quæ ducitur ex obiecto formali eíque ſubſternitur, ſicut materia formæ. Liquet prætereà ex dictis, obiectum materiale meritò à Doctoribus non recenſeri inter circunſtantias propriè dictas Sed neque ab Ariſtotele inter circunſtantias numeratur, quicquid è contrà affirmet Vaſques 1.2. d. 10. n. 3. & 24 Ariſtoteles enim nomine eorum, in quibus eſt actus, non eſt complexus ſolas circunſtantias propriè dictas, ſed omnia planè quæ ad actum voluntarium interueniunt.

Quædam accidentaria ex circunſtantiis extrinſecis deriuata.

125. Altera ſecundaria actus purè eliciti moralitas, illa eſt, quæ ducitur ex circunſtantiis extrinſecis, quatenus extrinſecis. Quamuis enim non ſit neceſſe, actum, vt ſit formaliter moralis, habere aliquas circunſtantias extrinſecas: poteſt tamen ex earum appoſitione, peculiaris aliqua moralitas actui interno accedere Volui autem has circunſtantias eſſe extrinſecas. Nam circunſtantiæ internæ, ſeu potiùs conditiones materiæ propriæ, de quibus art. 5. actum eſt, non ſunt idoneæ conferre moralitatem peculiarem, diſtinctam à moralitate collata per materiã ad cuius conſtitutionẽ ſpectant. Et quanquã hæ quoque conditiones materiæ vel circunſtãtiæ internæ, ſi ſumantur in aliqua certa menſura, poſſint conferre moralitatem aliquã ſecundariam, vt ſuprà dictũ eſt: Tamen vt ſic, ſumuntur quatenus extrinſecæ. Non enim habẽt rationẽ circunſtantiarũ internarum, vel potiùs conditionum materiæ propriæ, niſi prout ſumuntur quaſi vagè & generatim. Aliter autẽ ſpectãtur, cùm cõferunt peculiarẽ moralitatẽ, diſtinctã ab ea quã actui interno confert materia.

Ratio circunſtantiæ exponitur.

Cæterùm vt perſpiciatur quomodò hæc ſecundaria moralitas deriuetur à circunſtantiis in actum internum purè elicitum, de quo nunc agimus, placet circunſtantias extrinſecas, ſiue propriè acceptas, cum actu purè elicito comparare; (tametſi eadem quoque ratio eſt de circunſtantiis extrinſecis alteri cuiuis actui:) vbi priùs ſuppoſuero rationem circunſtantiæ obiter traditam cùm de voluntario, breuiſſimè autem expoſitam à Durando in 4.d.16 q.3.n.5. cùm dixit, quicquid nõ pertinet ad ſubſtantiam actus prout eſt in ſpecie naturæ, & tamen aliquo modo concernit ipſum actum, dici circunſtantiam eius phyſicam. Similitérque circunſtantiam moralem cenſeri omnem illam, quæ confert actui aliquid in genere moris, nec tamen quod per illam confertur, eſt de eſſentia, ſiue ſubſtantia actus illius in genere moris, ſiue primariò ſiue ſecundariò.

126. Hinc S. Thomas 1.2. q.7. art. 1. infert circunſtantiam eſſe accidens actus humani: quia quod ad rem aliquam pertinet, & eſt extra eius ſubſtantiam, cenſeri debet accidens eius. Idem ergo eſt de actu. Quanquam quòd circunſtantia dicitur accidens actionis, non eſt de vero & rigoroſo accidente inhæſiuo, ac vt aliqui loquuntur, *nominali*, accipiendum. Sed ſatis eſt, ſi ita ad actum pertineat, vt quatenus circunſtantia eſt, non ſpecificet ipſum. Eo ipſo namque erit extra ſubſtantiam actus, eúmque proinde circunſtabit, & illi accidet. Subſtantiam actus appellant illud, quod eſt in actibus veluti primarium, cuiuſmodi eſt illud duntaxat quod per definitionem explicatur, complectitúrque omnes rei gradus eſſentiales vſque ad differentiam vltimam. Ac proinde in actu humano rationes omnes communiores, putà ratio eliciti, appetitionis, & huiuſmodi aliæ vſque ad vltimam quæ ex obiecto ducitur, ſpectant ad actus ſubſtantiam, nec poſſunt variari ſubſtantia actus manente, ipſóque actu ſuperſtite. Quæ verò talia ſunt, vt retenta eadem ratione generica & ſpecifica variari poſſint, non ſpectant primariò ad actum, quamuis ei adiaceant & accidant, & idcircò accidentia & circunſtantiæ dicuntur.

Tales aliquas dari reſpectu actus humani non modò in genere naturæ, ſed etiam in genere moris conſiderati, ſuo loco demonſtrabitur, & perſpicuum videtur ex nunc expoſita ratione circunſtantiæ. Sunt enim pleraque in quibus actus etiam quatenus morales poſſunt variationem ſuſcipere, ſalua ipſorũ actuum morali eſſentia. Neque id inficiatus eſt Durandus ſuprà, vt malè ei aliqui affingunt, eo quòd n. illo 5. dixerit illud eſſe circunſtantiam, quod non pertinet ad ſubſtantiam actus, prout eſt in ſpecie naturæ, & tamen aliquo modo concernit ipſum actum. Non enim idcircò negat Durandus, quædam ex illis quæ non pertinent ad actum ſecundùm eſſe naturæ, habere rationem circunſtantiæ & accidentis moralis eandem ſubſtantiam moralem [illegible]cientis: Ita diſertè habetur ex n.9. Sed neque illud malè affirmauit Durandus in quo à quibuſdam refellitur; nempe quicquid non eſt de ſubſtantia actus ſecundùm eſſe naturæ, recenſendum eſſe inter circunſtantias. Quamuis enim hoc, ſi de circunſtantiis abſolutè agamus, admitti non poſſit; quandoquidem aliqua quæ relata ad actionem ſpectatam in genere naturæ ſunt eius accidentia & circunſtantiæ, ſpectant tamen ad ipſam eius ſubſtantiam ſi ad actionem in genere moris ſpectatam referantur, ac proinde non habent rationem moralis circunſtantiæ propriè dictæ: Quamuis inquam hæc ita ſe habeant, tamen agendo de circunſtantiis cum diſtributione accommodata, veriſſimè dicitur, quod eſt

extra

extra ſubſtantiam, habere rationem circunſtantiæ: Nempe quod eſt extra ſubſtantiam moralem, habere rationem circunſtantiæ moralis; quod autem eſt extra ſubſtantiam phyſicam, habere rationem phyſicæ circunſtantiæ.

Tres circunſtantiarum claſſes.

127. Sic expoſita circunſtantiarum ratione, venio ad illud quod ſuſcepi exponendum. Circunſtantiæ ergo vt Durandus ſuprà n. 16. & S. Thomas q. 2. de malo, art. 6. aduerterunt, triplicis ſunt generis: quædam enim ſe habent impertinenter ad actum in genere moris ſpectatum, quia nullum dicunt ſpecialem ordinem ad rationem rectam. Sic, percutere aliquem manu dextra vel ſiniſtra, aut habendo veſtem rubram vel albam, per ſe loquendo nihil refert ad moralitatem illius actus; quia percuſſio propterea non habet peculiarem vllam diſſonantiam aut conſonantiam cum ratione recta. Atque ita hæ circunſtantiæ ablegandæ omninò ſunt ab hac conſideratione, tanquam omninò alienæ à genere moris. Diſplicent enim, qui has quoque circunſtantias vocant morales, eáſque ab hac conſideratione reiiciunt eo tantùm nomine, quòd non pertineant ad beatitudinem. At pertinerent ſanè ad beatitudinem vel adipiſcendam vel amittendam, ſi morales eſſent: nam quod morale eſt, connexionem aliquam habet cum recta ratione tanquam ei, conſonum vel diſſonum; & eo ipſo non poteſt non pertinere ad beatitudinem.

Aliæ ex iiſdem phyſicis circunſtantiis ita ſe habent ad actum, vt non importent talem aliquem peculiarem ordinem ad rectam rationem, niſi præſuppoſito aliquo anteriore per ſe dicente ordinem illum, quod ab iiſdem circunſtantiis afficitur. Eiuſmodi ſunt quantitas rei, aut modus quo fit actio. Nam multitudo vel paucitas rei quæ accipitur, quatenus multitudo aut paucitas eſt, non conſonat aut diſſonat rationi: quatenus tamen res illa quæ accipitur eſt aliena, indéque vitiatur acceptio, actus fit deterior, ſi plus accipiatur. Idémque eſt de modo quo fit actio, vt ſi promptè aut remiſsè obeatur. Quanquam modus, qui extrahit actionem à moralitate præuia, non eſt huius loci. V. G. rapina videtur eſſe modus acceptionis rei alienæ: reuera tamen eſt pluſquàm modus, quia continet ſpecialem iniuſtitiam, ob vim illatam ſupra damnum.

Tandem aliæ ex prædictis phyſicis circunſtantiis reddunt actum per ſe primò conſonum vel diſſonum rectæ rationi: ita vt ſi per impoſſibile alia quæuis ratio actum honeſtans vel inficiens deeſſet, nihilominùs actus foret inde honeſtandus vel inficiendus. Quare per ſe primò rectæ rationi conſonare aut diſſonare cenſetur in hoc negotio, quicquid non eſt modus actionis, aut aliquid quod ne concipi quidem poſſit conferre moralitatem, niſi præſuppoſito altero: qua ratione adulterium cenſetur eſſe per ſe primò morale, licèt præſupponat intemperantiam? Indicium ad huiuſmodi circunſtantias agnoſcendas hoc profert Scotus quodl. 18. *litera L*, ſi per eam circunſtantiam, actus ad nouam virtutis vel vitij ſpeciem pertineat.

Quænam ex eis moralitatem conferant, & quomodò.

128. Ex hac triplici circunſtantiarum claſſe, prima dimittenda eſt tanquam omninò aliena ab hoc inſtituto. Secunda continet circunſtantias quæ dicuntur moralitatem aggrauare vel minuere intra eandem ſpeciem. Quamuis enim quæ aggrauare dicuntur, conferant aliquam moralitatis anterioris determinationem, veréque propter eas anterior moralitas magis conſonet vel diſſonet rectæ rationi; tamen non trahunt actum ad nouam ſpeciem, quia actus eodem quo priùs conſonantiæ vel diſſonantiæ genere, ſed luculentiore & ampliore affectus cernitur. Poſtremæ circunſtantiæ conferunt nouam ſpeciem moris, ſed accidentariam, quandiu in ratione circunſtantiæ manent.

Hoc verò poteſt dupliciter contingere. Nempe primò ita vt ſpecies noua ſuperueniens ſit diſparata, eo quòd ordo nouus actionis ad rationem rectam, non ſit per ſe diuiſiuus ordinis anterioris ad rationem, quem in actione præconcipimus, ſed ei adueniat per accidens. Quo pacto ſpecies noua quæ per circunſtantiam confertur, ſe habet diſparatè ad anteriorem ſpeciem, nec pertinet ad idem proximum genus moris. Atque ita qui furatur rem alienam vt poſſit perpetrare homicidium, inuehit ex hoc fine in actum ſuum ſpeciem nouam, quæ ſe habet diſparatè ad anteriorem ſpeciem. In quo exemplo vides luculenter expreſſum quod docet D. Thomas ſuprà art. 6. ad 2. nempe tunc contingere hanc inuectionem nouæ moralitatis diſparatæ, cùm circunſtantia mutat in actu ſpeciem moris, non ſecundùm quod ex ea reſultat aliqua conditio circa obiectum, ſed quatenus illa circunſtantia conſideratur vt obiectum alterius actus circunſtantis, nempe intentionis tendentis in malum finem aduenturum.

Alter modus quo circunſtantia poteſt conferre nouam ſpeciem moralitatis, eſt is, quo ſpecies noua quæ additur, eſt diuiſiua moralitatis præiacentis in actu, eſtque eius ſpecies. Cùm enim id quod additur, eſt per ſe diuiſiuum eius cui additur, facit ſpeciem eius: vt cùm ſupra coloratum additur album, fit ſpecies colorati. Cùm autem id quod additur ſe habet per accidens ad id cui additur, non fit vnum per ſe cum eo cui aduenit, ſicut cùm dulce additur colorato. Igitur in re noſtra, cùm ex circunſtantia reſultat noua aliqua conditio circa obiecta ſpecialiter conſona vel diſſona rectæ rationi, exurgit noua moralitatis ſpecies diuiſiua moralitatis anterioris. Vt cùm quis furatur, & in loco ſacro, ſacrilegium quod additur per circunſtantiam loci, eſt ſpecies diuiſiua anterioris moralitatis, quia petitur ex circunſtantia nouam obiecti conditionem inferente. Hoc autem toties contingere obſeruat Conradus 1.2. q. 18. art. 10. *in fine corporis*, quoties circunſtantia non eſt finis, ſed veluti modus obiecti, quæ cauſa eſt cur prior moralitas in eo euentu ſubſternatur moralitati poſteriùs aduenienti, quod ob contrariam rationem non contingebat in altero modo, quo vidimus ſpeciem nouam conferri per circunſtantiam.

Difficultas in oppoſitum, expeditur.

129. Impugnat hanc doctrinam Vaſques 1.2. d. 51. n. 17. & 18 ſed inefficaciter. Argumentatur enim in primis, quia circunſtantia quæ habet peculiarem ordinem conſonantiæ vel diſſonantiæ ad rationem, non poteſt vllo modo per ſe pertinere ad ſpeciem conſtitutam penes alterum ordinem ad rationem rectam. Deinde quia ſi ita eſſet vt nos aſſeruimus, ſufficeret in ſacramentali Confeſſione exponere ſpeciem vltimam & diuiſiuam anterioris moralitatis, quia genus cenſetur expreſſum in ſpecie infima. Perſpicuum autem eſt, idoneam habitum iri Confeſſionem, in qua quis tantùm exprimeret ſe voluiſſe ſacrilegium admittere in rem ſacram, non expreſſa anteriore moralitate; puta an furto, an aliquo alio modo.

Hæc tamen non difficilè diſpelluntur. Nam in

priore argumentatione falsò aſſumitur, quòd moralitas vna non poſſit per ſe pertinere ad alteram iam aliunde conſtitutam. Idipſum enim eſt de quo agitur, quódque probandum non gratis aſſumendum fuerat. Ad exemplum verò Theologicum, dico tunc ſufficere exponere differentiam & ſpeciem vltimam, cùm ex ea intelliguntur reliqui gradus ſuperiores. Quæ cauſa eſt cur in definitionibus gradus vniuerſales non exprimantur. At plerunque in moralibus ob dependentiam à libertate, morales actionis gradus ita commiſcentur, vt vltimo tantùm explicato, ſuperiores non innoteſcant determinatè & eo modo quo par eſt ad ferendum de eis iudicium. Tunc igitur neceſſe eſt, præter vltimum gradum moralitatis aperiri diſtinctè reliquos, qui vltimo duntaxat declarato non fuiſſent manifeſti.

Ex eadem porrò dependentia moralitatis à libertate, ducenda eſt ratio, cur acceſſu nouæ ſpeciei inuectæ per circunſtantiam, moralitas anterior, quæ alioqui fuiſſet vltima, non mutetur in ſeipſa, ſed eadem manens contrahatur per ſuperuenientem ſpeciem, deſinátque eſſe vltima, qualis reuera fuiſſet, ſi noua ſpecies ex circunſtantia non aduenisſet. Quod agendo de ſpeciebus phyſicè aut metaphyſicè conſtitutis, quia ſunt à voluntate humana independentes, impoſſibile foret. Sicut autem ea ſpecies anterior manens eadem, facta eſt non vltima per ſuperuentum nouæ: ita mutata lege, aliáve aliqua variatione facta ob quam ſpecies ſupradicta euaneſceret, poſſet fieri vltima, vt euincitur eo Durandi argumento in 2. d. 2. q. 1. n. 4. & in 4. d. 14. q. 1. n. 9. quòd tot ſint ſtatuendæ in vno actu moralitates, quot ſunt in eo ordines ad rationem rectam ſeparabiles ab inuicem. Ea quippe ſeparabilitas omninò demonſtrat eam quam dixi, moralitatis anterioris tranſmutabilitatem de non vltima in vltimam ſpeciem.

130. Rectè igitur conſtitutum eſt, circunſtantias per ſe primò ordinem dicentes ad rationem rectam, ſi maneant in ratione circunſtantiæ; hoc eſt, ſi non ſint principale obiectum, ſed tantùm inferant conditionem aliquam circa illud, nec ſpectentur vt obiectum alterius actus circunſtantis, conferre nouam ſpeciem anteriori accidentariam, eo modo quo ſpecies eſt accidentaria generi, eiuſque determinatiuam & diuiſiuam ad modum differentiæ vltimæ gradus anteriores contrahentis. Ex hoc autem quòd dico huiuſmodi circunſtantiam, ex qua ducitur ſpecies moralitatis, non diſparata, ſed determinatiua ſpeciei præcedentis, non debere ſubiici actui alteri circunſtanti; ſatis ſignifico, finem non poſſe conferre actui purè elicito moralitatem, de qua agimus. Nam vel eſſet finis directè intentus per actum purè elicitum, & talis finis non eſſet circunſtantia, ſed obiectum primarium vt per ſe patet: Vel eſſet finis planè extrinſecus & appoſitus actui per alium actum, ratione cuius iſte actus haberet rationem imperati: Et eo ipſo eſſemus extra id de quo agitur. Nec enim iſte actus eſſet purè elicitus. Quare reſtat vt ſecundaria moralitas actus purè eliciti ex circunſtantiis extrinſecis ducenda, aliunde quàm ex fine petatur, nempe ex aliis circunſtantiis peculiarem ordinem per ſe primò dicentibus ad rationem rectam.

De eodem concurſu inæqualium eiuſdem generis moralitatum, in actum elicitum ſimul & imperatum.

131. Expedio breuiter alterum membrum initio propoſitum, hoc eſt, moralitatem primariam & ſecundariam actus eliciti ſimul & imperati. Et quidem ſi huiuſmodi actus ſpectetur vt elicitus, moralitas eius non eſt alia quàm quæ hactenus expoſita eſt. Itaque conſideranda tantùm eſt moralitas cuius eſt capax quatenus imperatus, & per reflexum voluntatis actum directus ad finem extrinſecum, hoc eſt, ad finem actus imperantis. Et quanquam non deſunt qui refragentur, & negent actum imperatum habere moralitatem aliquam ab actu imperante, vt Vaſques, Baſilius Poncius, & Ægidius Coninch. quorum rationes referam & excutiam diſputans de bonitate, tamen mihi ſtatuendum omninò videtur, actum elicitum ſimul & imperatum, vltra moralitatem propriam quam habet quatenus elicitus, aliam inducere ex eo fine deriuatam, ad quem dirigitur per actum imperantem. Conſtat enim actum imperatum ſubordinari imperanti: & idcircò actus imperatus non poteſt cenſeri extraneus ab imperante, ſed debet haberi tanquam aliquid eius, vt potè non reſpecturus finem illum actus imperantis, niſi interueniret ordinatio ad eum finem facta per actum imperantem. Imò ſi actus imperatus eſſet ab imperante extraneus, tollerentur denominationes illæ imperantis & imperati. Meritò igitur admittimus, actum imperantem; tanquam principium & cauſam actus imperati ſimul & eliciti, refundere in illum moralitatem aliquam, quæ perſpicuè eſt accidentaria, & hauſta à circunſtantia externa.

Solet tamen hæc moralitas peculiariter exprimi, cùm dicitur moralitatem actus peti ex obiecto & circunſtantiis ac fine, nempe externo, de quo ibi agitur: non quòd non ſit accidentaria, aut quòd finis ille non habeat rationem circunſtantiæ, ſed quòd cùm inter circunſtantias emineat, viſus eſt dignus cuius fieret peculiaris mentio in vulgari illo effato. Quanquam ſi quis renueret admittere, finem de quo in eo effato agitur eſſe finem externum, contenderétque eſſe finem internum, nomine autem obiecti vellet intelligi ibi materiam, ac proinde effatum illud non ſpectare ad actum elicitum ſimul & imperatum, ſed ad actum duntaxat purè elicitum, non video quàm validè de ea interpretatione dimoueri poſſet.

Moralitatum eiuſdem generis & ordinis eundem internum actum concurſus, ſtabilitur.

132. Secundò attigi ſecundam adunationem moralitatum formalium, in eundem internum actum, hoc eſt duarum moralitatum eiuſdem generis & ordinis coalitum in eandem volitionem, ſiue moralitates illæ eiuſdem ordinis, ſint omnes primariæ, ſiue omnes ſint ſecundariæ. Quanquam concurſus plurium moralitatum ſecundariarum vni primariæ coniunctarum, non eget vberiori expoſitione, & ex illis quæ in ſuperioribus tradita ſunt, ſatis conſtat concurſum illum in vnam actionem internam, poſſibilem eſſe, & fieri poſſe multipliciter. Nam & moralitas ex obiecto materiali (quæ vtique ſecundaria eſt, cùm alteri principaliori ex fine extrinſeco ductæ ſubſternitur,) coniungi poteſt alteri moralitati ſecundariæ ductæ ex aliqua circunſtantia non interna; & ex huiuſmodi circunſtantiis plures ſimul moralitates ſecundariæ hauriri poſſunt. Difficultas igitur duntaxat eſſe in hoc puncto poteſt, de concurſu multiplicis moralitatis primariæ in eundem actum interiorem.

Ego hunc quoque concurſum admitto eſſe poſſibilem, dummodò neutra moralitas quicquam importet excluſiuum alterius. Quod addo, quia ſi moralitates illæ plures ducendæ ſint ex obiectis propter ſe volitis, perſpicuum eſt eas non poſſe coaleſcere in eundem actum interiorem. Neque enim vnus &

illum

idem actus interior poteſt elici propter duo obiecta totalia, quæ ſint propter ſe volita. Poteſt quidem vnus internus actus eſſe propter duo obiecta materialia, quæ ſub vnica ratione formali appetantur aut reſpuantur: Tunc tamen moralitas vel non erit multiplex, vel ſaltem non erit primaria. Vt tamen vnicus internus actus, plura obiecta formalia, (cuiuſmodi ſunt quæ per ſe intenduntur,) indiuiſibiliter attingat, fieri non poteſt vt rectè cenſuit Suares d. . de fide, ſect. 13. male repugnante Vaſque 1. 2. q. 28 ad art. 7. n. 48. & d. 51. n. 19.

Ex hoc principio ſtatuemus infrà ſuo loco, poſſintne plures bonitates primariæ ſimul cohærere in eodem interno actu, oſtendemúſque partem negantem veram eſſe, eo quòd bonitas primaria debeat eſſe propter ſe volita, idemque ſtatuemus de malitia primaria multiplici, cùm contingit eam eſſe per ſe directè volitam, quod non eſt neceſſarium ad malitiam, etiamſi ad bonitatem ſemper exigatur, vt plenius infrà tradetur in ſpeciali vtriuſque illius moralitatis explicatione.

Concurſus moralitatum diuerſi generis in eundem internum actum, an poſſibilis.

133. Tertiò attigi poſtremum concurſum moralitatum in eundem internum actum, hoc eſt, concurſum moralitatum diuerſi generis; nempe bonitatis & malitiæ moralis. Neque enim comparamus bonitatem naturalem & malitiam moralem: has enim perſpicuum eſt cohærere in omni actu moraliter vitioſo, nec adinuicem pugnare, quod Durandus rectè obſeruauit in 2. d. 40. q. 3 n. 3. qui item rectè ſubdit n. 4. bonitatem & malitiam moralem poſſe ſucceſſiuè habere locum in eodem interno actu. Quod quomodò intelligendum ſit, tractatum copioſe eſt ſuprà. Itaque hoc loco agimus de moralitatibus oppoſitis, ad eundem internum actum ſimul collatis, quærimúſque an poſſint reuera ſimul afficere eundem internum actum.

Controuerſia tamen reſtringenda eſt ad actum internum reſpectu eiuſdem operantis. Nam ſi ſpectemus eandem interiorem actionem phyſicam prout à diuerſis cauſis ſubordinatis manantem, non eſt dubium, quin vnus & idem actus internus ſit duplici & contraria moralitate ſimul afficiendus. V. G. idem actus volendi peccatum, prout eſt à peccatore, peſſimus eſt; prout autem à Deo prodit, eſt optimus. Agimus ergo de actu interiore alicuius operantis. Et de eo aliqui olim cenſuerunt poſſe ſimul eſſe bonum & malum moraliter. Ita Gulielmus de Bellomonte apud Gregor. in 2. d. 42. q. vnica, concl. 4. *in corollario.* Idem cenſet Adam *in fine ſecund.*, & Monachus apud Almainum tract. 1. moral. c. 11. *in fine*, qui ibidem videtur idem tenere in vno quodam euentu, nempe cùm quis eodem actu vult medium malum propter finem bonum, vt furtum ad benefaciendum pauperi. Reuera tamen ibi tantùm proponit dubitationem mox decidendam c. 12.

Eligitur pars negans.

134. Verùm dubitare non licet, quin hæc moralitatum diuerſi generis in eundem internum actum adunatio, ſit repudianda. Vt latè docent Gr ſuprà, Almainus c. illo 1 . propoſ. . & 2. A à Vega l. 1c. in Trident. cap. 27 Vaſq. 1. 2. d. 1 . cap. . & Salas 1. 2. tract. 7. d. . ſ. 1. paſſimque alij poſt Philonem, cujus illa ſunt eleganter de more dicta lib. de temulentia, initio. *Veritas fucatis rebus detrahit ſectaria, decernens & ſeparans à virtute quic-*

quid vitioſum eſt. Hac enim duo nec veſtiri ſimul poſſunt, nec exui: ſed ſi quis reiecerit alterutrum, neceſſariò contrarium eius totum exhauriet. Sicut enim voluptatem & moleſtiam, naturâ inter ſe contrarias pugnantéſque, vt eſt in vetere fabula, in vnum Deus coaptans faſtigium, vtriuſque ſenſum nobis, non eodem, ſed diuerſo tempore indidit, hac lege vt alteri decedenti, ſuccederet altera: ad eundem modum ab eadem radice, videlicet intellectu, duæ ſtirpes exortæ ſunt, virtus & vitium, nunquam nec germinantes nec fructum ferentes eodem temporè. Quoties enim areſcenti alteri folia defluunt, contraria germinare vireréque incipit: Vt credibile ſit, vtranque alterius felicitate offenſam contrahere ſe. Quam ob cauſam valdè naturæ conſentaneum, Iacob exeunte, introitum Eſau legimus, dicente Scriptura: Et factum eſt, quando exiuit Iacob, venit Eſaü frater eius. *Manens per enim inambulat in animâ prudentia, exterminatur aſtutia ſapientia: ſed quamprimum illa migrat à terre audens ob diſceſſum inimica infeſtiſſima, propter quam exulauerat.*

Ineffi aces eius probationes.

Non pauci tamen Doctores in hanc rem minùs efficaciter argumentantur, nec ſatis robuſte impetunt contrariam poſitionem. Vega vrget aduerſarios verbis Eſaiæ intentatis. *Væ his qui dicunt malum bonum, & bonum malum, ponentes lucem tenebras & tenebras lucem.* Addit iudicium D. Auguſtini l. contra mendac. cap. 18. aſſerentis nihil aliud eſſe, affirmare quædam peccata iuſta eſſe, quàm aliqua eſſe iuſta quæ iniuſta ſunt. Non videntur tamen aduerſarij his authoritatibus vrgeri. Neque enim dicunt aduerſarij eandem actionem eſſe bonam quatenus malam, vel contrà; quod tamen vnum authoritatibus prædictis negatur. Tantùm ergo dicunt aduerſarij, bonitatem & malitiam ex diuerſis capitibus manantes, poſſe ſimul coniungi, & comitari ſe in eodem actu, quod illis teſtimoniis quæ contra illos adducebantur, non impetitur. Nec magis efficaciter aduerſarios premit Valques ſupra à n. 8. cùm eos impugnat ratione ducta ex eo quòd iuxta ipſos fatendum eſſet, eundem actum eſſe & meritorium præmij, & ſimul demeritorium ſupplicij. At Angeſtus c. 14. mor. t. 1. concl. 3. negat id abſurdum eſſe. Itaque probandum fuiſſet, non poſſe eundem actum ex diuerſis capitibus conſideratum, eſſe ſimul præmij meritorium, & pœnæ demeritorium. Denique additur contra aduerſarios hæc argumentatio. Omnis actus aliqua ratione bonus poteſt ab aliqua virtute elici. Actus autem malus in ratione malus, quandiu malus eſt, à nulla virtute elici poteſt, quia nemo virtute male vtitur. Igitur nullus actus malus poteſt eſſe aliqua ratione bonus. Facile tamen erit aduerſariis hoc telum retundere, dicendo actum ſimul bonum & malum, non fore eliciendum à virtute quatenus malus eſt, ſed tantùm quatenus eſt bonus, atque ita contendent, eum qui adhibebit virtutem ad eliciendum actum illum quatenus bonum, non malè vſurum virtute. Fortiora igitur quærenda ſunt veritatis propoſitæ præſidia.

Noſtra probatio.

135. Argumentor igitur cum Gregorio in 2. d. 26. q. 1. art. 1. concl. . quia actum eſſe moraliter bonum, nihil aliud eſt quàm actum eſſe liberum, & rectæ rationi conformem, & quoad obiectum, & quoad omnes actionis circumſtantias. Atqui impoſſibile eſt, actum internum quoad omnia quæ ad ipſum attinent, bonum eſſe, & ſimul eſſe malum. Ergo non poteſt idem actus interior, eſſe ſimul bonus & malus.

Maior eſt perſpicua, nititur enim receptiſſima moralis bonitatis ratione. Minor item eſt euidentiſſima. Neceſſe namque eſt, actum ſi malitiam habet, eam haurire ex aliquo ad ipſum attinente. Si igitur vndecunque præcluſus eſt fons malitiæ, & obiecto & circunſtantiis omnibus conferentibus bonitatem, non erit vnde moralis malitia ſubrepat. Eodem recidit illa aba:ratio, quam aliqui his verbis concipiunt. Actus qui eſt vndecunque talis, qualem eum eſſe oportet, nullo modo eſt malus moraliter. Atqui actus qui ex obiecto & circunſtantiis bonus eſt, talis eſt qualis vndecunque eſſe debet. Nullo igitur modo eſt malus.

Accedit argumentum petitum ex proportione bonitatis moralis & pulchritudinis naturalis. Bonitas namque moralis eſt quædam pulchritudo actus, vt pulchrè tradit Scotus in 1. d 17. q. 2. *litera O.* Sicut ergo corpus quamuis omnia alia habeat, ſi tamen aliquid ei deſit, ſiue ex parte figuræ, ſiue ex parte coloris, deſinet denominari ſimpliciter pulchrum; ita vt de huiuſmodi corpore liceat dumtaxat dicere; *pulchrum foret, niſi næuus ille adeſſet. de facto tamen pulchrum non eſt.* Ita actus humanus aliunde inquinatus nullo modo appellari poterit bonus; ſed tantùm dicetur, quòd bonus foret, ſi abeſſet labes illa, qua de facto maculatur. S. Thomas in 2. d. 6. q. vnica, art. 5. *ad* 2. ait, hanc actus bonitatem quaſi conditionatam, non eſſe bonitatem ſimpliciter, ſed tantùm bonitatem ſecundùm quid: eo quòd iuxta S. Dionyſium c. 4. diuin nom. bonum ſimpliciter dictum & eo nomine dignum, ſit ex integra cauſa: malum verò ex quocunque defectu, quod non minùs valet in moralibus quàm in naturalibus.

Obſeruatio ad amoliendam conflatam huic ſententiæ inuidiam.

136. Vt autem graui incommodo, quod videtur ſententiam noſtram ſequi, occurſum eam, conſtétque non propterea euacuari omnem honeſtatem maximæ partis actionum ſtudioſarum, vt poſſit alicui videri concedendum, ſi verum ſit vel minimam labem excindere vniuerſam actualem bonitatem actus moralis; aduerto, finem extrinſecum ex quo impedimentum illud deriuatur, vel ſe habere concomitanter ad actum internum de quo agimus, vel ſe habere ad eum conſequenter, vel denique ſe habere antecedenter. Se habebit concomitanter, ſi neque ſit cauſa actionis neque effectus, neque vllam cum ea connexionem habeat. Hoc pacto ſe habet qui benè facit pauperibus ex vero fine miſericordiæ, ſimúlque iactat genus & proauos. Se habebit conſequenter, ſi opus non ſit ex voluntate finis illius aſcititij, ſed potiùs volitio illius finis enaſcatur accepta occaſione ex ipſo opere. Quo pacto interdum affectus gloriolæ obrepit benefico illi occaſione boni operis, & impenſæ alteri miſericordiæ. Denique ſe habebit antecedenter, ſi ſit cauſa actionis de qua agitur, eo quòd actio fiat ex fine illius affectus, ſiue ſit finis principalis & motiuus, ſine quo videlicet opus non fieret; ſiue ſit tantùm impulſiuus, ſeu talis vt eo non mouente, fieret quidem opus, ſed non adeò libenti voluntate, vel non adeò expeditè, ac promptè, iuxta germanam finium illorum diſtinctionem expoſitam & ſtabilitam à Sanche l. 4. in Decal. c. 2. à n. 38 & à Suare l. 4. de voto, c. 18 n. 8.

Si ergo finis ille extrinſecus, à cuius vitio timetur actui interno, ſe habeat antecedenter ad actum, ſitque aliquo modo eius cauſa, (quod eueniet, ſi habeat ad actum rationem obiecti vel circunſtantiæ,) dubitari non debet, quin actus ex illius vitiati finis adiunctione vitiandus ſit, & ſoeptus planè reddendus ad fundandam præmij cuiuſvis dignitatem. Finis enim actus imperantis, eſt circunſtantia actus imperati. Igitur illinit turpitudinem ſuam actui imperato, tanquam partui & proli ſuæ, tametſi reclamat Vaſques 1. 2. d. 70. n. 13. ex contrario fundamento, quo ſtatuit finem illum non eſſe actus imperati circunſtantiam, nec vllo modo ad eum pertinere. Si autem finis malus ſe habeat concomitanter vel conſequenter ad actum, quod eſt admodum frequens, tunc poterit actus ex fine ſuo & circunſtantiis bonus eſſe ac vitio vacare, quandoquidem finis ille vitiatus neque eſt eius obiectum, neque circunſtantia. Vnde tunc inferre duntaxat licet, hominem ſimul elicere vnum bonum actum & alterum malum. Qua in re nulla eſt repugnantia, maléque Scoto imponitur, quòd contrarium voluerit in 2. d. 28. *q. vnica, §. Contra iſtas duas vias.* ibi enim tantùm aſſerit aliquid longè diuerſum. Nempe non poſſe quenquam ſimul reſiſtere voluntati mortaliter peccandi, & ſimul voluntatem concipere mortaliter delinquendi.

Hac igitur ratione non incommodè lenitur prætenſa apud aliquos huius ſententiæ aſperitas, & ita conſulitur fragilitati noſtræ in labeculis contrahendis & infuſcanda actionum noſtrarum honeſtatum ſynceritate, vt ſimul honeſtatis illibata puritas, & cum malitia impermixtio, exactè & tenaciter retineatur.

ARTICVLVS VIII.

De refuſione moralitatis formalis ab interno actu ad externum, vel quaſi externum: hoc eſt, imperatum ſimul & elicitum.

137. REgredimur ex parte ad huius diſputationis caput. Vidimus enim totius moralitatis ſimpliciter dictæ fontem, eſſe obiectum actus interni, quod plerunque eſt ipſemet actus exterior, vt ſuprà etiam obſeruauimus. Sed quia moralitas obiecti, atque adeò etiam actus externi Internum terminantis, non eſt niſi inchoata & fundamentalis, vt cum Ferrarienſi 3. contra Gent. cap. 10. loquebamur, aut vt S Thomas q. 2. de malo, art. 5. & in 2. d. 4. q. vnica, art. 3 *in corpore*. rectè dixit, non eſt moralitas, niſi per modum cauſæ; idcircò reſtat vt videamus quomodò actus exterior prout vnum moraliter faciens cum interiore, & aliquatenus communicans libertati eius, particeps fiat moralitatis in actu interno cauſatæ per actum externum tanquam per obiectum. Eſt enim in ea redundantia & refuſione internæ moralitatis in externum actum, aliquid expenſione & cognitione dignum. Nomine porrò actus externi, hoc loco complector omnem actum, cuius exercitium libertati quoquo modo ſubeſſe poteſt per voluntatis imperium, & applicationem potentiæ à qua prodit: Et inter voluntatis actus, eos quoque numero inter actus externos, qui ſimul eliciti ſunt & imperati. Nam quatenus imperantur, non habent moralitatem formalem niſi per refuſionem ab actu imperante: eodem planè modo quo actus purè imperatus haurit moralitatem ab actu interno & purè elicito. Vnde meritò hos actus nominaui quaſi externos. Nam & aliquatenus externi ſunt voluntati, prout actum imperantem profundenti.

ASSER

ASSERTIO.

MOralitas formalis actus interni, tefunditur ac veluti exundat in actum externum vel quaſi externum, libertati actus interni, ac proinde etiam moralitati ſubſtantem. Vnde & vnica in externo ac interno actu moralitas cernitur, & pro multiplicitate moralitatis actuum interiorum, quibus actus externus ſubeſt, multiplicaodæ ſunt in eo moralitates, non ordine tantùm, ſed genere etiam diſcrepantes.

PRimò expono refuſionem moralitatis formalis ab actu interno ad externum, & dico eam nihil aliud eſſe quàm effectum participationis libertatis, quæ eſt in actu interno per actum externum.

Refuſio moralitatis formalis quid, & in quo ſita.

138. Hoc non eſt explicatu & probatu operoſum. Quia enim actus exterior eſt actio eiuſdem ſuppoſiti à quo prodit interior, & per imperium voluntatis liberè indicitur, eíque aliquatenus ſubſtat, quod non habent actus merè naturales, qui in eodem ſuppoſito exercentur, vt vegetationes & actiones primarum qualitatum homini internarum: propterea ſicut externi actus participant libertatem actus interni; ita & moralitatem quæ eſt germen libertatis Nam non aliter cernitur moralitas in actu externo, quàm provt eſt vnus cum interno. & ex eius imperio prodit, ac eatenus accipit habitudinem ad rationem rectam; quod actui externo non niſi per internum accidere, rectè aduertit Durandus in 2. d.35. q.3.n.6. & conſonat il'ud S. Ambroſij ſerm. 16. in Pſal. 118. *initio*, dicentis in oculo viſum eſſe, in corde peccatum, ideóque Chriſtum abſoluiſſe oculum, ligaſſe mentem, cùm dixit, *Qui viderit ad concupiſcendum, mœchatus eſt*. Senſus enim D. Ambroſij eſt, externam videndi actionem, (& idem eſt de quocunque externo opere voluntati internæ ſubiuncto,) turpitudinem moralem contrahere ex interiore voluntate. Quod propoſitione ſeruata, æquè de opere bono externo diceret.

Sanè actus externi per internum imperati & indicti, eo imperio veluti continguntur. Vnde mirum videri non debet, quòd eius vel fragrantia vel putore imbuantur; non vlla entitatis nouæ communicatione, ſed nuda ſua entitate, provt ſubſtante actui interno perfectè morali. V.G. ambulatio, reſecta quacunque alia entitate additia, dummodò intelligatur prodire à potentia exequente interuentu actus eliciti moralis potentiam exequentem impellentis ad agendum, eo ipſo intelligetur moralis & redolens conditionem actus eliciti, cuius indictione facultas mouens fuerit applicata. Non eſt igitur neceſſe modum vllum realem in externo actu hanc ob cauſam comminiſci, vt rectè contra Bannem tale quid in ſimili innuentem ſtatuit Torres 2.2.to.1.d 40 dub.1. *in fine*, cùm ſufficiat nuda externi actus entitas reſpectiuè accepta, ſeu provt connotans actum internum, à quo proficiſcitur, & cuius vel radiis collucet, vel fuligine oblinitur.

Lis de vocibus, circa intrinſecam externi actus moralitatem, dirimitur.

139. Ex his euaneſcit lis quædam de nomine circa hanc externi actus moralitatem ab interno actu participatam. Sunt enim qui velint eam eſſe tantùm denominationem extrinſecam. Ita Argentina in 2.d. 42.q.vnica.art.1.ad 5. Durand. ibid.q.1.n.6. Ocham. quodl.1.q.20. Caiet.2.2.q.44.art.4. Becan. t.2. tr.1. c.6. n.4. & Conimbr. in Ethicis d.5.q.1. art.1. Alij è contrà volunt eſſe denominationem intrinſecam, ſaltem ex parte, eo quòd tametſi actus externus, quatenus liber & imperatus ab interno, eſt tantùm extrinſecè liber; tamen quatenus ab eo reipſa cauſatus, refertur ad illum intrinſecè: hoc eſt, per entitatem ſibi intrinſecam, & ratione dependentiæ illius ab actu interno quam intimam habet. Ita Aquarius in 2.d.42. concl.8. & Salas 1.2. tract.7.d.2.ſ 17. & vniuerſaliùs diſp.6. n.49.

Hanc litem dico ex dictis euaneſcere. Cùm enim actus externus, vt oſtendi, ſubſtet interno per ſuammet entitatem, poteſt in bono ſenſu aſſeri eum eſſe intrinſecè, hoc eſt ſubiectiuè moralem per aliquid ſibi internum, hoc eſt per ſeipſum. Quia tamen hic non quæritur an ſubiectum quaſi recipiens moralitatem, ſit internum; ſed an ipſa moralitas interna ſit, quæ vtique externa eſt actui externo, non minùs quàm libertas quæ non poteſt ſuo modo intrinſecè ineſſe alteri actui quàm interno & elicito: propterea in bono ſenſu alij priore loco relati, negant moralitatem eſſe formam intrinſecam. Significare ſcilicet volunt, moralitatem actus interni formaliter moralis, ipſi quidem interno actui ſuppoſita eius libertate conuenire intrinſecè, cùm ſit ipſamet actus interni entitas. Non transfundi autem reipſa in actum externum, ſed in actu interno reſidere & hærere: Et nihilominùs inde per modum formæ extrinſecæ, dignificare vel turpare actum externum, quem vt ab interno illo actu manantem, efficit rectæ rationi conſonum vel diſſonum, atque adeò etiam moralem. Atque ita duæ illæ ſententiæ, non litigant niſi de vocibus.

Cautiones ad quoſdam loquendi modos.

140 Cauendum tamen exiſtimo alium modum loquendi nonnullorum Authorum circa hanc refuſionem. Eſt enim obnoxius æquiuocationi; & periculum eſt, ne eius occaſione moralitas formalis commiſceatur cum fundamentali & obiectiua. Durandus ergo in 2. d. 42. n. 6. & 7. ait externum & internum actum quoad hanc redundantiam & refuſionem moralitatis ab actu interno ad externum, ita comparari, vt actus interior ſit ſubiectiuè & intrinſecè moralis: exterior autem ſit moralis tantùm obiectiuè & extrinſecè. Et ſenſus quidem Durandi optimus eſt. Tantùm quippe vult Durandus, actum externum non habere moralitatem aliam quàm eam quæ illi obuenit ex coniunctione cum actu interno, cuius eſt obiectum. Non quòd præciſè vt obiectum, habeat ab eo moralitatem: ſed quòd ita ſit obiectum, vt aliquatenus ſubſtet libertati & dominio voluntatis per actum internum indicentis externum: qui ſenſus veriſſimus eſt. Tamen eum loquendi modum non approbo: quia cùm quis audit actum externum eſſe tantùm obiectiuè moralem, nihil eſt faciliùs, quàm vt id accipiat de moralitate obiectiua ſiue fundamentali, antecedente formalem moralitatem actus interni; non autem de refuſione moralitatis internæ ad externum actum.

Æquè patet homonymiæ illa alia Richardi locutio in 2.d.14.art.4.q.1. aientis, moralitatem cerni in actu

externo materialiter non formaliter. Quamuis enim ſenſus Richardi eſt omninò legitimus, tantúmque intendit, moralitatem actus externi deriuari ab interno, qui circa eum tanquam circa materiam verſatur, eique etiam tanquam materiæ ſibi ſubſtanti formam moralitatis imprimit: Tamen facilè poſſet aliquis moralitatem materialem commiſcere cum obiectiua; indéque pertrahi in hallucinationem, quaſi ſenſus ſit, actui externo nullam aliam moralitatem competere, quàm obiectiuam & fundamentalem: quod eſſet refuſionem illam moralitatis, de qua agimus, prorſus euertere.

Prioritas in diuerſo genere, ad refuſionem propoſitam explicandam inopportuna.

141. Poteſt verò inſuper ex dictis conſtare, ad intelligendam hanc moralitatis internæ deriuationem & veluti profluxum ad externam actionem, cúmque prioritatem quæ inter moralitatem actus externi propriam ac veluti innatam, & moralitatem actus interni refuſam ad actum externum, ſpectari poteſt, nihil eſſe neceſſe cum Val. 1. 2. d. 2. quæſt. 15. p. 1. recurrere ad implexam, nec omnibus æquè probatam philoſophandi rationem de prioritate & poſterioritate eiuſdem in diuerſo cauſæ genere. Prædictus enim Autor, vt exponat quomodò moralitas ex obiecto & circunſtantiis ſumpta, ſeu potiùs in obiecto & circunſtantiis conſiſtens, priùs conueniat actui externo quàm interno? viciſſimque quomodò actus exterior, quatenus in eſſe moris eſt effectus quidam interioris actionis, habeat moralitatem poſteriùs quàm actus internus: animaduerti vult nullum eſſe abſurdum, quòd duæ res ſint natura mutuò priores & poſteriores ſecundùm diuerſum genus cauſæ. Hinc ergo efficiait, vt actus interior habens pro obiecto exteriorem, ſit eo poſterior natura in genere cauſæ formalis: quatenus nimirum bonitatem ſuam accipit ab illo vt ab obiecto. E contrario autem ait, moralitatem exterioris in genere cauſæ efficientis, eſſe poſteriorem moralitate actus interni: quatenus actus exterior prout moralis, eſt quidem effectus actionis interioris.

Hanc doctrinam nego eſſe huic loco opportunam. Qui enim poſterioritatem illam & prioritatem mutuam inter aliqua admittunt, agunt neceſſariò de prioritate & poſterioritate eiuſdem formæ ex diuerſis capitibus conſideratæ. V. G. aiunt diſpoſitiones eſſe priores forma in genere cauſæ materialis: & tamen eaſdem aiunt eſſe poſteriores in genere cauſæ efficientis. Oporteret ergo ſimiliter, vt exemplum quadraret, eandem moralitatem actus externi conferri cum moralitate actus interni: quod tamen in doctrina propoſita non ſeruatur. Nam cùm moralitas actus externi, quæ prior eſt formali moralitate actus interni, ſit ſola obiectiua, non eſt hæc ipſa moralitas quæ dicitur eſſe poſterior, ſed formalis, prout refuſa & redundans ad actum externum, quatenus interno ſubſtantem & aliquatenus liberum, ac conſequenter moralem. Quare doctrina propoſita, non eſt huic inſtituto accommodata, niſi ſi dicamus in ea moralitatem obiectiuam confundi cum interna per denominationem extrinſecam deriuata ad actum externum; quæ confuſio admitti non poteſt, vt ex ſupradictis eſt euidentiſſimum.

An moralitas formalis refuſa, differat à moralitate interna à qua refunditur. varia ſententia.

142. Secundò ſic declarata moralitate ab interno actu ad externum redundante, inquiri quomodò hæc moralitas refuſa comparetur ad fontem ſuum, hoc eſt ad moralitatem formalem actus interni. An videlicet ſit multiplex, & alia in actu interno, alia in externo, item an ſit multiplex pro multiplicitate actus interni, cui ſubſtat externus.

In priore puncto eſt lis aliqua de vocabulis potius quàm de ipſa. Sunt enim qui tradant actum internum & externum eſſe duos actus, quorum per vnum aliquid moralitatis addatur per alterum. Quod eſt dicere, moralitatem actus interni, aliam eſſe à moralitate actus externi per internum imperati. Ita ſentire videtur Scotus quodl. 18. art 3. *litera Q* & Greg. in 2 d. 42. q. vnica, concl. 5. Alij & internum & externum actum ei ſubſtantem habent pro vnico, negantque interno aliquid inſuper moralitatis accedere, cùm actio exterior profunditur. Ita D. Thom. 1. 2. quæſt. 20 art. 3. Durand. in 2. d. 42. quæſt. 2. num 5. Almainus tract. 1. mor. c, 1. citans Andream de Caſtro nouo, Angeſtus l. 1. de virtut. cap. 9 docum. 2. Vaſq. 1. 2. d 75. & 76. Suares 12. de gratia, cap. 16. n. 13. aliique permulti cùm antiqui tum recentiores.

Faciunt pro eis illa Senecæ l. 4. de benef. cap. 21. *Omnium virtutum, ad animum tota æſtimatio redit. Hic ſi in officio eſt, quidquid defuit, fortuna peccat. Quomodo eſt diſertus etiam qui tacet: fortis etiam qui compreſſis manibus, vel etiam alligatis quomodò gubernator etiam qui in ſicco eſt, quia conſummatæ ſcientiæ nihil deeſt; etiamſi quid obſtat quominus ſe vtatur. Ita gratus eſt etiam qui vult tantùm, nec habet voluntatis ſuæ vllum alium, quàm ſe teſtem.* Idem de peccato dicendum proportione ſeruata: idque illa ex lib. 5. eiuſd. operis, c. 14. *Latro eſt etiam antequam manus inquinet: quia ad occidendum iam armatus eſt, & qui habet ſpoliandi atque interficiẽdi voluntatem. Exercetur & aperitur opere nequitia, non incipit.* Sed optimè id illuſtrat idem Seneca epiſt. 42 agens de eo, qui in ſpeciem videbatur bonus quia malè operari nequibat, defectu facultatis, odiat verò interim malè agentes. *Idem*, inquit, *faciet cùm idem poterit. Multorum, quia imbecilla ſunt, latent vitia, non minus auſura cùm illis vires ſuæ placuerint, quàm illa quæ iam felicitas aperuit. Inſtrumenta illis explicandæ nequitiæ deſunt. Sic tutè ſerpens etiam peſtifera tractatur, dum riget frigore. Non deſunt tunc illi venena, ſed torpent. Multorum crudelitas, & ambitio & luxuria, ne paria peſſimis audeat, fortunæ fauore deficitur. Eadem velle eos cognoſces; da poſſe quantum volunt.* Subſcribit Iuuenal. Satyra 13.

—— Scelus intra ſe tacitum qui cogitat vllum.
Facti crimen habet.

Similia illa ex S. Proſpero Epigram. 2.

Et cùm fortè animum non ſit ſecutura facultas.
Non dubium in cordis viſcere vulnus habet.
Nec fugit inſicti ſceleris mens praua reatum,
Cui nimis hoc ſolùm quod voluit, nocuit.

Litigant de nomine.

143. Hæc rixa, vt dicebam, rectèque vidit Palacius in 2. d. 41. diſput. vnica, *in corpore*, Aquarius [illegible] concl. 1. ac Val. d. 2. quæſt. 15 p. 4. non eſt niſi de vocabulis, reipſa autem vtriuſque partis Autores [illegible]ſentiunt. Nam priores attendunt physicam actus externi entitatem, poſteriores moralem. V[illegible]uſque enim actus moralitas eſt vna & eadem, tamet[illegible] veluti physicè & materialiter diſt[illegible]guatur [illegible] ione ſu[illegible]ctorum, quorum vnum participat intrinſecè formam denominantem, nempe actus interior: alterum autem eandem formam extrinſecè tantùm participat nempe actus externus. At vbi eſt eadem forma denominans nempe moralitas; & idem denominationis fundamentum,

tum, nempe libertas, iure cenſetur eſſe vnicum denominatum quatenus denominatum. Ac proinde actus internus & externus quatenus morales, debent cenſeri vnus & idem. Hoc planè voluerunt Scotus ſuprà *litera A.* & Gregor. ſuprà, & Argent. ead. diſt. art. 1. *ſub finem*, cùm dixerunt actum internum & externum eſſe plures extenſiuè & vnum intenſiuè. Docere enim voluerunt, actum internum & externum non eſſe moraliter plures, niſi phyſicè & naturaliter, formaliter autem eſſe vnicum actum vnica moralitate conuestitum.

Vt propterea videas meritò Argentinam ſuprà ad 2. ex his colligere quàm diuerſo modo ſe habeat concluſio ad præmiſſis, & actus exterior moralis ad internum, à quo moralitatem haurit. Nam concluſio habet veritatem diuerſam à veritate præmiſſarum, quamuis illi ſubnixam tanquam motiuo & rationi formali aſſentiendi: vnde vtrique illi notitiæ competit ſua veritas propria & diſtincta. At externus actus non habet moralitatem formalem diſtinctam ab ea quæ reſidet in actu interno, ſed planè eandem refuſam ad ipſam per extrinſecam denominationem: Eo planè modo quo indidem ad eum transfunditur libertas, quam certè nemo dixerit duplicem eſſe in actu interno & externo, cum ſit vnica, immediate & per ſe primò afficiens actum internum, & inde abſque nouo vſu & exercitio ipſius, denominans actum externum. Libertas enim reſpectu actus externi conſiſtit in poteſtate eum ponendi vel ſuſpendendi. Hanc autem poteſtatem homo non habet immediatè reſpectu actus externi, ſed tantùm reſpectu interni, & per iſtum eam mediatè habet reſpectu externi, qui naturaliter & neceſſariò conſequitur internum actum efficacem & robuſtum.

Difficultates contra propoſitam doctrinam.

144. Contra hanc reſolutionem ſunt qui opponant, videri ex ea ſequi, perinde eſſe elicere reipſa externum opus ac non elicere, modò actus internus ſit par; quod tamen nemo dicat: cùm grauiſſimi Patres ſæpe tradant, irritam & inanem eſſe voluntatem boni internam, quam effectus exterior non conſequitur. Ita luculenter S. Ambroſ. 2. de offic c. 1. & S. Greg. in Pſalm. 7. pœnit. paſſimque alij. Adduntque multò melius eſſe erumpere in actum externum, quàm nuda voluntate quantumlibet alacri & robuſta contentum eſſe. Et è contrario pronunciant alij de malis operationibus adiunctis voluntati internæ deprauatæ. Præterquàm quòd certiſſimum eſt, malitiam longè teteriorem eſſe in actu interno, quo quis vult tribus hominibus vitam eripere, quam quo idem vult præſtare duntaxat circa vnum: & tamen illud ſceleris accrementum, non niſi ex actu externo aduenit, quem proinde nemo negauerit eſſe ſpecialiter exponendum in Confeſſione ſacramentali. Eſt igitur ſpecialiter malus.

Huic Theologico incommodo affine eſt aliud longè grauius, & ad enodandum difficilius. Indubitatum enim eſt apud Theologos, peccatum externum, in quod mala voluntas eruperit, eſſe in ſacramentali Confeſſione aperiendum, nec ſatis eſſe ſi peccatorum iniquam voluntatem internam exponat tacita exteriori actione: quæ tamen fruſtra videtur exponi, ſi nullam habet nouam moralitatem, & diſtinctam à moralitate externi actus. Totum enim peccati virus fuerit cumulatiſſimè expoſitum, dicendo, voluntatem interiorem talem extitiſſe vt nihil deſideratum fuerit ex parte eius quominùs actio externa ſequeretur: eo quòd actio exterior, fuerit quantum eſt ex ſe efficax.

Tandem aliqui apud Gregorium ſuprà *in argum. contra 7.* opponunt noſtram hanc ſententiam fuiſſe placitum Petri Abelardi ab Eccleſia reprobatum. Sic enim referunt locutum Abelardum. *Nos dicimus, quòd ſola voluntas æternaliter à Deo remuneretur, ſiue ad bonum ſiue ad malum, nec propter opera peior vel melior efficitur homo, niſi forte dum operatur, in aliquo voluntas eius augmentatur.* Sic locutus refertur cuitacus ille, in articulis quos ab Eccleſia damnatos ferunt. Neque tamen articulus propoſitus, diſſidere vlla in parte videtur ab eo quod hac in parte tradidimus.

Diſpelluntur.

145. Verùm non eſt difficile iſta diſpellere. Ac primùm Patres, qui tradiderunt exterioris operationis defectum reuincere inanitatis internam voluntatem, rectè omninò dixerunt. Si enim interna voluntas ſit efficax, & operatio externa ſequi poſſit, certum eſt, eam conſecuturam. Itaque externi effectus excluſio, (ſi alioqui effectus ille poſſit per hominem poni,) euidens indicium eſt voluntatis irritæ & inanis, quæcunque tandem eius ſtudioſitas obtendatur, vt ſæpe faciunt qui ſibi de ſegnitie & torpore in virtutis negotio abblandiuntur. Et eodem ferè reſpexerunt qui dixerunt, multò laudabilius eſſe erumpere in actum externum, quam poſita interna voluntate feriari. Nimirum quia hæc eruptio in opus externum, prodit voluntatis generoſitatem & efficaciam. Accedit quod vt optime aduertit Hugo Victorinus l. 2. de Sacram. fidei, p. 4. cap. 6. voluntas interior, interueniente externo opere ſolet augeri, ac velut magis concaleſcere & feruere. Si tamen ſupponeremus, aliquem eandem omninò internam voluntatem habere abſque externo opere, quam habet cùm opus externum exercet, nec vllo modo meliùs ſe habere quoad voluntatem internam in alterutro illo ſtatu, fatendum eſſet vtrobique paris laudis dignitatem exoriri. An non hæc mens S. Leonis ſerm. 2. de quadrag. cap. 4. *Nullo paruus eſt cenſus, cui magnus eſt animus: Nec ad rei familiaris modo, menſura miſerationis pendet, aut pietatis. Nunquam merito caret etiam in tenui facultate, bona voluntatis opulentia. Maiora quidem impendia ſunt diuitum, & minora mediocrium; ſed non diſcernitur fructus operum, vbi idem eſt affectus operantium.* Et ibid. ſerm. 4. c. 2. *Ex affectibus piorum benignitatis menſura taxatur.* Ruſus ſerm. 6. *Pares animo eſſe poſſunt etiam inter impares facultates.* Tandem ſerm. vlt. de ieiunio decimi menſis *In diuina lance iuſtitiæ non quantitate munerum, ſed pondere penſantur animorum.* Concinit Clemens Alexand. 4. Strom. c. 3. Vbi præfatus non obeſſe ei qui miſereri vellet, quod præ inopia miſereri reipſa non poſſit, ſubdit. *Eundem autem honorem conſequentur, ij qui voluerunt cum iis qui potuerunt, quorum eſt voluntas æqualis, etſi alij ſuperent facultatibus.* Accedat ſuffragium Philoſophorum.

Non omnes, inquit Seneca l. 5. de benef. cap. 2. *ad bonum propoſitum eaſdem afferunt vires, eaſdem facultates, eandem fortunam: quæ optimorum quoque conſiliorum duntaxat exitus temperat. Voluntas ipſa rectum petens, laudanda eſt, etiamſi illam alius gradu velociori anteceſſit. Non vt in certaminibus ad ſpectaculum editis, meliorem palma declarat: Quanquam in illis quoque ſæpè deteriorem prætulit caſus. Vbi de officio agitur, quod vterque à ſua parte eſſe quam pleniſſimum cupit, ſi alter plus potuit, & ad manum habuit materiam ſufficientem animo ſuo; ſi illi quantum conatus eſt, fortuna permiſit: alter autem voluntate par eſt, etiamſi minora quàm accepit, reddidit. aut*

omninò

omnino non reddidit, ſed vult reddere, & toto in hoc intentus eſt animo: hic non magis victus eſt, quàm qui in armis moritur, quem occidere faciliùs hoſtis potuit, quàm auertere Rurſus ex Cleanthe l.6.c.11. *Cleanthes exemplo eiuſmodi vtitur: Ad quærendum, inquit, & accerſendum ex Academia Platonem, duos pueros miſi. Alter totam periticum perſcrutatus eſt, alia quoque loca, in quibus illum inueniri poſſe ſperabat, percurrit; & domum laſſus non minùs quàm irritus rediit. Alter apud proximum circulatorem reſedit, & dum vagus atque erro, vernaculo congregatur & ludit, tranſeuntem Platonem, quem non quæſierat. Illum, inquit, laudabimus puerum, qui quantum in ſe erat, quod iuſſus eſt feci: hunc feliciter inertem, caſtigabimus. Voluntas eſt quæ apud nos ponit officium.* Idem proportione ſeruata ſtatuendum de actibus externis vitioſis, malam internam voluntatem conſequentibus. Ita planè opinatus eſt Hugo Victorinus loco allegato, & iam olim Marcus Eremita in poſterioribus capitibus libri de lege ſpirituali, cap.15. & vt videtur S. Auguſtinus lib.1. de lib. arbitr. cap. 3. annùitque Gregorius ſuprà, *ad 3 contra 7. concluſionem.*

Incommodum Theologicum, quod prætereà obiiciebatur, facilè declinatur quoad priorem partem. Admittendum enim eſt, longè teterius eſſe, velle duos homines interimere, quàm vnum: Idquè ex eo oriri fatendum eſt, quòd exterior occiſio duorum, terior ſit quàm vnius. Sed hoc non ſpectat ad præſentem quæſtionem. Nam hic non quærimus, an actus exterior ratione obiecti augeat malitiam actus interni, quod exploratum eſt: ſed an actus exterior in ratione executionis cumulet moralitatem actus interni: ita vt actus interior præcisè ex eo quòd illi reſpondeat exterior operatio tanquam eius executio, auctiorem habeat moralitatem, quàm ſi non erumperet in actum externum. In quo ſenſu difficultas hæc euaneſcit.

Quoad alteram verò partem incommodi Theologici ſuprà propoſiti, quæ verè ſpectat difficultatem præſentem in ſenſu in quo eam nunc agitamus; dicendum in primis eſt vix poſſe plenè & integrè exponi internam voluntatem, eiúſque vim & energiam, niſi externa operatio cùm interuenit aperiatur. Vt plurimùm enim voluntas longè aliter afficitur acceſſu externi actus, quàm cùm in ſolo actu interno hæret. Hæc igitur eſt cauſa, cur externa operatio ſit in Sacramento Pœnitentiæ explicanda, nec ſufficiat aperire internam voluntatem, Deinde tametſi fingeremus, totum malitiæ virus poſſe aperiri tacito externo opere, adhuc nihilominùs vrgeret obligatio exponendi actum externum, quia extat Chriſti Domini præceptum de exprimendis actu interno ſimul & externo per modum vnius. Præceptum enim Chriſti de Confeſſione, extendi ad actum externum cùm interno adiungitur, perſpicuũ eſt tum ex eo vſu Eccleſiæ & communi ſenſu Doctorum: tum ex quòd (vt Angeſtus ſuprà, docum. 5. argumentatur, & c.6. mor.t 2.ad 3(. præceptum Confeſſionis ferat, vt quicquid peccati fuligine & ſordibus oblinitur, exponatur in Confeſſione. Atqui non ſolùm actus interior, ſed etiam exterior, peccatum eſt: Tametſi vterque ſubſit eidem moralitati & nequitiæ; prior, intrinſecè & immediatè; poſterior, extrinſecè & mediatè.

Tandem Abelardi placitum fideliter fuiſſe relatum in obiectione propoſita, negat Gregorius ſuprà, *ad 2. contra 7.* aitque eum articulo ſuo 14. & 19. aliud quiddam dixiſſe, quod meritò falce cenſuræ eccleſiaſticæ ſucciſum fuerit. Nempe *quòd homo propter opera ſiue externa ſiue interna, nec melior nec peior euadat.* Ipſe tamen Abelardus epiſt. 20. expoſtulat, id ſibi affingi, & ſententiam à nobis ſuprà propoſitam, ſibi probari ſignificat §. *Omnes in dilectione.* Quod nullam ſententiæ noſtræ maculam conciliat: cùm frequentiſſimum ſit, vt etiam errones aliqua interdum benè & verè profundant, vt multi Patres rectè docent apud Pamelium ad librum Nouatiani de Trinit. cap. 18. Alij ſententiæ Abelardi iiſdem verbis expreſſæ, quibus ipſi noſtram expreſſimus, diuinant hunc ſenſum ſubeſſe, quòd quantitas obiecti non aggrauet actum. V. G. quòd volens duos homines occidere, non plus peccet, quàm volens vnum interimere, quæ eſſet omninò erronea ſententia. Ita Abelardum accipi poſſe ſuſpicatur Boquinquam apud Angeſtum l. 1. de virtut. cap. 9. Sed inanis eſt ſuſpicio, cùm ipſe Abelardus aliter mentem ſuam aperiat, nec ſit incumbendum parieti inclinato & maceriæ depulſæ.

Ex pluribus internis actibus, multiplex in externum moralitas refunditur, etiam diuerſi generis.

156. Alterum punctum ſuprà propoſitum, ſiue an pro multiplicitate actus interni moralis, multiplicetur moralitas actus externi, facilem explicatum habet ex illis quæ hactenus præmiſſa ſunt. Quandoquidem enim moralitas externæ operationis eſt ipſamet moralitas actus interni, veluti exundans & refuſa in actum externum, perſpicuè habetur pro coniunctione actus externi ad varios actus internos morales, multiplicem ei moralitatem aduenire. V. G. actus externus ambulationis pro multiplici virtute ex qua indici poteſt, efficitur multipliciter honeſtus. Et è contra pro multiplici fine prauo ex quo exerceatur, contrahit multiplicem labem.

Imò quod circa actus internos iure negatum ſuprà eſt, concedi debet circa actus externos Nempe quòd poſſint moralitates diuerſi generis concurrere in eundem externum actum. In quo diſplicent Gregorius in 2.d 41. q. vnica, concl 4, & Durandus in 2. d.40. quæſt 3. num. 5. vniuerſaliter aſſerentes nullum actum externum demonſtrabilem poſſe ſimul eſſe & bonum & malum moraliter. At quis non videt, eandem externam actionem, à pluribus cauſis etiamſi non ſubordinatis prodeuntem, & provt eſt ab vna cauſarum illarum, ſubſtantem internæ alicui actioni bonæ; provt autem eſt ab altera cauſa, ſubſtantem volitioni deprauatæ, poſſe ſimul eſſe & bonam & malam moraliter? Nimirum finis ex quo vna illarum cauſarum operatur non eſt circunſtantia externi operis provt prodeuntis ab alia cauſa alium finem ſibi præfigente. Vnde mirum non eſt, quòd moralitas vnius actus interni, non redundet in actionem exteriorem, provt ſubſtantem alteri actui interno.

Videmur autem poſſe prætereà ex eodem principio colligere cum Angeſto cap.14. moralium, cap. 1. concl. 3. eundem actum externum eiuſdem operantis, poſſe ſimul eſſe & bonum ſimpliciter & malum ſimpliciter. Idem enim actus externus poteſt exerceri ex duobus finibus diſparatis, quorum vnus bonus ſit, alter malus. Neque verò vnus illorum finium eſt circunſtantia alterius, vt gratis affirmat Vaſques 1. 2. d.70. num. 6. ſed vterque obiicitur ſuo peculiari actui interno: reſpectu autem actus externi habent ſe merè concomitanter. Itaque idem homo ex duplici illo fine diſparato operans, perinde ſe habet ac ſi eſſet geminum agens. Sicut ergo eadem externa actio reſpectu duorum agentium diſparatos fines habentium à quibus oritur, accipit ſimul ab vno bonitatem, ab altero malitiam moralem: ita in prædicto euentu eadem actio externa prove prodiens ab agente virtualiter gemino, & per duplex imperium, ac cum ſub-

iunctione

iunctione ad duplicem internum actum, contrahit inde multiplicem moralitatem.

Confirmat hoc Angeſtus exemplo propoſitionis vocalis aut ſcriptæ, quæ æquiuoca ſit, & variis propoſitionibus mentalibus ſubordinetur: ab vna enim ſuſcipit veritatem, ab altera autem falſitatem: ita vt pro multiplici ſenſu, quo facta eſt, multipliciter ſe habeat, quoad eas enunciationis paſſiones. Similiter ergo actus externus per voluntatem imperatus, pro multiplici interno voluntatis actu cui ſubeſt, multiplicem moralitatem tanquam conſentaneam ſibi affectionem induit. Nec enim aliter ſe habere videtur actus exterior ad internum voluntatis actum imperantem, quàm locutio externa ad internam animi cogitationem quam exhibet.

Diſſoluuntur quæ contrà ſunt.

147. Sunt qui in contrarium opponant, bonum eſſe ex integra cauſa, malum autem ex quocunque defectu. Atqui externus actus ſupponitur habere cauſam malam & deficientem. Ergo non videtur poſſe ſimul eſſe bonus moraliter. Ita Val. 1.2.d.1. quæſt. 15. p. 6. Alij autem cum Vaſque 1.2.d.70. à. num. 8. opponunt, fore vt idem actus externus ſit ſimul ſatisfactorius pro pœna Purgatorij, quatenus bonus, & ex actu interno moraliter bono procedens; ſimúlque Purgatorij demeritorius, quatenus ſubſtans intentioni vitiatæ.

Hæc facilè enodantur. Nam primum argumentum probat duntaxat actum externum, quatenus à cauſa mala prodeuntem, eſſe vitioſum: non probat autem quin ſit moraliter bonus, quatenus prodit à cauſa moraliter bona. Siquidem prout ſubſtans volitioni finis moraliter boni, habet integram cauſam bonam, quia pendet ex illo fine. Alter autem finis adiunctus qui malus eſt, non pertinet ad cauſam actus externi, quatenus ex fine bono diſparato prodeuntis. Alteri argumento concedendum eſt totum. Sicut enim nihil eſt quod vetet eandem perſonam ſimul mereri æternam gloriam benè operando, & eiuſdem gloriæ remorationi fieri obnoxiam per actum leuiter malum concomitanter elicitum; ita nihil eſt quod impediat, quominùs eadem externa operatio prout virtualiter gemina, & è duplici moralitatis fonte promanans, vtriuſque illius fontis qualitatem redoleat.

QVÆSTIO II.

De bonitate actuali, priore ſpecie moralitatis formalis.

EXpoſita vniuerſim moralitate, deſcendimus ad binas eius ſpecies ſuprà aſſignatas: honeſtatem inquam & turpitudinem moralem, ad quas accommodabimus quæ vniuersè conſtituta ſunt; & cùm ſpeciali confirmatione aut illuſtratione ampliore egere videbuntur, eam adhibebimus: Nonnulla prætereà vtrique huic moralitatis ſpeciei præcipua excutiemus. Cur autem initium ducam ab honeſtate morali, non eſt obſcurum. Hæc enim moralitatis ſpecies, præterquàm quod iuuat etiam non parum ad percipienda quæ ad alteram ſpeciem ſpectant, vt in progreſſu manifeſtum erit; eſt inſuper longè nobilior ac dignior. Imò tantum eſt eius decus, vt rectè diſputet Seneca epiſt. 76. hoc vnum eſſe hominis proprium bonum.

ARTICVLVS I.

Quid ſit honeſtas actualis, & quæ illius ad humanum actum & eiuſdem regulas comparatio

PRimam hanc ſpeciem moralitatis, voco honeſtatem actualem: quia moralitas de qua hîc agitur, non eſt alia quàm ſimpliciter dicta, atque adeò quàm formalis & actualis. Honeſtas enim obiectiua, non eſt ſimpliciter dicta honeſtas, ſed vnum duntaxat principium honeſtatis ſimpliciter dictæ ſiue formalis, vt inferiùs patefiet.

ASSERTIO.

HONESTAS formalis eſt conſonantia actus humani cum ſua regula. Hæc autem alia non eſt, quàm iudicium rationis rectæ, quod phyſicè certum eſſe nihil eſt neceſſe, dummodo ſaltem moraliter ac practicè certum ſit, ſiue prudens; quale eſſe poteſt quod duntaxat probabile eſt, etiamſi ea iudicij prælucentis infirmitas operantem non lateat. Aſtringi item operantem eâ honeſtatis regulâ, nihil eſt neceſſe.

148. PRimò, cùm honeſtas (vt potè moralitas quædam, ſit ens connotatiuum, atque adeò importet aliquid, & in recto nempe quod rationem fundamenti habeat; & in obliquo, ſiue habens ſe per modum termini; propono primum quæ ad honeſtatem formalem in recto ſpectant.

Honeſtas formalis, quid.

Dico igitur honeſtatem formalem eſſe conſonantiam actus humani cum ſua regula poſteà exponenda. Hæc definitio rectè traditur à Durando in 2.d.38. quæſt. 1. num. 7. feréque nota manet ex dictis circa quidditatem moralitatis formalis in vniuerſum. Tantùm recolendum eſt ex ibi dictis quid ſit ea cònſonantia, obſeruandúmque non eſſe relationem, ſed connotationem ſiue reſpectum ſecundùm dici ex concurſu omnium illorum quæ concurrere neceſſe eſt, vt actus ſit moraliter honeſtus & vndecunque bonus. Ita Scotus quodl. 18. art. 1. *litera C.* & in 2.d. 17. quæſt. 1. *litera O.* Ocham in 3. quæſt. 10. *litera Q.* & ex S. Thoma Conradus 1. 2. q. 18 art. 4.

Quemadmodum enim pulchritudo, quod eſt Scoti exemplum, (etiamſi ſignificetúr ad modum formæ ſimplicis; importat tamen concurſum omnium illorum quæ ad corporis concinnitatem & elegantiam facere poſſunt, & ex omnium illorum coalitu excluduntur defectus omnes corporei, ac corpus dicitur pulchrum: ita bonitas moralis, quæ eſt quidam veluti decor actionis humanæ, exurgit ex concurſu omnium illorum, quæ ad abſolutam & vndecunque integram actus illius conſtitutionem ſecundùm rectæ rationis præſcriptum debent concurrere. Eodem ſpectat alia comparatio, quam Scotus etiam adhibet

quodlib.

quodlib cit. *litera I.* nempe ſanitatis, quæ tum demum cenſetur ineſſe corpori, cùm procul ab eo abeſt omnis intemperies & improportio humorum, ſeruatúrque partium ſymmetria; & denique cùm nihil deſideratur eorum quæ ad debitam corporis humani conſtitutionem exiguntur. Similiter enim actio, cui omnia adſunt, quæ iuxta rationis normam adeſſe debent, eſt bona & velori ſana in genere moris, ob concurſum omnium quæ ad debitum illius eſſe, & conſonantiam cum præſcripto rationis rectæ, deſiderantur.

Poteſt ſeiungi, ſuperſtite actus entitate.

149. Sed hæc, vt dixi, perſpicua videntur ex dictis circa moralitatem in vniuerſum. Vnde etiam liquet, iſtam conſonantiam in recto acceptam, non eſſe aliquid entitatiuè diſtinctum ab actione libera: quamuis vt vniuersè quoque conſtitutum eſt circa moralitatem formalem, poſſit ab entitate actus diſiungi ac perire, ea ſuperſtite. Quod inficiantur nonnulli, quibus viſum eſt boneſtatem formalem eſſe ſubſtantialem actibus bonis moraliter. Ita Leſſius l. 13. de diuin perfect. num. 1-7. Conimbr. diſp. 5. Eth. quæſt. 1. art. 1. Imò Baſilius Poncius relect. 2. propoſ. 2. *ſub finem relectionis*, contendit, omnem omninò voluntatis affectum circa virtutem, atque adeò omnem planè actum moraliter honeſtum, etiamſi ſit naturalis ordinis ita bonum eſſe, vt non poſſit malus réddi; ſiue ex fine, ſiue ex vlla circunſtantia. Quod duplici ratione probat. Prior eſt, quia finis extrinſecus non poteſt deriuare vllam malitiam in actum, qui propter illum imperatur, vt ipſe ſupponit, cum Vaſque 1.2. d. 52 cap 3. & d 73. cap. 7. Adde quòd affectus virtutis debet elici propter ipſam honeſtatem, ſiue propter id quod omnibus penſatis eſt conueniens naturæ rationali. Atqui impoſſibile videtur, vt hic affectus ſtet cum cognitione, ſiue finis deprauati, ſiue cuiuſvis circunſtantiæ pugnantis cum recta ratione: quia ſic affectus non vltrà eſſet propter ipſam honeſtatem, nec propter id quod penſatis omnibus conſonat cum natura rationali. Poſterior ratio eiuſdem Authoris eſt, quia omnis affectus virtutis, etiam moralis & acquiſitæ, pendet ex gratia Dei per Chriſtum Ex quo ſequitur affectum virtutis non eſſe inquinabilem acceſſu vitioſæ circunſtantiæ: Nec enim daretur gratia ad actum peccati. Ex quo principio copioſè propoſitione 1. intulerat, nullum actum ordinis ſupernaturalis poſſe reddi malum.

Cæterùm conuiſis infrà principiis huius ſententiæ, perſpicuum erit, omnem hanc impugnationem ſententiæ propoſitæ inanem eſſe. Oſtendemus enim, & moralitatem poſſe à fine extrinſeco deriuari in actum imperatum, quod prima ratio malè inficiatur: & perperam exigi gratiam Chriſtianam ad cuiuſvis operis moraliter boni cauſationem; quod eſt fundamentum ſecundæ argumentationis. Quod item intermiſcebatur de honeſtate propter ipſam expetenda, explicabimus quomodò accipiendum ſit: vnde liquebit, affectum honeſtum poſſe eſſe propter ipſam honeſtatem ex parte finis interni, & tamen poſſe aliunde labem contrahere, atque ſordere.

Confertur cum aliis bonitatibus.

150. Sic conſtituta ratione quidditatiua honeſtatis formalis, eiúſque ad ſubiectum ſuum Metaphyſicum comparatione; operæpretium eſt breuiter exponere, quomodò hæc bonitas ſe habeat ad quaſdam alias bonitates, nonnullam cum ea vt nominis, ſiue etiam affectionum & naturæ cognationem habentes. Et quidem Scotus in 2. d. 7. q. vnica, *litera D, & E*, præter bonitatem actus in genere entis quæ non eſt huius loci, (quia non ſpectat operantem ſortiturum ex ea denominationem boni, ſed ipſum actum ſecundùm ſe & vt ens quoddam,) triplicem moralem bonitatem diſtinguit, quas ſecundùm ordinem ſe habere ait; hoc eſt, quarum vna præſupponatur alteri, eíque ſuperuenienti ſubſternatur, & non è conuerſo. Prima eſt bonitas ex genere. Secundam vocat bonitatem virtuoſam, ſiue ex circumſtantia Tertiam nominat bonitatem meritoriam ſiue gratuitam. Bonitas ex genere, apud Scotum eſt bonitas ex obiecto hauſta; cui ſuperueniunt aliæ bonitates generis moris. ducibiles ex aliis capitibus. Propterea enim hanc bonitatem ait eſſe potentialem & materialem: quia actus cadens in obiectum idoneum, contrahit inde bonitatem quaſi formabilem per quancunque circumſtantiam moralem. Et idcircò idem Scotus paulò pòſt, bonitatem ex circunſtantiis vocat bonitatem quaſi in ſpecie, quia determinat bonitatem præiacentem ex obiecto petitam. Bonitas denique gratuita iuxta Scotum, conſiſtit in eo quòd actio ſit meritoria, quod habere tunc putat, cùm fit ex charitate. Primæ bonitatis exemplum profert, dare eleemoſynam Secundæ, dare eleemoſynam de ſuis facultatibus pauperi egenti, loco opportuniore, & propter Dei amorem. Tertiæ denique exemplum ſtatuit, eleemoſynam largiri non tantùm ex inclinatione naturali, ſed ex charitate ex qua operans eſt Dei amicus.

Nos hanc tertiam bonitatem hic miſſam facimus, ſpectat enim ad ordinem ſupernaturalem. Quanquam facilè etiam poſſet conſiderari ſimilis quædam, bonitas ordinis naturalis, quatenus actus honeſtus, etiam intra nudam naturam eſt meritorius præmij alicuius, ſaltémque commendationis & honoris, vt infrà tractabimus. Et hac ratione bonitas meritoria differt à bonitate morali, coinciditque ex parte cum valore morali, qui ita bonitatem moralem inuoluit, vt ab ea aliquatenus ſecernatur. Nam bonitas moralis, quam alij nominant *valorem phyſicum*, ſumitur à principiis actionis, obiecto inquam & circunſtantiis. Valor autem moralis, quamuis includatur in bonitate morali completè & integrè ſumpta, cùm petatur ab vna circunſtantia; tamen ſolet ſeorſim conſiderari, prout confert actui humano ex illis aliis principiis honeſto, æſtimationem quandam moralem, ex perſonæ operantis dignitate deriuatam in opus.

Sic actiones Chriſti Domini, quantumvis ex obiecto & circunſtantiis aliiſque bonitatis moralis fontibus finitam tantùm bonitatem moralem haurirent: tamen quia erant actiones perſonæ infinitè dignæ, cenſebantur infinitæ dignitatis, & infiniti valoris. Sic etiam contritio qua peccator è cœno iniquitatis emergit, ſpectata in illo priori naturæ quo peccator nondum intelligitur extractus è volutabro ſuo, eſt eiuſdem honeſtatis moralis cuius eſt poſteà: habet enim idem obiectum, & eaſdem circunſtantias. Non habet tamen eundem valorem moralem; vt ex eo patet, quòd mox à comparata ſanctitate, actus intelligitur meritorius, quia procedit à perſona grata, quantumvis interna eius bonitas ſiue moralis honeſtas ſupernaturalis, neque mutata neque aucta ſit. Quæ exempla pleniùs excutere, non eſt huius inſtituti. Ea verò accurate librant valorémque moralem à morali bonitate ſecernunt Albertinus 1. princip. complex. coroll. 18. Suares t. 1. p. d. 4. ſ. 4. & Raguſa ibid. d. 15. aliíque paſſim eo loco. Quorum nonnulli diſplicent, quatenus negant valorem peti ex circunſtantia aliqua actionis, atque adeò includi in honeſtate

morali

morali completè ſumpta. Quomodò enim poſſet operans conferre actui ſuo æſtimationem, eumque ſua dignitate quaſi perfundere & imbuere, niſi pertineret aliquo modo ad actum ſuum? At nullo planè modo pertinebit, ſi ne circunſtantia quidem ſit actionis ſuæ. Verùm de his alio loco diligentiùs. Nunc ſufficit aduertiſſe, qua ratione valor moralis dignitati operantis correſpondens, & præmium reſpiciens ex ea parte actui debitum, poſſit ſeorſim ſpectari ab honeſtate & bonitate morali adæquatè accepta.

Terminus & regula eiuſdem, iudicium rationis certum aliquo tandem modo.

151. Secundò egi de eo quod honeſtas formalis importat in obliquo, id eſt de termino & regula huius moralitatis. Conſtituimus quidem ſuprà in vniuerſum, regulam illam proximè & immediatè non aliam eſſe quàm iudicium rectæ rationis prudentiale & vltimum: quod obſeruauimus conſcientiam ac fidem vocari in ſacris Literis: Et vtranque etiam appellationem vnus ille Senecæ locus continet l. 4. de benef. cap. 21. vbi hanc honeſtatis regulam agnoſcit. *Eſt aliquando gratus, etiam qui ingratus videtur, quia mala interpres opinio in contrarium traducit. Hic quid aliud ſequitur, quàm ipſam conſcientiam, quæ etiam obruta delectat; quæ concioni ac famæ reclamat, & in ſe omnia reponit, & cùm ingentem ex altera parte turbam contrà ſentientium aſpexit, non numerat ſuffragia, ſed vna ſententia vincit? Si verò bonam fidem perfidiæ ſupplicijs affici videt, non deſcendit è faſtigio, ſed ſupra pœnam ſuam conſiſtit. Habeo, inquit, quod volui, quod petij. Non pœnitet, nec pœnitebit, nec vlla iniquitate me eò fortuna perducet, vt hanc vocem audiam: Quid mihi volui? Quid mihi nunc prodeſt bona voluntas? Prodeſt & in equuleo, prodeſt & in igne: qui ſi ſingulis membris admoueatur, & paulatim viuum corpus circumeat, licèt ipſum corpus plenum bona conſcientia ſtillet, placebit illi ignis per quem bona fides collucebit.*

Exponendum tamen ſupereſt, quale iudicium illud eſſe oporteat; vt operatio, recta & honeſta ſit. Quod aliter quæritur, an conſcientia ex qua quis operatur, debeat eſſe certa, preſsè hanc vocem vſurpando, an verò ſufficiat probabilis. Inſuper verò propter nouum quorundam placitum, oportebit breuiter excutere, an illud iudicium, quod aliqui vocant, *legem priuatam*, tale ſit, vt iniiciat voluntati obligationem operandi actum de cuius honeſtate pronunciat, an verò poſſit adhuc voluntas citra culpam reſilire, aut non ſuſcipere illud de quo iudicium pronunciauerit.

152. Certam preſsè appello eam conſcientiam, quæ excludit omnem omninò formidinem oppoſiti. Aliàs autem appellatur certa conſcientia illa, quæ infert determinationem intellectus. Qua ratione conſcientia probabilis, poteſt certa appellari: quandoquidem per eam intellectus determinatur ad vnam partem, nec vtrinque fluctuat vt in dubio. Itaque certitudo ſi preſsè ſumatur, contraponenda eſt probabilitati. Nider 3. parte conſolatorij conſcientiæ, cap. 14. ex Gerſone triplicem ad hoc propoſitum certitudinem diſtinguit, quarum tamen prima, hoc eſt ſupernaturalis. cùm patriæ, inſita viſioni beatificæ; tum viæ, inſita viſioni propheticæ, & actui fidei, non eſt accommodata huic inſtituto, nec deſeruit ad regulandos actus humanos naturales moraliter honeſtos, de quibus hìc diſputamus. Itaque ſiſtit in ſecunda & tertia, quas Nider nominat certitudinem naturalem, & moralem ſiue ciuilem. Alij priorem vocant certitudinem ſpeculatiuam: poſteriorem autem vocant certitudinem practicam.

Certitudo naturalis ſiue ſpeculatiua, ea eſt, quæ ex natura rei excludit falſitatem, ita vt impoſſibile ſit aſſenſui naturaliter certo ſubeſſe falſum. Sic prima principia & concluſiones per euidentem conſequentiam ex principiis illis deductæ, dicuntur habere certitudinem, id eſt infallibilitatem iudicij, per quod intellectus non poteſt aliter de re iudicare, vt plenè exponit Gillius l. 1. tract. 4. cap. 1. Certitudo practica ſiue moralis, (quam idem Nider vocat etiam ciuilem) illa eſt, quam in materiis & negotiis vſurpant ſapientes, nec conſurgit ex terminorum euidentia, vel ex principiorum claritate, *ſed ex probabilibus coniecturis groſſis & figuralibus, magis ad vnam partem quàm ad alteram* Verba ſunt eiuſdem Doctoris, qui conſequenter ſubdit, hanc certitudinem non ſemper omnes ſcrupulos abiicere: cùm plerunque ob tantam rerum humanarum varietatem, id aut perdifficile ſit, aut etiam impoſſibile.

Ad iudicium regulans honeſtatem, exigi certitudinem phyſicam, falſa quorundam ſententia.

153. Ex his igitur iudicij certitudinibus, fuerunt qui vt actus inde conſequens eſſet moraliter honeſtus, exigerent primam. Sic enim Martinus de Magiſtris q. . de ebrietate, in ſolutione noni argumenti contra ſecundam partem octauæ concluſionis, affirmat nunquam actum voluntatis eſſe honeſtum, ſi prodeat ex iudicio phyſicè falſo, quantacunque inuincibilitas ignorantiæ interueniat: Ei enim hoc tantùm concedit, vt actus ſic elicitus eximatur irrogatione ſupplicij, quamuis ſit moraliter malus & inhoneſtus. Gilbertus quoque 6. Eth. tract. 4. q vnica, dub. 1. omnimodam certitudinem poſtulat in iudicio prælucente actui humano moraliter honeſto. Itaque non putat quenquam ex ſolo iudicio probabili honeſtè agere, eo quòd iudicium probabile non excludat abſolutè falſum, ſed poſſit reipſa diſſonare obiecto. Hoc autem videtur valde alienum ab actu virtutis intellectualis, cuiuſmodi eſt Prudentia, cui adſcribendum eſt iudicium quo proximè & immediatè dirigimur in operationibus noſtris. Idem tradit Pitardus diſcurſu 3. Eth. cap. 3. §. 1. Quare iuxta hos Doctores, actus Prudentiæ quo ad operandum regulamur proximè & vltimò, eſt vſquequaque certus etiam phyſicè, ita vt nunquam ei ſubſit falſum.

Verùm hæc opinatio abhorret omninò à veritate, euertitque naturam Prudentiæ, & principia receptiſſima de regula operationum humanarum. Vt autem in re longè grauiſſima, & ad ipſum propè honeſtatis cardinem pertinente, veritatem dilucidè & ſolidè ſtabiliam; pono in primis ad honeſtatem humanæ operationis neceſſarium nequaquam eſſe, vt iudicium quo ad eam eliciendam dirigimur, ſit phyſicè certum, & tale cui reipſa falſum non ſubſit. Hæc eſt indubitata ſententia, quam multis & teſtimoniis Doctorum & rationibus firmat Nider ſuprà c. 11. 12. & 13. videturque ſatis euinci ipſa humanæ imbecillitatis & conditionis noſtræ conſideratione. Quotus enim quiſque eſſet, qui in negotiis & rebus humanis tanta vt plurimùm tenebricoſitate obductis, poſſet ſemper iudicio phyſicè certo dirigi? Itaque eſſet magna parte actionum humanarum abſtinendum, ob interueniens dubiũ ne ſubſit iudicio prælucenti falſitas, quæ tam facilè irrepit etiam cùm ab ea ſeiunctiores & elongatiores videmur. Optime Sen. 4. ben. c. 33. *Nunquam expectamus nos certiſſimam rerum comprehenſionẽ. quoniam in arduo eſt veri exploratio: ſed eà imus quà ducit veriſimilitudo. Omne hac via procedit officiũ. Sic ſerimus, ſic nauigamus, ſic militamus, ſic vxores ducimus, ſic liberos tollimus cùm*

omnium incertus ſit euentus Ad ea accedimus, de quibus benè ſperandum eſſe credimus. Quis enim pollicetur ſerenti prouentum, naviganti portum, militanti victoriam, marito pudicam vxorem, patri pios liberos? Sequimur quà ratio, non quà veritas trahit. Expecta vt niſi benè ceſſura non facias, & niſi comperta veritate nihil moueris relicto omni actu vita conſiſtit. Innumeri præterea homines laudantur, quòd ex iudicio ſpeculatiuè falſo, prudenter cenſuerint aliquid ſibi eſſe faciendum, quod ſoluto errore auerſandum eſſe cenſuiſſent; vt docent multa exempla quæ attulimus explicantes rationem voluntarij & inuoluntarij.

Sufficit certitudo practica.

154. Quare ſtatuendum eſt, ad honeſtatem moralem ſufficere iudicium prælucens, quod ſit moraliter ſiue practicè certum ac verum. Qui enim ex tali iudicio operatur, prudenter operatur. Nam Prudentia vt expoſitum eſt ſuo loco, contenta eſt ea veritate & certitudine, quibus etiam ars eſt contenta circa ſuam materiam. Nimirum quibus non omninò præcluditur error & falſitas, ſed tantùm quoad operantis exiſtimationem, non perfunctoriam, ſed mediocriter ſaltem & pro humano captu attentam.

Huius rei perſpiciendæ gratia, breuiter ſtatuendum eſt ex dicendis cùm de Prudentia, & ex D. Thoma 1.2.d 24. quæſt. 2. art. 4 *in corp re*, regulam humanarum actionum duplicem eſſe; alteram nimirum generalem & vniuerſalem, alteram particularem & proximam, quæ ſola propriè eſt actus Prudentiæ. Tametſi ſicut interdum nomine ſcientiæ denotamus non modò habitum concluſionum, ſed etiam habitum principiorum: ita interdum nomine Prudentiæ, & generalia illa dictamina, & proxima quoque appellentur. Voco dictamina, quia vtraque practica ſunt, reſpiciuntque operationem: quamuis quia dictamina vniuerſalia non dirigunt proximè operationem, cenſeantur interdum ſpeculatiua, & eo nomine donata ſunt à Caietano 1 2. quæſt. 57 art. ad 1. & t. 1. opuſc. in 31. reſponſ. 13. dub. 7. aliiſque permultis, quibus ille loquendi modus placuit, vt latè refert Sanches l. 2. de matrim d. 41. num. 4 & 8. V. G. Iudicium generale eſt, ſubueniendum eſſe calamitoſo cùm licet. Iudicium verò particulare eſt, ſubueniendum eſſe huic calamitoſo quem reperio, & cui poſſum opitulari. Quorſum duorum iudiciorum primum, non dirigit proximè humanam operationem, ſed duntaxat ſecundum: proptereáque primum præ ſecundo aliquatenus videtur ſpeculatiuum. Quia tamen primum dirigit humanam operationem per ſecundum, neceſſe eſt vtrunque dictamen eſſe conforme: ita vt cùm contingit ob variationem aliquam circunſtantiarum, iudicium particulare diſcrepare ab vniuerſali, aliud reuera interueniat iudicium vniuerſale, cùm quo particulare conſentiat. Vt ſi in communi iudicem rem alienam non eſſe accipiendam, & contingat me extrema neceſſitate vrgeri, formabo iudicium particulare quod videbitur vniuerſali illi iudicio diſſonum, & iudicabo me hîc & nunc poſſe accipere: reuera tamen hoc particulare iudicium ſubſumitur ad aliud generale quod tunc efformatur; iudicando vniuerſaliter, licitum eſſe ſumere rem alienam, cùm extrema eius neceſſitas impendet.

Ex his ergo duobus iudiciis ſubordinatis, primum ſiue vniuerſale & generale, quod tenet locum maioris propoſitionis in ſyllogiſmo prudentiali, eſt manifeſtè verum ac certum. Eſt enim veriſſimum ac certiſſimum, impendendam eſſe egenti miſericordiam ab eo qui illam poſſit impendere. Quia tamen à iudicio illo vniuerſali ad particulare, quod eſt mediata operationis regula & concluſio ſyllogiſmi prudentialis, non deſcenditur niſi interpoſita minore ſpeculatiua, quæ interdum eſt falſa: (cuiuſmodi eſt in exemplo propoſito illa enunciatio, *ſed iſte eſt pauper*, quæ plerunque eſt falſa:) proptereà difficultas ſuboritur, quomodò ea minor non refundat falſitatem ſuam in concluſionem illi ſubnixam.

Nihilominùs certum eſſet debet, concluſionem minori illi ſubſumptam, eſſe ſufficienter veram, non quidem quaſi ſpeculatiuè, ſed practicè ac prudenter. Nam eo ipſo, quòd omnibus benè conſideratis exiſtimo iſtum qui mihi occurrit, eſſe verè pauperem, exiſtimatio illa mea habetur pro iudicio vero, nempe prudenter & practicè. Neque enim homines vt concipiant iudicia quibus prudenter dirigantur, tenentur omnes negotij & facti circunſtantias metaphyſicè veſtigare; ſed ſufficit notitia comparata per diligentiam moralem & humanam; qualem ſcilicet imbecillitas noſtra adhiberi ſinit; id eſt mediocriter attentam, non neglectam & perfunctoriam. Si ergo quiſpiam diligentiam huiuſmodi adhibuerit in formanda illa minore, concluſio inde eruta, verè ac certò procedet; quamuis contingere nihilominùs poterit, vt ſpeculatiuum illud iudicium de miſeria eius cui ſubueniendum eſſe concluditur, non fuerit ſpeculatiuè verum. Sic enim ſæpè S. Chryſoſtomus, & nominatim homil. 2. de Lazaro, & hom. 37. ad populum, & homil. 21. in ad Rom. *in morali*, & pulchrè Iſidorus Peluſ l. 1. epiſt. 187. caſtigant nimis diligentes ſcrutatores alienæ egeſtatis, priuſquàm eam releuent; ſupponentes, eos tametſi hallucinentur circa perſonæ miſeriam, benè tamen & honeſtè operari. Abraham item ac Loth prudentiſſimè fecerunt, exhibendo refrigerium ac hoſpitium Angelis, quos præmiſſa morali diligentia, iudicabant eſſe homines ſolatij illius ac leuaminis indigos.

Ratio autem vno verbo eſt, quia iudicium illud ſpeculatiuum intermedium, non eſt regula actionis humanæ, ſed eſt tantùm conditio ſine qua non, exhibens intellectui practico aliquid circa materiam & circunſtantias obiecti exploratum, quantùm fert humana diligentia, vt intellectus practicus poſſit de actione elicienda pronunciare. Quòd igitur ea conditio poſt adhibitam omnem moralem diligentiam, aliter exhibeat materiam & circunſtantias obiecti quàm ipſæ ſint in ſe, parum refert, dummodò humana diligentia non fuerit deſiderata. Nam Prudentia quæ eſt actionum noſtrarum immediata regula, poſtulat tantùm, vt ea diligentia anteceſſerit; qua poſita iudicium illud ſpeculatiuum in ſe & abſolutè falſum, efficitur verum. Eſt enim veriſſimum, V. G. quòd pauperi qui quantum fert humana diligentia pro negotij illius qualitate rectè iudicatur pauper, prudenter erogetur eleemoſyna. Quamuis abſolutè loquendo falſum ſit, quòd iſti homini ſit eroganda, cùm non ſit reipſa pauper, ſed ſe talem ementiatur, vt ſupponitur.

Iudicium probabile, ſufficiens regula honeſti actus.

155. Quòd ſi ad honeſtatem humanæ operationis ſufficit iudicium practicè certum ac verum, hoc eſt prudens, & tale, vt attenta negotij qualitate, diligentia conueniens interuenerit, ratione cuius iudicium prudentiale quantum fieri potuit conſenſerit cum vniuerſalibus principiis ſyntereſeos, dubitare non licet quin ad eandem humanæ operationis honeſtatem, ſufficiat iudicium probabile: quod ſcilicet determinat intellectum in vnam partem, etiamſi

actus

actus determinans non ſit adeò firmus, quin ſuperſit formido de alia parte. Ea porrò formido, eſt actus diſtinctus qui affectatur iudicium illud infirmum determinans intellectum ad vnam partem, eique confert quaſi vacillationem aliquam, quæ tamen longe alia eſt à fluctuatione, quæ in dubio cernitur.

Itaque diligenter ſecernendi ſunt quidam veluti gradus, intellectus ad aſſenſum progredientis. Nam præter aſſenſum certum & euidentem, qui dicitur ſcientiæ; & certum, ſed obſcurum, qui eſt fidei ob authoritatem Dei teſtificantis; datur aſſenſus iudicatiuus, qui eſt quidem vnius partis, ſed tamen non eſt ita firmus, quin ei aliquâ (vt dicebam.) vacillatio adiungatur. Infra verò hunc aſſenſum, dantur alij in intellectus actus multò imperfectiores: nempe ſuſpicio, dubitatio, & ſcrupulus. Suſpicioni deeſt aſſenſus determinatus, tantúmque intellectus magis inclinat in alteram partem. In dubio, intellectus eſt omninò in æquilibrio, nec in alterutram potiùs partem propendet. Sumo enim dubitationem propriè; non autem prout interdum cum opinatione formidante confunditur, vt notat Almainus in 2. d. 25. quæſt. 1. §. *Vnde dico*. Denique ſcrupulus continetur leui apparentia & titubatione contra id quod homo credit, aut opinatur, vel etiam de quo dubitat.

156. Aio igitur ad humanæ operationis honeſtatem, ſufficere iudicium prælucens quod ſit probabile, determinétque intellectum ad vnam partem, quamuis ſuperſit nonnulla vacillatio & formido concomitans de contraria parte, & aliqua veluti remurmuratio conſcientiæ, ſeu potius intellectus ſpeculatiui, pronunciantis ſubeſſe peccatum actioni quæ exercetur. Hoc dico non officere honeſtati actionis ex iudicio practicè certo elicitæ: ita vt quamuis homo eam remurmurationem ſatis aduertat, nihilominùs honeſtè agat ſic operando, ſéque ei iudicio & regulæ certæ conformando, cùm maior lux affulgere non poteſt, quod eſt frequentiſſimum. Nam in contractibus, iudiciis, & vniuerſa prope adminiſtratione politica, quod Ariſtoteles initio Ethicorum probè notauit, fruſtrà quæreretur mathematica & exquiſita certitudo vel euidentia, ſed debet omninò ſufficere moralis, quæ infirmitati humanæ & caligini negotiorum quæ tractamus, noſtræque luſcioſitati eſt accommodata. Itaque niſi fas eſſet ex iudicio probabili operari, oporteret iuſtitiam vniuerſarum propè quotidianarum actionum inducere: nec benè naturæ Author indigentiæ noſtræ proſpexiſſet, non prorſus nobis copioſiore naturali lumine, ſi non eſſet honeſtum agere ex lumine parcè micante, quod ordinariè ſuppetit. Tandem iudicium prudens eſt idonea regula actionum humanarum; propterea enim prudentia dicitur auriga virtutum. Atqui iudicium probabile, poteſt eſſe prudens, & conſentaneum generalibus principiis ſyntereſeos ac naturæ rationali. Ergo poteſt eſſe regula actionum humanarum, nóſque in eis eliciendis dirigere.

Exponuntur qui diſſenſiſſe viſi.

Quod non ſunt inficiati graues quidam Authores, verbo tenus affirmantes vitiari operationem ſi ex iudicio tantùm opinatiuo procedat. Opinationem enim, vt ex Almaino paulò ante dixi, confuderunt cum dubio. Itaque vt Caietanus optimè notauit t. 1. opuſc. tract. vlt. reſponſ. 12. negare duntaxat voluerunt, honeſtè licet, ſi quis abſque intellectus determinatione, & hærens ac fluctuans circa honeſtatem vel turpitudinem operationis, accingat ſe ad eam operationem eliciendam. Nunquam tamen negarunt vel negare potuerunt, quin ſit honeſtum operari ex iudicio determinatè pronunciante aliquid licitè & benè fieri, quamuis non abſque aliqua vellicatione & ſucceſſione intellectus pro contraria parte; ſiue non abſque concomitantia actus formidinis, affectantis opinionem determinatam ad vnam partem. Poſſunt etiam Authores prædicti benignè accipi de iudicio illo non probabili tantùm, ſed etiam planè certo, quod veluti reflexè efformatur ſupra iudicium probabile de honeſtate operationis circa tale obiectum. Nam præter iudicium quo pronunciamus probababiliter nos V. G. honeſte ſic vel ſic contracturos; interuenit aliud iudicium quod intellectus negotiationem ad operationes honeſtas præuiam, quaſi conſummat; nempe, quod honeſtum ſit & labe vacet, ex ſola prudentis opinione, & probabili iudicio agere. Hoc enim non modò probabile eſſe debet, ſed etiam certum, & planè per naſum cuiuis honeſtè operanti. Ita vt qui veriſimiliter tantùm cenſeret, quod ex probabili ſententia agere honeſtum ſit, & nihilominus ageret, non eſſet futurus immunis à culpa, quia homo hac in parte eſt capax plenæ lucis ac firmitatis omnimodæ quam proinde adhibere debet cum operandum eſt. De hoc itaque iudicio certo, exponi poſſunt qui negant opinionem ſufficere ad honeſtè agendum: Et cum eorum ſententia ſic intellecta rectè cohæret quod diximus ex iudicio tantum opinatiuo de hoc obiecto ſingulari, non fœdari operationem. Multò verò minùs fœdat operationem formido dē contracta malitia, ſubſequens plerunque opus iam confectum. Quod in bonis mentibus, præſertim ſi infirmo ſint iudicio, eſt frequentiſſimum ob ſolutam ignorantiam rei alicuius antè latentis. Inde inquam nulla labes aduenit operationi ex iudicio practicè certo elicitæ: quia hoc iudicium formidans, non eſt eius regula

Obiter, quid ſeruandum circa opiniones ſe collidentes.

157. Verùm quia iudicia opinatiua & probabilia, cùm deprehenduntur qualia reuera ſunt, hoc eſt cùm agnoſcuntur eſſe infirma & deſtituta certitudinis phyſicæ robore, confligantur plerunque cum aliis iudiciis æque probabilibus; quæ item non rarò tutiora ſunt, & à labendi periculo remotiora: propterea non exigua implexitas ſuboritur, quid in illis euentibus ſtatuendum ſit, vt operationis ex probabili iudicio elicitæ honeſtas curſum ſuum teneat. Quæ dubitatio immenſam variarum particularium difficultatum ſementem continet.

Breuiter autem quantum ad præſens inſtitutum neceſſe eſt, ſtatuo in quocunque negotio, etiamſi iudicium contrarium æquè probabile vel etiam tutius & a peccati vicinia remotius mentem pulſet, honeſtè agi ex iudicio tantùm probabili, dummodò rem hanc ſpectemus per ſe loquendo: hoc eſt, dummodò aliud periculum non ingruat, quàm inhoneſtè agendi ſequendo hoc dictamen. Id enim periculum voco per ſe, comparatione aliorum periculorum quæ poſſent aliunde interuenire; qualia forent nocumenti proprij, aut alieni, irreuerentiæ in rem ſacram, & ſimilium periculorum variis operationibus adiunctorum, quæ Iuſtitia, vel aliis aut nobis debitus amor, vitare præſcribant. Si igitur hæc pericula non immineant, tantúmque habeatur ratio moralis turpitudinis, quæ contrahi poſſet adhærendo dictamini illi, non niſi æquè probabili, vel etiam minùs probabili, aut etiam minùs tuto; quod tamen ſimul ſit

& probabile & tutum: ſic dico honeſtè agi ex illo dictamine, vt apertè habetur ex iis, quæ conſtituta ſunt de idoneitate iudicij probabilis ad regulandas humanas operationes, ſi iudicium illud ex ſe & velut ab intrinſeco ſpectetur, tantumque habeatur ratio moralis turpitudinis ſecuturæ ex adhæſione ad illud. Eſto poſſit ea adhæſio ab extrinſeco reddi illicita propter incommoda aduentitia, quorum quantum fieri poteſt auertendorum, vnicuique demandatam eſſe vitam ſiue ex juſtitia, ſiue ex charitate, omnes æquè conſentiunt.

Iudicium abſolutè pronuncians de honeſtate, agendi obligationem iniĳcere, vnius ſententia.

158. Supereſt breuiter excutienda altera conditio regulæ honeſtarum actionum. Fuit enim qui exiſtimaret, omnem operationem, de qua iudicium quod eſt honeſtatis regula, pronunciauerit honeſtam eſſe, non poſſe abſque culpa omitti. Nam cùm recta ratio practica de quibuſdam obiectis nihil ſtatuat; alia approbet duntaxat ſub conditione finis non neceſſarij abſolutè: tandémque alia abſolutè approbet abſque appoſita conditione; concludit Author prædictus tr. 3. Eth. cap. 1. §. 4. & . illud duntaxat iudicium, eſſe rectam rationem practicam actualem qua dirigimur in operando, quod voluntatem abſolutè approbantem aſtringit iniecta operandi obligatione. Mox verò ſibi ipſe opponens pleraſque honeſtas actiones in conſilio tantùm eſſe, & idcircò ſupererogationis appellari, reſpondet hominem teneri exercere quodcunque poteſt bonum, iuxta illud; *Quodcunque poteſt manus tua, inſtanter operare.* Tot enim tantáque eſſe nomina quibus nos ſibi Deus deuinxit ac obærauit, vt perperam omninò actutus ſit, qui de illis diſſoluendis quorumcunque potuerit honeſtorum operum exhibitione non fuerit ſollicitus. Meram verò fatuitatem, & diuinæ legis perfectione indignam imaginationem, fore ait, arbitrari Deum aliquid nobis de iure ſuo remittere, & medioeritate obſequiorum noſtrorum contentum, veniam reliqui laboris concedere. Itaque dari quidem nonnullas operationes quæ ex natura ſua atque obiecto ſunt duntaxat in conſilio, tamen eas ipſas hic & nunc ſpectatas, cadere ſub obligationem reſpectu illius qui omnibus maturè perpenſis atque libratis, agnouerit, ad declinandas malitiæ illecebras, & honeſtati adhærendum, neceſſarium ſibi eſſe, operationibus ex ſe quacunque obligatione liberis diſtineri. In ſumma iuxta hunc Authorem ea tantùm opera per rationem practicam proponuntur tanquam ex conſilio ſuſcipienda, quæ ſunt ſuapte natura indifferentia. Quæ verò ſecundùm ſe & eſſentialiter honeſta ſont, ait omnia ſub obligationem cadere, & ex neceſſitate ſeruandæ honeſtatis, exercenda eſſe ſtudiosè.

Repellitur.

Hoc ego placitum, ſi apud moralem Philoſophum de Caluini caula legiſſem, abiiſſem tacitus: quòd alterius inſtituti ſit, cum hoſte Conſiliorum Euangelicorum & operum ſupererogationis confligere, ſitque id à præſtantiſſimis Hæreſeologis, aliiſque accuratè diſcuſſum, vt à Bellarmino l. de Monachis, à cap. 7. Alphonſo de Caſtro v. *Præceptum*, hæreſi 2. & 3. & Suare tr. 7. de Relig. lib. 1. à cap. 6. Verùm cùm à Scriptore Catholico, huiuſmodi placitum Philoſophicæ tractationi inſperſum videam, non poſſum non interponere cautionem, & monere quæ fouea illi ſententiæ ſubiaceat. Aio igitur, omninò falſom eſſe, iudicium quo de operis honeſtate abſolutè & abſque conditione addita pronunciatur, iniicere obligationem operandi. Nec ea ex cauſa iudicium rectæ rationis donari in ſuperioribus nomine legis priuatæ, quod frequens etiam eſt apud Authores: ſed quia cùm primùm homo per voluntatem conſenſum adhibet, & quod iudicio illo proponitur exercere deligit, non aliter potentiis inferioribus obſequendi & ductum illum ſequendi neceſſitas imponitur ab ipſomet homine, quàm Principum miniſtris accidat, cùm ad eos perferuntur leges & mandata quæ Princeps ſanxerit. Præterquàm quòd plerunque, iudicium rectæ rationis eſt verè lex iniiciens obligationem, indéque peti potuit ea denominatio.

Totus verò Authoris prædicti diſcurſus ſcatet næuis. Nam quod ait, rationem rectam eſſe eam duntaxat qua iniicitur neceſſitas ſequendi ductum eius, idque negat accidere, cùm vſus rei non præceptæ non eſt neceſſarius ad declinandum peccatum; id quidem nulla ratione verum eſt. Plurima enim honeſtè & cum laude exercemus, nullatenus neceſſaria ad declinandum peccatum. Vt honeſtiſſimè beneficentiam & liberalitatem erga alios exercemus, nullo earum præcepto vrgente. Honeſtiſſimè item ex amore virginitatis tanquam Deo acceptiſſimæ florem eius illibatum retinere proponimus, quamuis nullum violandi Numinis diſcrimen ex licito coniugij initi vſu imminere animaduertamus. Honeſtiſſime denique temporalia bona abiiciuntur Chriſti imitatione, quamuis nemo non videat poſſe eorum poſſeſſionem ac vſum vitio vacare, & à proximo peccandi diſcrimine, quod vitandum neceſſariò ſit, longè ſemotum eſſe. Et ſunt tamen hæc opera, partim ſuapte natura ac ex intrinſeco obiecto honeſtiſſima, partim indifferentia. Omnia item ſunt à præcepto liberrima, ita vt abſque vlla obligatione ſuſcipi aut prætermitti queant à nobis.

Quod verò ad perſuadendam cuiuſvis actus ex ſe boni honeſtatem addebatur, nempe eſſe nos Deo obſtrictiſſimos, totidem verbis à Nouatoribus contra Catholicam veritatem intentatum eſt, vt legere licet apud Bellarminum ſuprà cap. 11. ad 10. & 12. & 14. Sumus quidem Deo obſtrictiſſimi; & ita ſanè, vt nunquam ſimus futuri ſoluendo: Tamen Deus non ita ſeuerè nobiſcum agit, vt etiam quæ non præcipit, exerceri à nobis ex neceſſitate velit, eo nomine quòd indè poſſimus tantulum quid de ſomma diuinorum nominum per nos contractorum diſſoluere. Nam ſi ita eſſet, incumberet cuiuis neceſſitas, actus quoſcunque merè naturales referendi aliqua tandem ratione in diuinum honorem, quæ eſſet ſementis immenſæ anxietatis, ac intolerabilis ſollicitudinis, hominem perpetuò vrgentis ad benè operandum, vt aliquid ſemper de immenſa illa ſumma decedat. Quod meritò repudiat Gabriel in 2. d. 41. quæſt. vnica, *litera K.* adducens Gerſonem in tripartito cap. 4. Liberamur igitur obligatione ac morali neceſſitate operandi, quotieſcunque non interponitur præceptum operationem indicens, ſiue præceptum illud naturale ſit, ſiue iuſta authoritate latum; quale plerunque deeſt quoad operationes ex ſe honeſtiſſimas, & Deo acceptiſſimas.

Eodem recidet ſolutio, ſi cùm aliis dicamus duplex eſſe debitum, aliud gratitudinis voluntariæ, aliud neceſſariæ obedientiæ, præceptum obligatus imponentis. Et quoad prius quidem debitum, nunquam poſſe exhauriri debitum quo Deo obſtringimur. Sed cùm illud debitum voluntarium ſit; vacétque obligatione præcepti, nullam inde contrahi labem, atque ita argumentum non concludere. Quoad poſterius verò debitum, falsò aſſumi quòd detur tale

aliquod

aliquod debitum reſpectu omnium noſtrorum bonorum operum.

Egregiè omnino doctrinam hanc vniuerſam tradidit S. Anſelmus l. 2. Cur Deus homo cap. 19. Negans creaturam etiamſi Deo ſit obſtricta ſupra quàm credi poteſt, teneri facere quod melius eſt, quando illud opus melius non cadit ſub præceptum, idque probat ex Euangelicis conſiliis quæ conſtat eſſe optima & meliora rebus præceptis, neque tamen quiſquam ad ea obligatur, alioqui non eſſent conſilia, ſed præcepta. Locus eſt, digniſſimus in quo aduerſarius, & argumentum quo adductus eſt ad ſic opinandum, & eius ſolutionem tanto ante explicatiſſimè traditam videat.

ARTICVLVS II.

Fontes honeſtatis formalis.

ITa appello honeſtatem obiectiuam in toto ſuo ambitu ſumptam, ſiue prout ad obiectum principaliter dictum, & ad circunſtantias quaſcunque pertinet. Ad bonitatem autem moralem actionis humanæ exigitur, vt obiectum eius ac circunſtantiæ, ſint quales eſſe debent iuxta rectæ rationis præſcriptum, quia bonum eſt ex integra cauſa: ita vt quamuis ad malitiam actus, ſufficiat vel vitium obiecti, vel appoſitio vnius circunſtantiæ indebitæ, aut defectus circunſtantiæ debitæ; tamen ad bonitatem actus, exigatur concurſus obiecti boni, & circunſtantiarum; in primis quidem intrinſecarum, quæ bonitatem obiectiuam integrant, nec conſtituunt diuerſam bonitatem à bonitate obiecti, quippe quòd abſque eis non eſſet [illegible]ocre, ac proinde neque fundamentaliter honeſtum & bonum: deinde verò etiam extrinſecarum, ſeu quæ iam ſupponunt materialem eſſe talem, vt recta ratio pronunciare de ea poſſit, ideòque conferunt bonitatem moralem diſtinctam à bonitate ducta ex obiecto intrinſecis ſuis circunſtantiis conſtituto. Vt igitur perſpicuum ſit è quibus fontibus moralitas iſta dimanet, interuentu voluntatis liberè operantis, præmittendum hoc loco eſt, cuiuſmodi eſſe debeat obiectum actus honeſti ſimpliciter dictum, & cuiuſmodi etiam eſſe debeant eius circunſtantiæ.

ASSERTIO.

FOntes honeſtatis formalis, ſunt, obiectum ſimpliciter dictum, eiúſque aut actionis circa illud verſantis circunſtantiæ. Obiecto continetur quodvis bonum, de quo recta ratio pronunciare queat eſſe appetibile per ordinem ad vltimum hominis finem: ac proinde honor & fortunæ bona ex ſe & nudè ſumpta vacant obiectiua bonitate, non item quæuis materia fini extrinſeco ſubſtrata, & non propter ſe volita. Inter circunſtantias, & finis extrinſecus reſpectu actus eliciti ſimul & imperati honeſtate obiectiua colluſtratur: & medium reſpectu electionis: Eſtque ea honeſtas, pro quantitate difficultatis medio vnico adiunctæ, maior aut minor.

160. PRimò expono obiectum actionis honeſtæ, quod vno verbo ſtatuo poſſe eſſe quodvis bonum, de quo recta ratio pronunciare poſſit, quòd ſit appetibile per ordinem ad vltimum hominis finem. Quicquid enim tale eſt, poteſt honeſtè appeti: quandoquidem honeſtiſſimum eſt vt homo finem ſuum vltimum omnibus modis capeſſat. Habet igitur honeſtatem obiectiuam ſiue fundamentalem, appetitioni obuerſantem.

Dubia de honeſtate obiectiua quarundam rerum.

Cùm autem hoc vniuersè loquendo ſit exploratum; poteſt tamen eſſe dubitatio aliqua de quibuſdam obiectorum appetibilium generibus, ſintne appetibilia per ordinem ad vltimum hominis finem, ac proinde an ſint fundamentaliter & obiectiuè bona. Huiuſmodi ſunt quæ paſſim Stoici appellabant indifferentias, negabantque eſſe bona ſimpliciter dicta: nempe honores, & quæ dicuntur fortunæ bona. Controuerſia ergo aliqua eſt, quam latiſſimè verſat Nauarrus commentario de finibus humanorum actuum, ad caput *Cùm in miſt. r.*, an hæc obiecta ſint ex ſe appetibilia conſentaneè ad finem hominis, atque adeò an ſint fundamentaliter & obiectiuè honeſta.

Id quod prætereà quæri ſolet de obiectis illis materialibus, quæ non ſunt propter ſe volita, ſed ſubſternuntur motiuo propter ſe intento. Sunt enim qui huiuſmodi obiectis omnem honeſtatem fundamentalem abrog[illegible], negántque deriuari ab eis in actum humanum circa ipſa occupatum, honeſtatem aliquam formalem. Ita Vaſques 1. 2. d. 51. numero 1:. Salas 1. 2. tract. 7. d. :. num. 57. & 145. Bec. 1. 2. tract. 1. cap. 4. quæſt. 3. num. 6. Fundamentum vnicum profertur, quòd materiale obiectum non appetatur propter ipſum: At bonum honeſtum, iuxta Ariſtotelem, debet appeti propter ipſum. Ita enim diſertè traditur 2. Eth. cap. 4. & lib. 6. cap. 11. & optimè à Seneca 4. de benef. cap. 1. verbis illis. *Inueniuntur qui honeſta in mercedem colant, quibúſque non placeat virtus gratuita, quæ nihil habet in ſe magnificum, ſi quicquam habet venale. Quid enim eſt turpius, quàm aliquem computare, quanti vir bonus ſit: cùm virtus nec lucro inuitetur, nec abſterreatur damno, adeóque neminem ſpe ac pollicitatione corrumpat, vt cuncta in ſe impendere iubeat, ac ſæpius in vltro tributis ſit? Calcatis vtilitatibus ad illam eundum eſt quocunque vocauit, quacunque miſit, ſine reſpectu rei familiaris, interdum etiam ſine vlla ſanguinis ſui parcimonia vadendum, nec vnquam imperium eius detrectandum. Quid conſequar, inquit, ſi hoc fortiter, ſi hoc gratè fecero? Quod feceris. Nihil tibi extra promittitur: ſi quid fortè obuenerit commodi, inter acceſſiones numerabis. Rerum honeſtarum pretium, in ipſis eſt* Et ibid. c. 9. *Honeſtum. propter nullam aliam cauſam quàm propter ipſum ſequimur.*

Bona fortunæ ex ſe non ſunt obiectiuè honeſta. Obiter quid de gloria.

161. Ad primam difficultatem ſeorſim reſpondendum eſt quoad pecunias & bona fortunæ, ſeorſim verò quoad honorem & gloriam. Nam quoad pecunias

ſiue fortunæ bona, perſpicuum videtur, ea obiecta non eſſe fundamentaliter honeſta, ſi ſecundùm ſe ſumantur, nec referantur ad vlteriorem finem. Sunt enim ex ſuo genere bona vtilia, quæ niſi cum relatione ad finem, cui deſeruiunt, experi nequeunt. Hac ex cauſa veteres, pecunias appellarunt χρήματα, vt eſt apud Teletem lib. de comparatione paupertatis & diuitiarum, relatum à Stobæo ſerm. 97. reprehenderúntque illos, quibus diuitiæ ob peruerſionem vſus earum, tranſibant in κτήματα, id eſt, poſſeſſiones: Quia ſcilicet illas habebant potiùs quàm vterentur illis, quemadmodum conſentaneè ad naturam earum factum oportuerat. Quòd ſi habere non licet niſi provt vtiles & cum relatione ad aliud, ſanè neque expetere: ac proinde omnis earum appetitio abſoluta ac in ipſis ſiſtendo, eſt apertè vitioſa. *Si vanum eſt*, ait S. Auguſtinus ſerm 12. in Pſal. 118. *propter hominum laudes bona facere, quantò magis propter adipiſcendam pecuniam, vel augendam, ſiue retinendam, & ſi quid huiuſmodi eſt commodi temporalis, quod nobis accedit extrinſecùs, qua omnia vanitas? Quæ abundantia hominis in omni labore ſuo, quo ipſe laborat ſub ſole?*

De honore autem & gloria, eſt ex parte ratio eadem. Sed quia hoc punctum latè excutio, cùm de virtute humilitatis & magnanimitatis, quæ circa gloriam & honorem occupantur, non hæreo hoc loco in eius diſcuſſione. Tantùm ſuppono ex illis quæ ibi fusè tracto, fas omninò eſſe aliqua tandem legitima ratione gloriam & honorem expetere, videlicet per modum ſalarij honeſtorum operum, quamuis nuda honoris expetitio vana ſit & honeſtate obiectiua deſtituatur.

Obiectum materiale, poteſt fundamentaliter honeſtum eſſe.

162. In ſecunda difficultate, placet ſententia, quæ admittit ex obiecto materiali poſſe aliquam honeſtatem deriuari in actum, ac proinde quæ agnoſcit obiectum materiale poſſe obiectiuè eſſe honeſtum. Idque concedunt qui docent medium habere poſſe obiectiuam honeſtatem ſibi propriam, quos infrà magno numero proferemus, & quæ ibidem dicemus, huc quoque ſpectabunt. Nam quæcunque impetunt honeſtatem obiectiuam obiecti purè terminatiui & materialis, æquè pugnant contra honeſtatem obiectiuam medij, & è contrà.

Nunc breuiter dico, ſi obiectum purè materiale nulla obiectiua honeſtate fœtum eſſet, fore vt perinde eſſet ex eodem motiuo quodlibet obiectum appetere: nec plus fore laudis ac meriti in appetitione obiecti ex ſe indifferentis, quàm ex ſe optimi. Si enim eo ipſo quòd obiectum ex ſe optimum ſubſternitur motiuo extrinſeco, propter quod expetitur, abiicit bonitatem obiectiuam, qua ex ſe exornatur, ideóque nullam in actum refundit formalem honeſtatem; idem profectò fuerit circa aliquam aliam materiam, vel indifferentem, vel bonitatis longè deſpicatioris occupari, ac circa iſtam ex ſe pretioſiorem. V.G. eiuſdem laudis erit ambulare ad laxandum animum ex fine bono extrinſeco; nimirùm vt ſuppetant vires ad Numinis obſequium; atque ex eodem fine elicere opus increſſiſſimæ charitatis erga egentem. Quare obiectum materiale cùm tale eſt, vt ſi propter ſeipſum expeteretur, conferret honeſtatem actui, eſſétque obiectiuè honeſtum, potitur quoque honeſtate obiectiua, cùm ſubiacet motiuo ſibi extrinſeco propter quod expetitur: & conſequenter refundit in actum bonitatem aliquam formalē non quidem primariam, ſed tamen aliquam hoc eſt ſecundariam, & quidem ſubſtantialem.

Idque vnum probat fundamentum, quo aduerſarij nituntur; quòd ſcilicet iuxta Ariſtotelem, obiectum conferens actui honeſtatem debeat experi propter ſeipſum. Ariſtoteles enim cenſet quidem bonitatem ex obiecto non motiuo hauſtam, non eſſe primariam: non tamen exiſtimat nullam eſſe; alioqui nulla eſſet honeſtas medij quatenus medij, quod infrà diligentiùs refellemus. Præterquàm quòd Ariſtoteles, vt attigit Euſtratius 6. Eth. cap. 12. videtur tantum voluiſſe, quòd is qui honeſtè & ex virtute operatur, debeat eligere bonum propter ſeipſum: id eſt non debeat rectè agendo intendere finem actui bono indebitum, cuiuſmodi eſſet odiſſe malum duntaxat formidine pœnæ, iuxta illud Senecæ 4. de benef. c. 4. *Non dicam pudicam, quæ amatorem vt incenderet, repulit: quæ aut legem, aut virum timuit, vt ait Ouidius:*

Quæ quia non licuit, non dedit illa dedit.

Non immeritò in numerum peccantium refertur, quæ pudicitiam timori præſtitit, non ſibi. Id quod à Philoſophis inſinuatum vulgari narratione de Gygis annulo, cenſet S. Ambroſius 3. Offic. c. 5. Similiter prauum eſt elicere actum Temperantiæ ad captandam gloriolam, vel imponendum alicui. Sic operantes ait Ariſtoteles videri agere iuſta & bona, quamuis reipſa non operentur iuſtè & honeſtè, quia malus ille finis turpat actum, cui apponitur.

16.. Tradit hoc præclarè & fusè S. Auguſtinus 4. in Iul. c. 3 impugnans contrariam Iuliani ſententiam, qui in operibus hoc tantummodò intuebatur quod agitur, & negabat quærendam cauſam cur agatur. Hoc S. Auguſtinus peruerſiſſimè dici demonſtrat, tandemque ita concludit: *Nouerit itaque non officiis, ſed finibus à vitiis diſcernendas eſſe virtutes. Officium eſt autem quod faciendum eſt: finis verò propter quod faciendum eſt. Cùm itaque facit homo aliquid, vbi peccare non videtur, ſi non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare conuincitur. Quæ tu non attendens, fines ab officiis ſeparaſti; & virtutes veras, officia ſine finibus appellandas eſſe dixiſti. Ex quo te tanta abſurditas ſequitur, vt verum cogaris appellare Iuſtitiam, etiam cuius dominam reperaris auaritiam. Siquidem manus abſtinere ab alieno, ſi officium cogites, poteſt videri eſſe Iuſtitia. Sed cùm quæritur quare fiat, & reſpondetur, ne plus pecunia luibus pereat, quomodo iam hoc factum vera poterit eſſe Iuſtitia, cùm ſeruiat auaritiæ? Quales virtutes Epicurus induxit voluptatis ancillas, quæ omninò quicquid facerent, propter illam vel adipiſcendam facerent, vel tenendam. Abſit autem vt virtutes veræ cuiquam ſeruiant, niſi illi vel propter illum cui dicimus*, Deus virtutum, conuerte nos. *Proinde virtutes, quæ carnalibus delectationibus, vel quibuſcunque commodis & emolumentis temporalibus ſeruiunt, veræ prorſus eſſe non poſſunt. Quæ autem nulli rei ſeruire volunt, nec ipſæ veræ ſunt. Veræ quippe virtutes Deò ſeruiunt in hominibus, à quo donantur hominibus. Deo ſeruiunt in Angelis, à quo donantur & Angelis. Quicquid autem boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera Sapientia præcipit, etſi officio videatur bonum, ipſo non recto fine, peccatum eſt. Poſſunt ergo aliqua bona fieri, non benè facientibus à quibus fiunt. Bonum eſt enim vt ſubueniatur homini periclitanti, præſertim innocenti. Sed ille qui hoc facit, ſi amando gloriam hominum magis quàm Dei facit, non benè bonum facit, quia non bonus facit, quod non bona voluntate facit.*

Faciunt omninò ad hanc mentem illa pulcherrimè de more ſcripta à Seneca 1. de benef. cap 6. *Animus eſt, qui parua extollit, ſordida illuſtrat, magna & in pretio habita dehoneſtat. Ipſa quæ appetuntur, neutram naturam habent, nec boni nec mali. Id refert, quò illa*

ſector

rector animos impellas, à quo forma datur rebus. Non eſt ergo beneficium ipſum quod numeratur, aut traditur. Sicut nec in victimis quidem, licèt opima ſint, auróque præfulgeant, deorum eſt honos, ſed pia ac recta voluntate venerantium. Itaque boni, etiam farre ac fictila religioſi ſunt. Mali rurſus non effugiunt impietatem, quamuis aras ſanguine multo cruentauerint. Viciſſim tamen cauendus in his Senecæ verbis error oppoſitus, quem in alio Senecæ loco reprehendit Lactantius l. 3. inſtit. cap. 15. his verbis. *Quoſdam nec pudor vitiorum tenet, ſed patrocinia turpitudini ſuæ fingunt, vt etiam honeſtè peccare videantur. Faciet ſapiens (inquit idem Seneca) quæ non probabit, vt etiam ad maiora tranſitum inueniat: nec relinquet bonos mores, ſed tempori aptabit: & quibus alij vtuntur in gloriam aut voluptatem, vtetur agenda rei cauſa.* Deinde paulò poſt: *Omnia quæ luxurioſi faciunt, quæque imperiti, faciet & ſapiens, ſed non eodem modo, eodémque propoſito. Atqui nihil intereſt, quo animo facias quod feciſſe vitioſum eſt, quia facta cernuntur, animus non videtur.* Quin etiam quamnis videretur, non honeſtaret opus obiectiuè vitioſum.

Materia indifferens, quomodò fundamentalem honeſtatem induat.

164. Nec plura de honeſtate obiectiua materiæ ex ſe honeſtæ, quæ malè dicebatur euaneſcere per ſubuectionem ad motiuum ipſi externum. Cùm autem obiectum materiale non eſt ex ſe obiectiuè bonum, ſed indifferens, (malum quippe eſſe non poteſt, ſalua actus in illud tendentis honeſtate;) tunc nulla bonitas in tali obiecto cernitur, ſed tantùm in fine extrinſeco, qui reſpectu actus interni continet propriam honeſtatem, qua materia indifferens aliquatenus perfunditur, iuxta illud Senecæ epiſt. 82. *Omnis res, quod non habuit decus, virtute addita ſumit. Cubiculum lucidum dicimus, hoc idem obſcuriſſimum eſt nocte. Dies illi lucem infundit, nox eripit. Sic iſtis quæ à nobis indifferentia ac media dicuntur, diuitiis, viribus, formæ, honoribus, regno; & contrà morti, exilio, malæ valetudini, doloribus, quæque alia aut minùs aut magis pertimuimus, aut malitia aut virtus dat boni vel mali nomen. Maſſa per ſe nec calida nec frigida eſt; in fornacem coniecta concaluit; in aquam remiſſa refrixit. Mors honeſta eſt per illud quod honeſtum eſt. Id eſt virtus, & animus externa contemnens.*

Vt tamen ea quam dixi, honeſtatis à fine extrinſeco honeſto in materiam indifferentem refuſio ſequatur, neceſſe eſt id quod Suares rectè obſeruauit l. 2. de voto cap. 4. n. 7. vt relatio & ordinatio materiæ illius indifferentis ad finem extrinſecum bonum, non fiat ex mera libertate aut falſa apprehenſione operantis, ſed prudenter ac cum proportione & fundamento alicuius conuenientiæ inter rem ordinatam & finem ad quem ordinatur: ita ſcilicet vt poſſit cerni habitudo aliqua mediata vel immediata vtilitatis in vno ad alterum. V. G. ſi quis profectionem in agrum inſtituat ad Dei honorem, nihilque aliud interueniat, quo materia illa indifferens aptè ſubſternatur fini prædicto honeſtiſſimo, vanè omninò eam ordinationem interponit. Profectio enim in agrum, nihil per ſe confert ad cultum Numinis. Itaque vt ea profectio poſſit à tali fine honeſta reddi, interponendum eſt aliquid, ratione cuius profectio poſſit ad finem prædictum aliquatenus conducere: quale eſſet proficiſci in agrum ad leuandum animum, vt vires corporis reficiantur, quibus ſuppetentibus actio aliqua ad diuinum honorem opportuna ritè obeatur. Simpliciter autem proficiſci in agrum, non poteſt accipere bonitatem à bonitate finis illius extrinſeci quem dixi, ſiue cultus religioſi intenti per interiorem actum adiunctum. Vnde materia illa ex ſe indifferens, quantumcunque adhibeatur ei extrinſecus finis bonus & optimus, manet tamen ex ſe indifferens, quia reuera hic finis reſpectu illius materiæ non eſt finis, cùm ſupponamus eam materiam non eſſe vtilem ad talem finem, ac proinde non eſſe medium reſpectu eius, qua duntaxat ratione poſſet perfundi bonitate finis extrinſeci.

Circunſtantiæ extrinſecæ, fundamentaliter honeſtæ.

165. Secundò egi de fonte ſecundario honeſtatis, ſeu de bonitate obiectiua reſidente in circunſtantiis extrinſecis. Ad has enim reſtringendus eſt ſermo, quia circunſtantiæ internæ non continent peculiarem moralem bonitatem obiectiuam, diſtinctam à bonitate obiecti hactenus expoſita. Quid porrò complectamur nomine circunſtantiarum extrinſecarum, perſpicuum eſt ex dictis generatim de circunſtantiis actionis moralis. Vnde etiam liquet, finem extrinſecum inter huiuſmodi circunſtantias numerari. Nam finis intrinſecus, (qui propriè ſoli interno voluntatis actui competit,) non eſt circunſtantia reſpectu actionis illius internæ purè elicitæ, ſed eſt obiectum illius, vt habetur ex D. Th. 1. 2. q. 18. art. 6. Itaque & de circunſtantia finis extrinſeci, & de circunſtantia *quibus auxiliis*, ſiue medij, videndum eſt, ſintne aut eſſe poſſint ſecundarij fontes honeſtatis formalis in actu attingente obiectum his circunſtantiis conueſtitum. Nam de fine extrinſeco, id inficiati ſunt recentiores non pauci. Item de medio, aliqua eſt explicationis indiga ambiguitas. Cæteræ autem circũſtantiæ non eſt quòd nos hoc loco remorētur, cùm apud omnes exploratũ ſit, eas honeſtate obiectiua ſecundaria fœtas eſſe, poſſéque proinde ex eis reſultare in actum bonitatem aliquam accidentariam.

Quales porrò honeſtatis fontes ſint circunſtantiæ; hoc eſt, an peculiarem honeſtatis ſpeciem conferant, an augeant duntaxat aliunde deriuatam, perſpicuum erit, ſi perpendatur earum ſpecialis conſonantia, quæ veluti non innitatur alteri, & abſque ea cohærere poſſit. Tunc enim noua, tametſi accidentaria tantùm, honeſtatis ſpecies obueniet à circunſtantia; alioqui non niſi modificatio antecedentis ſpeciei enaſcetur. Verùm hæc dilucidiora fient circa alterum moralitatis membrum, in quo ea diuerſitas conferendi moralitatem diligenter perpendenda erit, ob ſummum ibi vſum illius probè perſpectæ. Quare inſiſtamus iis quæ propoſuimus.

Probatur de fine extrinſeco.

166. Quòd igitur finis extrinſecus poſſit conferre honeſtatē aduentitiam actui iam habenti finem ſuum intrinſecum ſiue indifferentem, ſiue honeſtum, inficiati ſunt nonnulli, vt Vaſques 1. 2. d. 51. n. 32. Baſil. Poncius relect. 2. § *Secundò probo* Ægid. Coninc. diſp. 5. de actibus ſupernat. n. 121. Rectè autem id affirmant Angeſtus cap. 14. mor. tex. 1. concl. 5. Suares l. 12. de grat. cap. 11. n. 5. & 18. Salas 1. 2. tr. 7. d. 2. n. 13. & 148. & d. 3. n. 11. Bec. 1. 2. tr. 1. cap. 4. quæſt. 3. n. 13. Azor t. 1. l. 2. c. 1. q. 2. Eſtque aperta ſententia Diui Thomæ 1. 2. q. 19. art. 2. ad. 1. vbi cùm dixiſſet, in actu interno voluntatis, bonitatem ex obiecto eſſe eandem cum bonitate ex fine, ſubdit; *niſi fortè per accidens, prout finis dependet ex fine & voluntas ex voluntate.* Quaſi diceret, cùm actus interior reſpicit intrinſecè vnum finem proprium, & ordinatur extrinſecè ad alium, tunc finis ille extrinſecus impertit bonitatem accidentariam actui imperato, tanquam circunſtantia eius. Cum quo

illuſtriſſimo loco fruſtrà luctatur Vaſques 1.2. d.57. Stoto c.1.

Ratio ſententiæ noſtræ petenda eſt ex ſubordinatione actus imperati ad imperantem, in ordine ad finem actui imperato extrinſecum. Vnde fit, vt actus imperatus non cenſeatur imperanti extraneus, ſed cenſeatur eſſe aliquid eius, vt potè non reſpecturus finem illum actui imperanti propoſitum, niſi interueniret ordinatio ad finem illum, facta per actum imperantem. Quinimò ſi actus imperatus eſſet imperanti extraneus, ceſſarent denominationes imperantis & imperati. Cùm igitur actus imperans, ſit principium & cauſa actus imperati, mirum non eſt quòd ſuam cum eo boneſtatem ex fine ductam communicet: quandoquidem finis ille extrinſecus qui eſt obiectum proprium actus imperantis, eſt circunſtantia propriè dicta & extrinſeca actus imperati quatenus imperati, & ad externum illum finem directi per actum imperantem. Suppono tamen, finem illum talem eſſe, vt in ea finis interni ad finem externum ordinatione, nullum ſit vitium vel deordinatio, qualis accideret, ſi bonum generis inferioris præfigeretur bono generis ſuperioris. Vt ſi bonum honeſtum ordinaretur ad bonum delectabile, vel ad obiectum indifferens. Siquidem bonum honeſtum depretiatur, cùm poſtponitur bono generis inferioris, & ad illud principaliter refertur.

Conſultò addidi eerni vitium, cùm bonum generis ſuperioris ordinatur ad bonum generis inferioris: quia exiſtimo quamuis inter bona honeſta quædam ſint aliis pretioſiora; tamen licitè quæ nobiliora ſunt, referri ad bona item honeſta, ſed inferiora. In eo quippe progreſſu nullus defectus aut inordinatio apparet, cùm ſemper ſiſtatur intra idem genus boni honeſti. Quò ſpectant quæ in tractatione de virtutibus in communi latè trado de actu virtutis ſeperabili per virtutem inferiorem Dummodò igitur finis extrinſecus ad quem actus imperatus refertur, talis ſit vt finis actui imperato intrinſecus poſſit ſine inordinatione illi ſubſterni, rectè conceditur bonitatem finis extrinſeci eſſe ſecundariam & accidentariam reſpectu actus imperati, ad finem illum extrinſecum ordinati per ctaum imperantem.

Ad rationes in contrarium.

167 Quæ in contrarium opponuntur, non difficile enodantur. Supponunt enim aduerſarij potiùs quàm probant, finem actus imperantis conſiari actum imperatum, tanquam aliquid nullatenus ad eum pertinens. At hoc nos diffitemur. Dicimus enim finem illum externum, cum actu imperato connecti tanquam circunſtantiam eius. Nam & idcircò actus imperatus dicitur ex eo fine extrinſeco imperari, quod dici non poſſet, ſi finis ille extrinſecus eſſet actui imperato prorſus extraneus, nec eſſet aliquo tandem modo cauſa eius.

Vnde prætereà elidi poteſt alterum argumentum, quo aduerſarij ſententiam noſtram impetunt; dicentes, actum imperatum nullo modo pendere ab actu imperante, nec ab eo habere vt liber ſit, quod tamen eſt vnicum generis moris fundamentum; ſed tantùm pendere à voluntate prout eum eliciente. quæ certè vt ſic, non deſtinat eum actum niſi ad proprium obiectum quod intellectus ei propoſuit. Hoc argumentum aio ex proximè dictis elidi. Nam quamuis actus imperatus, ſi ſpectetur præcisè ſub ratione intentionis finis, in quem primò deſtinatus eſt, non ſit liber niſi à voluntate eliciente: ſi tamen ſpectetur prout relatus ad finem ipſi extrinſecum, actui autem imperanti intrinſecum, non eſt liber niſi interuentu actus imperantis: Non quòd ab eo actu eliciatur, ſed quòd niſi finis ille extrinſecus, actui imperanti præfixus, interueniſſet, non eſſet ad eum finem extrinſecum liberè referendus. Quod eſt dicere, actum imperatum nullo modo pendere ab actu imperente quoad ſuum eſſe phyſicum, pendere tamen quoad eſſe morale aduentitium, & quoad libertatem moralem ex qua tale eſſe progerminat: ſiue pendére quoad eſſe relatum & ordinatum ad extrinſecum illum finem. Neque verò nouum eſt, vt actus aliunde habeat moralem libertatem, aliunde autem fiat. Nam actus externus fit à ſua potentia proxima; libertatem autem habet à voluntate prout eliciente actum ſuum internum, cum quo actus ille externus ſubordinatus, cenſetur vnus. Similiter ergo actus imperatus, ſi ſpectetur ordo quem habet ad finem actui imperanti præfixum non eſt liber niſi medio actu imperante, à quo voluntas impellitur ad eliciendum actum imperatum; vel ad eum præelicitum, eliciendum actione continuata in ordine ad finem illum extrinſecum & accidentarium.

168 Addit denique Vaſque argumentum Theologicum, dicens, ſi actus imperatus poſſet accipere honeſtatem aliquam à fine bono actus imperantis, fore vt poſſet etiam accipere turpitudinem à fine malo, præfixo actui imperanti: atque ita fatendum fore, actum charitatis poſſe fieri leuiter malum ex fine extrinſeco actus imperantis.

Salas 1.2. tract.7.d.3.n 169. concedit totum, excipiens duntaxat actum amoris erga Deum, qui ſit tantæ amplitudinis atque extenſionis, vt excludat omne peccatum pro tempore quo durat. cuiuſmodi eſſet actus ille: *Volo in omnibus placere Deo*: quem actum conſtat eſſe cum quouis peccato incompoſſibilem. Vnde ſi ipſe eſſet vitioſus & malus, excluderet ſeipſum, quod eſt impoſſibile. Hoc igitur amoris actu excepto, Salas admittit, reliquos actus charitatis, & multò magis alios quoſvis cæterarum virtutum ſupernaturalium actus, poſſe elici ex fine malo, indéque inquinari. Videtur annuere Almainus in 3 d.25.q.1. §. *Quæritur conſequenter*. Negat enim amorem Dei ſuper omnia, poſſe eſſe malum ex fine vitioſo actus imperantis, eo quòd alioqui non foret amor Dei ſuper omnia: ſilet autem de aliis actibus, in quibus ea ratio non habet locum, vnde videtur admittere eos eſſe inquinabiles ex fine, per quem poſſunt imperari. Aliter reſpondet Suares 12. de grat.c. 11. n. 16. ait enim actum charitatis. ac etiam quemcunque internum actum virtutis, non poſſe referri in finem malum, quia non poteſt ad eum vtilis eſſe.

Vtramlibet ſolutionem quis approbet, non refert ad rem præſentem Fixum eſto, poſſe actui imperato aduenire honeſtatem aliquam aduentitiam ex fine actus imperantis: ac proinde eſſe in fine illo extrinſeco honeſtatem aliquam obiectiuam accidentariò refuſibilem in actum internum, ex obiecto ſuo honeſtum.

Fundamentalem obiecti honeſtatem complendam relatione actuali in Deum, ſententia quorundam.

169. Non defuerant autem qui exiſtimarunt, vt actus aliquis ſit moraliter honeſtus, nec ſufficere, ſi ex obiecto ſuo & fine intrinſeco qualicunque, honeſtatem habeat, ſed quando finis ille eſt aliquid creatum, inſuper exigi vt in Deum tanquam in finem extrinſecum referatur. Cui principio ex parte ſuperſtruitur aliud placitum, nempe quòd hominis mali omnia opera quantumuis ex intrinſeco obiecto honeſta, contrahant tamen turpitudinem ex eo defectu ordinationis ad Deum finem extrinſecum, quòd ea

ordinatio

ordinatio non poſſit fieri à perſona ecenu moralis turpitudinis grauiter ſordente. Quæ fuit opinatio antiquorum quorundam Hæreticorum apud Macar. hom. 46. & recentiorum plurimorum, quibus improuidè adhæſit Catharinus diſcept. 4. contra Sotum. & in c. 3. Gen. exponens illud, *Adam vbi es?* docens, eum actum, malum eſſe moraliter, qui in Deum non referatur per hominis ipſius deſtinationem, quam ei detrahit qui Deum ex toto corde non diligit. Eodem pertinet quod Gregorius in 2. d. 39. q. vnica, art. 2. *coroll. 1. & 2. poſt ſecundam conclusionem* contendit omnem actum moraliter honeſtum debere elici ex dilectione Dei, & habere Deum pro fine ſaltem extrinſeco. Ex quo infert concl. 3. illos infideles, qui Deum non nouerunt, non pôtuiſſe vlla opera honeſta efficere, defectu relationis & ordinationis eorum ad Deum, agitque perſpicue de relatione formali per actum præſentem, vel ſaltem virtuali, quam etiam vocat habitualem, fitque per relationem præelicitam, aliquo modo in effectu ſuo manentem.

Refellitur.

Non poſſumus intra fines noſtros in hæc placita diligentiùs inquirere, quod exactè præſtant, qui vel cum Sectariis de iuſtitia operum hominis, vel inter Scholaſticos de fide diuina, & gratia Dei actuali & habituali, earúmque ad benè operandum neceſſitate diſputant. Videſis Vegam l. 6. in Concil. c 39. & 4. & l. 11. à c. 24. Bellarm. l. 4. de Iuſtif. à c. 15. Val. 2. 2. d. 1. q. 10. p. 2. Suarem l. 1. de grat. à c. 4. & d. 17. de fide, ſ. 3. & Becan. opuſc. 6. c 1. Breuiter quod ad præſens inſtitutum attinet, dico, perperam exigi ad bonitatem moralem actus ex obiecto ſuo intrinſeco honeſti, vt referatur ad Deum, tanquam ad finem extrinſecum, ſi ea relatio alia ſit quàm quæ in ipſo actu importatur vi eiuſmet ordinationis, qua reſpicit ſuum finem intrinſecum, ſiue obiectum proprium. Quòd enim eatenùs actus dici poſſit referri virtualiter in Deum, non iuerim inficias: quia actus qui ex ſuis intrinſecis principiis bonus eſt, nec aliunde inquinatur, eſt aliquid idoneum ad conſecutionem Dei, prout eſſet vltimus finis noſter naturalis, ſi creati eſſemus in ſtatu puræ naturæ. Præterquàm quòd actus bonus tendit in finem vltimum vniuerſi ſaltem mediatè, & per id ad quod proximè refertur, vt ratiocinatur Caiet. 1. 2. q. 10 art. 4.

170. At quòd præter huiuſmodi relationem in Deum, cuiuis actuj bono intrinſecam, exigatur vt actus referatur in Deum tanquam finem extrinſecum interuentu ordinationis vel formalis vel virtualis, id eſt anteriùs elicitæ, & in aliquo ſuo effectu perſeuerantis, hoc nego eſſe neceſſarium: quia talis ordinatio & relatio, neque ex natura rei exigitur ad actus honeſtatem, neque ex diuino præcepto indicitur. Eſt igitur gratis conficta, & idcircò paſſim reiicitur, vt notat Almainus tract. 1. mor. c. 11. Sanè ſi actus ſit ex obiecto intrinſeco bonus, nihil vetabit quominùs ob eam bonitatem exerceatur. Nam honeſtas obiecti, eſt ratio motiua voluntatis omninò legitima. Poterit igitur homo ex ea ſola operari honeſtè. Sicut enim non poteſt quis legere de ſpinis vuas, aut de tribulis ficus; de obiecto inquam malo & inhoneſto, bonitatem: ita neque poteſt de obiecto bono haurire virus malitiæ. Ergo ſi aliunde omnes vitioſæ circumſtantiæ ſecludantur, (vt in præſentia eas ſecludimus;) ſolus defectus relationis ad finem extrinſecum bonum, ſuppoſita bonitate finis interni ſiue obiecti, non poterit illis actionibus eripere honeſtatem veluti natiuam, ex obiecto intrinſeco ducibilem.

Fundamenta eius diſiecta.

Neque verò inde ſequitur, actum qui elicitur propter eum duntaxat finem, eſſe amorem finis illius ſiue obiecti creati, vt finis vltimi, quo pacto ſolus Deus amari poteſt, vt Gregorius opponit. Hoc inquam non ſequitur. Nam duobus modis finis dici poteſt vltimus, primò poſitiuè, ſecundò negatiuè. Appellatur poſitiuè vltimus finis ille, qui non modò non refertur in alium finem vlteriorem, ſed talis quoque eſt vt in ipſum referantur omnia alia. Et hoc modo verè dicitur, ſolum Deum poſſe amari vt finem vltimum, omnémque appetitionem obiecti creati tanquam finis vltimi, turpem eſſe ac vitioſam. Negatiuè autem dicitur vltimus finis ille, in quo ſiſtitur abſque relatione vlteriori ad alium finem, facta formaliter per alium actum concomitantem, qualis in re præſenti eſſet actus ille, quo operatio tendens in obiectum creatum honeſtum, ordinaretur inſuper accidentariò & extrinſecè ad Deum. Et hoc modo dico, bonum honeſtum creatum poſſe abſque vlla labe eſſe finem vltimum actionis humanæ, & poſſe actionem eſſe honeſtam ſine tali relatione ad Deum. Sufficit enim quòd actus ex obiecto intrinſeco honeſtus, referatur ad Deum quaſi naturaliter & ea relatione virtuali, quam ſuprà expoſui videtúrque agnoſci à Diuo Auguſtino q. 30. ex 83. Nam eo ipſo quòd actus elicitur propter honeſtatem creatam, quæ elucet in obiecto ex ſe honeſto, nec inficitur per extrinſecam relationem in finem prauum, ipſo actus tendit ex ſe in Deum vt in vltimum finem omnis actus boni, quæ interdum vt notat Suares l. 2. de prædeſt. c 15. n. 12 appellatur relatio virtualis ex vi operis, ad diſtinctionem relationis virtualis factæ per actionem operantis formaliter præteritam, nec niſi in aliquo effectu ſuo remanentem: quam relationem virtualem in Deum, negamus eſſe hoc loco neceſſariam, vt actus ex obiecto ſuo bonus, morali honeſtate potiatur.

Media eſſe fundamentaliter honeſta, qui negent.

17. Pergo ad circunſtantiam *quibus auxiliis*, in qua bonitatem obiectiuam non agnoſcunt Vaſques 1. 2. d. 51. n 12. Salas 1. 2. tract. 7. d. 2. n. 5 & 45. & Becan. 1. 2. tract. 1. c 4. q. 9. n. 6. tametſi enim fatentur, medium inhoneſtum eſſe obiectiuè malum reſpectu electionis in illud tendentis, eo quòd nihil ſit neceſſe malitiam eſſe propter ſe & directè volitam: tamen negant, medium honeſtum conferre electioni ad illud propter finem terminatæ, vllam honeſtatem: eo quòd honeſtas debeat eſſe propter ſe volita, vt ſæpè aſſerit Ariſtoteles, ac nominatim 2. Eth. c. 4 vbi docet vt aliquis ſit temperatus & iuſtus, dicatúrque temperatè & iuſtè agere, non ſufficere quòd iuſta & temperata operetur, ſed inſuper neceſſe eſſe, vt ea bona velit propter ipſamet. Idem repetit l. 3. c. 7. & l. 4. c. 1. & 2 & l. 7. ad Eudemum, c. 19.

Et ratio eſſe videtur, quia actus honeſtus ſpecificatur ex obiecto ſuo formali. Tale autem duntaxat eſt illud quod eſt propter ſe volitum. Quia igitur medium non eſt propter ſe volitum, ſed duntaxat finis, concludunt Doctores prædicti, in medio nullam reſidere bonitatem obiectiuam, totámque electionis honeſtatem hauriri à fine intento per actum intentionis, cui ſubordinatur electio. Additur item alia ratio, ex eo ducta quòd alioqui volitio tendens in vnicum honeſtum finem poſſet ingenerare multos

virtutum

virtutum habitus. V. G. actus Temperantiæ elicitus ex fine religionis, imprimeret ſimul habitum Temperantiæ, & habitum Religionis, quod Ariſtoteles negat 2. Eth. c.4. Igitur electio nullam honeſtatem à medio haurit: proindéque ipſum medium prout fini ſubiacens, ſiue quatenus medium, non eſt honeſtum obiectiuè. Ex quo tandem concluditur, circunſtantiam *quibus auxiliis* non continere honeſtatem vllam obiectiuam. Nam medium, ad hoc genus circunſtantiæ pertinet.

Refelluntur.

Contraria ſententia mihi probatur. Tradidit eam Valentia 1. 2. d.2.q.13. p 4. & Anton. Peres lect. 1. examin. p. 3. n.72. dicens eſſe etiam ſententiam D. Thomæ, & vniuerſorum Theologorum. Ratio eſt, quia medium cùm ſit circunſtantia *quibus auxiliis*, non ſe habet impertinenter ad volitionem honeſtam finis; quidni ergo aliquam ei ſecundariam honeſtatem conferat? At ſi confert honeſtatem aliquam intentioni, cùm intentio ab electione ſeiungitur, quantò magis eam conferret electioni, quæ in medium tanquam in proprium obiectum directè & proximè fertur? Sanè niſi id admittamus, concedendum erit, perinde eſſe aſſumere quæuis media ex fine bono. V. G. concedendum erit, æquè honeſtum eſſe ambulare ac ieiunare ex charitate, poſito quòd vterque hic actus vſurpetur tantùm vt medium ad finem charitatis. Item perinde erit aſſumere medium indifferens, atque medium honeſtum.

Reſpondet Vaſq. ſuprà n. 15. cæteris paribus præſtare aſſumere melius medium, quia tale medium erit magis idoneum, faciétque intentionem meliorem. Verùm, vt dicebam, ſi intentio poteſt reddi melior ex electione, & ex circunſtantia *quibus auxiliis*, ſiue ex medio non propter ſe volito, quidni multò magis ipſa electio poſſit reddi melior ex ſuo obiecto, quod ex ſe bonum eſſe ſupponimus, quamuis non propter ſe volitum? Deinde non apparet quomodò intentio, quæ apud aduerſarium ſemper eſt realiter prior electione, & totum ſuum eſſe, etiam morale, præhabuit antequam diſtinctè cogitaretur de mediis, poſſit reddi melior ſuperueniente noua actione circa media. Tandem vel medium præſtantius habet honeſtatem aliquam diſtinctam ab honeſtate finis in quem dirigitur, vel nullam habet: Si habet aliquam, habemus intentum. Medium nanque etiam prout ſubſtratum fini propter quem eſt volitum, pollebit honeſtate aliqua obiectiua, eámque actui electionis impertiet. Si autem dicatur ſecundum, liquidò ſequitur perinde eſſe quodlibet medium aſſumere, Nam ſi tota bonitas eſt in fine ſolo, & finis æquè obuerſatur aſſumptioni vtriuſque medij perſpicuum eſt, nihil referre vtrumlibet medium aſſumatur, tametſi ex ſe ſint inæqualiter bona aut etiam vnum ex ſe ſit moraliter indifferens, alterum verò optimum.

Ad argumenta aduerſariorum.

172. Fundamentum quod in contrarium proponebatur non difficile diſſicitur. Nam Ariſtoteles cùm ait honeſtatem obiecti debere eſſe propter ſe volitam, non curat an honeſtas boni vtilis quatenus vtilis & ordinati ad aliud ſit appetibilis, maneátque honeſtas; quod vnum nos aſſerimus, inde inferentes ex medio per ſe honeſto deriuari honeſtatem formalem ſecundariam in actum electionis. Tantum ergo voluit Ariſtoteles, honeſtatem boni in quam voluntas fertur, non debere inſici admixtione finis aſcititij vitioſi, vt ſuprà notaui agens de honeſtate ducibili ex obiecto materiali. V. G. vult tantùm Ariſtoteles, eum qui honeſtè elargitur eleemoſynam, non debere ante ſe tuba canere, & referre pium illud opus in vitioſum inanis gloriæ finem; quod optime cohæret cum noſtra ſententia. Addunt alij, Ariſtotelem locis allegatis quoties requirit vt honeſtas obiectiua ſit propter ſeipſam volita, nec aliò referatur, non tam intendere enumerare prærequiſita ad actus virtutum, quàm recenſere omnia conducibilia & neceſſaria ad perfectiſſimum gradum & ſtatum alicuius virtutis; vt videtur inſinuari ex eo quòd Ariſtoteles inter alias actus honeſti conditiones, eodem tenore enumerat, vt eliciatur ſtabiliter & immobiliter: cùm tamen perſpicuum ſit, ad verum actum honeſtum non exigi eam immobilitatem & firmitatem honeſte operantis, ſed tantùm id exigi ad optimum & perfectum ſtatum eius. Et hæc quoque reſponſio elidit ſufficienter argumentum ex Ariſtotele petitum.

Ratio verò quæ primò ſubdebatur, nullius videtur momenti. Nam quamuis actus ſpecificetur à motiuo, tamen præter honeſtatem primariam quam inde haurit poteſt etiam aliam habere ſecundariam, ductam à circunſtantiis: Et nominatim electio poteſt aliquam talem honeſtatem haurire à medio in quod directè fertur tametſi non niſi propter finem, in quem medium, eiúſque aſſumptio collimat. Altera ratio æquè inanis eſt. Admittimus enim, actum electionis medij ex ſe honeſti, vſurpati propter motiuum alia honeſtate fœtum, inurere aliquo modo multiplicem habitum virtutis. Negamus autem, Ariſtotelem tale quid inficiatum eſſe eo capite quod allegabatur. Dixi talem actum inurere aliquo modo multiplicem habitum, quia admodum probabile eſt eum actum non inurere niſi vnicam habilitatem reſpectiuam vtriuſque honeſtatis obiectiuæ cum ſubordinatione: id eſt inclinantem ad actum circa media; non abſolutè, ſed tantùm per ordinem ad finem, quia actus habitum eiuſdem efficacitatis imprimunt, cuius ipſi ſunt compotes. Cùm igitur in præſenti negotio actus electionis reſpiciat medium qua medium, ſiue cum comparatione ad finem; neceſſe eſt vt imprimat habitum qui inclinet ad repetendum ſimiles actus; habitum inquam vnicum non propriè & formaliter multiplicem. Cæterùm quomodocunque admittatur, actum electionis ex medio honeſto inurere multiplicem virtutis habitum, non alia poteſt eſſe in hac parte difficultas, quàm in electione medij ex ſe mali, ex fine item malo, quam electionem aduerſarij fatentur multiplicem inhoneſtatem conuehere. Quod ergo de actu tali malo pronunciabunt, nos de ſimili honeſto affirmabimus: quia quod attinet ad vim inurendi habilitatem, actus honeſtus & actus malus pares ſunt, nec poteſt proferri vllum inter vtroſque diſcrimen quod ad rem faciat.

An honeſtas obiectiua, augeatur penes maiorem difficultatem, ex mediis vel aliunde enatam.

173. Quia verò ex mediis aut efficacioribus aut pluribus, vel è contrà minoris energiæ & paucioribus, creſcit aut minuitur difficultas obtinendi per ea finem, dubium hoc loco ſubnaſcitur, an honeſtas obiectiua, conſtituta penes eam quam dixi mediorum comparationem ad finem, ſit maior, vbi eſt conſequendi difficultas maior; itémque minor, vbi facilior eſt honeſti adeptio. Quam quæſtionem neceſſe eſt ſecernere ab alia, qua ſimpliciter quæritur, vtrum facilitas operationis maior vel minor, honeſtatem conciliet maiorem aut minorem. Tametſi enim ex huius

quæſtionis

quæſtionis reſolutione, poteſt peti, quid ſtatuendum ſit in ea quam prætermittimus: vna tamen non eſt alia, cùm aliud ſit, difficultatem ineſſe actui vi obiecti & mediorum ad illud conſequendum ordinatorum; aliud verò ineſſe ex aliquo alio capite, quàm ex parte mediorum,

Sententia quoad difficultatem aliunde enatam.

Cæterum, quia ex diſcuſſione quæſtionis, an difficultas ſimpliciter conferat ad honeſtatem, habebitur quid in quæſtione huius loci propria ſit ſtatuendum; præmittenda eſt eius enodatio, Mouet, nec ſatis extricat eam quæſtionem Tartaretus 5. Eth. q. 2. Reſpondet enim diſtinguendo quòd vel difficultas actionis petitur ab ipſa ſecundùm ſe ſumpta, quæ dicitur difficultas ratione operis; vel petitur ex aliqua conditione aut circunſtantia perſonæ, V. G. ex malo habitu per antecedentes operationes prauas contracto. Si difficultas teneat ſe ex parte obiecti, indéque redũdet in operantem ſic admittit honeſtatem actionis creſcere penes difficultatem, Si autem difficultas proueniat ab ipſius operantis conditionibus, ſic Tartaretus anceps eſt an actus difficilior ſit melior, ob Doctorum ea in parte diſſenſum. Creſcere autem ex ea quoque difficultate honeſtatem, affirmat Angeſtus c. 6. mot t.8. & c. 12. 1-4,

At Durandus in 2. d. 23.q.1. n. 11. & d. 24. q. 3. n. 9. admittere videtur, difficultatem prouenientem præcisè ex parte operantis, non inſtructi habitu virtutis, non conferre ad actus honeſtatem. E contrario enim tradit actum ex parte operantis faciliorem, nihilo eſſe meliorem. Annuit D. Thomas in 3. d. 23 q. 1. art. 1. ad 4 & ibid Capreolus q. vnica ad 2. ex inductis ſecundo loco contra primam Fundamentum eſt, quia quamvis difficultas ex malo habitu enata, poſſit eſſe generoſæ voluntati occaſio, alacriter inſurgendi aduersùs eam, indéque actio non parum ſit commendanda. Tamen ea alacritas æque poſſet cerni in operatione, etiamſi malos habitus non præiacuiſſet. Vnde poterit actionis honeſtas maior eſſe ſed abſque reſpectu vllo ad difficultatem. Quòd autem reſiſtentia & veluti grauatio potentiæ, orta ex impedimento per anteriores actus inuecto, generoſitatem illam exſuſcitarit, eſt bonus euentus ex mala occaſione, cuius in hoc honeſtatis accremento non eſt habenda ratio, cùm homo qui eam ſibi difficultatis cauſam accivit, debeat ſibi ipſi imputare, quòd propter antecedentes malos actus, operoſiorem experiatur honeſtatis adeptionem,

Difficultas propoſita diſſoluitur quoad omnes partes.

174. Hæc poſterior ſententia mihi placet, Ex dictis autem in eius confirmationem liquet, ad ſecundam partem diſtinctionis propoſitæ rectè reſponſum eſſe negatiuè: Nimirum negando honeſtatem creſcere ex eo quòd operatio ſit difficilior ex parte ſolius operantis, quamuis verum ſit, actionem eſſe laudabiliorem & honeſtiorem ſi maiori conniſo fiat, atque intenſior: quod æquè poſſet accidere non interueniente difficultate ex parte operantis. Liquet item, ad priorem diſtinctionis propoſitæ partem bene reſponſum fuiſſe affirmatiuè. Difficultas enim qua obiectum eſt obſeptum, & conſequenter ratione cuius aſperiora & operoſiora media exiguntur, maiorem honeſtatem operi conciliat. Vnde tandem habetur, ex circunſtantia *quibus auxiliis* ingerente maiorem difficultatem, peti maiorem honeſtatem operationis ea auxilia aſſumentis in ordine ad finem: quia hæc eſt difficultas ex parte operis, cui maiori admiſimus vberiorem reſpondere honeſtatem.

Suppono tamen non ſuppetere plura media, quoad difficultatem & opportunitatem ad finis conſecutionem inæqualia. Nam ſi ſuppeterent plura media, quorũm vnum eſſet altero longè difficilius, neque tamen eſſet opportunius vel ſecurius aut efficacius ad finis aſſecutionem; & nihilominùs homo gratis & vltrò in maiorem difficultatem ei adiunctam ſe indueret, prætermiſſo altero æquè vtili, & tamen minùs difficili, non admitterem ex eo incremento difficultatis quod medio difficiliori annexum eſt, augeſcere honeſtatem operationis. Quia tota honeſtas quam medium conuehere poteſt in actum, ducenda eſt ex opportunitate ad finem, non autem ex eius difficultate; quæ vt ſic non eſt amabilis neque honeſta. Tunc ergo maior medij difficultas per ſe loquendo confert ad maiorem actus honeſtatem, cùm vel medium eſt vnicum & difficile, vel inter plura quæ ſuppetunt, illud ſecurius aut efficacius eſt, quod maiori difficultate obuallatur. Alioqui medij difficultas, quatenus præcisè medium eſt, nihil ad promouendam actus honeſtatem iuuabit. Poterit tamen ad id conferre ex aliquo alio capite, nempe ſi ſit opus ex ſe honeſtius. Plerunque enim media ad finem aliquem conducentia, præter bonitatem ex fine deriuatam, aut conſtitutam per ordinem ad illius conſecutionem, habent præterea ex ſe bonitatem aliquam veluti abſolutam, ex qua medio concomitanter inſerta, augeri poterit honeſtas actus tendentis in tale medium.

Vniuersè de aliis fontibus accrementi honeſtatis obiectiua.

175. De aliis pleriſque capitibus ex quibus augeri poteſt honeſtas actus, nihil ſpecialiter tradendum occurit. Vniuersè tamen dicere poſſumus, tantundem augeri honeſtatem penes fontes eius explicatos, modúmve quo operans in eos fertur, quantum fontes illi auctiores fiunt. & modus operandi iuxta Prudentiæ regulas eſt vegetior. Nam vt ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita magis ad magis. Et ita rectè cenſuit Almainus tract. 1. Moral c. 13. impugnans Munachum, quem propoſita dubitatione penes quid attendatur maior in vno actu bonitas, refert ſtatuiſſe, attendendam eſſe penes hoc quod acceptetur de facto ad maius præmium æternum vel temporale. Quod Almainus rectè reiicit ex eo quòd quamuis Deus de facto non acceptaret actus ad vllum præmium, poſſet tamen vnus actus eſſe altero melior. Adde quòd ratio cur actus acceptetur de facto ad maius præmium, eſt bonitas maior ipſius actus. Itaque rectè conſtituit Almainus, quòd actus ſit melior, attendendum eſſe penes meliora honeſtatis principia in illo actu, ac præſertim penes obiectum & finem eius.

ARTICVLVS III.

Dimanatio honeſtatis formalis ex conſtitutis eius fontibus.

APeruimus fontes honeſtatis formalis, ſequitur vt illam inde educamus: quod conſtat fieri interuentu actionis in obiectum honeſtum cadentis, cum iis circunſtantiis de quibus antè diſputatum eſt. Nunc igitur exponenda veniunt, quæ ſpectant ad honeſtatis eductionem ex prædictis fontibus per cauſas actionis faciendam. Quò pertinet diſcuſſio receptæ apud aliquos ſententiæ de Deo autore gratiæ, & præ-

determina

determinatore ad has actiones cauſandas requiſito. Itemque explicatio principij liberi, à quo actio proximè prodit: ſiue explicatio cognitionis & volitionis, ad conciliandum actui honeſtatem requiſitæ. Per quam occaſionem conſummabimus expoſitionem conditionum actus honeſti, aſſignatarum à Philoſopho 2. Eth c. 4.

ASSERTIO.

SECLVSO quocunque Dei gratiæ autoris & prædeterminantis concurſu, actus in obiectum honeſtum cum circunſtantiis debitis cadens, honeſtus eſt, dummodò & aliqua honeſtatis notitia voluntati præluceat, & aliqua obiecti ac circunſtantiarum non volitarum per modum actus, directa appetitio interueniat. Eóque ipſo, honeſtas ſcienti ac volenti, propter ipſam, immobiliter obuerſabitur.

PRIMÒ nego ad honeſtatem formalem ex fontibus propoſitis deriuandam & imprimendum actioni, exigi interuentum Dei prout gratiæ autoris vel prædeterminantis. Quod eſt contra duas ſententias alibi plenè diſcuſſas, nunc autem obiter tantùm expendendas, quantum ſatis eſt ad hoc inſtitutum. Prima contendit gratiam Chriſtianam actualem, eſſe neceſſariam ad quoduis bonum opus morale ordinis naturæ exercendum, atque adeò vult Deum gratiæ autorem ad hæc opera interuenire. Secunda docet diuinam prædeterminationem, ſiue prædefinitionem antecedenter mouentem, eſſe neceſſariam ad idem operum moraliter bonorum exercitium, quòd ita poſtulet perfecta de eis prouidentia Deo adſcribenda. Vtranque ſententiam ſeorſim, ſed breuiſſimè excutio, ne fines noſtros tranſgrediar.

Actum non niſi philoſophicè honeſtum, eſſe indebitæ opis indigum, qui cenſuerint.

176 Fuit ergo quorundam ſententia, actum quemcunque moraliter bonum in hoc naturæ lapſæ ſtatu; ac etiam (vt fundamento huius ſententiæ patebit,) in ſtatu puræ & integræ naturæ, non poſſe ab homine effici abſque auxilio gratiæ omnimodis indebito. Non quidem quòd entitatiue, & vt loquuntur, ſecundùm ſubſtantiam, ſupernaturale ſit; (hoc enim auxilium eſſet ſuperioris ordinis & improportionatum actui naturalis ordinis, de quo agimus;) ſed quòd ita ſit ordinis & entitatis naturalis, vt tamen ſit omnimodis indebitum; atque adeò gratia. In quo ſenſu gratiam ad omne morale opus bonum exigunt Gregorius in 2. d. 28. q. 1. art. 1. concl. 1. & 3. & ibid. Capreol. concl. 2. & Maior q. 1. concl. 2. & 3. Cathar. diſcept. 4. contra Sotum, Vaſq. 1. 2. d. 190. c. 12. Torres opuſc. 1. de grat. diſp. 17. Quinimò eſt qui ſcribat, Senecam epiſt. 74: & Tullium 2. de natura Deorum, hanc diuinæ gratiæ ad quodvis morale bonum neceſſitatem agnouiſſe, & multò meliùs Pelagianis ſapuiſſe, qui humanis viribus ad bonum contenti erant. Legiſis Granatenſem l. 1, in ſymb. c. 36. Ex Homero, Menandro, Simonide, Euripide, idem confirmat Theophilus l. 1. ad Autolycum Tullium in hanc rem allegat quoque Auguſtinus 22. Ciuit. c. 21. *in fine*. Eandem fuiſſe Platonis mentem tradit Barlaam Gyracenſis parte 1. Eth. ſecundùm Stoicos, c. 34.

Sed non omnes eodem modo exponunt gratiam illam ad omne bonum opus naturale in hoc ſtatu requiſitam. Nam Gregorius, Capreolus, & Maior, prout illos interpretantur Suares 1. de gratia, c. 9. n 1. & Maſcar. diſp. 1. de aux. parte 1. à n. 7. nomine illius gratiæ intelligunt impulſum quendam à Deo voluntati paſſiuè, tantùm ſe habenti impreſſum, à quo volunt per ſe effici phyſicè actum honeſtum. Ita hi Doctores intelligunt Gregorium & Capreolum. Qui tamen, vt verum fatear, quamuis interdum incommodiùs loquantur, reipſà tamen tantùm intendunt aſtruere neceſſitatem auxilij alicuius per voluntatem eluctabilis. Vaſques verò nomine gratiæ ad omne opus moraliter bonum neceſſariæ, intellexit cogitationem congruam, quæ licèt phyſicè non ſit aliquid excellentius beneficiis illis quæ merè naturaliter obtingere poſſunt, nec phyſicè coëfficiat actum bonum, nihilque præſtet, quod naturales vires actiuas voluntatis ſuperet: Tamen ſpectata opportunitate, in qua confertur, & in ratione beneficij facientis facere, ſiue prout pollet congruitate, eſt verum donum gratiæ ſecundùm modum ſupernaturalis & indebitæ. Quod ſatis conſequenter extendendum videtur ad vitalem ſuauitatem ſe tenentem ex parte voluntatis: hoc eſt, ad illam boni prægustationem quæ conſiſtit in ſimplici affectu non libero, ad omnes actus amoris liberi præcurrente. Nam hæc quoque ſuauitas, non minùs quàm cogitatio congrua, eſt neceſſaria ad eliciendum naturale opus bonũ. Si igitur eſt naturæ lapſæ prorſus indebita, vt aſſerendum videtur eodem iure quo id de cogitatione congrua illi præcurrente affirmatur, fatendum erit eam ſpectare ad gratiam. Vnde concluderur huius ſententiæ intentum, nempe quòd natura lapſa, ſit per ſeipſam prorſus ſterilis in genere boni; etiamſi abſint tentationum procellæ, nec agatur de difficillimo aliquo illius ordinis actu, ſed abſolutè & per ſe ſpectetur actus quicunque moralis.

Contraria ſententia approbatur.

177 Neutra harum ſententiarum admittenda eſt. Et prima quidem, vt Sotus 1. de natura & gratia, c. 2. 1. rectè dixit, videtur proſternere humanam naturam, eámque non modò collapſam, ſed prorſus contritam affirmare. Eandémque abſque ambiguitate vlla reiiciendam decernit Gerſo lectio 1. de vita ſpiritu. Eo quod iuxta eam, homo miſerabilior eſſet omnibus animantibus, quandoquidem non poſſet abſque auxilio indebito erumpere in actiones naturæ ſuæ conſentaneas, quod bruta poſſunt cum ſolo concurſu & auxilio generali. Aio igitur in primis, gratiam neceſſariam non eſſe ad aliquem naturalem actum moraliter bonum, indefinitè & per ſe loquendo, ſiue abſtrahendo à quibuſdam actibus in eo genere perfectiſſimis; & à tota bonorum actuum collectione & continuatione, itémq; ab aduentitiis retrahentium à bono auocamentorum difficultatibus, de quibus omnibus ſunt ſpeciales controuerſiæ ab hoc inſtituto extraneæ. Nunc autem de vno ſimplici actu moraliter bono ad eum quem dixi, modum ſpectato, lis nobis eſt cùm aduerſariis, quos magno teſtimoniorum & rationum apparatu impugnant & expugnant Soto ſuprà c. 20. & 21. Molina q. 14. concordiæ, art. 13. diſp. 5. Bellarmin. 5. de grat. & libero arb. à c. 9. Val. 1. 2. d 8. q. 1. p. 1. & pari eruditione ac prolixitate Suarez lib. 1. de prædeſt. à c. 9. ad 18. & l. 1. de gr. à c. 8. ad 23.

Mihi breuiter ſufficit vrgere illam huius veritatis rationem, quæ ducitur ex intrinſeca naturali facultate naturæ humanæ, etiamſi lapſæ. Quamuis enim humana natura per peccatum ſauciata fuerit & ſpoliata

ſuperna

ſupernaturalibus bonis, quibus roborabatur, cùm integra erat; tamen natiuum eius robur, non fuit per peccatum imminutum, vel ita attritum, vt nullo motus vltrà queat elicere actus ſibi naturaliter proportionatos, quales certè ſunt actus boni ordinis naturæ, cùm ſint de obiecto cum materiali, tum formali, proportionato viribus naturalibus, ſufficientérque regulentur per nudum naturale dictamen & notitiam naturaliter parabilem. Sanè niſi ita eſſet; admittere: conſequenter oporteret, actus moraliter bonos non poſſe cadere ſub præceptum homini cónaturale. Non enim poteſt naturæ præcipi, quod eſt ſupra naturales eius vires. At hominem ad tales aliquos actus naturali præcepto aſtringi, extra controuerſiam eſt. Neque verò vllus ſemper & vbique adeſt obex extrinſecus tam validus, vt facultas ex ſe alioqui vegeta, ſemper præpediatur. Imò plerunque actus bonus, cuius exercitium decernitur, non repugnat inclinationi appetitus ſenſitiui, ex cuius ſolius reniſu difficultatem exercitium illud interturbantem exoriri oporteret.

Rationes contrariæ, diſcuſſæ & reiectæ.

178. Poſſumus verò ſententiam quoque noſtram confirmare, refellendo placitum aduerſariorum, quos notabam idem reipſa ſentire, quod ad præſentem controuerſiam attinet, quamuis verbis & nonnullis aliò attinentibus diſſideant. Sæpiſſimè igitur contingit, cogitationem naturalem congruam inducentem ad actum honeſtum, excitari per verba humano & ordinario modo prolata, aut per occurſum obiecti viſibilis factum opportuno tempore; & à Deo quidem præuiſum, non tamen ex ſpeciali & extraordinaria prouidentia prouiſum, ſed cum generali duntaxat prouidentia & communi rerum curſu exortum. Suppoſita autem obiectorum illorum applicatione per ordinarium cauſarum ſecundarum curſum facta, contingit ſponte naturæ, & abſque extraordinario vllo Dei influxu, excudi cogitationem, ad honeſtum opus plerunque cum effectu inducentem. Nihil enim aſſignari in ea cogitatione poteſt, quod extraordinarium Dei influxum poſtulet, ſiue intrinſeca eius principia ſpectemus, nempe materiam & motiuum; ſiue extrinſecum finem, qui naturalis eſſe ſupponitur; ſiue quoſcunque illius modos, vt claritatem, intenſionem, extenſionem, & ſi qui ſunt alij: Igitur ea cogitatio, etiam cùm effectum ſortitur, non concipitur per gratiam, ſed ex naturæ fœcunditate: ac proinde opus ex ea factum, non eſt ex gratia propriè dicta, ſeu diſtincta à dono creationis, prouidentiæ donum illud conſequentis.

Admitto quidem, eam cogitationem cùm eſt prima, aduenire de foris. Admitto præterea, cogitationem quamcunque congruam, & ad bonum cum effectu inducentem, non fieri ſine prouidentia Numinis, cauſas illius præparante, & præſciente quando & vbi excitatura reipſa ſit voluntatem. Admitto denique, ob has cauſas eam cogitationem eſſe peculiare Dei beneficium. Nego tamen hoc beneficium tranſcendere ordinem prouidentiæ naturalis, aut poſſe propriè vocari gratiam, cùm non ſit gratia niſi philoſophica, qualem non eſt inficiatus Pelagius, gratiæ Chriſt quæ eſt ſimpliciter dicta gratia, iuratus hoſtis.

179. Neque verò vt aduerſarij falsò affirmant; modus prouidentiæ, ex quo hæc cogitatio exurgit, eſt omninò naturæ indebitus, ipſáve cogitatio ſupra naturæ exigentiam omninò cenſeri poteſt: quinimò debita eſt, ſaltem naturæ communiter ſpectatæ, quatenus ſuppoſita prima inſtitutione cauſarum & curſus rerum, non poteſt huiuſmodi cogitatio plerunque non obuenire, niſi extraordinariè impediatur. Cuius enim naturæ ſpecificæ, & per eam alicui ſaltem indiuiduo ex contentis intra illam debetur talis prouidentia, ſecundùm quam interdum exequatur actiones ſibi conſentaneas, cuiuſmodi ſunt reſpectu hominis, operationes honeſtæ. Omninò enim talis prouidentia exigitur, vt ratio gubernationis vniuerſalis ſapienter ac debitè procedat. Et ita ſanè cernitur in quibuſvis aliis naturis, tametſi impedibilibus & defectibilibus ab actione illis connaturali. Quorſum ergo naturam humanam deterioris conditionis fingemus, negantes tale ei beneficium deberi vi ſuæ creationis; Nec refert quòd huiuſmodi beneficium non conferatur omnibus indiuiduis. Non enim idcircò habet rationem gratiæ in iis quibus obtingit. Nam neque acumen ingenij, vel temperies apta ad vitam diuturnam, datur omnibus ex vi ordinis cauſarum: & tamen nemo dixerit ea beneficia eſſe Chriſtianæ gratiæ dona. Denique quòd inſtitutus ſit talis curſus cauſarum potiùs quàm alius, non pertinet ad gratiam Chriſtianam, ſed ad beneficium creationis, vt patet ex eo quòd etiam bruta ſunt capacia talis generis beneficiorum. Aliqua tamen ex eis, non omnia, naſcuntur integra & non mutila, idque habent vi concurſus exhibiti in tali ordine vniuerſi, & in tali curſu cauſarum materialium & efficientium, quem Deus poterat non inſtituere: vnde quòd eum inſtituerit, beneficium eſt, ſed merè naturale, & clauſum in dono creationis, non autem gratiæ propriè dictæ, cuius ſola natura intellectualis eſt capax, vt docet D. Auguſtinus 4. contra Iulian. c. 3.

Concludo itaque cum D. Auguſtino l. de ſpiritu & litera, c. 28. *Non vſque adeò in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita eſt, vt nulla in ea veluti lineamenta extrema remanſerint. Vnde meritò dici poſſit, etiam in ipſa impietate vita ſua facere aliqua legis, vel ſapere.* Facere inquam per vires ſibi ſuperſtites etiam poſt lapſum. Quid verò poſſit homo in eodem ſtatu per ſuas naturales vires, quoad aliquos actus moraliter bonos operoſiores & eminentioris honeſtatis; cùm per ſe loquendo, tum etiam ingruente valido in contrarium mentis æſtu, atque procella difficulta tum; itémque quoad collectionem omnium actuum moraliter bonorum, & firmitatem in eorumdem exercitatione, non videtur operæpretium hìc inquirere, cùm ægrè poſſit quicquam circa illa capita ſolidè ſtatui, quin multa admiſceantur fines iſtos excedentia. Quare ſatis fuerit hoc loco ſtatuiſſe indefinitè, opus moraliter honeſtum naturæ ordinem non ſuperans, poſſe ab homine in hoc ſtatu exerceri per vires merè naturales nullis diuinis ſuppetiis naturæ prorſus indebitis interuenientibus. Quod non inficiantur illi Patres qui interdum referunt omne bonum noſtrum in Deum gratiæ autorem: agunt enim de bono Chriſtiano, & ſpectantes ad æternæ gloriæ conſecutionem, vt D. Auguſtinus disertè admonet 4. in Iulian. c. 3. & Fulg. l. de Incarnat c. 21. paſsimque idem inſinuant alij.

Ad eundem actum non niſi philoſophicè honeſtum exigi diuinam prædeterminationem, falſa quorundam ſententia.

180. Altera ſententia quam reiiciendam dixi, contendit Deum ad actus ordinis naturæ moraliter bonos interuenire, præfiniendo ac efficaciter decernendo eoſdem actus. Et ita quidem vt præfinitio non ſit Deo merè immanens, ſed tranſeat in præfinitionem antecedenter mouentem, vi cuius voluntas humana inconſulto nutu ipſius, & ante quamcunque eius determinationem præuiſam, phyſicè & ineluctabiliter applicetur ad operandum. Quod ea verborum am-

pulloſitate aſſeueratum eſt à Zumele, vt qui hominis thraſoniſmorum rudis ſit, exiſtimare poſſit contrariam ſententiam tanto impetu, tantiſque cenſurarum aſperrimarum ſecuribus ab eo appetitam, proſcribendam eſſe tanquam virulentiſſimam.

Hæc damnandi prurigo, quantam hoc loco aut iudicij inopiam aut affectus corruptelam adiunctam habeat, apparet ex illis quæ tradit Suares l. 1. de aux. c. 6. fusè & ſolidè confirmans, diuinam prædeterminationem phyſicam, ſiue prædefinitionem mouentem, non eſſe neceſſariam vt actus naturales moraliter boni eliciantur, ſiue ſpectata eorum naturali bonitate, quæ reuera nihil tale exigit, & vltrà concurſum generalem aliquámque excitationem & ſuauitatem ordini naturæ conſentaneam, nihil depoſcit: ſiue ſpectata generali ſubordinatione voluntatis. creatæ ad primam cauſam: Ad quod ſecundum caput pertinent rationes omnes, quibus aduerſarij confirmant neceſſitatem prædeterminationis phyſicæ ad actus bonos moraliter. Argumentantur enim tantùm ex generali prouidentia & cauſalitate Dei, quæ tamen cùm ad omnes omninò actiones noſtras entitatiuè ſumptas peruadat æquè locum habet circa materiale actuum moraliter turpium, ac circa entitatem actuum bonorum. Vnde ſi ad perfectam prouidentiam de actibus ordinis naturæ moraliter bonis exigeretur prædeterminatio, æquè exigeretur ad actus moraliter turpes, quod etiam aduerſarius meritò exhorret: Eſt enim planè alienum à diuina bonitate. Abſolutè autem ad perfectam de humanis actibus moraliter honeſtis prouidentiam, non exigi prædefinitionem diuinam mouentem eiúſve effectum, hoc eſt phyſicam prædeterminationem, demonſtratum latè eſt in naturali Theogia d. 8. à n. 195. vbi etiam expenſum eſt, an non ferrea hæc & Ineluctabilis præmotio antecedenter iniecta, vocet libertatem humanam in apertum diſcrimē: cùm non poſſit ab humano intellectu ſatis perſpici, quomodò libertas, quæ ſita eſt in dominio voluntatis in actum ſuum, conſiſtere queat cum ea ſubiectione quam infert prædeterminatio, veluti captiuans & antecedenter determinans voluntatem, vt in hanc non etiam in oppoſitam partem feratur, quò tamen ferri poſſet pro libito & tantùm quia placet, ſi libera maneret.

181. Non placet in hanc ſententiam excurrere pluribus; quòd & loco allegato, & ſuprà tractando libertatem humanam, plurima ad hoc negotium ſpectantia adducta ſunt & plura proſtent apud recentes Theologos, qui auxilia prædeterminantia & ineluctabilia, ne ad actus quidem ſupernaturales admittunt: quamuis pro eis aliquæ in ſpeciem rationes pugnent, quæ nihil probant de actibus honeſtis ordinis naturalis, quorum duntaxat conſiderationi & productioni nunc inſiſtimus.

Eodem autem conſilio, quo in hac controuerſia parcus fui, cenſeo prorſus omittendam reprobam ſententiam priſcorum quorundam Scolaſticorum, quos refert Almainus tract. 2. mor. cap. 15. nempe Eliphat & Bradardini, affirmantium, actum non poſſe eſſe moraliter bonum ſine gratia ſanctificãte, & quicquid extra gratiæ illius ſtatum fit eſſe peccatum. Quæ opinio in Conciliis ſæpè confoſſa, non eſt quòd hic conuellatur. Legendi qui in ea reprobanda fuſi ſunt, Suares lib. 1. de gratia c. 4. & Val. 2. d. 2. q. 10. p. 2. Sanè Tridentinum ſeſſ. 6. can. 7. ferit anathemate eos qui dixerint, actionem quancunque hominis ante iuſtificationem, eſſe peccatum.

Tranſitum ad requiſita in operante ad honeſtatis eductionem.

His ita deliberatis, progrediamur ad res huic inſtituto aptiores. Et quandoquidem oſtenſum eſt, diuinam manum non exigi hoc loco robuſtiorem quàm ad actus indifferentes: nullius autem cauſæ creatæ interuentus præterquam propriæ libertatis, ad hanc moralium actuum honeſtorum productionem deſiderari iure poteſt, concludamus cum Antonino l. 7. num. 43. *Intrò reſpice, intus eſt fons boni ſemper ſcaturiens, ſi quidem ſemper fodias.* Hereamus inquam in libertate operantis, cuius exercitio honeſtas formalis è fontibus articulo ſuperiore propoſitis educenda eſt. Et quia ad libertatis vſum & volitio & ei prælucens notitia exigitur, explicandum erit quæ honeſti cognitio & appetitio, in præſenti negotio ſit neceſſaria.

182. Secundò expoſui quomodo principium internum actionis moraliter honeſtæ ſe habeat ad eam cauſandam. Quo ſpectare dicebam expoſitionem notitiæ & appetitionis obiecti honeſti, & vniuerſarum obiecti & actionis circunſtantiarum. Seorſim autem de duobus illis honeſtatis fontibus dicendum eſt, quòd non ſit vtriuſque eadem ratio in hoc negotio.

Cuiuſmodi notitia obiecti & circunſtantiarum, exigatur in operante.

Notitiam ergo obiecti ſimpliciter dicti, quam neceſſe eſt prælucere cauſationi honeſtatis, nihil eſt neceſſe eſſe formaliter & explicitè obiecti tanquam moraliter boni & honeſti. vel etiam vt honore & laude digni, vel denique vt conſentanei rationi ac legi. Quamuis enim vt plurimum aliqua talis notitia præcurrat ad appetitionem moraliter bonam; tamen non eſt neceſſe eam ſemper interuenire; vt rectè notarunt Azor t. 1. 1. 1. l. 2 c. 4. q. 5. & Salas 1. 2. tractat. 7 d. 2. n. 8. & 59. & 101. Et ſanè alioqui honeſtas innumerorum operum laude digniſſimorum euaneſcere, cùm frequentiſſimè homines non cogitent explicitè de conformitate obiecti cum ratione aut lege, nec in actu ſignato deprehendant, actiones quas eliciunt morali honeſtate conueſtiti. Satis igitur erit, ſi honeſtas in actu exercito & implicitè obiiciatur, cùm proximum & proprium eius fundamentum intellectui obuerſatur. Quod fiet, ſi agnoſcatur in obiecto conuenientia aliqua ad nos vel alios, nulla apparente prohibitione per legem aut rationem rectam interpoſita. Eo ipſo enim obiectum proponitur in actu exercito, vt honeſtum fundamentaliter. Itaque non benè aliqui, quos refert Azor ſuprà, poſtulant interuenire reflexionem ſupra iudicium prudentiale dictans operationem. Quamuis enim ea reflexio, qua honeſtas in actu ſignato percipitur, plerunque interueniat, tamen frequenter quoque non interuenit, & nunquam eſt neceſſaria: quia reflexio ſupra actum prouidentiæ, non eſt regula operis, ſed aliquid regulæ eius ſuperueniens & impertinens ad actus honeſti principiationem. Video poſſe vrgeri paritatem ſcientiæ. Scientia enim, vt ſit completè & perfectè ſcientia, importat notitiam reflexam, qua attingitur perfectio notitiæ directæ. Sed inficianda eſt paritas. Nam quicquid ſit de ſcientia, conſtat, iudicium prudentiale poſſe eſſe duntaxat probabile, atque adeò non requirere

eam

eam firmitatem intellectus, quam aſſenſus reflexus directo ſuperueniens conferre ſolet.

183. Iam verò an & quomodo circunſtantiæ cognoſcendæ ſint, vt ab eis bonitas moralis humano actui adueniat, exponendum eſt adhibita diſtinctione. Quędam enim circunſtantiæ tenent ſe ex parte obiecti, vt quantitas, effectus, ac ſimiles: aliæ verò tenent ſe ex parte operantis, & actus provt ab eo eliciti, vt qualitas perſonæ, & varij operationis modi, putà intenſio, celeritas, aliæque huiuſmodi. Priores circunſtantias neceſſarium eſt ſpecialiter cognoſci, quia non ſunt aliquid ipſius actus: vnde non poſſunt eſſe volitæ per modum actus, ſed debent eſſe volitæ per modum obiecti. Cùm autem non poſſint eſſe volitæ per meram nudi obiecti volitionem, neceſſe eſt, eas eſſe etiam ſpecialiter cognitas, eodem proportionaliter modo, quo obiectum, ſiue provt ſunt fundamentaliter & in actu exercito honeſtæ in ſuo genere. At aliæ circunſtantiæ, quæ ſcilicet tenent ſe ex parte operantis vel actionis, interdum cognoſci ſpecialiter debent, interdum non debent. Nam circunſtantia perſonæ, cum non ſit intrinſeca actui, nec per ſe ſpectet ad modum humanum operandi, non eſt voluntaria per modum actus. Ergo debet eſſe voluntaria per modum obiecti. Nihil enim ad actus honeſtatem confert, quin ſi aliquo tandem modo voluntarium. Atqui quod eſt voluntarium per modum obiecti, debet eſſe cognitum, vt per ſe patet. Ergo neceſſe eſt, circunſtantiam perſonæ cognoſci ſpecialiter, vt poſſit ad honeſtatem formalem actui imprimendam conducere. Modum autem cognitionis eum eſſe oportebit, qui circa obiectum & circunſtantias obiectiuas explicatus eſt.

Fateor tamen, aliud eſſe de valore morali ſuperaddito rectitudini operis, ob dignitatem perſonæ. Nam huiuſmodi valor creſcit ex hoc capite, vt eſt multorum ſententia admodum probabilis. Et ita quoad honeſtatem ſupernaturalem traditur à Valentia 1. 2. d. 8. q. 6. p 3. *ſub finem*, Albertino 1. princip. coroll. 8. num 50. Suare t. 1. 3. part. diſp. 4. ſ. 4. & lib. 12. de grat. cap. 22. n. . & vt videtur à D. Thoma in 2. d. 29 q. 1 art. 4. refragrantibus licet Angeſto, cap 8. moral. t. 4 & Vaſque 1. p. t. 1. d. 6. num. 22. & 23. Poſita igitur ſimili opinione circa dignitatem & valorem actionis naturaliter honeſtæ fateor nihil eſſe neceſſe, fontem eius, ſiue perſonæ conditionem, & vt paſſim vocamus, *qualitatem* innoteſcere ipſi operanti. Alioqui iuſtus, qui neſcit odiòne an amore dignus ſit, non redderet actum ſuum digniorem & acceptiorem, quo ipſe eſſet ſanctior; quod tamen ea ſententia ſupponitur. Sed nimirum valor ille, vt ſuprà tractatum eſt, longè differt ab honeſtate. Hæc enim conſtituit hominem formaliter rectum actualiter, ad quod exigitur voluntarium & cognitio. Valor autem eſt fructus rectitudinis habitualis præſuppoſitæ. Propterea enim ſuppoſita perſonæ conditione, illicò reſultat valor, adueniente actu honeſto.

184. Reliquæ circunſtantiæ huius ordinis, vt intenſio actus, & alij veluti modi actionis, conferunt actui honeſtatem, etiamſi non cognoſcantur. Et ratio eſt perſpicua. Sunt enim voluntarij per modum actus, atque adeò ſecluſa reflexione quacunque intellectus ſupra actum ſuum, tantùmque poſita conſideratione obiecti boni, voluntas poteſt operari benè: quia per volitionem obiecti li[illegible]ram, omnes modi actionis cenſentur voliti: quod non poterat ſimiliter dici de circunſtantiis habentibus rationem obiecti, nec voluntatis per modum actus.

Porrò quod conſtitutum eſt de honeſtate ſimpliciter, æquè ſtatuendum eſt de eius incremento. Id eſt, ſicut ad hoc vt actus ſit abſolutè bonus, non eſt neceſſe menſuram illam intenſionis, quam gratis definire poſſumus tanquam actui ſubſtantialem, eſſe reflexè cognitam & volitam; ſed ſatis eſt eam eſſe volitam per modum actus, ad quod nulla ſupra ipſum actum reflexio eiúſve volitio exigitur, cùm ſufficiat volitio ipſius obiecti: ita idem dicendum eſt de augmento honeſtatis ex huiuſmodi circunſtantiis ducibili. Nam provt tulerit impetus voluntatis, qui modò languior eſt, modò vegetior, perſpicuum eſt intentionem actus eſſe nunc auctiorem, nunc exiliorem, vnde varietas in bonitate actus. Nam ſi bonum eſt ferri certa aliqua intenſione in obiectum bonum, erit per ſe loquendo melius ferri in illud intenſius, paſſiſque intellectus & voluntatis velis. Huiuſmodi ergo incrementum, nihil eſt neceſſe innoteſcere operanti, per notitiam reflexam ſupra actum ſuum, diſtinctam à notitia obiecti.

Cuiuſmodi eſſe debeat, obiecti & circunſtantiarum appetitio.

Venio ad appetitionem; de qua vniuersè præmittendum eſt, eam vniformem eſſe quoad omnes illos honeſtatis fontes, quos diximus debere præcognoſci: nimirum quoad obiectum, & circunſtantias ex parte eius ſe tenentes, nec ſpectantes ad modum operandi. Nam quoad eas quæ ſunt veluti modi operationis, ceſſat hæc dubitatio. Sicut enim non eſt neceſſe vt cognoſcantur, ita neque vt appetantur. At quoad obiectum illáſque circunſtantias, quas admiſimus debere præcognoſci, liquet ex ſuprà diſputatis, nihil eſſe neceſſe, vt appetantur propter ſe, vt aliqui malè inferebant ex eo quòd Ariſtoteles ait operantem honeſtè, debere agere propter ipſam honeſtatem, quod nos ſufficienter exponi diximus de appetitione non ordinata ad finem vlteriorem vitioſum. Recolantur quæ dicta ſunt circa honeſtatem ſecundariam ducibilem ex medio honeſto, quod vtique non eſt propter ſe volitum.

185. Addo hoc loco & obiectum & circunſtantias, quas neceſſe eſt cognoſci & appeti, debere appeti directè, nec ſufficere appetitionem eorum indirectam. Hoc quantum ad obiectum attinet, à nemine negatur. Alioqui poſſet quis nihil omninò operando honeſte ſe habere; tantùm quia cognoſcit honeſtatem obiecti, quod per ſe patet abhorrere à prudenti æſtimatione atque iudicio. Quod verò ſpectat ad circunſtantias obiecto directè volito adiunctas, non defuerunt recentiores (vt tacito nomine refert Salas 1 2, tract. 7. d. 2. n. 97. quibus viſum eſt, tendentiæ poſitiuæ atque directæ actus in obiectum, poſſe accedere honeſtatem accidentariam ex notitia circunſtantiæ indirectè tantùm volitæ, hoc eſt, vel volitæ tantùm in ſua cauſa, vel volitæ quia cognoſcitur adiuncta obiecto, quod directè appetitur, etiamſi ipſa non appetatur, ſed voluntas omninò feriatur circa eam.

Verùm modus ille voluntarij indirecti, quo effectus eſt volitus in cauſa volita, non poteſt habere locum extra circunſtantiam effectus, vt per ſe patet ex vocum notione. In ea autem circunſtantia, negandum eſt tale voluntarium ſufficere ad educendam inde honeſtatem, & actui circa eam verſanti conciliandam. Idque intelligo, etiamſi effectus ille præcognoſcatur ſecuturus ex cauſa volita. Ratio

cur negem ſufficere vt circunſtantia effectus præcognita, ſit tantùm indirectè volita ratione cauſæ directè volitæ, eſſe poteſt, quia alioqui quoties quis vellet obiectum ad quod prænoſceret ſequi poſſe. vel reipſa ſecuturum effectum bonum quantvis vellet tale obiectum ex motiuo ſolius delectabilitatis aliòve prorſus indifferenti, dicendus eſſet honeſtè agere, & informare actum ſuum honeſtate effectus boni. qui conſecuturus præuidetur, etiamſi voluntas in illud nullo modo tendat, ſed ſollcita ſit de ſola delectabilitate. At hoc nemo non videt vacare honeſtate, ſi res iudicio prudentis æſtimetur. Vt minimum ergo requiritur, vt fons honeſtatis ſit in ſe volitus, alitérque terminet affectum, quàm res quæ adeò paruipenditur, vt voluntas eam ne proſecutione quidem deſignetur.

166. Maior difficultas eſſe videtur, de altero modo voluntarij indirecti qui conſiſtit in actus omiſſione circa circunſtantiam, quamuis exerceatur actus aliquis circa obiectum, cui circunſtantia adiungitur. Et quanquam hac in parte aduerſarij aliter de obiecto, aliter de circunſtantiis philoſophantur, tamen attendendo ad argumenta, quæ adducunt pro ſufficientia voluntarij huius indirecti circa circunſtantias, idem planè videretur dici poſſe de ſufficientia eius circa obiectum, déque omnimoda actus præuiſi excluſione. Ferè enim tantùm vrgent paritatem honeſtatis & malitiæ, & quòd malitia poſſet eſſe indirectè tantùm volita; id quod æquè valet de malitia ducta ex obiecto, ac de malitia ducta ex circunſtantiis tantùm præuiſis.

Nihilominùs negandum eſt, hoc voluntarium ſufficere circa circunſtantias, ſicut oſtenſum eſt non ſufficere circa obiectum. Ratio eſt, quia ſecundùm prudentem æſtimationem, circunſtantia quæ non eſt volita per modum actus, niſi ſit volita per modum obiecti, habetur pro neglecta. Hoc autem non poteſt ſufficere ad conciliandam honeſtatem actui verſanti circa obiectum adiunctum, etiamſi poſſit ſufficere ad conciliandam turpitudinem. Et diſcrimen non eſt obſcurum. Nam cùm iubemur operandi, & feramur, non ignorantes obligationem operandi qua aſtringimur, neglectus operationis eſt contra præceptum, atque adeò malus. At neglectus obiecti honeſti, vel circunſtantiæ honeſtæ illud conueſtientis, non cadit ſub præceptum vt per ſe liquet. Igitur quamuis ad conciliandam actui malitiam poſſit ſufficere cognitio obiecti vel circunſtantiæ, & obligatio circa ea operandi: tamen ad conciliandam actui honeſtatem non ſufficit præuiſio circunſtantiæ vel obiecti, ſi ſit in voluntate iuſtitium. Et idcircò pura mali omiſſio, eſt aliquid indifferens, vt diſertè tradit D. Thomas 2.2.q.79.art.1.ad 2.

167. Omninò igitur neceſſarium eſt, vt obiectum & circunſtantiæ non volitæ per modum actus, ſubiaceant appetitioni alicui directæ, quæ ad prædictos fontes honeſtatis in ſeipſis ſumptos terminetur. Non eſt tamen neceſſe, eam appetitionem eſſe ſemper formalem: ſed ex quo præceſſit formalis explicita, poteſt ſufficere virtualis, quæ ſit actualis ex motione volitionis explicitæ ante aliquod tempus præmiſſæ: cuiuſmodi eſt volitio illius; qui vitam ſemel initam continuat, non ita diſtinctè cogitans de vitæ termino quem ſibi præfixit, & attingere appetiuit, cùm primùm ſe itineri dedit. Hæc enim virtualis volitio, vt diſertè docet D. Thomas 3. contra Gent. c.18. *ratione* 3. ſufficit vt bonitas pergat refundi in actum continuatum, quia eſt ſemen actualis intentionis præuiæ; per quod differt à volitione interpretatiua, quæ nullo modo eſt, ſed eſſet, ſi veniret in mentem; itémque à volitione habituali, qua nihil importat niſi propenſionem volendi ratione habitus præimmiſſi, vel anteceſſionem actuum volendi non retractatorum, tametſi nullo modo perſtantium in ſe aut in aliquo ipſorum effectu. At in re noſtra, habetur vera & actualis volitio, tametſi non niſi implicita.

Conditiones ad honeſtum actum requiſita à Philoſopho, exponuntur.

His ita expoſitis, declaratum ſufficienter manet quid ſibi voluerit Ariſtoteles 2. Ethic. cap. 4. aſſignans diſcrimen inter rectam operationem artificioſam, & moralem, quòd opera *quæ ab artibus fiunt, id in ſeipſis habeant, quod benè effecta ſint: ſatis ſiquidem illud eſt, vt quomodo efficiantur. Quæ verò ſecundum virtutes fiunt, non ſi aliquo modo ipſa ſeſe habeant, continuò iuſtè & temperanter aguntur, ſed ſi etiam qui agit, aliquo modo affectus: primum quidem ſi ſciens: deinde ſi eligens, atque eligens propter ipſa: tertio ſi ſtabili atque immutabili affectu prāditus agat. Hæc verò ad alias artes conſequendas connumerari non ſolent, ſed ipſa ſola cognitio ſufficit: ad virtutes autem cognitio, parum vel nihil valet: reliqua non parùm: ſed multum ac totum conferunt: quippe quæ ex iis etiam comparentur, quòd ſæpe iuſta & temperantia agunt. Res igitur iuſtæ & temperantes dicuntur, cùm fuerint tales quales vir iuſtus vel temperans ageret. Iuſtus verò vir & temperans eſt, non qui hæc agit, ſed qui etiam ita agit, vt iuſti & temperantes ſolent.*

Hæc, inquam, quæ Philoſophus ad honeſtè operandum interuenire debere affirmat, perſpicua manent ex dictis. Oſtenſum enim eſt, quomodo qui honeſtè agit, debeat honeſtatis notitia inſtrui; quæ fuit prima conditio Ariſtotelica. Inſuper oſtenſum eſt, eum qui honeſtè operatur debere honeſtatem eligere, ſiue velle directè; quod fert ſecunda conditio ab Ariſtotele propoſita. De tertia, prout eam expoſuimus, non poteſt eſſe difficultas. Diximus enim, fontem honeſtatis debere appeti propter ipſum id eſt, non debere appeti propter finem extrinſecum vitioſum. Nam qui ita operatur, inquinat operationem ſuam ſordibus finis illius extrinſeci. Imò quamvis finis extrinſecus eſſet indifferens, operatio vacaret honeſtate, ac ne indifferens quidem eſſet, ſed turpis. Præpoſterum enim & turpe eſt, actionem ex ſe bonam, dirigere ad finem vanum & nullius momenti. Et idcircò ſcitè S. Ephrem. c. 5 v. *ex centum*, ait virtutem eſſe regali purpuræ ſimilem cui nihil attexi poteſt alienum, atque non bonum: ita vt qui idcircò probè agunt vt aliis placeant, excidant honeſtate. Præclarè ad rem præſentem S. Anſelmus in concor. c. 12. dialo. de lib. arbit. c. 1. tractans definitionem actus honeſti, & facultatis honeſtè operantis (ad eam enim arctatur ex Anſelmi mente definitio libertatis quam tradit, vt liquet ex argumento opuſculi de veritate, & ex l. concor. p. 3. c. 12. *initio*.) cum dixiſſet actum honeſtum eſſe amorem rectitudinis *propter ipſam rectitudinem*, hoc modo exponit has particulas definitionis libertatis. *Per hoc quod dictum eſt*, propter rectitudinem ipſam, *diſcernitur* libertas *a poteſtate ſeruandi rectitudinem voluntatis propter aliud, vt cum ſeruatur propter pecuniam, aut naturaliter. Seruat enim naturaliter canis rectitudinem voluntatis cum amat catulos ſuos, aut dominum ſuum ſibi benefacientem.* Hæc poſtrema verba deſignant modum operandi ex cognitione honeſti, ſine aduertendo præſcriptum noſtræ rationis, ex qua homo inter operandum dirigi debet, prælucere ſic operanti: qui agendi actus tam perſpicuè interuenit ad

honeſtam

honeſtam operationem, vt D. Anſelmus hanc actus honeſti conditionem exponens l. de verit. c. 12. cum dimittendum cenſuerit. Qui verò ita eam tertiam conditionem a Philoſopho propoſitam accipiunt, vt velint fontem quemcunque honeſtatis appeti propter ipſum, id eſt, alteri alteriori fini non ſubiacere, & idcircò negant ex materia alioqui bona & ex medio in ſe honeſto hauriri ſecundariam aliquam honeſtatem reiecti ſunt hac ipſa quæſtione, art. 2.

188. Reſtat vltima conditio ab Ariſtotele adhibita, vt ſcilicet qui honeſtè operatur, affectu ſtabili atq; immmutabili feratur in bonum. quod paſſim refertur ad exigentiam habitus, quaſi mens Philoſophi ſit, vt operatio ſit honeſta, exigi, vt proficiſcatur ab habitu. Verùm hic ſenſus eſt apertè falſus. Operationes enim quæ ex motiuo honeſto primùm eliciuntur, ſunt honeſtæ, neque tamen ſunt ex habitu. Præterquàm quòd habitus propriè non confert immmobilitatē & conſtantiam in agendo, ſed facilitatem. Si tamen quis mordicus contendat eam agendi immobilitatem ad habitum referri, dicendum eſt, eam non aſſignari à Philoſopho tanquam neceſſariam ad honeſtatem, ſed vt aliquam perfectionem extrinſecam & accidentariā operationis honeſtæ. Si enim operatio honeſta, eſt ex ſe perfecta, nonnihil adhuc perfectior erit, ſi ex habitu, atque adeò facilè & veluti prono affectu eliciatur.

Mihi verò veriſimilius videtur, immobilitatem illam affectus ad quam habitus ob imminutam operationis difficultatem non modicè confert, ab Ariſtotele hoc loco ita accipi, vt aliquatenus reuoluatur in tertiam conditionem. Senſus enim Philoſophi eſſe videtur, eum qui honeſtè agere velit, non debere pro occaſione tantùm honeſtè agere, veluti tempori ac ſcænæ ſeruientem: ita vt nunc quidem velit honeſtè agere, quia videt ita eſſe e re ſua; concipiat tamen actualem & præſentem voluntatem cùm res feret nec aderunt obſtacula malè agendi vel auocamenta quæ nunc adſunt, aliter ſe gerere, & genio deprauato indulgere. Qua ratione vitio verſum eſt Alcibiadi, quod in caſtris tuendæ militari diſciplinæ, modeſtam vitam ageret: cùm primùm tamen è caſtris exceſſiſſet, priſtinam mollitiem (cuius affectum pro neceſſitate tantiſper compreſſerat vel nonnihil potiùs diſtulerat;) eadem qua priùs vitæ licentiâ & honeſtatis profligatione repeteret. Hoc igitur honeſtatis tectorium, & ſimulatum honeſtatis amorem, ablegare videtur Ariſtoteles ea quarta conditione, quam vides ſic expoſitam recidere in tertiā, prout à nobis fuit declarata.

Quam eſſe veram originem ſtabilitatis & firmitatis in virtute, docet in hunc modum Nazianzenus orat. 27. *Quiſquis rei cuiuſpiam gratia virtuti ſtudet, is profectò nunquam firmas in radice virtutes agit, Simul enim atque res ea effluxerit, recti quoque ſtudium deponet. quemadmodum qui quæſtus cauſa nauigat, niſi lucrum præſto ſit, nauigare deſiſtet. At qui bonum ipſum propter ſe colit & amplectitur, quoniam rem fixam & ſtabilem amat, certam quoque & conſtantem erga illud animi alacritatem habet, adeò vt diuinum aliquid ſtatiens, his quoque Dei verbis vti poſſit;* Ego idem ſum, & non mutor. *Quamobrem nec ab animo ſuo migrabit, nec immutabitur atque à ſe deſciſcet, nec cum temporibus ac rebus collabetur, alias alios mores induens, ac nouos ſubinde colores aſſumens; non ſecùs ac polypi, petrarum ad quas acceſſerunt, colores referunt. Verùm idem ſemper ſuique ſimilis permanebit, fixus in rebus minimè fixis, immotus in incertis & fluctuantibus: non aliter, opinor, ac rupes quædam ventorum fluctuúmque impetu non modò non concutitur, ſed et in incurſantes vndas certa ſe frangit atque abſumit.*

ARTICVLVS IV.

Generalia exercenda, augendæ, ſeruandaque honeſtatis moralis incitamenta, & adiumenta. ECLOGÆ ETHICÆ, *ex Philoſophis & Patribus.*

189. QVandoquidem vniuerſa hæc tractatio practica eſt, & ad executionem dirigitur, operæ pretium videtur ſubiicere nonnulla, quibus voluntas ad honeſtatis moralis proſecutionem & applicationem cauſarum eius, de quibus hactenus diſputatum eſt, incendatur atque iuuetur. Et quanquam ſpecialis huiuſmodi incentiuorum & adiumentorum collectio, poſtmodum exhibenda ſit, virtutes ipſas in particulari exponendo; Tamen non erit inutile vniuerſali quorundam incentiuorum & adiumentorum ad omnem æquè virtutis honeſtatem deſeruientium propoſitione, illi particulari, & ad ſingulas virtutes accommodatæ tractationi proludere. Et quanquam de virtute iuxta communem illius vocis vſum nondum ago, tamen *Virtutis* appellationem in deſignanda hoc loco honeſtate morali, non refugiam, ne ambages periphraſeon conſectari cogar. Et verò nemo non videt honeſtatem formalem de qua hîc eſt ſermo, cum virtute actuali planè recurrere; dummodo ab ea actuali virtute ſecludatur ordo ad habitum facilitantem, & præcisè attendatur obiectiuæ honeſtatis attingentia, quam ſolam in virtute hic aliquando memoranda, ſpectatam volumus. Vt autem gratior ſit diſputatio, alienis ferè verbis eam contexam. decerptiſque qua Philoſophorum, qua Sanctorum Patrum floribus, ſertum conficiam, vnde honeſtatis bonus odor & ſuauitas cuique affletur.

Generalium ad honeſtatem moralem incentiuorum, panacea.

Non video autem commodiorem rationem componendi immenſam alioqui & confuſam molem, quàm ſi quod in ſupernaturali honeſtate & gratia animæ implantanda & augenda ac retinenda à Spiritu ſancto ſeruatur, partim luminum & radiorum intelligibilium affuſione, partim guſtuum & affectuum non liberorum voluntatem blandè ad aſſenſum liberum ſollicitantium immiſſione; nos quoque in morali honeſtate conemur æmulari, ita id expoſcente rei natura. Nempe vt quia voluntas intellectui ſubordinatur, eiúſque ductum ſequitur, illum in primis, potentibus aliquibus conſiderationibus in rem præſentem illuſtremus: tum ipſi voluntati calcar ſubdamus, eamque ſubminiſtratione idoneorum ſubſidiorum promoueamus ad honeſtatis amorem, & conſtantem erga eam affectum.

Potior hac moralitas, bonum honeſtiſſimum.

190. In priori capite, tria vulgaria boni genera, quæ in hoc potiore moralitatis membro omninò eminent, penſanda ſunt attentè ac diligenter. Eſt enim bonum honeſtiſſimum, imò ipſa honeſtatis forma: ita vt in eo genere boni, quod & præcipuum & homine digniſſimum eſſe liquet, nulli contingat cenſeri, niſi quantùm morali honeſtate imbutum vel aſperſum fuerit.

Ne verò in re perſpicua fruſtrà verba conſumam, obſeruari breuiter volo, bonum honeſtum, vniuersè quidem loquendo, & quatenus bono delectabili & vtili contrapoſitum in quibuſvis naturis ſenſu præditis, imò & in omni omninò natura reperiri. Id nanque quod ſecluſa quacunque habitudine ad aliud tanquam ad finem, indicatur conueniens in ſeipſo, ſaltem vt voluntas ſibi in eo complaceat; ſi conuenientia indicetur ex delectatione & vitali quaſi quiete, quam res illa apta eſt ingenerare, dicitur bonum delectabile: ſi verò ex quocunque alio capite, dicitur bonum honeſtum. Quod autem bonitatem habet tantùm ex habitudine ad alterum ex huiuſmodi finibus, dicitur bonum vtile. Ex quo apparet bonum honeſtum in vulgari illa tripartitá boni diuiſione, non reſtringi ad honeſtum morale, vel honorificum, quicquid velint Salas 1.2. tract.1.d 6.n.23. & Hurtad.d.7. Metaph. ſ.51. ſed ſumi in ordine ad naturam, quam per ſe perficit: ita vt quæcunque ſiue inhærentia, ſiue extrinſeca, quæ ſecluſa delectatione & vtilitate, poſſunt eſſe naturæ proportionata & conuenientia, honeſti nomine veniant, vt de vita dicitur 3. Polit. cap. 4. & rectè attigit Molina 1. p. q 5. diſp. vnica, §. *Diuiſio boni.*

Quamuis igitur bonum honeſtum vniuersè loquendo ita ſumatur: Tamen prout reſtrictum ad hominem quatenus hominem, & gradu illo exornatum, quo brutis antecellit, & ad Intelligentias ipſúmque Deum, quantùm rei corporeæ fas eſt, accedit, bonum honeſtum reſpectu voluntatis gradum illum conſequentis, nihil aliud eſt quam bonum per ſe decens, ſiue moraliter honeſtum. Huiuſmodi enim duntaxat bonum, eſt congruum cum natura quatenus rationali, appetitu illo ſuo, quem voluntatem appellamus, inſtructa. Atque ita cùm hoc bonum membro iſto moralitatis contineatur, (loquor intra terminos naturæ puræ,) omnis omninò aſcititia, & naturæ veluti fundo ſuperinducta honeſtas voluntatis, inde petenda eſt, nec aliud in voluntate bonum, aliáve vlla concinnitas aut decor, vel vlla denique perfectio aduentitia, excogitari poteſt quàm ex hoc moralitatis membro potiore. Ex hoc capite ſtudium virtutis, maximè celebrat Iamblicus l. de ſecta Pythagor. Præmiſſa enim congruitate, impendendi diuini in nobis homini, diligentiam & curam, ſubdit. *Honeſtum in ea re, adm dum niti. Subiicienda quippe eſt procul dubio diuino imperio, natura bellua, ſin minus, maxima turpitudo.*

Eſt verum hominis bonum.

191. Hinc crebræ illæ Philoſophorum ac Patrum exornationes virtutis, ex eo ductæ, quòd animam alioqui informem & rudi materiæ perſimilem, compleat & expoliat. In quam ſententiam multa luculenter diſputat Gulielmus Pariſ. l. de virtut. c. 5. 7 & 8. Socrates etiam in Protagora, vt notauit Clemens Alexand. 5. Strom. c. 6. hac ex cauſa, honeſtatem moralem, *animæ pulchritudinem* appellauit. Additque ibi Clemens, Antipatrum Stoicum, tribus libris ex Platonis ſententia demonſtraſſe, ſolum honeſtum. & quod ex virtute eſt, eſſe bonum, & ad beatitudinem ſufficere.

Id verò efficaciſſimè videtur conficere Seneca epiſt. 76. his verbis. *Pecunia veniet vltrò, honor offeretur gratia ac dignitas fortaſſe ingerentur tibi. Virtus in te non incidet, ne leui quidem opere, aut paruo labore: Sed eſt tanti laborare, omnia bona ſemel occupaturo. Vnum eſt enim bonum quod honeſtum. In illis nihil inuenies veri, nihil certi, quæcunque famæ placent. Quare hoc vnum ſit bonum quod honeſtum.* Et mox. *Omnia ſuo bono conſtant, vitem fertilitas commendat, ſapor vinum, velocitas ceruum. Quare fortia dorſo iumenta ſint, quæris? Quia eorum hic vnicus eſt vſus, ſarcinam ferre. In cane ſagacitas prima eſt, ſi inueſtigare debet feras; curſus, ſi conſequi; audacia, ſi mordere & inuadere. Id in quocunque optimum eſt, cui naſcitur, quo cenſetur. In homine optimum quid eſt? Ratio. Hac antecedit animalia, Deos ſequitur. Ratio ergo perfecta, proprium hominis bonum eſt, cætera illi cum animalibus ſatiſque communia ſunt. Valet? Et leones. Formoſus eſt? Et pauones. Velox eſt? Et equi. Non dico, in his omnibus vincitur. Non quæro quid in ſe maximum habeas, ſed quid ſuum. Corpus habet? Et arbores. Habet impetum & motum voluntarium? Et beſtiæ & vermes. Habet vocem? Sed quantò clariorem canes, acutiorem aquila, grauiorem tauri, dulciorem mobilioremque luſcinia? Quid in homine proprium? Ratio: hæc recta & conſummata fœlicitatem hominis impleuit. Ergo ſi omnis res cùm bonum ſuum perfecit, laudabilis eſt, & ad finem naturæ ſuæ peruenit; homini autem ſuum bonum ratio eſt: ſi hanc perfecit, laudabilis eſt, & finem naturæ ſuæ attigit. Hæc ratio perfecta, virtus vocatur, eadémque honeſtum eſt. Id itaque vnum bonum eſt in homine, quod vnum hominis eſt. Nunc enim non quærimus, quid ſit bonum, ſed quod ſit hominis bonum.*

Non ſatior tam multis adeò appoſitè in rem noſtram à peregregio morum Magiſtro propoſitis. Itaque non ſino abire quæ habet rurſus infrà ad idem inſtitutum. *Quæ conditio rerum, eadem & hominum eſt. Nauis bona dicitur, non quæ pretioſis coloribus picta eſt, nec cui argenteum aut aureum roſtrum eſt, nec cuius tutela ebore cælata eſt, nec quæ fiſcis ac opibus regiis preſſa eſt: ſed ſtabilis ac firma, & iuncturis aquam excludentibus ſpiſſa; ad ferendum incurſum maris ſolida; gubernaculo parens, velox & conſentiens vento. Gladium bonum dices, non cui deauratus eſt balteus, nec cui vagina gemmis diſtinguitur: ſed cui & ad ſecandum ſubtilis acies, & mucro munimentum omne rupturus. Regula non quàm formoſa, ſed quàm recta ſit, quæritur. Eo quodque laudatur, cui comparatur, quod illi proprium eſt. Ergo in homine quoque nihil ad rem pertinet, quantùm aret, quantùm fœneret, à quàm multis ſalutetur, quàm pretioſo incumbat lecto, quàm perlucido poculo bibat, ſed quàm bonus ſit. Bonus autem eſt, ſi ratio explicita & recta eſt, & ad naturæ voluntatem accommodata. Hæc vocatur virtus, hoc eſt honeſtum, & vnicum hominis bonum.*

Ipſúmque decorum, mouens omnium approbationem.

192. Adiungendum iſtis eſt argumentum, quod ex nomine Græcis æquè ac Latinis familiari dicitur. Quod enim honeſtè & ex virtute geſtum ſit, quia in eo hominis decus reſplendet, decorum, τὸ πρέπον appellarunt, vt etiam Tullius obſeruauit. Qui illud item meritò addit. *Vt pulchritudo corporis, apta compoſitione membrorum mouet oculos, & delectat, hoc ipſo quòd inter ſe omnes partes cum quodam lepôre conſentiunt: ſic hoc decus, quod elucet in vita, mouet approbationem eorum quibuſcum viuitur.* Tantúmne? Imò verò etiam eorum qui procul abſunt, & ſine loco, ſine tempore ſunt feiunctiſſimi. Præclarè S. Chryſoſt. hom. qua exagitat, quòd regulares fœminæ viris cohabitent. *Rectè viuentes*, inquit, *non à notis ſolum, ſed & ab ignotis, ſed & ab ipſis inimicis laudantur, & admirationi ſunt: Qui autem corrupti & improbi, etiam ab amicis affliguntur. Et hoc diuinæ prouidentiæ opus eſt, quod tantam nobis virtutis familiaritatem, & cognationem, & tantam vitiorum*

abominationem

abominationem indidit. Ita illa quidem (de virtute loquor,) omnium calculo probatur, etiam abſentium: Hæc verò, malitia ſcilicet, condemnatur etiam ab his qui virtutem non curant, & auerſantur ac proſequuntur. Verè omninò. Nam & quem nunquam videris, ſi modò de eius virtute opinio percrebuerit, non poſſis non diligere, & ad primum conſpectum, quacunque tandem & quantumcunque miſera ſorte occurrat, amorem ſui & venerationem prolicit.

Intellectum id ab Homero, enatantem è naufragio Vlyſſem deſcribente, prodit ex alterius grauis vt ait, viri obſeruatione, S. Baſilius oratione de legendis cum fructu lib. Gentilium. *Vt ego quidem* inquit Baſilius, *ex viro graui, qui maximè Poetarum ſenſus tenebat accepi, omnis Homeri poeſis, virtutis eſt laus, & eius omnia ad hunc finem referuntur, vt nihil abs re aut parergum ſit poſitum. Maxime autem vbi ducem Cephalenſium nudum è naufragio ſeruatum ſcripſit. Primùm quidem Reginam apparentem ſolum, verum eſſe tanti maieſtatem ac nuditatis verecundiam exiſtimaſſe: vnde loco veſtis virtutis ornatum ſumpſit, ac Phæacibus omnibus tanti poſtea fuit, vt relictis omnibus delicijs quibus magnoperè dediti fuerunt, eius imitarentur exemplum, & ſe nihil potiùs optarent, quàm eſſe Vlyſſem, quanquam nudum & è naufragio ſeruatum. Quo ſanè exemplo, enarrator mentis Poeta, nihil aliud Homerum intendere, & tantùm non clamare voluiſſe affirmat, quàm. O viri, curanda nobis ante omnia virtus eſt, quæ naufraganti præſto adeſt & enatat, & in terra nudum exiſtentem, honoratiorem Phæacibus delicatis ac felicibus reddit. Et profectò ſic res habet.* Præclarè item huc facit illud Iſidori Peluſiotæ l. 2. epiſt. 13. *Qui virtutem contubernalem habet, iis qui ipſius expertes ſunt, tantum præſtant quantum homines beluis, & Angeli hominibus antecellunt. Si quidem per forum tanquam luminaria quadam gradiuntur; ſimul atque in tenebris conſpecti fuerint, aliorum oculos in ſe conuertentes.*

Etiam poſt funera ſuperſtes eſt viri probi claritas, nunquam intermorientibus exemplis illis virtutis quæ viuens ediderit, quem ait Seneca epiſt. 101. *in fine*, eſſe modum quo etiam poſt mortem vtilis eſt qui ex virtute vixit. *Quamvis enim ipſe ereptus ſit oculis, tamen.*

Multa viri virtus animo, multúſque recurſat.
Gentis honos.

Cogita quantùm nobis exempla bona proſint; ſcies magnorum virorum non minus præſentia, eſſe vtilem memoriam. Itaque cùm nomen vitioſorum putreſcat, eóſque quantumvis aliquando claros, cita & æterna obliuio obruat; eorum tamen, qui vitam ex honeſtatis legibus conformauerint, decus & gloria ſuperſtes manet, non in ſimulacris mortalibus ac imbecillibus, qualia ex marmore aut ære finguntur, ſed vt cum Tacito in Agricolæ vita dicam, in forma mentis æterna, perennante in animis hominum, in æternitate temporum. *Veri ac ſynceri virtutis amatores*, ait Iſidorus Peluſ. l. 2. epiſt. 15. *& dum in corpore viuunt, vrbes dirigunt; & eo depoſito, amoris ac deſiderij aculeum relinquunt. Quocirca & clara atque inſignia eorum monumenta ſunt, & in honore poſteris & perpetua memoria, idque meritò: virtutem enim adepti ſunt, quæ ita natura comparata eſt, vt mors eam minimè attingat.*

Honeſtatis ſpecies, & decus, ad Numinis vſque ſimilitudinem aliquam, & filiationem.

193. Hæc eſt elegantiſſima illa ſpecies, viua ſemper, florénſque, nullo ſitu, nullis rugis, nullo ſeculorum lapſu temerenda; nec omnibus duntaxat præſentis & conſecuturæ ætatis adamanda, ſed ipſi etiam Numini cum voluptate obiicienda, quam ſibi quiſque immortalibus coloribus efformare voluntatis penicillo poteſt. Deus enim qua fuit in nos bonitatis immenſitate, vt noſtra quoque laus ſecundùm ipſum nonnulla eſſet; quod nobis à nobis ipſis obtingere non poterat, vt videlicet eſſe acciperemus contulit per ſeipſum & ſolus. Nam quis ſibi, cùm non eſt, conferat eſſe, ad quod liquet præexigi eſſe? Quod enim non eſt, & actu primo deſtituitur, actionem, quæ actus ſecundus eſt, profundere nequaquam poteſt, præſertímque qua ſibi ipſi det eſſe, quo pacto deberet ſeipſo eſſe anterius. Hoc igitur quod nos conferre nobis impotes eramus, ſe ſolo contulit beneficum Numen. Vt verò nobis iam procreatis, hæc & illa moralis perfectio; nec naturalis tantùm, ſed etiam naturam omninò tranſcendens, diuinam iſtam plaſticen exornaret, libertati noſtræ diuinitùs adiutæ permiſit. Quinetiam Gregorius Nyſſenus lib. de vita Moſis, & homil. 6. in Eccleſ. eatenus vnicuique noſtrum conceſſum ait, vt ſibi ipſi parens eſſet, quatenus interuentu libertatis, hunc ſibi illúmve ſexum indere poteſt marémque ſe aut fœminam facere, virtutis aut vitij conſectatione. Fœmineum namque eſt vitium, virtus maſcula, vt S. Ambroſ. lib. 1. de Cain, cap. vlt. & S. Cyril. homil. 10. Paſch. eleganter tradunt.

Verum quia virtus noſtra, fœminea potius eſt quàm maſcula, vt diſputat Philo lib. de profugis, ad illud, *Filia Bathuel*, dimittamus ſanè hanc comparationem, quódque ab omnibus vltrò datur, hoc aſſumamus; nimirum animam virtute exornari, ad Numinis vſque ſimilitudinem aliquam. Quod inſigniter ſuſpicit S. Baſilius homil. 10. Hexaëm. tractans quomodò homo, quem negat eſſe velut ſtatariam imaginem, factus à Deo imago Numinis, fiat ſua cooperatione tanquam viuo & à ſe mobili penicillo, pictura Deum referens. Idémque rurſus ſuſpicit lib. de virginit. Idipſum ex eo, vt alia pleraque, expreſſit Gregorius Nyſſ. orat. 1. de hominis format. & pulcherrimè hom. 4. in Cant. tractans illud: *Ecce tu pulchra es.* Ait enim hominem libertate à Deo donatum eſſe, vt poſſet ſibi ipſe quam volet conciliare ſpeciem ac formam. [Cùm ſit ergo in poteſtate noſtri liberi arbitrij, eam figuram quam velit ſuſcipere, ei quæ pulchra facta eſt, rectè dicit Verbum: A mali quidem ſocietate recedens, mihi appropinquaſti: appropinquans autem primariæ, & exemplari pulchritudini, ipſa quoque pulchra facta es veluti quoddam ſpeculum conformata meo characteri. Homo reuera ſpeculo eſt ſimilis, formas ſuſcipiens ex ſimulachris inſtitutorum & liberarum electionum. Siue enim ad auri ſpeciem coloratur, eundem etiam materiæ ſplendorem præ ſe fert. Siue etiam quidpiam deforme apparuerit eandem etiam turpitudinem exprimit per aſſimilationem, vt potè ranam aliquam, aut bufonem, aut ſcolopendram aut aliquod aliud iniucundum ſpectaculum, ſua forma referens quod inuentum fuerit eis aduerſum. Quoniam ergo expulſo à tergo vitio, expurgata à Verbo anima, ſolis circulum in ſe ſuſcepit, & ſimul reluxit cum luce quæ in ipſa apparuit, propterea ei dicit Verbum pulchra facta es, quæ meæ luci appropinquaſti, per appropinquationem attrahens diſpenſationem pulchritudinis.] Idem tract. 1. in pſalmos c. 4. exponens diuinos characteres, quibus dicitur ſignatum ſuper nos lumen vultus Dei ita vt per eos Deus in nobis exprimatur; ait eos aliud non eſſe quã virtutes, quod per eas diuina in nobis ſimilitudo exprimatur. An idipſum quoque voluit S. Ambroſ. l. 1. de Cain & Abel c. 2. cum dixit idcirco Moſem nomi-

natum fuiſſe Deum Pharaonis quia ſe ad ſimilitudinem perfecta virtutis vbertate formauerat.

Grauiter item pro Ethnico Plotinus Enneade 1. l.6.c.6. aſſimilari hominem Deo per virtutem, efficique pulcherrimum aſſeuerat. Audi etiam Clementem Alex. id ex Heraclito confirmantem 3. Pædagogi, c.1. *Homo ille, cui rectè Verbumve cohabitat, non variatur, non fingitur; formam habet rationis, Deo aſſimilatur. Pulcher eſt non vt pulcher videatur, colitur. Vera eſt pulchritudo: eſt enim Deus: Deus autem ille fit homo, quoniam Deus vult. Rectè ergo dixit Heraclitus: Homines Dij. Dij homines.* Ex Pythagora ſimilia habet Hierocles ad verſum aureum 45. & latè ex aliis Ethnicis & ex ratione Piccolomineus gradu 6.c.15.

194. Nec vtcunque tantùm aſſimilari, ſed ad filiationem vſque diuinam ſubuehi hominem per probitatem docent illa Diogenis ad Alexandrum Ione patre gloriantem apud Dionem orat. 4. de regno. *Si fueris modeſtus & fortis, & Iouis regiam artem didiceris, nihil prohibet te Iouis eſſe filium. Quoniam hoc & Homerum dicere aiunt, quòd pater ſit Iupiter, quemadmodum Deorum, ita & hominum, ſed non mancipiorum, neque vltimè vitioſi & ignobilis. Sin verò timidus fueris, & deliciis deditus, & illiberalis neque homines beni, quicquam ad te pertinent. Apud Thebanos. illis qui appellantur Sparti, ſignum quoddam dicitur eſſe generis, lanceam (opinor) quandam in corpore & quiſquis id ſigni non habeat, non videtur ex Spartis eſſe. Iouis autem filius, en nullum putas ſignum eſſe in anima, ex quo manifeſti fiant iis qui queant cognoſcere, an ex illo nati ſint, an non?* Eadem grauiſſimè Triſmegiſtus c.8. Aſclepij. Et pulchrè Themiſtius orat. 2. *ſub finem*, contendens eos qui honeſto ſe addixerint, & vitium expugnarint, (quod monſtrum eſſe ait apris omnibus vehementius, & leonibus violentius & multiformi cane audacius, & pluribus quàm hydra capitibus præditum); diuina ſorte id eſſe conſecutos; & quod de Hercule in horum adumbrationem à priſcis iactatum eſt Dei ſobolem eſſe, dignam cui publicè templa erigantur, & Sacerdotes conſtituantur. Sixtus item Pythagoræus ſent. 5.1. ita loquitur. *Dignus eſto eo qui te dignatus eſt filium dicere, & age omnia vt filius Dei.* Et ſent. 52. *Quid Deum patrem vocas, huius in actionibus tuis memor eſto* Tandemque in 53 *Vir caſtus & ſine peccato, poteſtatem accipit à Deo, eſſe filius Dei.* Alia proſequam infrà exponens vitij probra atque diſpendia.

Eſt ſola hominis pulchritudo.

Hæc eſt illa hominis & pluchritudo & perfectio (imò quia perfectio etiam pulchritudo. Nec enim duo iſta, reuera differunt, ſi eum proportione ſumantur, vt optime tradit Nyſſenus lib. in Hexaëm. *ſub finem*, & mox liquebat pleniùs,) Eſt inquam hæc illa pulchritudo, qua ſola hominem verè pulchrum reddi, demonſtraſſe Epictetum, Arrianus lib. 3. c. 1. in hunc modum ſcribit. *Quidem adoleſcens Rhetorica ſtudioſus, cùm ingreſſus ad ipſum, capillos venuſtè admodum & concinnè compoſuiſſet, ac reliquo etiam veſtitu elegantiore cultus aſtaret; Reſponde, inquit, mihi, nònne canes etiam pulchri quidam tibi videntur, necnon equi, quodvis denique cæterorum animalium? Videntur, ait. An homines quidam videntur formoſi eſſe, nonnulli verò deformes? Quidni. Num porrò idem eſt, vno ſingula horum, quodvis in ſuo genere, pulchra cenſemus? An ſua cuique ineſt pulchritudo? Rem verò ſic conſidera. Quum alij operi canem a natura deſtinatum eſſe videamus, alij verò equum, ad aliud porrò luſciniam. In vniuerſum haud abſurdè quis pronunciabit, tum demum eſſe pulcherrimum, quando vnumquodque ſecundùm naturam ſuam optimè ſe habuerit. Natura enim ſingulorum cùm diſcrepent, eandem pulchri quoque diſcrepantiam eſſe oportebit. Nonne ſic res habet? Annuit. Ergo quo canis dicitur pulcher, eodem equus appellabitur deformis, ſiquidem natura horum animalium differunt? Videtur. Quinetiam quo Pancratiaſtes ornatur, idipſum luctatori non erit ornamento; quo ſi vtatur curſor, ridiculum quoque ſe exhibeat. Eſt qui ad pentathlum exercendum ſit habilis, qui tamen ad luctam obeundam minimè ſit idoneus. Aſſenſus eſt. Quid ergo eſt, quod faciat hominem pulchrum, nònne idipſum genere idem eſt, quo canis, itémque equus pulcher efficitur? Id verò ipſum, inquit. Quid ergo canem ornat? virtus ipſius, qua nimirum eſt præditus, Quid equum? virtus equi. Quid hominem? nònne virtus humana, ei ſi inſit: Ergo tu adoleſcens in eo elabora, ſi quidem pulcher videri vis: nempe excole te virtute hominis. Sed quænam ea eſt? Conſidera; eorum habitū quos tu laudas, quando ſine affectus ſcilicet indulgentia eos laudibus extuleris. Num quia iuſti ſunt, eos laudas, an quia iniuſti? Quia iuſti. Num vt moderatos, aut vt proteruos: Vt moderatos Continentêſne an incontinentes? Continentes. Quare ſi talem te præſtiteris, ſcito te conciliaturum tibi pluchritudinem. Quoad verò iſta non curaris, deformem ac turpem te eſſe oportebit, etiam ſi omnem operam in id impendas, vt videaris formoſus* Et poſt multa ſub capitis calcem. *Quandoquidem nec es caro, nec pili, ſed voluntas hanc ſi habueris honeſtam, pulcher certè eris.* Idem pulcherrimè tradit Nazianzenus Tetraſtichu 21. Et latè ac optimè Chryſoſtomus homil. in illud, *Aſtitit Regina*, & Eutropij deprehenſionem: Eo anteponens hanc animæ pulchritudinem, corporeæ, quod corporis pulchritudo niſi à natura obtigerit, fruſtrà quæritur: Animæ autem vera pulchritudo ex honeſti ſtudio effloreſcens, eſt vnicuique libera, potéſtque eam quilibet ſibi conciliare, cùm lubet.

Summus probitatis nitor, & ſplendor.

195 Hæc illa perfecta hominis nitela & puritas, de qua luculenter Epictetus l. 4. c. 11. eam à Diis arceſſens. *Nam cùm Dij ſint*, inquit, *natura puri ac ſine omni labe, quò magis rationis facultate homines appropinquarint iis, eò puriores ſunt ac magis participes puritatis. Quādoquidem autem fieri nequeat humanam naturā omnis prorſus labis eſſe expertem ex huiuſmodi materia conſtitutā, nihilominùs ratio & intelligentia, quoad eius fieri poteſt, naturam efficere puram & ſynceram tentat. Summa verò eminentiſſimaque puritas eſt hæc cuius anima eſt particeps: itémque impuritas & fœditas. Haud verè ſimilem corporis, reperies eſſe animæ ſpurcitiem. Sed quænam alia ſit animæ impuritas, quàm qua fiant opera ipſius ſpurca?* E contrario igitur cuius opera nitent, & animus quoque nitet ac ſplendet.

Inſigniter omninò ac ſplendidè hunc virtutis ſplendorem exprimit Seneca epiſt. 115. *Si nobis*, inquit, *animum boni liceret inſpicere, ô quàm pluchram faciem, quàm ſanctam, quàm ex magnifico placidéque fulgentem videremus! hinc Iuſtitiā, illinc Fortitudine, hinc Temperantiâ Prudentiáque lucentibus. Præter has frugalitas & continentia, & tolerantia, & libertas comitáſque. & (quis credat?) in homine rarum humanitas bonum, ſplendorem illi ſuum affunderent. Tum prouidentia, & ex iſtis magnanimitas eminentiſſima, quantùm, Dij boni! decoris illi quantum ponderis grauitatiſque adderent? Quanta eſſet cum gratia autoritas! Nemo illum amabilem, qui non ſimul venerabilem diceret Si quis viderit hanc faciem altiorem fulgentioremque, quàm cerni inter humana conſueuit, nonne velut Numinis occurſu obſtupefactus reſiſtat, & vt fas ſit vidiſſe, tacitus precetur? Tum euocante ipſum vultus benignitate productus, adoret ac ſupplicet. & diu contem-*

platus

platus multum extamen ſupráque menſuram ſolitorum inter nos aſpici, ela:m., oculis miti quidem ſed nihilominùs viuido igris flagrantirus, :nne demum illam Virgilij noſtri vocem v rcas atque attonitus emittas.

O quam te memorem, virgo? namque haud tibi vultus.

Moralis, nec vox hominem ſonat.

Sis fœlix, noſtrúmque leues quæcunque laborem.

[Aderit, leuabitque ſi colere eam voluerimus. Colitur autem non taurorum opimis corporibus, concrucidatis, nec auro argentóque ſuſpenſo, nec in theſauros ſtipe infuſa, ſed recta & pia voluntate. Nemo non, inquam, amore eius arderet, ſi nobis illam videre contingeret. Nunc enim multa obſtrigillant, & aciem noſtram aut ſplendore nimio repercutiunt, aut obſcuro retinent. Sed quemadmodum viſus oculorum quibuſdam medicamentis acui ſolet & repurgari; ſic & nos ſi aciem animi liberare impedimentis voluerimus, poterimus perſpicere virtutem, etiam obrutam corpore, etiam paupertate oppoſita, & humilitate & infamia obiacentibus Cernemus, inquam, pulchritudinem illam quamuis ſordido obtectam.]

Dignitas ſumma & libertas, ſanitas, integritas, robur, omnia perpetua ab eadem.

196. De ea vera & perfecta dignitate, quam virtus homini confert, innectione perfectæ libertatis, & actum iam ſupra eſt, cùm de libertate, & rurſus infrà dicam cum de vitio & paſſionibus Nunc hoc virtutis decus illuſtro verbis Senecæ epiſt. 75. in ipſo fine. *Quàm grande præmium non expectat, ſi occupationes noſtras & mala tenaciſſima abrumpimus? Non cupiditas nos, non timor pellet: inagitati terroribus, incorrupti voluptatibus, nec mortem horrebimus, nec Deos: ſciemus mortem malam non eſſe. Deos malos non eſſe. Tam imbecillum eſt quod nocet, quàm cui nocetur. Optima & noxa carentia expectant nos, ſi ex hoc aliquando fæce in illud euadimus ſublime. & excelſum: Tranquillitas animi, & expulſis erroribus abſoluta libertas. Quæris quæ ſit iſta? non homines timere, non Deos: nec turpia velle, nec nimia: in ſeipſum habere maximam poteſtatem. Ineſtimabile bonum eſt, ſuum fieri.* Extremam hanc clauſulam, quæ maximè ad rem facit, exoſculor. In anterioribus vel detergenda Stoica obfirmatio ac durities, etiam aduersùs Numen immota & imperterrita, de qua cùm de affectibus: Vel timor pro horrore accipiendus eſt, quo pacto rectè dicitur, Deum non eſſe timendum; hoc eſt, non eſſe horroris legitimum obiectum, cùm ſit optimus, & nemini, quantùm eſt ex ſe, moleſtiam faceſſat, aut nocumentum inferat, quod quidem verè ac ſimpliciter ſit nocumentum. Eminet quidem in his inſolita quædam dignitatis ſpecies, in virtute ac ſtudio honeſti. Quæ tamen ab Iſidoro Peluſiota proponitur l. 1. epiſt. 169. non eſt parui æſtimanda. *Quamuis*, inquit, *& nobiliſſima patria quiſpiam ſit; & clariſſimi generis, & omni diuitiarum genere abundet, & ſummam eloquentiæ facultatem obtineat, omniáque veterum ſcripta in ore ferat, & robore ac pulchritudine, gloriaque & imperio glorietur, regiáque etiam dignitate affectus ſit & diadema ac purpuram geſtet tamen ſi virtute careat, hunc ego in mancipiorum numero habuerim. Contra ſi quis iuſtitia, temperantia, fortitudine, & prudentia præditus ſit, hunc ego inter ampliſſimos maximéque regios numerarim.* Illuſtriſſimũ item eſt encomium quod dignitati eius pangit l. 2. epiſt. 89. *Virtutem nihil eſt quod adæquet, non modò quia incomparabili quadam exuperantia res omnes alias antecellit, ſed etiam quia res quoque minimè planas & æquabiles complanat. & eas quæ minimè æquæ ſunt exæquat. Nam nec in paup.rtate deprimitur, nec in ſeruitute illiberalia miniſteria & officia ſaſtinet nec in dedecore contrahitur. Eodémque modo nec in opibus & copiis inſoleſcit, nec in imperio & magiſtratu animus attollitur, verùm his omnibus ſcientiã ſuam adhibens ea componit ac moderatur non iis obſecundans, ſed ea ut artis ſuæ ductum ſequantur, adducens.* Subdit de eius ſplendore ac incomparabili pulchritudine quæ iam tacta eſt. De eadẽ veriſſima hominis libertate per virtutem, ob exſolutionem quam confert à cuiuscunque dominio, egregiè omninò philoſophatur Iulianus Imperator orat. 6. diſſerens de exſolutiſſima Diogenis libertate.

Denique virtus eſt vera ac genuina animi atque adeò hominis ſanitas, integritas, ac robur. Vt autem optimè argumentantur Peripatetici apud Stobæum in Eclogis Eth. cap. 4. *Si corporis ſanitas per ſe eſt expetenda, multò magis animi intemperantia, quæ perturbationum furore non liberat: Et ſi corporis robur inter bona recenſetur, multò magis animi; fortitudo videlicet, quæ robuſtos reddit animos: Et ſi corporis pulchritudo propter ſe expetitur, multò magis animi; Iuſtitia videlicet.* Eſt enim, vt paulò antè præmiſſum fuerat, multò magis arctior animæ cum homine quàm cum corpore neceſſitudo.

Accedit ad hæc omnia probitatis moraliſque honeſtatis decora, quòd dotes eius propoſitæ non æuo atteruntur, non ſenio marcent, ſed perpetua ſunt, quod in nullo alio modo creato cernere licet Egregiè perennitatem & immortalitatem huius boni confirmat Theodoretus orat. de charitate, in clauſula religioſæ Hiſtor. ſic ſtatuens de eo qui Dei, & quod idem reipſa eſſe mox declarat, Philoſophum conſtituente veri honeſti amore flagitat. *Terrena quidem ſimul omnia contemnit, conculcat autem omnes voluptates corporis; deſpuit opes & gloriam & hominum honorem. At telis aranearum nihil differre exiſtimat purpuram Imperatoriam; pretioſas gemmas aſſimilat calculis qui ſunt in litoribus; non rem beatam ducit exiſtimandam ſanitatem corporis; neque morbum appellat calamitatem, nec res ſuas malè gerere dicit pauperem; nec diuitiis & deliciis metitur felicitatem: Sed aquis fluuiorum quæ in ripis plantatas arbores præterfluunt, & apud aullam ex iis conſiſtunt, vnamquodque eorum ſemper eſſe ſimile, rectè exiſtimat. Similiter enim & paupertas & diuitia & ſanitas & morbus, honor & infamia & quæcunque alia naturarum hominum prætercurrunt, non cernuntur ſemper apud eoſdem manentia ſed eos qui poſſident mutantia, & ab aliis ad alios aſſiduè tranſeuntia. Multi enim à magnis opibus cadunt in extremam inopiam: Multi autem ex pauperibus tranſcendunt in diuitum catalogum. Iam verò morbus quoque & ſanitas ingrediuntur per omnia vt vno verbo dicam corpora & eſurientia & lautitiis ac deliciis fruentia. Virtus autem & Philoſophia eſt bonum conſtans ac ſtabile. Vincit enim & manus latronis & linguas ſycophantarum, & hoſtilium telorum baſtariúmque procellas. A febre non conſumitur non perit obiter in fluctibus, nec patitur iacturam in naufragio. Eius vires, non aufert tempus ſed auget.* Quod de Philoſophia, ſiue honeſti amore in naufragio non periclitante dixit Theodoretus, hauſtum videtur ex Galeno in exhortat. ad bonas artes, vbi commendat ſtudium in eam artem, quæ fracta naui cum Domino enatet.

Aries honeſti potentiſſimus, difficultas, & labor ab eo, & in eo deficitur.

197. Verùm cùm pauci ſint qui honeſti pulchritudinem, eámque, quàm homini conciliat, perfectionem & dignitatem exactè peruideant, quòd pauci eam habeant, ſuauientur, & diligant, vt benè ratiocinatus

tiocinatus eſt Plotinus Enneade 1 l.6.c.4. Omnes tamen quibus rationis reliquiæ nulla ſuperſtes eſt, nec rationis oculus prorſus eſt obtenebratus; (vt ſane nunquam omninò excæcatur, cùm homo nunquam bruteſcat:) omnes, inquam, probitatis honeſtatem vtcunque proſpectant, & ad eam audito eius decore ſaliuant. Mox tamen pleriſque exoſa eſt, quòd occurrat vt iniuauis, nec adiri poſſit niſi confragoſo itinere, & ſentibus obſito Qui huiuſmodi ſunt, dedocendos eſſe errorem monuit Iſidorus Peluſiota l. 2. epiſt. 98. Neque tamen diffiteri poſſumus eſſe aliquam in virtutis exercitatione difficultatem, idque vnuſquiſque experimento ſuo veriſſimum probat. Imò Nazianzenus apolog. 1. ſcribit, hoc eſſe in quo improbitas probitatem ſuperat, quòd illa faciliùs, hæc ægerrimè conquiritur. Nemini incomperta Prodici, virtutis & vitij, illius terram & horridam; huius concinnam & benigniſſimam ſpeciem Herculi obiectam proponentis, delineatio. Quæ item pulcherrimè proponitur apud Dionem in fine orationis 1. de regno, & apud Silium Italicum lib. 15. *in tio.* Eámque S. Iuſtinus in fine Apol. ad Senat. & S. Baſil. orat. de legend. cum fructu libris Gentil. valdè approbant. Similiſque & omninò elegans habetur apud Philonem toto propè libro de recipienda in ſacrarium mercede meretricis; & alia item habetur apud Stobæum in Eclogis Ethicis *in fine*, deprompta ex quodam Euſebio: Affiniſque eſt, ſtatuariæ & pædiæ contrapoſitio, quam Lucianus in Somnio ſcitè exhibuit.

Labor vbiuis neceſſarius, hic tantùm optimè collocatur.

Vt igitur hoc non diffitear, quod eſt certiſſimum; vltroque dem eſſe in virtutis exercitatione & comparatione laborem excipiendum: Illud tamen in primis meticuloſos iſtos difficultatum virtuti adiunctarum exaggeratores, interrogatos velim; ecqua in re meliùs collocatum cenſeant laborem Nam nihil ſine labore hic parari in confeſſo eſt. Rectè itaque Epictetus apud Arrianum lib. 4. c. 10. *Hæc natura eſt rei, vt fruſtra*, id eſt, ſine labore ac cura, *nihil fiat, & quid quaſo mirandum? Si adipiſci Conſulatum voles, ambire oportebit, deoſculari manus, ad fores alterius contabeſcere, multa loqui, ac facere illiberaliter, dona mittere multis, munuſcula quotidie nonnullis, & pro his omnibus, quodnam operæpretium conſequeris? Duodecim faſces baculorum, vt ter aut quater in roſtra aſcendas, vt Circenſes ludos exhibeas, vt ferculis opimis inſtructam cœnam ineas. Quòd ſi quid prætereà eſt, oſtendat & proferat quiſpiam. Ergo vt ſis vacuus affectibus, vt tranquillo ſis animo, vt cùm ſomno te dederis, verè dormias, & experrefactus ritè vigiles, ne quid timeas, ne ſis aliqua in re anxius, impendij nihil facere vis, nihil laboris ſuſcipere?*

198. Luculenter etiam id tradit Philo lib. de ſacrificio Abelis & Caïni, ad illud: *Si habueris homo vxores duas.* Propoſita enim virtutis ſpecie & nemini ſatis vnquam explicanda dignitate, ſubdit: *Quid autem in virtute nos maximè offendat difficultatis ſpecie, nunc liberè proloquar. Nam hoc imaginationem quandam primo congreſſu nobis incutit, eam metu difficultatis coniunctam. Sed aſſuetudo rem oſtendit eſſe iucundam, cuius vtilitatem ratio mox indicat. Cæterùm labor, inter præcipua bona numerandus, bellum cum voluptate gerit perpetuum. Hunc enim, (ſi verum dicendum eſt,) omnis fœlicitatis omniſque virtutis principium hominibus Deus declarauit, ſine quo nihil honeſtum apud mortales eſſe inuenies. Nam ſicut ſine luce videre non poſſumus; quia nec colores nec oculi ad videndum ſufficiunt: hanc enim ceu vinculum natura præparauit, quo coaptaretur colori oculus: nam in tenebris neuter ſuam vim exerit. Eodem modo anima oculus, nullam virtutis actionem poteſt attrectare, niſi à labore ceu luce adiutus. Hic enim inter mentem & bonum quod mens deſiderat medius: illud vna ex parte, hanc ex altera trahens, ad ſe vtraque manu amicitiam concordiámque conciliat, atque ita bona perfecta efficit. Opta tibi bonum quodlibet, inuenies eius poſſeſſionem labore parari confirmaríque. Pietas quoque & ſanctitas, bona ſunt; ſed niſi Deum colamus, non poſſunt nobis contingere. Cultus autem his cum pertinaci labore coniunctus eſt. Prudentia Fortitudo, Iuſtitia, pulchra omnes, & inter perfecta bona cenſenda, non facilè obueniunt.*

Et mox diſtinctiùs magiſque in particulari aperit, omnia bona nobis interuentu laboris tanquam proxenetæ obuenire; altiſſimúmque Dei, laborem in præcepto fingentis, conſilium ſcrutatur. Non faſtidio laborem, tam inſigne laboris encomium adſcribendi. [Conſidera, *inquit*, ſtudioſos omnes artium, quas alij encyclias, alij liberales nominant: conſidera agricolas, & qui victum quacunque ratione quæritant: hi nec interdiu nec noctu curis ſunt vacui: ſed ſemper & vbique, vt vulgus loquitur, manibus pedibuſque & omnibus viribus laborare non deſinunt, adeò vt immoriantur plerunque ſuis negotiis. Sed ſicut qui animam conantur reddere ſibi propitiam, neceſſariò colunt virtutes animæ: Ita qui cupiunt frui proſpera valetudine corporis, curare debent ſanitatem, & id genus vires eius cæteras, quas certè curant irrequietis laboribus, qui ſolliciti ſunt de potentiis, ex quibus contemperati ſunt. Vides igitur omnia bona è labore tanquam è radice pullulare, quæ negligere haud vnquam ſuſtineas: alioqui non ſenties te cum eo cumulum bonorum negligere. Nam rector cœli mundique & habet & præbet bona quibuſcunque vult magna cum facilitate: Et qui tantam mundi molem ſine labore iam olim abſoluit, ne nunc quidem in eo ſtatu eam continere deſinit: quippe cui non defatigari maximè conuenit. Mortali autem nemini, adipiſci bona ſine labore datum eſt, vt ſic quoque eminentem Dei fœlicitatem prædicemus. Equidem exiſtimo laboris cibique eandem eſſe vim Nam ſicut à cibo tota vita pendet, vnà cum ſuis actionibus & affectionibus; ita etiam à labore pendet quicquid in rebus bonum eſt. Ergo quemadmodum qui vitam ſibi prorogare cupiunt, alimenta non negligunt; ita quotquot quæ bona ſunt, concupiſcunt, laborem magnifaciant; Sicut enim cibus ſe habet ad vitam, ſic labor ad honeſtatem: qui cùm ſit vnicus, caue illum poſthabeas, vt per eum potiaris bonis ſimul omnibus.]

Labores vulgi circa inania.

199. Idem Philo vt telum quod retundimus, faciliùs auertat, libro quòd omnis probus liber; etiam ad vulgi labores prouocat. *Pecuniæ cauſa*, inquit, *ſcrutamur intima quæque, aperimus terræ venas duras & refractarias: metallarij puteos fodiunt in planis atque montanis, quærendo aurum, argentum, cuprum, ferrum, cæteras ſpecies. Vanitas faſtum colens pro Numine, profunda maris penetrat, quærens varia lapillorum pretioſorum genera, vel ſaxis latentibus adnata, vel oſtreis, & ob hoc ipſum pretioſiora, quàm oculi deliciis ac luxu corrupti iudicant. At Prudentia, Temperantia, Fortitudinis Iuſtitiæque cauſa nemo peregrinatur, ne in peruiis quidem regionibus & hoſpitalibus: nemo enauigat maria, naucleris alioqui potentia per totum annum vltrò citróque curſitantibus. Quamuis non habemus opus, virtutem in longinquas aut tranſmarinas regiones petere, cuius radices Autor naturæ in proximo depoſuit,*

epoſuit, *ſicut ille ſapiens Iudæorum Legiſlator teſtatur, dicens: In ore tuo in corde tuo, in manibus tuis. Subiiciuntur dicta, facta, conſiliáque, quæ omnia culturâ indigent. Ergo qui labori præferunt otium, non ſolum germinibus officiunt, ſed & radices ipſas, exſiccando interimunt. Contrà qui otium vt noxium fugientes, ad laborem ſe applicant, velut generoſarum plantarum cultores, continuâ curâ præcelſas virtutum ſtirpes educunt in æthera; immortales viuentéſque perpetuò, ferentes fœlicitatis fructum nunquam interiturum: Quandoquidem iuxta quorundam opinionem non tam fœlicitatem afferunt, quàm ipſa ſunt fœlicitas, & vt Moſes vocare ſolet compoſito vocabulo, ὁλοκαρπώματα quaſi dicas frugem ſolidam. Siquidem terreſtres plantæ interdum nullum fructum ſuo cultori afferunt. At quæ inſeruntur in anima, tota quanta ſunt, in fructus abeunt Prudentiæ, Iuſtitiæ, Fortitudinis, Temperantiæ. Cùm igitur tales occaſiones vltrò nobis ſe præbeant, non pudet querelarum, quaſi negata ſit hominum generi ſapientia? quam poteramus è ſcintillam in fomite fomento redaccendere. Nos verò vbi res diligentiam poſtulat, ad nos propriè pertinens, ſegnes & ſupini ſumus: corrumpimus virtutum ſeminaria: quæ autem fugienda ſunt, deſideramus & requirimus. Proptereà diuitum, illuſtrium, voluptariorum, terrâ marique plena ſunt omnia; Prudentum autem iuſtorum, proborum, exiguus numerus.*

Seneca pulcherrimè epiſt. 80. ex tanto labore exercentium corpora colligit quàm dignum iuſtúmque ſit longè faciliorem virtutis exercitationem non refugere, *Illud*, inquit, *maximè reuoluo mecum ſi corpus perduci exercitatione ad hanc patientiam poteſt quâ & pugnos pariter & calces non vnius hominis ferat, quâ ſolem ardentiſſimum in ferventiſſimo puluere ſuſtinens aliquis & ſanguine ſuo madens, diem ducat, quanto facilius animus corroborari poſſit, vt fortunæ ictus inuictus excipiet, vt proiectus, vt conculcatus exſurgat. Corpus enim multis eget rebus vt valeat; animus ex ſe creſcit, ſe ipſe alit ſe exercet. Illi multo cibo, multa potione opus eſt, multo oleo, longa denique opera: Tibi continget virtus ſine apparatu ſine impenſa. Quicquid facere te poteſt bonum tecum eſt. Quid tibi opus vt ſis bonus? Velle.* Egregiè ſi modò de virtute naturæ finibus coëxercita & per ſe ſimpliciterque conſiderata ſermo ſit. Ea enim nullis externis eget ſubſidiis, & ab hominis nutu & arbitrio pendet. Quid itaque facilius?

Optimè item Chryſoſt. hom. de virtut. & vitiis, *ferè initio*, oſtendens facile eſſe volenti, virtutum adipiſci, nec eſſe obtendendum laborem, id confirmat ex eo quòd, *ſi artes quibus multi inſiſtunt, vehementi induſtria plerunque percipimus, id nimirum faciliùs conſequemur quod tanti laboris nequaquam indiget. Quid enim dic age, quid difficilius eſt quam in fune extento, ſuper eum quaſi per ſolum incedere; ſubire etiam aere-dire, velutí ſtrato inſidentem? Dic obſecro, quid difficilius eſt, quàm in fronte contum erigere; ſuperimpoſito dehinc pugione, motus innumeros dediſſe, quibus ſpectatores applaudant? Nonne horrenda nobis res adeò videtur, vt nec ſpectare quidem patiantur oculi, ſed ipſo etiam viſu timeamus, formidemúſque? Virium his omnibus facilior eſt virtus.* Addo & illud Baſilij de Athletarum immenſis laboribus, vt corruptibilem coronam accipiant: ita enim ait orat. de legendis cum fructo libris Gentil. [Athletæ mille patientes labores, & multis modis robur ac vires ſibi comparantes, multúmque in gymnicis ſudantes exercitationibus, plures inſuper plagas ex Pædotriba accipientes, diætámque non iucundam, ſed gymnaſticam ſubeuntes, & alia perquàm multa (ne per omnia diſcurram) ſuſtinentes, ſanè oſtendunt, vt omnis ferè vita ante certamen ſit certaminis exercitatio præparatióque: Tunc demum probè inſtructi ad ſtadium procedunt, vbi & laborant: Rurſus & maximè periclitantur, vt oleaſtri aut apij, ſeu cuiuſvis alterius frondis coronam accipiant, & à præcone victores declarentur. Nobis autem, quibus vitæ præmia à Deo, ſiue magnitudinem illorum, ſiue multitudinem aſpicias, miranda proponuntur, vt explicari ſermone nequeant: hæc dormitando & ſine cura viuendo, altera manu tantùm capere ſperamus? Hoc fermè modo & deſidia laudaretur, & Sardanapalus, vel Margites ille, quem nec araſſe, nec fodiſſe, nec aliquid aliud eorum, quæ ſunt in vita neceſſaria, geſſiſſe Homerus dixit, primas in felicitate partes tenerent. Hæc quidem Homeri ſunt: an non potiùs verus Pyttaci ſermo? Qui ait: Difficile eſt bonum permanere. Per multos enim labores trāſeuntibus vix facultas nobis bona illa cōſequi fuerit ſuprà memorauimus nihil rerum humanarum poſſe cōparari. Non itaque nobis dormiendum, neque ob breuem deſidiam, ſpes magnas amittendum]

Honeſti labor, opinione minor.

200. Satis per iſta diſiectus videri poſſit hic aries probitatis. Sed ſuppetit prætereà ex Seneca lib. de conſtantia ſapientis, c. 1. vnde illius impetum accommodatiùs ad multorum guſtum excipiam & infringam. Contendit eo loco Seneca, (quod obiter quoque attigit Philo,) laborem in virtutis exercitatione ſubeundum opinione minorem eſſe, & ſublata ſenſim difficultate miteſcere: ideóque non eſſe quòd alicui timorem faciat. *At ardua*, inquit, *per quæ vocamur, & confragoſa ſunt. Quid enim plano aditur excelſum? Sed ne tam obrupta quidem ſunt, quàm quidam putant. Prima tantùm pars ſaxa rupéſque habet, & inuij ſpeciem. Sicut pleraque ex longinquo ſpeculantibus, abſciſſa & connexa videri ſolent, cùm aciem longinquitas fallat. Deinde propiùs adeuntibus eadem illa, quæ in vnum congeſſerat error oculorum, paulatim adaperiuntur: tum illis quæ præcipitia ex interuallo apparebant redit lene faſtigium.*

Similia egregiè 2. de ira, c. 12. propoſita enim ab aduerſario honeſtatis tenendæ & repreſſionis paſſionum difficultate, reſpondet in hunc modum. *Atqui nihil eſt tam difficile & arduum, quod non humana mens vincat, & in familiaritatem perducat aſſidua meditatio, nullique ſunt tam feri & ſui iuris affectus, vt non diſciplina perdomentur. Quodcunque ſibi imperauit animus, obtinuit. Quidam ne vnquam riderent, conſecuti ſunt. Vino quidam, alij Venere, quidam omni humore interdixere corporibus. Alius contentus breui ſomno, vigiliam indefatigabilem extendit. Didicerunt alij tenuiſſimis & aduerſis funibus currere, & ingentia, vixque humanis toleranda viribus, onera portare. Et in immenſam altitudinem mergi, ac ſine vlla reſpirandi vice, perpeti maria. Mille ſunt alia in quibus pertinacia impedimentum omne trāſcendit, oſtenditque nihil eſſe difficile, cuius ſibi ipſa mens patientiam indiceret. Iſtis quos paulò antè retuli, aut nulla pertinacis ſtudij, aut non digna merces fuit. Quid enim magnificum conſequitur ille, qui meditatus eſt per intenſos funes ire? qui ſarcinæ ingenti ceruices ſupponere? qui ſomno non ſubmittere oculos? qui penetrare in imum mare? Et tamen ad finem operis, non magno auctoramento labor peruenit. Nos non aduocabimus patientiam quos tantum præmium expectat, fœlicis animi immota tranquillitas.* Sanè brutis accedente patientia magiſtris, multas à quâ natura ſua abhorrēt, non difficilè accedit & quæ in eis ſtolidiſſima ſunt, acceſſu patientis culturæ naturalem imperitiam ponunt. *Et aſellus* ait Amb, l. 1. n. 18. *& vos equè, vſu atque aſſiduitate cogente diſcit arare ac molere, equus iugum ſubire, & ignoſcere in*

curri

curriculo flexiones, camelus ſeſe ſubmittere, ſiuè cum ſumit onera ſiue cum ponit; columba manumiſſa reuolare ad dominicas ſedes, canis cum inuenerit prædam, cohibere & continere latratum, verba Pſittacus & integrare, & nomina prorſus exprimere. Plenius S. Ambroſ. l. x. de Cain & Abel. c. 1. *Iumenta cum à rectore aliquo gubernantur, facile manſueſcunt, & imperata exequi, & iugum ſubire, & ad vocem magiſtri, accelerare gradum aut ſiſtere, aut deflectere, aut aliqua munia ſui operis quæ iubentur, humano quodam famulatu obedire conſueuerunt. Tantùm valet inſtitutio, vt vincat naturam. Itaque illa quæ conſortium noſtræ ſubſtantiæ non habent, agnoſcunt tamen noſtræ vocis imperium & cum ſua natura nullam rationem habeant, noſtra naturæ rationem capeſſunt, & quadammodo transfuſam acquirunt. Equos videmus popularibus imitari ſtudiis, gaudere plauſibus, blanditiis delectari magiſtri. Tonſos leones cernimus naturalem feritatem imperata mutare manſuetudine, ſuam rabiem deponere noſtros mores ſumere.* &c. Quo ſuppoſito concludere licet cum Nazianzeno in præceptis ad virgines n. 45. fore beſtias potiores quàm homines conditionis, ſi cum ipſæ vſu aliquo & labore condocefactæ naturalem feritatem, dediſcant, induant verò extraneam ſibi mititatem homo tamen honeſti ſtudium quod ei naturale ac congenitum eſt, , præ amore immoderato ſenſibilium honorum, vix aut ægrè parabile, vel etiam inſuperabile habeat. Increpat etiam ex hoc capite noſtrum in virtutis honeſtique ſtudio teporem, Valerianus Cemel homil. 1. *ſub medium*, & optimè Chryſoſtomus homil. 2. additiția in Geneſ.

Imò ex ſe honeſtum facile, præſertim præ inhoneſto.

201. Liberaliùs fortaſſis egiſſe videbimur, quàm rei natura & honeſti conditio poſcat, ſi Sanctum Iſidorum Peluſiotam audiamus. Quòd enim honeſtas ardua & aſpera occurrat, in ſola conſectantium falſa exiſtimatione ſitum putat; ex ſe autem facilem & difficultamm vacuam eſſe honeſtatem, ſaltem præ vitio, quod faciliмum & ſuauiſſimum eſſe hactenus communi ſenſui dedimus En viri ſapientiſſimi iudicium èx l .epiſt. 40. [Virtus, vt quidem exiſtimo (non enim certè affirmo ac pronuncio, ſed lectoribus iudicium permitto,) difficilis quædam res eſſe viſa eſt, atque etiamnum videtur, non ad naturam ſuam, ſed propter incomparabilem quandam eorum, qui ipſam conſectari nolunt, negligentiam atque ſocordiam. Nam alioqui ſi quis rem exactè atque accuratè conſideret, vitio longè facilior eſt. Quòd ſi quis mihi diffidit, ne tumultuetur, verùm probationem expectet ſeipſum ab omni anticipata opinione atque contendendi pernicacia purum & immunem ſeruans. At quidem quod ipſa diuina ſit, hominèque digniſſima, & naturæ maximè conſentanea, & eorum, à quibus colitur, decus & ornamentum, vt apud omnes certum & indubitatum præteribo: ad id autem quod in controuerſia & dubitatione verſatur, accedam. Cedo igitur, vtrum ex his duobus difficilius eſt, ſexcentóſne theſauros perſcrutari, an præſentibus facultatibus contentum eſſe? Diu noctúque turpes quæſtus ac ſeruiles numerare, an ſingilitatem complecti atque amare. Omnes lædere, an læſis opitulari? Cum legitima vxore congredi, (nondum enim ſummam Philoſophiam pono, ſed quam plerique conſequi poſſunt;) quam alienas nuptias perfodere, ac violare. Incurabili auaritiæ morbo laborare, an ab huiuſmodi furore liberum eſſe? Dolos nectere, an citra fraudem commercia cum aliis habere? Tribunalibus moleſtiam exhibere, an quietem agere? Bona ad ſe nihil attinentia rapere, an etiam ſua largiri? In negotiorum & criminum cœno volutari, an à negotio & timoribus immunem eſſe? De multis rebus quæ perfici nequeant, in cura & ſollicitudine verſari, an vnam hanc curam habere, quonam pacto à virtute minimè excidat? In negotiis ac rebus gerendis libenter verſari, an in otio viuere? Nunquam ſatiari, an in ea quidem amare, quæ etiam poſt ſacietatem, contumeliam accerſunt? Nauigare ac naufragia perpeti, an in portu ſedere, atque aliorum naufragia proſpectare? Equidem ipſe virtutis duntaxat facilitatem, ac vitij difficultatem demonſtrare in animo habebam: at oratio altius progreſſa, maius aliquid præſtitit. Illud enim prætereà oſtendit, & virtutis comitem eſſe voluptatem, & vitij moleſtiam animique mœrorem] Sic ille veriſſimè & de more efficaciſſimè, æmulatus S. Chryſoſtmus infrà adducendum tractando vitij inſuauitatem. Qui item lib. 1. de compunct. cordis, *ſub medium*, grauiſſimè expoſtulat de ſumma noſtra inſipientia, qui virtutem tametſi paratu facilem ac ſuauem aſpernamus, laborem autem nullum defugimus, vt à virtutis tramite exhorbitantes, difficiles vitij vias ſubeamus.

Clauſula antedictorum ex Muſonio.

Hæc quia à Chriſtiano Doctore profecta, minùs fortaſſis ad guſtum philoſophicum accommodata videri poterunt, iis quæ in hanc ipſam ſententiam diſputat Muſonius lib. de contemnendo labore, apud Stobæum ſerm. 29. locus eſt illuſtriſſimus, quo & quæ proximè ex Iſidoro propoſui, attingit; & quæ hactenus ad diſiiciendã hanc aduersùs virtutem machinam adducta ſunt, paucis & egregie complectitur. *Vt faciliùs*, inquit, *& promptiùs labores illos ſuſtineamus, quos virtutis & honeſtatis gratia ſubituri ſumus, hæc animo reputare ſecum vtile fuerit: videlicet quàm multa tolerent aliqui propter malas cupiditates, vt qui amant luxurioſè. Et quantùm ſufferant alij lucrandi cauſa. Item quanta patiantur nonnulli, dum gloriam venantur. Et quòd omnes iſti ſponte tolerent, arumnas omnes. An non igitur iniquum foret, illos quidem, huiuſmodi pro nulla re honeſta faſtinere: nos verò honeſtatis gratia, & declinanda cauſa malitia, (qua planè peſtis eſt vita noſtra;) tum comparanda virtutis. (qua nobis bonorum omnium dux eſt,) non quoſuis labores promptè ſubire? Atqui verbis exprimi non poteſt, quantò praſtantius ſit eniti, vt cupiditates propria caſtigentur. quam laborare ad vxore potiendum aliena: item frugalitatem exercere, quam in comparandis pecuniis laborioſum eſſe: & operam dare ne ſis ambitioſus, quam gloria conquirenda cauſa multis negotiis moleſtias praterea ſe ab omni inuidia immunem praſta e quantò ſit ſatius, quam modum quarere, quo quis illi noceat, cui inuidet: & amicos ſibi veros conciliare potiùs laborem ſumere, quam quibuſdam nomine ſolùm amicis ſeruire, vt adulatores faciunt. In ſumma cùm labor omnibus hominibus neceſſarius ſit, tum his qui praſtantius aliquid, tum illis qui vilius quidpiam deſiderant, abſurdiſſimum eſt, eos qui praſtantioribus operam dant, & magna pramia ſperant, non multo in laboribus promptiores eſſe. Circunforanei quidem mirabilium autores perquàm difficilia negotia ſuſtinent, & de vita ſua periclitantur, alij quidem ſaltantes ſupra gladios pracipitati, alij ſupra funem ambulantes in ſublimi, alij tanquam aues per aerem volantes: in quit ne ſi contingat error, mortis periculum eſt. Omnia tamen iſta mercedis exigua cauſa faciunt: nos verò nihil ſuſtinebimus laborum pro vniuerſa ſimul fœlicitate? Nullus enim alius finis eſt bonitatis morum, quàm benè beatéque in poſterum viuere. Ad hac inciſo natura quorundam*

dam animantium conſideranda eſt, qua nos planè poteſt ad capeſſendos labores hortari: Coturnices enim & galli, cùm neq; virtutis vt homo, nec honeſti iuſtique notitiam habeant neque laboris quicquam hiſce comparandis inſumant; pugnando tamen inuicem, & mutilari ſuſtinent, & mortem potiùs obeunt, quàm ſuperari ſe permittant. At quantò magis nos conuenit patientes ac tolerantes eſſe cùm honeſtas ob cauſas ærumnis in laboribus fatigamur, vel ad opem ferendam amicis, vel iuuandam ciuitatem, vel pro vxoribus & liberis pugnandũ? Cæterùm vt boni, & iuſti temperati ſint, quæ res omnium eſt maxima & præcipua nullis mortaliũ citra laborẽ datur. Hinc inducor vt dicam, quòd is qui laborem recuſat, ferè ſeipſum condemnat. tanquam bonis omnibus indignum: quicquid enim eſt vbique boni, labore comparatur.

Probitatis Muſica, & iuge gaudium, veræque delicia.

202. Omittenda cenſeo.) tametſi in hunc locum non male caderent,) quæ de morali animæ harmonia, ſuauiſſimóque honeſti concentu animum iucundiſſimè oblectante paſſim apud Platonem legimus, nominatimque in Lachete Dialogo, & lib. 3. de Repub. rurſúſque lib. 9. quibus locis negat eum eſſe poſſe verum Muſicum, qui vitam rationis regula ex honeſtatis præſcripto non compoſuerit. Id quòd etiam Plutarchus aptatis ad hunc animæ concentum muſicis ſonis, ex Platone expreſſit, libello de Platonicis quæſtionibus. Eadem apud Maximum Tyrium diſſert. 21. latè traduntur, qui vulgarem & corpoream muſicam, ſolam muſicæ vmbram nominat. Multus in hanc rem ex Ptolomæo eſt Fabius Paulinus lib. 3. hebdom. c. 5. & Franc. Georg. in Harm. cant. 5. tono 6. c. 11. Mihi ex illis paucis quæ attuli, conſtare ſatis ſupérque videtur poſſe de vnoquoque probo ſeruata proportione dici, quod de Dauide pronunciauit S. Ambroſ. 1. offic. c. 24. *Rerum modos, vices temporum per ſingularum ſonos ſeruauit ætatum, vt mihi videatur non minus viuendi genere quam canendi ſuauitate prædulcem moralem Deo ſuo fudiſſe meriti cantilenam.*

Eodem reípſa recidit æqualitas illa intemerabilis gaudij, & iuge mentis ſerenum, quod à ſola virtute ſoli ſapienti extare luculenter tradit Seneca epiſt. 59. Quare loco myſticæ illius harmoniæ hanc æqualitatem explicatiſſimè tradentem Senecam audire placet [Sapiens *inquit* ille eſt, qui plenus gaudio, hilaris & placidus, inconcuſſus cum Diis ex pari viuit. Nunc ipſe te conſule: ſi nunquam mœſtus es, nulla ſpes animum tuum futuri expectatione ſollicitat, ſi per dies noctéſque par & æqualis animi tenor, erecti & placentis ſibi, eſt, perueniſti ad humani boni ſummam. Sed ſi appetis voluptates, & vndique, & omnes; ſcito tantùm tibi ex ſapientia, quantùm ex gaudio deeſſe, Ad hoc cupis peruenire: ſed erras qui inter diuitias illuc venturum eſſe te ſperas. Inter honores gaudium, id eſt, inter ſollicitudines. quæris? Iſta quæ ſic petis, tanquam datura lætitiam ac voluptatem, cauſæ dolorum ſunt. Omnes, inquam. illi tendunt ad gaudium: ſed vnde ſtabile magnúmque conſequantur ignorant, Ille ex conuiuiis & luxuria: Ille ex ambitione & circumfuſa clientium turba: Ille ex amica: Alius ex ſtudiorum liberalium vana oſtentatione & nihil ſanantibus literis, Omnes iſtos oblectamenta fallacia & breuia decipiunt; ſicut ebrietas, quæ vnius horæ hilarem inſaniam longi temporis tædio penſat: ſicut plauſus & acclamationis ſecundæ fauor, qui magna ſollicitudine & partus eſt, & expiandus, Hoc ergo cogita hunc eſſe ſapientiæ effectum gaudij æqualitatem. Talis eſt ſapientis animus, qualis mundi ſtatus ſuper lunam. Semper illic ſerenum eſt. Habes ergo, quare velis ſapiens eſſe, quia nunquam ſine gaudio eſt. Gaudium hoc non naſcitur niſi ex virtutum conſcientia. Non poteſt gaudere, niſi Fortis, niſi Iuſtus. niſi Temperans. Quid ergo inquis, ſtulti ac mali non gaudent? Non magis quàm prædam nacti leones. Cùm fatigauerunt ſe vino & libidinibus, cùm illos nox inter vina deficit, cùm voluptates, anguſtu corpori vltrà quàm capiebat ingeſtæ, ſuppurare cœperunt, tunc exclamant miſeri Virgilianum illum verſum.]

Nanque vt ſupremam falſa inter gaudia noctem
Egerimus, noſti ————

Omnem luxurioſi noctem inter falſa gaudia, & quidem tanquam ſupremam, agunt. Illud gaudium quod Deos Deorúmque æmulos ſequitur, non interrumpitur, non deſinit; deſineret, ſi ſumptum eſſet aliunde. Sed quia non eſt alieni muneris, nec arbitrij quidem alieni eſt, Quod non dedit fortuna, non eripit.

203. Similia illa ex epiſt. 72. quibus radicem perpetuæ & imperturbabilis ex honeſto lætitiæ ita aperit. *Inuenies aliquid quod impediat, non equidem eum, cuius animus in omni negotio lætus atque alacer eſt, Imperfectis adhuc interſcinditur lætitia Sapienti verò contexitur gaudium, nullâ rumpitur cauſâ, nullâ fortunâ, ſemper & vbique tranquillum eſt. Non enim ex alieno pendet, nec fauorem fortunæ aut hominis expectat: domeſtica illi felicitas eſt: exiret ex animo, ſi intraret: ibi naſcitur. Aliquando extrinſecùs, quò admoneatur mortalitas, interuenit: ſed id leue & quod ſummam cutem ſtringat. Aliquo, inquam, incommodo afflatur, maximum eius illud bonum, eſt fixum: Ita dico; extrinſecùs aliqua ſunt incommoda, velut in corpore interdum robuſto ſolidóque eruptiones quædam puſtularum. & vlcuſcula, nullum in alto malum eſt.*

Virtutis denique ſuauitatem ac delicias reperit elegans terreſtris Paradiſi cum virtute comparatio quæ legitur apud Philonem l. 1. allegor. *Paradiſus*, inquit, *figuratè dicitur virtus. Locus autem proprius Paradiſo Edem, id eſt deliciæ. Virtuti autem conuenit pax, voluptas, gaudium. in quibus ſunt veræ deliciæ. Quin & ad orientem eſt huius paradiſi plantatio. Nam nec occidit nec extinguitur, ſed perpetuo ſuaptè natura lux eius oritur: & vt puto, ſicut ſol exortus caliginoſum aërem replet luce: ſicut etiam virtus exorta in anima, caliginem eius illuſtrat, & multùm tenebrarum diſcutit.*

Vtilitas honeſti.

204. Delibero duntaxat extremum honeſtatis bonum ſine vtilitatem, quod moneat Seneca lib. 1. de Clementia, c. 1. rectè factorum verum fructum eſſe feciſſe, nec vllum virtutum pretium dignum eſſe extra ipſas: Nihilominus ea vtilitas indicet Philone lib. de Sacrificio Abelis & Caïni omnem orationem ſuperat: infinitus enim eſt theſaurus hominibus, vt ille ibidem affirmat. Imò verò *alia quidem omnia*, ait S. Baſilius orat. de legendis cum fructu lib. Gentil. *non magis poſſidentium. quàm quorumlibet ſunt, velut in talorum ludo huc illuc tranſpoſita. Virtus autem ſola poſſeſſio immortalis atque immobilis & viuenti & morienti permanens. Vnde Solon mihi videtur vero illud ad diuites dicere: Nos nequaquam commutabimus cum virtute diuitias, quod virtus firma ſit, diuitias verò aliàs alius habeat ac aliter interdum habet. His quoque ſimilia à Theogne dicta referuntur: Deum (quemcumque ipſe Deum dicat,) hominibus variè talentum appendere: Interdum quidem eos diuitiis affluere, interdum nihil habere.* Quid quòd virtute plenitudinem & abundantiam; vitio autem penuriam & egeſtatem contineri, ex ipſis nominibus probat

S. Auguſtinus, lib. de vita beata, in diſputatione tertiæ diei? Denique Caſſianus, collat. 3. cap. 8. veras diuitias ſola honeſtate contineri rectè pronuntiat. Id quod etiam ſanctus Ambroſius epiſt. 10. probat. Et Clemens Alexand. 3. Pædag. cap. 6. Sed & Stoïci eò fortaſſis reſpexerunt, qui vt eſt apud Sextum Empyricum lib. 10. aduerſus Mathemat. cap Quid ſit bonum, virtutem dixerunt eſſe *ipſam vtilitatem*,

Eſt ſenectutis, imò æternitatis viaticum.

Ego verò dimiſſa honeſti opulentia, quam initio huius diſtinctionis vtcunque attigi, illud præſertim conſiderari hîc & expendi velim, quod ſæpè Epictetus, ſæpè Seneca; infinities autem Chriſtiani morum Magiſtri inculcant, facitque plurimùm ad accendendum honeſti ſtudium, cui excitando hoc loco allaboramus. Nempe probitatis vtilitatem ſummam ex eo pendi debere, quòd iuxta Biantem, optimum ſenectutis viaticum ſit *Ad Ægyptios enim eunti filio* ait S. Baſilius oratione de legendis cum fructu libris Gentilium, ferè in fine, *ac percontanti, quod ei maximè gratum faceret: viaticum, inquit, ſenectutis poſſidendo; virtutem videlicet viaticum appellans, ac breui definitione deſcribens, vt humana vita vtilitatem ſuppeditantem definiuit.* Sed anguſtiùs, meritò virtutis vtilitatem à Biante circumſcriptam meritò expoſtulat S. Baſilius. Itaque ſubdit. *Ego autem etiamſi Tithoni ſenectam, & Arganthonij ac Mathuſalem illius, qui mille annos triginta minùs vixiſſe dicitur: denique ſi tempus omne ab initio quo cœperunt homines, computes, ſanè vt pueri ſententiam ridebo, ad prolixum illud & nulli ſenio obnoxium ſeculum reſpiciens, cuius nec finem eſt vllum mente deprehendere, non magis quàm immortalis animæ mortem cognoſcere, ad cuius poſſeſſionem admonemus comparandum eſſe viaticum, ac omnem lapidem ſecundum prouerbium, mouendum, vnde aliqua nobis vtilitas ad hoc conſequendum prouentura ſit.*

Quanti referat hoc viaticum parare. Tempus impenſum perditur, quantùmque hoc damnum.

205. Eſt itaque honeſtatis exercitatio, ad vniuerſam quanta quanta eſt æternitatem, nullis finibus metandam, neceſſarium viaticum. Quodque vniuſcuiuſque in ea nunc paranda induſtriam acuere, & diligentiam ſollicitare debet: & niſi paretur ex hoc tempore, (quod & breuiſſimum & innumeris ineuitabilibus auocamentis interciſum habemus) ad vitæ exitum, præſciditur in æternitatem vniuerſam viatici illius, quod ad tam longam moram vſui eſſe neceſſe eſt, cùm parandi, tum augendi ſpes omnis. Quò ſpectat quòd hanc vitam, quam in corpore degimus, dictam legimus mercatum & nundinas ab Epicteto apud Arrianum lib. 2. cap. 14 itémque à Menandro apud Stobæum ſerm. 122. & à Nazianeno tetraſticho 9. quibus tranſactis, nullum vltrà facere quæſtum liceat. Hac ex cauſa Seneca, Dio, aliíque morum Magiſtri, nunquam ſatis amplificatum cenſent temporis, rei vtique pretioſiſſimæ, diſpendium [Magna vitæ pars, *ait Seneca epiſt.* 1. elabitur malè agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus. Quem mihi dabis qui aliquod pretium tempori ponat? qui diem æſtimet? qui intelligat ſe quotidie mori? In hoc enim fallimur quòd mortem proſpicimus, magna pars eius iam præteriit. Quicquid ætatis retrò eſt, mors tenet. Fac ergo, mi Lucili, quod facere te ſcribis, omnes horas complectere: ſic fiet vt minùs ex craſtino pendeas, ſi hodierno manum inieceris. Dum differtur vita, tranſcurrit. Omnia, mi Lucili, aliena ſunt: Tempus tantùm noſtrum eſt. In huius rei vnius fugacis ac lubricæ poſſeſſionem natura nos miſit, ex qua nos expellit quicunque vult. Sed tanta ſtultitia mortalium eſt, vt quæ minima & viliſſima ſunt, certè reparabilia, imputari ſibi, cùm impetrauere, patiantur nemo ſe iudicet quicquam debere, qui tempus accepit, cum interim hoc vnum eſt, quod ne gratus quidem poteſt reddere.]

In iiſdem querelis multus eſt toto propè libro de breuit. vitæ, ſed inſigniter cap. 3. *Omnia licet quæ vnquam ingenia fulſerunt, in hoc vnum conſentiant, nunquam ſatis hanc humanarum mentium caliginem mirabuntur. Prædia ſua occupari à nullo patiuntur: & ſi exigua contentio eſt de modo finium, ad lapides & arma diſcurrunt. In vitam ſuam inuadere alios ſinunt, imò verò ipſi etiam poſſeſſores eius futuros inducunt, Nemo inuenitur qui pecuniam ſuam diuidere velit, vitam vnuſquiſque quam multis diſtribuit? Aſtricti ſunt in continendo patrimonio: Simul ad temporis iacturam ventum eſt profuſiſſimi: in eo, cuius vnius honeſta auaritia eſt.* Infert hinc egregiè, neminem eſſe, in quantumcunque ſpatium vitam produxerit, qui non moriatur immaturus, eò quòd maxima temporis pars, qua vitam produxit in ipſius cenſu non ſit numeranda. [Libet, *inquit*, ex ſeniorum turba comprehendere aliquem. Perueniſſe te ad vltimum ætatis humanæ videmus. Centeſimus tibi vel ſupra premitur annus. Agedum ad computationem ætatem tuam reuoca. Dic quantùm ex iſto tempore creditor, quantùm amica, quantùm reus, quantùm cliens abſtulerit; quantùm lis vxoria, quantùm ſeruorum coërcitio, quantúm officioſa per vrbem diſcurſatio. Adiice morbos, quos manu fecimus. Adiice quod ſine vſu iacuit. Videbis te pauciores annos habere quam numeras. Repete memoriâ tecum, quando certus conſilij fueris, quotus quiſque dies. vt deſtinaueras receſſeris, qui tibi vſus tui fuerit, quando in ſtatu ſuo vultus, quando animus intrepidus, quid tibi in tam longo æuo facti operis ſit: quam multi vitam tuam diripuerint, te non ſentiente quid perderes: quantùm vanus dolor, ſtulta lætitia, auida cupiditas. blanda conuerſatio abſtulerit, quàm exiguum tibi de tuo relictum ſit, intelliges te immaturum mori.]

206. Idem temporis diſpendium eſſe damnoſiſſimum, etiamſi minimi à pleriſque fiat, præclarè tradit Senex ille, cuius hanc auream ſententiam commendat Doroth. doctr. 21. num. 3. *Aurum vel argentum ſi perdiderit homo, poterit tantundem inuenire & reponere: Si verò tempus amiſerit, nequaquam illud vnquam inuenire vel acquirere poterit, neque aliud pro eo aliquando reficere ac reſarcire.* Scitè præterea in hanc ipſam rem Guerricus Abbas ſerm. 6. de purific. *Illud ſanè miſerrimum eſt quod hodie non putatur iactura ſed lucrum ſi dies qui nobis ad purgationem dati ſunt, labantur nobis dormiendo, prætereant & pereant negligendo. Gentilis quidam, vt aiunt, cùm ſederet ad menſam veniſſétque in mentem, nihil extremum aut memorabile ſe egiſſe die illo, cum gemitu graui & dolore menſam pepulit, exclamans.* O amici diem perdidi. *Nos hodie dicere videbimur*, diem lucrifeci. *ſi ſine opere totus per inertiam poſſit elabi. Sic nullus ferè eſt, qui tempori pretium ponat, qui cogitet apud ſe, quantum valeat ad comparandā æternitatem, dies vna.* Egregiè itē Dio Chryſoſt. orat. 20. verbis illis *Sicut prodigi pecuniarum haud queunt reddere rationem, ad quid quaſque expenderint, & nihilominus multas apparet expenſas eſſe pecunias: ita multi neque temporis, neque vitæ poſſent reddere rationem, ad quid quanque diem inſumpſerint, nec menſem, aut annum: Apparet tamen vitam præteriiſſe.*

teriiſſe, & tempus eſſe inſumptum, non parui æſtimandum hominibus, ne ſuc minoris (mea ſententia) quàm argentum. Attamē vnâ drachmâ perditâ neceſſe eſt animum aliquo modo ſentire & morderi: Si verò plures profuderis quis, non multi ſunt qui non commoueantur: Hoc autem dico, non quod contriſtentur & mordeantur ob negligentiam, & eò quòd non attenderint propter quæ dignum erat morderi, ſed ob drachmarum perditionem. Die verò tranſactâ & perditâ, aut duabus, aut tribus, nemo eſt qui curet: Cæterum illic computare rem poſſunt, quòd ſi non attendant, curámque adhibebant, latenter omnes facultates effluxerint, præterierintque. Hic verò non poſſunt idipſum computare; quòd ſi non prouideant vnanquanque diem, vigilémque ne temerè tranſigatur, ita latenter omnis vita effluat diſpersátque.

Felicitas benè, hoc eſt, ex honeſtate, exigentium vitæ tempus, & ſapientum in hanc rem ſtudia.

Itaque fœlicem planè, nec ter tantùm quatérque ſed infinities beatam eorum ſortem, quorum ea eſſe poterit in exitu è corpore, gratulantium ſibi rectè impenſum tempus oratio, quam ſibi decentis tam breue vitæ ſpatium ſollicitudinis rectè operandi curâ preſſo optat Epictetus lib. 4. c. 10. Si *verſantem*, inquit, *talibus in actionibus* variarum virtutum, quas recenſuerat, in eis ac per eas conceſſum vitæ tempus rectè exigentem, *mors me arripiat, ſatis mihi erit ſi porrectis ad Deum manibus ſic loqui valeam: Quis à te accepi facultates, quibus percipere poſſem tuam adminiſtrationem, eique me obſequentem exhibere: eius ſanè ſtudij ego cultum non neglexi. Quantum in me fuit ignominia te non affeci. En aſpice vt fuerim vſus ſenſibus meis, vt anticipatis notionibus. Num aduerſus te fui aliquando impatiens. Num ægrè tuli quicquā quòd mihi accidiſſet, aut ſecùs vt fieret optaui? Num quos reſpectus officiorum ſum tranſgreſſus, ad quos tu me genuiſti? Pro his quæ dediſti mihi, gratias habeo, ſatis mihi eſt quoad his vſus ſum. Reſtituo rurſus hæc tibi, quocunque viſum fuerit loco reponens: tua enim fuerunt omnia iſta, quum abs te dante acceperim.* Subdit Epictetus. *Num ſatis eſt, ſic animo affectum è vita migrare? Aut quæ vita melior decentiórque, quàm eius qui ita ſe gerit aut quinam diſceſſus è vita beatior?* Eſt inſignis alius in hanc rem locus apud Platonem lib. 1. de Repub. ex Pindaro quem profert. Deſcripſit bona ex parte eum locum Platonis Iuſtinus in Paræn. dignuſque eſt qui hic adſcribatur. Ita habet. *Poſtquam eò deuenit aliquis vt moriturum ſe opinetur, inuadit eum timor, & cura quædam, vita acta per ſocordiam. Nam & fabulæ quæ de inferis narrantur, quomodò ſceleſtos pœnas meritas dare illic oporteat, irriſæ hactenus mouent tunc animum, ne forsè vera ſint ſollicitum: & ipſe ſiue propter ſenectutis debilitatem, ſiue quia propinquior illis, res eorum magis conſiderat. Proinde anxius ſecum reputat, num quem affecerit aliqua iniuria. Qui ergo inuenerit ſæpè ſe iura violaſſe, terretur ſicut pueri ſomno exciti, & cum ſpe viuit peſſima. Qui autem nullius maleficij ſibi eſt conſcius, eum comitatur ſuauis ſpes, ſenectutis altrix commoda, vt inquit Pindarus. Scitè namque, mi Socrates, id cecinit. Quicunque iuſtè ſanctéque vitam exigit, dulcis eum ſpes ſequitur, cor nutriens, ſenectutémque fouens, quæ ſpes maximè hominum verſatilem gubernat animum.* Hæc de ſenſu proborum & quiete ſub vitæ exitum & ſcammatis huius metam, Plato & Pindarus.

207. Intenti in hanc curam, nec leuiter ſtimulati deſiderio beati huius exitus, poſt collocatum vtiliter vitæ perbreuis ſpatium fuere plerique alij Philoſophi. Eò enim ſpectat crebra apud eoſdem imminentis mortis inculcatio. Idcircò enim profeſſionem philoſophicam, *mortis meditationem* agnominarunt, quaſi perpetuâ ea cognitione fodicari Philoſophi pectus debeat, moriendum breui eſſe; atque adeò, dum per tempus licet, omni ſtudio incumbendum in virtutem, vnicum æternæ vitæ viaticum. Pythagoras autem, vt eam ipſam Philoſophiam factis infigeret, referente Porphyrio apud Stobæum in Eclogis Phyſicis, c. 50. *Mandanit quotidie ſtragula colligi, tanquam ſit mors peregrinatio, eáque ſemper ſis paratus expectāda.* Quod minus commodè acceptum & intellectum videtur apud Plutarchum 8. Sympoſ. q. 7. Tametſi non ineptè huc cadit interpretatio indictæ à Pythagora conuolutionis ſtragulorum ab ipſo deſerti cubilis puncto, vt ſignificaret, non eſſe de die repetendum cubile, ibique ſtertendum, ſed ſtrenuè laborandum in virtutis operibus. Nam eadem ex cauſa, vt ibidem additur, interdicebatur Pythagoræis ſubleuatione ſociorum & aliorum in deponendo onere, quòd id ad quietem ſpectet, quam in ſtudio honeſti, & virtutum exercitatione exoſam volebant. Iuuabant tamen in aſſumendo onere, quod id ad laborem pertineat, quo vnicuique, dum viuit, ſollicitè defungendum ſignificabant eo præcepto alioqui inhumano & abſurdo. Itaque intelligebant hi Philoſophi, quantùm ſit momenti in contuitu citæ mortis, & breuis vitæ, per quam ſolam æternitatis viaticum parare datur, eáque conſideratione ſe ad operandum ex virtute, & excutiendum torporem extimulabant.

208. Scitè Epictetus libros c. 5. inſtituendam ſic cogitationem monens. *Non ſum æternus, ſed homo pars vniuerſi tanquam hora pars eſt diei. Præſto me adeſſe tanquam horam oportet, itémque tranſire vt horam.* Seneca ne de hora quidem certum eſſe hominem ſinit in Conſol. ad Marciam, c. 9. & perpetuò nos emori grauiſſimè admonet epiſt. 24. ex amici ſcriptione. Itaque enitendum duntaxat, vt tam longis ac diuturnæ mortis loco ſubeat æterna vita aduocata per virtutem, alioqui vt cætera abeſſent, homo ſibi in puncto mortis immane tormentum fiet. Audi Senecam epiſt. 26. *Ego certè velut appropinquet experimentum, & ille laturus ſententiam de omnibus annis meis dies venerit, ita me obſeruo & alloquor. Nihil eſt, inquam, adhuc, quod aut rebus aut verbis exhibuimus. Leuia ſunt iſta, & fallacia pignora animi, multiſque inuoluta lenociniis. Quid profecerim, morti crediturus ſum. Non timide itaque componor ad illum diem, quo remotis ſtrophis ac fucis de me pronunciaturus ſum vtrum loquar fortia an ſentiam, nunquid ſimulatio fuerit, & mimus, quicquid contra fortunam iactaui verborum contumaciam. Remoue exiſtimationem hominum: dubia ſemper eſt, & in partem vtramque diuiditur. Remoue ſtudia totam vitam tracta, mors de te pronunciatura eſt. Ita dico diſputationes, & litterata colloquia, & ex præceptis ſapientium verba collecta, & eruditus ſermo, non oſtendunt verum robur animi. Eſt enim oratio etiam timidiſſimis audax. Quid egeris tunc apparebit, cùm animum ages. Accipio conditionem, non reformido iudicium. Hæc mecum loquor, ſed tecum quoque me locutum puta.* Idem optimè epiſt. 12. *Sic ordinandus eſt dies omnis, tanquam cogat agmen, conſummet atque expleat vitam. Pacuuius, qui Syriam vſu ſuam fecit, cùm vino & illis funerèis epulis ſe ſepeliſſet, quaſi ſibi parentaret, ſic in cubiculum ferebatur à cœna vt inter plauſus exoletorum, hoc ad ſymphoniam caneret* βεβίωκε, βεβίωκε. *Nullo nō ſe die extulit. Hoc quod ille ex mala conſcientia faciebat, nos ex bona facimus, & in ſomnum ituri hilaréſque dicamus.*

Vixi, & quem dederat curſum fortuna, peregi.

Craſtinum ſi adiecerit Deus læti recipiamus. Ille beatiſſimus

mus eſt, & ſecurus ſui poſſeſſor, qui craſtinum ſine ſollicitudine expectat. Quiſquis dicit, Vixi quotidie ad lucrum ſurgit.

Concluditur immanens honeſti vtilitas, tranſiens dimittitur

Hactenus pro rei dignitate breuiter, de honeſti vtilitate, vt ita dicam immanente. Eum verò fructum, quem ad alios tranſmittit, præſtat præterire, quàm nimiùm ieiunè attingere. Præſertim cùm neminem lateat bonam virtutum partem aliis quàm ſuppoſito cui inexiſtit commodare, ſaluo ſemper eo commodo quaſi intrinſeco, quod eidem obuenit ex tam pretioſæ mercis comparatione. Et vt alia omnia extrinſeca & ad reliquos manantia commoda abeſſent; illud tamen perpetuum eſt, nec diuelli ab honeſto poteſt, quòd blandè ſimul ac potenter illicit ad ſui imitationem omnes, ad quos ſui notitiam diffundit. *Non tamen enim odoratum redolet pratum*, ait Theod. ſtudia ſcrm. Catech. 111. *quam animus virtutibus fragrans.*

Generalium ad honeſtum ſubſidiorum, claſſes duæ

109. Satis de potiore capite, quo incentiua generalia ad capeſſendam honeſtatem, digerenda propoſueram Alia enim ſpecialiora & minutiora ad honeſtum illectantia quæ ad infinitum multiplicare liceret, huc reuocari omnia poſſunt. Nec illud in præſentia ago, vt omnia in hoc genere complectar quod immenſum eſſet: ſed vt vniuersè fontes indicem, ex quibus riuulij & truncum ac caudicem, ex quo rami deducuntur. Itaque iis quæ propoſui vniuerſaliſſimis incentiuorum capitibus contentus, attingo breuiter adiumenta ac inſtrumenta vniuerſalia, ad honeſtum item vniuersè ſpectatum, quæ partim deforis petũtur. partim intrinſeca ſunt, & ad modum in capeſſendo honeſto ab eius ſtudioſo tenendum pertinent.

Externa, ac primùm Oratio.

PRimum & maximè idoneum eſt oratio, quòd ad Deum non perueniatur niſi per Deum. Peruenitur autem per honeſtatem, quæ proinde à Deo poſcenda eſt. Hæc Philoſophi ſubobſcuriùs, nec quomodò ad Deum perueniri poſſit ſatis peruidentes. *Vtcunque tamen etſi de longinquo, etſi acie caligante*, vt S. Auguſtinus 10. Ciuit c. 2, . rectè dixit, agnoſcentes infirmitatem humanam, & in gratiæ diuinæ agnitionem incurrentes. Quod ibi S. Auguſtinus rectè eruit ex illis Porphirij verbis, quibus aſſerit concedi aliquibus, vt ad Deum pertingant.

Sed illuſtriſſime Maximus Tyrius diſſert. 26. num. 154. Adſcribo partem loci inſignis, præciſo capite, quod reliquum corpus fœdaret. [Fieri non poteſt vt mens humana quæ eius eſt imbecillitas, (præſertim cùm ſecunda hac vita, denſiſſima in caligine, multóque & aſſiduo præſentium malorum in tumultu verſetur ac ſtrepitu, à quibus perturbari eam neceſſe eſt,) rationis vt omnia aſſequatur. Quis enim tam expeditas ac prouidus viator, vt non interr eundem vel in cœcam foueam, aut occultum palum, aut præcipitium incidat aliquod, aut ſcrobem? Aut quis tam peritus prouidúſque gubernator, vt mare ſine fluctibus aut procellis, ſine ventorum impetu, ſine vlla perturbatione aëris poſſit tranſmittere? Quis tam in arte ſua verſatus Medicus, qui non interdum occulto aliquo inſperatóque perturbari morbo poſſit? ſi præſertim plures, aliúſque aliunde accedat, qui omnes diſciplinæ euertat regulas. Aut quis vir tam bonus, qui vitá inoffenſo pede, nullóque lapſu percurrere (cùm præſertim non minùs difficultatis habeat, quàm corpus ægrum, nauigatio incerta, via plurimis in locis ſuffoſſa) vt non in his manuductore opus habeat Deo? Præclara res eſt, fateor, per ſe virtus, paratúque facillima, & in actionibus humanis efficaciſſima ſed in materie improba, incerta, plurimæ ambiguitatis pleniſſima verſatur, quam fortunam ducunt homines re cæca miniméq; ſibi æquali. Hæc cum virtute congreditur, virtuti reſiſtit, cum virtute pugnat, ſæpiúſq; illam ex aduerſo interueniens perturbat. Non aliter quàm cùm nebulæ in aëre radios ſolares occupant, eiúſque nobis lumen eripiunt, manet quidem ſol, non minùs quàm antè fuit pulcher, nobis tamen non apparet. Eodem modo virtutem intercipit fortunæ interuentus. Nec enim propterea minùs per ſe pulchra eſt virtus, ſed tanquam cœca nebula. caligine obducitur, obſtruiturque, ac tum potiſſimùm adiutorem Deum ſociúmque certaminis ac defẽſorẽ requirit.] Hæc ille Platonicus.

210. Et verò de Platonis ſententia, virtutes diuinitùs inſeri alibi oſtendo: ex quo conſequitur opportuniſſimum ad virtutis conſecutionem ſubſidium eſſe orationem. Hinc crebræ apud Socratem voces, virtutem à Deo efflagitantis, aut pulcbritudinem animi, quæ ex virtute eſfloreſcit. Sic enim Clemens Alex 5. Strom. c. 6. interpretatur illam Socratis in Phœdro procreationem *O Pan & Dij alij, date mihi vt intus pulcher ſim & honeſtus.* Nec abhorruere ab hoc virtutum parandarum inſtrumento Stoici: imò illud familiare habuerunt. Nam quamuis S. Auguſt. tract. de Stoicis & Epicureis, & ſæpè alibi, Stoicos tumoris & ſuperbiæ damnet, quòd ſibi à ſe turpitudinem fore arrogarent: quandoquidem virtus, in qua illi ſitam beatitudinem rebantur, voluntatis noſtræ & exercitationis partus eſt: Tamen non negabant, diuino ad id auxilio plurimùm iuuari hominem, ſine abactis rectè agendi impedimentis, & complanata via ad virtutem, ſiue ſuppeditatis vberioribus auxiliis, quorum interuentu homo quod alioqui aſſecuturus non fuiſſet, vel ægrius certè & difficilius aſſequeretur. conſequi certò & expeditè poſſit. Qua in re, vniuersè loquendo, errorem quidem non declinarunt, imò Pelagiano tumori, vt idem D. Auguſtinus ſæpè appellat, viam munierunt; Quandoquidem Deus, vt rectè contra Ethnicos, Iouis, id eſt *iuuantis patris* appellationem Deo tribuentes, diſputat Lactantius . . Inſtit. c. 11. non tantùm nos adiuuat. in ii. quæ per nos ipſos alioqui poſſemus; ſed multò potiorem beneficientiam exhibet. Tamen ſpectando virtutis exercitationem & adeptionem intra philoſophicos limites, & per ſe, ac ſecluſis extrinſecis difficultatibus ita eam voluntati & libertati ſuæ tribuere poterant, vt eſſet ſemper diuino auxilio, ac proinde etiam precationi locus.

Atque ita commendatam in hoc genere orationem apud eos ſæpè legimus, nominatimque apud Hieroclem, in aurea Pythagoræ carmina, paſſim. Nec diſcrepat Seneca epiſt. 41. Tametſi enim initio negare videtur orandum eſſe vt bona mens impetretur, quòd quiſque ſibi eam à ſe impetrare poſſit; tamen hanc ipſam libertatis inflexionem in bonum Deo mouenti tribuit, vt docent illa eius eod. loco *Propè eſt à te Deus, tecum eſt, intus eſt. Ita dico, Lucili, ſacer intra nos ſpiritus ſedet, malorum bonorúmque noſtrorum obſeruator & cuſtos: hic prout à nobis tractatus eſt, ita nos ipſe tractat. Bonus vir, ſine Deo nemo eſt. An poteſt aliquis ſupra fortunam, niſi ab illo adiutus exurgere? Ille dat conſilia magnifica, & erecta. In vnoquoque virorum bonorum, (quis Deus, incertum eſt.) habitat Deus* Vnde mox infert quanta veneratio viro probo &

virtu

virtutem colenti ex inhabitante Deo debeatur. Et mox. *Vis iſtuc diuina deſcendit: animum excellentem, moderatum, omnia tanquam minora tranſeuntem, quicquid timemus optamúſque ridentem, cæleſtis potentia agitat. Non poteſt res tanta, ſine adminiculo Numinis ſtare.*

2. *Externum honeſti exemplar, vir probus.*

211 Secundùm Deum ſummoperè commendant Stoici familiarem vſum eius, quem Deus habet amicum, hoc eſt viri probi; hunc enim aiunt debere honeſtatis ſtudioſo propoſitum ſemper eſſe tanquam exemplar rectè operandi: hanc illi ſemper obſeruari, tanquam regulam & normam volunt: cum eo conuerſationem ſuadent frequentem, imò iugem & perpetuam. Seneca hoc frequentiſſimè ingerit. Signabo illuſtriora quædam loca. In fine epiſtolæ 11. *Iam clauſulam epiſtola poſcit; accipe, & quidem vtilem & ſalutarem, quam te affigere animo volo. Aliquis vir bonus nobis eligendus eſt, ac ſemper ante oculos habendus, vt ſic tanquam illo ſpectante viuamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus. Hoc, mi Lucili, Epicurus præcepit: cuſtodem nobis & pedagogum dedit: nec immeritò. Magna pars peccatorum tollitur, ſi peccaturis teſtis aſſiſtat. Aliquem habeat animus, quem vereatur, cuius autoritate etiam ſecretum ſuum, ſanctius faciat. O fœlicem illum, qui non aſpectus tantùm, ſed etiam cogitatus emendat! O fœlicem, qui ſic aliquem vereri poteſt, vt ad memoriam quoque eius ſe componat, atque ordinet! Qui ſic aliquem vereri poteſt, cito erit verendus. Elige itaque Catonem: ſi hic videtur tibi nimis rigidus, elige remiſſioris animi virum Lælium; elige eum cuius tibi placuit & vita, & oratio, & ipſius animum ante ſe ferens & vultus, illum ſemper tibi oſtende vel cuſtodem, vel exemplum. Opus eſt, inquam, aliquo, ad quem mores noſtri ſeipſi exigant. Niſi ad regulam, praua non corriges.*

Epiſtola 25. ex Epicuro idem præceptum iterat. [Epicurus, cuius aliquam vocem huic epiſtolæ inuoluam. Sic fac, inquit, omnia tanquam ſpectet aliquis. Prodeſt ſine dubio, cuſtodem ſibi impoſuiſſe, & habere quem reſpicias, quem intereſſe cogitationibus tuis iudices. Hoc quidem longè magnificentius eſt, ſic viuere tanquam ſub alicuius boni viri, ac ſemper præſentis, oculis. Sed ego etiam hoc contentus ſum, vt ſic facias quæcunque facies, tanquam ſpectet aliquis. Omnia nobis mala, ſolitudo perſuadet. Cùm iam profeceris tantùm, vt ſit etiam tui reuerentia, licebit dimittas pædagogum. Interim te aliquorum autoritate cuſtodi. Aut Cato ille ſit, aut Scipio, aut Lælius, aut cuius interuentu perditi quoque homines vitia ſupprimerent: idem de te efficis eum, coram quo peccare non audeas. *Epiſtola* 94. Nulla res magis animos honeſtate induit, dubióſque & in prauum inclinantes, reuocat ad rectum, quàm bonorum virorum conuerſatio. Paulatim enim deſcendit in pectora, & vim præceptorum obtinet, frequenter audiri, aſpici frequenter. Occurſus mehercule ipſe ſapientium iuuat: & eſt aliquid quod ex magno viro vel tacente proficias. Nec tibi facilè dixerim quemadmodum proſit, ſicut illud intelligam profuiſſe. Minuta quædam, vt ait Phædon, animalia, cùm mordent, non ſentiuntur: adeò tenuis illis & fallens in periculum vis eſt; tumor indicat morſum, & in ipſo tumore nullum vulnus apparet. Idem in conuerſatione virorum ſapientium eueniet. Non deprehendes quemadmodum, aut quando tibi proſit: profuiſſe deprehendes.]

Rurſus epiſt. 108. ex Attalo *Ea Philoſophia vis eſt, vt non ſolùm ſtudentes, ſed et eos conuerſantes iuuet. Qui in ſolem venit, licèt non in hoc venerit, colorabitur. Qui in vnguentaria taberna reſederunt; & paulò diutiùs commorati ſunt; odorem ſecum loci ferunt. Et qui apud Philoſophum fuerunt, traxerint aliquid neceſſe eſt, quod prodeſſet etiam negligentibus. Attende quid dicã. negligentibus, non repugnantibus. Quid ergo? Non nouimus quoſdam qui multis apud Philoſophiam annis perſederint, & ne colorem quidem duxerint? Quidni nouerim? Pertinaciſſimos quidem & aſſiduos: quos ego non diſcipulos Philoſophorum, ſed inquilinos voco.* Hoc conſilio prouideri à Deo qualibet ætate probum aliquem, ne aut exemplum ei ſeculo aut conuitium deſit, habetur ex eod. Seneca 7. de benef. c. 8. & ex Paulino epiſt. 29. Idem habet S. Chryſoſt. homil. 5 in Geneſ. ſuſpiciens inſuper reuerentiam quam virtuti deferunt in huiuſmodi hominibus etiam qui illa carent. Sed pulcherrimè homil. de contin. Ioſeph. exponens quantùm ad continentiam omnémque virtutem proſit, inſigne exemplum probitatis inſpicere diligenter, *Eam ob rem,* inquit, *virtutes Sanctorum celebrare ſacris Scripturis voluit Deus, vt omnes homines in illorum trahantur imitationem, veſtigiáque illorum diligenter ſequendo, perſuaſi continentiam parent. Etenim ſi in gymnicis certaminibus plerique viſis Athletis, coronatis accenſi, etiam ipſi ſe exercuerunt, & multos ſudores laboréſque pertulerunt, vt ramis vel olea vel lauri coronarentur, quanta nos conuenit alacritate pro continentia ſudores ferre, quando alios à Deo coronatos videmus, vt cæleſtibus redimamur coronis propter bona ſalutariáque facinora? Porrò non in ſolis hominibus videmus ſimilium imitationem, ſed & in brutis. Nam & columba ſæpè viſa vna auolante ſtatim ſequuntur omnes. Et pullus generoſus in equorum armento exiliens, ſecum rapit omne armentum. Et inter vos vt in armento Chriſti bonus eſt pullus Ioſeph continentiſſimus, cæleſtibus exultationibus ad ſui imitationem nos conſeruos vocans.* Ex Scripturis pulcherrimè & latè in eandem ſententiam diſſerit S. Gregor. l. 24. mor. à cap. 8. ad 12. tractans illud, *Reſpiciet homines, & dicet peccaui.* Et hom. 10. exponens motum animaliũ ſacrorum concutientium alas ſuas, ſeque ad volãdum prouocantium.

212. Frequenter prætereà hoc ad honeſtatem ſubſidium tradunt reliqui. Illuſtriſſimè Epictetus apud Arrian. l. 2. c. 18. iam adductus, tradendo ſubſidia generalia ad coërcendas paſſiones. Concinit Muſonius lib. *quiſnam quæſtus Philoſopho conueniat. Haud multis,* inquit, *verbis opus eſt illis qui rectè philoſophaturi ſũt: neque multitudo illa iſtorum theorematum, quæ gloriantes Sophiſtas videmus, diſcenda eſt adoleſcentibus. Hæc enim profectò, integram hominis ætatem contererent.* Itaque idoneum medium eſſe ait, ſecedere cum præceptore ruſticante, & eius conuerſatione ac exemplis ſemper frui. *Etenim ex veris Philoſophiæ amatoribus nullus eſt, qui non cuperet cum bono viro viuere in agro, quomais difficilimo; vt potè fruiturus conuerſatione iſta magno cum fructu, dum dies noctéſque cum præceptore agit, & ab incommodis vrbanis, quæ Philoſophum impediunt, remotus eſt, & latere non poteſt, ſiue quid benè, ſiue malè faciat, quod maximè conducit in inſtituendis. Ad hæc cibum potúmque ſumere, ac dormire in boni viri conſpectu, perquàm vtile eſt. Ea ſanè quæ ruralem conuictum neceſſariò ſequuntur, Theognis quoque laudat hiſce verſibus: Cum illis bibe ac ede, & cum iiſdem aſſide, & placeas illis, quorum magna vis eſt. Quod autem non alios viros, quàm bonos intelligat magnam vim habere ad hominum vtilitatem, ſi quis vnà cum ipſis edet, bibat & aſſideat, alibi expoſuit, vbi ait: A bonis quidem bona diſces; ſi verò malis conuerſere, priſtinam quoque mentem perdes,* Quid quod apud aliquos, huius ſubſidij vſus, lege firmatus traditur? *In Epheſiorum literis,* ait Antoninus l. 11. n. 25. *erat hoc præceptum, quod iubebat quotidie reminiſci*

miſci alicuius ex antiquis qui virtutem coluiſſent. Et lib.6, n.4. grauiſſimè commendat ingem proborum quibuſcum vitam ducimus recogitationem, quod nihil ſit ea cogitatione ſuauius. Pleraque in hanc ſententiam ex variis congeſſit Lælius Biſciola tom. 2. ſubſec.l.7.c.2 Et quædam in hanc rem ex nonnullis attigit Petrarcha lib. 1. de vita ſolitaria ſect. 4. cap.8. qui quod addit Philoſophicum hoc honeſti inſtrumentum non eſſe Chriſtiano homini neceſſarium quod ei Angelus comes & Chriſtus vbique præſens. teſtium officium vbiuis præſtent : quod inquam hoc addit Petrarcha, ita admitto, vt veriſſimum quidem ſit hos eſſe teſtes maximè idoneos, & ad hominem virtutis ſtudio incendendum accommodatiſſimos : id quod ille eleganter & copioſè perſequitur. Poſſe tamen ab aliis item teſtibus hoc virtutis ſubſidium vtiliter peti, non eam inficias.

Neceſſaria exemplaris illius familiaritas, quidque in ea cauendum.

213. Opportuniſſimum porrò eſſe, vt exemplar hoc operandi propinquiſſimum ſit operanti, docent iſta à Dione in ſimili tradita orat. 18. *Quemadmodum pictoribus, fictoribúſque non ſatis eſt dicere tales oportere eſſe colores, taléſque lineas; ſed maxima vtilitas eſt ſi quis eos aut pingentes aut fingentes cernat. Vtque puerorũ exercitatoribus non ſatis eſt dicere luctandi genera, ſed neceſſarium oſtendere ea diſcenti : ita & in huiuſmodi conſiliis vberior eſſet vtilitas, ſi quis quem conſulta facere videret.* Eâque etiam ex cauſa Seneca epiſt.6. pluris facit magiſtri morum auditionem, quàm ſcriptorum eius lectionem; quòd lectio aliquid ſit emortuum; conuictus autem & aditio ad magiſtrum, adiuncta habeat exempla Sic enim affatur amicum libros morales expoſcentem. *Mittam ipſos tibi libros, & ne multùm opera impendas, dum paſſim profutura ſectaris, imponam notas, vt ad ea ipſa protinus quæ probo & miror, accedas. Plus tamen tibi viua vox & conuictus, quàm oratio proderit. In rem præſentem venias oportet. Primùm quia homines ampliùs oculis quàm auribus credunt. Deinde quia longum iter eſt per præcepta, breue & efficax per exempla. Zenonem Cleanthes non expreſſiſſet, ſi eum tantummodo audiſſet. Vitæ eius interfuit; ſecreta perſpexit, obſeruauit illum an ex formula ſua viueret. Plato & Ariſtoteles & omnis in diuerſum itura ſapientium turba, plus ex moribus, quàm ex verbis Socratis traxit. Metrodorum, & Hermachum, & Polyænum magnos viros non ſchola Epicuri, ſed contubernium fecit.* Nimirum ex contubernio atque conuictu exiſtit exemplorum & incitamentorum ad virtutem maior notitia : quæ vna eſt ratio, qua boni alios ad virtutem iuuant; ita vt cùm ægrum ſanus corpore non iuuet ad comparandam ſanitatem, tamẽ ſanus animo, ſiue virtute excultus, alios ad virtutem prouocet & iuuet; quia notitia boni alieni moralis, ad imitationem prouocat, vt Ariſtoteles philoſophatur ſect.29.probl.q 10.

Illud verò in hac alienæ virtutis imitatione prudenter obſeruatum eſt à Caſſiano lib.5.de Inſtit. c.4. ex Beati Antonij, perfectum Monachum informantis, doctrina, non debere quenquam *ab vno quamuis ſummo vniuerſa genera virtutum expetere. Alius enim ſcientia floribus exornatur, alter diſcretionis ratione robuſtius communitur, alter patientia grauitate fundatur, alius humilitatis, alius continentia virtute præfertur, alius ſimplicitatis gratia decoratur. Hic magnanimitatis, ille miſericordia, iſte vigiliarum, hic taciturnitatis, ille laboris ſtudio ſupereminet cæteros. Et ideircò Monachum ſpiritualia mella condere cupientem, velut apem prudentiſſimam habere vnamquamque virtutem ab his, qui eam familiariùs poſſident, deflorare, & in ſui pectoris vaſe diligenter recondere, nec quid minus aliquis habeat diſcutere; ſed hoc tantùm, quod virtutis habeat contemplari, ſtudioſéque decerpere. Cunctas namque ſi ab vno volumus mutuari, aut difficilè, aut certè nunquam, idonea ad imitandum nobis exempla poterunt reperiri.* Confirmat hoc ea Apoſtoli voce, qua tradit Deum in altera quidem vita futurum omnia in omnibus : hîc tamen in vno vnam aliquam virtutem, in alio alteram luculentiùs exhibere, nec niſi ex vniuerſo piorum cœtu corpus ſuum myſticum numeris omnibus abſolutum compingere, & quaſi membratim per ſingulos diuidi. Quare conſultiſſimum eſſe quid in vnoquoque emineat conſiderare, idque exprimere, dimiſſis iis quæ minùs habet : hoc eſt prætermiſſis adiunctis defectibus, qui nemini in hac vita deſunt. Virtus enim in hac vita, vt ſcitè Philo dixit, colluctationem Iacobi & claudicationem exponens, neutiquam rectipes eſt. Et quemadmodum nemo hîc eſt adeò peruerſus, quin aliquid retineat probum ac honeſtum, vt rectè demonſtrat S Chryſoſtomus homil. 12. in Acta, *in moral.*: ita nemo eſt adeò rectus, quin aliqua ex parte diſtortus ſit. Itaque ſepoſito defectu admiſto, in vnam virtutis alicubi eminentis perfectionem, intendendum. Hoc intelligo, dummodò alioqui ſit accommodata ei qui virtutem alterius exprimere imitatione meditatur. Non enim omnibus omnia congruunt : & quod in eo aliquo laudatur, in alio ratione ſtatus diuerſi aliarúmve circunſtantiarum, damnatur. Itaque quod Fabius l.11. c.3. de Oratoris, vt vocat, *proprietatibus*; dixit, non eſſe alteri imitatione tentandas, hoc ipſum de quibuſdam moralibus ornamentis licet dicere. Quanquam quod præcisè ad excelſitatem honeſti attinet, infrequentius in hac re eſt periculum abſurdè, quod idem Fabius in Oratoribus ridet l. 6. c. 1. cum Herculis perſona atque cothurni penſionibus aptantur : Non diſſimiliter ac Plutarchus in præcept. polit. puerulos rideri ait, cùm nituntur ſubligare ſibi parentum crepidas, eorúmve coronas capitibus ſuis imponere. Hoc aio in præſenti negotio eſſe minus timendum. Nemo enim prohibetur conniti ad honeſtatem ſtatui ſuo conuenientem quantumuis eminenter in alio ſplendeat. Siue porrò eiuſdem conditionis nobiſcum ſit, ſiue depreſſioris, is qui virtute præfulget, nihil hoc ad imitationis ſtudium aut incendendum aut reſtringendum. Prudentiſſimè ſanè S.Gregor l.7. epiſt.63. *Ego & minores meos quos ab illicitis prohibeo, in bono imitari paratus ſum. Stultus eſt enim qui in eo ſe primum exiſtimat vt bona quæ viderit, diſcere contemnat,*

Ridiculi autem omnino ſunt, qui vinum & fæces ebibunt; amurcámque æquè ac oleum de alienis factis imitatione exprimunt, per admodum abſonam cacozeliam. Qualis eorum, qui Ariſtotelis balbutiem imitabantur; ac gibboſitatem Platonis effingere in ſeipſis ſatagebant. Alexandri Magni in loquendo vocis elationem & vitioſam colli obtorſionem, pleroſque Reges æmulatos vt Alexandro per omnia reſponderent, Plutarchus in Pyrrho autor eſt. Craſſi eloquentiam imitatos pleroſque, ſupploſionem pedum, quod erat vitium Craſſi inter dicendum, malè expreſſiſſe, ex Tullio diſcimus. Idem defectus diſcipulorum Portij latronis, qui, vt eſt apud Plinium l.20.cap.14. magiſtri pallorem, eſu cumini ſylueſtris affectabant. Pleroſque idem imitari in D. Baſilio tentaſſe, ſcribit S. Gregorius Nazianzenus orat.10. n.101. quos ille, Baſilij ſtatuas in vmbris, & repetitas Echus voces, ſcitè nominat. Denique apud S. Hieronymum l.3. aduersùs Ruffinum, Quidam Romæ Grammaticum

Afrum habuit eruditiſſimum, & in eo ſe æmulum eius putabat, ſi ſtridorem linguæ eius, & vitia tantùm oris exprimeret. Hanc dico eſſe peruerſam imitandi rationem, & in moralibus eò periculoſiorem, quantò grauius in eis ſubitur damnum, alienorum ad nos malorum deuocatione. In Polybij fragmentis hæc patergorum pro rectè factis expreſſio, indicij inopiam, & imbecilitatem arguere dicitur; Verè omninò.

3. *Fidus ad honeſtum adiutor, & monitor, ac hortator.*

214. Ad propoſitum virtutis ſubſidium, reducitur crebra monitio & cohortatio ad bonum, à fido virtutis aſſequendæ adiutore Nam hunc vt proſit, nec ſe ridiculum exhibeat vrgendo ad ea, quæ ipſe negligit, neceſſe eſt, probum & virtutis ſtudioſum eſſe, vel haberi: alioqui condemnaret duntaxat ſeipſum, & nihil commodaret ei quem admonet; iuxta illud Iuſtini ad Zenum & Serenam. *Nonnulli proximos admonendo ſeipſos condemnant. Quod enim quis docet alterum, hoc ipſe prior faciat, ne imprudens dum proximum arguit, contra ſemetipſum ferat ſententiam.* Subdit de inquiſitione in ſeipſum præmittenda à monitore, vt agnoſcat ſitne integer vitæ, quoad illud ſaltem de quo alium admoniturus eſt.

Eſſe autem monitionis illius & adhortationis, (etiamſi veritas quæ proponitur non ignoretur,) inſignem vſum ad virtutis adeptionem, docet ex inſtituto Galenus lib. de cognoſcendis & curandis animi affectibus. Adſcribo breuiculum quorundam ſelectiorum. [Singulis itaque diebus habere hanc in promptu opinionem oportet, quod præſtet quidem vnumquenque ſeſe exhibere dignum, qui egregius ac frugi ab omnibus appelletur. Hæc autem fieri non poteſt vt contingat nobis, niſi eum qui ſingula errata indicet, cenſorem admonitorémque habuerimus: quem ſanè ipſum noſtrorum peccatorum indicem, & ſeruatorem noſtrum, & amicum maximum exiſtimare conuenit, Qui quidem etſi tibi viſus fuerit aliquando falſa crimina obiicere, ne ob id quidem iraſci oportet, & quòd multò meliùs quàm tu, ille ſingula peccata tua perſpicere poſſit; & quòd licet falſum quandoque tibi crimen obiciat; in eo tamen tibi ſit vtilis, quòd te ad eorum quæ agis diligentiorem obſeruationem excitet. Curabis autem perpetuò vt quàm dignus ſis, quantique faciendus à teipſo, non ab alio, accipias: habénſque in memoria ſemper, quanta ſit eorum qui iraſcuntur, deformitas animi, quantaque rurſus venuſtas eorum qui ſine ira viuunt; omnibus accuſandi teipſum poteſtatem facias, gratiámque habeas non adulantibus, ſed obiurgantibus potiùs. Pateant autem ſemper domicilij tui fores, vt liceat notis ac familiaribus omni tempore ingredi: cùm ſic affecto atque omnia ritè facienti verendum tibi non ſit, nec ab ingredientibus aliquo magno ſcelere implicitus deprehendaris.] Hæc ſummatim ibi Galenus.

215. Idem ex inſtituto confirmat Seneca epiſt. 95. Illud tandem ex longa diſputatione colligens *Neceſſarium itaque eſt admoneri & habere aliquem aduocatum bonæ mentis, eque tanto fremitu tumultúque falſorum, vnam denique audire vocem. Quæ erit illa vox? Ea ſcilicet quæ tibi tantis clamoribus ambitioſis exſurdato ſalubria inſuſurraret verba.* Scitè probū dextrúmque monitorem appellat bonæ mētis aduocatum quod bonæ mentis iura tueatur & illæſa præſtet, quod ipſum facit in clientis ſui cauſa aduocatus. Obiicienti autem quid proſit aperta monſtrare, reſpondet. *Plurimùm. Interdum enim ſcimus, nec attendimus. Non docet admonitio, ſed aduertit, ſed excitat, ſed memoriam continet nec patitur elabi. Pleraque ante oculos poſita tranſimus. Admonere, genus adhortandi eſt. Sæpè animus etiam aperta diſſimulat. Ingerenda itaque eſt illi notitia rerum notiſſimarum. Illa hoc loco in Vatinium Calui repetenda ſententia eſt: Factum eſſe ambitum, ſcitis: & hoc vt ſcire, omnes ſciunt: Scis amicitias ſanctè colendas eſſe, ſed non facis. Scis improbum eſſe, qui ab vxore pudicitiam exigit, ipſe alienarum corruptor vxorum. Scis vt illi nil cum adultero, ſic nihil tibi eſſe debere cum pellice. & non facis, Itaque ſubinde reducendus es ad memoriam. Non enim repoſita illa eſſe oportet, ſed in promptu. Quæcunque ſalutaria ſunt, ſæpè agitari debent, ſæpè verſari, vt non tantùm nota ſint nobis, ſed etiam parata. Adiice nunc quod aperta quoque, apertiora fieri ſoleat.* Et infrà, *Pythagoras ait, alium animum fieri intrantibus templum, Deorúmque ſimulachra ex vicino cernentibus, & alicuius oraculi operientibus vocem. Quis autem negauerit, feriri quibuſdam præceptis efficaciter etiam imperitiſſimos? Velut his breuiſſimis vocibus, ſed multum habentibus ponderis.* Nihil nimis. Auarus animus nullo ſatiatur lucro. Ab alio expectes, alteri quod feceris. *Hæc cum ictu quodam audimus, nec vlli licet dubitare, aut interrogare. Quæ adeò etiam ſine ratione, ipſa veritas ducit. Si reuerentia frænat animos, aut vitia compeſcit, cur non admonitio idem poſſit?*

Optimè in calce quinti de Benef. tractans de opportunitate admonitionis ad excitandam in alio gratiæ relationem, ſed par ratio eſt monitionis ad quodvis honeſtum opus. *Moneri velle, ac poſſe ſecunda virtus eſt. Hæc illuc frænis leniter motus flectendus eſt animus, pauci ſui rector optimus. Proximi ſunt qui admoniti in viam redeunt. His non eſt dux detrahendus. Opertis oculis ineſt acies, ſed ſine vſu, quam lumen à Diis immiſſum ad miniſterium ſua euocat. Inſtrumenta ceſſant, niſi illa in opus ſuum artifex mouerit. Ineſt interim animis voluntas bona, ſed torpet modò deliciis ac ſitu, modo officij inſcitia Hanc vtilem facere debemus, nec irati relinquere in vitio, ſed vt Magiſtri puerorum diſcentiam patienter ferre offenſationes memoria labentis. Quæ quemadmodum ſubiecto vno aut altero verbo ad contextum reddendū orationis adducta eſt, ſic ad referendam gratiam admonitione reuocanda eſt.* Idem vt dicebam valet de quouis honeſto actu.

Addit epiſt. 38. prudentiſſimam cautionem, nempe vtiliorem eſſe adhortationem priuatam publica, quæ ſit ad promiſcuam concionem, præſertim ſi verbis ſubſtricta, ſenſibus lata & diffuſa ſit. [Plurimùm, *inquit*, proficit ſermo, qui minutatim irrepſerit animo. Diſputationes præparatæ & effuſæ audiente populo, plus habent ſtrepitus, minùs familiaritatis. Philoſophia bonum conſilium eſt. Conſilium nemo clamore dat. Aliquando vtendum eſt & illis, vt ita dicam concionibus, vbi qui dubitat, impellendus eſt. Vbi verò non hoc agendum eſt, vt velit diſcere, ſed vt diſcat, ad hæc ſubmiſſiora verba veniendum eſt. Faciliùs intrant, ſed & hærent, Nec enim multis opus eſt, ſed efficacibus. Seminis modo ſpargenda ſunt, quod quamuis ſit exiguum cùm occupauit idoneum locum vires ſuas explicat, & ex minimo in maximos actus diffunditur. Idem facit ratio, non latè patet; ſi aſpicias in opere creſcit. Pauca ſunt quæ dicuntur, ſed ſi illa animus benè exceperit, conualeſcunt & exurgunt. Eadem eſt, inquam, præceptorum conditiò, quæ ſeminum. Multum efficiunt etſi anguſta ſunt: tantùm, vt dixi, idonea mens rapiat illa, & in ſe trahat Multa inuicem, & ipſa generabit, & plus reddet, quam acceperit.]

Ad fructum priuatæ adhortationis, præ communi, facit quod quærit Philo lib. de Decalogo; Cur Deus legem ferens *in concione tam multorum millium, ad*

quodque oraculum ſingulos appellat non plures: Non mœchaberis, non occides, non furaberis, & ad eundem modum cætera Reſpondet autem ſecundo loco in hunc modum. *Quia qui concionem alloquitur, non ſemper interdicit aut præcipit. cùm autem ſinguli admonentur, quid agere debeant, omnes docentur eadem opera, & quiſque redditur obſequentior, ſibi dictum exiſtimans: qui verò cum cætera turba comprehenditur eodem alloquio, ſurdeſcit, turbam ipſam prætexens ſuæ contumaciæ.* Quæ ipſa eſt germana cauſa, cur communis increpatio minùs pungat, vt Themiſtius obſeruat orat. 15.

Autor libri, mutus hortator, & quantum in lectione ſubſidium honeſti

216. Lectio quoque tanquam muta cum ſapiente Scriptore conuerſatio ad propoſitum virtutis ſubſidium pertinet. Siue enim libros de recta morum conformatione conſcriptos quis legat, ſiue de vita eorum, qui rectè & congruenter ad rectæ rationis amuſſim opera ſua direxerunt & exegerunt, magnum haud dubie ad virtutem incitamentum ac ſtimulos ſentit & fitè non percipiens imbuitur odore eius quem attrectat vt ex oracolo Zenoni reddito habetur apud Laërtium l.7 initio, euadit mortuis concolor, eóque faciliùs, quo veritas hic apertiùs proponitur. Liber enim eſt magiſter ſine adulatione, aut metu, ſiue ſuſpicione quòd ex malo affectu aut odio, veritatem, quam prodit, eloquatur, ipſúmque Autorem ſuum, etiamſi iampridem fato functum, aut etiam cœleſti beatitate potientem, ad lecturis colloquium aduocat. Vt proptereà S.Chryſoſtomos homil. 30. in ad Rom. *in morali* autor ſit iis qui Petrum, Paulum, Ioannem ac Prophetas continuò ſibi & ad nutum conuerſantes habere volent, illorum vt libros peruoluerent, certi ſe eos ipſos alloqui & audire, quorum lectione occupantur. S item Ambroſius 1. offic.c.20. hoc inter orationem lectionémque librorum ſacrorum diſtinguit, quòd cùm oramus, Deum alloquimur; illum verò audimus, cùm diuina oracula legimus Itaque cum Autore libri agit qui librum legit; nec aliter afficitur, quàm ſi colloquentem audiret, eiúſque vitæ informatione excoleretur.

Hinc toties teſtati, & vbiuis celebrati fructus, huius ad honeſtatem ſubſidi. Gregorius ſanè Nazianzenus fructum quem euoluendis S.Baſilij operibus moralibus collegiſſet ita extollit exornans Baſilium orat. 20. vt non videatur proficere vberius alia via potuiſſe. Sic enim ait. *Cùm orationes eas quas de moribus ac benè viuendi ratione ſcripſit, in manus accipio, animo & corpore purgor, templúmque Dei capax efficior, atque inſtrumentum muſicum à ſpiritu pulſatum, diuinam gloriam & potentiam canens. Per eas corrigor & concinnor, atque diuina quadam immutatione, alius ex alio efficior.* Et vt Chriſtiana exempla prætercam, Babylæ, Auguſtini, Fulgentij, aliorúmque plurimorum, quæ paſſim nota ſunt, inſigne eſt quod de Axiothea Philoſophiæ Magiſtra, & Zenone Citido, & Corinthio agricola ſcribit Themiſt. orat. 4. his verbis *Axiothea poſtquam è Platonis libris quos ille de Republica ſcripſit, neſcio quem legiſſet, ſubinde ex Arcadia Athenas profecta eſt, ibique diu pro fœmina non agnita, vt Achilles Lycomedi, ſic Platoni operam dedit. Agricola verò Corinthius Cùm fortè in Platonis Gorgiam incidiſſet, illico agrum viréſque deſerens, animum ſuum excolendum Platoni tradidit, doctrinæque illius ſemina ac ſatis excepit. Atque is eſt quem Ariſtoteles dialogo illo qui Corinthius inſcribitur, celebratum reliquit. Nam qui Zenoni contigerunt, perſpicua ſunt, & ab omnibus decantata, quemadmodum illum Socratis apologia, ex Phœnicia in porticum exinerit*, & ſcilicet in alium virum mutauerit: quod de prioribus exemplis æquè dictum eſto. Vt autem hoc ſubſidium euadat vtilius, ſeruandum eſt quod circa illud monet S. Ambroſius 1. offic.c.22. vt eidem ſemper lectioni non inſiſtatur, ſed ſubinde mutetur, neque nimiùm prolixa ſit, neque citò interrupta, ne ſubita interciſio deſidiam prodat, longa verò fatigatio faſtidium procreet, præterquàm quod vt eſt apud Dionem Chryſoſtomum orat. 18. *plus ille eam æſtimare poteſt, qui ſe à continua lectione liberauerit.* Hæc eſt lectionis ruminatio, ab eodem S. Ambroſio ſerm. 7. in Pſal. 118. poſt Philonem lib de Agricult. diligenter commendata, tanquam neceſſaria ad fructum qui ex hoc animæ pabolo quæritur, colligendum, extátque reuera maximus, ſi cautiones propoſitæ teneantur.

217. Præſertim verò libri, quibus aliorum rectè facta conſignantur incredibile eſt, quantùm momenti habeant, ad rectam vitæ noſtræ conformationem: quandoquidem fieri per nos poſſe demonſtrant, quod ab aliis plerunque nec aptioribus nec inſtructioribus ante nos factum eſt. Hac ex cauſa tot paſſim extant hiſtoriæ elogia quòd vt Nazianzenus cecinit carmine ad Nicobulum, *multorum mens ſit, & magnus ſapientiæ aceruus*, iis ob oculos ſubiectis, in quibus alij rectè ſe ex virtute geſſerunt, noſtríſque factis alienis experimentis, vt Dio orat. 18. pulchrè diſſerit. Scitè item Diodorus Siculus in Bibliothecæ prooemio *Magnas meritè gratias rerum Scriptoribus homines debent, qui ſuo labore, plurimùm vitæ mortalium profuere. Oſtendunt enim legentibus, præteritorum exemplis, quid nobis ſit appetendum, quidve fugiendum. Nam qui multa experimenta rerum, variis cum laboribus periculiſque procul ipſi ab omni diſcrimine poſiti, geſta legimus, nos admonent maximè quid conferat ad degendam vitam. Cognitio igitur ex aliorum tum ſecundis, tum aduerſis rebus percepta, doctrinam habet omnium periculorum expertem. Pulchrum eſt enim ex aliorum erratis in melius inſtituere vitam noſtram; & non tam quod alij egerint quærere, quàm quid optimè actum ſit, nobis proponere ad imitandum. Seniorum conſilia, quos longa ætas prudentiores efficit, laudantur; at hos tantè antecellit hiſtoria, quantè plura exempla rerum complectitur diuturnitas temporis, quàm hominis ætas. Itaque ad vitæ inſtitutum vtiliſſima hiſtoria cẽſenda eſt.* Quinetiam ea ſcripra, quibus aliorum malè facta produntur, non carere ſua vtilitate ad morum conformationem, ex eo latè confirmat S.Auguſtinus hom. 21. ex 50. quòd voluerit Spiritus ſanctus etiam lapſus Sanctorum Scripturis inſeri, non ad Sanctorum ſuorum infamiam, ſed ad profectum & emendationem noſtram, vt caueamus offendiculum, ad quod ipſi ceſpitarunt. Huc item refero quod ait Hormiſdas Papa epiſt. ad Poſſeſſorem, cùm quidam pingendi arte nobilis, equum exprimere ſtatuiſſet, aſinum ſibi propoſuiſſe, non vt aſini imaginem formaret, ſed ne equo, quem exhibere in animo habebat, aſininum quid ac dedecens appingeret. Hunc ipſum itaque fructum ex aliorum malè factis, cùm deſcripta leguntur, referre licet, præſertim cum prudentis Scriptoris cautiones & aduerſùs venenum antidota, non deſiderentur.

Concluſio ſubſidij propoſiti, & quàm præruptus honeſtati ſcopulus, conſuetudo prauorum.

218. Hactenus de eo ad honeſtum ſubſidio quod conuictu proborum & cum eis conuerſatione continetur. Quantum autem eius ſit momentum, vſu potiùs ac euentu omnium retrò ſeculorum, quàm lon-

ga oratione probandum. E contrà verò nullum eſſe periculoſiorem virtutis ſcopulum, malorum conſuetudine & conuictu, ferunt illa S. Chryſoſtomi hom. 60. in Math. *Nihil ita perniciosum ac peſtiferum eſt, vt conſuetudo prauorum hominum & conuerſatio. Quippe cùm amicitia atque neceſſitudo, & ad nocendum, & ad iuuandum plus nonnunquam efficit, quàm neceſſitas potuiſſet.* Idem ſæpè inculcat Seneca: modò in particulari quoad vnam aliquam virtutem, vt 3. de ira cap. 7. quoad manſuetudinem & iræ repreſſionem: modò generatim, vt epiſt. 94. quâ in hunc modum vniuersè deplorat alienas ſordes nobis illini per conuictum ac conſuetudinem mutuam. *Non licet ire recta via. Trahunt in prauum parentes, trahunt ſerui. Nemo errat vni ſibi, ſed dementiam ſpargit in proximos, accipitque inuicem. Et ideò in ſingulis vitia populorum ſunt, quia illa populus dedit: dum facit quiſque peiorem, factus eſt. Didicit deteriora, deinde docuit effectáque eſt ingens illa nequitia congeſta in vnum quod cuique peſſimum ſcitur.* Eadem item epiſtola extrema, idem Seneca, conuictum corrupto iudicio hominum, irritamenta ſubminiſtrare primariis quibuſque vitiis, demonſtrat his præter cætera. *Magna pars ſanitatis eſt, hortatores inſaniæ reliquiſſe, & ex iſto cœtu inuicem noxio procul abiiſſe. Hoc vt eſſe verum ſcias, aſpice quanto aliter vnuſquiſque populo viuat, aliter. Non eſt per ſe Magiſtra ſolitudo innocentiæ, nec frugalitatem docent rura: ſed vt teſtis ac ſpectator abſceſſit, vitia ſubſidunt, quorum monſtrari, & conſpici, fructus eſt. Quis eam, quam nulli oſtenderet, induit purpuram? Quis poſuit ſecretam in auro dapem? Quis ſub alicuius ruſtica arboris proiectus vmbra luxuriæ pompam ſolus explicuit? Nemo oculis ſuis lautus eſt, ne paucorum quidem & familiarium; ſed apparatum vitiorum ſuorum, pro modo turbæ ſpectantis expandit. Itaque irritamentum eſt omnium, in quæ inſanimus, admirator, & conſcius. Nec concupiſcamus efficies, ſi ne oſtendamus effeceris. Ambitio & luxuria, & impotentia ſcenam deſiderant. Sanabis iſta, ſi abſconderis.* Religio ſit, alium inſignem eiuſdem probatiſſimi morum magiſtri locum præterire ex epiſt. 123. *Inter cauſas,* inquit, *malorum noſtrorum, eſt, quod viuimus ad exempla, nec ratione componimur, ſed conſuetudine abducimur. Quod ſi pauci facerent, nollemus imitari; cùm plures facere cœperunt, quaſi honeſtius ſit quia frequentius ſequimur, & recti apud nos locum tenet error, vbi publicus factus eſt.* Exemplis variis id illuſtrat, monſtrátque qua ratione corrupti aliqui in alios quibus cùm viuerent & exemplo & verbo corruptelam ſuam transferrent. Tum ſubdit. *Horum omnium ſermo vitandus eſt. Hi ſunt qui vitia tradunt, & aliò aliunde transferunt. Potiſſimum genus hominum videbatur, qui verba geſtarent.* (Qui ſcilicet aliena verba ſtudioſè exciperent & calumniam inde loquentibus ſtruerent qua rabie laboraſſe Tiberij imperium, 3. de benef. c. 26. docetur.) Sunt quidam qui vitia geſtant. Horum ſermo multum nocet. Nam etiam ſi non ſtatim officit, ſemina in animos relinquit, ſequitúrque nos etiam cum ab illis diſceſſerimus reſurrecturum poſtea malum. Quemadmodum qui audierunt ſymphoniam, ferunt ſecum in auribus modulationem ac dulcedinem cantus, quæ cogitationes impedit, nec ad ſeria patitur intendi. Sic adulatorum & praua laudantium ſermo diutius hæret, quàm auditur, nec facile eſt, animo dulcem ſonum excutere. ſed proſequitur, & durat, & ex interuallo recurrit. Ideò claudendæ ſunt aures malis vocibus & quidem primis: Nam cum initium fecerunt admiſſæque ſunt, plus audent, Inde ad hæc peruenitur verba. Virtus & Philoſophia & iuſtitia verborum inanium crepitus eſt. Vna felicitas eſt, bona vita, Facere omnia liberè, frui patrimonio: hoc eſt viuere, hoc eſt ſe mortalem eſſe meminiſſe. Fluunt dies, & irreparabilis vita decurrit. Dubitamus quod iuuat facere, & ætati non ſemper voluptates decerpturæ, interim dum poſcit ingerere. Quid iuuat frugalitate vltrò mortem præcurrere, & quicquid illa ablatura eſt, iam ſibi interdicere. Non amicam habes, an qui amicæ moueat inuidiam. Quotidie ſobrius prodis ſic cœnas tanquam ephemeridem patri approbaturus. Non eſt iſtud viuere, ſed alienæ vitæ intereſſe. Quanta dementia eſt, hæredi ſuo procurare. & ſibi negare omnia vt tibi ex amico inimicum magna faciat hæreditas? Plus enim gaudebit tua morte, quo plus acceperit. Iſtos triſtes & ſuperſtitioſos alienæ vitæ cenſores, ſuæ hoſtes, publicos pædagogos, aſſis ne feceris. Nec dubitaueris bonam vitam, quàm opinionem bonam malle. Hæc voces non aliter fugiendæ ſunt, quam illæ quas Vlyſſes niſi alligatus prætervehi noluit. Idem poſſunt: abducunt à patria, à parentibus, ab amicis, à virtutibus, & in turpem vitam miſeros turpiùs illidunt.

Vt monſtrarent quantum ab acceſſu ad improbos & timendum eſſet mali, veteres etiam circa agros, prædia æſtimari viciniam bonam volebant, indeque cenſebant prædium vendibilius, & venditorem procelata mala vicinia teneri aiebant, vt videre eſt l. *quod ſæpè* ff. de contrah. empt. M. Portius apud Columellam l. 1. re ruſt. malum vicinum non ſecus ac peſtem vitari voluit Temiſtocles prædium, vendens præconem addere, bonos prædio eſſe vicinos. Lyſimacho apud Plautum in Mercatore, vetus id verbum vocat.

Nunc ego verum illud eſſe verbum experior vetus,
Aliquid mali eſſe propter vicinum malum.

Dixerat ſanè id iampridem Heſiodus in l. cui titulus *Opera & dies.* Sic enim cecinit.

——*Noxa eſt vicinus vt improbus, ingens.*

Contra ira, maxima commoditas, ſi commodus adſit.

Demoſthenes item orat. contra Calicleum eſſe perniocioſius ait, quàm nanciſci improbum vicinum. Ex his perſpicuè proditur, quam damnoſa ſit vicinia & conuictus malè moratorum & improborum.

Secedendum à turba, iudiciis præſertim ac ſenſu.

219. Itaque, quia pleriquę, imò maior pars, vitioſi ſunt, & virtutem minoris æſtimant, quam par eſſet, ſecedendum ſæpè à turba virtuti deditis, & ſeorſim ſibi ipſis viuendum agnoſcunt, & quantum licet, ſuadent morum Magiſtri, præſertimque iuuenibus adhuc, ſiue in virtutis negotio non admodum firmis longo virtutis vſu. Quod poëtico ſale declaratum, ab iis qui Icarum refluentibus pennis, cera per æſtum reſoluta delapſum in terram atque contritum deſcripſerunt, vbi maturior Dædalus tuto volatu perrexerat, exiſtimare S. Ambroſ. l. 3. de virg. *ſub finem.* Iis igitur maximè, omnibus tamen ſuo modo, indicitur ea ſeceſſio à Magiſtris morum. *Semoti à turba domeſticorum,* ait Philo lib. quod omnis probus liber, *vacant naturæ contemplationibus, cupientes quidem ſi quomodo queant, vitam ciuium corrigere: Virtus enim libenter prodeſt publicè omnibus: ſed videntes id onus ſuas vires excedere, propter abſurdos mores receptos in ciuitatibus, & morbos animi auctos vitioſam conſuetudine, reſiliunt, ne velut torrentis impetu abripiantur.* Idem omnes morum Magiſtri frequentiſſimè inculcant, nominatum Seneca cum aliis locis infrà ſignandis, tradendo generalia vitij remedia, tom. lib. 4. naturalium quæſtionum in præfatione, *Turbam rerum,* inquit, *hominúmque deſiderent, qui ſe pati neſciunt. Tibi tecum optimè conuenit. Nec mirum paucis iſtud contingere*

Impe

Imperioſi nobis ipſis & moleſti ſumus: modò, amore noſtri, modò tadio laboramus: infœlicem animum nunc ſuperbia inflamus, nunc cupiditate diſtendimus: aliàs voluptate laxamus, aliàs ſollicitudine exurimus. Quod eſt miſerrimum, nunquam ſumus ſinguli. Neceſſe eſt itaque aſſidua ſit, in tam magno vitiorum contubernio rixa. Fac ergo mi Lucili, quod facere conſueſti. A turba, quantùm potes, te ſepara. Idem epiſt. 19. in fine illud Epicuri celebrat quod velim eſſe pro teſſera cuiuis noſtrum. *Nunquam volui populo placere. Nam quæ ego ſcio, non probat populus: Quæ probat populus, ergo neſcio.* Id quidem Epicuri dictum profert ibi Seneca ſed ſubiicit, idem hoc omnes ex omni philoſophica domo conclamare Peripateticos, Academicos, Stoicos, Cynicos. *Quis enim placere poteſt populo, cui placet virtus. Malis artibus popularis fauor quæritur. Similem te illis facias oportet. Non probabunt, niſi agnouerint. Multo autem ad rem magis pertinet, qualis tibi videaris, quàm qualis aliis. Conciliari niſi turpi ratione amor turpium non poteſt.* Quare id præcipuum philoſophiæ beneficium mox proponit Seneca, *Quod malis tibi placere quàm populo, æſtimeſque iudicia non numeres. Cæterum ſi te videri celebrem ſecundis vocibus vulgi; ſi intrante te clamor, plauſus, & pantomimica ornamenta obſtrepuerint; ſi tota ciuitate fœminæ te puerique laudauerint; Quidni ego tui miſerear, cum ſciam quæ via iſtum fauorem ferat?* Pythagoræ vox eſt *Malus iudex, omnis honeſti populus. Quorum igitur laudes haud æſtimes, contemne etiam vituperationes* Idem ſuboſcurè monebat, cùm negabat; per viam publicam eundum, hoc eſt, vt Clemens Alexandrinus 5. Stromat. c. 3. & Philo lib. quòd omnis probus liber, latéque S. Ambroſius epiſt. 6. interpretantur, conſentiendum populi ſenſibus atque iudiciis. Neque enim inceſſum per confragoſa & auia indixit, quæ eſſet ſtulta vexatio; ſed ſignificatum voluit quanti ad virtutem vſus eſſet, ſecedere à tumultu & turba, cuius ad affricandam conuictoribus fuliginem ſuam, magna omninò vis eſt atque efficacia. Combiberat planè hoc omnitum Socrates, quem gloriari ſolitum ſcribit Petronius, *quod nunquam neque in tabernam conſpexerat, nec vllius turbæ frequentioris concilio oculos ſuos crediderat.*

Spectant eodem, quæ de ſeceſſionis vſu ad vitam frugi atque honeſtam, ac ferè etiam quæ de campeſtris vitæ laudibus leguntur apud pleroſq; & latè apud Gueuaram in aulæ inſectatione c. 5. 6. & 7. & apud Sepulnedam epiſt. 59 Pulcherrimè Plinius l. 1. epiſt. 9. & Horat. l. ſatyra 6. Quanquam quod infrà tractans intrinſeca ad virtutem adiumenta, & nimiarum curarum reciſionem monebo, non eſt cenſendus illicò ſibi viuere, qui ſeorſim degit. Hoc grauiſſimè confirmat Seneca epiſt 5. cùm de Vatia. Et rurſus epiſt. 56. & 104. Nimirum quia ſeceſſus iſte, vt ſcitè dixit Plin. lib. 4. epiſt 23. tranquillitas non inertia eſſe debet, id eſt in ſeceſſu excolendus eſt animus, vitiorum illecebris liberatus per ſeceſſum. Idem latè tradit Max. Tyrius diſſert. 6. & Dio tota. 20. Pulchre item Antoninus lib. 4. num. 3. *Seceſſus*, inquit, *vulgò quæruntur hominibus rura, littora, montes; Tu quoque ſoles ea maximè deſiderare. Atqui id planè eſt ſtultum, & abiecta ſocietis hominum. Tibi. quacunque viſum fuerit hora, licet in teipſum recedere. Nuſquam enim neque tranquillior, nec maioris otij ſeceſſus homini datur, quam ad animum ſuum: præſertim ei qui intus ea habet, in quæ inſpicie s, ſtatim ſummam animi tranquillitatem reperit: benè nimirum omnibus intus compoſitis. Continenter igitur te eo confer ac teipſum renoua.* Eſſe tamen magnum ad hanc renouationem, receptionémque in ſeipſum, à ſeceſſione ſubſidium, non diffitetur Antoninus, nec plus ferunt quæ ex morum Magiſtris proponebam.

220. Eodem pertinet, quod de nobis ipſis, torrenti moris humani non permittendis, nec magnifaciendo vulgi ſenſu, aut maioris hominum partis æſtimatione aut neglectu, ſed ſequendo vnius rationis ductu, grauiſſimè inculcant grauiſſimi etiam inter Ethnicos mórum Doctores. Epictetus cap. 57. Enchir. [Cùm facis aliquid quod faciendum eſſe ſtatuiſti. nunquam recuſes inter id agendum conſpici: tametſi futurum eſt, vt vulgus de eo ſecùs iudicet. Nam ſi perperam facis, rem ipſam fuge. Sin rectè, quid eos vereris qui non rectè reprehendunt? *Et c.* 29. Sapientiæ ſtudium ſuſcipere cupis? Statim te para, quaſi futurum ſit, vt deridearis, vt multi te ſubſannent; vt dicam te ſubitò Philoſophum extitiſſe; vt edgent, vnde ſupercilium iſtud? Tu autem ſupercilium ne habeto? ea verò quæ optima tibi videbuntur, ſic teneto, quaſi à Deo ſis in ea ſtatione collocatus. Cæterùm memento, te, ſi in eodem ſtatu permanſeris, iis tandem admirationi fore. qui te prius deriſerunt. Sin eis ſuccubueris, dupliciter fore deridendum. *Idem apud Arrian lib.* 1 *c.* 29. Quid tibi accidit; Iudicatus ſum pro impio & ſacrorum violatore. Num quid aliud (Nihil. Quod ſi de connexo quiſpiam iudicet ipſúmque falſum pronunciet eſſe, vt V. G. hoc, ſi dies eſt, lux eſt; Num quid propterea connexo accidit; Quis quæſo iudicat, & quis damnatur, connexúmne, an ipſius iudicium qui eſt deceptus Is ergo penes quem eſt poteſtas, pronunciare iudicium de te, intelligitne quid ſit pium impium eſſe? Num in eo ſe exercuit, aut vbinam didicit, vel apud quem? Ergo Muſicus non curabit, eum qui netem pronunciat hypatem eſſe; nec Geometra quando quis iudicarit lineas à centro ad circunferentiam productas non eſſe æquales: Homo autem eruditus in præceptis viuendi, hunc curabit qui ignarus iudicat de ſacro & profano, de iuſto & iniuſto.]

Antoninus l. 11. n. 20. *Mutem montanum, & domeſticum, huiúſque pauorem & fugam, & Lamias puerorum terricul amenta, Socrates vulgi opiniones vocabat.* Et lib. 5. num. 3. *Omnem ſermonem & actionem, quæ ſit ſecundum naturam, dignam te iudica: neque te auertat ab iis reprehenſio aut ſermones aliorum ea conſequentes: ſed ſi quid factu dictúve pulchrum eſt, id te ne indignum putes. Alij enim aliam rationem, alios appetitum ſequuntur: ad quos tibi non eſt reſpiciendum, ſed recta via eò pergendum, quò & communis omnium ducit natura.* Et lib. 7. num. 13. *Quicquid alij loquantur & faciant me quidem oportet eſſe bonum, haud aliter, quàm ſi aurum, vel ſmaragdus, vel purpura ſemper ita diceret; quicquid alij dicant aut faciant, Smaragdum eſſe oportet, me colorem ſeruare meum.*

221 Seneca epiſt 29. ad finem. *Nunquam volui populo placere. Nam quæ ego ſcio, non probat populus: quæ probat populus, ego neſcio. Quis hoc? inquis; tanquam neſcias cui imperem. Epicurus. Sed idem hoc omnes tibi ex omni domo conclamabunt; Peripatetici, Academici, Stoici, Cynici: quis enim placere poteſt populo, cui placet virtus? Malis artibus popularis fauor quæritur: ſimilem te illis facias oportet. Non probabunt, niſi agnouerint. Multò autem ad rem magis pertinet, qualis tibi videaris, quàm qualis aliis. Conciliari niſi turpi ratione, amor turpium non poteſt. Quid ergo illâ laudatâ, & omnibus præferendâ artibus rebúſque Philoſophiâ præſtabis? ſcilicet vt malis tibi placere, quàm populo, vt æſtimes iudicia, non numeres: vt ſine metu deorum hominúmque viuas; vt aut vincas mala, aut finias. Cæterùm ſi te videro celebrem ſecundis vocibus vulgi, ſi intrante te clamor, plauſus, & pantomimica ornamenta obſtrepuerint, ſi tota ciuitate te fœminæ puerique laudauerint: quidni ego tui miſerear; cùm ſciam quæ via ad iſtum fauorem ferat?*

Et epiſtola 76. *Pudet me generis humani. Quotiens*

ſibilam

ſcholam intraui, præter ipſum theatrum, Neapolitanorum (vt ſcis) tranſeundum eſt, Metronactis petentibus domum. Illud quidem fartum eſt? & hoc ingenti ſtudio, quis ſit Pythaules bonus, iudicatur. Habet tibicen quoque Græcus & præco concurſum. At in illo loco, in quo vir bonus diſcitur, pauciſſimi ſedent, & hi plerisque videntur nihil boni negotij habere quod agant: inepti & inertes vocantur. Mihi contingat iſte deriſus. Æquo animo audienda ſunt imperitorum conuicia: & ad honeſta vadenti contemnendus eſt iſte contemptus.

Lib. de conſtantia ſapientis. cap. 14 in fine. *Quis neſcit, nihil ex iis quæ creduntur bona aut mala, ita videri ſapienti, vt omnibus. Non reſpicit quid homines turpe iudicent, aut miſerum. Non it qua populus: ſed vt ſydera contrarium mundo iter intendunt, ita hic aduerſus opinionem omnium vadit.* Et cap. 19. *Et honores, & iniuriæ vulgi in promiſcuo habendi ſunt. Nec his dolendum, nec illis gaudendum. Alioqnin multa, timore contumeliarum aut tædio, neceſſaria omittemus, & publicis priuatiſque officiis, aliquando etiam ſalutaribus, non occurremus, dum muliebris nos cura angit, aliquid contra animum audiendi.* Et lib. de vita beata cap. 28. *Fluctuamus: aliquid ex alio comprehendimus: petita relinquimus: lecta repetimus. Alterna inter cupiditatem noſtrã & pœnitentiam vices ſunt. Pendemus enim toti ex alienis iudiciis; & id optimũ nobis videtur, quod petitores laudatoréſq; multos habet, non id quod laudandũ petendúmque eſt. Nec vitam bonam ac malam per ſe æſtimamus, ſed turba veſtigiorum, in quibus nulla ſunt redeuntium.*

212. Porphyrius optimè in calce ſecundi de abſtinentia. [Plato non iuxta oportere Philoſophum, improborũ ritibus intereſſe: quia neque diis gratum, neque hominibus vtile: ſed eſſe conandum, vt in melius ſe vertat. quod niſi poſſit aſſequi, ne ſaltem in peius degeneret. Itaque, quam ſemel rectam viam fuerit ingreſſus, per eam conſtanter ambulet, neque vllo periculorum metu, ſicut plurimi, ab ea in aliam diris execrationibus calcatam declinet. Profectò extremus pudor fuerit. Syros à piſcibus, Hebræos à porcis, Pœnorum & Ægyptiorum pleroſque à boum fœminis abſtinentes, nullis cruciatibus, nullo ſupplicio potuiſſe à tam multis Regibus cogi, vt prioris vitæ inſtituto poſthabito contrarios ritus ſequerentur. Nos verò naturæ leges & diuina monita, hominum metu, aut ne malè ab ipſis audiamus, præterire extremæ fuerit dementiæ, qua diuinus cœtus, atque proborum priorúmque hominum concilia valdè indignari poſſent nos intuentes ad improborum placita inhiare, atque metu ab illa oculus diuertere quam quotidie in reliquis per totam vitam meditamur morte.]

Locus Platonis, in quem ibi Porphyrius digitum intendit ex Critone deſumptus videtur: ex quo Dialogo inſignem planè in hanc rem diſputationem nonnullis contractis deſcripſit Euſebius 13. præp. c. 5. Ego particulam duntaxat appono. *Nónne ſententiam meam probas, quia ſcilicet aliæ hominum opiniones amplectenda ſunt, aliæ nequaquam? nec hominum omnium, ſed aliorum opiniones eligendæ, aliorum verò minimè? Quid ais? Probè, inquam, dicitur. Bonas ergo eligendas, prauas autem eiiciendas aſſeris, an non? Aſſero, inquit. Bonæ autem nónne ſapientum ſunt; prauæ autem inſipientum? Quidni? Virum igitur vir bonus laude ac vituperatione & opinione cuiuſuis mouebitur, an eius ſolummodò, qui ea in re præcipuum habeat artificium? Eius ſolummodò mihi videtur. Fugienda ergo eſt vituperatio. & laus expetenda. Non quidem multorum, ſed eius ſolummodò, qui præcipuum habeat rei eius laudes deſideras. doctrinam. Ita faciendum, viuendúmque, vt ipſe mones, cæteris omnibus contemptis. Quare nec cætera percurram, de iuſtis quoque atque iniuſtis, turpibus & honeſtis, non multorum opinionem ſequi oportet; ſed eius ſolummodò, qui hæc rectè intelligit, quem vereri atque timere, pluſquam cæteros omnes oportet ipſe cenſeo; quem niſi ſequamur, nec iuſti videlicet, nec probi erimus viri. Quare nec viuendum nobis ita corruptos. Non ergo curare debemus quid multi, ſed quid dicturus eſſet, ſi quis intelligeret; aut ipſa veritas, ſi ei attribueretur oratio.* Hanc certè eſſe peſtem illius virtutis, qua dirigenda eſt omnis virtus; hoc eſt Prudentiæ, quòd pluris fiant ſenſa aliorum præſertim multitudinis, quàm noſtra, conſtans eſt Doctorum ſententia, de qua rurſus, cùm de Prudentiæ fontibus.

Claſſis altera ſubſidiorum ad capeſſendam honeſtatem: hoc eſt intrinſecorum, cuiuſmodi in primis, cunctationis remotio.

213. Reliqua ſunt ea ad honeſtatem ſubſidia quæ interna dici poſſunt, quia tenent ſe ex parte ipſius hominis ad illam anhelantis & modum ab eo tenendum ſpectant. Ex parte ergo ipſius operantis vetatur maximè cunctatio. In primis quia ſignities operandi & procraſtinatio, difficultatem, à qua vt plurimùm prouenit, minimè leuat, ſed auget, vt Epictetus apud Arrianum lib. 2. cap. 1 . diſputat: quid item magnificè cap. 75. Enchir. cunctabundum his verbis increpat, in poſteriora tempora reſeruantem virtutis curam & receſſum à vitiis. *Quouſque tandem differes præſtantiſſima quæque tibi vendicare, & nullatenus diſtinctionem rationis violare? Accepiſti præcepta, quæ amplectenda tibi fuerunt eaque amplexus es. Qualem igitur adhuc Doctorem expectas, cuius in aduentum, tui correctionem differs? Non iam adoleſcens es, ſed matura ætate vir. Itaque ſi neglexeris & ceſſaris, ac ſubinde moræ moram, propoſito propoſitum adiunxeris, & dies alios poſt alios conſtitueris, non animaduertes, nihil te profeciſſe: ſed hominem plebeium fore tam viuentem quàm morientem. Nunc igitur viri perfecti & proficientis vitam tibi ſume, ac quicquid tibi viſum fuerit optimum, ea lex ſit inuiolabilis. Ac ſi quid laborioſum aut ſuaue, aut glorioſum, aut ignominioſum ingruerit; memento tum adeſſe diſcrimen, tum inſtare Olympia, nec licere differre: ac profectum vna clade ac remiſſione, vel perire vel retineri. Ita Socrates in eum euaſit qui fuit, cùm in omnibus ſe ipſe premoneret: cùm nemini auſcultaret, niſi rationi. Tu verò etſi nondum es Socrates, ſic tamen vt qui Socrates eſſe velis, debes viuere.* In hæc verba Symplicius, Heſiodi dictum illud meritò commendat.

Differ, opus, nunquam non conflictabere damnis.

Additque ignauiæ prætextum moram eſſe. Tantùm porrò abeſſe, vt per ſegnitiem & procraſtinationem retundatur difficultas, vt potiùs ſenſim augeſcendo fiat denique ineluctabilis. Idem Epictetus pulchrè lib. 4. cap. 12. *Quando dixeris: in craſtinum adhibebo diligentiam: id abs te dici ſcito; quòd nimirum velit hodie imprudens, importunus, abiectus eſſe. Item, in poteſtate erit alterius, vt me hodie afficiat ægritudine animi, hodie excandeſcam, inuidebo. Conſidera quæ mala in te admittas ſed: cras, ais, melius habebo. Quantò melius ſi hodie, quàm ſi cras cœperis? plus conducet ſi hodie incipias, vt id nimirum in craſtinum quoque præſtare poſſis, ac non in tertium quoque reiicias diem.* Pulcherrimè item de hoc ad honeſtum ſubſidio diſſerit Philo lib. de ſacrif. Abelis & Caïni expendens illud, *Et factum eſt poſt aliquot dies obtulit Cain*, &c. Oſtendit enim cunctatione obtundi boni operis ſaporem & idcirco Caïnum diſplicuiſſe Deo, quòd tantùm poſt aliquot

aliquot dies religioſa munia obiuiſſet, idque fuiſſe ait, primum Caini crimen. Pharaonem quoque incurriſſe in eam ſuppliciorum acerbitatem quæ neminem latet, quòd in craſtinum diſtulerit, & in virtutis exercitio comperendinauerit. E contrà verò laudari in Abrahamo, quod magna cum alacritate & omni cunctatione abiecta feſtinauerit exhibere hoſpitibus beneuolum miniſterium. Eadémque ex cauſa præceptum eſſe tranſeuntibus ab affectuum procella ad virtutis tranquillitatem, vt accincti lumbos & expediti ac etiam feſtinantes myſticum illum cibum ederent quo tranſitus ad veram virtutem præſignabatur. Alia profert Philo in eandem ſententiam: ſed præſertim exemplum Dei quo nihil in agendo mobilius, nihil promptius. Quandoquidem Deus in rerum productione, non eſt (vt ait) adiutus à tempore, ſed ipſo Deo adhuc loquente ſecluſa quauis mora, illicò facta ſunt omnia, perſpicuéque apparuit, apud Deum præ agendi celeritate, dictum & factum idem eſſe. Addit etiam Philo hanc ipſam ob cauſam verbum humanum quod eſt diuini Verbi imago, donatum eſſe ſumma mobilitate & celeritate, quæ mentis conceptum etiamſi promptiſſimum & celerrimum volubilitate ſua aſſequatur: ita vt ſicut riuorum perennium fluenta curſu irrequieto ferantur, ſequentibus aquis præcedentes impellentibus; ita ſermonis ſemel cœpti exundantia mentem omnium quæ nobis inſunt mobiliſſimam & volucribus naturis parem currendo ſequatur æquis paſſibus. Multò igitur maior diuini verbi celeritas, nubila etiam præteruolans, & quodcunque Deo lubitum fuerit, promptè & abſque cunctatione exercendum indicens. Concludit demum Philo in hæc verba. *Faciunt igitur ſuum officium obedientes filij, qui naturam patris imitando, incunctanter cum omni feſtinatione quod bonum eſt agunt, qui nihil pulchrius facere poſſunt, quàm quòd honorant Deum ſine dilatione.* Expreſſit de morte Philonem S. Ambroſ. lib. 1. de Cain, c. 8. & 9.

Vita incertum, aduersùs ſegnitiem calcar.

224. Accedit incerta de breui ſcammate reuocatio, quæ vix inchoatam, ac plerunque nullam, in maxima mortalium parte, cùm ad exitum venitur adeptionem virtutis prodiit Antoninus lib. 4. num. 22. poſt alia in eam ſententiam. *Mors imminet, ergo dum viuis & licet, bonus vt ſis cura.* Et lib. 2. num. 1. *Memento quoties diſtuleris hactenus, & quoties prorogato tibi à Diis tempore vſus non ſis. Certè aliquando animaduertere oportet, cuius mundi pars ſis, & à quo mundi gubernatore defluxeris: Tum finem praſcripti tibi temporis futurum. Quod quidem tempus ſi otioſus intra parietes conſumpſeris elabetur; neque redibit vnquam tibi defuncto.*

Seneca luculenter l. de breuit. vitæ cap. 4. [Tanquam ſemper victuri viuitis; nunquam vobis fragilitas veſtra ſuccurrit Nun obſeruatis quantùm temporis tranſierit, velut ex pleno & abundanti perditis, cùm interim fortaſſe ille ipſe qui alicui vel homini vel rei donatur vltimus dies ſit. Omnia tanquam mortales timetis. Omnia tanquam immortales concupiſcitis. Audies pleroſque dicentes, A quinquageſimo in otium ſecedam. Sexageſimus annus ab officiis me dimittet. Et quem tandem longioris vitæ prædem accipis? Quis iſta, ſicuti diſponis, ire patietur? Non pudet te reliquias vitæ tibi reſeruare, & id ſolum tempus bonæ menti deſtinare, quod in nullam rem conferri poſſit? Quàm ſerum eſt, tunc viuere incipere, cùm deſinendum eſt? Quæ tam ſtulta mortalitatis obliuio, in quinquageſimum & ſexageſimum annum differre ſua concilia, & inde velle vitam inchoare quò pauci perduxerunt.]

Pulcherrimè idem morum Magiſter epiſt. 108.

—— Fugit irreparabile tempus,

Vigilandum eſt, niſi properamus, relinquimur. Agit nos, agitúrque velox dies. Inſcij rapimur. Omnia in futurum diſponimus, & inter præcipitia lenti ſumus. Et mox ex Grammatici obſeruatione. *Nunquam Virgilius, inquit, dies dicit ire, ſed fugere; (quod currendi genus concitatiſſimum eſt:) & optiſſimos quoſque primos rapi. Quid ergo ceſſamus nos ipſi concitare, vt velocitatem rapidiſſimæ rei poſſimus æquare. Meliora prætereuolant, deteriora ſuccedunt. Quemadmodum ex amphora primùm quod eſt ſinceriſſimum effluit, grauiſſimum quodque, turbidúmque ſubſidit: ſic in ætate noſtra, quod eſt optimum, primum eſt. Id exhauriri in aliis potiùs patimur, vt nobis fæcem reſeruemus. Inhæreat iſtud animo, & tanquam miſſum oraculo placeat.*

Optima quæque dies miſeri mortalibus æui
Prima fugit.

Quare optima. Quia reſtat quod incertum eſt. Quare optima? Quia iuuenes poſſumus facilem animum & adhuc tractabilem, ad meliora conuertere. Quia hoc tempus idoneum eſt laboribus, idoneum agitandis per ſtudia ingeniis, & exercendis, per opera corporibus. Quod ſuperest, ſegnius & languidius eſt, propius à fino, itaque toto hoc agamus animo, & omiſſis ad quæ diuertimur, in rem vnam laboremus, ne hanc temporis perniciſſimi celeritatem quàm retinere non poſſumus, relicti demum intelligamus quiſque tanquam optimus dies placeat, & redigatur in noſtrum. Quod fugit, occupandum eſt. Tametſi pluſcula iam ex Seneca adſcripſi, non mihi tamen tempore quominus non cedrinis tantùm ſed & aureis tabulis, & ſi quid eſt pretioſius inſcribi, dignã eiuſdẽ monitionem aſcribam ex epiſt. 101. Sic habet, poſt narratam Senecionis Cornelij ſubitam mortem. *Nihil ſibi quiſquam de futuro debet promittere. Id quoque quod tenetur, per manus exit & ipſam quam premimus horam caſus incidit. Voluitur tempus rata quidem lege ſed per obſcurum. Quid autem ad me, an naturæ certum ſit quod mihi incertum eſt. Nauigationes longas & pererratis litoribus alienis, ſeros in patriam reditus proponimus? militiam & caſtrenſium laborum tarda manupretia? procurationes, officiorúmque per officia proceſſus: cùm interim ad latus mors eſt, quæ quoniam nunquam cogitatur niſi aliena, nobis ſubinde ingeruntur mortalitatis exempla non diutius quàm dum miramur haſura. Quid autem eſt ſtultius quàm mirari id vllo die factum quod omni poteſt fieri? Stat quidem terminus nobis vbi illum inexorabilis fatorum neceſſitas fixit; ſed nemo ſcit noſtrum quàm propè verſetur: Sic itaque formemus animum tanquam ad extrema ventum ſit. Nihil differamus quotidie cum vita paria faciamus. Maximum vitæ vitium eſt, quod imperfecta ſemper eſt, quod etiam aliquid ex illa differtur. Qui quotidie, vitæ ſuæ ſummam manum impoſuit, non indiget tempore. &c. Ideò mi Lucili, propera viuere, & ſingulos dies ſingulas vitas puta. Qui hoc modo ſe aptabit, cui vita ſua quotidie fuit tota, ſecurus eſt.* [Hoc ad virtutem præſentiſſimum & efficaciſſimum remedium verbis illis à Muſonio traditum eſt apud Stobæum ſerm. 1, *Non licet præſentem diem tranſigere, ni tam tibi quaſi poſtremam illuxiſſe ſtatueris.* Itaque neceſſe eſt perpetuò nobis obuerſetur mortis hora, omnemque diem cenſeamus extremum. Fuerunt principes viri non qui pauci qui faſcias ſuas ſepulchrales aut etiam ſepulchri ſui formam circumferri ſecum perpetuò curarent. Hoc de Carolo S hoc de Maximiliano aliiſque Principibus, ad infigendam horæ extremæ recordationem & admonendos ad omnem honeſtatem ſtimulos, ſcriptis proditum eſt. Hoc cuiuis honeſti ſtudio ducti neceſſarium eſt, vt inſtar galenctæ auiculæ de qua Galenus lib. 11. de ſimpl. medic.

facult

facult. tymb. in capite, id eſt ſepulchrum gerant. Quod ab Ariſtophane de ea volucre confictum, quaſi terræ elemento anterior patrem mortuum capite ſuo condiderit, de eis ad veritatem dicatur. Eam ſanè ob cauſam præter cæteras edixiſſe Deum vt incertus eſſet mortis dies, S. Chryſoſtomus egregiè tradit homil. 9. in 1. ad Theſſal. Et primo ſacri inſtrumenti libro, id eſt Geneſi ſubnecti exodum, introitui exitum, diuini conſilij ratio tulit, vt S. Gregorius Nyſſenus obſeruat homil. 6. in Eccleſ. Quid ergo hæremus in tam lubrico & incerto ſeculi?

Inſigniter D. Auguſt. ſerm. 101. de temp. *O homo, quare differs de die in diem, fortè habiturus hodie vltimum diem?* Et ſerm. 164. *Liceat nobis loqui & dicere: Corrigant ſe qui tales ſunt, dum viuunt: ne poſtea velint, & non poſſint, quia ſubitò venit mors, & non eſt qui corrigatur, ſed vt in ignem mittatur. Nam quando veniat illa nouiſſima hora, neſcitur, & dicitur: Corrige. Quando corrigis, quando mutaris? Cras, inquis. Ecce quotiens dicis, cras cras factus es coruus. Ecce dico tibi, cùm facis vocem coruinam, occurrit tibi ruina.* Similia ſerm. 16. de verb. Dom cap. 1.

Illuſtriſſimè ſerm. 21. de verb. Dom c. 2. & 3. præfatus mortem nobis pœnam eſſe, eáque vtendum benè, ni peiores eſſe velimus Diabolo qui tametſi ſuperbit, non eſt tamen terra & cinis, nec morti obnoxius eſt. vt propterea conteſtetur, debere de Diabolo erubeſcere mortales ſuperbos, ſubdit. [Vtatur ergo homo pœna ſua, & benè vtatur malo ſuo, vt proficiat bono ſuo. Quis neſcit quia pœna eſt, neceſſe eſſe vt moriamur. & quod eſt grauius quando neſcimus? Pœna certa eſt, hora incerta, & de iſta pœna ſola certi ſumus in rebus humanis. Cætera noſtra, & bona, & mala, incerta ſunt, ſola mors, certa eſt. Quid eſt quod dico? Conceptus eſt puer; fortè naſcitur, fortè aborſum facit. Ita incertum eſt fortè creſcit, forte non creſcit. Fortè ſeneſcit, fortè non ſeneſcit. Fortè diues erit, fortè pauper. Fortè honoratus, forte humiliatus. Fortè habebit filios, fortè non habebit. Fortè ducet vxorem, fortè non ducet. Quicquid aliud nominaueris in bonis. Reſpice & ad mala. Fortè ægrotat, fortè non ægrotat. Fortè à ſerpente percutitur, fortè non percutitur. Fortè à beſtia deuoratur; forte non deuoratur. Et reſpice omnia mala, vbicunque fortè erit, fortè non erit. Nunquid potes dicere, fortè moritur, fortè non moritur? Quomodo Medic. quando inſpexerint valetudinem, & mortiferam eſſe cognouerint, hoc pronuntiāt. Moritur inde non euadit. Ex quo naſcitur homo, dicendum eſt, non euadit. Quando natus eſt, ægrotare cœpit. Quando mortuus fuerit finit quidem ægritudinem, ſed neſcit vtrum pergat in peiorem. Finierat diues ille ægritudinem delicioſam, venit ad tortuoſam. Pauper verò ille finiit ægritudinem & peruenit ad ſanitatem. Sed quod poſtea haberet, hic elegit, & quod ibi meſſuit, hic ſeminauit. IDEO CVM VIVIMVS, VIGILARE DEBEMVS, & eligere quod in futuro teneamus.

Alterum internum ad honeſtatem ſubſidium, auſpicatio à minimis,

225. Ex parte item operantis commendat Epictetus cap. 17. Enchiridij, auſpicandum à minimis. Rationem reddit ibi Simplicius: quòd magnus hic morum Magiſter & ipſius rei naturam & tyronis vires acutè conſiderarit. *Moderata enim & accommodata viribus exercitatio, vt tuta, ita etiam efficax eſt: Si quis autem moderata, tanquam peruulgata aſpernatus, in effuſione olei & vini furto exerceri ſe voluerit, ac ſubitò ad immoderata peruenerit; is neque hoc tenere poterit, vt qui præter ſcalas ad ea aſcenderit, neque per illa plus proficere quæ contempſerit. Finge aliquem in paruis non exercitatum, imitari Cratetem, & ſuam rem vniuerſam ſubitò abijcere: fierine poteſt, quin eum facti pœniteat, nève priorem opulentiam perpetuò requirat? Etſi enim Crates, Diogenes, Zeno, aut quiuis alius: ſubitò ſummam frugalitatem arripuit, vtcumque naturæ conſentaneam, rarum tamen hoc fit, & non tutum, cum eo quod rarò fit, aliquem qui non & ipſe rarus quiſpiam, ſed vnus homo de multis fuerit, comparare.*

Idem monitum tradit Valeria, Cemel. homil. 16. in fine verbis illis. *Virtus magna in minoribus ſemper experimentum capit. Sic rudis miles priuſquam ad pugnam veniat, aduerſus arborem truncatam robur exercet, & inducta manus vulnera ludendo componit. Nam pedes attollitur, nunc rapido equorum curſu ventos imitatur. In tantum denique profuit ſtudium, vt penè minor labor ſit vicisse hoſtem quam exercuiſſe virtutem: In ſimilibus ergo, dilectiſſimi, præludendum nobis eſt, & aptandus eſt ſtudiis animus ad fortiora venturus. Virtus enim quæ in paruis promittitur facilius in maximis exhibetur. Si dum conſueſcimus minora vincere, maiora diſcimus tolerare.* Diceres expreſſiſſe illa S. Ambroſij 1. offic. cap. 10 *Qui diſciplinam bellicam vult aſſequi, quotidie exercitatur armis, & tanquam in procinctu poſitus, prælu lis præiuit, & velut coram poſite prætendis hoſtis, atque eadem ipſam viréſque iaculandi vel ſuos explorat lacertos, vel aduerſariorum declinat ictus & vigilanti excuſat obtutu. Qui nauim in mari regere gubernaculis ſtudet vel remis ducere, priùs in fluuio præludit. Qui canendi ſuauitatem & vocis affectant præſtantiam priùs ſenſim canendo vocem excitant. Et qui viribus corporis legitimo ne luctandi certamine coronam petunt, quotidiano vſu palæſtræ, durantes membra, nutrientes patientiam, laborem aſſueſcunt. Necnon ipſa natura nos in paruulis docet quod prius ſonos meditantur loquendi, vt loqui diſcant.* Similia pulcherrimè S. Hilar. 1. de Trinit. in argumento libri vndecimi. An verò conſultiùs alij ſint authores, vt initium fiat ab illuſtriſſimo aliquo & heroïco opere. attigi agens de affectuum compreſſione, & vniuerſalibus ad id remediis.

Tertium, reciſio curarum & negotiorum,

226. Eſt etiam frequens apud morum Magiſtros monitum, vt honeſti ſtudioſus declinet oppreſſionem à negotiorum multitudine, iiſque commendet ſe, non tradat, vt eſt apud Senecam epiſt. 62. quòd vt nimio oleo affuſo lampas; ita animi vigor, pondere curarum velut ſuffocetur. Vt propterea quod D. Auguſt. q. 68 in Exod. rectè obſeruauit, permagni referat, *ne* iuxta Sapientiam *in multis ſint actus hominis*, hoc eſt ne animus ponderi curarum ſuccumbat. Diſputat in eam rem plurima, Petr. Bleſenſis, epiſtola 16. Optimè Anton. l. 5. de vita ſua, num. 18. *Pauca age, ſi tibi tranquillitas animi, curæ eſt.* Atque adeo etiam virtus & honeſtas cuius ſtudium animi maximè tranquillitate ac fluſtro conſtat. *Nihil eo plus confert quam ea quæ neceſſe eſt agere, & quæ ratio animalis ad ciuilem ſocietatem nati ac quo ea modo deligit. Id enim non modò rectè agendo, ſed & pauca agendo, animi tranquillitatem parit. Nam ex his quæ plurima & agimus & loquimur, ſi quis ea quæ non ſunt neceſſaria tollat, is & maiori otio vtetur, & pauciores perturbationes experietur. Itaque ſingulis in rebus circunſpiciendum, ne quid non neceſſarium agamus; ac non modò actiones, ſed & cogitationes inutiles ſunt vitandæ. Ita enim fiet, vt ne actiones quidem ſupernacanea conſequantur.*

Nonnullis comparationibus id illuſtrat Nyſſenus lib. de virginit. cap. 7. vt aquæ, quæ in varios diſperſa

ritos ac diſſipata, prætexiguæ eſt vtilitatis; collecta autem in vnum alueum, fit longè commodiſſima. Similiter enim humana mens in varias diſtracta curas, diffluit ac diſſipatur, nec ad quicquam perfectum aſſurgit, donec in vnum colligat ſeſe, atque adunetur. Quid quòd aquæ vis anguſtiis tuborum concluſa, in ſublime fertur, quò nunquam pertingeret diſſipata? Ita & mens noſtra iuxta Nyſſen. Eodem bona ex parte ſpectat ea, cuius iam ſuperiùs memini apud ſapientes otij & ſeceſſus commendatio, & quorundam nunquam ſibi viuentium improbatio.

Directè autem præciſionem ipſam curarum & occupationum à Philoſophia alienarum, celebrat Seneca epiſt. 54. *Non eſt*, inquit, *quod precariò philoſopheris. Si æger eſſes, curam intermiſiſſes rei familiaris, & forenſia tibi negotia excidiſſent, nec quenquam tanti putares, cui aduocatus in cauſam deſcenderes. Toto animo id ageres, vt quamprimùm morbo liberareris. Quid ergo? Non & nunc idem facies? Omnia impedimenta dimitte, & vaca bonæ menti. Nemo ad illam peruenit occupatus. Exercet Philoſophia regnum ſuum. Dat tempus, non accipit. Non eſt res ſubſeciua. Ordinaria eſt, domina eſt, adeſt & iubet. Alexander cuidam ciuitati partem agrorum & dimidiū omnium rerum promittenti: Eo, inquit, propoſito veni in Aſiam, non vt id acciperē quod dediſſetis; ſed vt id haberetis quod reliquiſſem. Itidem Philoſophia rebus omnibus: Non ſum id tempus acceptura quod vobis ſuperfuerit, ſed id habebitis quod ipſa erogauero* Philoſophiam vſurpat pro ſtudio & exercitatione virtutis, quod frequens etiam eſt apud S. Chryſ. Idem Seneca epiſt. 72. in hanc rem egregiè *Nunquam non ſuccedent occupationes nouæ, ſerimus illas. Itaque ex vna exeunt plures: deinde ipſi nobis dilationem damus. Cum hoc peregero toto animo incumbam: & ſi hanc rem moleſtam compoſuero, ſtudio me dabo. Non cùm vacaueris, philoſophandum eſt: omnia alia negligenda, vt huic aſſideamus, cui nullum tempus ſatis magnum eſt, etiamſi à pueritia vſque ad longiſſimos humani æui terminos vita protendatur.* Et in epiſtolæ calce. *Non debemus occupationibus indulgere. Excindendæ ſunt. Si ſemel intrauerint, in locum ſuum alias ſubſtituent. Principiis illarum obſtemus. Melius non incipient, quàm deſinent.*

Breuiter, ſed optimè Syneſius epiſt. 99. huiuſmodi otium ac extraneatum occupationum præciſionem nominat *bonorum maximum*, quòd opimi inſtar & vberis ſoli omnia bonorum genera animo philoſophico ingenerare dici meritò poteſt. Sicut è contra *ſollicitudines aſſiduæ*, vt ait D. Chryſoſt. l. 6. de Sacerd. *mentis acumen hebetant, eúmque, qui animo volucri & pernici ſit, plumbo grauiorem reddunt*. S. verò Bernardus l. 1. de conſider. c. 2. vocat, *occupationes maledictas*, hominem ſtulto labore conſumentes, *quæ non ſunt niſi afflictio ſpiritus, euiſceratio gratiæ*, quarum *fructus quid niſi aranearum telæ?* S. Gregorius non multum diſſimiliter 18. moral. c. 28. has ait eſſe muſcas perdentes ſuauitatem vnguenti: id quod etiam plenè proſequitur P. Damiani lib. 1. epiſt 6. Muſonius item libro, quiſnā quæſtus Philoſopho conueniat, ea ex cauſa maximè probat pecuariam & agriculturam quòd ita corpus exerceant, vt non ſibi vendicent animū totum.

Conteſtatur tamen grauiſſimè Seneca epiſt. 82. otium iſtud non debere iners eſſe. *Multùm*, inquit, *intereſt inter otium & conditiuum. Quid ergo, inquis, non ſatius eſt, vel ſic iacere, quàm iſtis officiorum verticibus volutari? Vtraq; res lethalis eſt, & contractio & torpor. Puto æquè qui in odoribus iacet, mortuus eſt, quàm qui rapitur vnco. Otium ſine literis mors eſt, & hominis viui ſepultura. Quid denique prodeſt seceſſiſſe, tanquam non trans maria nos ſollicitudinum cauſæ perſequantur? Quæ latebra eſt, in quam non intret metus mortis? quæ tā munita & in altum ſubducta vita quies, quam non dolor territet? Quocunque te abdideris, mala humana circumſtrepent. Multa extra ſunt, quæ circumeunt nos, quæ aut fallant, aut vrgeant. Multa intus quæ etiam in media ſolitudine exæſtuant. Philoſophia circundanda eſt, inexpugnabilis murus, quem fortuna multis machinis laceſſitum non tranſit.* Pulchrè de more S. Bernardus l. 2. de conſid cap. 13. *cauendum & in otio otium* admonet. Additque. *Fugienda proinde otioſitas, mater nugarum nouerca virtutum.* In huiuſmodi otium iners diſputat plurima Petrus Bleſ. epiſt. 9. laudato otio ſancto & negotioſo; fortè tamen memoria lapſus cum tanquam Hieronimi profert, partem loci ex Seneca proximè adducti. Nam memini certè ea verba quæ tāquam Hieronimi refert, apud Hieronimum legere.

Quartum, genij introſpectio.

227. Quod ſubdo generale ad capeſſendam honeſtatem ſubſidium, ab Ariſtotele traditur 2. Ethic. cap. vlt. vbi ſtatuit naturalem ipſius operantis inclinationem ſpectandam diligenter eſſe, vt qua parte maior eſt infirmitas plúſque damni imminet, ex ea adhibeatur maior cautio: Itémque vt ad eam normam attemperentur occupationes & ſtudia; ea ſemper adhibita animaduerſione, vt quò corruptæ naturæ pondus vergere deprehenſum fuerit, inde abſtrahamus nos ipſos aliorſúmque feramur. Locus eſt planè aureus. *Spectandum eſt ad quæ nos procliuiores ſimus; quippè cùm alij ad alia natura propenſi ſint: id quod ex voluptate & dolore, qui nobis euenit, facilè perſpiciemus; atque in contrarium nos ipſos abtrahendum. Nam ſi procul à peccando nos ipſos remouerimus, ad medium deueniemus, id quod qui ligna diſtorta dirigunt, facere conſueuerunt.* Nec diſſimile eſt illud S. Ambroſij monitum 1. offic. c. 44. *Vnuſquiſque ſuum ingenium nouerit, & ad id ſe applicet, quod ſibi aptum elegerit. Itaque quod ſequatur prius conſideret. Non ſolum nouerit bona ſua ſed etiam vitia cognoſcat, æqualémque ſe iudicem ſui præbeat, vt bonis intendat, vitia declinet, &c. Quò etenim vnūquemque ſuum ducit ingenium, aut quod officium decet, id maiore implet gratia.*

Et incredibile ſanè eſt, quantùm ſit in rem præſentem momenti in ea genij ſui introſpectione: qui tamen ita obſeruandus eſt, vt in aduerſam partem niti ſtatuamus pro viribus. Aliò autem ſpectat quòd Seneca lib. de tranquillitate animi. cap. 6. inclinandum vult quò vis ingenij defert, eò quòd malè reſpondeant coacta ingenia & reluctante natura irritus ſit labor. Id enim Senecæ monitum pertinet ad aptum & genio congruens vitæ inſtitutum diligendum. In quo certum eſt, inclinandum potius eſſe, cæteris paribus, quò fert naturalis impetus, quamuis cùm de frænandis deprauatis affectibus agitur, ab eo ſit longiùs recedendum, quò natura corrupta magis propendet etiam omni ope annitendum ſit, vt ea inflexio in contrarium, ingeneretur per eas vias, quæ cum genio vniuſcuiuſque magis conſentiant.

Illud ipſe Deus cum de noſtris voluntatibus ad ſalubrem deditionem adigendis quæritur, exactè ſeruat. Sunt enim omninò variæ hominum propenſiones, & varij variis afficiuntur. *Iiſdem*, inquit Philo lib. de Temulentia, *quidam delectantur, quidam offenduntur. Nam quæ his probantur, aliis diſplicent. Quæ hi vltrò acerſunt vt domeſtica, alij procul in malam rem profligant vt alieniſſima. Equidem fortè fortuna theatrum ingreſſus aliquoties animaduerti ad vnum carmen Tragœdorum Citharœdorúmque in ſcena certantium, alios ſic demulceri, vt non temperarent ſibi, quin aſſurgentes acclamarent & applauderent: alios non magis moueri hoc, quam illos ipſos gradus ſaxeos, quibus inſiſterent alios in tantum offendi, vt è theatro ſe proriperent, vir·que ma-*

rum

nu compreſſis auriculis, ne quid ex eo ſono reliquum, moleſtiam crearet faſtidienſi animo. Quid attinet iſta dicere? Vnuſquiſque, ſi ipſum per ſe conſideret, quod vix eſt credibile, innumeras mutationes in corpus animámque recipit. Quæ modò experierunt fugiens, haud quaquam mutata, ſed in eodem ſtatu manentia. Eadem enim aliter à ſanis accipiuntur, quàm ab agrotis; aliter à vigilantibus, quàm à dormientibus; aliter à pubeſcentibus, quàm à ſeneſcentibus. Imo qui ſtat, alias quàm qui mouetur imaginationes concipit: alias intrepidus, quàm timidus: item mœrens, quàm gaudens; infenſus, quàm beneuolus.

Itaque in eo prouidentiſſima Dei ſapientia & altum conſilium prodidit, quòd vnicuique efficaciter præuento, ea ſenſa ac lumina inſtillat, quæ cum eius genio ac propenſione maximè congruant, qui eſt ſapor ille vitalis, quem occultis itineribus immitti interiori palato ſcripſit Ennodius ad Conſtantium, lib. 2. epiſtola 23. addens in narratione de vita ſua, Dei ſimium inimicum ſalutis noſtræ, ſimili vitia ſapore condire, obſeruantem eorum, quibuſcum agit, genium & diuerſas pronitates. *Nouit*, ait de eo S. Leo ſerm 7. de Natiu. *cui adhibeat æſtus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat, cui apponat incitamenta luxuriæ cui infundat virus inuidiæ. Nouit quem mœrore conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat, quem admiratione ſeducat. Omnium diſcutit conſuetudines, ventilat curas, ſcrutatur affectus, & ibi cauſas quærit nocendi, vbi quemque viderit ſtudioſius occupari.* Id quod etiam optimè notauit Lactantius 6. inſtit. cap. 4. & 7. & S. Cyril. l. 9. in Ioan. cap. 16. & perpulchrè S. Gregor. 29. Moral. cap. 14. tractans illud, *Diuiditur æſtus ſuper terram.* Idem ergo nobis circa nos ipſos ſeruandum eſt.

Vltimum, nuſquam pes figendus; iudicij ad id atque propoſiti vacillatio vitanda.

228. Quia verò ad honeſtum non ſecundo flumine ferimur, ſed obnitentes contra aquæ impetum, vt eleganter obſeruat Caſſianus coll. 7. c. 14. perſuadeat ſibi neceſſe eſt, quicunque ad virtutem aſpirat, nuſquam ſibi figendum pedem, & vbi progreſſus & niſus ad viteriora defecerit, inchoari retroceſſionem. Quod S. Bernardus epiſt. 255. & 341. luculenter tradidit. Et pulchrè item Naz. orat. 1. in Iulia. in ipſo fine, vbi incurios circa progreſſum, trochis confert, quos in orbem volui, non progredi atque immotè vi ſcuticæ impulſos rotari conſpicamur, quod apud verè addictos virtuti in vitio reponi, valdèque reprobari affirmat. Itaque alteriùs ſemper progrediendum eſſe, & nuſquam ſiſtendum, ei fixum ſit neceſſe eſt, qui relabi nolit, & turpiter regredi. Neque enim duntaxat periculum eſt, vt vbi hæreat, iuxta illud Auguſtini *ſub finem* enarrationis in Pſal. 69. *Vbi dixeris, ſufficit, ibi hæſit.* Et illud S. Leonis ſerm. 2. de Quadrag. *Ab itineris nondum finiti intentione ceſſantes, ibi incidunt indeficiendi periculum, vbi proficiendi depoſuerint appetitum.* Non inquam hoc duntaxat deficiendi & hærendi periculum imminet non progredienti, verùm etiam retrocedendi & relabendi.

Sed præſtat Senecam audire epiſt. 71. in fine. *Imperfectis, neceſſe eſt labi, & modò prodire, modò ſublabi, aut ſuccedere. Sublabentur autem, niſi ire & niti perſeuerauerint: ſi quicquam ex ſtudio & fideli intentione laxauerint, retrò eundum eſt. Nemo profectum ibi inuenit, vbi reliquerat. Inſtemus itaque & perſeueremus, plus quàm profligauimus, reſtat: ſed magna pars eſt profectus, velle proficere. Huius rei conſcius mihi ſum. Volo, & tota mente volo. Te quoque inſtinctum eſſe, & magno ad pulcherrima properate impetu video. Properemus. Ita demum vita beneficium erit: alioqui mora eſt, & quidem turpis inter fœda verſantibus. Id agamus, vt noſtrum omne tempus ſit. Non erit autem, niſi prius nos noſtri eſſe cœperimus.* Vtique conſtantes futuri in ea noſtri ipſorum poſſeſſione.

229. Vt autem eam, profectus ac vlterioris ſemper progreſſionis voluntatem quis aſſequatur, neceſſaria eſt cautio quam adhibet Dio Chryſoſtomus orat. 20. [Hoc, vt par eſt, *inquit*, docere atque diſcere res magni eſt pretij, nempe vt quis animum conſuefaciat rationem ſequi, neque ſe ad alia vertere, quàm quæ ſunt præ manibus, rectéque habere videntur. Et nobis animus ita aſſuefactus, ratione omnia poterit efficere, quæ ipſi conueniunt. Circumuolutus autem & errans, & aliàs ad aliud ſe vertens, quandocunque quid conſpicatur aliquam in ſe habere voluptatem, aut quietem, quemadmodum aqua in loco in vtranque partem mobili, quocunque caſus tulerit, vertitur, nullam capiet vtilitatem, nec ex omni quidem ſolitudine & quiete. Scio ego quòd canes rectè induſtriéque inſtitutæ, ſi dimittantur, ſtatim requirunt veſtigia: neque ſi omnes reuocent, illa vnquam relinquunt; neque ſi multæ vndique voces inſonent, multique odores ex fructibus & floribus contexantur, magnáque hominum atque aliorum animalium multitudo appareat, veſtigiáque equorum & boum ouiúmque; neque tamen vident quicquam horum, neque ſentiunt quicquam, ſed illis omiſſis, vndique colligunt veſtigia, & illa ſequuntur, donec inueniant ſuſcitentque leporem, & poſthæc inſtant perſequendo per quaſcunque tandem fugiat regiones: Et neque campus, neque via, neque valdè aſpera, neque hiatus, neque riuus. eas prohibet, etiamſi lepus varios quoſdam curſus faciat, & conetur decipere. Cæterùm canes indoctæ & ineruditæ, quæ tardè ſentiunt veſtigia velociter deficiunt, ſi quando aliunde acciderit rumor, ſiue canum latratus, ſiue hominum viatorum aut paſtorum vox, ſtatim ex veſtigiis ſurſum reſpiciunt, illúcque feruntur. Horum autem omnium cauſa eſt conſuetudo. Similiter verò & animum aſſuefacere oporteret, ne quando exorbitaret, neque recederet ab opere ad officium pertinente. Quod ſi non fit, difficile eſt omnia ſuperare, & rectè quicquam conficere]

Itaque, quia nihil humana voluntate inſtabilius aut volubilius, firmandus identidem animus in propoſito virtutis, & in eo veluti obdurandus: præſertímque cùm aliquid rectè & ex virtute, effici conſtiterit, vitanda vacillatio ex iudicij mutatione, niſi ſi interdum circunſtantiæ aliquam varietatem depoſcant. Hanc recti iudicij fixionem & voluntatis per illum firmationem maximi omninò eſſe momenti intellexit Seneca epiſt. 20. ſic ſcribens. *Nemo propoſuit ſibi quid velit: nec ſi propoſuit perſeuerat in eo, ſed tranſilit: nec tantùm mutat, ſed redit, & in ea quæ deſeruit ac damnauit, reuoluitur. Itaque vt relinquam definitiones ſapientiæ veteres, & totum complectar humanæ vitæ modum, hac poſſum contentus eſſe. Quid eſt ſapientia? Semper idem velle atque idem nolle. Licèt illam exceptiunculam non adiiciam, vt rectum ſit quod velis. Non poteſt cuiquam ſemper idem placere, niſi rectum. Neſciunt ergo homines quid velint, niſi illo momento, quo volunt. In totum nulli velle aut nolle decretum eſt. Variatur quotidie iudicium & in contrarium vertitur. Itaque pleriſque agitur vita per luſum. Preme ergo quod cœpiſti, & fortaſſe perduceris aut ad ſummum, aut eo quod ſummum nondum eſſe, ſolus intelligas.*

QVÆSTIO III.

De altera ſpecie moralitatis formalis, ſiue de actuali turpitudine.

229. SI de aliquo bono ſermo eſt, ait Tertullianus l. de patientia cap. 5. *res poſtulat, contrarium quoque boni recenſere. Quid enim ſectandum ſit, magis illuminabis, ſi quod vitandum ſit, proinde digeſſeris.* Itaque expoſita bonitate morali, ad malitiam progredior. Et nomina quidem *mali*, &, *malitia*, ſi in toto ſuo ambitu ſumantur, deſignant aliquid commune malo & naturali & morali. Vt rectè notat S. Hieronymus epiſt. 147. Idem ferunt illa S. Auguſtini. ſerm. 112. de diuerſ. cap. 1. *Malitia in Latino ſermone non ſignificationem habere ſolet quam habet in ea lingua qua Scriptura locuta eſt. Malitia enim dici ſolet in latina lingua, qua mali ſunt homines Illa autem lingua malitia dicitur, etiam malum quid patiuntur homines.* Et libro 2. ciuit. cap. 1. *De illis malis video dicendum quæ ſola iſti perpeti nolunt, qualia ſunt, fames, morbus, bellum, expoliatio, captiuitas, trucidatio, & ſi quæ ſimilia. Hæc enim ſola, mali deputant mala quæ non faciunt malos, nec erubeſcunt inter bona quæ laudāt, ipſi mali eſſe qui laudant magiſque ſtomachantur ſi villam malam habeant quam ſi vitam. Quaſi hoc ſit hominis maximum habere bona omnia præter ſeipſum.* Malum afflictionis & malum peccati vocat hæc duo mala. Rupertus, latè ea ſecernens lib. de voluntate Dei cap. 25. Eadem eſt latepatentia nominis *peccatum*. Nam & ad genus naturæ & ad genus moris porrigitur. Speciale autem nomen mali moralis eſt *culpa*, quæ vel actualiter vel habitualiter ſumitur. Culpam actualem intelligo omnem illam, quam S. Auguſtinus cap. 64. Enchirid. vocat *peccatum actiuum*. Habitualem verò duplicem diſtingui video apud Doctores. Nam & vitium ſiue qualitas inclinans ad operationes malas, donari poteſt nomine malitiæ habitualis; & ipſe actus malus prædicitus, prout moraliter perſtans, nec abolitus, eodem ſæpè nomine inſignitur. Vt taceam aliam præterea nullo modo philoſophicam peccati habitualis acceptionem, qua nomen peccati habitualis, dicitur de peccato originali. De quibus omnibus plenè ac minutè Hieronym. à Rua controuer. 4. Scholaſt. part. 2. ſuppoſit. 2. Nos hoc loco de culpa duntaxat actuali diſputamus, quia ei ſoli competit nomen malitiæ formalis, ſolaque honeſtati hactenus explicatæ contraponitur, Latiùs tamen patere culpam actualem, quàm vocum cortex in rigore ferat, liquebit ex dicendis.

ARTICVLVS I.

Quid & quotuplex ſit vniuersè moralis malitia, & de comparatione eius ad regulam.

SVppono eſſe aliquam malitiam moralem. Nam vt apud Arnobium lib. 1. num. 48 *Si dicere nulla eſſe voluerimus mala, ſicut eſſe nonnullis opinatum & placitum reperimus reclamabunt cuncta gentes, vniuerſæque nationes, cruciatus nobis oſtentantes ſuos & diſcriminum ſpecies multiformes, quibus cuncta per ſecula genus vritur & laceratur humanum. Tum deinde à nobis exquirent, cur mala ſi nulla ſunt ab operibus vos & ceteris & fauoribus abſtinetis? Cur non omnia facitis quæ impatiens ingſſerit atque imperauerit libido? Cur in noxios denique terribilibus pœnas conſtituitis legibus? Nam ſtoliditas inueniri qua inanior poteſt quàm mala eſſe nulla contendere, & tanquam malos perdere & condemnare peccantes?* Eſſe igitur moralem malitiam, ratum eſto, & ad eius quidditatem ſcrutandam attingantur. Et quidem ex illis quæ vniuersè de moralitate formali conſtituimus, non eſt ambiguum quid ſit malitia moralis vniuersè loquendo. Diximus enim moralitatem vniuersè acceptam definiri per ordinem ad regulam actuum humanorum eſſeque quaſi reſpectum ad eam. Itaque hoc membrum moralitatis, nihil aliud eſt quàm diſſonantia à regula rationis rectæ. Quæ pauca verba grauiſſimis difficultatibus poſtea diſcutiendis fœta ſunt, præſertim quoad malitiam commiſſionis. Nunc tamen contenti erimus, quam cortex ipſe vocum præfert, expendere.

ASSERTIO.

MAlitia formalis eſt diſſonantia commiſſioni vel omiſſioni implantata; reſpiciens proximè & immediatè non naturam rationalem, vel diuinam legem aut voluntatem, ſed iudicium practicum moraliter verum ac certum, operatione vel ceſſatione interdicens; quale in errantibus quoque circa malitiam, & de ea dubitantibus reperitur; quatenus vetantur agere vel omittere aliquid contra dictamen erroneum, aut cum dubitatione de malitia, niſi error ille abiiciatur, & dubitatio deponatur: Quod in cauſa alioqui pari, fas eſt præſtare in fauorem poſſidentis.

PRimò vniuersè propono quod habet ſe quaſi genus ad malitiam formalem, nempe diſſonantiam quæ tamen longè diuerſæ rationis eſt in variis malitiis, tamen omnes in eo conueniunt, quòd ſint diſſonantiæ. Id quod explicatiùs fiet in ſequentibus.

Diſſonantia formalem malitiam conſtituens duplex duntaxat, nempe commiſſionis & omiſſionis.

230. Eam porrò diſſonantiam, vniuersè loquendo, ſtatuo duntaxat duplicem, nempe commiſſionis & omiſſionis. Prior ex vſu ferè peculiari Scripturis diuinis, neque tamen iugi ac perpetuo, vocatur propriè *peccatum*: poſterior autem vocatur *delictum*, vt obſeruarunt S. Gregorius homil. 21. in Ezechiel. & S. Auguſtinus quæſt 20. in Leuit. Cùm enim cap. 7. Leuit. diſtinct. præſcribantur ſacrificia pro peccato, & ſacrificia pro delicto, perſpicuum eſt aliquem eſſe ſignificari vtrique nomini ſubiacentis diſtinctionem. Eam verò S. Auguſtin. ita enucleat. *Fortaſſis ergo peccatum eſt perpetratio mali, delictum autem deſertio boni vt quemadmodum in laudabili vita, aliud eſt declinare à malo, aliud facere bonum, quod admonemur dicente Scriptura:* Declina à malo & fac bonum: *ita in damnabili, aliud ſit declinare à bono, aliud facere mala: & aliud delictum hoc peccatum ſit. Nam & ipſum vocabulum, ſi diſcutiatur quid aliud ſonat delictum niſi derelictum? Et qui delinquit, quod derelinquit*

niſi

niſi bonum? Græci autē duo nomina vſitata huic peſti impoſuerunt. Nā delictum apud eos παράπτωμα dicitur & πλημμέλεια. Eſt quippe loco Leuitici πλημμέλεια eſt. Apoſtolus autem vbi ait; Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, *παραπέσῃ Græcus habet. Quorum nominum ſi origo diſcutiatur, ita παράπτωμα tanquam decidere intelligitur qui delinquit. Vnde cadaver, quod Latini à cadendo dixerunt, Græcè πτῶμα ὑ ab πίπτειν dicitur, ἀπὸ τοῦ πίπτειν, id eſt ab eo quod eſt cadere. Qui ergo peccando malum facit, prius delinquendo à bono cadit. Et πλημμέλεια ſimile nomen eſt negligentiæ. Nam Græcè negligentia ἀμέλεια dicitur, quia cura non eſt quod negligitur. Sic enim Græcus dicit, non curo, οὐ μέλει μοι. Particula ergo quæ additur πλὴν, vt dicatur πλημμέλεια, præter ſignificat: vt πλημμέλεια, quod vocatur negligentia videatur ſonare, ſine cura, πλὴν μέλεια, præter curam, quæ tantundem eſt. Hinc & quidā noſtri πλημμέλειαν non delictum, ſed negligentiam interpretari maluerūt. In Latina autem lingua, quid aliud negligitur, niſi quod non legitur id eſt non eligitur? Vnde etiam lege ve à legendo, id eſt eligēdo, Latini Autores appellatam eſſe dixerunt. Hi quodammodo veſtigiis colligitur, quòd ille delinquit, qui bonū derelinquit, & relinquendo à bono cadit, quia negligit, id eſt, non legit.*

Hanc diuiſionem eſſe adæquatam, probari poteſt ratione ducta ex verbis illis Cœleſtij apud Auguſtin. lib de perfect. Iuſt. cap. 5. *tribus modis conſtat eſſe peccatum; ſi aut illa fiant quæ prohibentur, aut illa non fiant quæ iubentur.* Nec diſſimiliter homo eiuſdem furfuris, cuius eſt liber de malis Autoribus Sixto III. malè inſcriptus. *Peccatum duobus modis determinari neceſſe eſt, ſi aut illa non vitentur quæ prohibentur, aut illa non fiant quæ iubentur.* Ex quibus verbis hæc ratio eruitur. peccatum quodcunque dicit diſſonantiam cum regulâ humanorum actuum; proximè quidem cum regula, ſiue cum iudicio operantis: remotè autem & mediatè cum lege & præcepto. Ergo vniuerſaliſſimè loquendo tam multiplex poteſt eſſe peccatum, quàm multiplex poteſt eſſe præceptum, cum quo peccatum diſſonet. Atqui præceptum non poteſt eſſe niſi duplicis generis; nempe vel affirmatiuum vel negatiuum. Dicitur affirmatiuum, quo præcipitur actus aliquis exercendus. V. G. cole Deum, honora patrem: negatiuum verò quo interdicitur exercitio alicuius actus, vt ne occide, ne furtum aliamve in alterum iniuriam admitte. Qua terminorum declaratione perſpicitur, præcepta non poſſe eſſe niſi affirmantia aut negantia: ſiue vt loquitur S. Hieronymus epiſt. 14. *prohibendi & iubendi*; quo meritò cenſet reuocari omnia præcepta: cùm inter membra ſic expoſita, cernatur oppoſitio immediata. Igitur à primo ad vltimum, non poteſt ſtatui niſi duplex genus formalis malitiæ & peccati: Nempe malitia commiſſionis pugnans cum præcepto negatiuo, ponénſque actum, qui iubebatur non poni; & malitia omiſſionis pugnans cum præcepto affirmatiuo, negligénſque actum, qui vi præcepti ponendus fuerat.

Tertium membrum in conatu ſitum, qui inuexerint.

Tertium prætereà quoddam formalis malitiæ membrum inuexit Angeſtus cap. 10 mor. t. 4. aſſerens præter actualem & exercitam voluntatis tendentiam eiúſque omiſſionem, dari conatum anteriorem moralitatis capacem: ex quo ſequitur voluntatem poſſe peccare, nec omittendo nec committendo. Quam opinionem referens Almainus tract. 3. moral. cap. 26. ait, *poſſe defenſari & aliquando defenſari in ſchola* Rationem pro hac ſententia profert, quia conatus voluntatis diſtinguitur ab actu voluntatis, vt latè docet Dionyſius Ciſterc. in 2. d. 27. q. vnica, art. 3. & patet, quia actus voluntatis eſt ex conatu & à conatu. vt proinde perſpicuum ſit, conatum eſſe natura priorem actu voluntatis elicito. Ergo poteſt poni conatus ad aliquid legi diſſinum, & turpis eſſe, qui tamen neque erit commiſſio, cùm nondum ſit actus, vel etiam non ſit futurus; conatu per obicem alicunde inuectum irritato, neque eſt omiſſio, cùm poſſimus ſupponere nullum tunc vigere præceptum affirmatiuum. Ergo poteſt dari peccatum actuale, quod neque ſit commiſſio neque omiſſio.

Accedit alterum argumentum ex eo ductum quòd voluntas poſſit ſubire reſiſtentiam in agendo, id quod diuinitùs ſaltem eſſe certum, habet pro indubitato Angeſtus. Supponamus ergo voluntatem ſubire reſiſtentiam actiuitati ſuæ adæquatam; qua videlicet planè obtundatur & hebeſcat vis eius actiua, quæ tantum exeritur quantum reſiſtentia oppoſita eſt expugnabilis: ita vt cùm ſint in ea reſiſtentia quaſi gradus, ſi omninò expugnatur reſiſtentia, tunc belliſſimè procedat actio: ſi aliqua duntaxat reſiſtentiæ portio decutiatur, actio proportionem ad eam victoriam ſeruet, iuxta vulgare & in hoc ſenſu verum effatum: actio eſt à proportione maioris inæqualitatis. Si vero reſiſtentia adæquet vim actiuam, nec per eam vlla ex parte expugnetur, irritus erit conatus, nec ſequetur actio. Voluntate igitur ſubeunte reſiſtentiam reſpectu mali actus actiuitati ſuæ adæquatam, impedietur prorſus mala actio, & tamen dabitur conatus moraliter malus, qui nec erit peccatum commiſſionis, neque omiſſionis. Quod de reſiſtentia conſtitutum eſt, æquè dici poterat de negatione concurſus. Si enim voluntate in procinctu malè agendi poſita, & ad id conante quantum eſt ex ſe, Deus concurſum negaret, poneretur malus conatus, ſed irritus.

Reiiciuntur.

232. Hæc ſententia nullo modo placet. Impugnat eam Almainus, eo *maximè*, vt vocat, *inconuenienti* ex illa deducto, quòd ſequeretur actum elicitum non habere ſuam propriam moralitatem, ſed perinde eam haurire à conatu ac externa actio eam haurit ab interna. Quod nullo modo videtur admittendum, cùm merces & pœna infinities legatur rependenda immediatè internis actibus. Argumentari prætereà poſſumus, quia vel actus ad quem voluntas conatur, eſt in poteſtate voluntatis expedita, vel ſubducitur eius poteſtati propter impedimentum aliquod: ſi primum, conatus nihil planè eſt præter ipſam actus eliciti effectionem, conſequentem ex efficacitate voluntatis liberæ. Dummodò enim hoc intelligamus, nihil deſideratur ad intelligendum verum voluntatis conatum. Si ſecundum, conatus nihil aliud eſt, quàm affectus verſans reflexè circa actum cuius exercitio prohibetur propter obſtaculum: atque ita quomodocunque ſumatur conatus & niſus voluntatis, non modò redolet commiſſionem, vt admittit Angeſtus, ſed etiam eſt vera commiſſio.

Video vrgeri poſſe naturam voluntatis liberæ, quæ priùs natura quàm actus eliciatur, intelligitur determinare ſe efficaciter ad hanc potiùs partem quàm ad aliam, determinatione indiſtincta ab ipſa facultate libera: quæ determinatio videtur recidere in conatum ab Angeſto inuectum. Dicendum verò eſt, voluntatem liberam priùs natura quàm operetur, ita ſe determinare, vt immutata maneat: & idcircò non habere moralitatem peculiarem ratione illius determinationis ſe tenentis ex parte actus primi, ſed tantùm ratione determinationis formalis, quæ eſt actus

ſecundus ponens in voluntate mutationem & variationem aliquam. Planè enim neceſſe eſt intelligi variationem fieri, vt voluntatis de non morali euadat moralis, & præmio vel ſupplicio digna. Itaque tametſi conatus ab aduerſariis inuectus videtur recidere in eam determinationem in actu primo, quæ eſt facultatis liberæ propria, & alibi eſt latè explicata: Tamen ea determinatio non eſt moralis, priuſquam habeat adiunctam determinationem formalem. Sicut facultas ipſa voluntatis non eſt bona vel mala per ſe, ſed ratione actus: & tamen non minùs eſt, naturâ prior actu libero, quàm ea determinatio: Et priùs item naturâ habet libertatem ad actum, quàm ſit in actu elicito: ſed quia illam habet inuariatam & à ſe indiſtinctam, non eſt moralis ante actum ſecundum. Idem ergo eſt de illa determinatione ſiue conatu de quo agimus; eſt enim indiſtinctus à libera voluntate.

Ad argumenta pro eo tertio membro.

233. Rationes in contrarium adductæ, nullius ſunt momenti. Admitto enim quòd volitio ſit ex voluntatis conatu, vel potiùs ex libera voluntatis applicatione & determinatione ad volendum, quæ eſt vera conatus notio iuxta Almainum tract. 2. mor. c. 10. Nego tamen quòd in ea determinatione cauſali & antecedente actum, ſit vlla moralitas ſeorſim ab actu elicito ex ea profuſo, vel antecedenter ad eum. Nego item poſſe dari liberum conatum irritum interuentu obſtaculi per cauſam increatam vel creatam interpoſiti, ſi conatus ſumatur pro applicatione & determinatione voluntatis liberæ antecedente actum elicitum, & non pro aliquo actu elicito qui reflexè feratur in alium actum cuius executio impeditur. Nam obex conatum irritum reddens qui à Deo apponi poteſt, non videtur eſſe poſſe alius, quàm ſubſtractio concurſus. Itaque cùm homo, (quippe agens creatum à Deo eſſentialiter ſubordinatum,) impotens ſit ad agendum, ſi Deus ſe illi cooperatorium neget: perſpicuum eſt, nullum poſſe in eo intelligi conatum irritum; id eſt, applicationem & determinationem liberam irritam. Quandoquidem de ratione determinationis in actu primo liberæ, eſt poſſe agere & non agere: quæ poteſtas exciditur. Deo concurſum ſuum ſubtrahente. Multò minùs poteſt intelligi conatus voluntatis irritus vi obicis per cauſam creatã interpoſiti. Cauſa enim creata nihil poteſt in voluntatem liberam, quam conſtat ſoli Deo ſubiacere. Quare falsò in prima ratione, aduerſariorum aſſumebatur liberum conatum eſſe ita irritabilem, vt nulla prorſus elicita actio ſequatur.

Quod verò in poſteriori argumento addebatur, conatum liberum poſſe reddi irritum ratione reſiſtentiæ, eodem modo diluitur. Vndecunque enim conatus ita dicatur impediri à profuſione actus eliciti, vt voluntas prorſus adigatur feriari; tunc conatus eius non eſt liber, ac proinde non eſt moralis. Deinde ea reſiſtentia conatum liberũ hebetans, vel eſſet à Deo, vel à cauſa creata. Conſtat Deum non poſſe ſeipſo eam reſiſtentiam ingenerare: alioqui ſemper eſſet ea reſiſtentia. & conatus ſemper eſſet caſſus. Si igitur Deus eam reſiſtentiam ponit, vtique non aliter id præſtat, quàm cauſando formam aliquam creatam, vel ſubtrahendo concurſum ſuum. Forma creata veluti obtundens & ſtupefaciens conatum, ægrè intelligitur poſſibilis: admiſſa autem eius poſſibilitate, periret libertas: atque ita conatus irritus, non eſſet liber & moralis. Nec aliter argumentabor de irritatione conatus liberi per ſubſtractionem diuini concurſus Eo ipſo namque quòd comprincipium eſſentialiter neceſſarium ad actionem ſubtrahitur, conatus ad eam non poteſt liber eſſe. Denique cauſa creata non poteſt reſiſtentiam omnimodam voluntati liberæ obiicere, & obſtare quominus agat ſaltem interiùs ſi lubeat, vt oſtenſum eſt, cùm de libertate. Igitur argumentum propoſitum, rimas agit vndecunque; ſitque perſpicuum, nullam eſſe formalem malitiam quæ aut commiſſionem actus indebiti, aut omiſſionem actus debiti non affectetur, eique implantetur. Guliel. Pariſ. l. de vitiis, c. 1. vtrumque hoc membrum malitiæ appellari ait *peccatum acquiſitionis & noſtrum conquiſitum peſſimum*, ſecernitque ab alio peccati genere Philoſophis incognito, quod ait vocari *hæreditatem malam*. Paſſim & clariùs, vocantur peccatum *actuale & originale*.

Terminus diſſonantiæ malitiam conſtituentis quiſnam.

234. Secundò expoſui quod habet rationem, quaſi differentiæ in malitia morali, nempe reſpectum ad regulam. Quia enim homo non eſt ſua regula. (alioqui enim eſſet impeccabilis, quia ſicut non poſſet à ſeipſo deficere, ita neque ab amuſſi & norma ſua,) præſcribendum illi fuit, quid ſequi & amplecti, quid declinare deberet, vt conformiter ad naturam ſuam viueret, fieretque idoneus cui æterna felicitas ad quam aſpirat, obueniret. Si igitur homo præſcriptum illud ſequatur, exurgit honeſtas moralis, de qua ſuperiùs, Sin verò ab illo deflectat, exiſtit moralis turpitudo atque malitia; quam propterea dixi eſſe diſſonantiam, conſtitutam per reſpectum ad regulam homini præfixam. In quo ſecernitur à pleriſque aliis diſſonantiæ rationem habentibus, quæ per alios reſpectus aut quaſi reſpectus conſtituuntur.

Hæc cùm ſint per ſe perſpicua, exponendum ſupereſt quæ ſit illa regula hominis malè operantis, quam malitia reſpicit. Non enim vt circa honeſtatem fecimus, poſſumus ſiſtere in iudicio dictante malam operationem, vel ceſſationem ab operatione honeſta, quia hoc iudicium eſt peruerſum: nec ei diſſonat qui male ſe gerit, ſed potiùs ei conſonat, & idcircò lab in contrahit; immunis futurus, ſi diſſonaret. Alia ergo regula quærenda eſt, cui tribuamus eſſe diſſonantiæ terminum.

Proximus & immediatus eſt iudicium practicum, operatione vel omiſſione interdicens.

Verùm ex illis quæ vniuersè de moralitatis termino, & humanarum actionum regula ſunt conſtituta, perſpicuum eſſe poteſt, hunc terminum, quamvis remotè & mediatè aſſignetur natura rationalis, & interdum lex diuina; tamen proximè non aliud eſſe quàm ipſum iudicium practicum rectæ rationis, operatione vel omiſſione interdicentis. Quæ poteſt eſſe non incommoda ratio diſcrepantes in hac parte ſententias conciliandi, & iaciendi idoneum fundamentum, ex quo diiudicetur controuerſia, quæ conſequenter ad varias in hoc puncto opiniones agitatur apud Autores. Nimirum vtrùm omnia peccata, idcircò ſint mala, quia prohibita; vel è contrà idcircò prohibeantur, quia ſunt mala. Qui enim ſtatuunt naturam rationalem pro termino diſſonantiæ; aiunt adulterium, periurium, aliàque huiuſmodi, prohiberi per legem quia ex ſe mala ſunt, & naturæ rationali vt rationalis eſt, aduerſantia. In qua ſententia eſt. Vaſques 1.2. d. 58. c. 2. & d. 90. c. 3. & d. 97. c. item 4. Qui vero terminum diſſonantiæ ſtatuunt legem ſiue

diuinam

diuinam ſiue particularem noſtro iudicio practico contentam, vt Bonauent. Ocham, Gerſon, Almainus, & alij; admittunt peccata illa eſſe mala, quia prohibentur diuina vel particulari illa lege. Cuius controuerſiæ diiudicatio pendet ex illis, quæ de termino diſſonantiæ ſtatuuntur. Itaque operæpretium eſt quæ de eo breuiſſimè perſtrinxi, paulò explicatiùs proponere & excutere.

Remotus, natura rationalis.

235. Naturam ergo rationalem vt rationalem, dixi eſſe terminum remotum cui diſſonat malitia: quia ſicut natura eſt fons & radix iudicij illius actualis, quod eſt proxima hominis regula; ita eſt veluti radicalis & fontalis regula, cui homo operando vel omittendo, malè diſſonat. Item quia iudicium commiſſione aut omiſſione interdicens, non eſt homini arbitrarium, ſed fertur conſentaneè ad id quod decet naturam prout rationalem, prout naturali lumine conſtat, aliqua eam dedecere. Ob hanc igitur cauſam, rectè natura rationalis prout eſt veluti fundamentum diſconuenientiæ humanarum actionum vel omiſſionum ad ipſam, ſtatuitur terminus radicalis & remotus malitiæ. Quod voluerunt S. Dionyſius c. 4. diuin nomen. & D. Auguſt. 11. ciuit. c. 17. & l. 12. c. 1. cùm dixerunt peccatum nocere naturæ rationali, & eſſe contra eam. Quod ex aliis item Patribus & pleriſque Philoſophis confirmo initio tractationis de virtute morali. Vbi etiam expendo rectène Victoria relect. de homic à n. 2. affirmet idcircò malitiam formalem dici eſſe contra naturam, quia eſt contra naturalem inclinationem, qua ferimur ad virtutem & nullatenus ad vitium. Quò ferè recidit, quod Vaſques ait .2. d 90. c. 1. peccatum & vitium opponi naturæ rationali quia opponitur virtuti quæ eſt nobis conſentanea. Sed citato loco oſtendo motum quoque in obiectum delectabile, cui adiuncta eſt malitiæ fœditas, eſſe nobis conſentaneum & connaturalem, prout præditi ſumus natura non ratione tantùm, ſed & ſenſu prædita.

Itaque germana ratio cur malitia dicatur eſſe contra naturam rationalem, ducenda eſt ex eo quòd malitia ſit proximè contra legem à natura tanquam à radice oriundam, atque ita remotè quoque ſit contra ipſam naturam. Itémque ex eo quòd malitia diſſonet proximè iudicio practico, quòd rectitudinem ſuam tandem haurit ex eo quod naturæ tanquam rectitudinis fundamento, eiúſque exigentiæ conſentiat. Vtroque illo modo, (qui tamen in vnum reuoluitur,) malitia quæcunque formalis dicitur eſſe contra naturam rationalem. Quæcunque inquam malitia formalis: ita vt non ſit diſtinguendum de per ſe malis, & malis quia vetantur. Nam ex quo actus eſt malus, ſiue intrinſecè ſiue per accidens ſit malus, illico eſt contra naturam rationalem eo quo dixi modo. Nec item excipienda eſt malitia culparum quibus virtutes ſupernaturales violantur, vt infidelitatis ac ſimiles. Nam hæc quæque malitia, eſt contra naturam rationalem, quia aduerſatur dictamini rationis rectæ.

Itémque lex diuina poſitiua, in malis quia ſunt à Deo vetita.

236. Iam vero lex diuina quaſdam operationes indicens quibuſdã vero interdicens, poteſt interdum habere rationem termini, cum quo malitia diſſonet, non tamen proximè, ſed tantùm remotè ac mediatè, ſi modò lex diuina ſumatur vt eſt à Deo quatenus legiſlatore. Quod moneo; quia lex diuina interdum conſideratur quatenus eſt velut archetypus legis creatæ, non aliter ad actus noſtros regulandos interueniens, quàm per legem creatam particularem quæ eſt diuinæ legis æternæ participatio & effigies, vt tradit S. Auguſtinus lib. 1. de lib. arbitrio, c. 6. & S. Thomas 1. 2. q. 91. art. 1. Et hoc pacto lex diuina non eſt terminus diſſonantiæ diſtinctus à iudicio & lege particulari. Sicut quia particularis poteſtas inferioris Magiſtratus, nihil eſt niſi participatio quædem poteſtatis ſuperioris, idcirco qui legem à Magiſtratu inferiore poſitam violat, peccat quoque in poteſtatem ſuperioris, quæ computatur vt eadem poteſtas, tametſi reſtricta, in Magiſtratu inferiori. Itaque non ſpectatur nunc lex diuina eo modo in hoc negotio.

Poteſt autem ſecundo loco lex diuina conſiderari vt lex quædam explicitè lata; ſeu vt partus Dei non quatenus primæ cauſæ, ſed quatenus primi legiſlatoris præcipientis aut vetantis aliquid, & ad illud exequendum vel declinandum obligantis. Et hoc pacto ſpectanda eſt in hoc negotio lex diuina. Fateor autem, eam plerunque ſub hac conſideratione eſſe aliquatenus terminum cui malitia diſſonat. Quæ enim alia origo malitiæ fuit in comeſtione fructus cæteroqui optimi per primum parentem, quàm quòd diuina lex eius eſu interdixiſſet? Itaque ea comeſtio diuinæ illi legi diſſonauit, & inde hauſit malitiæ ſuæ virus. Idem de ſimilibus exemplis eſto iudicium. Aio autem tunc diuinam legem eſſe terminum duntaxat mediatum & remotum, quia eſt alius terminus proximior, vt poſtea conſtabit.

Non tamen in per ſe malis,

237. Aliàs tametſi diuina lex poſitiua non ita interuenit ad peccati conſtitutionem: vt in omnibus actionibus per ſe & intrinſecè malis, quæ peſſimæ eſſent & fugiendæ, etiamſi Deus de eis ſiluiſſet. Quò ſpectat longa diſputatio Gregorij in 2. d. 34. q. vnica, art. 2. & coroll. 2. eiuſdem articuli, contra nonnullos ibidem allegatos; contendentis, culpas quæ non ſunt malæ tantùm quia prohibitæ diuina lege poſitiua; hoc eſt omnia intrinſecè mala, eatenus tantùm dici eſſe contra diuinam legem, quatenus repugnando legi rectæ rationis, aduerſantur quoque legi æternæ, ſiue diuinæ rationi rectiſſimæ, & cum quouis recto & iuſto conſonantiſſimæ, Circa idem enim quælibet ratio recta cuilibet rationi rectæ conſonat, & nulla alicui aduerſatur, ſicut nec veritas veritati. Hoc tantùm modo admittit Gregorius, peccata de quibus agimus, ſiue peccatum vniuersè, eſſe contra diuinam legem. Negat autem peccatum eſſe peccatum eſſe peccatum, præcisè quia eſt contra diuinam rationem; aut non fore peccatum, niſi eſſet contra rationem diuinam, quatenus diuina eſt.

Quæ ſententia mihi videtur vera, eámque approbant Azor t. 1. l. 2. cap. 7. q. 2. Salas 1. 2. tract. 13. d. 2. præſertim n. 58. & 71. ac 72. & tract. 14. d. 1. n. 23. & 25. Suar. 2. de leg. c. 6. n. 17. Ratio eſt, quia ſi per impoſſibile diuina ratio & Deus ipſe non eſſet, fingerémuſque eſſe hominem; adhuc poſſet eſſe peccato locus violando legem particularem, & repugnando rectæ rationis dictaminibus V. G. ſi intelligeremus Deum non eſſe, adhuc verum eſſet eum qui mentiretur, malè agere, & in naturam ſuam delinquere. Contrarium autem, quod Victoria relect. de puero, part. 1. n. 8. videtur admittere, caret omni probabilitate: quandoquidem in mendacio, abſque vllo ad Deum reſpectu, reperitur inordinatio dedecens hominem, atque adeò etiam malitia moralis, ſine culpa. Quæ duo ridicule à quibuſdam ſeiunguntur, cùm admittunt, in eo euentu actum mendacij fore malum mo-

tale, non tamen culpam, ſiue peccatum. Hanc dico eſſe ridiculam argumenti declinationem: nihil enim aliud eſt culpa ſiue peccatum, quàm malum morale, vt rectè contra huiuſmedi inſulſitatem notat Vaſquez 1. 2. d. 77. cap. 2. Ad hæc operari contra conſcientiam, ſemper eſſe malum & peccatum. Atqui Atheus, vel qui Deum nullomodo noſceret, eſſetque ſibi ipſi lex, poſſet agere contra conſcientiam. Ergo poſſet peccare. Tandem ſi peccat, ratio penderet à diuina prohibitione, verúmque eſſet, diuinum præceptum eſſe terminum eſſentialem diſſonantiæ cuiuſvis peccati, fatendum conſequenter eſſet, gradum euidentiæ de malitia alicuius operis, aſſectari gradum euidentiæ de exiſtentia Dei. Vnde qui careret euidentia diuinæ exiſtentiæ, non poſſet habere euidentiam quòd malum ſit parentes inhonorare, occidere innoxium, rapere aliena, &c. Nam iuxta ſententiam prædictam, tota malitiæ ratio, eſt diuina autoritas præcipiens quæ vt ſupponimus, non innoteſcit euidenter. Sicut ergo qui neſciret euidenter Chriſtum fuiſſe, non poſſet euidenter ſcire Baptiſmum fuiſſe Chriſti autoritate inſtitutum, eiúſque mandato eſſe vſurpandum: ita qui neſciret euidenter Deum eſſe, non poſſet euidenter noſſe, malitiam à Dei præcepto & autoritate manantem, actui alicui vel actus omiſſioni contingi.

Enodatio difficultatis ex eo ducta, quòd peccatum tranſgreſſio legis diuinæ, peccator prævaricator eius dicatur,

238. Rectè igitur conſtitutum videtur, malitiam non habere pro eſſentiali termino, etiam mediato & remoto, diuinam legem vniuerſaliter loquendo. Et quamuis in hoc ordine rerum, & vberi diuinarum legum luce, peccata plurima quæ alioqui mala eſſent, diſſonent quoque legi Dei vt legiſlator eſt, idque peccantes non lateat: Tamen nihil etiam eſt quod vetet, animum peccantis, nulla diuinæ legis vetantis cogitatione pulſari, & nihilominùs totam malitiæ fœditatem ex obiecto aliiſque illi adiunctis deriuatam perſtare. Aiunt quidem interdum Doctores ſacri, peccatum eſſe tranſgreſſionem diuinæ legis: & in ipſis Scripturis diſerte habetur, *prævaricantes reputaui omnes peccatores terræ*; cùm tamen *vbi non eſt lex, ibi non ſit prævaricatio.* Quæ loca malè habent Gregorium loco allegato, eúmque adigunt ad incommodam, nec reuerà cohærentem diuinæ duplicis legis, alterius videlicet indicantis tantùm, alterius etiam prohibentis, diſtinctionem; meritò à Suare fusè reprobatam l. 2. de leg. cap. 6 à num. 5. Sed facilè occurritur teſtimoniis prædictis, fatendo omne peccatum eſſe contra legem Dei, non prout legiſlatoris, ſed prout naturæ autoris & fontis legis creatæ cuivis inſitæ.

Huius quippe internæ legis infractione contineri prævaricationem, & hanc eſſe legem Dei, quam à Deo creatore inſertam violat quiſquis delinquit, etiamſi de Deo legiſlatore non cogitet, luculenter traditum eſt à D. Auguſtino variis locis, quæ collegit Gregorius in 2. d. 34. q. vnica, art. 2. corol. 2. & nominatim epiſt. 89. & concione 25. in Pſal. 118. & à S. Hieronymo q. 8. ad Algaſiam, necnon à D. Chryſoſtomo in Pſal. 147. ad illud. *Non fecit taliter omni nationi.* Opponit enim ſibi Chryſoſtomus aduersùs hoc in Pſaltis pronunciatum. *Quomodo ergo erit aut hoc aut illud: ſi quid eſſet agendum, neſciebant? Sin autem ſciebant, quid ſit agendum, quomodò dicit, Non fecit ſic omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis?* Hanc difficultatem ſic elidit. *Quid ergo ſit quod ſcriptum eſt, & quid ſibi velit ſignificare, audi. Scriptam legem nulli alij dedit. Naturalem enim intus habebant omnes, perſonantem quod ſit bonum, quid ſcelus. Cùm hominem enim Deus fingeret, ſimul etiam hoc illi indidit incorruptum iudicium; nempe vniuſcuiuſque ſuum conſcientiæ calculum. Iudæis autem hoc procurauit eximium, quod quæ erant iuſta ac legitima, procurauit vt per ſcripta cognoſcerent. Et ideò non dixit ipſe. Non fecit in omni gente, ſed, Non ſic fecit. Hoc eſt, Non miſit eis tabulas, non ſcripta, non Moſen legiſlatorem, non alia, quæ fuerunt in monte Sina. Sed Iudæi ſoli peculiari quodam priuilegio hæc omnia conſecuti ſunt. Verùm enim verò vniuerſa humana natura habuit ſufficientem legem conſcientiæ. Quæ quidem Paulus quoque ſignificans, dicebat:* Quando enim gentes legem non habentes naturâ quæ legis ſunt, faciunt, ij legem non habentes ſibiipſis ſunt lex. *Et ideò Iudæi digni ſunt maiori condemnatione quòd cùm vnà cum lege naturali ſcriptam quoque legem acceperint, tam ſcelestè, & tam nefariè ſe geſſerunt.*

Nimirùm Iudæi, rei, & damnationi obnoxij effecti ſunt, ſpeciali illo titulo quo legem poſitiuam diuinitùs propoſitam ſunt tranſgreſſi: non modò quoad ea quæ tantùm mala erant, quia diuina lege poſitiua prohibebantur; ſed etiam quoad intrinſecè mala, quorum malitiæ naturaliter euidenti; declaratio legis diuinæ poſitiuæ ſuperaddebatur; ita vt vſquequaque præcluderetur peccantibus excuſatio, fierêntque non iniqui tantùm, quòd circa intrinſecè mala forent ſilente Deo, ſed etiam prævaricatores, & contra legem agentes, quales propriiſſimè fuerunt, infringentes legem poſitiuam. Obſeruauit acutè S. Auguſtinus in Pſal. 70. hoc ſenſu. iniquum ſimpliciter dictum, diſtingui ab agente contra legem. Quanquam etiamſi omninò defuiſſet lex poſitiua, prævaricatores quoque in pleriſque fuiſſent, ratione legis naturalis ſolius, vt illi alij qui lege non accepta, ipſi ſibi lex fuerunt, habuerúntque opus legis ſcriptum in naturalibus cordium ſuorum tabulis. Nam & iſtos prævaricatos eſſe legem naturalem cuicunque noſtrûm inſertam, & idcircò peccaſſe, iam demonſtratum eſt.

Alia ad idem difficultas, ex eo quòd peccatum quodcunque ſit, Dei iniuria,

239. Acriùs pungit quod obiici prætereà poſſe video: nempe non modò in hoc rerum ordine & ſumma luce diuinæ voluntatis ac iudiciorum Dei hominibus manifeſtatorum; ſed etiam inter Ethnicos & barbaras gentes eam exiſtimationem viguiſſe, peccatum quodcunque diuina lege vetari, & qui in aliquam culpam volentes feruntur, Numen violare, cuius præcepto quacunque culpa interdicenti parendum fuerat, tanquam mandato ſupremi Domini, cui Omnes ſubeſſe debent. Quod æquè in omnia peccata cadit, nec tantùm in ea, quibus ipſum in ſe nomen directè impetitur, cuiuſmodi ſunt monſtra quædam criminum, blaſphemia, V. G. & periurium, aliáque huiuſmodi, ſed in omnia omninò.

Hanc naturaliter inſertam peccati notionem, prodit lancinatio conſcientiæ peccato ſordentis ex intentata diuinitùs vltione ob noxas quibus violatam Dei Maieſtatem natura duce videtur agnoſcere, néc ignorabat cùm delinqueret. Eundem ſenſum Ethnicis quoque inſitum fuiſſe, docere videtur, quod apud barbaras quaſvis gentes vſu ſemper receptum fuit, vt procurandis populi peccatis, & placando Numini, (vtique per peccata offenſo, & iniuriam ſubeunti ob voluntatis & legi, ſuæ violationem per eos qui parere iubenti aſtringebantur;) deſtinarentur Sacerdotes, aliique Myſtæ & religioni, Adminiſtri, Itaque

non

non Patres modò, peccatum diuinæ legis tranſgreſſione, & Deo eatenus facta iniuriæ irrogatione definiunt, eorúmque veſtigiis inſiſtentes Scholaſtici; ſed etiam ex Ethnicis nonnulli.

Inter Patres id perſpicuè habet Origines homil. 12. in Ezech. verbis illis, *Et ne putemus ſolummodo verbum nos exaſperare domini ſi peccemus, delictum noſtrum vſque ad ipſius Dei iniuriam peruenit. Scriptum eſt enim quod* qui peccat per præuaricationem legis, Deum inhonorat. *Parum erat ſi dixiſſet* inhonorant Angelum. *Nunc autem* per præuaricationem (*inquit*) legis Deum inhonorat. *Quotieſcunque præuaricamur legem Dei, toties inhonoramus Deum, & quanto maiora deliquimus, tanto maioribus contumeliis afficimus Deum* apertè ſignificat S. Auguſtinus l. de conſenſu Euangel. c. 4. & l. 22. contra Fauſt. c. 27. vbi peccatum definit tranſgreſſionem legis diuinæ. Idem l. de natura & grat. c. 29. tametſi diffitetur omne peccatum eſſe ſuperbiam ſpecialem, & formalem Dei contemptum, & ea in parte reprobat Pelagium: Tamen non inficiatur, verè à Pelagio aſſumptum fuiſſe illud, *Omne peccatum Dei contemptus eſt.* Et 19. Ciuit. c. 21. hominem Dei dominatum peccando excutientem, eiuſdem iniuſtitiæ arguit, cuius eum qui alienum fundum diripit inuito domino Saluianus 4. ad Eccleſ. c. 3. hæc verba habet, *Omne peccatum, eſt Diuinitatis iniuria.* S. Anſelmus l. 1. cur Deus homo, c. 11. ait, hominem peccando auferre Deo quod ſuum eſt, indéque oriri ſatisfactionis neceſſitatem, & pœnæ ac ſupplicij debitum. Idem S. Anſelmus, vt ex eo refertur in ſimilitud. quas vſurpare ſolitus erat, c. 101. inde colligit, iuſtè creaturas homini peccanti ſubſidium & obſequium omnémque vſum ſuum negare poſſe, quòd peccando Deus offendatur; ſupremus ac beneficentiſſimus dominus, à ſeruo ingratiſſimo & deſpicatiſſimo: quod eſt etiam apud alios Patres frequens, vt doceo cùm de virtute obſeruantiæ.

S. Thomas in c. 4. ad Rom. lect. 1. *ſub finem*, diſertè tradit, omni peccato Deum offendi, confirmátque ex eo quòd Deus dicatur peccata remittere: at remittere, eius eſt qui iniuriam & offenſam ſubiit. Conſentiunt communiter Scholaſtici partim in 4. d. 20. vel initio 3. part. tractantes neceſſitatem redemptionis & ſatisfactionis Chriſti pro peccatis noſtris: partim in 4. d. 14. & 15. vel 3. parte, q. 85. tractantes munera virtutis pœnitentiæ; quorum vnum eſt, placare Deum offenſum, eúmque peccatori ad cor reuerſo, déque iniuria mœrenti reconciliare. Quod eam Dei in peccato iniuriam diſertè tradens, luculenter confirmat Gulicl. Pariſ. tract. de Sacram. Pœnit. cap. 1. Plurima vndecunque in hanc ſententiam ex ſacra penu depromunt recentiores Scholaſtici, qui hanc in omni peccato diuinæ iniuriæ rationem agnoſcunt atque confirmant, Suares l. 7. de grat. c. 24. à n. 48. Leſſ. l. 23. de diuin perfect. n. 183. Salas 1. 2. tract. 13. d. 1. o. 75. & Ægid. Conine. diſputat. 1. de pœnit. n. 21. & diſp. 2. n. 99. qui nominatim obſeruat Deum non poſſe cedere ſuo huic iuri, nec poſſe cuiquam concedere, vt abſque ipſius Dei iniuria malè agat. Sicut non poteſt Deus abdicare ſe poteſtate ſuprema legiſlatiua, & independentiſſimo ac altiſſimo dominatu.

Eandem Numinis violationem per quodcunque peccatum, agnouerunt Ethnici Philoſophi, quos referam tractans in communi fœditatem malitiæ, ex eo capite quòd eius partus ſit impietas & offenſa Numinis. Et nonnulla etiam addam exponens naturalem virtutem pœnitentiæ. Iunge iiſdem illud Dionis orat. 1. de regno. *Quicunque cùm malus ſit, ſe dijs placere putat, eo ipſo primùm iam pius non eſt: aut enim fatuam aut prauam ſtatuit eſſe Diuinitatem.*

Cùm igitur peccatum ſit eſſentialiter iniuria Numinis, cuius lex violatur, impoſſibile omninò videtur intelligere alicubi rationem moralis malitiæ, quin Deus legiſlator habeat ſe vt terminus illius malitiæ. Non enim apparet, quo alio ex capite Deus iniuriam ſubire dicatur a peccante, quàm quia Dei mandatum ac legem violat: Legem inquam poſitiuam, & à naturali diſtinctam. Nam in hanc is quoque incurreret, qui nulla omninò Dei notitia imbutus, aliquid intrinſecè malum admitteret.

Ea iniuria, eſt contra verum Dei ius, atque adeò eſt vera iniuria.

240. Hanc difficultatem ſunt qui elidere ſe putent, negando peccatum eſſe eſſentialiter iniuriam & offenſam Numinis propriè dictam. Rationem proferunt, quia Deus eſt iniuriæ incapax: Neque enim læditur per culpas noſtras, vllùm ve ex eis ſubit diſpendium. Ego tamen omninò adigor, vt admittam, rationem diuinæ offenſæ atque iniuriæ, eſſe peccato eſſentialem: Iniuriæ inquam propriè dictæ, & ipſummet Deum impetentis tanquam perſonam offenſam, cuius proinde proprium efficitur, offenſam illam remittere & infinitatem quandam nulla purè creata ſatisfactione adæquabilem, malitiæ conciliare, vt omnes paſſim agnoſcunt. Errarent tamen niſi malitia eſſet iniuria in ipſum Deum, aliter quàm prout cauſam legis creatæ naturaliter nobis inſertæ. Non enim qui delinquit in opificium, illicò in artificem peccat.

Igitur quæ de Numinis offenſa & iniuria cuivis peccato intima, tanto e conſenſu tradita ſunt, vt in propoſitione difficultatis relatum eſt, de propria iniuria accipi debent. Id quod etiam ratione efficaci ſtabiliri videtur. Nihil enim aliud eſt iniuria, quàm violatio iuris propriè dicti. Atqui Deus habet ius rigoroſum & propriè dictum, quod peccator violat, cùm tamen ad illud indemne ſeruandum aſtringeretur ex rigoroſa & perfectiſſima obligatione ad alterum, quæ eſt veriſſima obligatio iuſtitiæ. Ergo peccatum irrogat Deo iniuriam propriè dictam. Sola minor eget probatione, quam duco ex ſummo Dei in hominem dominio. Deus enim non ſolùm eſt hominum gubernator, ſed etiam perfectiſſimus dominus, cuius & nos & omnia noſtra ſumus eique ſubiacere obligamur, non tantùm tanquam habenti in nos dominium Iuriſdictionis & directionis, ſed etiam tanquam habenti verum dominium proprietatis, qui eſt titulus non obedientiæ tantùm, ſed etiam Iuſtitiæ. Sicut ergo mancipium tenetur ex Iuſtitia, exequi voluntatem domini, quippe cui & ſe & ſuos fructus, id eſt, ſua opera debet tanquam domino, & cui opera illa tanquam res ſuas exigenti, tenetur ea reddere, ne ſit fur, vſurpétque rem alienam inuito domino: quo pacto non ſe habet ad eum cui politicè non deſpoticè ſubeſt. Ita homo cùm ſit verum Dei mancipium, (vt liquet ex eminentiſſimo Dei dominio in res omnes,) neceſſe eſt, vt Deo ex Iuſtitia reddat fructus ſuos. Ac proinde ſi voluntati eius obluctetur, & opera ſua ad diuinæ voluntatis nutum non exigat, aliquídve voluntati illi aduerſans machinetur, iniuriam in Deum admittet, eritque iniuſtus, vtens ſcilicet re Dei propria contra voluntatem eius, illíque negans quod ex iure ſanctiſſimo reddere tenebatur tanquam domino.

Quòd ſi eſt in Deo huiuſmodi veriſſimum ius, non video qua ratione negari à quibuſdam potuerit

tit

rit Deum, iuris illius violatione, veram & propriè dictam iniuriam ſubire. Iuris enim propriè dicti violatio & læſio, non poteſt labe iniuriæ & offenſæ vacare, etiamſi fingeremus, nullum prætereà aliud diſpendium inferri Deo. Inſuper tamen lædi Deum in bonis ſuis quod iidem Auctores malè inficiabantur, Dei ad omnia damna incapacitatem malè cauſantes, perſpicuum eſt ex honoris diuini iactura quoduis peccatum afficiente, præſertim ob contemptum, qui in eo ſitus eſt, quòd in conſpectu Domini nos vbique ac ſemper intuentis peccemus, vt optimè expendit S. Anſel. l. 1. cur Deus homo c. 21.

Quia tamen bonum honoris eſt extrinſecum, nulla ſequitur in Deo ipſo variatio ex damni illius perpeſſione. Item quia non infertur niſi permittente Deo, à quo poſſet facilè impediri, non vertitur probro diuinæ potentiæ, quaſi ad arcenda & auertenda damna ſua impotens ſit. Et denique quia damni illius irrogatione, Deus non priuatur bono ſibi vtili, nec inuitus impeditur ab vſu alicuius rei ſuæ; inde fit vt peccator vi iniuriæ Deo illatæ, non teneatur per ſe loquendo, reſtituere ſtatim Deo honorem ablatum, eámque iniuriam ſarcire: contrà quàm accidit in iniuriis humanis, quia non reparatio earum continuata, eſt continuum quoddam nocumentum, ob continuatam impeditionem legitimi vſus rei dominio vtilis. Itaque verè peccatum eſt iniuria in Deum; nec pura, ſed damnoſa quamuis non fiat mentio huius labis, cùm ſpecialia alicuius peccati probra enumerantur, eò quòd hæc ſit ratio in omni peccato incluſa quaſi tranſcendenter.

Difficultatis ex ea iniuria cuiuis peccato intimæ ducta, vera diſſolutio.

241. Alia igitur via diſſoluendæ difficultatis propoſitæ quærenda eſt, & admiſſa in peccato ratione iniuriæ ac offenſæ diuinæ. declarandum quomodò nihilominùs non ſit peccato eſſentiale recipere legem diuinam; aliúmque eſſe terminum diſſonantiæ malitiam conſtituentis, quàm diuinam legem aut Deum iubentem. Aio igitur, peccatum eſſe quidem iniuriam diuinam propriè dictam, vt proximè demonſtratum eſt; non tamen idcircò eſſe iniuriam, quòd violetur lex Dei quatenus iubentis: Id enim nec ſemper interuenit, vt patet de pleriſque peccatis, de quibus nulla lata eſt lex diuina poſitiua. nec etiamſi ſemper interueniret, ſufficeret ad labem iniuſtitiæ ſed duntaxat ad labem inobedientiæ, ſaltem materialis; cùm tamen oſtenderimus eſſe in quouis peccato labem veræ iniuriæ erga Deum & offenſæ propriè dictæ, quæ pugnant contra iuſtitiam. Idcircò igitur peccatum eſt iniuria & offenſa Dei. quia fit contra eius voluntatem Dei quippe voluntas fert, vt in omnibus ſequamur præſcriptum rectæ rationis, & legibus iuſtis poſitiuis conformemur, declinemúſque omnem honeſti peruerſionem. Nam cùm Deus ſit bonus & optimus, non poteſt non velle honeſtatem, quantum ex ipſo eſt vbique vigentem. Igitur enim delinquimus, veritatem Dei in iniuſtitia detinemus, noſtras, inquam, vires & facultates, quæ verè Dei ſunt tanquam ſupremi domini, aliò auertimus, & contra eius voluntatem impendimus, quæ eſt propriſſimè dicta iniuria atque iniuſtitia in Deum.

Hæc tamen iniuria non eſt ſemper formalis & explicita quia plerunque peccator eam inferens, nulla Dei cogitatione pulſatur, nec vllo modo aduertit ſe inducere inæqualitatem cum diuino iure: quæ cognitio vt minimùm deſideraretur, vt iniuria eſſet formalis, etiamſi indirectè tantùm volita. Eſt itaque iniuria ſaltem implicita & materialis, qualem irrogat qui neſcit ſe alium offendere, cuius reipſa ius imminuit: ita vt ſi notitia iuris alieni adeſſet, nihil deficeret ad labem iniuriæ propriè dictæ. Vnde ratio diuinæ iniuriæ quam admiſimus eſſe peccato eſſentialem, eſt tantum materialis vel fundamentalis in eo ſita quòd verè & reipſa aliquid quod Dei eſt, nempe facultas hominis, aliter adhibeatur vel vſurpetur, quàm ferat voluntas Domini, qui eſt ipſe Deus. Quæ iniuria cernitur etiam in illorum malitia qui Deum non norunt, vel de eo nullatenus cogitant, quod nunc in tanta luce Chriſtiana, eſt apud nos moraliter impoſſibile, quia ſemper cùm quis peccat, ei actu, etiamſi ſubobſcuriùs & indiſtinctius obuerſatur animo violatio Numinis per peccatum, & metus vindictæ, eam ob cauſam à Deo inferendæ. Quæ cauſa eſt, cur nunc ea noxa ſemper habeatur pro incluſa in culpa, eo ipſo quod culpa eſt: ſeu cur quiſque recti fines tranſgreditur, nunc eo ipſo habeatur ſordens ea iniuriæ diuinæ labe, quam declaraui: nec in ſacramentali ſpecierum peccati expreſſione vigeatur vt eam exponat quandiu eſt indirectè tantùm volita.

Neque voluntas diuina, eſt terminus diſſonantiæ.

242. Eodem porrò iure quo ex dictis conſtat, diuinam legem poſitiuam non eſſe terminum diſſonantiæ eſſentialem malitiæ, conſtare quoque poteſt, diuinam voluntatem explicitè violatam, non eſſe terminum illum. Quia ſcilicet ſi quis Dei prorſus ignarus, & ne implicitè quidem aduertens ad offenſam Numinis peccato inſertam, peccatum tamen admitteret, nullus eſſet in ea turpitudine morali ad diuinam voluntatem reſpectus. Proindéque quòd ferè ſemper voluntatis diuinæ infractio obuerſetur peccatoribus, accidentarium eſt, planèque extrinſecum rationi formali moralem turpitudinem vniuerſaliter conſtituenti per ordinem ad illum diſſonantiæ terminum eſſentialem, quem iampridem inquirimus. Præterquam, quòd voluntas diuina tunc quoque cùm reſpicitur, non reſpicitur proximè & immediatè, ſed remotè duntaxat & mediatè: hoc eſt interuentu legis particularis & conſcientiæ, cui niſi diſſonaret malitia, non diſſonaret diuinæ voluntati, vt mox declarabo.

Firmatur doctrina tradita de iudicio noſtro terminante diſſonantiam.

Vt igitur tandem huic diſquiſitioni finem imponam; terminus cui eſſentialiter & proximè ac immediatè diſſonat malitia, alius non eſt, quàm iudicium practicum operatione vel commiſſione interdicens. Hoc perſpicuum videtur, ex illis quæ vniuerſè dicta ſunt de termino moralitatis. Nunc autem ea applicando ad rem præſentem; addo quamuis certum ſit pleraque moraliter mala, non eſſe mala, quia vetantur externa lege poſitiua, ſiue diuina ſiue humana, (quæ eſt communis ſententia apud Suarem 2. de lege c. 6. n. 11. tradita item ab Ariſtotele 2 Eth. c. 6) Tamen nullum eſt morale malum, quod verè malum ſit, niſi per hanc priuatam legem & internum iudicium prohibeatur: Ita vt idcircò malitia ſit malitia, quia diſſonat huic dictamini, nec mala foret, niſi ei diſſonaret Neque verò idcirco malitia per hanc priuatam legem prohibetur, quod ex ſe & antecedenter ad hoc iudicium ſit formaliter & completè malitia. Hoc enim eriperet iſti iudicio rationem legis priuatæ & termini diſſonantiæ. Idcircò igitur malitia eſt

comple

completè malitia, quia vetatur per priuatam hanc legem, eique diſſonat; & per eam naturæ rationali cuius partus eſt hoc iudicium. Hæc videtur mens aperta Diui Thomæ 1.2.q.71.art 6.ad 4 vbi ait, per comparationem ad legem humanam non omnia peccata eſſe mala, quia prohibita. Per comparationem autem ad legem naturalem, quæ principaliter, (id eſt radicaliter, & vt in cauſa ſua ac archetypo,) continetur in lege æterna; & ſecundariò (id eſt proximè,) in iudicatorio rationis naturalis, omne peccatum eſſe malum, quia prohibitum.

Illatum Bradvuardini ex noſtra ſententia nullum eſſe per ſe malum.

243. Contra hanc ſententiam noſtram, militare in primis videntur omnia quæ Thomas Bradvuardinus l.1.de cauſa Dei c.26.propoſuit, vt probaret nullam eſſe malitiã quæ ſecundùm ſe ſit malitia: id quod Bradvuardinus reſolutioni à nobis poſitæ tanquam fundamento ſuperſtruit, cùm tamen ſit manifeſtè abſurdum: Atque adeò ſi eius illatio eſt idonea, antecedens noſtrum nulla ratione admitti poterit. Præcipua Bradvuardini ratio eſt, quia vni habẽti hoc dictamen mala eſt actio: alteri autem habenti dictamen contrarium, bona eſt. Illuſtrat hoc exemplo puerorum & furioſorum, in quibus illi actus vacant crimine, qui in adultis ſui compotibus eſſent horribilia peccata: Quia nimirum paruulis & rationis vſu priuatis, deeſt iudicium prælucens, quo prohibeantur, ſicut prohibentur adulti. Addit ſimiles eſſe ſecundùm eſſentiam, motus occidentium inculpabiliter & culpabiliter: nec diſſimilẽ phyſicè eſſe complexum adulterorum ab immaculato vſu coniugij. Colligit igitur vel omnes illos actus æquè fore prauos, quod aſſerere nefas eſt, vel nullum eorum ex ſe eſſe vitioſum, ſed tantùm ratione iudicij quo dirigitur is qui actum admittit. Si enim rectè ſe agere exiſtimet, recta erit actio; ſin malè praua erit.

Tandem adhibet Author ille, argumentum ex eo ductum, quod plerique ob perplexitatem, (vt loquuntur,) cogantur eligere quod putant eſſe minus malum, vt vitent quod maius eſſe arbitrantur, plerunque falsò. Nam plerunque quod putant eſſe minus malum, & ob perplexitatem exequuntur abſque culpa, eſſet reuera maius malum, niſi laborarent ignorantia, & pars quæ ab illis eligitur eſſet potiùs vitãda, ſi ignorantia ſolueretur, & perplexitas non interueniret, ob quam licitè & ſine culpa ab eis eligitur quod iudicatur minus malum, vt maius declinetur. Hæc autem iuxta Bradvuardinum, non haberent locum, ſi malitia aliquibus operibus vel omiſſionibus ſecundùm ſe competeret: Qui enim in eam partem ferretur, quæ ex ſua natura vacaret turpitudine, eſſet à culpa immunis, quamvis lateret eum ſua immunitas & innocentia.

Refert latè hæc Bradvuardini argumenta Gregorius in 2. d. 38.q. vnica, art.2. in argumentis contra primam concluſ. quæ nunc ex ipſo Bradvuardi i opere nuper refoſſo licet petere. Hæc porrò argumenta cùm manifeſtam contineant abſurditatem, (certum quippe eſt, aliqua eſſe ſecundùm ſe mala, vt ex Ariſtotele & communi ſententia præmiſimus,) extricanda ſunt, ſi firmiter conſtitutum velimus quod aſſeruimus, nempe terminum diſſonantiæ in malitia eſſe legem conſcientiæ, ſiue dictamen operatione vel omiſſione interdicens. Nam ſi ex hac ſententia noſtra ſequatur quod ex ea intulit Bradvuardinus, nempe nihil eſſe ſecundùm ſe malum, non minùs profectò abſurda erit, quàm illud Bradvuardini placitum.

Alia contra eam difficultates.

Poteſt autem prætereà aduersùs noſtram hanc ſententiam opponi, quòd lex particularis ſiue iudicium nobis internum operatione vel omiſſione interdicẽs, idcircò videtur actum vel omiſſionem vetare, quia non conſonat naturæ rationali, atque adeò quia malum eſt ita ſe gerere. Ergo malitia non ſubſequitur hanc legem, nec pendet ab ea tanquam à termino eſſentiali, ſed potiùs illam antecedit. Confirmatur, quia actio vel omiſſio non idcircò mala eſt, quia cognoſcitur mala: Sed è contra idcircò cognoſcitur mala quia reipſa eſt talis. Vnde qui mentitur, non idcircò peccat, quia iudicat hoc eſſe malum; ſed potiùs idcircò iudicat mendacium eſſe peccatum, quia reipſa ex natura ſua tale eſt, alioqui liceret ſibi vbilibet fingere honeſtatem. Sicut ergo naturæ & eſſentiæ rerum ſunt independenter à quocunque iudicio etiam diuino: ita malitia videtur eodem modo conſtituenda antecedenter ad quodcunque iudicium, ſiue extrinſecum vt eſt conceſſum, ſiue intrinſecum, quale pro vitæ regula & termino diſſonantiæ aſſignauimus.

Bradvuardini illatum improbatur,

244. Sed non eſt difficile iſta enodare Argumenta enim Bradvuardini non probant nihil eſſe ſecundùm ſe malum obiectiue & fundamentaliter; (quo duntaxat ſenſu Doctores communiter admittunt aliqua eſſe ſecundum ſe mala,) ſed tantùm probant, nihil ſecundum ſe eſſe completè & formaliter malum antecedenter ad iudicium practicum operatione vel omiſſione interdicens. Tum primùm enim actio vel omiſſio vertitur probro, non autem priùs, quamnis iam eſſet eiuſdem naturæ ac ſpeciei phyſicæ, cuius poſtea eſt, cum adeſt iudicium reprobans, fitque completè mala. Et hoc eſt quod ſuprà obſeruauimus circa fundamentalem malitiæ anteceſſionem ad legem hanc priuatam in per ſe malis, admiſſa vbique malitiæ completæ conſecutione ad hoc iudicium tanquam humanæ vitæ regulam, ex qua æſtimandi & iudicandi ſumus. Itaque admittimus, moralem turpitudinem pendere eſſentialiter ex iudicio practico operantis, formalem & completam malitiam antecedente. Negamus autem inde ſequi, quòd nihil ſit ex ſe malum. Cum hac enim completæ malitiæ dependentia à lege priuata, probè cohæret anteceſſio malitiæ fundamentalis & obiectiuæ, quam ſolã aſtruunt Doctores cùm affirmant, aliqua ſuaptè natura & ex ſe mala eſſe.

Hinc patet ad priora omnia Bradvuardini argumenta atque exempla. Circa poſtremum tamen, quod ducebat ex perplexitate hominis vtranque partem iudicantis malam, ſed inæqualiter; addendum ſpecialiter eſt, perperam ſupponi ab aduerſario, perplexum circa duo quæ ſunt per ſe mala, licitè eligere quod eſt minus malum. Nulla enim perplexitas facere poteſt, vt quod ex ſe prauum eſt, licitè eligatur. Nec refert quòd perplexus dicatur eligere minus malum. Nihilominùs enim eo ipſo quod malum eſt, eligi non poteſt. Fas quidem eſt præbenti conſilium, vel Rectori communitatis, è duobus malis ex aliena contumacia & voluntatis obfirmatione conſecuturis, permittere vel ſuadere quod minus eſt. Id enim eſſe honeſtiſſimum, etiam quoad ſuaſionem, latè & benè confirmant Sanches l.7.de matrim. d. 11.art.14. Salas de contract. tract. de vſuris, dub. vlt Molina tract. 2 de Iuſt d. 345. Vaſq. opuſc. de ſcand. art. 1.d.1. refragantibus tamen Val. 2.1.d.5. q.21.p.4. & Peterio in c.19. Geneſ. diſp.1. Is tamen

qui operatur, cùm in poteſtate ſua habeat vtriuſque mali declinationem, non poteſt licitè fieri in minus malum, ſed debet ab vtroque abhorrere, & perplexitate (ſi qua laborat,) ſe eximere abiiciendo conſcientiam erroneam, ex qua oritur ea perplexitas: De quibus mox plura.

Aliæ difficultates enodantur.

Reliqua difficultatis propoſitæ capita facilem explicatum habent ex ſupradictis, & ex illis, quæ trado ſuo loco circa cauſalitatem Prudentiæ in honeſtatem. Dico itaque legem priuatam, ſiue iudicium practicum, non vetare aliquid intrinſecè malum idcircò quòd ante hanc legem malum ſit, ſed quia ex ſe & fundamentaliter eſt malum: Habet enim fundamentalem diſſonantiam cum natura rationali, tranſituram in diſſonantiam formalem, cùm primùm actus iſte iudicij interuenerit. Vnde alia eſt malitia quæ antecedit regulam rectæ rationis, alia quæ ſubſequitur, qui erat nodus argumenti propoſiti. Nec aliter euertitur confirmatio quæ ſubiiciebatur. Dicendum enim eſt actum formaliter malum, quia practicè iudicatur malus; quamuis aliud ſit de ſpeculatiua malitiæ notitia. Itaque qui mentitur, idcircò culpæ ſubiacet, quia practicè iudicat eam labem eſſe declinandam. Habet tamen ex parte naturæ rationalis qua præditus eſt, comparatæ cum actu mendacij, fundamentum ferendi tale potiùs iudicium quàm diuerſum. Vnde non licet ipſi vbilibet honeſtatem comminiſci.

Iudicium diſſonantiam terminans, debet eſſe certum moraliter ac practicè.

245. Habemus ergo ſolidè ac perſpicuè ſtabilitum terminum eſſentialem diſſonantiæ conſtituentis malitiam. Oſtenſum enim eſt, eum non alium eſſe immediatè & proximè, quàm iudicium practicum operatione vel omiſſione interdicens. Hoc iudicium aiebam eſſe moraliter verum ac certum, quod explicatione aliqua indiget: Poteſt enim homo tripliciter ſe habere in iudicando de malitia actionis vel omiſſionis de qua agitur. Primò ſcilicet exploratam habendo malitiam illam, nec id falsò aut per errorem, ſed verè & conformiter ad exigentiam naturæ rationalis. Secundò, determinatè quidem iudicando malum eſſe omittere aut facere id de quo agitur, ſed errando in eo iudicio, ſiue vincibiliter, ſiue inuincibiliter & citra culpam. Tertiò dubitando de malitia, & nihilominùs operando vel omittendo, conculcata dubitatione.

Primus modus ſe habendi, vacat difficultate. Non enim obſcurum eſt, quomodo iudicium illud ſit verum, ac certum moraliter ſiue practicè. Idque agendo de Prudentiæ actibus & de termino honeſtatis actualis explicabitur abundè. In ſecundo & tertio modo eſt difficultas. Quomodò enim verè ac certò iudicat qui errat; & multò magis qui collidentibus ſeſe rationibus vtrinque occurrentibus, hæret ambiguus, nec ſatis perſpicit pro qua parte pronunciet? Nihilominùs aſſerendum eſt, vtrobique iudicium cui malitia diſſonat, eſſe moraliter certum ac verum. Quod ſeorſim exponendum eſt, & quoad illum qui per errorem iudicat de malitiâ, & quoad illum qui circa eam anceps eſt, nec poteſt quicquam determinatè ſtatuere.

Tale eſt, etiam quod inuincibiliter errat.

Iudicium practicum cui ſubeſt error, poteſt dupliciter concipi. Primò inuincibiliter, ſiue omninò inculpabiliter: ſecundò, vincibiliter & culpabiliter. Error inuincibilis dicitur, quem homo vincere ac depellere nullo modo potuit, ob omninò interclusam cogitationem de eius interuentu ac neceſſaria depulſione. Humani enim progreſſus ac deliberatè agendi primum initium eſt cogitatio aliqua inuoluntaria, & à bona fortuna obueniens. Itaque ſi nulla prorſus ſubiacentis erroris & obligationis cum depellendi cogitatio animum pulſet, non poteſt error vitio verti. Et cùm alioqui homo non habeat alium ductum quo regatur, quàm iudicium rationis, debet omninò illud refugere, quod eo iudicio etiamſi reipſa falsò, renunciatur malum. Eſt enim cum ſpeculatiua falſitate talis iudicij, coniuncta veritas practica & moralis; quatenus veriſſimum eſt illud eſſe homini vitandum, quod iudicio inculpabiliter errante iudicat vitandum. Falſitas autem illa quæ irrepit in ratiocinationem ex minore malè ſubſumpta ſub vniuerſali principio ſynteresèos, vt rectè attigit Durandus in 2, d. 39. q. 5. n. 5 non plus vitiat concluſionem qua decernitur id eſſe vitandum, quam ſimilis error vitiet concluſionem, qua opus bonum ex falsò ſuppoſitis honeſtatis cauſis indicitur.

Hoc eſt quod aliis verbis dicitur, licere ſequi conſcientiam inuincibiliter errantem. Imò neceſſe omninò eſt illi adhærere, cùm dictat aliquid eſſe declinandum tanquam malum. Quam eſſe omnium Catholicorum certam ſententiam dixit Nider parte 2. Conſol. cap. 3. Et ſanè qui ex inuincibiliter errante peccati conſcientia operatur, vel omittit quod operari aut omittere iudicat malum, ita affectus animo eſt erga malum, vt illud amplectatur: qui eſt fons vnicus malitiæ, etiam cùm iudicium de malitia pronuncians non eſt ſpeculatiuè falſum, ſed vſquequaque verum. Hancque ob cauſam, qui ex iudicio inuincibiliter errante operatur vel omittit, quod iudicat non eſſe operandum vel omittendum, eiuſdem planè culpæ notatur, cuius notaretur ſi in eo iudicio non erraret. Quia vt dixi fons malitiæ eſt affectus, qui æquè deprauatus eſt ac ſi iudicium eſſet in genere notitiæ vſquequaque ſanum ac errore liberum.

246. Neque verò lex iſta priuata in euentu propoſito obſtringit contra legem ſuperiorem, ſiue illam quæ in Deo concipitur, ſiue illam quæ naturæ noſtræ implantatur. Quin potius leges illæ ſuperiores iubent, vt inferiori huic legi quantumvis erranti, (dummodo error culpa careat,) adhæreamus: ita vt quod ex inferiore hac lege admittitur, ſit conforme ſuperioribus illis legibus, quibus iubemur nihil admittere vel omittere, quod noſtro iudicio pronuncietur non admittendum vel omittendum. Præterquam quòd leges illæ ſuperiores quatenus de malitia aliquid ſtatuunt, per ſolam inferiorem promulgantur, nec habent reſpectu operantis rationem legis, niſi interuentu dictaminis illius quo proximè dirigimur, vt optimè tradit S. Thomas in cap. 14. ad Rom. ſect. 2. & Nider par. 2. conſol. c. 6, dub. 2. Itaque impoſſibile erit, iudicium proximum inuincibiliter errans repugnare ſuperioribus illis legibus, quas homo non deprehendit eſſe in contrarium. Ex his liquet, iudicium practicum inuincibiliter errans circa malitiam commiſſionis aut omiſſionis de qua agitur, eſſe moraliter certum ac verum; nec fas eſſe homini ab eo deſciſcere.

Non tamen quod eſt vincibiliter erroneum, & quis tunc diſſonantiæ terminus.

Obſcurius eſt, quid de iudicio culpabiliter errante ſit

ſit ſtatuendum. Nam hoc iudicium non eſt practicè verum ac certum: quia non deſit operanti lux aliqua, cuius ductu reptare poſſit ad ſubſtantem falſitatem depellendam; error interueniens vitio vertitur, præcluditurque generale illud dictamen, quo iubemur adhærere iudicio noſtro renuncianti aliquam malitiam commiſſionis, vel omiſſionis, de qua agitur. Non enim iubemur adhærere iudicio, cùm vitium eius detegitur. Quare cùm iudicium culpabiliter errans, dictat malum fore aliquid exequi aut omittere, quod reuera omittendum aut exequendum eſt, inijcitur homini obligatio non adhærendi ei iudicio. Quanquam ſuppoſito errore, non licet etiam ab illo iudicio deijcere, & contrà facere quàm per illud ſtatuatur, vt rectè tradit Gregor. in 2. d. 39. q. 1. artic. 2. *ad 1. Bradwardini contra primam.* Nam propter præſens iudicium quo malitia conſecutura ſtatuitur, ſi id fiat vel omittatur, affectu, operantis vel omittentis æque fertur in malitiam, ac ſi iudicium nulla erroris labe inquinaretur. At ex affectu æſtimari vniuerſam malitiam iam ſæpè annotatum eſt.

247. Vnum igitur illud ſubſidium ſupereſt, vt iudicium de malitia vincibiliter errans, abiiciatur: Si enim neque adhærere ei licet, vt primo loco monſtrauimus; neque illi obſiſtere, vt nunc diximus non aliud ſupereſſe poteſt, quàm vt humo errorem depellat, quod poſſe ſupponitur, aliúmque de malitia ſenſum induat: alioqui quocunque ſe vertat, in culpa erit. Quod aliter à quibuſdam antiquis dicitur, *conſcientiam vincibiliter errantem ligare non obligare*; id eſt, neque ſequendam, neque aſpernandam eſſe, quod vtrinque ſit abruptum. Videndus Argentina in 2. d. 9. *in fine*, Nider 1. part. conſol c. 3 & S. Thomas ad Rom. 14. lect. 2 & in c. 5. ad Galatas lect. 1. *ferè in fine*: quem eius locum malè vellicat Angeſtus cap. 7. moral. text. 1. concl. 2.

Porrò cùm quis ex iudicio circa malitiam culpabiliter errante aliquid omittit vel admittit, quod reuera malum non eſt, imò verò quod omittens vel admittens peccat; terminus diſſonantiæ non eſt nudum aliud iudicium culpabiliter errans circa malitiam. Nam huiuſmodi iudicium non eſt moraliter certum ac practicè verum, quale debet eſſe iudicium illud quod malitia diſſonantiam terminat. Terminus ergo diſſonantiæ in eo euentu, non tam eſt iudicium proximum erroneum, quàm iudicium vniuerſale, quo iubemur iudicio proximo malitiam monſtranti etiam vincibiliter erranti non aduerſari. At hoc iudicium vniuerſale eſt moraliter certiſſimum ac veriſſimum.

Sed neque dubium practicum, & quis tunc diſſonantia terminus.

Pergo ad poſtremum modum ſe habendi circa malitiam, qui eſt tertius ex ſuprà propoſitis, cùm ſcilicet homo circa malitiam commiſſionis vel omiſſionis hæret ambiguus, non tantùm quia nihil omninò iudicat, etiamſi fortaſſis reflexè percipiat & in actu ſignato iudicet deeſſe ſibi rationes pro altera parte, quod eſt dubium negatiuum: ſed etiam quia collidentibus ſeſe rationibus, vtrinque æquè validis, aut ferè æquè validis intellectus pro neutra parte pronunciat, quippe qui non ſatis deſpiciat verène operatio aut omiſſio contineat malitiam; quod eſt dubium poſitiuum. Neque enim dubium negatiuum dicitur à carentia omnimoda actus in intellectu, ſed à carentia aſſenſus defectu rationum. Dubium verò poſitiuum, dicitur à carentia aſſenſus, ob pugnam rationum occurrentium ex vtraque parte: ita vt quamuis ſingulæ acies per ſe ſpectatæ ſufficerent ad aſſenſum partis pro qua ſtant; tamen intellectus ab altera acie æquè aut ferè æquè valida cohibitus, ſiſtat gradum.

248. In dubio igitur terminus diſſonantiæ non eſt ea iudicij ſuſpenſio vel implexitas; ſed alterum iudicium certum ac determinatum, quo vetamur quicquam agere cum eo dubio & implexitate. Nam qui cum dubio perſeuerante operatur, amat malitiam, quam ſubueretur, nec tamen refugit. Eſtque perinde affectus ac ſi diceret, ſic operabor, ſiue malum quod ſubuereor incurri poſſe, ſit reuera incurrendum, ſiue non ſit. Quo ipſo malum aliud non eſt ei inuoluntarium, quia præcognoſcitur, & affectus ergo illud præualet affectui erga honeſtatem, cuius violatio timetur vrgente illo alio affectu qui tamen retinetur. Sicut ergo ſi Petrus in gratiam Pauli faceret aliquid, de quo meritò dubitaret gratúmne futurum eſſe Andreæ, manifeſtè præferret Paulum Andreæ: ita qui dubius ſubſitne operi vel omiſſioni malitia, pergit nihilominus: & hoc quicquid ſubeſſe poteſt, deuorare decernit, manifeſtè deprehenditur plus affici erga malitiam, quàm erga bonitatem, de cuius conculcatione fortaſſis ſecutura, non eſt ſollicitus. Vnde quia in moralibus omnia ex affectu pendentur, quiſquis ita afficitur erga malitiam, de qua dubitat, eandem ſpecie labem ſubit, quam ſi certus eſſet eam malitiam ſubeſſe. Eiuſdem namque turpitudinis eſt, inquinare ſeſe aliquo crimine, & illius patrandi periculum vltrò adire. Nam obligatio proſequendæ honeſtatis alicuius, aut vitandi aduersùs eam peccati, æquè obligat ad declinandum peccati diſcrimen. At diſcrimen vltrò adit quiſquis ſubueritus malitiam, non ſiſtit.

Dubij practici & ſpeculatiui collatio, & quod ex eis deponi poſſit.

Hæc tamen accipienda ſunt de dubio practico. Vocatur hoc loco dubium practicum, quod eſt de malitia actionis hic & nunc exercendæ; vel omiſſionis nunc ingruentis. Et huic dubio contraponitur alterum quod dicitur ſpeculatiuum: quia is qui eo laborat, non eſt ambiguus circa honeſtatem actus hic, & nunc exercendi, ſed duntaxat generatim & in communi. Vnde non accidit proximè ad executionem & praxim, habétque ſe quodammodo ſpeculatiuè præ illo qui in materia ſingulari & circumſtantiis determinatis ita afficitur. Aliud prætereà dubium ſpeculatiuum diſtingui poſſet, quod eſt propriè ſpeculatiuum, quia nullo modo, ac ne vniuerſaliter quidem reſpicit obligationem operandi vel omittendi. Hoc tamen dubium non hoc loco attendendum, quia cadit duntaxat in factum merè vt factum eſt, nec verſatur circa malitiæ ſubiectum, cui aduenire oporteret malitiam, ſi contraheretur. Subiectum enim malitiæ eſt actio vel omiſſio in ſingulari; & hic ac nunc ſpectata, ex debito vitanda. Itaque ſi nulla ſubſit debiti & obligationis dubitatio, impertinens erit ad rem moralem, quòd homo aliquo alio dubio tangatur, ſecùs quàm contingit cùm dubitatio eſt practica; quia ſcilicet cadit in obligationem vitandæ turpitudinem operationis vel omiſſionis, de qua hic & nunc ſuſcipienda initur conſilium. Si igitur homo cum ea dubitatione practica, feratur in id de cuius malitia dubius eſt, certam incurrit turpitudinem.

249. Nec adhibenda eſt limitatio, niſi deponat illud dubium; id eſt, niſi formet ſibi iudicium quo pronunciet hic & nunc fore illicitum ita ſe gerere.

Depoſitio enim dubitationis, & formatio iudicij de honeſtate operationis vel omiſſionis, non poteſt hîc locum habere: Quia qui eſt practicè dubius, & ambigit, an id facere vel omittere hic & nunc ſit inhoneſtum, non poteſt formare iudicium, quo pronunciet eſſe hîc & nunc honeſtum; cùm ſupponatur de hoc ipſo dubitare. Tunc igitur duntaxat locum habet depoſitio dubij, cùm dubium eſt duntaxat ſpeculatiuum moraliter, id eſt, cùm ſpectat tantùm inhoneſtatem operationis vel omiſſionis, abſtrahendo à præſentibus temporis & loci circunſtantiis. Nam in eo rerum ſtatu pleranque homo format ſibi iudicium practicum particulare de honeſtate actionis prout hîc & nunc eliciendæ, diſſentaneum dubio ſpeculatiuo ac generali quod negligitur; & idcircò deponi dicitur, etiamſi perſeuerare poſſit in intellectu, quia nihil eſt per quod excludatur. Iudicium quippe practicum, quod formatur, non eſt contradictorium iudicio illi ſpeculatiuo, quòd non eſt de actione hîc & nunc exercenda. Nec datur vllus alius actus, vi cuius iudicium ſpeculatiuum quod deponi dicitur, neceſſariò excludatur.

Quare dubium practicum, vt dicebam, non poteſt deponi, ſed duntaxat dubium moraliter ſpeculatiuum, formato iudicio quod pronunciet hic & nunc non eſſe illicitum facere vel omittere, quod iudicatur abſolutè & in aliis circunſtantiis fore illicitum. Sic enim qui certus eſt ſimpliciter loquendo, non licere aliena ſubducere & ſibi vſurpare, poteſt nihilominùs in aliquibus circunſtantiis ſingularibus; (V. G. quia ita poſtulat extrema neceſſitas;) iudicare non eſſe ſibi illicitum, rem alienam ſibi accipere. Quo iudicio deponit iudicium illud generale & ſpeculatiuum interdicens vſurpatione rei alienæ. Eodem igitur modo deponitur dubium ſpeculatiuum. Omnimoda autem ſolutio ignorantiæ. per comparationem notitiæ determinatæ. & dubij ſuperationem, non appellatur dubij depoſitio in ſenſu in quo nunc de ea loquimur: vt ex eo patet, quòd perſtante ambiguitate ſpeculatiua, atque adeò non ſoluta omnimodis ignorantia, poteſt deponi dubium, & comparari notitia practice determinata, ſufficiens ad actionis honeſtatem & euitationem malitiæ.

Temeraria dubij ſpeculatiui depoſitio vitanda.

250. tantùm ſpectare oportet, vt ea depoſitio fiat rationabiliter. Nam ſi quis temerè & abſque idonea cauſa vellet ſibi formare hic & nunc iudicium practicè indubium, non eſſet immunis ab ea ipſa culpa cui ſubiacuiſſet, ſi dubio non depoſito inſtitiſſet nequitiæ: Quia perinde eſt dubium non deponere, & illud malè deponere. Neceſſe igitur eſt, vt dubium ſpeculatiuum deponatur ex rationabili cauſa, & poſt præmiſſam conuenientem & negotio ac captui operantis proportionatam diligentiam, vt ignorantia ſoluatur, & dubium euaneſcat. Quòd ſi omnibus illis adhibitis, adhuc nihilominùs perſtet dubium; tunc eius depoſitio vacat culpa, ſaltem in pleriſque materiis, pro quibus ſuppetit idonea cauſa, depoſitionem illam honeſtans. Quæ ita generatim propoſita, ſunt extra controuerſiam.

Quando verò dubium rationabiliter deponatur in certis ſingularibus euentibus & ſpecialibus materiis, non eſt ad explicandum facile. Neque enim perſpicuum pleruque eſt, quænam ſit ſpecialis ratio ex qua dubium ſpeculatiuum honeſtè deponatur: eò quòd homo præmiſſa ad vincendum dubium morali diligentia, vt ſaltem eam quam negotij anguſtiæ adhiberi ſinunt, pronunciare licitè poſſit hic & nunc operationem vel omiſſionem de cuius malitia generatim dubius eſt, omni turpitudine vacaturam.

Vbi vis eſt licita in fauorem poſſidentis.

Et in materia quidem Iuſtitiæ, deponi poſſe dubium in fauorem poſſidentis, communiſſima eſt ſententia, quam latè ſtabiliunt Sanchez l. 2. de matrim. d. 41. à n. 12. Vaſq. 1. 2. d. 66. à n. 16. Leſſ. l. de Iuſt. c. 3. dub. vlt. Ægyd. Coninc. diſp. 34 de Sacram. n. 85. Vt enim habetur regula iuris 11. *Cum iura partium ſunt obſcura, fauendum eſt potius reo quàm actori.* In hoc porrò euentu, poſſidens, eſt veluti reus, cuius poſſeſſio in diſcrimen vocatur Et igitur fauendum eſt potiùs, quandoquidem non liquet de iniuſta eius poſſeſſione. Vnde qui poſt inchoatam bona fide poſſeſſionem, dubitare incipit, an res quam poſſidet ſit ſua an aliena, non tenetur eam à ſe abiicere, quandiu manet dubius: ſed adhibita diligentia conuenienti ad dubium depellendum; ſi dubium perſtet, poteſt hic & nunc illud deponere, & ſibi fauere.

251. Extra materiam Iuſtitiæ non pauci contrarium ſtatuunt, negántque fas eſſe dubium deponere in fauorem poſſidentis; hoc eſt, eius pro quo ſtaret præſumptio in foro externo. Ita Vaſques 1. 2. d. 65. c. 3. & d. 66. cap. 1. Azor t. 1. l. 2. c 19 q. 10 Torres d. 13. de Iuſt. dub. 3. à n. 8. Salas 1. 2. tract. 8. d vnica, n. 132. Omninò tamen exiſtimo etiam in materia aliarum virtutum quàm Iuſtitiæ fas eſſe in dubio fauere poſſidenti, modò par ſit cauſa. Quod tradunt Sanches l. 1. in Decal. c 10. n. 1. & lib. 2. de matrim. d. 41. n. 12. Ægyd Coninc ſuprà n. 86. Suares t. 5. 3. p. d. 40. ſ. 5. à n. 14. & ſ. 6. n. 8. & alij, quos iſti proferunt. Ratio autem eſt perſpicua. Tota enim ratio cur in materia Iuſtitiæ fas ſit deſerere partem tutiorem, & dubium deponere in fauorem poſſidentis, ex eo ducitur, quod ius poſſeſſionis ſupponatur eſſe certum: ius verò, quòd habet is qui non poſſidet, ſit dubium, atque adeò æqualiter commune poſſidenti. In pari autem amborum cauſa, iuſtum eſt vt certitudo poſſeſſionis, præponderet iuri duntaxat dubio alterius. Atqui hæc ratio æquè locum habet in omnibus aliis materiis, vt diligenter proſequitur Suares lib. 4. de voto, c. 5. à n. 8. In eis quippe voluntas habet certam libertatis ſuæ poſſeſſionem: obligatio verò non eſt certa. Itaque virtus exigens actum, & cum voluntate quaſi contendens, non habet niſi ius dubium, quod commune eſt voluntati, quæ inſuper potitur certa libertatis ſuæ poſſeſſione. Quouſque ergo probetur priuationem libertatis interueniſſe ob contractam obligationem, præſumendum eſt pro libertate, nec eſt imponenda obligatio non probata. Quod item ſeruaretur in foro externo, quod interno æquiparatur cùm ſeponantur falſæ præſumptiones.

Dummodò par ſit cauſa.

Volebam tamen cauſam eſſe vtrinque parem Alioqui enim illicitum pleranque erit in dubio dimiſſa tutiore parte fauere poſſidenti, ſiue in materia Iuſtitiæ, ſiue in materia cæterarum virtutum, Nam in dubio an aliquis ſit legitimus, habendus omninò eſt legitimus, ita vt quamvis fratres certò legitimi hæreditatem iam diuiſerint, & poſſideant, nequeant in illo dubio ſibi fauere titulo poſſeſſionis certæ, debeántque portionem legitimam ei qui non niſi dubiè eſt legitimus, quia non eſt par cauſa. Vnde in foro externo præſumitur pro eo, qui dubiè

tantùm

tantùm eſt legitimus, non obſtante certa cæterorum poſſeſſione. Similiter certus de mutuo alicunde contracto, aut de voto emiſſo, & dubius de ſolutione exhibita, non poteſt debitum certum dubia ſolutione extinguere. Sed neque par cauſa eſt eius qui alioqui poſſideret, ſi idonea autoritas lege antecedenti conſtitueret in dubio de legis obligatione ſtandum eſſe tutiori parti; & poſſidentem, fauore per poſſeſſionem certam conferendo exturbari: id quod iura humana interdum ſanxerunt, & iure diuino cautum eſt circa peccatorum dubiorum expreſſionem in tribunali Chriſtianæ Pœnitentiæ. Debet ergo ſtatui par cauſa, vt in dubio potior ſit poſſidentis conditio, nec ſit neceſſe amplecti tutiorem partem, & à culpæ periculo omninò immunem. Ea autem cauſæ paritate ſuppoſita, par eſt adhærere ei parti quæ poſſeſſioni fauet. Eſt enim tuta & à culpæ formalis diſcrimine planè remota, & aliunde habet pro ſe ius poſſeſſionis.

ARTICVLVS II.

Specialiter quid ſit malitia commiſsionis prauæ, déque eiuſdem ad regulam cum qua diſſonat, comparatione

252. QVæ præmiſimus, ad vtranque malitiam æquè ſpectant. Nam & malitia commiſſionis & malitia omiſſionis eſt diſſonantia cum iudicio practico proximè dirigente hominem, eique præſcribente quid agendum, quid vitandum ſit, quæ eſt ſumma doctrinæ vniuerſo ſuperiore articulo propoſitæ. Sequitur vt eandem doctrinam ad binas malitias propoſitas aptemus. Qua in re difficultas præcipua eſt quoad diſſonantiam, cui partes generis aſſignauimus Nam quod ad regulam attinet, & alterutrius malitiæ cùm ea comparationem, ſuppoſitis iis quæ vniuersè præmiſſa ſunt, vix eſt difficultas. Sed quoad malitiam commiſſionis (à qua ordiendum eſt;) breuiter dicitur, eam regulam eſſe iudicium practicum negatiuum interdicens commiſſione. Et quia negatio eſt malignantis naturæ, proptereà actus vetitus in quem iudicium illud cadit, ſemper & vbique vetatur, niſi intercedat materiæ mutatio quæ extrahat actum è finibus illius iudicij. Tota ergo difficultas eſt de diſſonantia: Hanc enim graues Autores variè admodum exponunt: quibuſdam aientibus eſſe priuationem puram, actui merè materialiter ad diſſonantiam interuenienti ſuperadditam: aliis diſſonantiam formaliter ex actu ſubſtrato & priuatione integrantibus: nonnullis denique diſſonantiam iſtam merè poſitiuam eſſe ſtatuentibus, à quibus non niſi verbo tenus diſſident, qui hanc diſſonantiam relationem rationis eſſe dixerunt, vt poſtea planum faciam. De his ſententiis breuiter ſic ſtatuo.

ASSERTIO.

MALITIA prauæ commiſſionis: directè & formaliter, neque eſt priuatio ſiue actui ſiue operanti debita, cuiuſcunque tandem formæ eſſe dicatur: Neque mixtum quid ex priuatione & actu ſubſtratu; ſed ex poſitiua actus praui diſconuenientia cum regula rectæ rationis & natura rationali. Quamvis eam diſconuenientiam, nonnullæ ſiue priuationes ſiue negationes, quæ ad commiſſionem prauam primò ac per ſe non pertinent, aſſectentur.

PRimò nego diſſonantiam peccati commiſſionis eſſe meram priuationem, quaſi actus poſitiuus priuationi ſubſtratus ſe habeat merè materialiter ad conſtitutionem diſſonantiæ prædictæ, & nullatenus formaliter integret peccatum commiſſionis.

Malitiam commiſsionis eſſe priuationem, ſententia multorum.

Quod ſenſerunt ex Philoſophis Simplicius latè in c. 34. Enchir. Epicteti in longa diſputatione de malo & mali origine contra Manichæos; & ex antiquioribus & recentioribus Scolaſticis benè multi. Altiſiodorenſis, Alex Enchir. Bonauent. Scot. Dur. Gabriel, aliique recenſiti à Valentia 2. 2. d 1. q. 13. p. 3. & à Sala 1. 2. tract. 13. d. 2. n. 12. & à Pennoto l. 8. propugnaculi humanæ libert. c. 12. qui eidem ſententiæ ſubſcribunt proferúntque pro ea plurimos Patres docentes, peccatum commiſſionis nihil eſſe, ideóque non eſſe quærendam cauſam eius efficientem, ſed deficientem duntaxat. Longo agmine Patres illos adducit Suares d. 11. Met. ſ. 1. n. & Vaſq. 1. 2. d. 9. c. 4. Aliquos poſteà proferam expendens huius placiti firmamenta, quæ veræ ſententiæ poſteà tradendæ opponuntur.

Cùm autem peccatum commiſſionis, formaliter & in ratione peccati, iuxta Patres nihil ſit, nec tamen poſſit eſſe negatio pura, non modò extra ſubiectum concepta; quod fruſtrà probat Gregorius in 2. d. 34. q. vnica, art. 1. concl. 2. ſed etiam ſubiectum afficiens (nihil enim denominatur malum à pura negatione, alioqui res quælibet totidem malitias haberet, quod negationes rei alterius, hoc eſt planè infinitas: & actus indifferens quatenus indifferens, malus eſſet, quippè habens negationem bonitatis ſibi indebitæ:) cùm inquam hæc ita ſe habeant, inferunt Autores prædicti, illud *nihil*, in quo Patres malitiam humani actus conſtituunt, eſſe priuationem propriè dictam, qua excludatur debita rectitudo.

Sed cuius ſit & quid ſit ea rectitudo, in cuius priuatione hæc ſententia rationem formalem malitiæ commiſſionis conſtituit, variant ſententiæ. Quidam aiunt eſſe rectitudinem debitam ineſſe actui. Alij debitam ineſſe voluntati ſiue operanti. Rurſus aliqui eam rectitudinem, cuius priuatione peccatum formaliter conſtituunt aiunt eſſe rectitudinem conformitatis cum diuina lege, aut cum ratione recta. Alij autem aiunt eſſe rectitudinem ſpecialis alicuius honeſtatis nimirum virtutis illius ſpecialis, cui aduerſatur peccatum quod committitur. Denique alij aiunt eſſe conuenientiam cum natura rationali moraliter operante.

253. Hanc ſententiam quomodolibet expoſitam, omninò improbabilem eſſe pronunciat Medina 1. 2. q. 71. artic. 6. §. *Certè prima*. Ego plus defero tantæ nubi Autorum grauiſſimorum, pugnantium pro ea ſententia. Difficilem tamen eam iudico, quippe quam validæ omninò rationes labefactare videntur. Præcipuas quaſdam proponam, digeſtas in tres ordines. Primus complectetur eas, quæ generaliter pugnant contra quoſlibet modos priuationem illam exponendi; ita vt dimiſſis in præſentia rationibus,

quibus euinci videtur peccatum commiſſionis eſſe formaliter aliquid poſitiuum, nunc ſola priuatio vocetur ad examen & directè excutiatur. Secundus ordo continebit rationes ſpeciales ductas ex ſubiecto priuationis, quod in his placitis aſſignatur. Tertius exhibebit ſpeciales rationes ductas ex forma ſiue ex rectitudine, quam variæ illæ ſententiæ volunt per hanc priuationē excludi, ſiue ab actu ſiue ab homine.

Argumenta contra eam malitiam, locatam in priuatione quomodolibet expoſita.

Priuationem itaque, peccati commiſſionis formaliter conſtitutiuam, quomodolibet ſpectatam, ea in primis ratio impetit, quam ſuggerit Caïetanus 1. 2. q. 72. art. 1. Nempe quòd ſequeretur duo quævis extrema peccata, V. G. auaritiam & prodigalitatem, timorem & audaciam, aliáque huiuſmodi pugnantia peccata, eſſe formaliter eiuſdem ſpeciei, quod conſtat eſſe falſiſſimum, cùm actus extremorum vitiorum ſint contrarij, nec minùs inter ſe, quàm cum virtute media pugnent. Hanc porrò ſpecificam identitatem extremorum peccatorum, planè ſequi ex ſententia quæ formale peccati commiſſionis ait eſſe nudam priuationem, facilè demonſtratur. Nam poſito eodem conſtitutiuo formali accidentario, neceſſe eſt idem ſpecie conſtitutum accidentale exurgere. Cùm enim agitur de conſtitutione accidentis, non attenditur ſubiectum, ſed forma tantùm, quia ex forma & ſubiecto fit vnum, tantùm per accidens, ſecùs quàm in ſubſtantiis, quarum propterea ſpecies ſuo modo ex materia deſumitur, cùm contingit materiæ diuerſitatem coniungi cum formarum diuerſitate; vt iuxta pleruſque accidit in cœlis ad ſublunaria comparatis. Materiam enim à noſtrate ſpecie diuerſam, cœlis aſſignant, & propterea ſpecificum cœlorum diſcrimen à ſublunaribus, à materia quoque deſumunt.

Itaque accidens eſt idem ſpecie, quoties forma per quam conſtituitur eſt ſpecie eadem. Atqui duo extrema peccata, iuxta ſententiam quam excutimus, habent eandem formam per quam conſtituuntur, nempe eandem priuationem rectitudinis. Ergo iuxta illam ſententiam, peccata extrema ſunt eiuſdem ſpeciei, formaliter & quatenus peccata. Quod quamvis Valentia *p. illo 4. in fine*, admittat, eſt tamen, (vt præmiſi,) planè falſum: cùm conſtet peccata extrema, quatenus formaliter ſunt peccata, pugnare adinuicem, quod non contingeret, ſi vt ſic, eſſent eiuſdem ſpeciei. Præterquam quòd ſi totum virus peccati in priuatione ſitum eſſet, fatendum foret, pœnitentem, quandoquidem in ſacramentali Confeſſione ſolas diuerſas peccatorum ſpecies ac numerum exponere tenetur, ſatisfacturum obligationi qua obſtringitur ad exponenda duo extrema peccata quæ admiſerit, ſi neglectis actibus per exceſſum & defectum priuationi ſubſtratis, priuationem duntaxat enunciet cum numerica eius multiplicatione. Quid enim attinet actus ipſos exprimere, cùm tota malitia in priuatione eſſe dicatur, eiúſque ſpecies, & numerica multiplicatio, ſine expreſſione actuum extremorum enunciari queat? At talem peccatorum extremorum confeſſionem nemo admiſerit.

Variæ argumenti propoſiti declinationes eodem recidentes.

254 Tentant primi huius argumenti robur declinare aduerſarij; dicentes rectitudinem debitam; cuius priuatio eſt tota commiſſionis malitia, eſſe æquiualenter duplicem, duáſque quaſi perfectiones continere. alteram qua recedit ab exceſſu; alteram qua à defectu: ſicque penes eandem rectitudinem biformem duas naturâ ſpecie diuerſas priuationes, duplicis peccati extremi conſtitutiuas. Eodem recidit quod ait Salas 1. 2. tract. 14. d. 5. num. 7. nempe eandem virtutem habere rectitudines ſpecie diuerſas, quatenus habet conformitatem ad diuerſa præcepta negatiua, exceſſu & defectu interdicentia. Nec diſcrepat quod dicunt alij; nimirum vni rectitudini coniungi duo præcepta negatiua, vetantia vtrumque extremum; duorum autem illorum præceptorum duplicem eſſe priuationem: atque adeò in duabus omiſſionibus extremis duplicem eſſe peccati ſpeciem, etiamſi tota ratio formalis illorum peccatorum ſit priuatiua.

Has reſponſiones dico eodem recidere, nec eſſe re vera niſi vnicam, quia quamvis poſtrema videatur aliquid diuerſum continere, quatenus ait priuationem extremorum peccatorum conſtitutiuam, eſſe priuationem præceptorum duplici extremo interdicentium, tamen non exiſtimo id ab illius reſponſionis Autoribus intelligi de ipſis præceptis formaliter vt præcepta ſunt, ſed de eorum obiectis. Nam ſi ea reſponſio acciperetur de præceptis vt præcepta ſunt, (quod verba quibus proponitur ſonare videntur,) eſſet profectò planè improbabilis: quia forma conſtituens peccatum commiſſionis, ſi eſt priuatio, debet eſſe remotio alicuius rectitudinis formalis, quæ debeat poſſitque afficere actum qui priuatus dicitur; vel formam cui actus priuatus aut priuationem inferens inſidet. Omnis enim alia priuatio rectitudinis quaſi effectiuæ, (qualem tantùm rectitudinem habet lex & præceptum,) eſt planè impertinens ad directam & intrinſecam peccati conſtitutionem per modum formæ: ad hoc enim conſtat exigi priuationem formæ actum vel potentiam informantis, non autem formæ voluntati prorſus extrinſecæ cuiuſmodi eſt lex & præceptum.

Itaque haud dubie Autores qui poſtremam illam reſponſionem adhibent, cùm dicunt priuationem quæ eſt formale extremorum peccatorum, eſſe priuationem rectitudinis duplicis præcepti, non ſumunt præceptum formaliter, ſed obiectiuè: ita vt ſenſus ſit, eam priuationem eſſe remotionem rectitudinis duplici lege debitæ. Atqui ita ea reſponſio recidit in duas anteriores, eóque tandem omnes reuoluuntur, vt aſſerant, peccata extrema eſſe ſpecie plura, quia continent priuationes rectitudinem ſaltem virtualiter plurium.

Præcluduntur.

255. Sed contrà, quia rectitudo virtutis non eſt virtualiter multiplex prout ab extremis recedit, ſed eſt formaliter vnica ac indiuiſibiliter ſimplex, directiſſiméque & indiſſociabiliter importans receſſum ab vtroque extremo. Eſt enim ipſummet medium, à quo diſceditur per quantamlibet in alterutrum extremum deflexionem. Itaque actus nimiæ audaciæ, V. G. vniuerſam fortitudinis perfectionem exſcindit, nec minùs tollit rectitudinem, qua ea virtus timiditati opponitur, quam illam qua opponitur ipſi audaciæ: quia illi perfectio eſt ipſummet medium quod vtrique extremo æquè opponitur.

Quòd ſi forma medium indiuiſibiliter tenens, prout vni extremo opponitur, nullatenus à ſeipſa diſcrepet, quatenus opponitur alteri extremo, ita vt ne inadæquatè quidem concipi poſſit multiplex, propter reſpectum ad terminos illos extremos; perſpicuè ſequitur, eam prout duobus extremis oppoſitam non fundare in extremis illis priuationes ſpecie diuerſas ſpe-

cie

cie. ſed vnum vtrobique qua ſimplex virtutis perfectio remoueatur. Sicut quia vita animalis in medio ſita eſt; nec nimium calorem nimiúmque frigus poſtulat, non licet in ea diſtinguere duplicem perfectionem; alteram, cui nimius calor tantùm; alteram, cui tantùm frigus nimium opponatur. ſed eſt planè inſectile ac ſimplex medium, indiſſociabiliter importans receſſum ab vtroque extremo. Vnde nemo finxerit nimio calore induci priuationem vitæ ſpecie diuerſam ab ea vitæ priuatione, quæ per frigus nimium inducitur, cùm vita ſit vnica forma, cuius vniuerſa perfectio, per alterutram cauſarum illarum inimicarum, æquè tollitur. Similiter ergo perfectio virtutis, cùm occupet medium, tota plane exſcinditur ab vnoquoque extremo, nec poſſunt in duobus extremis, fingi priuationes illius, ſpecie plures.

Quid quòd ſi gratis demus, perfectionem virtutis alicuius dearticulari in duas prout reſpicit duo extrema, eripietur vtrique illi conceptui inadæquato ratio virtutis? Certè liquet, oportere virtutem & bonam & honeſtam eſſe. At forma quæ vni tantùm extremo vitio opponi concipitur, non eſt moraliter bona & honeſta. V. G. Receſſus ab audacia qui poteſt in fortitudine ſpectari, ſi conſideretur præcisè vt pugnans cum audacia, non eſt moraliter bonus. Cernitur enim in timiditate, quæ tamen non eſt bona moraliter. Ergo vt ſit moraliter bonus ſpectétque ad virtutem, debet habere rationem medij, quo ipſo eſt receſſus ab vtroque extremo; nec concipitur inadæquatè prout ab vno tantùm eorum refugiens, ſed adæquatè declinat vtrunque. Cùm itaque ex ipſis terminis perſpicuum ſit, peccatum opponi virtuti quatenus eſt honeſtas & bonitas moris, liquidò concluditur. perfectionem illam, ſeu formam cuius priuatio dicitur conſtituere formaliter peccatum commiſſionis, prout alterutrâ priuationum extremarum remouetur, eáque veluti fundat, ſpectandum eſſe prout vtrique extremo opponitur, nec poſſe deſpici in plures perfectiones aut virtualiter multiplicem fingi: cui virtuali multiplicitati, vniuerſa illa machina reſponſionum propoſitarum ſuperſtruebatur; vt neceſſe ſit vtranque ſimul concidere. Quare primum argumentum noſtrum contra peccati commiſſionis conſtitutionem per priuationem quomodolibet expoſitam, perſtat inconcuſſum,

Alitera ratio ad idem inſtitutum, ex peccatis extremis.

256. Subiicio ſecundum ex peccatis item extremis petitum, & in eo poſitum, quòd iuxta aduerſarios, peccata extrema prout peccata ſunt, eſſent ambo negatiua, atque ita non opponerentur. Nulla enim eſt oppoſitio, quæ conſtet duobus extremis negatiuis, Quòd ſi aduerſarij, hic quoque regerant reſponſionem paulò antè contritam, & dicant peccata extrema, V. G. nimiam timiditatem & nimiam audaciam eſſe poſitiua, ratione actus vtrobique ſubſtrati priuationi, quæ eſt formale peccati; Occurrendum erit, oppoſitionem quæ eſt inter peccata extrema, non poſſe deſumi ex actibus prout ſubiacentibus rationi formali peccati. Si enim actus pertinent ad genus naturæ, non autem ad genus moris, nec integrât peccata prout peccata. Nos autem quærimus per quid duæ commiſſiones extremæ opponi poſſint prout ſunt peccata, ſpectántque ad genus moris Quid quod actus priuationibus ſubiacentes, quatenus actus. poſſunt eſſe eiuſdem ſpeciei & nullatenus opponi? Sumptio enim nimij cibi, & ſumptio eiuſdem nimis modici, quæ ſunt duæ commiſſiones extremæ, & in genere moris oppoſitæ, ſunt eiuſdem ſpeciei in genere naturæ, nec opponuntur ad inuicem. Quare vt ſalua ſit oppoſitio moralis inter commiſſiones extremas, neceſſe eſt alteram ſaltem earum eſſe formaliter poſitiuam, nec conſtitui ambas per ſolam priuationem. Cùm autem non ſit potior ratio de vna commiſſione quam de alia, fatendum eſt, neutram eſſe priuatiuam.

Tertia ratio, ex comparatione commiſſionis cum omiſſione.

Poſtremum huius ordinis argumentum ſubminiſtrat Maytonius in 2. d.43.q.1.ex eo ductum, quòd ſequeretur peccatum commiſſionis in genere moris & quatenus peccatum, eſſe planè idem ſpecie cum peccato omiſſionis, atque adeò eandem eſſe malitiæ quantitatem vtrobique, Sequelam euinco, quia commiſſio & omiſſio contra eandem virtutem, ſortiunt eadem priuatione, quæ dicitur eſſe tota forma malitiam conſtituens vtrobique. Atqui vbi eſt vnica forma conſtituens, non exurgit multiplex ſpecie conſtitutum. Ergo omiſſio & commiſſio pugnantes contra eandem honeſtatem, non ſpectabunt ad diuerſas ſpecies ſub genere moris. Inde etiam manifeſtè colligitur quod de eadem vtriuſque malitiæ quantitate ſubdebam Nam quantitas malitiæ iuxta aduerſarios non alia eſt, quàm quantitas priuationis: quandoquidem dicunt vniuerſam malitiam priuatione formaliter contineri. Ergo vbicunque erit eadem priuatio, erit eadem malitiæ quantitas. Proindéque iuxta aduerſarios, tantundem dicendus erit peccare qui omittit actum debitum, & eatenus in virtutem aliquam peccat, quàm qui eam directè impetit per contrarium niſum, quod liquet eſſe omninò abſurdum. Quis enim non videt, tetriorem eſſe blaſphemiæ labem qua diuina Majeſtas violatur, & religio nefariè conculcatur, quàm meræ omiſſionis laudandi & colendi Deum ſtatuto tempore?

Sicut ergo in naturalibus, ſi malum animantis conſtitueretur formaliter ſola priuatione voluptatis, fatendum eſſet, idem malum animantis eſſe, dolorem, & voluptatis alicuius remotionem; nec peius affici hominem inuectione doloris acerbiſſimi, quàm ſubtractione voluptatis conuenientis; quod conſtat abſurdiſſimè affirmandum, Ita in moralibus ſi malitia conſtituitur præcisè per priuationem rectitudinis, eáque rectitudinis excluſio, eadem, & æquè magna eſt in commiſſione & omiſſione, cùm vtrobique ſit remotio eiuſdem formæ, non maioris aut minoris, admittendum conſequenter eſt, eiuſdem ſpecie, & æquè etiam grandis malitiæ ſemper eſſe, omittere actum ex aliqua virtute debitum, & admittere ſcelus oppoſitum; quod vt dixi, eſt abſurdiſſimum.

Quomodò aliqui rationem propoſitam tentent eludere.

257. Occurrit huic argumento Rubionius in 2. d. 35. q. 1. art. 1. *ad* 1. dicens peccatum commiſſionis & omiſſionis, quamuis ambo formaliter conſtituantur per priuationem; idcircò tamen diſtingui ſpecie, & poſſe etiam diſtingui quantitate; quòd materiale peccati commiſſionis, ſit actus aliquis poſitiuus, quod non competit omiſſioni, quæ neque formaliter, neque materialiter dicit actum. Concedit quidem Rubionius, priuationem quæ eſt totum formale peccati commiſſionis, eſſe omiſſionem formæ cuius eſt priuatio: ſubdit tamen nihilominùs ſaluum eſſe diſcrimen peccati commiſſionis, ab eo quod ſimpliciter dicitur peccatum omiſſionis; quia peccatum commiſſionis formaliter eſt tantùm omiſſio alicuius debiti actui poſitiuo ſubſtracto priuationi. Peccatum

humanus actus dicitur inuoluere formaliter proſecutionem aliquam, manet difficultas propoſita. Amori enim illius boni, qui ſimul eſt odium Dei, adhæret inſeparabiliter malitia & incapacitas cuiuſcunque bonitatis moralis. Nam amor ille boni non diſtinguitur reipſa ab odio Dei, ſed tantùm per mentis noſtræ præciſiónem: moralitas autem afficit actum prout ſpectatur reipſa. Ergo impoſſibile eſt illam realitatem amoris eximi alicubi à morali turpitudine, vel ſuſcipere aliquam moralem bonitatem, ob indiſſociabilem vnitatem qua coniungitur cum realitate per ſe turpi & nullius bonitatis capaci, nempe cum odio Dei. Taceo quòd plerunque amor ille, etiamſi poſſet abiungi à fæcibus odij cum quo reipſa connectitur, turpis tamen remaneret vi ſui obiecti, quod poteſt plerunque eſſe turpe. Atque ita tunc actus ille, & ratione proſecutionis, & ratione auerſionis, eſſet per ſe malus, ac bonitatis incapax. Quomodò ergo dici poterit bonitate priuatus, cùm ad priuationem exigatur capacitas formæ, quæ per priuationem remouetur.

Item ſecunda quomodolibet expoſita.

Secunda ad argumentum propoſitum reſponſio, non videtur admodum apta. Qui enim ſe ad peccandum accingit, non proponit agere pertinenter ad vltimum hominis finem, quin potiùs ſuperuacuus deligit exorbitare à recta via, nec pergere aptè & pertinenter ad finis ſui aſſecutionem. Igitur perfectio virtutis in cuius materia delinquitur, neque eſt abſolutè debita actui, neque poſito quòd agens velit circa eam materiam operari. cùm etiam ea ſuppoſitione facta, poſſit circa eam materiam operari indifferenter, vt disertè admittit Autor, cuius eſt reſponſio quam expendimus. Multò minus poteſt ea perfectio eſſe illi actui debita vi propoſiti quod agens iniuerit, aut alterius ſibi ab ipſomet iniectæ obligationis, quam prorſus excludi ſupponimus. Quo ergo titulo ea perfectio dici poteſt debita actui ex ſe turpi; & cuiuſvis perfectionis incapaci.

260. Video illud *agere pertinenter ad vltimum finem hominis*, poſſe in alium ſenſum accipi, qui inſinuatur ab Autore cuius reſpóſum excutimus. Nempe ita vt agere pertinenter ad vltimum hominis finem, non ſit agere aptè ad eius conſecutionem, ſed agere aptè vel ineptè ad finem illum; ſiue agere benè vel malè moraliter, Quo pacto ſenſus reſponſionis quam expendimus, iſte eſt: *Poſito quòd homo velit agere benè vel malè moraliter, tenetur benè agere, eáque perfectio bonitatis quam non imprimit ſuo actui, eſt illi debita ac proinde ea priuatur.*

Verùm hæc reſponſio ſic expoſita, difficultatibus ſcatet. In primis quia admodum difficile erit exponere, cur vna potiùs quàm alia priuatio ibi cernatur, cùm obligatio benè faciendi quæ dicitur iniici malè operanti pertinenter ad finem hominis, non ſpectet potiùs virtutem oppoſitam actui malo qui elicitur, quàm aliam quancunque æquè conducentem ad aſſequendum finem vltimum hominis. Ergo malitia commiſſionis, in nulla certa ſpecie erit. Deinde ſemper ſupereſt nodus præcipuus in argumento noſtro propoſitus: Nempe quòd actus ille intrinſecè malus V. G. actus odij in Deum, nullius omninò rectitudinis ſit capax: Nempe enim qui odit Deum, atque ita agit malè cùm deberet benè agere, poteſt actui illi ſuo malo rectitudinem vllam imprimere. Quomodo ergo actus ille priuatus dicitur rectitudine, cuius eſt omninò incapax? Alia contra hoc reſponſum ſic expoſitum, addam infra tractans priuationem operanti inexiſtentem, quo videtur ſpectare potiùs hæc reſponſio.

At etiam tertia.

Tertia eáque vltima reſponſio ad argumentum propoſitum nihilo prioribus eſt firmior. Quod enim dicitur priuatum, ſub ea ratione qua priuatum dicitur, debet eſſe capax formæ quam priuatio remouet: Atqui actus intrinſecè malus, etiam qua ſpecificè ſpectatus priuatur rectitudine: Eſt enim malus ſpecificè. Ergo debet eſſe capax rectitudinis, non tantùm genericè, ſed etiam ſpecificè ſumptus. Adde quòd ratio generica quæ dicitur capax rectitudinis, vel ſumitur contracta ad hunc actum ſpecificum & ſingularem; vel ſumitur extra hunc actum, ſpectatúrque in alio qui ab iſto ſpecificè differat; cum eo tamen conueniat ſub eodem genere. Si ſumatur contracta, eſt incapax rectitudinis: quandoquidem iſte actus non poteſt elici abſque adiuncta malitia. Si autem ſumatur extra hunc actum, nihil id ad rem noſtram faciet. Quid enim refert ad rectitudinem actus diuerſæ ab alio ſpeciei, quòd hic alius actus genere cum eo conueniens, poſſit eſſe rectus? Aut cur actus dicetur malus, quia caret rectitudine, quæ debetur, non ipſi, ſed alteri actui einſdem generis ſummi? At ſi hoc concedatur, licebit profectò comminiſci, mendacium præter malitiam quam ex obiecto ſuo habet, turpe item eſſe, quia caret rectitudine quæ debetur actui orandi vel miſerendi.

Tandem vt cum Ockamo argumentatur Almainus in 3.d.25. q 2, *in fine*, agens quo tempore malè operatur, non poteſt vrgeri vllo præcepto ad benè agendum. Ergo actui eius genericè ſumpto, ſiue quatenus eſt actus hominis liber, nulla debetur rectitudo ſpecialis. Igitur priuatio qua malitia commiſſionis conſtitui dicitur, in nulla certa ſpecie eſſet, quod eſt manifeſtè abſurdum, cùm hic actus ſicut eſt ſingularis, ita malitiam ſingularem & determinatæ alicuius ſpeciei habere dicendus ſit. Itaque fixum eſto, perperam priuationem quæ dicitur eſſe malitia commiſſionis prauæ, collocari in actu prauo. Quod aliis verbis, eodem tamen ſenſu dicitur, malitiam commiſſionis eſſe carentiam rectitudinis debitæ ab operatione.

Subiectum malitiæ priuatiuæ eſſe ipſum agens qui cenſuerint.

261. Venio ad alterum ſubiectum, in quo locatam ab aliquibus priuationem prauarum commiſſionum affirmabam; Nempe ad agens; ita vt malitia commiſſionis prauæ, ſit priuatio rectitudinis debitæ ineſſe operanti, eiuſve voluntati. Hæc Scoti ſententia in 3. d.37. q. vnica, *litera B.* eandémque tradit Salas 1. 2. tract. 13. d. 2. num. 31. Nec aliud priuationis ſubiectum ſtatuerunt qui dixerunt idcircò peccatum commiſſionis eſſe priuationem rectitudinis, quia qui peccat, apponit ſibi impedimentum, prohibens elicere ſimul actum virtutis. Hæc enim inhabilitas benè operandi, inducitur in voluntatem: proindéque iuxta hos Autores, priuatio conſtituens formaliter peccatum commiſſionis, eſt in voluntate operante.

Non longo his Autoribus Gregorium in 2. 14. q. vnica, art. 1. *ad 5. contra 1.* Quamuis enim affirmat, priuationem rectitudinis eſſe priuationem habilitatis benè agendi, tamen aliter eam habilitatem accipit; quàm ij quorum ſententiam proximè retuli. Hi enim agunt de habilitate benè operandi, ſiue de poteſtate eliciendi actum bonum, quam præcludi & vinciri dicunt, ſi ponatur commiſſio mala: quam proinde aiunt inferre voluntati priuationem poteſtatis rectè ſimul operandi. Gregorius autem per habilitatem intelligit habitum ſimpliciter dictum, ſiue qualitatem faci-

litantem ad benè agendum, quæ qualitas & facilitas, inuectione habitus oppoſiti per commiſſionem prauam facta exterminatur. Itaque Gregorius nou niſi verbis conſentit cum Autoribus quorum placitum expendimus, eiúſque ſententia nihil habet probabilitatis, cùm inuectio illa inhabilitatis ad bonum, ſit poſterior actu malo; æquè ac habitus per quem inhabilitas iſta inuehitur; ideóque nequeat conſtituere formaliter malitiam actus praui. Quare hæreamus in ſententia propoſita, quæ vniuerſam malitiam peccati commiſſionis, ait eſſe priuationem rectitudinis, operanti & voluntati eius, debitæ.

Refelluntur.

261. Hæc ſententia mihi non probatur. In primis quia ſi priuatio eſt malitia, ibidem neceſſe eſt eſſe priuationem, vbi eſt malitia. Atque malitia prauæ commiſſionis perſpicuè eſt in ipſa commiſſione. Ergo neceſſe eſt, priuationem, quæ eſt formaliter idipſum quod ea malitia inexiſtere commiſſioni ſiue actui, non autem agenti. Neceſſe item eſt, malitiam eſſe carentiam rectitudinis actui debitæ, non autem debitæ agenti Vel ſi aſſeras eſſe carentiam rectitudinis quæ deberet ineſſe formæ afficienti hoc agens, recurrunt omnia argumenta propoſita contra priuationem rectitudinis debitæ actui, qui eſt reuera talis forma, Deinde plerunque cùm quis prauam commiſſionem elicit, nullum viget præceptum adigens ad exercendam actionem bonam. Nullus ergo eſt tunc actus debitus, cuius rectitudine priuetur commiſſio praua. Quòd ſi dicas ex ſuppoſitione quòd homo velit agere, teneri rectè agere, quæram in qua ſpecie: & quia nulla honeſtatis ſpecies determinari poterit, quam potiùs teneatur in operationem ſuam inducere, colligam, priuationem rectitudinis commiſſioni illi debitæ eſſe indeterminatam, cùm tamen conſtet, malitiam prauæ cuiuſvis commiſſionis eſſe determinatam & pertinentem ad certam ſpeciem.

Prætereà commiſſio praua non idcircò eſt praua, (ſaltem primariò,) quia caret rectitudine debita voluntati rationali operanti; ſed idcircò caret tali rectitudine, quia poſitiuè dedecet voluntatem rationalem, & eatenus malitiam habet, priuſquàm intelligatur carentiam illam inducere in voluntatem. Sicut dolor non idcircò eſt primariò malus animali, quia caret perfectione formæ animali debitæ; ſed quia illud poſitiuè affligit, eàque afflictione carentiam illam inducit. Item calor non eſt idcircò primariò malus aquæ, quia caret perfectione frigoris, quod eſt forma aquæ debita, vel quia eam frigoris carentiam inducit in aquam; ſed præcipuè eſt malus aquæ, quia aquæ diſconuenit ſecundùm poſitiuam ſuam entitatem, & ſecundùm eam, inducit in aquam priuationem frigoris aquæ debiti.

Tandem ſi malitia commiſſionis conſiſtit formaliter in priuatione illius rectitudinis quæ deberet operanti ineſſe & non ineſt, manifeſtum videtur admitti conſequenter debere, vniuerſam commiſſionis malitiam in eo ſitam eſſe, quòd non habeatur actus qui haberi tunc deberet. Sicque tantundem erit malitiæ in omiſſione actus boni debiti, ac in commiſſione. V.G. tantundem erit malitiæ in omiſſione laudis quo tempore reddenda erat, ac in blaſphemia. Imò non alia erit malitia commiſſionis, quàm quòd ſit omiſſio actus tunc debiti, ſeu quem voluntas tenebatur tunc elicere, & non elicuit. Quare neque hæc priuatio eſt idonea ad explicandam malitiam qua formaliter conſtituitur peccatum commiſſionis.

Qui verò hanc priuationem operanti & voluntati aduenientem, aiunt eſſe expeditionis & habilitatis ad benè agendum, in primis non conſtituunt formale peccati commiſſionis in priuatione rectitudinis debitæ ſed in priuatione habilitatis: cùm tamen profiteantur peccatum commiſſionis eſſe priuationem rectitudinis debitæ. At habilitas operandi, perperam vocatur rectitudo. Refelli inſuper poſſunt hi Autores, quia iuxta ipſos. æquè grauis imò eadem culpa eſſet, malè affici erga modicam materiam, & erga grauiſſimam; quia vterque actus malus æquè tollit facultatem rectè operandi. V.G. cum affectu quolibet mortali, æquè inngitur inhabilitas eliciendi tunc actum charitatis, ac cum affectu teterrimo, putà blaſphemiæ, aut odij Dei. Si igitur vtraque illa commiſſione æquè præpeditur operans, ne poſſit operatiunem charitatis elicere; & in ea præpeditione conſiſtit formaliter malitia commiſſionis, vtraque erit æquè mala, quod nemo vel in cogitationem admiſerit.

Tertia claſsis argumentorum, ex parte rectitudinum quas priuatio remouere dicitur.

263. Vltimus ordo argumentorum, queis impugnandam propoſuimus ſententiam, quæ malitiam peccati commiſſionis ſola priuatione conſtituit, continet ea argumenta quæ ducuntur ex rectitudinibus actui aut imperanti debitis, quarum priuatio, dicitur eſſe malitia commiſſionis deprauatæ. Triplicem autem huiuſmodi rectitudinem apud varios deprehendo. Prima eſt rectitudo præcepti negatiui commiſſione interdicentis, ſiue conformitas cum lege diuina negatiua, aut cum recta ratione prohibente actum prauum. Secunda eſt rectitudo honeſtatis, popoſitæ peccato quod admittitur. Quò etiam ſpectat rectitudo medij conducentis ad aſſecutionem finis vltimi; quam rectitudinem aliqui aiunt remoueri per actum prauum. Nec aliud volunt qui dicunt peccatum commiſſionis eſſe priuationem Dei vt finis vltimi. Neque enim dicimur priuari Deo vt fine, niſi quatenus priuamur qualitate aliqua aut honeſtate, cuius interuentu coniungeremur fini prædicto. Atque ita priuari Deo vt fine, idem eſt quòd priuari medio aliquo ad Dei aſſecutionem conducente. Rurſus autem ea medij idonei priuatio, non alia eſt quàm priuatio rectitudinis pertinentis ad virtutem, peccato quod admittitur, aduerſantem. Proindèque omnes illi dicendi modi eodem reuoluuntur. Tertia rectitudo debita, quam aliqui aiunt remoueri per eam priuationem qua praua commiſſio conſtituitur, eſt rectitudo conuenientiæ cum ſubiecto, ſeu cum natura rationali operante; ita vt actus ſit prauus & priuatus, quia non habet conuenientiam cum natura rationali.

Addi poterat quarta rectitudo, nempe rectitudo ſupernaturalis. de qua legimus, hominem à Deo factum rectum, id eſt in gratia ſanctificante creatum. Sed ea rectitudo omittenda hoc loco eſt. Quamuis enim cùm adeſt, excindatur per graue peccatum: tamen hoc eſt per accidens. Poſſet enim idem peccatum in ſtatu puræ naturæ admitti, abſque vlla tali priuatione. Et non fuiſſet quidem in eo ſtatu culpa vlla quæ mortem animæ inferret depulſione vitæ ſupernaturalis, vnde culpa potuiſſet mortalis denominari; (quod vnum velle debent qui dicunt, in eo ſtatu nullum futurum fuiſſe mortale peccatum;) potuiſſent tamen eſſe in eo ſtatu culpæ graues, eiuſdem philoſophicæ malitiæ, cuius nunc ſunt, cùm coniunctam habent gratiæ ſanctificantis excluſionem. Adde quòd praua commiſſio leuis, eſt vera culpa, ac proinde importat verè malitiam peccati commiſſionis conſtitutiuam: & tamen non excludit ſupernaturalem illam rectitudinem, quæ eſt vita & ſanctitas animæ. Quare eam rectitudinem miſſam in præſentia facio, & in tribus antè propoſitis hæreo.

Commiſ

Commiſſio praua, non eſt formaliter priuatio rectitudinis præcepti negatiui.

264. Prima malè ſtatuitur formale peccati commiſſionis: quia præceptum negatiuum quod praua commiſſione violatur, nihil prohibet niſi actum Itaque conformat ſe ei præcepto, ſi non agat, meréque negatiuè ſe habeat circa opus vetitum. Eam quippe duntaxat rectitudinem exigit in nobis præceptum negatiuum; quandoquidem non mandat vt operemur, ſed vt opere abſtineamus; quæ eſt conformitas conſiſtens in contradictorio actus vetiti, vt benè vidit Mol. 1. p. q. 5. de vnica §. *Malum morale.* Atqui carentia talis rectitudinis non poteſt eſſe negatio aut priuatio; alioqui daretur negatio negationis.

Quanquam vt nihil eſt adeò inopinabile quin aliquando admittatur, Salas 1. 2. tract. 13, d. 1. n. 31. *in fine*, concedit dari negationem negationis. Eſt tamen id perſpicuè abſurdum. Nam negatio formæ, idem eſt quod non forma: remotio autem, ſiue negatio non forma, non poteſt aliter intelligi quàm per formæ poſitionem, quia non formæ nihil opponitur niſi formæ. Nec iuuat Salam exemplum cœcitatis, cuius carentiam ait eſſe in eo, qui viſu præditus eſt: ex quo infert, negationis poſſe dari negationem, etiam in phyſicis. Non iuuat inquam eum, cœcitatis exemplum. Nam formaliter loquendo, non habere cœcitatem, non eſt negatio ſiue carentia negationis, ſed eſt inexiſtentia viſus. Vel ſi lubeat admittere, carentiam cœcitatis in vidente eſſe negationem cœcitatis, dicendum erit cœcitatem non ſpectari tanquam negationem, ſed tanquam aliquid reipſa inexiſtens ſubiecto, ea ratione qua non entia inexiſtunt ſubiectis, quæ deſtituuntur forma accidentali, quam ea non entia remouent. Cùm ergo admittitur, ineſſe videnti negationem inexiſtentiæ cœcitatis, cœcitas non ſpectatur vt negatio alicuius formæ, ſed tanquam ipſamet babens rationem formæ, quatenus reipſa afficit ſubiectum viſu deſtitutum, cui tamen viſus deberet ineſſe: eámque ſic ſubiecto realiter ſuo modo inexiſtentem, remouet illa alia negatio quæ videntem afficere dicitur. Vt autem cœcitati ſpectatæ non in ratione inexiſtentis realiter, ſed in ratione negationis vel priuationis, alia negatio opponatur, non plus poteſt intelligi, quàm quòd non formæ opponatur non forma; ſiue remotioni, remotio eiuſdem provt eiuſdem.

Itaque rectè conſtitutum eſt, non poſſe dari negationem negationis ſumptæ in ratione negationis: ac proinde in re noſtra, ſi rectitudo negatiua, vel conformitas cum præcepto negatiuo, quæ eſt negatio tantùm, ſit forma quam remouet priuatio conſtituens peccatum commiſſionis, rectè ſequitur, priuationem negatiuæ illius rectitudinis non poſſe admitti. Adde quòd rectitudo illa negatiua, V. G. reſpecto præcepti de non furando. ceſſatio à furto non eſt moralis honeſtas, cùm poſſit ex fine indifferente vel etiam malo deſiderari. Teſtatur rectè Origines, Epicuræos vetuiſſe furtum & voluiſſe non furari, vt immunes eſſent angoribus qui illam rei alienæ ſubductionem comitantur; quod nemo tribuerit boneſtatis amori. Quis verò hominem ex eo præcisè quòd non furetur, pronunciet moraliter bonum? Denique non modò in ſomnis, & agendo indeliberatè, ſed etiam liberè feriando, cùm præceptum agendi non vrget, nihil homini accidit laude dignum & pertinens ad moralem honeſtatem. Vt proinde perſpicuum videatur, rectitudinem illam negatiuam nullomodo eſſe honeſtatem. Atqui ſi priuatio rectitudinis huius negatiuæ eſſet malitia peccati commiſſionis, fatendum eſſet hanc rectitudinem negatiuam, eſſe moralem aliquam honeſtatem. Quandoquidem priuatio quæ eſt malitia moralis, nihil aliud eſt quàm carentia honeſtatis alicuius.

Nec honeſtatis quæ violatur.

265. Altera rectitudo in cuius priuatione alij collocabant formale peccati commiſſionis, erat rectitudo honeſtatis oppoſitæ peccato quod committitur: At conſtare videtur, hanc rectitudinem non excludi per commiſſionem prauam aliter quàm per omiſſionem cum eadem honeſtate pugnantem Ea enim honeſtas, non eſt habitualis, quæ poſſet nullomodo præjacuiſſe: veréque non præjacuit, ac proinde non excluditur, cùm prima commiſſio praua exercetur. Ergo eſt honeſtas actualis. At honeſtatem actualem, æquè & eodem modo remouet omiſſio mala, quoties ea honeſtas actualis præcipitur, ac eam remoueat praua commiſſio, præcisè provt priuata, quæ tantùm ratione habet malitiam, iuxta aduerſarios. Rdhæc actus prauus qui committitur, eſt incapax honeſtatis illius actualis. Ergo carentia illius in actu prauo non eſt priuatio, ſed negatio; quæ non eſt carentia formæ in ſubiecto apto, ſiue debitæ ineſſe.

Dicunt aliqui, eam rectitudinem eſſe debitam actui honeſto contrario, vi præcepti negatiui prauo actu interdicentis. Hoc tamen ineptè dicitur. Nam præceptum quo furtum vetatur, non præcipit honeſtatem actus iuſtitiæ circa rem alienam neque hic actus eſt iuſtus & honeſtus vi præcepti negatiui vetantis furtum, ſed vi proprij obiecti. Quid verò intereſt ad furti turpitudinem & malitiam quam nunc inueſtigamus, quòd actus honeſtus contrarius hinc aut inde honeſtatem hauriat, ſitve ei debita honeſtas ex hoc aut illo capite, cùm hîc duntaxat ſit oſtẽdendum quomodò honeſtas oppoſita malitiæ furti poſſit eſſe debita furto, quod ea honeſtate priuatum dicitur. Tandem cùm aliquis furatur, non idcircò peccat, quòd careat rectitudine aliqua Iuſtitiæ, ſed quia non ceſſat ab iniuſta acceptione, qua illi interdicitur per negatiuum præceptum prohibẽs furtum. Nam actualis rectitudo & honeſtas Iuſtitiæ, quam fur debuerit intendere, nulla vt plurimùm occurrit. Vel enim eſſet defenſio rei alienæ, vel iuſta eiuſdem acceptio. Non defenſio; nam qui furatur, non obligatur tutari rem alienam quam furatur. cùm id tantùm incumbat ijs qui ad hoc ſtipẽdio vel ratione muneris ſui aſtringuntur, qualis vt plurimùm non eſt qui furatur. Omnis autem alia defenſio rerum proximi, non eſt Iuſtitiæ, cùm non ſit rigoroſo iure debita, ſed ad ſummum eſt miſericordiæ aut charitatis. Non item ea Iuſtitiæ honeſtas dici poteſt hoc loco eſſe juſta acceptio, ſiue acceptio juſti debiti. Hæc enim acceptio in eo qui accipit, non eſt actus Iuſtitiæ, quia non eſt debita jure rigoroſo: poſſet enim ſi vellet abſque iniuria in debitorem, eam miſſam facere; quamuis verè debitor ex Iuſtitia reddat, ſiue tribuat quod creditoris iure debetur. Deinde fur non idcircò ſubit furti malitiam, quia caret rectitudine acceptionis juſti debiti, ſeu quia non accipit debitum: ſic enim qui omitteret repetere debita ſua furaretur: ſed idcircò peccat, quia ſubducit domino rem ſuam, quam contrectare eo inuito vetebatur.

Simile argumentum confici poteſt de homicidij malitia, quæ nullam actualem Iuſtitiæ rectitudinem tenera remouet: quandoquidem priuatus in priuati vitam inuadens, non obſtringebatur ad illius defenſionem ex Iuſtitia, ſed ad ſummum ex charitate vel ex miſericordia. Suppoſito autem quòd læſus ab illis

antè

antè fuiſſet, non tenebatur ad proſequendam vindictam per Magiſtratum. Si igitur peccatum commiſſionis eſſet priuatio rectitudinis actualis oppoſitæ, homicidium non eſſet peccatum contra Iuſtitiam, cuius rectitudo importat debitum ab omni poſitiua rectitudine ibi interueniente prorſus exulans. At quis non videt, homicidium culpam eſſe contra Iuſtitiæ virtutem? Nulla igitur ratione peccatum commiſſionis dici poteſt conſtitui per priuationem rectitudinis virtutis oppoſitæ peccato quod admittitur.

Nec denique conuenientia cum natura rationali.

266. Poſtrema rectitudo, quæ iuxta aliquos remouetur per eam priuationem qua commiſſio praua conſtituitur, eſt rectitudo conuenientiæ cum ſubiecto, hoc eſt cum natura rationali operante. Vnde Autores qui hoc pacto exponunt malitiam commiſſionis prauæ, aiunt eam idcircò malam eſſe, quia habet non conuenientiam cum natura rationali, cùm tamen deberet conuenientiam habere.

Hæc tamen ſententia non poteſt ſatisfacere. Nam iuxta eam, tota malitia commiſſionis prauæ, ſita eſſet in non bonitate morali. Idem namque eſt eſſe conſentaneum naturæ prout operanti ex ratione, atque moraliter bonum eſſe. Igitur ſi commiſſio eſt formaliter mala, quia eſt non conuenientia naturæ ex ratione operanti; idcircò præcisè mala erit, quia eſt non bona. Hoc autem dici non poteſt, quia præcipuum vitus actionis prauæ non eſt quòd ſit non bona, cùm bona eſſe deberet, ſeu quòd non ſit naturæ conueniens, cùm deberet conuenire; ſed quòd ſit diſconueniens. Sicut malitia caloris reſpectu aquæ, non conſiſtit in ſola carentia perfectionis frigoris: ſed in conuenientia cum aqua. Alioqui humiditas quæ caret ea perfectione frigoris qua item calor caret, eſſet æquè mala ac calor. Similiter malitia doloris non conſiſtit tantùm in carentia conuenientiæ debitæ cū natura animalis, ſed in afflictione & cruciatu quo animal vexatur per dolorem. Alioqui non voluptas, cui æquè adiungitur illa non conuenientia cum animali, æquè torqueret animal ac dolor: contra palpabile experimentum. Accedit quòd iuxta hanc ſententiam, omnia peccata eſſent æqualia. Siquidem omnia habent non conuenientiam cum natura rationali. Sicut duæ propoſitiones falſæ, æquantur in eo quòd neutra falſitatem habet. Et quamuis poſſit eſſe inæqualitas in receſſu poſitiuo à virtute: tamen in carentia veritatis, omnes habent æqualitatem. Idem ergo de operibus prauis admittendum eſſe.

Nec plura contra ſententiam, quæ peccati commiſſionis malitium ſola priuatione definit. Placuit enim in examine ſententiæ admodum peruulgatæ paulò diutiùs inſiſtere, quòd aliqui minùs admittentes in quo caſſes ſe induant, dum hanc ſententiam mordicùs retinent, auſteriores ſe ac rigidiores præbeant ei, quàm infrà confirmabimus, mitiùs profectò acturi, ſi expendiſſent quantis ſententia, cui adhærent, grauetur incommodis. Quæ verò ad eam confirmandam proferri ſolent, infrà commodiùs enodabuntur contra conſtitutam veram ſententiam. Itaque nunc ſecundum placitum initio propoſitum accedamus.

Malitiam commiſſionis, integrari formaliter ex priuatione & actu, ſententia quorundam.

267. Secundò dixi malitiam peccati commiſſionis non integrari ex priuatione & ei ſubſtrato actu poſitiuo. Quod eſt contra nonnullos graues Autores, qui animaduerſis iis quæ propoſuimus contra malitiam peccati commiſſionis merè priuatiuam, cùm non auderent communiſſimæ ſententiæ peccatum in ſola priuatione conſtituenti refragari, commodè ſibi viſi ſunt philoſophaturi, ſi dicerent malitiam peccati commiſſionis ex poſitiuo priuationi ſubſtrato, ipſáque priuatione coaleſcere. Et ita quidem, vt poſitiuum non ſit, duntaxat materiale reſpectu priuationis, vt aſſerebat prima ſententia, ſed ſit compars eius in integranda & totaliter conſtituenda malitia commiſſionis prauæ: quamuis reſpectu priuationis ſe habeat vt ſubiectum, ac vt materiale. Sicut in phyſicis materia eſt ſubiectum formæ, & tamen reſpectu compoſiti, eſt compars formæ. Itaque hi Autores, argumentis quæ in ſuperiore puncto propoſuimus, fatentur euinci quòd priuationi iungenda ſit entitas actus, & ambo ſimul conſtituant formale peccati commiſſionis, eiuſque malitiam integrent vt compartes.

Videri poſſet ita ſentire Capreolus in 2. d. 35. q. vnica. ad 1 & 3. ac 6. Gregorij contra 1. vbi docet, peccatum commiſſionis dicere entitatem poſitiuam, addita in obliquo priuatione: ita vt & poſitiua entitas commiſſionis prauæ, & deformitas eius ſiue priuatio conflent peccatum: Quod de entitate poſitiua, à nemine ſanæ mentis negandum eſſe pronunciat; eo quod nemo ſanus, negaturus ſit odium Dei eſſe peccatum, cùm tamen conſtet, odium Dei eſſe poſitiuam entitatem. Addit quidem paulò pòſt Capreolus reſpondens ad 4. poſitiuam entitatem actus, eſſe materiale peccati: Non tamen idcirco negat eam entitatem integrare peccati malitiam, & ſpectare ad rationem eius formalem. Facilè quippè dici poteſt, eum conferre actum cum priuatione cui ſubſternitur: & per comparationem actus ad priuationem, dicere actum ſe habere vt materiale, quamuis reſpectu malitiæ ſe habeat vt pars formæ. Multa de more in hanc ſententiam D. Thomæ loca colligit Capreol. ibid. concl. 1.

Sunt apertè in eadem ſententia Ferrar. 3. contra Gentes, cap. 9. Aquarius in 1. d. 17. concl. 9. Iacobus Payua lib. 3. orthodox. explicat. axiom. 2. *in fine.* Suares d. 11. Metaph. ſ. 1. num. 16. & 17. Pauonis d I. Eth. q. 3. propoſ 4. & latè ac diligenter Hieronymus à Rüa controu. 2. Scholaſt. parte. 1. Fuit item in hac ſententia, ſapientiſſimus Pater Nicolaüs Magnienus in cuius ingenio, fœliciſſimum ſeueriorum amœniorúmque diſciplinarum coniugium. Gallia Italiáque ſuſpexit: eóſque fines trangreſſa eſſet eius fama orbi complendo par, ni mox præpropera, nobilis ingenij fœtus obortione damnaſſet. Eo ego Theologici tyrocinij inſtitutore atque Magiſtro, ſemper gloriabor. Hanc ſententiam, vt poſteà ſolidiùs aptiúſque excutiatur vt primùm ſtabiliam ac exponam. Hieronymi præſertim à Rüa, qui in ea exponenda fuſior fuit, veſtigia legens.

Illuſtratur & fundatur.

268. Ad huius ergo ſententiæ declarationem, illud in primis præmittit Rüa, ex D. Dionyſio cap 4. diuin nom. & S. Thoma 3. contra Gent. cap. 9. & l. 10. Metaph. 9. lib. 6. omne priuatiuum neceſſario ſupponere aliquid poſitiuum, quamuis non ſemper eodem modo. Multiplex enim eſt genus priuatiuorum. Primum eſt non ens creatum, quæ priuatio ſupponit cauſam efficientem poſitiuam, à qua poſſit extrahi de non eſſe. Nam niſi Deus præſupponeretur, ens potentiale non poſſet ad actualitatem tranſire: atque ita nullo modo eſſet poſſibile, & carentia exiſtentiæ non eſſet priuatio ſed, pura negatio, quia deeſſet aptitudo & capacitas exiſtentiæ.

Secun

Secundum genus eſt priuatiuorum in determinato genere, cuiuſmodi ſunt cæcitas & tenebræ. Quæ priuatiua præter cauſam efficientem vel quaſi efficientem poſitiuam, ſupponunt cauſam materialem item poſitiuam, cui adueniunt, & à qua remouent formam non illius communis & vniuerſalis entis diffuſi per omnes creaturas, de quo paulò antè, ſed certi cuiuſdam generis. Remouent autem hunc determinatam formam tam ſecundùm eſſe & gradum genericum, quàm ſecundùm ſpecificum. Nam tenebræ excludunt ab aëre non modò ſpecificam rationem luminis, ſed etiam qualitatem: ita vt aër nullas haberet alias qualitates quàm lucem, deſtituendus illicò eſſet qualitatibus, ex quo tenebras ſuſcepiſſet. Itáque huiuſmodi priuatiua & habitus oppoſiti, ne in genere quidem conueniunt.

At ſunt alia quædam tertij generis priuatiua, quæ inter ſe conueniunt in ratione generica, ita vt quamuis vnum eorum dicat excluſionem formæ ſpecificæ conſtituentis alterum cui priuatiuè opponitur, non excludat temen gradum eius genericum, ſed in eo conueniat cum illo alio cui priuatione opponitur. Sic nigredo & albedo conueniunt in ratione generica coloris; pugnant autem in rationibus determinatis, ſecundùm quas vna eſt alterius priuatio, vt tradit Philoſophus l. de ſenſu & ſenſili, cap. 4. & l. 10. Met. t. 7. & 15. Tandem ſunt quædam priuatiua, quæ determinatam formam omninò non remouent, ſiue ſecundùm ſpeciem, ſiue ſecundùm genus, neque tamen eam relinquunt illibatam & integram; (ſic enim non eſſent priuatiuè oppoſita.) ſed ex parte eam remouent, & ex parte retinent. Hac ratione ſanitas opponitur priuatiuè ægritudini, quia ægritudo non dicit omnimodam ſalutis priuationem ſiue mortem; ſed dicit ſalutem priuationi admixtam. Cernere verò licet in his priuatiuis non modò cauſam efficientem poſitiuam, vt in primo genere; & inſuper materialem, vt in ſecundo; ac denique rationem genericam, vt in tertio: ſed eam ex parte rationem ſpecificam poſitiuam: eam quippè non remouent omninò, ſed ea parte tantùm.

Huius ergo poſtremi generis priuatiuorum, cenſendum eſſe peccatum commiſſionis, tradit Autor allegatus. Conſiderat enim in commiſſione praua, & quòd ſit actus humanus; *in genus poſitiuum*: & quòd actus ille ad obiectum conuertatur, *in formam ſpecificam partialem poſitiuam*: & denique quòd ea conuerſio, indebita ſit, careátque debita rectitudine, *in priuationem iunctam rationi genericæ & ſpecificæ poſitiuæ.* integra igitur forma conſtituens commiſſionem moraliter malam, iuxta hoc placitum, eſt conuerſio cum priuatione rectitudinis debitæ. Sicut forma totalis ægritudinem conſtituens, eſt ſalus admixta priuationi. Seruatur iuxta hanc ſententiam idem Philoſophandi modus in quibuſvis contrariis, vt diſertè tradere videtur S. Thomas quæſt. 1. de malo, art. 1. ad 2. agnoſcens quodlibet contrarium includere alterius negationem. Cùm ergo actio praua, ſit contraria actioni honeſtæ; colligi videtur, commiſſionem prauam, ea ente poſitiuo ſubſtrato & ex priuatione ſuperaddita coaleſcere: & duo illa ita eſſe plura in genere entis, vt tamen habeant rationem vnius totalis formaliter conſtitutiui, reſpectu prauæ commiſſionis.

Refellitur.

269. Negari non poteſt, quin hæc ſententia facilitatem quandam præ ſe ferat, ob declinationem ab extremis. Nonnulla item ex argumentis quibus primam ſententiam impugnauimus, iſtam non impetunt, potéſtque iuxta eam ſine dubio manifeſtiùs tradi diſtinctio peccatorum commiſſionis & omiſſionis, & ſpecifica varietas extremorum eidem virtuti aduerſantium. Quominùs tamen ei ſententiæ adhæream, facit in primis quòd videam vtriuſque extremæ ſententiæ difficultates in ea locum habere. Nam æquè oſtendendum eſt in hac ſententia, quomodo Deus non ſit cauſa peccati commiſſionis, ac in ſententia quæ ait totam rationem formalem huius peccati eſſe poſitiuam. Item æquè in vtraque ſatisfaciendum eſt teſtimoniis Patrum, quibus affirmatur peccatum eſſe omninò nihil. Quæ ſunt ferè omnia capita, ex quibus impugnatur ſententia collocans formale peccati commiſſionis in poſitiuo.

Pleraque item ex argumentis, quibus impetitur ſententia ſtatuens formale huius peccati in ſola priuatione, æque impugnant hanc iſtius malitiæ mixturam ex priuatiuo & poſitiuo. Cuius enim rectitudinis ad iuſtitiam pertinentis, priuatione conſtitueretur ex parte peccatum homicidij, quatenus eſt peccatum commiſſionis? Item in quo ſtatueretur ea priuatio? Nam actus quidem eſt rectitudinis illius incapax: potentia verò poterat non malè, aut etiam multipliciter benè operari circa hoc obiectum. Cùm ergo determinatæ turpitudinis priuatio compinget ex parte malitiam commiſſionis?

Denique quamuis actum prauum conſequantur priuationes aliquæ; tamen illæ non ſpectant ad conſtitutionem eius formaliter & directè. Sicut quamtis calori annectatur negatio perfectionis reſpectu aquæ; & caloris immiſſionem conſequatur in aqua priuatio frigoris; non dicimus tamen carentiam illam, ſiue quæ calori ineſt, ſiue quæ aquæ per calorem aduenit, eſſe de ratione formali conſtitutiua caloris.

Ea enim negatio perfectionis aquam decentis quæ in calore intelligitur, quámque Suares d. 11. Metaph. ſ. 2. n. 14 poſt D. Thomam q. 1. de malo, art. 1. d. 1. ſtatuit pro partiali conſtitutiuo illius conſonantiæ, non poteſt reuera eam compingere etiam partialiter. Nam huiuſmodi ſiue priuatio ſiue negatio, æquæ comitatur quodvis accidens aquæ à frigore diſtinctum. Quippe cùm nihil ſit aliud quàm negatio identitatis cum frigore, æquè cadens in omnia aquæ accidentia à frigore diuerſa.

Priuatio vero quàm calor in aquam inducit, quámque D. Thomas in 2 d. 34. q. vnica. art. *2. in corp. & ad* 4. videtur ſtatuere pro partiali conſtitutiuo huius diſſonantiæ, non poteſt reuera eam integrare. Nam ea priuatio idcircò cauſatur à calore, quia calor ſeipſo eſt formaliter malus aquæ: ita vt calor in illo priori in quo præintelligitur priuationi illi, quam aquæ immittit, iam ſit malus & diſſonus aquæ. Tunc autem non poteſt eſſe malus formaliter & directè per eam priuationem, tanquam per partiale ſui conſtitutiuum. Nam tunc ea priuatio nondum intelligitur eſſe. Itaque eſt malus ſeipſo ſuáque entitate, licet ordo poſitiuus quo calor conſtituitur malus aquæ, connotet priuationem calore poſteriorem, conſecuturam ex caloris immiſſione. Eodem igitur modo philoſophari debemus de actu prauo comparato ad naturam rationalem. Et ſanè ſicut nemo dixerit, bonitatem moralem actus honeſti, conſtitui ex actu, & negatione vel priuatione malitiæ adiuncta actui honeſto, eúmve conſequente, tum in ipſo actu, tum in natura rationali; ita fatendum videtur, priuationem vel negationem adiunctam actui prauo; & vniuersè cuiuis contrario, non pertineret directè & formaliter ad contrarij illius conſtitutionem, nec eſſe vllatenus de ratione eius formali.

Ad eius firmamenta.

270 Ex his euertitur fundamentum contrariæ ſententiæ. Fateor enim in peccato commiſſionis, & in quouis contrario ad alterum comparato, importari alterius ſiue negationem ſiue priuationem. Nego tamen eam pertinere ad formalem conſtitutionem contrarij. Priuatio autem quam vnum contrarium poteſt efficere in extraneo ſubiecto; quamuis eatenus pertineat ad contrarium quod eſt eius cauſatiuum, quatenus per ordinem ad eam tanquam ex ipſo conſequentem, conſtituitur; Tamen non poteſt eſſe partiale eius conſtitutiuum, cùm efficiatur à contrario, ſitque extra illud: quæ pugnant cum ratione formalis conſtitutiui, licèt non excludant connotationē priuationis illius tanquam extrinſecè complentis & terminantis poſitiuum ordinem actus.

Poſſet facilè in hunc ſenſum accipi Capreolus in 2.d.35.q.vnica.*ad* 2. *&* 3. *&* 6.*contra primam*, cùm dixit, peccatum importare & conuerſionem poſitiuam & priuationem, ſed illam in recto iſtam in obliquo, tanquam connotatum ſine quo peccatum explicari & intelligi nequeat. Hoc enim quod à Capreolo aſſeritur, optimè dictum eſt, habétque locum, quamuis priuatio per ſe & directè ad conſtitutum illud non pertineat. Sicut relatio non poteſt abſque termino intelligi; neque tamen terminus, eſt internus relationi per modum partialis conſtitutiui. (Si enim relatio eſſet ens per accidens:) ſed tantùm connotatur per relationem, cui ordo ad terminum eſt intrinſecus per modum conſtitutiui partialis, quod vocatur *ratio ad*.

Eſt prætereà quod in ſuprà propoſita explicatione, & confirmatione ſententiæ quam excuſſimus, meritò non placeat, Nempe quod in ea explicatione dictum eſt, conuerſionem ad obiectum indebitum: eſſe formam partialem poſitiuam cui adiungitur priuatio, qua non niſi ex parte tollitur ab actu bonitas, ſicut per ægritudinem tollitur ſalus tantùm ex parte. Verùm ſicut aliud ſunt ſalus ſiue ſanitas, quæ nullo modo perſeuerat in ægroto; aliud temperies ad vitæ fomentum ſufficiens, quæ in ægroto perſtat: Ita aliud eſt bonitas naturalis quæ in actu prauo perſeuerat illibata; aliud bonitas moralis, quæ non tantùm ex parte remouetur per priuationem, ſed omninò, Vnde vniuerſa illa expoſitio priuationum ex parte tantùm remouentium formam oppoſitam, nullo modo eſt ad rem præſentem. Quòd autem priuatio relinquat bonum generis naturæ, adimátque duntaxat bonum morale, nihil refert. Nam duo illa bona æquiuocè tantùm ac nomine tenus conueniunt. Sunt enim diuerſorum omninò generum, vt proinde incolumitas vnius, & exciſio alterius, nihil commune habeant, propter quod dici debeant conflare vnum totale ens deficiens, quale dicebatur eſſe morbus, quem aduerſarius aiebat coaleſcare ex partiali ſalute, & partiali ſalutis priuatione.

Vera ſententia: Malitiam commiſſionis eſſe adæquatè poſitiuam.

271. Tertiò, ablegatis ſententiis, quæ commiſſionis prauæ malitiam aiebant eſſe priuationem, vel coaleſcere ex priuatione & ei ſubſtrato poſitiuo; addidi malitiam illam nihil aliud eſſe, quàm ipſammet actus poſitiui entitatem regulæ ſuæ diſconuenientem; ita vt peccatum commiſſionis formaliter non ſit niſi poſitiuum. Vt autem hanc ſententiam plenè confirmatam & expoſitam dem, priuſquam eam multiplici autoritate & rationibus muniam, placet breuem illius expoſitionem qua mali moralis natura innoteſcat, hoc loco præmittere, ducto initio à malo generis naturæ quod notius eſt, aut ſaltem minùs controuerſum.

Malum naturale duplex, in ſe, & alteri,

Naturale ergo malum, duplex diſtingui poteſt, vt obſeruat Caiet. 1.2.q.71.art.6.nempe malum in ſe, & malum alteri Sicut enim res dupliciter bona eſt, videlicet in ſe & abſtractè, quatenus eſt perfecta & integra; & reſpectiuè, quatenus eſt alteri conueniens: Ita malum oppoſitum, aliud eſt quod abſolutè & ſimpliciter dicitur, nempe merus boni defectus, aliud quod eſt reſpectiuè malum & ſecundùm quid; nimirum quod in ſe & ſibi ipſum bonum eſt. tamen eſt alteri diſſentaneum D. Anſelmus l. de caſu Diaboli cap. 26. ait hoc malum, eſſe *malum incommoditatis:* malum verò abſolutè dictum vocat *malum ſimpliciter*, *& malum ſimplex*, vt notauit Gregor. in 2.d.34. q. vnica, art 1. At Auicenna apud D.Thomam ead. diſt. q. vnica, artic. 2. *in corpore*, huiuſmodi malum abſolutum vocabat *malum per ſe.* Alij eodem D. Thoma referente vocabant *malum abſtractè.* Ex ipſa porrò vocabulorum notione perſpicitur nullam rem poſitiuam poſſe eſſe ſimpliciter malam, ſed malum naturæ ſimpliciter dictum conſiſtere in mero defectu & carentia. Huiuſmodi malum eſt ignorantia puræ negationis reſpectu intellectus; cœcitas, ſurditas, mors, aliáque huiuſmodi reſpectu hominis, & denique carentia quorumuis rei conſentaneorum in re qualibet.

At reſpectiuè ſeu in comparatione ad alterum, res poſitiua quæ in ſe bona eſt, poteſt eſſe & dici mala, ſi alteri diſconueniat, ſitque ei diſſentanea per ſuammet naturalem & poſitiuam entitatem in ſe bonam Quemadmodum enim vna res poteſt dici poſitiuè bona alteri, quia habet entitatem illi alteri proportionatam & conſonantem; ita res quæ habet entitatem alteri diſconuenientem, eique poſitiuè incongruam, atque repugnantem, poteſt dici eſſe ei mala & diſconueniens poſitiuè, non tantùm ab euentu ſiue effectiuè, ſed etiam formaliter. Nam *ab euentu*, ſiue *per accidens*, vt D. Thomas ſuprà poſt Auicennā loquitur, vel *denominatione actiua*, vt loquitur Gregorius ſuprà concl. 3. nemo dubitat, quin res poſitiua poſſit naturaliter eſſe mala & diſconueniens alteri; eóque ipſo modo Deus puniens eſt diſconueniens peccatori, quia efficit in eo ſupplicia irrogátque pœnas. Eodem modo D. Auguſtinus l. de mor. Manich. capit. 8. concedit dari poſſe ſubſtantiam malam alteri cui nocet; nimirum malam effectiuè. Conſtat enim ſubſtantiam non poſſe eſſe formaliter malam alteri, cùm non ſit forma alterius, cui diſconuenire poſſit formaliter, vt Suares rectè notauit d. 11. Metaph. ſ. 1. num. 10. Accidentia tamen quia poſſunt alteri aduenire, non ſunt tantùm mala ab euentu, vt propterea non placeat quod S. Thomas ſuprà *in corpore & ad* 4. Gregor. artic. illo concl. 3. velint, omne malum quod non eſt malum ſimpliciter, eſſe malum ab euentu. Id enim in accidentibus repudiandum eſt.

272. Reſpectiuè igitur & ſecundùm quid, calor eſt formaliter malus aquæ, & frigus eſt malum igni, non ratione alicuius priuationis frigori vel calori inexiſtentis, ſed maximè per ſuaſmet entitates. Nam ſi daretur aliqua priuatio, ratione cuius calor eſſet potiùs malus aquæ, quàm per ſuam entitatem, ea priuatio non poſſet eſſe alia, quàm vel carentia perfectionis, ſecundùm quam frigus congruit aquæ, vel carentia conſequens in ſubiecto, vt vult Caiet. 1. 2. q. 71. art. 6.

&

& latè Gregor. ſuprà art. 1. concl. 1. Atqui priuatio quæ in aqua caſatur, idcircò per calorem inducitur, quia calor eſt malus aquæ. Ergo diſconuenientia poſitiua antecedit eam priuationem. Ea verò ſiue priuatio, ſiue negatio quæ calori inexiſtit, non eſt aquæ admodùm mala. Nam humiditas quoque priuatur perfectione frigoris, nec tamen idcircò eſt mala aquæ. Similiter plurima accidentia, quæ nullo modo poſitiuè congruunt aquæ, vt gratia, ſpecies intelligibiles, & ſenſibiles, aliáque huiuſmodi, non ſunt mala aquæ ſaltem eo modo quo calor, & tamen æquè cernitur in eis priuatio perfectionis, qua frigus congruit aquæ. Ergo id ratione cuius calor eſt propriè malus aquæ, eſt poſitiua eius entitas: ſicut etiam id ratione cuius dolor eſt propriè malus animali, non eſt carentia voluptatis: alioqui indolentia eſſet æquè mala animanti ac dolor, & quidlibet non ſuaue, æquè cruciaret ac res maximè aſpera & afflictiua. Similiter illud ratione cuius error eſt propriè malus intellectui, non eſt carentia perfectionis quæ eſt in ſcientia; ea enim carentia æquè competit ignorantiæ puræ negationis: ſed eſt entitas poſitiua erroris, quæ per ſeipſam malè afficit intellectum. Agnoſcit apertè hæc omnia S. Anſelmus lib. de concep. Virg. c. 4. & in concord. c. 1. diſtinguens malum in illud quod eſt iniuſtitiæ & incommoditatis: ſiue in malum morale & naturale; & hoc ſecundum, ſubdiuidens in malum quod eſt nihil, vt cæcitas; & malum quod eſt aliquid, vt dolor.

Duplex item morale malum, in ſe, & alteri.

Hinc gradum faciendo ad malum morale, contendo duplex diſtingui poſſe morale malum. Primum eſt malum ſimpliciter, ſiue merus boni defectus, & carentia perfectionis ac bonitatis: quod malum perſpicuè elucet in omiſſione actus præcepti. Voluptas enim quæ feriata eſt cùm operari deberet, ſubit priuationem actus ſimpliciter malam. Cernitur etiam aliquatenus in quocunque actu malo, quatenus deſtituitur omni bonitate morali. Nam defectus ille bonitatis, etiamſi plerunque non ſit priuatio, ſed negatio, nec ſit malitia commiſſionis prauæ: tamen cùm ſit carentia bonitatis moralis, habet rationem mali cuiuſdam in genere moris, poteſtque dici malum ſimpliciter, quia nullam habet bonitatem ſecundùm quam bonus ſit in aliquo genere. Sicut enim in genere naturæ cœcitas eſt malum ſimpliciter, quia nullam habet bonitatem, ſecundùm quam bona ſit aliqua ratione: Ita defectus ille bonitatis, cùm ſit mera carentia, nullámque prorſus bonitatem contineat, rectè dicitur malum ſimpliciter. Secùs verò eſt de malis ſecundùm quid: hæc enim ſunt poſitiua; & idcircò quamuis ſint alteri diſſentanea & mala, ſunt tamen bona ſibi ipſis, & alij etiam alicui, ſaltem plerunque, iuxta illud Auguſtini apud Proſperum ſententia 302. quod de ſubſtantiis dictum, ad omnia quoque entia aptè transfertur. *Nulla natura, in quantum natura eſt, malum eſt: ſed prorſus bonum, ſine quo bono vllum eſſe non poteſt vitium, quamuis ſine vitio poſſit eſſe vel nunquam vitiata vel ſanata natura.* Similia fuse idem Auguſtinus in Enchir. c. 12. & 13. & 14.

273. Hoc porrò malum, dicebam, plerunque eſſe tantùm negationem, quia in actibus qui iidem numero poſſunt bonitati & malitiæ diuerſo tempore ſubiacere, habet rationem priuationis. In actibus autem intrinſecè malis, eſt pura carentia ac negatio. Sicut malum ſimpliciter generis naturæ, cùm eſt remotio formæ debitæ, eſt priuatio; alioqui eſt negatio. Vſus tamen non fert, vt ex hoc malo cùm eſt pura negatio, res denominetur mala, ſiue in genere naturæ, ſiue in genere moris: quia quod rem denominat malam, debet eam malè afficere. Mera autem negatio non afficit malè, quin potiùs ſi abeſſet & excluderetur per formam oppoſitam, res ſubſtrata malè afficeretur, quia deſineret eſſe quod erat. Vt lapis ſi non eſſet non homo, non eſſet lapis. Itaque lapis ex ea humanitatis negatione non denominatur malus. Ex quo patet, malum morale ſimpliciter (quod quidem hoc nomen habere ſoleat, denominétque actum moraliter malum,) non cerni in omnibus actibus deprauatis, ſed tantùm in illis qui non ſunt intrinſecè mali.

Alterum morale malum, quod dicebam poſſe diſtingui per proportionem ad alterum malum naturæ & malum ſecundùm quid, quia ſecundùm aliquam conſiderationem eſt bonum, nempe in genere naturæ, & quatenus eſt ens: vnde in ſeipſo eſt bonum: eſt tamen malum alteri; quo pacto poſitiua entitas actus praui denominatur mala, quia eſt diſconueniens regulæ, atque adeò etiam naturæ rationali, quæ per regulam illam agere nata eſt. Et hoc malum eſt illud quod propriè & abſolutè dicitur malum in genere moris. Non dico eſſe malum ſimpliciter in genere moris, qua ratione loquuntur plerique, nec malè in ſenſu quem intendunt, ſed non ſine homonymia. Nam volunt duntaxat deſignare, actum priuationi ſubſtratum eſſe malum morale propriè & abſolutè dictum, quæ eſt interdum vis vocis illius *ſimpl citer*. Periculum tamen eſt, ne auditor exiſtimet malum ſimpliciter dici ab eis quod nullum bonum importat, eſtque malum omni modo: quod falsò tribueretur actui prauo, cùm ſit bonus in genere naturæ: Itaque rectiùs vocatur malum ſecundùm quid, id eſt ita malum vt aliqua ratione ſit bonum. Nihil enim ipſi deeſt ſecundùm ſpeciem ſuam, atque adeò eſt perfectum & ſibi bonum. Non eſt quidem vlla ratione bonum in genere moris, quia bonum ex integra cauſa eſt. Vnde cùm habeat malitiam generis moris, nullam poteſt in eo genere babere bonitatem: Tamen dicitur malum ſecundùm quid propter adiunctionem bonitatis naturalis, qui actus eſt ſibi ipſi bonus, vt dictum eſt.

Malum morale alteri malum, eſt poſitiuum.

274. Hoc itaque eſt malum morale propriè dictum, quo actus eſt formaliter & directè malus, non ratione priuationis alicuius vel ipſi adhærentis, vel ab eo illatæ naturæ rationali, ſed ratione ſuæmet entitatis diſſonantis & tepugnantis regulæ ſuæ: Ita vt quamuis aliqua bonitatis ſiue priuatio, ſiue vt plurimùm negatio afficiatur actum prauum, & multæ ab eo inferantur homini negationes aut priuationes; tamen malitia eius moralis propriè dicta, non ſit omninò aut ex parte formaliter & directè ſita in ea forma negatiua, ſed tantùm in entitate poſitiua illi ſubſtrata, tam in actibus per ſe malis, quàm in aliis qui iidem phyſicè manentes poſſunt honeſtari. Nam hi quoque cùm eliciuntur contra regulam, diſſonant illi moraliter, & eatenus naturæ itidem rationali repugnant.

Hæc eſt ſententia de conſtitutiuo formali actus praui quam iudico veram ;, & in ſequentibus autoritate multiplici & ratione confirmanda eſt, ſi priùs aduertero litem eſſe de nomine an hæc diſſonantia ſit vocanda moralis an phyſica. Eatenus enim poteſt dici phyſica. quatenus ineſt ipſi actus entitati, & ab ea non diſtinguitur. Ab aliis tamen vocatur potiùs moralis, quia non eſt ſtabilis & immutabilis, quales ſunt contrarietates purè phyſicæ, ſed variatur pro variatione libertatis aut præcepti. Morales enim diſcon-

nenientiæ hoc differunt à phyſicis, quòd phyſicæ quia non pendent à cauſa vertibili. ſtatæ ſunt ac firmæ, nec accedunt aut recedunt ſine phyſica mutatione formæ diſconuenientis. At morales diſconuenientiæ cùm præſupponant libertatem, & ab ea pendeant, nec ſine ea ſint diſconuenientiæ, poſſunt ſola libertate poſita aduenire, & ſola ſublata deſinere, ob libertatis vertibilitatem cui ea moralitatis inconſtantia ortum ſuum debet. Qua item ratione priuationes actibus malis adiunctæ tolluntur aut ponuntur, actu phyſicè immutato, quamuis alioqui priuationes non poſſint immediatè fieri, ſed tantùm per actus.

Et ipſa diſconuenientiæ mutabilitas perſtante actu, in cauſa fuit cur alij hanc diſſonātiam, quam alioqui fatebantur eſſe realem, dixerunt eſſe relationem rationis, eodemque modo locuti ſint de boni actus conſonantia cum natura rationali, aut proportionalem cauſam: nimirum ob cuiuſvis moralitatis mutabilitatem, facta variatione alicuius extrinſeci. Ita de quauis moralitate Canus, vt refert à Rūa controuer. 2. Scholaſt. Canum in ſententia & modo loquendi, quamuis non in probationibus ſequitur Vaſques 1.2. d.95 c.10, Qui autores, cùm diſertè alioqui tradant, peccatum commiſſionis eſſe formaliter ens poſitiuum: vt Vaſques 1.2.d.129.n.27.apertè profitetur ſe ea diſp.95.docuiſſe, manifeſtè appellarunt conſonantiam & diſſonantiam cum lege, relationem rationis, quia eſt mutabilis: In quo differt ab attributis generis naturæ, quæ cùm non ſit connotatiua, ſunt fixa & vſquequaque immutabilia Nec aliter cenſuerim de Molina, qui omnem moralitatem ait eſſe relationem rationis 1.p.q.5.diſp.vnica, §. *Aliorum*, & §. *Malum morale.* Itémque de Leſſio qui malitiam prauæ commiſſionis vocat relationem rationis l.de grat.cap. 5.n.8.& lib.13.de diu. perfect. à n.176. Diſplicet tamen ea locutio, quia planus eius ſenſus fert, malitiam non eſſe à parte rei, nec habere eſſe niſi obiectiuè in intellectu, quod conſtat non poſſe aſſeri de malitia praui actus.

Aliqui præterea ex Autoribus proximè recenſitis, hanc diſſonantiam vocant priuationem, non ſimpliciter, ſed moralem. Quæ reſtrictio facit, vt non ſit idem æquiuocationis periculum in hoc modo loquēdi, ac in illo alio, quem iam retulimus Illud quippe additum, deſignat eam priuationem eſſe longè alterius rationis, quàm ſit priuatio illa, quæ eſt mera formæ remotio. Itaque ea locutio nihil incommodat veritati, quam ſtabilire hic intendimus. Sic prolocuti veniamus ad firmamenta noſtræ ſententiæ.

Autoritas Philoſophi, pro malitia commiſſionis poſitiua.

275. Primum dico ex autoritate Philoſophorum, ac Scholaſticorum, & nonnullorum Patrum. Inter Philoſophos perſpicuè Ariſtoteles videtur agnouiſſe, malitiam peccati commiſſionis ſitam eſſe in poſitiuo: quandoquidem 7 Eth.c.14.& c. de qualitate, & cap. de oppoſitis, & ſæpè alibi tradit bonum & malum morale eſſe propriè contraria. Atqui contrarietas eſt inter duo poſitiua. Ergo actus malus eſt poſitiuus, non minùs quàm bonus actus ei contrarius Cuiuſmodi porrò ſit ea contrarietas, nunc non ſum ſollicitus, ſed partim ſuprà attigi, partim infrà pleniùs ediſſeram, illud tantùm nunc vrgeo, Ariſtotelem veram contrarietatem agnoſcere inter bonum & malum morale.

Neque enim placet quod D. Thom. 1.p.q. 48. art. 1.ad 1.& 3. contra Gent. c.9. tradit nempe Ariſtotelem locis allegatis loqui ex ſententia Pythagoræorum, qui exiſtimabant bonum & malum eſſe naturas quaſdam, vt habetur ex 1.Met.c.5. Hoc dico mihi non probari, quia Pythagoræi Autore ipſomet D. Thoma 1.Metaph. c.5.lect. 9. non agebant de bono & malo morali, ſed de bono & malo phyſico, ſeu de principiis materialibus compoſiti naturalis. At Ariſtoteles manifeſte agit de bono & malo morali, nominatímque de Iuſtitia & iniuſtitia. Deinde aſylum illud reſponſionis, quo ſine alio fundamento, tantùm quia locus aliquis grauat reſpondentem, diuinatur Autorem ex aliena mente locutum, non videtur ſatis tutum vel firmum.

Apparentius eſt quod idem D. Thomas eo art. 1. notauit, & ex multis Philoſophi locis perſpicuum eſt: Nempe Ariſtotelem vſurpaſſe plerunque contrarietatem pro oppoſitione priuatiua. Sic enim 4. Metaph. t.4.& l.10.t.16. ait primam contrarietatem eſſe habitus & priuationis. Primam vocat hanc contrarietatem, quia reperitur in omnibus contrariis. Semper enim vnum eorum eſt deterius & imperfectius. Dici ergo poteſt, Ariſtotelem actus bonos & malos annumeraſſe contrariis, quia opponuntur priuatiuè. Sed contrà, quia Ariſtoteles duobus illis capitibus quæ ex librò Categoriarum prolata ſunt, diſertè agit de oppoſitione contrarietatis propriè dictæ, eàmque ſecernit ab oppoſitione priuatiua. Ergo verè ſenſit bonum & malum morale eſſe proprie contraria.

Et quidem prout ſunt bonum & malum morale, contra Vaſquem 1.2. d. 95. n. 63. & Becanum 1. 2. tract. 1.c.5.q.1.n.13.qui cenſuerunt Ariſtotelem non eſſe locutum de contrarietate boni & mali, vt ſunt formaliter bonum & malum morale, ſed de contrarietate entitatum bonitati & malitiæ ſubſtratarum. Hoc ſi vellet Ariſtoteles, perperam philoſopharetur. Neque enim nudæ entitates actuum moraliter bonorum & malorum opponuntur contrariè, ſed ſunt plerunque eiuſdem ſpeciei, vt patet in adulterio & legitimo matrimonij vſo; itémque in intemperata ſumptione cibi, collocata cum temperata ſumptione Vtraque enim eſt eſſentialiter cibi ſumptio, atque adeò nec contrarietatem habent, nec differunt ſpecie. Illud porrò Vaſquem ad illam Philoſophi detorſionem adegit, quòd exiſtimarit bonitatem & malitiam eſſe formaliter relationes. Inter relationes autem formaliter ſumptas, non inuenitur contrarietas. Verùm id nobis non faceſſit negotium, quia non admittimus moralitatem eſſe formaliter relationem, vt ſuo loco fuit expoſitum.

Eſt igitur iuxta Philoſophum vera contrarietas inter bonum & malum morale, cùm habituale tum actuale: (ſeruant enim inter ſe proportionem actus & habitus:) atque adeò vtrunque formaliter prout morale, eſt poſitiuum Subſcribunt Philoſopho Conimbr.d.5.Eth.q.1.art.2.ad 1. Portius l.an bonus quis vel malus ſponte fiat, c.14.Burlæus 2. Eth.tract.2.*in ipſo fine.* Gilbertus 1. Eth.c. 1. ad 2. contra primam concluſionem, qui ait *id clarum eſſe, & aſſeri à Nominalibus.* Angeſtus 1.de virt.c. 13.docum 1. Lego itidem apud Laërtium l. 7. in Zenone (pag 419.) iuxta Poſſidonium in primo moralis orationis vitium quoque eſſe quid ſubſiſtens, cùm virtuti opponatur.

Suffragium Scholaſticorum.

276. Conſenſerunt in eandem ſententiam plerique Scholaſtici, quarum aliquos proferre placet, vt liqueat immeritò hanc ſententiam à nonnullis ſeueriùs fuiſſe notatam, nec eam nuper excogitatam, ſed verè priſcam eſſe in ſchola. Tradidit eam Scotus, ſaltem quoad aliquas commiſſiones prauas, quod nobis ſatis eſt. Nam quodlibeto 18 art.1.*littera I.* diſtinguit duplicem malitiam, ſecundùm quam ait malum oppo-

poni

poni bono & priuatiuè & contrariè, quod Boëtij quoque autoritate confirmat, reiicientis ſententiam qua ſtatuitur iniuſtitiam eſſe tantùm priuationem Iuſtitiæ, & non formam Iuſtitiæ contrariam. Vna ergo malitia actuum prauorum iuxta Scotum eſt priuatiua: nimirum ea qua actus prauus fit non cum circunſtantia debita. Altera eſt contraria, qua actus fit cum circunſtantia indebita, & non minùs poſitiuè diſconuenit naturæ rationali, quàm actus honeſtus cum ea conueniat, vt ipſemet Scotus annotat. Qui manifeſtè quoad illam malitiam contrariam & poſitiuam diſconuenientiam, ſuffragatur ſententiæ à nobis poſitæ.

Quòd verò exiſtimat aliquas commiſſiones prauas, eſſe malas tantùm malitia priuatiua, eò quòd tantùm ſint malæ, quia non habent circunſtantiam debitam, non eſt conſequenter dictum. Reuera enim ſiue quis admittat actum prauum, quia non adhibet ei circunſtantiam debitam, ſiue quia adbibet indebitam, exercet vtrobique peccatum commiſſionis non omiſſionis, cùm non iubeatur agere, ſed ceſſare ab actu circunſtantiam rectam non habente. Igitur ſi actus habens circunſtantiam indebitam diſconuenit contrariè, poſitiuè repugnat naturæ rationali, quia ponit actum poſitiuum quem iubetur iuſſum facere, fatendum quoque erit, eum qui ponit actum non habentem circonſtantias debitas, quem iubebatur non ponere, diſconuenire poſitiuè naturæ rationali, non autem duntaxat priuatiuè.

Similem ceſpitationem notare licet in Mayronio, qui in 2. d. 43. q. 3. tradit actus intrinſecè malos, qui prohibentur quia ex ſe mali ſunt, fœdari malitia verè poſitiua. Malitiam autem, qua conſtituuntur commiſſiones prauæ, tantùm quia prohibitæ, ait eſſe relationem rationis. Vbi Mayronius in priore puncto ſententiam noſtram tradit: Id poſteriore autem non loquitur conſequenter. Quid enim intereſt ad variationem diſconuenientiæ, quòd lex remotè terminans diſſonantiam, ſit poſitiua, vel naturalis? Spectandus enim duntaxat eſt modus quo ſuppoſita lege ſit diſſonantia, qui vtrobique idem eſt, nempe per ipſas actuum entitates quarum poſitione interdicebatur. Impugnat diuerſam illam de actibus prauis philoſophandi rationem Rubionius in 1.d.35.q.1.

277. Vniuerſaliter ſententiam noſtram tradidiſſe videtur Ochamus, Scoti & ipſe quandoque pratiarius in 3.q.11.in dubiis circa 4.articulum principalem, *litera TT.* Videtúrque Ochamo ſubſcribere Almainus in 3.d.23 q.2.*in fine*. Item tract. 2. Mor.c.13.*in fine*, ita intelligit ſententiam Ochami & amplecti videtur. Aperte item in ſententia noſtra fuit Gregorius in 2.d.34.q.vnica. Nam articulo 2. concluſione 3. ait, peccatum quatenus diſtinguitur à malo abſoluto, eſſe peccatum, non quatenus habet priuationem, ſed quatenus eſt contra rectam rationem. Et licèt ibid concl. 1. contendat peccatum quatenus peccatum non eſſe vnam aliquam entitatem complexè ſignificabilem, quia ad peccati conſtitutionem multa & varia neceſſe eſt interuenire; tamen hoc non ſpectat niſi ad modum loquendi. At quoad rem ipſam Gregorius planè admittit quod intendimus, docetque id à quo formaliter in recto petitur denominatio peccantis, eſſe poſitiuum non priuatiuum.

S. Thomas pro eadem ſententia.

Mens S. Thomæ in hac parte non eſt vſquequaque perſpicua. Caietanus tamen contendit ſententiã noſtram eſſe Sancti Thomæ expreſſiſſimam. Sanè 1.2.q.19.art.1 ait bonum & malum morale eſſe per ſe differentias actuum in ratione actuum. Et ibid.q.18. art.5. ad 2.& q.72.art 1. rurſúſque q.2.de malo, art.1. & q.2. art.4.ad 8. affirmat ſpecies peccatorum commiſſionis vt peccata ſunt, non deſumi ex priuationibus (quippe per accidens ſe habentibus ad actus prauos,) ſed deſumi ex obiectis poſitiuis quæ ſe habent per ſe; ac proinde bonum & malum in moralibus eſſe differentias poſitiuas Et l.3. contra Gent.c. 9. ad 3. habet hæc verba. *Eſt igitur malum morale & genus & differentia, non ſecundum quod eſt priuatio boni rationis, ex quo dicitur malum, ſed ex natura actionis ordinatæ ad aliquem finem qui repugnat rationi. Sicut irrationale eſt differentia animalis, & non propter priuationem rationis, ſed propter talem naturam ad quam ſequitur remotio rationis.* Tandem in 2. d. 34.q. vnica, art. 2. ad 1. diſertè ait malum per ſe ſiue in abſtracto, quod ſuprà vocauimus malum ſimpliciter, opponi bono vt priuationem. At malum quod eſt in actionibus & habitibus, ait opponi bono vt contrarium: profértque in exemplum oppoſitionis huius contrariæ, atque adeò vtrinque poſitiuæ, oppoſitionem prodigalitatis & liberalitatis, itémque timiditatis & fortitudinis. Alia Sancti Doctoris in hanc rem loca ſignat Henriques l. de fine hominis, c. 5 *litera L.* Quòd verò plerunque D. Thomas, poſitiuæ rationi, in qua directè & formaliter ſita eſt prauæ commiſſionis malitia, adiungat priuationem ſaltem latè dictam, exponendum eſt de priuatione actum malum, eiúſque deformitatem moralem concomitante; non autem de priuatione formaliter pertinente rationem praui actus, ſiue omninò ſiue ex parte tantùm dicatur illum conſtituere. Quæ expoſitio apertè inſinuatur 1.p.q.48. art.1.ad 2.& 3. contra Gent.c. 9.

Caietanus eidem aſtipulatus.

278 Sed quòd Sancti Doctoris germanam mentem in aliqua verborum eius ambiguitate ſagaciter deprehenderit Caietanus, iuuat eius ſententiam excutere, quòd pro more ſubtiliter æquè ac obſcurè hac in parte philoſophatus, à non paucis eius placitum non peruadentibus ſuffigatur: vt operæpretium proinde ſit, quid ille reuera ſenſerit planum facere. Caietanus ergo 1.2.q.18.art.5. imitatus D. Thomam ibi ad 2.& 2.2.q.10.art.5.ad 1. duplex malum diſtinguit. Vnum quod ſit malum verè & propriè, ſeu malum abſolutè & ſimpliciter. Alterum verò quod ſit malum morale. Prius malum, ſiue malum ſimpliciter, in hoc membro accipitur vt generatim dictum, ac prout pertinens & ad genus naturale & ad genus moris: hoc ergo malum, vt notat Caietanus, eſt formaliter nihil, ſeu priuatio vel negatio boni debiti. Quamuis interdum hoc malum denominetur ens, quia apprehendimus nihil ad modum entis, vt latè in hanc rem philoſophatur D. Anſelmus l. de caſu Diaboli, c.11.

Malum autem morale iuxta Caietanum duplex eſt. Nempe priuatiuum, quod eſt ſimpliciter malum in hoc genere. Eſt enim ipſum malum ſimpliciter, non iam generatim ſumptum, vt in primo principali membro paulò antè propoſito ſed vt contractum ad materiam moralem Hoc eſt primum membrum mali moralis iuxta Caietanum. Poſterius verò membrum ait eſſe illum, quod eſt malum ſecundùm ſpeciem ſuam atque contrariè, eſtque reuera in ſe bonum; ſed alteri, hoc eſt naturæ rationali, eſt malum ac diſconueniens. Illi membro tribuit peculiariter Caietanus appellationem mali moralis, quia conſtituit alteram ſpeciem generis moris contradiſtinctam bonitati, nec refugit concedere hoc malum eſſe à Deo, cùm ſit poſitiuum. Radicem horum omnium ait eſſe, quod neceſſe ſit, in malo voluntatis actu inueniri bonum

aliquod verum vel apparens, quia nemo intendens in malum operatur. Et quia bonum illud non conſentit cum recta ratione, (vnde actionis labes & turpitudo,) neceſſe etiam eſt cerni in actu malo priuationem bonitatis alicuius ſpectantis ad rectam rationem. Quatenus ergo actus prauus fertur in bonum ſenſibile, habet ſpeciem poſitiuam ex qua dicitur malus contrariè; quatenus verò habet annexam priuationem bonitatis debitæ ob diſſonantiam boni ſenſibilis cum recta ratione, eſt malus priuatiuè.

Quædam in Caietano mollienda aut corrigenda.

Hæc loco citato Caietanus, quæ conteſtatur ſe non auſurum affirmare, niſi perſpiceret eſſe expreſſam Diui Thomæ ſententiam. Vbi aduerte, malum morale commiſſionis, iuxta Caietanum, non integrari ex duplici ratione formali partiali quarum vna ſit poſitiua: altera verò priuatiua: hoc enim non vult Caietanus: ſed tantùm duo illa mali genera ſecernit in eodem actu prauo tanquam concomitanter ſe habentia. Quod luculenter exponit 1. 2. q. 72. art. 1. §. *Ad euidentiam.* Itaque diſertè docet, & Diui Thomæ expreſſiſſimam eſſe arbitratur, ſententiam quam confirmamus: quamuis nonnulla extra hanc cauſam interſerat, quæ mihi non probantur. Quale eſt quod admittit in quouis actu malo eſſe veram priuationem rectitudinis debitæ: Et quod admittit malum morale eſſe à Deo. Abſit enim vt hac in parte ſuffragemur Caietano, niſi malum morale à Deo eſſe intelligat materialiter tantùm & fundamentaliter. Sed in re adeò horrida par ſanè fuerat vocis ambiguæ inuidiam declinare. Aliis quibuſdam Caietanum grauant Vaſques 1. 2. d. 95. c. 2. Suares d. 11. Met. ſ. 21. à n. 6. & Hieronymus à Rüa controu. 1. Scholaſt p. 1. concl. 2. & 3. quæ excutere prætermitto. cùm ex ſyncerè expoſita Caietani ſententia perſpicuum ſit, ea præter Caietani mentem eſſe, de qua plus ſatis.

Approbant Caietani ſententiam vnáque in noſtram veniunt Aquarius in 2. d. 37. concl. 9. & Med. 1. 2. q 79. art. 1. quem à Rüa ſuprà & Aquarius inconſtantiæ damnant. Verùm Medina poſteriore illo loco, tantùm negat ex Caietani ſententia ſequi quòd Deus ſit autor malitiæ, idque in Caietani ſententia vult aſſeri. Quod non eſt ſententiam Caietani abiicere, ſed interpretari vt par erat, & dignè Catholico Theologo eam tueri. In eadem cum Caietani ſententia fuit Victoria & Canus, vt liquet ex illis quæ Medina ad art. illum 6. §. *Tertia opinio* & § *Quarta opinio.* de vtroque refert.

Suffragium recentiorum, ac etiam quorundam Patrum.

279. Sententiam prætereà noſtram tradiderunt graues recentiores, vt Alphonſus Curiel 1. 2. q. 71. art. 6. dub. 1. Anton. Peres certam. 8. Scholaſt. p. 1. Zumel 1. 2. q. 71. art. 6 Veſton l. 3. de tripl. homin officio, c. 21. Torres opuſc. 11. diſp. 1. dub 7. Valentinus Herice 1. p. tract. 3. d. 27. n. 33. qui addit, hac tempeſtate iſtam ſententiam ferè omnium approbatione fuiſſe in Hiſpania confirmatam. Fuiſſe item ſuo tempore in noſtra ſententia graues Autores ſcribit Henriques l. 3. de fine hominis, c. 5. *litera L.* eámque Azor. t. 1. l. 4. c 2. *in fine*, à præproperis quorundam cenſuris vindicat. Et probabilem fatetur Salas 1. 2. tract. 13. d. 2. n. 19.

Nec proſus deſtituimur Patrum ſuffragio. Nam tametſi Patres Metaphyſicas peccati diſquiſitiones ferè neglexerunt in vnam eius eradicationem intenti; ac etiam ne Maneti, & Priſcilliano, antiquioribúſque Hæreticis ſuffragari viderentur, parciùs de peccati entitate locuti ſunt: Interdum tamen aliqua tradunt, ex quibus ſententia noſtra non obſcurè colligitur. Agnoſcunt enim actus mali contrarietatem cum lege diuina, quæ contrarietas niſi actus turpis ſit formaliter poſitiuus, conſiſtere non poteſt. Sed & D. Auguſtinus lib. de ſpir. & litera, c. 31. diſertè ait malam volitionem eſſe peccatum: & l. 12. Confeſſ. c. 11. habet hæc verba: *Hoc ſolùm à te non eſt quod non eſt. motúſque voluntatis à te qui es, ad id quod minus eſt, quia talis motus delictum atque peccatum eſt.* Quæ verba niſi violenter detorqueantur, apertè ferunt quod intendimus. Itaque Henriques l. de fin. homin. c. 5. n. 3. *litera L*, intrepidè hanc ſententiam D. Auguſtino tribuit.

Protulit duntaxat quæ ſpectant ad actum peccati, ſiue ad primam commiſſionem. Alia enim nonnulla & Diui Auguſtini & aliorum Patrum loca, quibus aſſeritur peccatum eſſe pugnam in Deum ac bellum & reſiſtentiam Deo factam, iuxta illud, *Quis reſtitit ei, & pacem habuit?* tametſi ſonare videntur non modò carentiam conſonantiæ, ſed etiam diſſonantiam poſitiuam, non faciunt reuera ad hoc inſtitutum: quandoquidem æquè cadunt in quodvis peccatum actuale, ac proinde etiam in omiſſionem prauam, quam liquet non eſſe formaliter rationem poſitiuam. Et idcircò vulgata peccati definitio ex D. Auguſtino 22. contra Fauſtum, cap. 27 qua dicitur peccatum eſſe dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei, minùs commodè in rem noſtram vrgetur ab Henrique ſuprà: quandoquidem ea definitio prauis quoque omiſſionibus communis eſt, vt omnes exponunt. Itaque ea quæ adduximus videntur aptiora. Satis multa de Doctorum ſuffragio pro noſtra ſententia. Placuit enim eam tam multiplici ſuffragio munire, quòd apud aliquos minùs trita aut etiam tuta ſit, nec defuerit quem non puderet, ſecuturam mox eius in tribunali eccleſiaſtico damnationem hariolari; & reipſa non nemo meticuloſorum, quòd hanc ſententiam apud vnum aut alterum recentiorum qui ſunt gregis Scholaſtici velut arietes, non offendiſſet; interdum ea voluerit, ad ídque conniſus ſit.

Prima ratio, ex vetatione entitatis poſitiuæ.

280. Pergo ad rationes. Primam duco ex eo quòd illud ſit formaliter malum, in quod directiſſimè cadit prohibitio. Nam ſicut illud eſt directè bonum, quod præcipitur: ita quod vetatur, eſt malum; nec ſanè vetaretur ſi bonum eſſet. Atqui quod vetatur præcepto negatiuo, eſt actus ipſe poſitiuus legi diſſonus. Ergo actus ille prout poſitiuus eſt, malus eſt. Et certè homo non tantùm eſt malus, quia non habet aliquid quod habere deberet: ſed etiam quia habet aliquid, quod deberet non habere; nempe opus malum in quod cadit præceptum negatiuum, ac proinde illud ipſum opus vetatur & malum eſt. Confirmatur, quia illud debet cenſeri formaliter malum, quod directè opponitur præcepto: Atqui id quod directè opponitur præcepto negatiuo iubenti omiſſionem vel vetanti actionem. eſt ipſa actio poſitiua, ſiue commiſſio Ergo ipſa eſt quæ eſt formaliter mala per ſuammet entitatem regulæ diſſonam.

Altera, ex eo quòd hæc malitia diuidat genus moris.

Secunda ratio ex eo petitur, quod nullum genus cōtrahitur ad ſpeciem aliquam per priuationem. Ar-

qui

qui malitia prauæ commiſſionis reſtringit ac diuidit genus moris, Conſtituitque ſpeciem eius honeſtati actuali oppoſitam. Ergo neceſſariò eſt ens poſitiuum. Sola maior eget explicatione potiùs quàm probatione. Nam quòd limitatio illa & completio generis poſitiui quæ per differentiam efficitur, nequeat a priuatione conferri, videtur per ſe perſpicuum. Minor igitur probatur, quia genus moris quod paſſim Autores memorant & ſine controuerſia agnoſcunt, diſtribuitur in actionem bonam & malam, tanquam in duas ſpecies oppoſitas. Et ſanè actus malus quatenus malus eſt, non ſpectat ad genus naturæ: ſpectat ergo ad genus moris. Sicut ergo nuſquam alibi habitus & priuatio habent rationem ſpecierum oppoſitarum eiuſdem generis; (nemo enim album & non album, lucem & tenebras, dixerit eſſe oppoſitas ſpecies, cùm idem genus non prædicetur de vtriſque, nec opponantur vt forma & forma, ſed tantùm vt eſſe ac non eſſe eiuſdem formæ:) ita neque hic admitti poteſt, bonitatem actualem eſſe formam poſitiuam, vt reuera eſt omnium confeſſione: malitiam verò actualem, quæ eſt altera moralitatis ſpecies bonitati oppoſita, eſſe priuatiuam. Nec eſt quòd quis obtendat omiſſionem malam. Hæc enim non eſt ſpecies generis moris directè & propriè, ſed tantùm per reductionem ad actum honeſtum, cuius eſt omiſſio.

281. Non me latet qua parte aduerſariis effugium pateat. Aiunt enim ſpecies generis moris eſſe actum bonum, & actum malum: quorum prior eſt purè poſitiuus, poſterior autem eſt actus poſitiuus priuationi ſubſtratus, & eatenus eſt ſpecies generis moris. Sed hoc eſſe duntaxat effugium, perſpicuè demonſtro. Vel enim formaliter actus ipſe ſubſtratus priuationi per entitatem ſuam, quatenus priuationi ſubſtratam, malus eſt; ita vt directè malitia ſit in ipſo actu eiuſque entitate, quamuis non abſque connotatione priuationis, extrinſecè ſe habentis ad malitiam: vel ſola priuatio cui actus prauus ſubſternitur, habet formaliter rationem malitiæ. Si primum dicatur, aduerſarij cauſa cadunt, habemuſque intentum. Si ſecundum, ratio propoſita perſtat inconcuſſa: Quia ſpecifica oppoſitio actuum moralium non debet ſtatui penes ſubiecta moralitatis, quæ ſpectant tantùm ad genus naturæ, ſed penes formas morales, à quibus actus conſtituitur in tali ſpecie moris. Ergo perperam aduerſarij ſub genere moris ſtatuunt ex vna parte actum honeſtum formaliter poſitiuum; ex altera verò ſtatuunt, eique opponunt actum malum, quem volunt eſſe formaliter negatiuum. Oppoſitio enim actuum, debet vtrobique eſſe penes formale, per quod vnuſquiſque eorum in tali ſpecie conſtituitur. Et perinde ſanè eſt ita philoſophari, ac dicere, coloratum qua tale, reſtringi ad hanc vel illam ſpeciem non ratione coloris, ſed ratione ſubſtrati. Tandem per illud debet actio praua conſtitui in genere moris, eſtéque ſpecies honeſtati actuali oppoſita, per quod eſt praua: Atqui eſt praua per ſolam malitiam, quæ priuatiua eſt iuxta aduerſarios Ergo per illam ſolam collocatur ſub genere & in ſpecie moris, non autem per materiale ſuum, ſiue per actum priuationi ſubſtratum. Itaque cùm genus moris nihil aliud formaliter ſit, quàm ordo quidam & quaſi reſpectus regulabilis per rectam rationem; ille autem ordo contrahatur ad vnam ſpeciem moris per rationem poſitiuam, neceſſe omninò eſt, vt ad alteram quoque ſpeciem contrahatur per rationem ſimiliter poſitiuam.

Ratio tertia, ex contrarietate actus boni & mali.

Tertiam rationem profero, ex contrarietate actus moraliter boni & moraliter praui. Duo namque illi actus ſunt ſub eodem genere, vt proximè vidimus, & ab inuicem maximè diſtant, ſeſèque mutuò ab eodem ſubiecto expellunt: potéſtque idem argumentum confici de ipſa formali vtriuſque moralitate. Atqui contrarietas non eſt niſi inter poſitiua. Ergo ſicut bonitas moralis eſt aliquid poſitiuum, ita & malitia.

282. Reſponderi ſolet, actionem malitiæ ſubſtratam opponi contrariè actui bono: malitiam tamen non opponi honeſtati actuali niſi priuatiuè. Sed hoc nullo modo ſatisfacit. Nam ſi ita eſſet, bonum & malum non eſſent formaliter contraria, ſed materialiter tantùm. Imò ne materialiter quidem contraria eſſent, quia idemmet actus materialis, poteſt ſucceſſiue & bonitati morali & malitiæ ſubſterni, vnde liquet idem eſſe vtriuſque materiale. Quòd ſi quis dicat, bonitatem quidem & malitiam non opponi contrariè, ſpectato nudè formali eorum, aut ſpectato nudè vtriuſque ſubiecto; opponi tamen contrariè ſi bonitas & malitia ſumantur vnà cum actu ſubſtrato, ſiue concretiuè, vt loquitur D. Thomas in 2. d. 34. q. vnic. art. 2. Facile erit hoc reiicere: nam contrarietas debet eſſe ſecundùm formas poſitiuas, vt tales ſunt. Quod patet ex ratione illius oppoſitionis, & comparatione ad cæteras. Ergo iuxta aduerſarios actus bonus & malus non ſunt contrarij penes rationem poſitiuam qua formaliter conſtituitur actus honeſtus, & priuationem, qua formaliter conſtituitur actus malus, ſed penes ſola ſubiecta vtriuſque moralitatis. Oſtenſum autem eſt, malitiam & honeſtatem non poſſe contrariè opponi ratione ſubiectorum ſuorum, ſiue ratione actuum materialiter ſpectatorum. Ergo dilutio difficultatis illi ſubiectorum oppoſitioni inædificata, inædificata, inanis eſt & commentitia.

Confirmatur, quia nihil eſt alteri contrarium quatenus cum eo conuenit, quaſi ratio propter quam contraria ſunt, eſſe queat illud quod eſt vtrique commune. Atqui malitia & bonitas conueniunt quoad ſubiectum, quod aduentu alterutrius moralitatis non mutatur phyſicè ſed idem intrinſecè perſeuerat. Ergo ſicut interna entitas actus praui, ante priuationis aduentum non habebat vnde ſubiret contrarietatem cum actu honeſto; ita neque poſt priuationis aduentum, habet vnde eam contrarietatem ſubeat, ſi præcisè ſumatur vt ſe habens materialiter ad priuationem Fatendum igitur eſt, entitatem actus praui formaliter abſque directo priuationis interuentu eſſe actui honeſto contrariam: ita vt ſicut iudicium verum & falſum differunt contrariè penes ſuas poſitiuas entitates, non attentis ad eam oppoſitionem priuationibus annexis; ita & actus bonus ac malus penes ſuas entitates poſitiuas contrarietatem ſortiantur.

Quarta ratio ex contrarietate extremorum peccatorum.

28.. Poſtremam rationem iſti affinem, duco ex contrarietate extremorum peccatorum, quam dimiſſis iis, quæ ex Caietano ſuprà poſita ſunt, breuiter in hunc modum efformo. Intemperantia & inſenſibilitas, quarum prior per exceſſum, poſterior per defectum eidem mediocritati virtutis Temperantiæ opponitur, ſunt vitia contraria vt omnes admittunt, & patet ex mutua expulſione, omnibúſque veræ contrarietatis ſignis. Neceſſe igitur eſt, vt actus quoque huiuſmodi vitiorum ſint contrarij, alioqui nullo modo opponerentur. Omnis enim oppoſitio, vel eſt inter duo poſitiua, vel inter vnum poſitiuum & alterum

tetum negatiuum. Nullam autem eſſe oppoſitionem inter duo negatiua vel priuatiua, conſtat ex Logicis rudimentis. Niſi igitur actus duo vitioſi opponantur contrariè, nullo modo opponentur. Nam oppoſitio relatiua eſt impertinens ad hoc negotium, nec iuuaret aduerſarios, cùm ſit inter duo poſitiua, quæ aduerſarij in hac re declinare omni ſtudio ſatagunt. Oppoſitiones item ex altero tantùm extremo priuatiuo vel negatiuo non habent hic locum, quia non eſt potior ratio, cur alterum peccatorum extremorum ſtatuatur formaliter priuatiuum, quàm oppoſitum. Præterquàm quòd baberemus intentum quoad illud extremum, quod ab aduerſarus ſtatueretur poſitiuum. Ergo aduerſarij, ſi ſaluam volunt actuum prauorum extremorum oppoſitionem, (quam ſanè diffiteri nulla ratione poſſunt,) adiguntur admittere, actus illos eſſe contrarios: Et quidem formaliter quatenus prauos; nam aliter ſpectari poſſunt eſſe iidem ſpecie. In genere ſiquidem naturæ, duæ cibi ſumptiones, vna immoderata, altera deficiens, non differunt ſpecie; ſed differunt tantùm & opponuntur in genere moris: ac proinde non quatenus actus ſunt, ſed quatenus actus diuerſimode mali.

Obiecta ex Patribus, & influxu Dei in peccatum, aliiſque munitioribus.

Sic expoſita & variè communita veritate, reſtant depellenda quæ in eam intorquentur. Plurima & magnam partem infirma profert Salas 1.2.tract.13.d.2. à n. 19. Quæ alicuius momenti videri poſſunt, tria duntaxat ſunt. Primum autoritas SS. Patrum quæ homini Catholico ſumma eſſe debet. Atqui Patres infinities & perſpicuè ſtatuunt malitiam prauæ commiſſionis, ac etiam vniuerse omnem malitiam, eſſe priuationem. Luculenter D. Dionyſius c.4. diuin. nom. vbi præter cætera in hanc rem expreſſiſſima, appellat malum *deſertum perfectionis*. Quod miratus eſt S. Baſilius in conſtit. Monaſt. c.3. S. item Ambroſius lib. de Iſaac. c.7. allegatus à D. Auguſtino 1. contra Iulianum, *in fine* ita loquitur *Quid eſt malitia niſi boni indigentia?* Conſentit latè Nyſſenus in orat. catechet. à c.5. Auguſt. in Enchir. c.25. & l.3. Confeſſion. cap.7. & aliis locis, quæ collegit Gregorius in 2 d.34.q. vnica, art. .concl.1. Expreſſiſſimè & frequentiſſimè D. Anſelmus: ſed præſertim l. de caſu Diaboli, c.16. & 20. & de conc. Virgin. à c.4. & l. 2. epiſt.8.

Secundum eſt, quòd ex hac doctrina videatur ſequi Deum eſſe peccati autorem, iuxta peſtilentiſſimam, & vel ipſis Dæmonibus horrendam Caluini vocem. Deus enim cùm ſit prima cauſa, cui omnes ſecundæ ſubordinantur, eſſentialiter eſt cauſa omnis poſitiui. Itaque ſi peccatum commiſſionis eſt formaliter poſitiuum, perſpicuè ſequi videtur, Deum eſſe cauſam peccati, quod vel cogitare horret animus.

Tertium eſt, quia nihil poteſt eſſe malum ratione ſuæ bonitatis & perfectionis: ſed tantùm quia non habet quod habere debet, vt diſcimus ex artefactis, quæ non minùs à dictaminibus artis pendent, quàm actus morales à directione prudentiæ. Hæc, vt dixi, ſunt præcipua tela quæ ab aduerſariis in ſententiam propoſitam diriguntur: cætera enim nullius ſunt momenti, & iis diſcuſſis per ſe concident. Sed neque iſta adeò firma ſunt, vt euerti nequeant.

Patres multipliciter expoſiti.

284. Ad primum, dico Patres maxima ex parte cùm negant malum eſſe aliquid, vel habere eſſentiam eaut eſſe rem vel naturam, ſumere hæc nomina pro re ens ſubſtantiali, qui eſt etiam quandoque earundem vocum vſus apud Ariſtotelem; vt cùm ait, proprium eſſe ſubſtantiæ quòd ſit *hoc aliquid*; Et cùm naturam definit, *Principium primum motus, &c.* quæ in accidentia non cadunt. Quia ergo Manes, referente D. Auguſtino hæreſi 46. (& paſſim tomo 6.) ac S. Leone epiſt. 95. nec Manes tantùm, ſed alij etiam anteriores Hæretici, nempe Marcion, Appelles, Gnoſtici, ac poſteà etiam alij, quos refert Caſtro V. *Deus*, hæreſi 1. præeuntibus Ethnicis quibuſdam in naturali Theologia adductis d.7. num. 162. acritérque à D. Athanaſio reprehenſis orat. aduerſùs idola, *ferè initio*, comminiſcebantur Deum quendam ſubſtantialiter malum; inſupérque ſubſtantias aliquas ſuapte natura malas inueniebant, vt refert idem Caſtro V. *Malum*, hæreſi 2. Quia inquam hi errores ab ipſis Eccleſiæ cunabulis diſſeminari cœperant; propterea Patres ſæpè docent, malum nullam habere eſſentiam, nec eſſe aliquid & nullam habere naturam; id eſt, non eſſe ens ſubſtantiale: praua enim commiſſio quæ ſola eſt poſitiua, non eſt niſi accidens.

Sic Serapion Epiſcopus Thmueos l. contra Manich. (habetur t. 4. Biblioth. Colon.) ita loquitur. *Eſt igitur vitium expers ſubſtantia, & non per ſe exiſtens, actio potiùs quàm eſſentia ſiue ſubſtantia, & actio ex electione ægrotante proficiſcens.* Cùm item Pelagius apud D. Auguſtinum l. de natura & grat. c. 64. retuliſſet locum Diui Chryſoſtomi aſſerentis peccatum non eſſe ſubſtantiam, ſed actum malignum, ſubiecit S. Auguſtinus, *Quis hoc negat?* Quo eodem ſenſu Autor hypognoſtici l. 1. *in ipſo fine*, ait peccatum eſſe actum, non autem rem: vſurpato *res* nomine pro perſona quæ vinci & damnari poſſit. Eóque recidit quòd interdum Patres negantes peccatum eſſe naturam, vſurpant *naturam* pro vi principatiua alicuius operationis diuinitùs incerta, vt ex Damaſceni libro contra Monophyſitas notauit Turrianus ad c. 3. Sancti Diadochi; quo loco Sanctus hic Pater negat peccatum eſſe naturam, aitque non eſſe, niſi tantùm cùm agitur. Locus Damaſceni ex Orat. 2. de imag. hoc apertè fert. Ait enim. [Veritas, malum non eſſentiam eſſe, ſed accidens tradit; cogitationem quandam nimirum, & ſermonem, & actionem à Dei lege recedentem. In eo namque quod cogitatur & dicitur: & fit, habet eſſentiam; & ſimul atque ceſſatur, euaneſcit.] Simplicius in c. 34. Enchir. Epicteti, *in fine*, obſeruat idcircò negari morale malum eſſe naturam, quòd non ſit ſecundùm naturam rationalem, ſed ei diſconueniat.

285. Aliter exponendi ſunt nonnulli Patres, qui non tantùm dicunt, malum non eſſe ſubſtantiam atque naturàm, ſed etiam vniuersè docent malum quodcunque nihil eſſe: Et ſpecialiter affirmant malum morale eſſe priuationem boni, vel abſentiam boni. Hos Patres conſtat aliter exponendos eſſe. Nempe vel ita vt nomine priuationis intelligant receſſum à regula, qui habet rationem quandam priuationis, non Phyſicæ, ſed Moralis quæ poſitiua eſt, vt philoſophatur Leſſius l.13 de diuin. perfect. num. 182. vel ita vt tantùm agant de peccato habituali, quod formaliter eſt nihil. Vel ita vt eorum dicta ad commiſſionem prauam reſtricta, (de ea enim ferè loquuntur;) pertineant tantùm ad malum ſimpliciter actibus adiunctum; ſiue ad priuationem aut negationem actui internam, in quo ſenſu hos Patres accepit Gregor. in 2. d.34.q vnica art. 1. concl.1. Aut certè ita vt vera tantùm ſint in ſenſu cauſali, ratione priuationum quas praua commiſſio infert. Quod præſertim valet pro S. Dionyſio in longa diſputatione de malo, quæ habetur cap. 4. diuin. nomin. Reuera enim per peccatum plurimæ nobis inferuntur priuationes, præſertim in hoc ſtatu naturæ ad gratiam ſubuectæ ac reparatæ,

paratæ, quem vnum conſiderabant Patres. Eas priuationes plena concione ediſſerit Carolus Regius l. 9. Orator. Chriſt. c. 32.33.& 34. Sanè peccatum, ſi ſit graue, priuat nos gratia & charitate: ſi ſit veniale, priuat feruore charitatis, & nitore illo qui minutarum illarum ſordium excuſſionem conſequitur. Quodcunque autem ſit, priuat nos ordine naturali, vt rectè notat Greg in 2.d.34.q. vnica, art. 1. ad 2. contra 1. Addendum eſt, priuare quoque ſtatu illo quem habet natura rationalis negatiuè munda & libera peccatorum illuuie ac fæcibus. Id enim ad priuationem à re diſconuenienti inuehendam poſſe ſufficere, notatum rectè eſt à Suare t. 4.3. part d. 46. ſ. 2. n. 22.

Patres ergo ſollicitiores vt excitaremur ad vitandum peccatum, quàm vt metaphyſicè naturam eius perſuaderemus; (Chriſtum videlicet imitati, quem S. Petrus apud Clementem 3. rec. prodit, docuiſſe mundum non quæ natura ſit peccatum, ſed horrere peccatum;) grauiter ac ſtudioſè inculcant nobis priuationes quas peccati lues procreat. Non quòd peccatum ſit formaliter ſitum in huiuſmodi priuationibus, ſed quòd eas inuehat tanquam conſectaria iuſtáque ſtipendia. Sicut ſi quis diceret, bellum & rixam nihil aliud eſſe quàm priuationem totius commodi publici, excidium tranquillitatis, deſolationem virtutum, non idcircò cenſendus eſſet aſſerere, bellum eſſe formaliter priuationem. Item ſi quis diceret, *quid eſt morbus niſi ſanitatis priuatio?* locutio perſpicuè eſſet cauſalis. Nam certum eſt, aliud eſſe non ſanitatem, quæ eſt in quouis ægroto, & in ſtatu neutro mediorum, aliud morbum. Hoc tamen ipſo exemplo D. Auguſtinus c. 11. Enchir. declarat quomodò peccatum ſit priuatio boni. Sed & S. Fulgentius l. de fide ad Petrum, c. 21. cùm dixiſſet malum nihil eſſe aliud quàm boni priuationem; exponit id exemplo pœnæ ſenſus. At quis non videt pœnam ſenſus non poſſe niſi cauſaliter appellari priuationem boni aut voluntatem?

Expenſione portè dignum eſt circa hanc reſponſionem, Patres nunquam aut infrequentiſſimè meminiſſe priuationis illius, in qua Scholaſtici cum quibus agimus, collocant rationem formalem peccati; nempe priuationis rectitudinis debitæ: Sed generatim tantùm dicere, peccatum eſſe priuationem gratiæ, vel abſentiam boni, aut naturæ corruptelam, qui ſunt peccati fructices per quos illud deſcribunt. Sicut Chryſippus apud Gellium l. 6. c. 1. ait Iuſtitiam nihil aliud eſſe, quàm priuationem iniuſtitiæ, vtique per eam negationem deſcribens Iuſtitiam, etiamſi non in ea ſitam.

286. Subiicio alteram expoſitionem in pleraque item Patrum loca aptè cadentem, quam eruo ex Petri Damiani opuſc. 36. c. 9. vbi frequenter repetit, peccatum etiam cùm videtur eſſe, non eſſe, quia non eſt à Deo. Vnde infert, peccatum eſſe quidem ſuperficie coloris, non autem iudicio veritatis; & nihil eſſe, cùm videtur aliquid, nihil quidem apud teſtimonium veritatis, aliquid in vmbra caliginis. Id eſt, ſecundùm naturalem æſtimationem & phyſicam conſiderationem, aliquid reuera eſſe. Secundùm prudens tamen iudicium diuino conforme, nihil cenſeri in re poſſe peccatum, quod & tam fugax eſt, támque deſpectum, & vt paſſim de huiuſmodi rebus loquimur, tam nihili. Refero ad hunc ſenſum verba Autoris hypognoſtici l. 1 *ſub finem. Solet dici à plurimis, dum aliquid deſpicitur, aut pro paruo æſtimatur, vel certè quod penitùs non ſit, nihil eſt*, Plerique ergo Patres, in peccati deſpectum, aiunt peccatum eſſe nihil. Non quòd intendant negare prauis commiſſionibus rationem poſitiuæ entitatis; ſed quod velint, peccatum quodcunque, tametſi vmbram interdum aliquam ſuauitatis vel vtilitatis obtendat, eſſe dignum deſpectione, nec conſectandum, ſed auerſandum & deteſtandum eſſe.

Aliam prætereà expoſitionem ſubminiſtrat S. Athanaſius l. de Incarn. Verbi & corpor. eius aduentu, *ſub initium*, dicens: *Mala non entia dicenda ſunt: bona autem, entia; vt quæ Deum autorem ſui habeant*. Agit eo loco S. Athanaſius de naturæ humanæ deprauatione facta per peccatum; aítque homines cùm per diuinam gratiam futuri eſſent quod ſuaptè natura non debebant eſſe, nempe immortales, & eſſe ſuum ſemper retinentes, diuinúmque eſſe iuge & perpetuum eo gratiæ beneficio vtcunque æmulantes, peccando excidiſſe ea prærogatiua naturæ indebita, & auerſos à Deo fonte puriſſimo totius eſſe, recidiſſe in ſuum nihilum, exutos ſempiterna eſſendi natura, quandoquidem à Dei imitatione deſciſcere, mala operando delegerant. Aio igitur, hinc peti poſſe idoneam gloſſam plerisque Patrum locis, quibus aſſeritur mala moralia non eſſe entia, eò quòd ſcilicet non ſint ex Dei imitatione, & Deum nulla ratione autorem habeant, nôſque ab optimi exemplaris imitatione deſciſcentes, pertrahant ad nihilum, exuántque diuina prærogatiua obuentura per gratiam, vt explicatum eſt. Quò ſpectant quæ dicemus tradentes generalia vitiorum alexipharmaca, & oſtendentes hominem peccando elongari ab eſſe, & ad nihilum accedere: non quòd aliqui defectus morales non ſint poſitiui; ſed quòd quicunque tandem ſint entitatiuè, alieni ſint ab eſſe primario, & hominem ab illo abducant grauiter aut leuiter pro quantitate malitiæ illis implantatæ.

287. Illuſtrare hoc licet inſigni loco eiuſdem Athanaſij orat. aduersùs idola *ſub initium*, vbi aliquoties repetit, hominem peccando auerti à melioribus ad quæ tendere debebat, & eatenus confingere ſibi commenta quæ nulla ſubſiſtant eſſentia: auerti inquā per motum contrarium illi quo conueniebat illum ferri ad res Deo gratias: Hoc ipſum enim appellat motus illos ad malum nulla ſubſiſtere eſſentia. Ipſum Athanaſium ex parte adſcribo. *Mens cùm mobilis agiliſque natura ſit, etſi ſeſe à bono auerterit, à motu tamen non conquieſcit. Mouetur igitur, ſed iam non ſecundùm veritatem; neque Deum ſpectat, ſed res nihili, eáſque veras ac ſolidas arbitrata eſſentias, vires ſuas occupat; iiſque ad eas quas commenta eſt voluptates abutitur, ideò quòd libera ſit & ſui arbitrij. Poteſt enim vt ad bona ſe inclinare, ita bona quoque auerſari. Ceterùm vbi bonum auerſata eſt, omnia contraria imaginatur & cogitat; quippe quæ à motu conquieſcere nequeat, quum natura, vt dixi, perquàm mobilis ſit. Quæ cùm liberum ſui ius arbitriúmque intuetur, ſentit ſe in vtranque partem corporeis membris vti poſſe, tum ad eas quæ ſunt, tum ad ea quæ non ſunt. Ea autem quæ ſunt, appello bona; quæ non ſunt, mala. Quæ ſunt, ideò à me vocantur bona, quoniam à Deo qui eſt eſſentia ipſa, exemplar trahunt. Quæ non ſunt, mala nuncupamus, eò quòd cum nulla eſſentia ſubſiſtant, hominum commentis, effecta ſint.* Et infrà. *Neceſſum eſt veritatem Eccleſiaſtici dogmatis exſplendeſcere; Nullum malum nec à Deo, nec in Deo, nec ab initio extitiſſe, nec vllam eſſe eius ſubſtantiam. Sed homines per priuationem imaginandi cogitandique boni, ſibi illud quod malum eſt, comminiſci inceperunt, effinxerúntque pro libidine ea, quæ non erant. Vt enim ſi quis Sole præſente, & vniuerſa terrarum ſuo iubare illuſtrante, conniueat clauſis oculis, ac inde tenebras quæ nulla ſunt, animo fingat, ac poſtmodum quaſi in tenebris ambulans oberret; vt nunc lapſante gradu procidat, nunc ad præcipitia ſeſe inciat, arbitratus interim non lucem, ſed tenebras eſſe, ſéque intueri, quū nihil videat: Ita quoque mens humana clauſis oculis, quibus Deum contemplari poterat, effictis*

ſua imaginatione malis, in iis ſeſe agitat ac mouet, inſciam interim ſe nihil agere, dum ſe maximè negotioſam præbet. Et quæ natura non ſubſiſtunt, animo comminiſcitur. Non enim qualis à principio condita fuit, talis permanet, ſed qualem ſeipſam contaminando reddit. Condita enim eſt, vt Deum ſpectet, & ab illo illuſtretur: Ipſa verò pro Deo mortalia & tenebras exquiſiuit, vt alicubi Spiritus ſcripto prodidit. Deus hominem rectum fecit; ipſi autem exquiſierunt multiplicia commenta. *Malitia igitur inuentio & excogitatio, hominibus ab initio ita excitata & confiẟta eſt.* Ad huius expoſitionis confirmationem & illuſtrationem fecit, quòd creaturæ apud SS. Patres, (ac etiam apud Philoſophos, vt videre eſt de Platone apud Iuſtin. orat. ad gentes, & Senecam epiſt. 58.) dicuntur non eſſe; quia præ Deo, ob mutabilitatem ſuam cenſentur ac ſi non eſſent, quas tamen poſitiuè eſſe, non licet ambigere.

Specialis diſcuſſio quorundam D. Auguſtini locorum.

Nulla ex prædictis reſponſionibus videtur aptari poſſe ad quædam Diui Auguſtini loca, quibus aſſerit peccatum eſſe nihil, ideóque non exigere cauſam efficientem, ſed deficientem. Ita habet 12. Ciuit. c. 7. *Nemo quærat efficientem cauſam malæ voluntatis. Non enim eſt efficiens, ſed deficiens; quia nec illa effectio eſt ſed defectio. Deficere namque ab eo quod ſummè eſt, ad id quod minus eſt, hoc eſt incipere habere voluntatem malam. Cauſa porrò defectionum iſtarum, cùm efficientes non ſint, vt dixi, ſed deficientes; velle inuenire, tale eſt, ac ſi quiſquam velit videre tenebras, vel audire ſilentium: quod tamen vtrumque nobis notum eſt; neque illud niſi per oculos, neque hoc niſi per aures, non ſanè in ſpecie, ſed in priuatione. Nemo ergo ex me ſcire quærat, quod me neſcire ſcio, niſi fortè vt neſcire diſcat, quod ſciri non poſſe ſciendum eſt. Ea quippe quæ non in ſpecie, ſed in eius priuatione ſciuntur, ſi dici aut intelligi poteſt, quodammodo neſciendo ſciuntur, vt ſciendo neſciantur.*

Idem disertè tradit l. 2. de lib. arbitr. c. 59. Denique idem ſæpè alibi iterat: agitque apertè de peccato actuali, non de habituali; nec agit de malo ad ſenſum Manichæorum & Gnoſticorum, vel de aliquo effectu priuatio peccati, ſed perſpicuè agit de commiſſione praua, quam ſumptam vt ſic, negat habere cauſam efficientem, eò quòd ſit nihil

288 Hæc Auguſtini loca ita expoſuit Gregorius in 2. d. 34. q. vnica, art. 2. *ad* 3. *contra* 3. vt ſenſus tantùm ſit, voluntatem ſponte & gratis à Deo auerti, & cudere actum malum ſuperuacuè & ſine cauſa. Hoc ipſum enim eſſe putat Gregorius quod ait D. Auguſtinus, peccatum non habere cauſam. Sed quamuis id veriſſimè dicatur, certúmque ſit, nihil tam ſuperuacuè támque ſine cauſa fieri, quam peccatum: Tamen non videtur ea expoſitio quadrare in citata D. Auguſtini loca, quibus ratio cur peccatum cauſam non habeat niſi deficientem, ex eo ducitur, quòd peccatum ſit nihil, aut ſit priuatio.

Accommodatius itaque videtur quod dixit Mayronius in 2. d. 43. q. 4. *in fine*: Nempe actum prauum quatenus prauus eſt, dici habere cauſam deficientem non efficientem; id eſt cauſam exorbitantem à ſemita cui debuerat inſiſtere. Non quòd cauſa poſitiuè deficiens & exercens commiſſionem prauam, non efficiat aliquid: ſed quòd actus quem efficit, ſumptus entitatiuè potuerit effici abſque exorbitatione, & defectione à regula per libertatis præcluſionem. Idcircò enim cauſa à qua prodit ea exorbitatio, & formalis diſſonantia quæ tali entitati ob defectionem à regula adiungitur, eo modo quo relatio poſito termino dicitur adiungi fundamento; dicta eſt cauſa deficiens non efficiens, fauente præſertim vocum contrapoſitione, quam Diuus Auguſtinus conſectari ſolet. Cum hac Auguſtini expoſitione, rectè quadrat ratio quam ab eo ſubdi diximus; nempe quòd peccatum habeat cauſam non efficientem, ſed deficientem, quia eſt nihil. Nam malitia prauæ commiſſionis cùm nihil reale diſtinctum addat ſupra phyſicam actus entitatem, quæ poteſt eſſe abſque malitia, rectè dici poteſt non effici; nempe per ſe, atque adeò eſſe nihil, quia non eſt aliquid per ſe factibile; nec intenditur directè, ſed fit tantum à cauſa declinante & deficiente, in quo differt ab honeſtate, quæ nihil item addit actui ſupra genus naturæ, nec eſt propriè per ſe factibilis: Et nihilominus non dicitur eſſe nihil, quia intenditur ab operante, fitque ab eo abſque exorbitatione.

Omitto familiare eſſe, vt qui malè ſe geſſit, nec rem ad deſtinatum finem perduxit, dicatur defeciſſe, non effeciſſe, & quòd nihil fecerit: id eſt quòd non fecit quæ facturus ſperabatur, aut facere debebat, quamuis reuera aliquid effecerit. Quod Scripturarum quoque loquendi vſu receptum eſſe, notat Sancius in cap. 2. Oſeæ, n. 39. Facilè ergo dici poſſet, S. Auguſtinum, modos loquendi Scripturarum æmulantem eodem ſenſu eſſe locutum locis allegatis. Sed alia expoſitio, quæ in D. Auguſtino fundamentum apertè habet, videtur commodior.

Clauſula reſponſionum ad loca Patrum.

289. Tam multa de Patrum mente in hoc negotio adduxi, quia pleriſque eorum autoritas faceſſiuit negotium: Cùm ex vna parte tam luculenta & in ſpeciem valida Patrum loca occurrerent, ex altera verò rationes quibus enodandis impares ſeſe agnoſcebant. Et annuo ſanè rectè ab eis ſuccumbendum potiùs fuiſſe autoritati Patrum, quàm rationibus, ſi commoda & idonea ratio Patribus ſatisfaciendi, (qualem multiplicem ſubminiſtrauimus,) non occurriſſet. Nam homini Catholico, pluris eſſe debet communis Patrum conſenſus, quàm omnium humanarum rationum apparens firmitas. Certum quippe eſt, viros & ingenio & doctrina præcellentes, præſertim verò diuinitùs colluſtratos à veritatis orbita non deflexiſſe. Et in hoc à Sectariorum typho diſcrepat Catholica humilitas, quod Sectarij qua ſunt ſui ipſorum exiſtimatione imbuti, Patres præ ſe nihil faciunt, imitati priſcos Hæreticos, in quibus latè id arguit Anaſtaſius Sinaïta *c. 7. ducis viæ*. Catholici autem Sanctis Patribus in vnum aliquod placitum conſentientibus deferunt, quantum Spiritus ſancti organis. A qua in eo obſeruantia, abſit vt deſciſcere vel tantillùm velimus. Itaque cùm in hac cauſa pleriſque prætenſa Patrum autoritas fucum fecerit, placuit non indiligenter exponere, in quem ſenſum accipienda ſint dicta Sanctorum Patrum affirmantium peccatum eſſe nihil, aut eſſe defectum vel priuationem bonitatis.

Nec dubito quin expoſitiones traditæ ſint reipſa ad mentem Patrum, non quod omnes cenſeam æquè poſſe ad omnia loca accommodari, ſed quòd pro ſubiecta materia, nunc huius modò illius in rem præſentem vſus eſſe poſſit. Quod ſi vnus vel alter ex Patribus commodam expoſitionem non pateretur, nec poſſent ad eum vllæ ex propoſitis ſolutionibus aptari, (quod vix crediderim), non idcircò eſſet de contraria ſententia deſperandum. Licet enim, ſalua reuerentia debita, ab vnius vel alterius placito diſcedere, cùm potentes rationes in contrarium vrgent, & omnia

nia ſalua ſunt in negotio fidei. vt hîc contingit. Similitérque ſi interdum Patres aliqui argumentantes aduersùs Manetem, probant peccatum non aſſe ſubſtantiam, qnia ne poſitiuum quidem aliquid eſt, ſed priuatio & nihil, admittenda eſt Patrum illorum ſententia & concluſio; repudianda autem probatio, vbi nulla prædictis Patribus iniuria irrogatur.. Quandoquidem Conciliorum quoque probationes interdum repudiantur, quamuis definitio & ſententia ſit indubitata.

Ad difficultatem ex ſecuturo influxu Dei in peccatum.

290. Secundus in ſententiam noſtram aries erat, quòd ex ea ſequi videatur, Deum concurrere ad peccatum commiſſionis; quod quamuis impij aliqui Sectarij non exhorruerint, eſt tamen adeo immane, vt vel ipſius aëris contaminatio à tam terra voce timenda ſit. Longè verò alia mens fuit Catholicis quibuſdam, vt Ochamo in 3.q.12.*litera YY*, Mayronio in 2. d 43.q.4.& Caïetano 1.2, q.79.art.2. cùm admiſerunt Deum eſſe cauſam peccati commiſſionis. Nam quamvis locutio illa non ſit caſta, ſitque omninò repudianda; tamen ſenſus ab Autoribus eam vſurpantibus intentus, veritatem continet. Tantùm quippè voluerunt Deum ſub vna aliqua formalitate & conſideratione influere ad actum peccati, non quatenus malus eſt, ſed quatenus ens Phyſicum eſt. Quæ doctrina ab omnibus ſtatuitur contra Durandum, vt infrà dicam, tractans malitiæ eductionem è ſuis fontibus. Cùm igitur indubitatum planè ſit, (vt eodem loco planum faciam,) Deum nullo modo concurrere ad peccatum formaliter provt peccatum, ingens omninò difficultas ſententiam noſtram primere videtur, ex eo quod omnibus contra Durandum Doctoribus vnanimiter conſentientibus, certum ſit, quodvis ens creatum à Deo produci. Atqui in noſtra ſententia peccatum commiſſionis formaliter & quatenus peccatum, eſt ens poſitiuum. Ergo vt ſic, efficitur à Deo.

Retorquetur in Aduerſarios.

Hanc difficultatem plenè excutiam infrà exponens cauſas mali moralis. Nunc in primis dico, eam æquè vrgere contra eos qui aſſerunt peccatum commiſſionis eſſe formaliter priuationem, ac contra nos, qui dicimus eſſe ens poſitiuum. Sic enim aduerſarij contra argumentantur. Peccatum commiſſionis ſi non eſt priuatio, eſt aliqua ratio poſitiua. Atqui omnis ratio poſitiua eſt à Deo. Ergo peccatum commiſſionis eſt à Deo. Quòd ſi quis reſpondeat, commiſſionem prauam non eſſe à Deo niſi materialiter & entitatiuè; inſtant & probant eſſe quoque à Deo formaliter, & provt praua eſt: quia ex tali entitate, poſita aduertentia & deliberatione. (quæ ſupponitur non abeſſe,) pullulat peccati formalitas ſiue turpitudo: Atqui quis efficit fundamentum, eſt etiam cauſa formalitatis inde reſultantis. Ergo Deus, cùm cauſet fundamentum formalitatis peccati, eſt etiam cauſa turpitudinis peccati provt peccatum eſt, nec tantùm materialiter provt eſt actio quædam.

Hoc argumentum ſic retorqueo. Quiſquis eſt cauſa fundamenti ex quo per ſe reſultat priuatio, eſt cauſa priuationis, eo modo quo priuationes cauſari poſſunt. V. G. quiſquis claudit feneſtram, vel remouet corpus luminoſum, eſt cauſa tenebrarum, quia tenebræ non habent aliam cauſam, quàm eam quæ apponit illud ex quo ipſæ per ſe ſequuntur. Atqui fundamentum ex quo per ſe ſequitur malitia, eſt entitas actionis deliberatæ. Ergo Deus, qui eſt cauſa talis entitatis fundantis priuationem illam, eſt etiam cauſas priuationis illius. Quòd ſi aduerſarij reſpondeant, Deum quidem eſſe cauſam entitatis ex qua pullulat priuatio conſtituens formaliter malitiam, nec tamen eſſe cauſam peccati, quia non eſt cauſa illius entitati quatenus ipſa eſt fundamentum priuationis, ſed præcisè quatenus eſt entitas: Reſpondebimus nos quod que, etiamſi formale prauæ commiſſionis ſit aliqui poſitiuum; tamen Deum non eſſe Autorem & cauſam formalis prædicti: quia non eſt Autor illius poſitiui quatenus peccatum eſt, ſeu quatenus ex ea entitate exurgit formalitas turpitudinis, ſed præcisè quatenus eſt entitas quædam. Itaque difficultas propoſita quæ pleroſque à noſtra ſententia abſterruit, æquè locum habet in ſententia quæ ſtatuit formale prauæ commiſſionis eſſe priuationem, & æquè ab omnibus enodanda eſt.

Soluitur directè.

291. Directè autem reſpondeo, commiſſionem prauam, dimiſſa nunc priuatione illam aſſectante aut conſequente præcisè quatenus poſitiuam, poſſe duobus modis conſiderari: Nempe materialiter & formaliter, ſiue vt entitas quædam eſt, cuiuſmodi etiam eſſet ſi fieret indeliberatè, aut per vim illatam; ac vt entitas praua eſt & regulæ diſſona. Priore modo ſpectata praua commiſſio, eſt ſine dubio à Deo, in quo omnes nunc Doctores contra Durandum conſentiũt. Sumpta verò formaliter, non eſt à Deo, ſed tantùm à cauſa creata. Quod non eſt admittere dari rationem aliquam poſitiuam quæ Deus non ſit, & tamen à Deo non fiat; quia ea ratio poſitiua, non eſt diuerſa ab ipſa ratione materiali & entitatiua, quam admiſimus à Deo effici. Spectata tamen formaliter, non fit à Deo, quia vt ſic dicit ordinem eſſentialem ad modum operandi creaturæ liberæ cui Deus cooperatur, & ex eo operandi modo reſultat.

Nonnulla in hanc rem exempla adduxi in Naturali Theologia, d.1.n.51. quibus nunc addo aliud non minùs efficax, nempe ipſiuſmet actionis à Deo & creatura manentis. Reſpicit enim eſſentialiter vtranque illam cauſam ſuam; ita vt huic numero actioni non ſit accidentarium pendere ab hac numero cauſa, ſed planè intrinſecum & eſſentiale. Et nemo non videt vtrumque reſpectum eſſe poſitiuum. Actio enim provt eſt à creatura, non eſt aliquid negatiuum vel fictitium, & tamen actio formaliter provt eſt à creatura non eſt à Deo, vt euidentiſſimum eſt, quia vt ſic reſpicit ſolam cauſam ſecundam. Sufficit tamen quòd hæc ipſa formalitas entitatiuè & identicè ſit à Deo. Nam eo ipſo ſufficienter habet vnde dicatur ens participatum & creatura, etiam ſub ea formalitate ſecundùm quam non eſt à Deo quia ea ipſa formalitas non poſſet ſubſiſtere, niſi identificata cum ea ratione quæ eſt à Deo. Idem igitur ſtatuendum eſt in re præſenti, in qua nunc vltrà non moror, quia infrà tractando intrinſecas malitiæ cauſas, accuratè excutietur. Nunc ſatis ſit oſtendiſſe, ſententiam à nobis poſitam, probè cohærere cum diuina cauſalitate: nec plus timendum eſſe ab hac ſententia diuino influxui in peccatum commiſſionis, quàm timendum illi ſit ab ea ſententia, quæ formale eiuſdem peccati ſtatuit priuationem.

Reliqua obiecta eliduntur.

Tertia machina in ſententiam noſtram intentata facillimè euertitur. Ac primùm quòd dicebatur nihil poſſe eſſe malum ratione ſui poſitiui ſubiecti, præcisè

à priua

à priuatione, veriſſimum eſt,ſi agatur de forma comparatè ad ſeipſam, Idque vnum rectè probat Suares, cuius eſt hæc in noſtram ſententiam obiecto d. 11. Met.ſ.1 n. 12. Falſum tamen eſt quod ibidem habet, nullam formam poſitiuam eſſe in ſe talem,vt denominari poſſit mala per cooperationem ad alterum cui diſconueniat.Nam ea malitia reſpectiua nihil eſt præter entitatem rei ipſi internam ac bonam ; alteri tamen diſconuenientem & malam, ea ipſa entitate quæ ipſimet bona eſt atque conueniens. Sic frigus eſt malum aquæ, ea ipſa entitate qua eſt ſibi bonum & in ſe perfectum. Vnde rectè notauit D.Thomas in 2.d. 43. q. vnica,art.2.ad 4. rem in ſe bonam, poſſe hoc modo eſſe contrariam alteri rei item bonæ in ſcipſa.

292.Hinc præterea eliditur quod Inter proponendam difficultatem ſubiiciebamus, nempe quod res idcircò tantùm mala dicatur, quia non habet quod habere debet.Hoc falſitatis arguunt quæ proximè attulimus. Res enim in ſe bona, habet totum quod per comparationem ad ſeipſam habere debet : eatenus nanque eſt ſibi bona : dicitur tamen alteri mala,quia ei diſconuenit, non per priuationem vllam (ſaltem per ſe,) ſed directiſſimè per ſeipſam. Proindéque non tam dicenda eſt mala reſpectu alterius, quia non habet quod habere debet, quàm quia habet quod reſpectu illius habere non debet.

*Hinc denique duci poteſt diſparitas inter artefacta & actus morales, quorum paritas vſurpatur etiam in tertia illa ratione dubitandi; quaſi ſicut artefacta ſunt mala ob ſolam carentiam conformitatis cum regula, ita & actus liberi poſſint ac debeant denominari praui ex eo tantùm quòd regulæ non conſonent. Sed diſparitas ex eo manifeſta eſſe poteſt, quod artificialia non quadrent cum regula éive diſſonent per ordinem ad aliquam naturam, cui remotè & radicaliter conueniant aut diſconueniant.Tantùm itaque regulæ conſonant aut diſſonant ac per ordinem ad finem cui deſeruire debent. Inde enim efficitur, vt artefactum legitimum & ex arte confectum, non opponatur contrariè operi facto contra artis præſcriptum ; nec poſſint ab arte aſſignari ſpecies duæ contrariæ, quarum vna ſit bonum artefactum, altera prauum poſitiuè. Cui enim poſitiuè diſconuenit arca malè confecta? Atificem ſanè, (cui vni videri poſſet diſconuenire,) non reſpicit vt forma ſubiectum, ſed vt effectus cauſam. At in moralibus actio honeſta & actio praua. habet contrarietatem & diſconuenientiam poſitiuam ſub eodem genere actus moralis: quia opera moralia dicunt ordinem ad ſubiectum cui diſconueniunt, nempe ad naturam rationalem, cuius reſpectu ſubeunt inter ſe contrarietatem.

ARTICVLVS III.

Specialiter quid ſit malitia praua commiſſionis, & cui regulæ diſſonet.

HÆc malitia poterit breuiùs expediri. Quia quamuis cum priore malitiæ membro hactenus expoſito non niſi æquiuocè conueniat ; tamen multa circa priorem malitiam tradita, circa hanc quoque locum habent proportione ſeruata, aut extenſis nonnihil vocum ſignificationibus. Qua ratione vulgatæ peccati definitiones, quæ ferè cadunt in commiſſionem prauam, huc transferuntur, vt notauit Gulielmus Pariſ. tract de vitiis, cap. 1. expendens illam peccati definitionem, *eſt factum contra legem Dei.*

ASSERTIO.

MAlitia omiſſionis prauæ, eſt diſſonantia cum lege affirmante : ideóque conſiſtit in priuatione actus, debiti ineſſe voluntati ad operandum adſtrictæ ; & ſine vllo prorſus actu poſitiuo poteſt contingere. Plerunque tamen coniungitur ei actus poſitiuus, qui ab ea ſordet, quia vel eſt omiſſionis volitio directa, vel ita eſt incompoſſibilis cum præcepti affirmatiui obſeruatione, vel ſit omiſſionis medium aut finis. Tunc enim actus poſitiuus, moraliter vnam cum omiſſione culpam conſtituit, quamuis ſit verum peccatum commiſſionis, diſſonum præcepto negatiuo, importato per affirmatiuum, omiſſione conſecuta violatum. Quæ autem actio præcisè eſt cum præcepti obſeruatione incompoſſibilis, nullatenus ab omiſſione inquinatur, etiamſi eligatur per ſe primò poſt malam omittendi voluntatem, ſuperſtéſque ſit obſeruandi præcepti facultas.

293. PRimò expono rationem & naturam malæ omiſſionis,quam dico eſſe diſſonantiam cum lege affirmante. Cùm autem ex ſupradictis notum ſit, quorſum hæc malitia vocetur diſſonantia, & quis vniuersè ſit huius diſſonantiæ terminus ; an ſcilicet ſit lex creata, an increata : Nunc ſupereſt duntaxat exponendum, quomodò hæc diſſonantia diſcrepet ab ea quæ cernitur in commiſſione praua. Quod non poteſt meliùs innoteſcere, quàm ſi expendatur lex illa quæ eſt terminus huius diſſonantiæ. Inde enim ortum habet diſcrepantia prædicta.

Diſſonantia malæ omiſſionis exponitur.

Lex igitur quæ terminat diſſonantiam omiſſionis malæ, non eſt ſimilis ei quæ terminat malitiam prauæ commiſſionis. Nam commiſſio diſſonat legi negatiuæ interdicenti operatione praua ; quæ proinde habet diſſonantiam poſitiuam, & quaſi contrarietatem cum lege. Ponitur enim actus poſitiuus, quem lex poni vetabat. Omiſſio è contrà, diſſonat legi affirmatiuæ,quia mandabatur exercitium alicuius actionis, cuius prætermiſſione exurgit diſſonantia negatiua cum lege, quatenus non ſit id quod ipſa iubebat fieri.Itaque peccatum omiſſionis, formaliter & in recto eſt priuatio actus ex lege affirmatiua debiti. Priuatio inquam propriè dicta. Eſt enim prætermiſſio formæ debitæ, quod niſi ſupponeremus. omiſſio vacaret culpa. Nam V. G. non ieiunare hodie cùm nullum eſt ieiunij præceptum,atque adeò cùm ieiunium non eſt debitum,nullo modo malum eſt. Et vt exemplum accommodatius vſurpemus, (non ieiunare enim,non eſt omittere,ſed committere;) non opitulari ei qui aliunde habet vnde indigentiæ ſuæ ſubueniat, nequaquam malum eſt, quia deeſt ſubueniendi obligatio ac debitum. Similiter omittere appoſitionem impedimenti reſpectu ſceleris quod ab alio admittitur, ſiue non obſtare alieno peccato, peccatum

eſt

eſt ſi poſſis ac debeas obſtare; & vt ait Saluianus l. 7. de prouid. *Poteſtas magna & pot entiſſima quæ inhibere ſcelus maximum poteſt, quaſi probat debere fieri, ſi ſciens patitur perpetrari. In cuius enim manu eſt vt prohibeat, iubet agi ſi non prohibet admitti.*. At ſi quis tametſi poſſit aliquas tamen ob cauſas non teneatur obſtare, omiſſio apponendi impedimenti, culpa vacabit, & ita in ſimilibus.

An ea diſſonantia ſit pura, ſeu quæ volitio, ſit ei contrahenda neceſſaria.

Contrauerſia verò eſſe ſolet, an omiſſio malà ita ſit priuatio actionis debitæ, vt nullam omninò includat poſitiuam actionem voluntatis. Nam quòd adiungi ei debeat actio intellectus detegens turpitudinem, indubitatum eſt; quia alioqui omiſſio foret inuoluntaria, atque adeò non eſſet peccatum, vt rectè argumentatur Angeſtus c.6.moral t.1 ad 16.malè tamen contrarium tribuens D. Thomæ.Lis igitur duntaxat eſt de actione voluntatis. Quanquam cum hæc duplex aſſignari queat; nempe vna quæ ſit directa volitio omittendi; altera quæ ſit tantum volitio operis vel quaſi operis, ex quo prænoſcitur ſecutura omiſſio quam vocare poſſumus volitionem poſitiuam indirectam; vix controuerti poteſt an volitio directa omiſſionis, neceſſaria ſit ad contrahendam eius malitiam.

Non directa.

Euidentiſſimum quippè videtur, volitionem directam non modò non eſſe neceſſariam, ſed etiam plerunque nullo modo interuenire. V. G. plerunque omittitur culpabiliter actus aliquis ob interpoſitam ignorantiam culpabilem: vbi interpoſitio ignorantiæ obſtruit volitionem directam, quæ abſque notitia eſſe non poteſt. Aliàs verò omiſſio mala prænoſcitur quidem; tamen tantùm abeſt vt directè appetatur, vt potiùs voluntas expreſsè abhorreat ab omiſſionis conſecutione: tametſi illaqueata cupiditate alterius illius actionis ex qua aduertit conſecuturam omiſſionem, perſtet in propoſito, & ſequatur omiſſio præter directam volitionem prælicitam. Sic cùm quis vult ſomno ſe dedere aut ludere, aduertens futurum vt omittat debitam Sacri auditionem, non vult directè omiſſionem illam, imò vellet eam non conſequi ex illo eius impedimento, quod volens ſubit: Tamen flagrans cupiditate impedimenti prædicti, perſtat in eius volitione, prænoſcens omiſſionis conſecutionem nullo modo directè volitam.

Eam porrò impedimenti volitionem, S. Thomas 1. 2.q.71. art.5.*ſub finem corporis*, ait ſe habere per accidens ad omiſſionem malam. Volitio autem directa, dicitur ſe habere ad eam per ſe. Non eſt igitur ea omiſſionis volitio, neceſſaria ad contrahendam labem huius malitiæ. Neque verò *velle omittere*, & *velle non omittere*, ſunt contradictoria, vt propterea neceſſe ſit, alterutrum illorum actuum ineſſe voluntati: quaſi quia is qui omittit, non habat actum, debeat dici habere priuationem: deeſſe enim contradictionem inter duo illa, perſpicuum erit expendenti terminos: & ita benè aduertit Durandus in 2. d. 25. q.2 n.5. Difficultas itaque tantùm eſſe poteſt de volitione, per accidens ſe habente ad omiſſionem malam; quam item diximus vocari poſſe volitionem poſitiuam indirectam.

At ne indirecta quidem.

194. Ego planè exiſtimo; malitiam omiſſionis prauæ abſque omni huiuſmodi volitione poſitiuà poſſe conſiſtere. Quæ videtur aperta ſententia S. Thomæ 1.2.q.6. art. 3. admittentis poſſe dari voluntarium abſque vllo prorſus voluntatis actu poſitiuo. Perſpicuè item 2.2.q.79.art.3. *in corpore, ad* 1. Annuunt Ricardus in 2.d.31 q.vnica, Dur in 2.d. 35.q. 2.n.4.& 8.Rubion.ead.diſt.q.1.art.2. Argent.eadem diſt.q.vnica,art.2.Baſſolis optimè & latè ibid q.vnica,art.1.Angeſtus c.6.mor.t.1. ad 6.& l 1.de virt.c. 11.docum.2. Almain.tract.1. mor.c.1.*in fine*, Gabriel in 2.d 41. q.vnica, *litera N*, Met. 1. .q. 71. art. 5. concl.3. Ægid.Coninc.diſp.1. de act. ſupern. n.201. Val.1.2.d... q.1.p...Hurtadius d.11. de anima,ſ.7.n. 100.Salas adducens bene multos 1. 2.tract.4.d.1.à n. 21.& tract.13.d.2 n.81.

Ratio eſt, quia omiſſio eſt ſufficienter voluntaria & libera dummodò ſit à principio intrinſeco cognoſcente, cum dominio in eam; hoc eſt, cum poteſtate eam excludendi per poſitionem actus, quo liberè non poſito ipſa habet eſſe. Poteſt autem eſſe ab eo cum tali dominio, tametſi negatiuè ſe habeat, dummodò cognoſcat ſe omittere, poſſitque agere ſi lubeat. Ergo ſi tunc præceptum operandi vrgeat, & tamen homo non agat, dabitur praua omiſſio Scienti enim bonum & non facienti, peccatum eſt illi. Et tamen ſupponimus nullam elici volitionem quæ tendat indirectè in omiſſionem illam prauam. Maior perſpicua eſt ex notione libertatis, Minor item eſt manifeſta, quia carentia non poteſt aliter ſubiacere dominio illi, quo libertas conſtituitur, quàm ſi poſſit excludi per liberam poſitionem actus quem carentia remouet. Igitur dummodò adſit homini facultas ponendi liberè actum aliquem præceptum, omiſſio illius actus erit libera & mala, quamuis omnis alius poſitiuus voluntatis actus ſecludatur, negetúrque ad eum concurſus.

Optimè enim notauit Durandus ſupra n. 7. omiſſionem non eſſe liberam mediante actu elicito, per quem habeamus dominium ſupra carentiam actus, vt ſupponunt quos ibi refert n.4. ſed malè id ſupponũt; quia ſicut actus poſitiuus elicitus, non eſt liber mediante alio actu elicito, ſed præcisè per ſeipſum quatenus ita elicitur, vt poſſet non elici: ita omiſſio quæ aduertitur cùm non deſit facultas libera ad operandum, idcircò præcisè libera eſt, quà non exitur in actum cuius habetur dominium. Sanè ſi ſupponamus negari alicui diuinitùs concurſum ad omnem alium actum præterquam ad actum bonum, adhuc intelligemus actum illum eſſe voluntati liberum quoad exercitium, & poſſe præcipi; quòd ſi omittatur, incurri peccati labem: cùm tamen omnis alius actus poſitiuus ſupponatur præcluſus. Poteſt ergo dari pura omiſſio mala.

Duplex contrarius dicendi modus.

295. Contrarium ſenſerunt aliqui apud Durandum ſuprà num.4.& in 3.d.33. q 1. num, 6. qui ait hanc fuiſſe eorum rationem, quod ſecluſo poſitiuo actu per quem habeatur dominium ſupra actus negationem, ea negatio non ſit in noſtra poteſtate: quia aliud eſt non exire in actum aliud autem habere cauſalitatem ſupra tale non exire in actum. ſiquidem non exire in actum, dicit tantum negationem actus. At habere cauſalitatem ſupra tale non exire, dicit aliquid actuale & poſitiuum. Non poteſt autem poni cauſalitas poſitiua & actualis, niſi ponatur actio aliqua. Ergo voluntas non habet dominium ſupra non actum, niſi aliquid agendo. Hinc perſpicuè ſequitur, puram omiſſionem non eſſe malam. Quia nihil eſt malum moraliter, niſi ſubſit poteſtati voluntatis;

quod

quod iuxta hæc principia non habet omiſſio abſque aliquo voluntatis actu poſitiuo.

Ex aliis autem principiis Vaſques 1.2.d 92.cap. 1. contendit, nullam eſſe omiſſionis purè malitiam. Contendit enim ſiue omiſſio ſit actus purè interioris, vt diligendi Deum; ſiue exterioris, vt viſitandi ægrotos; ſemper in nobis, (quicquid ſit de Angelis,) præcedere aliquem actum phyſicum; aut aliquid habens rationem actus, quod ſit occaſio & cauſa omiſſionis, V. G. cùm quis non audit Sacrum, illa actus externi omiſſio ex eo oritur, quòd interim diſtentus fuerit exteriore aliqua occupatione, ſiue actu vel quaſi actu pugnante cum Sacri auditione. Ille autem actus vel quaſi actus, liber eſſe debuit, vt poſſet ex eo conſequi omiſſio mala. At non potuit liber eſſe, niſi ex aliquo amore eliceretur Igitur omiſſio habuit præuium actum poſitiuum amoris. Par eſto iudicium de mala omiſſione actus interni, ſiue intellectus ſiue voluntatis Nunquam enim contingit huiuſmodi omiſſio, niſi facultates prædictæ aliqua alia operatione diſtineantur.

Et poteſt quidem voluntas præcipere intellectus vt ceſſet ab huius vel illius obiecti conſideratione; non tamen poteſt præcipere vt nihil omninò cogitet: quia quoad hoc intellectus non ſubeſt voluntati, propter perpetuam determinationem à ſenſu impellente ad aliquid cogitandum, cùm vires animi aliò non impenduntur, Vel certè quia is eſt intellectus noſtri genius, vt aliquid ſemper verſare debeat, intellectus autem aliquid ſemper proponente, voluntas quoque debet ſemper in aliquid ferri. Atque ita omiſſio nunquam erit pura. Quòd ſi datur exiguum aliquod tempus in quo voluntas poſſit ſe ſiſtere, & nullo modo ferri in aliquod obiectum propoſitum, vt contingit cùm duo obiecta proponuntur voluntati, quorum neutrum voluntas teneatur de facto proſequi; Tunc quidem voluntas abſtinet proſecutione vtriuſque illius obiecti, nec huius negationis volendi, cauſa ducenda eſt ex alterius rei affectu, alioqui procederemus in infinitum vel periret libertas quoad exercitium Tamen tempus quo voluntas ita feriatur, permodicum eſt, & interim nullum vrget præceptum affirmatiuum, quod poſſit per omiſſionem violari atque ita quoties omiſſio eſt mala, datur aliquis actus poſitiuus qui ſit eius cauſa.

Prior conuellitur.

29. Omnia hæc principia facilè conuelluntur, atque ita concluſio quæ illis inædificabatur, non eſt ſolida. Quæ priore loco propoſita ſunt, diſiecta manifeſtè manent ex dictis cum Durando. Negauimus enim ad dominium ſupra non actum, exigi actum aliquem poſitiuum. Si enim ad dominium ſupra actum, non exigitur actus, vt eſt per ſe perſpicuum; (alioqui nullus daretur actus liber abſque proceſſu in infinitum.) quorſum fingemus, ad dominium ſupra non actum, exigi actum poſitiuum? Itaque negandum eſt aliud eſſe non exire liberè in actum quàm ipſum non exire, connotata poteſtate exeundi, ſi voluntati allubeſcet. Negandum item eſt, ad libertatem atque adeò etiam ad malitiam illius non exitus exigi vllam ſupra eum cauſalitatem: cùm talis non exitus in actum, ſufficienter ſubiaceat voluntati per ſe-ipſum, ſuppoſita, vt dictum eſt, expedita voluntatis poteſtate ad erumpendum in actum poſitiuum amiſſioni illi oppoſitum.

Eadem porrò opera euerſum manet quod alij ex aduerſariis opponunt, nempe quod potentia libera, ſit potentia actiua. Eſt enim illa, quæ poteſt agere & non agere, Atqui reſpectu puræ omiſſionis, nulla datur potentia actiua. Neque igitur datur reſpectu eius potentia libera. Hoc argumentum dico manere eliſum ex dictis. Nam oſtendi falſum eſſe, quod ad dominium in non actum exigatur actus. Negandum itaque ſimiliter eſt, quòd potentia libera debeat eſſe actiua reſpectu cuiuſcunque ad quod libera dicitur. Debet quidem ſemper ſtatui actiua reſpectu alicuius; nimirum ſaltem reſpectu actus oppoſiti omiſſioni: actiua inquam quoad poteſtatem, non quoad exercitium. Nihil tamen neceſſe eſt, eam eſſe actiuam quoad omne obiectum liberum. Omiſſio enim, vt monſtraui poteſt voluntati libera eſſe, neque tamen poteſt effici. Et ita rectè Baſſolis in 1. d. 35. q. vnic. art. 1. ad 4. & Richard. quodlib. 1. art. 7. q. 3. *ad argumentum in oppoſitum.*

Diſiectio firmamentorum poſterioris.

Alterum caput difficultatum æquæ facilè diſpellitur. Ac primùm diſplicet quòd Vaſques, cùm concedat ad prauam actus externi omiſſionem ſufficere, vt antecedat aliquid habens ſe per modum actus, quamuis reuera non ſit actus phyſicus: addit tamen, omnem huiuſmodi omiſſionem oriri ex aliquo amore. Quæ non ſatis cohærent. Nam ſi omnis huiuſmodi omiſſio oritur ex aliquo amore, iam non tantùm ex aliquo quaſi actu, ſed verè ex actu phyſico oritur. Probatio autem qua actus ille phyſicus ſtabilitur, valdè infirma eſt. In ea enim aſſumitur, dari vel actum externum liberum, vel quaſi actum, ex quo omiſſio praua exoriatur. At quoad actum quidem aſſumitur quod probandum erat, & id de quod eſt controuerſia. Nos enim negamus, vllum poſitiuum actum præuium exigi, ad cuius libertatem neceſſaria ſit aliqua volitio. Quoad illum verò quaſi actum, qualis eſt ſeſſio vel ſtatio, eſt eadem difficultas, quæ quoad ipſam omiſſionem. Nam is quaſi actus, nullam importat entitatem phyſicam; alioqui enim non diceretur quaſi actus, ſed actus ſimpliciter. Poteſt ergo eſſe à voluntate merè negatiuè ſe habente, æquè ac omiſſio: Et æquè in quæſtione poſitum eſt, an is quaſi actus poſſit eſſe liber ſine vllo vero & poſitiuo actu, ac an omiſſio poſſit eſſe eo modo libera. Non igitur debuit tanquam certum aſſumi, quòd is quaſi actus debeat eſſe liber per actum poſitiuum, cùm idipſum ſit de quo quæritur.

Deinde quæuis anteceſſio actus poſitiui, vel quaſi actus, non debet ſtatui cauſa omiſſionis conſequentis, ſed tantùm ea quæ eſt incompoſſibilis cum actu qui conſequi debuerat, ſiue ea incompoſſibilitas inde proueniat quod vires omnes voluntatis exſugantur & exhauriantur in antecedentem illum actum, nec ſuperſint quæ impendantur in actum præceptum: ſiue ex eo quòd per anteriorem illum actum eripiatur poteſtas, aut impediatur ne eliciatur actus, quo tempore vrget præceptum affirmatiuum. Atqui poteſt contingere vt facultas reſiduas habeat ſatis multas vires, quibus, & actum aliquem antecedẽtem, (ſi aliquis neceſſariò eliciendus eſt,) & eũ qui præcipitur exequi poſſit, maneatque etiam expedita ad operandum actum illum qui præcipitur. Dabitur ergo tunc omiſſio praua, quam nullus anteibit actus poſitiuus, qui ſit eius cauſa vel occaſio neceſſaria.

Diſplicet prætereà quod addebatur, voluntatem ob perpetuam obiecti alicuius propoſitionem illi ab intellectu factam, debere perpetuò ferri in aliquid. Nam ſi ita ſit, vbi erit voluntatis dominium in actum ſuum? Quidni verò poſſit voluntas creata omninò ſuſpendere actionem ſuam, & merè negatiuè ſe habere circa bonum finitum, poſito licet in intellectu pleno lumine; Sepono ſubitos illos motus qui exurgunt

gunt intellectu non plenè aduertente. Illi enim non ſunt affectus praui formaliter, nec numerantur inter illos actus poſitiuos, de quibus quærimus debeántne præmitti omiſſioni prauæ.

Tandem non video, (nec vidit etiam Suares l.7. de Angelis, cap.5 num.18.) cur mora illa, in qua voluntas propoſitis duobus poteſt omnem actum ſuum ſuſpendere, dicatur eſſe tam breuis, vt interim nullum poſſit vrgere præceptum affirmatiuum violabile per omiſſionem. Nam ſi voluntas, quia libera eſt, & domina exercitij ſui actus, poteſt ſuſpenſa hærere ad breue tempus, poterit etiam hærere tempore diuturniore, quo præceptum affirmatiuum poſſet vrgere. Atque ita poſſet tūc dari omiſſio omninò pura. Præterquam quòd gratis aſſumitur, tempus quo præceptum affirmatiuum vrget, eſſe ſemper diuturnum Nam in non paucis euentibus, quos Suares ſuprà recenſet, obligatio præcepti affirmatiui vrget in tempore perexiguo atque ita tunc dari poſſet pura omiſſio ſordens turpitudine morali.

Vt plurimùm omiſſio non eſt pura.

197. Quare hæreo in ſententia quam propoſui, iuxta quam peccatum omiſſionis eſt diſſonantia merè priuatiua, ſiue mera actus debiti carentia, non actui poſitiuo, ſed voluntatis ad operandum aſtrictæ inexiſtens. Fateor quidem, vt plurimùm atque moraliter præmitti omiſſioni liberæ, ac etiam adiungi actum aliquem poſitiuum: Tamen rem ad viuum reſecando, & præcisè ſpectando id in quo formaliter ſita eſt malitia omiſſionis prauæ, quæ eſt alterum malitiæ membrum prauitati commiſſionis contrapoſitum; aſſero malitiam omiſſionis ſitam eſſe in ſola carentia actus, qui poſſet & deberet elici: nihílque vetare, quominùs hæc carentia ſit nuda, nullúmque habeat antecedentem vel adiunctum poſitiuum actū. Quæ poſſet eſſe non incommoda diſſentientium hac in parte ſententiarum conciliatio. Nimirum dicendo, ſententiam iuxta quam pura omiſſio eſt poſſibilis, valere phyſicè & abſolutè loquendo. Contrarium autem, quæ ad omnem omiſſionem prauam actum poſitiuum præexigit à quo cauſetur, valere moraliter & vt plurimùm. Quanquam Palacius in 2. d. 35. diſp. vnic. affirmat non eſſe infrequens, vt omiſſio libera, ſit omninò pura.

Comparatio commiſſionis & omiſſionis prauæ,

Ex dictis facile eſt colligere, commiſſionem & omiſſionem prauam non conuenire niſi nomine tenus. Oſtenſum quippe eſt, omiſſionem eſſe meram priuationem actus debiti; commiſſionem autem conſiſtere in poſitiua actus diſconuenientia. Atqui priuatio & forma poſitiua in nulla ratione communi poſitiua conuenire poſſunt; igitur omiſſio & commiſſio mala, conueniunt tantùm æquiuocè & nomine tenus; nec aliter ad inuicem comparantur per ordinem ad naturam rationalem, quam frigus & non calor reſpectu ignis. Frigus enim eſt forma poſitiuè diſſentanea igni: non calor autem, quia eſt priuatio formæ debitæ igni, habet cum eo diſſonantiam priuatiuam.

Quòd verò Vaſques 1.2.d.99.num.20. non exequi quod noueris, atque adeò omnem non executionem rei, contra promiſſionem cuius factam, ait eſſe peccatum commiſſionis, non autem omiſſionis, quamuis ibi ſit mera carentia actus debiti; mihi quidem non apparet quo iure dicatur Neque enim ſatis capio, quo ſenſu mera carentia actus debiti, dicatur habere malitiam commiſſionis prauæ, non omiſſionis. Eſt quidem in ea rei promiſſæ omiſſione. Falſitas quædam atque mēdacium: Tamen nullum ibi falſitatis ſignum, præbetur; quod ad commiſſionem ſpectaret: ſed tantùm non ponitur terminus neceſſarius ad veritatem aſſertionis anteà prolatæ, quod pertinet tantùm ad omiſſionem, impeditque nihilominùs, ne quod prius dictum eſt, verum fiat; in quo cernitur ratio, aliqua mendacij & falſitatis abſque vlla commiſſione. Itaque fixum eſto, omiſſionis malitiam in qua quoque materia eſſe meram actus debiti carentiam, & diſſonantiam tantùm priuatiuam.

In omiſſione quoque, vera Dei iniuria

198. Facilè inſuper ex dictis conſtare poteſt, qua ratione omiſſio, etiamſi ſit nuda carentia actus debiti, poſſit eſſe vera erga Deum iniuria & iniuſtitia, quod ſuprà oſtendimus cuiuis malitiæ intimum eſſe. Sicut enim in humanis, ceſſatio ab opere quod ex iuſtitia exigebatur, eſt iniuria & iniuſtitia quædam, vt perſpicuum eſt, & Antoninus rectè notat l.9.num.4. Ita omiſſio actus qui Deo ex Iuſtitia debebatur, eſt iniuſtitia & iniuria erga Deum. Omnis porrò actus præceptus, debetur Deo ex iuſtitia, fundata in ſupremo Dei in creaturas dominio; vi cuius Deus ſibi iuſtè depoſcit fructus ex creatura obuenientes. Atque ita cùm boni actus eliciuntur, dicitur reddi Deo; quod ſuum eſt: Et ſeruus executus omnia ſibi à Domino Deo demandata, agnoſcit tamen ſe ſeruum inutilem quódque facere debuit, hoc à ſe factum profitetur, Ergo è contrariò voluntaria ceſſatio ab afferendis Deo vero Domino fructibus illis, iniuſtiam erga illum & iniuriam continet, etiamſi nullus interueniat voluntatis actus poſitiuus, quo ea ceſſatio eligatur, vel aliqua ratione cauſetur.

Lis de inquinatione actionum omiſſioni adiunctarum.

Secundò dixi, quamuis malitia omiſſionis poſſit eſſentialiter conſiſtere ſola & abſque vlla commiſſione; tamen plerunque vitium omiſſionis redundare in actum poſitiuum omiſſioni adjunctum, Nempe cùm actus ille eſt directa omittendi volitio, vel cùm ita eſt incompoſſibilis cum obſeruatione præcepti affirmatiui: vt ſimul ſit finis aut medium omiſſionis. Aliàs verò negari malitiam omiſſionis affricari commiſſioni. Hæc videtur probabiliter ſententia inter extremas, quæ circumferuntur quoad malitiam actuum poſitiuorum cum præcepti affirmatiui obſeruatione incompoſſibilium. De his enim duntaxat poteſt eſſe quæſtio, hauriántne vitium ab omiſſione quia ſi quæ actiones poſſunt cohærere cum præcepti affirmatiui obſeruatione, perſpicuum eſt eas ſe habere ad omiſſionem, planè per accidens. & omninò concomitanter; atque ita non eſt cur cenſeantur per omiſſionem prauam viciari. Sed cùm actiones poſitiuæ non ſunt compoſſibiles cum præcepti affirmatiui obſeruatione, tunc meritò controuertitur, vitiúmne ſēper trahant ab omiſſione ad quem dicunt ordinem.

Fuerunt qui negarent actioni vlli poſitiuæ accedere malitiam ex ordine ad omiſſionem quomodolibet eam reſpiciat, & quacunque tandem ratione ad eam comparetur aliter quàm vt ad obiectum; quia ſcilicet eſt directa omiſſionis volitio: Tunc enim perſpicua eſt vitiatio actus poſitiui per omiſſionem; non item cùm commiſſio reſpicit omiſſionem duntaxat vt incompoſſibilis cum præcepti obſeruatione. Et idcircò negarunt, talem commiſſionem inquinari per omiſſionem. Ita Durandus in 2.d.35, quæſt.2.n.6. Alij dixerunt, omnem talem actionem incompoſſibi-

lem combibere virus omiſſionis. Ita Val. t. 2. d. 6. quæſt. 1. p. 4. quem approbat Saytus l. 2. clauis regiæ, cap. 6 num. 11. licèt aliud reuera opinetur, vt mox dicam.

Tandem alij aliquam actionem incompoſſibilem fatentur inquinari per habitudinem ad omiſſionem vitioſam, non tamen omnes. Qui dicendi modus bimembris eſt. Nam aliqui actionem cum omiſſione incompoſſibilem, quæ per ſe primò eligitur poſt efficacem omiſſionis volitionem, contendunt vitium trahere ab omiſſione mala: De cæteris autem id negant. Vt ſi quis ſuppoſita voluntate Sacri omittendi, dedat ſe itineri, cenſent tale iter, quia per ſe primò eligitur, eſſe executionem malæ voluntatis Sacri omittendi, & obſtaculum obſeruationis præcepti atque adeò vitiari ex ordine quem habet ad Sacri omiſſionem. Si tamen homo ille inter ambulandum ad leniendum viæ laborem cantillet, negant malitiam omiſſionis in cantum refundi, quia non eligitur per ſe primò. Ita Vaſq. 1. 2. d. 93 capit. 2. & Becan. 12. tract. 2. cap. quæſt. 4. Reginald. l. 5. prax. num. 12. & eo modo ſuam ac Valentiæ ſententiam limitat Saytus ſuprà num. 13. At alij eam tantùm actionem incompoſſibilem dicunt ab omiſſione vitiari, quæ non ſupponit impotentiam implendi præceptum affirmatiuum. Eam verò actionem, quæ huiuſmodi impotentiam ſupponit, negant haurire turpitudinem ab omiſſione, cum qua coniungitur. Ita Salas t. 2. tract. 13. d. 1. n. 101.

RESOLVTIO.

Actiones quæ ſunt ad omiſſionem media aut fines ſordent ab ea.

299. Mihi in primis diſplicent duæ externæ ſententiæ Nempe prima, quæ vniuerſè ſtatuit nullam commiſſionem cum præcepti affirmatiui obſeruatione incompoſſibilem haurire turpitudinem ex omiſſione; & ſecunda, quæ vniuerſè ait omiſſionem omnem vitiari ob incompoſſibilitatem cum præcepti obſeruatione. Sed Durandi ſententiam non poſſe vniuerſè admitti, veréque nonnullas commiſſiones liberas, vitium trahere ab omiſſione cum qua connexionem habent aliter quàm vt cum obiecto. perſpicuum videtur: quia velle cauſam peccati, eſt peccatum. vt patet ex eo quòd volitio cauſæ, ſit virtualis volitio effectus. Atqui actiones aliquæ cum præcepti affirmatiui obſeruatione incompoſſibiles, ſunt cauſæ omiſſionis, nempe illæ actiones quæ ſe habent ad omiſſionem vt fines, aut media. Ergo velle illas actiones malum eſt, malitia deriuata ab omiſſione tanquam ab effectu.

Nec quæ Durandus q. illa 2. numer. 6. opponit, firma ſunt. At enim pleroſque actus cum præcepti affirmatiui obſeruatione incompoſſibiles, eſſe ex ſe bonos, cuiuſmodi ſunt ſtudere, orare, cæteríque huiuſmodi. Igitur concludit non peccare eum, qui hos actus exercet, quia nullus peccat faciendo illud quod ex ſe non eſt malum. Hoc argumentum inane eſt. Quamuis enim actus cum præcepti affirmatiui obſeruatione incompoſſibiles, poſſint ex ſe boni eſſe: tamen vel ex hoc quòd ſint cauſæ omiſſionis prauæ: quia ſunt fines eius aut media, prauitatem contrahunt. Nam nouum non eſt, vt cauſa alioqui indifferens vel bona, contrahat fœditatem ex prauo effectu ab illa oriundo.

Addit Durandus omnem commiſſionem prauam conſiſtere in actu determinato, alioqui enim non eſſe peccatum determinatum: Atqui actus incompoſſibiles cum præcepti obſeruatione, ſunt indeterminati, Nam V. G. omiſſio Sacri poteſt exiſtere ex ludo, ſtudio, ſomnio, & aliis cum Sacri auditione incompoſſibilibus. Ergo nullus aliorum actuum eſt malus vi omiſſionis violantis præceptum determinatum. Et hoc quoque telum imbelle eſt. Admitto enim actus cum præcepti affirmatiui obſeruatione incompoſſibiles, eſſe aliquo modo indeterminatos, quatenus loco horum actuum poterant poni alij, ſimiliter cauſaturi omiſſionem. Nihilominùs tamen actus ille quis vſurpatur, & ex quo progerminat omiſſio, eſt determinatè malus, malitia deriuata ab omiſſione tanquam à cauſa. Effectus ſiquidem poteſt plerunque à diuerſis cauſis proficiſci.

Non item aliæ, quamuis cum præcepti affirmatiui obſeruatione incompoſſibiles.

300. Iam verò non eſſe, cur cum ſecunda ſententia dicamus, omiſſionem inquinare omnes commiſſiones cum præcepti obſeruatione incompoſſibiles, inde perſpicuè probatur, quòd aliquæ ex huiuſmodi commiſſionibus, poſſunt eſſe ex ſe honeſtæ. Itaque ſi ex coniunctione cum omiſſione efficiantur vitioſæ, ratio ducenda eſt ex influxu eorum in omiſſionem malam: qui influxus duplex tantùm diſtingui poteſt, nempe finalis & effectiuus. Priorem adhibent, ſi ſe habeant ad omiſſionem per modum finis. ſi nimirum idcircò quis actum præceptum omittat, vt opus incompoſſibile exequatur. V. G ſi omittat Sacrum, vt interim domi ſtudeat, vel vt proficiſcatur ad venationem. Poſteriorem verò influxum omiſſioni tribuunt actiones illæ, quæ ſe habent ad omiſſionem tanquam media: vt ſi quis ſtudio ſe dedat ea mente vt omiſſio Sacri conſequatur. Omnis alius influxus qui ab actione incompoſſibili adhibeatur ad omiſſionem cauſandam, impertinens eſt ad hoc negotium, vt per ſe patet.

Oſtendo igitur aliquas actiones incompoſſibiles, neutrum influxum conferre ad omiſſionem malam, ac proinde non eſſe vitioſas per ordinem ad omiſſionem. In exemplo nanque eius, qui ſuppoſita efficaci voluntate omittendi Sacri, ad declinandam moleſtiam exeundi domo, eligit ſtudium, vt in illud impendat tempus omiſſionis Sacri, ſtudium neque habet rationem finis reſpectu omiſſionis Sacri cùm non ideò homo Sacrum omittat vt ſtudeat; neque etiam habet rationem medij, cùm non idcircò aſſumatur ſtudium, vt omiſſio ſequatur. Vt enim ſtudium haberet rationem medij ad omiſſionem malam, neceſſe eſſet ſtudium eligi propter omiſſionem, quod in eo exemplo non contingit; cùm in eo ſupponatur, omiſſionem fuiſſe antè intentam, & ſtudium non aſſumi vt omiſſio ponatur; ſed ad vitandum interim otium, aliámve ob ſimilem ex ſe honeſtam cauſam. Itaque perinde omninò tunc ſe habet ſtudium ad omiſſionem Sacri, ac ſe haberet, ſi homo per vim prohibitus fuiſſet Sacrum audire, eáque ſuppoſitione prohibita addixiſſet ſe ſtudio. Voluntas enim Sacri omittendi, ſimile planè impedimentum Sacri auditioni iniecit, quod vis extrinſecùs adhibita intuliſſet. Atque ita ſicut ſuppoſita violentiæ illatione, nemo culparet eum qui domi manere adactus, decerneret ſtudio vacare, quo tempore audiendum eſſet Sacrum: ita neque damnandus eſt, qui ſuppoſita mala voluntate Sacri non audiendi, ſtatuit tempus illud ſtudio dare, ne otietur aliamve ob cauſam bonam, Sacro prorſus extraneam.

Verum quidem eſt, quod omiſſio priùs intenta, fuerit ſtudij occaſio, & quaſi conditio. Neque enim homo eo tempore ſtuduiſſet, niſi priùs ſtatuiſſet Sacrum omittere. Non tamen idcircò ſtudium fuit medium ad omittendum Sacrum. Alioqui ſublata omiſ-

ſione

ſione, ſtudium non poſſet ſequi vt eiuſdemmet voluntatis. Nam ſublata cauſa, tollitur effectus. Atqui certum eſt, vi eiuſdem volitionis ſtudendi poſſe continuari ſtudium, etiamſi omiſſio mala non vltrà haberet rationem finis; vt ſi ſupponeremus, interim dum homo ſtudio ſe impendit, ſublatam fuiſſe obligationem præcepti. Igitur omiſſio illa non eſt profecta ex ſtudio tanquam ex medio. Quo eodem argumento probari poteſt, ſtudium illud non fuiſſe finem omiſſionis prædictæ: ſic enim omiſſio Sacri, ſi ſtudium defuiſſet, non potuiſſet eligi vt illiuſmet actus, quo fuit electa, quod eſt apertè falſum. Quare neuter influxus propoſitus cernitur in eo ſtudio reſpectu omiſſionis vetitæ: Et quod eodem recidit, omiſſio Sacri neque eſt medium ad ſtudium illud, neque finis eiuſdem ſtudij: ſed ad ſummum eſt eius occaſio Quod non ſufficit, vt ſtudium dicatur inquinari per omiſſionem, quia nõ quicquid fit per occaſionem culpæ, culpabile reuera eſt. Alioqui dicendus eſſet peccare, qui per fugationem fugæ illicitæ, incidens in egenum, ſubleuaret eius miſeriam. Et Chriſti ad nos aduentus per peccati occaſionem, inſimulandus eſſet peccati.

Argumenta contendentium quaſvis actiones cum præcepti affirmatiui obligatione incompoſſibiles, inquinari ab omiſſione.

301. Ex his euerſa manent argumenta, quæ Valentia & alij conficiunt ad probandam inquinationem quarumuis actionum cum præcepti obſeruatione incompoſſibilium. Aiunt enim omnem talem actionem eſſe cauſam omiſſionis malæ: quia quamuis omiſſio poſſet æquè ſequi ex aliqua alia actione, aſſumpta vice eius quæ vſurpata eſt; Tamen vt aliquid cenſeatur cauſa effectus, ſufficit vt effectus vi eius ponatur, quamuis aliunde etiam ſequi poſſit. Nam de ratione cauſæ non eſt vt effectus ab ea ſola proficiſcatur. Alioqui ſi duo homines ſimul grauarentur in viatorem, neuter eſſet cauſa damni atque iniuriæ.

Vrgent præterea exempla quarundam actionum cum præcepti obſeruatione incompoſſibilium, & idcircò tantùm vetitarum. Vt Clerici nauigationem ineuntis, & poſt iniquum propoſitum omittendæ toto nauigationis tempore recitationis horarum ad quam aſtringitur, proiiciens Breuiarium in mare. Hanc proiectionem nemo negauerit eſſe vitioſam per ordinem ad omiſſionem recitationis horarum: Neque tamen aliter vitiatur per ordinem ad eam omiſſionem, quam quia eſt incompoſſibilis cum recitatione Breuiarij, neceſſaria ex præcepto affirmatiuo. Quidni igitur ſimiliter omnis actio incompoſſibilis cum præcepti affirmatiui obſeruatione, cenſeatur cauſa omiſſionis, qua tale præceptum violatur, ac proinde mala per ordinem ad omiſſionem illam: Simile argumentum confici poteſt de prædone, qui illigatur obligatione reſtituendi rem domino ſubductam poſt conceptum eius nunquam reſtituendæ propoſitum, diſtraheret illam, & venderet alteri: quæ diſtractio idcircò tantùm mala videtur, quia eſt incompoſſibilis cum obſeruatione præcepti affirmatiui, quo reſtitutio mandatur, cenſetúrque cauſa omiſſionis reſtituendi, quamuis hæc omiſſio ſuppoſito prauo illo nunquam reſtituendi propoſito, futura nihilominùs fuiſſet, etiamſi diſtractio rei furtiuæ non interueniſſet.

Diſſoluuntur.

302. Hæc argumenta dico ex dictis concidere. Oſtendi enim actionem ex eo quòd ſit incompoſſibilis cum præcepti affirmatiui obſeruatione, non idcircò eſſe cauſam omiſſionis: quandoquidem non minùs foret hæc ipſa omiſſio, ſi actio iſta abeſſet, omnéſque aliæ ſimiles, & poneretur pura ceſſatio; quod eſt manifeſtum indicium, omiſſionem non ſequi ad illam actionem tanquam effectum ad cauſam. Indêque etiam patet diſparitas inter dependentiam iniuriæ ab vtroque prædone in exemplo propoſito, & dependentiam omiſſionis ab actione incompoſſibili cum obſeruatione præcepti, quæ actio, neque ſit finis neque medium omiſſionis. Nam nocumentum (ſaltem partiale,) non minùs interueniret, ſi vnius tantùm prædoni actio adeſſet, vt proinde perſpicua ſit cauſalitas vtriuſque in iniuriam. At omiſſio ſublata actione hac incompoſſibili, & alia quacunque ſimili æquè interueniret Non igitur ab ea manat tanquam effectus à ſua cauſa. Et quia ex altero capite, actio incompoſſibilis cum præcepti affirmatiui obſeruatione, non eſt effectus omiſſionis; quia non minus eſſe poſſet vi eiuſdem volitionis, ſi omiſſio non interueniret; conſtare debet talem actionem incompoſſibilem, nullam labem contrahere ex ordine aliquo ad malam omiſſionem præciſè ex eo quòd ſit actio incompoſſibilis cum præcepti obſeruatione.

Exempla quæ ſubiiciebantur, non ſunt idonea. Illa enim Breuiarij per Clericum proiectio, ſubſequens propoſitum omittendi recitationem, & diſtractio prædæ ſubſequens propoſitum non reddendi, non ſunt actiones vitioſæ, præciſè quia ſunt incompoſſibiles cum obſeruatione præceptorum affirmatiuorum aſtringentium ad recitandum vel reſtituendum, ſed quia per eas, & voluntas mala omittendi renouatur ſaltem virtualiter & adimitur poteſtas recitandi ac reſtituendi pro eo tempore, pro quo præcepta illos actus mandantia adhuc vrgebant: quæ poteſtas ſi ſalua eſſet, facilè poſſet poſteà expromi ob voluntatis vertibilitatem. Itaque ſpontanea illa ereptio & præcluſio facultatis rectè in poſterum agendi, quæ item cernitur in voluntaria captatione ſomni, qui præuideatur redditurus hominem impotentem ad obſeruationem præcepti affirmatiui cùm tempus eius aduenerit, peculiarem fœditatem continet, aliunde manantem quàm præciſè ex incompoſſibilitate cum præcepti obſeruatione.

Impugnatio prioris ſententiæ mediæ.

303. Quæ hactenus diſputauimus contra ſecundam ſententiam, æquè impugnant duo membra quæ inter referendam tertiam ſuprà adducebamus. At primùm quod Vaſques aiebat primam actionem quæ poſt initum omittendi propoſitum ſuſcipitur, malam eſſe vi omiſſionis præciſè, quia eſt actio cũ præcepti affirmatiui obſeruatione incompoſſibilis; hoc falſum eſſe ita oſtendo ex dictis contra ſecundam ſententiam. Nam ea prima actio, neque eſt medium, neque finis omiſſionis, qua violatur præceptum affirmatiuum. Aſſumitur enim ea actio poſt iam formatum omittendi decretum, nec fit explicitè aut implicitè eo fine vt omittatur præcepti executio. Quòd ſi verum eſſet voluntatem omittendi mandari executioni per primam illam actionem tanquam per medium, & idcircò vitiari ab omiſſione tanquam ab effectu ſuo, vt Vaſques affirmat; dicendum ſimiliter eſſet, omnes planè actiones quæ exercentur cùm adhuc vrget præceptum, cum cuius obſeruatione ſunt incompoſſi-

compoſſibiles, æquè eſſe media ad omiſſionem, ac proinde vitiari ab ea tanquam ab effectu; quod tamen Vaſques diffitetur.

Sunt qui hanc ſententiam prætereà impugnent, quia plerunque actiones primam conſequentes, factæ dum adhuc eſt poteſtas obſequendi & ſeruandi præceptum, multò magis auertunt ab obſeruatione quàm prima actio, quæ poteſt anteceſſiſſe tempus obſeruationis, cum quo concurrunt ſequentes actiones. Vt ſi quis ſtatuat Sacrum omittere, quod tantùm auditurus erat poſt horam; tum durante hora Sacrum præcedente, ludat; inſtante verò Sacri tempore, dedat ſe ſtudio; ſtudium, quod non eſt prima, ſed ſecunda actio, eſt magis incompoſſibile cum Sacri auditione, quam luſus.

Sed hæc impugnatio non eſt apta. Autores enim cum quibus agimus, per actiones ſecundas, non intelligimus eas quæ exercentur tempore conſequente primam actionem, cuiuſmodi eſt ſtudium in exemplo propoſito: hanc enim actionem dicerent per ſe primò eligi per ordinem ad tempus quo exercentur durante vigore præcepti. Nomine ergo actionum ſecundarum, intelligitur eas quæ licèt ſimul eliciantur cum ea quæ per ſe primò eligitur: tamen ſunt tantùm quaſi acceſſoriæ ad eam, vt ſe habet cantus ad ambulationem in exemplo, propoſito. Quare dimittenda eſt hæc impugnatio, & concludendum iuxta eam qua vſi ſumus, quòd tunc tantùm actio cum præcepti obſeruatione incompoſſibilis, quæcunque tandem illa ſit, vitiatur ab omiſſione, cùm eſt cauſa finalis aut effectiua omiſſionis, vt diximus contra ſecundam ſententiam: alioqui nullam ab omiſſione labem contrahit.

Conuulſio alterius mediæ ſententiæ.

304. Non eſt item difficile ex dictis colligere confutationem diſtinctionis à Sala adhibitæ, & relatæ poſtremo loco in ea tertia ſententia. Nam plerunque actio incompoſſibilis cum præcepti obſeruatione, quamuis adhuc aliquandiu ſuperſit potentia non omittendi, ſupeſtátque facultas præceptum obſeruandi, non vitiatur ab omiſſione. V. G. ſtudium cui quis ſe addicit tempore Sacri, non vitiatur ab omiſſione Sacri, cum cuius auditione eſt incompoſſibile, vt hactenus probatum eſt Et tamen poſſet homo ad aliquam moram obſeruare præceptum, niſi in omittendi pertinacia obfirmaretur. Sanè poſito quod homo pertinaciter hæreat in voluntate omittendi, nulla eſt ratio cur poſſimus aſſerere, actionem cum præcepti obſeruatione incompoſſibilem, ſuperſtite potentia obſeruandi effici malam, ſi nullo modo habeat ad omiſſionem rationem cauſæ: Satius quippe eſt, (ſuppoſita praua omittendi voluntate,) tempus collocare in aliquid vtile & ex ſe bonum, quàm illud fruſtrà contere otiando Non eſt ergo vnde turpitudo illi actui ſuaptè natura bono illinatur, ſi nullo modo cauſa ſit omiſſionis tunc contingentis, vt ſupponimus. Poſſet tamen per ſuſceptionem voluntariam impotentiæ contrahi ſpeciale peccatum, ſi vel renouaretur praua voluntas omittendi, vel homo deliberatè priuaret ſe poteſtate implendi præceptum in futurum, poſito quod voluntas mutaretur. Sed hæc nunc non moramur, quia non pertinent ad actum cum obſeruatione præcepti incompoſſibilem, præcisè prout incompoſſibilem, qua tantùm ratione eum nunc ſpectamus.

Concluditur inquinatio earum duntaxat actionum adiunctarum, quæ ſunt omiſſionis fines aut media.

Quare reliqua manet ſententia quam elegimus. Nempe quod omnes illæ actiones cum præcepti affirmatiui obſeruatione incompoſſibiles, quæ ſunt prauæ omiſſionis cauſæ vel effectus, hauriant vitium prauæ omiſſionis; cæteræ verò non item. Dixi, *quæ ſunt cauſa vel effectus*, quia quamuis in ſuperioribus videar tantùm meminiſſe actionum, quæ ſunt cauſæ omiſſionis per modum finis aut medij: Tamen eodem recidit dicere, quod omiſſio cauſetur ab actione incompoſſibili tanquam à medio, & dicere quòd ea actio ſit effectus omiſſionis tanquam finis: quia medium ita cauſat finem in genere cauſæ efficientis vt à fine cauſetur in genere cauſæ finalis. Itaque actiones incompoſſibiles cum obſeruatione præcepti affirmatiui, quæ ſunt vel cauſæ vel effectus omiſſionis, meritò hauriunt vitium eius, ob connexionem ipſis cum ea interdicentem. Cæteræ ab ea labe puræ manent, quia ſe habent per accidens ad omiſſionem, nec ſunt executio omiſſionis, vt quidam aduerſarij falsò ſupponunt. Nam ad omiſſionis executionem ſufficit mera ceſſatio ac feriatio. Tradit ſententiam à nobis poſitam Medina 1.2.q.71.art.5. Ægyd. Coninc. diſp. 1. de act. ſupernat. num. 196. & Azor 1. 1. l. 4. c. 3. quæſt. 5.

Rixa de vocibus, an ſint commiſſionis vel omiſſionis peccata.

305. Subnaſcitur verò hoc loco dubium, quoad actiones illas incompoſſibiles quæ cauſant omiſſionem, & ab ea inficiuntur. ſintne dicendæ peccata omiſſionis an commiſſionis. Qua in re litigant Autores, ſed planè de nomine. Qui enim contendunt actiones illas eſſe peccata omiſſionis, vt Vaſq. 1. 2. d. 91. cap. 1. Becan. 1. 2. tract. 2. capit. 3. quæſt. 5. num. 5. Med. 1. 2. quæſt. 71. art. 5. & alij conſiderant eas actiones iuxta prudentem æſtimationem, & communem vſum ſentiendi atque loquendi: & eatenus rectè pronunciant eas eſſe peccata omiſſionis, quatenus tota earum malitia eſt ab omiſſione, nec niſi vnam cum ea culpam conſtituunt, moraliter loquendo. Nam omnia quæ ordinantur ad conſummationem vnius peccati, & ab eo ſolo vt à prima radice inquinantur, ita vt nullam ſpecialem malitiam habeant, præter illam quam inde contrahunt, cenſentur moraliter vnicum peccatum, quia ſunt tantùm circumſtantiæ internæ, & adiuncta illius principalis, quod eſt per ſe primò peccatum, eóque expreſſo, illicò innoteſcunt.

Qui verò actiones illas aiunt eſſe peccata commiſſionis, vt Gabriel in 2. d. 41. quæſt. 1. art 4. dub. 3. Val. 1. 2. d. 6. quæſt. 1. p. 4. quæſtiune. 2. Salas 1. 2. tract. 13. d. 2. num. 115. & alij ſpectant eas actiones metaphyſicè & in rigore: Et eatenus rectè ſtatunt eſſe commiſſiones non omiſſiones, etiamſi ab omiſſione vitium trahant, conſtituántque moraliter cum ea vnum peccatum. Nam actus poſitiuus præcepto negatiuo diſſonus, tametſi habeat obiectum negatiuum eſt peccatum commiſſionis non omiſſionis, vt liquet de deſiderio mortis alienæ. quod eſt vera commiſſio, quamuis feratur in priuationem Ergo actiones cum præcepti affirmatiui obſeruatione incompoſſibiles, cùm ſint cauſæ commiſſionis prauæ, ſunt commiſſiones, non omiſſiones, licèt ducant malitiam ab omiſſione. Nam etiam omiſſio quandoque

haurit

haurit virus ſuum à commiſſione, neque tamen idcircò fit commiſſio V.G, actio iniurioſa, & commiſſio quam iubeant aliqui per incuriam & omiſſionem eorum quibus incumbit eam arcere, eſt radix malitiæ quæ in tali omiſſione cernitur. Nemo tamen eam omiſſionem dixerit eſſe peccatum commiſſionis, ſi propriè loqui velit. Et quod Vaſques 1.2. d. 103. n.7 eum loquendi modum approbat, voluntarium eſt, & contra communem ſenſum & vſum.

ARTICVLVS IV.

Fontes vtriuſque malitiæ.

QVæ ad rationem formalem & quidditatem malitiæ actualis, in recto & in obliquo pertinent, hactenus explicata ſunt, cum generatim, tum ſpecialiter quoad duplex malitiæ membrum, adæquate exhauriens malitiam actualem: Nempe quoad malitiam commiſſionis & omiſſionis Nunc progrediendum eſt ad fontes, vnde educenda eſt malitia, vt exiſtentiam per cauſas ſuas accipiat.

ASSERTIO.

INter fontes malitiæ formalis in quoſcunque voluntatis affectus etiam inefficaces deriuandæ, numeratur obiectum materialiter ſaltem malum: Itémque circunſtantiæ, quæ ſiue ex parte ipſiuſmet commiſſionis aut omiſſionis ſe teneant; ſiue ex parte cauſarum aut affectuum alterutrius, nouam plerunque malitiæ ſpeciem profundunt: Plerunque autem præiacentem duntaxat cumulant. Nec verò malitiæ fontes tantùm ſunt, cùm adſunt indebitæ, inter quas eſt finis ſeruiliter expetitæ indemnitatis à pœna, ſed etiam cùm tantùm deficiunt debitæ. Pro duorum illorum fontium varietate, formalis malitia inæqualitatem ſuſcipere, & parciùs vel vberiùs, tetriùs aut minùs fœdè dimanare, apta eſt: Et ita quidem, vt ex circunſtantiis quandoque fœdior fluat, quam ex obiecto: Et in ſpecie generice leuiori, grauior interdum exiſtat. Itémque in indiuiduo ſpecifice leuiori tetrior ſit ſecundùm prudentem æſtimationem, & maioris ſupplicij dignitatem.

206. PRimò propono primum formalis malitiæ fontem nempe obiectum. De quo primùm agam quoad malitiam commiſſionis, quæ maiorem in hac parte difficultatem ingerit; tunc breuiter ſubdam de eodem fonte quoad malitiam omiſſionis.

Obiectum prauum conditione expurgante veſtitum, non eſt fons malitiæ in actu quem terminat.

Ex obiecto igitur malo, refunditur malitia in actum prauum qui circa illud occupatur: quia ſicut actus habet eſſe ab obiecto: ita & virus eius combibit, niſi aliquid obiecto accedat, quod malitiam illius obiectiuam abſtergat. Quod addo propter obiecta actuũ conditionatorum verſantium circa obiecta turpia ſub conditione, quæ ſi de facto apponeretur, malitiam reipſa excluderet. Talia quippe obiecta, non ſunt vllo modo fontes malitiæ, quia non obuerſantur voluntati niſi prout purgata, & quaſi abluta, & conſtituta in ſtatu depoſitæ omninò malitiæ.

Idque vniuerſaliter verum videtur. Perperam enim aliqui id duntaxat concedunt de obiecto ſolo poſitiuo iure vetitis: addentes, iis obiectis quæ ſunt naturali iure mala, non poſſe apponi conditionem, amatoris adiuncti & altè concreti abſterſiuam. Refert eos & ſequitur Sanches l.1. in Decl. cap.2. num. 13. Non video tamen quomodò obiectum per conditionem appoſitam expurgatum, poſſit inquinare actum tendentem in illud, prout expurgatum per apprehenſionem. Nam vt obiectum poſſit eſſe malitiæ fons, debet ipſum in ſe malum eſſe, ac fundamentaliter turpe, quod in prædicto euentu deeſt obiecto prout obiectum, ſeu quatenus voluntati obuerſatur. Itaque nego obiectum ſic expurgatum, eſſe malitiæ formalis radicem, contendóque actum, etiam delectationis, de qua id malè inficiatur Valentia t. 2. d. 6. quæſt. 4. p.4. & Reginald. l. 11. prax. num. 51. & alij quidam, (annuentes tamen de deſiderio;) nullatenus inquinari ex obiecto, conditione illa emaculante conueſtito; quamuis aliunde, V.G. ex effectu aliquo vitioſo, poſſet actus ille vitium contrahere.

Neque verò, quod perperam alioqui opponunt, qui fertur in obiectum iure naturæ vetitum ſub conditione emundante malitiam, V.G. ſub conditione his verbis expreſſa, *ſi liceret, ſi non eſſet peccatum*, perinde ſe habet, ac ſi optaret iuris naturalis peruerſionem, cuperétque non vetari quæ per illud vetantur. Hoc inquam non rectè opponitur Aliud enim eſt dicere, *ſi hoc eſſet indifferens, & mihi non vetaretur, cuperem illud exequi*: de quo actu non agimus. Aliud verò dicere abſolute, *cuperem hoc non vetari* Quod in materia iure naturali illicita contineret expetitionem peruerſionis iuris naturalis. Et habet quidem qui eum conditionatum actum elicit, non modò ſignificationem propenſionis ſuæ, ſed etiam actualem affectum ergo obiectum ſub conditione illa acceptum, contra Valentiam 1.2 d.6. quæſt. 4. p.4. in fine: Tamen affectus ille non eſt deſiderij, vt ius naturale peruertatur, (quanquam hoc quoque addita ſimili conditione emundante, vacaret turpitudine;) ſed eſt tantùm affectus habendæ rei, ſi liceret per honeſtatem.

Secùs eſt de eodem obiecto abſolutè ſumpto.

307. Vniuerſaliter itaque fixum eſto, obiectum malum, ſi conditione malitiam expurgante conueſtiatur, non eſſe fontem malitiæ. Quod mirum videri non debet, quia obiectum illud vt ſit propoſitum non eſt malum. Obiectum autem fundamentaliter diſconueniens naturæ rationali, inficit actum qui circa illud occupatur, éſtque in eo fons malitiæ, vt affirmabam. Porrò vt hæc doctrina ſit vniuerſalis, volo nomen *obiecti mali* accipi in tota ſua latitudine,

nempe ita vt comprehendat etiam obiectum materiale. Qua in parte, annuunt, qui in ſimili difficultate circa honeſtatem, reclamabant. Quamuis enim negent obiectum materiale honeſtum, eſſe fontem vllius honeſtatis in actu circa illud verſante; quia putant omnem honeſtatis fontem, debere eſſe propter ſe volitum: Tamen in obiecto malo pro quo ea ratio ceſſat, aliter philoſophantur, conformiter ad Ariſtotelem diſerte affirmantem, qui mœchatur vt furetur, eſſe quidem mœchum, principaliùs tamen eſſe furem.

Volo item nomine *obiecti mali* intelligi non illud duntaxat quod eſt malum: quia nimirum interuenientibus neceſſariis ad malitiam conditionibus ex parte operantis, pullulabit ex obiecto malitia, voluntate circa illud verſante: ſed etiam illud quod eſt malum duntaxat materialiter: nempe quod nullam actui malitiam impertiet ob defectum libertatis vel notitiæ, quam interuenire oportuiſſet ad inquinandam formaliter actionem. Nam malitia obiectiua, attendenda eſt ex parte obiecti ex ſe fundamentaliter dedecentis naturam rationalem; non autem penes conditiones operantis, quarum defectus excuſat per accidens, à culpa, actus indeliberate elicitos circa huiuſmodi obiectum: non tamen deliberatos. Quis enim excuſaret eum, qui vigilans cuperet aut procuraret patrari abs ſe cædem inter dormiendum; Quamuis enim cædes non foret ei mala niſi materialiter, tamen volitio qua in huiuſmodi cædem materialiter tantùm malam deliberatè ferretur, eſſet mala formaliter. His itaque modis intelligi volo quod dixi, obiectum malum eſſe formalis malitiæ fontem.

Valétque id etiam quoad actus aliquos inefficaces.

308. Non eſt qui hunc veluti canonem à nobis poſitum refigat, quoad voluntatis actus efficaces. Hi enim perſpicuè trahunt obiecti vitium. Grauis tamen & admodum implexa difficultas eſt de illis voluntatis actionibus quæ ſunt inefficaces, & circa obiectum malum deſtinentur abſque ordine ad executionem: cuiuſmodi ſunt delectationes ſimplices de obiecto turpi, vel ſimplices diſplicentiæ de obiecto quod non diſplicere, ſed placere oportuerat. Eſt quidem indubitatum, aliquos huiuſmodi actus inefficaces, prauos eſſe. Nemo enim dubitat, quin delectari de præterita turpitudine, & lætari cùm malefeceris, peruerſum ſit. Eſt tamen actus ille inefficax, cùm ſit de præterito. Similitérque liberè volutari in cœno turpitudinis per affectum ſolum, excluſo omni ordine ad executionem, fœdum & grauiter prauum eſt, nemine tunc reclamante. Nam quamuis aliqui apud Sanctum Thomam 1.2. quæſt. 74. art. 8. leuem duntaxat, in ea affectus ſolius volutatione ac mora, culpam agnouerint, & Sanctus Thomas id grauiter non damnet, ſed tantùm dicat, contrarium placitum vt communius, ita & veriſimilius eſſe: Tamen hoc tempore contrarium illud placitum quo aliqua quidem culpa in actibus illis inefficacibus agnoſcebatur ſed tamen non niſi exigua, ſeuerè ab omnibus notatur, & planè improbabile pronunciatur, vt videre eſt apud Vaſquem 1. 2. d. 109. numer. 4. & d. 111. numer. 20. Leſſium l. de Temp. cap. 3. numer. 109. Salam. 1. 2. tract. 13. d 6. n. 45. & Azorium t. 1. l. 4. cap. 6. quæſt. 1. adducentem multos Doctores ac Patres, quos inter illuſtriſſimè id tradit S. Ephrem. tomo 3. in ſui ipſius confeſſione, pag. 606. Rationem infrà trademus. Cùm igitur indubitatum ſit aliquos voluntatis actus inefficaces de obiecto malo prauos eſſe; difficultas ſupereſt an id de omnibus valeat. Nam varij varias reſtrictiones & exceptiones adhibent, quas excutere operæpretium videtur.

Non valere quoad omnes, qui dixerint. Excluſa diſcriminis ratio prima.

Ac primùm aliqui contendunt fieri poſſe, vt voluntas verſetur inefficaciter circa obiectum malum, neque tamen obiectum illud ſit radix amaritudinis tali actui, eò quòd obiectum malum non attingatur per actum, quia eſt obiectum malum, ſed propter rationem aliquam boni vtilis aut delectabilis, non repugnantem naturæ rationali. Sic Ioſeph non videtur peccaſſe concipiendo delectationem de ſua venditione, & fratrum in ea peccato, prout fonte tot bonorum quæ Deus ex ea deriuauit in omne genus Hebræorum ipſúmque in primis Ioſephum. Sic ſanctus Gregorius lætatus eſt de culpa, quæ tantùm meruit habere Redemptorem. Contemplatus enim incarnationis excellentiam, & bona inde enata, (optimum vtique effectum ex mala cauſa,) de ea cauſa, prout cauſa tot bonorum, delectatus eſt. Quis verò damnet lætitiam conceptam de morte alicuius in bono ſtatu, cui alioqui exitium æternum timeri poterat, niſi raptus eſſet, ne malitia mutaret intellectum eius? Denique ſimul triſtari inefficaciter de opere præcepto & honeſto quia eſt laboris plenum, vitio caret; ita gaudere de obiecto malo quia eſt commodum, & bona honeſta profundit, non videtur vitioſum. Ita nonnulli recentiores.

Quibus annumerandi videntur qui agnoſcunt licere ſine culpa delectari de quibuſdam adiunctis malorum obiectorum, in quæ proinde obiecta aliquo tandem modo: id eſt, vt in obiecta materialia, proxime tendat delectatio. V. G. qui delectatur de duellantium dexteritate & ingenio in pugna, vel de inſigni vafritie prodita in perpetratione furti, vel de prolapſione ridicula qua quis membrum fregerit, aut luxauerit, cenſetur omni culpæ labe immunis. Et tamen induſtria illa, aut modus ridiculus concomitans alienum malum, attingi nullo modo poteſt, quin ſimul attingatur duellatio, furtum, prolapſio, quibus adiuncta illa adhæreſcunt. Ergo poteſt ſine culpa elici actus circa obiectum malum, ſub ratione boni: ita vt ipſum quidem malum, eo actu attingatur; at non quà malum eſt, ſed vt duntaxat vt materiale obiectum.

309. Hæc ſententia mihi non probatur. Quamuis enim admitto, in exemplis propoſitis deeſſe vitium; Tamen nego in illis obiectum malum attingi: ita vt iuxta meam ſententiam, malum quoad illos actus, ne materialis quidem obiecti proximi rationem habeat, ſed tantùm remoti, à quo nulla actui inefficaci contaminatio imminet: quia nullo modo pertinet ad actum de quo agimus, ſed ad illud ſe habet merè concomitanter, quatenus reperitur à parte rei adiunctum ei rationi obiectiuæ quæ actum terminat. Affectus enim proximè non fertur in ipſammet rem malam, ſed in dexteritatem, ſiue induſtriam aut commodum vel euentum bonum. Et porrò induſtria, (& idem eſt de reliquis memoratis,) non eſt bonitas in abſtracto, vt malè cenſet Vaſques, 1.2. d. 111. num. 12. ſed eſt reuera bonum aliquod aptum mouere affectum ac delectare, quamuis per comparationem ad materiam remotam, huiuſmodi bonum cenſeri poſſit abſtractum: quia V.G. dexteritas non approbatur prout eſt in hoc indiuiduo actu, cuius malitia intellectui obuerſetur, ſed

perinde

perinde ac ſi alteri actui ſingulari inexiſteret; aut perinde ac ſi ineſſet iſti ſingulari actui abſque vlla labe.

Altera diſcriminis ratio, reiicitur.

Sunt qui dicant, actum inefficacem occupatum circa obiectum malum, non quatenus malum moraliter, ſed quatenus mirum & infrequens, ac aliquo exquiſito modo perfectum, non tam eſſe de re cogitata, quàm de ipſa cogitatione. Ita Caietanus in Summa, V. *Delectatio.* Val. 1.2.d.6. quæſt.4.p.3. Sanches l. . in Decal. cap. 2. num.5. Leſſ. l. de Temper. cap.3 num.107. Quod ſi verum eſſet, non foret difficile expurgare actus illos, tametſi remotè circa obiecta mala occupatos. Certum enim eſt, actum de ipſa cogitatione obiecti mali poſſe eſſe optimum, vt tradit D. Thomas 1.2 quæſt. 74. art 8. Nimirum tunc ſola cogitatio habet rationem obiecti, quæ certè non habet rationem obiecti mali. Iuxta illud D. Auguſtini l. de vtil. cred. cap. 11. *Ipſa noxia non intelligere, ſed facere aut pati miſerum eſt. Non enim ſiquis intelligat quomodò poſſit inimicum ſine ſuo periculo occidi, intelligentiâ ipsâ ac non cupiditate reus eſt; quæ ſi abſit, quid innocentius dici poteſt?* At cùm actus verſatur circa cædem, vt circa obiectum ſuum cogitatio non habet rationem obiecti, ſed tantùm habet rationem applicationis obiecti: quod non contingit in ea delectatione de cogitatione & ſpeculatione cædis. Itaque ſi verum eſſet, actus illos inefficaces, de quibus agimus, non eſſe de obiecto malo, ſed de eius tantùm cogitatione, vt Autores allegati profitentur, immunes à vitio eſſent.

Ego tamen fateor, actus illos non eſſe de cogitatione, cùm nullus ibi interueniat actus reflexus ſupra anteriorem aliquam cogitationem, & plerunque homo non cogitet ſe cogitare. At abſque ea reflexione & cogitatione, actus inefficax non poteſt dici terminari ad ſolam cogitationem obiecti mali, vt rectè Durandus in 2.d. 14. quæſt.6. num.5. & Conrad. 1.2. quæſt. 74. art. 8. Eatenus tamen affinitatem habent hi actus cum actibus verſantibus circa ſolam cogitationem, quòd neutri proximè verſentur circa rem malam, ſed malitia eius ac ſubiectum ea forum, remotè omninò ac impertinenter ſe habeat ad actum inefficacem, de quo agimus.

Eiuſdem diſcriminis ratio tertia, bipartia.

310. Alij quidam Doctores, aliter tradunt quomodò actus aliqui inefficaces de obiecto malo, poſſint vacare culpa. Aiunt enim eſſe quædam obiecta mala quæ iure naturæ vetantur, ſúntque impræciſibiliter mala: At alia obiecta eſſe, quæ mala tantùm ſunt iure poſitiuo, quibus liquet poſſe adimi malitiam, cùm tantùm mala ſint quia vetantur eo iure quod eneruari aliquando aut tolli poteſt. Priora itaque obiecta mala, aiunt eſſe ſemper fontes malitiæ reſpectu actuum in ea tendentium, quod negant de obiectis poſterioribus, ob diſparem malitiæ cum vtriſque nexum. Sic poteſt aliquis innoxius delectari inefficaciter de cibo cùm ieiunandum eſt, vel de carnibus, quo die eſt illis abſtinendum: quia ſcilicet huiuſmodi abſtinentia mandatur tantùm iure poſitiuo mutabili, proindéque voluntas poteſt ferri in ea ſecundùm ſe, ac ſi prohibita non eſſent. Neque verò mens Legislatoris fert, vt delectatio quoque de obiecto quod prohibet, caueatur; ſed tantùm vetat opus ipſum; V. G. eſum carnium, aut vſurpationem ciborum: non curans an voluntas ſubditi circa ea opera vetita delectari & hærere inefficaciter ſtatuat. Sunt in hac ſententia Leſſius l. de Temper. cap. 3. num 115. Reginald. l. 16. num. 29. Salas 1. 2. tract. 13. d.6. num. 52. & num. 230.

Annuit Sanches quoad aliqua obiecta iure tantùm poſitiuo vetita, nempe quoad ea quæ vetantur iure poſitiuo negatiuo. De his enim fatetur non eſſe fontes malitiæ in actibus circa ea inefficaciter verſantibus, eò quòd malitia ſuperueniat ſubſtantiæ talium actuum, quæ vel bona vel indifferens eſt, & idcircò eſt appetibilis præſcindendo malitiam: quod neque fieri poteſt circa obiecta iure naturæ vetita, quibus malitia tam altè immiſſa eſt vt ſeiungi non poſſit: Neque etiam circa ea quæ iure poſitiuo affirmatiuo prohibentur: quia cùm ſint tantùm omiſſiones, deſtituuntur ſubſtantia indifferenti aut bona, in quam ferri poſſit actus inefficax, præciſibiliter à malitia. Sicut ergo Chriſtus Dominus totius innocentiæ exemplar, deliberatè triſtatus eſt inefficaciter, de obiecto præcepti ſibi à patre impoſiti; id eſt de morte: Ita è contrario, ſimplex & inefficax delectatio de actione mala ex ſolo iure poſitiuo affirmatiuo, poterit labis cuiuſcunque expers eſſe. Non diſtinxi de obiectis iure poſitiuo humano aut diuino vetitis: quia quamuis aliqui ex Autoribus allegatis, agant tantùm de vetitis iure humano poſitiuo: Tamen par eſt ratio de obiectis ſolo diuino iure poſitiuo vetitis: Vtriſque enim obiectis poſitiuo tantùm iure malis, ſubeſt ſubſtantia ſecundùm ſe bona vel indifferens.

Improbatur quoad vtramque partem.

311. Sed neque hæc reſtrictio placet. Expendo illam primùm prout ab Autoribus priore loco relatis proponitur? ſeu prout abſolutè dicitur, opus iure tantùm poſitiuo vetitum, poſſe ſine culpa appeti inefficaciter: Hoc impugno, quia obiectum etiamſi duntaxat vetitum iure poſitiuo, eſt tamen reuera vetitum & malum. Quomodo ergo negatur inquinare actum qui cœno eius velut immergitur? Nec refert quòd malitia non adhæreſcat inſeparabiliter ſubſtantiæ eius. Satis enim eſt, quòd ei adhæreat, & quòd voluntas feratur in eam ſubſtantiam cui malitia colligatur, ac eo ipſo cenſeatur velle indirectè malitiam. Neque enim aliter plerunque volita eſt malitia operis iure naturæ vetiti: Tamen ab huiuſmodi opere refunditur malitia in actum inefficacem circa illud verſantem, quia contagio malitiæ occupantis ſubſtantiam ac veluti præcordia illius operis, refunditur in actum occupatum circa ſubſtantiam illam. Quidni ergo ſimiliter, actus tendens in ſubſtantiam operis iure tantùm poſitiuo vetiti, vitiabitur à turpitudine eidem ſubſtantiæ adiuncta, quandiu adiuncta ſupponetur & cognoſcetur; Ad hæc, vt argumentatur Ioannes Medina C. de reſtit. quæſt. 21. iuxta aduerſarios liceret delectari de omiſſione officij Eccleſiaſtici quam Clericus gratis incurrit; vel de ieiunij violatione in eo, qui legitimè non eximitur. Itaque parum refert, quòd obiectum malum hoc illóve iure ſit malum. Dummodò enim malum ſit, & tale eſſe cognoſcatur, ſi actum aliquem terminet, non poterit eum non inficere.

Iam verò modus dicendi ex Sanche relatus, in primis nihil officit principio à nobis poſito. Admittit enim hic Autor, omnem actum abſolutum circa obiectum quomodolibet vetitum & malum, quandiu malum ſupponitur, vitium inde contrahere: tantúmque labe eximit actum verſantem circa obie-

ctum quod ſit reuera malum. Deinde modus iſte dicendi, non vno modo impugnationibus patet. Nam perperam diſtinguit de obiectis iure poſitiuo affirmatiuo ac negatiuo prohibitis, quaſi priora ſemper reprobentur, non autem poſteriora, ob ſubſtratam malitiæ eorum ſubſtantiam indifferentem, aut ſecundùm ſe bonam. At ſi ita eſſet, planè liceret delectari de violatione ieiunij quæ iure tantùm poſitiuo negatiuo vetatur. Quamuis enim præceptum ieiunij concipiatur verbis ſonantibus affirmationem & mandatum actus poſitiui; his videlicet, *ieiuna*; Vel *abſtine à cibo*; tamen hoc præceptum eſſe negatiuum & prohibere comeſtionem multiplicem intra vnum diem, rectè notatum eſt à Vaſquez 1.2.d.75.n. 14. & ibid ad quæſt.72.art 6.n.10.

Imò ſi ratio quam aduerſarius adhibuit pro obiecto quod iure poſitiuo negante malum eſt, idonea eſſet, æquè fateri oporteret, obiectum malum iure poſitiuo affirmatiuo, imò nonnulla quoque iure naturæ vetita, poſſe ſine culpa appeti inefficaciter. Nam indifferentia illa, vel etiam bonitas ſubſtantiæ obiecti ſecundùm ſe ſumptæ, non minùs locum habet in obiectis iure affirmatiuo poſitiuo vetitis, & in quibuſdam iure naturæ prohibitis, quam in obiectis malis vi iuris poſitiui negatiui. Poſſumus enim in omiſſione actus boni, ſuam quaſi ſubſtantiam negatiuam à malitia expurgabilem, & ſecundùm ſe appetibilem conſiderare. Sic omiſſio Sacri, habet rationem quaſi operis licitè appetibilis, ſi ſecludatur prohibitio, & ſpectetur ſecundùm ſe, quatenus ſcilicet commoda ad refugiendum itineris laborem, vel ad vacandum aliis negotiis. Poſſumus præterea in fornicatione,(quæ eſt opus iure naturæ illicitum,) conſiderare ſubſtantialem aliquam rationem ex ſe indifferentem: eam nimirum quæ fornicationi communis eſt cum commixtione legitima. Vtrunque enim hoc opus, conuenit in aliquo genere ad vtriuſque ſubſtantiam pertinente, & per alterutram contrahibili, ac proinde ex ſe non malo. Quod quamuis exiſtere reipſa non poſſit niſi contractum ad alterutrum membrum, ac proinde reipſa debeat adiunctam habere vitioſitatem vel honeſtatem: Tamen per mentem poteſt ita indifferens concipi, & abſolutè obiici voluntati. Quæ omnia validè quatiunt rationem illam, cui modus dicendi quem excutimus, innititur: probántque ſi hunc modum approbemus, fatendum ſimiliter fore, obiecta iure naturæ vel iure poſitiuo affirmatiuo mala, poſſe innoxiè appeti inefficaciter: quod Autor cum quo agimus, meritò refugit.

Tandem malè in eo dicendi modo ſupponi videtur, actum inefficacem voluntatis poſſe ſine labe ferri in opus reipſa malum, præciſa tantùm malitia, non excluſa. Cùm enim malitia inſit, & aduertatur, vt ſupponimus, non poteſt non inficere actum qui cõtingit ſubiectum ab ea ſordens, non obſtante propoſita præciſione, quæ non emundat obiectum, ſicut faceret actus conditionatus, de quo ſuprà.

Diſcriminis propoſiti ratio quarta.

311. Eſt alius philoſophandi modus, quo declarare nituntur aliqui, quomodò obiectum aliquod tum iure poſitiuo, tum iure naturæ prohibitum, poſſit per actum voluntatis inefficacem abſque labe attingi. Innuit eum Vaſquez 1.2.d.110.num.7. & d. 111. num.14 & 15. approbante Sayro in Claui regia, l.8. cap.7.à num.14. & & Bonac. quæſt. 4. de matrim.p. 8. n. 5. Cùm autem aliqui actus inefficaces de obiectis illicitis, turpes ſint, alij non item, idcircò Vaſquez vt diſcriminis ſolidum fundamentum iaciat, oſtendátque cur nihilominùs aliqui non inquinentur ex eo veluti attactu obiecti turpis, ſupponit & latè confirmat d.illa 111. toto cap. 3 malitiam actus interni inefficacis & abſoluti de quo agimus, non eſſe deſumendam ex eodem fonte ex quo deſumitur malitia actus efficacis. Hic enim eſt cauſa operis, ac proinde maculatur ab eo, ſin minus tanquam ab obiecto, at certè vt ab effectu malo. Quod non valet pro actu inefficaci, qui proinde habet ex ſe ſuam moralitatem: ita vt ſi ſpeciali alicui virtuti opponatur, malus ſit: ſin minùs, ſit bonus vel indifferens. Quia ergo interdum adeſt oppoſitio cum aliqua virtute, idcircò tunc actus inefficax, eſt malus. Cùm verò ea oppoſitio deeſt,(quod Vaſquez concedit quandoque locum habere, etiam cùm actus inefficax eſt de externo opere quod prohibeatur iure diuino aut naturali:) Tunc actus voluntatis abſolutus & inefficax, non inquinatur ab obiecti turpitudine.

Ex quibus principiis Vaſquez poſteà diſp.112.cap. 2. annuente Reginaldo l.14. num.130. valdéque probabile id iudicante Leſſio lib. de Temper. cap. 3. *in fine*, & Sala 1.2.tract 1 .d. 6.num.56 infert circunſtantias conueſtientes obiectum de quo concipitur actus inefficax, eſſe ad ſpeciem eius ac moralitatem impertinentes, niſi opponantur eidem virtuti contra quam pugnat actus inefficax. V. G. ſi quis turpiter delectetur in cogitatione de turpi opere cum perſona ſacra, negat Vaſquez eam obiecti circunſtantiam, eſſe circunſtantiam actus inefficacis circa illud obiectum verſantis: quia circunſtantia perſonæ ſacræ, non opponitur eidem virtuti caſtitatis; vnde non eſt circunſtantia actus inefficacis caſtitatem oppugnantis, ac proinde non variat ſpeciem eius. Quatenus verò ea circunſtantia opponitur virtuti Religionis, non eſt volita; ac proinde non inquinat vllo modo operationem, niſi in aliquo, ea actio inefficax, ratione voti vel ſtatus, ſpecialem oppoſitionem cum virtute aliqua ſortiatur. Quæ doctrina pendet ex eo principio ac diſcrimine, quòd inefficaces ſint ex ſe productiui obiectorum, ſpecténtque executionem & idcircò neceſſariò ſordeſcant ab obiectis malis: Simplices autem affectus non ſint obiectorum productiui, ſed ferantur quaſi præciſiuè, quatenus verſantur circa obiecta vt præcisè conſiderantur, non verò vt executioni mandantur. Huic ſcipioni inniaam eſſe eam doctrinam de eadem ſpecie omnium delectationum contra caſtitatem, eleganter de more dixit, approbauitque Hurtadius d.14.de anima, n.12.

Supponit falſum, ex falſis fundamentis.

Verùm hic philoſophandi modus & falſum ſupponit, & ex multis aliis capitibus reprobandus eſt. Falſum enim eſt, quod malitia actus interni non petatur ab obiecto prout objecto. Vnde namque potiùs accipiet actus internus malitiam, quàm vnde habet eſſe? Atqui habet eſſe ab objecto, vt notum eſt. Ergo ex eodem vitiato fonte ſui eſſe, haurit quoque turpitudinem. Quòd ſi ſemel liceat inficiari deriuationem malitiæ ab objecto quatenus objectum eſt, malimúſque eam petere ab objecto prout circunſtantia; id eſt prout effectu; fatendum erit nullam eſſe in actibus internis moralitatem ductam ab objecto, ſed tantùm à circunſtantiis: quandoquidem illi ipſi actus quos aduerſarius admittit eſſe morales penes objectum, hoc eſt actus efficaces, non ſunt morales penes objectum in ratione objecti ſumptum, ſed in ratione effectus, quæ eſt circunſtantia quædam. At æquè profectò nouum ac abſurdum videtur, dicere moralitatem actuum internorum voluntatis nunquam peti ab objecto qua tali, ſed ad ſummum à circunſtantiis, imò

ne ab his quidem in actibus inefficacibus.

313. Nec argimenta quibus Vaſques diſp. illa 111. cap. 3. confirmat diſcrimen hoc inter actum efficacem & inefficacem, quoad deriuationem moralitatis ab obiecto tantùm provt effectu, ſunt reuera idonea. Ait enim primò, plerunque actum efficacem eſſe malum, non item inefficacem, vt in multis exemplis ſuprà propoſitis. Et è contrà interdum actum efficacem honeſtum eſſe; inefficacem verò vitioſum, vt liquet de propoſito efficaci, quod homo ſolutus concipiat de contrahendo coniugio futuróque vſu eius: quod propoſitum honeſtum eſt, quamuis præſens delectatio de obiecto eius, ſit inhoneſta; & tamen duo illi actus, idem obiectum ſpectant: quod Vaſques putat eſſe euidenti argumento, quòd non indidem vterque hauriat moralitatem. Idem ſecundò colligit ex eo quòd ſola voluntatis efficacis mutatione in ſimplicem, actus grauiter malus tranſire poteſt in actum virtutis, vt patet in eo, qui de naturali ſeminis excretione inſenſibiliter facta, lætatur, ob conſecutum inde leuamen à turpibus motibus, & laſciuia carnis Eſt enim ea delectatio innoxia & honeſta: Foret autem grauiter mala, ſi eſſet volitio efficax. Præterea argumentatur tertio loco, quia ſimplex affectus diſplicentiæ circa rem præceptam quatenus laboris plenam, eſt plerunque leuiter inhoneſtus foret autem longè fœdior affectus efficax circa idem obiectum. Denique quartò argumentatur, quia vt voluntas efficax grauem culpam contineat, non eſt ſemper opus vt voluntas feratur directè & explicitè in obiectum; quod tamen eſt ſemper neceſſe, vt actus inefficax inquinetur. Hæc ſunt argumenta, quibus Vaſque confirmat diſcrimen propoſitum inter actum efficacem & inefficacem, quoad deriuationem malitiæ ab obiecto ducibilis in actum efficacem; non in inefficacem:

Non video tamen quomodò illatio diſcriminis propoſiti, ex illis antecedentibus conſequatur. Nam primum argumentum nullo negotio eneruitur; dicendo, quoties actus circa obiectum aliquod eſt malus, affectum quoque inefficacem de eo obiecto, malum eſſe. Hoc ipſum enim eſt de quo litigamus: nec debuit aduerſarius contrarium aſſumere quaſi perſpicuum, vel iam probatum. Cùm autem affectus inefficax malus eſt, non item volitio efficax, vt videtur patere in propoſito illo efficaci futuri coniugij, & delectatione de eo. Tunc ratio turpitudinis, in vno, non in alio actu interuenientis, ducenda eſt ex circunſtantia aliqua. Nempe quia delectatio, eſt cauſa ſaltem incoata, mali alicuius effectus, quod non habet eo tempore volitio efficax In exemplo quo ſecundum argumentum nitebatur, actus efficax & inefficax ſunt de diuerſis obiectis: nempe delectatio, eſt de leuamine conſequente præciſo prorſus à cauſa ſua mala: actus autem efficax, eſt de illa ipſa cauſa. Quòd ſi ſupponamus, actum quoque inefficacem terminari ad cauſam malam, vterque malus erit Et hoc ipſum eſt quod hîc inquirimus Tertium & quartum argumentum, apertè ſunt extra rem. Non enim ſi actus inefficax fœdatur tantùm leuiter ex obiecto directè volito; actus autem efficax eo eodem quomodolibet volito haurit grauem malitiam; conſequens eſt, vt malitia actus inefficacis non petatur ab obiecto. Ipſa namque efficacitas & robur applicationis, potuit illud malitiæ ſuperpondium, quo actus efficax oneratur, adiicere, quamuis vterque actus ex eodem obiecti fonte malitiam petat: Itaque non ſatis ſtabiliri ab aduerſario videtur principium illud cui vniuerſa moles doctrinæ ab eo propoſitæ inædificatur: videmúrque ſatis euiciſſe quod primo loco aduerſùs eius placitum propoſueramus. Nempe ſupponi in eius fundamento aliquid falſum.

Alia prætereà improbantur in quarto illo diſcrimine.

314. Eſt autem prætereà quod in eo placito iure diſpliceat. Nam aduerſarius ait, quoſdam actus inefficaces de obiecto malo, nullatenus ſordere, quia cum nulla virtute opponuntur. At conſtat oppoſitionem actuum cum virtute, non aliunde exiſtere quàm ex principiis eorum: Ita vt ſi obiectum vel ſecundùm ſe, vel ratione alicuius circunſtantiæ ei adiunctæ, opponatur virtuti; (quod ſemper habet cùm malum eſt:) actus quoque cenſeri debeat virtuti oppoſitus. Implicat itaque in adiecto, aſſerere actum verſari circa obiectum malum, nulli virtuti repugnare. Cur verò quidam actus inefficaces de vno obiecto malo dicentur opponi ei virtuti ad cuius ambitum pertinet obiectum illud, non item alij proportione ſeruata? V. G. cur delectatio de cæde inimici, fœda eſt & pugnans cum charitate; cur item delectatio venerea caſtitati aduerſatur; delectatio autem de cibo cuius eſu interdicitur, non repugnat abſtinentiæ, aut Religioni eſu illo interdicenti? Denique actus inefficax continet aliquam voluntatis quietem in obiecto malo, eiúſque approbationem & volitionem. Impoſſibile autem eſt, vt velle malum, illúdque approbare, vitio vacet. Ergo neceſſariò actus inefficax de obiecto malo opponitur alicui virtuti. Nullum quippe eſt vitium quod naturæ rationali non diſconueniat, atque adeò etiam quod non opponatur alicui virtuti.

Concluditur quoſvis actus abſolutos inefficaces de obiecto prauo, prauos eſſe.

Quare perſto in ſententia initio propoſita, & dico, omnem actum qui circa obiectum malum verſatur, etiamſi inefficaciter verſetur, habere illud pro fonte malitiæ, nullo malo obiecto excepto. Ita Durandus in 2.d.24.quæſt.6. num.1. Azor t.1.l.4.cap.6. quæſt 1. Ioan. Med. C. de reſtit. quæſt. 21. Sanches L.1. in Decal. cap. 2. num. 9. Baſil. Poncius l.10. de matr.cap.16.§.3. Fernandes p.4.exam.cap. .§.4.q.1. adducens benè multos, quibus præiuit S Thomas 2. 2.quæſt.154 art.4.& 1. 2. quæſt. 74. art.8. vbi licèt in corpore articuli loquatur duntaxat de actu inefficaci circa obiectum caſtitati contrarium; (de quo etiam vt plurimùm agunt Doctores, quia frequentius eſt & ſenſibilius;) tamen adhibet rationem vniuerſalem Et in ſolutione ad 5. profert exemplum de actu inefficaci circa homicidium cogitatum. Rationes nihil eſt neceſſe multiplicare præter ſuprà tactas Sed illa præſertim eſt potens, quæ petitur ex malitia obiecti, quod cùm ſit actui fons eſſendi, non poteſt eum non commaculare, ſicut ipſum in ſe turpe eſt, niſi eius fœditas vel non aduertatur, (atque adeò neque attingatur,) vel per actum excludentem, quaſi detergatur. Et quamuis qui inefficaciter circa tale obiectum verſatur, non ſit illud executioni mandaturus; tamen conformat eius turpitudini voluntatem ſuam, & probrum eius ratum habet & approbat: Quod profectò turpe eſt & ab honeſtate alienum.

Nec verum eſt quod aliqui obtendunt; nempe peccatum non alia de cauſa malum eſſe, quàm quia malum eſt illud fieri, cùm ſit actio quædam mala ex quo prætereà inferunt ſi obiectum malum ſpectetur abſque ordine ad executionem, non ſpectari quatenus malum. Hoc nego verum eſſe. Et in primis ſileo quòd aliquando obiectum actus praui inefficacis, poteſt eſſe aliquid ab actione diuerſū, vt patet de delectatione in non eſſe Dei apprehenſo, quo exemplo manifeſtè

feſtè eneruatur quod obtenditur in contrarium. Præterea verò actio mala, eſt ſemper fieri quoddam ſaltem poſſibile: Ac proinde quamuis excludatur ordo ad executionem; tamen ſaluus eſt ordo ad fieri, quod de ratione peccati eſſe dicitur. Non quidem ordo ad fieri exequendum vi actus in illud tendentis, ſed ordo ad fieri approbatum vi actus inefficacis, præſcindentis ab executione illius fieri, ſiue actionis aut obiecti.

Prætenſus ſententia noſtræ rigor mollitur

315. Ad temperandam tamen apparentem ſeueritatem ac duritiam cuius è pleriſque rea agitur noſtra ſententia, obſeruatum in primis velim, actus inefficaces elicitos ratione boni euentus ex mala cauſa prodeuntis, aut ratione ſubtilitatis vel nouitatis obiecto vetito adiunctæ, quos actus præcipuè vrgent aduerſarij, non reiici à nobis tanquam malos, ſed admitti prout ordinariè fiunt: nempe quatenus non ſunt de ipſis prauis obiectis, quod aduerſarij perperam ſupponunt; ſed prout ſunt de adiuncta dexteritate, nouitate, aut bono euentu. Quis enim non cohorreat, ſi audiat filium de patris cæde gaudere, tametſi addat ſe de ea cæde delectari, quia pater in gratia obüt? Quantacunque enim adhibeantur condimenta, cædes iniqua parentis, nulli probo filio vnquam dulceſcet. Itaque quod tunc delectat, non eſt cædes, ſed mors obita in gratia, quod eſt obiectum honeſtè delectabile.

Quód ſi interdum delectatio eſt de ipſo opere, & nihilominùs actus inefficax videtur innoxius, tunc vel obiecti malitia non conſideratur, defectu actualis aduertentiæ, quamuis non deſit habitualis notitia illius: vel certè actus inefficax qui tunc elicitur, non eſt abſolutus, qualis eſt is de quo diſputamus, ſed eſt conditionatus, quamuis id minùs aduertatur: vel denique ratio terminans affectum inefficacem, non apprehenditur implantata huic actui, qui in his circunſtantiis prauus eſt, ſed ſpectatur in alio actu aliis circunſtantiis veſtito, ac proinde non malo, vt mirum non ſit ſi vitium actus praui non refundatur in affectum inefficacem, qui ad illum prauum actum non terminatur, ſed ad alium ſubſtantia ſimilem, aliis tamen circunſtantiis conueſtitum atque adeò labis expertem, quam proinde non deriuat in affectum inefficacem cuius eſt obiectum.

His ferè modis homo à peccato abhorrens, cùm in quadrageſima ad carnes aut paſtum indebitum inefficaciter afficitur, concipit inter ſe actu. (tametſi plerunque non niſi implicitè.) affectum his aut ſimilibus verbis expreſſum: *ô ſi liceret; ſi non eſſet dies quadrageſimæ; ſi obligatione abſtinendi eximerer, ſicut is quem veſcentem video!* Affectus ergo ſic tendens in obiectum malum, vitio vacat, quia ſpectat obiectum cum conditione expurgante virus eius, qua ratione honeſtè appetitur, vt ſuprà præmiſſum eſt. Aliàs verò homo ille delectatur inefficaciter de comeſtione ciborum vetitorum, apprehenſa in eo cui ea comeſtio non ſit illicita.

Omnes obiecti rationes turpes, inficiunt actum efficacem, non omnes ſemper inefficacem.

317. Vnum video ſupereſſe meritò aduertendum circa hanc actus vitiationem ab obiecto, vnde habebimus inſigne diſcrimen inter actus prauos efficaces & inefficaces, diuerſum ab eo quod proximè retulimus, & exploſimus: Nempe actus efficaces combibere totum virus obiecti, dummodò aduertatur: inefficaces autem, poſſe vnam duntaxat obiecti turpitudinem contrahere dimiſſis reliquis V. G. qui efficaciter intendit aut deſiderat fœdationem mulieris, quam & ſibi conſanguineam, & alienam vxorem eſſe aduertit; perinde inficit actum ſuum turpitudine iniuſtitiæ & impietatis ſeu irreuerentiæ erga huiuſmodi perſonam, ſupra labem intemperantiæ, ac ſi reipſa fœdaret perſonam illam, & eo obiecto malè expetito potiretur. Actus quippe efficax tendit in obiectum prout executioni mandandum. Vnde ſicut ſi executio poneretur, actus contraheret fœditatem ex omnibus rationibus turpibus quæ in illo obiecto reperiuntur, nec poſſunt reipſa ab inuicem diuelli: ita ſi executio expetatur efficaciter, non eſt dubium quin omnes illæ, fœditatis obiecto turpi internæ rationes conſperſuræ & inquinaturæ ſint actum efficacem in tale obiectum tendentem ſaltem indirectè, dummodò nulla earum lateat. Quod addo, quia per ſe euidens videtur, malitiam obiectiuam intellectui ſubductam, non attingi à voluntate, atque adeò non inficere actum eius. Itaque non video quorſum Durandus in 1. d. 5. quæſt. .n. 9. contendat, circunſtantiam non conſideratam, ſi reipſa obiecto inexiſtat, inquinare actionem voluntatis circa illud occupatam.

Actus verò inefficax longè aliter tendit in obiectum. Non enim tendit in illud prout eſt reipſa, ſed prout per intellectum proponitur: atque adeò ſi per intellectum ad hanc illámve rationem malitiæ arctetur, eam tantùm malitiam, non reliquas reipſa adiunctas, actui impertiet. V. G. ſi quis in mulierem coniugatam & propinquam inefficaciter feratur, tantùm quia pulchra eſt eius delectatio ſordebit ſola fœditate ſpecifica fornicationis, non autem fœditate adulterij & inceſtus, ducibili ex rationibus obiecto illi reipſa adiunctis atque perſpectis, quarum prior contra Iuſtitiam eſt, altera contra Pietatem. Conſiderandum enim eſt, delectationem de muliere tantùm quia pulchra eſt, habere adiunctum actum cæterarum rationum turpium excluſiuum, & arctantem obiecti malitiam ad ſolam rationem conſtitutiuam ſimplicis fornicationis. Sicut enim ſuprà vidimus, actum verſantem circa obiectum turpe ſub conditione excludente omnem obiecti turpitudinem, vacare culpa; ita actus inefficaciter verſans circa obiectum multiplici turpitudine ſordens, excluſa vna vel altera, vacat culpa quoad obiectiuas turpitudines excluſas. Quod non habet locum in tendentia efficaci vel executione, quia feruntur in obiectum, quale reipſa eſſe cognoſcitur. Ita accipio Autores qui affirmant, delectationes, quia interiùs conſummantur, non haurire integram obiecti malitiam, ſed duntaxat apprehenſam, quamuis actus efficax totam obiecti malitiam combibat. Tradit hoc accuratè Azor t. 1. l. 4. cap 6. quæſt 3. & annuunt Sanches l. 1. in Decal. cap. 1. num. 11 Ægid. Coninc d. 34. de Sacram. num. 08. valdéque probabile id cenſet Leſſius 1. de Temper. c. 3. n. 123.

317. Si tamen ea rationis turpis adiunctæ excluſio non interueniret ſaltem implicitè, ita vt intellectu omnes turpitudinis rationes obiecto internas monſtrante, voluntas in vnam ſolam tenderet, de reliquis nihil prorſus ſtatueret, eo modo quo intellectus, abſtrahens vnam rationem obiectiuam, reliquas dimittit intactas: ſic non dubitarem, quin vniuerſum obiecti virus quod cognoſcitur, redundaret in actum. Habet enim hîc locum diſcrimen illud quod Durandus in 2. d. 5. quæſt. 1. num. 9. proponit inter intellectum & voluntatem; quòd intellectus rationes in obiecto adunatas, poteſt ſecernere per meram non incluſionem, quod negat voluntati competere, quia obiectiuæ illæ rationes terminant intellectum vt ſunt quidditates quædam, quo pacto ſeiunctæ ſunt

ab

ab inuicem ; voluntatem verò terminant provt cognoſcuntur inexiſtere rei volitæ ſpectatæ cum omnibus circunſtantiis ſuis , atque adeò ſimul omnes, niſi per actum concomitantem excludantur.

Obiter de eodem malitiæ fonte in omiſſionibus.

Satis de hoc primo malitiæ fonte in actibus prauis. De omiſſionibus , proportionalis eſt ratio , niſi quòd omiſſionum obiectum non eſt res praua , ſed bona. Eſt enim ipſe actus præceptus , qui vtique honeſtus eſt Et idcircò poſſet alicui ſuboriri dubitatio, quomodò res bona poſſit eſſe fons malitiæ actualis. Dices non rem bonam ſimpliciter ſtatuendam eſſe omiſſionis obiectum , ſed rem bonam omittendam, quæ ratione mala eſt. Verùm falsò ſtatueretur huiuſmodi obiectum prauæ omiſſionis. Non enim poteſt pro obiecto omiſſionis aſſignari ipſa omiſſio , vel aliquid extrinſecè denominatum ab omiſſione. Atqui res bona omittenda , nihil eſt præter rem & eius omiſſionem , vel præter rem extrinſecè denominatam ab omiſſione. Igitur non eſt ſtatuenda pro obiecto omiſſionis prauæ. Res verò provt apta omiſſioni ſubſterni, ſiue provt fundamentaliter idonea in quam omiſſio cadat , nihil planè continet non bonum : atque adeò fatendum eſt , obiectum prauæ omiſſionis, eſſe rem bonam. Quomodò ergo eſt omiſſioni fons turpitudinis?

Reſpondeo non difficilè intelligi quomodò res bona poſſit eſſe fons malitiæ in eo qui non exequitur, cùm exequi iuberetur. Nam ſicut facere quæ mala ſunt , & vetita præcepto negatiuo , illicitum eſt : ita non facere quæ facere quis iubebatur quia bona ſunt, culpa eſt , nec vitio verteretur , niſi res quæ iubebatur , honeſta eſſet. Igitur res bona eſt fons malitiæ alicuius actualis , non provt efficitur , ſed provt ab ea receditur, cùm exequenda eſſet ex præcepto legitimo.

Alter in actibus malitiæ fons , circunſtantiæ tribus ordinibus diſtributæ.

318 . Secundò propoſui alterum fontem vtriuſque malitiæ actualis , nempe circunſtantias extrinſecas, quarum pleraſque in obiectum tranſire , non tamen omnes ſuprà explicatum eſt, tractando vniuersè fontes moralitatis. Quia tamen perſpicuum eſt , eas quoque circunſtantias quæ in obiectum tranſeunt, ſecerni poſſe ab obiecto ſimpliciter dicto , cùm materiali tum formali ; propterea ſeorſim proponitur ſecundus hic fons malitiæ formalis , qui tam multiplex eſt, quàm multæ ſunt circunſtantiæ fundamentaliter diſſonantes rectæ rationi : quod dupliciter poteſt contingere ; nempe & cùm diſſonantia eſt planè diſtincta , pugnánſque cum peculiari præcepto , quo pacto exurgit in actu elicito malitia ſpecie diuerſa à præiacente ex obiecto ; & cùm diſſonantia eſt duntaxat maior intra latitudinem eiuſdem prauitatis : quo pacto exurgit tantùm quoddam malitiæ accrementum intra eandem malitiæ ſpeciem aliunde iam conſtitutam.

Quia verò ad res morales permagni refert, exploratum habere quæ circunſtantiæ ſpeciem malitiæ peculiarem tribuant, quæ verò duntaxat augeant, idque ad Theologicam tractationem , cui omnis humana diſciplina viam præſtruit , eſt omninò neceſſarium; placet circunſtantias percurrere, & quæ ſpeciem malitiæ tribuant , quæ verò eam duntaxat modificent, inueſtigare : Breuiter tamen , iiſque omnibus ſuppoſitis , quæ ſuprà variis locis de huius malitiæ fonte præmiſſa ſunt. Illis item ſepoſitis , quæ Philoſophicos fines tranſcendunt , cuiuſmodi quàm plurima admiſcuit , qui in hac circunſtantiarum tractatione diligens æquè ac prolixus fuit Angeſtus c. 8. mor. & Almainus tract 1. mor. à c. 6. ad 11. Et habent quidem circunſtantiæ locum & vſum ſuum maximè circa commiſſiones , & idcircò exempla præſertim proferemus circa commiſſiones : tamen doctrina quam dabimus , quantùm feret ratio omiſſionis , erit accommodanda etiam ad omiſſiones , valétque etiam pro eis.

Circunſtantiæ igitur paſſim ſeptem octòve numerantur , comprehenduntúrque vulgari illo verſiculo,

Quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur, quomodò, quando.

Ex eis aliæ pertinent ad ipſum actum , aliæ ad actus cauſas , aliæ ad effectus Circunſtantiæ ſpectantes ad actum, in duplici ſunt ordine. Quædam enim attingunt illum intrinſecè , vt modus agendi ; quædam extrinſecè , vt tempus & locus actionis exercendæ. Circunſtantiæ pertinentes ad cauſas actionis , ſunt; finis extrinſecus , (nam intrinſecus non eſt circunſtantia , ſed obiectum ſimpliciter dictum actus interni;) item cauſa effectiua principalis aut inſtrumentalis , inſupérque cauſa materialis , quoad aliquas materiæ conditiones. Nam ipſa quidem materia abſolutè ſpectata , non eſt circunſtantia , ſed pertinet ad ſubſtantiam actus. Poſtremus ordo circunſtantiarum continet effectum conſequentem ex actione. Nam & ipſe aliquo modo actionem attingit atque circunſtat.

Quæ modi circunſtantia ſpeciem mutet , quæ augeat tantùm

319. In primo capite, circunſtantia modi accidentarij non variat ſpeciem malitiæ , ſed ad ſummum illam adauget. Modum accidentarium intelligo eum, qui non eſt per ſe coniunctus cum actu, alioqui enim eſſet ſubſtantialis , & peculiarem ſpeciem conferret. Sic enim perſonæ ſacræ violatio ſacrilega per vulnerationem V commixtionem , duplici ſpecie malitiæ inquinatur. At cùm modus operandi non eſt per ſe coniunctus cum actu , non confert ſpeciem peculiarem Et ita ſe habet intenſio actus , itèmque modus operandi ex conſuetudine , vel abſque ea: modus item operandi ex paſſione , aut ex malitia non pertingente ad contemptum formalem : ac etiam modus peccandi ex certa ſcientia , vel ex ignorantia culpabili. Inde enim non procreari regulariter diuerſam malitiæ ſpeciem, benè affirmant Sanches 1. in Decal. c. 17. n. 15. & 23. Salat 1. 2. tract. 13. d. 8. n. 71. & Val. 1. 2. d. 6. q. 6. p. 3. Et ratio eſt perſpicua , quia vtrouis modo admittatur peccatum eadem virtus violatur , idèmque præceptum infringitur. Ex quo liquet , eandem vtrobique malitiam exiſtere , tametſi ex vno modo operandi , auctior exiſtat , ac intra eandem ſpeciem tetrior.

Non me latet , quàm multis hac in parte diſtinctionibus inutiliter vſi ſint veterum plerique. Quidam enim malitiam ex certa ſcientia & ex ignorantia culpabili contractam , cenſuerunt eſſe eiuſdem ſpeciei , tantùm quando actus prauus eſt volitus in ſe, non autem cùm eſt volitus duntaxat in cauſa , vt accidit in ebriorum peccatis , Alij eam ſpeciei moralis identitatem , in peccatis vario illo modo admiſſis, agnouerunt in peccatis contra ius naturæ , non item in peccatis contra ius poſitiuum. Alij idem pronunciarunt de peccatis ex culpabili ignorantia iuris : quæ autem admittuntur ex culpabili ignorantia facti cenſuerunt eſſe diuerſæ ſpeciei à ſimilibus operibus ex certa ſcientia admiſſis. Denique alij , malitiam ex ignorantia culpabili contractam, ſecreuerunt ſpecie à

malitia

malitia inuecta per certam ſcientiam, in iis tantùm peccatis quorum malitia in voluntate conſumatur. eò quòd malitia eorum ſita ſit in ſpeciali peccantis intentione. quæ præcluditur per ignorantiam. Vnde peccatum odij, ſcandali, inobedientiæ, & ſimilia. quæ peculiarem operantis intentionem depoſcunt, differunt ſpecie, ſi ex certa ſcientia; & ea quam dixi intentione, vel ignoranter, quamuis culpabiliter admittantur. Tradunt poſtremum hoc placitum Vaſques 1.2.d.101.c.5. & 6. & Azor tomo 1. l. 1.c.14. q.6. qui ibidem anteriora placita propoſita refellit eo argumento quod propoſitimus. nempe quod in omnibus peccatis, quorum malitia conſummatur in aliu actu quàm in actu interno voluntatis, eadem ſit oppoſitio cum virtute atque præcepto; ſiue peccatum ſcienter admittatur, ſiue cum culpabili ignorantia, Verùm hæc ipſa ratio placitum quoque poſtremum ab hoc Autore comprobatum conuellit. Nam in peccatis quoque ſpecialem operantis intentionem depoſcentibus, ſi ea intentio interueniat ignorata culpabiliter malitia, (vt ſanè poteſt accidere,) exiſtet eadem malitiæ ſpecies, quæ extitiſſet ſi certa ſcientia voluntatis præluxiſſet.

Itaque ſtatuendum eſt, malitiam, vt affirmabam, penes modum hunc operandi, non eſſe regulariter ſpecie diuerſam. Dico *regulariter*, quia quamuis ignorantia non ſoleat inuehere ſpecificam malitiæ diuerſitatem, eò quòd plurimùm variet duntaxat modum voluntarij, qui ad modum duntaxat ex parte operantis ſe tenentem, non autem ad malitiæ ſpeciem & formalitatem pertinet: Tamen aliquando ignorantia, etiamſi culpabilis ſubducit obiectum, à quo peccatum accipit ſuam propriam rationem. Vnde etiamſi non eximat prorſus à culpa, quia relinquit ſufficiens voluntarium reſpectu mali quod culpabiliter latet, tamen excludit certam illam malitiæ ſpeciem, cuius formalitas nititur ratione aliqua per ignorantiam culpabilem ſubducta. Sic iuxta communiorem ſententiam, quam confirmat latè Vaſques 1.2. d 226.n: 4. & 6. & Suares d.19 de fid.ſ 3.n.15. ac Ægid. diſp. 18. de act. ſupernat. dub.7. & cum innumeris Sanches 2. in Decl. c.7.n.10 is qui ignorat, Eccleſiam aliquid proponere tanquam credendum, tamen id ignoret culpabiliter, eò quòd negligens fuerit in paranda rei. illius ſcientia quam parare poterat & debebat, tamen quandiu caret cognitione determinationis Eccleſiæ, quæ reſpectu peccati hæreſeos tenet ſe ex parte obiecti, non eſt Hæreticus; quia tantùm delinquit contra obligationem ſciendi, non autem contra autoritatem diuininam, per propoſitionem Eccleſiæ patefactam: Et tamen niſi diuina autoritas impetatur, nulla incurritur culpa hæreſeos, At impeti non poteſt ab eo qui de diuina teſtificatione per Eccleſiæ propoſitionem declarata, non eſt conſcius, abſque pertinaci adhæſione ad errorem, & ſaluo effectu obediendi ac ſequendi ductum Eccleſiæ magiſtræ fidei, ſi de eo conſtaret.

Temporis circunſtantia quando ſpeciem malitia mutet, quandiu augeat duntaxat.

110. In eodem primo capite, circunſtantia temporis, cùm ſpecialiter vetatur; confert ſpeciem malitiæ peculiarem. Nam V. G. opus ſeruile cuius executio in die feſto eſt innoxia, in die feſto illicitum eſt, & contra Religionem. Cùm verò hæc circunſtantia non vetatur ſpecialiter tunc ad ſummum auget malitiam, vt contingit in duratione diuturniore eiuſdem praui actus, de qua latiſſimè ad præſens inſtitutum Angeſtus c.8. mor. t.7. vbi in fine, idem ſtatuit de circunſtantia diei feſti. Cenſet enim tempus feſtiuum, etiam cùm non intenditur directè eius violatio, ſiue vt ipſe loquitur, cùm non eſt circunſtantia informans & egrediens obiectum, ſed præcisè adiacet, augere malitiam, eò quòd ſpecialiter prohibeatur operis cuiuſvis ſeruilis executio in die feſto, omnium autem ſeruilium operum maximè ſeruile ſit peccatum, eóque homo maximè auertatur à fine propter quam feſti dies inſtituti ſunt, nempe à cultu diuino. Hæc tamen ratio plus probat, quàm Angeſtus intendat Probat enim ea ratio, ex feſti circunſtantia oriri in actum de quo agimus, nouam ſpecie malitiam; cùm tamen Angeſtus tantùm intendat augeri malitiam præiacentem aliunde deriuatam. Prætérquàm quòd ea ratio nititur falſo intellectu operis ſeruilis, quod prohibetur præcepto de feſti obſeruatione. Neque enim reuera peccatum ex eo præcisè quòd ſit peccatum, habet rationem operis ſeruilis, vt latiſſimè proſequuntur Suares tomo 1. de Relig. tract. 2. l. 2.c.18. & Fagundes l. 1. in primum Eccleſiæ præceptum, c.9.

Itaque admitto, circunſtantiam hanc temporis, V G. feſti, interdum augere malitiam intra eandem ſpeciem, quod rectè ſtatuit Angeſtus, confirmátque ex atrociore quorundam ſcelerum prauitate, ex eo quod in feſto ſolemni admiſſa ſint. Diſſideo tamen in fundamento, negóque argumentum illud exoriri ex prohibitione aliqua ſpeciali iure poſitiuo lata, vel naturali ad deputationem temporis conſequente. Inde enim noua ſpecies malitiæ exiſtere, ſaltem leuis quæ quamuis à quibuſdam non improbabiliter inuecta ſit, vt videre eſt apud Suarem ſuprà n.16. & ibid. tract. 1. 3.l.3 c.4. n.2. tamen non poteſt ſufficienter ſtabiliri: cùm tempus quippe fluxum & omninò extrinſecum, non ſit capax ſuo modo ſanctificationis, ratione cuius debeatur ei ſpecialis reuerentia; ſicut debetur loco, de quo mox. Excludo tamen directum contemptum feſti, qui ſine dubio eſſet ſacrilegus.

Idem de loci circunſtantia.

Locus eſt altera circunſtantia actioni extrinſeca, quæ plerunque variat malitiæ ſpeciem ratione inductionis aliorum ad culpam, ex eo quod in locu publico admittatur: ſiue ea inductio intendatur, quæ poſſet ſpecialis malitia ſcandali, ſiue tantùm præcognoſcatur, qua ratione violatur duntaxat virtus oppoſita culpæ illi, in quam alij pertrahuntur. Interdum etiam loci circunſtantia confert nouam ſpeciem malitiæ ratione damni iniuſti, vel iniuriæ, ex eo conſequentis, quòd actio fiat tali locu, etiamſi alibi facta careret ea labe, eſſetque innoxia. Aliàs denique circunſtantia confert ſpeciem peculiarem malitiæ, ratione ſanctitatis loci contra quem ſpecialiter pugnat actio aliqua. Sic furtum rei commiſſæ loco ſacro, eiúſque veluti tutelæ, non eſt furtum ſimplex, ſed ſacrilegum. Eadem ſpecialis malitia cernitur in externa illuuie contra caſtitatem admiſſa in loco ſacro, etiamſi occultè, vt rectè addunt Leſſius l. de Tempet. c.3.n. 86. Sanches l.9. de matrim. d.15.n.11. Salas. 1.2. tract. 13.d.3. n.14. reclamante Vaſque 1.2.d 98.n.6. qui patentem duntaxat inquinationem ſufficere exiſtimat Denique cernitur quoque ea ſpecialis, malitia in loci Sacri violatione per humani ſanguinis effuſionem ibi patratam, & ſi qui ſunt alij euentus, in quibus loci ſanctitas directè exſcindatur per irreuerentiam & iniuriam mala actione irrogatam.

Hæc ſi deſint. poterit quidem locus interdum augere malitiam intra eandem ſpeciem, eò quòd nimirum Prudentia ferret non exerceri in eo loco certas actiones prauas, tametſi non violantes directè ſanctitatem loci. Nunquam tamen haurietur inde ſpecies

malitiæ.

malitiæ. Plerunque verò nullo modo inquinabitur actio, contra Angeſtum c.8. mor.t.7. qui actionem malam in loco ſacro elicitam, etiamſi internam & ſpectantem opus externum alibi exercendum, vult auctioris malitiæ eſſe, quàm eandem alibi elicitam.

Finis circunſtans ſiue extrinſecus, quando ſpeciem malitiæ immutet.

321. Ad ſecundum caput circunſtantiarum, pertinet inprimis finis extrinſecus. Nam finis intrinſecus vt ſæpè dixi, non eſt circunſtantia, ſed obiectum. At finis extrinſecus, eſt verè circunſtantia illius actus, quo in finem intrinſecum tenditur. Idcirco Magiſtri morum ſæp. monent, non tam quid quiſque faciat penſandum eſſe, quàm quo fine, etiã extrinſeco, faciat. Pulcherrimè S. Auguſtinus l. de mor. Manich. capit. 13. verbis illis. *Finis quo referuntur ea quæ facimus, id eſt, propter quem facimus quidquid facimus, ſi non ſolùm culpabilis, ſed etiam laudabilis fuerit, tunc demum etiam facta noſtra laude aliqua digna ſunt. Sin ille iure meritóque culpatur, quem ſpectamus & intuemur, cùm in aliquo verſamur efficio, id quoque officium, improbandum vitandúmque dubitaueris. De Catilina memoria proditum eſt, quod frigus, ſitim, famem ferre poterat. Hæc erant illi ſpurco ſacrilegéque, etiam cum Apoſtolis noſtris communia. Vnde ergo diſcernitur parricida iſte ab Apoſtolis noſtris, niſi fine illo, quem diuerſiſſimum ſequebatur? Namque ille iſta tolerabat, vt immoderatiſſimas & immaniſſimas expleret cupiditates: illi è contrà, vt eas premerent, & dominanti rationi ſeruire cogerent. Soletis & vos Manichæi, cùm Catholicarum vobis virginum multitudo prædicatur, dicere, etiã mula virgo eſt. Temerè id quidem, propter imperitiam Catholicæ diſciplinæ; ſed tamen ſignificantes vanam eſſe continentiam iſtam, niſi ad aliquem rectiſſimum finem certa ratione referatur. Poſſunt & Catholici Chriſtiani, veſtram à vino & carnibus abſtinentiam, iumentis, & mulis paſſeribus, poſtremò etiam innumerabilibus generibus verminum comparare. Sed ne in veſtrã incidam temeritatem non id præproperè faciam, ſed diſcutiam primò quo iſta fine faciatis. Iam enim conſtat inter vos, vt opinor, in huiuſcemodi moribus nihil aliud eſſe quærendum.* Optimè item tract. tract. 3. in epiſt. Ioann. *Non quid faciat homo conſiderãdum eſt, ſed quo animo & voluntate faciat. In eodem facto inuenimus Deum Patrem, in quo inuenimus Iudam: Patrẽ benedicimus, Iudam deteſtamur. Quare Patrem benedicimus, Iudam deteſtamur? Benedicimus charitatem, deteſtamur iniquitatem. Quantum enim præſtitum eſt generi humano de tradito Chriſto, numquid hoc cogitauit Iudas vt traderet. Deus cogitauit ſalutem noſtram, qua redempti ſumus: Iudas cogitauit pretium, quo vendidit Dominum: Filius ipſe cogitauit pretium, quod dedit pro nobis, Iudas cogitauit pretium, quod accepit vt venderet. Diuerſa ergo intentio diuerſa facta fecit, cùm ſit vna res. Ex diuerſis eam intentionibus ſi metiamur, vnum amandum, alterum damnandum; vnum glorificandum, alterum deteſtandum eſſe inuenimus.* Quæ omnia apertè cadunt in finem extrinſecum, & aſtruunt, eius labem refundi in actum ex illo illicitum.

Tunc porrò finis ille confert nouam ſpecie malitiam, cùm ex ſe malus eſt diſtincta & peculiari malitia. Nam ex ſe vitio vacet, vel etiam honeſtus ſit, non poteſt peculiarem malitiæ ſpeciem conferre, imò neque augere præiacentem aliunde hauſtam; quamuis poſſit tali fini aſſini malitia medij, ſiue finis intrinſeci praui, qui expetitur vt ad eum finem extrinſecum pertingatur.

322. Eſt qui tradat, aliquando finem extrinſecum ex ſe honeſtum, peculiarem malitiæ ſpeciem conferre actioni cui adiacet. Nimirum ſi homo in tali fine extrinſeco ex ſe honeſto præfigat finem ſuũ vltimũ, per inordinatũ boni illius creati affectum, talem támque incensũ vt non dubitet voluntas ſtatuere, quacũque via ad illud conniti, etiamſi tendendum eò foret cum culpa & honeſtatis laceratione, ille enim tam peruerſus támq; præpoſterus modus expetendi finem illum extrinſecum ex ſe bonum, videtur ſpecialẽ malitiam adiungere actui circa intrinſecũ finẽ tendenti.

Verùm finis extrinſecus tam inordinatè concupitus ita circũſtat tendẽtiam in finem internũ, vt per ſe ac ſeorſim à fine intrinſeco fœtus ſit ſpeciali malitia qua etiam ſorderet, quãvis finis intrinſecus optimus eſſet. Itaque ea ſuppoſitione facta, finis extrinſecus nõ eſt ex ſe bonus ſeorſim ab intrinſeco, vt referebat controuerſia in qua verſabamur, quærẽtes, an finis extrinſecus non habẽs aliam malitiam, quàm malitiam finis intrinſeci, conferat malitiam ſpecialem augeátve præiacentem. Eóq; duntaxat ſenſo diximus finẽ intrinſecum ex ſe non malum, vel honeſtum, nulla ex parte inficere actum cui adiacet, ſed vt inficiat actũ cui adiacet, debere malũ eſſe ex ſe, & ſeorſim à fine interno illius actus. Video hæc ad modũ fere loquẽdi ſpectare.

Vtiliùs quæritur, an finis extrinſecus malus, vitiet actionem ex obiecto intrinſeco bonam. Negant qui cenſent, actum imperantem nullam moralitatem transfundere in actum imperatum, quos ſuprà retuli agens vniuersè de moralitate. Contrarium tamen ibidem vniuersè admiſi, & ſigillatim quoad honeſtatem ita tradidi quæſt. ſuperiori. Idem nunc de malitia aſſero cum Med. 1.2.q 18. art.4. eſt enim hîc multò minor cauſa dubitandi, quàm circa honeſtatem, quòd hanc plerique contendant debere propter ſe expeti: at hoc malitiæ nemo tribuit.

Variatio ſpeciei malitiæ ex cauſa effectiua & materiæ conditionibus quando accidat.

Pertinent ad idem ſecundum caput circunſtantiarum in quo verſamur, cauſa effectiua & primaria & inſtrumentalis, & conditiones materiæ. Cauſa effectrix plerunque variat ſpeciem. De primaria, patet ex coniugato, vel ex perſona ſacra, fornicantibus. Prior enim ex perſonæ ſuæ qualitate, labem iniuſtitiæ turpitudini contra Temperantiam ſuperaddit: poſterior autem, labem ſacrilegij, vt tractatur cùm de iniuriis ac Religione. Similiter culpa perſonæ publicæ, plerunque contrahit ſcandali fœditatem, quam in alia perſona non haberet. Eminent enim culpæ maiorum, & vt eſt apud Senecam 1. de Clement. c.8. *Alia conditio eſt eorum, qui in turba, quam non excedunt, latent; quorum & virtutes vt appareant, diu luctantur, & vitia tenebras habent. Magnorum facta dictáque, rumor excipit. Et ideò nullis magis cauendum eſt, qualem famam habeant, quàm qui qualemcunque meruerint, magnam habituri ſunt.* Concinit Saluianus l. 4. de prouid. verbis illis. *Crimnoſior culpa eſt vbi honeſtior ſtatus Et honoratior eſt perſona peccantis, peccati quoque maior inuidia. Furtum in omni quidem eſt homine malum facinus, ſed damnabilius abſque dubio ſi Senator furatur aliquando. Cunctis fornicatio interdicitur, ſed grauius multo eſt, ſi de Clero aliquis quàm ſi de populo fornicetur. Ita & nos qui Chriſtiani Catholici eſſe dicimur, ſi ſimile aliquid barbarorum, impuritatibus facimus grauius erramus. Atrocius enim ſub ſancti nominis profeſſione peccamus. Vbi ſublimior eſt prærogatiua, maior eſt culpa. Ipſa enim errores noſtros religio quam profitemur accuſat. Criminoſior eſt eius impudicitia qui promiſerit caſtitatem. Fœdius inebriatur ſobrietatem fronte prætendens. Nihil eſt Philoſopho turpius vitia obſcœna ſectanti, quia præter eam de-*

formitatem, quam vitia in ſe habent ſapientiæ nomine plus notatur. Et nos igitur, in omni humano genere philoſophiam Chriſtianam profeſſi ſumus: ac per hoc deteriores eos cunctis gentibus credi atque haberi neceſſe eſt, qui ſub tam magnæ profeſſionis nomine viuimus & poſiti in religione peccamus. Quæ quamuis poſſint ad auctiorem duntaxat malitiam pertinere, tamen non eſt dubium quin ratione ſcandali poſſint dici de noua ſpecie Idem autor ſub eiuſdē libri finem, ex hoc principio, potentiſſimè confirmat, quàm ſit in Chriſtianis nefarium, contra profeſſionem viuere: *& deteriores eſſe, qui meliores eſſe deberent. Non enim probant quod fatentur, & impugnant profeſſionem ſuam moribus ſuis. Magis enim damnabilis eſt malitia quam titulus bonitatis accuſat, & reatus impij eſt, pium nomen.* Idem habetur cap. *homo Chriſtianus* diſt. 40. ex Chryſoſtomo hom. 40. in Math. apud quem idem egregie traditur l. 6. de ſacerdo. vt ſileam homiliam 17. Imperf & expreſſe Iſido. 2 de ſummo bono ſent. 18. & Autorem qq. ex vtroque mixtim in 124. apud Auguſtinum tomo 4.

123. De inſtrumentali cauſa, idem conſtat ex eo quòd interdum detur lex ſpecialiter interdicens eius vſu. Quòd ſi nomine inſtrumenti, vt non ſemel accidit, intelligamus concauſam ratione prædictam; tunc ex eo quòd quis huiuſmodi inſtrumentum adhibuerit, noxam ſcandali actiui generaliter dicti contrahit, quando concauſa ad cooperandum inducta fuit hic & nunc etiamſi fuiſſet veluti habitualiter ex ſe parata & quaſi expoſita ſponte ſua, vt recte ſtatuit Sanches .in Decal.cap.6.numer.14.Nam non obſtante ea præparatione animi in concauſa, perſpicuum videtur, eam in euentu propoſito determinari quoad exercitium ab aſſumente illam in inſtrumentum; vbi perſpicua eſt labes ſcandali generaliter dicti. Excludimus enim directam intentionem ruinæ alienæ. Hanc dico eſſe notionem ſcandali generaliter dicti non adæquatam, ſed aliquam. Nam qui malo exemplo prouocat ad culpam, non habet infirmum ab eo prouocatum pro inſtrumento, & tamen præbet illis. ſcandalum & poteſt ea in re peccare grauiſſimè vt potentiſſimè diſputat laudatus proximè Saluianus l. 4.de prouid. ad finem. Quare quod aſſumptio alicuius inſtrumentum, contineat culpam ſcandali quod generaliter nō eſt ita accipiendum quaſi ſcandalum generale ea tantùm ratione admittatur. Plerunque tamen cauſam effectiuam, ſiue primariam, ſiue inſtrumentalem, non variare ſpeciem malitiæ ſed vel augere tantùm intra eandem ſpeciem, vel ad moralitatem nullatenus pertinere, notius eſt quàm vt probari oporteat. Habet etiam medium rationem cauſæ effectiuæ, cuius turpitudinem certum eſt non abſtergi ob finis honeſtatem, Non enim qui malum operatur ex bono fine, innoxius propterea eſt: quamuis rectè S. Auguſtinus l. contra mendac.cap.8.minorem culpam in ea medij vſurpatione agnoſcat; diluitur enim aliquatenus malitia medij, intermixta finis honeſtate potentiali, vt ita dicam. Neque enim de facto honeſtas eſt, quæ malæ cauſæ germen eſt, & viciſſim cauſa eius in alio genere. Contrarium ſenſerunt aliqui reiecti ab Angeſto c.8.mor.t.10.

Iam verò conditiones materiæ, (quas item in circunſtantiarum ordinem retulimus,) liquet interdum præiacentem duntaxat malitiam, auctiorem efficere. Vt cùm eadem quantitas pauperi abripitur cum ſummo eius incommodo & euerſione, qui diuiti ſubrepta, nimirùm ei incommodaret. Aliàs verò, conditiones materiæ ſpeciem malitiæ peculiarem actui tribuunt Sic enim fœdatio perſonæ conſanguineæ, aut ſacræ, aut alienæ iure coniugij, peculiarem malitiam continet.

Quando ex effectu.

324. Poſtremum caput circunſtantiarum, ſiue effectus, interdum auget duntaxat malitiam, alias verò impertinenter ad eam ſe habet; quandoque denique peculiarem ei ſpeciem confert, vt cùm quis abripit alicui rem modicam præſcius, eum immani blaſphemia, obſtringendum: aut cùm quis vino nimio rationem mergit præuidens ſe inebrietate vim alieni illaturum, & grauis damni cauſam futurum, vel ſibi ipſi conciliaturum infirmitatem grauem, diuerſam ab ipſa ebrietate, eiúſque ſtatu. In his ſimilibúſque euentibus malus effectus ſpeciem malitiæ æqualem tribuit, dummodò & præuiſus ſit, ac indirectè ſaltem volitus, & obligatio illum impediendi non defuerit: eo ipſo namque, iure vertetur vitio. Et hoc modò intelligendi ſunt qui dicunt, eum qui non obſtat cùm poſſit, cenſeri poſſe autorem vel participem ſceleris. Ita habet Innoc. 1. à Gratiano adductus cap. *error* diſtinct. 83. nec non Symmachus & Damaſus Pontifices ac Gloſſa ordinaria, quorū omnium loca appendit Alphonſus de Caſtro l. 2. de iuſta hæret. punit. cap.15.

Si tamen deeſſet obſtandi & impediendi obligatio, tunc permiſſio mali effectus mala non eſſet Quo ex capite multi effectus mali conſequuntur ad aliquas actiones, vt ad cauſas purè phyſicas vel occaſiones; non autem vt ad cauſas morales, qui nulla ratione inficiunt actiones illas: quia nimirum operans in illis circunſtantiis non obſtringebatur ita ſe gerere, vt conſecutio illa præter mentem facta intercluderetur. Itaque ſicut interdum poſitio cauſæ ex ſe indifferentis vitioſa eſt, ob conſequentem inde affectum malum quam arcere quis tenebatur, vt grauiſſimè tradit S.Chryſoſtomus in Pſal. 49. ad illud, *Coram filio matris tuæ ponebas ſcandalum.* Ita cùm deeſt affectus auertendi obligatio, nihil malitiæ hauritur ex effectus praui conſecutione præuiſa nec impedita. Quæ eſt communior ſententia in exemplo mulieris, quæ more ſibi conuenienti prodit in publicum, præſcia incendendum ſui exhibitione atque obiecto, turpem procorum amorem Eſt enim nihilominus innoxia, quia ad auertendum malum illum effectum non tenetur domi ſe perpetuò abdere velut in carcere Idem in aliis pleriſque exemplis accuratiſſimè de more aperit Sanches 1 in Decal.c.4.

Etiam ſolus circunſtantiæ debitæ defectus, fons malitiæ.

Ex dictis perſpicuum videtur, quales formalis malitiæ fontes ſint circunſtantiæ. Quia verò circunſtantiæ, duplici ex capite poſſunt ad malitiam conferre; nempe vel quia apponuntur indebitæ, vel quia deficiunt debitæ: quæ autem præmiſſa hactenus ſunt de hoc malitiæ fonte. ſpectant potiùs ad appoſitionem circunſtantiarum indebitarum: Idcircò addendum ſupereſt cum Gregorio in 2. d.35.q.vnica.art.1. & cum Scoto in 1.d.48.q.vnica, *initio corporis*, ſolum defectum circunſtantiæ debitæ, etiamſi nulla indebita apponatur, malitiam inducere; contrà quàm referente eodem Gregorio viſum eſt Franciſco de Triuiſio. Exiſtimauit enim actum moralem carentem circunſtantia debita, malum non eſſe ſed moraliter bonum tametſi incompletè ob defectum circunſtantiæ debitæ. Tunc autem duntaxat cenſuit prodire malitiam ex parte circunſtantiarum, cùm præter bonæ & debitæ circunſtantiæ defectum, mala inſuper & oppoſita circunſtantia apponitur ex natura actus vel intentione operantis.

Multus

Multus eſt in huius placiti confutatione Gregorius ſuprà. Quod vix puto neceſſarium. Nam ex ipſis terminis apertum videtur, non poſſe dici bonum, quod non eſt ſicut eſſe debet, vt diſertè tradit S. Auguſtinus l. 3. de lib. arb. c. 14. & 35. Quomodò ergo agnoſcere poterimus moralem aliquam bonitatem, vbi circunſtantiæ debitæ deficiunt? An non enim eo ipſo, actus non eſt qualis eſſe debuit, atque adeò eſt malus moraliter? Itaque actus, cui debita aliqua circunſtantia deeſt, non modo non eſt bonus moraliter; ſed etiam eſt moraliter malus. Quod apertè agnouit Philoſophus 2. Eth. c. 4. tradens idcircò multipliciter admitti peccatum, quia facile eſt vnam aliquam ex tot circunſtantiis debitis, & ad actus honeſtatem neceſſariis, miſſam facere; quo ipſo actus diſſonat rationi rectæ, atque adeò efficitur malus. Idem tradit 3. Eth. c. 9. agens de peccatis contra fortitudinem. Et l. 4. c. 1. tractans modos quibus aduersùs liberalitatem delinquitur. Et ſanè iuxta vulgare effatum, quamuis bonum ſit ex integra cauſa; malum tamen, eſt ex quocunque defectu.

Indemnitas à pœna præciſè, non eſt circunſtantia indebita aut fons malitiæ.

315. In particulari vna eſt circunſtantia, de qua ab aliquibus diſputatum eſt, ſitne indebita & fons malitiæ, nempe finis propriæ indemnitatis à pœna in eo qui idcircò refugit culpam. Id enim aliqui vitioſum eſſe cenſuerunt. Sed breuiter dicendum eſt, alium eſſe pœnæ timorem ſeruiliter ſeruilem, alium verò duntaxat ſeruilem. Timorem ſimpliciter ſeruilem, (vt iam attigi explicans affectum timoris,) eum appellant, qui hominem adigit ad præcepti executionem, quia timet ſupplicium rebellanti irrogandum: quamuis animo iam nunc ſit ita comparatus per peculiarem volitionem côcomitantem & ſeparabilem, vt niſi adiunctum violationi legis ſupplicium cerneret violaturus omninò eſſet præceptum.

Hanc itaque animi affectionem, conſtat malam eſſe; quandoquidem per eam pœna præfertur culpæ in ratione mali, quod eſt præpoſterum. Et quamuis ipſe ſupplicij timor præciſe ſumptus, non ſit malus, (eſt enim eiuſdem rationis cum timore proxime exponendo, qui ex ſe vitio vacat;) tamen complexum ex eo timore pœnæ & volitione peccandi, niſi pœna immineret, vitioſum eſt ac deuitandum. Et in hoc ſenſu timorem iſtum exagitat S. Auguſtinus ſerm. 18. & 19. de verbis Apoſtoli, & pulchrè item ibid. ſerm. 15. verbis illis. *Qui timore pœnæ non concupiſcit, puta quia concupiſcit. Terrore ingenti armorum atque telorum, & circundantis forſitan multitudinis vel obuiam euntis, etiam leo reuocatur a præda: & tamen leo venit, leo redit, prædam non rapuit, non malitiam poſuit.* Et mox. *Ad ouile venit lupus, latratu canum, & clamore paſtorum ab ouili reuerſus eſt lupus.* Denique optimè in hunc timorem agit epiſt. 144 vbi illud præter cætera de non peccante tantùm ne puniatur, alioqui peccaturo. *Qui gehennas metuit, non peccare metuit, ſed ardere.* Ipſique etiam Ethnici agnouerunt, qui ex hoc duntaxat metu abſtinet à ſcelere, reum eſſe illius ipſius criminis deſtinatione & voluntate. vt videre eſt apud Dionem Chryſoſtomum orat. 67.

Longè autem ab hoc timore, & natura & qualitate diſcrepat timor ille qui ſimpliciter ſeruilis ac etiam humanus dicitur: éſtque is quo timetur pœna tanquam homini incommoda. Qui timor, cùm vrget ad iuſtæ legis executionem, eſt ſemper minùs perfectus, vt per ſe conſtat, ſiséque aperit Lenſæus l. 6. de libert. Chriſt. cap. 4. Tamen non eſt ſemper vitioſus, vt rectè probat Durandus in 3. d. 34. q. 4. numer. 9. malè repugnante Almaino tract. 1. moral. capit. 3. *ſub finem.* Sicut enim amor bonorum nobis commodorum poteſt culpa vacare, ita & metus incommodorum inferendorum ſi tranſgrediatur mandatum, honeſtus eſſe poteſt. Nam quamuis præciſè vi huius actus pœna non poſtponatur culpæ, imò aliquatenus in actu exercito pœna culpæ, præferatur, quatenus pœna eſt refugiendi culpam; (quod autem eſt ratio refugiendi, videtur magis refugi, quàm id, quod propter eam refugitur:) Tamen in eo modo ſe habendi, nullum eſt vitium. Refugitur enim culpa propter pœnam; non facta in actu ſignato pœnæ & culpæ comparatione, & prælata pœna quoad vitabilitatem, quæ eſſet inordinata comparatio & prælatio; ſed ſimpliciter quæſita deuitatione incommodi, quod quiſque laudabiliter tentat è ſe auertere, ſeruando legem cuius violatione illud incurreret.

Et quanquam vi huius timoris præciſè refugitur culpa propter pœnam; (quod eſt argumentum Almaini loco allegato, poſt Dionyſ. Ciſterc. in 3. q. 41. art. 3. concl. 2.) Tamen non excluditur capacitas refugiendi culpam per alios actus, quibus in actu ſignato pœna poſtponatur culpæ: Quod perſpicuum eſt honeſtè & abſque labe fieri cùm non ſemper teneamur ex præſtantiſſimo motiuo agere, aut toties culpam metuere & auerſari, quoties pœnam refugimus. Vnde inſuper colligo, non modò huiuſmodi timorem bonum eſſe quod Bellarminus rectè confirmat l. 2. de pœnit. cap. 17. & 18 ſed neque habere neceſſariò adiunctum ſtatum malum timentis, eiúſque peccatum, vt malè idem Autor cap illo 18. ad 5. affirmat, eo ductus argumento, quòd qui timet culpam propter pœnam, plus pœnam quàm culpam timeat. At in ea agendi ratione, imperfectionem duntaxat non etiam culpam cerni, iam monſtratum eſt: nec eſt neceſſe vllam adiungi actum extrinſecum, qui aliquam iſti timori turpitudinem affricet.

Inæqualitas malitiæ ex propoſitis fontibus deriuata.

316. Tertiò dixi, propoſitos formalis malitiæ fontes, nunc parciùs, nunc vberiùs, nunc horridiùs, vel minùs fœde fluere pro eorum vitiatione, & exilitate, aut plenitudine. Hoc eſt, malitiam formalem poſſe plerunque eſſe inæqualem pro inæqualitate obiecti, vel circunſtantiarum malitiam fundantium. De hac inæqualitate, pro inæqualitate fontium è quibus ſcaturit, parciùs egi circa honeſtatem, quòd circa illud moralitatis membrum, pauciora dicenda occurrerent huius inſtituti propria. Itaque breuiter eam perſtrinxi q. ſuperiori, artic. 2. *ſub finem*, præſertim quoad circunſtantiam medij, quæ ibi ingerebat difficultatem ſpecialem. Hoc autem loco, de malitiæ inæqualitate ex propoſitis fontibus ducibili, agendum eſt paulò vberiùs, quòd plura de ea circa hoc moralitatis membrum ſuppetant huic inſtituto conuenientia. In primis autem breuiter ſtabiliam hanc inæqualitatem malitiæ. Tum in quo conſiſtat aperiam. Ad extremum declarabo, quomodò iidem ſint eius fontes, qui malitiæ ſimpliciter dictæ, id eſt circunſtantiæ & obiectum.

Circa primum Durandus in 2. d. 42. q. 8. n. 5. triplicem diſtinguit malitiæ peccatorum inæqualitatem, Primam, cerni ait inter peccata diuerſorum generum. Secundam, inter peccata diuerſarum ſpecierum. Tertiam, inter peccata eiuſdem ſpeciei: & vnoquoque horum modorum, ait peccata poſſe inæquali fœditate ſordere. Nam & furtum furto grauius ac tetrius datur, quæ eſt comparatio tertia; & furtum homici-

dio cedit, quod pertinet ad ſecundam comparationem; & denique omiſſio aliqua cuidam commiſſioni; inter quæ peccata, etiam formaliter rem ſpectando, & in genere moris, eſt plerunque diuerſitas generica. Atque ita habemus quoque exemplum inæqualitatis peccatorum in prima comparatione. Idem exemplum ſtatui poteſt in pleriſque commiſſionibus, pluſquam ſpecie infima diſtinctis. Eo ipſo namque differunt genere. Durandus exemplum præterea ponit in iis peccatis, quæ apud Chriſtianos Theologos vocantur mortale & veniale. Ait enim ea peccata differre genere. Quod verum eſt, ſi peccata illa ſpectentur in ratione offenſæ; non tamen ſi ſpectentur præcisè ex obiecto, & quoad diſconuenientiam cum natura rationali. Hoc enim poſteriore modo, peccatum lethale & veniale vt patet in furto rei modicæ & permagnæ, poſſunt differre tantùm penes magis & minùs. Vnde conſtat non exoriri diuerſitatem ſpecificam.

Omnibus his modis poſſe contingere inæqualitatem inter peccata rectè ſtatuit ſuprà Durandus, eſtque perſpicuum ex propoſitis exemplis, & ex eo quod fontes malitiæ ſuprà propoſiti, non æquè ſe habent ad omnes actus vel omiſſiones, rectæ rationi diſconuenientes. Sunt enim obiecta quædam aliis tetriora, & circunſtantiæ ſunt plerunque inæquales; pluréſque aut pauciores indebitæ adſunt; vel debitæ deficiunt. Itaque quomodocunque comparentur peccata, poteſt inter ea cerni inæqualitas malitiæ. Et eſt ſicut venenum veneno tetrius, & morbus morbo deterior, & exorbitatione maior exorbitatio; ita & inter peccata, vnum altero, ſiue numero, ſiue ſpecie, ſiue genere diſtincto, tetrius eſſe poteſt. Confirmat hoc Alcinoüs c. 22. ex inæqualitate pœnarum variis peccatis conſtitutarum.

Paradoxum Stoïcis tributum, de parilitate peccatorum.

317. In contrarium allegari ſolent Stoïci. Id enim de eis Laërtius in Zenone teſtatur, & Tullius ex eorum mente late id veriat multipliciterque confirmat parad. 3. ac inter Patres plerique. Nominatim Sanctus Hieron. epiſt. 14. quæ eſt ad Celantiam, vel potiùs Paulinus epiſt. 50. commendans declinationem minutarum culparum, ita loquitur. *Stoicorum quidem eſt peccatorum tollere differentiam, & delicta omnia paria iudicare. nec vllum inter ſcelus & erratum diſcrimen facere. Nos verò etſi multum inter peccata diſtare credimus quia & legimus: tamen ſatis prodeſſe ad cautionem dicimus etiam minima pro maximis cauere. Tantò enim faciliùs abſtinemus à quocunque delicto, quantò illud magis metuimus; nec citò ad maiora progreditur qui etiã parua formidat. Et ſanè neſcio an poſſimus leue aliquod peccatum dicere, quod in Dei cõtemptum admittitur. Eſtque ille prudentiſſimus, qui non tam conſiderat quod iuſſum ſit, quàm illum qui iuſſerit; nec quantitatem imperij, ſed imperantis cogitat dignitatem.* Et l. 2. contra Iouiniam *circa quartam eius probationem*, damnans æqualitatem peccatorum à Iouiniano inuectam, quæritur eum alibi Epicureum, hîc Stoïcorum factum, Zenone Chriſtum commutaſſe. Hæc S. Hieronymi in Iouinianum tela, ita firmat S. Auguſtinus epiſtola 29. ad ipſum D. Hieronymum ſcripta. *De parilitate peccatorum, ſoli Stoici auſi ſunt diſputare contra omnem ſenſum generis humani. Quorum vanitatem in Iouiniano illo, qui in hac ſententia Stoicus erat, in aucupandis autem & defenſandis voluptatibus Epicureus, de Scripturis Sanctis dilucidiſſimè conuiciſti. In qua tua ſuauiſſima & praeclariſſima diſputatione, ſatis euidenter apparuit, non placuiſſe Autoribus noſtris, vel ipſi potiùs quæ per eos locuta eſt veritati, omnia paria eſſe peccata.* Et l. contra mendac. *Dicantur ergo alia magna, alia parua eſſe peccata quia verum eſt, nec auſcultandum Stoicis qui omnia paria eſſe cõtendunt.* Præterea S. Ambroſius l. 1. de pœnit. c. 1. ſeueritatem Nouatianam incuſans, ait, apud Nouatianos omnia peccata, Stoïcorum quodam more, paribus viſa æſtimanda menſuris: & æque eum qui gallum, vt aiunt, gallinaceum, atque eum qui patrem ſuffocauerit, multandum cenſuiſſe. Idem de Stoïca peccatorum parilitate, Nouatianis opponit S. Cyprianus epiſtol. 52 quæ eſt ad Antonianum, num. 45. Paſſim denique & noſtri & externi Scriptores, Stoïcos huius peccatorum æqualitatis inſimulant.

Vtebantur porrò Stoïci ad eius confirmationem ratione ducta ex tranſgreſſione medij. Nam, cùm medium ſit in indiuiſibili, quiſquis tantiſper ab eo in alterutram partem deflectit: æque non eſt in medio, ac ſi infinitis paraſangis ab eo ſejungeretur. Sic argumentatos Stoïcos docet Laërtius in Zenone: addens, inde quoque argumentatos, quòd ſicut non eſt verum vero verius, nec falſum falſo falſius, ita neque dari poteſt peccatum peccato peius, neque diſtorto diſtortius.

Refellitur, eiúſque firmamentum disiicitur.

328. Hæc tamen argumenta, inania ſunt, & ipſum placitum planè inſolidum. Quamuis enim omnia peccata in eo æqualia ſint, quòd non ſint in medio; Tamen aliqua plùs, aliqua minùs ab eo elongantur. Id quod etiam in exemplis propoſitis videre eſt. E viatoribus enim, quidam à termino locali ad quem omnes tendunt, plùs remouentur, aliqui minùs: etiamſi omnes remoueantur, & in hoc conueniant quòd nemo eorum ſit in termino. Et omnia mendacia in hoc conueniunt, quòd nullum eorum conſonat obiecto: differunt tamen, quia vnum mendacium plùs diſſonat quàm alterum, autore Ariſtotele 4 Met. t. 18 Plùs quippe mentitur qui ait binarium eſſe centenarium, quàm qui ait eſſe ternarium, tametſi neuter veritatem teneat, & in eo quòd à veritate abſunt, ambo ſint pares. Similiter ergo omnia mala, ſunt recti & honeſti expertia; aliqua tamen plùs, alia minùs ab honeſto diſiunguntur: Et vt Poëta 1. ſerm. ſatyr. 3. cecinit.

Non vincet ratio, hoc tantundem vt peccet, idémque,
Qui teneros caules alieni fregerit horti;
Et qui nocturnus diuûm ſacra legerit: adſit
Regula, peccatis quæ pœnas irroget æquas:
Ne ſcutica dignum, horribili ſectère flagello,
Nam vt ferula cædas meritum maiora ſubire
Verbera, non vereor, cùm dicas eſſe pares res
Furta latrociniis, & magis parua mineris
Falce reciſurum ſimili te, ſi tibi regnum
Permittant homines.

Hoc argumentum à poſteriori ductum ex inæqualitate pœnarum, & variis peccatis ex communi ſenſu iuſtè irrogatarum, efficaciter conuincit quod intendimus: Nempe quamuis omnia peccata in eo conueniant quòd ſint peccata & receſſus ab honeſto, tamen alia eſſe aliis tetriora,

Stoïci purgati in hac cauſa,

Auſim porrò conijcere, hoc ipſum, non aliud ſenſiſſe Stoïcos, idque duntaxat voluiſſe, peccatis omnibus commune eſſe, & æquè competere quòd peccata ſint & deflexiones à recto: quamuis ea deflexio poſſit poſteà eſſe inæqualis, pro varietate fontium, à quibus malitia deriuatur in actum. Hunc planè Stoïcorum ſenſum ferunt illa Stobæi in Eclogis Eth. c. 4.

Ethic.c.4. *Æqualia dicunt eſſe omnia peccata, non item ſimilia. Cum enim ab vno vitij tanquam fonte profluant, iudicio in omnibus eodem exiſtente, per externam eorum cauſam, à quibus iudicium fiat, diſſimilia reddi peccata. Id autem hoc pacto licet cognoſcere. Omne mendacium eſt æquale, nec aliud alio magis eſt falſum. Sed quanquam omne mendacium æquè eſt mendacium, non tamen omnes qui mentiuntur, æquè mentiuntur. At ſimiliter omne peccatum æquè eſt peccatum, quandoquidem omne peccatum mendacio conſtat,* Idem habet Sextus Empyricus l.7.aduerſus Mathem.pag.180.

Itaque æqualitatem appellant Stoïci conuenientiam quorumuis peccatorũ in ratione peccati. Quam autem reliqui vocant inæqualitatem quoad grauitatem, ipſi nominant diſſimilitudinem, quod eſt leue de vocibus diſſidium. Confirmat hanc interpretationem mentis Stoïcorum, quod ex eorum ſenſu proditur apud Tullium parad.3. quòd nimirum etiamſi patris & mancipij cædes æquè peccatum ſit, hoc tamen differant, *quòd in ſeruo necando ſemel peccetur, in patre multis. Violatur is qui procreauit, qui aluit, qui erudiuit. Multitudine peccatorum præſtat, eóque maiore pœna dignus eſt.* Multitudinem peccatorum nominabant, rationes peccati conſtitutiuas, ſuperadditas communiſſimæ rationi peccati, in qua omnes culpæ conueniunt. Per plena igitur videtur mens Stoïcorum, quos minor hac in parte pro deſperatis habitos à viro longe doctiſſimo, qui in dogmatibus multò morboſioribus, medicam manum iiſdem admouit.

Inæqualitas vtriuſque malitiæ in quo ſita.

329. Iam verò in quo ſita ſit inæqualitas peccatorum, extra controuerſiam eſt quoad omiſſiones. Omnes enim æquè conſentiunt, omiſſiones grauitate diſpares eſſe penes integram rationem actus quo priuant. Nam ſicut priuatio actus debiti habet malitiam, quia eſt priuatio boni debiti: ita quò maius erit bonum, eò deterior erit priuatio. De commiſſionibus autem, ingens hic malitia ingeritur, iis qui formale peccati commiſſionis ſtatuunt priuationem. Ægrè enim extricant ſeſe hac difficultate, quòd ſpectata præcisè priuatione, quæ iuxta ipſos eſt tota formalis malitia, non videatur eſſe diſparitas vlla inter commiſſiones prauas extremas eidem virtuti aduerſantes; itémque inter commiſſionem & omiſſionem oppoſitam vni mediocritati virtutis. Attigi quantùm ſatis hæc omnia ſupra art. 2. excutiens naturam peccati commiſſionis; & oſtendi, quæ aduerſarij proferunt de priuationibus quibuſdam non conſummatis in quibus ſit latitudo, non poſſe ad malitiam aptari, cùm nihil ſuperſit honeſti vbi eſt culpa: ac proinde fatendum ſit, omnem priuationem malitiæ conſtitutiuam eſſe inter eas numerandam quæ conſummatæ dicuntur, quia non ſuſpiciunt magis & minus. Nobis hæc difficultas nullum negotium faceſſit. Sicut enim rationem peccati commiſſionis conſtituimus in poſitiua diſſonantia cum iudicio rationis conſentaneo naturæ rationali; variáſque prauarum commiſſionum ſpecies penes eandem poſitiuam diſſonantiam deſumendas eſſe diximus, ita nunc quoque eodem modo philoſophamur de inæqualitate prauarum commiſſionum; ſtatuimúſque eas commiſſiones eſſe grauiores, quæ magis diſſonant ſuæ regulæ: Ita vt quamuis omnes illi diſſonent, & ideò nihil planè moralis bonitatis retineant, tamen aliquæ plus diſſonent, ſintque tetriores.

Eiuſdem fontes quoad omiſſionem, obiectum & circumſtantia,

Venio ad huius inæqualitatis fontes, & quod eſt huius loci maximè proprium, oſtendo eoſdem eſſe aſſignandos fontes pro hac inæqualitate, quos ſuprà propoſui pro malitia ſimpliciter: nempe obiectum & circumſtantias. Nam vt ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ſic magis ad magis. Cùm ergo malitia ſimpliciter ſpectata, ex prædictis fontibus profluat; concedendum eſt auctiorem quoque malitiam indidem profluere. Diſtinctiùs id expono in vtraque malitia.

330. Nam tota omiſſionis liberæ malitia eiúſque grauitas, ducenda eſt ex forma quam remouet; id eſt ex actu præcepto & obligatione eum exercendi, iuncta diſpoſitione eius qui operari tenebatur, hoc eſt, perpenſa notitia & affectu eius: ita vt quò actus præceptus melior fuerit, & arctior ad illum obligatio, maiórque aduertentia vtrimque, & expeditior operandi facultas, eò deterior ſit omiſſio. Atqui actus præceptus habet ſe ad omiſſionem tanquam obiectum, in quo provt præcepto imbibitur obligatio operandi iniecta perſonæ, quæ præcepto aſtringitur.

Diſpoſitio autem illius, ex qua omiſſio redditur magis minúſve voluntaria, ac proinde magis minúſve vitioſa, circumſtantias complectitur. Ago de omiſſione pura, quæ ſcilicet eſt nuda prætermiſſio præcepti affirmatiui. Et idcircò ex parte voluntatij, ſpectari tantùm volo, quod ſufficit ad omiſſionis puræ libertatem. Nam omiſſionem coniunctam dilectæ volitioni omittendi, fateor ex ea directa volitione magis volitam & turpiorem euadere, ob aliam omittentis diſpoſitionem, quàm ſit ea quæ propoſita eſt, ſufficítque ad puram omiſſionem, nempe aduertentia & expedita facultas operandi.

Aliæ circumſtantiæ poſſunt quoque ad auctiorem omiſſionis malitiam conferre, ſi in eam concurrant. Quod mihi indubitatum eſt de cauſa omittendi contra Vaſquem 1.2. d.94. n.19. & Azorium t.1.l.4.c.3. quæſt. 8. qui negant ob bonitatem cauſæ quicquam imminui de turpitudine omiſſionis ob eam volitæ: vnde negant eum minus peccare, qui omittit Sacrum ad viſitandum ægrum, quàm qui omittit vt ludat. Hoc reiicio, quia cùm finis eſt bonus, malitia eſt minùs voluntaria; amatur enim tantùm propter aliud: quod leuius multò eſt, quàm ſi propter ſe amaretur, vt benè & latè proſequitur Vaſques ſuprà d.69. n.7. in ſimili difficultate, circa commiſſiones, quas propterea admitti poſſe reddi magis minúſve vitioſas pro maiori bonitate finis occulentis malitiam. Quidni ergo idem cerni poſſit in omiſſionibus ex bono fine volitis? Et eſt quidem finis ille, ex ſe bonus, de facto malus ob vitium contractum ex influxu in medium prauum, vnde nulla ei ſupereſt bonitas, quam malæ omiſſioni impertiat, ad diluendam eius malitiam: Tamen multò vitioſior eſſet, ſi ex ſe malus eſſet, nec alienis tantùm fæcibus, ſed ſuis quoque ſorderet.

Ex parte verò obiecti, ſiue actus præcepti, attendenda duntaxat ſunt quæ ad illum pertinent provt lege mandatum. Nam ſi quæ alia actui perfectio inſit quæ ſub præceptum non cadat admitto eam non eſſe malitiæ omiſſionis menſuram. Huiuſmodi eſt intenſio determinata actus præcepti, vt benè notauit Almainus tract. 3. Mor. c.16. tametſi malè addens, intenſionem illam ſtatam, nec ſi præciperetur, fore malitiæ menſuram in omiſſione. Hoc dici non poteſt. Sicut enim nunc, quia quantitas actus non præcipitur,

pitur, ratio actus ſimpliciter ſpectata, eſt menſura deformitatis in omiſſione: ita ſi ea quantitas præciperetur, priuatio eius conferret ad cumulum malitiæ in omiſſione: quia vt ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter ſic magis ad magis.

Itémque quoad commiſſionem.

331. Iam quòd menſura malitiæ prauarum commiſſionum ſtatuenda item ſit in obiecto & circunſtantiis, manifeſte patet. Nam obiectum ſicut dat ſpeciem commiſſioni, ita & malitiæ quantitatem metitur. Circunſtantiæ verò, menſuram malitiæ variant, tanquam accidentia conueſtientia ſubſtantiam, quæ pro eorum diuerſa deformitate, deformitate diuerſimodè efficitur. Ex idcircò malitia minuitur, & penes conditiones operantis, quibus voluntarium decreſcit, V. G. ob intellectus obtenebrationem, & remiſſiorem ad languidiorem voluntatis motum ſpectantem ad modum operandi; ac etiam penes materiæ paruitatem, atque adeò etiam penes reliquas circunſtantias.

Hoc tamen intelligo de circunſtantiis particularibus. Nam quæ dicuntur circunſtantiæ generales, quæ ſcilicet in omnibus omninò peccatis, eorúmque ſpecificis quibuſvis rationibus includuntur, vt iniuria, ingratitudo, & inobedientia erga Deum, non augent peccati malitiam, ſecluſa directa earum intentione actus illos ſpecialiter deformatura, quæ vix in humanum affectum cadit. Cur autem huiuſmodi circunſtantiæ malitiam non augeant; ratio eſt, quia ſunt de intima conſtitutione peccati: ita vt nullam malitiam præſupponant, quam augere poſſint, ſed imbibantur in malitia ex internis principiis ducta, & per ſe primò conſtituente actum prauum

Non occurrit autem quod circa ſpeciales circunſtantias diſcuſſione dignum videatur hac in parte. Nam quod de fine & effectibus agitari ſolet, eſt ex antedictis perſpicuum. De fine quæritur, an cùm bonus eſt, minuat malitiam operis Hoc paulò antè attigi; & ſuprà exponens caput ſecundum circunſtantiarum, probaui ex S. Auguſtino l. contra mendac. cap. 8. Quoad effectus commiſſionis prauæ, ſiue actu ſequantur, ſiue (quod ſatis ſupérque eſt) cauſa ſufficiens eis data fuerit, dubitatio etiam eſt, an & quomodò malitiam augeant, reddántque peccata inæqualia, Id quoque, ſuprà in poſtremo capite circunſtantiarum, ſatis expoſitum eſt.

Comparatio fontium malitia in eodem actu.

His ita poſitis, manifeſtum eſt quod dicebamus, nimirum illos ipſos eſſe fontes inæqualitatis in vtraque malitia, qui ipſam malitiam ſimpliciter profundunt. Supereſt autem circa hoc duplex difficultas comparatiua, vtranque malitiam æquè ſpectans. Prior, comparando hos fontes reſpectu eiuſdem ſubiecti; nempe ſpectatu vno aliquo actu vel omiſſione, vtra ſit tetrior deformitas; an quæ ex obiecto, an quæ ex circunſtantiis deriuatur. Poſterior comparando diuerſa malitiæ ſubiecta, V. G. furtum & homicidium; vel furtum & omiſſionem miſericordis ſubuentionis, vel duas omiſſiones.

332. Sed prior quidem comparatio facilè expeditur. Certum quippe eſt, poſſe malitiam ex circunſtantiis ductam, eſſe quandoque tetriorem. Nam V. G. fœdatio perſonæ Deo ſacræ, ex obiecto pertinet tantùm ad temperantiam; ex circunſtantia verò pertinet ad Sacrilegium Religioni oppoſitum. Atqui quantò Religio eſt altior quàm Temperantia, tantò violatio Religionis grauior eſt violatione Temperantiæ, cæteris paribus. Idem cernitur in mendacij prolatione propter homicidium, & in aliis ſimilibus exemplis. Ex quibus patet quod D. Thomas 1. 2. q. 73. art 3. *in fine corporis*, affirmat ſpeciem ex obiecto ductam eſſe primam & principalem; non ita eſſe accipiendum, quaſi malitia, cuius fons eſt obiectum ſimpliciter dictum, ſuperet ſemper omnem aliam ſubiecti ſui malitiam: ſed ſenſum eſſe quòd huiuſmodi malitia, cùm petitur ex eo quod eſt actui maximà intimum, ſit etiam illi maximè conjuncta, & inſeparabilior quàm quæ ducitur ex aliquo fonte extrinſeco, ſine quo actus eſſe poteſt. Nominatim autem appellatur prima, quia veluti ſubſternitur malitiæ aliunde deriuatæ. Nam per ſe loquendo, & ſecluſa ignorantia aliiſque extrinſecis, non poteſt obiectum eſſe malum, quin vitium ſuum tranſmittat in actum, cui iam ſic peruerſo, circunſtantiæ ſuperaddere intelliguntur malitiæ ſuperpondium.

Eorundem fontium collatio in diuerſis ſubiectis.

Plus operæ eſt in poſteriori comparatione, quæ ſiue omiſſionibus ad inuicem, ſiue omiſſionibus inter ſeipſas, ſiue denique commiſſionibus ad omiſſiones comparatis; ſpectari poteſt vel inter duo extrema genere morali diuerſa, vel inter extrema diuerſa ſpecie, ſub generibus moralibus diuerſis, & quoad malitiam inæqualibus conſtituta, vel inter indiuidua ſpeciebus inæqualibus ſubiacentia. Huc pertinet diſtinctio illa grauitatis inter malitias, qua vnum peccatum dicitur grauius altero ex genere (ſumpto propriè nomine generis, non vt aliàs pro obiecto & materia,) aut in ſpecie, aut indiuiduo. Illud peccatum dicitur grauius ex genere, quod generi morali ſubeſt, cuius maxima ſpecies excedit ſpeciem grauiſſimam alterius generis: éſtque hæc maior grauitas ſalua, etiamſi inter varias vtriuſque generis ſpecies, ſit inæqualitas, & aliquæ vnius generis excedant aliàs, & contrà. In ſpecie autem grauius dicitur peccatum, quod excedit aliam ſpeciem, cum qua comparatur. Similitérque ſe habeat res quod exceſſum in indiuiduo.

Maior ex genere grauitas, ſupponitur.

333. Quòd igitur ſit admittenda grauitas maior ex genere, dubitari non poteſt. Neque enim omnia genera peccatorum ſunt æqualia: Eſtque per ſe perſpicuum, eam grauitatis inæqualitatem, ducendam eſſe ex oppoſitione cum præſtantiore virtute generica. Eo ipſo enim quòd virtus eſt altior, atque adeò naturæ rationali conuenientior, eámve magis exornans; manifeſtum videtur quòd aliquid cum ea maximè pugnans, ſit deterius eo, quod maximè pugnat cum virtute genericè deſpicatiori. Nam hoc ſaltem modo valet effatum illud depromptum ex Ariſtotele 8. Eth. c. 10. confirmatúmque à D. Thoma 1. 2. q. 73. art; 4.

At circa comparationem ſpecierum generibus moraliter inæqualibus ſubiectatum: variant ſententiæ. Sunt enim qui velint quancunque malitiam nobiliori virtuti oppoſitam, eſſe ſemper grauiorem, ſiue malitiarum comparatio inter ſpecies ſiue inter indiuidua inſtituatur. De indiuiduis obiter id tradit Durandus in 4. d. 12. quæſt. 1. n. 8. De vtriſques autem Vaſques 1. 2. q. 73. ad art. 3. & 4. At Suares d. 6. de fide, ſ. 2. n. 6. & l. de iuram. c. 3. n. 10 contrariam ſententiam habet pro indubitata quoad ſpecies diuerſorum & inæqualium generum, quorum vnum adæquate ſumptum excedat grauitate alterum, & tamen in vna aliqua vel aliquibus ſpeciebus infrà ſummam,

eidem cedat grauitate malitiæ. Annuit Salas 1. 2. tract.13.d.5.n.15.

Malitia ſpecifica, generica leniori ſubiecta, quandoque grauior, & contrà

334. Hæc poſterior ſententia videtur veriſſima. Nam fides diuina eſt virtus longe nobilior, quàm Iuſtitia vel Temperantia. Vnde ex D. Thoma 2.2.q. 10.art.3. ſuprema ſpecies peccati contra fidem, ſuperat grauitate omnem iniuſtitiam & omnem intemperantiam: Quod eſt peccatum contra fidem eſſe ex genere ſuo grauius peccato cõtra Iuſtitiam aut Temperantiam. Et nihilominùs aliqua ſpecies peccati contra fidem diuinam, eſt leuior ſpecie aliqua peccati contra Iuſtitiam vel Temperantiam. V. G. peccatum culpabilis ignorantiæ rerum fidei, itémque omiſſionis quæ in homine fideli inueniri poteſt, ſunt leuiora homicidio, aut ſpurcitiis contra naturam, & tamen ſunt peccata contra fidem diuinam. Et contrà verò hæreſis eſt maius peccatum quàm odium proximi, licet hæreſis ſit contra fidem, odium verò contra charitatem. Item ebrietas eſt grauior mendacio: & tamen mendacium eſt contra veritatem quæ eſt pars Iuſtitiæ, éſtque nobilior quàm Temperantia. Similiter fornicatio eſt grauior furto, vt docet etiam D. Thomas 2.2.q. 54.art.3. quamvis furtum, Iuſtitiæ, virtuti nobiliori opponatur. Idem denique eſt de timiditate ad intemperantiam comparata. Timiditas enim quamuis Fortitudini, (quæ temperantiam ſuperat,) aduerſetur tamen leuius peccatum. vt D. Thomas rectè ſtatuit ſuprà q. 142. art.3. His exemplis confici videtur, cùm vna virtus generica plures ſub ſe ſpecie contineat, poſſe peccatum aliquod inferiori virtuti contrarium, comparatum cum peccato vni tantùm eius honeſtati aduerſante; (hoc eſt, non collocatum cum oppoſito ſuperioris illius virtutis adæquatè ſumpto, ſed tantùm inadæquatè. & quoad aliquam ſpeciem infrà ſupremam;) poſſe eſſe grauius fœdius, quàm ſit illa alia malitiæ ſpecies aduerſans honeſtati generis ſuperioris.

Nec moueor argumento quod in contrarium profertur ex ſpeciebus generis naturæ, quæ cenſentur eſſe nobiliores, quo ſubſunt generi nobiliori. Ego enim in phyſicis quoque, admitto ſpecium generis ignobilioris, poſſe ſuperare dignitate ſpeciem generis ſuperioris, vt admittunt etiam Molina 1.p.q. 10. art.5.d.2.concl. 3. ad 2. Suares 6. de grat.c.13 num, 12.& d.32.Met ſ.2.n.31.Val.1.p.d.1.q.3.p. 6.& 1.2. d.8. q.4.p.1. Salas 1.2. tract.1. d.1. num.6. & tract 13.d 5.num.17. Lorca 1.2. ſ.3. d. 9 n. 17. Victoria & Canus apud Bannem 1. p. q. 1. art. 1. vbi etiam Zumel q.vnica, plurima diſputat de hoc principio, ex quo alibi intuli, cœlum, tametſi genericè ignobilius muſca, quippe animata; poſſe tamen eam producere principaliter, ob præcellentiam rationis ſpecificæ in cœlo.

Malitia indiuidualis, vbi & quomodò auctior.

335. Iam verò quoad indiuidua; vel comparantur peccata indiuidua vnius ſpeciei, cum peccatis indiuiduis ſpeciei diuerſæ, ſiue æqualia, ſiue inæqualis cum illa alia ſpecie: (videtur enim inter ſpecies diuerſas dari poteſt æqualitas, cùm in phyſicis, tum in moralibus: quamuis vt plurimùm ſpecies diuerſæ, ſint inæquales.) Vel certè comparatio inſtituitur inter peccata indiuidualiter differentia ſub eadem materiali ſpecie peccati. Hæc poſterior comparatio, non habet difficultatem. Nam certum eſt, inter peccata eiuſdem ſpeciei, eſſe latitudinem: & aliqua ratione circunſtantiarum eſſe aliis grauiora. vt furtum theſauri, eſt grauius furto vnius oboli, quamvis indiuidualiter tantùm diſcrepent. Quò ſpectat tenuatio quorundam peccatorum, vel ex paruitate materiæ, vbi ea paruitas locum habere poteſt, vel exilitate deliberationis. Ex quibus capitibus, peccata ex obiecto grauiſſima, & quæ in aliis indiuiduis actibus eiuſdem ſpeciei, ſunt teterrima, reddi poſſunt leuiſſima ac propè expertia labis.

In priore autem comparatione indiuiduarum malitiarum, dimittamus comparationem ſpecierum æqualium. Nam præterquàm quòd æquè conſtare poteſt vbi ea æqualitas locum habeat, ſi quando de ea conſtet, multò faciliùs idem de illa ſtatui poterit, quod de inæqualitate: de qua cum Suare d.16. de fide, ſ.2.n.6. affirmandum eſt ſpeculatiuè & quaſi phyſicè loquendo, quodvis peccatum grauioris ſpeciei eſſe quoque eſſentialiter grauius in indiuiduo. Moraliter tamen loquendo, itémque in ordine ad Numinis violationem, peccatum indiuiduum inferioris ſpeciei, poſſe eſſe grauius peccato indiuiduo ſpeciei ſuperioris ac tetrioris, vt patet ex grauiore plerunque ſupplicio diuinitùs decreto peccatis indiuiduis ad ſpeciem leuiorem pertinentibus: Et ex eo quod peccatum indiuiduum grauioris ſpeciei poteſt eſſe veniale ac leue, quamvis peccatum indiuiduum ſpeciei leuioris lethale ſit & graue. Sic ordinariè & moraliter loquendo, aliquod homicidium videtur excedere aliquod perjurium, quia naturæ ſenſibili magis aduerſatur homicidium, éſtque maioris inordinationis argumentum: & inter homines grauiùs plectitur, quod etiam videtur apud Deum valere; quamvis perſpicuum ſit, ſpeciem periurij eſſe deformiorem. Angeſtus cap.7. mor.t.1. dub... id reſtringit ad periurium ordinario modo admiſſum, eo dimiſſo periurio quo quis formaliter intenderet Deum mendacij infamare. Quod cùm tam horridum ſit vt non videatur in hominis cogitationem cadere poſſe, omittendum cenſui.

ARTICVLVS V.

De eductione formalis malitiæ è conſtitutis eius fontibus per cauſas illius effectrices: falſa ſententia, quæ cauſas illas peccantis extrinſecas conſtituunt.

QVæ hactenus de formali malitia expoſuimus, ad eius quidditatem, vel conſtitutionem, aut cauſas internas pertinent. Nunc ſequitur, vt ad infelicis illius prolis conceptionem ac partum veniamus, & cauſas externas quibus in lucem exiſtentiæ malis auibus educitur, proferamus. Quicquid enim incipit eſſe, cùm antè non eſſet, tales aliquas cauſas habet, vt D. Auguſtinus rectè ſtatuit l.1. contra Iulian.c. 3. Cùm autem duo ſint externarum cauſarum genera, nempe finis & efficiens, de cauſa quidem finali, vix aliquid occurrit quod tractationem deſideret Nam conſtat, malitiam quâ talis eſt, non ſupponere cauſam finalem ſibi debitam, ac etiam ſecundùm prudentem æſtimationem, nullo modo habere finem. Vnde dictam nequitiam, *quòd nequicquam fiat*, notabo infra ex D. Augustino. Et in Scripturis ſæpè iteratur, peccatum ſuperuacuè & fruſtrà fieri. Tota ergo difficultas eſt de cauſa effectiua. Et hæc quoque minùs implexa eſt quoad prauam omiſſionem: Cuius cauſa eſt, quæ cùm poſſet & deberet

 operari,

operari, vltrò oriatur & ceſſat. In quo modo ſe habendi, pauciores & minùs impeditæ difficultates inuoluuntur, quàm in eo qui ad commiſſionem prauam adhibetur. Proindéque quamuis quæ dicemus ualeant quoque ſuo modo circa omiſſiones malas; tamen præſertim inſiſtemus cauſæ effectiuæ prauarum commiſſionum; quam neceſſe eſt, vel eſſe extrinſecam ſubiecto totali, ſiue perſonæ cui peccatum inſidet, vel intrinſecam. Agam de priore in hoc articulo.

ASSERTIO.

NVlla creata cauſa voluntati noſtræ extrinſeca, malitiam formalem noſtram è proxime propoſitis fontibus educit. Non cœli, non dæmones. Multò minùs Deus: qui ſimpliciter ac ex ſe, nec quoad formale, nec quoad materiale in his circumſtantiis elicitum, aut vult peccatum: quamuis ſuppoſita conditionali præmotione creatæ ad illud determinationis, & permittere, hoc eſt non impedire cùm poſſet, ac etiam vt poni à creata voluntate queat, cooperationem ſuam ad materiale illud per modum cauſæ prauæ exhibere decernat ab externo: exhibeátque reipſa in tempore, ſed duntaxat ad exigentiam voluntatis: Quam etiam ſpecifice à ſeipſa in æterna prænotione conditionata iam determinatam, ac turpitudinis formalis ex ſolo eius ſe habendi modo conſecuturæ, operabundam determinat ad hanc indiuiduam actionem, abſque cauſalitate in ſingularem malitiam.

336. PRimò nego cauſam formalis malitiæ effectiuam, eſſe cauſam vllam creatam, voluntati noſtræ extrinſecam, ſi ſermo ſit de principio, à quo malitia propriè fluat, tanquam à vera cauſa ſua.

Nulla creata cauſa peccanti extrinſeca, eſt propriè peccati cauſa quam quærimus.

Quod addo, quia probabilius eſt cœlum conferre ad conciliandam homini certam temperiem, ex qua ſequantur propenſiones ad nonnulla peccata. Sed hoc nimis remotum eſt: neque inde habetur vllus cœli influxus proprius in malitiam, cùm voluntas libera poſſit aſtris dominari, & eorum influxum fruſtrari. Nemo item diffitetur, quin homo poſſit homini eſſe in ruinam, vrgendo illum ad culpam, ac etiam coadiuuando per infelix commercium, & malè vtrique ceſſuram ſocietatem. Nihilominus tamen culpæ, qua vnuſquiſque ſeipſum inquinat, cauſa phyſicè influens, eſt ipſemet operans, non autem principium extrinſecum.

Certum item eſt, dæmonem fieri ſæpè hominibus in laqueum, & in malitiæ adminiſtrum ac intentorem. Sed neque dæmon eſt verus parens malitiæ noſtræ, cùm duntaxat moraliter ad eam excitet, vel certè concitatione humorum conetur nos ad certas cogitationes & affectiones mouere, quæ quandiu voluntatis liberæ arbitrio non admittuntur, malitia morali non inquinantur. Eſto illuuie aliqua animam fœdare cenſeantur, quatenus obiectiuè ſordent. Quod voluit Autor libri de oper. Chriſti Cadin. ſerm. de ieiunio, cùm dixit de Satana cogitationes fœdas excitante. *Robuſtis viribúſque animis, etiam huiuſmodi cogitatus immittit. & ſi ab ingreſſu mentis arceatur renitente conſenſu, aliquid tamen de ſpurcitia ſua ibi euomens abominationum horrore nauſeare compellit. Sic vt aliquid Poeticum inſeram tumulentus Cyclops illiciti coniugij appetitor licèt à Pallade repellatur, in gremio tamen eius Erichthonium fundit, & corrupta Minerua ſupereſt tamen deforme monſtrum, nec omninò affectata ſcelera, in memoria moriuntur.* Conſpurcat igitur plerunque Satan hac ratione humanam voluntatē: propriè tamen ac verè fœdare, immiſſione malitiæ, non eſt in Satanæ poteſtate, qui voluntariam prædam inermis expectat, vt ſcitè dixit Eucher homil. 3. de Paſch. Pulchrè item Tertullianus l. de exhort. ad caſt. c. 2. *Princeps generis & delicti Adam, voluit quod deliquit. Neque enim Diabolus voluntatem ei impoſuit delinquendi, ſed materiam voluntatis ſubminiſtrauit. Cæterùm voluntas Dei in obaudientiam venerat. Proinde & tu ſi nō obaudieris Deo qui te propoſito præcepto liberæ poteſtatis inſtituit per volūtatis libertatem volens deuergeris in id quod Deus noluit, Ita te putas à Diabolo ſubuerſum, qui etſi vult te velle quod Deus non vult, non tamen facit, vt & velis, quia nec tunc inuitos Protoplaſtos ad voluntatem delicti ſubegit: imò neque inuitos, neque ignorantes quid Deus nollet. Vtique enim nolebat fieri, cui admiſſo mortem deſtinabat. Ita Diaboli opus vnum eſt, tentare: quod in te eſt, an velis. At vbi voluiſti, ſequitur vt te ſibi ſubigat; non operatus in te voluntatem, ſed nactus poſſeſſionem voluntatis.* Prudentius optimè in Harmartig. c. 610.

Sed quid ego omne malum mundique hominúmque maligni
Hoſtis, ad inuidiam detorqueo; cùm mala noſtra
Ex noſtris concreta animis, genus, & caput & vim
Quid ſint, quid valeant, ſumant de corde parente.
Ille quidem fomes, noſtrorum & cauſa malorum eſt:
Sed tantum turbare poteſt, aut fallere quantum
Nos volumus qui decrepito ſuggeſta leoni
Armamenta damus, friget fera futile frendens;
Humani generis ni per ſuffragia gliſcat.

S. Chryſoſtomos id luculenter proſequitur hom. 54. in Acta in morali, & S. Baſil. reg. 75. breuio.

Ac ne prædictis quidem modis, Dæmon omnis malitiæ noſtræ autor eſt, vt benè notauit Gennad. l. de Eccleſ. dogmat. c. 82. Nec niſi ad illud quod plerunque contingit, ſpectant illa S. Hilarij in Pſalm. 118. *Omnes humanæ iniuriæ quæ religioſis viris inferuntur, non eoſdem habent autores quos habent miniſtros. Executio quidem hominum eſt, ſed Diaboli inſtinctus eſt. Et huius nobis intelligentiæ, Apoſtolus autor eſt, dicens:* Non enim nobis certamen eſt aduersùs carnem & ſanguinem, ſed aduersùs poteſtates mundi huius poteſtates harum tenebrarum, poteſtates ſpiritualis, nequitiæ in cœleſtibus. *Et rurſum:* Secundùm Principem aëris huius ſpiritus, qui nunc operatur in filiis inobedientiæ. *Operantur ergo hæ ſpirituales nequitiæ qui inobedientes Dei legi ſunt, quos voluntatis ſuæ tanquam operarios eligunt, in res ſuas alienæ interceſſionis miniſterio ſuo vſuri. Neque ſolùm id ex Apoſtolicis dictis intelligimus, ſed etiam ex libro Iob docemur: Cùm enim Diabolus poteſtatem tentandi Iob poſtulaſſet, per direptionem ſubſtantiæ eius primùm deſæuiturus, homines ad paſtorum cædem & direptionem pecudum incitauit, eóſque in hanc voluntatem latrocinij accendis. Egit ergo quod volebat per humanæ operationis officium. Iudas quoque in paſſione Domini, miniſte-*

rium

eius Diaboli fuit ; & per eum , effectum voluntatis propria , eſt executum : Euangeliſta teſtante , qui ita : intrauit , *inquit* , Satanas in Iudam qui cognominatur Scariotes. *In omni igitur, quam perpetimur iniuria, alterius opus , alterius inſtinctus eſt. Et non ſibi efficit, quiſquis aliquid per turbulenta voluntatis impetum gerit. Non ergo his iraſcendum eſt à quibus aliqua perpetimur , ſed quoties per contumelias ad iracundiam prouocamur , quotieſcunque per conuiuia ad lites exhortamur , quotieſcunque ad dolorem , ad impiam damni querelam per rapinas & furta compellimur , aut in corporis voluptates blandæ adhortationis ſollicitamur inſtinctu, agnoſcendus eſt hoſtis ille, per quem hæc operum ac dictorum incentiua præbentur. Neque iraſcendum eſt hominibus alienæ inſtigationis operariis , ſed potiùs in his deteſtandi officij intercesſio fœda miſeranda eſt, quòd ſint vaſa Diaboli, Satanæ miniſterium , latrocinantium telum , & alienæ malitiæ ac nequitiæ participes.* Non ſunt inquam hæc accipienda niſi ratione frequenter euenientium. Tantùm abeſt , vt verè Armenij apud Sanderum lib 7. viſib. Monarch. hær 118. & Carpocrates ac Gnoſtici apud Epiphanium hæreſi 38. & apud S. Irenæum l 1. c.35. aſſeruerint peccatum hominis à Dæmone eſſe , vt à ſolo principio effectiuo. Quam in vſitatem pluribus , ferè fruſtra, reiicit Caſtro v. *Peccatum.* hær. 3. Vide quæ in eam rem dixi d.e.q. 3.art.4. *in fine.* Ipſi certè Manichæi contrarium agnoſcebant , vt prolatis eorum verbis docet S. Auguſtinus l. 1.de actis cum Felice, c.6.

An malitia noſtra cauſa , ſit increata , iuxta immanem Sectariorum blaſphemiam.

337. Itaque ſi quæ dari poſſet propria cauſa effectiua malitiæ formalis , extrinſeca voluntati creatæ, & ſuppoſito cui illa implantatur, non poſſet alia quam Deus , ad quem proinde tota hæc prima pars diſputationis de efficiente cauſa peccati arctari debet. Et quanquam vel ipſæ voces , quibus propoſitionis affirmantes in hac materia compingendæ ſunt ,horrendum ſonent ſuóque ſtridore ſanas aures verberent , aut etiam lacerent : Tamen quia non defuerunt quidam,vt loquitur S. Irenæus l.1.c.29. *impudorate blaſphemantes* , ac ne proximè quidem deſiderati ſunt, & nunc etiam aliqui ſuperſunt,quibus ea rabies menti inſedit , vt Deum mali moralis noſtri autorem & cauſam pronunciarent : neceſſarium eſt , profaniſſimam , & generi humano in Parente ſuo ac Conditore iniuriſſimam aſſertionem omni ſtudio ac viribus inſequi.

Nec mirum videri debet id à nobis in hac duntaxat philoſophica tractatione ſuſcipi, cùm ea blaſphemia non minùs pugnet cum naturali lumine quàm Atheïſmus aut prouidentiæ inficiatio ; in cuius confutationem omnibus titulis obſtringi hominem,graui ratiocinatione ducta ex naturali lumine , quæ hic quoque locum habet, confirmat Theodoretus orat.1. de prouid. *initio.* Quare idem meritò à Chriſtiana Philoſophia intentum ſtudium depoſcit veritas hac in parte, in qua ſummum Numinis probrum, vel etiam ſalus vertitur ; quod olim miniſtri erroris à ſuis auditoribus exquirebant, autore D. Auguſtino lib.de vtil. credendi , c.vlt. Qui addit, eos dum nimis quærunt vnde ſit malum , nihil reperire niſi malum : & dum ſæpè in hac quæſtione auditores excitant ad quærendum,ea docere excitatos, vt vel dormire ſemper ſatius ſit, quàm illo modo euigilare : quòd de lethargicis phreneticos faciant.

Quanquam eò vereentiùs, & in generatione ſua prudentiùs feciſſe videntur Manichæi , quos eo loco exagitat S. Auguſtinus itémque l.de fide contra eoſdem, à principio,& l.de nat.boni, c.40 &41.ac ſæpè alibi : & Serapion Ægyptius t. 4. Biblioth. Colon. opuſc.contra Manich.vocans Manichæiſmum *poſtremam impietatis abortionem,quæ omnes aliorum improbitates exterminauit, & in profundis poſuit* · eò inquam conſultiores Manichæi , quòd Deum bonum reueriti , vt ab eo tantam támque atrocem labem auerterent , & nihilominùs captatam quidlibet agendi & audendi occaſionem inueherent , inducto externo malitiæ principio , negarunt , Deum eſſe mali autorem, vt ex eis refert Simplicius in capit. 4. .Ench. Epict. *ſub finem*,maluerúntque cum Pythagora.quem, eis hac in parte præiuiſſe autor eſt Epiphanius hæreſi 66. duo prima principia comminiſci ; alterum bonum, ſceleríſque purum; alterum malum , & peccati in nobis autorem. Quod eorum conſilium rectè obſeruauit Stapletonius l.11. de Iuſtif.c.1.& Sanctesius tract. 5. de Atheïſ, c.2 n. 2. Idem ſceleratum quorumcunque referentium peccatum in Deum , aut in quamcunque cauſam neceſſitatem , attigit optime his verbis S.Ambroſius l.2.de Cain.c. 9.inter expendendum Dei cum Caïno colloquium. [Vult te prouocare ad pœnitentiam Deus,vult de ſe ſperari indulgentiam,vult demonſtrare hac confeſſione,quod non ſit autor malitiæ. Nam qui peccatum ſuum ad quandam referunt,(vt gentiles aſſerunt)decreti aut operis ſui neceſſitatem, diuina arguere videntur, quaſi ipſorum vis , cauſa peccati ſit. Qui enim neceſſitate aliqua coactus occiderit, quaſi inuictus. Ea verò quæ à nobis ſunt , excuſationem non habent : quæ autem propter nos ſunt , excuſabilia ſunt. Sed quantò grauius peccato ipſo , ad Deum referre quod feceris, & reatus tui inuidiam transfundere in autorem non criminis, ſed innocentiæ ?]

Ex Sanctesio porrò,ibidem c.1. diſcimus, poſt Florinum Irenæi æqualem & aliquando ſocium , de quo Euſebius 5. hiſt. c. 19. occupatum quoque ea rabie fuiſſe Caluinum, vt profiteretur, Deum , vnicum & optimum,imò ipſam ſanctitatem ac puritatem, (horreſco referens!) ſcelerum omnium totiúſque malitiæ autorem eſſe. Quamvis pro ſolita vafritie iis verborum ambagibus hoc ſententiæ monſtrum obducat vt ægrè interdum perſpiciatur. *Quapropter* (vtar enim S. Irenæi verbis l.1.c.35. in huius monſtri profligatione ,) *quia aduerſùs hos errores victoria , eſt eorum manifeſtatio , conabor vniuerſum malè compoſitum vulpeculæ huius corpuſculum in medium producere, & apertum facere manifeſtum. Iam enim non multis opus erit ſermonibus ad euertendam doctrinam eorum manifeſtam omnibus factam. Quemadmodum beſtia alicubi in ſylua abſcondita, & inde impetum faciente, is multos vaſtantis qui ſegregat & denudat ſyluam, & ad viſionem adduxit ipſam feram , iam non elaborauit ad capiendam, videntes quoniam ea fera, fera eſt : ipſi enim adeſt videre , & cauere impetus eius , & iaculari vndique , & vulnerare & interficere vaſtatricem illam beſtiam. Sic & nobis cùm in manifeſtum redegerimus eorum abſcondita, & apud ſe tacita myſteria, iam non erit neceſſarium , multis deſtruere eorum ſententiam.*

Horrendus Caluini ſibilus hac in parte,

338. Affirmant igitur Caluinus , & puſillus grex vniuerſus, apud Caſtrum v. *Malum.* Nominatímque Theodorus Beza , & alterius gurguſtij popinones Zuinglius & Bucerus multíque alij apud Coccium t. 1. l. 1. art. 1. ac nuperi Batani apud Malderum in Antiſynodicis c.1.n. 16: Affirmant inquam , Deum non ſolùm velle peccata permittere , ſed etiam velle ea fieri ; & vt fierent , ab æterno decreuiſſe , inconſulta humana voluntate. In tempore autem vi æter-

ni

ni illius decreti non modò permittere peccata quæ perpetramus, ſed etiam perverſis creaturarum voluntatibus mandare, vt maleficia concipiant. Et quaſi nedom ſatis vigentem molem impegiſſent parieti inclinato & maceriæ depulſæ, addunt, Deum quo eſt potentiæ robore, decreto illi ſuo ſubſeruiente vi actiua, inclinare, impellere, potentérque adigere creatas voluntates, vt in ea moralia mala erumpant. Qui etiam per ſeipſum in iiſdem mala opera exercere, ita vt Dei prouidentia ſic ordinante, cadat homo, nec valeat euadere peccandi neceſſitatem diuina ordinatione ineluctabili iniectam: Quamvis hæc omnia per voluntatem Dei arcanam, nuſquam reuelatione proditam, executioni mandentur. Voces illas, imò cœnum ac ſaniem verborum ſpurciſſimorum, quibus horrenda hæc effata à prædictis Sectariis expreſſa ſunt, repræſentat Sancheſius tract. 15. aduersùs Caluini Atheïſmos, c. 1. & Stapletonius l. 11. de Iuſtif. à c. 4. itémque Bellarminus l. 3. de amiſſ. grat. & ſtatu peccati, c. 3. & 4. Secan. opuſc. 3. & 17. & q. 1. ac 2. Caluiniſtica, aliiſque locis. Et diligenter Gulielmus Reginald. l. :. Caluinoturc. c. 17. ac Nicolaüs Romæus in Caluini effigie ſpectaculo 2. colore ac.

Ex his autem quæ retuli, & à Sectariis traduntur, ſequi neceſſariò Deum eſſe peccati autorem, eſt omninò euidens, tametſi verbo tenus eorum nonnulli, quoad hoc illatum tergiuerſentur. horrentes tam immanem blaſphemiæ atrocitatem, quæ tamen ex principiis poſitis planè ſequitur. Contendunt enim Sectarij Deum æterno ſuo decreto, ex ſeipſo, nobiſque prorſus inconſultis, ſanxiſſe peccatum, & in tempore mandare, vrgere, ac neceſſitare, vt executioni mandetur. Quid verò ampliùs quæritur. vt Deus ſit & dicatur cauſa peccati; & quidem multò deteriùs quàm voluntas creata; Nam hæc cùm iuxta Sectarios operetur adacta, extra culpam eſt. Bona autem intentio, qua fabulantur Deum duci in ea voluntate peccati antecedente, & robuſta humanæ voluntatis ad illud propulſione, non eximit Deum à cauſatione peccati. Non enim qui furatur, bona intentione ductus, V.G. vt eleemoſynam largiatur, furti reus non eſt cenſendus: aut qui fornicatur, vt ſuſcipiat prolem quæ Deo ſeruiat, & cœleſtibus adſcribatur, extra culpam eſt. Nimirum iuxta peremptorium edictum proſtans apud Apoſtolum, *Non ſunt facienda mala, vt eueniant bona.* Et qui mala idcirco facit vt bona exoriantur, quærens de ſpinis vuas, & de tribulis ficus legere, miſerè ſe deludit, nec malitiam operis quod aſſumit, ea boni finis appoſitione quaſi diluit.

Caluini antecesſores, Mahumetes, Iulianus Apoſtata, Canici, Epicuræi.

Omninò igitur Sectarij, perhorrendam blaſphemiæ immanitatem, tradunt Deum eſſe autorem peccati. Qua in parte iam dixi præiuiſſe illis Florinum. Præiuiſſe item Iulianum Apoſtatam, & Mahometem, dignos hac prole parentes, monſtraui in naturali Theologia, d. 5. n. 32. Quoad Mahumetem, præter Autores id teſtantes quos protuli loco allegato, addo teſtimonium Autoris hiſtoriæ Mahumetis, quam Sylburgius ſuis Saracenicis, Latinè factam inſeruit. *Ille miſerrimus* ait de Mahumete, *omnibúſque modis execrandus, Dei pariter & hominum irreconciliabilis beſtia, à ſiniſtro vulgique ſeductore Dæmone inſtinctus & agitatus, atque adeò intemperante lingua & mente amente blaterans, omnis boni pariter & mali Deum autorem prodigioſa audacia affirmat: Et quicquid homini obuenerit, ſiue ex improbi hominis inſtinctu, ſiue ex ſua ipſius ſocordia & indiſcreta incogitantia; id omne diuinæ prouidentia eſſe, ſceleratus ille pronunciat.* Similiter in Catecheſi Saracenorum iiſdem Saracenicis inſerta, inter alios anathematiſmos, qui indicebantur Saraceno ad Chriſtianiſmum venienti, iſte memoratur *Anathematizo Moamedis blaſphemiam, qua dicit, Deum, quem vult, in errorem impellere, & quem vult, in bonam viam deducere. Et ſi Deus vellet, non inter ſe bellatures eſſe homines, ſed ipſum facere quod vult, omniſque boni pariter & mali autorem ipſum eſſe, tum fortunam & fatum obtinere in omnibus.* Verè igitur Sectarij ſunt hac in parte, vt & in pleriſque aliis Mahumetani: Niſi quòd Gulielmus Reginaldus lib. 3. Caluinoturciſmi, c. 17. multò etiam deteriores eſſe quoad hoc Mahumetanis Caluinianos contendit.

Addo verò præiuiſſe etiam eis in hac blaſphemia Epicuræos apud Plutarchum opuſc. quòd non poſſit vita iucundè tranſigi iuxta Epicurum, n. 22 & Cynicorum deprauatiſſimos, de quibus his verbis Porphyrius l. 1. de abſtin. pag. 84. *Fiducia Cynicorum nonnullos effecit Panteretas, qui propter appetitus ſui modum inſatiabilem, in grauiſſimos incidentes errores, quorum cauſam adiaphoriam appellatam, inconſideratè Deo inferunt.* Poſſumus de omnibus dicere, quod in mulieres amatrices intorquet Auſonius, præfatione ad Edyl. 6 quo cupido cruci affixus deſcribitur, *ſibi ignoſcunt, & plectunt Deum.* Ita enim hi Deo affricantes ſcelus ſuum, ſibi ignoſcunt, & Deum accuſant. Ego verò huius cœni aſperginem, vel commemoratione ſola conſpurcantem, iam faſtidio, libénſque illud Prudentij in Hamartig. v. 716. exclamarim:

Damna aures, Pater alme, meas, & claude meatus
Obtuſeſcentis capitis, ne peruia tales
Concipiat flexura ſonos; ne peruia tanti
Extinctum vita efficiunt de parte cerebri,
Immunem modò ſeſe anima expertémque nefandi
Auditus felix ſtolidaconſeruet ab aure.
Quis ferat hac iniecta Deo conuitia?

Itaque omiſſa reliqua Sectariorum in hoc negotio mangonia & turpitudine, pergo ad eius abſterſionem.

Euerſio blaſphemia feralis recenſita,

339. Secundò ergo dixi, Deum nullo modo eſſe cauſam peccati, contra Cynicos, Epicuræos, Mahumetem, Iulianum Apoſtatam, & Sectarios prædictos; quorum blaſphemiæ quanta ſit feralitas, nemo ſatis explicet. Veriſſime enim Euſebius 6. præpar. cap. 5. pronunciat, nihil ſceleſtius hoc dogmate excogitari poſſe, quod *hominum* eſſe ait. *& ſtultorum & impiorum* S. item Baſilius homil. quòd Deus non ſit autor malorum, nihil de ſtultitia & impietate Atheo concedere, affirmat eum, qui mali moralis cauſam in Deũ refert. *Quoniam*, inquit, *ambo bonum Deum ſimiliter negant. Alter quidem non eſſe omninò dicit: alter verò non bonum eſſe, affirmat Si enim eſt malorum cauſa, non bonus eſt: ſi non bonus, neque Deus. Itaque vtrobique eſt negatio Dei* Præclarè Philo l. de profugis, poſt multa in hanc ſententiam inſignia, expendens illud, *Qui verberat patrem, moriatur*, concludit in hæc verba. *Tantum non clamat ac vociferatur, nemini dandam veniam. qui in Deum blaſphemus ſit. Nam ſi mortali parenti conuiciatus, luit ſupplicium; qua pœna dignus videri poteſt, qui malè loqui ſuſtinet, de Parente Creatoréque rerum omnium? Et quod poteſt eſſe conuitium grauius, quàm contendere, non ex nobis mala prouenire, ſed ex Deo?* Sanctus Chryſoſtomus homil. 23. in Acta, ſpectata eiuſdem contumeliæ mole, ait, *præſtare ſexcenties defodi. quàm Deum per nos malorum autorem audire.* Verùm fruſtrà plagulas ex quibuſdam Patribus aduersùs tactam impietatem corrogo, cùm

conſcriptæ

conſcriptæ ſint iuſtæ de hac re tractationes à pleriſque: nominatimque ab Irenæo, teſte Euſebio 5. Hiſt. c. 19. aliàs 20. fragmentum libri ab Irenæo de hoc argumento editi adſcribente. Itémque à Baſilio homil. cit. Proſpero ad obiectiones Vincent. à c 5. ad 3. Fulgentio l. 1. ad Monimum, à c. 17.

Conclamarunt in eam Ethnici.

Aptiùs ad hoc inſtitutum adduxerim Ethnicos, quos indubitatum eſt, ſolo naturæ lumine quo tantùm nunc dirigimur, perſpexiſſe hanc veritatem, idque de eis teſtatur Theodoretus in Epitome diuinorum decretorum, c. *de Antichriſto.* Plurimos adduxi in natur. Theol. d. 1 n. 53. & 54. Aliquos nunc addo. Triſmegiſtus c. 9. Pimandri, Deum homini bonorum autorem, Dæmonem verò malorum, conteſtatur, *Mens*, inquit, *omnes notiones concipit: bonas quidem, quoties à Deo ſemen infunditur: contrarias autem, quum a Dæmonibus quibuſdam ſpermata iaciuntur. Nulla profectò mundi pars, eſt Dæmonum præſentia deſtituta, horum lumen ab ipſo Deo totum deſcendit. Dæmon denique transfuſus in hominem ſemina propria notionis inſpergit. Mens autem conſperſa ſeminibus prægnans, inde parit adulteria, ſtupra, homicidia, parricidia, ſacrilegia, diuinorum contemptum, iugulationes, euerſiones vrbium, peſtes hominum & reliqua omnia, quæcunque malorum ſunt opera Dæmonum. Dei planè ſemina, pauca; at illa quidem magna, pulchra, bona. Virtus ſcilicet, temperantia, pietas: pietas autem Dei cognitio.* Et mox. *Qui prauitatis ſermones eſt materialis, à Dæmonibus quoque, (vt diximus.) intelligendi ſemen accipit. At ſi qui bonitatis animæ compotes ſunt, horum natura, Deus ipſe vtitur. Deus enim omnium autor, efficiens autem omnia, ſibi ipſi conſimilia reddit.*

Homerus Odyſſ. α. expoſtulantem inducit Iouem, quòd mortales malorum cauſam in Deum referant, cùm ipſi nequitia ſua, præter, ac etiam contrà Numinis voluntatem, autores ſint mali. Menandri pulcherrimum locum profert Clemens Alexandr. 5. Strom. c. 7. quo is grauiſſimè conteſtatur, fruſtrà ſibi hominem blandiri, & diuinum fauorem ſpondere, male agentem aut volentem, cùm Numen omnia iniqua & facta & cogitata auerſetur: Tantùm abeſt, vt ad ea vrgeat, càve efficiat. Idem Menander vitij cauſam ſibi ipſi eſſe hominem, tradit, vt rubiginis in ferro ferrum ipſum, tineæ in veſtimento ipſam veſtem, teredinis deniquè in ligno, ipſummet lignum.

340. Pindarum coniunctim atque Platonem in eandem ſententiam laudat eodem libro Clemens [ſob finem, *hæc ſcribens ex Platonis ſenſu.* Eius qui elegerit culpæ, non poteſt in Deum cauſa conferri. Deus enim nunquam eſt cauſa malorum. O Troiani bellicoſi, inquit Lyricus Iupiter regnator ſuperûm, qui omnia aſpicit, non eſt mortalibus cauſa malorum, ſed omnibus hominibus in medio eſt propoſitum, vt apprehendant Iuſtitiam, caſtam & ſanctam Eunomiæ comitem, & prudentis Themidis. Beatorum ô pueri, qui nunc inueniſtis ſociam vna habitantem. Pindarus autem apertè inducit Seruatorem vnà habitantem cum Themide. Regem Seruatorem, iuſtum, hoc modo interpretans. Primùm quidem bono conſilio præditam Themin cæleſtem, aureis equis propter Oceani rupem Parcæ ad venerabiles Olympi ſcalas, in viam duxere præpinguem, vt eſſet vetus Seruatoris coniux. Ea verò frænis aureis & præclarum fructum ferentes, peperit bona Seruatores.] Laudat prolatum à Clemente Platonis locum Arnobius lib. 2. Ioſtinus in Apol. ad Anton. affirmans Platonem id à Moſe edoctum. Plura ex Platone tuli loco allegato,

Ex eadem ſchola fusè ac latè idem tradit Max. Tyrius diſſert. 25.

Ex Stoïcis multa in eandem ſententiam adducit Lypſius l. 1. Phyſiol. Stoïca, diſſert. 14. Hierocles pulcherrimè ad carmen 62. Pytagoræ & apud Stobæum in Eclogis Ethicis, *in ipſo fine:* hæc enim ex eo adducit *Multum ad rectum Deorum vſum videtur mihi conuenire, ſi quis intelligat: nullius vnquam mali Deum eſſe autorem: ſed hæc quidem de ſola vitioſitate proficiſci, Deos autem, per ſe bonorum & vtilium autores eſſe Nos verè nec ipſorum admittere beneficia, & ſponte nobis mala conſciſcere. Atque hoc loco Poëticum illud aptè preferetur.*

Qualia de Diuis mortales crimina iactant,
Quaſi ab iis mala deriuentur.
———————— Sed & ipſi
Sponte ſua pariunt fato ceſſante dolores.

Etenim, nullius vnquã mali Deum eſſe autorẽ vt multis probari poteſt, ita nunc ſolius Platonis, contenti erimus argumento. Quemadmodum, inquit, nec calidum frigefacit, ſed contrarium; nec frigidum calefacit, ſed contrarium: ſic nec beneficum malefacit, ſed contrarium. Deus autem cùm bonus ſit, omnique virtute plenus, non eſt maleficus, nec mali cuiuſquam autor, ſed contra & bona omnibus idoneis ſuppeditat; & cum bonis media quoque natura cognata impertitur. Vna porrò tantùm eſt malorum cauſa. Nempe ſua vnicuique libido & deprauata voluntas. In eandem ſententiam ſapientiſſimè diſputat de Stoæ primoribus Chryſippus apud Gellium l. 6. c. 2.

Sed & Plutarchus opuſ. contra Stoïcos, ait eos qui Deum mali moralis cauſam ſtatuunt, contra communes notitias ſentire, præſtaréque Deum imbecillem ſtatuere, dicendo mala fieri contra eius voluntatem, quòd impedire ea non poſſit, quàm dicere Deum eſſe eorum autorem. Et idem perpulchrè tradit lib. de ſera Numinis vindicta, demõſtrans non poſſe Deum mala moralia facere, quod non ſit ignis refrigerare, vel aquæ calefacere. Similitérque neque Dei ſummè boni & ſancti ſit, malorum autorem eſſe. Stoicus quoque audire voluit Celſus in l. apud Origenem lib. 4. ita in hac re pronunciat. *Naturam malorum cognoſcere difficile eſt non philoſophantibus, & ſatis eſt vulgũ doceri mala non eſſe à Deo ſed materiam verſari circa mala, eaque ſimiles inter ſe rerum mortalium circuitus à principio vſque in finem ſtatáſque reuolutiones. proinde neceſſe eſſe vt eadem ſemper fuerint, ſint, & futura ſint.* Abſurdè hæc Celſus quoad eundem ſemper peccatorum numerum, de quo ibi plenè Origenes, Item falsò quod ortum malitiæ ex materia, cùm libertas ſit cuique cauſa malitiæ non materia Veriſſimè autem, quoad negatum ortum malorum ex Deo. Quidquid poſt medium libri ſexti refert Origenes, Celſum comminiſcentem iuxta Chriſtianos Deum eſſe cauſam mali, idque exagitantem. Quæ cauſa fuit Origeni vt præmiſſa malorum diſtinctione in mala culpæ ac pœnæ cauſalitatem in priora mala de Chriſtianorum ſententia non eſſe Deo tribuendam, latè confirmaret.

341. Dio Chryſoſtomus luculenter orat. 32. *Primum quidem omnium, inquit, hoc credite firmiter, quod quæ hominibus accidunt in bonum, omnia ſimiliter ſunt diuina, etiamſi quis nauigans, peritum nanciſcatur. Naucleum. aut gens, aut ciuitas bonos Præfectos. Et ſi Medicus opportunè adſit ægrotanti, etiam hunc exiſtimare oportet auxiliatorem venire, a Deo miſſum Et ſi quis ſermones audiat prudentes, eos inde eſſe tranſmiſſos. In ſumma enim, nihil fortunatum neque fructuoſum eſt quod non iuxta Deorum & voluntatem & potentiã perueniat ad nos. Et vbique omniũ ipſi bonorum ditionem tenent, diſtribuúntque largiter. volentibus recipere, Mala*

autem

autem aliunde tanquam ex alio quodam fonte profluunt, nobis propinquo. Quemadmodum in hac ipſa aqua contingit. Quæ enim ſeruat & nutrit, fœcundátque, verè cœlitùs alicunde ex felici quodam fonte defluit: ſordidos autem aquæ ductus & fœtidos, nos ipſi facimus, noſtráque operâ conſtituuntur. Nam propter hominum dementiam, & delitias & ambitionem, difficilis eſt vita, plenáq; errore, prauitate, ægritudine, & ſexcentis aliis malis. Similitudine illa aquæ de fonte ſuo fluentis abſque cœno & ſordibus, per tubos autem & inibi occurrentem illuuiem conſpurcatæ, vtitur quoque in hanc rem Prudentius in Hamartig.

Cautio circa quædam loca adducta.

Illud circa adductum Dionis locum expenſione dignum eſt; videri Dionem, itémque Tyrium diſſert. 25. quæ eſt de cauſa mali, negare Deo cauſalitatem non tantùm in malum culpæ, de quo nunc agimus, ſed etiam in malum pœnæ: Quod benignè exponi poteſt de malo illo, quod eſt formaliter pœna. Vt ſic enim dicit habitudinem ad culpam, atque ita innectum cum radice illa ſua, non eſt à Deo vllo modo. Sumptum autem cum ſola connotatione culpæ, poteſt quidem à Deo intendi & inferri, quia dignum & iuſtum eſt ei qui malè egit, rependi debitum ſupplicium: tamen non intenditur nec decernitur à Deo, niſi conſequenter ad culpam, atque adeò non infertur à Deo ſuopte nutu, ac veluti ex ſe, ſed duntaxat vt per hominem adacto, Vnde hac quoque ratione, pœna quatenus pœna formaliter, non eſt à Deo; nempe antecedenter & ex ſe: quamvis ſuppoſitione culpæ iam poſita, verum ſit, pœnam qua talem, eſſe à Deo. In quo differt à culpa. quæ vt culpa eſt, nullo modo, & ſub nullo reſpectu eſt à Deo.

At ſi locum Dionis & Maximi vniuersè accipiamus de malo pœnæ. prout duntaxat eſt aliquid naturæ incommodum; ſic improbandi ſunt: perperam enim dicitur, malum pœnæ non eſſe à Deo, ac plerunque etiam, ex ſe, & antecedenter ad ſubiecti condignitatem illud decernente. Hæc enim mala vltoria, vt dixit Tertullianus, non modò formaliter prout victoria prioris culpæ, ſed etiam prout incommoda, Deus facit ad exercitationem & probationē ſuorum. Quod alibi conſiderandum eſt, & optimè à S. Baſilio traditur homil. quòd Deus non ſit autor malorum, his præter cætera. *Malum propriè peccatum, hac verè dignum appellatione, à noſtra voluntate pendet: propterea quòd in nobis ſitum eſt, vel abſtinere a malitia, vel malum committere. Reliqua verò quæ appellantur mala, partim ad exercendos dantur bonos, & declarandam fortitudinem, (quemadmodum Iob filiorum priuatio, totius ſubſtantiæ breui tempore amiſſio, corporis plagæ ac cicatrices;) partim vt medela eorum qui deliquerunt.* Sed hæc obiter ad Dionis & Maximi illuſtrationem, quos vel ex hoc capite, liquet à nefario placito quod conuellimus, abhorruiſſe; cùm etiam quod mitius eſt, è Deo remouerint.

Machina rationum aduersùs propoſitam blaſphemiam.

351. Rationes naturales pro veritate quam hîc aſtruimus, adeò perſpicuæ ſunt, vt pigeat eas vrgere: Vnam plurimis factam, planéque potentiſſimam, & ineluctabilem, profero in hanc formam. Si Deus eſſet peccati autor, neque iuſtus, neque bonus, neque miſericors eſſet: ſed è contra, iniuſtitiæ, ſæuitiæ, immanitatis meritò inſimularetur, quod audire non ſuſtinet qui Deum nouit. Probatur ſequela, quia iniuſtiſſimum & immaniſſimum eſt, plectere tanquam noxium, quem reuera noueris innoxium. Atqui ſi Deus malitiæ non modò incentor & præordinator, ſed etiam in nobis autor eſt, potenter vrgens & adigens voluntatem creatam ad conceptum & partum malitiæ formalis, non eſt homini liberum refragari. id quod aduerſarij ingenuè fatentur. Inde autem apertè ſequitur hominem eſſe in eo opere innoxium, & immeritò corripi nec peccare. Sicut nemo dixerit, peccatum eſſe quòd brutum calcibus impetat aliquem, eùmque occidat, aut vulneret: vel quòd lapis cadens, conterat aliquem fortè obuium. Ergo iniuſtitia, cum immanitate, & ſæuitia: Deo aſcribenda eſſet, quippe eluenti prauitates noſtras irrogatione atrociſſimorum ſuppliciorum, & quidem æternorum, quarum tamen prauitatum ipſemet autor & cauſa fuiſſet, nobis neceſſitatem iniiciens cooperandi, & erumpendi in ea opera.

Hæc conſideratio voces illas alibi iam adductas, nunquam tamen in hac cauſa nimiùm iterandas Fauſto Rebegienſi extorſit l. 2 de grat. & lib. arbit. c. 3. *Itàne quarum rerum vltor eſt, earum & autor eſſe credendus eſt, & inter hæc ad malum perurgere captiua voluntatis aſſenſum, qui nec Diabolo compellere permiſit inuitum?* Egregiè item Proſper ad 12. Capitulum Gallorum. *Si Deus homi nem ſibi obedientem à pietate deturbat, & bene currentem cadere facit; Ergo pro bonis mala retribuit, & iniuſtè punit, quod vt fieret, impellit. Quid tam peruerſum. quid tam inſanum dici aut cogitari poteſt?* Idem l. ad obiectiones Vincentianas, ad quintam, & plurimas ſequentes, deteſtandam hanc, (vt appellat) & abominandam opinionem, qua iudicium futurum euerti quæritur, grauiſſimè damnat.

Ponitur, Deum nec ab æterno peccatum præfinire, nec in tempore ad illud prædeterminare.

343. Verùm, me quidem, longioris in rebus tam exploratis támque perſpicuis moræ tenet. Itaque reſecta fuſiore exagitatione tam horridi tetríque placiti, vt ſolidam veritatis confirmationem proferam, & vberi luce quicquid ſubobſcurum hîc videri poſſet, perfundam: ſtatuo principia planè contraria iis, quæ antè referebam, poni hîc ab aduerſariis, affirmantibus Deum & ab æterno ſancire ex ſe ac decernere peccatum, & illud in tempore potenter exequi. E contrario igitur ſtatuendum nobis eſt, ac declarandum, non decerni à Deo peccatum ab æterno, nec in tempore mandari executioni. His enim duobus veluti cardinibus, controuerſia hæc vniuerſa vertitur. Quanquam breuiter duntaxat, nec niſi quantum attinet ad præſens inſtitutum, attingam pleraque generaliter aliis locis diſcuſſa, circa diuina decreta æterna, eorúmque executionem temporariam.

Quorundam Catholicorum contraria ſententia ſeponitur.

In vtroque igitur puncto propoſito, nonnulli Scholaſtici, minùs commodè quàm fortaſſis intererſit rei Catholicæ; (viderint ipſi, & iudicent illi quibus cum noſtratibus Sectariis aliquando actum, (cenſuerunt Deum ab æterno antequàm præſciat actus poſitiuos quibus malitia adiungitur, eſſe futuros, præfinire illos, & vi æternæ illius voluntatis ſuæ, prædeterminare in tempore voluntatem creatam, vt actus illos eliciat. Ita Bannes 1. p. q. c. 4 art. 3. *ſub finem, §. Ad hoc reſpondetur* vbi generaliter ſtatuit, omnem cauſam ſecundam debere à Deo determinari. Et idem habet c. 19. art. 10. dub. 1. *poſt 3. documentum.* Ita etiam alius Thomiſta

Thomiſta anonymus apud Leſſium diſp. de grat. c. 2. à n. 3. Idem tradit Aluares diſp. 24. de auxil. ac vno verbo omnes illi qui diuinas præmotiones Phyſicas contendunt eſſe admittendas ex vi ſubordinationis cauſæ ſecundæ ad primam. Nam creatura eliciens materiale peccati, (de quo ſolo agunt hi Autores,) habet rationem cauſæ ſecundæ. Ergo ſi de ratione cauſæ ſecundæ eſt, vt actus eius præfiniatur antecedenter ab æterno, ipſáque cauſa ſecunda in tempore prædeterminetur & applicetur ad actum illum; perſpicuè ſequitur, materiale peccati, (quod vtique eſt quidam actus,) debere à Deo præfiniri ab æterno, antecedenter & ex ſe, ſiue abſque reſpectu ad humanæ voluntatis determinationem ab ipſa ponendam priùs ratione: tum in tempore debere à Deo accipere eſſe, iuxta id quod fert diuinum decretum æternum.

344. Quomodò hæc ſententia differat à dogmate Sectariorum ſuprà propoſito, non eſt facile intellectu. Ipſi certè Sectarij quibuſcum hic nobis æternæ & continuæ lites de rebus fidei, nihil ſe aliud profiteri ingenuè contendunt, mirantúrque conflari ſibi inuidiam, & exaggerari tantoperè à Catholicis quòd Deum peccati autorem ſtatuere dicantur, cùm ipſi quidem aliud non doceant, quàm quod Scholaſtici prædicti: In eo tantùm ſe diſſidere faſſi, quòd hi Deum peccati autorem admittere refugiant, id quod ipſis omninò videtur concedẽdum quoad rem ipſam: quamvis negent idcircò Deum accuſandum eſſe iniuſtitiæ, vel inclementiæ inſimulandum, qui arcana voluntate. & optima intentione, vt habeat oſtentandæ Iuſtitia ſuæ idoneam cauſam, de humana voluntate, tanquam de figmento ſuo, ſtatuat quod bonum eſt in oculis ſuis ad laudem gloriæ gratiæ ſuæ Nonnulli item Sectariorum, ad vocis inuidiam declinandam, renuunt Deum peccati autorem profiteri: aliis tamen circumlocutionibus idipſum tradunt, quas alij fronte & ore duriore, frigidas excuſationes, & inania obtendicula nominant, nec vſurpant. Hæc in his regionibus vbi triticum zizaniis permiſtum creſcit vſque ad meſſem, pervulgatiſſima ſunt. Atque vtinam illis, qui ſcholæ duntaxat aſſueti in profunda pace rei Catholicæ vltra Alpes vel Pyrenæos quieti apricantur, ſecuríque degunt, negotium aliquando cum Theologiæ Caluinianæ propolis interceſſiſſet. Deprehẽderunt haud dubiè quantum ſit diſcriminis, inter velitationem adumbratam intra Scholæ ſepta, & ſeriam pugnam in acie. Sed hæc alibi.

Abſit tamen vt propterea memoratos Scholaſticos eodem quo Sectarios numero reponam. Imò hanc ob cauſam, (quamuis mihi de vtrorumque ſententiæ diuerſitate non ſatis liqueat,) eos ab inuicem ſeiunxi, quia nulla ſocietas Chriſti & Belial. Et longè alia eſt mens rebellium aduerſùs Eccleſiæ ſcita, alia Catholicorum quomodocunque ſe habeant dicta vtrorumque. Itaque ne minimam quidem notam ſententiæ prædictorum Catholicorum per me inuſtam volo, nec eam cum dogmate Sectariorum noſtratium de cauſa peccati recurrere, vel affirmo vel inſinuo: ſed quomodocunque ad illud ſe habeat, aſſeuero ſententiam ex prædictis Catholicis proximè relatam, longè alia mente ac animo tradi a Catholicis eius aſſertoribus, quàm à Sectariis tradatur ferale placitum ſuprà ex ipſis expoſitum & exploſum. Siſtendum ergo eſt in examine ſententiæ illius Catholicorum ſumptæ abſolutè & abſque comparatione ad dogma Sectariorum.

Præfinitio diuina, immanens, aut mouens ſuo tempore.

345. Mihi ea ſententia nullo modo placet, cùm quoad præfinitionem æternam, tum quoad temporalem prædeterminationem. Et præfinitio quidem duplex intelligi poteſt: Nempe immanens, quæ eſt per modum puræ intentionis, & tranſiens ſeu mouens, quæ non ſiſtit purè intra Deum, ſed dicit ordinem ad motionem in voluntate creata cauſandam. Ex quo patet, Autores cum quibus agimus, inducere præfinitionem mouentem; non morari autem purè immanentem: quæ vt ita dicam, ſterilis eſt, nec prorumpit in actum externum. Neutra tamen præfinitio æterna antecedens, (quæ ſola eſt vera præfinitio,) admitti iure poteſt circa actum malum, quem in tota hac controuerſia ſpectare oportet quoad ſolum materiale Nam de formali peccati, ſiue ſit poſitiuum, ſiue priuatiuum, extra dubium eſt quòd à Deo non præfiniatur, quia nemo intendens in malum operatur Et in hoc conſentiunt etiam Sectarij, qui cùm Deum peccati autorem & ordinatorem ſtatuunt, agunt tantùm de poſitiua entitate actus, ad quam formalitas diſconuenientiæ cum ratione, vel priuatio conuenientiæ conſequitur, vt videre eſt in Caluino 1. inſtit. c. 18. §. 2. 3. & 4.

Quomodò immanentem malè aliqui reiiciant in hac cauſa.

Diuinam itaque præfinitionem immanentem, ad materiale peccati terminatam per modum puræ intentionis, ſunt qui reiiciant, quia ea præfinitio exſcindit libertatem, cùm ſit aliquid antecedens, quo poſito non poteſt non poni actio quam reſpicit. Ego tamen in naturali Theologia d. 8. num. 191. & 192. & ſuprà agens de libertate, ſatis expoſui, quomodò libertas creata rectè cohæreat cum diuina præfinitione purè immanente, quam negaui antecedere cauſalitate actionem voluntatis creatæ, aut talem eſſe, vt ea præcisè poſita non poſſit non poni actio præfinita. Verum quidem eſt vi præfinitionis immanentis, ſi voluntas creata non dedat ſeſe tranſeundum fore ad præfinitionem mouentem, & adigentem; ne abſoluta Dei voluntas, caſſa & irrita fiat: & tunc libertas creata exſcinderetur vi talis præfinitionis. Tamen quandiu præfinitio purè Deo immanet, nihil ab ea timendum eſt creatæ libertati quam oportet obiectiuè præſupponere præfinitioni. (Quærimus enim an præfinitio actus liberi, temeret libertatem eius.) Nego igitur præfinitionem immanentem eſſe libertati infeſtam: quia impoſſibile eſt aliquid de libero effici non liberum, ſi maneat in ſe quale erat per ordinem ad cauſam à qua denominatur libera, & per ordinem ad quidvis aliud, vi cuius poni poſſit in rerum natura. Cùm igitur praua actio priùs ratione quàm immanenter præfiniretur, eſſet libera, nihilque circa eam vel voluntatem creatam, à qua prodit, mutatum ſit vi præfinitionis purè immanentis, fatendum eſt eam liberam manſuram non obſtante tali præfinitione ſi poneretur.

Legitima reiectio.

346. Vera igitur ratio qua præfinitiones illæ impugnandæ ſunt, inde petenda eſt, quòd quæ Deus ex ſe præfinit, amentur & approbentur ab eo. Intendere enim ſeu præfinire, idem eſt quod amare, & quidem efficaciter. Atqui Deus antecedenter & ex ſe, non amat materiale peccati. Nam ma-

teriale peccati nihil aliud eſt quàm realis entitas actionis liberæ, quatenus circa tale obiectum in his circunſtantiis exercetur. Si ergo Deus ex ſe amaret actum poſitiuum, cui malitia inædificatur, amaret quoque ex ſe malitiam. Nam malitia non eſt amabilis ex ſe, ſed tantùm quatenus amatur fundamentum ad quod illa conſequitur, quod certè in hac re non eſt aliud, qoàm materiale peccati, prout eſt à creatura. Ergo Deus non præfinit ex ſeipſo iſtud materiale. Sane vt rectè argumentatur S. Anſelmus dialog. de lib. arbitr. c. 8. qui peccant, non eſſent reprehendendi, ſi exequerentur quod Deus ab æterno ex ſe præfiniuit & voluit. Nemo enim reprehendendos eſt, cùm ſe conformat ſuæ regulæ. Atqui voluntas diuina abſoluta circa aliquod obiectum, eſt regula voluntatis creatæ circa illud. Vacarent igitur reprehenſione qui peccant. Imò laude digni eſſent, qoandoquidem diuinæ voluntati conformarentur in re per ipſoſmet facienda.

Ad hæc perſpicuum videtur, Deum non prohibere quæ prædefinit. Nam in his terminis aperta repugnantia inuoluitur. Ergo Deus prohibens actum malum V. G. vetans ne concupiſcamus, deberet mandati huius ſui hunc ſenſum habere. Caue ne dum liberum actum concupiſcentiæ elicis, ſequatur ad illum turpitudo moralis. Nam ipſum quidem actum materialiter ſumptum approbo, & ex me intendo omninóque volo eum abs te elici. Vt autem ex hoc actu in his circunſtantiis, quibus eum prohibeo conſequatur moralis turpitudo, omni cura cautum abs te volo, & niſi conſecutionem illam inhibeas, æternis te ſuppliciis coërcebo. At quis non videt, ridiculam fore eiuſmodi prohibitionem, nec magis rationabilem, qoàm ſi quis mandans, & ex ſe volens efficaciter vt ſeruus conficiat triangulum, iuberet tamen & grauibus pœnis intentatis cautum ab eo vellet, ne ex ea trianguli confectione, exiſteret paritas trium angulorum cum duobus rectis.

Tandem hoc planè eſſe exiſtimo, quod à pleriſque Conciliis & Patribus traditur. Deum non prædeſtinare ad malum: (nam præfinire & prædeſtinare, cùm de actionibus agitur, idem omninò ſunt:) Itémque Deum præſcire bona & mala noſtra, nec niſi bona prædeſtinare: ac denique permiſſiuè tantùm ſe habere ad actus malos. Ita ſæpè præter cæteros loquitur autor operis editi nomine Lugdunenſis Eccleſiæ libros contra Ioannem Scotum, circa caput eius quintum vbi, cùm latè probaſſet, Deum quoad bona opera præuenire nos, ſubdit de malis actibus. *Ad mala autem cogitanda vel facienda abſit vt hæc ſumma & optima cauſa voluntatem noſtram præcedat. Præcedit tamen eam cauſa non efficiens ſed deficiens, ideſt ſummi boni deſertio, & inferioris appetitio, cum ab amore Dei anima deficit, & ea quæ ſunt inferiùs concupiſcit. Ad hoc ergo delapſa humana natura voluntas, efficitur mala, nullam aliam habens cauſam qua mala ſit, niſi vt dictum eſt, defectum à ſummo bono.* Nolo in hac tractatione philoſophica proferre teſtimonia magnam partem reuelationi diuinæ ſubnixa. Qui ea noſſe deſiderat, adeat Iuſtinianum 2. Petri 1. ad v. 10. à num. 41. Diotalleuiom opuſc. Theol. p. 1. cap. 7. Mol. 1. p. q. 14. d. 32. Leſſ. c. 3. de grat. & Suar. 2. de auxil. paſſim. Non eſt igitur diuina ordinatio, peccati obſtetrix, vt rectè ſtatuit Autor libri de oper. Chriſt Card. ſerm. de ieiun.

Præfinitio mouens, hinc abacta.

347. Iam quòd neque diuina præfinitio mouens ad materiale peccati ſit admittenda, euidentiſſimum videtur. Nam hæc præfinitio inuoluit priorem, vt conſtabit attendenti: inſupérque ſuperaddit ei, motionem actualem ad opus. Itaque iam repugnat eſſe in Deo præfinitionem hoc modo mouentem, ſeu potiùs moturam tempore opportuno, quàm repugnat, Deum in tempore homines ex ſeipſo præmouere & impellere ad materiale peccati, quod maximè oſtendam repugnare. Hic verò, iure libertati creatæ timendom eſt. Conſiderandum quoque ſi hæc præfinitio admittatur diuinam intentionem efficacem, eſſe primam radicem iniquitatis humanæ, V. G. internæ volitionis, qua Iudas in Chriſti proditionem nequiſſimè conſenſit. Deus enim iuxta eos qui huiuſmodi præfinitionem inuehunt, ex ſe ipſo & antecedenter ad quancunque præuiſionem, efficaciter intendit entitatem illius volitionis, in his circunſtantiis elicitæ. Atqui actus ille internus ſic elicitus, fuit ſemen totius progreſſus proditionis à Iuda admiſſæ, neque ab ea volitione in talibus circunſtantiis elicita, ſeiungi potuit deformitas malitiæ. Ergo prima radix teterrimi facinoris, eſſet diuina voluntas, quod vel audim horrendum eſt. Nec aliter de quuvis alio peccato magno aut exili, eſſet ſtatuendum.

Videor igitur poſſe hoc punctum claudere verbis S. Cyrilli l. 11. in Ioan. c. 21. *Iudas prauitate perijt ſua; non enim diuino inexpugnabili iudicio,* (quod autem inexpugnabilius iudicium prædefinitione efficaci & antecedente, ac præmouente inluctabiliter?) *in laqueum Diaboli, proditorem incidiſſe credendum. Nam ſi ſic eſſet, nullo modo culparetur? cùm iudicio Dei, nemo reſiſtere queat.* Addo & illa ex Tertulliani exhort. ad caſtit. c. 2. *Non eſt bona ac ſolida fides, ſic omnia ad voluntatem Dei referre, & ita adulari ad vnumquemque, dicendo nihil fieri ſine iuſſione eius, vt non intelligamus aliquid eſſe in nobis ipſis. Cæterùm excuſabitur omne delictum, ſi contenderimus, nihil fieri à nobis ſine Dei voluntate. Et ibi definito iſtam deſtructionem totius diſciplinæ etiam ipſius Dei, ſi & quæ non vult de ſua voluntate producit, aut nihil eſt, quod Deus non vult. Sed quomodò vetat quædam, quibus etiam ſupplicium æternum comminatur? Vtique etiam quæ vetat, non vult, à quibus & offenditur. Sicut & quæ vult, præcipit & accipit, & æternitatis mercede diſpungit. Itaque cum vtrunque ex præceptis eius didiſcerimus; quid velit, & quid nolit; iam nobis eſt voluntas eligendi alterum, ſicut ſcriptum eſt.* Ecce poſui ante te bonum & malum. *Guſtaſti enim de arbore agnitionis. Et ideò non debemus quod noſtro expoſitum eſt arbitrio, in Dei referre voluntatem, quos vult ipſe & velle, quod malum non vult.* Rem vno verbo confecit Sapiens prouerb. 19. iuxta 70. verbis illis quæ à Caſſiano collat. 12. cap. 8. ſic efferuntur latinè. *Inſipientia viri corrumpit vias eius. Deum autem cauſatur in corde ſuo.* Vulgata ſic habet. *Stultitia hominis ſupplantat greſſus eius, & contra Dominum feruet animo ſuo.*

Temporalis ad malitiam prædetermina-tio ablegatur.

348. Reſtat temporalis prædeterminatio voluntatis creatæ ad materiale peccati, quæ conuulſa eius radice, exareſcat neceſſe eſt. Habent autem hîc locum omnia, qoibus ſuprà, tractando expeditionem libertatis, demonſtrauimus ex antecedenti ſuppoſitione euerti vſum libertatis. Hanc enim prædeterminationem eſſe formam antecedentem, ipſa vox docet.

docet. Tam igitur certum videtur, voluntatem creatam non prædeterminari à Deo in tempore ad cauſandum materiale peccati in illis circunſtantiis, in quibus moralis turpitudo ei adiungitur, quàm certum eſt, peccatum liberè admitti. Et quando hoc argumentum fortiùs premere non placet, quia eſt quibuſvis actibus liberis commune, & fuſe expenſum ac verſatum fuit loco prædicto, proferam illuſtrem in hanc rem Euſebij doctrinam. l.6. de præp. c.5. quæ ex propriis procedendo declarat, quàm à Deo abſit noſtra per eum præmotio ad materiale peccati, ipſúmque peccatum.

Locus Euſebij ſic habet. *Omnibus, ſimpliciter, tam his quorum non ſumus cauſa, quàm his, quæ aut natura fiunt aut extrinſecùs accidunt; vna omnipotens atque omnia penetrans prouidentia Dei præſidet, quæ vniuerſa ineffabilibus ſub ruam rationibus, multa etiam eorum quæ natura fiunt, commutat, auxiliúmque affert, vt ea quorum non ſumus cauſa, & eligamus & operemur. His omnibus, tripartite vt diximus, diuiſis in ea quæ in nobis ſunt, in ea quæ ſecundùm naturam, & in ea quæ per accidens fiunt, omnibus iſtis ad voluntatem Dei reductis, nullum locum fatorum poſſidet ratio. Hinc etiam, vnde malorum ſcaturiat fons, aperitur qui nullum locum habet in his quæ ſecundùm naturam aut corpore aut animo fiunt: ſed nec in his quæ forinſecùs fiunt. Solummodò autem in libero animi motu quando non ſecundùm naturam, neque rectè mouetur, ſed à regia exiens via, ſponte, (Dominus enim ſibi ipſi animus eſt,) præter naturam fertur. Cúmque præcipuum honorem à Deo acceperit, vt liber ſit, & ſui motus iudex, diuina quædam lex inuncta ſibi naturaliter eſt, quæ in ipſo interiore receſſu ex clamat: Via regia proficiſcaris: noli ad dexteram aut ſiniſtram declinare.* Audin' in his Euſebij verbis luculenter expreſſa duo, quæ ſuperiùs diſtinct. 2. exponentes liberi principij naturam & dignitatem, diligenter monſtrauimus? Nempe libertatem ſitam eſſe in dominio, quo facultas circa actum ſuum poſſet. & libertatis prærogatiuam, ſupremum verticem inter decora homini conceſſa occupare. Sed hoc obiter.

Pergit Euſebius. *Via ergo regia, recta eſt, quam vnicuique animæ quaſi natura inſitam legem auxiliatricem ad opus, Creator nobis inſtituit. Sic per legem rectam oſtendit viam: per poteſtatem verò liberam effecit, vt in ipſa eſſet virtutis præmia ſine vi aliqua eligere, cum poſſit etiam contraria malè. Ita ſi proprio motu naturalem deſpexerit legem; fons vitiorum, ſponte, non aliunde, neque vlla neceſſitate, ſed libera voluntate atque iudicio facta eſt. Eligentis igitur culpa eſt. Deus verò culpabilis eſt.* (Hoc ex Platone ſæpè laudatimus, & à Patribus ſæpè vſurpatur, Arnobium, Iuſtinum, Theodoretum, Clémentem, vſurpaſſe eum Platonis locum & commendaſſe, alibi notaui.) *Nec enim prauam Deus aut naturam aut ſubſtantiam animæ creauit. Cum enim ipſe bonus ſit, bona ſunt omnia quæ ab eo creata ſunt. Bona igitur ſunt omnia, quæ naturæ inſunt. Vnicuique rationali animæ, liberum arbitrium natura ineſt. Bonum ergo eſt id, ad eligenda bona creatum. Ideò quando malè agit, non eſt natura culpanda. Non enim natura, ſed præter naturam, malum agitur, cùm ſit electionis deprauata non naturæ opus. Cum enim virtus ad eligenda bona ineſt, ſi ea non eligit, ſed ſponte melioribus ſpretis, mala imitatus ſequitur, quis poteſt eum dicere morbi ſui cauſam non fuiſſe, præſertim cùm inſitam atque ſalutarem legem volens contempſeris?*

Concludit aptans vniuerſam diſputationem propoſitam ad excludendam peccati cauſationem ex fato Mathematicu, quod eo loco impugnat. Habet tamen ea concluſio, æquè, ac etiam multò magis, locum in re præſenti. [Qui ergo, *inquit*, iſtis omnibus reiectis à neceſſitate motùque ſtellarum omnia dependeret putas nec nobis, ſed virtuti, qua omnia mouentur, peccandi cauſam tribuit, is quomodò non impius atque amens erit? Nam ſi fortunâ & caſu, abſque aliqua prouidentia fieri omnia opinatur, impietatis crimine reus, mente captus quoque videbitur, quoniam pulcherrimum rerum omnium ordinem non perſpiciat. Siu verò prouidentiâ Dei & optima ratione, cuncta gubernari fatetur, quoniam tamen non peccare, vi fatorum delinquentes concedat neceſſe eſt cauſámque dictorum diuinæ attribuat prouidentiæ; quæ mutato vocabulo neceſſitatem & fatum ipſam appellans, impius profectò iudicabitur, imò verò peſſimus omnium, qui à Creatore vniuerſi, alios ad rapinas, alios ad alia vitia impelli arbitretur. Vnde ſequitur, aut hæc peccata non eſſe, aut peccando cauſam in Creatorem referri. Nam ſiue cùm videat vniuerſa, cunctiſque adſit, peccare homines cogit; ſiue ſtellarum motui vim cogendi conceſſit; ipſe certè aut per ſeipſum, aut per orbes cœleſtes, quaſi per organum, nolentes homines ad vitia immittit. Quare non iure homo, ſed Creator eius peccator erit. Quo dogmate nihil ſceleſtius excogitari poteſt.

Effugium occluditur.

549. Vnum videtur patere effugium: ſi nimirum dicatur, Deum non prædeterminare nos ad formale peccati, ſed tantùm ad materiale, quod non eſt malum moraliter, ſed metaphyſicè bonum: & idcircò rectè poteſt Deus illud ex ſe intendere efficaciter, nóſque ad illud determinare. Sed hoc effugium iam præcluſum eſt in ſuperioribus, conſtàtque irritum planè eſſe. Nam formale vt ſic, non poteſt præmotionem peculiarem terminare, ſed ſicut reſultat ex materiali, ita ſufficienter efficitur poſita præmotione ad materiale. Ergo ſi Deus præmoueat ad peccati materiale in circumſtantiis illis in quibus ei materiali annexa eſt turpitudo, fatendum erit Deum præmouere quoque ad formale peccati, quia quamvis illud non intendat (vt neque homo peccans cùm nemo ſit, qui directè malum appetat:) tamen ponit fundamentum ex quo formale illud reſultat. Vnde ſi homo idcircò dicitur cauſa peccati, idem multò magis dicendum erit de Deo, qui non tantùm fundamentum illud coefficiat (qui eſt totus hominis influxus in peccatum) ſed etiam prima origo ſit, cur homo eò voluntatem conuerterit, ex vi prædeterminationis immiſſæ, inieceri homini neceſſitatem ponendi materiale, cui in his circunſtantiis annexa neceſſariò eſt & inſeparabiliter turpitudo. Qui eſſet peccanti prætextus longè iuſtiſſimus ad excuſandas excuſationes in peccatis.

Hoc vt manifeſtum fiat, placet in exemplo rem conſiderare. Statuamus hominem adhuc nitentem, & vt ita dicam, adhuc recentem, nullo antehac ſcelere fœdatum, cuiuſmodi fuit Adam, cùm primæua illa pace frueretur, qua mox ipſe omnéſque in eo æternum excidimus. Homini ſic conſtituto, ingruat grauis & vehemens procella ad culpam inducens, V. G. ad intemperantiam aliquam. In ea agitatione, conſideret ipſe ſecum, & expendat ex vna parte, boni propoſiti ſenſibilem dulcedinem; ex altera verò turpitudinem. Tandem quid agat, quò ſe vertat ancipiti, nec adhuc vllatenus deflectenti in alterutram partem, ſuperueniat diuina præmotio & prædeterminatio, qua voluntas eius efficaciter & ineluctabiliter impellatur in volitionem obiecti turpis; non quidem vt turpe eſt, ſed vt delectabile. Quamuis

non ignoretur quòd in his circunſtantiis ex eo obiecto profundenda ſit in actum turpitudo. Hoc planè modo iuxta aduerſarios præmonet Deus ac prædeterminat voluntatem humanam ad materiale peccati. At quis non videt, miſerum illum de diuina implanatione iure expoſtulaturum, & lapſus ſui moralis cauſam Numini adſcripturum, quandoquidem ipſe ſuopte nutu, & quandiu ſibi permiſſus eſt, non præbuit illicibus peccati conſenſum; ſed diuina prædeterminatione ſuperueniente, proſtratus eſt, ſi aduerſarios audimus?

Noſtra ſententia de modo, quo Deus ab æterno ſe habet ad peccatum.

350. Sic complanata via, disiectiſque falſis ſententiis, quoad duo illa puncta in quibus vniuerſam hanc controuerſiam verti dicebam, vt veram ſententiam ſtabiliam; aio, Deum ſimpliciter ac ex ſe, nec quoad formale nec quoad materiale in his circunſtantiis elicitum; intendere ab æterno peccatum, quamvis ſuppoſita conditionali prænotione creatæ ad illud determinationis; & permittere, hoc eſt, non impedire, ac etiam vt poni à creata voluntate poſſit, cooperationem ſuam ad materiale illud per modum primæ cauſæ impendere decreuerit ab æterno, impendátque reipſa in tempore, concomitanter tantùm & ad voluntatis exigentiam.

Vides quomodò ſtatuam Deum ad materiale peccati ſe habere, & ab æterno & in tempore. Reſtringo me ad materiale peccati, quia formale, ſiue ſit priuatio ſiue formalitas poſitiua connotatiua, non aliter poteſt Deum autorem habere, quàm ratione materialis in his circunſtantiis voliti. Aliunde verò formale vt ſic ſumptum, cùm ſit malum, non eſt appetibile. Itaque nemo de eo dubitat an Deum autorem habeat, cùm ſub ea ratione, ne à voluntate quidem creata proficiſcatur. Dubitatio autem eſt de materiali peccati, ad quod materiale liberè poſitum, exurgit formale: Nam conſtat huiuſmodi materiale, eſſe quid appetibile & bonum ſenſibiliter, idcóque idoneum eſt quod voluntatis intentionem & ſubiunctam ei executionem terminet.

Diuina peccati permiſſio enucleatur.

Huius materialis. ab æterno, odium agnoſcendum in Deo eſt, iuncta volitione illud permittendi. Quòd peccati materiale, ad quod formale reſultat, & prout eſt malitiæ fundamentum, ſit Deo inuiſum ab æterno, dubitare non licet. Cùm enim voluntas diuina circa nullum planè obiectum ſit ſuſpenſa, vt probatum eſt ſuo loco, ſed quodvis obiectum amet aut oderit, nec poſſit materiale peccati in his circunſtantiis diligere; reliquum eſt vt illud oderit, & nihilominùs vult illud permittere. Quæ duo rectè cohærere, exploratum erit, ſi quid ſit permiſſio explicemus. Eſt autem permiſſio, actus aliquis poſitiuus in voluntate permittentis, quo ſuppoſita cognitione rei permiſſæ, vult ea non impedire cùm poſſet qua Gerſo lectione de vita ſpirit. initio. Volo ſupponi cognitionē, quia vt rectè ait Scotus in 1. d. 47. q. vnica, *litera B.* nemo dicitur propriè permittere quod ignorat. Addo permiſſionem eſſe volitionem non impeditionis rei permiſſæ, quia vt idem Scotus addit, res quæ mihi placet & amatur in ſeipſa, non dicitur à me permitti, ſed tantùm quod ſcio ab alio malè fieri, mihique diſplicet, & cùm impedire poſſem non impedio, hoc dicor permittere. Similiter ergo Deus dicitur permittere, quod ſcit à nobis malè fieri, ipſique diſplicet & impedire poſſet, nec tamen vult impedire. Iuxta illud Tertulliani in exhort. ad caſt. c. 3. *Si quædam videntur voluntatem Dei ſapere, dum à Deo permittuntur, non ſtatim omne quod permittitur, ex mera & tota voluntate procedit eius qui permittit. Ex indulgentia eſt, quodcunque permittitur. Quæ etſi ſine voluntate non eſt, quia tamen aliquam habet cauſam in loco cui indulgetur, quaſi de inuita venit voluntate, paſſa cauſam ſui, quæ cegit voluntatem. Vide qualis ſit cauſa.* Ait quod à Deo permittitur venire de Dei voluntate: inuita tamen & non plena; quia verè diſplicet Deo vult tamen illud non impedire, quæ eſt volitio quædam, non ipſius rei permiſſæ, ſed non impeditionis eius. Vnde exactè loquendo non eſt dicendum eſſe in Deo voluntatem mali eò quòd illud permittit, id quod latiſſimè proſequitur Rupertus libro de voluntate Dei & altero libro de Dei omnipotentia & lib. 1. in regulam S. Benedicti, quibus locis ex profeſſo conuellit ſententiam Gulielmi Catalaunenſis Epiſcopi & Anſelmi Laudunenſis (quem tamen poſteà purgat lib. de omnipotentia Dei capit. 26.) aientium Deum voluiſſe malum fieri & voluntatis Dei fuiſſe quod Adam ſit præuaricatus, idque ex eo colligentium quod Deus malum culpæ permittat. E contrariò autem Rupertus latiſſimè demonſtrat, Deum non voluiſſe malum culpæ, nec id colligi ex eius permiſſione: quandoquidem etiam ſi Deus voluit permiſſionem culpæ, non tamen culpam ipſam, vt cap. 3. libri de voluntate Dei rectè diſtinxit Rupertus, permiſſio ſiquidem aliud non eſt quam non impeditio quæ verè cadit ſub Dei voluntatem, non tamen obiectum illius non impeditionis ſiue culpa. Itaque vt ait lib. de omnipotentia Dei cap. 20. *cum de malo culpa agitur non licet coniungere verbum vult, cum hoc infinitiuo quod eſt fieri;* rectè autem dicitur Deum velle ſinere, malum illud fieri, quia hoc duntaxat eſt, velle non impeditionem eius, caditque honeſtiſſimè ſub Dei voluntatem, non item malum culpæ. Tradit hoc ipſum diſertiſſimè S. Auguſtinus variis locis inferiùs annotandis, & nominatim in Enchiridio cap. quem miror à Ruperto lib. 1. in regulam S. Benedicti malè intellectum quaſi fuerit in hoc puncto vel anceps vel impeditus, vt propterea non vereatur Rupertus fateri ſe in diſputatione de hoc negotio cum D. Auguſtini autoritate vrgeretur, intrepidè dixiſſe D. Auguſtinum cum alia pleraque retractarit, hoc quoque retractare debuiſſe. Hoc ille non benè cū diſertiſſimè D. Auguſtinus eo ipſo loco qui negotium Ruperto faceſſit, agnoſcat Deum nolle malum, ſinere tamen malum fieri, & planè velle id ſinere, id eſt nolle impedire. Hæc nolitio impeditionis, vel volitio non impeditionis, eſt in Deo verus actus poſitiuus ac liber, quo non impeditio ponitur in rerum natura Deo volente.

351. Ex quo habemus, Deum in tempore liberè permittentem materiale peccati, voluiſſe ab æterno illud permittere, ac proinde non hæſiſſe voluntate ſuſpenſum circa illud. Nam quamvis in aliquo ſigno rationis diuina voluntas concipi poſſit ſuſpenſa, vt cùm illam præintelligimus nihil extra ſe volentem, & poſteà liberè ſe determinantem: tamen in nullo inſtanti durationis, hæret ſuſpenſa. Tetendit ergo ab æterno in materiale peccati, Ipſúmque peccatum, colendo illud, & volendo non impeditionem illius quod eſt velle illud permittere. Itaque non admitto in Deo nullam æternam volitionem peccati inefficacem, qualem concedit Scotus ſuprà *litera B, in primo modo dicendi.* Sed neque tribuo Deo conditionatam volitionem peccati quoad materiale. Non enim dicit Deus, *ſi vis peccare, volo vt pecces:* ſed tantùm dicit,

ſi

ſi vis peccare, nolo te impedire: vel, *volo te non impedire:* quod eſt peccatum permittere. Id eſt, odiſſe quidem peccatum, & materiale ex quo reſultat; nolle tamen obſtare quominùs ponatur.

Hoc vt verè dici poſſit, neceſſe eſt vt quandoquidem pendemus è Dei cooperatione, & ſine ea nihil agere poſſumus, Deus præuiſa determinatione noſtra, decernat cooperationem ſuam nobis adiungi. Et hanc ſuam cooperationem, (quæ eadem eſt cum actu noſtro moraliter ſumpto, ſed non provt eſt malitiæ fundamentum,) Deus vult & amat, ſuppoſita operatione noſtra quam non amat, ſed odit. Nulla porrò eſt imperfectio vel indecentia in ea diuina volitione ſuæ nobiſcum cooperationis, concepta à Deo, non ex ſe, ſed ex nobis, & occaſione voluntatis noſtræ, cui Deus vt prima cauſa deeſſe non poteſt, præſertim cui amor ille diuinus non terminatur ad entitatem materialem provt eſt fundamentum malitiæ, (quia ſic reſpicit ſolam creaturam,) ſed prout eſt cooperatio, qua ratione non conſequitur ad eam malitia, vt infrà exponam. Vnde volitio & amor talis cooperationis, nulla ratione, ac ne indirectè quidem, eſt volitio malitiæ conſequentis ex ea entitate provt poſita per cauſam ſecundam, ſed potius eſt volitio Dei decentiſſima, quia in ea elucet vbertas diuinæ ſapientiæ, & ſumma perfectio, ac multa patientia, vt loquitur Apoſtolus, & exaggerant ſæpè Patres, ac omninò benè Iuſtinus q. 1. Chriſt. ad Ethnicos *ſub finem*, verbis illis. *Concedit Deus nos patrare quæ ſponte proponimus mala, non per infirmitatem virium, ſed vt noſtrum arbitrium appareat, & Dei longanimitas: quòd alioqui hoc rerum ſtatu, nec noſtra incolumitas tuta foret, nec illius bonitas conſpicua.* Præclarè omninò in hanc rem vniuerſam philoſophatur Dionyſ. Ciſterc. in 2. d. 1. q. 2. art. 2. concl. 5.

Hærere hic aquam prædeterminatoribus, monſtratur.

352. Non video quid in iſtis implexum aut difficile videri iure poſſit. At quomodò hanc Dei ſuauitatem & ſapientiſſimam voluntatis noſtræ cum reuerentia diſpoſitionem, in ea quam expoſui permiſſione manifeſtiſſimam, tueri poſſint prædefinitores ſuprà memorati, equidem non intelligo. Nam permiſſio non habet locum, vbi datur voluntas efficax prædeterminans, & rem infallibiliter inuehens, etiam priuſquàm conſulatur voluntas cui permiſſio facienda eſſet. Hoc eſt per ſe euidens ex præmiſſa permiſſionis notione. Atqui ex diuina voluntate efficaci prædeterminante, ſequitur neceſſariò poſitio actus ante conſultam voluntatis creatæ determinationem. Ergo implicat in adjecto, dicere actum ſic prædeterminatum permitti. Sed neque malitia moralis ad illum actum in talibus circunſtantiis poſitum neceſſariò conſequens, dici poteſt permiſſa. Nam non dicitur permitti, quod non eſt quaſi indifferens vt ponatur, aut non ponatur, Atqui malitia neceſſariò ponitur poſito actu ad eum modum elicitu. Quomodò ergo poteſt permiſſa dici? Nec ſanè aliter ſentire videntur, qui malitiam eo modo progerminantem permitti dicunt, quàm qui ſentiri admoto ad aquam igne, & calore immiſſo, permitti frigoris expulſionem, quæ cum tali immiſſione eſt per ſe connexa naturaliter loquendo.

Itaque maneat, permiſſionem peccati, & voluntatem illud non impediendi, nullam æternam peccati, (etiam materialiter ſumpti,) volitionem in Deo ponere, ſed tantùm meram volitionem illud non impediendi, & excluſionem cuiuſcunque præuentionis, qua voluntas creata decernatur diuinitùs ſollicitanda vel abripienda ad peccatum, ſiue ad actum materialem ſpectatum in illis circunſtantiis, in quibus malitia cum eo per ſe connectitur. Nam quamvis permiſſio ſit actus quidam diuinus poſitiuus aliquo modo ad peccatum terminatus, tamen ita in illud terminatur, vt duntaxat nolit Deus illud per vim excludere ſi ab homine ponatur, quod eſt permittere. At iuxta Tertullianum lib. 1. ad vxor. cap. 3. *quod permittitur, non eſt bonum. Quod permittitur ſuſpectam habet permiſſionis ſuæ cauſam. quod autem melius eſt, nemo permiſit, vt indubitatum & ſua ſynceritate manifeſtum.*

Deus in tempore, non impedit peccare volentes.

Iam verò quoad modum, quo Deus in tempore ſe habet ad peccatum, conſideranda tamen ſunt, quæ importantur in executione diuini decreti æterni proximè expoſiti, hoc eſt non impeditio actualis per obicem operationis diuinitùs appoſitum, & exhibitio concurſus actualis ad operandum neceſſarij. Quanquam hæc exhibitio inuoluitur in omnimoda non appoſitione impedimenti. Nam cùm creatura nequeat agere ſi Deus illi influxum ſubtrahat plane impediretur ab operando per ſubſtractionem ſolius concurſus neceſſarij, etiamſi nulla ei immitteretur forma poſitiua inhibens operationem, aut nullo actu primo intrinſeco vel diſpoſitione ad operandum neceſſaria priuaretur. Diſtinctionis tamen gratia poſſunt duo illa ſeiungi, quorum primum quidem, nempe non impeditio contradiſtincta exhibitioni concurſus, non habet difficultatem. Perſpicuum enim eſt, Deum de lege ordinaria, creaturam in manu conſilij ſui poſitam ſinere agere vias ſuas, donec adueniat dies retributionis & acceperit tempus

353. Non defuerunt quandoque Ethnici, ac etiam plurimi, quos à ſe auditos meminerat S. Chryſoſtomus homil. 4. in 1. ad Corinth. (vtique Chriſtiani) quibus viſum ſit, inſtitutionem hominis futuram fuiſſe conſultiorem, ſi impeditus eſſet peccare negatis voluntati liberæ habenis ſui iuris. Quam inſulſitatem naturæ rationalis euerſiuam à Ruperto lib. de voluntate Dei cap. 4. memoratam atque reiectam, confutaui agens de libertate. Et optime etiam à Simplicio conuellitur in capit. 34. Enchir. Epicteti, in quæſtione de cauſa mali. [Si quis, *inquit*, dicat, ne permittere quidem illi debuiſſe Deum vt malum amplecteretur, duorum alterum dicit: aut cùm eius natura ſit, vt alias bonum, aliàs malum amplectatur, cogendum fuiſſe, ne vnquam malum amplecteretur, aut ita fuiſſe condendum, ne eius natura vnquam ferret, vt malum amplecteretur. Verùm priùs illud, apertè abſurdum eſt. Fruſtrà enim delectus, qui noſtrum opus eſt, fuiſſe actus, ſi illi nunquam licuiſſet in vtramvis agere partem. Imò ne delectus quidem relinqueretur, adiuncta neceſſitate. Pugnant enim inter ſeſe delectus & neceſſitas. Quod autem ad alterum attinet, cogitandum eſt malum, nullum vnquam eſſe malum optabile aut expetendum. Deinde ſuadere iſta ratio videtur, liberam hanc animi naturam, quæ ſuaptè voluntate & abſque coactione, aliàs verum bonum amplectitur aliàs imaginarium è natura rerum eſſe tollendam, aut non bonum aut magnum malum: neque reputat quot rebus quæ in mundo bona habentur, & maius & honorabilius ſit libertas voluntatis. Omnibus enim hæc quæ ſub Luna ſunt antecellit, nec quiſquam eſt, qui aut brutum pecus, aut ſtirps eſſe mallet quàm homo. Cùm igitur minora bona Deus ſuppeditaſſet, an non & id quod

illis maius eſt, ſuppeditandum erat. Deinde (etſi & hoc ſupradictum eſt) ſublata è rerum natura propenſione animorum in vtranque partem, ornatiſſimas etiam hominum virtutes vnà tolli eſt neceſſe, & totam formam humanam. Neque enim Iuſtitia & Temperantia humana reſtabit, niſi etiam peruerti animus poſſit. Quod ni ita eſſet, Angelicus eſſet aut Diuinus, nec iam humanus. Hæc itaque ratione oſtenditur, auerſionem à bono, & quod ſecundùm eam malum dicitur, eſſe neceſſarium] Nempe permiſſu, vt ferè tota diſputatio anterior. Alioqui abſit, vt neceſſitatem vllam mali agnoſcamus.

Addo conſultiſſimè ac prouidentiſſimè Deum ſtatuiſſe, hominem ſibi ipſi permittere & non impedire à peccato, ſi velit ipſe peccare. Nam vt ait S. Auguſtinus l. de corrept. & grat. c. 10. *Qui creauit omnia bona valdè, & mala ex bonis exortura eſſe præſciuit magis ad ſuam omnipotentiam bonitatem pertinere, etiam de malis benè facere quàm mala eſſe non ſinere.* Sed de hoc puncto alibi latiùs tractando diuinam prouidentiam, & optimè etiam idem Auguſt. l. de contin. c. 6. & l. de tripl. habitac. c. 5.

Inſupérque ad eorum exigentiam, concurſum exhibet.

354. De exhibitione autem concurſus diuini ad peccandum neceſſarij, quomodo in tempore fiat abſque libertatis temeratione, plenè in phyſicis dictum eſt, & exponendo actum externum diuinæ omnipotentiæ. Nunc breuiter dico, Deum per ſcientiam conditionatam præſcium operationis ſecuturæ à voluntate in talibus diſpoſitionibus conſtituta, ſi ipſa per ſe ſolam abſque Deo poſſet agere, applicare ſe ad eliciendam cum voluntate operationem, ad quam ex ſe ipſa ferri ſupponitur. Nam voluntas priùs natura, quàm actu operetur, obijcitur diuino intuitui tanquam operabunda; ſiue ex ſe exigens concurſum determinatum quoad ſpeciem, ad volendum ſcilicet vel nolendum obiectum quod proponitur. Exigentia porrò illa, non fit per actionem actualiter exercitam, vel per aliquem actum primum innatum aut aduentitium. Nam quæ innata ſunt, perennia ſunt, qualis certè non eſt exigentia, quam conſtat non ſemper eſſe in voluntate. Actio autem actu poſita ſeu terminans notitiam viſionis, & omnis actus primus aduentitius reipſa voluntati inexiſtens, ſupponit diuinum concurſum, ſine quo voluntas nihil poteſt producere. Ergo ea exigentia fit formaliter per actionem conditionaliter præuiſam, vt excudendam à voluntate in talibus circumſtantiis, ſi ipſa voluntas poſſet per ſeipſam agere abſque influxu Dei. Cùm primùm enim Deus eam diſpoſitionem in voluntate cognoſcit, & actionem ex ea exorituram, ſi per voluntatem ſolam oriri poſſet, animaduertit illicò applicat ſe ad agendum cum ea, quia non vult per ſe ſtare, quominus voluntas creata liberè exequatur quod exequi poteſt, iuxta naturalem facultatem ſuam, & dominium in actus ſuos.

Atque ita voluntas cooperandi, quamuis ſit in Deo, non eſt tamen ex Deo, ſed ex creatura, quæ poteſt ea Dei voluntate & præparatione abuti: quia vt eleganter dixit S. Anſelmus l. de caſu Diaboli, c. vlt. homo non ſolùm hoc à Deo habet, quod Deus illi ſponte dedit, videlicet eſſe & facultates, ſed etiam quod ipſe Deo permittente rapit, nempe cooperationem quam volũtas Deo ex ſe noliturо rapit. Quæ, vt ait idem Anſelm. c. 14. concord. *ferè in fine eius.* facit vt Deus velit ad materiale peccati concurrere, ad quod alioqui in aliis circumſtantiis nullo modo vellet influere. Latè & benè hoc punctum verſant Dionyſ. Ciſterc. in 2. d. 1. q. 1. art. 1. & q. 2. principali, art. 2. d. 11. q. 1. art. 1. *in fine.* HolKot in 2. q. 1. art. 3. præſertim *litera H H, & K K.* Maior in 2. d. 15. q. 1. concl. 4. poſt tertium coroll. & d. 37. dub. vlt. Thomas Val. t. 1. d. 1. doctr. art. c. 10. Sirenius 8. de fato, c. 21. Leſſ. l. 11. de diuin. perfect. c. 4.

Diſcrimen inter aſſignatam concurſus exhibitionem, & prædeterminationem.

355. Et hîc quoque manifeſtum eſt latum diſcrimen inter modum exhibendi concurſum quem aſſignauimus, & phyſicam prædeterminationem factam à Deo in tempore iuxta Autores ſuprà adductos. Hi enim ſicut ponunt æternum quoddam Dei decretum, quo voluntas antecedentem ad omnem ſuum nutum decernitur pertrahenda & fortiter deprimenda in vnam partem; ita in tempore, aſſerunt voluntatem, antequàm ipſa ſupponatur determinare ſe ad vnam partem, prædeterminari in actu ſecundo, & validè præmoueri, ſiue ea præmotio dicatur fieri per applicationem Dei ad nudam ceſſationem actionis inconſulta voluntate: (Ea enim applicatio eſt præmotio comparatione voluntatis creatæ in actu primo ſpectatæ, non niſi poſteriùs natura ſe applicantis ad eandem cum Deo actionem eliciendam:) ſiue dicatur præmotionem illam præter hanc applicationem importare immiſſionem phyſicæ qualitatis voluntatem degrauantis, vt aliqui recentiores contendunt, malè veriti, ne qua ex parte pateat voluntati effugium à pluſquàm adamantinis & ferreis præfinitionum æternarum nexibus, quibus eam illigare ſatagunt.

At iuxta nos, ſicut Deus non præhabuit actum voluntatis, quæ ab æterno efficaciter & abſolutè ex ſe decreuerit actum illum malum cui malitia ex ſe annectitur; ſed ex ſe tantùm habuit actum conditionatum, quo voluit non impedire voluntatem creatam, & ad talem actum materialem cooperari ſtatuit, ſi voluntas creata id poſtulauerit: Ita in tempore, non applicat ex ſe potentiam ſuam executiuam ad eliciendum nobiſcum eum actum materialem cui malitia eſt annexa: ſed tantùm cùm illuc pertrahitur, & veluti abripitur à cauſa ſecunda, cooperationem diuinam, vt S. Anſelmus paulò antè dicebat, ſibi rapiente. Quem concomitantis, imò ratione poſterioris applicationis ſuæ abuſum, iuſtè ac ſapienter permittit, retributurus in tempore.

Palmaris in contrarium difficultas, ex influxu Dei in effectum quemcunque.

356. Quare fixum eſto, Deum neque ratione æterni ſui decreti, neque ratione temporarij concurſus eſſe peccati autorem, quæ erant duo puncta quæ ſuſceperamus intra naturale lumen probanda & declaranda aduersùs blaſphemos. Non me latet quibus illi locorum ſacrorum corruptelis, contrarium ſtabilire intendunt, proferentes, vt Tertullianus contra horum germanos queritur, falſum teſtimonium aduersùs Spiritum ſanctum, de ſcriptis ab eo dictatis petitum. Sed quia quæ ſuprà nos nihil ad nos, eáque loca diligentiſſimè à recentioribus Hæreſcologis ac Scholaſticis tractata ſunt, proferam duntaxat vnam, vulgarem quidem, ſed tamen ſatis implexam difficultatem ex naturali ratione ductam, in quam enodandam, eò diligentiùs incumbendum nobis eſt, quòd noſtram præſertim ſententiam de quidditate peccati commiſſionis impetere videatur.

Difficultas eſt huiuſmodi. Deus concurrit ad actionem illam poſitiuam, quæ peccati turpitudinem adiunctam

iunctam habet, tanquam appendicem neceſſariò ex ea conſequentem, imò quæ iuxta noſtram ſententiam, connotatiuè ſumpta, eſt ipſummet peccatum. Eum porrò concurſum Deus in tempore exhibet, non per nouam voluntatem, ſed per æternam, vt peſpicuum eſt. Ergo Deus, & in tempore eſt de facto cauſa peccati, & ab æterno decreuit illud nobiſcum cauſare. Conſequentia videtur manifeſta, Vt enim diſertè tradit D. Thomas 1. 2. q. 8. art. 1. voluntas creata. idcirco tantùm eſt cauſa peccati, quia cauſat actionem illam, quæ vel formaliter eſt peccatum, vel eſt fundamentum malitiæ conſtituentis peccatum. Ergo ſi Deus eſt quoque cauſa actionis illius, videtur etiam eſſe cauſa peccati. Sanè indubitandum eſt. Deum eſſe cauſam poſitiuam & immediatam cuiuſuis rationis poſitiuæ, cuiuſmodi omninò eſt actio malitiæ ſubſtrata, quatenus fundans illam: quam actionem qui eatenus cauſat, malitiam quoque haud dubiè cauſat. Multò verò apertiùs erit, Deus cauſa malitiæ formaliter, ſi ipſa malitia commiſſionis. formaliter & vt ſic, ſit eius poſitiuum. Idem videtur poſſe colligi ex determinatione actuum noſtrorum ad indiuiduum, iuxta probabiliorem ſententiam quæ illam determinationem Deo tribuit. Si enim Deus ad ſingularem actionem malam determinat, quomodò non eſt cauſa actionis illius, atque adeò etiam peccati?

Æquè vrget in quauis ſententia de formali peccati commiſſionis

357. Hoc poſtremum, vt minùs certum: ita explicatu facilius eſt, & in fine non grauatè enodabitur: At reliqua difficultas, incredibile eſt in quàm varia placita Scholaſticos diſtraxerit. Et quamuis paulò antè dixerim, ſententiam noſtram de formali commiſſionis poſitiuo, videri aliquibus longè grauiùs premi hac difficultate, quàm eam ſententiam quæ illud formale ait eſſe priuationem: Tamen de induſtria paulò antè ita propoſui difficultatem, vt appareret, omnes æquè ea vrgeri. Perinde enim eſt, concurrere ad actionem quæ ſit ipſa peccatum, & concurrere ad actionem, quæ ſit proximum malitiæ fundamentum. illam inuehens, quatenus efficitur tali modo. Idque vt ſit exploratum, retexamus ſanè in præſentia ſententiam noſtram de formali commiſſionis prauæ, gratíſque ſupponamus illud formale eſſe priuationem. Oſtendo nihilominùs, æquè manere difficultatem circa cauſalitatem Dei in peccatum commiſſionis. Nam erit profectò Deus cauſa peccati. ſi tam influat in peccatum, quam ipſe homo peccans. Atqui homo peccans, non aliter eſt peccati cauſa in ſententia, quam nunc ſupponimus, quam quia efficit fundamentum poſitiuum malitiæ, ſiue actum materialem priuationi ſubſtratum. Neque enim priuatio aliter effici poteſt, quàm cauſando fundamentum eius: ſicut tenebræ non aliter poſſunt cauſari, quam interclusione corporis lucidi; nec vitæ priuatio aliter quàm expungendo neceſſariam temperiem, qua ſubducta, ſequitur vitæ priuatio. Ergo ſi Deus idipſum præſtat circa malitiam commiſſionis, quod homo; & homo ob ſolam fundamenti malitiæ inuectionem, eſt cauſa peccati, Deus quoque erit cauſa peccati. Vides itaque, quod in noſtra ſententia circa entitatem provt connotatiuam regulæ eique diſconuenientem enodandum eſt, hoc in alia quoque ſententia, eſſe extricandum quoad entitatem, prout fundat malitiam priuatiuam, Proindéque liquet, hanc difficultatem omnibus æquè eſſe diſſoluendam. Breuiter proponam præcipuos quoſdam reſpondendi modos. Tum ſubiiciam quid dicendum videatur.

Exploſa reſponſio Durandi, concurſum diuinum inficiantis.

In primis Durandus in 2. d. .q 5. & in 2. d. 1. q. 5. difficultatem anteuertit, negans Deum concurrere ad actus noſtros. Quæ reſponſio, quoad actus malos, placuit quoque quibuſdam apud Magiſtrum in 2 d. 37. & apertè Aureolo in 2. d. 38. q 1. Eadem ſimpliciter fuit Theodori Abucaræ doctrina opuſc. 35. & 37. & Boneti 7. Theol. c. 3. Sed non poſſumus hac difficultatis ſolutione vti, quam meritò reprobat S. Anſelmus l de cauſa Diab. c. 20. & latè in concord. c. 7. id eſt, *in fine primæ partis*, & ruſus c. 24. *ferè in fine operis*, ac fuſè omninò Bradvuardinus l. 2. de cauſa Dei, cap. 20. Idem fuiſſe à pleriſque Patribus in Pelagio damnatum, oſtenſum eſt tractatione de concurſu cauſæ primæ cum ſecundis, quò remitto huius doctrinæ diſcuſſionem, breuiter quoque inſtitutam in naturali Theologia, d. 8. n. 338.

Nunc ad alia abiens, præmoneo longè aliam fuiſſe mentem illis qui dixerunt peccatum commiſſionis non eſſe à Deo, quia peccatum per ſe non requirit diuinum influxum. Ita Sirenius 8. de fato, capi. & Suares d 1. Met. 3. numer. 10. Hi inquam Autores. non ſubſcribunt Durando. Nam etiam de cauſa ſecunda idem pronunciant, aiúntque actum malum eſſe ab ea vt non agente, quamvis perſpicuum ſit, effici ab ea per verum influxum. Senſus ergo eſt actionem malam prodire à voluntate creata quatenus imperfecta eſt, & ex mero eius vitio. Sicut claudicatio iuxta exemplum D. Auguſtini l. de perfect. Iuſt cap. 2 *reſponſ.* 4. non tribuitur Deo vel virtuti mutrici, ſed curuitati tibiæ: quamuis tota entitas illius motus, ſit à virtute progreſſiua tibiæ inſerta. Itaque perperam Vaſques 1. 2. d. 119. n. 6. & 9. Hurtado d. 10 phyſica n. 37. & 40 ob quaſdam huiuſmodi locutiones quæ apud D Auguſtinum leguntur, cenſent D. Auguſtinum Durando quoad malos actus aſtipulari. Mens enim D. Auguſtini apertè fert, Deum ad omnes omninò actus noſtros concurrere. Vide loca quæ ex eo ſignant Gregor in 2. d. 17. q vnica. art. 3. & in 1. d. 45. q. vnica, concl. 1. & in 1. & Richardus quodl. 3. art. 1. q. 2.

Reiecti qui reſpondent, Deum non eſſe cauſam metaphyſicorum omnium graduum

358. Alij admiſſa diuina cooperatione ad actum malitiæ ſubſtratum, reſpondent, ideircò nihilominùs Deum non eſſe cauſam peccati, quia concurſus homini exhibitus à Deo ad peccandum eſt ex ſe indifferens ac indeterminatus, nec potiùs refertur ad eliciendum actum malum, quàm ad eliciendum actum bonum: Quòd autem ex coniunctione cum influxu cauſæ creatæ determinetur ad talem ſpeciem, nempe ad ſpeciem actus praui, contra Dei voluntatem eſſe; & ideircò eam turpitudinem non refundi in Deum tanquam in autorem; qui duntaxat adhibuit concurſum generalem tendentem in rationem actus creati: ſolius autem voluntatis vitio determinatum ad actionem malam.

Tribuitur hæc reſponſio Ludouico Molinæ 1 p. q. 14. art. 13. dub 6. & in concordia d. 26. ad eundem art. Quem eo nomine latè reiiciunt Aluares d. 21. de auxil. & Veſtunus lib. 2. de tripl. hom. officio, c. 11. quòd cenſuerit actionem malam, & vniuersè quancunque liberam, eſſe à Deo duntaxat quoad rationem genericam; non autem ſecundùm ſpecificam, Ita enim colligunt ex eo quòd Molina, concurſum Dei ait eſſe indifferentem & generalem; determi-

nari autem à creatura quoad ſpeciem actionis. Nihil tamen tale ſomniaſſe Molinam, & omninò admiſiſſe quicquid poſitiui eſt in actu ſecundùm omnem gradum metaphyſicum à Deo manare, monſtratum diligenter eſt in tractatione de diuino concurſu, & breuiter in naturali Theologia, d. 8.n.357.Nec poteſt ſane dubitari, quin omnis ratio phyſica actui inſidens prodeat a Deo, cùm quælibet talis ratio ſit eius participatum, ſitque realiter indiſtincta à reliquis gradibus actionis

Illud ergo vnum voluit Molina. (quod alios innumeros tradidiſſe alibi oſtendo, quibus nunc addo Pennotum l.8.propugnac. humanæ libert.c.27.) concurſum Dei in actu primo, qui non identificatur cum actione creaturæ, ſed eſt eius principium, eſſe indifferentem ex ſe ac generalem. Id eſt Deum ex ſe eſſe indifferentem, ad cauſandum cum creatura libera hunc actum vel alium ſpecie diuerſum. Præſtolari autem determinationem creaturæ, ſiue exigentiam eius ſupra tactam, illáque demum agnita, eò ſe applicare ad cooperandum, quo viderit creaturæ nutum vergere: eique ſubminiſtrari concurſum in illa determinata ſpecie quam creatura exegerit, atque adeò phyſice ſpecificum ac determinatum, non autem generalem duntaxat & indifferentem Moraliter tamen, concurſus à Deo ſubminiſtratus indifferens eſt ad bonitatem & malitiam.

Tres aliæ reſponſiones.

359. Nonnulli admiſſo influxu diuino in actionem quancunque, & in omnem phyſicum ac metaphyſicum gradum eius. idcircò tamen negant Deum [illegible] peccati, quia non eſt cauſa rationum mo[illegible] actionis prauæ. In actione ſiquidem morali[illegible] mala præter gradus phyſicos entitatis, diſtingui poſſunt gradus moralitatis, vtrique gradus ſiue ratio liberi, quæ eſt neceſſaria præparatio ad moralitatem eiúſque veluti fundamentum. Itaque ſunt qui dicant, Deum non eſſe cauſam peccati. quia non eſt cauſa libera actus praui, ſed naturalis & neceſſaria Cooperatur enim ad actus noſtros vt cauſa prima, atque adeò perinde ac ſi non eſſet libera. Vnde cùm libertas actus, ſit totius moralitatis fundamentum, inferunt, Deum, cùm non ſit cauſa libertatis, actus non eſſe cauſam moralitatis. Ita Canus 2. de locis cap.4. ad 6.Soto 1.de nat & grat. cap.18 *in fine*.Vaſq.1.1. d.139.cap7.Sal.1.2.tract.13.d. 10. numer.32. & alij quidam.

Alij verò dicunt Deum non eſſe cauſam peccati, quia non eſt cauſa malitiæ provt eſt tranſgreſſio legis. Nam male agere, eſt legem aliquam violare, Deus autem cooperando nobiſcum, nullam legem violat. Igitur non eſt peccati cauſa, ſed tantùm creata voluntas, quæ legi ſubiicitur. Ita Ocham, in 3. q. 12. *litera TT* Becan. opuſc. 1.c 3.n.8.

Tandem alij negant, Deum eſſe peccati cauſam, quia non ſtat per Deum, quominùs creatura rectè & iuſtè operetur. Ipſe enim paratus eſſet, dimiſſo hoc ſpecifico actu malò qui elicitur, concurrere ad oppoſitum optimum: per ſolam autem creaturam trahitur ad illum indebitum & malum. Ergo vitium actionis eſt a ſola creatura. Ita Scotus in 1. d. 37. q. vnica, *litera T* & ibidem alij, ac Tartaretus 3. Eth. q. . Et fortaſſis idem voluit Armacanus l.15.de quæſtionibus Armenorum, c. 13. cùm dixit, Deum coefficiendo nobiſcum actum malitiæ ſubſtratum, eſſe *cauſam peccati*, quia dat homini poteſtatem peccandi, eámque ſubminiſtrata cooperatione veluti complet: non tamen eſſe *peccati autorem*, quia non approbat peccatum, & nollet admitti; atque adeò non ſtat per ipſum, quominùs peccatum omittatur. Quæ videntur ad ſenſum ex Scoto propoſitum recidere, etiamſi modus ille loquendi quo Deus cauſa peccati dicitur, reſecandus omninò ſit tanquam peſſimè ſonans.

Provt ſonant, improbantur.

360 Quamvis autem hos dicendi modos videam poſſe trahi ad bonum ſenſum, vt poſteà probatum faciam. tamen ſi extimam verborum faciem ſpectemus, nec alius proferatur ſenſus, quàm quem verba ſecundùm planam ſignificationem præ ſe ferunt, facilè oſtendi poteſt, nullum eorum eſſe idoneum ad elidendam difficultatem propoſitam. Et in primis Deum non eſſe actionis quam nobiſcum elicit, cauſam liberam, falſum omninò eſt, ſi crude accipiatur. Deus enim nihil facit neceſſariò. Quòd autem ſuppoſito pacto cum cauſis ſecundis inito, vel potius lege ſua de cooperando, non poſſit non cooperari, parum refert Oportuerat enim legem illam non ferre, ſibique per eam iniicere neceſſitatem cooperandi ad malum, Itaque hæc Dei excuſatio, admodùm friget. Nec apparet quare Deus non obſtante ea ſuppoſitione, cuius poſitio fuit ipſi Deo libera, non habeat rationem cauſæ liberæ & moralis, reſpectu actionis cuius eſt cooperarius: quamvis verè non ſit cauſa moralis in alio quodam ſenſu; nempe per conſilium, aut ſuaſionem, præceptum vel interpoſitas minas: qua ratione ne voluntas quidem creata, eſt actionis ſuæ cauſa.

Iam quòd Deus, cooperando nullam legem tranſgrediatur. probat duntaxat, Deum non peccare At nos non quærimus, an Deus nobiſcum cooperando, peccet ipſe; ſed aliquid longè diuerſum; Nempe an ſit cauſa peccati noſtri nobiſcum, ad quam labem à Deo auertendam, non ſufficit reſpondere id, ex quo tantùm ſequitur Deum ita ſe gerere circa peccatum, vt quamvis illud cauſet, tamen cauſando non peccet. Præterquàm quòd etiamſi Deus non poſſit tranſgredi legem præcipientem cùm nulla ſit ei poſita; oſtendendum tamen ſupererit, quomodò cooperando ad actum malum, non peccet, deflectendo ab eo quod honeſtum eſt. Sicut ſi mentiretur, diceretur peccare, non contra legem præceptiuam, ſed contra rectitudinem ſuam naturalem, quæ eſt Deo quaſi lex: & contra iudicium ſibi prælucens ad volendum & operandum.

Tandem ex eo quòd per Deum non ſtet, quominùs voluntas rectè agat, benè probatur non ſtare per Deum, quominùs voluntas peccato abſtineat. Inde tamen non oſtenditur, ex quo non placet voluntati abſtinere, Deum non eſſe peccati cauſam, cooperando creatæ voluntati deligenti illud exequi. Nam ſi ſeruus non poſſet facinus aliquod, niſi domino in ſocietatem ſceleris aſcito; & dominus primùm quidem conaretur omni ope ſeruum à prauo conſilio abducere, & ad contrarium opus inducere; videns tamen ſe nihil proficere, nollet cooperationem ſuam negare, nemo diffiteretur, dominum illum eſſe concauſam ſceleris à ſeruo admiſſi coadiuuante domino, quamuis per ipſum dominum non ſteterit, quominùs ſeruus dimiſſa actione mala, bonam eligeret. Similiter qui ſcribit iniuſtum contractum, non idcircò deſinit, eſſe peccati cauſa, quòd per eam non ſtet quominùs ſcribatur iuſtus contractus. Eo ipſo enim quòd iniquum contractum ſcribit, cauſa peccati eſt. Et ratio euidens eſt. quia, vt benè contra hunc dicendi modum argumentatur Rubionius in 1. d. 34. q.1.§ *Alij tenentes.* peccare peccato commiſſionis, (de quo ſolo agimus, quia ad illud tantùm exigitur concurſus,) non eſt

non

non facere aliquid quòd fieri deberet, ſed eſt facere aliquid quod fieri non deberet. Sicut ergo voluntas creata eſt cauſa peccati, quia facit quod facere non deberet: ita Deus videtur eſſe peccati cauſa, cùm ipſe quoque faciat actum prauum, qui fieri non deberet. Vnde reſponſio quam excutimus valeret quidem pro peccato omiſſionis, de quo verum eſt cùm omittitur actus, qui per duos elici debebat, eum duntaxat eſſe omiſſionis malæ cauſam, per quem ſtetit quominùs actus debitus eliceretur, quia omittere eſt non facere aliquid debitum. At pro peccato omiſſionis, ea reſponſio inanis videtur: quia malè committere eſt facere quod fieri non deberet: quod facit cooperarius, etiamſi per eum non ſtaret quominùs aliud fieret.

Vera diſſolutio difficultatis propoſitæ.

361. Alia itaque via diſſoluendæ difficultatis ineunda eſt, ſi tamen alia, & non potiùs eadem explicatiùs propoſita. Quod vt fiat, intendendum diligenter eſt in nodum difficultatis, qui conſiſtit in hoc ſyllogiſmo. Ille eſt cauſa peccati commiſſionis, qui eſt cauſa actus poſitiui inordinati. Nam ſi actus ille eſt ſuamet entitate malus, eò clariùs eſt, qui illum cauſat cauſare malitiam. Si autem actus ille eſt malus per priuationem, perinde erit. Nam priuatio progerminatur aliter & indiſſolubiliter ex tali actu liberè poſito. Et cùm nequeat actionem poſitiuam terminare per ſe ac directè, cauſatur tantùm ad poſitionem entis poſitiui; hoc eſt actus, tanquam fundamenti ſui. Quare rectè aſſumpta eſt illa propoſitio: Ille eſt cauſa peccati, qui eſt cauſa actus poſitiui inordinati. Atqui Deus eſt cauſa actus poſitiui formaliter mali, vel ſaltem neceſſariò fundantis formalem malitiam. Ergo eſt cauſa peccati. Ratio videtur ineluctabilis.

Reſpondeo negando maiorem. Non enim quiſquis eſt cauſa actus poſitiui quomodolibet ſpectati, eſt cauſa peccati: alioqui ſi quis cauſaret actum illum poſitiuum in ſomno vel in amentia, æquè foret peccati cauſa, quod nemo dicat. Itaque ad hoc vt aliquis ſit cauſa peccati formaliter, ac prout peccatum eſt, ſicut exigitur vt ſimpliciter denominetur cauſa peccati, neceſſe eſt vt cauſet actum ſub ea ratione, ſub qua actus ille eſt peccatum, vel ſub qua progerminat ab eo malitia. Sicut vt aliquod agens denominetur ſimpliciter cauſa actus vitalis, vel actus ſupernaturalis, non ſufficit quod ſit cauſa entitatis prædictorum actuum. Sic enim habitus vitaliter agerent, coëfficiendo entitatem actus cum potentia vitali. Intellectus quoque denominaretur cauſa actus ſupernaturalis, quem coëfficit interueniente diuina eleuatione. At quamuis illemet actus cui aduenit eſſe vitalem, prodeat quoque ab habitu; tamen non habet vt ſit vitalis, niſi ea dependentia à potentia vitali. Et idcircò formaliter loquendo, nemo dixerit habitum eſſe cauſam actus vitalis. Idem eſt de ſupernaturalitate comparata ad potentiam vitalem: Et de quacunque denominatione, comparata ad cauſam quæ ſit extranea formæ denominationem illam conferenti. Similiter cùm concluſio falſa ex altera præmiſſa vera, & altera falſa, eruitur, perſpicuum eſt, concluſionem illam non habere falſitatem ex ordine ad præmiſſam veram, ſed ex ſolo ordine ad falſam, quæ idcircò ſola dicitur cauſa concluſionis falſæ quatenus falſa eſt: quamvis tota propoſitionis entitas quæ falſitati ſubſternitur, ſit ſuo modo ab vtraque præmiſſa. Denique in moralibus ſuppetit non diſpar exemplum. Si enim duo trahant nauem, tanquam cauſæ partiales partialitate cauſæ non operis: & vnus ea bono fine trahat, alter ea malo; idem exterius actus tractionis, qui totus entitatiuè prodidit ab vtraque illa cauſa, & malus erit per ordinem ad vnam cauſam, & bonus per ordinem ad aliam: ita vt qui ea bono fine trahit, veréque coëfficit totam tractionis entitatem, non ſit tamen cauſa tractionis prout mala eſt, nec denominetur ſimpliciter principium malæ tractionis. Longè itaque diuerſum eſt, dicere entitatem actus ſub aliqua ratione non eſſe referendam ad certam aliquam cauſam, quæ proinde non denominetur ſimpliciter cauſa eius ſub ea ratione; aliud verò illam entitatem non attingi materialiter ab aliquo, quòd quia actum materialiter tantùm attingit, non dicatur cauſa eius.

362. Conſentaneè ergo ad hanc doctrinam, negaui maiorem Syllogiſmi in quem difficultas propoſita, fuerat compacta. Negaui inquam, eum eſſe cauſam peccati, qui eſt cauſa actus poſitiui inordinati. Poterit enim actus ille materialis ſub certa conſideratione referri ad cauſam aliquam, per ordinem ad quam vacabit labe, quamvis tota eius entitas materialis, indiuiſim prodeat & ab ea cauſa innoxia, & ab alia à qua malitiam hauriat. Sicut idem actus materialis, prodit indiuiſim à voluntate & ab habitu, quamvis penes ſolam voluntatem denominetur vitalis & liber, ſoláque voluntas ſit cauſa cur actus, liber ſit & vitalis, idcirque ſola voluntas poſſit formaliter loquendo denominari cauſa actus vitalis & actus liberi, ſiue cauſa vitalitatis & libertatis repertæ in actu, æquè quoad entitatem prodeunte à cauſa non vitali, & non libera. Hinc patet, rectè negatam eſſe maiorem argumenti propoſiti.

Nunc ſubſumo, & dico, Deum cauſare quidem materialiter & ſpecificatiuè actum malum, non tamen formaliter & reduplicatiuè, vt exigeretur ad ſimpliciter denominandum Deum cauſam actus mali, ſiue peccati. Nam Deus eodem modo concurrit ad actum, cùm is eſt malus, & cùm eſt bonus aut malitiæ expers defectu aduertentiæ aut libertatis. Quod euidentiſſimum eſt indicium, cùm actus malus eſt, non hoc habere ex concurſu Dei, & ex modo, quo Deus ſe habet ad actum; ſed vitium trahere ex ſola voluntate creata: quandoquidem poſito eodem Dei concurſu, actio eſt non mala; poſito autem eodem concurſu creaturæ ſic vel ſic ſe habentis ad actum, contingit ſemper eum fœdari.

36.. Vt autem modus ille ſe habendi creaturæ ad actum, (qui modus prima & vnica moralis turpitudinis origo eſt,) perſpiciatur; quod videtur ad plenam difficultatis enodationem deſiderari; addendum eſt, voluntatem operantem, dirigi per ſibi prælucens dictamen rectæ rationis, cui quandiu voluntas conformatur, nullum exiſtit peccatum, quod tantùm ſequitur aberrationem & deuiationem à præſcripto illius dictaminis. Voluntas ergo creata, ex eo quòd habeat ſibi prælucens dictamen interdicens operatione erga talem materiam cuius prauitas obiectiua aduertitur, & deuitari poteſt, peccat, ſi ſciens volens in obiectum illud incurrat, quia modus ille ſe habendi circa materiam rectæ rationis præſcripto vetitam, talis eſt, vt ad eum conſequatur malitia in principio ſic operante. At modus quem Deus tenet cooperando nobiſcum, eſt longè alius. Diuinæ enim voluntati prælucet dictamen, quo præſcribitur cooperandum eſſe ad illum actum materialem, cui ea nequitia creaturæ & modo ſe habendi eius ad illum actum, adueniet malitia. Summa enim Dei ſapientia dictat, conſentaneum eſſe primæ cauſæ ita ſe gerere. Nam ſi prima cauſa non poſſet concurrere ad actum aliquem à creatura elicibilem, malè diceretur, actum illum eſſe elicibilem, cùm quidvis elicibile ſit creatum, proindéque poſtulet à Deo effici.

Ex hoc igitur modo quo Deus ſe habet ad actum

à crea

à creatura delectum, non ſequitur actum illum haberé à Deo vt ſit malus: ſed tantùm ſequitur, inde habere, vt poſſit eſſe malus à creatura: quod Deus impedire non poteſt ſaluo ordine vniuerſi, & munere cauſæ primæ. Atque ita ex modo ſe habendi Dei ad peccatum, colligitur apertè Dei innocentia. Quo planè modo eam in hoc negotio expoſuerunt aliqui, quos refert & approbare videtur Guliel. Pariſ. tertia primæ de vniuerſo, c. 9.

Conſideratione porrò dignum eſt hoc loco, cooperationem ad actionem quæ alieno tantùm vitio eſt culpabilis, tunc tantùm malam eſſe, cùm ille qui ita cooperatur, non vtitur iure ſuo, aut non exequitur munus ſuum: At cùm ea cooperatio eſt exercitium muneris debiti, vel iuris ſui executio, non poteſt vitio verti. Vt patet in eo qui enſem alteri daret coactus iure tuendæ vitæ propriæ, quam periclitari videret, ſi enſem deneget. Tunc enim cooperatio ad cædem, quæ ſubſequitur eam enſis conceſſionem, non eſt vitioſa ei qui enſem præbet, quia vtitur iure ſuo. Idem cernitur in nonnullis aliis exemplis, quæ legere licet apud Ægid. Conine. 3.p.d.34.n. 29. & Sanchem l. 9. de matrim. d. 6.n.4. Deus igitur ita ſe habet ad actionem vitio noſtro malam, vt ex modo ad actionem ſe habendi, quem ſeruat cooperando, non reſultet defectus, quia in ea cooperatione vtitur iure ſuo, & exercet munus cauſæ primæ, atque adeò non eſt cauſa peccati. Quod apud D. Auguſtinum aliis verbis dicitur, *potentiam peccandi, prout peccatum eſt defectio quædam, non eſſe à Deo.* Vide varia S. Auguſtini in hanc rem loca, quæ vir eruditus in edit. Louan. annotauit ad lib. de gratia Chriſti, cap. 17.

In ſolutionem datam reuoluuntur aliæ, dempta ea quæ ex Durando adducta eſt.

264. Ex his plùs ſatis euerſa ac contrita videtur machina difficultatis propoſitæ, cuius diſſolutionem, priuſquàm manum de tabula tollam placet aduertere eodem ſenſu tentatam ab aliis, quorum ſolutiones ſuprà retuli, præter Durandum, cuius reſponſio omninò explodenda eſt; quamvis illi quoque alij, minùs aptè eliſerint difficultatem, nec ſatis explicatè aperuerint verum ſenſum quem intendebant. Quia igitur Deus eodem modo ſe habet ad actum, cùm is eſt bonus aut indifferens ac cùm eſt prauus; nec aliter influit vno modo quàm alio; propterea dixerunt aliqui, Deum non eſſe peccati cauſam, quia concurſus eius in actu primo ſpectatus, eſt indifferens aut generalis, & ex ſe non fertur potiùs ad hanc ſpeciem actus, quàm ad aliam; vel ad actum turpem potiùs quàm ad bonum ſed liberè trahitur & rapitur à voluntate creata quò libuerit. In actu item ſecundo, idem diuinus concurſus, indifferens dicitur & generalis, quia ita exhibetur, vt poſſit ſubſterni bonitati aut malitiæ, vel neutri, pro modo ſe habendi creaturæ, ex cuius nutu pendebit vt actus ille eliciatur liberè circa tale obiectum, & cum hac vel illa moralitate.

Quia verò actus non habet à Deo eiuſque modo ſe habendi, vt ſit homini liber, & hoc potiùs quàm alio modo moralis: propterea alij addebant, Deum non eſſe cauſam peccati, quia non eſt eius cauſa libera & moralis, non quòd vlla Dei externa actio ſit illi neceſſaria, aut non bona reſpectu Dei; ſed quòd Deus non ſit principium illud liberum & morale, per ordinem ad quod attenditur laudabilitas vel reprehenſibilitas operis, prout ab homine eſt. Actio enim quatenus à Deo proficiſcitur non plus homini libera, quàm cùm eſt homini neceſſaria, & Deus ad eam cauſandam eodem modo ſe habet in vtroque euentu.

Præterea qui dicunt Deum non cauſare peccatum, quia non tranſgreditur legem, tantùm velle debent, Deum cooperando homini peccanti, ſequi dictamen legis æternæ præſcribentis cooperandum eſſe creaturæ quamvis abutenti dono Dei, & aberranti à dictamine quo interdicebatur ei operatione.

Poſtremò, qui dicunt Deum non eſſe peccati cauſam, quia non ſtat per eum quominùs dimiſſo actu prauo eliciatur bonus aut indifferens, exponi poſſunt iuxta ea quæ dicta ſunt de indifferentia & generalitate concurſus exhibiti à Deo ad peccatum cooperãte. Itaque perſpicuum eſt, noſtrum reſpondendi modum eſſe planiorem, & cauillis minùs obnoxium: Tametſi alij quoque prædicti, in eum recidant.

Ex noſtra per Deum determinatione ad indiuiduum, non ſequitur Dei in peccatum cauſalitas.

365. Reliqua eſt difficultatis initio propoſitæ extrema particula, quæ in eo ſita erat, quòd iuxta veriorem ſententiam, Deus determinet cauſas ſecundas ad indiuiduum, Quomodò enim Deus non eſt cauſa peccati, ſi delectus huius potiùs quàm alterius actionis malæ, inter plures quas creatura hîc & nunc poſſet elicere, proficiſcitur à Deo, cauſam ſecundam ad id determinante, non per impreſſionem aliquam, ſed profundendo hunc potiùs quàm illum ſingularem actum, qui cum hac creaturæ ſingulari actione identificabitur, non cum alia quæ æquè per creaturam poſſet elici, ſpectata vt phyſica ipſius cauſæ creatæ, quæ tamen nequit ſe ad aliquam illarum determinare potiùs quàm ad aliam, quia non prænoſcit indiuiduationem: Et licèt prænoſceret, perinde illi eſſet, hoc aut illo numericè actu agere.

Hanc difficultatem iam attigi & ſufficienter extricaui d. 2. num. 327. hîc tamen omitti non poteſt, ne hæc tractatio hiet, nec videamur plenè conſuluiſſe munditiei diuinæ, ac omnimodæ à labe elongationi. Non eſt autem operoſum eam enodare. Sicut enim applicatio creaturæ ad peccandum, vt conditionaliter præuiſa, eſt ratione prior applicatione Dei ad profuſionem illius actus; & idcircò diuina applicatio & cooperatio non temerat libertatem creatam, ad cuius duntaxat nutum exeritur: (Vis enim diuina cooperatiua ante facultatis creatæ applicationem, eſt tantùm in procinctu poſita, & præſtolatur determinationem creaturæ conditionaliter præuiſam; & idcircò non eſt peccati cauſa ob indifferentiam ſuprà explicatam:) Ita determinatio quoad indiuiduationem actus, cùm ſit poſterior generali determinatione concurſus, nec aliud reuera ſit, quàm reſtrictio quædam illius vniuerſalis voluntatis, qua Deus ſtatuit cooperari peccatori hic & nunc agere volenti, non poteſt facere, vt Deus ſit peccati cauſa.

Neque verò imaginanda hîc eſt inflexio vlla voluntatis creatæ per diuinam determinationem ad indiuiduum. Ea enim inflexio & libertati creatæ officeret, & cauſalitatem in peccatum ſtabiliret. Sed dicendum eſt, voluntatem inflecti à ſeipſa, quatenus quaſi generaliter & vagè deprimit ſeſe per eam determinationem in actu primo, quæ alibi expoſita eſt, ex qua obiicitur diuinæ ſcientiæ conditionatæ profundenda aliqua determinatio formalis, ſi poſſet ex ſola voluntate ſequi. Deus autem viſa ea voluntatis diſpoſitione, tantùm decernit, vt quandoquidem voluntas eſt operabunda, & quantùm eſt ex ſe agere vult & profundere actum talis ſpeciei, eliciat hunc potius numero actum, quàm alium ſimilem. Quod non ſufficit, vt Deus dicatur cauſa illius peccati, etiam prout eſt peccatum ſingulare. Sicut ſi penderet à mea poteſtate, vt is qui volens ruit, caderet hoc potius numero

motus,

motu, quàm alio eiuſdem omninò rationis, nec niſi numericè diuerſo, non idcircò diceret præcipitaſſe illum, aut eſſe cauſa motus eius deorſum.

366 Et quanquam dicere licet, Deum ex ſuppoſitione quòd homo velit agere, eſſe cauſam huius numero actionis: Tamen nulla ratione dicere licet, Deum eſſe cauſam huius numero malitiæ, ob eum delectum huius potiùs numericæ actionis, quàm alterius ſimilis, numero duntaxat diſtinctæ, quem in diuinum arbitrium referimus: quia, vt dixi, ea determinatio voluntatis creatæ ad hanc indiuiduam malitiam, non fit à Deo per phyſicam voluntatis creatæ inflexionem antecedentem; ſed tantùm fit per determinationem ſiue exhibitionem huius ſingularis diuini concurſus, identificati cum hac numero actione creaturæ dimiſſis infinitis ſimilibus, numero tantùm diſcrepantibus, qui æquè exhiberi potuiſſent; & cum aliis numero creaturæ concurſibus identificati, eos extraxiſſent è nihilo. Ad concurſum autem, quem Deus exhibet, non ſequitur malitia, ſed tantùm ad concurſum qui exhibetur à creatura, cuius modum agendi, aſſectatur prauitas.

Excuſatio noſtra alicuius diligentia in hac cauſa.

Videri potero longior fuiſſe in auertendo hoc Dei probro, tuendáque Dei immunitate ab influxu in peccatum: Ego tamen non agnoſco, me philoſophicos fines quibus hac tractatione concludor, vlla ratione prætergreſſum. Eo enim conſilio quæ iuris Theologici erant, quia reuelatione quoquo modo nitebantur, miſſa feci. Intra noſtros autem fines ſiſtendo, non putaui vllam hac in parte diligentiam, videri poſſe nimiam: aut vllam prolixitatem, rerum potiùs ſucco, quàm verborum mole differtam, poſſe faſtidium parere, cùm agitur de amoliendo immani dedecore & tuendo eius honore, cui omnia debemus. Itaque mea hoc loco eſto clauſula à Nyſſeno adhibita, confutationi blaſphemiæ Eunomianæ orat. 3. aduersùs Eunom. [Studium circa propoſita, cor noſtrum explanet, fidei zelo & ardore aduersùs blaſphemantes, ſupra modum tumens. Quomodò enim ad iram & odium non concitaremur, videntes Deum & Dominum & viuificum & Seruatorem, ab iſtis homunculis ludibrio affici & veluti cœno conſpurcari? Si enim mihi quis patrem carnis conuitiis inceſſeret, vel in meum benefactorem hoſtiliter ſe haberet, an imperturbato animo poſſem iram continere & ferre æquo animo contra dilectos & charos iniuriam? Quòd ſi animæ meæ Dominus; qui ipſam antè non exiſtentem fecit ſubſiſtere, & in ſeruitutem redactam redemit; qui vitæ præſentis guſtum dedit, & futurum præparauit, qui ad regnum vocat, & quomodò gehennæ iudicium fugiamus, mandat: (Parua dico, hæc neque adhuc communis Domini maieſtate digna, qui ab omni creatura adoratur, cœleſtibus, terreſtribus, ſubterreſtribus; cui adſtiterunt miniſtrorum cœleſtium decem millia, ad quem conuerſum eſt totum hoc omne quod hîc adminiſtratur & honeſto deſiderio tenetur.) Si hic in conuitium hominibus exponitur, quibus non ſufficit ſolùm ſeipſos particulæ huius Apoſtatæ id eſt defectoris adhæreſcere, ſed damnum arbitrantur non etiam alios ſecum in barathrum ſiue voraginem ſuis ſcriptis pertraxiſſe, vt poſteris non deficiat ad interitum deductio; Nunquid quis iram in eos conceptam culpat?]

ARTICVLVS VI.

Vera ſententia de formalis malitia eductione è conſtitutis eius fontibus per cauſam eius effectiuam; ipſum inquam peccantis arbitrium, deque duplici veluti canale, quo malitia manat, notitia ſcilicet & appetitione.

367. ECce ergo ex bono oritur malum, *verba ſunt* Diui Auguſt. l. 1. de nupt. c. 28. *nec fuit omninò vnde oriri poſſet, niſi ex bono. Ipſam dico voluntatem malam, quam nullum præceſſit malum, non opera mala, quæ non ſunt niſi ex voluntate mala, tanquam ex arbore mala. Nec ideò tamen potuit ex bono oriri voluntas mala, quia bonum factum eſt à Deo bono, ſed quia de nihilo factum eſt, non de Deo.* Hoc eſt quod alibi demonſtratur, & ab Ariſtotele rectè agnitum eſt, malum non niſi bono niti poſſe: non modò in genere cauſæ ſubiectiuæ, quia purum malum ſeipſum deſtrueret, ſed etiam in genere cauſæ effectiuæ. Nam malum niſi haberet pro efficiente cauſa bonum deficiens, nullo modo eſſe poſſet: quia neque poteſt eſſe ex ſe, neque ex cauſa mala, quæ ſit ex ſe. Ergo vt vitetur proceſſus in infinitum, debet eſſe à bono deficiente, quod non poteſt eſſe bonum increatum. Eſt igitur bonum creatum vertibile, ſiue voluntas libera, rationalibus creaturis implantata. Hæc eſt mali radix, cuius alia radix fruſtrà quæritur, vt D. Auguſtinus ſcitè dixit l. 3. de lib. arb. c. 17. Hoc item aureè omninò tradit Simplicius in c. 34. Enchir. Epict. in q. de cauſa mali, à pag. 109. Sed quia ad libertatis exercitium duo interueniunt; vnum formaliter, nempe volitio; alterum radicaliter, nempe iudicium indifferens; ſupereſt vt quomodò duo illa ad malitiæ formalis originem interueniant, exponamus.

ASSERTIO.

AD malitiæ formalis exortum, neceſſaria omninò eſt, præter conſenſum aliquem, notitia: quamuis rectiſſimè pronunciatum ſit, omnem peccantem eſſe ignorantem, & errare qui operantur malum. Eam porrò notitiam cuiuis malitiæ præuiam, neceſſe eſt obiecti cum ratione diſſonantiam præmonſtrare. Propterea malitiæ ignorantia inuincibilis, etiamſi comitans, omnem actus turpitudinem expurgat, non item vincibilis, præſertim affectata: Conſenſus directus in malitiam obiecti, neque ad formalis malitiæ exortum neceſſarius eſt, neque poſſibilis. Directus tamen conſenſus in obiectum cui malitia conſeritur, ad quædam peccata neceſſarius eſt. Ad permulta verò, ſufficit indirectus ille conſenſus, qui nullam voluntatis actionem importat, & interpretatiuus appellatur.

PRIMÒ dico ad malitiam formalem actui imprimendam, interuenire debere, præter notitiam intellectus prælucentem, conſenſum aliquem voluntatis. Hoc ſecundum, vniuersè loquendo, (vt nunc facimus,)

candum præexigatur error aliquis ſpeculatiuus: quaſi per voluntatem peccari nequeat, niſi talis aliquis error in intellectu antecedat. Imò verò non tantùm puto peccari poſſe per voluntatem abſque tali defectu intellectus, ſed etiam arbitror ſæpè de facto admitti peccatum abſque ea. Quòd igitur peccare quis poſſit abſque huiuſmodi defectu, rectè aſſeruit Scotus in 3. d. 36. q. vnica, & ſæpè alibi. Ægid. quodl. 1. quæſt. 19. Mayron. in 2. d. 24. q. vnica. Rada in 2. controu. 13 art. 3. Suares d. 19. Metaph. ſ. 7. n. 10. & l. 2. de Angel. c. 4. Val. 1. 2. d. 6 quæſt. 8. p. 1. & 2. & 1. p. d. 4. quæſt. 14 p. 2. Mol. 1. p. quæſt. 63 art. 1. d. vnic. membro 5. *initio.* Videtúrque Ariſtotelis aperta ſententia 7. Eth. cap. 2. *initio*, in refutatione Socratis negantis quenquam eſſe poſſe incontinentem, ſi ſcientiam retineat. Quod ita refert & refellit Ariſtoteles. *Vt ſciens quiſpiam agat incontinenter, aiunt nonnulli fieri nullo modo poſſe. Abſurdum enim eſt ſi adſit ſcientia, vt exiſtimabat Socrates, aliud quid dominari, ac quaſi mancipium hominem trahere. Socrates enim aduerſus rationem omninò pugnabat, quaſi nulla eſſet incontinentia. Neminem ſiquidem, aiebat, exiſtimantem præter id quod optimum eſt, agere, ſed ex ignoratione. Quæ ſanè oratio iis aduerſatur, quæ euidenter apparent.* Itaque perſpicuè Ariſtoteles videtur agnoſcere, poſſe ſcientem aliquem labi.

Accedit ratio, quia vt voluntas obiectum aliquod contra rationem rectam amet vel aduerſetur, atque adeò peccet, nihil eſt neceſſe vt tale obiectum ei ab intellectu præſentetur aliter quàm ipſum ſit in ſe. V.G. non eſt neceſſe vt fornicatio exhibeatur per intellectum tanquã honeſta aut conformis rationi. Imò hoc fieri non poteſt: quia cùm ſupponamus eſſe in intellectu iudicium monſtrans inhoneſtatem ac turpitudinem eius, alioqui enim voluntas non peccaret, impoſſibile eſt vt ſimul intellectus incurrat in errorem ſpeculatiuum iudicando contrarium. Satis ergo eſt, vt obiectum quod cognoſcitur turpe, ſimul iudicetur delectabile aut inſuaue, vel tale, vt ſpectata conformitate vel difformitate cum ſenſu poſſit appeti vel reſpui. Et his iudiciis circa obiectum poſitis, (quæ certe non ſunt ſpeculatiuè erronea) etiamſi omnia alia iudicia remoueantur, poteſt in voluntate eſſe peccatum, appetendo vel auerſando contra rectam rationem.

Sanè ſi quod aliud iudicium ad peccati infelicem partum exigeretur, non poſſet eſſe niſi iſtud abſolutum. *Conueniens eſt hîc & nunc, ſecundum rectam rationem operari hoc modo.* Vel iſtud comparatiuum. *Hîc & nunc, ſecundum rectam rationem conuenientius eſt operari conſentaneè ad ſenſum, quàm ad rationem.* Neutrum autem horum iudiciorum præexigitur, vt quis peccare poſſit. Imò primum, (vt dixi,) pugnat cum altero iudicio in intellectu tunc vigente, quo pronunciatur de inhoneſtate talis obiecti. Quid quòd huiuſmodi iudicium dictans obiectum turpe, eſſe honeſtum, V.G. fornicationem eſſe moraliter bonam, hæreticum eſſet? Atque ita oporteret quemcunque peccantem, incidere priùs in hæreſim, quàm peccare, quod conſtat eſſe abſurdiſſimum.

Idem dico de altero iudicio, hoc eſt de comparatiuo, quo iudicetur, obiectum turpe eſſe hîc & nunc honeſtati præferendum. Nam etiam hoc iudicium, hæreticum eſt & contradictorium illi quod reipſa tunc habetur de præſenti honeſtate actus contrarij: ſeu quòd actus contrarius eſſet honeſtus hîc & nunc, & præferendus malo actui, vtrumque expendendo ſecundùm rectam rationem. Quòd ſi intellectus tantùm iudicet actum malum eſſe bono præferendum, expendendo difficultatem & diſſonantiam cum ſenſu, nulla eſt in tali iudicio falſitas. Plerunque etiam nulla tali comparatio inter obiectum bonum & malum inſtituitur. Quemadmodùm enim cùm intellectus pronunciat de bonis inæqualibus, nihil eſt neceſſe vt comparet duo illa bona, & iudicet quòd minus eſt eſſe maiori præeligendum; vbi error ſpeculatiuus comparatiuus interueniret; ſed ſufficit ſi intellectus de vtroque illo obiecto ferat iudicium, exhibendo vtriuſque appetibilitatem in eodem genere honeſtatis. Quemadmodùm item cùm intellectus iudicat vnum ex illis bonis eſſe alteri præferendum, ſufficit vt id faciat, iunctis ex vna parte, nempe cum maiori bono difficultatibus, ob quas tale bonum hîc & nunc non videatur amplectendum; ex altera verò parte, commodis ſenſibilibus honeſtati adiunctis, aut minori difficultate, in qua tota comparatione nullus eſt error. Ita cùm obiecta diuerſi generis, nempe ex vna parte bonum ſenſibile, quod ſimul eſt moraliter malum; & bonum honeſtum ex altera parte, iudicantur appetenda, vnumquodque in ſuo ordine, nulla comparatio eſt neceſſaria: vel ſi aliquam inſtituere velimus, poſſumus eam abſque vllo errore ſpeculatiuo conſummare. Nihil igitur eſt neceſſe, vt quiuis defectus voluntatis anteuertatur per aliquem ſpeculatiuũ errorem intellectus. Imò plerunque abſque vllo tali errore, ſiue in vniuerſum, ſiue in particulari, voluntas à ſua regula auertitur, peccàtque de facto.

Germanus ſenſus iudicij practici peccato prælucentis, non inuoluit errorem ſpeculatiuum.

371. Video opponi poſſe, ante quoduis peccatũ præmitti iudicium illud practicũ, *hoc eſt faciendum.* Quod iudicium videtur eſſe ſpeculatiuè falſum, cùm conſtet nihil rectæ rationi diſſonum, eſſe faciendum. Verùm hæc obiectio eſt omninò inanis; quamuis aliqui magnam in ea vim faciant. Vt enim rectè diſtinguunt Angeſtus l. 2. de virt. c. 1. docum. 1. & Adrianus quodl. 4. quæſt. 1. ipſéque agens de actibus humanis latè diſcuſſi. plures ſunt ſenſus iudicij per verba illa expreſſi, nec vllus ſenſus in quo tale iudicium præexigatur ad peccandũ falſus eſt ſpeculatiuè. Verus autem ſenſus, ſi agatur de iudicio prælucente malæ intentioni finis, in homine Catholico nec alteri ſubdito, cuiuſmodi ſunt multi peccatores, iſte eſt: *hoc eſt præditum bonitate ſenſibili, ſufficiente ad terminandum amorem.* Si verò ſit ſermo de iudicio illo cùm dirigit electionem mediorum, ſenſus eſt iſte: *Hoc eſt idoneum & accommodatum ad talem finẽ preintentum.* At in his iudiciis, nulla admiſcetur falſitas ſpeculatiua, quamuis ex eis poſſit ſubnaſci peccatum in voluntate. Itaque nullum occurrit fundamentum idoneum, placiti affirmantis, ad habendam peccandi poteſtatem, vel etiam ad peccandum de facto, præexigi in intellectu errorem ſpeculatiuum.

Neque ignorantia ad peccatum præexigitur.

372. Quòd verò neque ignorantia præexigatur, ſiue vt peccare quis poſſit, ſiue vt de facto peccet, non minùs certum videtur, latèque probatur ab Alexandro 4 natur. cap 9. & à Porio l. an bonus quis & malus volens fiat, cap. 4. ſed breuiter autoritate ac ratione euincitur. Ariſtoteles enim 7 Eth. cap. 3. & 2. magn. Mor. cap. 6. diſertè ait, incontinentem eſſe ſcientia præditum, licet eam non exerceat. Conſtat enim multos peccare reipſa, quoad ea in quibus nullam ignorantiam patiuntur. Cuiuſmodi ſunt illi de quibus ait S. Gregorius 3. parte Paſtoral. admonit. 1. *Eorum mens, malum quod perpetrat, illuminatur vt videat, ſed non conatur vt vincat: vt quò*

melius videt, eò deteriùs pereat: quia & intelligentia lumina percipit, & actionis praua tenebras non relinquit. Nam cùm acceptam ad adiutorium ſcientiam negligunt, hanc contra ſe in teſtimonium vertunt, & de lumine intelligentiæ augent ſupplicia, quod profectò acceperant vt poſſent delere peccata. Quorum nimirum nequitia, dum malum agit quod diiudicat, venturum iudiciũ iam hîc degnſtat: vt cùm æternis ſupplicijs ſeruatur obnoxia, ſuo hîc interim examine non ſit abſoluta, tantóque illic grauiora tormenta percipiat, quantò hîc malum non deſerit, etiam quod ipſa mens condemnat. Hinc enim veritas dicit: Seruus qui cognouit voluntatem domini ſui, & non fecit ſecundùm voluntatem eius, plagis vapulabit multis. *Hinc Pſalmiſta ait:* Deſcendant in infernum viuentes. *Viui quippe, qua circa illos aguntur ſciunt, & ſentiunt: Mortui autem ſentire nihil poſſunt. Mortui ergo in infernum deſcenderent, ſi mala neſciendo perpetrarent. Cùm verò ſciant mala, & tamen faciant, ad iniquitatis infernam viuentes ſentientéſque deſcendunt.* Quo loco & 18 mor. cap. 7. & l. 26. cap. 7. aliàs 11 Gregorius, Auguſtinum imitatus videtur ad illud Pſalm. 123. *Fortè viuos deglutiſſent nos.* Et in Pſal 54. ad illud: *Deſcendant in infernum viuentes.* Quo poſteriore loco ita loquitur S Auguſtinus *Si mortuus deſcenderes, quid ageres ignorares. Cùm ergo ſcis malum eſſe quod facis, & tamen facis, nonne viuus deſcendis ad inferos?*

Perpulchrè item Dio Chryſoſtomus orat. 17. *Sicut videre licet, quòd qui ex oculis laborant, ſciant quidem ſe ſentire moleſtiam, ſi manus oculis admoueant, non velint tamen abſtinere: ſimili modo & in alijs accidit negotijs, vt multi quidem & clarè ſciant quòd non proſit quid facere, nihilominùs incidant in illud. Quis enim neſcit, incontinentiam magnum eſſe malum habentibus? Sed tamen quamplurimos inuenias incontinentes. Et per ſocordiam, ſegnitiem omnes ſciunt non ſolum non poſſe acquirere vita neceſſaria, verùm etiam acquiſita diſperdere: Tamen reuera plures inuenire eſt ſegnes, quàm qui aliquid operis facere velint. Vnde conuenit (opinor) vt qui rectiùs ſentiunt, ſemper & aſſiduè de his dicant, ſi quo modo fiat vt homines conuertantur compellantúrque ad meliora. Quemadmodùm enim in myſterijs, Sacerdos non ſemel tantum prædicat ijs qui initiantur, vnumquodque eorum quæ oportet: Eo modo, & ſermones de vtilibus rebus, tanquam ſacram prædicationem, conducit frequenter, imò ſemper haberi.* Nimirum quia ea ratione lux plenior intellectui affunditur, & intellectu plenè enubilato, faciliùs in voluntate calor concipitur: quamuis nulla eidem incubante nube ignorantiæ, poſſit vltrò ac volens rigere. Origenes homil 3. in Pſal. 36. huiuſmodi peccata ex plena mali quod admittitur, cognitione patrata, obſeruat in ſcripturis, nomine *nequitiæ aut malignitatis*, Græcè πονηρίας deſignari: & idcircò Satanam, quod non per ignorantiam mala agat, & à malo vincatur, ſed volũtate ſua ruat in malum, ait in ſcripturis, *malum*, aut *malignum*, vel *nequam*, frequenter dici. Quare apertè agnoſcit Origenes, ignorantiam nequaquam præriquiri ad quodvis morale malum, ſiue peccatum.

Abſque inconſideratione peccari poteſt.

373. At quoad inconſiderantiam, quæ eſt defectus actualis conſiderationis, aliter exiſtimo ſentiendum, ſi agatur de poteſtate peccandi, aliter verò ſi agatur de eiuſdem exercitio. Et quidem quoad poteſtatem, fateor contra Vaſq. 1.2.d.118.num.14. & contra Piccolom. gradu 2. cap. 16. quacunque conſideratione poſita, atque adeò omni incogitantia & inconſideratione ſecluſa, eſſe in poteſtate voluntatis hominis mortalis, proſequi obiectum honeſtum propoſitum, vel illud auerſari & peccare. Ita enim fert libertas voluntatis, quam falsò aſſereremus præpediri interuentu notitiæ, nitidè ac perſpicue exhibentis bonum non plenum, cuiuſmodi eſt omne bonum terminans in hac vita operationem voluntatis: Quia in tali bono nihil occurrit voluntati, quod eam ad amorem adigat, vel ab odio planè remoueat. Quandoquidem eo ipſo quòd eſt bonum non plenum, induit rationem mali; ac proinde etiam non deſtituitur ſufficienti ratione motiua odij; quod ſi contra rationis regulam eliciatur, erit peccatum, tametſi nulla ad illud inaduertentia vel inconſideratio interuenerit. Non igitur vt quis peccare poſſit, neceſſe eſt, eum aliquid ad actionem ſuam pertinens non conſiderare. Cuius verò rei eſſet ea inconſideratio ad poteſtatem peccandi neceſſaria? Non enim eſſe poteſt inconſideratio malitiæ conueſtientis obiectum, & ex eo refundendæ in actionem. Nam hæc inconſideratio, ſi eſſet inuincibilis, (qualis profectò eſſe deberet, ſi eſſet inconſideratio omnimoda, & non pendens ab interiore peccato, quo quis noluerit ſcire quæ ſcire tenebatur, iniecta non libera eorum cogitatione;) emacularet potiùs actionem, & à culpa immunem redderet. Non item eſſe poteſt inconſideratio obiecti in particulari, quod ſupponimus nullo modo latere.

Eliſa Buridani obiecta: Syllogiſmus peccantis diſcuſſus.

Hallucinantur autem Buridanus 7. Ethic. quæſt. 7. contrarium aſſerens, ac perperam etiam in eandem ſententiam allegans Ariſtotelem ibi cap. 2. & 3. & exiſtimans, vt quis peccare queat, neceſſarium eſſe deficere ei ſcientiam perfectam minoris concluſionis particularis, quæ eſt de actione ſingulari elicienda, quamuis habeat vniuerſalem ſcientiam, nec labatur circa maiorem. Imaginatur enim Buridanus, peccatorem, V. G furem. cùm ſe ad peccandum accingit, ſyllogyſmum ſtruere in intellectu, cuius maior ſit principium ſyntereſeos & rectè cognoſcatur: minor autem & concluſio, quibus ad obiectum ſingulare, & actionem circa illud eliciendam deſcenditur, vix percipiantur ab intellectu, ſed perfectoriè tantùm & valdè inconſideratè formentur Hoc modo, nulla iniuria eſt alteri inferenda; furtum eſt iniuria. Ergo non eſt vlli inferendum. Concomitanter verò alium ſyllogiſmum fabricare, cuius omnes propoſitiones exactè peruadat, & quàm attentè conſideret, hunc nimirum. Omne vtile eſt captandum: hæc aliena bona ſunt vtilia. Ergo & captanda.

Imò S. Thomas 1.2. quæſt. 77. art. 2. ad 4. videtur velle, eum qui peccat, non tantùm modicè conſiderare minorem & concluſionem primi ſyllogiſmi, ſed etiam eas nullatenus formare. Quò adducit etiam Ariſtotelem 7. Eth. cap. 3. dicentem, ſyllogiſmum incontinentis, atque adeò etiam cuiuſlibet peccantis, conſtare quatuor propoſitionibus. Nempe duabus vniuerſalibus, quarum vna poſſet fungi munere maioris, ſi ſub ea minor ſubſumeretur, & concluſio eliceretur: quod peccans prætermittit, ſub altera verò, quæ eſt vitioſa, & ducit ad mortem, ſubſumit minorem atque concludit.

374. Verùm S. Thomas benignè aliter exponi poteſt. Nimirum vt tantùm voluerit, minorem ſubſumptam, & iudicium illud particulare, quod eſt concluſum ſub vniuerſali propoſitione recta & ad ſynteresim pertinente, perinde ſe habere in intellectu peccantis, ac ſi non elicerentur, cùm non ſint regula operantis, qui maluit dirigi per oppoſitum iudicium

ex maiore vniuerſali prama & minore ſubſumpta concluſum, quo decer·itur proſecutio boni ſenſibilis, tametſi inhoneſti, & naturam rationalem dedecentis. Et poſſet etiam ſic exponi Ariſtoteles, cùm ſignificat, incontinentem ignorare in particulari quid ſit agendum, & tantùm id ſcire in vniuerſali. Aliam tamen eius expoſitionem accommodatiorem, infrà ſubiiciam.

Ipſa verò ſententia, cui in ſpeciem fauet S. Thomas, eſt prorſus falſa. Dimiſſo autem inutili argumento, quo à Maytonio ſuprà impetitur, breuiter reiicitur: quia ſi ita eſſet, vt ea ſententia imaginatur; hoc eſt, ſi is qui peccat, operaretur illa minore non ſubſumpta & concluſione non deducta ſub ea lateret illum inhoneſtas actionis ſingularis, atque ita eam exercere, vitio vacaret. Igitur tantum abeſt, vt non poſſit quis peccare niſi minorem illam & concluſionem omninò prætermittat, vt potiùs ad hoc vt peccare poſſit, neceſſarium ſit eas actu interuenire.

Quòd autem Buridanus dicebat, eas perfunctoriè tantùm & cum magna inconſideratione debere elici, vt peccatum admitti poſſit, cuius admittendi poteſtas alioqui deficere, falſum eſt. Nam quantacunque attentione & claritate in intellectu formentur, liberum erit voluntati meliora videnti, deteriora ſequi.

Obiecta ex Durando conterantur.

Sic igitur philoſophor de neceſſitate præuiæ vel concomitantis inconſiderationis, vt quis poſſit peccare. Nec argumenta ex Durando ſuperiùs adducta, neceſſitatem huius ſaltem defectus peccato præuiam euincunt. Nam quamuis verum ſit, non poſſe eſſe vitium in voluntate ſine vitio in intellectu, nimirum ſine imprudentia: Tamen habitus & actus imprudentiæ, poſſent ſi homini luberet, conſiſtere cum omnimoda conſideratione rei de qua agitur. Similiter ſecundus quilibet actus voluntatis, hoc eſt omnis ille qui non regulatur per principia moralia vniuerſaliſſima & omninò prima, non obſtante quacunque luce iudicij, poteſt præuio imprudenti iudicio obliquari, quamuis primus voluntatis actus, qui principio morali vniuerſaliſſimo reſpondet, nequeat malus eſſe, quia voluntas eſt quoad ſpeciem determinata ad bonum honeſtum. Itaque rectè conſtitutum eſt poſſe voluntatem labi, licet intellectu liquidiſſimè contuente negotium de quo agitur, omnéſque eius fibras & adiuncta peruadente.

Nemo de facto peccat abſque inconſideratione.

375. Si verò agamus de facto, (quod erat alterum membrum ſuprà propoſitum circa hunc intellectus defectum,) ſic admitto, neminem de facto vnquam peccare, qui non ſe gerat inconſideratè, minùs conſiderando quam par eſſet, actionem quam contra rationis regulam elicit, & omnia eius adiuncta. Nam ſi quis benè & attentè perpenderet peccati ſordes; & leuiſſimam ac momentaneam voluptatis guttulam, quæ inter peccandum lambenda proponitur, componeret cum dedecore, quo naturam rationalem dehoneſtat; cum iniuria, qua Deum naturæ autorem violat; cum remorſu conſcientiæ iam nunc lancinante conſcientiam, móxque etiam diſcuſſa nube paſſionis, clariùs prælucente intellectu, acerbiùs ſæuituro; ac denique cum immaniſſimis cruciatibus æternùm duraturis. Si quis, inquam, iſta vt par eſt libraret, nunquam tam fatuus eſſet, vt vellet, (etiamſi reuera velle poſſet,) pro tantula voluptate, tantis incommodis aliiſque innumeris ſubiacere. Perindéque res ſe habet in hoc negotio, ac ſi cui in prælatæ turris ſumma parte locato, aliquis pretium præcipitationis offerret paleam, vel panis micam. Nemo enim conſtante ſanitate mentis, in exitium certum ruat, vt vile illud munus tam carò mercetur; etiamſi liber ſit ad ſe deiiciendum pro aſſequendo eo munere nullus omninò momenti.

Cur pleraque nobis poßibilia nunquam exequamur.

Nimirum multa ſunt quæ quamuis facere poſſimus, eò quòd liberi ad ea ſimus, nunquam tamen facimus, quia nolumus ad actum reducere poteſtatem qua pollemus. Et interdum quidem id accidit, quia voluntas cùm ſit facultas rationalis, non vult errare, intellectu nullatenus errante, etiamſi ipſa quia libera eſt, nec inſeparabiliter regulæ ſuæ addicitur, poſſet ab ea deflectere, ſi luberet: Et ita contingit in præſenti negotio.

Aliàs verò contingit nunquam fieri quod facere poſſemus, ſi vellemus, quia voluntas pertæſa faſtidij quod ſubit in ſequendo ductu rationis, & retundendis contrariis motibus, inteſtinam rebellionem propè iugiter efficientibus, dedit ſeſe, & eius fragilitas ac ſumma imbecillitas cum infallibili lapſu coniuncta, habetur pro impotentia. Quo pacto contingit, nos plerunque labi & peccare, ſaltem leuiter, quamuis abſolutè loquendo, & agendo de poteſtate in actu primo, falſum ſit, nos non habere poteſtatem vitandi omnes peccatorum minutias, etiam collectiuè: alioqui enim non peccaremus, vt rectè Angeſtus notauit, cap. 1. mor. t. 3. concl. 2. & Vald. l. 1. doctr. art. 1. cap. 30. n. 4. aliique alibi adducti: fruſtrà ſudantibus quibuſdam, cum phyſica ad non peccandum impotentia omnimoda, libertatem ad omnia illa peccata retinere, vt ſuo loco oſtenſum eſt.

Alias denique nunquam efficimus quod efficere debemus ac poſſumus, quia voluntas obiecti congruè propoſiti lenocinio pellecta, infallibiliter, tametſi non ineluctabiliter ab eo trahitur. Quo pacto gratia efficax, quamuis tangente Deo per illam cor hominis, poſſit abiici, vt Concilium Tridentinum definit; tamen infallibile eſt quòd nunquam abiicitur. Quia tametſi homo vitalem illum ſaporem, (ſic efficacem gratiam appellat Ennodius Epiſt. ad Conſtantium,) poſſet reſpuere, nunquam tamen id vult: eò quòd illuminatio præuia tam aptè intellectui ſe ingerat, & motio concomitans, ſiue benedictio dulcedinis, aut diuina benignitas & ſuauitas terræ noſtræ data, voluntatem tam blandè demulceat, vt voluntas ſalubriter & infallibiliter eligat ſequi gratiæ ductum. E contrà autem gratia ſufficiens, quæ illuminatione & motione non congrua continetur, quamuis poſſet in actum prodire, ſi voluntati luberet; (alioqui enim ſufficiens non eſſet;) tamen quandiu non eſt voluntati contemperata, nunquam ſortitur effectum, quia nunquam placet voluntati vt ſortiatur.

Vnum eorum eſt, peccare abſque inconſideratione, iuxta Philoſophos.

376. Inter hæc ergo, quæ poſſumus & nunquam facimus, numerandum eſt id de quo agimus; nempe peccatum, ſecluſa quauis inconſideratione admiſſum. Nunquam enim quis peccaret, ſi rectè expenderet momenta rationum à peccato auertentium. Nunquam inquam: Nam non placet quod Suares d. 19. Met. ſ. 7. num. 10. & 11. ac Leſſ. l. de Prud. cap. 2. n. 17. & 19. concedunt, moraliter quidem ſiue regulariter ac vt plurimùm, & ferè ſemper ita fieri, vt diximus,

non tamen ſemper. Nos autem iuxta ſupradicta contendimus ſemper ita contingere de facto, quamuis abſolutè ſemper poſſit aliter fieri.

In hunc porrò ſenſum accipiendi ſunt Ariſtoteles aliique Philoſophi, quoties negant incontinentem, & quemcunque à rationis regula deuiantem, cognoſcere, ſaltem in particulari, aiúntque omnem peccantem eſſe ignorantem. Sic 3 Eth. cap. 1. *Vnuſquiſque prauus*, inquit, *quid agendum, a quibuſque abſtinendum ſit, ignorat, óbque huiuſmodi errorem, iniuſti & omninò mali homines efficiuntur.* Sic Epictetus apud Arrianum l. 1. cap. 18. ex hac ignorantia & errore fures & quoſvis peccantes excuſat. *Enim verò*, inquit, *compluribus iraſcimur. Fures, inquiunt, ſunt & clàm veſtimenta ſuffurantur. Sed quid tandem ſibi vult, dum ſic inuehitur in illos? Errore quodam falluntur in bonis ac malis diiudicandis. Num ergo iraſci illis conueniet magis, an verò miſereri? At errorem oſtende. Cõſideris porrò qui poſſunt deſiſtere a peccato, quum nihil vident, aut aliquid eminentius habent eo quod ipſis videatur. Quare hunc prædonem, illúmque adulterum pœnam dare ſibi non oportebat? Nequaquam. Ac multò magis hunc qui oberrat, & decipitur in rebus maximis, quique non oculis, quibus diſcernuntur alba à nigris, ſit captus, ſed animo, cuius eſt boni malique diſcretio. Ita ſi ſentias, quam inhumanum ſit quod dicis, agnoſces, haud perinde iſtud dici cognoſcis à me, atque ſi quis non peracre cæcum aut ſurdum ſuadeat.* Idem pulcherrimè iterat c. 28.

Hoc ſenſu, omnis peccans, eſt ignorans iuxta Ariſtotelem.

377. Quòd autem aliqui, Ariſtotelem vnáque cæteros Philoſophos, affirmantes omnem peccantem eſſe ignorantem, interpretabantur de vera ignoratione obiecti ſingularis, iam reiectum eſt. Quòd item alij, inter quos Val. 1. 2. d 6 q. 8. p 1. & Suares 7. de Angel. cap 6. numer. 32. ignorantiam illam, quam Philoſophi in quouis peccante agnoſcunt, intelligunt de iudicio imprudente, cuius culpæ prætio, ſatisfacere non poteſt. Neque enim reuera notari debet ignorantiæ, actus exhibens obiectum ſicut eſt in ſe, & nullam expellens ſcientiam. Reſtat igitur, vt deueniatur ad eam quam dixi inconſiderationem: Quæ meritò dici poteſt ignorantia, quia expellit ſcientiam, qua poſita ſequeretur voluntatis retractio à ſcelere. Vnde qui eſt ita inconſideratus rectè poteſt appellari ignorans. Et quia omnis peccans eſt de facto inconſideratus præterea rectè ad hunc ſenſum in vulgari effato aſſeritur, omnem peccantem eſſe ignorantem.

Hanc eſſe germanam Philoſophi mentem, aliquot eius locis manifeſtum fiet. In primis autem ex 7. Eth. c. 3. vbi ex profeſſo diſputat, an incontinens, (& idem eſt de quouis peccante,) agat ſciens, an neſciens: præmittitque aliud eſſe ſcire duntaxat habitualiter, aliud ſcire actu, & partam ſcientiam exercere. Præterea præmittit propoſitionum ſub ſcientiam cadentium, alias eſſe vniuerſales, alias ſingulares. Hoc eſt, quod verbis illis complexus eſt Ariſtoteles, cùm ad dubitationis propoſitæ enodationem ſe accingit. *Quoniam duobus modis ſcire dicimur; (tam enim ſcire dicitur qui habet ſcientiam, & ea non vtitur, quàm qui vtitur:) differentia erit, ſi quis agat ea quæ non debet, dum habet quidem ſcientiam, ſed non contemplatur; & dum habet, & contemplatur: Hoc enim videtur abſurdum; ſed non, dum non contemplatur. Præterea cum duo propoſitionum modi ſint, nihil vetat quominus qui vtraſque habet, præter ſcientiam agat, dum vniuerſali vtitur, & non particulari: particularia enim ea ſunt, quæ in actionem veniunt. Diuerſum autem eſt vniuerſale: alterum enim in ipſo, alterum in re eſt: vt omni homini ſicca conferre, & in ipſum eſſe hominem; vel ſiccum eſſe quod huiuſmodi eſt: an verò hoc huiuſmodi ſit, aut non habet, aut non operatur.*

378. Ex his Ariſtoteles dubium propoſitum enodat, conceditque, vniuerſalem cognitionem illiciti, reperiri in quouis peccante, non tamen ſingularem, quatenus in particulari non diſpicit, nec attentè expendit, quid aggrediatur: quia quamuis huius quoque ſingularis ſcientiam habeat habitualem, eam tamen non expromit: Non quòd prorſus non attingat obiectum prout ſingulare, ſed quòd leniter tantùm, ac non ſit cute tenus, vt ſic dicam. Quod perinde ferè eſt, ac ſi notitiam nullomodo interueniret. Hæc eſt Philoſophi reſolutio verbis illis comprehenſa, c. illo 3. [Dum ſcientiam quis habet, ea non vtitur diuerſum eſſe habitum videmus, vt & habere quodammodò & non habere videatur, cuiuſmodi eſt qui dormit, qui furit, qui ſomno oppreſſus eſt. Ita autem affecti ſunt etiam illi qui in perturbationibus ſunt conſtituti. Iræ enim, & venereorum cupiditates, nonnulláque eiuſmodi corpus etiam manifeſtè immutat, quoſdámque in furores inducunt, vt pateat ſimili modo affectos incontinentes dici oportere. Quod autem verba ex ſcientia dicant, id argumentum nullum eſt. Qui enim ſunt in his affectibus conſtituti demonſtrationes, & carmina Empedoclis dicunt. Qui item primùm didicerunt, connectunt quidem verba, nondum tamen ſciunt. Cognatum enim ac coalitum eſſe oportet; ad quod tempore opus eſt. Quocirca eos qui incontinenter agunt, ita dicere exiſtimandum eſt, vt illi faciunt, qui hiſtrionis munere funguntur.] Qui ſcilicet multas illuſtres ſententias proferunt, dum recitant carmina ab aliis compoſita, quas non ſatis intelligunt, etiamſi verbo tenus eas promant, nec ferè niſi per conceptos medios in eas ferantur per mentem.

Concludit idem caput Ariſtoteles verbis illis in hâc rem inſignibus. *Quoniam autem vltima propoſitio eſt expoſitio ſenſus rei opinio, actionúmque domina eſt: hanc vel non habet qui in affectu eſt conſtitutus; vel ita habet, vt non tamen eo quòd habet cum liceat ſcire, ſed dicere duntaxat, non ſecus ac vino oppreſſus Empedoclis carmina. Propterea item quòd vltimus terminus non eſt vniuerſalis, neque ita vniuerſalis ſcientiam efficere videtur. Atque id quod quærebat Socrates, videtur contingere. Non enim affectus exiſtit præſente ea quæ videtur propria eſſe ſcientia; quippe quæ neque ipſa ex affectu diſtrahatur: ſed præſente ea quæ ſenſitiua eſt.* Poſtrema verba quæ nonnihil difficultatis habent, hunc ſẽſum faciunt. Vltimus terminus diſcurſus mentalis, ſiue vltima & ſingularis propoſitio, qua quis rectam operationem indiceret, non elicitur ab incontinente cum ea claritate & attentione qua par eſſet fieri ad auertendum à peccato: Et ex ea parte, qui in incontinentiam prolabitur, eſt ignarus, carétque ſcientia. Itaque non malè Socrates affirmans incontinentem non habere ſcientiam, nec peccaturum, ſi ſciret quid agit, vt 7. Eth. cap. 2. refertur: Non malè inquam Socrates, (vt ait his poſtremis verbis Ariſtoteles,) exponi poteſt de tali ſingulari ſcientia oblæſa, & fere ad ſenſum pertinente, quia ſingularis eſt. Extat eodem lib. c. 10 aliter inſignis locus, quo Philoſophus incontinentem ab intemperante ſeiungit, quòd incontinens non ſit planè improbus, ſed velut ſemiimprobus; quia enim ſciens peccat, improbus dici poteſt: at quia ex inconſideratione magna & iudicio ſemiſopito, propterea non eſt omninò prauus: ſed rectè conferri poteſt cum ſea ciuitate, quæ cùm optimas leges habeat, in vſum tamen eas non reuocat. Ita

enim

enim incontinens ſit quidē abſtinendum eſſe actione praua; quia tamen id non niſi perfunctoriè cogitat, abripitur æſtu concupiſcentiæ.

Præterea illuſtriſſimè in hanc rem Ariſtoteles 2. mag. moral. capit. 7. reſpondens dubitationi in ſuperioribus quoque capitibus Ethicorum Nicomachiorum agitatæ, nimirùm an incontinens ſciat cùm operatur; reſpondet habere ſcientiam, ſicut dormientes aut ebrij, in quibus ſepultum eſt ratiocinium: non quòd prorſus neſciant, ſed quòd valdè imperfectè ſciant. Item habere ſcientiam expeditam & plenam in vniuerſum, non tamen in hac particulari materia, in quam obnubilante animum perturbatione admodum confusè & tenuiter fertur. *Incontinens*, inquit, *eſt qui honeſtorum tenet ſcientiam, ſed eam non exercet. Cùm igitur hac non exercebitur ſcientia, nihil eueniet alienum committere flagitium, ipſum qui teneat ſcientiam. Eſt enim quemadmodum in dormientibus. Iſti ſiquidem cùm habeant ſcientiam, multa tamen in ſomnis moleſta & perpetrant, & perpetiuntur: neque enim ſcientia tum exercetur. Idem eſt de incontinente. Euenit ſiquidem, vt dormienti, non exercere ſcientiam.* Et mox. *Contigerit incontinentem in vniuerſum habere ſcientiam, vt talia ſunt improba & pernicioſa: nec tamen hac ipſa particulatim noſce impro[b]a. Proinde ita habendo ſcientiam, aberrabit: quandoquidem in vniuerſum habet, non etiam particulariter. Non itaque hoc modo fuerit alienum, vt incontinens habendo ſcientiam, mali aliquid agat. Eſt enim ſicut in ebrius, à quibus cùm exceſſit ebrietas, & ad ſeſe redierunt, non excidit ipſis ratio, nec quidem ſcientia, quæ ſub ebrietate deliteerat, fueràtque proſtrata: deinde ab ebrietate immunis rurſus fit qui priùs erat. Ita habet incontinens. Perturbatio enim obtinendo, ratiocinium ſepelit. Cùm verò à perturbatione fuerit liberatus, vt qui ebrius, rurſus in ſeſe redit.*

Alij Philoſophi ad eam mentem.

379. Eadem Senecæ Epicteto, cæteriſque Philoſophis ſententia in hac parte. Idcircò enim Seneca epiſt. 31. bonum definit rerum ſcientiam; malum, rerum imperitiam. Alio loco, hoc ipſo ſenſu, virtutem & veritatem, vnum & idem eſſe ait, iuxta Socratem & Stoïcos, qui item *doctos rudéſque* pro *bonis & malis*. appellabant Cebes Stobanus in tabula. impoſturam mortales omnes ſeducentem depingit mulieris ſpecie, ficto vultu argutáque ſpecie, & manu tenentem poculum quo mortalibus omnibus, errorem & ignorantiam propinabat, vnde malorum omnium moralium examina exiſtere conſequenter docet. Epictetus l. apud Arrian. 1. cap. 22 grauiter hortatur, vt bonum, quod contra rationem expetendam proponitur, inferatur in trutinam rectæ rationis, certus non ſecuturam defectionem à recto, ſi trutina fallax non fuerit. Sic autem concludit longam diſputationem de inuentione regulæ rationis. quæ ſit reſpectu actionum moralium, quod ſtatera penſitandis ponderibus, & quod perpendiculum atque amuſſis, rectis diſtortis internoſcendis. [Vt ſit res magis perſpicua, à notis & illuſtribus exemplis, initium faciamus, atque vſum prænotionum adhibeamus minimè confuſum in rebus ſingulis. Quid ei rei, de qua quærimus, ac menſuræ ſubiicitur? Voluptas. Ei adhibe regulam, impone in ſtateram. Nónne bonum eſt appellandum, cui ſit conſiderandum? Quidni? Num ſtabile quiddam eſt voluptas? Non. Tolle igitur, & reiice ex lance, atque ex numero bonorum ac ſede, procul repelle. Quod ſi cæcutias, & quæ in te eſt ſtatera ad penſitandum non ſufficit, adhibeto aliud quiddam. In bonis gloriarine licet? Vtique. Præſentibus voluptatibus éſtne qui poſſit gloriari? Vide ne dixeris conuenire. Quòd ſi annuas, ne trutina quidem dignum te arbitrabor. Sic iudicantur res, & appenduntur conſtitutis regulis: atque idipſum eſt Philoſophum agere. *Et eodem lib. cap.* 14. Nihil prætereà habeo quod tecum loquar, quàm eum qui non intelligat quis ipſe ſit, nec cuius rei gratia natus ſit, ne qua parte locatus ſit in hoc mundo aut quibuſcum communicet: Item qua bona ſint, aut mala honeſta, & turpia: Neque etiam rationes colligentem, aut demonſtrationum gnarum: Nec item animaduertentem quid verum, aut falſum: Nec valentem iſta diiudicare; idoneum non eſſe, vt poſſit appetere quæ ſint appetenda ſecundùm naturam, nec declinare, nec ſtudiosè aliquid capeſſere, nec prudentiam adhibere, nec provt decet aſſentiri: nec porrò recuſaturum etiam, nec toleraturum ea quæ oportet, ſed penitus cæcum ac ſurdum obambulaturum; ita vt videatur ſibi aliquid eſſe, dum tamen ſit nihil. Ac primum nónne res ſic eſt comparata? Nónne ex quo genus cœpit eſſe humanum, ex eo tempore omnia peccata & omnes miſeriæ propter hanc ignorantiam prouenerunt?]

Paſſim item alij Stoïci, prauos inſaniæ damnant, idque inter eorum placita numerat Stobæus in Eclogis Eth. capit 4. verbis illis. *Improbos quoque omnes aiunt inſanire, ſe pariter ac ſua ignorantes, id quod eſt inſania. Ignorantiam autem Temperantiæ oppoſitam, & inconſultas atque attonitas reddentem appetitiones, inſaniam eſſe. Ideóque inſaniam definiunt ignorantiam attonitam.* Non aliò autem pertinet hæc ſtultitiæ & inſaniæ damnatio, quàm ad hanc leuem, & propè nullam honeſtatis & motiuorum ad eam inducentium expenſionem; cui tamen tantoperè intereſſet inſiſtere.

380. Facit etiam ad hanc rem quod Simplicius ad c. 4. Enchir. obſeruauit, circa verbum, *Memento*, quod Epictetus Lectori ſuo ſæpè obtrudit. *Eſt*, inquit Simplicius *obſeruatione dignum, cur Epictetus deinceps crebro vtatur verbo*, Memento, *quo rationis compotem animum compellat, qui rationes rerum ſemper coniunctas ſecum habet, earúmque innatam veritatem: ſed aliquando velut deficiente acie, ob diſtractionem natalitia eius facultatis, in obliuionem ruit, quæ ipſi malorum omnium cauſa eſt: Ideóque flagitat, vt* Memento *crebrò ei inculcetur.*

Hinc item rationem ducit Dio Chyſoſtomus orat. 17. cur perutile ſit de rebus moralibus cognitis ac perſpectis ſermonem inſtituere eáque inculcare quæ non lateant. Nimirum ea inculcatione efficitur vt attendāt ad id quod ante perfunctoriè tantùm conſiderabant. Itaque quæ eſt pulchra eiuſdem comparatio, *quemadmodum & Medicos & naucleros videmus ſæpè eadem præcipere, non eo quòd non primùm audierint, ij quibus iubent; ſed quod eos negligere, animúmque non attendere videant: ita & in vita vtile eſt, ſæpè eidem de rebus dicere, quòd multò quidem ſciant quid conueniat, ſed non faciant.* Ea autem boni moniti & ſalubris doctrinæ inculcatio, depellit incogitantiam, & à lapſu reuocat.

Nimirum, vt capite paulò antè allegato præmiſerat Simplicius, hæc eſt peccatorum origo, non perſpicere, id eſt tenuiter & languidè perſpicere quod agendum ſuſcipitur, ſubdítque c. 10. hunc eſſe voluntatis pædagogum, quo munus ſuum rectè implente, nunquam peccatum admittitur. Eadem Platoni ſententia 9. de leg. & in Timæo, ac Protagora. Triſmegiſto item c. 8. Aſclepij, & cap. 7 Pimandri. Denique vt Poëtam, imò naturalem Theologum antiquiſſimū proferam, eadem eſt Orphei ſententia in proœmio carminis de lapidibus, cùm mortales queritur ad diuinum ſplendorem ipſis illucentem vltrò cæcutire, &

nubem atram præcordiis ipſorum vndique circumpoſitam, hoc eſt boni inconſiderationem, obſtare, quominùs in floridum ac ſertigerum, (vt ipſe loquitur,) virtutis pratum progrediantur.

Patres in eandem ſententiam

381. Eandem quæ Ariſtoteli & Philoſophis ac Ethnicis hactenus recenſitis inſedit, noſtris quoque Doctoribus ſtetiſſe ſententiam exiſtimandum eſt, quoties peccantem inſimularunt cæcitatis aut defectus rationis, vel cognitionis. Quò ſpectant quod Clemens Alex. circa Græcum peccati nomen, & defectum rationis in peccante obſeruat 2. pædag. cap. vlt. *Quod eſt ſupremum omnium,* inquit, *ipſam philoſophiam definiunt, Studium rectæ rationis, adeo vt ſit neceſſariò delictum, quicquid fit propter errorem rationis, & meritò Græcè vocetur* ἁμάρτημα*; hoc eſt, erratum, quod etiam peccatum ſignificat. Iam enim quando primus homo peccauit, & Deo non obediit;* Et iumentis inquit, aſſimilatus eſt homo. *Qui præter rationem aberraſſet, meritò rationis expers exiſtimatus, comparatur iumentis. Hinc etiam dicit Sapientia:* Equus ad coïtum, libidinoſus & adulter, *irrationali iumento aſſimilatus. Et ideò ſubiungit:* Quocunque ſuper eum ſedente hinnit. *Non amplius, inquit, homo loquitur. Non eſt enim amplius particeps rationis, qui peccat præter rationem. Eſt autem expers rationis, bellua dedita cupiditatibus, cui omnes voluptates inſident*

Eleganter S. Ambroſius l. de Abrah. cap. 4. exponens dolorem qui ex infixo peccati aculeo ſentitur, non in ipſo feruore peccandi, ſed cùm ille æſtus reſederit, ſic habet. [Cùm animam improbam virtutis intrauerit ſermo, redarguit eam culpæ, erroriſque pudore afficit, & prolapſionis torquet dolore. Namque dum in quadam ſumus delinquendi libidine, nebulis quibuſdam inſipientiæ mens obducitur, & fumo quodam iniquitatis, oculi eius caligantur, ne videat eorũ quæ concupiſcit deformitatẽ. Sed cùm omnis nebula tranſierit, & ſapientiæ fulgor fulſerit. grauia tormenta exercentur in quodam malè conſcij ſecretario. Itaque grauior noſtra mens iudex eſt, conſcientiæ reatu & iudicio pœnitentiæ.] Nec abſimilla Cyrillus hom. 6. Paſch. inueſtigans cauſam indirectæ quondam circuncisionis.

Baſilius inſigniter homil. in Pſal. 37. vbi omne peccatum per ſtultitiam fieri demonſtrat, imitatus, vel etiam exſcribens Origenem in ea eiuſdem Pſalmi verba: *A facie inſipientiæ meæ.* Id quod etiam circa eadem verba expendit S. Chryſoſtomus homil. 4. in Ioan. *Nihil*, inquit, *tam ſtultos homines facit, quàm malitia. Fraudulentus enim, perfidus, ingratus (hæ nanque malitiæ ſpecies ſunt) cùm non lædentem lædit, cùm nectit dolos cùm beneficiorum obliuiſcitur, nónne ſummæ præ ſe fert ſtultitiæ indicium? Nihil ſapientiores reddit quã virtus. Etenim gratos, benignos, mites, humanos, ſuetos lenes, cæteris virtutibus præditos efficit. Quid ita affectis prudentius? Fons, mater, radix ſapientiæ virtus, non ſecùs ac malitia omnis ex ſtultitia oritur, Siquidem ſuperbus & iracundus. quoniam ſapientia carent, his affectibus adſumuntur. Ideò inquit Propheta.* Non eſt ſanitas in carne mea à facie inſipientiæ meæ: *vt omne peccatum è ſtultitia ortum habere demonſtret. Nam qui virtuti ſtudet, qui Deum timet, is ſapientiſſimus eſt.* Initium, *inquit* ſapientiæ, timor Domini. *Quod ſi ita eſt, malus qui Dei timorem non habet, ſine dubio non eſt ſapiens. Qui hac vero caret ſapientia, ſtultiſſimus eſt.* Stultitiæ item, malum quemlibet damnat Saluianus, extremo lib. 5. de prouid. refértque ex quodam antiquiore. *Legi*, inquit, *quondam in quodam loco. Nemo malus, niſi ſtultus, ſi enim ſaperet, bonus eſſe mallet*

Matrem & radicem peccati cuiuſvis, ignorantiam nominat Clemens Rom. 5. recog. ferè initio, & inde monſtrat quanto ſtudio, & cura incumbendum ſit in ignorantiæ depulſionem & parandam ſcientiam.

Autor commentariorum in Iob Origeni malè adſcriptorum lib. 3. in fine, ad illud *dies ille ſit in tenebris* ait hoc dici de die in quo peccatum admittitur incentore Satana, & addit: *Nam & verè niſi primùm obſcurauerit Diabolus corda hominum, niſi primùm infuſcauerit animas eorum, niſi prius obliuionem dederit timoris Dei atque terribilium iudiciorum eius non vtique valebit vnquam peccatorum ſemen ſeminare in cordibus eorum. Poſtquam verò obſcurauerit animam & à Deo auerterit, tunc ad omnia mala ad infidelitatem atque ad omnia carnis deſideria, tanquam eos qui in tenebris ſunt, facilè conuertit. Iſtis ergo talibus efficitur dies illa. hoc eſt dies natiuitatis, dies tenebrarum.*

Philo l quis rerum diuinarum hæres, ad illud, *Qui egredietur ex ſe*, hanc eſſe ait magnæ partis hominum cæcitatem. *Suſpice vt arguas cæcum vulgus hominum, quod cùm ſibi videatur cernere, orbatum eſt luminibus, niſi fortè non eſt orbum, dum mala bonis antefert, iuſtis iniuſta perturbationes tranquillati animi, immortalibus mortalia repulsiſque monitoribus ac caſtigatoribus cum ſuis præceptis atque monitis, adulatores admittit, & ſermones inuitantes ad voluptatem, otium, ignorantiam, atque delicias Ergo ſolus bonus videt, Quamobrem, & Prophetas priſci nominabant videntes.* Idem lib. de Temul. Prudentiam animæ ſanitatem; imprudentiam, animæ morbum nominat, eo ſenſu quòd quandiu perſtat Prudentia, conſtat voluntati ſua ſanitas, & à peccato animi vero morbo immunitas. Elegantiſſimè Card. Viger. in Decach. chorda 7. c. 11 a quod Pilatus, percuntatus quid eſt veritas, interpellante vxore reſponſum de veritate non expectarit. aptat ad rationem præ tribunali ſedentem inter turbatum ab vxore id eſt ab appetitu faſcinante vt eſt etiam apud S. Hieronimum in illud malach. 2. *cuſtodite ergo ſpiritum veſtrum.*

Scriptura ad idem inſtitatem, obiter tacta, déque peccantis faſcino.

382. In eundem denique ſenſum accipio quod in Scripturis legitur de errore & faſcinatione peccantium. Sic enim Prouerb. 14. dicitur: *Errant qui operantur malum.* Niſi ſi placeat poſt Scotum approbante Gabriele in 3. d. 36. q. vnica, *litera X*, locum illum accipere de errore morum, quo quis à via iuſtitiæ exorbitat. Et poſſet etiam de errore practico, ſiue de iudicio imprudente practicè falſo cuius prauæ volitioni præuio accipi. Expoſitio tamen, quam propoſui non eſt minùs commoda.

Sed pulcherrimè Sap. 4. dicitur, *faſcinationem nugacitatis obſcurare bona*, & hanc eſſe ruinæ cauſam peccantibus. Quid autem ſit ea faſcinatio obſcurans bona, eleganter expreſſit Philo lib. de non recipienda in ærarium mercede meretricis. deſcribens virtutem, magicas voluptatis præſtigias diſpellentem. Et omninò benè homo Ethnicus, ſenſis plerumque Chriſtianus, cuius eſt opus de diuina ſapientia ſecundùm Ægyptios. Cùm enim l. 6. c. 1. 3. & 2. ſæpè dixiſſet faſcinari hominem à bonitate ſenſibilium: eum tamen qui ad rationis normam inſtituerit vitam, à faſcinatione immunem degere, ſubdit c. 5. *Nos quidem dicimus, virum contemplationi deditum, rectè vitam inſtituentem, ſi ad alia non transfertur, nihil faſcinationis pati: quoniam talem ſe conſeruat, vt vero bono perfruatur: atque in hoc ſolum incumbit, non declinans ad ea quæ terrena ſunt, ſed cogitatione defixus in mundum, qui ſola intelligentia percipitur, huius vitam perpetuam expetens,*

expetens, atque in eadem imitanda laborant. Qui vero in ea quæ mala ſunt, ignoratione quadam incidit, hæc bona eſſe arbitratur, in eiſque perſeueret, ad quæ pertrahitur, hic à natura faſcinatus eſt, falſa pulchritudinis ſpecie. Quoniam ea quæ terrena ſunt, pulchra eſſe veréque bona arbitratur, atque idcircò eadem vehementer concupiſcit. Itaque id expetens vt bonum, quod reuerà non eſt, ea appetitionis parte quæ cum ſenſu coniungitur, faſcinatus, ad rem inuoluntariam trahitur. Sic enim faſcinati amor fixus eſt. At qui non trahitur ad ea quæ terrena ſunt, nec illa vt pulchra aut bona ſequitur, is in faſcinationem non incidit. Siquidem æternum bonum contemplatur, idémque expetit & obſeruat, séque ipſe intuetur. Quare hac mentis eleuatione ſupra hæc inferiora excitatus, omnem faſcinationem à ſe repellit.

Concluditur defectum intellectus in peccante non excludere malitiæ notitiam, & cuiuſmodi hanc eſſe oporteat.

383. Habemus ergo quod primò probandum ſuſceperamus. Nempe eam ignorantiam quam Philoſophus in quouis peccante agnoſcit, non excludere notitiam malitiæ formali cùm exercetur prælucentem, Nunc pergo ad illud quod præterea circa eam notitiam propoſueram. Aſſerebam enim, notitiam illam quæ neceſſariò interuenire debet ad malitiæ cuiuſvis exortum, debere eſſe, cùm eius quod fit, éſtque malitiæ ſubiectum; tum etiam ipſius malitiæ. Senſus eſt, non ſufficere ad malitiam contrahendam, vt obiectum fundamentaliter rationi diſconueniens, proponatur voluntati tanquam bonum ſenſibile, ſed neceſſe inſuper eſſe, vt obiiciatur ſub eo reſpectu diſconuenientiæ. Ita vt homo non tantùm agnoſcat, ſe operari vel omittere, ſed etiam ſic operãdo aut omittendo peccaturum: alioqui enim erit innoxius, nec vllam actui ſuo formalem malitiam conciliabit, quamuis interuenit obiectiua Ita Autores allegati q. 1. de morali. art 6. vbi etiam ratio huius veritatis adducta eſt. Oſtendimus enim eo loco, moralitatem non poſſe exiſtere niſi per voluntatem liberam, non phyſicè tantùm, ſed etiam moraliter. Atqui de ratione libertatis moralis, eſt notitia conuenientiæ aut diſconuenientiæ cum recta ratione Ergo ſicut ad cauſandam honeſtatem formalem exigitur notitia conuenientiæ, ita etiam ad cauſandam turpitudinem exigitur notitia diſconuenientiæ. Vtraque propoſitio eo loco ſufficienter expoſita & ſtabilita eſt. Itaque nihil eſt neceſſe, vltrà hærere in re perſpicua.

Sanè natura duce omnibus compertum eſt, non eſſe culpæ locum, vbi deeſt facti ſimul & malitiæ, aut ſaltem malitiæ prænotio. *Quid eſt iniquius*, ait Seneca 6. de benef. c. 9. *homine, qui eum odit, à quo in turba calcatus, aut reſperſus, aut quò nollet impulſus eſt? At quid eſt aliud quod illum querela eximat, cùm in re ſit iniuria, quam neſciſſe quid faceret?* Idcircò etiam, vt Ariſtoteles quoque notauit 3. Eth. cap. 1. omnes qui aliquid obiectiuè malum admiſerunt, excuſant ignorationem, quam ſi probent, habentur innoxij.

Ignorancia inuincibilis excludit malitiam.

Hinc nemine ferè refragante colligitur ignorantiam antecedentem inuincibilem ſiue ſit facti ſiue iuris, excludere ab opere alioqui malo, quod fortè patratur, malitiam quamcunque, quà ex parte in illud cadit. Nam ſi ſit ignorantia facti, reddit actum qui exercetur, omninò inuoluntarium: ac proinde malitiæ expertem, vt diſertè tradit Abimelech Gen. 20. approbante ibidem Deo. Et ratio eſt euidens, quia formalis malitia ſuppònit rationem liberi, ac multò magis voluntarij, quæ rationes excluduntur interuentu ignorantiæ. Hoc illuſtriſſimè planè tradit Philo l. quod Deus immutabilis, exponens legem quandam Moſaïcam circa lepram, quem morbum eſſe malitiæ ſymbolum, in confeſſo eſt *Extat*, inquit, *lex noua & a vulgo recepta opinione, diuerſiſſima, quæ ex parte leproſum, pronunciat impurum, cum verò qui à capite ad pedes vſque lepra occupatus eſt, purum eſſe ait. Quilibet enim opinor, probabiliter conſectans, diceret contrarium lepram quæ vltra paruam aliquam corporis partem non diffunditur, minùs impuram; per totum verò diffuſam, impuriorem videri. Equidem puto per iſta ſignificari id quod eſt veriſſimum, quòd iniquitates inuoluntaria vel maxima, abſoluuntur, nec inquinant, cùm graui accuſatore careant conſcientia Voluntaria: verò etiamſi non latè pateant, tamen pro animæ tribunali conuicta inſanabiles, polluta impuraque iudicantur. Ergo duplex & duobus coloribus variata lepra, voluntarium vitium ſignificat. Cùm enim anima in ſe ſanam, vitalem rectámque rationem habeat, non vtitur eius gubernatione ad bonorum ſuorum conſeruationem, ſed permittens ſeipſam imperitiis nauigandi, totam vitæ nauim, quæ in ſerenitate tranquillitatéque ſeruari poterat, ſubuerſam demergit pelago Cùm autem vno colore albicat, mutationem præ ſe fert inuoluntariam, quando mens in totum ratione priuata, ne ſcintillâ quidem intellectus reliquâ tanquam in tenebroſa denſáque caligine non cernit quid agendum ſit, ſed more cæcorum paſſim offenſant, lapſus alios poſt alios inuita dolénſque ſuſtinet*

384. Iuuat id illuſtrare nonnullis exemplis, vt veritas tanti momenti apertior fiat. Sic Dæmonis ſub Crucifixi ſpecie adoratio, per inuincibilem ignorantiam quòd eſſet Dæmon, (quam ſuo tempore contigiſſe narrat Gulielmus Pariſ. l. de leg. c. 21.) vacauit labe idololatriæ, atque peccati cuiuſcunque, vt benè HolKot in conferentiis, art. 5. *litera O*, & Vaſq. l. 3. de adorat. diſp. 1. c. 5. malè reclamante Sibyllano decade 3. c. 2. q 5. Sic Æſchylus cùm ob vulgata Cereris myſteria, lapidibus à populo appetitus primùm; tum è Bacchi ara, ad quam confugerat, in iudicium vocatus eſſet indubiè damnandus? diſcrimen præſentiſſimum euaſit, iurans ſe neſciſſe, ea quæ vulgauerat eſſe arcana Cereris: Siue vt Clemens Alex. 2. Strom. c. 6. id refert, eodémque reuoluitur, iurans ſe non fuiſſe initiatum myſteriis, atque adeò neſcire potuiſſe ea myſteria. Rem plenè ex Heraclide Pontico narrat Euſtratius ad caput Ariſtotelis citatum, quo id obiter tantùm attingitur, & plura inſuper exempla in rem noſtram proferuntur, quibus Ariſtoteles confirmat, ignoratione malitiæ effici, vt malitia ſit inuoluntaria, quod eſt exortum eius præcludere.

Attingo breuiter alia quædam illuſtriora. Sic Adraſtus cùm in venatione emiſſo in aprum ſpiculo Atyn Crœſi filium intercepiſſet, occidiſſétque; quia nolens necauit, doluítque ſummoperè re comperta, innocens apud Crœſum habitus eſt. Sic etiam Deianira tunica Centauri ſanguine illita Herculem abalienatum, ad ſe (vt putabat,) reuocatura, interfecit innoxia, vt Hyllus apud Sophoclem frementi Herculi perſuadet. Et apud eundem Oedipus in Colono, non aliter excuſat parricidium & inceſtum, quàm huiuſmodi ignorantia antecedente cauſatiua operis. Item apud Plutarchum q. 37. Græcanica, Pœmenander Leucippum filium imprudens, ac proinde abſque parricidij ſcelere, grandi ſaxo interemit, volens ferire Polycritum. Apud Ariſtotelem 1. magn. Moral. c. 15. Areopagitarum calculis abſoluta eſt mulier, quæ marito mortem conſciuerat, poculum ei venenatum porrigens, cùm putaret amatorium duntaxat poculum eſſe. Denique oraculum Apollinis, quo vniuerſa hæc

doctrina confirmatur, refertur à Simplicio ad c. 39. Enchir. Epicteti. *Cum duo quidam*, inquit, *in latrones incidiſſent, alter coniecto in latrones iaculo, eo fruſtratus, amicum percuſſit, & interemit. Profectus igitur ad oraculum, adem vt cæde amici pollutus, ingredi non fuit auſus: Deus autem hos verſus edidit.*

Te cruor haud maculat: nunc purior atque fuiſtis
Eſt occiſus enim tibi, dum defendis, amicus.

Subdit Simplicius. *Si igitur cæde amici non modò non pollutus eſt, ſed purior etiam factus quàm fuerat, ob bonam voluntatem: rectè facta non in caſu atque euentu, ſed in conſilio & voluntate, eſſe conſtat.* Hactenus Simplicius.

Si verò ignorantia antecedens & operis cauſa, ſit ignorantia iuris, vt in facto Æſchyli proximè propoſito, & in aliis pleriſque liberè factis, quæ neſciuntur prohibita, tunc ignorantia reddit actum inuoluntariom, non quidem quâ talis actus eſt, ſed quâ vetitus eſt; quod ſufficit ad formalis malitiæ ab eo actu excluſionem. Ad inficiendum ſiquidem actum, neceſſe eſt interuenire dictamen intellectus bonum & malum morale præmonſtrantis, quod per ignorantiam iſtam remouetur: & cùm aliunde voluntas ita comparata ſupponatur, vt ſi prohibitio quæ latet, manifeſta fieret, nullo modo ad opus procederet, cenſetur voluntas habitualiter reniti, & nolle quod per huiuſmodi ignorantiam vult. Ac proinde huiuſmodi ignorantia reddit actum qui ex ea fit, inuoluntarium contrariè, & nullo modo malum, qua ex parte in illum cadit.

Non tamen niſi qua ex parte latet malitia.

Quod addo, quia facilè euenire poteſt, vt pars aliqua malitiæ actus ignoretur per hanc ignorantiam; pars autem ſciatur: Et tunc actus, qua ex parte malitia non ignoratur, vitioſus eſt. Qua verò ex parte latet, non eſt vitioſus. Quod perſpicuum eſt ex multis iuribus, quæ adducit Couarr. in c. *Alma mater.* parte 1. §. 10. 11. 13. & 14. & ex ratione, quam idem Autor adhibet, optiméque etiam attingitur à Plotino Enneade 6. l. 8. c. 1. Nempe quòd quemadmodum hæc ignorantia, cùm omnimoda eſt, prorſus expurgat malitiam; ita eadem, qua ex parte in aliquid cadit, tollit eam malitiæ grauitatem, vel ſpeciem quæ ex circumſtantia ignorata peteretur, ſi non fuiſſet ignorata, Quamuis actus ex reliquis non latentibus inficiatur. Sic enim qui patrem ſibi chariſſimum occidit, ratus eſſe hoſtem, quem priuata autoritate, qua ſola pollebat, interficere nefas fuit; homicidij quidem ſcelere ſe obſtrinxit, non tamen parricidij, quod eſt longè deteſtabilius, Et ſimiliter qui gradum malitiæ ignorat, vitaturus illum, ſi ſciret, non contrahit formalem malitiam, niſi pro menſura notitiæ, etiamſi obiectiuè actus eſſet grauiter malus: Tunc enim ea grauitas eſt inuoluntaria. Sic Vlpianus l. *illud ff. de iniuriis*, propoſita dubitatione, an qui liberum hominem cæcidit. ratus ſe ſuum ſeruum verberare, ſit reus iniuriarum; reſpondet negatiuè, quod quæ ignoranter quis egit, minimè volens egiſſe videatur, etiamſi ea durior ſerui tractatio, poſſet alio nomine eſſe mala.

Patrum ſuffragium pro malitia ignorata excluſione.

385. Itaque vniuerſaliter fixum ſit, ignorantiam antecedentem, ſiue inuincibilem, quæ ſit cauſa operis, facere actum inuoluntarium & non malum. Ita perſpicuè S Chryſoſt. hom. 16. in ad Rom. initio partis moralis. *Ignorantia*, inquit, *rerum, quæ ſciri non poſſunt, eſt præter culpam, ſi qua ad nos pertinent, attu*lerimus. Idem docet Saluianus 4. de prouid. à medio huc transferens illud, *vbi non eſt lex*, cognita, *nec præuaricatio. Quia nullus poteſt eius rei præuaricator eſſe, quam neſcit* Luculenter item hoc docet D Auguſtinus lib. de fide & oper. cap. 7. verbis illis. *Quid ſi virgo neſciens, viro nupſerit alieno? Hoc ſi ſemper neſciat, nunquam ex hoc erit adultera: ſi autem ſciat, iam ex hoc eſſe incipiet ex quo cum alieno viro ſciens cubauerit. Sicut in iure prædiorum tandiu quiſque bonæ fidei poſſeſſor rectiſſimè dicitur, quandiu ſe poſſidere ignorat alienum: cùm verò ſcierit, nec ab aliena poſſeſſione receſſerit, tunc malæ fidei perhibebitur, tunc iuſtè iniuſtus vocatur.* Idem tradit lib. 3. de lib. arb. c. 18. affirmans, cùm quis volendo incautus fallitur, ſi tanta fallacia eſt, vt caueri omninò non poſſit, nullum peccatum eſſe. *Quis enim*, inquit *peccat in eo quod nullo modo caueri poteſt?* Et optimè idem tradit c. 22. eiuſdem libri, verbis illis. [Non quod naturaliter neſcit, & naturaliter non poteſt, hoc animæ deputatur in reatum; ſed quod ſcire non ſtuduit, & quòd dignum facilitati comparandæ ad rectè faciendum operam non dedit. Loqui enim non noſſe, atque non poſſe, infanti naturale eſt, quæ ignorantia difficultáſque ſermonis, non modò inculpabilis ſub Grammaticorum legibus, ſed etiam humanis affectibus blanda & grata eſt. Non enim vllo vitio illam facultatem comparare neglexit, aut vllo vitio quam comparauerat amiſit. Itaque ſi nobis in eloquentia eſſet beatitudo conſtituta, atque ita crimini duceretur cùm peccatur in linguæ ſonis, quemadmodum cùm peccatur in actibus vitæ, nullius vtique argueretur, infantia, quòd ab ea eſſet exorſus ad conſequendam eloquentiam, ſed planè meritò damnaretur, ſi ſuæ voluntatis peruerſitate, vel ad eam recidiſſet, vel in ea remanſiſſet. Sic etiam & nunc, ſi ignorantia veri, & difficultas recti, naturalis eſt homini, vnde incipiat in ſapientiæ, quietíſque beatitudinem ſurgere, nullus hanc ex initio naturali rectè arguit. Sed ſi proficere noluerit, aut à profectu retrorſum labi voluerit, iure meritòque pœnas luet] Nec repugnat idem Auguſtinus ibid. c 19. & 1. retract. c. 9. cùm quædam inuincibilis ignorantiæ peccata agnoſcit. Diſertè enim explicat. id duntaxat verum eſſe per tropum: quatenus ſcilicet hæc materialiter mala, ſunc effectus veri peccati per primos parentes admiſſi, & ad nos vi originis deriuati. Conſtat ergo ignorantiam inuincibilem omninò antecedentem, excludere malitiam.

Difficultas ex eo quòd ignorantia ſit malitiæ origo ex cauſa.

Erit qui in contrarium opponat, ignorantiam paſſim appellari peccati cauſam, eóque nomine reprobari, quòd ab ea exoriatur peccatum: cùm tamen nos è contrà ſtatuamus cauſam malitiæ eſſe notitiam, ignorantiam verò præcludere exortum malitiæ. Sanè Patres & Philoſophi, id vno ore prædicant. Paucos adduco. Marcus Eremita in ſalutaribus documentis ita loquitur de ignorantia. *Ignorantia malorum omnium mater, obliuio eius ſoror adiutrix & ſocia, & quæ tenebroſum atra nube amictum ac velamen ſubtexit animæ ſocordia. Hi tres potentes Diaboli gigantes: Hoc eſt præſidium alienigenarum intelligibilium.* Philo pulcherrimè initio libri de temulentia. *Ruditas, peccatorum animæ, ſi vera fatenda ſunt, caput eſt, à qua tanquam fonte promanant actiones omnes huius vitæ, nullum omninò præbentes liquorem ſalubrem ac potabilem, ſed ſalſuginoſum, qui morbum atque perniciem guſtantibus afferat.* Clemens Alexandrinus 7 Strom cap. 6. ignorantiam ſtatuit vitam peccati: De ſcientia autem, ignorantiam excludente, ita è contrà ſtatuit. *Vt mors, eſt*

anima

anima ſeparatio à corpore, ita cognitio eſt veluti mors rationalis, abducens & ſeparans animam à motibus & perturbationibus, & deducens ad vitam beneficentiæ & bonarum operationum, vt tunc Deo dicat liberè, Viuificas vir. S. Bernardus epiſt. 77. ex profeſſo probat, ignorantiam eſſe peccatum. Quid verè clarius quàm quòd apud Ariſtotelem legimus, omnem peccantem eſſe ignorantem. Item 1. magn. Moral. c. 31. *poſt medium,* ait igorantem, qui eſt ſuæ ignorantiæ cauſa, verè iniuria afficere: Et 3. Ethic. cap. 5. ait eum qui ſibi ignorationis cauſa fuit, pœnam non euadere; quandoquidem & ebriis cùm quid delinquunt, duplex pœna infligitur. Denique S. Auguſt. epiſt. 154. affirmat ſæpè ſubeſſe malitiam, cùm minùs ſuſpicamur. Quod item affirmat S. Hieronymus l. 1 contra Pelag. & Caſſianus colat. 1. à c. 20. & S. Greg. 1. Mor. c. 19. & l. 5. c. 22.

Extricatur,

386. Hæc tamen non obſtant, quominùs rectè conſtitutum ſit ignorantiam (nempe ſimpliciter dictam) præcludere malitiam, eiúſque exortum impedire. Nam ignorantia, vt ordiar à primo quod propoſitum eſt, duobus tantùm modis poteſt dici peccati cauſa, quorum neuter officit iis, quæ diximus. Primus eſt, per ſe & aliquatenus influendo, qua ratione ignorantia prauæ diſpoſitionis, ſiue error influit ſuo modo in peccatum, quod ex errore admittitur. Secundus eſt per accidens, ſiue remouendo ſcientiam, quæ peccatum excluderet ſi adeſſet: qua ratione ſola ignorantia inuincibiliter antecedens, & non concomitans, eſt cauſa operis. Vtrunque autem horum probè cohæret cum præcluſione peccati per ignorantiam omnimodam. Quòd enim homo dicatur peccare ex errore, non excludit lucem aliquam malitiæ, ſubiacentis actioni. Vnde ſi error eſſet planè inuincibilis, tunc actio nullo modo eſſet formaliter mala. Fuit ergo error vincibilis, & adiunctam habens lucem aliquam malitiæ caligine intermiſtam, quam homo, depulſis offuciis, plenam conquirere potuiſſet, ſi voluiſſet. Ita non adfuit ignorantia tam tetra, quæ omnem ſcientiam depelleret.

Idem dico de eo qui peccare dicitur, quia non habet ſcientiam, & ignorantia laborat. Iſte enim non ignorat ſe malè agere. Ignorat tamen aliquid aliud, quod ſi ſciret, nollet ſuſcipere hoc malum, in quod nunc ſciens volens ſe induit. Plerunque autem ea ignorantia, non eſt carentia ſcientiæ habitualis, ſed tantùm carentia actualis conſiderationis motiuorum à peccato retrahentium: In quem ſenſum accipi debere effatum Ariſtotelicum, quod poſteà opponebatur, tractatum latè ſuprà eſt. Reliqua verò ex Ariſtotele & Patribus adducta, ſpectant ad ignorantiam malitiæ, affectatam aut vincibilem. De hac iam dixi, non excludere omninò ſcientiam malitiæ. De alia dicam infrà. Itaque fixum maneat, omni homini peccanti prælucere notitiam malitiæ quam contrahit, alioqui immunem fore à culpa: vel ex toto, ſi tota malitia occultetur; vel ex parte, ſi pars tantùm malitiæ appareat.

Prior doctrinæ traditæ limitatio apud aliquos; cum ignorantur quæ ſciri debent, improbatur.

387. A generali hoc principio duas video à quibuſdam ſtatui exceptiones. Prior ſpectat ignorantiam illam inuincibilem, quæ non excludit debitum ſciendi. Poſterior pertinet ad ignorantiam inuincibilem comitantem. Dicunt igitur primò aliqui, tum demum ignorantiam inuincibilem malitiæ, excludere malitiam, cùm is qui inuincibiliter malititam ignorauit, non debuit eam noſſe. Nam ſi noſſe debuit, negant ignorantiam quantumcunque inuincibilem, remouere malitiam. Et ex hoc capite ſunt qui dicant nullam dari ignorantiam inuincibilem iuris naturalis, quod homo ſemper ſcire debuit. Alij autem id etiam extendunt ad ius quodcunque diuinum poſitiuum.

Hæc tamen reſtrictio, eſt prorſus inutilis. Nemo enim quando laborat ignorantia inuincibili, tenetur ſcire, ſubeſſe malitiam quam inuincibiliter neſcit ſubeſſe. Id quod optimè notauit Richardus in 2. d. 22. art. 1. q. 2. Vt enim teneretur actu & de facto id ſcire, oporteret illi affulgere notitiam aliquam ſubiacentis malitiæ: alioqui non poteſt progredi in ea notitia, & pleniorem ſibi lucem comparare, qua rectè operetur, & culpam effugiat. Si autem non poteſt defectu notitiæ quæ eſt aliquid planè neceſſarium ad deliberatè agendum vel omittendum, ſequitur quòd neque obligatus ad id fuerit. Nam obligatio cadit ſemper in aliquid poſſibile ei qui obligatur, nec poſſibile tantùm remotè ac phyſicè, ſed etiam proximè & de facto, qualè non eſt, quod homini non eſt liberum. At oſtendimus initium totius progreſſus liberi, duci à cognitione. Itaque qui inuincibiliter ignorat ſubeſſe malitiam, non debet ſcire eam ſubeſſe, ſi illud *debet* deſignet obligationem præſentem legis alicuius, cuius violatio ſit peccatum: quamuis poſſit dici quòd ex natura rei deberet ſcire; ſi nimirum cogitatio aliqua comparandi ſcientiam, pulſaſſet animum eius.

Et ita planè contingit interdum, etiam in iure naturali, contra Caſtrum l. 2. de lege pœn. c. 14. & Durandum in 3. d. 25. quæſt. 1. Ac multò magis idem dico de iure diuino poſitiuo, cum Victoria relect. de Indis, par. 1. à concluſ. 1. & Vega l. 6. in Concil. cap. 18. Nam circa diuinas quoque leges poſitiuas, & naturales pleraſque non adeò patentes, ſed indigas deductionis operoſæ, vel non ita euidentis, poteſt plerunque deeſſe homini cogitatio indeliberata, quæ eſt principium liberæ noſtræ applicationis ad aliquid. Ita verò deeſſe poteſt, vt de ea expellenda nullus mentem tetigerit ſcrupulus, nulla ſubiuerit cogitatio, quod eſt laborare ignorantia planè antecedenti & inuincibili.

Altera limitatio, cùm malitia ignoratur comitanter, æquè improbata.

388. Poſteriorem exceptionem, dicebam ſpectare ad ignorantiam illam, quæ ita eſt inuincibilis, vt tamen duntaxat comitetur actum, qui æquè fieret, etiamſi ſcientia adeſſet. Tunc enim quamuis actus de obiecto turpi omninm conſenſu ſit non voluntarius; ſunt tamen qui addant, eum eſſe interpretatiuè ac virtualiter voluntarium, ac proinde etiam malum. Quo pacto innoxius non fuerit adoleſcens apud Plutarchum, qui emiſſo in canem lapide, cùm Nouercam læſiſſet, errore animaduerſo, *Euge,* inquit, *& hoc non malè* approbans percuſſionem; ignoranter quidem, non tamen ex ignorantia factam vt ea aprobatio prodidit. Hunc itaque percuſſionis Nouercæ reum faciunt; non modò quoad actum approbationis, (quam nemo dubitat vitioſam fuiſſe, quippe voluntariè ac liberè circa actum obiectiuè malum elicitam;) ſed etiam quoad ipſam percuſſionem, eò quòd voluntas in eam interpretatiuè conſenſerit, nec fuiſſet omiſſa ſi fuiſſet cognita, ſed ex præſenti voluntatis diſpoſitione æquè manaſſet, poſito notitiæ lumine, ac nunc reipſa manauit eo amoto. Ita Durandus in 2. d. 11. q. 4. n. 5. Nider parte 2. conſolatorij, cap. 4. Armacanus

L. 15. de

l. 15. de quæſt. Armenorum, c. 25. Additque Couarruuias in c. *Alma mater.* 1. parte, §. 10. n. 15. ex facto cum tali ignorantia, æquè contrahi pœnas facto illi irrogatas, ac ſi ignorantia non interueniſſet. Quod alij, etiam ad damnorum illatorum compenſationem extendunt.

Contrarium tamen latè aſtruitur ab Almaino tract. 1. Moral. cap. 4. Certúmque eſſe debet ex Ariſtotelico fundamento ſuprà iacto Oſtendimus enim, hanc ignorantiam, quam nunc ponimus eſſe inuincibilem, reddere actionem cum ea factam, non voluntariam. Hoc autem ſatis eſt vt ei deſit ratio voluntarij, ac proinde etiam liberi, quæ neceſſariò præſupponuntur ad quamcunque moralitatem formalem. Nam culpa debet eſſe à voluntate: Hæc autem non potuit vllo modo influere in opus, propter ſecluſam lucem, ſine qua operis diſconuenientia non obiicietur voluntati, atque adeò nullo modo erit voluntaria, quia non erit à principio cognoſcente. Quod autem dicitur, huiuſmodi opus ſi ſcientia interueniret, futurum eſſe à voluntate, id quidem non aliud probat, quàm quòd opus ſi ſcientia interueniret, & præſens voluntatis diſpoſitio maneret. fieret voluntarium, nunc tamen reipſa non eſt tale. Sic autem euaneſcente culpa omnes eius appendices ſimul tolluntur: nempe obligatio ad pœnam ſubeundam, & ad compenſationem damnorum, quæ ex facto illo voluntariè patrato incurritur.

Ad hæc vt Almainus ſuprà argumentatur, ſi is qui V. G. per hanc ignorantiam occiditur, eſſet alius quàm ſit, omnibus manentibus qualia nunc ſunt, homicida haberetur innoxius Ergo nunc quoque eſt innoxius, cùm non ſit in eius poteſtate internoſcere inimicum, quem reipſa percutit; à fera quam arbitratur ſe percutere. Et quamuis ſupponeretur habere formalem voluntatem percutiendi inimicum, tamen ea volitio interior non imperaret præſentem percuſſionem externam. Imò ea operatio externa, nulli prudentiali dictamini repugnaret, ac proinde vacaret culpa.

389. Nec eſt, quòd quis opponat verba illa Philoſophi 5. Eth. cap 8. in fine. *Quæ non ex ignoratione, ſed ignorantes fa ſ . , ex affectu tamen non naturali, neque humano, venia digna minimè ſunt.* Ea enim verba non ſpectant ad ignorantiam comitantem, vt perperam cenſent aliqui, ſed ad ignorantiam vincibilem, qua laborat qui vltrò ac volens dedit ſe ebrietati, vel in ſimilem ſtatum vſus tationis expertem ſe coniecit, præſcius, vel ſubdubitans, aliquid ſe interea patraturum non benè. Tale enim opus, iuxta Ariſtotelem, cum ignorantia tantùm geritur, & dignum eſt ſupplicij repenſione, quia ſufficienter eſt volitum in cauſa ſua, & aliquo etiam modo in ſe, cùm aliquatenus ſupponatur præuiſum in ea cauſa liberè volita.

Biſida difficultas in contrarium.

Fortiùs vrgeri poſſet ratio ex eo ducta, quòd talis queat eſſe præſens affectus eius, qui ignorantia comitante laborat, vt actio externa ex eius imperio prodeat. Quod videtur ſatis eſſe ad eius inquinationem, non obſtante ignorantia. V G. ſi is qui reipſa transfigit hoſtem, putans inuincibiliter eſſe feram, eliceret actuale propoſitum, ex parte quidem obiecti conditionale, reipſa autem ſufficiens ad opus, quod homo ille a ſe fieri ignorat; vt ſi diceret vtinam loco huius cerui, quem transfigo, eſſet ille hoſtis meus; quam lubens in eius viſcera venabulum adigerem, & hunc ipſum actum exequerer in eius corpus: Et ex eo conditionali propoſito ad inimici occiſionem quantum eſt ex parte voluntatis ſufficienter idoneo, venabulum in ceruum exiſtimatum, reipſa in hoſtem immitteret; ea hoſtis transfixio, videtur eſſe voluntaria, non obſtante ignorantia comitante. Quod clariùs etiam videtur, ſi ſupponamus, huiuſmodi hominem ignorantia comitante laborantem, ſagittam vel iaculum intorquere dicendo; volo interficere quicquid meo conſpectui obiicitur, ſiue homo ſit ſiue fera. Tunc enim ſi quod ipſi obuium ſit, & ſub aſpectum cadit, ſit hoſtis, quem libentiſſimè feriret ſi agnoſceret, non videtur dubitandum, quin interueniat voluntarium ſufficiens ad factum illud malitia homicidij inquinandum, non obſtante ignorantia comitante, ſimùlque antecedente, qua inuincibiliter iudicat, id quod aſpectui obiicitur, eſſe feram, non hoſtem.

Diſſoluitur.

300. Verùm prior difficultatis propoſitæ pars, facilè diſſoluitur, négando actum illum externum inquinari malitia homicidij, cùm ea malitia ſit iſti homini, quatenus hunc actum exequenti, omninò incognita, ideóque non voluntaria. Eſt quidem in huiuſmodi homine propoſitum conditionatum, quod nemo negare poteſt eſſe internum ſcelus homicidij: Tamen propoſitum illud, ſe habet merè per accidens ad actum exteriorem, qui elicitur ſub ratione occiſionis cerui. Hoc enim indicatur actus ille exterior continere, & nihil præterea. Qui etiam, aliunde non manat vel imperatur, quàm à voluntate actuali occidendi ceruum, cum qua voluntate actuali, per accidens coniungitur conditionale illud propoſitum malum: ita vt ne circunſtantia quidem ſit alterius actus, quo cerui exiſtimati occiſio indicitur. Vt quid ergo cenſebitur, externam illam occiſionem, homicidij malitia inquinare?

Ad poſteriorem autem difficultatis partem, breuiter dico; in primis quod in ea ſupponitur, eſſe valdè metaphyſicum & infrequentiſſimum, ne dicam impoſſibile. Quomodò enim qui inuincibiliter iudicat, quod conſpicit eſſe feram, addere poteſt: *volo quod mihi in conſpectum ſe dat, ferire ſiue homo ſit, ſiue fera*, niſi ſuboriatur dubitatio quòd obiectum illud, fortè ſit homo, & concipiatur iudicium prælucens voluntari imperanti externum illum actum, ſi fortè talis ſit, qualis ſubdubitatur? Eo autem modo formando ſuppoſitionem ex qua ducebatur argumentum, ignorantia non eſt inuincibilis (qualem tamen eſſe ſupponamus, cùm de huiuſmodi tantùm ignorantia nunc diſputamus) Vnde mirum non erit quòd actus ex talibus principiis prodiens, inquinetur malitia homicidij, ſecus quam euenit in negotio, de quo agimus.

Ignorantia vincibilis non excludit malitiam.

Nulla igitur exceptio admittenda eſt, circa generale illud principium, quo conſtituimus ignorantiam inuincibilem facti ſimul & iuris, vel iuris tantùm ſine malitiæ, excludere malitiam, qua parte non obiicitur intellectui propter ignorantiam. Aliud verò eſt de ignorantia vincibili. Nam hæc non excludit prorſus notitiam, & idcircò non tollit voluntarium, ac proinde neque malitiam. Huc ſpectat quod alibi cum Ariſtotele diximus, ignorantiam conſequentem non tollere voluntarium, præſertim cùm fuit affectata. Cum ea enim ignorantia, vidimus interceſſiſſe ſubdubiam aliquam lucem qua colluſtratus homo nihilominùs deliberatè elegit non promouere rudimen-

tum

tum illud notitiæ, vt in ignorantia perſtans faciliùs exequeretur quod notitia præpediuiſſet, aut non abſque angore fieri ſiuiſſet ob reclamantis conſcientiæ murmur: vel certè per ſummam deſidiam ac incuriam ſubiacuit ignorantiæ, cuius depellendæ poteſtate non caruit, affulgente tenui illo non liberæ notitiæ radio, quo manuduci poterat ad veſtigandum & penitiorem notitiam comparandam. Prior dicitur ignorantia affectata, quæ importat volitionem poſitiuam ignorantiæ. Poſterior dicitur ignorantia craſſa, quæ continetur omiſſione negligenti, vt benè notat Richardus in 2.d.22.

Hæc eſt aperta Philoſohi ſententia 5. mag. Mor. c.31.*poſt medium*, his verbis. [Quandocunque perpetrandi aliquid abſoluta fuerit ignorantia, id non fit conſultò, & perinde nequidem afficit iniuria. At cùm ipſe ſuæ cauſa fuerit ignorantiæ, perpetraritque quiſpiam ex ignorantia, cuius ipſe extiterit cauſa, is planè afficit iniuria; ac eiuſmodi iure criminis arguetur, velut in ebriis euenit. Vino nanque merſi, ſi quid mali perpetrarint, ſine controuerſia inferunt iniuriam: quandoquidem ipſi ſibi eius ignorantiæ cauſa extiterunt. Par enim fuit, ne tantùm prolnerentur, vt ignorantes cæderent patrem. Idem in aliis eſt ignorantiis quæ ex ipſis gignuntur facientibus, vt qui per ipſas inferant iniuriam, ſunt iniuſti. Quorum autem non ipſi ſunt cauſa, ſed ignorantia, vt delinquant, neutiquam iniuſti. Eſt enimverò eiuſmodi ignorantia naturalis, velut neſcij infantes patres cædunt. Hæc nimirum naturalis inſcitia, non facit vt ab actione infantes dicantur iniuſti. Ipſa ſiquidem hæc faciendi cauſa, eſt inſcitia, neque ipſi ſuæ ſunt cauſa inſcitiæ, ideò ne quidem iniuſti dicantur.] Docet ergo Philoſophus, eum qui ſibi eſt cauſa ignorantiæ, ſi aliquid ex ſe iniurioſum ignorans faciat, verè afficere iniuria. [Quæ doctrina planè ſupponis non abeſſe ab eo actu ſufficiens voluntarium, quod etiam clarè tradit 2.ad Eudemum, c.9.*in fine*. Sed & 3. Eth.c.5. ait, eum qui ſibi ignorationis cauſa fuit, pœnam non euadere, & idcircò in ebrios ex Pittaci lege duplicem pœnam ſtatui, ſi quid alioqui dignum pœna admittant, quod ſupponuntur ſaltem confusè & implicitè prænouiſſe in ebrietate patrandum.

391 Eodem ſpectat canon ille D. Auguſtini epiſt. 154. *Si quis bonum putauerit eſſe quod malum eſt, & fecerit hoc putando, vtique peccat, & ea ſunt omnia peccata ignorantia, quando quiſque benè fieri putat, quod malè fit.* Nimirum quia id putat vincibiliter. Similitérque l. de natura & gratia, cap.17.approbat Pelagij doctrinam de peccatis ex ignorantia, cùm id neſcimus, quod ſcire debuimus: vtique, quia ſcire potuimus ob præcedentem cogitationem non liberam, qua ignorantia vinci, & ſcientia acquiri potuit. Atque adeò actus cum tali ignorantia & exiſtimatione vincibili elicitus, non deſiit eſſe voluntarius, perinde ac ſi defuiſſet ignorantia. Quod tamen non ita accipi velim, quaſi tantundem omninò voluntarij reperiatur in actu cum ea ignorantia elicito, quantùm abſque ea reperiretur, plena notitiæ luce mentem colluſtrante. Id enim falſum eſt quoad ignorantiam inuincibilem non affectatam, quia eius interuentu minuitur propenſio voluntatis in actum, qui proinde tantùm dicitur perinde voluntarius, ac ſi cum ſcientia fieret. Quia eandem voluntarij quaſi ſpeciem ſortitur, tametſi in minùs perfecto gradu.

Ignorantia tamen vincibilis affectata, quia ſponte abiicit frænum conſcientiæ, & vt tranquilliùs malè concupito bono potiatur, declinétque vltricis conſcientiæ ſtimulos, eligit ignorare quod cognoſcendum proponitur, voluntarium non minuit, ſed potiùs auget: dummodò idcircò non affectetur, vt peccatum ſit minus, minoréque legis contemptu admittatur: alioqui enim quamuis ex vna parte nonnihil minuat voluntarium, ob occultationem, vel non tam explicitam malitiæ exhibitionem, quam infert: Tamen adiunctam habet vigorem maiorem affectus deprauati, propenſiorémque voluntatis impetum in actum, quem ſcientia ignorantiæ iſti oppoſita hebetaſſet, aut retardaſſet, niſi ignorantia fuiſſet ſtudiosè quæſita, & homo nolens intelligere vt benè ageret in ſuam perniciem ingenioſus eſſe vltrò delegiſſet. Ideóque aggrauari inde culpam, rectè docet Iſidorus 2.de ſummo bono, c.17.n.15. Aſtipulatúrque S.Greg. Nyſſ. orat.3 in Eunom.verbis illis. *Graue quidem eſt occultus dolus ex quadam fallaci argumentatione per ignorantiam detineri. Verumtamen venia dignum erratum ſiue infortunium, ſi non eſſet voluntarium. Sed conſultò & data opera & adhibito ſtudio ad mali experientiam pertrahi non ignorantem calamitatem, omnem infortuniorum exuperantiam pertranſit. Quis talia fando temperet à lacrymis? quis iuſtè non doleat? Cùm audimus quod piſcium quidam guloſi nudum quidem propinquans ferrum fugiunt, ad eſcam verò decepti ſpe cibi hamum pertrahunt & deuorant. In quibus autem malum præuiſum eſt ac præcognitum, ſponte ad huius perniciem venire, piſcium amentia miſerabilius eſt.* Agit de Hæreticis affectantibus neſcire quæ vtcunque ſciunt, ita vt cùm per eam tenuem lucem quæ affulget, poſſent ignorantiam prorſus depellere conſultò tamen affectent ignorare ſiue non percipere diſtinctiùs quòd errent. Quos voluntariè ſubiacet ignorantiæ illi pronunciat atque adeò fœdiſſimà & grauiſſimè labi ſic ignorando Eodem facilè referas quod his verbis tradit P. Chryſologus ſerm.26. *Ille quidem qui per conſcientiam peccat, meritò grauiùs ſoluit conſcientiæ pœnas. Sed & iſte per ignorantiæ culpas, plagas ignorantiæ non vitabit. Deum ſicut contemnere non licet, ſic non licet ignorare.*

Aliud prætereà eſſe de ignorantia ſolius mulctæ, propter peccatum, ſi admittatur, irrogandæ, indéque non tolli malitiam, infrà docebo quæſt. ſeq. art. 2.

De conſenſus ad peccandum neceſſitate: conſenſus quotuplex.

392. Tertiò ſpecialiter dixi, ad contrahendam formalem malitiam exigi conſenſum voluntatis ſaltem indirectum, & hunc vt plurimùm ſufficere. Conſenſus voluntatis hoc loco vſurpatur aliter, quàm cùm de actibus modi procedendi deliberati atque humani ſermo eſt. Ibi enim conſenſus, actum electioni adiunctum; hic omnem voluntatis adhæſionem ad malitiam intellectu propoſitam, deſignat. Qua ratione conſenſus diſtinguitur triplex. Nempe vnus directus, & indirectus duplex, virtualis ſcilicet & interpretatiuus.

Directum, qui & expreſſus, dicitur, aliqui illum eſſe dicunt, qui expreſsè feratur in malum ſub ratione mali, quò ſpectare volunt peccata illa, quæ dicuntur ex malitia admitti. Paſſim tamen conſenſus directus ille dicitur, quo voluntas, percepta obiecti fœditate, amat nihilominùs obiectum ſub ratione boni ſenſibilis, cui talem obiectiuam turpitudinem conſertam videt, quamuis malitiam ipſam obiectiuam non diligat.

Conſenſus verò virtualis ille eſt, quo amatur cauſa effectus mali. Vt ſi quis ſæpè expertus eſſet, ſe largiùs bibendo, effici aliis infeſtum, & ita commoueri vt vix abſtineat cædibus & iniuriis, cenſeretur virtualiter velle huiuſmodi mala, ſi eorum præſcius, vel de eis meritò dubius, vellet tamen adhibere eorum cauſam: quia etiamſi directè & expreſsè ea mala non vellet

ſatis

cauſa. Vt item ille qui ſenſerit vitia non ſolùm turpitudinem exiſtimationi inachere, ſed nocere alio pacto, fraudique eſſe; quis po eſt ſponte ad eorum conſortium ſe iungere? Sed ſi ad huiuſmodi mala pergit, ac ſibi vſuram eorum vtilem credit, deceptus errore & imagine boni ſollicitatus quidem, ſciens verò ad mala præcipitatur.

Per hæc intellige quæ infrà eodem libro habentur. *Nō ſponte graſſari malitiam multis modis conſtat. Nāque iniuriam, inordinatam paſſionem & ægritudinem mentis eſſe ait* Plato, cuius dogmata recenſet ibi Apuleius. *Vnde liquidò arbitratur, homines non ſponte ferri. Quis enim tantum mali voluptate ſuſciperet, vt in optima mētis ſuæ parte ſcelus & flagitiā ſciens veheret? Cùm ergo poſſeſſio mali ob imprudentibus capitur, vſum eius & actiones oportet ab ignorantibus ſuſtineri.*

395. Hanc ipſam ob cauſā Seneca l. 4. de benef. obſeruat neminē inquam vniquum, velle iniquum videri. *Placet, inquit, ſuapte naturâ, adeóque gratioſa virtus eſt, vt inſitum ſit etiam mali, probare meliora. Quis eſt qui non beneficus videri velit? Qui non inter ſcelera & iniurias opinionem bonitatis affectet? Qui non ipſis, quæ impotentiſſimè fecit, ſpeciem aliquam induat recti? Velit quoque iis videri beneficium dediſſe, quos læſit? Gratias itaque agi ſibi ab his quos affligère patiantur, bonóſque ſe ac liberales fingunt, quia præſtare non poſſunt. Quod non facerent, niſi illos honeſti & per ſe expetendi amor cogeret, moribus ſuis opinionem contraria quærere, & nequitiam abdere, cuius fructus concupiſcitur; ipſa verò odio puderique eſt. Nec quiſquam tātam à naturali lege deſciuit, & hominē exuit, vt animi cauſa malus ſit. Dic enim cuilibet ex iſtis qui ex rapto viuūt, an ad illa quæ latrociniis & furtis conſequuntur, malint ratione bona peruenire? Optabit ille, cui graſſari & tranſeuntes percutere quæſtus eſt, potiùs illa inuenire, quàm capere. Neminem reperies, qui non nequitiæ præmiis ſine nequitia frui malit. Maximum hoc habemus naturæ meritum, quòd virtus in omnium animos lumen ſuum præmittit. Etiam qui non ſequuntur illam, vident.*

Conſenſus directus boni ſenſibilis malitiæ fœti, quando exigatur.

Iam conſenſus directus & expreſſus, in vulgata harū vocum acceptione vſurpatus, interuenire debet ad quaſdam culpas non tamen ad omnes quia ad pleraſque ſufficit conſenſus indirectus, nullum prorſus voluntatis motum importans, ſiue interpretatiuus. Ratio diſcriminis ex eo ducenda eſt, quòd aliquando malitia exigat ſpecialem voluntatem, in qua perficiatur, quòd alioqui defutura ſit ſpecialis oppoſitio cum virtute: Aliàs autem ea oppoſitio ſpecialis cum virtute interueniat abſque ſpeciali voluntate. Sic labes formalis inobedientiæ, qua quis detrectat præcepti executionem quia præcepta eſt, non poteſt contrahi abſque ſpeciali actu ad eam terminato. Item deformitas ingratitudinis formalis, non poteſt contrahi, niſi quis directè velit beneficium contemnere, quia in eo conſiſtit deformitas illa ſpecialis, quæ per hoc tantùm ſecernitur ab ea materiali ingratitudine quæ adiungitur cuiuis culpæ erga perſonam in nos beneficam.

396. Nec aliter de ſpeciali peccato ſcandali philoſophantur plerique. Cuius fœditatem in eo collocant, quòd alienus lapſus directè intendatur; indéque ſecernunt illud à ſcandalo generaliter dicto, quod non eſt ſpecialis & peculiaris culpa, ſpecie diſcrepans ab ea, ad quam quis inducitur, & in eo ſitum dicitur quòd alteri occaſio lapſus moralis præbeatur ab eo qui agnoſcit quidem ſe peccandi occaſionem alteri porrigere, non tamen intendit illius alterius lapſum, ſiue alia ex cauſa illum directè inducat ad opus malum, ſiue tantùm præbeat mali admittendi exemplum. At in ſcandalo ſpeciali, quod infrequentius & tertius eſt, aiunt oportere intendi directè lapſum alienum, cuius homo præuidet ſe dicto aut facto aliquo præbiturum occaſionem. Ita Sanches lib. 1. in Decal. c. 6. Vaſp. 1. 2. d. 102. à n. 7. Azor. t. 2. l. 1 . c. 16. q. 2. & 4. Beca. 2. 2. c. 27. q. 2. & alij. Repugnantibus tamen aliis, vt Valentia 2. 2. d. 3. q. 18. p. 1. Suare ibid. d. 10. ſ. 1. n. 3. Lorca ſ. 3. d. 56. Ægidio Coninc. d. 32. de act. ſupern. n. 45. Sala 1. 2. tract. 13. d. . ſ. 5. quam litē hoc loco decidere noſtra non refert. Satis nobis eſt, quòd iuxta priorem ſcandali ſpecialis notionem, quæ grauiſſimorum Doctorum eſt, illa poſiti offendiculi culpa, qua debitus aliis amor violatur, ſita ſit in expetitione alieni mali, quà tale eſt, ac proinde per directam lapſus alieni intentionem perficiatur.

In aliis autem peccatis præter ſupradicta, (& ſi quæ ſunt alia eiuſmodi, quæ pauca ſanè ſunt,) quia vt perficiantur non poſtulant ſpecialem voluntatem: (nam per ſe primò ordinantur ad opus externum:) in illis inquam peccatis reperitur ſpecialis diſſonantia cum virtute, etiamſi deſit intentio directa rationis obiectiuæ cum recta ratione pugnantis. Et cùm alioqui ad communem rationem peccati ſufficiat voluntarium indirectum, nihil illis deeſt, quominus ſint ſpeciales culpæ, etiamſi deſit voluntarium directum. Quod diſcrimen peccatorum ſpecialem intentionem exigentium tradidit Suares t. 4. r. p. d. 13. ſ. 3. n. 6. & 7. parum conſentaneè ad ea quæ de ſcandalo ſpeciali ab eo affirmari retulimus. Nam, ſi ſcandalum ſpeciale pugnat contra charitatem, vt idem Autor admittit; charitas autem per ſe primò conſummatur interiùs, vt etiam concedit; neceſſarium profectò eſt, vt ſcandalum ſit ſpeciale peccatum contra charitatem, adeſſe voluntarium directum, non autem duntaxat indirectum.

Conſenſus impetratiuus eiuſdem boni, plerumque ſufficiens ad contrahendam malitiam,

•

197. Ad nonnullas itaque culpas exigitur, vt affirmabam, conſenſus directus, cum quo circa eaſdem materias vnus & idem cenſetur conſenſus virtualis, ſi homo volitionem directam talis obiecti ſemel conceptam in aliquo eius veluti ſemine aliquandiu foueat. Ad magnam autem culparum partem ſufficit voluntarium indirectum interpretatiuum: quo ſcilicet aduertitur malitia, etiamſi homo abſtineat ſpeciali voluntatis actu erga eam, & erga rationem obiectiuam, cui illa implantatur; tantúmque feratur poſitiuè in rationem obiectiuam alia ſpecie malitiæ fœtam. Imò etiamſi adſit diſplicentia de illius alterius malitiæ concomitantia & exortu, nihilominus mali ea conſequetur. Sicut qui alienam vxorem fœdat, etiamſi maximè cuperet vt non eſſet aliena vxor, doleátque eſſe alienam, contrahit nihilominùs malitiam adulterij. Nec aliter philoſophandum eſt de malitia ex effectu malo, voluntario indirectè in cauſa tantùm, vt de oppreſſione alterius conſecuta ad ſuffoſionem parietis directè voluntariam. Ex ipſo enim oppreſſio adſcribitur ſuffodienti parietem. Et quamuis in eo euentu, oppreſſio non ſit niſi interpretatiuè volita. Tamen volitio cauſæ, quæ cognoſcitur eo effectu veluti grauida, ſufficit ad [illegible] volitioni talis cauſæ, malitiam effectus a[illegible] atque præcogniti. Denique conſ[illegible] ex pura feriatione voluntatis ab operandum aſtrictæ, ſufficientiſſimus eſt ad contrahendam malitiā omiſſionis, qua debitum illud operandi violatum eſt.

Abſque aliquo trium conſenſuum propoſitorum nulla contrahitur malitia. Ex quo iudicium ferendum eſt de variis animi motibus quinam culpa vacent aut inquinentur. Quantumcunque enim motus animi obiectiue ſordeant, tamen niſi aliquis voluntatis conſenſus interueniat, aberit malitia: pro conſenſus verò interpoſiti plenitudine aut tenuitate, plena aut tenuis malitia contrahetur. Expreſſit hoc optimè, autor non bonus; Pelagium dico, ſub finem epiſtolæ ad Demetriad. verbis illis. *Diſtinguendum eſt inter cogitationes quibus voluntas fauet, quas cum dilectione complectitur; & inter eas cogitationes quæ tenuis umbræ modo prætervolare mentem ſolent, ſeſeque tantummodò vel tranſeundo monſtrare, quas Græci τύπους vocant: Vel certè inter illas quæ repugnanti ac inuito animo ſuggeruntur, quibus mens cum horrore quodam renititur ac reſiſtit, quibus vt contriſtatur admiſſis, ita gaudet expulſis. In illis quidem quæ ſe leuiter menti aſpendunt, & quaſi fugiendo demonſtrant ſe, nec peccatum omnino, nec pugna eſt. In his autem cum quibus aliquandiu anima luctatur, quibus reſiſtit voluntas, æquale certamen eſt. Aut enim conſentimus & vincimur; aut reſiſtimus, & vincimus, & acquirimus de pugna victoriam. In illa ergo tantummodò cogitatione peccatum eſt quæ ſuggeſtioni conſenſum mentis dedit, quæ malum ſuum blandè fouet, quæ in factum geſtit erumpere. Huiuſmodi cogitatio etiam ſi ex aliquo impedita caſu non impleat voluntatem, nihilominus actione criminis condemnatur.*

Clauſula germanam malitiæ cauſam hactenus expoſitam, firmans.

Lubet clauſulam huic diſputationi apponere verbis Simplicij in cap. 34. Enchir. Epicteti ſub finem. *Peruestigata igitur mali cauſa, clara voce clamamus, nullius mali cauſam eſſe Deum, propterea quod malum facit animus liberè atque vltro, non autem Deus. Nam ſi malum animus faceret coactus, fortaſſis aliquis accuſaret Deum, qui eum ſine cauſa cogi permiſiſſet. Ac ne malum quidem eſſet quicquam ab inuito factum. Sed quo vltrò & conſultò aliquid ſuſceperit, ipſe merito in cauſa eſſe videtur.*

Optimè item S. Baſil. homil. 2. hexaëm. tractans controuerſiam, in qua hactenus verſati ſumus, hoc eſt de mali origine. [Neque a Deo, *inquit*, ipſum malum profluxiſſe, pium eſt dicere, propterea quòd nihil contrariorum à contrario ſuo gignitur. Neque enim vita mortem parere ſolet, neque tenebræ principium adferunt luci, neque ſanitatem morbus efficit vnquam. Sed in affectuum quidem tranſmutationibus, è contrariis ad contraria fiunt tranſitiones. In generatione verò, non a contrariis, ſed ex congeneribus vnumquodque eorum, quæ gignuntur procedit. At ſi nec ingenitum eſt, inquies, ipſum malum, nec à Deo profluxit, vnde naturam ſortitur? Nam mala eſſe, nemo vitæ particeps contradixerit. Quid igitur eſt dicendum? Nempe malum non eſſentiam viuentem animáque præditam eſſe, ſed affectionem animæ virtuti contrariam, deſidioſis ac inertibus, propterea quòd a bono deciderunt, inditam. Noli itaque malum forinſecùs circumſpicere atque inquirere, neque quandam naturam principem malignitatis imaginare, ſed malitiæ quiſque ſuæ ſeipſum autorem agnoſcat. Nam ſemper ea quæ nobis eueniunt, partim à natura proficiſcuntur, vt ſenectus, vt infirmitas: partim ſua ſponte proueniunt, quales ſunt caſus inopini alienis principiis accidentes, vt quæ plerunque tibi afferant triſtitiam, aut quæ te exhilarent. Vt ſi quis dum puteum fodit, theſaurum inueniat, aut ad forum eunti canis rabidus occurrat: partim verò in nobis ipſis ſunt collocata, vt cupiditates ſuperare, aut voluptatibus modum non ponere, continere iram, aut manum inicere in illum, qui iniuriis laceſſiunt, vera dicere aut falſa, manſuetum moribus eſſe ac moderatum, aut faſtu ſuperbum, arrogantiaque elatum. Quorum itaque tute dominus es, eorum principia non aliunde quærere velis: ſed quod propriè malum eſt, id ab vltronea & voluntaria electione ſumpſiſſe principium ſcito. Non enim ſi nobis inuitis eueniret, ſitúmque in nobis non eſſet, tantus quidem à legibus metus iis qui iniurij ſunt in alios immineret: iam verò iudiciorum pœnæ indeprecabiles ſunt, quas maleficis pro meritis flagitiorum æqua talione rependunt. Atque mihi hæc de eo quod propriè malum eſt, ſint dicta. Morbus enim, paupertas, ignobilitas, mors, cæteráque id genus, quæ hominibus ſunt triſtia, non propriè malis adnumeranda veniunt, propterea quòd neque ea quæ iſtis aduerſantur, inter maxima bona numeramus.] Itaque mirum non eſt, ſi huiuſmodi malorum non moralium, alia aſſignatur cauſa, quàm veri & ſimpliciter dicti mali, de quo hactenus egimus, hoc eſt peccati, cuius germanam cauſam non niſi peccanti internam ipſam inquam hominis libertatem eſſe, ſatis confirmatum & declaratum eſt.

ARTICVLVS VII.

Generalia aduersùs moralem malitiam Alexipharmaca: ECLOGÆ ETHICÆ ex Philoſophis & Patribus.

398. SIcut tractationi de cauſa effectiua honeſtatis formalis, quia vniuerſa honeſti ciúſque cauſarum conſideratio in hac diſciplina ad opus deſtinatur, coniunximus incentiua & ſubſidia ad honeſtos actus exercendos, capeſſendámque per eos honeſtatem: Ita nunc è contrario, (tametſi ob proportionalem cauſam) tractatis iis actibus, quibus dehoneſtamur & malitiam contrahimus, proponenda ſunt amocamenta à malo morali, & inſtrumenta ad illud declinandum, vel, cùm iam irrepſerit, depellendum. Relegemus autem veſtigia, quæ in ſimili tractatione circa honeſtatem ſuprà impreſſimus. Ac proinde primo loco proponemus incentiua ad moralis malitiæ fugam; comprehenſa triplici eius malo; inhoneſtate inquam, ſiue fœditate, inſuauitate, & inutilitate, imò ſummâ damnoſitate: his delibatis (neque enim plenè tractanda, & veluti exhaurienda ſunt, quod infinitum foret, ſed perſtringenda duntaxat nonnulla huic loco accommodatiora;) ad ſubſidia malitiæ præcauendæ aut abolendæ idonea progrediemur, vt etiam circa honeſtatem anteà fecimus.

Ad malitiæ fugam, incentiua: Ac primum eius inhoneſtas, & pugna cum natura rationali.

Inhoneſtatem ac fœditatem moralis malitiæ, Philoſophis quoque fuiſſe perſpectam, multis, præſertim ex Mercurio Triſmegiſto, confirmat Neouillæus lib. 3. de animi pulchritudine *per totum.* Ducenda autem præcipuè eſt ea fœditas, ex peccati repugnantia cum ratione recta, ac per eam cum natura rationali. Siue enim ea peccati repugnantia ſit formaliter negatiua, vt aliqui volunt, ſiue poſitiua, vt ego veriſimilius arbitror, tamen certum eſt eſſe veram diſſonantiam, qua debitus ac conueniens ſtatus naturæ rationalis

rationalis euertitur, vt intelligitur ex dictis de ratione mali moralis, & ex iis quæ infra diſputabo circa virtutis cum natura rationali congruentiam, liquere poterit. Itaque quamuis nullum interueniret præceptum poſitiuum interdicens malo opere, tamen ſumma eſſet eius fœditas, hoc ipſo quòd naturæ rationali quatenus tali, & per rationis rectæ dictamina regulandæ, diſconueniret, eſſetque ſtudioſe declinandum iuxta illud Plinij lib. 5. epiſt. 14 *Oportet quæ ſunt inhoneſta, non quaſi illicita, ſed quaſi pudenda vitare; iucundum tamen, ſi prohiberi publicè videas, quæ nunquam tibi ipſe permiſeris.*

Homo, prauitate ac peccato hominem abiicit.

Agnouère hoc Philoſophi, ſæpè queſti hominem peccando violare naturam ſuam, imò eam exuere, & transformari in feram. Loca pleraque attuli tractans an virtus ſit ſecundùm naturam. Sanè vt Lactantius l.4. Inſtit c. 1. rectè pronunciat, ſolus ſapiens & virtuti addictus hominis nomine dignus eſt. Quod ab Hebræis rectè intellectum, docent, Philo lib. de Abraham, *ferè initio*, & vniuerſalius ac diſtinctius Euſebius 7. præpar. c. 3. qui obſeruant, ab Hebræis hominem virtute præditum dici *Enos*, hoc eſt verè hominem; quaſi cæteri qui non ex virtute vitam componunt, in pecudes, & diuerſi generis beſtias, pro affectuum vitioſorum diuerſitate transformentur.

399. Pulchrè etiam Philo eodem lib. de Abrah. expendens illud. *Hæ ſunt generationes Noe. Noe homo iuſtus*, in hunc mundum ſcribit. *In tantum Scriptura magnifacit hunc virtutis amatorem, vt in ſtemmate eius, non more aliorum, auos prauos, maioreſque cæteros recenſeat, ſiue paternos, ſiue maternos; ſed virtutes quaſdam; tantùm non disertè clamitans, nullam aliam familiam, cognationem, patriam, ſapientis eſſe præter virtutes & harum actiones. Hæ ſunt, inquit generationes Noe. Noë homo iuſtus, perfectus in generatione ſua, Deo placuit. Vbi ſciendum quod hominem non vulgari loquendi formâ, rationale, mortale animal vocat, ſed per excellentiã, eum, qui verè ſuo reſpondet nomini, euectus ex animo immanſuetis rabiosis, feriniſque vitiorum affectibus. Argumento eſt, quòd poſt hominem addit, iuſtum; dicens homo iuſtus, quia nemo iniuſtus, eſt homo: ſed potiùs beſtia humanâ formâ prædita, in ſolum autem iuſtitiæ ſectatorem nomẽ hoc competit.* Illuſtrat optimè hanc hominis definitionem per Iuſtitiam vniuerſalem, hoc eſt per virtutem receſſúmque à malo. S. Chryſoſtomus homil. 2. de patientia Iob, à quo item alibi expreſſum proximè adductum Philonis locum, conſtabit recolenti quæ protuli diſt. 3. num. 109. latè item abiici ab homine qui Deo non auſcultat atque adeò à peccatore, humanam naturam, alibi confirmat ex variis Iſaïæ locis, qui in conferta hominum multitudine hominẽ quærebat aiens eam eſſe corporum non hominum multitudinem. Ita ille t. 1. ſerm. 47. qui eſt in illud, *Samſon adhuc ſpirans*, &c. initio Pulchra item in eandem ſententiam habentur apud S. Baſilium in illud Pſalmi 115. *Omnis homo mendax.* Et apud Richardum Vict. prologo in Cantica.

Excutit diuinam proſapiam, & efferatur.

Eodem porrò planè recidit, quod Epictetus ſæpè exaggerat, de diuina in nobis proſapia & conſanguinitate ac etiam filiatione per peccatum abſcedente, & ſubinductâ ferè naturâ. Neque enim homo aliter filius Dei, ex mente, & ad ſenſum Epicteti conſtituitur, quàm quia accipit naturam rationalem, quæ ad diuinam imaginem eſſe dicitur, eò quòd ſit rationis & liberi arbitrij compos. Vnde excidere participatione illa diuinæ filiationis, aut cognationis, & tranſire in beſtiam, quod Epictetum inculcare dixi, nihil aliud eſt, quàm per culpam & vitium, impugnare in ſe rationem rectam, & ab iis vitæ regulis, quas hæc hominis natura præfigebat, ſcientem volentem deſciſcere. Sed ipſum Epictetum audi l. 2. cap. 8. Arriani, ita expoſtulantem. Tu principale quiddam es, delibatum ex diuina natura. Habes aliquam partem eius in teipſo Quare ignoras proſapiam tuam? Neſcis vnde veneris? Non meminiſſe vis quando veſceris qui exiſtens veſcaris, & quem nutrias, & in cœtu viuens, & cum aliis verſans, quando exerceris, quando diſputas, an neſcis te nutrire Deum, exercere Deum, circumferre Deum te ignoras, ô miſer? Cenſes me loqui de aureo quodam aut argenteo, quem extrinſecùs circumfertas? In teipſo inquam, illum geſtas, quem coinquinari abs te non ſentis. Impuris enim cogitationibus, ſordidiſque actionibus id facis. Quòd ſi Dei effigies quædam adeſſet, non in animum induceres, tale quid agere: Deo autem ipſo præſente in penetralibus, & inſpiciente omnia atque audiente, non pudet te iſta cogitare & facere, & propriæ naturæ ignarum, & dignum cui Deus ſit iratus.] Quid Chriſtiano dignius & ad componendam ritè vitam potentius?

Egregiè item lib. 1. cap 3. *Si quis huic opinioni ex animo, atque ita vt ipſius præſtantia poſtulat, aſſentiretur; nimirum non procreatos à Deo, quodam inſigni naturæ principatu, ac prætereà Deum Patrem eſſe Deorum atque hominum; haud dubiè nihil humile aut abiectum de ſeipſo cogitaturus eſſet. Quòd ſi Cæſar te adoptaret, ſupercilium tuum nemo ſanè ferret. Si ergo Dei te filium agnoſcis, non te efferes? At iſtud nos non facimus iam; propterea quòd duo hæc in ortu noſtro conſuſa ſunt & coagmentata; corpus ſcilicet, quo communicamus cum animalibus reliquis, & ratio atque intelligentia, qua conuenit nobis cum Diis. Quare nonnulli, & maxima quidem pars, ad mortiferam illam atque infelicem cognationem naturæ, propenſiores ſunt: quidam verò, & perpauci, ſeſe ad diuinam & beatam illam adiungunt cognationem naturæ.* Et mox ſubdit, hominem, labendo in culpam, tranſire in leonem, lupum, vulpem, & huiuſmodi alias feras pro vitiati affectus qualitate.

Degenerat in Centaurum, Scyllámque, ac ſi quid monſtroſius.

400. Annuit Tyrius diſſert. 14. num 100. verbis illis. [Si quis hanc in homine partem, quæ prudentiæ capax eſt, quæ Deum reſpicit; contemnat; fœdam illam alteram (corpus nimirum,) voracémque quæ voluptates curat velit paſcere, cui hoc dicemus eſſe ſimile? Fabulæ huic mehercules. Fingunt in Theſſaliæ Pelio fuiſſe homines Poëtæ, monſtroſo corpore, qui ab vmbilico equi corpus ponè attrahebant. In eiuſmodi forma monſtroſa, neceſſe fuit belluinam vnà ſaginare partem: loqui quidem vt hominem, ſaginari autem vt belluam: Videre vt homines, coïre vt belluas Euge, Poëtæ Poëtarúmque filij, antiquæ generoſæque Muſæ primi Patres: Quàm manifeſtè nobis illud quod voluptatibus nos coniungit, oſtendiſtis vinculum! Simul ac enim belluinæ imperant animo libidines, formam quidem integram relinquunt: ſui verò obſequio, eum qui vtitur hominem, in belluam conuertunt. Hoc ſibi Centauri volunt hoc Gorgones, hoc Chimeræ hoc Cecropes Deme ventris libidinem, belluam dempſiſti homini. Deme penis belluam amputaſti. Dum verò viuunt vnà cum aliquo ac nutriuntur illa quem in obſequium traxere ſui, in eo neceſſe eſt cupiditates eorũ

dominari, animúmque voces eorum perſonare.] Quod affirmat, hoc ſibi Centauros velle egregiè confirmatur expenſis notationibus ſingularium nominum quibus Centauri deſignati referuntur. Præfert eam latè Delrius in notis brevioribus ad Senecæ Herculem Oeteum ver. 505. quæ omne flagitium ſonant. Vt proinde vanum videatur vel cauſam figmenti referre in aquantes ad Peneum amnem Centauros, qui procul ſpectantibus ſpeciem biformis mõſtri præbuerint; vel vera fuiſſe talia quædam monſtra, exiſtimare ob eam de Centauris narrationem, quæ per mythologiam propoſitam ſufficienter retinetur. Bruteſcentem ergo & in belluinam formam abeuntem hominem, bellè Maximus, Centauro expreſſum cenſuit.

Similia Triſmegiſtus c. 3. Aſclep. Galenus lib. de cognoſc. & curand. animi affect. *ſub medium.* Et ex noſtris Richardus Vict. lib. 3. de erudit. inter hom c. 2. qui rationem reddit cur beſtiæ nomine expreſſus ſit motuum irrationabilium exortus. *Quaſi beſtialem enim formam ſibi induit, qui beſtialiter viuit. Nam procul dubio quod irrationabiliter, & beſtialiter degit; inquantum irrationabiliter, beſtialiter. Quid niſi quadam beſtia ſiunt, qualibet vitia? Quid niſi beſtia ſunt qualibet praua deſideria? Eiuſmodi beſtia mores lacerant, virtutes iugulant, animas ſuffocant.*

Deiicitur infra bruta

Itaque non de iis tantùm, qui inſignes in prauitate, communem ſcelerum menſuram tranſcendentes, velut efferantur, vt Ariſtoteles 7. Ethic. cap. 1. obſeruat, ſed de iis etiam qui vulgaria & ſatis frequentia peccant, non abſurdè dicitur, eos aliquatenus degenerare in beſtias. Imò verò peiores etiam brutis effici, inde demonſtrat S. Chryſoſto. homil. 32. ad popul. *in fine*, quòd qui ita viuit, corporeis dotibus cedat pleriſque brutis: animo autem non videatur ſuperior, rationem non ſequens. *Itaque*, inquit, poſt expoſitam vitam ſecundùm virtutem, [quotquot tales non ſunt, ſunt peiores brutis. Cùm enim in corporeis ſuperer is, animi verò præſtantiis careas, quomodò brutis non es inferior? Produc enim aliquem in malitia vigentium, & irrationabilium, viuentium in deliciis & auaritia: agnus eſt ipſo bellacior; fortior aper, lepus velocior, ſpecioſior pauo, cygnus dulciſonantior, major elephas, aquilæ viſus acutioris, ditiores cunctæ volucres. Vnde dignus eſt igitur brutis imperare: Ex ratione? Sed non ineſt: cùm enim eâ, non vt debet vtatur, etiam illis peior eſt Nam cùm rationem habens ſit illis irrationabilior, melius erat, ſi nec ab initio rationalis factus fuiſſet. Non enim par eſt, principatum acceptum prodere, & ad tempus non accipere. Nam & qui regnat & ſatellitibus peior eſt, ei melius eſſet, ſi neque purpuram induiſſet. Ita profectò & hic. Scientes itaque quòd & brutis ſumus peiores, ſi virtute careamus, hanc exerceamus, vt efficiamur homines] Verſatur planè inſigniter in hoc argumento idem Chryſoſtomus hom. 4. in Matth. illud inſuper præclarè eo loco vrgens, præpoſterè omninò ac indigniſſimè hominem qui feras ipſas manſuefacit, & quadantenus ad humanitatem traducit, malo morali ſubiacendo, efferari, & abiecto homine belluam induere. Similia illuſtriſſimè homil. de inſtituenda ſecundùm Deum vita, quæ eſt 10. tomi 5. Egregiè quoque in hanc rem diſſerit S. Bernard. ſerm. 35. in Cant.

Imò peior feris & Dæmon etiam peior Dæmonibus efficitur.

401. Non poſſum miſſam facere eiuſdem Chryſoſtomi grauiſſimam diſputationem in hanc rem, quam inſtituit homil. 9. in 1. ad Corinth. Nam & brutis & Dæmonibus peiorem effici vitio ſordentem, & peccato oblitum, ita demonſtrat. [Quamvis quiſpiam locuples ſit quamuis generoſus: eſt tamen inter abiectos abiectiſſimus, cùm à peccato vincitur. Quemadmodum enim ſi Rex quiſpiam, Barbarorum ſeruus fiat, omnium eſt miſerrimus, ſic qui in peccato viuit. Barbarum namque peccatum eſt, quod cùm animam ſemel captam, ita vt contra perſuaderi neſciat, in ſuis ſordibus demerſerit, ſub tyrannidem redigit. Nihil enim tam præter rationem eſt, quàm peccatum. Nihil tam ſtultum, nihil tam fatuum, nihil tam vehemens, omnia confundit, euertit, perdit. Quocunque inciderit, viſu iucundum eſt, graue, oneroſum. Quod ſi quis pictor effingeret, non ſanè mihi errare videretur, ſi in hunc modum id pingeret: Fœminam quandam in feræ ſimilitudinem, barbaram, ignem efflantem, horrendam, nigram, quales externi Poëtæ Scyllas effingunt. Innumeris enim manibus, noſtris inſidiantur cogitationibus, & inopinantes aggreditur. Omnia dilacerat more canum clanculùm mordentium. Vel potiùs, quid vobis picturâ opus eſt; cùm liceat eos, qui in peccatis viuunt, in apertum adducere? Quem igitur vultis priori loco pingamus? Num cupidum & rapacem hominem? Et quidnam illorum oculis impudentius? Quid peruicacius? Quid cani ſimilius? Neque enim tam impudens canis viſus eſt, quàm hic, cùm vndique omnia diripit. Quid huius manibus ſceleſtius? Quid huius ore magis temerarium, cùm omnia deuorat, neque ſatiatur? Noli faciem & oculos conſiderare, quòd homines ſint. Non enim vt humani oculi aſpiciunt. Non aſpiciunt homines vt homines. Non cœlum vt cœlum. Non conuertitur ad Dominum, ſed omnia pecunias eſſe arbitratur Hominum oculi egenos intueri ſolent, cùm inopia laborant; & de his ingemiſcere. Raptores autem conſpectis pauperibus magis ſæuiunt. Hominum oculi non tanquam ſua aliena conſpicantur: ſed ſua tanquam aliena: neque quæ alienis dantur deſiderant, ſed ſua in alienos effundunt. Hi non deſiſtunt niſi omnium auferant facultates, quippe qui non humanos, ſed ferinos habent oculos. Hominum oculi, nudum ſuum corpus videre non patiuntur: ſuum namque eſt, licèt ſecundùm perſonam ſit alterius. Hi autem niſi omnia populentur, omnia domum conferant, nunquam ſatiantur. Imò nullo vnquam tempore expleri poſſunt. Quamobrem nõ ferinas tantùm horum manus quiſpiam dixeris, ſed feris longè ſæuiores immanioreſque. Vrſi namque & lupi, cùm ad ſatietatem ederunt, cibo abſtinent: hi autem nunquam ſatiantur. Atqui idcircò nobis manus Deus dedit, vt aliis opem ferremus, non vt inſidiaremur. Quibus ſi ita vſuri eſſemus, ſatius eſſet eas abſcindere & manibus carere. Tu verò ſi pecudum fera lacerat, ægrè fers: cùm autem in proximum tuum id tu facis, nihil mali te facere arbitraris. Et quanam ratione homo es? Nónne vides quòd eum humanum appellamus, qui miſericordiæ plenus eſt, & humanitatis; quando verò quiſpiam crudeliter aliquid & immaniter operatur, inhumanum eum dicimus? Igitur figuram quidem homini à miſericordia, feræ autem ab immanitate deſcribimus, dicentes ſemper: Nunquid homo, fera vel canis ſiquidem homines paupertati ſubueniunt, non eam augent? Horum ora, ferarum ora ſunt, vel

potiùs

potiùs quàm ferarum ſæuiora. Verba enim proferunt, quæ illorum dentibus graue dimittunt venenum, & cædem machinantur. Quid ſi quiſpiam omnia enumerauerit, tunc verè conſpicabitur, quo pacto feras ex hominibus, qui ſe ei dedunt, inhumanitas faciat.]

Necdum ſufficienter expreſſam exiſtimat malitiæ inhoneſtatem, S. Chryſoſtomus, nec deiectionem qua per culpam homo afficitur ſatis propoſitam cenſet, eo quod dixerit, hominem infra bruta demitti peccando. Addit vlterius etiam proueht eam deiectionem, & hominem peccando transformari in dæmonem. Quod confirmat in hunc modum.

Si quis autem eiuſmodi hominum mentem inueſtigares, non iam feras duntaxat, ſed & Dæmones appellandos duceres, quippe qui incredibilis pleni ſunt immunitatis, pleni in conſeruos odij, neque hominum pudor; nulla miſericordia, nulla humanitas; ſed impudentia, temeritas, futurarum omnium contemptus; Et quæ de futuro iudicio dicta ſunt, fabulas arbitrantur, & minas illas, riſui ducunt. Talis autem mens. Confirmat hanc hominis in Dæmonem transformationem per peccatum S Cæſarius homil. 16. his præter cætera. *Multi dæmonem in corpore alieno formidant, in ſuo corde diſſimulant. Omnis enim qui ſuperbiam diligit, Diabolo plenus eſt. Et ſi cum ſuperbia inuidiam habere volueris, duobus Dæmonibus ſubditus eris. Et ſi cum inuidia etiã adulterium feceris, à tribus dæmonibus poſſidetur. Et ſi cum his malis mendacium amare volueris, ab integra quadriga Dæmonum ſubiungitur & premitur. Nam quot vitia habuerit homo, tot habet Dæmones.* Congerit in eam rem pleráſque Scripturas quibus non à Dæmone duntaxat occupari hominem traditur, ſed quod de bonis cum Deo comparatis dixit Apoſtolus, infeliciſſima ſorte his quoque cum Dæmone vnum ſpiritum effici, ac in Dæmones ſuo modo euadere. Facit ad hunc locum quod quendam cum ſe graui peccato inquinaſſet, aliquandiu ſpecie Dæmonis apparuiſſe, ait Cantipr. l. 2. c. 30 n. 40. Nec omitto quod Neotillæus l. 3. de animi pulchritud. c 5. tradit ex Mercurij Aſclepio cap. de pulchro, nempe hominem peccando efformari in Dæmonem, & illicem peccati eſſe ſemen diabolicum quo impregnatur anima, vt Diabolum concipiat & pariat. Quantis verò animæ preſſuris atque doloribus infauſta hæc proles fundatur infra ex Prudentio exponam num 420.

Hæc cùm ita ſint, non immeritò S Chryſoſtomus ſuprà, concludit in hunc modum. *Cùm igitur intrinſecùs Dæmones, extrinſecùs feris & feris ſæuiores ſint, vbinam, quæſo, tales conſtituemus? Quòd enim feris peiores ſint, inde planè conſtat, quòd feræ naturâ tales ſunt. Hi autem naturalem manſuetudinem habentes, præter naturam in immanitatem ſe vertere conantur. Verùm Dæmones qui ſibi in tentationibus conſentiunt, eos tantùm exuperant. Qui verò iugum detrectant, in eos nihil inſidiorum copia proficit: hi verò etiam obnixè repugnantes, eos, quibus calumnias ſtruunt, ſuperare contendunt. Rurſum Dæmon cum hominibus, non cum eiuſdem generis Dæmonibus certat: hic autem conſanguineum & familiarem, pro viribus malo afficere conatur, neque naturæ eum pudet.*

Squalor vitij, & ſordes carceris, cui hominem mancipat.

Pertinet quoque ad hoc caput, conſideratio ſitus & ſqualoris quo obducuntur ij quos vitium occupauerit, eóque carcere teterrimo & vinculis de quibus iam aliquoties in ſuperioribus actum eſt, illigauerit. S. Chryſoſtomus quem in virtutis commendatione & vitij inſectatione, excelluiſſe in confeſſo eſt, & idcircò à nobis in huiuſmodi negotio crebrò adducitur, præclarè id deſcripſit homil 14. in Math. *in fine* agens de catenatis in vitæ meta ex corporis cuſtodia educendis, vt ad Iudicis tribunal damnandi ſiſtantur. Eos quippe è carcere educi, ita confirmat. [Nullo enim præſens vita, differre videtur à carcere. Sed ſicut cùm triſte illud introimus habitaculum, circundatos videmus ac vinctos catenis: Ita etiam nunc, ſi extra omnia nos phantaſmata collocantes, vnuſquiſque ingrediamur animam; videbimus eam durioribus ferro vinculis colligatam; & maximè ſi in diuitum intremus animas, qui quantò copioſius ſuis opibus ambiuntur, tantò oneroſiùs vinciuntur. Sicut enim cùm aliquem videris vinctum; & ceruice, manibus pedibúſque ferratum, propterea illum maximè misereris: ſic etiam cùm videris diuitem cunctis rebus omninò circundatum, noli eum propter illa putare locupletem, propter quæ debes infelicem vocare. Præter illa ſiquidem vincula habet cuſtodem carceris ſæuiorem, amorem ſcilicet pecuniarum, qui ſemel à ſe vinctum, nequaquam de hoc carcere exire permittit. Sed mille illi imponit catenas, & oſtia, & ſeras. atque cuſtodias, & in interiorem illum coniiciens carcerem, etiam delectari his vinculis facit, vt ab illis quibus onerantur malis, nec ſpem quidem vllam liberationis inueniat. Quòd ſi intenta mentis acie, animum eius inſpexeris. non modò illum ligatum, verùm etiam ſqualentem, atque ſordentem, & vermibus plenum videbis. Neque enim meliores deliciarum indicandæ ſunt voluptates, imò etiam horribiliores: ſimul quippe corpus, animámque corrumpunt, & vtramque ſubſtantiam mille ægritudinum fontibus rigant.]

Malitia fœditas, ex inordinatione intra hominem.

402. Ex his igitur abundè patere exiſtimo, quanta ſit vitij fœditas, quantúmque de hominis perfectione detrahat, imò quantum ei probrum & dedecus conuehat. Quod prætereà S. Chryſoſtomus in 1. ad Cor. hom. 37. ad illud, *decenter & ordine omnia fiant*, pulcherrimè infert ex ordinatione, quam intra hominem efficit vitium meritò concludens. [Age igitur, ne ordinem turbemus, neque deorſum caput, pedes ſurſum vertamus, quod tum fit, cùm ratione proculcata, affectus, furorem, iram, voluptatem, in imperium accimus; vnde ingens tempeſtas, ingens oboritur turbo, intolerandi fluctus, rebus omnibus denſiſſimis tenebris inuolutis. Et ſi lubet negotij eius deformitatem primùm, mox etiam incommoda diſpiciamus. Et vt res perſpicua ſit, hominem his moribus præditum in medium conſtituamus meretrici addictum, cupiditate abſurda captiuum: ſpectaculum riſu dignum videbis. Quid enim turpius, quàm ad oſtium meretriciæ domus hærere cantillantem, pugnis à ſcorto contundi, flere, lugere, ſeipſum deturpare? Vis & pœnam videre? Cogita pecuniarum ſumptus, periculum ſæpè extremum, cum corriualibus bellum, vulnera, plagas, ex hoc prælio quæſitas. Huiuſmodi ſunt etiam quos auaritiæ obnoxios tenet. Imò turpiores; nam hi circa vnum corpus, auari circa omnium poſſeſſiones, diuitum, pauperum, ex æquo ſunt occupati, rerúmque quæ nuſquam ſunt ſtudio tenentur, quæ res, abſurdum eſſe malum, vel maximè declarat. Neque enim huiuſmodi illiúſve poſſeſſiones habere, ſed domos montes; omnia, aurum eſſe vellent; in alterum tranſeunt orbem, in immenſum excurrunt; cupiditatis finem non habent. Nam quæ dicendi vis, cogitationum illarum tempeſtatem, procellas, noctem, referre poteſt? Vbi porrò fluctuum tantùm, tantùm hyemis, quæ voluptas ſupereſſe poteſt? nulla prorſus, nulla, ſed tumultus, ſed dolor, ſed denſæ nubes,

pro aquis immenſam ſecum acerbitatem ferentes. Hoc omnibus alienæ formæ inſidiantibus, aliena concupiſcentibus accidere ſolet.] Addamus, & proportione culpæ ſeruata omnibus plane contingere, qui quomodolibet à rectæ rationis ductu exerrant, & peccatis vitiiſque ſe dedunt.

Vrgere prætereà licet aliam inordinationem tametſi reuera non aliam, ſed aliter expreſſam; ex eo ſcilicet quòd vitium hominem ad excelſa natum, humi affigat, quæ eſt inſignis ordinatiu, ipſis vitij & virtutis nominibus prodita, iuxta Philonem lib. [quis rerum diuinarum hæres, *his verbis*. Cogitationes quæcunque ſuperna petunt, meliorem ſortiuntur ordinem, virtute comite indicante viam in cœlum. Quæ autem deorſū feruntur, deteriorem occupant, detractæ & degrauatæ vitiis. Horum locorum contrarietas, nonnihil apparet in græcis eorum nominibus. Virtus enim ἀρετὴ non ſolùm παρὰ τὴν αἵρεσιν, ab electione nominatur; verùm etiam παρὰ τὸ αἴρεσθαι. Attollitur enim & in ſublime fertur cœleſtia ſemper appetens. Vitium autem κακία, ἀπὸ τοῦ κάτω κεχωρηκέναι, quod deorſum vergat, & deditos ſibi deprimat. Nam cogitationes noxiæ deſcendentes in animam, vel accitæ, vel irrumpentes, tum ipſæ deſcendunt, tum mentem degrauant voluntatem ſe turpiter cum corporibus, rebus ſenſibilibus, imperfectis & parum integris.

Alia per malitiam deordinatio, tanquam per animæ morbum, & corruptionem morti proludentem.

403. Occurrit alia animæ deordinationis per malitiam explicatio, apud Patres & Philoſophos frequens. Vt enim in corporibus ſymmetria humorum & primarum qualitatum ſanitatem conſtituit, quæ eſt ordo debitus inter qualitates illas & humores à quibus pendet hominis bene eſſe quoad corpus: Morbus è contrà eſt qualitatem illarum & humorum inordinatio, quam, (niſi inhibeatur,) hominis interitus conſequitur: Ita in anima, ex vitio tollitur ea harmonia, iſque ordo & concentus, quo eius bene eſſe conſtituitur, cùm virtus adeſt. Vt propterea virtutem *ſanitatis* nomine inſigniant paſſim, nominatimque Maximus Tyrius diſſert. 4. *per totam*. Antoninus lib. 1. de vita ſua, n. 9. Seneca Epiſt. 75. & Ariſton. quem Carpentarius in c. 21. Alcinoi, n. 4. notat, omnes virtutes vna ſanitatis animæ appellatione inſigniuiſſe. Hoc itē voluit Plato in Sophiſta, & optimè paucis his verbis 4. de Repub. *Virtus, vt apparet, ſanitas quadam eſt & pulchritudo, & robuſtus animi vigor: prauitas contrà morbus, turpitudo, & imbecillitas.*

Idem præclarè verſat Guliel Pariſ. lib. de virtut. cap. 6. & Richardus Victorinus tract. 1. de ſtatu inter. hom. præſertim c. 34. ac etiam optimè S. Chryſoſtomus, cùm peccatum ex eo inſectatur, quòd ſi morbus animæ, homil. 11. in Epiſtolam ad Philippenſes, *in morali*, generis humani morbos deſcribens. *Vidit*, inquit de Deo agens, *in ſtercore iacentem & vermibus ſcatentem, & vlceribus plenum, febri & fame laborantem, omne morbi genus habentem. Nam & febris moleſtabat: ea quippe eſt mala concupiſcentia. Et inflammationes premebant: hoc enim eſt arrogantia. Et vehemens fames, βουλιμία quæ tam, vt dicitur, obtinuerat: iſtud namque eſt auaritia. Et putredines vndique: nam hoc eſt fornicatio. Et cæcitas oculorum: ea quippe eſt idololatria. Et ſurditas, & inſania: hoc ſiquidem eſt procumbere coram lapidibus ac ligno, & illis colloqui. Et multa deformitas: hoc ſcilicet eſt malitia, moleſtus quidam & grauiſſimus morbus.*

Pleniùs etiam homil. 24. in ad Epheſios ad illud: diligentibus in ſynceritate. [Illud, *in*, (*inquit*) idem eſt quod, per; ſynceritatem, itaque, id eſt, per virtutem. Omne enim peccatum corruptio eſt. Et quemadmodum virginem corrumpi dicimus, ita & animam. Propterea Paulus dixit, *Ne quo pacto corrumpantur ſenſus veſtri.* Rurſus & in doctrina incorruptionem dicit. Quid enim, inquit, dic, quæſo, corporis eſt corruptio? nūquid diſſolutio totius, compoſitioniſque ipſius? Illud & in anima fit, accedente peccato. Nam animæ pulchritudo eſt modeſtia, fortitudo, iuſtitia. Sanitas animæ eſt, animus virilis: prudentia, bona valetudo. Quando enim turpis, deformis, auarus, quique improbis actibus ſeipſum dedit, quando meticuloſus, effœminatus & imbellis marceſcit, adhuc peccata corruptionem in illis operantur. Turpes enim faciunt, & imbecilles, & languores pariunt. Corrumpi namque virginem ob id propriè dicimus, non ſolùm quòd corpus corrumpitur, ſed & propter iniquitatem ac ſcelus. Commixtio enim eſt quod fit. Si autem illa corruptio eſſet, vtique corruptio eſſent & nuptiæ. Sed peccatum eſt corruptio. Illud enim eam deturpauit. Quin corruptio domus quid eſt, niſi diſſolutio? Et vbique corruptio, tranſitus & immutatio quædam eſt, quæ fit ad peius & in alium habitum, & in perniciem prioris.] Subdit de corruptionis illius & mortis in re immortali & incorruptibili, (cuiuſmodi eſt anima,) grauitate & æternitate, ad quàm morbo peccati & culpæ præluditur.

404. Prudentius hymno 2. periſteph. ex S. Laurentij perſona, ſigillatim, percurrens communiora quæque & grauiora peccata; ſuperbiam inquam, inuidiam, luxuriam aliàque huiuſmodi, demonſtrat cum quibus corporis morbis, ſingulæ hæ animi ægritudines proportionem habeant, quámque malè afficiant animum. Adſcribo nonnulla, quibus ſanctiſſimus Martyr furentem Præfectum ob ægros & debiles loco theſaurorum quæis inhiabat, obtruſos; qui ſint veri morbi, docere nititur.

Committe formas peſtium,
Et confer alternas lues,
Carniſne morbus fœdior,
An mentis & morum vlcera:
Noſtri per artus debiles,
Intus decoris integri,
Senſum venuſti innoxium,
Languoris expertes gerunt.
Veſtros valentes corpore,
Interna corrumpit lepra,
Error que mancum claudicat,
Et cæca fraus nihil videt.
Quemuis tuorum principum,
Qui veſte & ore prænitet,
Magis probabo debilem,
Quam quis meorum pauperum
Hunc qui ſuperbit ſerico,
Quem currus inflatum vehit;
Hydrops aquoſus, lucide
Tendit veneno intrinſecùs.
Aſt hic auarus, contrahit
Manus recuruas, & volam
Plicans, aduncis vnguibus
Laxare neruos non valet.
Iſtum libido fœtida,
Per ſcorta tractum publica,
Luto & cloacis inquinat,
Dum ſpurca mendicat ſtupra.
Quid ille feruens ambitum,
Sitimque honoris æſtuans,
Morbiſne anhelat febribus,
Atque igne venarum furit?
Quiſquis tacendi intemperans
Silenda prurit prodere,

Vexatur

Vexatur, & ſcalpit iecur,
Scabiémque cordis ſuſtinet.
Quid inuidorum pectorum
Strumas retexam turgidas?
Quid purulenta & liuida
Malignitatum vulnera?
Tu & ipſe qui Romam regis,
Contemptor æterni Dei
Dum Dæmonum ſordes colis.
Morbo laboras regio.

Eſt igitur peccatum ac malitia, morbus animæ, mentóque omnes malos, tametſi bene coloratos, ægros pronunciat Seneca l. de conſtantia ſapientis, cap. 13. Nec qualemcunque hunc eſſe morbum, ſed peſtiferum, ait Antoninus l. 9. num. 2. [Nondúmne, *inquit*, te ne experientia quidem docuit, vt peſtem fugias? Peſtis enim eſt ea intellectus corruptio, longè magis quàm aëris. Quædam intemperies iſta, & mutatio. Hæc enim animali peſtis eſt, quatenus viuit illud; hæc hominum, qua ratione ſunt homines. *De eadem peſte ita Philo lib. de confuſ. linguar.* Cùm anima noſtra tripartita ſit, pars eius mens & ratio, pars ira, pars concupiſcentia eſſe dicitur, ſingulæ ſuis morbis laborant, atque etiam inter ſe communibus vniuerſæ; quoties mens quidem imprudentiæ, timiditatis, luxuriæ, iniuſtitiæ ſegetes demetit. Ita verò immanes furioſáſque rabies, & cætera quibus grauida eſt, mala parit. Concupiſcentia quoque amores ſemper iuueniliter leues & temerè ad quæuis corpora & ad quaſlibet res aduolantes, quocunque immittit; tunc enim tanquam in naui nautis, vectoribus, gubernatoribus, per dementiam in eius perniciem conſonantibus, etiam qui perdunt, vna pereunt: grauiſſimum enim malorum eſt, & penè ſolum inſanabile, omnium animæ partium ad peccandum conſenſus, cùm tanquam in publica peſtilentia nihil ſani ſit reliquum, quod ægrotis mederi poſſit. Sed & medici vna cum vulgo laborant, eadem qua cæteri lue correpti.] Periculoſiorem porrò eſſe hanc luem & morboſitatem animæ lue ac morboſitate corporeâ demonſtrat Plutarchus iuſto opuſculo: id quod etiam Theodoretus initio libri primi contra Græcus luculenter tradit.

405. Proludi porro dicebam his morbis, æternæ morti. Hoc ſi phyſici fines prætergrediendi eſſent, campum latè patentem ad excurrendum præberet; demonſtrando, Deum, qui interuentu gratiæ factus erat interioris hominis noſtri, & vt S. Petrus loquitur, abſconditi cordis hominis, velut anima & forma, depelli, atque ita induci animæ mortem per peccatum graue; quod inde etiam mortiferum & lethale appellatur. In hanc rem luculenter diſſerit S. Auguſtinus 13. Ciuit. c. 2. & l. 20. c. 6. S. Gregorius 6. Regiſtri, epiſt. 13. & paſſim alij, quæ miſſa, quia ad altius ſubſellum ſpectant.

Inſignis alia malitiæ inordinatio, ex pugna cum Deo,

Ex eo prætereà fœditatem moralis malitiæ, & inordinationem petere licet, quòd non modò rationem creatam, vt hactenus proſecuti ſumus, ſed increatam quoque imperat, quæ iuxta ſanctum Nilum c. 49. de orat. eſt *ſubſtantialis ratio*: Eſt enim omne peccatum Diuinitatis iniuria, vt affirmauit Saluianus 4. ad Eccleſ. *ferè initio*, & ſuo loco infrà demonſtrabimus, ex eo quòd homo ſit Dei pluſquàm mancipium, ac proinde faciat contra ius acctum, quo Deus potitur, ne quis potentias ſuas (quæ vtique bona ſunt Dei,) vſurpet inuito Domino. Quam argumentationem inſinuat S. Auguſtinus 19. Ciuit. c. 21. & luculenter, aliis in rem noſtram additis, tradidit S. Bernardus ſerm. 3. de Paſch. explicans inimicitias & *guerram* (vt ait) *crudeliſſimam*, quam erga Deum exercet voluntas propria, vnica peccati parens, vitiique adminiſtra. [Porrò, *inquit*, voluntas propria quo furore Dominum maieſtatis impugnet, audiant & timeant ſerui propriæ voluntatis. Primò namque ſeipſam ſubtrahit & ſubducit eius dominatui, cui tanquam autori ſeruire iure debuerat, dum efficitur ſua. Sed nunquid contenta erit hac iniuria? Addit adhuc; Et quod in ſe eſt, omnia quoque quæ Dei ſunt, tollit & diripit. Quem enim modum ſibi ponit humana cupiditas? Nónne qui per vſuram acquirit pecuniam modicam, ſimiliter mundum lucrari conaretur vniuerſum, ſi nō deeſſet poſſibilitas, ſi ſuppeteret voluntati facultas? Dico fiducialiter, nemini qui ſit in propria voluntate, poſſet vniuerſus mundus ſufficere. Sed vtinam vel rebus iſtis eſſet contenta, nec in ipſum (horribile dictu!) deſæuiret Rectorem. Nunc autem & ipſum, (quantùm in ipſa eſt) Deum, perimit voluntas propria. Omninò enim vellet, Deum peccata ſua aut vindicare non poſſe, aut nolle, aut neſcire. Vult ergo eum non eſſe Deum; quæ quantùm in ipſa eſt, vult eum aut impotentem, aut iniuſtum eſſe, aut inſipientem. Crudelis planè & omninò execranda malitia, quæ Dei potentiam, iuſtitiam, ſapientiam, perire deſiderat. Hæc eſt crudelis beſtia, fera peſſima, rapaciſſima lupa, & leæna ſæuiſſima. *Quod dixit Bernardus, peccantem nolle Deum eſſe, totidem verbis habetur apud Hieroclem ad verſum 49. Pythagoræ.* Qui iniuriam, *inquit*, alteri facit, Deum eſſe non vult, ne dando pœnam, tanquam Syſiphi lapidem impendentem ſuſtineat.]

Impietas cum quolibet peccato complicata, etiam iuxta Ethnicos.

406. Hinc perſpicua fit labes ac fœditas impietatis, quam in quavis culpa graniore, agnoſcunt, non noſtri tantùm, ſed etiam Ethnici. Continetur enim præſertim ea, quam attigi diuini iuris imminutione, & Numinis de ſummo faſtigio deiectione, ſi per vires peccantis ex vitio operantis ſtaret. Quanquam aliis quoque ex capitibus declarari poteſt ea impietas. Quod ad ſummam vitij fœditatem demonſtrandam, iuuat ex nonnullis Ethnicis exponere. Stoïci, vt eſt apud Stobæum in Eclogis Ethicis, cap. 4. *omne peccatum volunt impietatem eſſe, cùm ſit huius proprium, Deorum voluntati reſiſtere. Cùm enim Dij virtutem eiúſque opera diligant, vitium eiúſque opera oderint. peccatum autem vitij ſit opus, efficitur omne peccatum diis diſplicere, ideóque impietatem eſſe: Præterea cùm improbus omnia ſecundum vitium faciat, quemadmodum probus ſecundùm virtutem, quique vnum habet vitium, omnia habeat, in his autem cernatur etiam impietas vt functione carens, ita pietati contraria, omne peccatum neceſſariò ſit impietas. Stultum quoque omnem diis inimicum cenſent, cùm ſit inimicitia vitæ diſcordia, quemadmodum amicitia concordia. Cùm autem ſtulti à Diis in vita differant, fit vt ſtultus omnis diis ſit inimicus, quatenus cuncti, ſibi contrarios pro inimicis habent.* Stultos, iuxta phraſim Stoïcam ſuprà tactam, vocant vitiis commaculatos, quos, vt vides, impietatis arguunt, quòd Numini obſidiant atque diſpliceant, & exoſi ſint cùm ob vitæ diſſimilitudinem, tum maximè ob eam cum diuinis legibus diſcordiam, quæ ad iniuriam in Deum verámque impietatem pertinet.

Hoc ſpectans Charondas Catanæus in legum proœmiis, apud Stobæum ſerm. 44. ita ad leges ſuas præ-

animo etiam in minimis delictis teſtem effugimus conſcientia remordemur. E diuerſo autem in omni bono læti, conſtantes intrepidi ſumus; idque ſi occultum eſt, palam etiam fieri cupimus, & volumus, niſi quòd teſtimonio ſibi eſt ipſa natura, quæ hoc ipſo declarat bonum ſuum, quo ei malum diſplicet, & dum in bono tantùm opere confidit, quid ſolùm eam deceat oſtendit. Hinc eſt illud, quòd frequenter carnifice occulto, in autorem ſceleris, conſcientiæ tormenta deſæuiunt, & latentem rem ſecreta mentis pœna perſequitur. Nec vllus poſt culpam impunitati locus eſt, cùm ſit reatus ipſe ſupplicium. Hinc eſt, quod è contrariò innocens etiam inter ipſa tormenta fruitur conſcientiæ ſecuritate, & cùm de pœna metuat, de innocentia gloriatur. Eſt enim, inquam, in animis noſtris naturalis quædam, (vt ita dixerim,) ſanctitas; quæ velut in arce animi præſidens, exercet mali bonique iudicium: Et vt honeſtis rectiſque actibus fauet, ita ſiniſtra opera condemnat, atque ad conſcientiæ teſtimonium diuerſas partes domeſtica quædam lege diiudicat, nec vllo proſſus ingenio, aut fucato aliquo argumentorum colore decipit: ipſis nos cogitationibus, fideliſſimis & integerrimis ſanè teſtibus, aut arguit, aut defendit.]

409. Optimè item Proſper cùm ſententia 191. vbi nullas his eſſe poſſe grauiores pœnas affirmat; tum lib. 3. de vita contempl. c. 21. in hæc verba. *Cæterùm ſi ee tempore, quo quis peccare deliberat, ſana mente conſideret, quæ pœna expectet in ſuis facinoribus ac flagitiis deprehenſos, quod ſupplicium conuictos excruciet, qui tremor membra quatiat, pallor ora perfundat, quantum denique humiliet, & excerabiles omnibus reddat, etiā ipſum ſordida opinionis opprobrium, neſcio an poſſit quiſquam vitiis accommodare conſenſum. Quid enim mali operis fieri poteſt, vnde nec erubeſcant etiam illi quos ipſa flagitia ſua delectant? Hinc eſt quòd hi qui bona ſua vanè ac deformiter iactant dedecora quibus remordentur, & humiliantur, occultant. Quid quòd in peccantem, etiam ſi humano iudicio, conſcientia iudicantis tormenta deſæuiunt, & malè ſibi conſciam mentem ipſa etiam cogitationes ſecreti reatus, cruciatoria recordatione conſumunt:*

In eandem ſententiam luculenter in hunc modum diſſerit S. Auguſtinus in Pſal. 45. ad v. 1. [Inter omnes tribulationes humanæ animæ, nulla eſt maior tribulatio quàm conſcientia delictorum. Namque ſi ibi vulnus non ſit, ſanûmque ſit intus hominis, quòd conſcientia vocatur, vbicunque alibi paſſus fuerit tribulationes, illuc confugiet, & ibi inueniet Deum. Si autem ibi requies non eſt propter abundantiam iniquitatis, quoniam & ibi Deus non eſt, quid facturus eſt homo: Quò confugiet, cùm cœperit pati tribulationes? Fugiet ab agro ad ciuitatem, à publico ad domum à domo ad cubiculum, & ſequitur tribulatio. A cubiculo iam quò fugiat non habet, niſi interiùs ad cubile ſuum. Porrò ſi ibi tumultus eſt, ſi fumus iniquitatis, ſi flamma ſceleris, non illuc poteſt confugere. Pellitur enim inde, & cùm inde pellitur, à ſcipſo pellitur. Et ecce hoſtē ſuum inuenit, quò confugerat: ſcipſū quò fugiturus eſt? Quacunque fugerit ſe talem trahit poſt ſe; & quocunque talē traxerit ſe, cruciat ſe. Sed à ſeipſo ſunt tribulationes, quæ inueniunt hominem nimis; acerbiores enim non ſunt tantò ſunt acerbiores, quantò ſunt interiores. Videte, chariſſimi, cùm ligna dealbantur à fabris & probantur, aliquando in ſuperficie videntur quaſi læſa & putrida; faber autem inſpicit tanquam medullam interiorem ligni, & ſi ſana interiùs ligna cognouerit, promitti ea in ædificio duratura, nec valdè erit de ſuperficie læſa ſollicitus, quando id quod interius eſt, ſanum renunciat. Porrò hominis interius conſcientia non inuenitur. Quid igitur prodeſt, ſi quod eſt exterius, ſanum eſt, & putrefacta eſt medulla conſcientiæ.]

410. Eloquentiſſimè ac neruoſiſſimè Chryſoſtomus hanc in morali prauitate amaritudinis radicem, hanc conſcientiæ lacerationem, proponit homil. 12. in ad Rom. *in morali*, ſcribens in hunc modum. [Si mihi inhærentem vitioſitati voluptatem allegas, allegato item & illius exitum. Ea enim in mortem denique erumpit: quemadmodum è contrà virtus ipſa, dux nobis vitæ & autor eſt. Quin potiùs ſi ita videtur, horum vtrumque, vel ante exitum cuiuſque ſuum, expendamus. Ita fiet, vt percipiamus vitium quidem magno dolore; virtutem autem magna adeò voluptate conſtare, Quid enim, quæſo, magis triſte, quid minùs lætum eſſe queat, vitæ malè actæ conſcientia? Quid rurſus minùs mœſtum, magis ſuaue ſpe bona? Certè. nihil ſic animos noſtros ferire, nihil ſic premere conſueuit, vt mala expectatio. Rurſus nihil ſic illos ſuſtentare, erigere, ac veluti volatiles reddere, vt conſcientia bona. Atque hoc ſanè, vel ab his rebus, quæ in noſtrum hominum vſum cadunt, pernoſcere licet. Nam qui carcere clauſi tenentur, ſententiam contra ſe expectantes, ij vt deliciis infinitis ac voluptatibus interim perfruantur, maiori ſane cum animi triſtitia victitant, quàm inopes ij, qui per vrbium angiportus quum mendicent, nullius tamen ſceleris ſibi conſcij ſunt. Supplicij enim expectatio illos non ſinit præſentium voluptatum ſenſum capere. Et quid hîc de cuſtodiis loquor? quum videamus ipſos etiam cerdones diurno nocturnóque labore vitam ſibi vel ægrè comparantes, longè meliore eſſe conditione, iis, qui liberi ac diuites cùm ſint, ſceleris tamen alicuius conſcientia ſollicitantur? Quamobrem gladiatores miſeros ducimus, vt eos etiā videas in cauponis, ac popinis vino ſe obruere, voluptati operā dare, vētri deſeruire eoſdéq; omnium infeliciſſimos hoc nomine dictitamus, quòd voluptate illa multò vberior ſit eius, quem expectant, exitus calamitas. Quæ ſit tamen illis vita ſuauis eſſe videtur, in mentem vobis veniat ſermonis eius, quem ego aſſiduè apud vos vſurpare ſoleo, nihil mirum eſſe, ſi minùs fugiant vitioſitatis amaritudinem, mœſtitiámque in vitioſitate. Ecce enim res eò vſque inamabilis, amabilis iis eſſe videtur, qui illam pertractant; ſed non propterea tamen illos beatos eſſe affirmamus. Verùm vel hoc ipſo infelices pronunciamus, quòd neſciant ipſi quibus, quantiſque in malis verſentur miſeri, Iam quid de ſcortatoribus dicas? qui modicam ob voluptatem, tantam ſeruitutis turpitudinem, tantum pecuniarum ſuſtinent ſumptum, tum verò terrorem aſſiduum: Breuiter vitam Cain viuunt, ſeu veriùs dicam, illâ etiam vitâ multò duriorem: hinc præſentia pertimeſcentes, illinc futura formidantes, & amicos, & inimicos, & conſcios, & minimè conſcios ſuſpectos habentes. A qua quidem ſollicitudine atque anxietate, ne ſomnum quidem dum capiunt, eximuntur, ſomnia diuerſis timoribus plena, identidem illis alternante ac renouante conſcientia, ſicque illos territante. At non eadem eſt hominis caſtè temperatéque viuentis conditio, vt qui otioſa in libertate, libero in otio vitam tranſigit. Opponito igitur paruæ illi voluptati magnos terrorum huiuſmodi fluctus: Tum autem breui continentiæ labori, vitæ perpetuò duraturæ tranquillitatem: ac tum demum intelliges hanc illâ eſſe longè ſuauiorem.]

Idem homil. 1. de Lazaro. [Iam nunc qui improbè agunt atque in peccatis viuunt, puniuntur. Nec enim mihi dixeris, illum menſa ſumptuoſa frui, veſtibus circundari ſericis, mancipiorum greges circumferre, alios ſubmouere in foro: ſed explica mihi iſtius conſcientiam, & videbis intus grauem peccatorum tumultum, iugem metum, tempeſtatem, turbationem,

Videbis

Videbis velut in curia mentem ad thronum conſcientiæ conſcendiſſe regalem, & tanquam Iudicem quempiam ſedentem, & cogitationes loco carnificum adhibentem in equuleo ſuſpendentem, lateráque conſcientiæ radentem vngulis, pro commiſſis, vehementer inclamantem; quum nemo ſciat, niſi quòd ſolus Deus hæc videre nouerit. Etenim qui committit adulterium, etiamſi millies fuerit diues, etiamſi nullum habeat accuſatorem, non deſinit tamen intùs ſeipſum accuſare. Et voluptas quidem temporaria eſt, dolor verò perpetuus. Timor vndique ac tremor, ſuſpicio & anxietas, angulos metuit vmbras ipſas formidat, ſuos ipſius famulos, conſcios, inſcios illam ipſam quam corrupit, & virum quem affecit contumelia. Obambulat amarum accuſatorem circunferens conſcientiam, quum ſit ſuo ipſius iudicio damnatus nec vel ad breue tempus poſſit reſpirare. Nam & in lecto, & in menſa, & in foro, & in domo, & interdiu, & noctu, & in ipſis frequenter ſomniis, hæc iniquitatis ſimulachra videt, ipſiúſque Caïn vitam viuit gemens ac tremens ſuper terram, quum nemo ſciat, intús tamen habet ignem implicitum. Idem patiuntur & qui rapinam exercent, & qui fraude lucrum faciunt; hoc & ebrioſi; in ſumma, quotquot in peccatis viuunt. Neque enim vlla ratione iudicium illud poteſt corrumpi muneribus.]

411. Rurſus homil. 4. eiuſdem argumenti. [Quare nobis Iudicem in animo ſic perpetuò vigilantem, & attentum, Deus conſtituit? Conſcientiam loquor. Nec enim eſt vllus inter homines adeò vigilans, vt eſt noſtra conſcientia. Nam externi Iudices & pecuniis corrumpuntur, & adſentationibus deliniuntur, & metum ſimulant, denique multa ſunt alia, quæ rectum illorum iudicium deprauant: At conſcientiæ tribunal, nulli hominum nouit cedere, ſed quamuis dederis pecunias quamuis mineris, quamuis aliud quidlibet feceris, iuſtam feret ſententiam aduersùs peccatorum cogitationes, adeò vt ipſe quoque qui peccatum admiſit, ſeipſum condemnet, etiamſi nullus alius accuſet. Neque id ſemel atque iterum, ſed ſæpiùs, imò per omnem vitam hoc facere non deſinit: & licèt ingens temporis interuallum interceſſerit, nunquam tamen obliuiſcetur eorum quæ facta ſunt. Quin & cùm perpetratur peccatum, & priuſquam perpetretur, & poſtquam eſt perpetratum, acerbus nobis imminet accuſator, maxime verò poſteaquā perpetratum fuerit. Nam in perpetrando ſcelere quoniam voluptate ſumus ebrij, non perinde ſentimus: cæterùm ſimul atque commiſſum eſt, cœperítque finem, tum demum extincta voluptate, amarus pœnitentiæ ſtimulus ſuccedit; contrà quàm accidere ſolet mulieribus parturientibus. Nam illis ante partum labor eſt ingens, grauéſque nixus, diſſecantibus eas doloribus, poſt partum verò relaxatio, dolore ſimul cum infante. Verùm hìc non item, ſed dum parturimus concipimúſque corruptos affectus, delectamur gaudemúſque: cæterùm vbi fuerimus enixi malum illum puerum peccatum, tum conſpectà fœditate partus, diſcruciamur grauiùs, quàm mulieres parturientes]

Subdit infrà, inſignem diuinæ prouidentiæ hac in parte ſuſpectionem quòd. *Illud prouidit, vt ex interuallis nobis immineret conſcientiæ redargutio, propterea quod eſt admodum ſeuera & quouis ſtimulo acriùs pungere conſueuit peccatorem. Non enim tunc ſolùm: quum ipſi peccamus, verùm etiam cùm alij committunt eadem, vehementer inſurgit, magnáque contentione nobis occlamat. Nam ſcortator, adulter, aut fur, non modò cùm accuſatur ipſe, verùm etiam cùm audit alios eadem auſos accuſari ipſe ſibi videtur; flagris cadi, dum increpantur alij, ſuorum admiſſorum reminiſcens. Et alius quidem vocatur in ius, hic verò flagellatur, cui nullum crimen intenditur, ſi fuerit eadem auſus. Quemadmodum in aliorum rectè factis dum laudantur & coronantur qui eadem cum ipſis rectè facta geſſerunt, gaudent exultántque quaſi non tam illi, quam ipſi laudarentur. Quid igitur eſſe poſſit homine peccatore miſeriùs qui quoties accuſantur alij ipſe exanimatur?*

412 Non diſſimilia S. Ambroſius 2. de Abrah. cap. 4. & pulchrè 1. offic cap. 12. *Cui abſolui poteſt, qui nec ſibi innocens eſt?* &c. *Vides conuiuium peccatoris, interroga eius conſcientiã. Nónne grauiùs omnibus fœtet ſepulchris. Intueris lætitiam eius, & ſalubritatem miraris corporis, filiorum atque opum abundantiam? Introſpice vlcera, & vibices animæ eius, cordíſque mæſtitudinem*, nempe ob conſcientiæ iugem lancinationem. Quæ cauſa eſt cor mox in capitis calce ſubdat, impium ſibi ipſi pœnam eſſe. Idem eiuſdem Operis l. 5. c. 4. *Quæ pœna grauior quàm interioris vulnus conſcientiæ? Quod ſeuerius iudicium quam domeſticum, quo vnuſquiſque ſibi eſt reus, ſéque, arguit?* Rurſus epiſt. 18. animam vitiis ſquallentem ita affatur. *Cur comprehenderunt te dolores parturientis, vt parturires iniquitates, & pareres iniuſtitias? Nullus enim maior eſt dolor, quam is qui peccati mucrone vulnerat conſcientiam; neque vllum grauius eſt onus, quàm peccatorum ſarcina, & pondus flagitiorum. Deprimit animam, curuat vſque ad terram, ne ſe erigere poſſit. Grauia, fili, grauia nimis delictorum pondera.*

Similia in hanc rem pete ex S. Gregorio 12. Moralium, cap. 19 & 20 circa illos Iobi verſus: *Sonitus terroris ſemper in auribus illius Terrebit eum tribulatio, & anguſtia vallabit eum* Inſignia illa ex Victore Cartennenſi lib. de Pœnit. cap. 5. *Conſcientia apud quam non moritur omne quod gerimus, nos in factis noſtris accuſat & iudicat, cùmque non habeat loquendi vſum, neſcit tamen tenere ſilentium. Poteſt conſcius morti ſubduci, non poteſt teſti conſcientiæ. Nihil tectum ei eſt, & ſine te non eſt: hæret pectori, nec vnquam te deſerit, & velut quædam pediſſequa, nullo abs te temporis interuallo diſcedit; tenet te reum, & in ſua ſemper ditione captiuum.*

Nolo Richardum Victorinum præterire, qui cùm alibi in hanc rem plurima diſputat, tum inſigniter in Beniamino minore, cap. 48. vbi allegoricè exponens quæ de liberis Iacobi in Scriptura produntur, veniens ad Dinam, quam interpretatur verecundiam, ait conſonare notationem vocis illius. *Dina* enim ſi vocis corticem attendamus, idem eſſe ait, quod *iudicium iſtud*. Pérque hanc occaſionem, interni iudicij quo reus peccator comminuitur & torquetur, apparatum omnem egregiè deſcribit, appoſitiſſimè ſanè ad rem præſentem ſic habet. [Hoc itaque eſt illud iudicium, quo quiſque à propria conſcientia conuenitur, conuincitur, condemnatur, & digna confuſionis pœna mulctatur. Si enim ſibi conſcius non eſſet, non eſſet vtique vnde erubeſcere deberet. Et confuſio quidem ſi nulla pœna eſſet, non eſſet vnde eam quiſquam tam deteſtari, vel tantùm deuitare debuiſſet. Miro itaque modo, mens cuiuſque de propria conſcientia conuicta, & condigna confuſione dejecta, vno eodémque tempore, ipſa contra ſeipſam dictat ſententiam, ipſa de ſeipſa ſumit vindictam. Hoc itaque eſt illud iudicium, in quo vnus idémque eſt ille qui iudicat, & ille qui iudicatur: Idem ipſe qui condemnat, & idem ipſe qui condemnatur: Vnus idem qui punitur, & ipſe qui punit. Non ergo ſine cauſa fuit, quòd hoc tale iudicium, Scriptura ſacra non ſine demonſtratione nominare voluit. *Iſtud* enim demonſtrationem ſemper ſignificat. Et quid aliud hæc adjectio quam animum audientis in admirationem excitat? Verùm iudicium mirabile, dignúmque admiratione, dignéque pronunciandum cum demonſtratione.

tione. In quo quidem iudicio, quantò quiſque ſeipſum ardentiùs diligit, tantò in ſeipſum acriùs ſæuit; Et quò parci ſibi vehementiùs cupit, tantò minùs ipſe ſibi parcit. quia quò ampliùs ſuam confuſionem formidat, eò acerbiùs ſua quemque confuſio vexat.]

S. Bernardus Richardo æqualis & coniunctiſſimus, non modò idem cum eo ſtatuit l. de inter. dom c. 31. proprium hominis de ſeipſo per conſcientiam iudicium & præuiam accuſationem expendens, & tortores internos ac domeſticum in ea carcerem ac infernum agnoſcens ſerm. 2, & 4. de Aſſump. ſed etiam inſigni ratione idem confirmat in Declamat. circa illud, *Ecce nos reliquimus omnia.* Præmiſſo enim angore conſcientiæ tanquam verme qui hominem in extremo iudicio exedet, eum confirmat ex præſenti lancinatione prauæ conſcientiæ. *Quid enim cauſa eſt quod ne modò quidem conſcientia ſtimulos ſuſtinere aliquatenus poſſunt, ſed auertunt oculos cordis & ad conſolationes miſeras conuertantur aut certe diſſimulationibus aliquibus decipiunt ſemetipſos, & mentitur iniquitas ſibi, niſi quod intolerabilis ille eſt cruciatus (licèt adhuc blandiatur ſpes & extenuet omninò dolorem) dum ſibi ipſis prolixiora tempora metiuntur & omne quod agunt facilè diluendum, deferendúmque quod appetant temeraria præſumptione promittunt?*

Eadem conſcientiæ laceratio, ex Ethnicis expoſita.

Hanc animi ex peccato carnificinam, ne Ethnici quidem ignorarunt. Inſignem ex Ariſtotele locum protuli d. 1. n. 195. Alia nunc addo. Seneca epiſt. 97. [Vt ſcias ſubeſſe animis, etiam in peſſima abductis, boni ſenſum, nec ignorari turpe, ſed negligi; omnes peccata diſſimulant, & quamuis feliciter ceſſerint, fructu illorum vtuntur, ipſa ſubducunt. At bona conſcientia prodire vult, & conſpici. Ipſas nequitia tenebras timet. Eleganter itaque ab Epicuro dictum puto: Poteſt nocenti contingere vt lateat, latendi fides non poteſt. Aut ſi hoc modo meliùs explicari poſſe iudicas ſenſum: Ideò non prodeſt latere peccantibus, quia latendi etiamſi facultatem habent, fiduciam non habent. Ita eſt; Tuta ſcelera eſſe poſſunt; ſecura non poſſunt. Hoc ego repugnare ſectæ noſtræ, ſi ſic expeditur, non iudico. Quare? Quia prima & maxima peccantium eſt pœna, peccaſſe. Nec vllum ſcelus, licet illud fortuna exornet muneribus ſuis, licèt tueatur ac vindicet, impunitum eſt: quoniam ſceleris in ſcelere ſupplicium eſt. Sed nihilominùs & hæc & illa, ſecundæ pœnæ premunt ac ſequuntur, timere ſemper expaueſcere, & ſecuritati diffidere. Quare ego hoc ſupplicio nequitiam liberem? Quare non ſemper illam in ſuſpenſo relinquam? Illic diſſentiamus cum Epicuro, vbi dicit nihil iuſtum eſſe naturâ, & crimina vitanda eſſe, quia vitari metus non poſſit. Hic conſentiamus, mala facinora conſcientiâ flagellari, & plurimùm illi tormentorum eſſe, eò quòd perpetua illam ſollicitudo vrget ac verberat, quod ſponſoribus ſecuritatis ſuæ non poteſt credere. Hoc enim ipſum argumentum Epicuri eſt, natura nos à ſcelere abhorrere quòd nulli non, etiam inter tuta, timor eſt. Multos fortuna liberat pœna, metu neminem. Quare? quia infixa nobis eius rei auerſatio eſt, quam natura damnauit. Ideò nunquam fides latendi fit etiam latentibus, quia coarguit illos conſcientia, & ipſos ſibi oſtendit. Proprium autem eſt nocentium, trepidare. Malè de nobis actum erat, quòd multa ſcelera legem & Iudicem effugiunt, & ſcripta ſupplicia, niſi illa naturalia & grauia de præſentibus ſoluerent, & in locum pœnitentiæ timor cederet. *Epiſt.* 43. in ipſo fine.] vult vitam ita inſtitui, vt eam parietes tegant, non abſcondant, negátque prodeſſe recondere ſe, & oculos hominum aureſque vitare, quandoquidem mala conſcientia etiam in ſolitudine, anxia atque ſollicita eſt, nec refert neminem ſcire, cùm tu ſcias.

Rurſus epiſt 105. *Securitatis magna portio eſt, nihil iniquè facere. Confuſam vitam & perturbatam impotentes agunt? tantùm metuunt, quantum nocent, nec vllo tempore vacant. Trepidant enim cùm fecerunt: hæreat: conſcientia aliud agere non patitur, ac ſubinde reſpicere ad ſe cogit. Dat pœnas, quiſquis expectat; quiſquis autem meruit, expectat. Tantùm aliqua res in mala conſcientia præſtat, nulla ſecurum. Putat enim ſe, etiamſi non deprehenditur, poſſe deprehendi, & inter ſomnos mouetur, & quotiens alicuius ſcelus loquitur, de ſuo cogitat. Non ſatis illi oblitteratum videtur, non ſatis tectum. Nocens habuit aliquando latendi fortunam, nunquam fiduciam.*

Gemina illa ex actu 1. Hippol. v. 77.

Negata magnis ſceleribus ſemper fides.
Quid pœna præſens conſcius noctis pauor,
Animúſque culpa plenus & ſemel timens?
Scelus aliqua tutum, nulla ſecurum tulit.

413. Audi & Iuuenalem Satyra 13.

Exemplo quodcunque malo committitur ipſi
Diſplicet autori, prima eſt hæc vltio, quod ſe
Iudice, nemo nocens abſoluitur, improba quamuis
Gratia fallacis Prætoris vicerit vrnam.

Et mox.

——————*Cur tamen hos tu*
Euaſiſſe putes, quos diri conſcia facti
Mens habet attonitos, ſurdo verbere cædit,
Occultum quatiente animo tortore flagellum?
Pœna autem vehemens, ac multò ſæuior illis
Quas & Ceditius grauis inuenit, aut Rhadamanthus
Nocte diéque ſuum geſtare in pectore teſtem.

Subdit alia, de eodem incorrupto teſte, & perpetuis improborum ſudoribus ac palloribus ad omnia fulgura, lectu & expenſu in hanc rem digniſſima, ſed plura quàm vt hîc adſcribi debeant. Hic ille teſtis de quo Polybius verè ſcripſit. *Nullum neque teſtem tam formidabilem, neque iudicem tam triſtem aut ſeuerum eſſe, quàm ſit conſcientia, quæ mentibus cuiuſque inſideat aut inhabitet.* Hic idem tortor à Numine ſceleri cuicunque appoſitus. *Extra legem enim viuentes, quæ meruerunt ſemper expectarunt,* ait Satyr. Petronius, & hic indefeſſus, malè admiſſorum vindex. Fabius 12. inſtit. cap. 1. vſque eò amplificat, conſcientiæ lacerationem ab improbitate, vt neget qui probus non ſit poſſe præ animi agitatione & concisione, in literis proficere. Affectuum enim deprauatorum, vt ait, *impatientiſſima cogitationes, ſomnos etiam ipſos, & illa per quietem viſa, perturbant. Nihil eſt enim tam occupatum, tam multiforme, tot ac tam variis affectibus conciſum atque laceratum, quam mala mens. Nam & cùm inſidiatur ſpe, curis, labore diſtringitur: & cùm iam ſceleris compos fuerit, ſollicitudine, pœnitentia, pœnarum omnium expectatione torquetur. Quis inter hæc aut vlli bonæ arti locus? Non herclè magis, quàm frugibus in terra ſentibus ac rubis occupata.* Xenophon lib. 1. Cyripædiæ, pudorem & conſcientiam, potentiſſima & certiſſima ſcelerum flagella nominat. Id quod etiam optimè tradit Plutarchus l. de tranquil. animi, docens facinoris conſcientiam eſſe ſicut vlcus in carne aſſiduè lancinans ac pungens animam, infixo pœnitentiæ aculeo, quo homo ſeipſum plectit, & vt alias ſpinas deuitet non tamen iſtam. Tacitus item 6. Annal. ex ipſius Tiberij confeſſione, obſeruat facinora atque flagitia ſua, ipſi quoque in ſupplicium vertiſſe, & addit, non fruſtra, præſtantiſſimum ſapientia firmare

ſolitum

ſolitum eſſe, ſi recludantur Tyrannorum, (atque adeò etiam quorumuis improborum mentes,) poſſe aſpici laniatus, & ictus: quando vt corpora verberibus; ita ſæuitia, libidine, malis conſultis, animus diſtrahitur. Annuit Tullius cuius illud eſt pro Roſcio Amer. *Sua quemque fraus & ſuus error maximè vexat, ſuum quemque ſcelus agitat amentiáque afficit, ſuæ malæ cogitationes conſcientiaque animi terrent. Hæ ſunt impiis aſſiduæ domeſticæque furiæ.*

Improba conſcientia, infernus quidam.

414. Vltrices Tartari furias in impij pectore agnoſcit, tantùm non profeſſus, Tartarum quemdam eſſe in eo pectore, quòd & alij disertè aſſeruere. Sanè Triſmegiſtus cap. 10. Pimandri, ſupplicia animæ poſt corpus depoſitum inferenda in ſcelerum vindictam, teterrimúmque ſtatum animæ ad inferos detruſæ; æſtimari vult ex ſtatu animæ etiamnum corpori conſertæ, tormenta ſibi inferentis ex peccati recordatione & cõſcientia. Hæc ipſa eſt. Tatij patrem rogantis & Mercurij reſpondentis oratio. *Quo igitur modo cruciatur, ò pater, hominis anima, quódve ſupplicium huius animæ grauius? Impietas, ò fili mi Tati. Cui uſuam ignis, ardentior flamma, quàm impietatis eſt? Quænam fera mordax ita corpus lacerat, vt impietas laniat animam? Nónne vides quot malis animus premitur impius? Eu ſic fili, vociferatur impius animus: Vror, abſumor, quid agam neſcio, deuorant me miſerum mala vndique confluentia: non video quicquam heu miſer, non audio. Tales afflicti ſunt animi voces: Talis natura congrua mulcta.*

Sed & Macrobius l. 1. in ſomn. Scipion. cap. 10. per vulturum iecur immortale tondentem, vt eſt in fabula, nihil aliud intelligi cenſuit, quàm *tormenta malæ conſcientiæ, obnoxia flagitio viſcera interiora rimantis, & ipſa vitalia indefeſſè admiſſi ſceleris admonitione laniantis, ſempérque curas ſi requieſcere fortè tentauerint, excitantis, tanquàm fibris renaſcentibus inhærendo, nec vlla ſibi miſeratione parcentis, lege hac, qua ſe iudice nemo nocens abſoluitur, nec de ſe ſuam poteſt vitare ſententiam.* Hæc ille, qui quæcunque de Cocyto, Styge, Acheronte, ipſo denique inferno, apud Poëtas & Mythologos leguntur de cruciatu malæ conſcientiæ interpretatur, agnoſcens peccantis animam infernum quemdam eſſe, ac proinde omni delectatione & voluptatis ſenſu vacare.

Quamvis autem extra dubium ſit ſupereſſe poſt hanc vitam alium impiis infernum, eúmque tetriorem & cruciatibus longè atrocioribus inibi inferendis duriorem; nec ferri debeat inſulſa illa paucorum Ethnicorum Theologia, qua cruciatus illi æterni ad temporarios duntaxat & inſenſibiles traducuntur: Tamen quòd peccantis animus infernus quidam ab eis dictus ſit, non abhorret à Scripturæ conſuetudine. Nam id apertè ferunt illa ex S. Ambroſ. 1. offic. c. 12. *Vita facinoroſi, vt ſomnium. Aperuit oculos, tranſiuit requies, eius euanuit delectatio. Licet ipſa quæ videtur, etiam dum viuunt, impiorum requies, in inferno ſit. Viuentes enim in inferna deſcendunt.* Sed & S. Auguſtinus in Pſal 85. v. 13. & ibidem Hieronymus. inferno inferiori, quo cruciantur damnati, contraponunt ſuperiorem, malam ſcilicet conſcientiam. Et in Pſal. 9. idem S. Auguſtinus conuerti peccatores in infernum, interpretatur, *dari in manus ſuas, & illaqueari delectatione mortifera.* Et in Pſal. 6. v. 6. & 8. agnoſcit, hanc eſſe inferni inchoationem. Ex aliis Scripturis, hunc peccatoris infernum ſtabilit Caſſianus collat. 5. c. 14. & S. Gregor. 10. Mor. c. item 10. Idem pulchrè tradit Richard. Vict l. 1. in Apocal. c. 7. Petrus Bleſenſis epiſt. 41. & Chryſoſt. hom. 14. in 1. Corinth. vbi vocat auaritiam, *gehennam præſentem*, nec minùs in ea exuri diuites ſeculi, etiamnum carne circundatos, quàm diuitem Euangelicum Lazaro immiſericordem confirmat. Eadem mens Philoni lib. de congreſſu quærendæ erudit. gratia, cùm locum voluptatum & Iniquitatum, ait aptiùs dici infernum, quàm fabuloſum illum, quem Poëtæ deſcripſerunt, ſubdítque hæc verba. *Reuera enim infernus nihil aliud eſt, quam vita miſeri, ſcelerati, execrandique hominis.* Quæ vt trahenda non ſunt in incommodum veritatis illius, quæ dari reipſa alium infernum docet, quod Philo etiam ſexcenties admittit; ita oſtendunt, quo ille loco habuerit peccatoris animam, quam ſimulachrum inferni expreſſiſſimum eſſe cenſuit: quaſi defutura eſſet inferno inferiori ratio, qua conſtituitur infernus, ac proinde nuſpiam futurus eſſet infernus, niſi quod in peccatoris animo proportionale eſt, rationem aliquam inferni verè haberet.

415. Non debeo tamen in hunc ſenſum trahere Almaïnum, quem Praceolus ex Cæſarij diſtinct. 5. refert, nega ſe Paradiſum ſimiliter & infernum: Sed qui in ſe cognitionem Dei habet, illum dixiſſe habere in ſe Paradiſum. Qui contrà, peccatum mortale habet, eundem habere in ſe infernum, non aliter quàm dentem putridum in ore. Origeni item vitio vertit ſanctus Hieronym. epiſtol. ad Auitum, quòd *ignem gehennæ & tormenta, quæ Scriptura peccatoribus comminatur, dixerit non ponere in ſuppliciis, ſed in conſcientia peccatorum, quando Dei virtute & potentia omnis memoria delictorum ante oculos noſtros ponitur, & veluti ex quibuſdam ſeminibus in anima derelictis, vniuerſa vitiorum ſeges exoritur; & quicquid feceramus in vita, vel turpe, vel impium, omnis eorum in conſpectu noſtro pictura deſcribitur, ac præteritas voluptates mens intuens, conſcientia punitur ardore, & pœnitudinis ſtimulis confoditur.* Quæ tametſi probanda non ſunt, alióſque reuera cruciatus ſuſtineat apud inferos anima, quæ hinc cum ſcelere exceſſit; iuuare tamen poſſunt ad illuſtrandum proportionalem illum quem aſtruimus, peccatoris & à Deo æternum abiudicatæ animæ ſtatum; quandoquidem tanto ingenio, quantum erat Origenis, abundè videri potuit, plecti animam ſola conſcientia delictorum.

Quæ igitur ſuauitas, aut voluptatis ſenſus eſſe poteſt ei qui in inferno eſt, & etiamnum viuens corpore, vt Caſſianus ſuprà loquitur, mortuus eſt, & in inferno iacet: Cuius mellis dulcedo tanto felli infuſa, ſuauiter ſapiat, aut non etiam amareſcat? Quis non palati vitio ac deprauationi tribuat, quòd illi abſynthium dulceſcat, & tanta amaritudine occupatum, eius ſuauem ſenſum experiri videatur? Et monſtroſum ſanè videri poſſit, quod de peruerſa mente apud Iobum expendit S. Gregorius 16. Mor. c. 11. vt ſcilicet dulcedo illius ſit vermis, indéque delectabiliter ſe paſci arbitretur, vnde per inquietudinem inceſſanter angitur & roditur.

Malitia inſuauitas magis illuſtrata.

416. Satis multa de vitij inſuauitate dixiſſe videri poſſem. Quia tamen prætenſa eius ſuauitas, eſca eſt hamo turpitudinis appoſita, quoties in peccati decipulam inducimur, iuuat eam inſuauitatem & falſam dulcedinis ſpeciem reuera fellitam, magis illuſtrare. In primis verò S. Chryſoſtomus homil. 7. in Acta, *in Morali*, argumentatur ex notatione Græcæ vocis qua labor & dolor deſignatur. Πονηρός, inquit, *malus* [illegible], *a laborando dictus eſt*, [illegible]

Scriptura

Scripturn, ſemper laborem malitiam vocat, ſic quando dicit : Sub lingua eorum fatigatio & labor. Luculenter homil. 9. in 2. Corinth ad illud, *Quæ videntur temporaria ſunt.* Exagitans illa (vt ait) Scarabæorum verba, à quibuſdam tunc iactata : *Da mihi hodiernum, & accipe craſtinum.* Si gaudia æterna virtutem manent, *vnum pro vno habent qui eam conſectantur : ſi non manent duo, habent pro nullo :* nempe & hîc & in futuro angoré abſque vlla reſponſione & ſuauitate. Hæc inquam, non iam ſcommata, ſed blaſphema verba exagitans Chryſoſtomus, & oſtendens nihil verbis illis iniquius, nihil magis delirum afferri poſſe ; argumentatur in primis ex certitudine futurarum deliciarũ virtuti rependendarum, quòd ita poſtulet Dei inſtitia & æquitas, tum ſubdit. *Vides quòd vnum pro vno, & non duo pro vno, erunt iuſtis : peccatoribus autem, & hic delicatè agentibus omninò diuerſum eueniet. Nam ſi quidem hîc delicatè egerint, neque vnum pro vno acceperunt. Qui autem in virtutibus verſati fuerint, duo pro nullo. Qui enim relaxationem habebunt, num ij qui præſenti abutentes vita, vel virtutibus prædi i ? Tu fortaſſe illos quidem dices ; ego autem hos oſtendo, teſtes illos ipſos vocans qui præſentibus aliquando fruebantur, & non erubeſcent ad ea quæ dicturus ſum. Etenim pronubas maledixerunt ſæpius, etiam dies quo thalami ſtrati ſunt, & beatos dixerunt eos qui vxores non duxerunt : multi etiã iuuenes à nuptiis abſtinuerunt, non ob aliam cauſam, quàm quòd moleſtiores ſit. Idque dico, non accuſans nuptias ; honorabiles enim ſunt, ſed eos qui illis abutuntur. Si autem qui in coniugio vixerunt, vitam iniucundam ſæpè putauerunt, quid dicemus de his qui in meretricum barathra deducti ſunt, & quouis ſeruo ſeruiliùs & miſeriùs affecti ; de his qui in deliciis abſorcentur, & multos corporibus morbos afferunt? Porrò ſuaue eſt viuere in gloria : Imò hac ſeruitute nihil amarius. Etenim omnibus ſeruis ſeruilius eſt vana gloriæ mancipium, & omnibus obuiis placere volens. At qui illam conculcarit, omnium ſummus eſt, non curans quid de ipſo alij ſentiant. Sed ais ; pecunias habere amabile eſt. At ſæpius oſtendimus, quòd qui ab illis liberati ſunt, & nihil habent ditiores ſunt, ac ſuauiùs agunt. Verum dulce, ais, eſt, inebriari? Et quis hoc dixerit? Igitur ſi non ditari, ſuauius eſt quàm ditari ; & cœlibem agere, quàm vxorem habere ; & vana gloria non eſſe auidum, quàm illam ſectari ; & non deliciari, quàm deliciari ; etiam hoc loco plus habent qui præſentibus non ſunt addicti. Et nondum dico, quòd ille quidem licet innumeris tormentis diſtendatur, habeat bonam ſpem, quæ ipſum deducat. Hic autem licet plurimis deliciis fruatur, habet metum futuri ſæculi, turbantem ac confundentem ſuam voluptatem. Etenim & hic non paruus pœnæ modus, vt puta contrariis deliciis ac tranquillitati. Eſt ad hac modus tertius. Qualis autem hic? Quia illæ ſæculares deliciæ, neque quando ſunt, apparent, & arguuntur, cùm à natura, tum à tempore : hæ verò non ſolùm ſunt, ſed etiam immobiles manent. Vides quòd non duo pro nullo ſolùm : ſed etiam tria, & quinque, & decem, & viginti, & innumera pro nihilo ponere poteramus?* Apparet ſtultum illud ſcommia frequens fuiſſe apud inſignites improbos tempore Chryſoſtomi. Nam illud quoque alibi exagitat ac nominatim ſub finem homiliæ primæ de Lazaro.

In obiectis quæ improbis maximè ſapiunt, quanta ſuauitas.

417. Nulla ratione committam, vt inſignem alium eiuſdem Doctoris locum, quo vitij amaritiem, in qua demonſtranda verſamur, graphicè expreſſit, miſſum hîc faciam, tametſi longiorem. Quid enim intereſt meis an alienis verbis intentum euincam, dum euincam ? Imò hoc gratior & efficacior erit probatio, quo ad rationum momenta grauiſſimum tantæ autoritatis pondus acceſſerit. Sic igitur idem Chryſoſtomus homil. 22. ad Corinth. *in morali*, inſuauitatem vitij, in iis obiectis, quæ omnium maximè deprauatis improborum palatis ſapere videntur, demonſtrat. [Si vellemus, multùm haberemus ad virtutem momenti. Si autem voluptatem mihi dixeris à malitia prouenire, intellige quòd longè ampliora à virtute conſequemur. Etenim bonam conſcientiam habere, & in hominum admiratione eſſe, & benè ſapere, omnium dulciſſimum eſt, ſi naturam voluptatis conſiderabimus. Quemadmodum contraria, omnium triſtiſſima ſunt, doloris naturam intelligenti ; vt exempli gratia ab omnibus exprobrari, à ſeipſo accuſari, tremere, formidare & futura & præſentia. Et vt apertius quod dico fiat, ponamus aliquem, qui vxorem habeat, & proximi violet matrimonium, & tam fœdo furto lætetur, cùm amata muliere fruitur. Deinde rurſus alium contrà ſtatuamus, qui ſuam vxorem amore proſequatur. Et vt maior & clarior vtriuſque fiat exceſſus, hic qui ſola ſua fruitur, amet quidem illam adulteram ab eius tamen amore abſtineat, ſed nihil committat mali. Atqui non pura hæc continentia eſt, ſed ex ſuperabundantia vt intelligas quanta ſit virtutis voluptas, hoc pacto hanc fabulam effinximus. His igitur ita compoſitis, vtrumque percontabimur, vtrius ſit vita ſuauior, & audies alterum gloriantem, proſilientémque & in victoria contra cupiditatem exultantem, alterum rubore perfuſum & ſoſpitantem. Vel potiùs nihil ab eo tibi expectandum eſt, quod intelligas. Eum namque videbis, licet ſæpenumerò neget, quam qui vinculis coërcentur, miſeriùs viuere. Siquidem omnes formidat de omnibus ſuſpicatur, & vxorem ſuam, adulteræ maritum, ipſam adulteram, familiares, amicos, cognatos, parietes, vmbras, ſeipſum denique ſuſpectum habet : Et quod omnium grauiſſimum eſt, conſcientiam habet reclamantem, & ſingulis diebus latrantem. Quòd ſi Dei iudicium cognoſceret, minimè conſiſtere potuit. Voluptas quidem breuis eſt, ſed ab ea dolor perpetuus. Etenim & veſpere & nocte, in deſerto, in ciuitate, & quocunque locorum ſemper accuſator ſequitur, enſem oſtendens acutum ; & ſupplicia intolerabilia, & formidinem, quæ eum ſemper affligit & conſumit. Qui autem ſe continet, his omnibus liber eſt, & in libertate viuit ; & nihil veritus, ſuam intuetur vxorem, filios, amicos, & liberis oculis omnes conſpicit. Quòd ſi is qui amat, nec amori cedit, tanta fruitur voluptate, cùm voti fit compos ; qui non amat, ſed omni labe mundus, ſe continet, quo portu, qua tranquillitate, non placidiorem & tranquilliorem animum habet? Propterea vtique, adulteros paucos, continentes plurimos videas. Quòd ſi id ſuauius eſſet, multi profectò eligerent. Et noli mihi afferre legum formidinem, quibus minimè continentur, ſed ipsâ duntaxat rei turpitudine, & quoniam plura ſunt in eo miſera, quàm ſuauia. Propterea & conſcientiæ ſtimulus angit. Huiuſmodi itaque adulter eſt.

Pergit ad alterum illud obiectorum genus, quod dicebam vitiato improborum palato ſolere ſapere, demonſtrátque nullum reuera ex eis ſolidæ iucunditatis ſenſum exiſtere. Sic itaque habet. [At ſi placet, auarum quoque adducamus in medium, & alium item amoris legibus abutentem oſtendamus : quem itidem eadem torqueri formidine deprehendemus, neque potenté pura frui voluptate. Etenim cùm quos iniuria afficiunt, & qui de eis conqueruntur, & communem de illis ſententiam conſidero, innumeris ſanè fluctibus iactantur. Neque hoc duntaxat moleſtum eſt, ſed

quòd neque re amata potiri poſſunt. Huiuſmodi enim auarorum mos eſt. Habent ne fruantur, non vt fruantur. Quòd ſi hoc obſcuriùs fortaſſe dictum videtur, etiam quod peius eſt, & magis dubium, audias, quòd non ſolùm rerum præſentium voluptate priuantur, quódque non audeant eis pro voluntate vti, ſed nunquam his ſatiari poſſunt, & in perpetua eorum ſiti anguntur: quo quid fieri poteſt grauius? Verùm iuſtus non eiuſmodi eſt, ſed omni tremore, odio, formidine, & incurabili ac ſiti liber eſt: Et quemadmodum homini illi omnes imprecantur: ita omnes pro hoc vota faciunt: Et vt ille nullum ſibi amicum conciliat; ita hunc nemo odio habet.]

Infertur intentum.

418. His ita conſtitutis, concluſionem ſubdit totius diſputationis propoſitæ, & Chryſoſtomo dignã, ita inferens. [Quid igitur cùm hæc manifeſta ſint, aut malitia inſuauius, aut virtute ſuauius eſſe poſſit? Imò ſi innumera dixerimus, nemo neque illius miſeriam, neque huius voluptatem poſſet verbis comprehendere, donec ea fruetur. Tunc enim felle amariorem malitiam inueniemus, cùm virtutis dulcedinem deguſtauerimus. Siquidem etiam nunc iniucunda, & grauis, & moleſta malitia eſt, quod neque ipſi eius cultores contradicunt. Verùm cùm eam abiecerimus, tunc apertiùs eius aſpera præcepta intelligemus. Ad quam ſi multi concurrunt, nihil mirum. Nam & pueri ſæpenumerò minùs ſuauia eligunt, negligunt autem potiora: Et aduerſa laborantes valetudine, pro caduca gratia perpetuam & certiorem lætitiam perdiderunt: hoc animantium infirmitatis & amentia eſt non ipſius rerum naturæ. Nam qui in voluptate viuit, is virtute fruitur, is ſine dubio diues eſt, & verè liber. Quòd ſi quis alia quidem virtuti permitteret libertatem ſcilicet, licentiam, curarum vacationem, nullius metum, nullius ſuſpicionem, voluptatem autem minimè permitteret: iam à profuſiore riſu me continere non poſſem Quid enim aliud eſt voluptas, quam curarum, formidinis, ignominiæ vacatio, & omnibus inuictum eſſe? Et quiſnam in voluptate eſt, die, quæſo? Num inſanus, num furens, & multis agitatus cupiditatibus, & qui communi ſenſu caret; an qui his omnibus fluctibus liber tanquam in portu Philoſophiæ conquieſcit? Nonne perſpicuum eſt, hunc eſſe in voluptate? Sed hoc virtutis proprium eſſe apparet. Vitium autem nomen tantùm voluptatis habe; reuera autem omni caret voluptate.

Nullum tempus, pro malis tactus voluptatibus, ex Chryſoſtomo.

Sed cùm omnium maximè & multò pluribus, ſuaues ac iucundæ videantur voluptates tactus, inſigniter ibidem Chryſoſtomus alia ratione hoc refellit demonſtrans nullum eſſe tempus, quo verè dicere liceat ex tactilibus illicitis percipi ſuauitatem: ſic autem ſcribit. *Antequàm fruatur, inſania eſt, non voluptas: poſteà vero quam eam conſecutus quis eſt, quàm primùm & ipſa extinguitur. Si igitur neque in principio, neque poſtmodum huiuſmodi videri voluptatem licet, vbi apparet, & quomodo? Vt autem apertius quod dico intelligas, exemplum ſe mons noſtro adducamus. Conſidera igitur. Amat quiſpiam mulierem pulchram atque ſpecioſam: hic quouſque amore ſuo non potitur, furentibus & inſanientibus ſimilis eſt. Cùm potitus eſt, cupiditas illa extinguitur Quòd ſi neque in amoris principio latatur, (inſania enim eſt) neque in fine (ceteru enim furor ille diſſoluitur) vbi iam eam voluptatem inueniemus? Sed noſtra non huiuſmodi eſt: ſed in principio, omni quidem caret perturbatione, & ad finem vſque floret ac viget; vel potius nullus eſt apud nos voluptatis terminus. Neque enim bona noſtra vllo fine concluduntur, neque vnquam ipſa voluptas diſſoluitur. His igitur cognitis, ſi nobis voluptatis cura eſt, virtutem complectamur, vt & præſentia bona conſequamur & futura.* Hæc poſtrema, quibus falſam & nullam intemperantis animæ ex voluptatibus tactus ſuauitatem oſtendit, pleniùs proſequitur homil. 37. in eandem Epiſt. additque homil. 26. in 2. ad Corinth. *in moral*, ſi in tot moleſtiis non lacrymatur & flet qui vitio ſe inquinat, ex ſtupore fieri, eóque eſſe miſeriorem. Concinit S. Bernardus lib. de gratia & lib. arbit. verbis illis. *Qui lætantur cùm malefecerint, tale eſt quod faciunt, quale cùm rident phrenetici; Nulla enim verior miſeria, quàm falſa lætitia.*

Similis ratiocinatio circa guſtatilia ſimul & tactilia, ex Iſidoro Peluſiota.

419. Iuuat Chryſoſtomo adiungere Iſidorum Peluſiotam tanti Magiſtri diſcipulum & ornamentum. Is lib. 2. epiſt. 140. demonſtrata moralis honeſtatis ſuauitate & facilitate; malitiæ è contra difficultatibus & inſuauitate, ita ſubdit. [Quoniam luxus & voluptas lepôre ſuo pleróſque decipere videntur, perinde videlicet ac ſuaues & faciles ſint, aduerſùs hos quoque ad certamen me accingam neceſſe eſt. Igitur vt interim pœnam deliciis & laſciniæ impendentem miſſam faciam, quam per diuitem illum & eum, qui ſordidis veſtibus amictus erat, miſerandis ac tragicis admodum verbis ſacroſanctum Euangelium exaggerauit hoc aio, Si luxus non ſexcentos moleſtos, atque ad curandum difficiles, imò planè incurabiles morbos parit, quominùs luxus appelletur, non recuſo. Si autem & pedum & capitis dolores, & vomitus, & apoplexias & paralyſes, alióſque huiuſmodi morbos accerſit, à quibus ipſe quoque obtunditur, & obſcuratur, vel, vt rectiùs loquar, prorſus deletur. piget certè luxum eum appellare, qui tot ac tantorum malorum parens atque altor eſt. Nam quòd nec ſimul quidem cum cibis in aluum delabi poſſit, verùm in ipſo ſtatim gutture extinguitur, quódque is. qui luxui ſtudet, ne voluptatis quidem ſenſum percipiat, præ ciborum videlicet continuatione deluſus, prætermittam: non quòd ea parùm virium habeant, ſed quòd craſſiores atque obtuſiori animo præditos homines haud admodũ perſtringere queant. Ac de luxu hæc mihi dicta ſint. De voluptate autem & hæc, & his plura dicentur. Nam ſi, vt de ſumptibus & probro atque infamia nihil dicam, funeſta bella & plagæ, ex quibus plerunque pericula & mortes oriuntur, minimè parit, voluptas ſanè appelletur. Si autem & dedecoris, & inexpiabilium bellorum & periculorum, & mortium & reprehenſionum & ſexcentorum aliorum malorum radix eſt, haud ſcio an hanc voluptatem nominare oporteat, quæ tot dolorum & acerbitatum cauſa eſt, atque ac ramis ſuis opprimitur ac deletur. Nam quòd nec ante venereum congreſſum, nec in ipſo congreſſu, nec poſt eum appareat, miſſum facio, non vt infirmum aliquid & imbecille, ſed quod libidinoſorum & intemperantium hominum ſocordia atque ignauiam minimè vellicet Nam ſi quis rem accuratè perpendere velit, nec ante congreſſum, nec in eo, nec poſt eum apparet. Verúm ante eum perſpicua eſt rabies: In eo autem haud dubius furor, atque eiuſmodi agitatio, quæ nullo fræno coërceri queat: Poſt eum autem furoris potiùs leuatio, quàm voluptatis fructus. Nam qui libidinem expleuit, idem

idem voluptatem etiam extinxit. Qui autem in ea eſt, in oblectamento nō eſt, verùm .. agitatione & œſtro ac perturbatione. Quocirca ſi hæc ita ſe habent, (habent autem, vt quidem mihi perſuadeo) atque tum facilior, tum iucundior, naturæque congruentior, citra illam dubitationem eſſe virtus demonſtrata eſt, compreſſis manibus, lætóque atque alacri animo eam complectamur, quæ ſui amantes, & in hac, & in altera vita, inſignes atque conſpicuos reddit.

Malitiæ amaritudo concluditur.

420. Cui hæc ſatis non erunt, ad percipiendam vitij amaritudinem, habet, vnde plura petat, Plutarchum Opuſc. quòd vitam lætus tranſigere nemo queat iuxta Epicurum, & egregiè altero libello de vitio ac virtute. Ego luculento Prudentij loco in Hamartigenia hoc punctum claudo. Demonſtrat ille peccatorem ex parte Diabolo ſemen excipere, fœtúmque concipere, quo tandem diſrumpendus, miseréque laniandus ſit in peccati partu, ídque vulgato viperæ exemplo confirmat. Quod ipſum aliis verbis apud Pſaltem dicitur, *Concepit dolorem & peperit iniquitatem.* Sed Prudentium audi.

Si licet ex Ethicis quicquam præſumere, vel ſi
De phyſicis exempli aliquid: ſic vipera (vt aiunt)
Dentibus emoritur fuſa per viſcera prolis.
Mater morte ſua, non ſexu fertilis, aut de
Concubitu diſtenta vterum, ſed quum calet igni
Percita fœmineo, moriturum obſcœna maritum
Ore ſitit patulo, caput inſerit ille trilingue
Coniugis in fauces, atque oſcula feruidus intrat,
Inſinuans oris coïtu genitale venenum.
Nupta voluptatis vi ſaucia, mordicùs hauſtum
Frangit amatoris blando inter fœdera guttur,
Infuſáſque bibit caro pereunte ſalinas.
His pater illecebris conſumitur, at genitricem
Clauſa necat ſoboles, nam poſtquàm ſemine adulto
Incipiunt calidis corpuſcula parua latebris
Serpere, metatúmque vterum vibrata ferire,
Æſtuat interno pietatis crimine mater,
Carnificémque gemit damnati conſcia ſexus,
Progeniem ſepti rumpentem obſtacula parui.
Namquia naſcendi nullus patet exitus, aluus
Fœtibus in lucem nitentibus, excruciata
Carpitur, atque viam lacerata per ilia pandit.
Tandem obitu altricis prodit grex ille dolorum
Ingreſſum vitæ vix eluctatus, & ortum
Per ſcelus exculpens, lambunt natale cadauer
Reptantes catuli, proles dum naſcitur orba
Haud experta diem, miſeræ niſi poſthuma matri.
Non diſpar noſtra conceptus mentis, ab ore
Vipereo infuſum ſic combibit illa venenum
Coniuge Beliada, ſic oſcula deuorat hauſtus,
Internúſque rapit, ſic felle libidinis ardens
Impletur vitiis, perituro miſta marito.
Tunc prægnans lethale genus concepta maligni
Fert opera ingenij de ſemine complicis hydri,
Quem pœnis penſare priùs ſua facta neceſſe eſt,
Corrupta pro ſtupro anima, próque orbe perempto.
Ipſam porrò animam crudelia vulnera carpunt,
Mille puerperiis ſoboles dum parturit, ex ſe
Contra naturam genitas, peccamina crebra
Scilicet, & partus materno funere natos.

Seruitus peccati ærumnoſiſſima.

421. Continens, vel potiùs commiſſa eſt inſuauitati vitij duriſſima ſeruitus, qua vitium hominem mancipat tyrannidi ſuæ. Nam eſſe mancipij ærumnoſiſſimam vitam per ſe patet, cùm nihil ſit libertate dulcius. Vitio autem, hominem in teterrimam & aſperrimam ſeruitutem ſubiici dixi cùm de libertate, adductis in eam rem Seneca Epicteto, Philone, Ambroſio, & quibuſdam recentioribus id copioſè proſecutis. Nunc addo aliunde paucula, primùmque ex Dione Chryſoſtomo orat. 80. quæ eſt de libertate. vbi præfatus ardentiſſimum omnium gentium ſtudium in tuenda libertate, negat eam illis obtigiſſe, cùm propriis legibus viuerent, & ſe maximè liberas crederēt, quòd leges illæ cum ratione recta & virtute pugnarent: vnde concludit. [Proinde manifeſtum quòd horum nulli, ſuo iure ſuiſque viuebant legibus, neque ſtuduerūt, neque bella geſſerunt, quo eſſent liberi. Sed enim copioſam magnámque ſeruitutem intra mœnia includentes, deinde propugnaculis atque turribus propulſarūt, ne intrinſecùs ad ipſos ingrederetur. Quemadmodum ſi quis naui conuulſa, fluctúque intus verſante, cuſtodiret, multùmq; haberet negotij ne deſuper incurrat. Sicut igitur Troianos aiunt obſeſſionem paſſos, interfectóque pro Helena, quæ apud eos non erat, ſed in Ægypto: idem contigit & his, qui pro libertate pugnabant atque certabant, quam non habebant. Attamen illi dicebant ſe omnia pati pro legibus, atque etiam nunc dicunt in his verſari cauſam, quando vel ipſi calamitate preſſi hiſtoriam conſcribunt, aut ab aliis ſimilia audiunt. Legem autem veram, atque ratam, manifeſtámque, neque vident, neque videndi ducem ſtatuunt.] Hæc eſt lex recti & honeſti, cuius ſolius obſeruatione ad veram libertatem patere poſſe aditúm latè eodem modo perſequitur. Breuiter alius & quidem veriùs Chryſoſtomus hom. 5. de verbis Eſaiæ, *Qui peccatum committit ſeruus eſt peccati, etiam ſi decem millia coronarum habeat in capite Ruſus ſi quis facit iuſtitiam ipſe Rege regalior eſt, etiam ſi fuerit omnium infimus.*

Luculenter Theodorus Studita ſerm. catechet. 26. *Quid voluptatem iucundam arbitramur, qui dolor ſit reuera mortifer? Nam quidem voluptas hamus eſt Diaboli, inextincti ignis ſuſcitabulum; & tamen rapimur ad eam mortales, quaſi quidam dedititij ſerui. Enimverò quendam audiui dicentem, vitiò poſſeſſum, optabilius eſſe ſuſpendio mortem quærere, quàm peccato ſeruire. Vt enim ſeruo herus imperat acerbus; Abi, & abit. Veni, & venit; fac hoc, & facit, ad eundem modum & multò impotentiùs, iubet ſub ſe ſubiecto peccatum. Loquere fœda, & loquitur; Nefaria deſigna & deſignat. Quin gemere atque trepidare, Cæni inſtar videtur; mari deuectus, naufragium veretur; per deſerta profectus, latrocinium timet; Tonat, ac tonitru propter ſe accidiſſe credit; fulgurat, ac ne amburatur pauet; videns, non videt; audiens, non audit, ſenſus diſtortos gerens. Quid hac triſtius vita? Equidem cenſeo tradi beſtiis præſtare, quàm peſtiferis vitiis. Nam ibi corpus, hic animus cum corpore perit.* Proſper ad eandem mentem egregiè philoſophatur epigram. 53. inde præſertim hominis ab honeſto aberrantis ſeruitutem deprecians, quod non vnà ferè ſit ſed planè multiplex eodem tempore, in eodem homine. Mens quippe iugum peccati perpeſſa vt ille concludit.

Tot ſeruit ſceptris, dedita quot vitiis.

Ipſum porrò vitij in hominem imperium, quàm durum, quàmque ſeuerum? *Feliciùs* ait S. Auguſtinus 19. Ciuit. cap. 15. *Seruitur homini quàm libidini; cum ſæuiſſimo dominatu vaſtet corda mortalium, vt alias omittam, libido ipſa dominandi.* Sæuiſſimum aliarum libidinum quarumcunque dominatum omiſit quia eo loco de ſeruitute corporum eique reſpondente dominatu diſputabat. Attigit

tamen non obſcurè, cuiuſcunque planè libidinis in animum ſibi mancipatum, diram tyrannidem. Expreſſit verò & eleganter & fusè ærumnas ſeruitutis illius & captiuitatis animorum per quæcunque vitia S. Hilarius in Pſalm. 125. ad v. 1.

Itémque turpiſſima.

422. Illud verò in hac ſeruitute turpiſſimum eſſe obſeruat Seneca epiſt. 47. quòd ſit voluntaria. Agens enim ſeruorum mancipiorum cauſam ita ratiocinatur. *Quemadmodum ſtultus eſt, qui equum empturus, non ipſum inſpicit, ſed ſtratum eius ac frenos: ſic ſtultiſſimus eſt, qui hominem, aut ex veſte, aut ex conditione quæ veſtis modo nobis circundata eſt, æſtimat. Seruus eſt. Sed fortaſſe liber animo. Seruus eſt: hoc illi nocebit, aliis non nocebit. Oſtende quis non ſit. Alius libidini ſeruit; alius auaritiæ, alius ambitioni, omnes timori. Dabo conſularem aniculæ ſeruientem; dabo ancillulæ diuitem; oſtendam nobiliſſimos iuuenes, mancipia pantomimorum. Nulla ſeruitus turpior eſt quàm voluntaria.* Et in præfatione tertij natural. *Quid eſt præcipuum? In primis labris animam habere* Hoc eſt, ita animo comparatum eſſe, vt ſi res ferat, fixum potiùs habeas mortem ſubire, quàm ab honeſtate deſciſcere: ita vt non poſſis ſuppliciorum quorumuis intentatione, de propoſito recto ac iuſto dimoueri. Neque enim hoc loco ad Stoicam illam libertatem ſceleris pleniſſimam, qua vita vltrò proiicitur, reſpexiſſe Senecam crediderim; quamuis alibi non ſemel, (vt ſuo loco referam,) ei immanitati ſuffragatus videatur. Sed pergit. *Hæc res efficit non è iure Quiritium liberum; ſed è iure naturæ. Liber autem eſt qui ſeruitutem effugit ſui. Hæc eſt aſſidua ſeruitus, & ineluctabilis, & per diem ac noctem æqualiter premens, ſine interuallo, ſine commeatu. Sibi ſeruire, grauiſſima ſeruitus eſt.* Aſtipulatur S. Bernardus l. 1. de conſid. cap. 4. *An non ſeruus*, inquit, *cui dominatur iniquitas? Et maximè. Niſi tu fortè indignius iudices hominem tibi quàm vitium dominari. Quid intereſt volens ſeruias an inuitus? Nam etſi coacta ſeruitus miſerabilior, ſed affectata miſerior eſt.* Pelagius epiſt. ad Demetr. hortatus nobiliſſimam Virginem omnem præclari generis dignitatem & Anitij ſanguinis decus ad animum transferre, ſubdit de animo; *Ille clarus, ille ſublimis, ille fit nobilis: Ille tunc integram nobilitatem ſuam ſeruare ſe putet ſi dedignetur ſeruire vitiis, ab eiſque non ſuperari. A quo enim quis ſuperatur, huius & ſeruus eſt Quid enim hac ſeruitute animi indignius, quidve turpius quàm cum in eo aut dominatur odium, aut regnat inuidia? quâm cum eum aut auaritia poſſidet, aut captum ira tenet, vel certè cætera ſibi vitia vendicant? Non eſt quod ſibi aliquis de nobilitate generis blandiatur, ſi ex nobiliore parte ſit famulus. Multò eſt indignius mente ſeruire quàm corpore.* Hoc denique ad turpitudinem huius ſeruitutis demonſtandam, ſubiunxerim. Turpis ac fœda habetur mancipatio energumeni ad inhabitantem Satanam. Sed eam nihili faciendam præ ſeruitute peccatoris, ſiue probrum, ſiue damnum ſpectes, ex inſtituto confirmat Chryſoſtomus homil. 41. in Acta, *in Morali.*

Vincula eius & carcer.

Neque verò turpiſſimam tantùm ſeruitutem ſeruire cenſendi ſunt, qui prauitati mancipantur, ſed etiam cum acerba vinculatione, & intra carcerem ac compedes concluſione coniunctam. Sanè S. Gregorius . Moral. c. 5. in hunc ſenſum exponit illud Iobi, [Si incluſerit hominem, non eſt qui aperiat. Omnis homo per id quod malè agit, quid ſibi aliud quàm conſcientiæ ſuæ carcerem facit? vt hunc animi reatus premat, etiamſi nemo exteriùs accuſet. Qui iudicante Deo in malitiæ ſuæ cæcitate relinquitur, ne euadendi locum inueniat, quem inuenire minimè meretur. Nam ſæpè nonnulli à prauis actibus exire cupiunt, ſed quia eorundem actuum pôdere premuntur, in malæ conſuetudinis carcere incluſi à ſemetipſis exire non poſſunt. Et quidam culpas proprias punire cupientes, hoc quod rectè ſe agere æſtimant, in grauiores culpas vertunt: fitque modo miſerabili, vt quod exitum putant, hoc incluſionem inueniant. Sic videlicet reprobus Iudas, cùm mortem ſibi contra peccatum intulit, ad æternæ mortis ſupplicia peruenit, & peiùs de peccato pœnituit, quàm peccauit.]

423. Eſt inſignis in hanc rem locus apud Dionem Chryſoſtomum orat. 80. alloquens enim iactantes libertatem, quòd legibus ſuis, & non alienis viuerent; *Vos*, inquit, *multò magis admiror, miſeróręque, ob difficilem atque iniquam ſeruitutem, qua à vobis ipſis copulati detinemini; non vno ſolùm vinculo, neque duobus, ſed ſexcentis circundati; à quibus ſtrangulamini & ſuffocamini multò magis, quàm qui catenis, aut numellis, aut compedibus trahuntur. Illi enim poſſunt dimitti, aut abſciſſis vinculis effugere: Vos autem magis in dies vincula corroboratis, atque plura & fortiora efficitis. Nolite autem, quia non videtis vincula, ideo hunc ſermonem falſum putare, atque incredibilem. Conſiderate autem Homerum veſtra ſententia ſapientiſſimum, qualibus vinculis Martem dicat retineri,*

Etſi inter diuos ſit velociſſimus ille,
Stamina ceu fallunt oculos, quæ neuit Arachne.

Nempe tenuibus aranearum telis ſimilibus, quæ nemo cernere queat. Nolite ergo putare, Martem, qui & Deus eſt, & fortis, à tam tenuibus atque inconſpicuis compeditum fuiſſe vinculis: vos autem omnibus beſtiis infirmiores, nunquam inconſpicuis capi vinculis poſſe, niſi ferro atque ære fabrefactis Corpora quidem veſtra, vt pote dura, atque penitùs ferè iracum plena, talibus opus habent vinculis: Anima autem inconſpicua planè atque tenuis naturâ, quomodo talibus vinculis comprehenderetur? Vos autem alia ſolida atque adamantina, iuxta Vulcanum ipſum, feciſtis, omni machina ad plectendum adhibita ipſóque ſuperato Dædalo arte ſtudióque; vt omnis veſtri animi pars vinciretur, nihilque eſſet liberum atque ſui iuris.

Et mox illuſtriſſimè. Si omnes vellem carceres atque vincula dicere mortalium atque miſerorum hominum, quibus ſua incluſi opera tenentur; an non valdè ſæuus atque peruerſus vobis Poëta videtur, in propriis Tragœdias faciens calamitatibus? Non enim ſolum, vt qui à vobis cenſentur malefici, conſtringuntur collo, & manibus pedibúſque, verùm etiam ventre atque aliis partibus, quæque proprio vinculo atque obligatione comprehenſa. Vincula verò ſunt varia atque multiplicia: quæ ſi quis videat, vt mihi videtur, aſpectu delectetur, admiretúrque excogitationem. Prima enim domina, opinor, ad vnamquamque partem, voluptas eſt, ſæua quidem alioqui & hoſtilis, & inſidioſa aſpectu; iucundè tamen atque Sardonium quiddam ſubridens, occurrit; fértque vincula iuxta ſuam naturam, florida molliáque primùm, quibus par eſt vinciri Reges aut Tyrannos, & omnes quicunque beatorum dicuntur filij. His autem ſæuius nihil, neque magis inhæret aut conſtringit. Poſt hanc autem venit alia

numellam

numellam quandam ferens auream aut argenteam: qua collo circumpoſita trahit plebeios per terram omnem & mare: Trahit & Reges iuxta Heſiodum: Trahit & ciuitatum Prætores ad portas, vt aperiant, prodántque. Aiunt autem & illos ligari, quos deſtinauit perdere, quóſque beatos facere. Quemadmodum Cyrus olim Aſtyagen aureis vinxit compedibus, illius vt aui, videlicet, curam gerens. Magnus autem labor foret, omnes vinculorum ſpecies recitare.]

Hactenus Dio de hac vinculatione & compedibus vniuersè. Subdit autem ſpecialiter exemplum in iis quoque qui maximè exſoluti vulgò habentur. Nihilominus enim ſi prauitati mancipentur, vincula illis & compedes iniici, confirmat. Refricatur hinc recordatio ſeruitutis Principum quid Caliphæ Bagdad ſanguine ſunt ſati, vt in Benjamini itinerario deſcriptum habetur. Degunt enim in palatiis intra palatium trium milliariorum area conſtructum, maximiſque abundant opibus, & perpetuis colliquecunt voluptatibus. Tantùm ſinguli ferreis catenis vincti incedunt, & ſingulis inuigilant ſinguli præfecti cuſtodes, ne noui aliquid aduerſus Regem moliri queant. Ita plane illuſtres quique vitiis obnoxij, vt maximè liberi videantur, vinculis tamen & catenis obſtringuntur. Sed clauſula propoſitæ diſſertationis qua magnatum & quorumuis in ſpeciem liberrimorum compedes & vincula confirmat Dio, iuuat non omittere. Sic igitur pergit. [Vnum tamen dignum eſt vt non prætereatur, omnium admirabiliſſimum, maximéque varium, quod ſæuiſſima fert domina, ídque auro & argento atque omnigenis lapidibus calculiſque, animaliúmque cornibus atque dentibus & teſtis, præterea etiam purpureis tincturis atque aliis quibuſdam ſexcentis, tanquam pretioſum atque admirandum monile exornant, multáque in eo vehicula formáque imitata eſt coronarum, & ſceptra & tiaras, thronoſque excelſos; ſicut excellentes artifices, ſpondas aliquas, aut ianuas, aut culmina domorum fabricantes, alia quidem videri machinantur, nempe in oſtiorum ſummitatibus, ſimilitérque columnarum, beſtiarum capita effingentes. Præterea & ſonus in eo eſt, atque vox varia plantuum & poppyſmorum, multúmque reſonat id vinculum. Hoc iniicit Oratoribus atque Regibus. *Concindit Dio in hunc modum.* Cæterùm ne procul ipſi auferamur, hanc ſequentes imaginem, tanquam ſermonis ſimulacrum, ſicut Homerus ſcripſit, Achillem Antenoris ſimulacrum ſequentem longius abiiſſe, hæc ſufficiant.]

Fructus antedictorum.

Nec nobis igitur progrediendum vlteriùs eſt præſertim in re perſpicua. Quare concludamus adhibitâ aureâ clauſulâ paucis complectente quæ hactenus de malitiæ fœditate & inſuauitate dicta ſunt. Depromo eam ex Clementis Alexandrini Protreptico, poſt medium. [Quis ô per veritatem, ſanæ mentis bonum relinquens verſatur cum vitio? Quis eſt autem qui Deum fugiens, viuit vnà cum Dæmoniis? Quis autem cùm poſſit eſſe Dei filius, delectatur ſeruitute? Aut quis cùm cœli poſſit eſſe ciuis, Erebum perſequitur, cùm ei liceat colere Paradiſum, & cœlum circum circa obire, vitaliſque & puri eſſe fontis participem, per lucidam illam in aëre ſuis veſtigiis ambulando nebulam, & contemplando, vt Helias, ſalutarem pluuiam? Illi autem inſtar vermium in cœno & voraginibus, nempe voluptatis fluentis volutati, inutilibus & ſtultis paſcuntur deliciis, ſuilli quidam homines. Sues enim, inquit, cœno magis delectantur, quàm aquâ mundâ. & in congeſtæ paleæ verſari cumulo, eſt quædam inſanæ eis delectatio, vt ait Democritus. Ne ergo, ne euadamus mancipia, neque porcis efficiamur ſimiles, ſed vt germani filij lucis intueamur lucem, & ſurſum aſpiciamus, ne nos eſſe adulterinos deprehendat Dominus, quemadmodum Sol aquilas.

Malitiæ inutilitas.

414. Reſtat inutilitas, vel etiam damnoſitas moralis malitiæ atque peccati. Vtraque autem tam explorata eſt, vt pigeat in re per ſe nota ludere operam. Dimiſſis autem iis, quæ congerit Plutarchus iuſto Opuſculo, quòd vitium ſufficiat ad conciliandam homini infelicitatem & omnem calamitatem, obſeruo ſanctum Auguſtinum lib de vita beata, non multùm à principio, vitij inutilitatem & omnimodam ſterilitatem boni, colligere ex ipſa *nequitiæ* voce. Cùm enim Trigetius, cum quo ibi diſputat, negaſſet animos diſciplinarum bonarum omninò rudes, [illegible]ieiunos, & famelicos eſſe, quod Auguſtinus affirmauerat: reſpondiſſetque plenos ſe illorum animos arbitrari, ſed vitiis atque nequitia, ſubinfert Auguſtinus. *Iſta ipſa eſt, inquam, crede mihi, quædam ſterilitas, & quaſi fames animorum: Nam quemadmodum corpus, detracto cibo, plerumque morbis atque ſcabie repletur, quæ in eo vitia indicant famem: ita & illorum animi pleni ſunt morbis, quibus ſua ieiunia confitentur. Etenim ipſam nequitiam matrem omnium vitiorum, ex eo quod nequicquam ſit; id eſt, ex eo quòd nihil ſit, veteres dictam eſſe voluerunt. Cui vitiò quæ contraria virtus eſt, frugalitas nominatur. Vt igitur hæc à fruge, id eſt, à fructu, propter quandam animorum fœcunditatem; ita illa ab ſterilitate, hoc eſt, à nihilo, nequitia nominata eſt. Nihil eſt enim omne quod fluit, quod ſoluitur, quod liqueſcit, & quaſi ſemper perit. Ideò tales homines etiam perditos dicimus. Eſt autem aliquid ſi manet, ſi conſtat, ſi ſemper tale eſt, vt eſt virtus, cuius magna pars eſt atque pulcherrima, quæ Temperantia & frugalitas dicitur.*

Eodem ſpectat alia eiuſdem Auguſtini diſput. 14. Ciuit. cap. 4. affirmantis omne peccatum eſſe mendacium, eò quòd homo per peccatum fruſtrà quærat bonum, quod non aſſequitur, ob malitiæ inutilitatem ad boni prehenſionem. *Homini*, inquit, *non ita viuere quemadmodum eſt factus vt viueret, hoc eſt mendacium. Beatus quippe vult eſſe, etiam non ſic viuendo, vt poſſit eſſe. Quid eſt hac voluntate mendacius? Vnde non fruſtrà dici poteſt, omne peccatum eſſe mendacium. Non enim fit peccatum, niſi ea voluntate, qua volumus vt benè ſit nobis, vel nolumus vt malè ſit nobis. Ergo mendacium eſt, quod cùm fiat vt benè ſit nobis, hinc potiùs malè eſt nobis; vel cùm fiat vt meliùs ſit nobis, hinc potiùs peius eſt nobis.* Igitur nequicquam homo ex vitio operatur, & qua talis, fruſtrà & præter ſcopum fertur, aberránſque nihil agit: atque adeò compertiſſima eſt vitij inutilitas, veriſſiméque à Diuo Ambroſio ſcriptum eſt 3. offic. cap. 14. *Id quod turpe eſt, non poteſt eſſe vtile; neque rurſus id quod honeſtum eſt, inutile: quia complex honeſtatis eſt ſemper vtilitas, & vtilitatis honeſtas.* In malitia itaque, eſt ſola inutilitas.

Summa eiuſdem damnoſitas.

425. Hæc verò negligi facilè poſſet, nec admodum mouere voluntatem ad deſpicientiam vel etiam odium malitiæ moralis, niſi damnoſitas & inſignis feracitas damnorum & calamitatum accederet, quæ ex dictis perſpicua eſt, & per ſe patere poteſt. Nulla enim horribilior vaſtatio poſſit animæ accedere, quàm quæ ei per vitium eiuſque partum immittitur: quando & de ſtatu ſuo deiicitur, conuenientique virtutum decore ſpoliatur, & vniuerſæ mentis diuitiæ, (quæ quidem veriſſimè tales ſunt,) dilapidantur; vt non ſit decoctor vllus commiſeratione dignior, cuiuſve fortunæ magis euerſæ cenſeri poſſint.

Sed illa grauiſſima eſt iactura, quòd Deus ipſe, quem virtus homini in poſſeſſionem tranſcribit, amittitur; ſuccedente in locum eius fluxo & inaniſſimo bono, malorum infinitorum ſcaturigine. Quam boni peccato admiſſi, & mali ſuccedentis contentionem, rectè proſequitur Philo lib. de Gigant ad illud, *Ego Dominus*, ita ſcribens. *Quod ſubiungitur, Ego Dominus, perpulchrè aptéque ad d[illegible]dum, dictum eſt. Quaſi dicat: Confer, bone vir, bonum carnis, cum bono animæ, cæterarúmque rerum omnium. Illud carnale, bruta voluptas eſt. Hoc verò vniuerſale, diuina mens, Numénque, quod regit omnia. Bella collatio quæ poſſit ſimilitudine fallere: ac ſi quis animata cum inanimis, bruta cum rationalibus, congrua cum incongruis, paria cum imparibus, lucem cum tenebris, diem cum nocte, denique omnia contraria cum contrariis conferas; & hæc prorſus eadem eſſe contendat. Atqui hæc, tametſi cognationem quandam vt creata habeant, tamen Deus ne præſtantiſſimæ quidem creaturæ ſimilis eſt: quoniam quævis creatura patitur, ille ingenitus eſt & ſemper agit. Bonum ſanè fuerit non deſerere conſtitutum diuinitùs ordinem, in quo res gerenda eſt fortiter, nec transfugere ad effœminatam fractámque voluptatem, cuius amicitia nocet, prodeſt inimicitia. Mirificam enim habet naturam. Quos ſuis bonis dignatur, eos mulctat continuè: quos verò his priuat, eos adiuuat maximè: nocent enim eius munera, quæ mox ablata proſunt. Proinde, ô anima, ſi quod voluptatis amatorium te inuitat poculum, declina ab eo, & auerſis oculis in genuinam natiuámque virtutis pulchritudinem, perge illam intueri, donec amore huius correpta, traharis tanquam à magnete, vt attracta, cum adamata cohæreas.* Meritò ſanè nocere voluptatis munera, quæ putantur vitij ſtipendia, affirmat: Nam vt alia damna deeſſent, æſtimari pro meritis non poteſt damnum illud primarium à Philone propoſitum, in eo ſitum, quòd abiiciendo virtutem, illius quoque boni poſſeſſione excidimus, cuius diſpendium nunquam æſtimari ſatis poteſt.

Hominem redigit ad nihilum.

426. Hanc ſtragem & cladem humanorum bonorum à morali malitia inuectam, expreſſerunt, qui homines vitiis corruptos, appellarunt homines *nihili*, quaſi à ſummo eſſe, per acceſſum ad Deum ob virtutem, ad nihilum culpæ redactos: vt elegantiſſimè diſputat D. Auguſtinus lib. de vera Relig. cap. 11. Idipſum ſæpè produnt ſacræ Scripturæ, quibus homo per vitium ac peccatum dicitur effici *nihil*, & quaſi ex rerum ordine expungi: quod facta ad Scripturas illas alluſione piè admodum traditur in Soliloquiis perperam D. Auguſtino tributis (cùm potiùs maxima ſaltem ex parte ſint D. Anſelmi,) cap. 5. Locus pulcherrimus ex quo id eruit Nyſſenus tract. 1. de titulis Pſalmorum cap. 9. habetur Pſal. 106. verbis illis *Effuſa eſt contemptio ſuper Principes*: Nyſſenus contemptionem exponit annullationem, eámque ſic gloſſat. *Quibus docet* David, *quod eſſe in eo quod eſt, verè ſit eſſe. Quod ſi quis ab eſſe excidit, is non eſt in eſſe. Eſſe enim in peccato non eſt propriè eſſe, quia ipſamet in ſe, & ſecundum ſe malitia non eſt, cum malitia ſit priuatio & non exiſtentia boni. Quemadmodum igitur ille qui eſt, in eo quod eſt, in eſſe eſt; ſic in nihilo eſt, (tale verò eſt malitia) is itidem nihil ſit, & annihilatur, vt in Pſalmo iſto dicitur. Eſt autem huius vocabuli notio, etiam communi loquentium conſuetudine, trita. Dicimus enim cibum in carne receptum, carnem fieri, & vinum aquæ infuſum fieri aquam, ferrúmque in igne igneſcere: ſit & is qui ab eo quod eſt, excidit, & nihil deflectit, in nihilum neque conuerſi rectè dicitur. Ergo annullatio eſt, non exiſtentia in bono.* Egregiè planè, hoc non eſſe peccatoris, ex receſſu à ſummo & abſolutiſſimo eſſe, id eſt à Deo, proſequitur Origenes tomo 2. in Ioan. ad illud *ſine ipſo factum eſt nihil*. Et Boëtius l. 4. de conſol. proſa 2. his præter cætera. *Deflectentes ad vitia, non ſolùm potentes eſſe, ſed omninò eſſe deſinunt. Nam qui communem omnium quæ ſunt, finem relinquunt, pariter quoque eſſe deſiſtunt. Quod quidem cuipiam mirum fortè videatur, vt malos qui plures hominum ſunt, eoſdem non eſſe dicamus. Sed ita ſeſe res habet. Nam qui mali ſunt, eos malos eſſe non abnuo ſed eoſdem eſſe purè ac ſimpliciter, nego. Nam vti cadauer, hominem mortuum dixeris, ſimpliciter verò hominem appellare non poſſis: ita vitioſos, malos quidem eſſe conceſſerim, ſed eſſe abſolutè, nequeam confiteri. Eſt enim, quod ordinem retinet, ſeruatque naturam: Quod verò ab hac deficit, eſſe etiam quod in ſui natura ſitum eſt, derelinquit.* Et ſanè ſicut virtute & pietate homo grandeſcit, ita exilis & ſemper minor efficitur, malè operando; vt benè omnino ac concinnè philoſophatur Origenes homil. 12. in Leuit. decrementum autem illud cum ſit à bono ſummo, eſt planè ſummum, atque adeò hominem redigit ad nihilum. Affinia habet S Bernardus homil. 27. in Cant. & optime Philippus Abbas l. 2 in Cant. c. [illegible]

Quoniam verò incidit Scripturæ mentio, addam ex ea ſobiter vnum, quod S. Hieronymus in tradit. in Geneſ. ad c. 23. circa nomen *Ephronis*; Et in tradit. in 2. Reg. cap. 10. circa nomen *Abiſai* obſeruat. Nempe in Scriptura pleronque eorum nomina, qui in culpam prolapſi, & ex vitio operati deſcribuntur, imminuta referri, ablatâ aliquâ literâ, ſignificante Deo imminui peccato interna bona, & veram hominis perfectionem vaſtari. Sicut è contrà, Abrahæ & Saræ nomina, in virtutis præmium amplificata à Deo ſunt, additione elementi vnius, de quo idem Hieronymus tradit. in Geneſ. ad cap. 17. Et quando ad has minutias prætergreſſus ſum, non omittam quod idem habet in 1. Paralip cap. 11. Nempe Dauidem cùm priùs dictus eſſet octingentos impetu vno interfeciſſe, poſtmodum, propter peccatum interpoſitum, dici interfeciſſe trecentos.

Hæc video exilia & modica cenſeri poſſe, ſed iis qui minùs perpenderint quod à S. Baſilio initio libri de Spiritu ſancto & à S. Chryſoſtomo tract. 1. ex decem nuper editis, pag. 40. rectè ſcriptum eſt: Nimirum eſſe in Scriptura etiam apices & quantaſcunque minutias accuratè expendendus, quòd ingentes ſub eis auri glebæ, & ſenſus pretioſiſſimi deliteſcant:

Homo igitur per peccatum redigitur ad nihilum, tametſi eſſe phyſicum retineat. Quam annihilationem cum perſiſtentia entitatis phyſicæ cohærentem, optimè diſtinxit Rupertus lib. de omnipotentia Dei c. 4. Præmiſſa enim vulgari in illis oris quas incolebat locutione,

cutione.vt peccantes dicerent, *ecce hoc de nihilo*, ſubdit Rupertus. *Noſtra vitioſiſſima voluntate qui de nihilo facti ſumus in nihilum tendimus, licet iam non nihil eſſe queamus. Sic enim eleganter de huiuſmodi quidam ait,*

Inque nihil tendunt, nec nihil eſſe queunt.

Nam perpetuas quidem creatura ſubſtantiam omnipotentis imperium de quo ſcriptum eſt, quia ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt, *ſed deteriùs creatura in nihilum tendit, vel redit, eundo nimis longè à verbo per quod facta eſt. Maximè autem ſciēnter ſtando contra veritatis verbum, & loquendo mendacium. Loquendo enim quod non eſt, ipſa nihil fit, & nihil eſt.*

Prima ac præcipua peccantis pœna, peccare.

427. Ex his porrò omnibus perſpicuè colligi videtur, iure queri Epictetum apud Arria l.4.c.9. turpiſſimè hallucinari eos, qui dummodò ſaluæ ſint res externæ, non putant ſe vitiis ſubiacendo, diſpendium vllum pati. Iure item Diogenem apud Dionem Chryſoſtomum orat.4. de regno, conteſtari Alexandro, prauum quenque ſibi ipſi nocentiſſimum & damnoſiſſimum eſſe. Denique rectè omninò affirmaſſe, qui dixerunt, primam ac præcipuam peccantis pœnam, eſſe ipſum peccatum. Ita vt quamuis exſors pœnæ abiret, (quod apud homines non eſt difficile, & malum putiùs eſt, quàm bonum, vt rectè monet Porphyrius lib.1. de abſtinentia, *ſub initium*, recenſitis pœnæ fructibus: (Tamen longè maximum peccantis malum ſit, peccatum ipſum admittere, cuius tam tetra facies, tam damnoſum virus tam acerbus aculeus eſt, vt vidimus. Hoc autem ſupplicium nemo defugerit, qui peccatum admittere in animum induxerit, eaque eſt, vt dicebam indiuidua & prima peccati pœna.

Ita Epictetus lib.3.c.7. *Quod Iupiter conſtituit, hoc fac: ſi non feceris pœnam ſenties, detrimento afficieris: ſed quonam? Alio nullo quam eo quòd non facis, ſcilicet quæ tibi ſunt facienda. Amittes enim hominem fidelem, verecundum, modeſtum. Ne quære de maioribus detrimentis.* Et lib 4.c.1 propoſitis variis ad virtutem cautionibus ſubdit, *Vbi cunque diſceſſeris ab horum quopiam, pœna conſequitur, non inflicta aut irrogata extrinſecùs; ſed ab ipſo, quod perpetras, opere.* Seneca optimè epiſt. 87. *Maximum ſcelerum ſupplicium in ipſis eſt. Erras, inquam, ſi illa ad carnificem aut ad carcerem differs, ſtatim puniuntur cùm facta ſunt: imò dum fiunt.*

Maximus Tyrius diſſert. 40. num. 238. poſt longam legis naturalis, honeſtatem ſemper indicentis, antitheſim cum humanis legibus, plerunque malè conſtitutis, ait leges honeſtatis tales eſſe, *quibus ſi quis volens ſe ſubmiſerit, liber pariter diuéſque aget, nec quotidianis hiſce ſtultiſque legibus, magnoperè egebit iudicibus. Quicunque verò à præſcripto earum receſſerit, iniuſtéque vixerit, pœnas illi ſubeunt: non quòd Atheinienſium damnentur ſuffragiis, aut ab vndecim viris abducantur, aut denique è tortoris manu venenum hauriant. Minimè. Sed propria, ſed innata, ſed voluntaria improbitate ſua.*

Crimine nam periêre ſuo, pœnáſque dedêre.

[Hanc legem tranſgreſſus eſt Alcibiades. Huius ex legis iudicio, infelix dicendus fuit, non cùm è Sicilia ab Athenienſibus ad dicendam cauſam vocaretur, non cùm à ſacris præconibus, non cùm ab Eumolpidis deuoueretur, non cùm Atticam relinqueret, Vulgaria hæc ſunt, leuiſſimæ hæ pœnæ ſunt. Maior enim & in exilio iis qui manebant erat Alcibiades. Nam & apud Lacedæmonios exul vixit non inglorius poſteà, & Deceliam muniuit, & amicus Tiſſaphernis & dux fuit Lacedæmoniorum. Sed vera illa, de qua loquor, Alcibiadis pœna antiquior multò, ab antiquiore irrogata lege, antiquioribúſque Iudicibus; cùm Lyceum relinqueret, cùm à Socrate damnaretur, cùm à Philoſophia fuit proſcriptus. Tum exulare cœpit Alcibiades, tum capi. O proſcriptionem grauem, ô diras implacabiles, ô miſeram fugam!]

Ad eandem mentem S. Chryſoſt. epiſt. 7. fusè diſſerit adducto eo Apoſtoli locu, quo ſapientes Ethnici turpia operati dicuntur erroris ſui mercedem in ſemetipſis recepiſſe. Quæ verba ita gluſſat [Quid ais, Paule? An non voluptate afficiuntur qui hæc audent, atque cùm cupiditate flâgitioſum hunc diuiniſque legibus interdictum concubitum perpetrant? Quoniam igitur pacto eos in hoc ipſo pœnas dare ais? Quòd ſententiam, inquit non ab ægrotantium voluptate, ſed ab ipſa rerum natura protuleram. Quandoquidem etiā adulter priuſquàm pœnas pendat, in ipſo etiam adulterij opere punitur, (etiamſi voluntate affici ſe arbitretur) dum peiurem ac ſceleratiorem animam reddit. Sicarius item priùs etiam quàm tribunal ac præacutos gladios proſpiciat, atque admiſſorum ſcelerum pœnas det, in ipſo cædis facinore periit, vt qui etiam ipſe deteriorem ſibi ipſi animam effecerit. Quódque in corpore morbus eſt aut febris aut hydropiſis aut aliud eiuſmodi quidpiam & in ferro rubigo & in lana tinea & in ligno vermis & in cornibus ipes hoc in anima vitium eſt. Seruilem enim atque ſubiectam & ſordidam eam reddit. Quid autem ſeruilem & ſordidam dico? Brutorum eam animam efficit? hunc nempe lupi, illam canis, illam ſerpentis, illam viperæ; illam cuiuſpiam alius beſtiæ animam eam reddens. Idque vt indicarent Prophetæ, mutationémque ex improbitate contractam omnibus conſpicuam facerent, alius dicebat; *Canes muti non valentes latrare*, ſubdolos ſcilicet ac veteratores homines aliiſque inſidias clàm ſtruentes, rabidis canibus comparans. Non enim illi cùm rabie laborant, latrantes impetum faciunt, ſed compreſſo clamore accedentes, grauiùs quàm ij qui latrant, eos quos mordent, vulnerant. Alius rurſus cornutum hummes quoſdam appellabat. Alius item aiebat: *Homo cùm in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus. & ſimilis factus eſt illis.* Is denique qui pluſquàm Propheta erat, is inquam ſterilis filius ad Iordanem ſtans, ſerpentes ac viperarum progeniem, quoſdam nuncupabat. Quidnam igitur huic ſupplicio par eſſe queat, cùm is qui ad diuinam imaginem conditus, tantóque honore ornatus eſt, illud inquam ratione ac ſumma manſuetudine præditum animal in tantam feritatem prolabitur? Vidiſti quemadmodum, etiam ante ſupplicium improbitas in ſeipſa pœnam habeat? *Videndus inſuper in hanc rem idem S. Chryſoſtomus homil. 1. in Hebræos in Morali. S. item Ambroſius in Pſalm 35. initio. tractans illud.* Vt delinquat in ſemetipſo. *ita concludit.* Sibi ergo delinquit iniuſtus. Nihil hac ſententia ſublimius dictum arbitror. In illis qui ſibi ſapientiam ſeculi vendicarunt, nihil tale legi, nihil tale cognoui. Nec mirum, quandoquidem illi humano ingenio locuti ſunt, hoc infudit ſpiritus Dei, ſpiritus veritatis, quia iniuſtus ſibi delinquat, ſibi generet vulnera, ſe ipſe confodiat. Nam ſicut ſpinæ naſcuntur in manu ebrioſi ita & in iniuſti ſermone naſcuntur quæ compugnant loquentem, *&c.* Serpens aliis infundit venenum, iniuſtus ſibi. *Denique inſigniter de more Eucher homil. in illud* Oportet ſemper orare *ante m dium.* Ita interdum Diabolus cum aduerterit animam fide vacuam & Dei timore nudatam, ita diuerſis paſſionibus inebriat mentem, vt quando aut maledicimus; aut obtrectamus, aut iraſcimur. aut fraudes

& falſitates adulterato ſigillo veritatis operamur, quando hæc agimus, aliis nos nocere credamus. Sed non ita eſt. Vniuſcuiuſque vitij malum in ſuum recurrit autorem: ſicut dixit. *Fili ſi malus fueris, ſolus hauries mala.* Suam linguam maliloquus maculat, ſuum cor obtrectator exulcerat ſuæ mentis lumen iracundus obcæcat, ſuam inuidus animam, veluti quadam rubigine, peſtifero liuore corrumpit. Et ſicut exulceratis parentibus naſcuntur viperæ, ſicut inquam naſci viperei fœtus diſruptis matris viſceribus aſſeruntur; ita humana præcordia, ipſis primitiis quas conceperint paſſionibus, illa inquam præcordia de quibus vitiorum generatio ſerpentina præfertur, ipſa primitiis monſtruoſa partus ſui fœcunditate violantur.]

Fex malitia, de qua omnibus peccatoribus bibendum poſt hanc vitam.

428 De fæce & amurca damnoſitatis hactenus expoſitæ, hoc eſt, de atrociſſimis in altera vita peccati ſuppliciis præſtat ſilere, quàm pauca dicere. Agnouiſſe ea etiam Ethnicos dixi latè in Naturali Theologia. Nunc obiter dico poſſe eorum perſuaſionem certam. & exemplum peti ex tantis hic proborum cruciatibus & ærumnis. Idcircò enim Apoſtolus 2. Theſſal. 1. pios ac probos viros, dura multa & acerba pati dixit, *in exemplum iuſti iudicij Dei*, vt, quod S Gregorius 5. Moral. cap. 4 notauit, aduerterent omnes, *qua peccantes poſtmodum ſuſ plicia maneant. ſi etiam iuſtos tam valida hic flagella caſtigant.* Quamquam omnia, quantacunque ſint huius vitæ tormenta, (quod S.Auguſtinus ſerm.117.de diuerſis c.6. recte ponderauit,) ad alterius vitæ pœnas non aliter comparantur, quàm pœnæ ſomniantium, ad pœnas, reapſe vigilantibus inflictas. Vt proinde exemplum illud diuini erga impios iudicij. in quod pœnæ probis hic immiſſæ. conſtitutæ dicuntur. non ſpectet ad vtrarumque inter ſe pœnarum comparationem aliquam vel analogiam, ſed tantùm ad fundamentum illationis illius omninò veræ ac indubitatæ: ſi iuſtus plerumque in hac vita tot tantàque ſubit innoxius quanta, poſt abiectas has corporis exuuias, manent impium.

Cuiuſmodi verò & quàm acerba ſint ea mala, non poſſumus cogitatione aſſequi. [Mala alterius vitæ, *inquit Chryſoſtomus homil. prima in Hebr* appellata quidem ſunt nominibus vſitatis, V.G. ignis, & tenebræ, & vincula, & vermis immortalis: ſed non hæc ſola iſtis nominibus nec talia demonſtrantur, ſed alia multò peiora, & multò ſæueriora. Quod vt agnoſcas, hoc primùm conſidera. Si enim ignis, quomodò tenebræ ſunt? Vides quoniam ille ignis, ſæuior iſto eſt? Non enim habet lumen, aut vllam luminis claritatem. Si ignis eſt. quomodò ſemper ardet? Vides quoniam & in hoc ſæuior eſt: non enim extinguitur, propter hoc etiam inextinguibilis appellatur Cogitemus igitur quantum ſit malum per omnia ſecula vri, & in tenebris manere perpetuis, & infinitos gemitus edere, & ſtridere dentibus, & nequaquam exaudiri. Si enim in hac vita aliquis eorum qui nobili genere nati ſunt, in cuſtodiam retrudatur, fœtorem ipſum tantùm, & tenebrarum caligines non valet ſuſtinere, & cum homicidis vnà ligari morte peius exiſtimat: intellige quale ſit, ſi quando cum omnibus totius ſeculi comburemur homicidis; neque ipſi alios videntes, neque aliorum viſibus apparentes, ſed in tanta multitudine ſolitarios nos eſſe putantes Siquidem tenebræ, & abſentia luminis. non nos ſinet proximos noſtros agnoſcere, ſed veluti ſi ſolitarius vnuſquiſque noſtrûm patiatur, ſic afficietur oppreſſus caligine tenebroſa. Si autem tenebræ tantùm affligunt noſtras animas, tantùmque perturbant; quid erit iam quando & cum tenebris dolores & tormenta combuſtionis affuerint.]

Vides præcipua capita vnde ſuppliciorum illorum grauitas petitur, cui immenſum quoddam ſuperpondium ex æternitate pœnarum, grauibus culpis non expiatis rependendarum, ac præciſâ liberationis ſpe, adiicietur, vt verè hoc inenatabile excuſſis profundum & irremeabile hypobrychium dicere liceat. *Ardens.* inquit Eucherius homil. 3. de Epiph. *inferni puteus aperietur. deſcenſus erit, reditus non erit. Illic denudati & capitaliter mortui in perpetuum demergentur, deſcienda in tenebras exteriores., infeliciter excloſi, infelicius includendi. De hoc puteo Propheta commemorat, neque abſorbeat me profundum. neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum: quia cùm ſuſceperit reos, claudetur ſurſum, & aperietur deorſum, dilatabitur in profundum. Nullum ſpiramen, nullus liber anhelitus, clauſtris deſuper vrgentibus, relinquetur: detrudentur illuc valedicentes rerum natura, vbi a neſcientur à Deo, qui Deum ſcire noluerunt, morituri vita, & morti ſine fine victuri* Cauſas illius ſuppliciorum æternitatis expendimus loco allegato Naturalis Theologiæ, multúſque circa eas eſt S. Chryſoſtomus homil. 9. in 1. ad Corinh.

Multiplex ex peccatis confuſio poſt hanc vitam.

429. Quod verò paulò antè aiebat Eucherius, impios in hoc barathrum detrudendos, valedicentes rerum naturæ illuſtrari optimè poſſet ex ea confuſione ac triſtitia, quam in abſceſſu & horrenda valedictione ſubituros impios à piis ſecedentes attributa cuique ſede ſua deſcribunt Chryſoſtomus homil. 8. in 1. ad Theſſal. S. Ephrem tom. 1. tract. de inferni tormentis, & Autor libri de malis Doctoribus, *ſub finem.*

Alium tunc impiorum pudorem atque triſtitiam ex propriorum peccatorum inſpectione egregiè explicat S. Baſil. in Pſal. 33. ad illud: *Et facies veſtra non confundentur.* Sic enim ſcribit. *Beatus, qui in die iuſti iudicij, quando venerit Dominus ad illuminandum abſcondita tenebrarum. & manifeſtandum conſilia cordium, auſus erit ſub luce illa redargutionem conſiſtere, quique illinc ſe recipiet nullo dedecore aſperſus; vt qui conſcientiam deprehendetur habere nulla ſorde contaminatam improbandi operis. Qui verò malè fecerint. in probrum & confuſionem reſurgent: in ſeipſis turpitudinem & formas eorum, qua peccarunt, conſpicientes impreſſas Erit certè confuſionis eiuſmodi impreſſio iſtis tanto plus horroris, quàm vel ipſa tenebra aut ignis æternus, quod in ea æternùm victuri ſunt peccatores, ſemper ob oculos verſantes veſtigia illa peccati in carne admiſſi, quaſi nota cuiuſpiam tincta, nec vlla aſpergine eluibilis in memoria animæ perpetuò duratura.* Similia optimè infra, ad illud: *Timorem Domini docebo vos.* Vbi cogitationem iudicij eiúſque horrorem & apparatum, quem graphicè deſcripſit. tanquam frænum animam à peccato arcens deſcribit; omnibúſque ſuppliciis anteferri probrum illud ex peccatis, quod dixi.

430. Sed inſigniter omninò lib. de vera virginit. hoc eſſe ait potentiſſimum vitia deuitandi remedium, cogitare fœdas picturas quas quiſque nunc in abdito delineat in tabella mentis, educendas reducto corporis ſipario, quod animæ oppaſſum eſt, & conſpicuas cùm ipſi, qui malum admiſit, eiúſque fœditatem perſpicuè tunc deprehendet, tum aliis prætereà omnibus fore. Locus eſt & venuſtate & grauitate ſua, adſcribit digniſſimos. [Memoria repetens quia oportet nos manifeſtari ante tribunal Chriſti, non modò quic-

quam

quam turpe agere, ſed & cogitare formidabit. Mens quippe noſtra pictoris in morem, in anima, veluti in tabula, cogitationes, vt placuerit, format. Cúmque ob gratiam liberi arbitrij, ſui iuris, ac libera ſit, & nuſquam ob incorpoream naturam ſuam, naturalémque libertatem anguſtetur; ſed quantam cupit, loci latitudinem ſemper inueniat; quæcunque velit facilè cogitationibus pingit. Inde quemadmodum pictor cùm in gurguſtio aliquo tabulam hiſtoriæ varietate repleuerit, illam repentè in medium proferens, oblatis velamentis omnibus, multitudini ſpectandam proponit: nec iam quæ picta ſunt, interpretari opus habet; ſed ſpectatoribus omnibus futuro quoque tempore picturam, vt ſeſe habet inſpiciendam, noſcendámque permittit: ita ferè & mens poſt exitum, vitæ ſublato velamento corporis, quo animæ tabula obtegabatur quàm per omne vitæ tempus variis cogitationibus pinxit, quæque in intimis receſſibus fuerant picta; cunctis cernenda producit in lucem videréque in promptu eſt animæ tabulam hiſtoriæ varietate plenam, æquè ad intuendum cunctis expoſitam. Si igitur diuinæ quædam ex lectionibus ſacris, cogitationibúſque probis expreſſæ cernantur hiſtoriæ. laudibus omnibus & mens quæ pinxit, & animæ tabula quæ picturam ſuſcepit, digniſſima cenſetur ab omnibus: ita vt præ dignitate picturæ, ſummáque pictoris induſtria & arte, amoueri à ſpectaculo auellíque non poſſint: cunctis per ſingula, picturæ pulchritudinem, figuras, diuinámque picturam rerum formam admirantibus & eximium pictorem illum, quòd ritè vita vſus ſit, & ſub hoc amictu corporis, die noctúque huiuſmodi picturas præter omnium ſpem venuſtiore manu, & arte animæ inſcripſerit tabulæ, laudantibus. Sin verò turpes atque indecoræ picturæ illæ viſæ fuerint, probro atque irriſione digniſſimus pictor ille indicabitur, cùm fortè contra quam ſperabatur, priuſquam velamen animæ amoueretur, ſummoto corpori tegmine, cuncta repentè deformia, fœdáque apparuerint. Vbinam quæſo, tunc ſe iſte recipiet, quando ex collatione alterius inter cogitationes ſe inuicem accuſantes, ſeu defendentes à cunctis iudicabitur? Vbinam, inquam, animæ tabula illa ſtatuetur, quæ ſpectantium oculos hiſtoriis obſcœnis, omniíque monſtruoſa ſpecie impleuit? Sicut enim qui maculas habent in corpere priuſquam veſte nudentur, opertas, ac plurimis ignotas, ferunt; ſæpè verò pretioſiſſima ornati veſte, cùm fortè intrinſecùs quoque formoſi ac venuſti ex illo exteriore cultu putarentur, exuti tunica, undíque in balneo conſpecti, contrà quàm putabatur, ridiculi atque innumeris maculis fœdè inſigniti corpus. continuò apparuerunt; neque iam obſcurum eſſe poteſt, nudato ſub omnium oculis corpore, vbinam qualis, quantáque ſit macula; ſed ſimul atque nudata eſt, intuentium ſeſe oculis aperit: Ita & nos cum velamen carnis exuerimus, neque ſubducere maculas animæ, neque operire vlla ratione poterimus. Cæterùm ſub omnium obtutibus nudi atque conſpicui; quæ priùs corpore quaſi veſte contecta, minimè habere putabamur; ea nudata, ſe omnium oculis ingerent: nullúſque iam vel negationi, vel defenſioni erit locus, quando ipſa cernentur opera, in ſuo autore conſpicua. Non enim confusè, aut ſummatim, & indigeſtè, res ipſæ cernentur, ſed ſingula per partes, vt ſeſe habeant, veluti in pictura noſcentur.]

Hactenus de ea noſtri per nos ipſos pictura Baſilius, & rectè: Sicut enim anima iuſti, eſt imago coloribus rectè factorum & piarum cogitationum deformata, vt eleganter ait S. Ephrem. ſerm. de virginit. qui habetur tomo 1. ita è contrà anima peccatis oblita, rectè appellatur pictura contrariis coloribus depicta & formas viſu horribiles exhibitura, cùm reiectis inuolucris, quibus nunc ea inuoluitur, ac tunc purgatis oculis, qualis reuera in ſe eſt, obiicetur contuenda: Concinnè Gregor Nyſſenus tract. de perfecta Chriſtiani forma ad Olympium, ſub med. *Quicquid ſedulò verſas in conſcientia*, ait Petr. Damiani, ſect. 72. qui eſt 4. de dedic. Eccleſ. *hoc idem & ipſe es in æſtimatione diuina. Omne ſiquidem noſtrum ſiue boni ſiue mali deſiderium, eorum diuino conſpectu in noſtra cernitur mente depictum.* Et nunc quidem his picturis admodum plerunque monſtroſis, oppaſſum eſt aulæum huius vitæ, vt loquitur Tertullianus c. 48. Apolog. Diſciſſo autem aulæo reuelabitur quod antea obducebatur & fœdæ illæ picturæ proſtabunt. Egregiè S. Chryſoſtomus homil. qua exagitat quòd regulares fœminæ vitis cohabitent, ex eo colligit confuſionem ex illa tam fœdæ picturæ vniuerſo vrbi tunc expoſitæ, conſpectione; quòd cùm vel ſuſpicio notæ ab aliis huiuſmodi infamiæ, valdè angat eum qui tali ſuſpicione laborat; ipſéque homo, tacentibus licèt aliis, ſeipſum non ferat præ rubore, & iis quæ ſuſpicatur de ſe ab aliis exiſtimari; multò acerbior futura ſit ignominia ex tam peruio, támque vulgato, animæ inquinatiſſimæ fœdiſſimo ſpectaculo apud tam multos. Homil. item de Pœnit. contin. & virginit. vocat *dedecus maximè horrendum*, quod ſubibit peccator ex reuelatione vitæ deformiſſimæ à Deo tanquam in tabella ob omnium oculos exhibendæ. Similia elegantiſſimè Eucher. homil. 1. de Epiph. & homil. 8. ad Monach. vtrobique *ſub finem.*

Quia verò inſigniter extremum hunc vitij vermem deſcribit S. Bernardus, & ratione optima ſtabilit in Declamat. circa illud, *Ecce nos reliquimus omnia* non videtur dimittendus. Eius hæc eſt oratio [Arguam te, ait Dominus, & ſtatuam contra faciem tuam: Quid aliud confuſionis erit, quid miſeriæ, quid doloris, quando diſſipatis foliis & diſperſis vniuerſa nudabitur turpitudo, reuelabitur ignominia, ſanies apparebit. Quãdo iã immortalis factus internus ille cõ ſcientiæ vermis tota malignitate corrodet, ſed non conſumet animam infelicem, nec erit omninò diſſimulationis locus, aut ſpes vlla conſolationis? Quid enim cauſæ eſt, quòd ne modò quidem conſcientiæ ſtimulos ſuſtinere aliquatenus poſſunt, ſed auertunt oculos cordis, & ad conſolationes miſeras conuertuntur, aut certè diſſimulationibus aliquibus decipiunt ſemetipſos, & mentitur iniquitas ſibi, niſi quòd intolerabilis ille eſt cruciatus (licèt adhuc blandiatur ſpes, & extenuet omninò dolorem) dum ſibi ipſis pro libitu tempora metiuntur, & omne quod agunt, facilè diluendum, deferendúmque quod appetunt, temeraria præſumptione promittunt? Sed & ipſa conſuetudine & incuria ſtupidi & inſenſati corde ferè nihil ſentiunt. Quæ quidem omnia longiùs aberunt, vbi fiet quod ſcriptum eſt. *Arguam te & ſtatuam contra faciem tuam.* Quantò enim ſibi vicinior & naturali neceſſitudine charior anima carne ſua eſt, tantò acriùs doleat neceſſe eſt, & moleſtiùs ferat propriam quàm corpoream læſionem, vbi à ſtupore iſto & inſenſibilitate fuerit excitata. Sicut è contra bona propria & delicias ſpirituales internámque animi voluptatem vbi contigerit experiri, eò vtique delectabiliùs amplectatur iucundiúſque fruatur oportet, quò propiùs & expreſſiùs eam tangunt, nec exteriùs mendicantur. Nemo quippè eo modo iumenti ſui quo corporis ſui refectione poterit delectari. Placet quidem & illa, ſed longè aliter iſta ſapit alitérque ſentitur. Quòd ſi iumentum animæ corpus eſſe fateris, eadem vtique ratio tibi obſeruanda eſt & in ipſis.] Ac proinde è contrario ſicut punctio proprij corporis moleſtior eſt quàm infixio ſtimuli in iumentum cui inſideas, ita &

extrema

cuoque improbitate auertendam. Eſt in hanc quoque ſententiam aurea planè epiſtola Iſidori Peluſiotæ l. 5. epiſt. 329. Initium quod huc maximè facit, ita habet. *Ad vltimum tendit finem mundus, neque enim fallit ipſa veritas, conſummationē fere denuncians. Qui mundi finis etſi longiùs abeſſe quibuſdam videatur, cuiuſque tamen dies abit, quotidie tranſit, finem parturit, reſpicitque extremum. Seneca enim patet in dies exitus: ætate florentium, incertus quidem vitij dies, nulli etenim certa ætas vitæ terminus eſt, ſed omni ætas morti obnoxia. Vigilandum itaque omnibus, expectandum quod ſemel accidit. At nos hodie quidē ic potius quàm mortis tempus expectamus.*

Generalia ad malitiæ excidium, ſubſidia: ac primum extrinſeca.

433. Hactenus de incentiuis ad iniiciendum voluntati malitiæ odium Nunc his auocamentis ex parte intellectus præmiſſis, progrediendum eſt ad ſubſidia, quibus malitia declinari, vel iam contracta, incremento & roboratione prohiberi, ac etiam abiici poterit; quæ vt in ſimili circa honeſtatem factum eſt, partiar in externa & interna. Externa appello, vt ibidem feci, peccationem ad Deum, & vbique obuerſantem animo eius contuitum, liberam fidi monitoris operam externorum præterea exemplorum, aut conuictus ad vitium pertrahentis, itémque quarumcunque externarum occaſionum peccanti ſedulam ac ſtudioſam declinationem, . quæ tametſi internis hominis actibus contineantur; tamen efficacitatem ſuam habent ab extrinſeco, quod vel adhibetur vel remouetur. Cætera ſubſidia, quæ ad ipſum operantem pertinent, interna appello. Itaque illuſtrato iam intellectu vt vitij fœditatem & inſanitatem ac damna voluntati exhibeat, venio ad inſtrumenta illa & ſubſidia, quæ dixi.

Illud tamen primùm conteſtari cogor, ne anteriora omnia inutilia habeant: nempe ſi qui prauitati mancipati ſunt, quē demonſtrauimus ſtatum in ſe minùs deprehendunt; non ſequi, inanem fuiſſe diſputationem propoſitam. Imò verò hoc eſſe maximum à malitia incommodum, quòd ſenſum obtundit damnorum quæ infert. Nam neque ebrij (quæ eſt optima in hanc rem comparatio Chryſoſtomi orat. 5. contra Iudæos, & homil. 11. ad Rom. *in morali*) ſentiunt in quantis malis iaceant, & quantus ſit ipſorum putor, & bene ſibi eſſe arbitrantur, cùm ſit deterrimè. *Et hoc ipſum*, ait Seneca epiſt 6. initio, *argumentum eſt in melius tranſlati animi, quòd vitia ſua quæ adhuc ignorabat, videt. Quibuſdam ægris gratulatio fit, cùm ſeipſos ægros eſſe ſenſerunt*, Idem optimè epiſt. 54. *O! cœpi mecum cogitare, quanta nos vitiorum noſtrorũ ſequeretur obliuio, etiam corporalium, quæ ſubinde admonent ſui; nedũ eorũ, quæ eò magis latent, quò maiora ſunt. Leuis aliquem motiuncula decipit: ſed cùm creuerit, & vera febris exarſerit; etiam duro & perpeſſitio, confeſſionem extorquet. Pedes dolent, articuli punctiunculas ſentiunt: adhuc diſſimulamus, & aut talum extorſiſſe nos dicimus, aut in exercitatione aliqua laboraſſe. Dubio & incipiente morbo quærimus nomen; qui vbi ad talaria cœpit tendere, neceſſe eſt podagram fateri. Contra eſt in his morbis quibus afficiuntur animi. Quo quis peius ſe habet minùs ſentit. Non eſt quòd mireris, Lucili chariſſimè; nam qui leuiter dormit, & ſpecies ſecundùm quietem capit, aliquando dormire ſe dormiens cogitat. Grauis ſomnus, etiam ſomnia extinguit, animúmque altiùs mergit, quam vt vti illo intellectu ſinat. Quare vitia ſua nemo confitetur? Quia etiam nunc in illis eſt. Somnium narrare vigilantis eſt, & vitia ſua confiteri, ſanitatis indicium eſt* Hoc ita præmiſſo, ad ipſa iam ſubſidia venio.

1. Precatio.

434. Quòd ergo precationem ſubſidiis vitandi peccati annumerani, de Epicteti ſententia feci. Is apud Arriam. lib. 2. c. 18. præter alia quæ ſalubriter in hoc genere præſcribit, orationem quoque indicit, vt referam, cùm de generalibus paſſionum remediis, Non omiſit item hoc remedium Zaleucus in procemio legum, vt eſt apud Stobæum ſerm. 44. *Si quis*, inquit, *à malo genio quepiam aſſiſtente ſibi, ad iniuſtitiam inſtigetur, is ad templa, aras, & delubra veniat. fugiens iniuſtitiam, ceu dominam impiiſſimam moleſtiſſimámque, & Deos oret, opem ad propellendam ipſam, ſibi ferant.*

2. Numinis præſentis contuitus.

Ad auxilium, quod Deus precantibus ſubminiſtrat effectiuè, reduci poteſt auxilium, quod obiectiuè, vt ita dicam; exhibet aduerſùs malitiam. Eſſe enim potentiſſimum ab ea auocamentum Dei præſentiam homini propoſitam; & conſtantem, attentúmque eius contuitum, ſæpè legimus apud Doctores. Clinias Pythagoreus in fragmentis Pythag. n. 265. *Quoniam non ſine cauſis exſuſcitatis ſolent iniuſtè agere: hæ autem tres ſunt, intemperantia in corporis voluptatibus, auaritia in lucrando, ambitio in æqualibus antecellendis: ſciendum eſt his opponi poſſe. & quæ metum, & quæ pudorem, & quæ cupiditatem pariant: metum propter legem; pudorem propter Deum; cupiditatem propter ſermonem. Quocirca ſunt initio iuuenes & deorum & legum honorem docendi. Sic etenim omne factum humanum, totáque vita, ſi non deſit ſucceſſus, ſanctimoniæ pietatiſque particeps erit.* Arrianus ex Epicteto hoc peccati amuletum refert l. 2. c. 18. *Velis bonus & honeſtus eſſe coram Deo: Deſideres purus eſſe mundúſque & tecum habitans & cum Deo.* Et idcircò l. 4. c. 4. vult aduerti aliis peccantibus. *Nam ſimiliter ego quoque peccem, & quo pacto à peccatis deſiſtam; & ita cogitari; aliquando, & ego quoque peccabam, nunc verò deſtiti Gratia ſit Deo.* Charondas in procemiis legum apud Stobæum ſerm 44. *A malis facinoribus abſtinendum eſt, idquè maximè propter concordiam cum Deo. Cum nullo enim iniuſto, Deus commercium habet.*

43 . Audi & Senecam ac Tullium apud Lactantium 6. Inſtit capt 24. [Nec lucrari ſe quiſquam putet, ſi delicti conſcium non habet: ſcit enim ille omnia, in cuius conſpectu viuimus: nec ſi vniuerſos homines celare poſſumus, Deum poſſumus, cui nihil abſconditum, nihil poteſt eſſe ſecretum. Quod in exhortationibus ſuis Seneca mirabili ſententia terminauit: Magnum, inquit, neſcio quid, maiúſque quàm cogitari poteſt, Numen eſt, cui viuendo operam damus. Huic nos approbemus. Nam nihil prodeſt incluſam eſſe conſcientiam, patemus Deo. Et mox. Nullus ergo mendacio, nullus diſſimulationi locus eſt quia parietibus oculi hominum ſubmouentur: Dei autem Diuinitas, nec viſceribus ſubmoueri poteſt, quominus totum hominem perſpiciat, & norit. Idem in eiuſdē Operis prœmio. Quid agis? inquit, quid machinaris? quid abſcondis? Cuſtos te tuus ſequitur. Alium tibi peregrinatio ſubduxit, alium mors, alium valetudo: hæret hic, quo carere nunquam potes. Quid locum abditum legis, & arbitros remoues? Putas tibi contigiſſe, vt oculos omnium effugias demens? Quid tibi prodeſt non habere

bere conſcium, habenti conſcientiam? Non minùs mirabiliter de conſcientia & Deo Tullius Meminerit, inquit, Deum ſe habere teſtem, id eſt, (vt ego arbitror) mentem ſuam, qua nihil homini dedit Deus ipſe diuinius. Item cùm de iuſto ac bono viro loqueretur, Itaque talis vir, inquit, non modò facere, ſed ne cogitare quidem quicquam audebit, quod non audeat prædicare. Purgemus igitur conſcientiam, quæ oculis Dei peruia eſt, &, vt ait idem, ſemper ita viuamus, vt rationem reddendam nobis arbitremur: putemúſque nos momentis omnibus, non in aliquo, vt ille dixit, orbis terræ theatro ab hominibus, ſed deſuper ſpectari ab eo, qui & Iudex & teſtis idem futurus eſt, cui rationem vitæ repoſcenti, actus ſuos inficiari non licebit.

Eodem ſpectant illa Celſi apud Origenem l. 8. ſub finem. *Deus nullo pacto vnquam relinquendus, non noctu, non interdiu, non in priuato, non in publico, non in cogitationibus vllis, non in operibus, ſed ſiue cum his, ſiue ſine his, ſemper intenta ad Deum ſit anima.* Item illud Apollonij apud Philoſtr. l. 1. cap. 22. ſapiendum vbiuis eſſe hominibus, *vt qui ſemper viuant in oculis ipſius virtutis.* Adhibuit quoque hoc malitiæ amuletum Heraclitus referente Clemente Alexandrino 2. Pædag. cap. 10. verbis illis. *Senſilem lucem latebit fortaſſe quiſpiam, ſed eam quæ intelligentia apprehenditur, minimè latere poteſt. An vt ait Heraclitus, id quod nunquam occidit, poſſit latere quiſpiam? Tenebras ergo minimè obtegamus: etenim lux in nobis habitat.* Adhibuit item Pythagoras de quo ita Iamblicus in vita. *Ab omni voluptate mentem auolans, toto ſtudio tendebat ad ſalutem, & curam oculi diuini, qui vt præclarè inquit Plato mille carneis eſt melior.* Curam oculi diuini, non vocat ſtudium impenſum curando mentis oculo, qui non niſi extortè & admodùm impropriè diuinus oculus dici poteſt; ſed nomine curæ illius, intelligendum eſt ſtudium obiiciendi ſe purum ac nitentem, Deo contuenti, quod eſt illud ipſum malitiæ amuletum quod proponimus.

Idem ex Patribus.

436. Meliùs etiam & efficaciùs vtpote in meliore Schola edoctus, proximè adductus Origenes ibid. lib. 4. [Perfricet aliquis frontem, & neget omnis ſapientiæ fontem eſſe ac principium, Deo credere, cunctáſque ſuas actiones ad eum ſcopum referre, vt Deo placeant; ita vt ne in mentem quidem aut cogitationem admittatur quod illi diſpliceat; quandoquidem non verborum tantùm & operum, ſed cogitationum etiam reddenda eſt ratio ad tribunal ſummi Iudicis. Nam quis alius modus eſt, qui faciliùs hominem ad rectè viuendum conuertat, quàm fides certáque perſuaſio, nihil à nobis vel dici, vel geri, vel cogitari denique, quin oculis Dei pateat? Conferat qui vult cum hac, aliam viam conuertentem ad meliora, non vnum aut alterum quempiam, ſed quàm fieri poteſt plurimos, vt ex collatione ambarum magis eluceat, vtrius earum vis ſit efficacior. *Præiuerat Origeni Clemens 3. Pædagogi, cap. 5. in fine, verbis illis.* Oportet domi quidem parentum & famulorum pudore affici: in viis autem, eorum qui fiunt obuiam: in lauacris verò mulierum: in ſolitudine autem, ſui ipſius: vbique autem, Verbi, quod eſt vbique, & ſine ipſo, factum eſt nihil. Hac enim ſolùm ratione fit, vt quis nunquam labatur, ſi Deum ſibi ipſi ſemper adeſſe exiſtimat. *S. Hieronymus in Apol. ad Antoninum.* Quod ad pacem attinet, fouemus eam magis quàm vlli veſtri ſocij, dum prædicamus Deum non poſſe falli à quoquam malefico, aut fraudatore, aut doloſo, ac deteſtabili: & cuique pro meritis aut pœnam repoſitam aut ſalutem, ſempiternam vtranque. Hæc ſi nota eſſent omnibus, nemo vitiis ad breue tempus ſe dederet, quæ ſciret punienda æternis; ſed ab omnibus vitiis abſtinendo, cohoneſtaret ſe virtutum ornamentis, vt à Deo felicitatem conſequeretur, & euaderet ſupplicia. Noſtras enim leges & animaduerſiones, improbi conantur fallere: & quia ſciunt non poſſe falli, cùm ſimus homines, non ceſſant malè facere: qui ſi ſcirent Deum nihil latêre, vel factum, vel cogitatum, ſaltem futurorum metu honeſtiùs viuerent. *Lactantius lib de ira Dei, cap. 8.* Multùm refrænat homines conſcientia, ſi credamus nos in conſpectu Dei viuere: ſi non tantùm quæ gerimus videri deſuper, ſed etiam quæ cogitamus aut loquimur, videri à Deo putemus. *Et cap. 12.* Niſi cupiditates noſtras Deus qui falli non poteſt, coërcuerit, ſceleratè impiéque viueremus. Spectari ergo actus noſtros à Deo, non modò ad vtilitatem communis vitæ attinet, ſed etiam ad veritatem: quia religione iuſtitiáque detractâ, vel ad iniuſtitiam pecudum amiſsâ ratione deuoluitur, vel ad beſtiarum immanitatem: Imò verò ampliùs, ſiquidem beſtiæ ſui generis animalibus parcunt. Quid erit homine truculentius, quid immitiùs, ſi dempto metu ſuperiore, vim legum aut fallere potuerit, aut contemnere? Timor igitur Dei ſolus eſt qui cuſtodit hominum inter ſe ſocietatem, per quem vita ipſa ſuſtinetur, munitur, ac gubernatur. *Gregorius Nyſſenus lib. de perfecta Chriſtiani hominis forma ad Olympium, tractans illud:* Portans omnia verbo virtutis ſuæ. *Eandem doctrinam ſuggerit, & inſigniter ſtabilit.* Quæcunque, *inquit*, materiæ vel participem vel expertem naturam acceperunt, vnam ſubſtantiæ cauſam habent, verbum virtutis illius, quæ nullis verbis dici poteſt. Ex quo admonemur, vt eum vnde res omnes ortæ generatæque ſunt, intueamur. Etenim ſi ab illo procreati ſumus, atque in eo conſiſtimus, omninò neceſſe eſt, vt nihil eſſe credamus, quod eius, qui nos procrearit, in quo ſimus, in quem reſoluamur, cognitionem effugiat. Qua quidem cognitione, vt æquum eſt, innocentia vitæ conſeruatur. Quis enim ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſe viuere credens, turpis & flagitioſæ vitæ teſtem habere velit eum, quem vniuſcuiuſque vitam in ſe continere ſciat? *Eadem pulcherrimè Chryſoſtom. homil. 8. in ad Philipp. ad illud*, Cum timore & tremore. *Et breuiter homil. de pœnit. contin. & virginit.* Si bonus, *inquit*, boni viri occurſus, meliorem reddit occurrentem, quantò magis nocte diéque Deo colloqui? Quis enim Deum adeſſe cogitans peccat?]

437. Claudat agmen Philo, cuius illa ſunt periluſtria initio legationis ad Caïum, cùm expendit notationem nominis *Iſraël*, quod exponit videns Deum. [Res, *inquit*, vt mihi videtur pluris æſtimanda, quàm vllæ opes vel priuatæ vel publicæ. Nam ſi ſeniorum, aut præceptorum, aut Magiſtratuum, vel parentum aſpectus mouet ad reuerentiam, & modeſtiam, & ſuâ præſentiâ vitam moréſque corrigit, quantum putamus ad honeſtatem virtutémque præſidium contingere animæ, ſi emergens ſupra omnes creaturas, Deum increatum ſpectare didicerit, ſummum illud bonum, pulchrum, felix, beatúmque, & quod verè dicere licet, bono melius, pulchro pulchrius, beato beatius, felicitate ipſa felicius, & ſi quid dici poteſt perfectius. Non poteſt enim ſermo aſſequi & attingere Deum, ſuperiorem

periorem

ſuperiorem ſe modis omnibus. ed retrò relabitur,cùm non poſſit propriis nominibus, ceu gradibus aſcendere ad manifeſtationem non dico eius Qui eſt, quem ne totum quidem cœlum in vocem articulatam verſum poteſt eloqui. *Idem lib. de charitate.* Imponentes ſui fiunt, elati inflatique, procul dubio perituri niſi Deum ſemper habuerint in memoria. Quemadmodum enim Sole exorto, euaneſcunt tenebræ, & luce implentur omnia: eodem modo quando Sol diuinus illuceſcit animæ, vitiorum affectionumque caligo diſpellitur, & ſplendidiſſimæ virtutis pura amabiliſque ſe profert ſpecies. *Et lib. de Gigantibus, tractans illud:* Ego Dominus, *ſic ſcribit.* Cæterùm hæ voces, Ego Dominus,non ſic tantùm accipi debent,ac ſi diceret: ego perfectū, incorruptibile, verúmque bonum,quod qui quis complexus fuerit, ſpernet iſta imperfecta, carni hærentia: ſed perinde quaſi diceret, Ego Princeps, Rex & Dominus. Nec ſubditis in Principum præſentia, nec ſeruis coram heris, tutum eſt iniquè agere.Cùm enim præſtò ſunt caſtigatores,timor continet in officio, quos non admonet ſuum ingenium. Propè eſt enim Deus qui replet omnia; cuius conſpectum ac præſentiam.ſi non reueremur.certè inuictam potentiam, & ſeueritatem ineuitabilem metuendo, continebimus nos à maleficio,reputantes quàm grauiter aliquando ſoleat animaduertere.] Quòd Dei vindicis & ad inferenda ſupplicia potentis,vult meminiſſe eum, qui de peccato admittendo cogitationem ſuſcipit,non pœnas duntaxat, quas per vitæ tempus inferre poteſt Deus,ſed eas præſertim ſpectat,quas poſt mortem repetet de impiis, de quarum grauitate aliquid obiter dictum eſt paulò ante.

3. *Fidus monitor, magnum ad fugam malitia ſubſidium,*

Vſus boni monitoris,quem poſteà ad fugam malitiæ commendabam. egregiè inſigitur à S.Chryſoſtomo homil. 17. in Matth. vbi præſcribens remedia ad peruerſam iuramenti nulla ex cauſa & temerè vſurpandi licentiam,ita loquitur *Si multos tibi volueris domi præficere cuſtodes,& ſeruos ſcilicet & amicos,compulſus atque exactus à cunctis, à vitioſa illa conſuetudine facilè diſcedes. Et ſi quadraginta ſaltem diebus, hac te meditatione firmaueris nequaquam ad ſimilem laborem, alterius vltrà temporis indigebis.*Idem illuſtriſſimè homil. 10.in Acta,*in morali*, expugnans eandem peruerſam temerè iurandi conſuetudinem Cùm enim induxiſſet obiiciétem auditorem, difficillimum eſſe abſtrahi ab inolita conſuetudine, ita retundit vanam hanc excuſationem. [Igitur quoniam tanta conſuetudinis eſt vis,eam in aliam transfer conſuetudinem. Et quomodò,inquit, poſſibile? Quod ſæpiùs dixi hoc etiam nunc dico.Sint animaduerſores eorum quæ dicuntur, multiq; ſtent inquiſitores & correctores. Non eſt confuſio ab alio corrigi. Imò confuſio eſt, repellere corrigentes,& in damnum propriæ ſalutis hoc facere. Et tu quidem ſi veſtem indueris inuerſam, permittis te à puero admoneri, & non confunderis, ab illis diſcens, quamuis certè in hoc magna confuſio Hîc autem in detrimento animæ, confuſione eſt, dic mihi, ab alio erudiri?Et ornantem quidem te veſtibus fers ſeruolū, & calciantē;ornantem autem animam tuam non fers? Et quantæ inſipientiæ hæc ſunt? Sit & miniſter horū doctor,ſit & puellus,ſit & vxor,ſit & amicus,& vicinus,& cognatus.Quemadmodum enim fera,quæ vndequaque agitatur,non facilè euadit: Ita fieri nequit, quin is, qui tot habet cuſtodes,tot obſeruatores, tot increpantes, & vndique affligitur, facilè effugiat, & non ſeruetur.Et primo quidem die difficilè feres hoc, & altero, & tertio. Deinde autem facile erit, & iam poſt quartū,moleſtum,vltrà non erit.]Idem ex inſtituto fructum & vſum vel etiam neceſſitatē admonitionis & correctionis admittendæ, latè ediſſerit tomo 5. ſerm. 13.qui eſt de ferend.reprehenſ.de quo etiam argumento eſt integra oratio apud Gregor.Nyſſenum.

438. Sed vel eam duntaxat monitionem, quæ factis potiùs & ſancta vitæ conformatione in exemplum exhibita, quàm verbis & vocibus continetur ſuffuſis, vt Tertullianus de Chriſtiano pallio dixit, ac erubeſcentibus ſub eius recogitatu improbis motibus, elingui Philoſophia,ſonante habitu & vita;ſicque audito Philoſopho,vel dum videtur: Eam inquam monitionem mutam, magni omninò eſſe momenti ad auocandum à vitio animum tametſi deprauatum; locuples teſtis eſt, vt cæteros taceam, Polemo ille, ex hoc capite apud Ethnicos & Patres ſæpè laudatus, vt dicam tractans virtutem Pœnitentiæ. Xenocratis enim Philoſophi contubernio,& probitatis exemplis, potiùs quàm prolixis de ea ſermonibus,in alium euaſit ex nequiſſimo atque turpiſſimo. Itaque Themiſtius orat.7.Philoſophiam deſcribens,tantámque eius pulchritudinem quanta verbis explicari non poteſt; *Aſpectus ipſe*, inquit, *vere und am præſ ens, ita vt eam in co tuen es adeò ipſos transfundat. Iam enim quibuſdam, vel ſolitus Deæ iſtius aſpectus, ſatis fuit vitam vt ſuam ad modeſtiam componerent. Polemo quidem ille Atticus qui in comeſſ tionibus ac tibiis atque ebrietate. plurimum antè per luxum ac laſciuiam verſari ſolitus eſſ t, cùm ad Xenocratis contubernalem Philoſophiam oculos adieciſſet, tibia illa exemplò omnes omnes euanuerunt; commeſſationéſque, & vagus atque impudicus amor, Polemonis animo excidentes, contempti deinceps fuerunt. Pro quibus caſtiſſimo Philoſophiæ amore ſuſcepto, eò vſque inſatiabili animi cupiditatem peruenit,vt etiam Deæ illius ſacris initiaretur.* Si tantum ad vitij excidium poteſt nudum exemplum & conuictus cum probo viro, vt rurſus dicam cùm de generalibus paſſionum remediis, quantum dicemus extare fructum operæ, ſi monitio prudens accedat, ita vt iunctis viribus voces & vita monentis impetum faciant in admoniti vitium, eique expugnando connitantur?

4. *Item declinatio conuictus vitioſorum.*

Addebam ad peccati fugam non parum momenti eſſe in declinatione conuictus vitioſorum hominum. Hoc luculenter docet S. Baſilius homil. in Pſal.1. docens poſt Clementem Alex 4.Pædag c. 5. hanc eſſe peſtilentiæ cathedram, & quàm facilè ab vno ad aliū ſerpat virus. Id quod legere etiam eſt apud Nazianz. orat 5. & apud Ambroſ. l. de fuga ſeruili & vltim. Idem tradit Philo lib de præmiis, tractans illud: *Non eſt inuentus, quia Deus eum tranſtulerat.* Locum dedi ſuprà diſtinct. 3. num. 127. Rurſus verò idem Philo pereleganter libro, quòd omnis probus liber, monet, conuictum malorum. hoc eſſe animis, quod aër peſtifer corporibus. Quem locum deſcripſit Euſebius 8. præpar. c 4.multa & ipſe in eam ſententiam tradens ibid. lib. 6.c.5. Compendium ſanè hominum nequam quouis veneno, & quibuſuis feris eſſe periculoſiorem conſtare ait Chryſoſtomus in Pſalm. 4. docens. Hinc Salmonem, hinc Sampſonem, hinc Iudæos vniuerſos in ruinam actos Planéque eſſe admiratione dignum, quod vrbem aliquam ſubituri de aëris inibi ſalubritate, curioſè ſciſcitemur; de eorum moribus quibuſcum habenda ibi conſuetudo, ſileamus, perinde ac ſi non plus ab hac lue, quam ab aëris intemperie, vel graſſante alicubi peſtilentia,

ſit ſinendum. Affinè eſt quod Hebræi autore S. Hieronymo in cap.4 ad Epheſ. ad illud, *nolite locum dare Diabolo* viros improbos, nominant *filios peſtilentia* Ita enim haberi obſeruat pleriſque locis, in quibus codex vulgatus habet, *Filij Belial.* vt 1. Reg. 2. *filij Eli*, *filij peſtilentiæ* Eo autem virulentiorem, & ſtudioſiùs fugiendam eſſe hanc peſtem, quàm peſtem corporibus infeſtam, inde probat Antoninus l 9. num. 2. quòd peſtis corporea hominem impetit quatenus animal eſt, & viuens vita deſpicatiore. Hæc autem lues animorum vaſtat hominem quatenus hominem. Non prætereo Iſidorum Peluſ. qui lib.4. epiſt.35. ait ex his congreſſibus gigni Minotauros.

439. In hoc ſubſidio inculcando immenſus eſt Seneca. Illuſtriora quædam loca profero. Cùm infinities alibi, tum nominatim epiſtola 7. autor propterea amico ſit, vt turbam deuitet, quòd in magno numero multi ſemper exiſtant vitiis mancipati, qui hominem quo cum agunt, aliqua ſemper luti illius, quo toti ſordent, aſperſione inficiant. [Quid tibi, *inquit*, vitandum præcipuè exiſtimem, Quæris? Turbam. Nondum illi te tutò commiſeris. Ego certè confiteor imbecillitatem meam. Nunquam mores quos extuli, refero. Aliquid ex eo quod compoſui, turbatur, aliquid ex his quæ fugaui, redit. Quod ægris euenit, quos longa imbecillitas vſque adeò affecit, vt nunquam ſine offenſa proferantur; hoc accidit nobis, quorum animi ex longo morbo reficiuntur. Inimica eſt multorum conuerſatio. Nemo non aliquod nobis vitium aut commendat, aut imprimit, aut neſcientibus allinit. Vtique quo maior eſt populus, cui commiſcemur, hoc periculi plus eſt. *Et infrà.* Subducendus populo eſt tener animus & parum tenax recti. Facilè tranſitur ad plures. Socrati, Catoni, & Lælio, excutere mentem ſuam, diſſimilis multitudo potuiſſet: Adeò nemo noſtrùm, qui cùm maxime concinnamus ingenium, ferre impetum vitiorum tam magno comitatu venientium poteſt. Vnũ exemplum aut luxuriæ aut auaritiæ, multùm mali facit. Conuictor delicatus, paulatim eneruat & emollit. Vicinus diues, cupiditatem irritat: malignus comes, quamvis candido & ſimplici rubiginem ſuam affricuit. Quid tu accidere his credis, in quos publicè factus eſt impetus? Neceſſe eſt aut imiteris, aut oderis. Vtrunque autem deuitandum eſt, ne vel ſimilis malis fias, quia multi ſunt, nève inimicus multis, quia diſſimiles ſunt. Recede in teipſum quantùm potes: cum his verſare, qui te meliorem facturi ſunt Illos admitte, quos tu potes facere meliores. Mutuò iſta fiunt; Et homines dum docent, diſcunt. *Et epiſt.* 104. Omnem ex animo erade nequitiam; ſi vis peregrinationes habere iucundas, tuum comitem ſana. Hærebit tibi auaritia, quandiu auaro ſordidóque conuixeris. Hærebit tumor, quandiu cum ſuperbo conuerſaberis. Nunquam ſæuitiam in tortoris contubernio pones. Incendent libidines tuas adulterorum ſodalitia. Si velis vitiis exui, longè à vitiorum exemplis recedendum eſt. *Optimè epiſt.* 123. Inter cauſas malorum noſtrorum eſt, quòd viuimus ad exempla, nec ratione componimur, ſed conſuetudine adducimur. Quod ſi pauci facerent, nollemus imitari; cùm plures facere cœperunt, quaſi honeſtius ſit quod frequentius, ſequimur & recti apud nos locum tenet error, vbi publicus factus eſt. *Et mox,* Horum omnium ſermo vitandus eſt. Hi ſunt qui vitia tradunt, & aliò aliunde transferunt. Peſſimum genus hominum videbatur, qui verba geſtarent. Sunt quidam qui vitia geſtant. Horum ſermo multùm nocet. Nam etiamſi non ſtatim officit, ſemina in animo relinquit, ſequitúrque nos, etiam cúm ab illis diſceſſerimus, reſurrecturum poſteà malum. Quemadmodum qui audierunt ſymphoniam, ferunt ſecum in auribus modulationem ac dulcedinem cantus, quæ cogitationes impedit, nec ad ſeria patitur intendi: ſic adulatorum & praua laudantium ſermo diutiùs hæret, quàm auditur: nec facile eſt animo dulcem ſonum excutere: proſequitur & durat, & ex interuallo recurrit. Ideò claudendæ ſunt aures malis vocibus, & quidem primis. Nam cùm initium fecerunt, admiſſæque ſunt plus audent. Inde ad hæc perueniuntur verba. Virtus, & Philoſophia, & Iuſtitia, verborum inanium crepitus eſt. Vna felicitas eſt bona vita; facere omnia liberè, frui patrimonio, hoc eſt viuere; hoc eſt ſe mortalem eſſe meminiſſe. Fluunt dies, & irreparabilis vita decurrit. Dubitamus quod iuuat facere; & ætati non ſemper voluptates decerpturæ, interim dum poteſt, dum poſcit, ingerere? *Ha impiorum voces, aduerſus quas aures his ſpinis ſepit.* Hæ voces non aliter fugiendæ ſunt, quàm illæ, quas Vlyſſes, niſi alligatus, prætereuehi noluit. Idem poſſunt: abducunt à patria, à parentibus, ab amicis, à virtutibus; & in turpem vitam miſeros turpiùs illidunt.

440. Egregiè item Epictetus apud Arrianum lib.4. cap.16. *Eum, inquit, qui cum aliis conuerſatur plurimùm, aut colloquendo, aut conuiuando aut ſimul & familiariter vitam agendo, neceſſe eſt aut his ſimilem fieri quibuſcum verſatur, aut ipſum traducere conuictores ſuos in ſuam ſententiam. Etenim ſi carbo iuxta candentem carbonem ponatur, aut extinctus ille, igneum quoque reſtinguet, aut contactu inardeſcet. Quare quum tantùm ſit periculi, cautio certè eſt adhibenda, ſi cum indoctis verſari velimus, ac illorum commercius vti, animo ſemper iſtua voluentes, fieri nullo modo poſſe, quia ſi quis conuerſetur fuliginoſo cuipiam, ipſe quoque fuligine inquinetur.* Et capite 41. Enchiridij, popularia conuiuia deuitanda præſcribit; quòd in illis cœtibus facile ſit cum inquinatis verſari. & (vt ad eum locum ſcribit Simplicius) nobilitate Philoſophi abiecta, ad populi quaſi tribum deficere. Subditque in huius rei confirmationem Epictetus. *Scito enim ſi ſodalis pollutus fuerit, eum etiam, quem attigerit, neceſſariò pollui, etiamſi purus ipſe fuerit.*

Reuocat mihi in mentem hic locus dictum S. Mathiæ, quod in hæc verba refert Clemens Alexandr 7. Stromat, *Dicunt Mathiam Apoſtolum inter cætera dixiſſe: Si electi vicinus peccauerit peccauit electus. Nam ſi ſe ita geſſiſſet, vt iubet verbum ſeu ratio, eius vitam ita eſſet reueritus vicinus, vt non peccaſſet.* Idem Clemens Alexandrinus 3. Pædagogi, cap.11. in hunc ſenſum interpretatur diuinum conſilium de ſuilla Iudæis interdicta, quod Plutarchus ridiculè aliò tranſtulit. Lactantius autem 3. Inſtit. cap.17. aptauit ad ingluuiei deteſtationem. Clementis verba ſunt. *Ea demum vita prodeſt conſuetudo, quæ intercedit cum viris bonis. Rurſus autem vitæ vſum cum improbis hominibus, planè ſuillam agnoſcens ſapientiſſimus per Moſen Pædagogus, ſeniori populo porcis veſci prohibuit: ſignificans non oportere eos, qui Deum inuocant, cum impuris verſari hominibus, qui porcorum inſtar corporalibus voluptatibus, obſcœniſque cibis & impudicis titillationibus pruriences, damnoſa veneris voluptate perfunduntur.* Et appoſitè ſanè, *porcus* huiuſmodi homines referre cenſetur: vt ex iis liquet quæ de porci abſtinentia in caſto, diſputantur à Iuliano Apoſtata orat. 5. *Porcum*, inquit, *tanquam penitus terreſtrem, cum forma ipſa, tum vitæ genere, nec non corporis ac naturæ conditione, (nam ex excrementoſa carne eſt, & craſſa) ſacra ab menſa prorsùs ablegat. Etenim*

grata

grata hac eſſe hoſtia creditur inferis Diis nec immeritò. Hoc enim animalis genus nunquam cœlum intuetur; ac neque ſurſum ei libet oculos attollere. neque ad id natura comparatur. Pergit Clemens, & alia Moſis inſtituta ad rem in qua verſamus, ſic accommodat. *Sed neque miluum, raptéque veſcentem auem, & aquilam dicit eſſe comedendam. Non appropinquabis iis, inquiens, qui rapina victum ſibi comparant. Porrò autem alia quoque ſimiliter eandem habent allegoriam.* Non diſſimiliter philoſophatur Ariſtæas, quem exſcripſit Euſeb. 8. præpar. c. 3. Multa item ex Scripturis ſacris in hanc ſententiam collegit Midendorpius lib. 1. de offic. Scholaſt. c. 22.

Exemplorum malorum, fructus vnicus.

441. Vnicus eſſe poteſt malorum exemplorum fructus, quem Clementis Alexandrini verbis repræſento ex l. 3. Pædag. cap. 8. *Ilotas (ſeruorum nomen eſt) Lacedæmonij cogentes inebriari, ſibi ipſi ſobriis ea quæ faciebat ebrietas, correctionis curationiſque loco oſtendebant. Obſeruantes ergo illorum turpitudinem, docebantur ne in idem quod damnabant, vitium inciderent, ex ebriorum probro hos fructus conſequentes, quòd ipſi non peccarent.* Et mox ait, Deum, hoc ex parte conſilio, prodi voluiſſe lapſus eorum, qui vitiis olim ſuccubuerunt. *Quis enim quempiam in via ſequens, non cauerit, ſi prior in foſſam ceciderit; vt deuitet periculum, peccati conſequentiam fugiens?* Idem diuinum conſilium latè explicat Sanctus Auguſtinus homil. 21. ex 50. agens de Dauidis lapſu, quo nonnulli, vt refert, pertrahebantur ad eandem ruinam. Oſtendit autem, idcircò voluiſſe Deum proponi nobis hoc exemplum in diuinis Scripturis, *Vt ſit caſus maiorum, tremor minorum, & audiant qui non ceciderunt, ne cadant; audiant qui ceciderunt, vt ſurgant.* Illi animaduerſa flagitij turpitudine, hi æſtimata Dauidis ad ſurgendum alacritate.

5. *Deuitatio occaſionum labendi, efficaciſſimum ad malitiæ fugam ſubſidium.*

Vitandas præterea monebant quaſcunque labendi occaſiones. quod confirmo verbis Pelagiani Auctoris libri de diuitiis, qui falsò creditus Sixtus tertius. [Prudenti, *inquit*, *ſub finem libri*, & religioſo animo, & abſque alicuius reprehenſionis macula viuere concupiſcenti, non modò peccatum, verùm etiam peccati ipſius pertimeſcenda eſſe debet occaſio. Beatus, inquit Scriptura, qui timet omnia propter Dominum. Occaſiones enim peccatorum, occaſionibus valetudinum ſimiles ſunt. Sicut enim corpus inualidum priſtinam difficilè recipiet ſoſpitatem, niſi omnes prius occaſiones, per quas infirmitatem cauſæ miniſtrantur, abſtulerit: ita anima peccatorum depreſſa morbo, & iniquitatum febribus exæſtuans, perualeſcere difficilè poterit, ſi non vniuerſas antè occaſiones abſciderit delictorum. Et vt ſenſatus æger recuperare volens celerem ſanitatem, valetudinis ſuæ cauſas atque materias per ſe ipſe perpendens, omnia ſaluti contraria repellit ac remouet, quamuis deſiderabilia nimis ſint, & delectabilia voluptati: Ita vir prudens & ſapiens, qui melioris ſubſtantiæ, animæ ſcilicet, deſiderat ſoſpitatem, occaſiones omnes debet intelligere peccatorum, & cùm eas integra conſideratione librarit, ab omni animi ſui deſiderio procul auertere, nec ampliùs iam velle diligere, quamuis dulce atque ſuaue ſit, quod per ſaporis ſui commodum ſpiritalibus viſceribus lethale virus infundat.

Obſtructio fontium peccatis intrinſecorum aduersùs illud ſubſidiorum, primum.

442. Continens huic remedio eſt alterum quod inter ea ſubſidia, quæ interna nominabant, numerandum eſt. Sed quia externam materiam ad vitium prolicientem ſpectat, affine eſt ei quod proximè propoſui. Eſt autem huiuſmodi. Obſtruendos eſſe quàm diligentiſſimè vitiorum fontes, hoc eſt reprimendam cupiditatem pecuniarum, aut voluptatis, aut gloriæ. Hinc enim omnia in nos ſcaturire mala indubitatum eſt, & optimè expreſſum à Philone lib. in Decal. *in poſtremi præcepti explicatione* vbi concupiſcentiæ exortum, & iuſtam pœnam, ac omnium ex ea vitiorum & malorum deriuationem, graphicè his verbis exprimit. [Omnes perturbationes animi graues ſunt, concitantes eum, & dimouentes ab ingenio, ſanitatéque priſtina: ſed nulla æquè nocet ac concupiſcentia. Quamobrem? aliæ videntur externæ inuitis & inſciis obrepere, hæc verò ſola in nobis oriri, & quidem volentibus. *Et maxi at, concupiſcentiam ſe huc illucque extendere*, more ſerpiginoſi vlceris, quod niſi ſectionibus cauteriiſve reprimatur, totum circumquaque corpus occupat, nec vllam partem incontactam præterit. Ad eundem modum niſi ratio philoſophica, ceu bonus Medicus, cohibeat diffundentem ſe concupiſcentiam, totam vitam perturbabit neceſſariò: cuncta enim ſine exceptione ſubiiciuntur huic vitio. Sed nunquam magis inſanit, quam cùm nacta eſt licentiam, quando in omnibus facit omnia. Id quia ſatis liquet, non eſt opus verbis pluribus, cùm nemo neſciat, nulla ciuitas ignoret exempla quotidiana: imò quæ penè ſingulis horis fidem nobis aſtruunt. Pecuniarum amor, aut fœminæ, aut gloriæ, aut cuiuſuis rei facientis ad voluptatem paruáſne ac vulgares calamitates inuehit? Nonne amicitias dirimit, etiam cognatos è beneuolis reddens infenſiſſimos? Nonne hinc & regiones populoſæ deſolantur inteſtinis ſeditionibus? Nonne hoc pacto terra maréque replentur nouis tumultibus, & cladibus vltrò citróque illatis, vel naualibus, vel terreſtribus prælijs? Nam Græcorum barbarorúmque bella tam contra ſuos quàm contra diuerſi generis homines geſta, omnia manarunt ab vno fonte; concupiſcentia pecuniarum, aut voluptatis, aut gloriæ. Hæc enim ſunt fatalia mala hominum.

Et quia concupiſcentia voluptatem captat, nec niſi ob eam feruet, idcircò Ariſtoteles, voluptatis præſertim contemptum indicit 2. Eth. cap. vlt. tradens generalem doctrinam parandæ virtutis & peccati deuitandi. *In omnibus*, inquit, *à iucunditate & voluptate maximè cauendum eſt. Non enim de ipſa incorrupti iudicamus. Quod ergo Troianorum proceres erga Helenam fecerunt, id nobis quoque erga voluptatem faciendum eſt; in omnibúſque voce illorum erga ipſam vtendum: ſi enim ita à nobis ipſam dimiſerimus, minùs peccabimus.* Nimirum ex cap. 3. einſdem libri, ſtudium voluptatis eſt nobis à natura inſertum, & longo vſu roboratum. Et idcircò tantò ſollicitiùs ei inuigilandum, ne fines debitos prætergrediatur.

Alterum, obſtare principiis.

443. Eſt & illud inter ea ad quæ deuenimus, interna ſubſidia vtiliſſimum & efficaciſſimum, vt ſcilicet principiis obſtetur. Vt enim rectè dixit Seneca in Conſol. ad Murciam, cap. 1. ſub finem. *Omnia vitia penitus inſidunt, niſi dum ſurgunt oppreſſa ſint.* Et mox *Leuiore medicina fuiſſet oriens adhuc reſtinguenda mali vis. Vehementiùs contra inueterata pugnandum eſt. Nam vulnerum quoque ſanitas facilis eſt, dum à ſanguine recentia ſunt: Tunc & vruntur, & in altum reuocantur, & digitos ſcrutantium recipiunt. Vbi corrupta in malum vlcus veterarunt, difficilius curantur.* Grauiter & crebrò Epictetus apud Arrian. idipſum inculcat, ſed optimè l. 2. c. 18 vt retuli, cùm de generalibus paſſionum remediis. Non omittam tamen hoc loco inſignem planè clauſulam, ibi prætermiſſam, qua caput illud obſignat. *Sin ſemel ſuccumbens dixeris; Poſthac ſuperior ero: deinde rurſus eandem vſurpes orationem, ſcito tam fore imbecillum te & languidum, vt deinceps ne animaduertere quidem poſſis, te peccare. Imò verò ſubinde incipies patrocinari his quæ facis: ac eum quod apud Heſiodum eſt, verum eſſe exemplo tuo confirmabis; nempe quòd damnis cunctator iactetur, qui ſua differt.*

Pulcherrimè ex noſtris S. Hilarius illud Pſal. 136. *Beatus qui tenebit & allidet paruulos ſuos ad petram,* in myſtico ſenſu quem toto pſalmo proſequitur, accipit accommodatè ad hunc locum Ait enim. *Vitia corporis non ſunt ſinenda coaleſcere, ſed in exordiis ſtatim enecanda ſunt. Periculoſæ ſunt, iam robuſtæ cupiditates, & difficulter adulta quæque perimuntur. Leuius autem eſt prorumpentes auellere, teneras excidere, flexibiles retorquere. Beatus itaque eſt, quiſquis in exordio ſuo neſtas quaſque omnium cupiditatum appetitiones quæ ex voluntate carnis oriuntur, primum intra ius patientiæ ſuæ virtutiſque cohibebit, deinde eas ad fidem atque ad metum Dei, eliſas enecabit.* Egregiè item Rupertus l. 1. in Iudic. cap. 7. tractans contuſionem capitis Siſaræ impacto clauo. Nyſſenus homil. 4. in Eccl. [Nam hac de cauſa, *inquit*, quæ eſt ex voluptate affectio, ſerpens nominatur à Scriptura, cuius hæc eſt natura, vt ſi caput ſubeat muri compagem, vniuerſos qui ponè eſt tractus ſimul ingrediatur. Cuiuſmodi eſt quod dico? Facit natura vt ſit hominibus neceſſaria habitatio; ſed per hunc vſum, voluptas ſubiens per animæ compagem, conuertit vſum in quandam immoderatam & ſumptuoſam ornamentorum magnificentiam, & traduxit ſtudium ad quædam vineta, & piſcinas, & hortos, & hortorum ornamenta. Tanquam ſerpens adrepit voluptas, poſteà autem ſuperbia in verticem aſſurgit, arrogantiáque & faſtu circumuoluitur, aduersùs eos qui ſunt eiuſdem generis ſibi ſubiungens imperium. Poſthæc ſecum attrahit tractum pecuniæ cupiditatis, quam neceſſariò ſequitur intemperantia, quæ eſt vltima & caudæ inſtar obtinens pars feritatis, quæ eſt ex voluptate. Sed quomodò non poteſt ſerpens attrahi ab extrema parte ſpinæ dorſi, nempe à cauda, cùm ſquamæ naturaliter contrà reſiſtant iis qui attrahunt: Ita non licet ab vltimo incipere expellere ex anima id quod eſt ſerpentium voluptatis, niſi à malo primum ingreſſum interclaſeris. Quamobrem caput eius obſeruare iubet præceptor virtutis; initium vitij, caput nominans, quo non admiſſo, id quod reſtat, eſt irritum & inefficax. Qui enim omninò eſt hoſtili & infeſto animo aduersùs voluptatem, non ſubiicietur ſingularibus vitij inſultibus. Qui autem vitij initium admiſit, totam in ſe ſimul admiſit beſtiam.]

Et eſt quidem in initiis aliqua obſiſtendi difficultas; è contrà tamen vbi impetus ille, & æſtus, quo (ex S. Ambroſio l. 2. de Abrah. cap. 7.) primùm feruet culpa, reſederit, incredibile eſt, quanta & quàm ſyncera ſuauitas, eam voluntatem perfundat, quæ alacriter initiis illis malorum, & veluti culpæ præludiis, obuiam ierit. Operæpretium verò eſſe obſeruat Climacus grado. 1. Obſiſtentes obices generosè repellere ab ipſo initio, & ab alacri ac ſtrenua honeſti preſenſione, & malitiæ reiectione auſpicari. *Odioſum ſanè*, (inquit) *periculique pleniſſimum eſt, ab ipſo ſtatim conſlictus congreſſu laſſeſcere luctantem. Eſt enim futuræ necis non obſcurum argumentum. Erit nobis omninò peruttile, forte & validum renunciationis initium arripere, etiamſi poſtmodum molleſcere contingat. Anima enim quæ viriliter pugnare cœperit, rurſúmque debilitata ceſſerit, antiqua virtutis & ſtudij memoria quaſi ſtimulo quodam & flagello vulneratur; atque ex hoc nunquam plurimi priſtinum vigorem receperunt, prioréſque pennas reſumpſerunt.*

Tertium, culparum minutias refugere.

444. Cum hac initiorum proſpectione S. Chryſoſtomus homil. 87. in Matth. ſplendidiſſimè, & homil. 8. in 1. ad Cor. ad illud: *Fundamentum aliud.* & in c. 1. ad Gal ad illud: *Et volunt ſubuertere.* & homil. 12. in ad Rom. *in morali*, coniungit deuitationem minimarum culparum, negans eum fore grauioribus culpis, omníque vitiorum fæce liberum, qui culpas aliquas ita leues duxerit, vt idcircò non cauendas quàm ſollicitè putet. [Abſtineamus, *inquit loco quem poſtremum allegaui* à prima quaque vitiorum libidine, ſeu potiùs nulla ex parte libidini eiuſmodi hæreamus, ſtatim in ipſo exordio pedem ab ea referentes: quod quidem Prouerbiorum Autor admonet de meretrice verba faciens: Abſcedito, ne moram feceris, neu accedas ad ianuam domus ipſius. Hoc tibi à me & de pecuniis monitum ſit. Nam ſi ſenſim in huius inſaniæ pelagus illapſus fueris, ſemel ingreſſus, difficilè regredi poteris: ac quemadmodum vſu venire ſolet in vorticibus, à quibus vel millies periculo euadendi facto, haud facilè tamen euadere poſſis: Sic & multò item moleſtiùs in huius libidinis altitudinem demerſus, te ipſe vnà cum rebus omnibus perditum ibis. Propterea exhortor, initio vt caueamus, vel puſilla fugientes mala. Nam magna ab his naſcuntur. Etenim qui in vnoquoque peccato dicere edoctus eſt. Non in hoc poſitum eſt ſalutis momentum: is pedetentim omnia peſſundabit. Hoc igitur vitioſitatem ipſam attraxit, hoc ianuas reſerauit prædoni, hoc vrbis mœnia deiecit. Nimirum quoties ad vnumquodque peccatum dicis, Non hoc ad rem magnoperè pertinet: ſic & in ipſis corporibus vſu venire videmus, vt magnæ ægritudines augeantur, quoties paruas negligimus.] Pergit ibidem fuſiſſimè & grauiſſimè illud demonſtrare, curandum cuiuis eſſe, vt malorum ſcintillas, nondum pyrâ accensâ anteuertens, reſtinguat, ipſáque vitioſitatis ſemina præfocet quod longè faciliùs, imò laboris prorſus expers fore affirmat, vt Epictetus etiam loco paulò antè allegato aſſerebat.

Audi verò eundem Epictetum, hoc, quod ex Chryſoſtomo retuli, de nullis peccatorum minutiis flocci faciendis, accuratè monentem l. 3. c. 7. in fine. *Quouſque tandem deſides, ac ignaui, ſocordéſque ſumus? & excuſationes ad defugiendos labores quærimus, nec euigilamus vt conſentientem habeamus rationem?*

At

At eſt qui dicat: Num in his ſi hallucinor, parricidium admiſero? Mancipium; Alicubine pater, hoc in loco ſeſe obtulit, vt eum occideres? Vis ſcire quod peccatum commiſeris? Illud nimirum, cuius te reum agit præſens iſte locus; peccaſti. Ita memini me Ruſe quoque occurriſſe, reprehendenti aliquando me quòd in ſyllogiſmo aliquid non animaduertiſſem. Non, inquam, propterea Capitoliũ eſt à me dirutum. Quid, inquit, mancipium dicis? Num quod in argumento deſuit, Capitolium eſt? Num cenſes duntaxat, peccatum eſſe, Capitolium incendere, patrem occidere? Quando aut fruſtra quis ac temere ſuis vtitur viſis, ac rationes rerum videre non poteſt, nec demonſtrationibus aut captioſis argumentis iudicium adhibere valet, nec internoſcere quid interſit, inter id quod per ſe, & non per ſe. dicitur eſſe interrogando & reſpondendo, num hæc inquam, pro peccatis non numerabimus? Nimirum quod de argumentis minutis dixit Quintilianus l.6. c. 12. de peccatis quoque minutis aſſerere licet. *Si non poſſunt valere quia magna ſunt, valebunt quia multa ſunt. Singula leuia ſunt, & communia: vniuerſa vero nocent; etiamſi non vt fulmine, tamen vt grandine* Pulcherrimè idem ex noſtris docent S. Cyprianus initio libri de zelo & liuore, & S. Baſil. reg. 293. breu. qui demonſtrari ex eo ait leuium (quæ dicuntur) peccatorum vim, quòd qui ea admittit, ab eis ſuperetur? ac proinde qualiacunque in ſe ſint, ipſi tamen non ſint leuia. S. Auguſtinus ſerm. 12. de diuerſ, cap. 11. hortatus ſeriò ad declinationem peccati & feruorem in bonis operibus, ac ne ſit homo piger in remediis, creber in morbis: inde ait reponentem quempiam. *Sed parui morbi ſunt* Hoc ita repellit. *Cogere & premunt. Minora peccata ſunt quæ habes, non ſunt multa. Nam quomodo minora ſunt, quæ premunt obruunt? Quid minutius pluuiæ guttis? Flumina implent. Quid minutius granis tritici? Horrea implent. Cu attendis quia minora ſunt, & non attendis, quia multa ſunt;* Ibid ſerm. 34. c. 12. addit ad prædicta, exemplum minutarum beſtiarum, quæ quamuis, non quod magnæ, vno morſu eneceent hominem, tamen multiplicatis morſiunculis, eum conficere vltra acerrimam vexationem valent Heſichius quoque Centur. 1. n. 17 ei qui nolit à vitiis opprimi æmulandum cenſet araneum qui minutis animalculis ſiue muſcis captandis occupatur. Similiter enim exiſtimat neceſſe eſſe eum qui integer vitæ & purus ſcelerum eſſe velit, ſtudioſè à ſe auertere culparum minutias. Sapienter idem monuit Iſido. Peluſ. epiſt. 17. nuper edita ad Cyrum Scholaſticum, vbi illud, *Quid tum poſteà*. Quaſi fontem vitiorum omnium inſectatur confirmátque ex Demoſthene. Videſis præterea S. Gregorium 10. moral. c. 14.

Quartum conſcientiæ examen, etiam iuxta Ethnicos.

445. Quod addo malitiæ remedium, apud omnes morum Magiſtros, cùm noſtros, tum Ethnicos, frequens eſt: Nempe vt quotidie excutiatur conſcientia, adhibito eius, vt paſſim loquimur examine. Ita ſæpè Seneca, nominatimque 3. de ira, c 36. *Animus quotidie ad rationem reddendam vocandus eſt. Faciebat hoc Sextius, vt conſummato die, cùm ſe ad nocturnam quietẽ recepiſſet, interrogaret animum ſuum: Quod hodie malum tuum ſanaſti? cui vitio obſtitiſti? qua parte melior es? Deſinet ira, & erit moderatior, quæ ſciet ſibi quotidie ad Iudicem eſſe veniẽdum. Quid ergo pulchrius hac conſuetudine excutiendi totum diem? Qualis ille ſomnus poſt recognitionem ſui ſequitur, quam tranquillus, altus ac liber, cùm aut laudatus eſt animus, aut admonitus. & ſpeculator ſui cenſórque ſecretus, agnoſcit de moribus ſuis? Vtor hac poteſtate, & quotidie apud me cauſam dico, Cùm ſublatum è conſpectu lumen eſt, & conticuit vxor, moris & iam mei conſcia, totum diem mecum ſcrutor, facta ac dicta mea remetior, nihil mihi ipſe abſcõdo nihil tranſeo. Quare enim quicquã ex erroribus meis timeam cùm poſſim dicere, vide ne iſtud amplius facias, nũc tibi ignoſco. In illa diſputatione, pugnaciùs locutus es. Noli poſteà congredi cum imperitis Nolunt diſcere, qui nunquam didicerunt. Illum liberiùs admonuiſti quàm debebas: itaque non emendaſti, ſed offendiſti De cætero vide non tantum an verũ ſit quod dicis ſed an ille cui dicitur, veri patiens ſit* Eodem ſpectat quod ex Epicuro ait epiſtola 28. in fine. *Initium eſt ſalutis, notitia peccati Egregiè mihi hoc dixiſſe videtur Epicurus. Nam qui peccare ſe neſcit, corrigi non vult. Deprehendas te oportet, antequàm emẽdes. Quidam vitiis gloriantur. Tu exiſtimas aliquid de remedio cogitare, qui mala ſua virtutũ loco enumerant? Ideò quantum potes, teipſum coargue. Inquire in te; accuſatoris primũ partibus fungere, deinde Iudicis, nouiſſimè deprecatoris: aliquando te offende* Sed & lib. de breuit. vitæ, c. 10. quantum bonum ſit recurrere in anteactas actiones & præteritam vitam, egregiè demonſtrat

446. Serio præterea vſum examinis commendat Galenus lib. de cognoſc. & curãd. animi affectib. Obiter Epictetus apud Arrian. l. 4. c. 5. volens, cùm ſe quis in examine deprehendit non lapſum in culpam, gratias Deo agere. Pleniùs eodẽ lib. c. 6. Sed ita vt huiuſmodi examen inſtitui velit non veſperi ad diei metã, ſed mane ſequentis diei, cum philoſophica morali meditatione; quia tunc homo maximè tranquillus eſt, & ad ſui excuſſionem idoneus. Reprehendítque eos, qui ex Pythagoræ quidem præſcripto, in ſeſe inquirunt, ſed aliter quàm vt vitam emaculent. Tandem verò, rectam rationem inquiſitionis illius proponit. Sed præſtat ipſummet audire Epictetum, quòd iucundiſſimum ſit tam ſanctum Chriſtianæ vitæ inſtrumentum videre adumbratum apud Ethnicos. [Eſt qui primùm vt ſurrexerit domi ſuæ, quærit quemnam domo egreſſus ſalutet; cuinam gratum afferat blandúmque ſermonem; quem munuſculo aliquo demereatur. vt ſe commendet ſaltatori; vt flagitioſè calumnians iniurias alterius, aliquem exhilaret. Quando orat, pro his conſequendis orat: quando ſacra facit. pro his nimirùm impetrandis ſacrificat. Adeòque Pythagoræ dictum illud, Mollibus antè oculis capias ne ſomnũ ſoporem, applicant quiſque ad ſtudia ſua. Quidam ſic: Num quid neglexi eorum quæ pertinebant ad adulationem & blanditias? Ecquem irriſi? Nunquid feci vt liberum hominem & animoſum decet? Si quid fortè tale deprehenderit, ſemetipſum coarguit & vituperat. Quid tua, inquiunt, intererat iſtud dicere; Nonne potuiſti mentiri? Ita Philoſophi, ſentiunt etiam nihil vetare quominùs aliquis mendacium dicat. Veruntamen tu, ſiquidem reuera ſtudioſius nihil hactenus egiſti, quàm vt rectè vtereris viſis; manè cùm primùm ſurrexeris. conſidera apud te, quid tibi deſit ad vacuitatem affectuum, ad tranquillitatem animi. Quid ſum? Corpuſculúmne, an poſſeſſio, an fama? Nihil horum ſum. Sed quidnam? Rationis compos animal. Huc ſi reſpicias, quæ culpæ poteſt eſſe expoſtulatio? Quid feceris, tecum perpendito. Nunquid neglectum, quod ad ſucceſſum pertinebat tuum. Quid commiſi, quod vel eſſet odioſum, vel aduersùs ſocietatem hominum? In his qui fieri debebat, quod tamen à me factum non ſit? Tanta igitur diſcrepantia cùm ſit ſacrificiorum, ſtudiorum, votorum, adhuc eo animo es, vt eadem quæ illi conſequi velis: quibus acquirendis quidem iſti ſtudium operámque ſuam impenderint, tu verò cauſa illorum nihil laborandum eſſe duxeris?

Hactenus de matutino præteritæ diei examine Epictetus loco allegato.

Alibi tamen, etiam veſpertinum examen indicit, nempe lib 3. cap. 10. *Nec ſuauem teneris oculis admittere ſomnum, priuſquam quod interdiu geſſeris, rationes tecum computes: Quid mihi delictum, aut commiſſum, quidve peractum? Inde incipiens cætera perſequere. Poſteà ſi flagitium perpetraſti, obiurga teipſum acri-ter. Sin functus es officio tuo, delectare. Et illos quidem verſus ad vſum adhibere meminerimus: vt cantus autem voce duntaxat haud perſonemus, vt fieri ſolet, cùm canendo celebratur illud: Pæan, Apollo.* Vtrunque item illud tempus diſcutiendæ conſcientiæ ex Pythagoræ diſciplina tributum notat S. Hieronymus in fine tertiæ Apologiæ aduerſùs Ruffinum. At Laërtius in Pythagora, monitos ab eo diſcipulos ſcribit, vt quoties domum regrederentur, inquirerent in ſeipſos, & quid admiſiſſent cogitaſſéntve, ſcrutarentur.

447. Pythagoræ hoc inſtitutum, quod hi Autores attigerunt, diſcere licet ex carmine 39. & aliquot ſequentibus, quæ ſic apud Sobæum ſerm. de Prudent. Phacillydi tributa video. Sic habent:

Non ſomnum mollibus oculis ſuſcipias,
Anteaquàm diurnorum operum vnumquodque ter receſueris,
Vbi præuaricatus ſum? quid feci? quod fieri oportebat quod non fecerim?
Incipiens à primo, percurre omnia.
Ac poſteà ſi turpia admiſeris, dole & caſtiga; ſi bona lucrare & gaude.

Inſignia ſunt & ad fructum huius inſtituti perſpiciendum accommodatiſſima, quæ in eum locum ſcribit Hierocles. Quòd tamen ſit eius oratio prolixior, decerpam duntaxat aliqua. Ita ergo Hierocles de Pythagoræ inſtituto *Suadet præterea cùm nox aduenerit, & ad ſomnum vertimur, tanquam in fine diuturnorum operum ſimus, vt conſcientiæ iudicium ſtatuamus, cubiculare carmen Deo facientes, Si diſpoſitiones noſtras recenſuerimus, vbi præuaricatus ſum? quid quod fieri oportebat, non confeci? Sic enim commenſurabimus vitam noſtram legibus nobis datis, rationem iudicem adiungentes intellectus legum conditori.* Enumerat ſubinde leges diuinas, & præcipua capita legis naturalis Tum ſubdit: *Talis legum conditor intellectus, animus promulgat. Ratio verò hæc ſuſcipiens peruigil ſui ipſius index ſit, Vbi præuaricatus ſum: quid feci? & ordine factorum memoriam propter virtutem ſuſcipit. Poſteà ſeſe inueniens concorditer, & congruè prſutis legibus, diem pertranſiuiſſe, fructibus diuinis lætitia coronatur. Si verò contra illas leges ſe quicquam feciſſe inuenerit, ſeipſam reprimat, tanquam quibuſdam pharmacis pœnitentiæ monitis.* Et mox exponens quid ſibi voluerit Pythagoras mandans ter recenſeri quodcunque opus, *Non ſuſcipias, inquit, ſomnum, anteà quàm diurnorum operum ter quodlibet recenſueris. Recenſebis quidem hoc modo: Vbi deliqui? quid feci? quid quod fieri mihi oportebat, non expleui: Duobus enim modis erramus. Vno, ſi quod oportebat non fecimus, vt ipſa verba ſonant: alio, ſi id fecimus, quod non oportebat. Aliud eſt enim opus bonum non exercere, aliud res turpes exercere. Hoc quidem quia deliquimus, vituperatur; illud quia ſuſcipimus. Vt, orare decet: deprecari, & malè loqui non decet. Nutrire parentes decet: vexare & contumeliam in eos inferre, non decet. Qui igitur prima facit, ea quæ fieri oportebat, facit; qui verò ſecunda facit, ea facit quæ fieri non oportebat. Itaque vtrunque ad æqualem quodammodò iuſtitiam & iniuſtitiam accedit.*

Ordo, & capita, ac tempus examinis.

448 Ordinem examinis de Pythagoræ ſententia, hunc eſſe debere ait Herocles. vt omnia opera noſtra percurramus à primo vſque ad vltimum, nihil in medio relinquentes: tum ſubdit aliquid pro Ethnico digniſſimum laude. [Illud verò, *inquit*, mirandum eſt, quod cùm vnumquodque recenſendum præciperet non ſubiunxit, Quid rectè fecerim? Quid quod oportebat à me, peractum eſt? Sed è contrà ad id, quod inferius eſt. Primò memoriam adiecit, iuſſitque vt male factorum iudicium fieret. Iudicémque ſtatuit iuſtiſſimum ſimul & propinquiſſimum, ipſam ſcilicet conſcientiam & rectam rationem, & ſeipſum ſibi, quem, vt docuimus, ante omnes vereri decet. Quis enim alter ita monere alterum poteſt, vt ipſe ſe? Nam ille qui ea re, quæ naturaliter ſuæ libertatis eſt, abutitur, aliorum monitus, cùm illis obtemperare non vult, repellit: ſed propria ratio ſeipſam audiat neceſſe erit. Hanc Deus procuratricem, hanc magiſtram, hanc & nunc iudicem diurnorum operum fecit & apud ſe iudicem ſuſcepit, vt ipſa ratio promulget & doceat, quid accipi, quidve repelli dignum ſit. Quum enim quiſquam immemori mente tanquam in libro, quæ fecerit, legit, tunc ad legem quaſi ad exemplum quoddam intendens diiudicat ſe aut honore dignum, aut dedecore. Quicunque autem quotidie tali exercitio vſus fuerit, Deo ſimilem imaginem accipit, ſéque aut addendo, aut diminuendo ad pulchritudinem virtutis corrigit, & adducit, & quantùm bono viro facultas datur, conficit.]

Verſus queis Pythagoræ inſtitutum de quo agimus, ab Auſonio expreſſum eſt edyllio 16. Virgilio alij tribuunt Tam porrò concinnè illud exprimunt, vt non videantur omittendi. Sic habent.

Vir bonus & ſapiens, qualem vix reperit vnum,
Millibus è multis hominum, conſultus Apollo;
Iudex ipſe ſui, totum ſe explorat ad vnguem.
Quid proceres, vanique ferat quid opinio vulgi,
Securus, mundi inſtar habens, teres atque rotundus:
Externæ ne quid labis per leuia ſidat.
Ille dies quàm longus erit ſub ſidere cancri;
Quantáque nox tropico ſe porrigit in Capricorno,
Cogitat: & iuſto trutinæ ſe examine penſat:
Ne quid hiet, ne quid protuberet: angulus æquis
Partibus vt coëat nihil vt deliret amuſſis.
Sic ſolidum quodcunque ſubeſt: nec inania ſubtus
Indicet admotus digitis pellentibus ictus:
Non priùs in dulcem declinat lumina ſomnum,
Omnia quam longi reputauerit acta diei,
Quæ prætergreſſus? quid geſtum in tempore? quid non?
Cur iſti facto decus abfuit, aut ratio illi?
Quid mihi præteritum? cur hæc ſententia ſedit,
Quàm melius mutare fuit; miſeratus egentem,
Cur aliquem fractâ perſenſi mente dolorem?
Quid volui, quod nolle bonum foret? vtile honeſto
Cur malus anteculi? num dicto, aut denique vultu
Perſtrictus quiſquam? cur me natura magis quàm
Diſciplina trahit? Sic dicta & facta per omnia
Ingrediens, ortóque à veſpere cuncta reuoluens,
Offenſus prauis, dat palmam & præmia rectis.

449. Satis multa in hanc ſententiam. Patres enim hîc ſilere iubeo: quòd & iuſto plures proferendi eſſent, niſi omnes premerentur; & quòd minùs mirum ſit, eos diſciplina ſuperiore imbutos, ſanctum hoc bonorum operum inſtrumentum tantoperè commendaſſe. Expendunt vſum illius aſcetici paſſim, & ex antiquis S. Ephrem ſerm. de vita relig. to. 3. Chryſoſt. in Pſalm. 4. ad v. 5. & in Pſalm. 50. ad v. 4. & optimè

mè homil. de pœnit.& confeſſione, *ſub medium* (locari ſolet poſt decem homilias de pœnitentia) & homil *quòd non ſit ad gratiam concionandum*, eſt 58. tomi 5. Item Baſilius concion. 4. aſcetica, & aliis locis, quæ ex eo deflorauit Heſychius Presbyter centur. 1. cap. 30. & 52. & 65. Prætereà Eucherius homil. 9. ad Monach. & homil. de Mathb. 1. & homil. de Epiph. Gregor. l. 1. Mor. cap. 36 & l. 5. cap. 12. Omnium explicatiſſimè Dorotheus doctr. 4. & 10. & 11. non ſerotinum tantùm, ſed etiam (quod ab Epicteto factum notaui,) matitutinum examen indicens: quod indicit etiam S. Ephrem ſuprà. Imò non quotidianum tantùm, ſed etiam hebdomadarium, & menſtruum, & annuum, indicit idem Doroth doctr. 10. *ad finem*. De eo, quod examen particulare appellatur, dicti ex ipſiſmet Philoſophis, tradens generalia paſſionum remedia d. 3. n. 114.

Mulcta examinis ſubiungenda.

Hic ad ſupradicta vnum duntaxat addo ex Chryſoſtomo homil. 5. ad populum, iungendam nimirum eſſe diſcuſſioni mulctam, ſibi ab vnoquoque impoſitam, vt hæc ſit admonitio ad lapſum iteratum præcauendum. Verba Chryſoſtomi ſunt: *Vis diſcere quomodo vitium ſuperari poſſis? Quomodo ab improba conſuetudine liberari liceat? Ego te quemdam docebo modum, ſi quem ſi tenueris, ſuperabis omnino: Quum videris teipſum, vel alium quemque, vel ſeruorum, vel filiorum, vel vxorem, hoc malo captos & continuè commonefactos, nec correctos; iube non pranſos cubare, & hanc tibique & illis damnationem impone, damnationem non damnum, ſed lucrum ferentem. Talia enim ſpiritualia & lucrum ferunt, & celerrimam correctionem: lingua enim continuè tribulata, vel nemine commonente ſufficientem capit admonitionem, à ſiti compreſſa, à fame anguſtiata, etſi omnium eſſemus ſtolidiſſimi, tota die huius tormenti magnitudine commoniti, alterius commoniti & admonitionis non indigebimus* Idem homil. 14. in Epiſt. ad Epheſ. in ipſo fine, autor eſt, qui oblocutionibus eſt obnoxius, cùm primùm agnoſcit ſe lapſum, linguam commordeat, vt aſpera illa verba, dentes tranſilire dediſcant. Nec aliter in Catech. ad illumin. cùm primùm lingua deliquerit, & ſeptum diuinitùs appoſitum, malè tranſgreſſa fuerit, mandat vt dentibus tanquam carnifici tradatur.

Vſus examinis ad ſui notitiam.

450. Iuuabit porrò hæc philoſophica conſcientiæ diſcuſſio, ad deprehendendam, atque adeò etiam præoccupandam malorum in nobis cauſam, cuius ignorationis defectu multa peccamus, & peccare pergimus. Optimè hoc tradit Seneca epiſt. 50 [Quid aliud agas quàm vt meliorem te ipſe quotidie facias, vt aliquid ex erroribus ponas, vt intelligas tua vitia eſſe, quæ putas rerum?] Quædam enim locis & temporibus adſcribimur. At illa, quocunque tranſierimus, ſecutura ſunt Harpaſtem vxoris meæ fatuam, ſcis hæreditarium onus in domo mea remanſiſſe. Ipſe enim auerſiſſimus ab iſtis prodigiis ſum. Siquando fatuo delectari volo, non eſt mihi longè quærendus, me rideo. Hæc fatua ſubitò deſiit videre. Incredibilem tibi narro rem, ſed veram; neſcit eſſe ſe cœcam: ſubinde pædagogum ſuum rogat, vt migret: ait domum tenebroſam eſſe. Hoc quod in illa ridemus, omnibus nobis accidere, liqueat tibi. Nemo ſe auarum eſſe intelligit. Nemo cupidum. Cæci tamen ducem quærunt; non ſine duce erramus, & dicimus. Non ego ambitioſus ſum, ſed nemo aliter Romæ poteſt viuere. Non ego ſumptuoſus, ſed vrbs ipſa magnas impenſas exigit. Non eſt meum vitium quòd iracundus ſum, quòd nondum conſtitui certum genus vitæ: adoleſcentia, hæc facit. Quid nos decipimus? Non eſt extrinſecùs malum noſtrum: Intra nos eſt, in viſceribus ipſis ſedet. Et ideò difficulter ad ſanitatem peruenimus: quia nos ægrotare neſcimus.] Quod de Harpaſte ait Seneca, geminum eſt ei quod in hunc Senecæ locum ſcribit Muretus de amico quodam ſuo, homine eruditiſſimo; qui octogenario maior, & ætate ſurdaſter effectus, hoc tamen in ſe vitium non agnoſcat; ſed verè ac ſeriò conquerebatur, peſſimam conſuetudinem inualuiſſe, ſummiſſiore voce loquendi, quaſi vererentur homines ne intelligerentur. Vbi vides apertiſſimè, vitium illud ſua vitia adſcribendis aliis cauſis, cui (vt aiebam) curando, accommodatiſſimum eſt inſtrumentum malitiæ depellendæ hactenus tractatum.

Lapſu conſecuto, non cadendum animo.

451. Ad extremum, non eſt prætermittendum inſigne monitum, quod præbet Epictetus lib. 4 cap. 9: nimirum, hæc quæ propoſuimus, aliáque ſubſidia vſurpanti, non eſt abiiciendum animum; ſi quæ noſtra imbecillitas eſt, interueniat lapſus. Cohortatus enim grauiſſima oratione Epictetus auditorem ſuum ad vitiorum expugnationem, quòd ſibi ipſe homo interitum, vel ſalutem creet; ita ſubdit: *Damna quod non ſit aliquid rectè commiſſumque facto ne propterea de ſpondeas animum, ne id tibi accidat, quod timidis ſolet qui quum ſemel remiſerunt, abiiciunt ſe totos & tanquam fluctibus quibuſdam abripiuntur. Vſurpato illud quod Pædotribæ ſolent: Cecidit puellus: reſurgens capeſſe, inquit, denuò pugnam, donec robur acquiras. Ita tu quoque ſis animo tuo affectus. Noſti enim anima hominis nihil eſſe flexibilius Tantùm velle oportebit, & factum erit, nec prauitati erit locus. Si rurſus obdormieris, qua fuit rectitudo periit. Intra te eſt interitus & ſalus.*

Optimè prætereà l. 3. cap. 25. [Repete & illa, *inquit*, in quibus prolapſione quadam aliquando cecidiſti. Maximo enim certamine occupatis, non languescendum, ſed accipiendæ plagæ etiam ſunt. Certamen enim non eſt propoſitum, vt lucta aut pancratio agone ſuperes, quo ſiue potiatur aliquis, ſiue non potiatur, poteſt nihilominus aut alicuius, aut nullius eſſe pretii; & mehercle poteſt aut felicissimo, aut miſerrimo ſtatu eſſe. Nec verò ſi ſuccumbamus, prohibemur in hac pugna quominùs denuò decertemus nec expectare opus eſt quadriennium aliud, quo redeant iterum Olympia alia: ſed ſtatim reſpiranti & colligenti ſe, eadémque promptitudine affecto, denuò pugnare licet: & iterum ſi non obtineas, aggredi licebit. Quòd ſi ſemel viceris, ſimilis eis es qui ſuccubuit nunquam. Iſtud tantùm curato, vt ne propter conſuetudinem crebram, incipias delectari cùm peccando quid commiſeris. ac de cætero tanquam præclarus athleta, ſi ſubinde reuertatur certamen, accedas vt victor, ſimilis effugientibus coturnicibus.] S. Chryſoſtomus quem ſæpe Epicteti doctrina vſum, eo etiam nominatim appellato conſtat, hoc monitum infigit cùm alibi, tum nominatim homil. 17. in Math. poſt multa ad tuendum virtutis ſtudium mandata. [Cùm iſtud, *inquit*, corrigere tentaueris, etſi ſemel, etſi iterum, legem conſuetudine fueris fallente tranſgreſſus: ſed etſi tertiò, etſi vicies ne tunc quidem omninò deſperes, ſed rurſum reſurge & idipſum ſtudiū ſollicitus apprehende, & abſque vlla prorſus ambiguitate ſuperabis.

Sanè deſperatio, vt benè cenſuit Chryſologus ſerm. 83. *eſt in & omnia mala peior.* Quare culpa admiſſa, non eſt nouâ acceſſione deſperatæ reſipiſcentiæ cumulanda. Sed ex caſu reſultus, & ab ipſo animus viréſque ferro petendæ, reintegrando generoſiore niſu certamen. Quod paſſis eloquentiæ velis, in Dauide poſt lapſum reſurgente, celebrat D. Chryſoſtom. homil 27. in Matth. *in morali*, & attigit etiam D. Auguſtin. in Pſal. 50. *initio.* Concludo, addita Sapientis Ethnici monitione. *Faſtidire*, ait Anton l. 5. numer. 10 *animum deſpondere, ac deterreri non debes, ſi non vbique tibi ſucceſſus reſpondet, ſecundum recta præcepta, agere ſingula cupienti: ſed fruſtratus conatu, eum redintegrare, & æquo animo pleraq. humanáque ferre. Neque debet te eius. ad quod redis pœnitere. Neque tibi eſt ad Philoſophiam tanquam ad Pedagogum redeundum: Sed vt ſolent qui ex oculis laborant, ad ſpongiam & ouum, alij ad cataplaſma & perfuſionem confugere Ita enim non opus erit tibi oſtendi vt rectæ rationi obedias: ſed in ea ipſe acquieſces.*

Etiam aduerſus inolita aut repullulantia vitia obnitendum.

452. Quinetiam licet facilior ſit animi ſanatio, cùm principiis obſtatur, & adhuc vitium tenerum eſt: tamen nec cùm indurnerit, abiicienda eſt haſta. Rectè in hunc modum id tradit Seneca epiſt. 50. *Ne labor quidem magnus eſt, ſi modò vt dixi, antè animum noſtrum formare incipimus, & recorrigere, quàm indureſcat prauitas eius. Sed nec indurata deſpere. Nihil eſt quod non expugnet pertinax opera, & intenta ac diligens cura. Robora in rectum, quamuis flexa, reuocabis. Curuatas trabes calor explicat, & aliter nata in id finguntur quod vſus noſter exigit. Quantò facilius animus accipit formam flexibilis, & omni humore obſequentior.*

Multò minus cadendum eſt animo ſi vitium ſemel reciſum, denuò progerminare deprehenditur: hic enim exſcindi, nō etiam ſtirpitus euelli poteſt vitium germine radicum eius ſemper ſuperſtite quod infelici vbertate ſemper ſuccreſcet, & niſi iugis admoueatur falx. lectiſſimas, & optimas quaſque virtutum plantas miſerè perdet. Quare ſuauiſſimè de more D. Bernardus ſerm. 58. in Cant. ad vitia aſſiduè reſecanda ſuos impellit illud expendens ex Cantic. 2. *Tempus putationis aduenit*, Verba eius ex parte ſunt. *Credite mihi, & putata repullulant vitia, & effugata redeunt, & reaccenduntur extincta, & ſopita denuò excitantur. Parum eſt ergo ſemel putaſſe: ſæpè putandum eſt imò ſi fieri poſſit ſēper, quia ſēper quod putari oporteat, ſi nō diſſimulas inuenis. Quantūlibet in hoc corpore manēs profeceris erras ſi vitia putas emortua, & non magis ſuppreſſa. Velis, nolis, intra fines tuos habitat Iebuſæus, ſubiugari poteſt; ſed non exterminari.* Attexi Apoſtoli teſtimonium, fatentis non habitare in ſe bonum, id eſt vitiorum natiuam ſementem apud ſe factam, identidem in noxias has fruges erumpere. Subdit verò Bernardus. *Aut te ergo ſi audes præfer Apoſtolo aut fatere cum illo, te quoque, vitiis non carere. Medium denique vitiorum virtus tenet, ac proinde ſedula eget non ſolum putatione, ſed & circūciſione. Alioqui verendum ne circumquaque à lambentibus vel potius, à redeūtibus vitiis, illa dum neſcis paulatim elangueat, aut ſi ſupercreuerint, ſuffocetur. Vnum in tanto diſcrimine conſilium eſt, obſeruare diligenter, & mox vt renaſcentium capita apparebunt, prompta ſeueritate ſuccidere. Non poteſt virtus cum vitiis creſcere. Ergo vt illa vigeat, iſta creſcere non ſinantur. Tolle ſuperflua, & ſalubria ſurgunt. Vtilitati accedit, quicquid cupiditati demis. Demus operam putationis. Putetur cupiditas, vt virtus roboretur, Nobis putationis ſemper eſt tempus, ſicut ſemper eſt opus.* Egregiè omninò de hac perpetua dum mortale corpus circunferimus, reciſionis ſuperfluorum neceſſitate, & nunquam intermittenda ſuccreſcentium ſemper vitiorum amputatione, virtutes partas conſeruante, diſſerit S. Baſilius in conſtit. monaſt. c. 3.

QVÆSTIO IV.

De nonnullis actuum moralium affectionibus.

Actionum moralium exercitationem, conſequitur ad modum proprietatis, ſi bonæ ſint, condignitas præmij & laudis, ſiue meritum & laudabilitas: ſi verò ſint prauæ condignitas ſupplicij & vituperationis. Quod enim Vaſques 1. 2. d. 77. n. 8. & 11. negat apud D. Thomam, laudabile & vituperabile eſſe paſſiones actus moralis, contenditque eſſe ipſam eius eſſentiam per ſe, concidet mox, explicata diſtinctione condignitas, laudis, & meriti quæ duo ille malè confudit. Itaque opportunè hoc loco poſt expoſitam moralitatem actuum de his eiuſdem affectionibus diſputationem ſuſcipimus: quæ quia in tenui labor ſubſtricta & tenuis erit.

ARTICVLVS I.

De præmio, honore, laude, & gloria honeſto operi debitis, eorúmque condignitate,

Exponam in primis quid præmium, laus, honor, gloria, abſolutè accepta, & eorum dignitates ferant: tum eorundem comparationem ad opus honeſtum patefaciam. Vtrunque breuiter & circa ſcholaſticum ſtrepitum. Eſt enim res perfacilis.

Meritum, eique reſpondens præmium.

Præmium eſt compenſatio virtuti meritoriæ reſpondens. Condignitas enim præmij, ſita eſt in vi meritoria. Hîc verò ſecernenda in primis eſt præmij ac laudis condignitas. Vaſques enim 1. 2. d. 77. cap. 2. & d. 213. cap. 5. & alibi aliquoties, contendit rationem meritorij, qua opus bonum eſt reſpectiuum præmij, eandem eſſe cum ratione laudabili: ita vt idem ſit eſſe dignum præmio, & eſſe dignum laude. Sed contrarium rectè ſtatuit Suares l. 12. de grat. cap. 26. numer. 4. qui benè etiam contendit S. Thomam, nomine *laudabilitatis*, non intellexiſſe aliquid anterius vi operis meritoria, ſiue ipſam actus honeſti ſtudioſitatem: ſed intellexiſſe quod extima verborum facies præfert; nempe condignitatem laudis manantem à ſtudioſitate ſiue honeſtate, eámque condignitatem ſecreuiſſe à condignitate præmij, quæ meriti nomine deſignatur.

453. Et eſſe ſanè duas illas condignitates omninò diſtinctas, euincitur ex variis vtriuſque habitudinibus. Nam actus honeſtus appellatur meritorius, per reſpectum ad retributionem à ſuperiore aut potentiore faciendam. Laudabilis autem dicitur penes operantem cui imputari poteſt quòd ſic operatus ſit, à quocunque tandem feratur illud iudicium. Inde verò

præte

præterea efficitur, vt laudabilitas ſolam operis dignitatem aſſectetur nullámque adiunctam habeat obligationem Iuſtitiæ ad actum ſecundum laudis expromendum, per ſe loquendo, & ex vi ſolius operis. At vis meritoria ſpectat ſolam retributionem à ſuperiore vel potentiore faciendam ſecundùm Iuſtitiam: (*Ei enim qui operatur merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum*, vt dicitur Rom. 4.) Quis verò præmium operis meritorij efficacitati eius meritoriæ reſpondens, ſtatuat eſſe ſolam laudem? Ita verò fatendum eſſet, ſi laudabilitas & vis meritoria idem eſſent, quia condignitatem laudis implet & exæquat repenſa laus. Idem patet à contrario. Latè enim differunt vituperatio & punitio: & condignitas vituperationis quæ laudis condignitati reſpondet, à condignitate ſupplicij quæ reſpondet meritoriæ efficacitati.

Longè aliud itaque eſt præmij condignitas ſiue vis meritoria, & condignitas laudis: ſicut aliud eſt laus, aliud præmium. Vſurpaui ſtrictè rationem meriti. Nam latiùs vſurpata voce, ſpectare quoque poteſt debitum & condignitatem retributionis ſupplicij iuſtè rependendi prauo operi. In quadam verò maiore vocis proprietate quam conſectatus ſum, meritum reſtringitur ad condignitatem præmij vel mercedis debitæ honeſto operi. Sicque D. Auguſtinus l. de gratia & libero arb. cap. 5. & 6. demeritum ſiue condignitatem pœnæ, vocat, non ſimpliciter meritum pœnæ, ſed *meritum malum*. Paſſim demeritum nominant. Vocem verò meriti ſimpliciter dicti, operi honeſto addicunt.

Condignitas honoris, & huius cum fama & reuerentia collatio.

454. Honor variè omninò vſurpatur. Acceptiones ad faſtidium multiplicat Chaſſanæus in Catalogo, parte 1. conſiderat. 1. Acceptio maximè propria ea eſt, qua honor dicitur ſignum quoddam bonitatis reſidentis in perſona cui honor defertur. Quo ex capite honor iuxta D. Thomam 1. Ethic lect. 18. differt à laude. Nam honor importat teſtimonium excellentiæ abſolutæ ſpectatæ, ac præciſè prout ſubiecto honorato inexiſtentis. Laus verò reſpicit excellentiam in ordine ad aliquid aliud, vt poſteà exponam.

Indidem honor ſecernendus eſt à fama, cum qua eum confudiſſe videntur qui honorem aiunt eſſe exiſtimationem, vt Madius, & alij apud Flaminium l. de honore, capit. 1. conſentaneè ad vſum communem, quo duellantes agi aiunt honorem ſuum, id eſt exiſtimationem ignauiæ & timiditatis. Verùm cùm honor quoddam ſignum ſit, perſpicuum eſt eum differre ab exiſtimatione & iudicio, in quo conſiſtit fama, vt rectè ſtatuit Molina tract. 4. de Iuſt. d. 1. poſt Ariſtotelem 1. Rethor. capit. 5. cuius hæc ſunt verba. *Bona fama eſt, ſi quis ab omnibus virtute præditus exiſtimetur, vel aliquid habere quod omnes appetunt, vel multi, vel boni, vel prudentes. Honor eſt ſignum beneficæ opinionis. Honorantur autem iuſtè quidem, & maximè, illi qui benefecerunt Veruntamen honoratur etiam, qui poteſt benefacere. Beneficium verò eſt, vel ad ſalutem, & quæcunque ſunt cauſa cur ſimus, vel ad diuitias, vel ad aliquod ex aliis bonis, quorum non facilis eſt poſſeſſio, vel omninò, vel ibi, vel aliquando. Multi enim ob illa, quæ parua exiſtimantur, honorem conſequuntur, ſed modi & occaſiones, cauſa ſunt Partes verò honoris ſunt ſacrificia, monumenta in metris, & ſine metris præmia, delubra, poſſeſſiones, ſepulchra, ſtatuæ, nutrimenta publica, barbarica, vt adorationes, & exceſſiones, dona apud quoſq; honoranda. Etenim donum, eſt poſſeſſionis donatio, & honoris ſignum* Habes hìc varios honores & ſigna excellentiæ alicui internæ, quæ eſt honoris fundamentum. Quamuis enim Ariſtoteles nominatim prodat, excellentiam beneficentiæ, quod vulgatiſſima ſit, & homines facile inuitet ad exhibendum honorem; tamen non excluſit alios quoque titulos Imò ſufficienter expreſſit, cùm ſolam poteſtatem benefaciendi agnouit eſſe idoneum honoris titulum. Ea enim poteſtas ſemper affectatur intrinſecam quancunque perfectionem.

455. Ex his porrò inſuper agnoſcis, rectè moneri ſuprà Molinam, honorem ſeiungendum eſſe à reuerentia. Nam ſuperiores non deferunt reuerentiam inferioribus: poſſunt tamen deferre honorem. Ipſéque Deus honorat Sanctos ſuos, quos tamen non reueretur, quia reuerentia eſt æſtimatio cum ſubmiſſione. At Deus nemini ſubmitti poteſt. Nec ſuperior, qua talis eſt, ſubmittitur inferiori. Epiſcopi item & Rectores iubentur honorare nonnullos ex inferioribus, quorum autoritatem apud vulgus ea honoris impenſione creſcere par eſt, vt ex variis iuribus probat Chaſſanæus p. 1. Catal. conſid. 21. & tamen non iubentur eos revereri, Plura ad honoris naturam, minutè, pleraque etiam otiosè ſcrutantur, qui de eo plenas tractationes ediderunt Flaminius Nobilius, & Baptiſta Poſſeuinus. aliique.

Honoris emphaſis eſt adoratio, vt dixit Anaſtaſius in 7. Synodo. act. 4. id eſt, ſymbolum honoris excellentis. non cuiuſcunque, ſed cum reuerentia ſingulari coniuncti. Neque enim omnis qui honorat adorat, quamuis quiſquis adorat, honorem deferat, vt dixit D. Auguſtinus l. contra ſerm. Arrian. cap. 23. Honoris decus ac pretium latè expendit Iouianus Pontanus l. de Magnanimit. c. 21.

Laudabilitas, & laus ei repenſa.

456. Laus eſt honoris ſpecies iuxta Ariſtotelem 1. Rethor. cap. 5. quod enim eo loco monumentum oratione ſoluta vel vincta numeris vocauit, laus recta eſt. Nolim tamen id ita accipi, quaſi laus formaliter & nudè accepta, ſit honoris ſpecies: Hoc ſanè falſum eſt. Honor enim & cultus, eſt actus voluntatis. Laus autem ad intellectum pertinet. Quod pulchrè quantùm ad laudem attinet, his verbis expreſſit Syneſius epiſt. 112. *Neque eaſdem ob cauſas diligunt & laudant homines, nec eadem animæ facultas vtriſque illis præſtitudis attributa eſt: ſed ea quidem parte, quæ affectibus mouetur, conciliamur, aut alienamur inuicem. Quæ verò iudicandi vi prædita eſt & rationem continet, ea laudamus aut reprehendimus.* Et plerunque ſanè laudamus aliquem à quo alieni animo ſumus, quemque honorare, nulla ratione velimus. Illuſtre tamen aliquod eius factum laude & commendatione dignum, diffiteri non poſſumus. Itaq; ſicut reprehenſio eſt actus intellectus; ita & laus quæ ei opponitur. Eatenus tamen laus ſtatuitur honoris ſpecies, quatenus poteſt per voluntatem dirigi ac imperari eo fine, vt ei qui laudatur, accedat honor. Et hac ratione laus eſt ſpecies honoris. Cùm enim honor ſit quodcunque ſignum alienæ excellentiæ, laus minùs latè patet, quia ad verba reſtringitur, cùm honor poſſit tam multis aliis modis deferri

Ago de laude humana, eáque ordinaria. Nam poſſe Angelos laudare Deum ſpiritualiter & incorporaliter, nemo neſcit, & variis modis expoſitis tradit Suarez l. 1. de orat. capit. 5. numer. 7. ſed laus

illa ab honore non differt. Accedit diſcrimen ex S. Thoma ſuprà tactum; quod item ex Ariſtotelis 1. Ethic. cap. 12. nempe quod laus ſit honor ob excellentiam in ordine ad aliud, quo ordine caret honoris vniuersè ſumpti obiectum. Ad ea enim propriè laus pertinet, quæ quòd difficilia ad aſſequendum ſint, periculum eſt ne homo ab auocante appeti tu abductus, aliorſum feratur. Hoc conſilio laudantur virtutes, & reprehenduntur vitia, vt illarum commoti pulchritudine, vitiorum autem deformitate perſpecta, iſtorum fœditatem auerſemur, illas autem conſectemur omni ſtudio. *Laudata enim virtus non ſecus ac arbor creſcit*, vt ait Clemens 1. Pædag. capit. 10. *in fine*, confirmátque ex Pythagora. Syneſius item epiſtol. 62. *in laudem* ait *eſſe præmium virtutis.*

Deus quomodò laudis capax, vel incapax, iuxta Philoſophum.

457. Hinc lux conciliatur loco Philoſophi alioqui implexo, qui habetur 1. Eth. cap. 12. *Videtur*, inquit, *omne laudabile propterea laudari quia qualitate aliqua præditum eſt, & ad aliquid quodam modo refertur. Iuſtum enim, & fortem, & omnino bonum virum, quia etiam virtutem ad actiones & opera ſolemus laudare. Robuſtum quoque, & curſui habilem, & vnumquemque ex aliis, non alia de cauſa quam quòd qualitate quadam præditi ſunt, & ad bonum quoddam, honeſtúmque quodam modo ſe habent. Atque hoc ex Deorum laudibus perſpicuum eſt. Nam cùm ad nos referuntur, ridiculi videntur. Id autem contingit ex eo quod laudes per relationem, vt diximus, efficiuntur.*

Senſus eſt, Deum non laudari à nobis in eo vocis rigore, quo laus eſt de bono ad aliud relato, qualis eſt laus qua nobis commendatur vniuersè virtus, aut honeſtas moralis, vt ad eam concitemur aut animemur Deus enim vt per ſe patet, laudari hoc modo non poteſt, forétque haud dubiè non modò inuidioſa & moleſta, vt dicitur 10. Eth. cap. 8. ſed vt hic habetur, ridicula laus, qua per comparationem ad Deum animandum & concitandum in amorem temperatarum vel fortium actionum, laudaremus illi Temperantiam aut Fortitudinem. Hoc eſt quod Philoſophus, ridiculum fore pronunciat eum qui ſicut hominem laudat, quia ſobriè & fortiter ex virtute operatur; ita Deum ſimiliter laudaret, vel ab anteriore exercitio alicuius virtutis, vt in poſterum alacritatem conciperet ad ſimile exercitium, vel illi ex eodem fine virtutem aliquam laudaret. Quare Ariſtoteles non negat, quin Deus laudari ab homine poſſit eo laudis genere, quod honore & cultu continentur: ſed tantùm id negat, vſurpando nomen laudis eo quo dixi modo; qua ratione negat etiam laudem eſſe virtutis vel felicitatis ſumptæ ſeorſim ab vſu.

Clarè id ferunt quæ in eod. cap. 12. primi Ethic. ſubiiciuntur. *At ſi*, inquit, *talium eſt laus, optimorum ſanè nullam eſſe laudem conſtat, ſed maius quiddam ac melius, quemadmodum videtur. Deos enim beatos ac fœlices dicimus, beatos item dicimus viros eos, qui maximè diuini ſunt. Simili modo etiam bona. Nemo enim felicitatem laudat, quemadmodum iuſtitiam, ſed vt diuinius quid ad melius, beatam rem dicit ac prædicat. Rectè etiam videtur Eudoxus in defenſione voluptatis principatum ei attribuere: ex eo enim quod non laudatur, cùm bonum ſit, indicari exiſtimabat eam rebus laudantibus eſſe præſtantiorem Talem autem eſſe Deum, & bonum ipſum cenſebat: quippè cùm ad hæc reliqua etiam reſerantur. Laus enim virtutis eſt. Ideò enim ad honeſtas res agendas, ex ea efficimur. Commendationes verò operum ſunt, tam animi quàm corporis ſimili modò.* Hæc dico apertè ferre eam quam dixi apud Philoſophum laudis notionem, cuius ignoratione pleri que Interpretes turpiter hic aberrant. Tria ergo in his poſtremis verbis obſeruare licet, quæ interdum confunduntur; in rigore autem ſeiungenda ſunt. Encomium, laus, & prædicatio, ſiue *εὐδαιμονισμός*. De quibus etiam 1. moral. Eudemior. cap. 1. & l. 1. Rhet. cap 9 Encomium ſiue commendatio, (quòd in vicis & compitis *ἐν κώμαις* fieret,) ſpectat illuſtres actiones præelicitas, & ob eas hominem ſtudioſè operatum exornat. Laus, vt dicitur citato loco Eudemiorum, vniuerſalia celebrat: id eſt laudat honeſtatem priuſquàm ad praxim reducta ſit, & in ſingulari exprompta. vt ad eius exercitium concitet & exſuſcitet, quòd hoc loco Ariſtoteles dixit laudem eſſe virtutis, quòd ex ea idonei efficiamur ad rectè agendum, admotis laudatoria cohortatione calcaribus. Denique rei per ſeipſam & circa vſum omnem perfectiſſimæ, eſt prædicatio, ſiue *εὐδαιμονισμὸς* & quaſi beatificatio, quæ Dei & rerum diuinarum, vt felicitatis, eſt propria Tangit obiter hæc omnia Archytas l. de bono viro & beato, initio laciniæ, quæ extat inter Pythagoræorum fragmenta.

Diſtorta Philiſophi interpretationes improbata.

458. Liquet ergo, perperam Ariſtoteli vitio datum eſſe, quòd negauerit Deum laudari poſſe Nec rectè Suarem 3. p. t. 1. d. 51. ſ. 1. & Vaſquem ibidem d. 91. num. 1. mentem Ariſtotelis circa laudem perſpexiſſe & deſeruiſſe. Minùs denique appoſitè Zuingerum in notis ad hoc caput 12. cenſuiſſe, mentem Ariſtotelis eſſe, Deum non poſſe laudari propter actiones honeſtas quas exercet, cùm perfectius quid in Deo cernatur, ex quo laudari & celebrari poſſit: vnaquæque autem res ex eo quod perfectiſſimum in illa cernitur, ſit laudanda, præterquàm qu d Deus ad hoc vt beatus ſit, non eget actione virtutis. Hæc dico nullo modo quadrare Philoſopho, qui planè reiicit Dei laudem ob virtutis actiones: non quòd titulus altior ſuppetat, & idcircò minor perſtringatur; ſed quòd ridiculum ſit ad Deum transferre laudis genus, quod noſtri duntaxat cauſa valet, vt afficiamur ad benè agendum, quod conſtat à Deo eſſe quàm remotiſſimum.

Magis adhuc aberrat à Philoſophi mente *Strebæus* ad eundem locum, qui rectè exploſa ea interpretatione quæ ferebat, negare Philoſophum poſſe Deum laudari vt hominem. quòd ſcilicet pulcher, diues, fortunatus, fortíſque ſit: (id enim nullo modo Philoſopho quadrat eiúſve ſcopo in eo capit. 12,) ſubiicit Philoſophi mentem eſſe, Deum non eſſe laudandum, quia illum laudat, eas laudes ad ſe refert, celebrans Deum quòd multa homini dederit, exiſtimans Deum omnia propter hominem facere, & ex operibus fieri laudabilem, vel potiùs indigna laude onerabilem, qui ſi nihil iſtorum feciſſet, tantus eſſet quantus eſt. Sic ille interpres, admodum profectò & à Philoſophi mente, vt ex dictis perſpicitur, & à veritate aberrans: qui enim celebrat Deum, quòd homini plurima contulerit, non onerat Deum indigna celebratione. Quin potiùs dignum & iuſtum eſt, quantum poſſumus tantum audere, vt quia Deus cùm ex aliis capitibus, tum nominatim ex iſtis, omni laude & celebratione maior eſt, ſaltem pro virium noſtrarum modulo celebretur à nobis. Quòd verò exiſtimetur, Deum omnia

nia propter cœtum creaturarum intelligentia & ratione præditarum condidiſſe, indéque Deus ab illis celebretur nullam continet hallucinationem, vt Origenes contra Celſum rectè diſputat & confirmat D. Auguſt. q. 40. ex 83.

Maximè denique à Philoſophi mente deflexit Foreſtus ad idem cap. 11. cùm cenſuit laudem Dei per homines, appellari à Philoſopho ridiculum; quòd laus dicatur quatenus eſt ab æquali ad æqualem, aut è ſuperiori ad inferiorem: honor verò ſit inferioris reſpectu ſuperioris. Honorandi enim ſunt ab inferiore ſuperiores, non laudandi. Negligenda quippe eſt laus ignari aut ignaui hominis, doctum vel fortem commendantis. Perinde igitur ridiculus videtur homo Deum laudans, ac plebeius laudans Regem, quem potius honore proſequi cum omni humilitate debuerat. Hæc expoſitio planè aliena eſt à Philoſopho, ſuppomitque falſum principium. Nempe quòd laus ſit æqualis ad æqualem, vel ſuperioris ad inferiorem: cùm tamen laus ſumpta pro celebratione vt ſumitur ab hoc Interprete, æquè poſſit locum habere reſpectu cuiuſcunque. Quare ſiſtendum eſt in propoſita Ariſtotelis interpretatione, quam ex Alexandro eruit, rectéque illuſtrat Flaminius Nobil. l. de honore cap. 9. & Poſſeuinus dial. 1. de honore, *ſub medium.*

Condignitas gloria, ipſaque gloria.

459. Gloria idem eſt quòd laus honorificata. D. Auguſtinus q. 31. ex 83. eam definit frequentem de aliquo famam cum laude, quibus verbis deſignatur gloriæ exortus ex laudatione. Fama enim eſt bona exiſtimatio. Hæc per laudem in aliis concitatur. Cùm ergo aliquis laudatur, & inde apud multos illuſtrem exiſtimationem adipiſcitur, ex qua rurſum conſequitur, vt à multis laudetur extollatur, tunc dicitur gloriam conſecutus. Atque adeò glorificare vel glorioſum reddere, nihil aliud eſt quam aliquem ita laudare, vt exiſtat apud plurimos luculenta & ſplendida de eo fama, ſiue optima exiſtimatio, vnde in eam veluti refulget fulgor quidam ac ſplendor. Multis id illuſtrat Ilefonſus Meſſia l. de vera & falſa gloria. cap. 1. Dixi *apud quamplurimos exiſtere gloriam*, quia gloria propriè accepta, quod notat Martinus de Magiſtris in quæſtionibus de Fortitudine, quæſt. 1. *de inani gloria, initio*, non poteſt eſſe apud illum ipſum duntaxat, qui eſt gloriæ ſubiectum, vt liquet ex communi notitia. Cui non eſt refragatus D. Thomas 2. 2. quæſt. 132. art. 1. agit enim de gloria abuſiuè ſumpta: qua ratione interdum eos qui inflantur & tument, *glorioſos*, appellamus. Eſt igitur gloria propriè quidam veluti reſultus fulgoris homini aduenientis ex frequenti laude.

Hinc colligit Flaminius Nobil. l. de honore cap. 9. *in fine*, gloriam in eo qui colitur hærere videri, honorem verò eos qui colunt magis ſpectare, & in eis eſſe, quòd ab eis proficiſcatur. Verùm an non gloria quoque ab iis proficiſcitur, qui exiſtimationem bonam de aliquo concipiunt, eámque celebrant? Igitur vel gloria quoque eſt in iis qui eam deferunt, vel honor non minùs quàm gloria, ad honoratum quaſi reflectitur. eúmque illuſtrat. Id quod Ariſtoteles diffiteri noluit 1. Eth. cap. 5. cùm dixit, honorem magis eſſe in honorantibus, quàm in honoratis. Eſt enim id omninò verum: ſed tamen ſicut gloria intelligitur hominem aliquatenus afficere, & eſſe quidam veluti reſultus ac ſplendor reflexus ex honoratione ab aliis impenſa; ita idem de honore cogitare facilè poſſum. Et hoc quoque latè confirmat Illefonſus Meſſia l. de vera & falſa gloria. c. 5. Porrò quòd Seneca epi. 101. gloriam à claritate diſcernit, quòd hæc ſit bonorum tantùm, illa quorumcunque, non videtur adeò vſu receptum.

Condignitates propoſita, ſc. honeſtati annexa.

460. Hactenus quid ſit præmium, honor, laus, gloria. Nunc ſtultè ferè demonſtraturus videor, hæc eſſe iuſta honeſtæ actionis ſtipendia. Quamuis enim perperam errore hominum effici videmus vt compenſentur, celebrentur, honorentur, laudentur, glorioſi ſint, qui fortunæ bonis affluunt, qualeſcunque animo ſint: tamen ex natura rei loquendo, compenſationem huiuſmodi deberi virtuti, non diuitiis & fortunæ bonis, & quòd multò teterius eſt, improbitati, Ariſtoteles 4. Eth. cap. 3. luculenter tradit, éſtque per ſe euidentiſſimum. *Nutrimentum enim pr æmiorum exempla* ait Caſſiodorus l. 2. epiſtol. 1 . *virtus eſt, nec vſquam eſt aut non ad meritum ſumma nititur aſcendere, quando ſupremam mercedem non relinquitur, quod conſcientia ſeſe laudatur*, Seneca luculenter epiſt. 76. *Si quis omnia alia habeat, valetudinem, diuitias, imagines multas, frequens atrium, ſed malus ex confeſſo ſit, improbabis illum. Item ſi quis nihil quidem illorum quæ dixi habeat, deficiatur pecunia, clientum turba, nobilitate & auorum proauorúmque ſerie, ſed ex confeſſo bonus ſit, probabis illum. Ergo eſt vnum bonum hominis quod qui habet, etiamſi aliis deſtituitur, laudandus eſt. qui non habet, in omnium aliorum copia damnatur ac reiicitur.* Praxi vniuerſaliſſima omnium retrò temporum ac gentium, id illuſtrat Paſchalius l. . de coronis, qui eſt de coronis virtutis.

Dictum porrò Ariſtotelis, quo honor pretium virtutis ſtatuitur, malè à Viue reprehenſum ſuo 3. animæ. cap. *de veneratione*, nec ſatis ſolidè defenſum à Scaligero exercit. 317. numer. 3. intelligo in plano ſenſu verborum: quòd nihil ſit incommodi eum admittere etiamſi verum ſit, virtutem fore vltimò compenſandam collatione beatitudinis. Id quod Scaliger malè cenſuit pugnare cum temporario illo virtutis pretio: & idcircò popolariter locutum Philoſophum dixit, non accuratè; ipſe potiùs inaccuratus.

Fructus eiſdem repenſi, terminus proprius.

461. Exiſtit autem inde fructus ille, quem eloquentiſſimè Dio Chryſoſtomus orat. 31. amplificat, vt ſcilicet incendantur homines ad virtutis opera ſtudio gloriæ. Appono particulam ſuſiſſimæ diſputationis. Dixerat, Deum, cultu noſtro & impenſis per nos honoribus non agere: & quamuis non incaſſum colamus ac veneremur Deum, ad alacrem erga eum voluntatê & affectum conteſtandum; tamen id citra vllam Dei indigentiam fieri, quòd nullus inde fructus Deo exiſtat: neque verò vllo veluti calcari egeat ad rectè operandum. [Homines verò, *inquit*, indigent & corona, & imagine, & primo loco in conſeſſu, & memoria ad poſteros. Etiam multi propter hæc mortui ſunt, vt vel ſtatuam nanciſcerentur, aut præconium, aut alium honorem atque ſuis poſteris relinquerent opinionem ſui æquam, memoriámque. Si quis igitur à vobis

ſciſcitetur vnines his olim ablatis, nulláque recordatione relictâ neque laude benefactorum, quemquam quenque potis virum emerſiſſe admirandum apud omnes, proptéque in bello decertamer, aut tyrannos expellerem, aut ſemetipſum libróſque deuouentem communis rei gratia, aut magnos exantlantem labores irtutis cauſa. quemadmodum Herculem feciſſe aint, & Theſeum alióſque ſemideos & Heroas; Nminem vos nominare poſſe puto. Nam cauſam quæ prouocet quemlibet, quælibet pericula contemnere, & labores ſuſtinere, vitámque voluptuoſam & ſocordem deſicere faciat, haud alia m vllam apud pleroſque i uenias. Hoc eſt quod in ugnis facit ſtrenuos vire ex diuerſa vulnerari, neque tergo dato aufugere tametſi nonnunquam ſalutis id præſidiũ ſit. Propter hoc ait Poëta, Achillem noluiſſe ſummam conſecutum ſenectutem domi mori: atque Hectorem ſolum ſtetiſſe ante ciuitatem cúmque omnibus, ſi oporteret pugnare eſſe paratum. Hoc est quod Lacedæmoniorum quoſdam fecit in locis anguſtis in acie ſtare aduersùs tot Perſarum millia. Hoc fecit veſtros maiores, omnem terram & mare implere trophæis.]

Subdit de poſteriorum, ipſorum inquam apud quos agebat, rebus fortiſſimè geſtis & preſſis generosè maiorum veſtigiis. Tunc concludit. [Veruntamen illud ſatis manifeſtum eſt, quòd neque vos, neque alij quidam, qui vel inter Græcos vel Barbaros, magni vnquam videntur extitiſſe, ob aliud quid ad gloriam peruenerunt, & potentiam, quàm quod ſigillatim decus ſibi quæſierunt, plurìſque fecerunt bonam apud poſteros famam, quàm ipſam vitam. Nam veſtis, & epigramma, æneúmque ſtare, magnum eſſe videtur generoſis viris & digna virtutis merces: non vnà cum corpore perire nomen, neque in eadem conditione eſſe cum his qui nunquam ſunt nati, ſed veſtigium quoddam relinqui & ſignum, (ita vt quis dicat,) ſtrenuitatis Athletas hoſce certaminum videtis, quanta patiuntur ſemet exercentes ſumptúmque facientes, & denique ſæpiùs mori eligentes in ipſis certaminibus. Quid igitur ſi quis auferat coronam, cuius gratia contendunt, & inſcriptionem futuram in Olympia aut Pytho, victoriæ? Nunquid putatis eos vnam duntaxat diem, Solem toleraturos, nedum alia, quæcunque huic negotio adhærent iniucunda & grauia?]

462. Nec ita multò pòſt contentione facta eius, qui virtutem præmiis & honoribus debitis priuauerit, & eius qui ſceleribus pœnas conſentaneas non inflixerit; confirmat longè tetriorem eſſe, qui virtutem irremuneratam dimiſerit, quàm qui inultum reliquerit vitium & remiſſionem pœnarum conceſſerit. *Quippè hoc*, inquit, *referri poſſet ad humanitatem, ad miſericordiam, adque alia ſimilia, quæ familiora ſunt benignis. Obliuiſci autem optimorum virorum, virtutúmque ſuis priuare præmiis, fieri non poteſt, vt vllum habeat decentem prætextum: ſed eſt ingratitudo, inuidia, parcitas, quæ omnibus turpiſſimis neceſſariò conueniunt. Præterea y qui ſupplicia remittunt, prauos quidem minus à maleficiis arcent: illi autem in maximis delinquunt circa benefactores. Tantò autem hoc illo peius, quantò iniuria afficere alterum peius eſt, quam non vehementer alterum prohibere.*

Etiam honeſtatem operanti immanentem, aſſectantur condignitates prædictæ.

Hæc vniuersè. Vnum præterea ſigillatim quoad honeſtas actiones his dignas compenſationibus, & alterum quoad compenſationes ipſas aduerto. Quoad actiones, moneo, non iis tantùm virtutis operibus quæ in aliorum commodum redundant, qualia ſunt quæ hactenus ex Dione commemoraui: ſed iis quoque quorum fructus operanti immanet, præmium, laudem, honorémque ac gloriam deberi. Docet id inſigniter & factis & verbo Diogenes, apud eundem Dionem Chryſoſtomum, orat. 9. vbi refert Dionem cùm ad Iſthmia acceſiſſet, pineam ſibi coronam tanquam victori impoſuiſſe, ægrè autem id ferentibus Corinthiis, & miſſis ad eum miniſtris coronam deponere, nihilque illegitimum tentare mandantibus. [Percontatus eſt eos, *inquit his*, quamobrem illegitimum eſſet ſe pinu coronari, alios autem ea coronari, non eſſet illegitimum? Reſpondit igitur quidam ex illis; quia nos viciſti ô Diogenes. Tum ille. Ego verò (inquit) multos & magnos vici antagoniſtas: Non qualia hæc ſunt mancipia quæ iam hîc luctantur, & diſcum iaciunt currùntque: ſed longè & omni ex parte ſæuiores; nempe paupertatem, exilium, & contemptum: præterea & iram, & animi ægritudinem, & cupiditatem, & timorem & inexpugnabiliſſimam omnium, & ferociſſimam beſtiam, doloſámque & mollem voluptatem: qua cum nullus Græcorum, neque Barbarorum, dignus eſt pugnare, eámque ſuperare, animi ſui imperium adeptus. Verùm omnes ſubiacent, animúmque deſponderunt ad hoc certamen: Perſæ & Medi, Syri & Macedones, Athenienſes & Lacedæmonij præter vnum me. Vtrùm ergo vobis dignus videtur pinea corona, an acceptam dabitis ei qui plurium carnium plenus ſit? Hæc igitur renunciate illis qui vos miſerunt, quódque ipſi illegitimè faciant. Quum enim nunquam vllius certaminis euaſerint victores, circumeunt coronati. Et quòd glorioſiora feciſſet Iſthmia ipſe adepta corona.]

Cur tamen antiqui nullum huiuſmodi virtutibus præmium publicum ſtatuerint, cauſas rimatur Ariſtoteles ſ. 30. problem. que 11. has virtutes iuxta Stoïcam phraſim, nomine *ſapientia*, *deſignans*, Cur, *inquit*, [veteres præmia certaminibus corporum poſuerunt, ſapientiæ nullus quicquam ſtatuerit? An quia Iudices quod ad ingenium attinet, vel præſtantiores, vel nihilo deteriores nimirum eſſe iis debent, qui inter ſeſe certant? Quòd ſi homines ſapientia excelſiores certare deberent, proponeretúrque præmium, arbitris ſanè ſibi carerent. At verò in certaminibus gymnicis, quiſque ſuo tantùm aſpectu iudicare integrè poteſt. Item autor ille præmiorum, tale ſuis hominibus certamen proponere noluit, vnde inimicitiæ, ſeditionéſque maximæ exorirentur: homines enim cùm in re ſui corporis aliqua improbantur, non moleſtè omninò ferunt, neque iis infeſti redduntur, qui ita iudicarint: at ſi ſtolidiores iudicati ſunt, iudicibus admodùm ipſis ſuccenſens, ægréque vehementiſſimè ferunt: quæ quidem res ſeditioſa & ſtolida eſt. Ad hæc præmium præſtantius eſſe ſuo certamine decet. Itaque certaminum gymnicorum prœmium optatius eſt, & præſtantius, quàm ipſa concertatio eſt. Prudentiæ verò quodnam præmium præſtantius eſſe poſſit?]

Obiter

Obiter de laureis literariis.

46·. Vtranque cauſam, nempe vtilitatis in alios deriuandæ, & proprij decoris ac perfectionis, ſpectarunt, qui literariis laboribus, eiſque ſcientiarum parandarum diligentiæ, quam virtus Studioſitatis mouet, honores decreuerunt, collatis publicè honorificis titulis & gradibus, vt vocant, pro varietate profectus diuerſis. Qui enim depoſiti tyrocinij, inſignia ſortiuntur, Baccalaurei dicti, vel vt Renatus Barrenſis in admonitione de Tertulliani dogmatibus annotauit ex antiquis conſtitutionibus Pariſienſibus, Bacellarij à baculo, quo veluti emancipati donabantur. Qui his tranſcenſis, necdum ad ſupremum verticem accedunt, Licentiati & Prodoctores. Qui ſummum apicem occupant, Doctores appellati. Quod per proportionem quandam ad tres Athletarum coronas inſtitutum, notat Mindendorpius l. 1. de Academ. c. 7. vbi de prima horum ſcholaſticorum honorum origine, permulta. Mirum verò eſſet Vvicleffum qui in Concilio Conſtanſ. ſeſſ. 8. art. 29. omnes huiuſmodi gradus exterminatos voluiſſe refertur, in hoc gradu graſſatum eſſe, niſi omnia honeſta & ſancta, petulantiſſimè conculcaſſet. Explodunt hanc eius inſaniam Vald. t. 1. à c. 67. & Caſtro v. *Studia generalia.*

Cauenda præmij vulgatio.

Quoad præmia & compenſationes, illud prouidè curandum ſeruandúmque, docet Dio Chryſoſtomus orat. 31. cauendum eſſe, ne vulgare nimiùm fiat, quod in virtutis præmium cedit: illicò enim depretiandum fore, cùm id potiſſimùm in huiuſmodi excellentiæ teſtimoniis ſpectetur, quòd homo per ea emineat. At non eminet, cùm ea præmia paſſim, & quacunque ex cauſa leuiter dantur, communicantúrque indignis, vt ſemper accidit quoties efficiuntur nimiùm vulgaria, vnde eorum neglectus conſequatur neceſſe eſt. Egregiè S. Hieron. epiſt. 26. *Quàm multo clarius honor vileſcit in turba, & apud viros bonos indignior ſit ipſa dignitas quam multi indigni poſſident. Vnde egregiè de Cæſare Tullius; Cum quoſdam, ait, ornare voluit, non illos honeſtauit, ſed ornamenta ipſa turpauit.* Probat hoc Dio Rhodienſes alloquens, exemplis quæ omninò rem conficiunt. *Benè noſtis quod nihil horum, ſtatuarum, coronarum conſeſſus honorabilis, aliorúmque huiuſmodi, magnum eſt neque pretioſum, niſi propter dantes, ſi dent vt tale Si verò ex his rebus quid eſt, quæ cuique volenti & vulgari facilè tribuuntur, citò videbitur nullius eſſe pretij. Quocirca honeſtius eſt apud vos vocari, quàm apud alios imaginem naneiſci. Atque à vobis ſedentibus quemquam laudari, ſplendidum eſt; alij verò etiamſi ſe clamando ruperint, non videntur ſatis laudare. Coronam in ludis Olympicis ſcitis vtique oleaginam eſſe, quam multi pluris faciunt quàm vitam, non quòd illis nata olea aliquid in ſe habeat admirandum: ſed quòd non facilè, neque pro re parua detur. Proinde ferè circa veſtra tempora, vt ſcitis, Imperatorum quidam ita eam affectauit, vt concupiuerit ibi victoriam, certaueritque apud Eleos, atque hunc felicitatis terminum ſtatuerit ſuæ. Si verò omnes coronaſſent venientes ad ſpectaculum profectos, quam admirationem, aut qualem ampliùs gloriam corona habuiſſet?* Idcircò M. Cato referente Gellio l. 5. cap. 6. (quo de coronis militaribus, queis bellica virtus compenſabatur, plurima memorat, & plura Paſchalius toto l. 7. de coronis) Fuluio nobiliori obiecit, quòd paſſim próque leuibus & idoneis cauſis, præmia virtutis bellicæ conceſſiſſet.

Nihil neceſſe illud prænoſci, vt paretur eius condignitas.

464. An ſit neceſſe: vt qui hæc præmia & decora ſui iuris facit, prænoſcat ſibi operanti, hoc illudve decus aut præmium eſſe propoſitum controuerti poteſt. Breuiter autem reſpondendum eſt, negatiuè, cum Suare l. 12. de gratia, cap. 18. num. 1.. Ratio eſt perſpicua: Sicut enim ad contrahendam præmij condignitatem, nihil eſt neceſſe præmium intendere: imò verò digniores præmio ſunt, qui non pellecti ea eſca, purè ex ſola honeſtate accinguntur ad opus: ita neque notitia præmij, cuius condignitas acquiritur, neceſſaria eſſe, dicenda eſt: quia ſi eſſet neceſſaria, non alia ex cauſa talis eſſet, quàm quia intentio notitiam præſupponens eſt neceſſaria, quod liquet falſum eſſe.

Hæc ſunt ergo præmia, queis ab hominibus compenſari poteſt honeſtas actionum atque virtutum. Apud Deum autem, longè pretioſiora eidem aſſeruantur præmia. Egregiè enim S. Chryſoſtomus homil. 1. in Matth. de Chriſtianæ Philoſophiæ ſupra Ethnicam eminentia diſſerens, cùm ad hunc locum peruenit; *Præmia verò*, inquit, *virtutum non ramus oleæ, nec coronis oleaſtri foliis immixta; nec publicè ex-para a conuiuia, nec ærea ſtatua, nec imagines coloribus adumbratæ, & ſimilia iſta atque vaniſſima: ſed vita nullo vnquam fine claudenda, & filiorum Dei collata nobilitas, cùmque Angelorum choris ineunda lætitia, & ante regalem thronum ſecura præſentia, & perpetuum eſſe cum Chriſto.*

ARTICVLVS II.

De condignitate ſupplicij ac vituperationis, actus prauos conſequente.

SIcut benè operanti præmium & gloria, ita violatori honeſtatis, pœna ac vituperatio debetur. Eſtque hæc pœnæ condignitas ſiue demeritum, proprietas moralis malitiæ formalis, vt rectè cenſuit Iulianus Celanenſis, approbante D. Auguſtino lib. 6. contra illum, cap. 8. Id quod non tantùm de malitia formali actualiter perſeuerante intelligendum eſt, ſed etiam de eadem iam tranſacta, necdum obliterata. Paſſim vocant peccati maculam. Nam ab hac quoque differt pœnæ condignitas, quæ certè mala non eſt, ſed optima: cùm tamen culpa quomodocunque homini adhæreſcat, mala ſit, & ſubiectum ſuum coinquinet.

Supplicij condignitas in peccatore, non mala.

465. Non eſt malum, vt S. Chryſoſtomus docet homil. 9. in ad Rom. in morali, poſt S. Dionyſium cap. 4. diuin. nom. n. 4. non eſt, inquam, malum, eſſe pœna dignum, ſed id admiſiſſe ex quo efficiatur, vt ſis pœna dignus, id verò malum eſt. [Infantuli, *ait ibidem S. Chryſoſtomus*, Medicum dum vident, vel ignem, vel ſectionem apparare, fugitant: vel reſtitant eiulantes, ac ſeſe lacerantes: malúntque perpetuæ corporis vomicæ ac purulentiæ immori, quàm temporarium laborem perpeſſi, ſanitatem in poſterum aſſequi. At qui mentis compotes ſunt, probè intelligunt, ægritudinem ſectione eſſe pernicioſiorem: quemadmodum & ſceleratum eſſe, ſupplicio deterius

eſt Hoc enim curari eſt, ac ſanum eſſe. At illud perire, ac perpetuo in morbo eſſe. Quòd porrò ſanitas morbo melior ſit, vndique liquet: quando & prædones, non tum quum illorum latera perfodiuntur, ſed cùm parietes, ipſi perfodiunt, aliiſque mortem afferunt lacrymis ac miſericordia digni ſunt. Nam ſi anima corpore melior eſt, vt omninò eſt, hac certè pereunte lamentandum potiùs ac gemendum. Quòd ſi ea minimè ſentiat, tantò magis ob id lugenda ea eſt. Nam & qui impudico amore capti ſunt, grauiter febricitantibus, & qui vino ſe obruunt, quæſtionem tolerantibus miſerabiliores ſunt. *Et mox poſt multa recenſita, quibus homines vitio addicti, ſuam iudicij peruerſionem produnt.* Iidem ſupplicium vitioſitate deterius ducunt. Res autem prorſus ſeſe ſecùs habet. Nam ſi delinquentibus additum ſupplicium, malum eſſet, nunquam Deus malis mala addidiſſet, neque illos deteriores fieri voluiſſet. Qui enim pro viribus omnibus annititur, vt ipſa vitioſitas extinguatur, vtique eam nunquam augeret. Non igitur delinquenti malum eſt, cùm plectitur, ſed cùm in peccandi ſtatu permanens, non plectitur. Quemadmodum & ægrotandi malum eſt, quum non curatur. Homini enim nihil pernicioſius, quam abſurda appetitio.]

Sed vt hæc pœnæ condignitas illuſtrior euadat, operæpretium eſt aliquid circa eius contractionem, itémque aliquid quoad ipſum pœnæ irrogatorem, & quoad paſſum, ſiue quoad reum annotare. Quòd enim pœna (ſaltem quæ grauior eſt, vt necis quæ atrocioribus ſceleribus eſt rependenda,) non poſſit ſibi ab ipſo reo infligi, ſed ſubeunda tantùm ſit, cùm irrogatur ab alio ad id vi muneris & delatæ ſibi à Republica poteſtatis aſtricto; idcircò vtriuſque facienda eſt mentio in hac tractatione. Quoad contractionem verò huius indignitatis primo loco ſupponendam, quæri poteſt, an ſola peccandi voluntate, an duntaxat interueniente conſummatione peccati, itemque an ſecluſa prænotione pœnæ irrogandæ contrahatur.

Eam ſola mali operis voluntate contrahi, qui negarent.

466. An ergo hæc pœnæ condignitas contrahatur ſola peccandi voluntate, an tantùm cùm opus interuenit, dubitatio eſſe poteſt. Nam Cato Cenſorius orat. pro Rhodienſibus apud Gellium l. 7. cap. 3. ita diſputat. *Et quamuis tandem eſt noſtrorum, qui quod ad ſe attinet, æquum cenſeat, quenquam pœnas dare ob eam rem quòd arguatur malè facere voluiſſe? Nemo, opinor. Nam ego, quod ad me attinet, nolim.* Rurſus paulò poſt idem Cato referente Gellio, *Quid nunc? Et quæ tandem lex eſt tam acerba, quæ dicat: ſi quis illud facere voluerit, mille nummus dimidium familiæ mulcta eſto. Si quis plus quingenta iugera habere voluerit, tanta pœna eſto: Si quis maiorem pecudum numerum habere voluerit, tantum damni eſto. Atqui vos omnia plura habere voluimus, & id nobis impune eſt.* Tandem hæc quoque ibidem Cato. *Sed ſi honorem non æquum eſt haberi ob eam rem, quòd benefacere voluiſſe quis dicit, neque fecit tamen: Rhodienſibus malo erit, quòd non malè fecerunt, ſed quia voluiſſe dicuntur facere.*

Philo ſimiliter lib. de illis verbis, *Reſipuit Noë*, allegoricè de more interpretans nomina *Cham* & *Chanaam*, & quærens quorſum Chamo parente, qui in culpa erat, dimiſſo, maledictus ſit ab auo Chanaam, reſpondet in hunc modum. *Filius Noë Cham quieſcentis vitij nomen habet. Nepos autem iam mouentis ſe. Cham enim interpretatur calor. Chanaam commotio. Calor autem in corpore febrem indicat, in anima vitium. Nam ſicut qui febre decumbit, non vna quapiam parte, ſed toto ægrotat corpore: ita totius animæ infirmitas eſt vitium. Hoc iam quieſcit, iam mouetur. Motum eius, Vates Hebraïco nomine vocat Chanaam. Nullus autem Legiſlator pœnam decernit contra iniuſtos quieſcentes, ſed quoties mouentur, & exercent iniuſta opera. Sicut nec mordaces quidem beſtias vir moderatus occidet, ſi abſit morſus periculum.* Quod ait de Legiſlatoribus, conſtat ex variis iuribus quæ ſuperſunt. Nam Triphonius l. 225 ff. *de verb. ſignif.* diſertè tradit furti, adulterij, & aleatoris crimina oportere aſſumpto actu intelligi, nec actu ſecluſo obnoxia eſſe pœnæ iiſdem criminibus conſtitutæ. Et perſpicuè etiam Vlpianus l. 18. ff *de pœnis*, ait, *cogitationis pœnam nemo patitur.* Vbi gloſſator Sectarius, vt virus ſuum inſpergeret, id limitat ad humanam punitionem. Negat autem valere quoad diuinam, quæ in concupiſcentiam quoque fertur, iuxta Geneuenſis quidem Theologiæ placita, quæ primos quoſque motus & omnem concupiſcentiæ pruriginem, etiamſi inuoluntariam, in culpa ponit. Sed hæc aliàs, nunc quod agimus agamus.

Quæ in contrarium vrgeant.

467. Non videntur ſanè, quicquid hactenus allegati affirmarint, non videntur inquam cogitationes, humanis ſemper pœnis ſubduci. Nam vt Apul. ait 4. Florid. *Omnibus bonis in rebus conatus in laude, effectus in caſu eſt. Ita vt contrà in maleficiis, etiam cogitata ſcelera non perfecta adhuc, vindicantur, cruenta mente, pura manu.* Et verò, vt alibi docui ex Seneca 5. de benef. c. 14. aperitur opere nequitia, non incipit, ipſáque mala voluntas res eſt. Quod iudicio Apollonis Pythij firmatum prodit Iuuenalis Satyra 13. verſibus illis,

Spartano cuidam reſpondit Pythia vates.
Haud impunitum quondam fore, quod dubitaret
Depoſitum retinere, & fraudem iure tueri
Iurando: quærebat enim quæ Numinis eſſet
Mens, & an hoc illi facinus ſuaderet Apollo.
Reddidit ergo metu, non moribus, & tamen omnem
Vocem adyti dignam templo, veràmque probauit:
Extinctus totâ pariter cum prole, domoque.
Et quamuis longa deductis gente propinquis
Has patitur pœnas peccandi ſola voluntas:
Nam ſcelus intra ſe tacitum qui cogitat vllum,
Facti crimen habet.

Sylla ſanè, qui adulterium tentaſſet, pro adultero habuit, & puniuit. Idem pro ſicario duxit, ſi quis cum telo ambulaſſet, occidendi hominis cauſa. In ambitu, Arcadius & Honorius Imperatores, æquè voluntatem ac factum plectunt. De parricidio rectè apud Quintilianum decl. 271. dicitur. *Non tibi proderit dixiſſe, non feci. Nunquam mens exitu æſtimanda eſt: ſatis eſt probare animum parricidæ.*

Reſolutio.

His in vtranque partem diſputatis, dicendum eſt, ſola peccandi voluntate, quandiu nuda voluntas eſt concepta, nullatenus prodita, neminem pœnæ humanæ iure ſubiacere. Quomodò enim pœnam decernat æquus Iudex humanus, ſceleri quod eum latet, & de quo reuincere noxium, vt maximà velit, non poſſit? De Deo qui intima pectora rimatur ac introſpicit, alia eſt ratio. Itaque efficacem volitionem mali operis, vel etiam approbationem aut guſtum eius, impunè abire

abire non patitur Quoad illa verò mala opera, quorum voluntas ſigno aliquo prodita exteriùs eſt, ſi conatus aſſuit, etiamſi interclouſus, irrogatur pœna, etiam ab homine Iudice, præſertim in ſceleribus grauioribus, quæ omni via auertò intereſt. In minuſculis autem culpis, præſertim ſi tentatio non interuenit, diſſimulat humanus Iudex, quamuis conſilium conceptum non eum fugiat.

Contrahitur abſque ſupplicij irrogandi prænotione.

468. Iam quoad alterum punctum conſiderandum circa condignitatis huius contractionem, dicendum eſt, ſupplicij condignitatem vt plurimùm contrahi, etiamſi qui male operabatur, nullatenus prænouerit ſupplicium irrogandum. Vt plurimùm enim non eſt neceſſe pœnam prænoſci, vt incurratur eius debitum. In quo pœna à culpa differt. Nam vt ratiocinatur D. Thomas in 4. d. 18. q. 2. art. 5. quæſtiuncula 2. principium culpæ eſt nobis internum. Et quia totius interni progreſſus principium eſt cogitatio, idcircò vt culpa contrahatur, neceſſe eſt interuenire eius notitiam At principium pœnæ extra nos eſt; Nec obligatio ad eam ſubeundam exurgit ex conſenſo ſubeuntis, terminato ad ipſam pœnam, ſed ex conſenſu in peccatum, cuius iuſtum ſtipendium eſt pœna. Et idcircò Ethnici vel Athei, non effugerent illa ſupplicia æternùm infligenda, etiamſi ea ignoraſſent inuincibiliter. Plura in hanc rem Couarruuias in cap. *Alma mater.* p. 1 §. 0. numer 9. contra quem tamen hæc doctrina reſtringenda eſt ad pœnas illas, quarum debitum non ſupponit contumaciam. Quæ enim contumaciam ſupponunt (quicquid idem Auctor contra contendat) non incurruntur ſi deſit earum ignorantia: Atque adeò niſi conſenſus in cauſam pœnæ terminetur in eam cauſam prout pœnæ cauſa eſt. Vide Sanchem l. 9. de matrim d. 32 num. 13. & 21 Suarem t. 5. 3. partis, d 4. ſ 9. num. 19 Azorium t. 1. l. . cap. 1ſ. q. 3. Aulam p. 2. cap. 5. diſp. 5. dub. 7. & quos illi proferunt.

Suppono tamen ad pœnæ condignitatem contrahendam, ſiue pœna præſciatur, ſiue non, neceſſe eſſe, malitiam operis non latere. Nam ſi hæc inuincibiliter ignoraretur, nemo non videt abfuturam pœnæ condignitatem, quia debitum pœnæ eſt germen culpæ, quæ per eam ignorantiam intercluderetur: obſtructo autem fonte, exareſcere riuum neceſſe eſt. Quod latiùs confirmant Salas 1. 2. tract. 13. d. 5. num. 110. & Suares l. 5. de leg. cap. 12. numer. 3. qui ibidem numer. 2. proportione ſeruata ad ea, quæ ſuprà notauimus de culpa, rectè aduertit, cùm pars malitiæ inuincibiliter latet, quamuis alia appareat non incurri debitum ſupplicij quod reſpondet malitiæ inuincibiliter ignoratæ Et idcircò rectè ſtatuit adulterum, qui ignorata mulieris conditione, putat ſe cum ſoluta inquinari, ſolius fornicationis reum eſſe, nec obnoxium effici pœnis grauioribus adulterio conſtitutis, & ita in ſimilibus.

Nulla reo obligatio, aſſumendi vltrò pœnam.

469. Quoad reum, ſtatuo in primis, nullam illi ex natura rei iniici neceſſitatem, vt pro admiſſis peccatis pœnam vltrò aſſumat. Nullum enim agnoſco naturale præceptum, quo is qui deliquit ad id aſtringatur, non modò vt homini fortè per illud delictum læſo, ſed neque vt Numini per peccatum violato iuſta ſatisfactio exhibeatur. Eſt quidem cuivis ex quo peccauit, & in alium iniurius fuit, certa neceſſitas tollendi iniuriam irrogatam. Id tamen alia ratione præſtari poteſt, quàm voluntaria aſſumptione ſupplicij condigni: Quam proinde nego eſſe ex natura rei neceſſariam; repudióque naturale illud præceptum, quod Canus releċt. de pœnit p. 3. & 4. & Val t. 4. d. 7. q. 14. p. 4. in hac parte vrgere ac vigere dicunt, reclamantibus meritò Vega l. 13. in Trid. c. 22. & Henrique l. 5. cap. 10 n. 1. qui alios adducit. Cuius enim virtutis eſſet præceptum illud? Iuſtitiæ certè, (ex qua maximè pendere poſſe videtur ea obligatio,) nullum idcircò ingeneratur damnum nouum, ſed ſatis conſulitur indemnitati alieni iuris, ſi qui deliquit, ſubiiciat ſe voluntati ſuperioris, à quo iuſta pœna inferri poteſt Atque ita quandiu ſuperior ſilet, non eſt inferior adigendus ad voluntariam coërcitionem ſui ipſius. Sed neque adigendus eſt, vt ſuperiorem adeat, & ab eo ſupplicium extorqueat: Quod Syneſius epiſt. 44. non tam quòd ad id aſtrictum reum quendam cenſeret, quàm vt ea generoſa ſupplicij iuſti expetitione, facilior eſſet ad ſceleris expiationem aditus, Ioanni cuidam grauiter infigit.

Vel ſibi inferendi conſtitutam, non omninò leuem.

Quinimò conſtituta iam per ſuperiorem pœna, vrgendus non eſt, vt eam ipſe ſibi inferat; niſi leuicula ſit, & cuius demandatio ipſi reo facta non ſuperet imbecillitatem humanam, etiamſi abſque peccato poſſet ſibi eam infligere. Nimis enim durum & acerbum eſſet, vt in tali pœnarum genere, idem eſſet agens & paſſum. Plenè id confirmant Suares 5. de leg. cap. 10. à num. 11. vaſq 1. 2. d. 73. cap. 2. & Salas . . tract. 14. d 15. in 8. Eſtque ea ſententia commodior quàm duæ extremæ, quarum altera reum obſtringi poſſe ait ad executionem omnem ſupplicij conſtituti, dummodo non ſit iniuſtum, cuiuſmodi eſſet occidere aut truncare ſeipſum. Docet eam D. Thom. 1. 2. q. 69. art 4. & Carbo l. 2. de lege pœn. cap. 3. Altera quam tradit Couarr. 1. var. cap. 2. num. 10. vniuersè negat, teneri poſſe reum ad pœnam ſibi ipſi inferendam, etiam ſi talis ſit quæ humanam æquitatem & moderationem debitam non excedat.

Quid varij de eius declinatione,

An verò pœnam grauem iuſtè conſtitutam, aliena manu inferendam, ita teneatur reus excipere, vt non modò poſitiuè reſiſtere & contraniti nequeat, quod certum eſt; ſed etiam ſubducere ſeſe non poſſit, ſi facultas ſuppetat, quæſtio eſt, quam Couarruuias ſuprà verſat, concludens numer. 7. reum iure ſuo vtentem, & ſuæ in ea ſubductione incolumitati proſpicientem, nullius culpæ inſimulandum eſſe. At contrarium tradit fusè Comitolus 4. reſp. quæſt, 15. à numer. 7. Hæc quoad reum.

Mollities præfectorum in pœnis irrogandis, quàm noxia.

470 De ſuperiore, eóque cuius muneris eſt pœnam malefactis decernere, & vt infligatur, inuigilare, illud in primis annotandum: cauendum illi eſſe, ne ſpecie humanitatis, & falſæ miſericordiæ, (quæ veriùs crudelitas eſt, vt S. Auguſtinus Epiſt. 50.

rectè monet,) iuſti ſupplicij irrogationem prætermittat, ſementem ſcelerum ea remiſſione facturus. Quo ex capite, meritò culpantur, qui mollitie nimia fouent peccata, vt Petrus Damiani opuſc. 8. cap. 4. rectè proſequitur Theodoricus Rex apud Ennodium de vita B. Epiphanij egregiè in hanc rem diſſerit. Cùm enim B. Epiphanius apud Regem illum remiſſionem noxæ Ticinenſium vrgeret, & culpas dimittere cœleſte eſſe, vindicare terrenum diceret; Chriſti quoque patientiam in noxios allegaret, reſpondit Theodoricus. [Pietatis dulcedinem cenſuræ pellit vtilitas. Exemplorum cœleſtium teſtimonio aſſertio mea nititur. Offendiſſe legimus Principem qui cœlitùs deſtinatum, nec inimicum ſubduxit exitio. Pœnam meruit lenitas, quam potuit intuliſſe diſtinctio. Vltionem ſuſcepit qui detrectat inferre: Vim diuini iudicij aut attenuat, aut contemnit qui hoſte ſuo cum potitur, indulget. Iuſtitia coërcendi ſunt, quos conſtat gratiam non ſecutos. Vitia tranſmittit ad poſteros, qui præſentibus culpis ignoſcit. Nam quod de Redemptoris noſtri potentia loqueris, illos verè amplectitur lac gratiæ, quos auſteritas legis informat. Nunquam à medico ad pleniſſimam curationem æger adductus eſt, niſi ab illo qui primùm putrida ferro membra deſecuit, & latentem penitus è ſinu viſcerum produxit illuuiem Qui criminoſos patitur impunè tranſire, ad crimina hortatur inſontes.] Ferrandus Diaconus paucis ſed benè hoc confirmat in parænet. ad Rheginum ferè in fine, verbis illis. *Solet maxima poteſtas, habenas laxare peccatis, quoties falſa felicitas, ipſa fit maior infelicitas: vt quia prohibere nemo audet ſcelera committentem, aut libeat quod non licet, aut licere putetur omne quod libet.* Præiuerat S. Auguſtinus 19. ciuit. c. 16. his præter cætera. *Sicut non eſt beneficentia, adiuuando efficere vt bonum quod maius eſt amittatur, ita non eſt innocentia, parcendo ſinere vt in malum grauius incidatur. Pertinet ergo ad innocentis officium, non ſolùm nemini malum inferre, verum etiam cohibere à peccato vel punire peccatum, vt aut ipſe qui plectitur corrigatur experimento aut alij terreantur exemplo* Pulchrè item S. Cyprianus lib. de lapſis. *Qui peccatum blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem ſubminiſtrat: nec comprimit delicta ille, ſed nutrit. At qui conſiliis fortioribus redarguit ſimul atque inſtruit fratrem, promouet ad ſalutem.* Quos diligo, *inquit Dominus,* redarguo & caſtigo. *Sic & oportet Dei Sacerdotem, non obſequiis decipientibus fallere, ſed remediis ſalutaribus prouidere. Imperitus eſt Medicus. qui tumentes vulnerum ſinus, manu parcente contrectat, & in altis receſſibus viſcerum virus incluſum dum ſeruat, exagerat. Aperiendum vulnus eſt, & ſecandum & putaminibus amputatis, medela fortiore curandum Vociferetur & clamet licèt & conqueratur æger impatiens per dolorem, gratias aget poſtmodùm, cùm ſenſerit ſanitatem.* Neque verò ſeueritatis inde vitandum eſſe quempiam quod caſtiget commeritos, ſed potius à bonitate eſſe celebrandum, docent quæ habet S. Ambroſius ſerm. 9. in Pſalm. 118. v. 1. agens de Deo caſtigante. Seueritatem enim illam Dei, eſſe bonitatem, his præter cætera confirmat. *Accuſes neceſſe eſt medicum crudelitatis, quia putrefactas vulnerũ fibras ferro putauerit excedãdas; quia noxia & ſerpentia vlcera igni adußerit, ne virus in vlteriora proſerperet; vel quia magiſter diſcipulum verberauerit negligentem, vt metu verberum induceret diligentiam Caſtigare enim amantis eſt, non execrantis: & ideò bonitatis eſt, non crudelitatis.*

Cauenda iiſdem, in plectendo, impotentia animi.

E contrà item cauenda præceps ad ſupplicij irrogationem voluntas, cui vt plurimùm tranſgreſſio finium recti & æqui, adiuncta eſt, homine per æſtum illum & iudicij obnubilationem non ſatis perſpiciente, quid ferat culpa; & vltra terminos iuſti abrepto, per impotentiam animi. Ita egregiè monet Seneca l. 1. de Clem. cap. 14. Similia item inſigniter Caſſiodorus l. 7 epiſt. 1. & latè Ferrandus Diaconus in parænesi ad Reginum de pij ducis officiis, *in ſexta innocentiæ regula,* qua tractat illud *Noli eſſe multum iuſtus.* Quid quòd voluntas ad pœnæ irrogationem procliuis, eam plerunque reddit caſſam, & fructum eius vniuerſum excludit. *Nonne* verba ſunt Senecæ l. 1. de Clement. c. 16. *peßimus pater videbitur, qui aſſiduis plagis liberos etiam ex leuiſſimis cauſis compeſcet? Vter autem præceptor liberalibus ſtudiis dignior, qui excarnificat diſcipulos, ſi memoria illis non conſtiterit, aut ſi parum agilis in legendo, oculus hæſerit; an qui monitionibus & verecundia emendare ac docere malit? Tribunum Centurionémque da ſæuum: Deſertores faciet. Quibus tamen ignoſcitur: Nunquid nam æquum eſt, grauiùs homini & duriùs imperari, quàm imperatur animalibus mutis? Atqui equum non crebris verberibus exterret domandi peritus magiſter. Fit enim formidoloſus & contumax, niſi eum tactu blandiente permulſeris. Idem facit venator, qui inſtituit catulos veſtigia ſequi, quique iam exercitatis vtitur ad excitandas vel perſequendas feras Nec crebrò illis minatur. Contunditur enim animus, & quicquid eſt indolis comminuitur trepidatione degeneri. Nec licentiam vagandi errandique paſſim concedit. Adiicias his licet, tardiora agentes iumenta: quæ cùm ad contumelias & miſerias nata ſint, nimia ſæuitia coguntur iugum detrectare.*

Aurea igitur mediocritas in hac parte tenenda, vt neque præceps atque adeò nimia ſit pœnæ irrogatio, neque nimiùm languida & ſcelerum per impunitatem incentrix ſit, quod frequens experimentum teſtatur. planéque meritò Nazianzenus orat. 39. *in fine* damnans Nouatianorum leges quas ſupra hominis captum fuiſſe ait, & morum correctionem ſuſtuliſſe per deſperationem; ſubdit: *In eodem initio ſunt, indulgentia omnino animaduerſionis expers, & condemnatio veniæ omni carens: Illa omnes habenas laxans, hæc ob vehementiã ſtrangulans.* Quare tenenda, vt dicebam, mediocritas.

Publica ſcelerum vindicatio, honeſtißima.

471. Vt ad hanc mediocritatem, ſuperiores, quibus ea cura incumbit, adducamus, ſubiiciendum eſt, quanta ſit vindicationis huius publicæ. iis quos poſui finibus temperatæ, honeſtas & obligatio. Non enim fortiùs ad id calcar adhiberi poſſe videtur, quàm ſi moderata iuſtæ vltionis expetitio, ea honeſtatis prædictæ conſideratione concitetur. Quòd ergo vindicatio publica, ſit actus honeſtiſſimus, dubitare non licet, & præter rationem mox ſubdendam, quæ ex læſi & communitatis iure dicitur, vrgere in primis poſſumus diuinam Iuſtitiam vindicatiuam, quam cum diuina ſanctitate & bonitate rectè cohærere, optimè contra Iuliani Apoſtatæ blaſphemiam diſputat S. Cyrillus l. 3. aduersùs eum, ad t. 1. probátque ex Platone, obiectu diuinæ Iuſtitiæ vltricis, impios à ſceleribus abſterrente. Quod argumentum in ſimili cauſa latè vrget, & ex Platone item confirmat Clemens Alexandrinus 1. pædag c. 8.

Argumentatur item Cyrillus ex eo quòd decet

Bonum

bonum non ferre mala, quæ coërcere poſſit, ac debeat. Item ex eo quòd conſtet, ſupplicia iuſta eſſe veluti vincula, quibus improbitas conſtringitur, ne licenter in quidvis tetrum feratur: quod impedire, negat ab vllo ſanæ mentis homine damnandum. Et alioqui ſanè damnandas fore ait leges omnes, quibus firmandis Legiſlatorum prouidentia rectè ſupplicium adiunxit, tanquam retinaculum ſceleris. *Publicum gladium* inquit Syneſius epiſt. 121. *Non minùs quàm luſtralis aqua, quæ in templorum veſtibulis collocatur, ciuitatis eſt piaculum.* Quid verò ciuitatibus ac regnis fieret, in tanta hominum ad ſcelera propenſione, ſi hæc Iuſtitia non accederet tanquam frænum? *Determinata à lege pœna*, ait ex Hermaco Porphyrius l. 1 de abſtin. *temerarios continet homines, & impedit quò minùs in publicam & priuatam peccent impunè vtilitatem. Si enim omnes ex æquo poſſent intueri, & in memoriam reuocare vtilis naturam, non indigerent legibus, ſed ſponte cauerent quod ab eis interdicitur, facerénque iniuncta. Vtilis enim & nociui theoria, ſacis idonea eſt & ſufficiens, ad fugam mali & electionem, boni quenque diſponere. At pœna præſcribitur in rerum honeſtarum improuidos; cogitque imminens, animoſis imperare affectibus, ad conatus nefarios prauáſque actiones impellentibus, atque tandem vi reuocat à male ad honeſtè agendum.*

472. Accedit Plato 9. de leg. *Profectè* inquit, *legum optimarum officium eſſe dicimus, ita animos hominum inſtituere, vt oderint iniuſtitiam: iuſti verò naturam, vel diligant, vel ſaltem non oderint ſiue operibus, ſeu verbis Legiſlator id aſſequatur, ſeu voluptate, ſiue dolore, vel honore, vel infamia, aut pecunia mulctando aut donis, aut alio quouis modo id faciat. Quos verè inſanabiles Legiſlator eſſe ſenſerit, vltimo ſupplicio hos afficiet: Nam horum exemplo, à peccato cæteri deterrentur, & improbis hominibus ciuitas ipſa mundatur.* Et rurſus. *Nullo modo ſupplicium lege factum, ad malum tendit: ſed duorum alterum ferè ſemper ſolet efficere: nam aut melior, aut certè minùs prauus, qui pœnas dedit, fieri ſolet.*

Ariſtoteles quoque 10 Eth. cap. 9. [Non ſatis tamen fortaſſe eſt, ſi quando adoleſcentes ſunt homines, educationem rectam & curam conſequantur: ſed cùm in viros quoque adulti debeant ipſa hæc exercere, atque aſſueſcere, ad hæc etiam, & omninò ad omnem vitam, opus legibus eſt. Pleríque enim neceſſitati potiùs quàm rationi & mulctis quàm honeſtati obediunt. Quapropter ſunt qui Legiſlatores cenſeant inuitare ad virtutem, ac prouocare homines honeſtatis causâ debere: eò quòd probi ex conſuetudine præcipuè obtemperaturi ſint: illis verò qui non parent, ſúntque natura inertiores, caſtigationes & pœnas irrogare; qui autem inſanabiles ſunt, prorſus exterminare. Probum enim & qui ad honeſtatem viuit, rationi eſſe obediturum: prauum autem voluptatem appetentem, non ſecùs ac iumentum dolore puniri. Vnde etiam tales dolores exhiberi oportere inquiunt, qui voluptatibus, quæ amantur, maximè aduerſentur.] Multa in eandem ſententiam diſputat Petrus Damiani toto opuſc. 57. & Lactantius l. de ira Dei c. 17. & Chryſoſt. homil. 9. in ad Rom. *in morali.*

473. Ego accommodatiorem huic loco arbitror elegantiſſimam & moderationis pleniſſimam Senecæ diſputationem l. 1. de ira, c. 5. & 6. Aſſtruens enim Iuſtitiam & honeſtatem caſtigationis improborum, negat eam caſtigationem reuera nocere, aitque mederi ſpecie nocendi. [Quemadmodum, *inquit* quædam haſtilia detorta, vt corrigamus adurimus; & adactis cuneis, non vt frangamus ſed vt explicemus, elidimus; ſic ingenia vitio praua, dolore corporis animique corrigimus. Nempe Medicus primò in leuibus vitiis tentat non multùm ex quotidiana conſuetudine inflectere, & cibis, potionibus, exercitationibus ordinem ponere, ac valetudinem tantùm mutata vitæ diſpoſitione firmare. Proximum eſt vt modos proficiat: ſi modus & ordo non proficit, ſubducit aliqua & circumcidit: Si ne adhuc quidem reſpondet, interdicit cibis, & abſtinentia corpus exonerat. Si fruſtrà molliora ceſſerunt, ferit venam, membríſque ſi adhærentia nocent, & morbum diffundunt, manus affert. Nec vlla dura videtur curatio, cuius ſalutaris effectus eſt. Ita legum præſidem, ciuitatíſque rectorem decet, quandiu poteſt, verbis & his mollioribus, ingenia curare, vt facienda ſuadeat, cupiditatémque honeſti & æqui conciliet animis, faciátque vitiorum odium, pretium virtutum. Tranſeat deinde ad triſtiorem orationem, qua moneat adhuc & exprobret. Nouiſſimè ad pœnas, & has adhuc leues & reuocabiles decurrat. Vltima ſupplicia ſceleribus vltimis ponat, vt nemo pereat, niſi quem perire, etiam pereuntis interſit. Hoc vno medentibus erit diſſimilis, quòd illi quibus vitam non potuerunt largiri, facilem exitum præſtant. Hic damnatum, cum dedecore & traductione vita exigit, non quia delectetur vllius pœna. (procul eſt enim à ſapiente tam inhumana feritas:) ſed vt documentum omnium ſint: & qui viui noluerunt prodeſſe, morte certè eorum Reſpublica vtatur.

Expoſiti nonnulli, quibus ſcelerum caſtigatio in ſpeciem improbata.

474. Ex iis, & iuſtitia irrogati ſontibus ſupplicij, & mens Stoïcorum innoteſcit. Liquet enim eos, ad quorum amuſſim Seneca omnia dirigit, planè cenſuiſſe, fas eſſe ſontes plectere, eóſque tametſi commiſeratione digni ſint ob mentis cæcitatem, qua facinus pœna dignum admiſerunt tamen ſupplicio quoque dignos eſſe: contrà quàm aliqui, eorum ſententiam interpretantur ob quædam Epicteti verba apud Arrianum l. 1. c. 18. & ſimiles multas Antonini ſententias, recenſitas cùm de odio. Sed Epictetum commodè aliter expoſui, agens de ſcelere homicidij, & iuſta eius punitione. Antoninus verò benignè exponendus eſt de commiſeratione impendenda iis, de quibus ſuppliciũ ſumitur: quamuis non idcircò iuſti ſupplicij irrogatione abſtineatur. Ferinum enim & crudele eſſet, ſæuire in alium eiuſdem naturæ conſortem, etiam ſenſu doloris ob iuſtam vindictam negato.

Videri item poteſt huic pœnarum irrogationi, ſaltem per Chriſtianos Iudices, aduerſatus Autor Pelagianus libelli de diuitiis, qui nomine Sixti tertij circumfertur. Latè enim Autor, ſub libelli illius initium, inter alia diuitiarum mala numerat, quòd diuites ad poteſtatem iudiciariam prouehantur, & eorum mandato carnifices, ſimilem naturam aut plumbo conlidant, aut fuſtibus frangant, aut vngulis ſcindant, aut ignibus concrement: quod inhumanitatis damnat, ſeueréque à Deo plectendum affirmat. Verùm aut de iis tantùm Iudicibus agit prætenſus ille Sixtus, qui ex affectu crudelitatis, & ad aliquam fortè priuatam iniuriam vindicandam, ſæuiunt in immerentes, vt quædam eius verba ſubindicant: vel planè exſibilandus eſt. Præſertim cùm totum illud opus fartum ſit aliis erroribus craſſiſſimis, vt mirum ſit, aliquos oſcitanter perlecto Opere, & mendaci eius fronte deceptos, illud pro germano Sixti Pontificis Opere obtruſiſſe.

Ea caſtigatio, operi & operantis admittenda, & qua caſtigantis mente ac modo.

Honeſtiſſimum igitur eſt quin etiam ex iuſtitiæ lege & communitati & parti læſæ debitum, irrogare ſontibus ſupplicium. Hoc debitum eſſe iuſtitiæ poſteà euincam. Nunc tantùm aio, vt vindicta ſit honeſta, prouidendum vltori eſſe, vt eam in pœna irroganda moderationem teneat, quà ſecundùm delicti grauitatem, ſit & plagarum modus: non tantùm ſpectato opere, ſed etiam conditione operantis. Vt propterea rectè illud à Seneca l. 1. de ira. c. vlt. inter æqui Iudicis partes numeratum ſit; *Nonnunquam magna ſcelera leuius quam minora compeſcet, ſi illa lapſu, non crudelitate commiſſa ſunt. His ineſt latens & operta & inueterata calliditas Idem delictum in duobus non eodem modo afficiet, ſi alter per negligentiam admiſit, alter curauit vt noceus eſſet.*

475. Curandum inſuper eſt ad huius vltionis honeſtatem, vt Iudex, non ex animi impotentia ſed iuſtitiæ amore, & coërcendorum ſcelerum gratia, feratur in vltionem. ideóque quaſi inuitus deſcendat ad ſumendum ſupplicium. Id vt Magiſtratum commouerent, Romani, faſces poteſtatis inſigne & publicæ vindictæ ſymbola, in hunc modum confectos præferebant. Detractis ex arbore betula virgis, ita includebant ſecurim, vt ferri acies in ſummitate emineret: reliquum ſecuris, tegeretur & alligaretur loro circunducto: Id ſignificantibus iis qui hoc genus inuenti induxerunt in Remp. iram publicam non debere eſſe præcipitem, ſed ægrè, nec niſi graui ex cauſa debere exſolui. Autor Plutarchus in problem. Rom. num. 81.

Et in hunc ſenſum accipio illuſtrem Senecæ locum l. de ira, c. 5. & 16. ei quem ſuprà iam adduxi ex parte geminum, in quo apparet aliquid, quod non immeritò improbaretur, ſi aliter acciperetur, quàm à me accipi dico. Negat iraſcendum latroni, iraſcendum venefico, ſed ſine ira inferendum ſupplicium, primò exiguum & leue poſteà aſperius, tandem extremum. [Ad coërcitionem, *inquit*, errantium irato caſtigatore non opus eſt. Nam cùm ira delictum animi ſit, non oportet peccata corrigere peccãtem. Quid ergo? non iraſcar latroni? non iraſcar venefico? Non. Neque enim mihi iraſcor cùm ſanguinem mitto. Omne pœnæ genus, remedij loco admoneo. Tu adhuc in prima parte verſaris errorum, nec grauiter laberis, ſed frequenter. Obiurgatio te primùm ſecreta, deinde publica emendare tentabit. Tu longiùs iam proceſſiſti, quam vt poſſis verbis ſanari. Ignominia non continceberis. Tibi fortius aliquid, & quod ſentias, inurendum eſt. In exilium & loca ignota mitteris. In te duriora remedia iam ſolida nequitia deſiderat; & vincula publica, & carcer adhibebitur. Tibi inſanabilis animus eſt, & ſceleribus ſcelera contexens, & iam non cauſis, quæ nunquam malo defuturæ ſunt, impelleris: ſed ſatis tibi eſt magna ad peccandum cauſa peccare. Perbibiſti nequitiam, & ita viſceribus immiſcuiſti, vt niſi cum ipſis exire non poſſit. Olim miſer mori quæris: benè de te merebimur Auferemus tibi iſtam qua vexaris inſaniam, & per tua alienáque volutato ſupplicia, id quod vnum bonum tibi ſupereſt, repræſentabimus, mortem. Quare iraſcar. cui cùm maximè proſum, interim optimum miſericordiæ genus eſt, occidere? Si intraſſem valetudinarium exercitatus & ſciens, non idem ſuperaſſem omnibus erad diuerſa ægrotantibus. Varia in tot animis vitia video, & ciuitati curandæ adhibitus ſum: pro cuiuſque morbo medicina quæratur Hunc ſanet verecundia, hunc peregrinatio, hunc dolor, hunc egeſtas, hunc ferrum. Itaque etſi peruerſa induenda Magiſtratui veſtis, & conuocanda claſſico concio eſt, procedam in tribunal. non furens, neque infeſtus, ſed vultu legis: & illa ſolennia verba ſeuerâ magis grauique quàm rabida voce concipiam: & agi iubebo, non iratus, ſed ſeuerus: Et cùm ceruicem noxio præcidi imperabo, & cùm parricidam inſuam culleo. & cùm mittam in ſupplicium militare, & cùm Tarpeio proditore m hoſtémque publicum imponam, ſine ira eo vultu animóque ero, quo ſerpentes & animalia venenata percutio.]

Itaque planè hunc locum accipio, vt dixi: Nimirum vt duntaxat amoliatur Seneca à Iudice, animi impotentiam, & effrænationem illam, quam ira immoderata impotentibus animis immittit: & ab eodem Seneca latè exagitatur l. 3. eiuſdem Operis, à cap. 17. Alioqui enim tam impoſſibile eſt, velle iuſtum ſupplicium in vindictam ſceleris abſque ira, quàm velle vindictam abſque vindictæ appetitu, quæ eſt iræ definitio ſaltem inadæquata, vt ſuo loco exponam. Et verò poſtmodùm ipſemet Seneca, ſuſpicionem quandam & vmbram affectus; leuem inquam aliquem tenuémque motum in eo euentu concedit, quem de ira, ad eam quam dixi mediocritatem redacta, licet accipere. Sed illud dictum quod ibidem ait, bonum Iudicem damnare, non odiſſe improbanda. Niſi ſi id eodem modo molliatur, déque odio impotente dictum ſit. Alioqui enim extra dubium eſt, cuiuis probo, & Iudici maximè, odio habendam improbitatem.

476 Hunc quem dedi ſenſum loci prædicti, apertè ferunt verba illa ex cap. vlt. eiuſdem libri, quibus iram, quam à Iudice pœnam irrogante abhorrere ſtatuit, ita deſcribit. [Habet iracundia hoc mali, non vult regi. Iraſcitur veritati ipſi, ſi contra voluntatem ſuam apparuerit. Clamore, & tumultu, & totius corporis iactatione, quos deſtinauit, inſequitur. adiectis conuitiis maledictiſque. Hoc non facit ratio: Sed ſi ita opus eſt, ſilens quietáque, totas domos funditùs tollit, & familias Reipub. peſtilentes, cum coniugibus ac liberis perdit, tecta ipſa diruit, & ſolo exæquat, & inimica libertati nomina extirpat. Hæc non frendens, nec caput quaſſans, nec quicquam indecorum Iudici faciens, cuius tum maximè placidus eſſe debet, & in ſtatu vultus, cùm magna pronunciat, Quid opus eſt, inquit Hieronymus, cùm velis cædere aliquem, priùs tua labia mordere? Quid ſi ille vidiſſet deſilientem de tribunali Proconſulem, & faſces lictori auferentem, & ſua veſtimenta ſcindentem, quia tardiùs ſcindebantur aliena? Quid opus eſt menſam euertere? Quid pocula affligere? Quid ſe in columnas impingere? Quid capillos euellere, femur pectúſque percutere? quantam iram putas, quæ quia non tam citò in alium quàm vult, erumpit, in ſe reuertitur? Tenetur itaque à proximis & rogatur, vt ipſe ſibi placetur, quorum nihil facit quiſquis vacuus ira, meritam cuique pœnam coniungit.]

Eodem pertinet illa Iuſtitiæ ex Chryſippo deſcriptio apud Gellium l. 14 cap. 4. cuius verba appendo. *Facit* Chryſippus *imaginem Iuſtitiæ, fieríque ſolitam eſſe dicit à pictoribus Rhetoribúſque antiquioribus, ad hunc fermè modum. Forma atque filo virginali; aſpectu vehementi & formidabili, luminibus oculorum acribus; neque humilis, neque atrocis, ſed reuerendæ cuiuſdam triſtitiæ dignitate, Ex imaginis autem iſtius ſignificatione intelligi voluit, Iudicem, qui Iuſtitiæ antiſtes eſt, oportere eſſe grauem, ſanctum, ſeuerum, incorruptum,*

corruptum, inadulabilem, contra improbos nocenteſque immiſericordem atque inexorabilem, erectúmque & arduum, ac potentem, vi & maieſtate æquitatis veritatiſque terrificum. Videndus de recta mente ſuperioris inferiorem plectentis Gal. Pariſ. l. de moribus cap. 8.

Diſcuſſio cauſæ, exactè præmittenda,

Cauendam item eſſe in mulcta falſitatem, ne videlicet ſupplicium immerenti inferatur ex indiligenti vel falſa cauſæ diſcuſſione, in hunc modum prodit Plato 12. de leg. *Cauere pro viribus debet quiſquis aliquem mulctaturus eſt, ne ſponte aut inuitus, ſupplicium mulctámve falsò & non meritò inferat. Iudicium enim virgo quædam pudica eſſe verè dicitur. Pudori autem atque iudicio ſecundum naturam, odio mendacium eſt.* Diceres Platonem omninò aſtipulari ſententiæ illi, quam vniuerse tradit Tartaretus 5. Eth. q 13. ac Gellius l. 4. cap. 2. & recte quoad grauia ſupplicia ſequuntur plurimi recentiores, vt ſcilicet nullo modo liceat damnare innocentem cumpertum, quamuis ſcientia publica nocentem, reclamante licet Couarruuia 1. var. cap. 1. num. 6. aliíſque nonnullis. Sed hoc obiter. Quod autem ad propoſitam diligentem cauſæ diſcuſſionem attinet, egregie, eam confirmat priſcus vius, de quo in hunc modum S. Baſilius epiſt. 9. quæ eſt Euſtachium Sebaſtenum Epiſcopum. [Qui rerum in hoc mundo potiuntur, quando facinoroſum aliquem morti ſunt adiudicaturi, cortynas obducunt, & expertiſſimos quoſque ad cauſæ tractationem aduocant; multúmque temporis inſumunt, nunc legis rigorem contuentes, nunc naturæ communionem deſpicientes; multúmque ingemiſcentes, de iudicandi neceſſitatem deplorantes, nemini non manifeſtum faciunt, quod non ex propria libidine, ſed ex neceſſario legis miniſterio, condemnationis inferant ſententiam. *Attuliſſe videtur S. Baſilius ad illud ex lib. 2. conſtitut. Clem. cap. 52. aliàs 56.* Contemplamini iudicia ſecularia, quorum poteſtate videmus trahi parricidas, adulteros, veneficos, ſepulchrorum violatores, latrones. Hi enim ſtatim vt ab iis qui reos in iudicio ſiſtunt, quæſtiones de eis habitas acceperunt, quærunt ex maleficio ipſo an ita ſe res habeat. Ille verò ſi ait, non ſtatim mittitur ad ſupplicium, imò pluribus diebus cum multa deliberatione & conſultatione, ac interiecto velo, inquiritur in eum. Poſtremò qui ſuffragium de capite contra eum laturus eſt, ſublatis manibus Solem teſtatur, innocentem ſe eſſe ac mundum à ſanguine hominis illius. Itaque iſti quamuis Gentiles, qui neque Deum nouerunt neque ſciunt vindicari à Deo eos qui innocentes condemnati ſunt, tamen cauent.

Varij caſtigandi fines, expenſi.

477. Ad hanc normam exacta ſupplicij irrogatio, iuſtiſſima eſt, ſiue in eum finem inferatur, vt ſcelera præcaueantur; (quo pacto ſupplicium habet rationem medicinæ:) ſiue irrogetur, vt ſcelera admiſſa puniantur; quo pacto habet veram rationem pœnæ. Illum duntaxat priorem finem, in pœnæ irrogatione approbat Seneca 2. de ira, cap. 31. *Ne viperas quidem*, inquit, *& natrices, & ſi qua morſu aut ictu nocent, affligeremus, ſi vt reliqua manſuefacere poſſemus, aut efficere ne nobis aliiſve periculo eſſent. Ergo ne homini quidem nocebimus, quia peccauit, ſed ne peccet. Nec vnquam ad præteritum, ſed ad futurum pœna referetur. Non enim iraſcitur, ſed cauet.* Et einſdem Operis l. 1. cap. vlt. *Hoc ſemper Iudex in omni animaduerſione ſeruabit, vt ſciat alteram adhiberi vt emendet malos; alteram, vt tollat. In vtroque non præterita, ſed futura intuebitur. Nam, vt Plato ait, nemo prudens punit, quia peccatum eſt, ſed ne peccetur. Reuocare enim præterita non poſſunt; futura prohibentur. Et quos volet nequitiæ malè cedentis exempla fieri, palam recidet, non tantùm vt pereant ipſi, ſed vt alios pereundo deterreant.* Loca Platonis in eandem ſententiam, habentur . & 1. de legib. itémque in Protagora & Gorgia. Cæterum hæc Platonis ac Senecæ doctrina, non eſt vſquequaque probanda. Veriſſimè quidem dicitur ſupplicij irrogationem ad emendationem morúmque mutationem eius qui deliquit, meritò ſæpe referri, luctuoſúmque eſſe quandiu mutationis illius facultas ſuperetit, ſi non ſubſequatur ſupplicium optata morum mutatio: Quod optimè pro more de diuinis in mortales ſupplicus æuo ſuo immiſſis, dixit Saluianus. *Curare*, inquit, *nos vult caſtigationibus ſuis Dominus, ſed curam remedia non ſequuntur. Quid hoc mali eſt? Iumenta ac pecudes ſectione curantur. Et putrefacta mulorum, aſinorum, porcorum viſcera cum adufta cauteriis fuerint, munus medica adiuſtio ſe agnoſcunt, ſtatimque vbi aut cremenia, aut deſecta fuerit vitiatorum corporum labes, in locum demortua carnis, viua ſuccedit. Nos & vrimur, & ſecamur: ſed nec ferri deſectione, nec cauteriorum adu ſtione ſanamur, imò quod eſt grauius, cura ipſa deteriores ſumus. Et ideò non fruſtra nobis euenit, quod euenire pecudibus & iumentis ſolet quæ irremediabiles morbos ferunt. Nam in omnibus partibus mundi quia curis medicantibus non corrigimur: occiſione finimur.* Hæc de intenta plerunque à Deo per caſtigationem correctione, veriſſimè dici non diffiteor: & agnoſco obfirmatam in ſcelere nequitiam corrigi neſciam, in cauſa frequenter eſſe, cur Deus extremam cladem inferat. Vel ex hac tamen in obduratos ſeueritate, conſtare poteſt, non ſemper caſtigationem ad correctionem noxij pertinere. Sed neque ad ſcelerum in aliis præcluſionem referri, contra quam cum Platone aiebat Seneca, inde diſcimus quod eo quoque fine ſepoſito, iuſta rependſio pœnæ, meritò intendi poteſt: in quo Seneca malè refragatur. Et ratio qua vtitur eſt admodum friuola. At enim non puniri impios quia peccauerint, eò quòd factum præteritum nequeat infectum reddi. Hanc dico eſſe friuolam rationem, quia non id quæritur ab eo qui ſupplicium infert, ſed vt iuſtitia vindex locum ſuum teneat. Idem ex Platone refert & approbare videtur Lactantius lib. de ira Dei, cap. 18.

Rectè ergo Taurus Philoſophus apud Gellium l. 6. c. 14. præter animaduerſionem, quæ vt attentior fiat qui deliquit, adhibetur, & exemplum, cùm ſcilicet pœna imponitur abſterrendis aliis, quam fuiſſe olim cauſam cur pro maximis grauiſſimiſque pœnis exemplum veteres dicerent: præter has inquam duas plectendi cauſas, tertiam profert in eo poſitam, vt contemptus autoritatis in quam peccatum eſt, auferatur, & dignitas eius authoritáſque conſeruetur: vnde & *τιμωρίαν* ab honoris conſeruatione ac tuitione dictam notat. Et meliùs adhuc adæquatiúſque eam cauſam expreſſiſſet, ſi dixiſſet iuſtam plectendi cauſam eſſe, vt culpa iuſto ſtipendio non careat; & quantùm quis malè ſibi in prauo opere placuit, tantùm pœnæ prudenter definitæ repoſitione triſtetur. Nam eam autoritatis violationem non eſſe adæ-

quatam iuſtæ punitionis cauſam, liquere poteſt ex dictis in ſimili circa fundamentum ſatisfactionis, quam quis vltrò, & non adactus à Iudice, exhibet ei quem læſerit Eam porrò quàm dixi, cauſam plectendi, iuſtam eſſe & legitimam, agnoſcit S. Auguſt. l. 1. de peccatorum meritis, cap. 16. & 34. conſtàtque ex prorogatione ſupplicij damnatorum vltra mundi finem, cùm iam non erunt, qui exemplo alienæ caſtigationis proficiant.

Cauillus in Philoſophum, circa proportionem in pæna irroganda ſeruandam.

478. Nunc iis conſtitutis, quæ ad iuſtam ſupplicij irrogationem exigi vidimus, expendendum reſtat, rectène ad iuſtam vindictam exigant aliqui, vt ſecundùm proportionem harmonicam irrogetur, contra quàm ſtatuiſſe referunt Ariſtotelem, quem aiunt ſenſiſſe, adhibendam eſſe in præmiis deferendis proportionem geometricam: in pœnis autem irrogandis, arithmeticam. Hoc Ioannes Bodinus l. 6. de Repub c. 6. grauiter carpit, affirmans Ariſtotelem ea aſſertione non modò philoſophica principia conuulſiſſe, quibus decernitur, de contrariis. ac proinde etiam de præmio & pœna, ſtatuendum eſſe ſimili modo: ſed etiam omnium retrò Iuriſconſultorum ac Legiſlatorum ſcita euertiſſe, eiſque ſuffragatos Hiſtoricos, Poëtas, ac Scriptores quoſcunque abieciſſe quorum indiciis mitiùs ſemper cum reis nobilibus actum eſt, quàm cum plebeiis ſimili ſcelere fœdatis. Id quod Bodinus lauſſimè demonſtrat, confirmétque Tiraquellus l. de nobilit. c. 20. à n. 108. & Bellus l. 2. Epimetri Politici, diſcurſu 32. & vniuerſaliter Conradus Brunus l. 5. de ſeditionibus, c. 4. & 5. demonſtrans pro perſonarum cùm delinquentium, tum in quas delinquitur varietate, pœnas ſemper fuiſſe varias quoad grauitatem, idque meritiſſimò. Subſcribit Bodino in hac Ariſtotelis reiectione & ſententia Ioannes à Cochier l. 2. aphoriſm. polit. c. 3.

Neuter porrò locum adducit; quo Ariſtoteles eam arithmeticam in pœnarum irrogatione proportionem ſeruandam decernit. Sed ſine dubio deſignare volunt caput 4. libri quinti Ethic. quo Ariſtoteles duplici proportione expoſita, ait, proportionem geometricam cerni in diſtributione publicorum bonorum. De alia autem proportione, ſubdit hæc verba. *Ius verò qui in commerciis eſt, eſt quidem æquum quoddam, & iniuria iniquum; non tamen illa conſtat proportione, ſed arithmetica. Nihil enim refert, probùſne vir malum, an malus probum ſuo priuarit: neque probuſne an improbus adulterium commiſerit: ſed ad ſolam nocumenti differentiam lex ſpectat, perindéque perſonis vtitur, ac ſi æquales ſint ſi ille iniuria afficiat, hic afficiatur; hic lædat, ille lædatur.* Et mox hoc ipſum ius, *vocat emendatiuum lucri & damni*, quam appellationem alibi quoque non ſemel vſurpat, vt vel ex ea videatur ſatis conſtare, emendationem delictorum iuxta Ariſtotelem fieri ſecundùm diuerſam proportionem, quàm fiat diſtributio publicorum bonorum.

Amonetur.

479. Verùm vt hinc initium faciam, vox *iuris emendatiui*, & *iuſtitiæ emendatricis*, non tam ſpectat irrogationem mulctæ pro culpa præterita, vt vocis cortex ſonare videtur, quàm reparationem iuris arithmetici violati, aut animaduerſionē an, ea violatio præceſſerit, vel alicunde immineat, ex quo munere tanquam frequētiſſimo & maximè proprio, cæteræ eiuſdem iuſtitiæ functiones innuuntur: vt perinde ſit dicere, iuſtitiam quæ in emendatione, ſiue exæquatione inæqualitatis inductæ verſatur; ac dicere iuſtitiam commutatiuam. Quod benè notauit Mocenicus in Inſtit. vniuerſal contemplat. 5. parte 1. cap. 19. Itaque Ariſtoteles eo loco, qui ſolus allegari poteſt pro ſententia quam ei tribuunt aduerſarij, nihil tale ſtatuit quale ei affingitur, nec decernit omnes ob idem delictum puniri debere eodem modo: ſed tantùm ſtatuit, vt violatio Iuſtitiæ commutatiuæ, & inæqualitas inducta ſarciatur eodem modo, à quocunque tandem inducta ſit. Quod eſt ſine dubio veriſſimum. Nam ſiue ignobilis & pauper ſit qui domino vnum aureum ſubduxit, ſiue diues & nobilis, vterque ad eiuſdem aurei reſtitutionem obſtringitur: quamuis deinde quoad ſupplicium pro illo furto debitum, non vt damnum datum reparetur, ſed vt iniuriæ, quatenus iniuria eſt, ſatisfiat, poſſit ac debeat eſſe inæqualitas: eò quòd conditio perſonæ faciat, vt eadem ſupplicij quantitas, ſit in vno longè auctior. Sicut enim iniuria, cui reſpondet ſatisfactio & ſupplicij irrogatio, creſcit vel decreſcit attentis perſonarum conditionibus. Quæ Ariſtoteles non eſt inficiatus. Quin potiùs cap. 5. libri quinti Eth. inde refellit contrapaſſum Pythagoricum. *Retaliatio*, inquit, *neque ad diſtributiuum ius, neque ad emendatiuum accommodatur. Volunt tamen Rhadamanti quoque ius hoc dicere.*

Si contra paſſus fuerit, quod fecerit idem,
Iudicium planè rectum vindictáque fiet.

Sæpenumerò enim diſſidet. Vt ſi magiſtratus quis gerens percuſſerit, repercutiendus non eſt: ſi autem magiſtratum gerentem quis percuſſerit, non ſolùm eſt percutiendus, ſed ſupplicio inſuper afficiendus.

Itaque omnis illa Philoſophi excogitatio ex conuulſione principiorum philoſophicorum, & abiectione communis ſenſus Doctorum, diſpares pœnas nobili & ignobili decernentium, vana eſt & caſſa. Deinde ea Philoſophi redargutio ſeipſam iugulat. Opponitur enim Philoſopho, quòd de contrariis diſpari modo philoſophetur, & cùm præmia diſtributa velit ſecundùm proportionem geometricam, ſecus tamen ſtatuat de ſuppliciis. At hæc culpa, aduerſariis quoque communis eſt. Nam & ipſi quoad præmia & communia bona Philoſopho ſubſcribunt. Quidni ergo eodem modo ſtatuunt, ſupplicia debere ſecundùm proportionem geometricam irrogari, vt ſi par contrariorum ratio, nec principia philoſophica ab ipſis conuellantur, æquè ac ab Ariſtotele conuulſa eſſe expoſtulant? Tandem ius illud harmonicum, medium inter geometricum & arithmeticum, eſt planè commentitium, cùm duo illa iura Ariſtotelica adæquata ſint, & diuiſum exhauriant, quod patet ex eorum contrapoſitione.

Nec plura de pœnarum condignitate formalem malitiam conſequente. Quæ enim ſpectant ad conſiderationem ſingularem pœnarum legibus conſtitutarum variis ſceleribus, immenſa propè ſunt: & inſtituti noſtri fines excidentia. Breuiculum earum petere licet ex Petri Gregorij Syntag. Iuris, l. 31. & ſequentibus: ac ex l. 2. Camilli Bordelli de Magiſtrat, cap. 8. & quoad Romanos ex Polleto l. 5. hiſtoriæ fori Romani, c. 19.

Vſus vituperationis & reprehenſionis loco pœnæ.

480. Poſſet in pleriſque ſceleribus pœnarum acerbitas præcaueri, ſi vituperatio, & malitiæ verbis facta caſtigatio, interueniſſet in tempore. *Nonne enim cogitur ferro ſuccidere robuſtam, qui adhuc tene-*

ram

ram, verbis curuat audaciam, vt eſt apud Caſſiodorum l. 7. epiſt. 1 Eſt igitur hæc quoque altera affectio malitiæ, præſertim tenerioris Nam quamuis quæ iam prouectior eſt, & quodammodò adulta, vituperationem quoque commereatur; tamen quòd mitiore illo non contenta fortius & robuſtius piaculum depoſcat. nempe ſupplicium, offuſcatur luculentioris præſentia quod obſcurius eſt, nec habetur vituperationis ratio, cùm ſupplicium inſuper conſtituitur Vtrobique tamen locum & fructum, ſaltem reſpectu cæterorum, habet vituperatio.

Egregie Clemens Alexandrinus 1. pædag. c. 8. [Eſt reprehenſio, veluti quædam Chirurgica affectionum animæ. Abſceſſus autem, veritatis affectiones, quas ſectione diuidentem oportet coarguere. Medicamentorum autem potioni aut applicationi, eſt ſimilis probri inſimulatio, quæ reſoluit occaſiones, quæ iam occalluerunt, impudicæq; & libidinoſæ vitæ ſordes expurgat, faſtúſque ac ſuperbiæ carnes, quæ excreuerunt, exæquat, ſanum ac verum hominem reparans ac reſtituens. Iam verò admonitio, eſt veluti quædam diæta ægrotantis animæ, quæ ſunt ſumenda, conſulit; & quæ non ſunt prohibet Hæc autem omnia tendunt ad ſalutem & ſanitatem æternam. *Et mox.* Eſt autem hoc genus ars quædam abſterſoria. Beneuolentiæ autem, non odij ſignum eſt, reprehendere. Ambo enim probrum obiiciunt, & amicus & inimicus: ſed inimicus quidem, irridens: amicus autem, bene volens. Non ergo propter odium Dominus homines maledictis inceſſit, quos cùm propter noſtra ipſorum ſcelera licuiſſet perdere, ipſe pro nobis paſſus eſt. Pædagogus enim, vt qui ſit bonus, admodum artificiosè. vel per maledictum ad vituperandum irrepit, maledicto tanquam flagello, mentis ſocordiam excitans. Rurſus autem eoſdem viciſſim conatur adhortari. Quos enim laus non mouit, eos incitauit vituperatio: & quos tanquam mortuos vituperatio non excitauit ad ſalutem, eos ad veritatem expergefacit maledictum. *Ibid. c. 9.* Reprehenſio & increpatio, ſicut vel ipſum Græcum nomen, nempe ἐπίπληξις, ſignificat, ſunt ipſi ictus animæ, qui peccata caſtigant & mortem prohibent: ad moderationem autem & Temperantiam deducunt eos, qui feruntur ad intemperantiam. Hac quidem certè ratione, Plato cùm ſciret maximas eſſe vires correctionis, & præcipuam purgationem; conuenienter ei quod dictum eſt. cum qui maximè impurus, vult ineruditum & turpem euaſiſſe, propterea quòd reprehendi non poſſet. *Tandem cap. 10. ſub finem*, reprehendere, dicitur etiam admonere, quod Græcè eſt νουθετεῖν. Admonitionis autem, quæ Græcè eſt νουθέτησις, etymologia eſt τοῦ ἐν τῷ νῷ τίθεσθαι, hoc eſt mẽtis immiſſio, quòd ſit increpatorium genus, quod mentem pariat.]

Eſt autem huius condignitatis latior & diffuſior ratio, quod præter eam vituperationem, quæ per publicam autoritatem decerni & inferri poteſt, alia præterea eſt veluti priuata, quam probus quiſque impendere prudenter poſſit. Vt enim ad probos & ſceleris puros vituperationem iſtam reſtringam, facit quod nihil ſit abſurdius, quam vt arguat alium, qui non ſit ipſe abſque labe, & Clodius accuſet mœchos, Catilina Cethegum. Nonnulla in hanc rem dicam, cùm de correctione, externo amicitiæ opere diſputabo, nec pauca quæ hoc facilè referantur, propoſui in Prologo informans morum Magiſtrum. Nunc obiter duntaxat hoc attingens, dico reprehenſionem & obiurgationem ab eo adhibitam, qui iis ipſis ſordibus inquinatur, quas in alio damnat, non modò inanem ac irritam fore, ſed & ridiculam, vel etiam odioſam. Quis enim ferat hominem, qui in quo alium reprehendit, ſeipſum condemnat, eadem agens quæ iudicat, vt præclarè dixit Apoſtolus Rom. 2 ? Quis verò ab huiuſmodi homine, de malè perpetrato opere correptus, non illicò in malè feriatum obiurgatorem, illud retorqueat, Hypocrita, eiice primum trabem de oculo tuo ? *Vobis vacat*, ait Seneca l. de vita beata, c. 27. aduersùs huiuſmodi importunos cenſores, *aliena ſcrutari mala, & ſententias ferre de quoquam? Puſtulas obſeruatis alienas, ipſi obſiti plurimis? Hoc tale eſt, quale ſi quis pulcherrimorum corporum næuos aut verrucas derideat, quem fœda ſcabies depaſcitur.* Ita enim ferè accidit per huiuſmodi impetiginem reprehendendi. vt minora aliena probra, damnet, iniuſtus, tetrioribus. Sed vt eſſet in ſordibus æqualitas, tamen reprehenſionis in eo euentu arrogatio ſ auctiorem & reprehenſibiliorem facit eius turpitudinem, qui verbis caſtigat alienam. [Et debet quidem vbique *ſermo operis vmbra* eſſe, vt ſapienter tradit Democritus apud Laërtium lib. 9. quòd ſcilicet vt vmbra ad corpus conſequitur, eíque conformatur, ita & ſermonem ex operibus exiſtere, iiſdémque congruere ſit conſentaneum: Hoc tamen non opportunum modò, verùm etiam planè neceſſarium eſt, cùm de verbis obiurgatoriis alienæ prauitatis agitur. Effrontem quippe haberi neceſſe ſit quem non ſuffundat, propriæ labis in alio reprehenſio, & qui aduersùs ſeipſum diſertus, alibi improbet & reciſum velit, quod in ipſo patiatur. Itaque S. Auguſtinus lib. 2. de ſerm. Dom. in monte, c. 30. de iis agens qui in aliis reprehendendis liberales ſunt, parci in ſeipſis ad virtutis normam exigendis, ait huiuſmodi vitium vel ſuperbiæ eſſe vel inuidentiæ: & accuſare vitia, officium eſſe bonorum virorum; quod cùm malefici agunt, alienas partes agunt: Sicut hypocritæ qui tegunt ſub perſona quod ſunt. & oſtentant in perſona quod non ſunt; eáque ex cauſa, ait ineptum huiuſmodi alienæ maculæ increpatorem, qua ipſe ſordeat dictum à Domino hypocritam, quem ſubdit in hac parte, multum cauendo, maximéque moleſto vitio laborare *Et ideò*, inquit, *piè cautéque vigilandum eſt, vt cùm aliquem reprehendere vel obiurgare nos neceſſitas coegerit, primum cogitemus, vtrùm tale ſit vitium, quod nunquam habuimus, vel quo iam caruimus Et ſi nunquam habuimus, cogitemus & nos homines eſſe, & habere potuiſſe. Si verò habuimus & non habemus, tangat memoriam communis fragilitas*, &c. *Si autem cogitantes noſmetipſos inuenerimus in eo eſſe vitio, in quo eſt ille quem reprehendere parabamus, non reprehendamus neque obiurgemus, ſed tamen congemiſcamus, & non illum ad obtemperandum nobis, ſed ad pariter cauendum inuitemus.* Sapienter omninò, congemiſcendum docet in eo euentu, non obiurgandum; quod gemitus de communi labe, vtrique poſſit eſſe fructuoſus, reprehenſio neutri. Diſputat item in eam rem, plenè & luculenter S. Chryſoſtomus hom. 24 in Matthæum, & *extremæ malitiæ* opus nominat, eum reprehendere, cum quo non diſſimiliter ſordeas; & qui non ſis eius labis expers cuius alius inſimuletur, eam in illo ſuffigas. Breuiter, ſed robuſtè de more Tertullianus in fronte Operis de patientia, conteſtatus grauatè ſe ad alienam impatientiam culpandam accedere, qui ſuam non diffiteatur; cùm tamen *oporteat demonſtrationem & commendationem alicuius rei*, atque adeò contrariæ vituperationem *adortos ipſos prius in adminiſtrationem eius rei deprehendi, & conſtantiam commonendi*, quantò magis obiurgandi *? prouia con*

uerſationis

uerſationis auctoritate dirigere, ne dicta factis deficientibus erubeſcant. Sed nihil in hunc locum cadit aptiùs quàm illud quòd Tullius 5. in Verr. orat. egregiè dixit. *Legem ſibi indicunt innocentia, continentia, virtutum omnium, qui ab altero rationem vita repoſcunt: Nam qui ſibi hoc ſumpſit vt corrigat mores aliorum ac peccata reprehendat, quis huic ignoſcat, ſi qua in re ipſe à religione officij declinarit? Ita enim poſtulatur ab omnibus, vt iis ſe abſtineant maximè vitiis in quibus alterum reprehendunt.* Quare liquet, meritò conſtitutum eſſe, priuatam illam vituperationẽ, cuius condignitas vnus eſt ex malitiæ fruticibus. vt prudenter adhibeatur, nec iure repellatur tanquam incongrua atque importuna, non niſi à viro probo, quippe ea in parte exquiſitè niteat, eſſe vſurpandam.

De aliis ad vtilem reprehenſionem adhibendis, liquebit ex dicendis, cùm de correctione. Quod enim & correctio & reprehenſio amarore ſint reſperſæ, multa prudentia temperandæ ſunt, vt irritæ non abeant. *Omnes admodum ſe laudari volunt,* ait Saluianus lib. 8. de prouid. *Nulli grata reprehenſio eſt. Imò quod peius eſt multò eſt, quamlibet malus, quamlibet perditus mauult mendaciter prædicari, quàm iure reprehendi, & falſarum laudum irriſionibus decipi quam ſaluberrima admonitione ſeruari.* Itaq; cum ipſa per ſe reprehenſio faſtidiatur; ſi per reprehendentis imprudentiam fieret amarior, meritò timendum foret, ne intolerabilis euaderet, & fructus planè vacua abiret. Iuréque Cratetem laudat Iulianus Apoſtata orat. 6. quod eius reprehenſio acerbitate omni carens, ſuauitatis lepôre condiretur; vt non calumniari velle quos argueret, ſed tam ipſis quam cæteris qui reprehendentem audiebant prodeſſe velle conſtaret. Itaque fructuoſa erat adhibita per eum alienorum defectuum reprehenſio. Sed quia cautiones in ea timendæ, eædem ſunt quæ circa correctionem infra ſuo loco præſcribentur, tractando virtutẽ cuius actus eſt correctio amica atque beneuola, non traho circa eas moram in præſentia.

FINIS.

OPERIS

OPERIS CLAVSVLA, ET PRO EA GRATIÆ, AC VOTVM.

SIc vtcunque liberata fide, quam initio dare memini, priuſquàm manum de tabula tollo, Numini, à quo ſcribendi initium fuit, in hac rurſus meta ſupplex accido, cùm ad gratias pro conceſſa laboris huius abſolutione agendas; tum ad exorandam, infinitam & exuberantiſſimam eiuſdem in nos pietatem; vt mihi in primis, iiſque omnibus, quibus hæc noſtra legere graue non erit, animum tribuat, non perſpiciendi modò, ſed & exequendi, operéque firmandi, quæ vera perſpexerint quoad morum honeſtorum conſertionem, & depulſionem prauorum, quæ vnica via eſt ad beatam illam & extremam metam, Operis initio præfixam, quam omnes cogitamus.

Gratias refero, Hermete in hæc verba præeunte, in calce capitis primi, Pimandri. *Omnibus animi viribus Patri Deo gratias ago. SANCTVS DEVS, Pater omnium: SANCTVS DEVS, cuius voluntas à propriis poteſtatibus adimpletur: SANCTVS DEVS, qui ſuis familiaribus innoteſcit: SANCTVS es, qui verbo cuncta conſtituiſti: SANCTVS es, cuius imago eſt omnis natura: SANCTVS es, quem nunquam natura creauit: SANCTVS es, omni poteſtate validior: SANCTVS es, omni excellentia maior: SANCTVS es, omni laude melior. Excipe verborum ſacrificia ſancta, ac animo & corde debito tibi manantia. Ineffabilis, ſolo ſilentio prædicandus ab eo, qui fallacias veræ cognitioni contrarias declinauit.*

Votum ſubnecto ipſiſmet Simplicij verbis, in calce commentarij ad Epicteti Enchiridion, leuicula duntaxat immutatione vnius & alterius voculæ facta, ne homo Ethniciſſimus, aliquid nobis fuliginis ſuæ affricet.

SVPPLICO tibi, Deus, pater & dux rationis noſtræ; vt noſtræ nobilitatis recordemur, qua tu nos ornaſti, & vt tu nobis præſtò ſis, & iis, qui per ſeſe mouentur: Vt & à corporis contagio, brutorúmque affectuum repurgemur, eóſque ſuperemus, & regamus, & ſicut

ſicut decet, pro inſtrumentis, iis vtamur. Deinde vt nobis adiumento ſis, ad accuratam mentis noſtræ correctionem, & coniunctionem cum iis quæ verè ſunt, per lucem veritatis. Et tertiùm Seruatori ſupplex oro, vt oculis animorum noſtrorum caliginem prorſus abſtergas, vt quod apud Vatem eſt, NORIMVS BENE, QVI DEVS, AC MORTALIA HABENDA.

INDEX

INDEX IN MORALEM DISCIPLINAM.

A

ACROAMATICI libri, qui. pag. 32.
Iidem cum e; opticis. 31.
Et cum eſotericis, ſed diſtincti ab exotericis. 31.
Libri ad Nicomachum, acroamatici. 32.
Actio prima hominis, quo ſenſu dicatur eſſe à Deo 269. 283.
Actio humana, & hominis, differunt. 56.
Actio vitalis quid includat in ſuo conceptu. 132.
Actiones mediæ apud Clementem quæ. 573.
Medius item ſtatus. quid Nazianzeno. 574.
Actiones voluntatis a iquæ, cur conditionatæ, nu læ intellectus. 455.
Actus humanus, differt à morali. 561.565.
Actus inefficacis malitia, ex obiecto malo, qualis. 571.
Actuum humanorum ordines duo. 557.
Actus multipliciter neutri. an dentur. 557.
Actus generales, qui dicuntur, ſunt infimæ ſpeciei. 58.
Actuum moralium numerica multiplicitas quotuplex. 585.
Quæ phyſica ſimul & moralis, vnde pretenda, ibid.
Quæ moralis tantùm, admittitur. 586.
Actus quilibet moralis, eſt ſpecie infima vnus. 583.
Actus boni circa ſingularem materiam, difficiliores. 20.
Actus externus, quomodò moralis. 607.
Actus idem exterior, poteſt exuere moralitatem. 567.
Actus imperatus, quomodò nexus cum imperante.
Poteſt ſuperindui eius honeſtate. 620.
Actus aliquis honeſtus, non poteſt malus euadere. 568.
Idem de aliquo actu malo, reſpectu honeſtatis. ibid.
Actus mali cauſa, quomodò tantùm deficiens, iuxta Auguſtinum. 680.
Actus honeſti conditiones Ariſtotelicæ, expoſitæ. 679.
Actus internus & externus, an ſint moraliter duo. 559.
Actus circa infinita tendentis, moralitas quænam. 56.
Actus ſuper naturales prodeunt à potentia vitali, actiuè, & non paſſiuè tantùm. 212.
Actus inefficax, non combibit ſemper, totum virus obiecti. 694.
Actus boni, an referendi in Deum. 620.
Actus voluntatis idem numero, poteſt ex libero fieri neceſſarius. 251. 252.

Actus ſupernaturales, quomodò pendeant ab intellectu & voluntate inſtrumentaliter, quomodò principaliter. 196.
Adami peccati, quomodò ſauciata ſit hominis natura. 321.
Adamum deceptum, querebatur Iulianus. 291.
Adami peccato, non excidimus expeditione libertatis. 320. & ſeq.
Admiratio quid. 507.
Adoleſcentiæ infœlicitas. 156.
Æqualitas quid Stoicis de malitia agentibus. 700.
Æqualitas beatitudinis, Senecæ probata, reiicienda. 173. & 180.
Æqualitas item ſapientiæ. 192.
Ætatum omnium ærumnæ. 156. & 159.
Æternitatis Viaticum Virtus. 637.
Aëris clementia quantùm iuuet intelligentiam. 379. 380.
Aëris qualitas ad certas paſſiones aptat. 390.
Affectus depravati iudiciorum prauorum cauſa. 106.
Affectus ſunt animi motus, & quomodò. 361.
Affectus quare Rhetori cognoſcendi. 282.
Affectus domandi, vt doctrina cum fructu percipiatur. 282.
Affectuum exortus, præcludendus. 412.
Affectus & paſſio apud Stoïcos, nomina affectus immoderati. 379.
Affectus quantùm poſſint ad certa iudicia inducenda. 281.
Affectata ignorentia, quæ dicatur. 730.
Affectatio ignorantiæ, quàm mala. Ibid.
Affectata ignorantia, craſſa, aut ſupina. 204.
Aglaophytis. 570.
Agonia quid, & ex qua origine. 532.
Alæ mentis quomodò conſtringi dicuntur à Platonicis. 183.
Alimenti copia nocet corporibus & animis. 29.
Alimentorum varietas, cauſa varietatis paſſionum. 388. 389.
Alimentum infanti idoneum ſubminiſtrari, quanti referat. Ibid.
Alteratio ſeu commotio corporea paſſiones conſequens. 513. De eius origine falſæ ſententiæ. 524.
Vera. referens eam originem ad appetitionem materialem. 526.
Alteratio cordi interna, quæ. 527. aliis partibus. ibid.
Alteratio ſeu commotio corporea, affectus anteſatinos conſequens. 512.
Amor ſcientiarum. 112.
Amoris quidditas, velle bonum alicui. 421.
Amor naturalis, animalis, ſpiritualis. ibid.
Amor coniungens, vniens. ibid.
Amor an rectè definiatur vnio affectiua. 422.

Amor amicitiæ, & amor concupiſcentiæ, quis. 423. & 424.
Sententiæ minùs veræ. 425.
Amor neceſſariò præit odio. 403.
Amor boni, & odium mali oppoſiti, partus ſunt eiuſdem habitus. ibid.
Amor omnis, eſt ex complacentia alicuius perſonæ. 423.
Amor affectiuus, effectiuus, complacentiæ, deſiderij. 426.
Amoris effectus, & proprietates. 436.
Amoris effectus in corpore amantis. 441.
Amoris effectuum, expreſſiones ſymbolicæ. 438.
Amoris remedia. 439.
Amoris effectus in corpore, macies, tabes, inſomnia, ſuſpiria. 528.
Quomodò talis amor contineat deſiderium ardens, & gaudium. 529.
Amor, philtrum amoris. 430.
Amor amore fouetur, ſiue Anterotis intuitu creſcit Eros. 431.
Amor colloquiis & conſortio conciliatur. ibid.
Amor ortus ex Poro & Penia. 447.
Amores & odia plantarum. 370.
Ad amorem qui ſint apti. 436.
Amor turpis, non propriè amor eſt, ſed petulantia. 419.
Amor ſimplex, retinendus inter paſſiones contra Aureolum. 398. & 400.
Amor rectus, omnium virtutum occupatio. 360.
Amor Parentum, radix amoris liberorum, cognatorum, & coniugum. 433. 434.
Amor Parentum in liberos, maior, quàm liberorum in Parentes. ibid.
Maximè aduersùs primogenitos. 433. 434.
Amores Socratis & Platonis, pluſquàm ſuſpecti, fruſtra excuſantur. 427.
Angelus peccare potuit, quo inſtanti creatus fuit. 354. 355.
Angelus intra certum tempus, dumtaxat certum numerum actuum, poteſt profundere. 594.
Angelos, quàm craſsè concipiamus. 119.
Anima cur conſerta corpori. 382. 383.
Animæ vegetantis facultates non ſubſunt per ſe libertati 275.
Animæ gradus varij, 383.
Animas mutari in Dæmonas quo ſenſu dixerint Platonici. 187.
Animæ deſcenſus, & aſcenſus, quid apud Platonicos adumbrent. 184. & ſeq.
Animas priuſquàm in corporibus eſſent, in cœlo vixiſſe, putabat Plato. 184.
Animæ illigatione & inebriatione, quid deſignarit Plato. 184.
Animarum vehiculum, & currus, quid ſint. 185.
Animæ tetrachordon quid, iuxta Ariſtotelem. 405.
Animæ, quænam ex auro, iuxta Platonem. 386.
Animæ à paſſionibus liberæ pulchritudo. 406.
Anomæorum inſania. 161.
Antiſthenis dictum. *Vir probus magna improba farcina.* 419.
Apatheia refellitur. 371.
Apatheia eſt animi eneruatio & caſtratio. 376.
Apatheiæ patroni. 371.
Apatheiæ fontes. 376. 379.
Pelagij error de apatheia. 371.
Pythagoras, an apatheiam approbârit. 37[illegible].
Stoici benignè expoſiti circa apatheiam. ibid.
Appetitus realiter vnicus. 394.
Appetitui ſenſitiuo nulla ineſt libertas formalis, 254.
Appetitus eſt incapax peccati, ſi per ſe ſpectetur. ibid.
Appetitui ineſt veſtigium aliquod libertatis, & quatenus. 255.
Appetitus ſenſitiuus non tollit libertatem voluntatis, 122.
Appetitum ſenſitiuum qui bifidum ſtatuant, in corde, & iecore. 366.
Appetitus ſenſitiuus liberæ voluntati obedit politicè tantùm, & non deſpoticè. 176. 323.
Appetitus innatus quid. 163. An detur de obiectis ſupernaturalibus. ibid.
Appetitio obiecti honeſti, cuiuſmodi eſſe debeat. 627.
Appetitionis ordinatæ finis ſimpliciter vltimus, eſt Deus. 62.
Appetibile & bonum, vt ſe habeant. 57.
Arbor pudica. 371.
Arborum paſſiones, qui innexerint. ibid.
Arbores ſentientes, quæ. ibid.
Arduum & non arduum, quomodò ſe habeant ad obiecta paſſionum. 396.
Ariſtoteles exemplar humani ingenij ex Auerroë. 35.
Ariſtotelicæ Ethicæ ſumma. 40.
Ariſtotelica miſericordiæ notio defenſa, contra Loreæ canillos. 477.
Ariſtoteles defenſus circa proportionem in pœnæ irrogatione ſeruandam. 776.
Et circa externa bona, beato neceſſaria. 144.
Ariſtotelem qui beatum dixerint, 41.
Ariſtoteles à Peregrini calumnia vindicatus. 291.
Ariſtoteles à Magiſtello Nouatore, malè impetitus. 43.
Malè item à Cano al'atratus. 268. 190.
Ariſtotelis infeſtus Caluinus. 240. 242.
Ars quid. 21.
Ars vitæ, quomodò ab aliis artibus differat. 597.
Ars peruersè tractandi res forenſes, coquinariæ collata. 3.
Aſſenſus intellectiui, gradus varij. 614.
Aſſenſus & diſſenſus, quantùm ab affectu pendeant. 281. & 282.
Aſſuefactionis vis. 387.
Aſtrologica vanitas confutatur. V. *Cælum.*
Aſtrologica obſeruatio, ludus puerilis ex Cyrillo. 354.
Aſtrologorum prædictiones nonnullæ cur veræ. 334.
Aſtrologicæ quædam prædictiones impiæ & horrendæ. 333.
Aſtrologorum impugnatores. 334.
Athenienſes prohibiti Æginæ Inſulæ aditu. 36.
Athenienſium ludus, gladium cædis in mare demergentium. 198.
Audacia quid, diuerſa placita. 500. Vera ſententia, ibid. Cauſæ. 501. Effecta. ibid. Qui audaces. ibid. Remedia. 501.
Audacia & timor oppoſita. 501.
Audaciam ſequens corporis alteratio, quæ ſit. 530.
Auditor moralis debet ſibi eſſe magiſter. 30.
Debet conceptum amorem honeſti fouere. ibid.
Auditor moralis quis idoneus. 24. & ſeq.
Debet eſſe ſubactis affectibus. 27.
An poſſit eſſe ætate iuuenis. 27. 28.
Indiget doctrinæ exercitatione. 29.
Primùm purgandus. 282.
Auicenna à Mahumetana impietate abhorrens, circa beatitudinem. 82.
Auincennæ monitum, de modo reuincendi negantem primum principium. 145.
Aulicorum cruces. 112.
Quis tot ærumnarum fructus. 113.
Aulici, ſæculi martyres, ex Bleſenſi. 112.
Aulicis quàm familiares calumniæ. 112.
Axioma quid. 17.

B

BAlnei vſus ad paſſiones moderandas. 420.
Baſilidianorum inſania circa paſſionum naturam. 364.
Beatitudo formalis alterius vitæ in ſtatu naturæ puræ, ſita foret in cognitione abſtractiua Dei pro meritis cuiuſque danda. 165. 169. 170.
Cum ſuis appendicibus, perpetuitate nimirum. 175. 176.
Amore beneuolentiæ in Deum, ſuper omnia, & perenni. 176. 177.
Gaudio pleno. ibid.
Reſurrectione corporis. ibid. 178.
Item variis amœnitatibus. 179.
Nec non ſocietate Heroüm, & charorum. 180.
Ad hæc plena exſatiatione. ibid.
Præterea depulſione malorum, videlicet erroris & ignorantiæ. 181.
Item peccatorum, & commiſſorum, ſi quidem leuia fuerint, & committendorum. ibid.
Inſuper triſtitiæ. 182.
Denique incommodorum corporis. ibid.
Adfuiſſet cumulus bonorum. ibid.
Habituram fuiſſe rationem præmij veriſimile eſt. 183. 184.
Platonica ænigmata, adumbrantia beatitudinem. ibid.
Beatitudo formalis perfecta, extra hanc tantùm vitam. 147. vſque ad 161. Quia Dei cognitionem habemus admodùm rudem. 148. Et quia fluxæ ſunt res noſtræ, ac ſpinoſæ. 149. Et quia ærumnis premitur corpus, anima, & ætas omnis. 151. vſque ad 159.
Beatitudo formalis quæ clara Dei viſione continetur, eſt ſopernaturalis. 161.
Naturaliter non poteſt demonſtrari eſſe poſſibilis. 162.
Nec innato, nec elicito appetitu naturali eſt appetibilis. 163. vſque ad 164.
Beatitudo formalis quid. 130.
eius varia nomina. ibid.
Non poteſt eſſe aliud, quàm operatio rationalium facultatum. ibid. a 130. ad 134.
Radicaliter & eſſentialiter eſt ſola ſummi boni intellectio. ibid. a 13. & a 14.
Ex Dei viſione omnes beati perfectiones oriuntur. ibid. à 138. ad 140.
Beatitudo obiectiua hominis, eſt ſolus Deus. à 64. ad 1 0.
Beatitudo formalis huius vitæ, in quo ſita. a 188 ad 192.
Prout eſt adumbratio beatitudinis alterius vitæ, etiam ſecundùm Ariſtotelem, eſt in cognitione. 190.
Quatenus eſt via ad perfectam alterius vitæ beatitudinem, ſtatuitur in amore Dei. & virtutum actibus, ex quibus pax mentis ſequitur. ibid.
Beatitudo huius vitæ, non eſt æqualis in omnibus. 191.
Beatitudinis cognitio, magnum leuamen laborum. ibid.
Beatitudinis via cur aſpera. 129.
Beatitudinis capeſſendæ ſtimuli. 140.
Beatitudinis media difficiliùs quæruntur & eliguntur, quàm cognoſcatur ipſa beatitudo. 295.
Beatum eſſe qui viuit vt vult, an verum. 191.
Beatus non eſt qui non putat. 134.
Bellarminus, calumniam paſſus à Zumelio. 211.
Bellarmini tractatio de libertate, accurata 288.
Bellarmini placitum de iudicio practico, reiectum. 319.
Bellum pacis amore ſuſcipiendum. 140
Bella Philoſophorum 19.
Benefactoris amor, maior quàm eius qui accipit beneficium. 412.
Beneficia Dei, materia lætitiæ. 484
Beneficium quantùm libertas. 246

Beſtiæ. V. Bruta.

Beſtiæ paſſionum capaces, contra Senecam. 369. num. 14.
Non tamen omnium. Ibid.
An plurium quàm homines. 3 0.
An vehementiorum. ibid.
Beſtiæ quæ intra nos. 37.
Non tamen ad ſenſum Baſilidianorum. ibid.
Bonum in ſe quomodò poteſt eſſe malum alteri. 672.
Bonum eſt quod omnia appetunt, quid apud Ariſtotelem. 56.
Bonum & appetibile, quomodò differunt. 57.
Bonitas moralis triplex; iuxta Scotum, 6 . 1.
Bonum honeſtum, Metaphyſicis quodnam. 629.
Boni ſummi, notæ. 63. 64.
Boni cognitio, amor, labor in eo patando, recuperatio, nouitas, & raritas boni, voluptatem creant, vel acuunt. 466.
Bonum, bonique poſſeſſio, eſt totale obiectum, & principalis cauſa delectationis. 467.
Boni creati diuiſio. 69. 70.

Bruta. V. Beſtiæ.

Bruta, carent omni propriè dicta libertate, 245. 261.
Bruta, timore propriè dicto percelluntur. 509.
Bruta, iudicij formaliter compoſiti capacia. ibid.
Bruta an inuidiæ capacia. 479.
Bruta, futuri præſenſione tanguntur. 506.
Bruta cùm feriantur, nequeunt agere. 214
Brutorum vnius ſpeciei, cupiditates cur vniformes 261.
Brutum æquali fame ac ſiti laborans, æquè propoſito pabulo & potu, quò primùm accurreret. 262.

C

CAdaueris ſanguinatio præſente homicida, vnde. 539.
Caietanus quo ſenſu negârit, animam rationalem eſſe corporis formam. 383.
Caietanus defenſus & expoſitus circa rationem formalem prauæ commiſſionis. 675.
quædam tamen in eo caſtigata. ibid.
Caietanus purgatus, quoad primam finis intentionem non liberam. 269.
Caluinus, veneficus. 287.
Caluinus bacchans in Ariſtotelem, quia admiſit humanæ libertatis exſolutionem. 240. 289.
Caluini vafrities in approbanda libertatis definitione incommodiore. 224.
Caluini in Patres irreuerentia. 289.
Caluini in Philoſophos, ſannæ. 320.
Caluini horrendum placitum, de Deo peccati autore. 705.
Caluini malignitas in Auguſtinum, Bernardum, ad Petrum Lombardum. 325.
Cantus, Alexandrum variè concitans. 391.
Cantus mœroris delinimentum. 485.
Cantus impuri pernicies. V. *Muſica.*
Carcer, & compedes peccati. 726. 748.
Cauſæ ſecundæ efficientes, in omnibus effectis ſuis intendunt

intendunt beatitudinem,& quomodò. à 54. vſque ad 57.
Cauſa neceſſaria. V *Neceſſaria cauſa.*
Cera in vnoquoque noſtrûm varia, ex Platone. 386.
Cerebrum ſenſus expers, nec eſt ex eo dolor capitis. 367.
Cerebri motus an ſubſit voluntatis imperio. 279.
Vnde cao'etur. ibid.
Certitudo naturalis & moralis, ſecernuntur. 613.
Certitudo moralis ſufficit ad rectè agendum. 614.
Non exigitur phyſica. ibid.
Charitatis actus an poſſit aliunde inſici. 620.
Chriſtus «, & «. 51.
Chriſtus quomodò liber. 598.
Chriſtus caruit concurſu parato ad actiones ſub præceptum negatiuum cadentes. 319.
Chriſti paſſiones. 371.
Chriſti humanitati violenta fuit carentia ſubſiſtentiæ creatæ 200. eſt tamen grata violentia. ibid.
Chriſti impeccabilitas qualis. 319.
Chriſti ſudor ſanguineus, cuiuſmodi. 530.
Chriſto fatale fuit de cruce pendere, iuxta Cardanum. 331.
Chryſoſtomus purgatus è calumnia circa libertatis expeditionem. 305. 306.
Dictus à Proclo Conſtantinop. diluuium Hæreticorum. ibid.
Circunſtantia quid, & vnde dicta. 591. & 602.
Circunſtantiæ quid ſint, & earum diuiſio. 210. & ſeqq.
Circonſtantiarum numerus, & digeſtio. 695.
Circunſtantiæ extrinſecæ, aliqua ſecundaria obiectiua moralitate fœtæ. 591.
Qui de doratione. 592.
An ſint aliquæ circunſtantiæ reſpectu actus interni. 601.
Circunſtantiarum claſſes tres. 603.
Quando tribuant nouam ſpeciem. 604.
Cœlum libertati nihil officit. 333.
Cœli motus circularis, nec naturalis, nec violentus. 196.
Cœlum non eſt cauſa peccandi. 704.
Cœli & aſtra, ne ſigna quidem futurorum omnium, contra Sirenium. 334.
Cogitationis malæ repreſſio, quanti momenti. 363.
Cogitatio quando habeat rationem obiecti, non recognita. 690.
Cogitatio quæuis congrua, non eſt munus gratiæ. 425.
Cognitio ſpeculatiua, poſterior eſt ratione, obiectos, ſecùs practica. 345.
Cognitio ad honeſtè agendum neceſſaria, quæ. 616.
Cognitio prærequiſita ad voluntarium. 209.
Cognitio prærequiſita ad peccatum. 720.
Cognitionis variatio, an variet actum. 569.
Cognitio quomodò amoris cauſa. 415.
Coloris mutatio in Chamæleonte, & Polypo; vnde. 537.
Color quando nota temperamenti, & pronitatis ad paſſiones. 381.
Coloris mutatio ſubita in capillis, vnde. 535.
Concupiſcentia antecedente, geſta, ſunt inuoluntaria ſecundùm quid, ſimpliciter autem voluntaria. 218. 216.
Minori pœna plectuntur, ac etiam nulla, quandoque, quæ ſic geruntur. ibid. 219.
Concupiſcentiæ ſeruitus. ibid.
Concurſum diuinum ad actus noſtros qui ſuſtulerunt. 715.
Malè iis accenſetur D. Auguſtinus. ibid.
Concurſus diuini exhibitio reſpectu voluntatis creatæ. non fit niſi ad eius exigentiam. 714.
Concurſus Dei nobiſcum, quomodò generalis,& indifferens. 715.
Concurſus non poteſt per habitum ſtupefactiuum inhaberi. 304.
Conſcientia certa quid ſit. 623.
Conſcientia idem cum iudicio prudentiali. 579.
Conſcientia non complectitur actum voluntatis, contra Durandum & Aureolum. 580.
Conſcientiæ remorſus, differt à conſcientia propoſita. ibid.
Conſcientia pædagogus animæ. 263.
Conſcientiæ carnificina.
Conſcientiæ vermis, in altera vita.
Conſcientiam errantem ligare, quid. 581.
Conſcientiam errans, an ſequenda. 660.
Conſcientia delictorum magna hominis tribulatio. 741.
Conſenſus quid, in ratione actus humani. 551.
Conſenſus quotuplex. 535.
Conſenſus directus malitiæ, impoſſibilis. ibid.
Conſenſus directus boni ſenſibilis, quandò exigatur. 537.
Conſilium quomodò dandum. 643.
Conſortia & colloquia, amorem conciliant. 431.
Conſortium vitioſorum, quàm noxium. 757.
Interdictio ſuillæ apud Iudæos, à quibus ſalata ad declinationem conſortij malorum. 758.
Conſuetudinis vis. 326. & ſeqq.
Conſuetudo, altera natura, 326.
Conſuetudo, conſuetudine vincenda, 414.
Catuli à Lycurgo prolati in argumentum virium conſuetudinis. 388.
Conſultationis obiectum quale. 547. Varia placita. 548.
Conſultatio, an poſſit eſſe de fine. ibid.
Conſultans quomodò reſoluat iuxta Ariſtotelem 349.
Contingentia quid. 343.
Contingentiæ radix. ibid.
Contingentis definitio, expoſita. 552.
Contingens an foret, ſi Deus neceſſariò ageret. 542.
Continuatio auget moralitatem. 595.
Continuatio cur non augeat infinitè. 595.
Continuatio actus, iuxta quos non libera. 356.
Refelluntur. ibid.
Contraria cur non poſſint in gradu intenſo ſimul eſſe, vi naturæ. 59.
Contraria poſſunt diuinitùs ſimul eſſe, licèt non omnia. ibid.
Contraria contrariis curanda. 414.
Contrariarum paſſionum in bibente & fricante conſociatio, qualis. 408.
Contrarium quodlibet, alterius negationem includit. 670.
Contrarietas inter bonum & malum, iuxta Ariſtotelem, quæ. 674.
Conuerſantium mores, trahuntur. 419.
Conuerſatio quantùm poſſit ad paſſionum afflictionem. 191.
Ea poteſtas nequaquam phyſica. ibid.
Conuerſatio proborum vtiliſſima. 643.
Conuictus malorum, quàm noxius. 419.
Conuictus improborum, quantum malum. 644.
Conuictus proborum quanti momenti. 419.
Cor ſedes affectuum materialium, 366.
Cordis vis motrix, non obedit deſpoticè, imperio voluntatis liberæ. 279.
Cor & iecur, an duæ ſedes appetitus ſenſitiui. 366.
Cordi notitiam concedentes, reiecti. 525.
Corde auulſo, an locutio ſit naturaliter formabilis. 368.

Cor

Cor humanum à Satana captiuum. 366.
Cordis puſillitas vel magnitudo, aptat ad varias paſſiones. 386. 502.
Cor piloſum Ariſtomenis. 25.
Corpus formoſum, ſæpè deformis animi domus, & contrà. 75.
Corporis bona quæ. 71.
Corporis bonorum cum quatuor cardinalibus virtutibus collatio. 71.
Nullum eorum eſt ſummum hominis bonum. à 71. vſque ad 75.
Corporea diſpoſitio, quomodò in operationes animæ refundatur. 384.
Creatum nihil amandum eſt, niſi per ordinem ad Deum. à 124. vſque ad 125.
Creata bona exigua, nec explentia appetitum. 67.
Creatum nihil, eſt ſummum hominis bonum. à 67. vſque ad 122.
Malè beatus dicitur quis ex creatis tantùm bonis. 127.
Creaturæ, quomodò præ Deo dicantur non eſſe. 679
Cruciatus animi ex paſſionibus non repreſſis. 400
Crudelitas Diuitum. 94
Culpa inuincibiliter ignorata, culpa non fuit. 597.
Cunctatio ad virtutis opera, quantum malum. 647.
Cupiditas fœda, non eſt amor. 419.
Cupiditas rationalis infinita, quia inexplebilis. 446.
Infinita etiam varietate & multitudine. 447.
V. *Deſiderium*
Cupiditas naturalis. & gnomica, quæ. 448.
Cupiditas animalis, & rationalis. ibid.
Cupiditates neceſſariæ, & non neceſſariæ, Platoni quæ. ibid.
Cupiditas creſcendi, quanta crux ſummorum faſtigiorum. 109.

D

DÆmon. libertatis expeditæ hoſtium dux. 287.
Dæmon non ſemper peccati cauſa. 704.
Dæmonem accuſantes, accuſati. 315.
Dæmonum triſtitia cur nullatenus minuatur ex caſu noſtro. 362.
Dæmone peior, homo peccans. 736.
Idem Dæmonis proles. ibid.
Dæmon, quomodò dicta à Platone fieri anima. 98.
Debitum quo Deo obſtringimur, an queat exhauriri. 616.
Delectatio an à gaudio differat. 456.
Delectationem eſſe meram ab obiecto paſſionem, qui cenſuerint. ibid. num. 457. 458. refelluntur. ibid.
Delectatio an rectè ſtatuatur in quiete appetitus. 459.
Delectatio quid, propriè. 460. 462. 464.
Delectationis exortus, atque progreſſus. 460.
Delectatio, neceſſariò ſupponit amorem. 461.
Delectationi an præuia operatio, vltra amorem. 462.
Delectatio an operatione cui adnaſcitur, potior. ibid.
Delectatio an de ſolo bono, an etiam de eius nexu cum ſubiecto. 468.
Delectatio differt realiter ab amore ſimplici. 464.
Delectationis diuiſio multiplex. 465.
Delectationis cauſæ; cognitio, amor, maior in bono parando labor. vel amiſſi recuperatio, eiuſdem nouitas & raritas. 466.
Delectationes quæ præcellentiores. 462.
Delectationis effectus. 468.
Delectationis remedia. 469.
Delectatio mala, poteſt non infici ex aliqua ratione obiectiua. 694.

Delictum quomodò differat à peccato. 641.
Democritus cur ſe exocularit. 420.
Denominatio extrinſeca non eſt ens rationis. 563.
Deſiderium quid ſit. 444.
Deſiderium videndi Deum, quomodò ſit in beatis. ibid
Deſiderium ſpecie differt ab amore ſimplici, & à gaudio 445.
Deſiderium ſeu cupiditas; naturalis & innaturalis, vel animalis & rationalis, vel neceſſaria & non neceſſaria, vel naturalis & gnomica. 445. 446.
Deſiderij primaria cauſa quæ. 448.
Deſideriis feruent iuuenes, & meticuloſi. ibid.
Deſideria præpoſtera vnde. ibid.
Deſiderij effecta, quæ. 449.
Deſideriorum multiplicitas, bellua multiceps, voracitas, fames & ſitis cupiditatis inſatiabilis, & rabida 450. Hinc omnia & bona & mala. 451.
Deſiderij ſeu cupiditatis remedia. ibid.
Deſiderij cauſæ, per Platonica ænigmata. 447.
Deſperationis natura perobſcura. 494.
falſæ de ea ſententiæ. ibid. Vera. 495.
Deſperatio eſt affectus proſecutiuus. 496.
Deſperatio eſt voluntatis lapſus, fractio, deſponſio defectio. 497.
Deſperationis cauſæ. 498.
Qui ad eam proni. ibid.
Deſperationis effectus. 499.
Deſperatio perfectum Diaboli gaudium. ibid.
Deſperationis felix euentus. ibid.
Deſperationis remedia ibid.
Deſperatio & animi deſponſio, cauenda poſt lapſum. 765.
Deſperationem ſequitur alteratio corporea. 538.
Determinatio diuina ad indiuiduum, non probat Deum eſſe cauſam actus indiuidui, prout eſt malus. 688.
Determinatio voluntatis, quid, & quotuplex ſit, ac quomodò fiat. à 114. vſque ad 247.
Determinatio intellectus ad aſſenſum, quotuplex. 282.
Deus ſecundùm ſe ſpectatus, odio haberi non poteſt, etiam à victore. 274.
Deus an obnoxius paſſionibus. 369.
Deus rerum centrum ac locus. 61. 62.
Deus ſolus, hominis beatitudo obiectiua. 64. 66. 113.
Etiam ſecundùm Ariſtotelem & Platonem ibid. 66.
Dei libertas, cuiuſmodi ſit. 271.
Diuina voluntas conditionata de exhibendo concurſu voluntati, non tollit libertatem & poteſtatem agendi & non agendi. 228. Eſt vnum ex prærequiſitis ad agendum. ibid.
Deus determinando cauſas ſecundas liberas ad indiuiduum, non violat libertatem 340 341.
Deus ſi liber non eſſet, foretne tamen homo liber? 342.
Dei decretum, non antecedit cauſaliter libertatem à 336. vſque ad 344.
Nam alioqui exterminaret libertatem. ibid.
Neque eſt id neceſſarium ex parte Dei, ſiue vt primæ cauſæ. ibid.
Siue vt rectoris prouidentiſſimi. 339.
Dei memoria neceſſaria ad paſſionum victoriam, & non peccandum. 418 755 756.
Dei auxilium, neceſſarium ad frænationem paſſionum 418.
Deum impugnat, qui peccat. 739.
Deus actu influit finaliter in res omnes. 52 54.
Deus non eſt autor peccati. 297.

Deum cauſam peccati, qui blaſphemârint. 705.
Refelluntur. ibid.
Deus quomodo ſit cauſa praui actus, iuxta quoſdam Catholicos. 681.
Deus iniuriæ capax. 657.
Deus ſempérne eligat media ad gloriam ſuam magis idonea. 271. 272.
Deus timendus, contra Senecam. 635.
Dei beneficentia, materia lætitiæ. 484.
Dei cognitio abſtractiua, danda hominibus benè in ſtatu naturæ puræ morientibus, qualis futura fuiſſet. 169.
Dei viſio, veræ epulæ. 186.
Dei cauſa amandum, quicquid rectè amatur. 123. ad 125.
Deum non quærentes, quantoperè errent. 127.
Dei contemptus per peccatorem, in quo ſitus. 657.
Nihil difficile volenti. 635.
Difficultas operandi, an honeſtatem promoueat. 622.
Dignitas in ſcientia, quid. 17.
Dignitas hominis ex paſſionibus repreſſis. 406.
Diogenis ſceptrum, baculus. 25.
Diogenes retrorſum in Stoa incedens, quorſum. 127.
Diogenes impoſuit ſibi in Iſthmiis coronam, vt victori. 768.
Diogeniani locus illuſtris pro libertate. 157.
Diſcendum eſt antequam docens. 22. & 23.
Diſſenſiones vnde oriantur. 244.
Diſſenſiones Philoſophorum. 119.
Diſſonantia peccati commiſſionis cum ratione recta, eſt eus poſitiuum. 648.
Diſſonantia praui actus an moralis, an phyſica, lis de nomine. ibid.
Diſſonantia, an poſſit dici relatio rationis. ibid.
Diuitiæ hoſtis importunus. 91.
Diuitiæ χρήματα, non κτήματα. 617.
Diuitiæ non ſunt ſummum hominis bonum. 84. ad 99. ſunt bona tantùm vtilia. ibid. 54. imò ne bona quidem. ibid.
Diuitiæ ſunt bona nihili. 17. ſunt inſtrumenta & occaſiones malorum. ibid. 85, 86.
Diuitiæ diſtrahunt mentem in nugas. ibid. ibid. 85.
Diuitiæ non explent animum. ibid. 86. irritant potiùs. ibid. 87.
Diuitiæ ſpinoſæ ſunt. ibid. 91. & ſeqq.
Item labiles. ibid. 96.
Sunt aliena bona. ibid. 98.
Diuites ſunt egeni. 89.
Diuites minimè tuti à periculis. 93.
Diuites angoribus obſepti. ibid.
Diuites diuitias non poſſident. 93. 97.
Parum iis gaudent. 95.
Ex diuitiis otium peſtiferum. 100.
Doctoratus, non eſt relatio rationis. 561.
Doctoratus, & alij inferiores gradus literarij, vnde. 769.
Doctoratus & ſimilium graduum, per Vvicleffem inſectatio. ibid.
Dogmata quid, & quomodò à præceptis differant. 33.
Dolor cum voluptate mixtus. 67. & 77.
Dolor & triſtitia, vt diſcrepant. 471.
Dolor ex carne offenſa, eſt actio appetitus. ibid.
Dolor ſequitur odium & fugam vt cauſas. 473.
Doloris obiectum, læſio corporis, non qualitas doloriſera. ibid.
De ieo ſententiæ. 474.
Dominium ſupra non actum, qui exigat. 683.
Dominus à doobus non poſſe ſeruiri, quo ſenſu dictum 58.
Dominium in ſuum actum, ratio libertatis. a 237.
ormientibus inſitne vſus rationis & libertas. 264.
& ſeqq.
Dubium in intellectu, quid. 614.
Dubium aliud negatiuum, aliud poſitiuum. 661.
Dubium aliud practicum, aliud ſpeculatiuum. ibid.
Dubium ſpeculatiuum. quomodò deponatur. ibid.
Dubij depoſitio temeraria, mala, 662.
Dubium licitè ſemper deponitur in fauorem poſſidentias, cæteris paribus. ibid.
Duratio an ſit fons alicuius moralitatis. 592.
Duratio finita actus quomodò non inuehat infinitam moralitatem. 593.
Duratio modica honorum. 114. 105.
Item diuitiarum. 96.
Duratio delectationum humanarum, quam modica. 470.

E

EFfectus quandoque malitiam mutat. 697.
Effectus corporei & externi affectuum internorum, 528.
Electio mediorum. V. *Intentio.*
Electio quid. 550. Quomodò intellectus appetitiuus. ibid.
Electio quomodò ab actu circa finem ſecernatur 544.
Encyclij libri, qui. 32.
Entia permanentia, eodem inſtanti deſinere poſſunt, quo incipiunt eſſe. 356. 357.
Entia moralia realibus & rationis contradiſtincta exploduntur. 365.
Ens creatum, præ Deo non eſt. 679.
Epicurus ſummum hominis bonum in voluptate conſtituit. 79.
Animíne, an corporis. 81.
Probabile eſt de vtroque locutum, vel apud varios, vel variis temporibus, vel quòd animi voluptatem ad corpoream referret. 80. & 82.
Epicurus ad tantam fœditatem lapſus eſt, ex negatione diuinæ prouidentiæ, & immortalitatis animorum 80. Refellitur. 83.
Epicurus præiuit Caluino, circa Deum cauſam peccati. 705.
Epicuræa indifferentia operandi. 581.
Epoptici libri, qui. 32.
Equitis, & regentis ſeipſum, analogia. 410.
Eraſmi error de ſenſu plantarum. 370.
Error inuincibilis. quis. 660.
Quis item error vincibilis. ibid.
Erroris, ignorantiæ, & inconſiderationis diſcrimina. 720.
Error ſpeculatiuus non præexigitur ad culpam. 721.
Euagrij Impatibilitas. 371.
Examen particulare. Philoſophis in vſu. 114.
Quo ordine ineundum. ibid.
Examen conſcientiæ ab Etnicis vſurpatam. 761.
Examinis illius capita & ordo. 762.
Examen quoties in die apud varios Philoſophos vſurpatum. ibid.
Doctrina Patrum de eodem virtutis inſtrumento. ibid.
De ſubiungenda ei multa vt ſit fructuoſum. ibid.
Examinis vſus, ad ſui notitiam. 763.
Exemplis meliùs docetur, quàm verbis, 22.
Exemplorum malorum, fructus vnicus. 759.
Exemplum viri probi, quantùm conferat ad virtutem. 641.
Exemplar virtutis habendum. ibid.
Eius familiaritas captanda. 642. Delectus in eo aſſumendo. ibid.

Exempa

Exempla proborum inſpicere, quanti momenti ad frænationem paſſionum. 419.
Exoterici libri, qui. 62.
Exoterici libri, alij ab eſotericis ex Clemente. ibid.
Experientia eſt tantùm manuductio ad aſſenſum ſcientificum principiorum. 19.
Extaſis quid. 518.
Extaſis ſequitur amorem, & qualem. 529.
Externa bona, quatenus iuxta Ariſtotelem neceſſaria ad beatitudinem. 144.
Externorum bonorum vſus vnicus, vt benè ſit corpori. 84.
Externa quæuis bona, inania. 115.

F

FAma quid. 101.
Fama exile bonum. ibid.
Fama anguſtos habet limites. ibid.
Fama quò diffuſior, eò incertior. 102.
Famæ cum vmbra comparatio. 103.
Faſcinatio peccatoris, quæ. 726.
Fatum quid. 290. & 293.
Fatum Stoïcorum non cohæret cum libertate Dei. 291. & ſeq.
Fatum Aſtrologicum refellitur. 333. & ſeq.
Fatum, fatui inuehunt, ex Auguſtino. 343.
Fatum cuiuis, propria voluntas, ex Nyſſeno, ibid.
Filiatio diuina in homine, per virtutem. 631.
Filiatio Dæmoniaca per peccatum. 736.
Filiorum inſtar, libri Autoribus. 413.
Filii, pons amoris coniugum ex Chryſoſtomo. 431.
Finis amor, eſt liber, etiam quoad exercitium. 268. 269
Finis vltimus ſimpliciter, quomodò intendatur. 53. 54.
Finis, cui, non eſt propriè dictus finis. 48.
Finis extrinſecus, actum iam ex ſe bonum honeſtare poteſt. 619.
Finis proximus & remotus, in moralibus, quid. 601.
Finis operis & operantis. ibid.
Fines vltimi ſecundùm quid plures, poſſunt ſimul haberi 58.
Fines vltimi ſimpliciter plures, ſimul haberi non poſſunt. ibid. Poſſunt ſucceſſiuè. 59.
Finis vltimus negatiuè & poſitiuè. 621.
Finis bonus, non honeſtat quemcunque actum. 590.
Finis ſimpliciter vltimi tractatio, ad Ethicam pertinet. 46.
Finis ſimpliciter vltimus effectibilium omnium, communis & vnicus, eſt ipſe Deus, à 43. ad 52. & ibid. 261.
Finis malorum, quo ſenſu dicatur. 46.
Finis cognitio quanti interſit. 171.
Finis extrinſecus, quomodò malitiam actui inducat, & qualem. 696.
Finis amor perſtérne, quandiu media vſurpantur. 54.
Finis variatio, quomodò variet actum. 568.
Finium ſubordinatio, cùm eſt finium actu finalizantium ſemper eſt eſſentialis. 50.
Fomes peccati quid. 379.
Formæ materiales ſola eductione iunguntur materiæ. 53.
Formido opinioni adiuncta quid. 614.
Fortunæ rota. 96.
Fortunæ bonæ nomine quid intelligatur. 269. & 283.
Fortunæ bona non ſunt fundamentaliter honeſta. 617.
Fortè, non ſemper nota dubitationis apud Ariſtotelem. 276.
Fruitionis quidditas, varia apud varios. 465. Vera eius notio, quæ cum delectatione recurrit. ibid.
Fruitio vtendorum, ſumma. peruerſitas. 114.
Fuga quid ſit, & quomodò ab aliis actibus diſcrepet. 946.
Fugæ ſeu deteſtationis actus etiam abſolutus & efficax mali præteriti datur. 454.
Fuga eſt immediatè de impoſſibili. ibid.
Fugia. Dealætitiæ, quia citò fugit. 176.
Fur vt mœchetur, an fur potiùs, quàm intemperans. 590.
Futuritio rei quid. 318.
Futuritio coæterna eſt prænotioni. ibid.
Futuritio exponenda, per non eſſe, ante eſſe. ibid.
Futurum, non eſt futurum, quia præſcitur, ſed è contrà. 345. & ſeqq.

G

GAleni impia ſuſpicio de animæ rationalis corporeitate & mortalitate. 381.
Galenus à calumnia Peregrini purgatur. 198.
Gaudij effecta in corpore; defectio animi, inſania, mors. 519.
Gaudium de morali lapſu quàm tetrum. 740.
Gaudij immodici mala 519. V. *Delectatio*.
Gaudium ſemper cum dolore mixtum. 61. & 77.
Genius cuique ſuus introſpiciendus. 650.
Genij fatales populorum, iuxta Symmachum. 291.
Genus pro materia. 570. Bonitas vel malitia ex genere, quæ. ibid.
Genus naturæ & moris, vnde petantur. 560.
Gloriæ ſtudium cui bono. 576.
Gloria quid ſit. 99.
Inane bonum eſt vt plurimùm. 101. Damnoſum. ibid. Caducum. 105.
Gloriæ Animalium ternitus. 104.
Gloriæ æternæ libertas, quæ. 288.
Gratia ſeu fauor eſt amor quidam. 426.
Gratia eſt ſubſtantia abſconditi cordis hominis. 585.
Gratia Chriſtiana an neceſſaria ad honeſtatem purè moralem. 62. An gratia ſanctificans. ibid.
Gratia in nobis vitrea, quia citò periclitatur, aut frangitur. 116.
Gratiæ libertas, quæ. 288. 321.

H

HAbitus quomodò ſubſint voluntati. 286.
Habitus quantumuis confirmatus non tollit libertatem. 125. & ſeqq.
Habitus contrarius, obſiſtit inductioni contrarij. 127.
Habitus non poteſt ſtupefacere potentiam, eique concurſum ſubtrahere. 304
Habitare ſecum quid. 417.
Herba mimoſa. 370.
Herba Æſchynomenes. ibid.
Herba impatiens & viua. ibid.
Hercules monſtrorum domitor, imago addictorum virtuti. 611.
Hyperbole quid, & ad quos fines vſurpanda. 306.
Hiſtoriæ vtilitas in omnem partem. 644.
Homo animal ſociabile. 36.
Homo, ſolus inter inferiores naturas liber. 261.
Quidem in ſolo ſtatu viæ rationis. ibid. 264.
Homo libertate, eſt imago Numinis. 244. Ad Deum libertate maximè accedit, & à brutis recedit. 247.
Homo, verè homo frænatione paſſionum. 411.
Hominum paritas, lenit triſtitiam. 483.
Hominem condi impeccabilem, an melius. 248. 107.
Homo ſolus animalium, capax felicitatis. 33.
Homo ſuarum actionum dominus. 245.
Homo, Centaurus Theſſalicus. 354. Peccando tranſit-

transſit in Centaurum. 735.
Homo, arbor. 573.
Homo, hora. 639.
Homo vitioſus, appetitus ſenſitiui mancipium. 322.
Hominis ærumnæ in corpore & animo atque in omni ætate. 151. ad 160.
Homini ab homine, mala plurima. 160.
Hominis officium quodnam ſit. 62.
Hominis quies, in ſolo Deo. 527.
Honor, quid. 99.
Honoris næui. 106.
Honor externis potiùs ornamentis habetur. ibid.
Et indignis, 107. inhonoratis. ibid.
Fogaitas honorum, 114 ſpinoſitas. 107.
Honorum etiam eminentiſſimorum mala. 107. ad 114. ſpinæ. Vertigines. 109. Ignorantia veri. ibid. Creſcendi cupiditas. ibid peccandi opportunitates. 109. æternæ infelicitatis periculum. 112.
Honores captantium, ærumnæ. 114.
Honorum faſtigiis proximorum, miſeriæ. 112.
Honor & gloria, an fundamentali honeſtate ſplendeant. 617.
Honeſtas eſt pulchritudo actus. 605.
Eſt vnicum hominis bonum. 611. quid ſit. ibid.
Honeſtas non eſt actui ſubſtantialis. 612.
Honeſtas inferior poteſt ſuperiorem imperare. 619.
Honeſtatis fontes. 617.
Obiectum materiale, 619. circunſtantiæ, media, difficultas maior. 623.
Honeſta actio, quam prælucentem notitiam exigat, 626,

I

IDolo latriæ finis ſimpliciter vltimus. quis. 59.
Ignis globus in centru mundi ſitus qua parte cœlum peteret. 220.
Ignorantiæ & erroris diſtinctio. 720.
Ignorans inuincibiliter non tenetur ſcire. 719.
Ignorantia non præexigitur ad peccatum. 727. quomodò cauſa ſit, & origo peccati. 729.
Ignorantia quotuplex. 105.
Ignorantia cauſans inuoluntarium ſimpliciter quæ à 103. ad 106. & 727.
Ignorantia inuincibilis, excludit malitiam. ibid.
limitationes quædam ad id expenſæ. 719.
Quid de ignorantia inuincibili comitante. ibid.
Vincibilis non excludit malitiam. 730.
Illapſus Dei quid. 136.
Quomodò ſit Dei proprius. ibid.
Hominis beatitudo formalis non poteſt in eo ſtatui. 132.
Imaginatio an ſit cauſa alterationis paſſiones conſequentis. 524.
Quomodò vicino oſcitante ad oſcitandum excitet. ibid.
An & quomodò notas fœtui inurat. ibid.
Imaginatiunis importunitas in notionibus obiectorum ingerendis. 275.
Imaginationis frænatio, quanti. 414.
Imitatio amorem conciliat. 431.
Imitationis proborum cauſentes. 642.
Immobilitas ad honeſtatem neceſſaria quænam. 619.
Vnde oriatur. ibid.
Imperium monaſticum eſt actio intellectus, & quæ 551.
Contrariæ ſententiæ reiectæ. 552.
Imperium non eſt iudicium notificans electionem factam. 554. nec iudicium, practicè intimans. ibid.
Imperium eſt iudicium claudens conſultationem, proût dirigens executionem. ibid.
Legitima Aureoli de imperio ſententia. 555.
Impietas cuiuis peccato complicata, etiam iuxta Ethnicos. 739.
Incerta omnia præter mortem. 640.
Inclinatio ad varios affectus. 380. cauſæ eius ſpuriæ. ibid. præcipua vera, temperamentum. ibid.
Inconſideratio quid. 720.
Vt minimùm ipſa eſt quæ in omni peccato interuenit. 699.
Inconſideratio non eſt ad peccandum ita neceſſaria, vt ſine ea peccari nequeat. 722.
Indifferentia actus ex genere quænam. 570.
Indifferentia ſecundùm ſpeciem quæ. ibid. admittitur. ibid.
Indifferentia actu, ſecundùm indiuiduum quæ. ibid.
Qui eam admittant. 571. Reiicitur. ibid.
Indifferentia actuum triplex, 570.
Indifferentia triplex, obiectiua, actiua, eſt paſſiua. 228.
Indifferens materia, quando ex fine extrinſeco honeſtabilis. 619.
Indifferentia operandi Epicuræa. 570.
Inductio eſt manuductio ad aſſenſum primorum principiorum. 19.
Induſtria mali operis poteſt ſine culpa placere 690.
Induſtriæ brutorum vnius ſpeciei, vniformes. 261. 292.
Infantium inexpiatorum morientium ſtatus. 183.
Infantibus an inſit aliqua libertas. 263.
Infantiæ, miſeriæ. 156. & 254.
Inferni pœna quàm atrox præ huius vitæ pœnis. 752.
Inferni quanta confuſio. ibid.
Picturæ horrendæ in improborum pectoribus ibidem viſendæ. ibid.
Infernus quidam, improbi conſcientia. 744.
Influxus cœleſtes quid poſſint circa paſſiones. 437.
Quid circa libertatem. a. 332.
Initium rectè agendi, an à minimis ducendum. 414. & 649.
Inſania & ebrietas peccantis, in quo ſita. 725.
Inſanire quis poteſt in vna ſola materia, ſanus in aliis. 2 9.
Inſtantibus an reſpondeat moralitas in actibus continuatis, variæ ſententiæ. 593. reſolutio. 592.
Inſtans naturæ, quomodò explicandum. 354.
Inſtans primum eſſendi, an poſſit eſſe fertile actionis. 355.
Inſtrumentum, plerumque non mutat malitiam. 341.
Intellectus ſpeculatiuus & practicus, quomodò vltimorum principiorum. 19.
Intellectus & voluntas, poſſunt plures actus ſimul elicere. 58.
Intellectus voluntati liberæ non ſubeſt quoad exercitium, in prima cogitatione, neque in ſubitis plurimis actibus, & iis nominatim qui ſunt à bona fortuna. 283.
Intellectus irrequieta mobilitas, vnde. 284.
Intellectus ſubeſt per ſe & directè voluntati quoad exercitium in eliciendâ concluſione, factis iam præmiſſis. 284.
Itémque in penitiori obiecti cognitione. 285.
Intellectus non poteſt, quantumuis imperet voluntas, vero cognito diſſentire, aut falsò aſſentiri. 281.
Contingit tamen eum trahi ad aſſenſum, voluntatis imperio, quem alioqui non eliceret. ibid.
Intellectus iudicium, ſæpe tale eſt de rebus, qualis eſt voluntatis ad eas propenſio. ibid.
Intellectus tribus modis ad aſſenſum determinatur. ibid.

Intellectus,

Intellectus, nullo modo liber formaliter. 255. & ſeq.
Eſt tamen radicaliter liber. 259.

Intelliengtia.

Intelligentiæ, voluntati vim afferre nequeunt. 335.
Intelligentiæ an paſſionibus ſubiaceant. 436.
Intelligentias quàm rudites concipiamus. 119.
Intentio finis ſequens iudicium practicum. 541.
Variæ ſententiæ. Vera. 543.
Intentionis ſubiectum. ibid.
Intentio & diſcrepat ab electione. 544. Varia placita 545.
Intentio indirecta, habitualis, actualis, formalis, virtualis, quid ſint. 53.
Intentionis & executionis ordines, quomodo oppoſiti. 549.
Intentionem ſequitur conſultatio, tum iudicium practicum, tum electio. 547.
Inuidia eſt ſpecies triſtitiæ & quomodò. 478.
Inuidiæ diſtinctio ab affectibus aliis. 479.
Inuidiæ ratio Ariſtotelica, collata cum ea quam aſſignauit D. Thomas 478.
Inuidia peculiare homini virus. 479.
Inuoluntarium ſimpliciter, quid ſit, & quotuplex. 202.
Inuoluntarium ex vi, nihil eſt aliud. quàm violentum ad cognoſcentia contractum. 202.
Inuoluntarium ex ignorantia, quod ſit. 202. ad 209.
Inuoluntarium ex metu & concupiſcentia, quid ſit. d 210.
Inuoluntariam malitiam, cur Plato dixerit. 732.
Iræ vtilitas. 375.
Iræ obiectum an ſemper difficile. 397.
Iræ an opponatur alia paſſio. 398.
Ira appetitus vindictæ ſeu recruciationis. 514.
Ira diſcrepat ab aliis affectibus. 516.
Iræ membra & quaſi ſpecies. 517.
Iræ cauſæ, contemptus, dolor. ibid. Cauſa per accidens, ſilentium. ibid.
Vnde ad iram promptitudo, tarditas, tenacitas. 518.
Iracundi qui. ibid.
Iræ effecta teterrima. 519. Efferatio, iratus Energumenus. ibid.
Irati œſtrum, furor, inſania. 520.
Iræ remedia. 521.
Iræ effecta, ſeu commotiones corporeæ quæ. 538.
Motus inconſulti, ibid.
An ex ira fiat vt cadauer ſanguinem fundat ad præſentiam homicidæ. ibid.
Ira quomodo vt mel iuxta Ariſtotelem.
Iræ multiplex vſus. 375.
Iudicia praua, vndè. 101.
Iudicium prudentiæ, eſt regula actuum noſtrorum 579. quomodo influat. 581.
Iudicium practicum circa finem, intentioni præmittendum 541. Varia placita Verum. 342.
Iudicium practicum antecedens voluntatis actum omnem, non infert neceſſitatem voluntati. 329. ad 322. neque ſic eam determinat, vt non maneat indifferentia actiua ibid.
Iudicij practici. *hoc eſt faciendum*, quis ſenſus. 721.
Iudicium regulans actum honeſtum, non eſt opus eſſe certum phyſicè. 613. ſufficit eſſe certum moraliter 614. aut etiam probabile. 613 Quid ſi occurrant iudicia plura probabilia ſe collidentia. ibid.
non eſt opus eſſe reflexum. 626.
Iudicium exhibens abſolutè honeſtatem operis, non aſtringit ſemper ad agendum. 614.

Iudicium regulans mores, non eſt arbitrarium. 381.
Iudicia vniuerſalia, operationem non dirigentia proximè, cur ſpeculatiua dicantur. 614.
Iugum Chriſti ſuaue. 324.
Iuris naturalis ignorantia dari poteſt. 729.
Ius emendatiuum Ariſtoteli quid. 776.
Iuriſperitus abſque morali, ſicut Empiricus inter Medicos. 21.
Iuriſprudentia, portio Philoſophiæ moralis. 22.
Iuriſperito, quàm neceſſaria liberi & voluntarij notitia. 594.
Iuriſperitis, quis dolus det cauſam contractui, quis in eum incidat. 203.
Iuris prudentia eſt vera philoſophia. 21.
Iuuenis inidoneus moralis auditor. 28.
Iuuenis non eſt à morali prorſus repellendus. 29.
Iuuentutis ærumnæ. 357.

L.

LAbor in re paranda adhibitus, auget amorem eius paratæ. 431.
Labor in virtute exercenda. 633.
Eſt minor opinione. 633.
Nullus præ labore malitiæ. ibid.
Labor vbi vis neceſſarius 633. quantum vulgus circa inania deuoret. 634.
Labor nullibi benè collocatur, extra honeſtum. ibid.
Laconum vſus circa improbi binam ſententiam. 22. 26.
Lachrymæ & ſuſpiria vt triſtitiam leniant. 533.
Lachrymæ ex gaudio. ibid.
Lachrymarum vbertas & parcitas vnde. ibid.
Lactare prolem verum matris officium. 389.
Lactis qualitas, effectuum cauſa. ibid.

Lamina.

Lamina vitrea perfectè plana, qua parte frangeretur, à plumbo perfectè plano æqualiter incidente. 221. & ſeq.
Lapis Solem & Lunam & exhibentes. 234.
Lectio librorum quanti ad honeſtatem referat. 644.
Cautiones in ea ſeruandæ. ibid.
Lex Dei multiplex. 377. & ſeq.
Legum & legiſlatorum inutilitas, ſublato libertatis humanæ vſu expedito. 301.
Legum & fati Mathematici pugna, iuxta S. Methodium. 334.
Legi adiungenda, ſuaſio, vt quis virtuti aſſueſcat 48.
Libertas phyſica & moralis ſecernuntur. 596.
Libertas phyſica ad mortalitatem neceſſaria. 597.
Item moralis. ibid.
Vtraque debet vigere quo tempore actus elicitur. 600. & 698
Libertas domina actus ſui. 237. & ſeq. In quo conſiſtit illud dominium. 237.
Libertatis dominium in actus ſuos probatur. 238.
Deſignatur voce *liberi arbitrij*. 141. vocatur tribunal internum, libar, & ſtatera. ibid.
Lbertatis dignitas & nobilitas. 143. qui eam expeditam eſſe negant, iniurij ſunt homini, & Deo. 246. 301.
Libertatis iacturam, vitæ ipſius amiſſione peiorem, duxerunt nonnulli. 243.
Libertas in cæteras facultates dominatur. 245. Inſuperabilis eſt omni virtuti creata. ibidem & 332.
à Deo vinci poteſt. 314. cùm homines donátur

Deus. quodammodò manumiſit. 291. Habendæ Deo pro eo innumæ gratiæ. 292. & 304.
Libertas maximè à vitiis tuenda. 247.
Libertatis diuiſio in libertatem exercitij, & ſpecificationis. 249.
Libertatis diuiſio in eam quæ ad bonum, & quæ ad malum materialis tantùm eſt,& an adequata 250.
Libertas in actu, eſt extrinſeca denominatio à facultate, quæ ita actum elicit, vt poſſet eum non elicere. 251. & ſeq.
Libertas formalis, & vera indifferentia actina, ſolius eſt voluntatis. 254. 192. & ſeq.
Alteri potentiæ etiam diuinitùs contingere nequit. 260.
Libertatis radix quæ. 256.
Libertatis diuiſio in phyſicam, & moralem an legitima. 283.
Libertas integratur poteſtate agendi,& poteſtate non agendi, poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis. 225. 218. 304.
Intelligitur etiam de potentia ſimultatis, ſeu de coniungibilitate actus, aut non actus, aut contrarij actus cum omnibus prærequiſitis ad agendum, 219. Fusè. 313.
Libertas, humanæ vitæ. temo. 287.
Libertas gratiæ, & libertas gloriæ quid ſint. 288. 321.
Libertatis creatæ natura, rectè explicatur per indifferentiam. 218 Non obiectinam vt quidam volunt. 219 Purè paſſiuam, vt quibuſdam viſum eſt. 222. Sed actiuam. ibid.
Libertas diuina, creatæ diſſimilis, & quomodò. 231.
Libertas creata, rectè explicatur per id quòd ſit facultas ſic determinans ſeipſam ad actum ſecundum, vt priùs natura quàm ſe determinet, poſſit non ſe determinare. 234. Quomodò ſe determinet 235.
Libertas in actu primo, innato ſita eſt. 194.
Libertas Chriſtiana quotuplex 219.
Libertas perfecta ex paſſionum frænatione.
Libertas hominis, non eſt amiſſa peccato primi parentis. 320.
Libertatis expeditæ aſſertores, Philoſophi Ethnici. 289. & ſeq. Etiam Ariſtoteles. 293.
Libertas non tollitur per appetitum ſenſitiuum. 322. Neque habitu quantumuis confirmato 326. Neque iudicio practico. 319. Neque cœlo, aut alia creata cauſa. 335.
Libertatis vſum expeditum impedit ſubtractio concurſus 304. Item qui obiectum renouat, aut non proponit indifferens. ibid. item ſuppoſitio quæuis antecedens. ibid. 336.
Libertas pati poteſt à cauſis creatis reſiſtentiam impeditiuam actus eliciti. 327.
Libertatem expeditam ineſſe homini probat, quòd nulla aliunqui eſſet in actibus noſtris honeſtas & turpitudo. 297. Nullum laudis ac præmij, probri ac pœnæ meritum. ibid. Iuſta eſſet ſcelerum excuſatio. 299 Horrandi labor caſſus. ibid. fruſtrà & abſurdè aſſereretur eſſe in homine libertas, ſi non eſſet expedita 303.
Libertatem expeditam hominis qui negarint. 287.
Probatur eſſe. ibid.
Libertatem creatam Deus impedire poteſt; vel nullo immiſſo, voluntatem abripiendo ſecum ad agendum. 315. Vel immittendo principium aliquod accidentarium neceſſitans. 316.
Libertatis humanæ impeditio quoad facultatem ad volendum, ſit obiecti ſubſtractione, vel indebita propoſitione. 319 Nunquam autem diuini concurſus ſubtractione. ibid.
Libertatem non negarunt quicunque fatum poſuerunt. 290.
Deſtruxere tamen quidam Stoïcorum, dum fatum ponunt. 295. 307.
Liberum & morale, an idem. 560. 565.
Liberum minùs latè patet quàm voluntarium. 250.
Neque tamen eſt eius ſpecies. ibid.
Liberum ſæpè confunditur cum voluntario. 219.
Aliæ eius acceptiones. ibid.
Libera notitia nulla,abſque præcedente volitione. 285.
Liber eſſe quis poteſt circa materias aliquas, non circa alias. 263.
Liberi principij deſcriptiones variæ. 224. ad 242.
Libri Autoribus tanquam liberi. 433.
Librorum lectio, quàm vtilis ad virtutem. 644.
Librorum vtiliter legendorum, cautiones. ibid.
Locutio poſt auulſum cor, an naturalis. 368.
Locus, quomodò malitiam moralem conferat, augeátve. 696.
Luſus an hominis felicitas. 83.
Lutheri improbitas, nullatenus diluta, ipſo indice. 569.
Lutheri triumphus de ſyntereſi. cuiuſmodi. 18.

M

MAgiſter morum, doceat ſuo exemplo. 22. & ſeq.
Magiſtro morum quæ dotes neceſſariæ. ibid
Magiſtri morum præ pauperi. 23
Magiſtri morales plerique non Philoſophi, ſed Philologi & Grammatici. 24.
Magiſtri morum, quinam Eunuchi. 25.
Mahumetes Epicurei partiarius. 81.
Mahumetes præiuit Caluino, in ſtatuendo Deo cauſa peccati. 705.
Malitia omiſſionis prauæ, quænam. 68.
An ſit pura omiſſio, pars negans. ibid.
Eligitur contraria. 683.
Vt plurimùm tamen non eſt pura. 684.
Quas actiones poſitiuas inquinet. 686.
Sic iniquitatæ, an malitia omiſſionis, an commiſſionis ſordeant. 688.
Malitiæ actualis tèrminus proximus cum quo diſſonat, non eſt natura rationalis. 655.
Neque lex diuina. ibid. Sed iudicium operantis. 658.
Malitiam commiſſionis eſſe puram priuationem qui cenſuerint, & quibus rationibus. 663.
Refelluntur, quomodolibet exponantur. ibid. & ſeq.
Qui eandem ſtatuerint partim priuatiuam, partim poſitiuam. 670. Refelluntur. à 671.
Eſt adæquatè poſitiua. 672. Quæ contra opponantur 677. & ſeq. Diſſoluuntur. ibid.
Malitia per omnimodam ignorantiam, nulla. 727.
Malitiæ moralis, varia nomina. 651.
Malitia omnis vel eſt commiſſionis, vel omiſſionis. 652.
Malitiæ verus terminus immediatus, iudicium practicum. 658.
Malitia eſt in aliquibus obiectis ſecundùm ſe ſumptis. 659. Sed non niſi obiectinè, & fundamentaliter. ibid.
Malitiarum inæqualitas vnde. 701.
Malum naturale quotuplex. 672.
Malum in ſe ſecernitur ab eo quod eſt malũ alteri. ibid.
Malum minus, ſuadere, quomodò iuſtum. 659.
Mali quomodò nulla eſſentia, iuxta Patres. 6 8.
Mali moralis cauſa, neceſſariò bona. 719.
Malum pœnæ an ſit à Deo. 707.

Manichæi

Manichæi cur duo prima principia confinxerunt. 705.
Manichæi præ Caluino & noſtratibus Sectariis, in Deum pij. ibid.
Manichæorum cæcitas circa libertatem, ex Auguſtino. 297.
Maritus & vxor, formaliter ſunt entia realia. 563.
Verum Matris officium quodnam ſit. 389.
Media quædam ſunt fundamentaliter honeſta. 618. 621.
Media æqualia, an præeligibilia pro arbitrio. 27.
Medicamentorum vis circa paſſiones. 300.
Memoria non differt reuera ab intellectu. 280.
Memoria Dei quàm fructuoſa. 755. 756.
Menſurabilitas an ſit relatio rationis. 590.
Meritum quid ſit. 764.
Differt à laudabilitate. ibid.
Quanti interſit non abire irremuneratum. 767. 768.
Methodus moralis, reſolutiua. 333.
Methodus reſolutiua, in practicis tenenda. 33.
Metus non eripit libertatem neceſſariam moralitati. 196.
Metu graui geſta, ſunt inuoluntaria, ſecundùm quid, voluntaria verò ſimpliciter. 214.
Metu graui ingruente, non obligant aliquæ leges, alioqui iuſtæ. 217.
Metu initi contractus aliqui irritantur, & quare. 218.
Metus in ore ventriculi iuxta Nemeſium. 166.
Refellitur. ibid.
Metus cadens in virum conſtantem, quis. 216.
Miſericordia quomodò ſit triſtitia mali alieni. 476.
Miſericordia quomodò voluntas ſubleuandi alium ibid.
Miſericordiæ Ariſtotelicam notionem refellens Lorca, caſtigatur. 477.
Modus operandi accidentarius quis. 695.
Modus non variat regolariter malitiam moralem, ſed perrarò, & quare. ibid.
Modus, Ariſtoteli quæ circunſtantia. 211.
Modum ſciendi, & ſcientiam ſimul quærere, abſurdum. 31.
Molina purgatus à calumnia circa diuinum concurſum. 115.
Molina perperam accuſatus à Zumele. 254.
Molina, bruto anathemate Batanico percuſſos, ab negatam gratiam neceſſitantem. 263.
Monaſtica eſt vera pars Philoſophiæ moralis, 35.
Monitio amica, quanti ad virtutem referat. 642.
Monitio priuata. præſtat publicæ adhortationi. 643.
Monitiones, ſecluſa libertate irritæ. 301.
Monitor, magnum honeſti ſubſidium. 756. 757.
Moralis ſcientiæ definitio. 16.
Moralis Philoſophiæ vtilitas. 5.
Moralis ſcientiæ amœnitas. 6.
Moralis eſt magna muſica, teſte Platone. 6.
Moralis omnibus Philoſophiæ partibus facilior. 6.
Moralia magna, quæ. 38.
Moralis bonos efficit in quibus ineſt, & quomodò 21.
Moralis varia nomina. 1.
Moralis Philoſophia, idem habitus cum prudentia, 20.
Moralis ſcientiæ dignitas. 1.
Morali vni ſeruiunt reliquæ. 3.
Eſt totius Philoſophiæ anima ſecundùm Stoïcos. 4.
Eſt ſcientia optimi ex Platone. Principalis ex Ariſtotele Et Regia ex Platone 3.
Moralis Philoſophiæ Chriſtianæ, vis ſupra naturalem moralem 19.
Moralis ad beatitudinem per media acquirendam refertur. 194.
Moralis ſcientia, tradi debet dogmatis ſimul, & præceptis. 33.
Moralis an ſubtiliter tractanda. 31.
Moralis Phyſicæ confertur, & præfertur. 1. & 16.
Moralis eſt vera Philoſophiæ pars 1 & 11.
Moralis Philoſophiæ caput, eſt ſcientia viarum ad beatitudinem. 194.
Moralis ſcientia, purè practica. 13.
Moralis Philoſophia Ariſtotelis, præſtans. 40.
Vni cedit traditæ ab Hebræis priſcis, & Chriſtianis Catholicis. 42.
Moralis ſcientia tripartita. 35.
Moralis Philoſophia, Hæreticorum, & Atheorum fœditatibus ſcatens. 41.
Moralis non eſt ars. 11.
Moralis eſt vera ſcientia. 11.
Moralium actuum in bonos & malos diuiſio, cuiuſmodi. 523.
Moralitas ſecundùm ſpeciem, quæ. 601.
Quomodò ad genericam ſe habeat. ibid.
Moralitas ex officio. quænam ibid.
Moralitatum variarum concurſus in eundem actum, expenſus. 600. Latiſſimè. ibid.
Moralitas eſt ordo humani actus ad regulam. 561.
Eum ordinem qui ſtatuerint relationem rationis. ibid. Explicantur. ibid. An ſit extrinſeca denominatio. 562. An relatio tranſcendens. ibid. An categorica. 564. Vera ſententia. ibid.
Moralitas formalis vnde dicta. 560.
Moralitas obiectiua, omnium prima 588. Quàm mutuo inſit, & quid ſit ibid Varia eius nomina, 590. Primaria & ſecundaria. ibid. Secernuntur. 601. Ordo naturæ inter eas. ibid.
Materia, ſedes moralitatis obiectiuæ primariæ. 590.
Iunctis tamen circunſtantiis internis. 591.
Moralitatem qui ſtatuerint modum actus humani. 566. Reiiciuntur, ibid. Phyſicè nec differunt, nec differre poſſunt. ibid. Quomodò tamen ſeiungantur. ibid.
Moralitas aliqua, an ſupernaturalis. 583.
Mores animi, ſequuntur temperamentum. 381.
Mores animi temperamento corporis plerunque reſpondent 691.
Mores boni qui dicantur, 9.
Mores boni diuiduntur in naturales & ciuiles. ibid.
Motum principium, naturale eſſe oportere, quo ſenſu verum ſit. 203.
Motum materialis cauſa, quæ. 359.
Mos & aſſuefactio. cadit quoque in facultates non liberas. 561.
Mors omnibus immatura. 638. Anguſtiæ ſub eam ex Platone. ibid.
Mortis memoriam infixit Pythagoras. ibid.
Mors indeclinabilis, 156.
Mors ex metu. 536.
Morimur perpetuò. 155. 639.
Mors myſtica, quæ. 187.
Mortis meditatio philoſophica, & medica. ibid.
Mors aliquorum abſque graui culpa, quibus rependenda beatitudo in ſtatu puræ naturæ. 168. & ſeq.
Mortis certitudo. 649.
Motus primò primi quinam.
Motus primò primi nullo modo liberi, & quare. 28.
Motus appetitus ſenſitiui, nullo modo liberi. 214.
Motio metaphorica non eſt influxus finis. 52.
Motiua ſui potentia, alia à vi motrice. 109.
Motrices variæ vires, quomodò libertati ſubſint, 128.
Muſicæ vis ad moderandas paſſiones. 420.
Muſicæ vis ad affectus concitandos. 438.
Muſica virtutis. 637.
Muſica corruptrix quàm vitanda. 438.

N

Natura rationalis, tantùm remota regula actuum noſtrorum. 578.
Natura humana lapſa, non attrita. 625.
Natura quid. 201.
Naturæ puræ quis foret ſtatus. 163. & ſeqq. Fuiſſent inteſtina in eo ſtatu, rationem inter ac ſenſum, diſſidia. ibid. Item proxima capacitas honeſtorum ac inhoneſtorum operum. 166. Et inſtitutio poteſtatis dirigentis, & coërcentis, Eccleſiaſticæ, & ciuilis. 167. Et pœnitentia ac remiſſio culparum, merè naturalis ac extrinſeca. 168.
Naturale quotuplex, & quid ſit. 196. 201.
Naturale cuique eſſe quod Deus facit, quo ſenſu verum ſit. 199.
Neceſſitatis in antecedentem & conſequentem diuiſio, ex Anſelmo. 307.
Neceſſitas abſoluta in creaturis rectè à D. Thoma admiſſa, contra Sirenij cauillos, 210.
Neceſſaria cauſa multis modis dicitur. 69.
Neceſſaria cauſa rectè diuiditur in abſolutè neceſſariam, & contingentem. ibid. Definitur. ibid & ſeqq.
Explicatur definitio. ibid.
Negationem negationis, qui admiſerunt reiecti. 669.
Negatio contrarij, incluſa in alio. 670.
Negligentiæ damna. 647.
Nihil eſſe, quo ſenſu dicantur entia quædam poſitiua. 679.
Nominalium ſententia, de neceſſaria continuatione actus, excutitur. 356.
Nuptiæ, Doricè γάμοι dictæ & quare. 63.

O

Obedientia politica quid ſit. 277.
Obedientia deſpotica, quæ, & quibus competat. ibid.
Obiecti ratio formalis *qua*. cur numeretur inter rationes materiales. 7.
Obiecti ratio *Quæ* & *Propter quam*. ibid.
Obiectum materiale in Morali, humana operatio; formale autem, rectitudo moralis in fieri, integrum verò obiectum operatio honeſta, ſeu boni mores. 7. & ſeqq.
Obiectum, ſubiectum, & ſcibile remotum, quid. ibid.
Obiectum præit ratione, notitiæ ſpeculatiuæ. à num. 345.
Obiectum preſsè & latè ſumptum, in moralibus quodnam. 601. Preſsè dictum, eſt fons moralitatis formalis primariæ, in actu purè elicito. 605. An ſit circunſtantia 602.
Obiectum materiale non per ſe volitum, eſt fundamentaliter honeſtum. 618 Indifferens, quomodò honeſtetur. 619.
Obiectum honeſtum, quatenus expeti debeat propter ipſum, iuxta Ariſtotelem. 618. & 621.
Obiectum malum ſub conditione bona expetitum, vacat vitio. 689.
Obiectum vt ſic, fons eſt malitiæ actus interni contra recentiores. 691. Eorum rationes in contrarium dilutæ. ibid.
Occupationum receſſio, quanti ſit. 649.
Odij quidditas. 419.
Odium inimicitiæ, odium abominationis vt differant 440. 441
Odium eſt reipſa & formaliter nolitio. 442.
Odium naturale, humanum, ferinum, melancholicum an ſint nouæ ſpecies odij, an modi tantùm. ibid.
Odij cauſæ variæ. 442.
Odium Diaboli, in Deum & homines. ibid.
Odij, tetri effectus. ibid.
Odij remedia ex cauſis & effectis eruta. 443
Odium quam creet alterationem in corpore. 532.
Odio ſubiacent timidi, ignaui, ſuſpicioſi. 442.
Odia coniunctiſſimorum, grauiſſima, cur. ibid.
Oſor aliorum quàm ſibi noceat. ibid.
Oſores omnium, qui ſint, & quàm melancholici. 441.
Omiſſio pura, poteſt eſſe voluntaria & libera. 207.
Omiſſio pura, eſt quid indifferens. 628.
Omiſſiones quomodò ab obiecto prauo inquinentur. 694.
Omiſſiones quomodò ſint inæqualiter malæ. 701.
Opera naturæ quæ, Euſebio Theſſalonienſi. 374.
Operandi conatus, an optatione prior. 652. 654.
Opiniones vulgi contemnendæ. 646.
Oratio adhibita à Philoſophia ad virtutem exorandam. 640.
Oraculum Apollinis de inauribus puerorum. 388.
Ordo in tradendis Philoſophiæ totius partibus. 34.
Ordo partium Moralis. 37. 46.
Ordo executionis & intentionis quid. 549.
Otium quodnam bonorum maximum Syneſio. 649.

P

Paradiſi terreſtris, & virtutis collatio. 657.
Paradiſus huius vitæ, intra ſe auſtrum, aut ſebolas. 191.
Parentum complexio, prolis paſſiones variat. 383. Preſertim paterna. 386.
Parentum amor, radix amoris liberorum, cognatorum, & coniugum. 433.
Parentum amor in liberos, maior quàm amor liberorum in parentes, maximè aduerſus primogenitos. ibid.
Pater ſibi quiſque per libertatem. 632.
Patres, quanti faciendi. 680.
Patrum dicta de commiſſione praua negatiua, exponuntur. 678.
Patres non adeò ſolliciti de rerum quidditate. ibid.
Patres defenſi. ab impudenti Caluini calumnia. 289.
Paſſiones principales, & minùs principales, quæ. 402. 405.
Paſſiones, quænam perfectiores. ibid. Item completiores. ibid.
Paſſionis vox, vnde ducta ad affectus. 361.
Paſſionum contrarietas vnde ducenda. 400. 401.
Paſſionum incompoſſibilitas, alia à contrarietate. 401.
Paſſionum vitæ priores origine, iraſcibiléſne, an concupiſcibiles. 401.
Paſſiones intra eundem appetitum, quæ priores. 403.
Paſſiones, claui quibus anima configitur. 361.
Paſſiones non ſunt indicia. ibid.
Paſſionum diuiſio in naturales, & animales. 394.
Paſſiones ex ſe non malæ. 374.
Paſſionum vſus ac finis. 394.
Paſſiones, verruca animæ. 374.
Paſſiones, arma animi. 375.
Paſſionem tumultuantium, & Democratiæ analogia. 410.
Paſſiones ſunt actus appetitus vtriuſque. 362.
Quomodò dicantur diſtingui ab actibus, 362. 363.
Paſſiones ad appetitum concupiſcibilem pertinentes. ſigillatim. 421.
Paſſionum appetitus concupiſcibilis numerus, iuxta D. Thomam. 395.
Paſſionum ſpectantium ad appetitum iraſcibilem, numerus quomodò ab eodem S. Doctore ineatur. ibid. Quæ in contrarium aliqui proferant. 396. diſſoluuntur.

diſſoluuntur. 397.
Paſſiones à quàm variis tractentur. 360.
quatenus ſpectent ad moralem. ibid.
Paſſionum curatio, varia in variis. 406.
Propaſſio apud S. Hieronymum, quid. 373.
Potientia, dolorem & triſtitiam mitigat. 485.
Pauperes à cruciamentis diuitum liberi. 932.
Pauperum potiores deliciæ. 95.
Peccato mortali debetur æterna pœna, & quare. 60.
Peccatum omne eſt contra legem. 60. Quo ſenſu dicatur, veniale eſſe tantùm præter legem. ibid.
Peccati actualis, & originalis, alia nomina. 654.
Peccatum quomodò pugnet cum natura rationali 655.
Quomodò dicatur præuaricatio. 656.
Peccatum eſt aliquid fruſtraneum & nequicquam factum. 655.
Peccata minuta quàm ſtudiosè vitanda. 760.
Peccata quæcunque, etiam collectiuè ſumpta vitari poſſunt. 723.
Peccatum mortale, quomodò non fuiſſet in ſtatu naturæ puræ. 668.
Peccatum vera Dei iniuria. 657. Quomodò tamen non idcircò reſpiciat eſſentialiter legem Dei. 685.
Peccatum externum, an clauibus ſubiiciendum. 600. 609.
Peccati ſeruitus, quæ. 23.
Peccati fœditas ex pugna cum natura rationali. 734.
Ex hominis metamorphoſi in feram. ibid. Ex deiectione infra bruta. 735.
Ac etiam infra Dæmones. 736.
Ex eo quòd hominem humi affigat. 737.
Ex pugna cum Deo. 775.
Peccatum morbus animæ. ibd. Analogia omnium ferè morborum & vitiorum. ibid. Eſt peſtis tetrior quàm corporea. ibid.
Peccatum quomodò differat à delicto. 652.
Peccatorum inæqualitas quotuplex. 699. Eius inficiatio impacta Stoïcis. 694. Purgantur. ibid.
Peccati remiſſio qualis in ſtatu puræ naturæ. 167.
Peccatum, verène dici poſſit, Deo eſſe voluntarium phyſicè. 209.
Peccans, quomodo ignorans. 724.
Peccantis cæcitas. 725. Eius faſcinatio. ibid. Inſania. 726.
Peccantis finis ſimpliciter vltimus, non eſt bonum quod peruersè amat. 59. Qui tamen moraliter peccat, id poteſt dici facere interpretatiuè. 60.
Peripatetici cum Stoicis conciliati quoad paſſiones ſapientis. 379.
Peripateticorum ſententia de bonis fortunæ, beato neceſſariis, an vera. 144.
Peripatetici, quomodò vitam ex virtute dixerint eſſe hominis felicitatem. 135. Peripateticis quid, ſapientiæ ſplendor. 4.
Permiſſio effectus mali, quando non mala. 698.
Permiſſio quid. 712.
Permiſſio peccati in Deo heneſta. ibid. 714.
Quod permittitur, non eſt bonum. ibid.
Perplexus, an teneatur malè agere. 639.
Perturbationem à paſſionibus differentia. 361.
Pharmaca aptant ad certas paſſiones. 362.
Philoſophus ſupra homines eſt. 36.
Philoſophorum diſſenſio quanta. 119.
Cæcitas in agnitione ſummi boni. 225.
Philoſophia ſtudium rectæ rationis. 4.
Philoſophiæ diuiſio in ſpeculatiuam & actiuam. 2.
Philoſophia practica, quatenus eadem cum morali. 2.
Philoſophiæ diuiſio in rationalem, naturalem, & moralem. 15.
Philoſophorum ſeceſſiones à frequentia vrbium. 415. 416.
Philoſophorũ cæcitas in agnitione finis humani. 125.
Philoſophi agnouerunt reſurrectionem. 177.
Phyſionomiæ fundamenta. 386.
Phyſiognomia quanti facienda. ibid.
Phyſiognomiæ Zopyti coniectationes. 335.
Placendum ſibi, ſtatuit Epictetus. 417.
Plato ænigmatiſtes. 184.
Platonis lapſus in Philoſophia morum. 40.
Plato cur Ariſtoteli prælatus à quibuſdam Patribus. 41.
Plato pœnam capitis effugit latam in hominem, quia diuinus eſt habitus. 36.
Platonici amores, fruſtrà excuſati. 417.
Platonica animarum horrea, antea corpus. 184.
Pœnæ alterius vitæ, quàm atrociores noſtratibus pœnis. 175.
Pœnæ condignitas differt à macula. 769.
Pœna non eſt mala, ſed feciſſe id cui pœna debetur. ibid.
Pœnæ dignitas, an contrahatur ſolâ voluntate. 770. Contrahitur abſque prænotione. 771. Non tenetur reus pœnam aſſumere. ibid.
Pœnæ metu, rectè culpa vitatur. 699.
Pœna non poteſt innocenti inferri. 774.
Pœnæ inferendæ cauſa. 775.
Pœnitentia qualis in ſtatu puræ naturæ. 167.
Per pœnitentiam Phædo & Polemo ad meliorem frugem reuocati. 329.
Poëtæ, primi morales Philoſophi. 40.
Populi tumultuantis & paſſionum infrænium analogia. 410. & 413.
Poſſeſſio rerum, non eſt vnius modi. 147.
Poſſeſſio Dei per hominem. ibid.
Poſſidentis conditio in dubio melior, etiam extra materiam iuſtitiæ. 662. Dummodò tamen par ſit cauſa. ibid.
Poſſibilia multa nunquam fiunt. 774.
Potentiarum in rationales & irrationales diuiſio. 253.
Potentia ſimultatis, & ſimultas potentiæ, quid ſint. 226. 312.
Potentia neutra an detur. 196.
Qui poteſt maius, an poſſit ſemper minus. 263.
Poteſtas Eccleſiaſtica & ciuilis in ſtatu puræ naturæ, qualis. 167.
Poteſtas publica remiſſa in puniendo, valdè noxia. 771.
Cauenda tamen etiam præcipitatio plectendi. ibid.
Quæ ei moderatio tenenda 773. 774.
Præcepta formaliter diuerſa quænam. 581.
Diuerſificant actus morales. 584. Qui id negant reiecti. ibid.
Præceptum ieiunij eſt negatiuum, non affirmatiuum. 691.
Prædeterminatio phyſica nullius eſt vſus ad philoſophicam operis honeſtatem. 625.
Prædeterminatio circa peccatum, non eſt amittenda. 710.
Ne ad materiale quidem. ibid.
Præfinitiones diuinæ purè immanentes, pugnant cum libertate creata quoad ſpeciem, cohærent tamen cum libertate exercitij. 312. & ſeq. 709.
Præfinitio peccatorum, nulla. ibid.
Præfinitio diuina immanens aut mouens. ibid.
Præmium virtuti debetur. 767
Præmium virtuti non rependere, quàm malum. 768.
Præmium debetur etiam virtuti, alias infructuoſæ. ibid
Præmium volgare vileſcit. 769.
Præmij condignitas abſque prænotione paratur. ibid.
Prærequiſita ad agendum quæ ſint reſpectu neceſſariæ cauſæ. 227.
Quo reſpectu liberæ cauſæ. ibid.

Præſcientiæ diuinæ infallibilitas, rectè ſtat cum actuum noſtrorum contingentia. 339. & ſeq.
Præſcientiæ fundamentum quodnam. 310.
Præſcitur res quia futura, non contrà. 345.
Præſumptio quomodò ſit ſpei affectus. 490.
Primogeniti à parentibus cur præcipuè amati. 437.
Principia prima ſcientiarum, quid ſint, & quàm multiplicia. 17.
Principia prima io Morali, quæ. 17.
Principiorum primorum moralium vniuerſaliſſimorum, non datur habitus, ſed tantùm, minùs vniuerſalium. 18.
Principiis obſtare quantum. 411. 760. Luctandum tamen etiam aduersùs vitia, quorum principiis non eſt obſtitum. 764.
Priuatio moralis, quid dicatur. 675.
Priuatio an conſtituat formale peccati commiſſionis. 663.
Priuatorum claſſes, tres. 670.
Priuatorum beatior conditio. 110.

Progreſſus.

Progreſſus in infinitum in cauſis, (maximè finali bus) repugnat. 45.
Progreſſus negl gentia, retroceſſionis initium 651.
Progreſſus in virtute continuos ibid.
Prouidentiæ negatio, Epicuræi dogmatis origo. 80. 83.
Pudor color virtutis ex Diogene. 536.
Pudor cur calorem foras euocet. 535.
Falſæ ſententiæ. Vera. 538.
Pudorem ingerunt vituperatio, & reprehenſio. & iuſtè inferuntur. 776.
Pulchritudo corporea, fugax & leue bonum. 72.
Eſt vitiorum irritamentum. 74.
Pulchritudo animæ. ex repreſſis paſſionibus. 406.
Pulchritudo animæ, virtus. 630, 632.
Pulchri ſummi deſcriptio. 417.
Pulchrum ſeu bonum, eſt cauſa amoris primaria, & eius obiectum. 418.
Pythagoras cur interdixerit eſum habentium caudam nigram. 420.
Pythagoras an apatheian approbârit. 372.
Pythagoras quorſum quoudie conuolui ſtragulam veſtem mandaret. 659.
Pythagoræ décretum de conſcientiæ examine. 752.
Pythagoræum apoſtatarum cenotaphium. 28.

R

RAritas rei, maximè cum bonitate vel pretio coniuncta, amorem creat. 432.
Ratio recta quid ſit, 4.
Ratio recta, Philoſophis idem quod Moralis. 5.
Rationis vſus, ſtatus quid ſit. 264.
Rationis vſus. quando illuceſcat primùm, & an ſimul conſummetur. ibid.
Rationis vſus quantum bonum. 266.
Rectitudines variæ cum peccato pugnantes. 668.
Regnum intra hominum frænatione paſſionum. 374.
Rex eſt qui ſuos frænat affectus. 406.
Regreſſus demonſtratiuus quid ſit, & quomodò fiat. 170.
Regula actuum noſtrorum, an lex diuina. 577.
An diuina voluntas. 577.
An natura rationalis. 578.
Vera regula. 579.
Regula actuum humanorum, generalis & particularis. 614.
Relatio actuum bonorum in Deum, quæ. 620.
Relatio virtualis, duplex. 622.
Relatio, & connotatio, ſeiunctæ. 564.
Reſpiratio an ſubſit libertati. 279
Reſurrectio corporum futura in ſtatu, puræ naturæ. 177.
Quomodò tamen dicatur opus ſupernaturale. 178.
Reſurrectionem in eo ſtatu negantium, rationes refelluntur. ibid.
Reſurgentium corpora in pura natura, cuiuſmodi 179.
Riſus origo. 530.
Riſus obiectum. ibid.
Riſui adiuncti motus. ibid.
Riſus Sardonicus quis. ibid.

S

SAlomon Philoſophus moralis perfectiſſimus. 20.
Salomon habueritne in ſomnis libertatem. 267.
Sanguinis varia affectio quas varias affectiones procreet. 381.
Sanguis an moueatur motu animali. 524.
Sanguis fluens è cadauere ad præſentiam homicidæ, vnde fiat, & qua vi. 539.
Falſæ ſententiæ. Vera. 540.
Sanitas corporis, exile bonum. 72.
Sanitas, hic quàm oblæſa. 155.
In ſolo cœlo, ſanitas. ibid.
Sapientia integra, perfectum mentis humanæ bonum. 2.
Sapientia quid Stoïcis, ac interdum Ariſtoteli.
Sapientiæ ſplendor quid Peripateticis. 3.
Sapiens quoque obnoxius paſſionibus, citra noxam,
Scandalum ex culpa perſonæ publicæ. 697.
Scandalum ſpeciale cuiuſmodi culpa. 733.
Quomodò à ſcandalo generaliter dicto diſtinguatur. ibid.
Sceleratorum infinitus numerus. 160.
Scientia magnum bonum, non tamen ſummum. 116. & ſeq.
Scientia humana oritur à ſenſibus. 117. Admodùm anguſtis finibus continetur. ibid Puteus eſt inexhauſtus. 111. Admiſtam habet multam ignorationem. 119.
Scientia bonorum morum, iners, carpitur. 15.
Scientiæ practicæ, dicuntur *ſcientia potentia.* 22.
Scientia quid. 12.
Scientiarum ſubalternatio, in quo ſita. 21.
Scientiarum amaror. 121.
Scrupulus quid 614.
Senectus mortis meditatio. 158.
Senectus, ætas ſapientiæ. 29.
Senectutis ærumnæ. 159.
Senex γέρων quaſi terram amans. ibid.
Senex ſceleri ineptus, ineptus ad moralem. 28.
Senſus compoſiti ac diuiſi, interpretatio noua, & conficta. 312.
Senſus compoſiti ac diuiſi, germana notio. 313.
Senſuum integritas bonum exiguum. 74.
Quoad illud cedimus brutis. ibid.
Senſus externi, ſpecie impreſſa obiecti accepta, non ſubſunt voluntatis imperio. 275.
Senſus internus, non ſubeſt directè voluntati, quoad primam obiecti perceptionem. ibid.
Senſus externi. irritamenta malorum.
Senſus ſunt portæ ſcientiarum. 117.
Senſus & vis motrix, ſunt participatiuè rationales 253.
Signum, formaliter eſt ens reale. 562.
Silentium cauſa odiorum. 517.
Syllogiſmus peccantis an ſit ex quatuor terminis, vel

etiam

ętiam duplex. 722.
Syllogiſmi concluſio quomodò libera, formatis iam præmiſſis 284.
Similitudo cum Deo quæ, iuxta Platonem. 136.
Similitudo animorum & amorum conciliatrix. 430.
Singula in quibus eſt actus, quid apud Ariſtotelem in definitione voluntarij. 210.
Singula non recenſuit omnia, Ariſtoteles. 211.
An omnia illa ſingula cognoſci oporteat ad voluntatum. ibid.
Socrates cur dimiſſa Phyſica ſe ad moralem tranſtulerit. 4.
Socratis lapſus in Philoſophia morum. 40.
Socratis de ſua in ſcientia, ingenua confeſſio. 111.
Socratis amores, cuiuſmodi. 417.
Solitarij laudatio. & vituperatio. 36.
Solitudo Philoſophis cur probata. 416.
Solitudo cuiuſmodi eſſe debeat. ibid.
Species impreſſæ reſeruatæ in memoria, quomodò voluntati ſubſint. 286.
Specierum vſus inadæquatus quomodò poſſibilis. ibid.
Species generis ignobilioris, poteſt præcellere ſpeciei generis ſuperioris. 703.
Quomodò id quoque valeat in moralibus. 701.
Spes quid ſit. 486.
Spei obiectum quomodò arduum. 488.
Spes connotétne credulitatem futuritionis. ibid.
Falſæ ſententiæ. 486. 490.
Spes duplex affectus. 490.
Spei cauſæ. 491.
Spei effecta. ibid.
Spei ſubiecta, ſiue ad ſperandum apti. ibid.
Spes omnis boni ſtimulus. 492.
Spei vtriuſque remedia. 493.
Spes timorem pellit. 513.
Spem conſequens corporea commotio, quæ. 530.
Spirituum ad certas corporis partes tranſmiſſio in paſſionis æſtu, vnde fiat, & qua vi. 527.
Stoici ſecum pugnant quoad libertatem. 295.
Stoici benignè expoſiti circa apatheian. 373. & ſeq.
Stoici benignè expoſiti quoad paſſiones iudiciis annumeratas. 361.
Stoici reprehenſi quoad paſſiones corporibus accenſitas. 363.
Stylus Philoſophicus. 44.
Subtilitates nimiæ in ſcientiis reprehenſæ. 6.
Sudor Chriſti ſanguineus. 530.
etiam aliorum. 531.
Variæ ſudoris ſanguinei, in variis origines. ibid.
Supernaturalitas admittenda eſt, tam ratione principij actiui, quàm paſſiui. 196.
Suppoſitio antecedens, ſiue cauſalis, impedit libertatis vſum 305. & ſeq.
Suppoſitio antecedens, quotuplex ſit. 315.
Suppoſitionis antecedentis, tantùm linientis, reiectio. 310.
Suſpicio quid. 614.
Sympathia ſenſus & appetitus, ſupplet localem ſeiunctionem illarum facultatum. 367.
Synterefis quid 17.
Synterefis, re & ſpecie differt à morali. 19.
Quomodò de ea triumpharit Lutherus. 18.

T

TAlionis arithmeticæ æqualitate deſtruitur ciuitas. 55.
Eius æqualitatis vſurpator Rhadamantus. ibid.
Temporis pretium. 638.
Tempus quomodò malitiam moralem conferat, vel augeat, 696.
Theotimus voluptarius, vel cum exoculatione. 293.

Timor.

Timor quid. 503.
Timor an ſit etiam de malo cognito, certò futuro. 504.
Timor eſt etiam de malo Procul remoto. 505.
Etiam bruta timent mala futura. 506.
Timoris diuiſio ſextuplex. 507. Triplex & Chriſtiana, in mundanum, & ſeruiliter ſeruilem: humanum, & ſimpliciter ſeruilem; filialem. ibid.
Timoris cauſæ. 508.
Timoris effecta & damna. 511.
Deus timendus etſi non malum. 509.
Ad metum procliues. 510.
Timoris fructus. 511.
Remedia. 512.
Timores ſtulti, inanes, pueriles. ibid.
Timoris effecta ſeu commotio in corpore. 534.
Mors ex metu. 535.
Canities ex timore. 535.
Timor ſeruilis malus, ſi ſit cum ſeruilitate. 699.
Timor humanus non malus. ibid.
Titillatio quid, & quorſum fiat. 475.
Triſtitiæ cauſæ, malum coniunctum, mali notitia, mali nolitio. 479.
Triſtitiæ obnoxij ſenes, ægri, exangues. 481.
Triſtitiæ effecta teterrima. ibid.
Damna, attrocitas. ibid.
Vtilitas ſola in eluendis peccatis. 482.
Remedia generalia. 483. Specialia. 486.
Triſtitia eſt actus voluntatis. 475.
Triſtitia, quam efficiat commotionem in corpore. 533.
Quandoque etiam mortem. 534.
Triſtitia Dæmonum cur nullatenus minuatur. 401.
Triſtitiæ lenimenta, lachrymæ & ſuſpiria. 533. Cantus & muſica. 485. Habere pares in calamitate 483, Patientia. 485.

V

VAlor pecuniæ, non eſt ens rationis. 662.
Valor operis, creſcit ex perſonæ dignitate. 627.
Valor moralis, quomodò ad bonitatem ſe habeat. 612.
Verba probroſa, & conuitia, ſpernenda. 521.
Verbum otioſum quid. 611.
Verecundia quomodò in quibuſdam brutis. 369.
V. *Pudor.*
Veritatis puteus. 118.
Veritas futurorum, æterna. 349.
Veritas & falſitas, ſunt reipſa eædem cum enunciatione, tametſi ſeiungi queant. 566.
Vindicta publica, honeſtiſſima. 772.
Qui ſecus ſenſere, etiam inter Chriſtianos, improbati. 773.
Quàm prudenter decerni & inferri debeat. ibid.
Vinum aptat ad certas paſſiones. 389.
Violentum variè accipitur à Iuriſperitis & Philoſophis. 197.
Violentum phyſicè acceptum, eſt contra internum impetum agentis, aut paſſi violentiam ſubeuntis. 198.
Violentum eſt, etiam quod eſt contra internum impetum, & appetitum paſſi. 198. & ſeqq.
Violentia phyſicè accepta, eſt etiam cùm Deus ita victor creatura, vt ſi idem fieret ab eadem cauſa, violentia inferri conſeretur. 199.
Virilis ætatis ærumnæ. 157.
Virtus Platoniſ *Neweræ*. 240.
Virtutis ſine honeſti incentiua. 629.

Virtutis

Virtutis præmium honor, quomodò. 767.
Virtutem irremuneratam dimittere, graue malũ. 768.
Virtus magnum hominis bonum. 116. Non tamen ſummum. ibid. Quia tendit aliò. 120. Nec vſquequaque perficit hominem. 121. Et adiunctum habet amarorem & ærumnas. 121. In fragilis eſt. ibid.
In virtute ſemper progrediendum. 651.
Virtus verum hominis bonum. 630. Amatur vbivis, & à quocunque, & ſemper. ibid. Hominem ſtatuit Dei filium. 631. Eſt maſcula, vitium verò fœmininum. ibid. Aſſimilat hominem Deo. ibid. Eius ſplendor, & nitela. 632. Dignitas. ibid. Quantum gaudium procreet. ibid. Veræ in ea diuitiæ. 637. Fragrantia. ibid. Honor apud improbos. 641. Eſt æternitatis viaticum. 657.
Virtus motrix progreſſiua, libertatis imperio deſpoticè obedit, & quomodò in fiat. 278.
Non item cordis & cerebri virtus motrix. ibid.
Quid de vi pulmonum motrice. ibid.
Vita humana miſera ærumnoſa. 149.
Vitæ incertum. 648.
Vita beatorum, ſola eſt vita. 188.
Vita præſens, tempus benè operandi. 658.
Vita noſtra, mors. 188.
Vita ex virtute, quomodò hominis beatitudo, iuxta Peripateticos 135.
Viuendum ſibi. 417.

Vitium.

Vitiorum fontes, obſtruuntur frœnatione paſſionum. 410.
Vitiorum mater, incontinentia, & cupitas. 28.
Vitium expugatu facillimum. 740.
Vnitas ſpecifica actuum moralium, vnde petatur. 561.
Vnitas inter coniuges mira, per liberos. 434.
Vnitas an eſſentia, an proprietas amoris. 421. & ſeq.
Volenti nihil difficile. 635.
Voluntas non eſt libera circa omnia obiecta. 268.
Circa Deum ſecundùm ſe, etiam in hac vita, non eſt libera quoad ſpeciem. 274.
Neque circa felicitatem in communi. ibid.
Circa Deũ clarè viſum, nullo modo eſt libera. 275.
Voluntas hominis, libera eſt quoad exercitium & ſpeciem circa quæuis bona finita. 267. Etiam cum duo æqualia proponuntur. 270. Aut vnum illorum efficacius proponitur. 271. Siue ſint fines, ſiue media. ad. 273. idque etſi nullus in intellectu præcedat error. ibid.
Voluntas libera eſt, etiam quo inſtanti agit. 353 ad 355. Etiam cùm eodem inſtanti ageret, quo producta eſt natura libera ibid. 355. Ita liberè continuat actum elicitum, vt ab eo poſſit deſiſtere, cùm libuerit. 356.
Voluntas nulla eſſe poteſt, quæ non ſit ex ſua natura formaliter libera. ibid.
Voluntas libera, poteſt omnes actus ſuos ſuſpendere, etiamſi negatiuè tantùm ſe habeat. 280.
Voluntas ſola, eſt formaliter libera. 254. & ſeqq.
Voluntatis paſſiones, ſpirituales. 17.
Voluntas diuina, non eſt regula proxima actuum noſtrorum. 557.
Quomodò ei conformari teneantur. 578.
Voluntas creata, eget regula. 561.
Voluntati creatæ, poteſt à Deo fieri violentia priuatiua, non poteſt poſitiua. 199. & ſeq.
Voluntatis actiones aliquæ, neceſſariæ ſunt, & quare. 223.
Voluntatis imperium in potentia, quodnam. 276. & ſeqq.
Voluntarium, & volitum, diſtinguuntur. 207.
Voluntarium & ſpontaneum, idem. 202.
vſurpatur pro libero. 297. 325.
Voluntarium multipliciter dicitur, directum, indirectum, poſitiuum, negatiuum, &c. 214.
Voluntarium ſimpliciter, quid ſit. 202. 207. & ſeqq.
Voluntaria eſt atque libera, quandoque, omiſſio pura. 107. 285. Atque etiam voluntarius euentus, quem ex ea omiſſione, præuidit intellectus ſecuturum. 208.
Voluntarium perfectum, eſt quod à cognitione intellectiua, non indifferente proficiſcitur. 209. Ac etiam quod à cognitione ſola ſenſitiua. 210.
Voluptas malorum omnium cauſa. 79.
Voluptas ſyncera, ex paſſionum repreſſione. 363.
Voluptas & dolor elementa paſſionum. 405.
Voluptas corporea, homini cum brutis communis, nec ſummum quidem brutorum bonum; non ſatiat: vexat; ſuo vſu periti 75. & ſeq. Habet adiunctam moleſtiam. 77. vitij metropolis. 78.
Voluptatis co- tempus quanti ſit 719.
Voluptas, ſeu delectatio, vel gaudium, quid ſit, quæ eius diuiſiones, quæ cauſæ, quæ effecta.
V. *Delectatio*
Voluptatis veræ præcellentia, 467.
Ad voluptatem proni, iuuenes, & benè valentes, & ſecuri. 468.
Voluptatum remedia intrinſeca 469.
Voluptates omnes hic turbidæ, dolori admiatæ. ibid.
Voluptatum faſtidia ibid. Fugacitas. 470. Aculei. 470.
Solæ puræ, & viuidæ, in homine probo. 41.
Remedia externa voluptatum. ibid.
Vulgi ſenſa, conculcanda. 645. & ſeq.
Vulgi ſenſus de via ad beatitudinem, quàm præpoſterus. 128.
Vulgaria præmia, vileſcunt. 769.
Vultus illiberalior, an argumentum ſceleris. 387.
Vſus rerum præclararum, poſſeſſione potior. 17.
Vſus quid, & quotuplex. 553.
Vſus actiuus, an detur. 555.
Vſus non ſecernitur ab electione. ibid.
Vſus rationis quid. 264. & ſeq.

Z

ZVmelis in Molinam trica, ſeu veriùs ineptiæ, & calumniæ. 254. Eiuſdem in Bellarminum, læua mens. 231.
Zumelij falſa ſententia, de libertate, ſita in iudicij indifferentia. 229.
Zumelij inconſtantia. ibid.
Zumelij ſententia, quòd non poſſit Deus voluntatem adigere, ſi iudicium ſit indifferens. reiicitur. 306.
Zumelij cortyna. 331.

FINIS.